



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2




Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

L.N. 801.
1-259
2°

Comparatus & Compactus
Kirchhaimiae sub ... per 3 fl.
Vigilia Assumptionis ...
Anno 79.



LN 801
ex. 2
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

M. Schmid. Sulz. 1772.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

COMMENTARIA IN OMNES EPISTOLAS APOSTOLORVM, PAVLI, PETRI, IVDAE, IOHANNIS, IACOBI, ET IN EAM QVAE AD HEBRAEOS

inſcribitur: ſcripta, recognita, emendata, & alicubi aucta

à

NICOLAO HEMMINGIO.



In Præfatione ſumma doctrinæ Eccleſiarum Danicarum breuiſsimè indicatur.

FRANCOFVRTI AD MOENVM,

M. D. LXXIX.

1579.

M. Martinus Locher.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Hølgs Samling
1970.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

SERENISSIMO, ILLVSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

D. FRIDERICO, EIVS NOMINIS SECVNDO, DANIAE, NORVEGIAE, SLAVORVM ET GOTTORVM REGI,

Duci Sleſuigæ, Holſatiæ, Stormariæ, & Ditmarſiæ, Comiti Oldenburgenſi & Delmenhorſtenſi, &c. Domino ſuo clementiſſimo.

CVM regius Propheta Dauid, Sereniſſime Rex, de Eccleſia Dei (cuius ipſe ciuis erat) ita canit: Propter domum Domini Dei noſtri quæram bona tibi, ſignificat piorum Regum & Principum (qui potentia, autoritate & opibus valent) ſtudia omnia conſiliaque eò referenda eſſe, vt gloriam Dei propagare, ac domo Domini, hoc eſt, Eccleſiæ Dei bona quærere & prodeſſe ſtudeant. Nam cum homines ideo primum creati ſint, & poſtea redemti, vt ſint templum Dei, & in humana ſocietate Deum celebrent, par eſt profecto, vt illi qui in humana ſocietate inter alios in eminentiori loco conſtituti ſunt, Rectores & Gubernatores, ſtudio promouendæ gloriæ Dei, fouendæ & ornandę Eccleſiæ ſingulari teneantur. Eſt ſiquidem hic præcipuus finis omnis eminentiæ in mundo, vt ſicut dignitatis gradu ſimilitudinem quandam Dei referunt Principes, ita ſimilitudinis huius cogitatione accendantur ad reparandam & poliendam in humana ſocietate viuam Dei imaginē, quæ in iuſticia & ſanctimonia vera poſita eſt. Hunc finem politici magiſtratus Paulus agnoſcit, cum iubeat fieri preces pro Regibus & alijs in eminentia conſtitutis. ita enim ait: Adhortor ante omnia, vt fiant deprecationes, orationes, poſtulationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus in eminentia conſtitutis, vt tranquillam & quietam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

vitam degamus in omni pietate & grauitate. Hic Paulus fines plures politici magiſtratus facit, inter quos ſummus eſt pietatis propagatio & conſeruatio, cui reliqui deſtinantur. Nam & tranquilla vita, videlicet cum ab externis hoſtibus non turbatur humana ſocietas, & quieta, cum ſinguli ſua officia fideliter in communem vtilitatem ſine πολυπραγμοσύνης vicio faciunt, & grauitas morum, ſeu honeſtas pietati alendæ & fouendæ ancillātur: quæ pietas vt propoſitam habet gloriam Dei: ita omnia ſua ſtudia & conſilia refert ad eandem propagandam & illuſtrandam inter homines. Verum cum legimus multos Reges olim abieciſſe, & audimus hodie non parum multos abijcere curam Eccleſiæ, tanquam ad ſe minime pertinentem, non ſunt piorum Principū animi prauis gubernatorum exemplis, quæ ſunt (proh dolor) pene infinita, perturbandi, ſed hæc ordine cogitent pij Principes. Primùm, quod Deus ſæpe permittat impios regnare vt graſſantia hominum peccata tyrannide & impietate gubernatorum puniat, non vt ſubditos prorſus abijciat, ſed vt ſuo iuſto iudicio miſericordiæ locum paret, hoc eſt, vt homines caſtigati quaſi virga Dei ad gratiam ipſius in vera pœnitentia confugiant. Secundò cogitent furores diabolorum incitantium Principes ad multa ſcelera quibus deformatur Eccleſia. Nouerunt enim ſubditos gubernatorum exemplis inuitari ad peccandum, vt & Poëta ait: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Tales ergo pleriq; ſunt ſubditi, qualis eſt qui illis præeſt. Tertiò, cogitent hanc confuſionem admonitionem eſſe de duabus rebus, videlicet de confuſo ordine à Principe creaturarum homine, qui per peccatum ſuum omnem ἀταξίαν & confuſionem in mundum inuexit, & de pœnis æternis quæ pręſentem confuſionem excipient in omnibus ijs, qui per veram pœnitentiam ad Deum non conuertuntur. Quartò, cogitent multo laudabilius eſſe paucos pios imitari, quā multos malos, vnum Theodoſium, quam multos Nerones. Procul proinde abſit à piorum Principum animis tyrannica illa vox, quæ Atreo tribuitur, vt eſt apud Senecam: Sanctitas, pietas, fides priuata bona ſunt, qua iuuat eant Reges. Non enim ſanctitas, pietas, fides, priuata tantum bona ſunt, ſed ſunt communia omnibus pijs, vt veræ notæ filiorū Dei, quibus à mancipijs Satanæ (quæ reſeruantur æternis pœnis) diſtinguuntur.

Dauid, Ezechias, Ioſias non propoſuêre ſibi imitandos

Reges impios, quales tunc temporis omnes fuerunt in orbe terrarum, adeo vt Poëta diceret: Regia res ſcelus eſt. Quare? quia Deum magiſtrum, quàm diabolum maluerunt. Fridericus & Iohannes Fridericus duces Saxoniæ non ſecuti ſunt exempla plerorumq; Principum, eorumque potentiſſimorum, qui adorabant Babylonicam meretricem, ſed Deum ducem ſecuti ſunt, ac ipſius gloriam vanitati huius mundi ſapienter præpoſuerunt, nec reuocati à pio curſu ſunt vaniſsimis prophanorum hominum argumentis, inter quæ hæc ſunt præcipua: Turpe eſt diſcedere à maiorum inſtitutis: Pulcrum & laudabile eſt paternis veſtigijs inſiſtere: Inconſtantium hominum eſt à recepta & multos annos approbata religione deſciſcere, & nouam religionem quam patres eorum ignorauerunt amplecti: Inciuile & crudele eſt, ordinem bene conſtitutum perturbare, præſertim cum omnes mutationes ſint mortiferæ, &c. Quid ergo fecerunt? in mentem reuocarunt dictum Dauidis: Lucerna pedibus meis verbum tuum: & dictum Chriſti: Oues meæ vocem meam audiunt: & præmonitionem Danielis de Mahometico & Antichriſtiano regno: ex quo factum eſt, quod potius voluerint ſe adiungere paucis bonis quam multis malis. Potius Deo adhærere fide, ac in eum ſpem ponere, quam multis principibus impijs ſe adiungere, in quibus non eſt ſalus. Fateor quidem, turpe eſſe à maiorum inſtitutis diſcedere, modo pia, honeſta & laudabilia fuerint. Nam ſi ſint impia turpia & ſcelerata, impium, turpe & ſceleratum eſt, in illis conſeneſcere propter maiorum autoritatem. Veſtigijs paternis inſiſtendum puto, modo in pietatis & honeſtatis ſtudio figantur, ſecus ſi in perniciem tendunt, & in interitum certum. Non eſt inconſtantiæ aſcribendum, ſi quis à religione veteri modo vitioſa fuerit deſciſcat, qualis eſt Antichriſti. Neque noua religio iudicanda eſt, quæ ad multos annos oppreſſa delituit, & poſtea rurſus bonitate Dei emerſit abſterſis ſordibus pontificijs. Inciuile & crudele eſt, ordinem conſtitutum perturbare, modo iſte ordo non fuerit potius confuſio longa conſuetudine firmata, quàm verus & legitimus ordo. Neque verum eſt oratoris dictum: Omnes mutationes ſunt mortiferæ. Nam mutatio ab errore ad veritatem, ab impietate ad pietatem, à Satana ad Deum, ab interitu ad vitam, ſalutaris eſt. Hæc ergo cum vanitatis & cœcæ rationis ſint

nis ſint argumenta, merito contemnit fides, quæ non ſenſuum aut rationis tenebras, ſed lumen verbi Dei ſequendum ducit. Horum ſanctorum Regum & Principum exemplum ſecutus eſt (vt de domeſticis dicamus) D. Fridericus Rex Daniæ eius nominis Primus, auus tuus, Rex sereniſſime, paternus. Hic enim inter omnes Reges Europæ primus fuit, qui puram Euangelij doctrinam à beato Martino Vuitebergæ propoſitam, & à Pontificijs erroribus vindicatam & repurgatam, amplexus eſt, qui vt exemplo multos in hoc regno ad pietatem inuitauit: ita autoritate ſua regia eos defendit, qui puræ religionis ſemina in his regnis primi iecerunt. Quod autem plene non reformauerit Eccleſias & aboleuerit idola & inſignia Antichriſti, non in cauſſa fuit ipſius voluntas, ſed potentia illorum, qui tum partes Antichriſti per ignorantiam tutati ſunt. Vt enim Paulus per ignorantiam impedimento fuit curſui Euangelij: ita etiam in hoc regno multi potentes non ex malitia, ſed ex ignorantia curſum Euangelij ad tempus intercluſerunt. Friderico patri & in regno & in pietate, ſucceſsit filius D. Chriſtianus eius nominis tertius pater tuus, ô Rex, perpetua memoria digniſſimus. Hic exemplo optimi patris non peſſimos quoſque propter multitudinem & externum ſplendorem; ſed optimos imitandos ſibi propoſuit. Nam diademate regio à ſenatu regni huius ſapientiſſimo ornatus, omnium primum de domo Domini cogitauit: & quia ſciuit ſe Principem & Regem creatum eſſe non propter delicias & vanam mundi gloriam, ſed propter Eccleſiam Dei fouendam & gloriam Dei propagandam inter homines, prima & præcipua eius cura fuit, vt miniſterium Euangelij inſtitueretur & confirmaretur tale, vt in eo Apoſtolica ſimplicitas cerneretur. Vocauit Vuiteberga in hunc vſum optimum & doctiſſimum virum Doctorem Iohannem Pomeranum piæ memoriæ, per quem adiunctis ei quibuſdam pijs & ſapientibus viris huius regni incolis, Academiam Hafnienſem à Chriſtierno rege Daniæ eius nominis primo, anno Domini 1475. erectam, & à Sixto Romano Pontifice omnibus priuilegijs, quæ & tum habuit, & poſtea habitura erat Academia Bononienſis, donatam, (ἀλλ᾽ οὐκ ἄνευ ἀντιδώρου) ſed iam iniuria temporum penè collapſam, additis ſtipendijs, inſtaurauit, & quaſi nouam erexit. Scholæ ita inſtauratæ, vt ſummum conſeruatorem præfecit, vi-

rum Nobilem, ſapientem & pium D. Iohannem Frijs, Regiæ Maieſtatis Cancellarium prudentiſſimum, optimè de patria ſua, ſcholis & Eccleſia Chriſti meritum. Hic D. Iohannes Frijs cum ante annum in morbum incidiſſet,& fruſtra tentata eſſent remedia, circumſtantibus cognatis & amicis tanto patrono ſe deſtitui lugentibus, ait: Diſcedite à me vos mortui, ego ſum inter viuos. Quę vox victricis fidei in agone mortis certiſſimum teſtimonium erat. Et paulo poſt in vera inuocatione Dei in manus Domini, poſtquam expleuiſſet ætatis ſuæ annos 77. animam tradidit.

Porro Academia erecta, ordinauit quoque ſanctiſſimus Rex ſeptem Superintendentes in regno Daniæ, & quatuor in Noruegia, qui Eccleſijs reformatis præeſſent, cauerentq; ne quid de fermento Papiſtico remaneret, neue aliunde inueheretur. Et quia ſanctiſſimus Rex voluit poſteritati conſultum, curauit, vt paſtoribus iuſtis ſtipendijs proſpiceretur. Vtque non deſiderarentur, qui olim in miniſterium eſſent ſucceſſuri, ſcholas triuiales reformauit, addita liberali eleemoſyna in diſcentium ſubleuamen. Hoc patris tui exemplum ſereniſſime Rex, non ſolùm piè imitatus es, verumetiam multum ſuperaſti. Nam non ſolùm quæ pater tuus piè ordinauit literis confirmaſti (quod pietatis erga patrem teſtimonium fuit) verumetiam ſtipendia diſcentium auxiſti multum. Nam hîc in Academia centum ſcholaſticos liberali alis eleemoſyna, quæ ſingulis annis excedit quatuor dalerorum millia, ſplendida in diſcentium vſum domo in area collegij extructa. Profeſſorum quoq; ſtipendia multo ampliora feciſti, quam fuere. Præterea Roſchildiæ magnum numerum pauperum ſcholaſticorum liberali menſa ſuſtentas: quæ res oſtendit, & quo ſis animo erga domum Dei, hoc eſt, Eccleſiam, & quàm cupias Eccleſiam bene conſtitutā poſteris tradere. Porro quia ſcis Eccleſiam Dei his quatuor rebus, ſincera doctrina, pio ſacramentorū vſu, grauitate ceremoniarum, & honeſtate diſciplinæ erigi, fulciri & conſeruari, omnes conatus tuos eò dirigis, vt illa ſalua & impolluta maneant, qua in re te vere regem & nutricium Eccleſiæ oſtendis.

Cæterum vt alijs quoque conſtet, qualis ſit in hoc regno Eccleſiarum conſtitutio, breuiter exponam Eccleſiarum noſtrarum doctrinam de iſtis quatuor, quibus Eccleſiam Dei erigi, fulciri & conſeruari diximus.

Doctrinam Legis & Euangelij puram & ſinceram noſtræ Eccleſiæ profitentur. Et quoniam Deus autor eſt huius doctrinæ, omnium diligentiſſime traditur in noſtris Eccleſijs vera Dei noticia: quam conſtanter retinemus & defendimus prout traditur in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & breuiter concepta eſt in ſymbolis Apoſtolico, Niceno, Athanaſiano, Ambroſiano, & deteſtamur omnes veterum & recentium opiniones cum ſcriptis ſacris & ſymbolis pugnantes. De lege Dei noſtræ Eccleſiæ docent, quod puram, perpetuam, perfectam & ſpiritualem obœdientiam requirit: ex quo ſequitur, neminem legi Dei ſatisfacere poſſe, aut iuſtum fieri ex operibus legis. Deinde docent triplicem vſum eſſe legis diuinæ, videlicet, externum, internum & ſpiritualẽ: quos in hunc modum diſcernunt.

Externus qui pædagogicus eſt, pertinet ad externum hominem, cuius mores diſciplina legis coërceri debent, propter multas cauſſas, quæ diligenter explicantur in noſtris Eccleſijs.

Internus vſus ſpectat ad internum hominem, quem ſiſtit lex coram tribunali Dei, accuſat tranſgreſsionis, proponit iudicium Dei, inculcat ſententiam iudicis Dei damnatoriam, idque in eum finem, vt homo agnito morbo quærat medicum, agnito debito expetat gratiam, agnita ira Dei imploret eiuſdem miſericordiam, breuiter vt agnito peccato confugiat ad propitiatorem Ieſum Chriſtum. Hic ergo vſus legis operatur in corde hominis contritionem, quam primam pœnitentiæ partem faciunt. Eſt autem hæc contritio dolor cordis ex agnitione peccati, ex ſenſu iuſtæ iræ Dei, & ex merito damnationis noſtri conceptus, & proprię cõſcientiæ teſtimonio confirmatus, vt videre eſt Actorum 2. vbi contritio hæc compunctio cordis dicitur.

Spiritualis vſus legis pertinet ad hominem ſpiritualem, hoc eſt, ad hominem iuſtificatum fide, & renatum per ſpiritum ſanctum. Huic enim lex vt certa viuendi norma proponenda eſt. Et tametſi ne renatus quidem poteſt legem præſtare: tamen obœdientia renati placet, quia is non eſt ſub lege, ſed ſub gratia. Nam legem implere poſt hominis lapſum in hac vita ſolius Chriſti eſt proprium.

De Euangelio docent Eccleſiæ noſtræ, quod ſit vniuerſalis prædicatio pœnitentiæ, ſeu cõuerſionis & remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti. Ita enim Chriſtus ipſe ait:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Ita ſcriptum eſt, & ita oportuit Chriſtum pati & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam (id eſt conuerſionem) & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, (hoc eſt omnibus gentibus.) Tria ergo facit Euangelium. Primùm monſtrat beneficium Chriſti, videlicet, remiſſionem peccatorum. Secundò, oſtendit modum applicationis, videlicet, quod hæc remiſſio peccatorum ijs qui conuertuntur ad prædicationem Euangelij contingat. Hęc autem conuerſio fit per fidem in Ieſum Chriſtum, quam fidem ſecundam pœnitentiæ partem faciunt, eamq; definiunt eſſe firmam noticiam & fiduciam promiſſæ miſericordiæ propter Chriſtum. Et quia cum fide remiſſionis peccatorum iuſticia, regeneratio, ſalus & vita æterna coniuncta ſunt, tribuuntur hæc quatuor fidei in ſcriptura, Rom. 3. fide iuſtificamur. Item, arbitramur hominem iuſtificari fide abſque operibus legis. Iohan. 1. Dedit poteſtatem filios Dei fieri ijs qui credunt in nomen eius. Epheſ. 2. Fide ſaluati eſtis. Iohan. 5. Omnis qui credit habebit vitam æternam. Sed omitto teſtimonia, quæ paſſim ſunt obuia. Tertiò, gratiam vniuerſalem prædicat Euangelium, iuxta hanc aſſeuerationem Chriſti, Lucæ vltimo: Oportet prædicari in nomine meo pœnitentiam & remiſsionem peccatorum omnibus gentibus. Hæc enim aſſeueratio manifeſte indicat gratiam eſſe vniuerſalem. Atque ideo noſtræ Eccleſiæ non recipiunt dogma illorum, qui neſcio quas Parcarum tabulas cum Zenonis familia fingunt, docentq; Deum ab æterno quoſdam deſtinaſſe æternæ vitæ, quoſdam vero æternis ſupplicijs, idque abſolute, abſque omni conditione fidei & obœdientiæ, atque ita tacite partem Euangelij abolent. Nos autem iſti opinioni Stoicæ opponimus vniuerſale mandatum Dei, quo omnes iubentur audire Euangelium & credere: vniuerſalem promiſsionem gratiæ, quæ omnibus promiſcue offertur: vniuerſale λύτρον agni tollentis peccatum mundi: & vniuerſalem obſignationem gratiæ per baptiſmum & ſacram Chriſti cœnam. De hac re copioſiſsime docent Eccleſiæ noſtræ, gratiam vniuerſalem eſſe affirmantes cum Prophetis & Apoſtolis. Neque aliud vult Paulus Rom. 9. 10. 11. capitibus, quam docere gratiam vniuerſalem eſſe, contra Iudæos, qui ſua culpa exciderant gratia, eo quod fide iam accipere noluerint opinione propriæ iuſticiæ obcœcati. Si ergo conſilium Dei creantis hominem, ſi

bene-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

beneficium Mediatoris paſsi pro mundo attendimus, gratia vere vniuerſalis eſt. Verum ſi hominum maliciam & infidelitatem conſideramus, gratia particularis fit hominum vicio, qui oblatam in Chriſto gratiam reſpuunt.

De noua obœdientia (quam tertiam pœnitentiæ partem faciunt) hæc eſt noſtrarum Eccleſiarum ex verbo Dei cōcepta ſententia. Cum fide remiſsionis peccatorum non ſolum coniuncta eſt iuſtificatio, id eſt, imputatio iuſticiæ Chriſti. Nam credenti imputatur Chriſti obœdientia, vt ea iuſtus cenſeatur coram Deo, iuxta illud Pauli: finis legis eſt Chriſtus in iuſticiam omni credenti: verumetiam ſanctificatio, cuius effectus eſt noua obœdientia, ſeu bona opera interna & externa diuinitus mandata: quæ opera cultum Dei eſſe definimus, cum fiunt iuxta voluntatem Dei, hoc eſt, ex fide in gloriam Dei. Hunc cultum dicimus eſſe fructum regenerationis ſeu ſanctificationis ſeu iuſticiæ fidei ſeu ſpiritus, ita enim Petrus & Paulus loquuntur. Et tametſi bona opera pręſertim interna non poſſunt ſeparari à fide fiduciæ, tamen fides ijs natura prior eſt, quemadmodū & regeneratione natura prior eſt fides etſi nō tempore. Horum operum neceſsitatem multiplicem eſſe docemus in noſtris Eccleſijs, hoc ſemper cauentes, ne tantillum dignitatis aut meriti ijs tribuatur in negotio iuſtificationis & ſaluationis.

Præterea quia diſputatur à multis de viribus hominum, & voluntate, nos diſtinguimus inter non renatos & renatos. Non renatis adimimus, cum Paulo Rom. 3. iudicium, voluntatem & vires benefaciendi (hoc eſt præſtandi Deo verum cultum) Etſi autem fatemur voluntatem non coacte ſed libere alia præ alijs eligere: tamen dicimus eam ſeruam eſſe in non renatis, non quod coacte ſed quod ſponte ſeruiat peccato. At in renatis, quia docta & reformata ſpiritu Dei eſt voluntas, libere renunciat dominio peccati, & ſubijcit ſe Deo, eique ſeruit. Et quemadmodum non vult voluntas aliquid vere boni, non docta & mota à Deo: ita docta & mota à Deo, poteſt aſſentiri & non aſſentiri, alioqui Stephanus non recte obieciſſet Iudæis, quod ſæpius reſtitiſſent Spiritui ſancto, neq; Eſaias & Paulus recte dicerēt Deum expandiſſe manus ad populum contumacem & cōtradicentem: neq; opus eſſet miniſterio verbi, quo homines inuitantur ad fidem & obœdientiam: & confirmarentur Stoicæ opiniones de Parcarum tabulis.

Sacramen-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sacramenta (quæ ſunt altera pars miniſterij Eccleſiæ) definimus cum Auguſtino, eſſe ſigna gratiæ, vt quæ teſtētur de fauore Dei erga eos qui illis rite vtuntur. In his concurrunt verbum inſtituentis Dei, res promiſſa, ſignum externum, & fides, ſine qua ſacramenta cedunt vtentibus in iudicium. Hæc omnia complectitur Auguſtinus cum ait: Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Verbum ſcilicet Dei inſtituentis, promittentis, & requirentis fidem promiſſionis, & elementum, quo res promiſſa ſignatur. Sunt ergo quatuor in quolibet ſacramento, videlicet Verbum ſeu mandatum Dei: Signum externum (in hoc ſpectanda eſt analogia ad rem ſignatam. Nam ſi ſacramenta vt ait Auguſtinus, comparationem nō haberent earum rerum, quarum ſunt ſacramenta, non eſſent ſacramenta. Qua de cauſſa à quibuſdam patribus iſta externa ſigna ſymbola dicuntur. Sunt enim ſymbola proprie non quælibet ſigna, ſed ea quæ comparationem quandam habent cum rebus ſignatis, vt ex etymo conſtat) Res promiſſa, & Fides promiſſioni reſpondens. Fide enim res ſacramenti accipitur, retinetur, poſsidetur. Agnoſcimus autem duo tantum ſacramenta noui teſtamenti Eccleſiæ communia, videlicet Baptiſmum & Cœnam dominicam.

Baptiſmum (primum ſignum gratiæ in nouo teſtamento) definimus ex verbis Marci dicētis, fuit in deſerto Iohannes baptiſans & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, eſſe teſtimonium diuinum, quod pœnitentibus (hoc eſt, conuertentibus ſe ad Deum per fidem) remittuntur peccata. Cum peccatorum remiſsione coniuncta ſunt iuſticia, reconciliatio, ſanctificatio, ſalus & vita æterna. Analogia ſigni ad rem hæc eſt. Vt enim aqua abluitur corpus à ſordibus: ita conſcientia hominis à mortuis peccatis ſanguine Chriſti purgatur & regeneratur per Spiritum ſanctum. Habet enim aqua comparationem & ad ſanguinem Chriſti, & ad ſpiritum regenerationis. De vſu docent noſtri copioſe ex ſcripturis, damnantes Anabaptiſtas, qui ſæpius iterant baptiſmum, hoc eſt, quoslibet ſæpius baptiſant.

Cœnam Domini (alterum ſignum gratiæ in nouo teſtamento) in qua panis & vinum ſymbola corporis & ſanguinis Domini diſtribuuntur, docemus eſſe ſacramentum corporis & ſanguinis Domini, atque adeo noſtræ per victi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mam Chriſti redemtionis ab ipſo Chriſto iam morituro pro peccatis noſtris inſtitutum & commendatum Eccleſiæ vſque dum venerit ad iudicium, idq́; ideo vt ſit perpetua recordatio Chriſti tradentis ſuum corpus & effundentis ſuum ſanguinem pro nobis, vt ſit obſignatio noui fœderis de gratia & remiſſione peccatorum propter meritum Chriſti, vtq; ſit teſtimonium copulationis noſtri cum capite noſtro Chriſto, cuius corpore & ſanguine vere paſcimur, modo vere ſimus quod dicimur, hoc eſt Chriſtiani.

Reijcimus & damnamus dogma transſubſtantiationis, ex eo natum, quòd Thomas Papiſtarum coriphæus, non recte intellexerit, iuxta Eccleſiæ omnium temporum loquẽdi modum, ſacramentalem prædicationem eſſe, in qua res quæ promittitur & offertur, attribuatur ſigno, vt ſacramenti finis & vſus cogitetur, & vnio ſacramentalis intelligatur, qua res, quæ fide accipitur ſub ſigno viſibili, quod ſenſu percipitur, repræſentatur. Hanc ſacramentalem prædicationem (vt veteris teſtamenti teſtimonia prætercam) à Chriſto diſcere Thomas potuiſſet, qui calicem nouum teſtamentum vocat, & à Paulo, qui circumciſionem σφραγίδα iuſtitiæ fidei, baptiſmum lauacrum regenerationis, & panem benedictionis κοινωνίαν corporis Domini appellat. Taceo Auguſtinum, Theodoretum, & alios multos, qui clariſſimis verbis idem teſtantur, quorum teſtimonia omitto, quia res luce clarior eſt. Quid quæſo dulcius cogitari poteſt: quàm ſacram Chriſti cœnam eſſe teſtimonium Dei, quòd fidelis anima iungatur capiti ſuo Chriſto firmiſſimo fœdere, quòd paſcatur pane vitæ, qui eſt Ieſus Chriſtus, qui dedit corpus ſuum pro nobis, & effudit ſanguinem pro multis in remiſſionem peccatorum, hoc eſt, in teſtimonium, quòd Deus remittat omnibus credentibus peccata, & recipiat eos in gratiam propter merita filij. hoc enim eſt illud nouum teſtamentum, cuius ipſe Dominus meminit in ſacramenti huius inſtitutione. Sed quid hîc facit Satanas? vt hanc dulciſſimam conſolationem obruat, excitat quos iudicat ſibi idonea eſſe inſtrumenta ad obruendam veritatem Dei, vt homines occupati inanibus ſpeculationibus, fruſtrentur vero teſtamenti Chriſti fructu. Prudenter proinde faciunt miniſtri Euangelij in hoc regno, qui ſunt contenti ſimplicitate verborum Chriſti & Pauli, nec mouent alijs litem, ſed verum vſum cœnæ ſumma cum diligentia

ligentia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ligentia auditoribus ſuis inculcant. Rogo fratres omnes, ſi qui forte hęc lecturi ſint, vt non iudicent de hac noſtrarum Eccleſiarum ſententia ex anticipatis opinionibus, ſed verbum Dei vt regulam, & Eccleſiæ vocem vt regulæ teſtimonium audiant, ſtudeantque ne tantæ ſalutis quæ hoc obſignaculo nobis obſignatur veritatem nimium altercando amittant. Oro te fili Dei, qui ipſa es veritas, vt nos doceas, vt in veritate tua nos dirigas, vt nos tibi iungas, quò te & in hoc mundo, & in omnem æternitatem cum omnibus electis celebremus beati, Amen.

Miſſam papiſticam non iudicant noſtri cœnam eſſe Domini, ſed cœnæ Dominicæ ſacrilegam prophanationem, quam vnà cum traditionibus humanis pugnantibus cum verbo Dei (qualis eſt inuocatio ſanctorum, adoratio idolorum, aqua luſtralis, purgatorium, roſaria, monachiſmus, impurus cœlibatus, interdictio coniugij ſacerdotum, ſtata ieiunia, cum opinione meriti) execrantur.

Ceremoniæ ſequuntur, quas diximus tertium locum obtinere in Eccleſiæ miniſterio. In his ſpectatur iuxta Pauli doctrinam ordo & decor, non quilibet, ſed qui faciunt ad ædificationem non ad deſtructionem. Hic damus aliquid conſuetudini, retinentes quoſdam veteres ritus adiaphoros ſine ſuperſtitione, quemadmodum Vuitebergæ quoque faciunt. Nam vt doctrinam eandem, ita quoque ceremonias ſimiles cum Vuitebergēſi Eccleſia retinemus, nullo modo damnantes eos, qui in quibuſdam reformatis Eccleſijs diuerſas à nobis habent ceremonias. Nam fundamento ſaluo, piorum eſt, non moroſè litigare de humanis ceremonijs, præſertim ſi pro cultu non habeantur & defendantur. Norunt enim licitum eſſe mutare ceremonias pro temporum & locorum ratione, modo non perturbetur Eccleſiæ incolumitas, hoc eſt, donec non offendantur infirmi, quorum ratio habenda eſt.

Diſciplina, quæ quartum locum occupat in Eccleſiæ fulcimento, talis à noſtris recepta eſt, quæ ex poteſtate clauium dependet, & ex ea concludi poteſt. Hanc nimium laxatam eſſe omnes dolemus, & optaremus aliquando ſeueriorem diſciplinam nō ſolùm noſtris, ſed etiā alijs penè omnibus Eccleſijs reſtitui. Sed metuendum eſt ne grex epicureorum, & multitudo peccantium tantum bonum impediat in multorum exitium.

Quantum autem ad priora illa, videlicet doctrinæ ſinceritatem, rectum vſum ſacramentorum, & grauitatem ceremoniarum conſeruandam attinet, facis, ſereniſsime Rex, piè & fideliter officium tuum, vt nihil in te deſiderari poſsit. Nam vt ceremoniæ præſcriptam ordinationem Eccleſiaſticam vt regulam ſequuntur, & ſacramenta ex traditione Chriſti dependent: ita doctrina Legis & Euangelij ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis petitur. Et quia variæ ſunt ſectæ, quæ omnes ferè ſe referunt ad Prophetica & Apoſtolica ſcripta, adiungimus nos ijs qui ſymbola Nicenum, Athanaſianum, Apoſtolicum, & Cōfeſsionem Auguſtanam & Corpus doctrinæ incorrupte amplectuntur. Hæc enim tanquam regulas ſinceræ doctrinæ, Rex ſereniſsime, piè defendis, vt & in ſcholis & in Eccleſijs vox Dei incorrupta maneat, & incorrupta ad poſteritatē, quaſi per manus veniat. Vt autem hoc tuum ſtudium pro mea tenuitate iuuarem, ſereniſsime Rex, ſcripſi ſuperioribus annis Commētaria in omnes Apoſtolicas epiſtolas, quæ ad noſtras manus peruenere, & ea ſeorſim edidi, dicata alia alijs amicis & patronis, & nunc eadem recognita, emendata, aucta ac veluti noua in vnum volumen congeſta ſub auſpicijs tui nominis in lucem prodire volui, cùm vt extet meum teſtimonium de tua pietate, de amore illuſtrandi gloriam Dei, & de ſtudio tradendi doctrinam Euangelij poſteritati incorruptam, tùm vt meam obſeruantiam erga R. M. T. declarem.

Precor itaque, ſereniſsime Rex, vt pro tua ſolita clementia hoc meum qualecunque ſtudium ſereno vultu ſuſcipias, boniq; conſulas. Ego viciſsim, id quod alioqui debeo, te Deo, in cuius manu corda ſunt regum, aſsiduis precibus commendabo, rogaboq; eum vt te ſpiritu ſapientiæ & timoris ſui donet, faciatque vt tota tua gubernatio cedat in gloriam Dei, ædificationem Eccleſiæ & ornamentum regni: in quo te Deus conſtituit Regem & Paſtorem: vt tandem in æterna vita fruaris conſuetudine ſanctiſsimorum regum, Dauidis, Ioſiæ, Ezechiæ, Aui tui Friderici primi, patris tui Chriſtiani Tertij & aliorum, qui pietatem erga Deum, iuſticiam & clementiam anteferebant vanitati & pompæ huius mundi. Recte enim putabant mandatum Dei ad ſe pertinere quod eſt Pſalmo ſecundo hiſce verbis: Et nunc Reges prudenter agite, erudimini iudices terræ, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, oſculamini filium

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

lium &c. Vale Rex clementiſsime integer animo, corpore & ſpiritu. Deus Rex regum & Dominus dominorum te tuumque regnum cum ſubditis omnibus ſua bonitate cingat, & ſanctis ſuis angelis tueatur, vt piè & ſanctè tranſacto curſu huius vitæ, conſcientia piè & ſanctè præſtiti officij delecteris. Hafniæ Calendis Ianuarij Anno 1571.

Sereniſſ. R. T. M.

dedítiſſ.

Nicolaus
Hemmingius.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

TYPOGRAPHVS.

NE obtruderemus lectori vacuas pagellas, placuit aſcribere inſignē locum B. Philippi Melanchthonis de autoritate Verbi & Eccleſiæ, deq; Verbi interpretatione. Nimirū, quòd in Eccleſia ſolum verbum Dei debeat eſſe Norma iudicij: Eccleſiā verò ipſam audiendam eſſe tanquam teſtem & doctricē, non quòd Fides niti debeat huius vel teſtimonio vel interpretatione, ſed ſolo Verbo, dictis videlicet ipſius Filij Dei, Prophetarum & Apoſtolorum. Verbum autem, quo nititur Fides, iubet Salomon eſſe purgatum, hoc eſt, vt Paulus præcipit, habitare debet in nobis opulenter cum omni ſapientia, quo nimirū excluditur vtrumq; extremum, Ignauia & Sophiſtica, & commendatur diligentia religioſaq; conſideratio, quam Epiphanius nominat θεωρίαν καὶ αἴσθησιν, quarū hæc declarat propriam verborū ſignificationem, illa confert inter ſe membra, definit, diuidit & ratiocinatur. Vtrobiq; autē attendendum eſt lectioni, vt res cum iudicio diſcernantur, & pro natura rerum, quæ in quoque loco ſcribuntur, vocabula accipiantur. Ex quo iam oritur duplex genus interpretationis, vnum κατὰ τὸ ῥητὸν, alterum κατὰ διάνοιαν. Atque ῥητὸν quidem anteferatur omnibus omnium hominum interpretationibus & ſententijs, vbi in verbis nulla eſt obſcuritas & ambiguitas, vt in lege Morali, in promiſsione Gratiæ, & in articulis Fidei. Vbi vero vel eſt obſcuritas, vel ambiguitas, vt in multis alijs doctrinæ Chriſtianæ partibus, cum per ῥητὸν aut labefactatur fundamētum Fidei, aut impugnatur legis aliqua doctrina, aut euertitur articulus Fidei, tum neceſſariò confugiendum eſt ad διάνοιαν, ne analogia Fidei turbetur. Neceſſe eſt enim omnem interpretationem congruere ad analogiam Fidei. neque exiſtimetur, Verbum ἀνοήτως intellectum, eſſe verbum Dei. cum veritas conſiſtat non in ſono, ſed in vera verborū ſententia. Vnde recte monuit Cyrillus, Intentionem potius eſſe ſpectandam, quàm vrgenda verba contra dicētis mentem. Ita igitur B. Philippus in Reſponſione ad criminationes Staphyli & Auij. Tom. 4. Pag. 814.

SAEpe teſtati ſumus, nos amplecti Prophetica & Apoſtolica ſcripta, & Symbola, & non dubitare nos, congruere cum eis Confeſsionem noſtram, noſq; & eſſe Dei beneficio, & Deo iuuante manſuros eſſe veræ Eccleſiæ Dei ciues.

Et quia multum de conſenſu Eccleſiæ diſputatis, ſæpe ego quidem addidi, nos conſtanter retinere veteris & purioris Eccleſiæ conſenſum, quem ſi vos ſequi velletis, multa idola veſtra mox ruerent.

Num prima Eccleſia ad ſtatuas aduoluebatur, & homines mortuos inuocabat? Num venales Miſſas habebat? Num prohibebat coniugiū? Num adorabat panem, vt vos in circumgeſtatione, ſeu Perſica pompa facitis? Num vetuſtas docuit poſſe homines ſatisfacere Legi Dei, & iuſtos eſſe hac legis impletione, & tamen ſemper dubitandum eſſe, an Deo placeant? Num vetuſtas docuit de remiſſione peccatorum dubitandum eſſe, vt vos in Synodo Tridentina decreuiſtis, falſo detortis verbis Salomonis ad Ethnicam imaginationem, Neſcit homo an amore vel odio dignus ſit? Num in illa antiquitate Romani Epiſcopi interficiebant pios recte ſentientes? Num faces erant bellorum inter Reges?

Denique nota eſt nobis antiquitas, nec ab ea diſſentimus. Et cum ſcriptum ſit, Oues meæ vocem meam audiunt, affirmamus nos veræ Eccleſiæ Dei ciues eſſe, & Eccleſias noſtras non ex illa Heſiodi pyxide ſumſiſſe doctrinam, ſed ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & ſymbolis, & veteri conſenſu purioris Eccleſiæ: eaſque eſſe, vt Apum alueolos, in quos & fuci multi irrumpunt, & ſunt inſidiatores, ſtelliones, & crabrones, quales experimur multos. Et tamen extat doctrina, quæ in noſtris Eccleſijs traditur, quam veram eſſe iudicari poteſt ex ipſis ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & Symbolis.

Hic vociferantur Staphylus & Auius, ambigua eſſe ſcripta Prophetica & Apoſtolica, Sed ſumendam eſſe interpretationem ex perpetuo conſenſu, vt nominat. Semper adiungimus ſymbola, quærimus etiā teſtimonia veteris Eccleſiæ purioris, vt ſæpe ſcripſimus, audiendam eſſe Eccleſiam, tanquam doctricem, ſed fidem niti verbo Dei. Grata ſunt nobis teſtimonia Gregorij Neocæſarienſis, Ire-

ſis, Ire-

ſis, Irenæi, & ſymboli Niceni de filio Dei, ſed fides nititur dictis ipſius filij Dei, Prophetarum & Apoſtolorum.

Quod autem de ambiguitate Prophetici & Apoſtolici ſermonis vociferantur aduerſarij, primum hoc negare non poſſunt, vbi τὸ ῥητὸν nihil habet obſcuritatis aut ambiguitatis, ibi neceſſario anteferendum eſſe Synodorum & omnium hominum ſententijs, vt nihil eſt obſcuritatis aut ambiguitatis in dicto: Dominum Deum tuum adorabis & ipſi ſoli ſeruies. Ergo impietas eſt dicere, Maria, tu nos in hora mortis ſuſcipe.

Grauiter dictum eſt ab Epiphanio: τὰ θεῖα ῥήματα οὐ πάντα δεῖται ἀλληγορίας, ἀλλὰ ὡς ἔχει. θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως δύναμιν. Non omnes ſermones diuini indigent allegoria, ſed natiua ſententia retinenda eſt. Speculatione autem indigent & ſenſu, vt quælibet materia recte intelligatur. Nihil dubium eſt in Lege Morali, & in promiſsione gratiæ, & in Articulis fidei retinendam eſſe natiuam ſignificationem ſermonis. Non quærantur in his dictis aliæ ſententiæ: In principio creauit Deus cœlum & terram: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum ſicut te ipſum, Non occides, Non mœchaberis. Quas hic alias ſignificationes vocum quæris extra communem ſermonis conſuetudinem? Sed ſpeculatione opus eſt inquit Epiphanius, id eſt, collatione membrorum, definitionibus, diuiſionibus, ratiocinatione. Sciri neceſſe eſt in præcepto, Non occides, dici de cæde non mandata à Deo, & excipi Magiſtratus officium. Eſt & ſenſu opus, id eſt, Experientia, quæ declarat verborum ſignificationem, quid ſit vita, quid mors.

Hæc copioſe declarari poſſent. Nec dubium eſt, τὸ ῥητὸν, vbi nulla eſt obſcuritas & ambiguitas, anteferendum eſſe omnibus omnium hominum decretis. Sed Pontificij ſæpe τὸ ῥητὸν corruperunt. Cum Paulus dicit, Iuſtificamur gratis ſine operibus Legis, falſam interpretationem additis, videlicet, ſine ceremonijs & forenſibus operibus. Deinde affingitis homines iuſtos eſſe, propter opera moralia, Et veram ac neceſſariam conſolationem deletis, quæ dicit, credentes gratis recipi propter Mediatorem, non propter opera moralia. Affingitis etiam, ſemper in dubitatione manendum eſſe. Hæc pugnant non ſolum cum perpetua oratione Pauli, ſed etiam cum Prophetarum concionibus, quarum conſenſum eſſe oſtendunt hæc dicta: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Talem collationem ſine Sophiſtica nominat Epiphanius θεωρίαν. Nec propterea fit ambigua oratio Prophetica & Apoſtolica, etiamſi interpretes alij alias imaginationes addunt, ſed ſi fontes ſine Sophiſtica conſiderentur, quæ ſit ſententia natiua recte intelligi poteſt. Protulit filius Dei promiſsionem gratiæ ex ſinu æterni Patris. & pater inquit, Hunc audite, & iubet te ipſi credere. Et Petrus inquit: Omnes Prophetæ teſtimonium ei perhibent, accipere remiſsionem peccatorum per nomen eius omnes qui credunt in eum. Paulus expreſſe inquit: Ideo ex fide gratis, vt ſit firma promiſſio. Iubet promiſſionem fide accipi. Vos contra ſemper in dubitatione manendum eſſe dicitis, vt dicunt Ethnici. Ab hac veſtra imaginatione cum diſſentiant perpetua oratio Pauli, & plurima Prophetarum dicta, quid ſtatuendum ſit, lector pius intelligit. Cum in Pſalmo Dauid inquit, Suſtinuit anima mea in verbo eius, ſperauit anima mea in Domino, num à verbo retrahes precantem, & dices, Cur ambigua voce te conſolaris, vt, Crœſus audiens, Halym tranſiens magnum regnum euertes. Alibi dicit Pſalmus, Lucerna pedibus meis, Verbũ tuum. Et multa ſunt ſimilia dicta, quæ iubent, Normam eſſe iudicij ſcripta Prophetica & Apoſtolica, quibus addimus ſymbola quæ non aliud genus doctrinæ continent, ſed contra præſtigiatores tradita ſunt, qui peregrinas interpretationes Prophetico & Apoſtolico ſermoni affingebant, vt fecerunt, & faciunt Pontificij. In Prouerbijs capit. x x x. Omnis ſermo Dei purgatus igne, clypeus eſt confidentibus propter ipſum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Non addas verbis Dei, ne arguaris & fias mendax. Iubet ſermonem Dei nobis clypeum eſſe, & fidem affirmat niti ſermone diuino. Hæc fruſtra dicuntur, ſi ſermo diuinus eſt ambiguus. Fruſtra etiam dicitur, Nihil addas. Diſerte autem inquit Salomon, purgatum eſſe, vt metalla purgantur, id eſt, puritatem retinendam eſſe, nec miſcendas eſſe imaginationes humanas. Ac ſimiles ſententiæ multæ in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis traditæ ſunt.

Nec in re manifeſta diſputatione longiore opus eſt. Vbi τὸ ῥητὸν manifeſtum eſt & ſine obſcuritate & ambiguitate, contrarium docere aut ſentire impietas eſt, & cum manifeſtum ſit τὸ ῥητὸν, Non mœchaberis, tetra confuſio eſt Lex Laconica, quæ concedit paciſci de aliena coniuge cum marito. Non dubium eſt illos, qui ſcientes manifeſto ſermoni diuino aduerſantur, hoſtes eſſe veræ Eccleſiæ Dei. Id faciunt Pontificij & petulanter & impudenter. Nam in controuerſijs omnibus de quibus loquitur Confeſſio noſtra, ſententiæ noſtræ ſunt perpetua vox Prophetarum & Apoſtolorum, addo & ſcriptorum veteris Eccleſiæ puriorum, de peccato, de pœnitentia, de gratuita remiſſione peccatorum, & reconciliatione fide accipienda, de donatione Spiritus ſancti, de noua obœdientia, de collectione Eccleſiæ per filium Dei, de miniſterio Euangelij, & præſentia filij Dei in Eccleſia, de Sacramentis, de veris cultibus à Deo præceptis, de vera inuocatione, de vſu & abuſu rituum humanorum, de libertate Chriſtiana, de diſcrimine Eccleſiæ & Imperiorum, de dignitate ordinis polici i. In his materijs omnibus quid dicimus, quod non ſit expreſſe dictum & ſæpe repetitum in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis perpetuo conſenſu? Nullæ ſunt ibi monſtroſæ, nullæ ſeditioſæ opiniones, nulla affectata obſcuritas aut ambiguitas. Memini ante triginta annos ſcribere & dicere quoſdam, Quem fugiam habeo, quem ſequar non habeo, Cum ſignificarent ſe videre idola Pontificia fugienda eſſe, ſed adhuc dubitarent, an ſe noſtris Eccleſijs adiungerent. Hanc dubitationem tollit vox æterni patris, qui de filio dicit, Hunc audite. Hunc nos doctorem & ducem ſequi oportet, & ad huius Eccleſiam nos adiungamus. Sit nobis NORMA iudicij in tantis generis humani confuſionibus, ipſius SERMO, nec admittamus præſtigias, quibus prophani homines perſpicua dicta in peregrinas ſententias transformare conantur. Deinde & in hoc cœtu ſimus & maneamus, quem certo ſcimus vocem diuinam ſonare, nec ſimus ſocij eorum qui manifeſte ei aduerſantur, & vt eam deleant, horrendam ſæuiciam exercent. Hæc ad nos ipſos confirmandos dixi, & in hac cogitatione petamus & expectemus à filio Dei huius ſuæ cymbæ conſeruationem.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

SPLENDORE GENERIS VIRTVTE AC PIETATE CLARISSIMO VIRO DOMINO HERMOLAO TROLLE EQVITI AVRATO, AC SENATORI REGNI DANIÆ SAPIENTISSIMO, DOMINO DE HERLVFFHOLM, SVO DOMINO AC PATRONO, GRATIAM ET PACEM PRECATVR

NICOLAVS HEMMINGIVS.

ECCLESIA FILII DEI IN HOC MVNDO ROSAE inter ſpinas enatæ haud ineptè comparatur. Nam vt ſpinæ circumquaq; Roſam cingentes eam premunt & pungunt, vnde tamen illa fragrantior redditur: Ita Eccleſia vndique preſſa duris, latius odorem ſpirat, ac ſuam fragrantiam veluti exhalando emittit efficacius: atq; nouis ſubinde acceſſionib. augeſcit magis: id quod Eccleſiæ hiſtoria legentibus ob oculos ponit, & omnium ſanctorum teſtatur experientia. Spinæ autem quæ hanc roſam cingentes premunt & pungunt, ſunt tribuli ac zizania hæreſeon, tyrannidis, hypocriſis, flagitiorum, & variorum ſcandalorum in doctrina & moribus, vt interim taceam nothos, ſilueſtres & aridos ſurculos, qui non leue damnum veræ ac germanæ Roſæ inferunt. Has ſpinas Sathan Chriſti hoſtis ἀντίθεος ſpargit & ſeminat, vt Roſam, quam Chriſtus ſua manu plantauit, premat, ſuffocet, planeque in nihilum redigat: aut, ſi id non poteſt, vt hoc ſaltem efficiat, ne latè ſuos ſpargat flores ac ſurculos emittat. Hoc ſtudium omnibus temporibus Sathanæ fuiſſe, manifeſtum eſt. Quid non tentauit iacto primo huius Roſæ ſemine in Paradyſo? quid non machinatus eſt, vt ſemen huius Roſulæ, hoc eſt, primam promiſsionem protoplaſtis noſtris factam ſuffocaret? an non fratrem aduerſus fratrem armauit? an non impulit degenerem ſurculum Cain, vt Abelem fratrem occideret? idque non aliam ob cauſam, vt Iohannes teſtatur, quàm quod opera Abel fuerunt bona, & contrà opera Cain fuerunt mala? nunquid hoc parricidio ſuffocata eſt roſa Chriſti? nullo modo. Nam ex ſanguine Abel, tanquam ex ſemine quodam precioſiſsimo, plures enati ſunt ſurculi. Seth enim frater Abel ſurculi perpetuo in æterna vita virentis, & multi ab eo nati tanquam plantulæ nouæ ſuppullularunt: quas etſi Sathan ſuis ſubinde ſpinis punxit, vltra tamen mille & quingentos annos, hoc eſt, vſque ad diluuium (in quo collectis prius germanis ſurculis in arcam Noë iuſti, ſpinas ſuffocatas Dominus perdidit) conſeruata eſt Roſa. Quid? an hic fatigatus Sathan quieſcit? nequaquam. Nam mox poſt diluuium nouas ſpinas ſeminat. Cham enim filium Noë ad ſe pertrahit, vt transfuga factus Sem fratrem perſequatur: qui tamen perſecutione nequaquam fractus, conſtanter retinuit primam promiſsionem, atque ſemen huius Roſæ vſque ad tempora Abrahami quam latiſsime ſparſit. Etſi autem interea Sathan ſuis venenatis ſpinis maximam orbis partem oppleuerat, nihilominus tamen Roſa hæc ſuas vires retinuit, ac multos ſua fragrantia exhilarauit. Nam CHRISTVS hortulanus Abrahamum de Hur Chaldæorum euocatum pulcherrimum huius Roſæ ſurculum in terra Chanaan plantauit, tametſi nec illic Roſa à ſpinis Sathanæ immunis erat. Nam ibi, nunc fame, nunc peregrinatione, nunc alijs modis tentatus Abraham, in-

fracto tamen animo expectauit conſolationem. Vnde factum quoq; eſt, quod Roſa hæc precioſa, maiora indies incrementa ceperit. Iſmaël quidem ſurculus aridus Iſaacum fratrem, qui fuit in hac Roſa tenerrimus ſurculus, perſecutus eſt, ſed fruſtra. Nam eo magis creuit & glorioſior eſt facta Roſa. Poſtquam enim vidit Iſaac enatam de ſe nouam plantulam, nempe Iacob, qui, tametſi nothi & aridi ſurculi, hoc eſt, Eſau & Laban, vt alios taceam, eum grauiter preſſerunt, in radice manſit fœcundus ſurculus. Ab hoc enim duodecim alij prodiere ſurculi. Etſi autem omnes iſti ſurculi non manſerunt in radice. Nam quidam exaruerunt, & in nothos & adulterinos degenerauerunt: In magnum tamen numerum indies propagati ſunt. Inter quos vnus tenerrimus, nempe Ioſeph in Aegyptum florentiſsimum regnum eſt tranſlatus, vt ibi fructificaret, ac ſua ſuauiolentia totum Aegypti regnum oppleret: id quod non ſine magnis certaminibus præſtitit. Quid enim non mali ſanctus hic ſurculus in Aegypto pertulit, priuſquam in tantam Roſam excreuit? Nam primùm vrtica fœtida & ardens illum vrere tentat, hoc eſt, turpiſsima fœmina eum ad adulterium ſolicitat: vt iſta ratione areſcat, & de natiua excindatur Roſa. Sed fruſtra hoc conatur Sathan. Ioſeph enim manu hortulani conſeruatur illæſus. Verum cum hac via ſe fruſtra adortum eſſe ſanctum virum cernit Sathan, alia eum aggreditur, ac ſpina tyrannidis ipſum omnino ſuffocare ſtatuit. Conijcitur itaque opera Sathanæ caſtiſsimus hic ſurculus Ioſeph in carcerem, ac ibi inter ſpinas ſceleratorum hominum & in fœtoribus peſsimis præter omnem ſuam culpam iacet & premitur. Sed quid hìc Ioſepho caſtiſsimo Roſæ ſurculo contigit? idem plane quod magni authores de naturali Roſa ſcribunt. Vt enim naturalis Roſa iuxta cœpe vel allium ſata fragrantior redditur: (Nam fœtor cœpe vel allij ad ſuaueolentiam Roſæ conferre dicitur) Ita Ioſeph iniuſta impudicæ fœminæ querela, obtrectationibus, iniurijs, fœtore carceris creuit, longeq; illuſtrior ac potentior euaſit. Nam è carcere eductus Ioſeph, ſecundus à Pharaone in regno Aegypti poſt interpretationē ſomniorum regis factus eſt, huius induſtria poſtea per totam Aegyptum infiniti ſurculi plantati & diſperſi, adeo quod ipſa Aegyptus facta ſit veluti quædam Paradyſus Domini. Nam hic fragrantiſsimus ſurculus Ioſeph ad ſe radicē, nempe Iacob patrem, cum tota ſua familia attraxit, qui ad aliquot annos in Aegypto nouos ſubinde ſurculos emiſerunt, & in regno Aegypti ſuauiſsime ſpirarunt. At quid interim Sathan? num ſtertit? num abijcit arma? nihil minus. Nam poſtquam Iacob, Ioſeph, atque alij plurimi ſurculi in Paradyſum cœleſtem tranſlati ſunt, ſpinam quandam prægrandem plantat Sathan in Aegypto: quæ ſpina non parum preſsit ac punxit ſurculos, qui in Aegypto remanſerunt, qui tamen quotidie ſub oneribus & æſtu creuerunt magis, & in medijs fœtoribus & laboribus multiplicati ſunt. Spina autem illa prægrandis fuit alius Pharao, qui non nouit Ioſeph. Hic enim cum ſuis aulicis ſurculos Domini ſupra modum premere & pungere cœpit. Quare hortulanus iratus ingratis Aegypti incolis, ſuos ſurculos in alium tranſplantauit hortum, ac populum Iſraëliticum tranſtulit per mare rubrum: in quo ſpinam illam prægrandem, hoc eſt, Pharaonem & eius Satellites oppreſsit. Deinde quia multi ex his ſurculis Ioſeph paulatim degenerare cœperunt, in deſerto quadraginta annis totus caſtigatus eſt populus, Vbi tamen noui ex illis enati ſurculi, tranſlati ſunt poſtea in terram Chanaan, vbi rurſus inciderunt in ſpinas non paucas, quo enim magis Roſa hæc creſcit, eo ſpinæ iuxta naſcuntur aſperiores: quibus iterum miſere lacerata, non tamen prorſus emarcuit. Nam ſubinde Hortulanus miſsis ſeruis, ſpinas, quantum fieri potuit, euulſit: ne penitus Roſa areſceret ſuffocata ſpinis & periret. Quid contra hos Dei ſeruos & cuſtodes huius

Roſæ,

Roſæ,hoc eſt, ſanctos iudices, Reges & Prophetas machinatur Sathan? alios ad ſe prorſus allicit,vt ſibi dent nomina, vt ex Regibus pleroſque:alios grauiter vulnerat,vt Dauidem, Ezechiam, &c. Deinde ſemina zizaniorum mittit in agrum Roſarum, donec primùm decem tribus transferantur in Babylonem, & poſtea reliquus populus in captiuitatem abducatur , incenſo templo & ſancta ciuitate Ieruſalem. An hîc Roſa Domini omnino emarcuit ? An hic omnino diſperijt ? Nullo modo. Nam iſto peregrinationis labore,& Regum Chaldæorum tyrannide fatigata quidem eſt Eccleſia, attamen magis lucet ac illuſtrior efficitur, quàm vnquam antea in terra Palæſtina fuit. Etſi enim graui premuntur ſeruitute corporis apud Babylonios, tamen animis piorum non defuit ſpiritualis libertas. Excitat enim DEVS Prophetas, qui veluti diuini quidam Agricolæ Roſam hanc doctrina & conſolationibus erexerunt,vt ſeruitute Babylonica minime frangeretur, ſed vt potius inuicta manens,duris quibus premebatur, gauderet. Hoc cum ægre ferret Sathan, regem Babylonicum impellit, vt impium edictum de adoranda ſtatua proponat,videlicet,vt omnes in certum locum campi collecti, clangente buccina,ſe coram ſtatua regis incuruarent: additis minis,vt qui hoc facere recuſarent,viui in ardentem caminum ad hoc paratum conijcerentur. Quid hic facerent pij? Multi ſane ſurculi huius camini ardore exaruerunt,adeo vt Roſa Domini omnino iam perire videretur. Non enim dubiũ eſt, plurimos iſto impio edicto pertractos eſſe in andriolatriã, in qua & perierunt. An non hic palmam videtur obtinere Sathan ? habet regem ſocium,ſummum orbis terrarum Monarcham : habet conſiliarios regis paraſtatas:habet regios ſubditos ſibi obnoxios:habet hoſpites Iudæos pleroſque ſub ſuo imperio captiuos. Actum igitur planè videtur de Roſa Domini. Verùm euentum ſpecta. Clangitur buccina,incuruantur omnes coram idolo regio,exceptis tribus viris qui impio edicto parere récuſarunt. Hos cum rex ira percitus curaſſet in paratum incendium mitti, ecce hortulanus ipſe filius Dei in caminum ignis ſimul deſcendit, & aſtans his tribus viris cohibet flammas,ne innocentes enecare poſsint. Hoc ſtupendo miraculo perterritus rex Babylonius,reuocat viros illos illæſos,ac Deum ipſorũ verum Deum agnoſcit & prædicat.idq; non ſolus,ſed cum tota ſua aula & ſubditis. Atque ita rex qui antea ſpina fuit peſſima,fit ſurculus Roſæ præclarus. Vide quomodo Roſa CHRISTI non ſolum inter tribulos, non inter fœtores tantum, verumetiam inter medias flammas fragrat floretq́;. Hic Sathan ſua ſpe fruſtratus,an quieſcit ? immo magis furit,tanquam leo ereptis catulis, fortiuſq́; incumbit,vt perdat hanc Roſam:quod vt faciat facilius, nobiliſſimum Roſæ ſurculum aggreditur, Danielem ſanctiſſimum virum, ac ſuis artibus efficit tãdem,vt propter proſtratum idolum Beel in ſpecum leonum deuorandus conijciatur. Sed quid fit ? contra omnem expectationem Sathanæ potenti Dei manu defenditur Daniel, & alitur diuinitus ſeptem dies in ſpecu,& deinde incolumis è ſpecu prodit: Vnde factum eſt, vt magis ſuos flores Roſa hæc emitteret,& plures in regno Babylonico ſurculos faceret. Verùm Sathan rurſus furibundus nouas molitur inſidias. Quendam enim nobilem virum Aman nomine excitat,qui Regi facile perſuadet, non ſine periculo tot hoſpites eoſq́; captiuos in ſuo vagari regno,& impetrat literas Regis Babylonici ad omnes regios præfectos, vt ſtatim acceptis literis ſurculos huius Roſæ omnes excinderent,vt iſto pacto tandem Roſa extirparetur tota,& periret radix. Sed hîc iuxta Prouerbium, malum conſilium conſultori peſsimum fuit. Nam Aman, vt antea in ſummo Regis fauore fuit,& conſilio ſuo perdendos Iudæos eſſe Regi perſuaſit, in patibulum ſuſpenſus infami morte

perijt,& præmium ſuis dignum factis accepit. Poſt huius Tyranni & Eccleſię hoſtis interitum, rurſus Roſa Domini erexit ſe magis magiſq;, adeo quod etiam Regum maximorum patrocinio tranquilla in exilio ſuo fuerit. Inter hos Reges Cyrus Perſicus Roſæ inſitus, mandatum dedit, vt Iudæi in ſuam redirent terram, templum ac ciuitatem Ieruſalem iterum ædificaturi: quod mandatum, etſi aliquandiu abſente Cyro impeditum fuit aſtu Sathanæ, tempore tamen Longimani rurſus edictum proclamatum eſt, vt populus libet rediret, & vrbem ciuitatemque ædificaret. Hoc tempore Roſa Domini, in magnis ærumnis, floruit. Nam gaudet patientia duris. Quadringentis etenim & nonaginta annis vſq; ad Chriſtum ducem, verum Roſæ Dominũ, varijs ijsq; venenatiſſimis ſpinis Roſam hanc præfocare conatus eſt Sathan, foris bello, intus hæreticorum paraſtrophis, donec in ſummas anguſtias iterum redacta ſit, ab omni parte eam prementibus ſpinis, adeo, vt pauciſſimi germani ſurculi, adueniente Meſſia, ſuperfuerint, vt Zacharias, Simeon, Anna Prophetiſſa, Ioſeph, cum ſuis familijs. Hic rurſus Sathan haud immerito triumphare videtur. Nam & reges peregrini & impij dominabantur in populo Dei, & ſumma autoritas penes hæreticos, qui tum temporis cathedram Moſis occupabant, fuit. Venit itaque Dominus Roſæ, tempore olim à patriarcha Iacob, & poſtea à Daniele prædicto, ac Roſam ſuam proſtratam fere & conculcatam, doctrina erigit & fulcit conſolationibus: quod cum cerneret inimicus, extrema tentat, & primum aduerſus CHRISTVM ſacerdotes ſummos & ſectarios ſophiſtica armat. Deinde ſenatores impellit, vt manus inijcere CHRISTO cogitent. Poſtea Pilatum toparcham nomine Romani Imperatoris, & Herodem tetrarcham ſibi adiungit, denique totum populum in eam ſententiam abducit, vt CHRISTVM cruci affixũ interimant: quod & factum eſt. Ex quo rurſus in manu Sathanæ victoria ſita fuiſſe videbatur. Verum & hic ſua fruſtratur ſpe Sathan. Nam tertio die reſurgens DOMINVS ſurculos proſtratos erigit, fractos conſolidat, ac Roſam ſuam ſepimento munit firmiſſimo, quam die Pentecoſtes aqua ſalutari rigatam ſuo ſancto Spiritu fœcundat. Emittit enim agricolas in vniuerſum orbem, qui huius Roſæ ſemina late per orbem diſſeminent: ac interea ſpinas ſurculosq; degeneres igni comburit. Nam Iudæos ingratos, qui radicibus ſpinarum quàm ſanctæ huic Roſæ inſeri maluerunt, magna ſtrage per Veſpaſianum affecit, ac tandem perpetua vaſtatione politiam Moſaicam, iuxta prædictionem Danielis, deleuit. Hæc cum in Palæſtina aguntur, duodecim Apoſtoli, & Paulus ſemina Roſæ cœleſtis in multis locis ſpargunt faciuntque breui admodum tempore, vt Roſa totam fere terram ſuis ſurculis & floribus impleat. Verum ne ſic quidem Sathan toties profligatus & victus quieſcit, immo potius furibundus magis & ira æſtuans fremit, ſpinas ſeminat, tribulos & zizania tyrannidis, hæreſeos & hypocriſeos iacit, quibus ad extirpandam hanc Roſam, iam plus quam vnquam antea florentem abutitur. Sed tamen victrix manſit roſa, noua ſubinde viriditate pullulans & ſurculos è ſanguine martyrum producens. Hæc cum cerneret Sathan, & poſtquam Roſam ſexcentis fere annis à triumpho Chriſti, tyrannide, hæreſi & ſophiſtica oppugnaſſet, noua ſtratagemata excogitat, ſtatuitque regnum Antichriſti ſtabilire. Excitat igitur Phocam tyrannum & parricidam, qui Romano Põtifici primatum & imperium ſuper omnes alios Epiſcopos conceſſit. Quę res Sathanæ non omnino infeliciter ceſſit. Nam Papa, hoc eſt, Antichriſtus, non vt apertus hoſtis Roſæ, ſed vt amicus & cuſtos, fraudulenter Roſam inuadit, ac vt olim Iudas Dominum: ita ipſe oſculo Eccleſiam prodit. Nam cum mentitur ſe ſeruum ſeruorum Dei, qui re vera

eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

eſt ſeruus Sathanæ, præterquam quod ſibi ius vendicat in Roſam Domini, innumeros lupos ouili pelle tectos emittit, qui graſſantur in Roſam, flores & ſurculos vaſtant: hoc eſt, infinita monachorum agmina aduerſus hanc Roſam armat ſuperſtitione varia, & præcipue miſſatico idolo, vt tanquam veneno quodam Sathanico Roſam inficiant, vt ita infecta tandem ſponte concidat. Deinde & aliud regnum Sathan inſtituit, nempe Mahumeticum, quod aperte CHRISTVM blaſphemat, Roſam premit, ſurculos euellit. Atque ita Papa Antichriſtus, ſimulatus Roſæ amicus, & rex Mahumeticus hoſtis profeſſus, CHRISTI Eccleſiam inuadunt, vt hic aperto marte, ille ſubdolis artibus Roſam hanc nobilem deſtruat. Hoc ſtratagemâ, etſi non omnino infeliciter ceſſiſſe videtur Sathanæ, vltra 900. annos: tamen Roſam hanc cœleſtem penitus extirpare non potuit, ſemper enim manet radix, etſi in ea pauci interdum germani ſurculi inueniuntur. Cæterum cum iam in immenſum creſceret Antichriſti imperium, adeo vt ſpinæ ſua amplitudine ſurculos Roſæ tegere viderentur, Dominus rurſus emittit ſeruum induſtrium Martinum Lutherum, qui ante annos quadraginta Antichriſti technas & inſidias mundo reuelare cœpit. Huic mox plurimos fideles ſeruos, inprimis vero Philippum Melanchthonem adiunxit, effecitque vt Roſa hæc plures ſpiras & ſurculos per totam Europam emitteret, adeo vt à temporibus Apoſtolorum vix fragrantior fuerit hæc Roſa, quàm nunc eſt. ſpirat enim odorem ſuum per Germaniam, Daniam, Angliam, Norue giam, Scotiam & inſulas multas procul ſitas, & iam pullulare incipit in Polonia, Bohemia, & in florentiſsimo regno Galliæ, in quo regno magis ſuas vires intendit Sathan, vt ſubruat ſurculos Roſæ illic pullulantes, quam vſquam alibi. Nam non ignorat actum eſſe cum ſuo fideliſſimo ſeruo Papa, ſi ſemen Roſæ huius radices in regno Galliæ nobiliſſimo egerit.

Hæc clariſſime vir admonere volui, propoſita pulcherrima imagine de fortuna Eccleſiæ in hoc mundo, idque ideo: primum vt cogitetur dictum Domini: Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Vtut enim furit Sathan, nunquam hanc Roſam penitus extirpabit. Deinde vt conſolemur nos præſentia CHRISTI in Eccleſia, & promiſſione permanſuræ Eccleſiæ in mundo vſque ad iudicium, ne frangamur tot ſcandalis doctrinæ & morum, quæ hodie multos non peſſimos grauiſſime vulnerant, & ne abijciamus confeſſionem, & transfugiamus ad caſtra hoſtium, ſicuti multi omnibus temporibus fecerunt, & hodie non pauci fracti perſecutionibus & ſcandalis, faciunt. Poſtremo, vt de vera conſeruandæ Eccleſiæ ratione admoneamur: quæ ratio in omnibus Eccleſiæ hiſtorijs vna & eadem eſſe deprehenditur, videlicet puritas doctrinæ, cui ancillatur ſancta morum diſciplina. Hæc enim doctrinæ puritas fons eſt ille ſalutaris, vnde rigatur Roſa Domini, ne inter tot ſpinas tyrannidis, hypocriſeos, ſophiſtices & ſcandalorum ſuffocetur & emarceſcat. Hæc doctrinæ puritas aliunde petenda non eſt, quam ex fontibus Saluatoris, hoc eſt, ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis: inter quæ non infimum locum obtinent Epiſtolæ Paulinæ, & præcipue ea, quam ad Romanos ſcripſit. Hæc enim præcipua ſinceræ doctrinæ capita monſtrat & explicat: quare eam ſingulari diligentia ab omnibus pijs legendam & cognoſcendam eſſe iudico. Verum vt commodius à ſimplicioribus & tyronibus S. Theologiæ minus exercitatis intelligi poſsit, Commentarium qualemcunque in eam publicare volui, ſperans bonos & pios viros conſilium meum haud improbaturos. Etſi autem noui quorundam iudicia nobis aduerſari: tamen non volui propter paucos ſiniſtre iudicantes, multos bonos, qui hanc meam opellam expetunt, defraudare. Cæterum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quia, Vir Clariſsime, omnibus literatis hominibus patronus es conſtans, & in me multa beneficia priuatim contuliſti, volui hunc Commentarium ſub tuo nomine prodire in lucem: vt te patrono ſit acceptior multis, vtque extet aliquod meæ erga te gratitudinis teſtimonium. Etſi autem vilius forte videtur hoc munus, quàm vt tanto viro offeratur: tamen cum animum tuum noui candidum, & ſincerum, non dubito quin potius animum donantis, quàm doni præſtantiam ſpectes, idque exemplo Chriſti (in quo ſolo pie gloriari ſoles) qui pluris fecit mulierculæ pauperis minuta æra miſſa in gazophylacium, quam ſplendidas diuitum donationes. Hic enim rebus precium non ex quantitate earum, ſed affectu donantium imponere ſolet, iuxta vetus dictum, χαρίτων θυμὸς ἄριστος. Rogo igitur amanter, vt & tu hoc literarium opuſculum eo accipias animo, quo à me offertur. Vale vna cum vxore tua caſtiſsima D. Brigitta filia nobiliſsimi viri D. Magni Gœie, Domini de Krenkerup feliciſsimæ memoriæ, qui primus in hoc regno reuocatæ puræ doctrinæ autor fuit, ſed prius ſcriptis frequentibus ad ipſum à beato Luthero miſsis rectè instructus. Huius etiam patrocinio primi præcones reuocati Euangelij in his regnis ſecuri fuerunt: donec Deus ſanctiſs. regem Chriſtianum tertium, fideliſsimum Eccleſiæ Dei nutricium, & defenſorem excitauit, qui in hoc regno ſcholas reformauit, conſtituit Eccleſiarum fideles miniſtros, ordinauit ſtipendia docentium & diſcentium religionem & alias artes: cuius veſtigijs inſiſtit filius Fridericus II. Rex noſter clementiſsimus, cui toto pectore cum omnibus pijs opto ſalutarem gubernationem, vt quietam & tranquillam vitam agamus in hoc mundo, in omni pietate & caſtitate. Iterum vale corpore, animo & ſpiritu integer, patrone optime. Hafnia. Anno Domini M. D. LXII. Menſe Decemb

ARGV-

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

VT ARGVMENTVM SEV GENERALIS PERIOCHA HVIVS nobilis Epiſtolæ ad Romanos ſcriptæ, explicatius àb auditoribus intelligatur, quatuor nobis ordine explicanda ſunt. PRIMVM, quis ſit huius epiſtolæ autor. SECVNDVM, quæ fuerit ipſi ſcribendi occaſio. TERTIVM, quæ principalis quæſtio ſeu quis ſtatus. QVARTVM, quis tractationis ordo ſeu œconomia totius Epiſtolæ, & methodus.

DE PRIMO.

CVM de authore huius Epiſtolæ Diuo Paulo nunquam dubitauerit Eccleſia, fruſtra ea quæſtio agitatur. Verum quis & quantus hic Paulus fuerit, operæprecium eſt indicare, vt quo in loco habenda ſint ipſius ſcripta intelligamus.

SCIENDVM eſt itaq; primum, vocationum ad miniſterium Eccleſiæ magnam eſſe diuerſitatem. Nam eſt & vocatio peculiaris, quæ immediata dicitur, & communis, quæ mediata appellatur. Inter hæc genera vocationum maxima ſane eſt differentia. Nam peculiaris illa duas habet notas, quibus à communi diſtinguitur. Harum PRIOR eſt, quod ſit vniuerſalis, Matth. 28. Mar. 16. POSTERIOR, quod habeat teſtimonium, nihil erroris ſuæ doctrinæ admiſtum eſſe. Huius teſtimonij partes ſunt quatuor: PRIMA, Immediata vocatio. SECVNDA, immediata inſtructio. TERTIA, Viſibilis donatio Spiritus ſancti (loquor enim de miniſterio noui Teſtamenti.) QVARTA, virtus edendorum miraculorum, quibus Deus veritatem doctrinæ Apoſtolicæ confirmauit & obſignauit.

VOCATIO COMMVNIS nec eſt vniuerſalis, ſed eſt alligata vel certæ nationi, vt Epiſcoporum apud nos, vel certæ prouinciæ, vt præpoſitorum, qui Græcis προεστῶτες dicuntur, vel certæ ciuitati aut pago, vt parochorum & eorum, qui ſunt illis additi συνεργοὶ ſeu σύμμυσται, nec habet communis vocatio & mediata infallibile teſtimonium de immota veritate, ſeu quod nihil habeat erroris admiſtum, ſicuti prior illa habet.

PORRO Pauli vocationem priori generi ſubijci, ex eo manifeſtum eſt, quod non ſolum ſit Apoſtolus, vniuerſalis Eccleſiæ doctor, vt ipſius profectiones ad varias gentes, acta Apoſtolica, & Epiſtolarum eiuſdem inſcriptiones teſtantur, verumetiam quod ſit immediate ab ipſo CHRISTO ad miniſterium Euangelij vocatus, quod diuinitus ſit inſtitutus, quod viſibili Spiritus ſancti dono ſit inauguratus miniſterio, quod denique varijs miraculis ſuam vocationem & doctrinam confirmarit.

IMMEDIATA vocatio Pauli & vniuerſalis, confirmatur Actor. 9. vbi Lucas narrat, lucem de cœlo circumfulſiſſe Paulum, cùm adhuc ſpiraret minas aduerſus Eccleſiam Chriſti, & cadentem in terram audiſſe vocem dicentem ſibi: Saule, Saule cur me perſequeris? qui dixit: Quis es Domine? & ille: Ego ſum IESVS quem tu perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit: DOMINE quid vis me facere? Et Dominus ad eum. Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Et paulo pòſt Dominus ad Ananiam dubitantem de Pauli conuerſione, Vide, inquit, quoniam vas electionis eſt mihi, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Iſraël. Hinc illa Pauli gloriatio de ſua vocatione ad Gal. 1. Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per IESVM CHRISTVM & Deum Patrem. Proinde vocatio Pauli & immediata & vniuerſalis eſt.

DEINDE Paulum diuinitus inſtructum eſſe de Euangelio, primum teſtatur Ananias dicens ad Paulum: DEVS patrum noſtrorum præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, & videres iuſtum illum, & audires vocem ex ore eius. Idem Epiſtola ad Galatas oſtendit, vbi in hunc modum ſcribit de ſeipſo Apoſtolus, contra aduerſarios autoritatem Apoſtolatus ſibi vendicans: Notum vobis facio fratres Euangelium, quod Euangeliſatum eſt à me, quod non eſt ſecundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: Sed per reuelationem IESV CHRISTI.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Hvc etiam pertinet raptus Pauli in tertium cœlum, vbi non ſolum ab ipſo Domino Euangelium didicit, verumetiam vidit arcana, quæ reuelare hominibus fas eſſe negat.

Ad hæc, vt Apoſtolus Paulus in itinere Damaſcum verſus, viſibiliter donatus eſt Spiritu ſancto, & per eum nouo inauguratus eſt miniſterio. Actor.9. Ità eundem Spiritum poſtea alijs impetrat, & impoſitione manuum confert. Ita enim Lucas narrat Actor.19. Cum Paulus impoſuiſſet quibuſdam diſcipulis manus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabànt. Hæc eò pertinent, vt Deus iſto pacto & Apoſtolatum Pauli, & doctrinæ ipſius infallibilem veritatem conſignet.

Postremo. De miraculis à Paulo editis, ipſe in hunc modum teſtatur poſterioris ad Corinth.12. Signa Apoſtoli peracta ſunt in vobis, in tolerantia, in ſignis, in prodigijs. Et ad Rom.15. Non audebo loqui quicquam eorum, quæ non operatus eſt Chriſtus per me, in obœdientiam gentium, ſermone & opere in potentia Spiritus Dei. Huius rei & Lucas meminit, qui virtutes per Paulum editas teſtatur, adeo vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore ipſius ſudaria, & recederent ab eis languores, & ſpiritus nequam egrederentur. Actorum 19. Adoleſcentem mortuum excitat, Actorum 20.

His & ſimilibus miraculis Deus obſignauit Apoſtolatum & doctrinā Pauli. His teſtimonijs accedit zelus Pauli in propaganda Euangelij doctrina, pericula plurima, quæ paſſus eſt terra & mari, & ſanguis tandem, quo ſuam doctrinam confirmauit.

Haec ideo copioſius à me dicta ſunt, vt pateat qualis quantuſque ſit hic Vir, quanta ſit illius autoritas: quàm certa & indubitata ſit eius doctrina: quanta denique reuerentia deceat docentes & diſcentes in hanc theſaurorum cœleſtium apothecam ingredi. Non enim ſecus accipienda ſunt quæ hinc promit Dei Spiritus per Christi electum organum, per gentium Apoſtolum: atq; vox cœleſtis, quam ipſe cœleſtis Pater de cœlo ſonuit. Quapropter omnia quæ in hac Epiſtola, atq; adeo in alijs Pauli ſcriptis continentur, eius autoritatis eſſe ſciamus, vt quemadmodum in dogmatibus extruendis & confirmandis: ita in erroribus refutandis valeant non minus, quàm Moſis & Prophetarum, adeoq; Chriſti ipſius teſtimonia. Huius rei vel ipſum Apoſtoli nomen nos admonere poterit. Nam cum Apoſtolus Chriſti dicatur Paulus, hæc quatuor ſimul cogitanda ſunt, Qvod nobiſcum loquatur vice Chriſti, Qvod afferat doctrinam cœleſtem, Qvod nihil erroris ſit doctrinæ ipſius admiſtum, & Qvod non ſecus atque voci cœleſti ſit Paulo credendum,

Nec eſt quod quiſpiam obijciat Petri errorem, qui non minus Apoſtolus fuit quàm Paulus, & tamen eum erraſſe Paulus oſtendit ad Galat.2. Nam iſte error vitæ fuit, non doctrinæ.

De Apoſtolatu Pauli hactenus. De perſona autem hoc quoque ſciendum eſt, quod fuerit natura vehementior, quò acceſsit ſolertia quædam ſingularis, & heroicus zelus propagandi Euangelij & reprimendi errores. Quod ideo obſeruandum eſt, quia inde diſputationum aculei, anticipationes crebræ, & redargutiones acutæ, facilius intelliguntur. Nam qui paulò vehementiores ſunt, haud raro medium diſputationis curſum interrumpunt, nunc inuehentes in aduerſarios, nunc anteuertentes quæ ab alijs obijci poſſe videbantur. Vnde ſæpe oratio turbatior ac intricatior redditur. Verum admoniti nec huiuſmodi interiectionibus offenduntur, nec quo minus Apoſtolum intelligant, impediuntur.

DE SECVNDO.

Occasio huius Epiſtolæ hæc fuit. Paulus intelligens ſtatum Eccleſiæ Romanæ turbulentiſsimum fuiſſe, vt gentium Doctor & Apoſtolus iſtud malum auertere conatur. Romani audiuerant doctrinam Euangelij, & fidem in Chriſtum receperant: Sed hanc quidam rurſus abijciendam ſuadebant, Quidam eam inficere & peruertere, partim errore, partim malicia conabantur. Fuerunt autem tum temporis Romæ & alibi tria doctorum genera, qui vt veræ doctrinæ, ita Paulo quoque Apoſtolo aduerſabantur. Nam quidam ex Iudæis non conuerſi, totum Euangelium repudiarunt. Quidam conuerſi, Legem & Euangelium confuderunt, & gentium vocationem ad

Euangelium oppugnarunt,falſo putantes Meſsiæ beneficia ad Iudaicum ſolummodo populum pertinere, in qua opinione olim fuiſſe Petrum,acta teſtantur Apoſtolica. Quidam ex Ethnicis & Philoſophis Chriſtiani facti,vt Philoſophiam addendam Euangelio putarunt:ita inſultarunt Iudæis tanquam abiectis,ſeque illis arroganter prætulerunt. Atque ita hi omnes purum Euangelij fontem, vnde aqua ſalutis haurienda erat,humanis turbauerunt opinionibus. His itaq; malis vt occurrat Apoſtolus,hanc ſcribit Epiſtolam didaſcalicam.

CAETERVM quia hæc tria Doctorum genera ſciuit Paulus ex ſingulis fere verbis quę ſcriberet Romanis,aliquam abſurditatem & calumniandi anſam quęrere,quo doctrinam Pauli redderent inuiſam Romanis. Ideo diſputationem ſuam ita inſtituit, vt ſemper eorum anticipet obiectiones. Vnde factum eſt, quod hæc Epiſtola tot amplificationibus & anticipationibus ſit referta,quibus legitimus docendi ordo non parum turbari videtur. Habuit præterea Apoſtolus rationem infirmitatis piorum,cui, quoties animaduertit eos offendi,medetur,idq́; nunc digreſsionis,nunc occupationis ſchemate.Qui hęc diligenter animaduerterit,multo facilius hanc nobilem Epiſtolam intelliget,quàm qui omnium veterum Cōmentarios in hanc Epiſtolam, ſcriptos peruoluerit.Quare hæc fuſius admonenda duxi.

DE TERTIO.

SCOPVS præcipuus Paulo eſt in hac Epiſtola,vt veram & immotam de Chriſti Mediatoris beneficijs doctrinam proponat Eccleſiæ eamq́; confirmet:hoc eſt, vt doceat ex Dei ſententia & æterno decreto, ſine lege abſque Philoſophia, beneficiorum Chriſti, hoc eſt, iuſtificationis & ſalutis fieri participes, quotquot in Chriſtum crediderint,idque nulla habita vel perſonarum vel nationum ratione. Eſt enim promiſsio Gratiæ vniuerſalis,qua offeruntur beneficia Chriſti omnibus abſque diſcrimine,ſed fide accipienda & poſsidenda.Concluditur itaque ſtatus principalis huius Epiſtolæ hoc ſyllogiſmo: *Ea eſt iuſtificationis & ſalutis conſequendæ ratio ſola & vnica, quam Deus præſcribit & approbat iuxta æternum ſuum decretum. Dominus autem omnem qui credit, abſque operibus & ſine reſpectu perſonarum & nationum, gratiæ & ſalutis participem fore & iuſtificari pronunciat, idq́ue iuxta æternum ſuum decretum de reparatione humani generis. Proinde fide abſque operibus, & ſine perſonarum & nationum reſpectu, iuſtificatio & ſalus contingit.* HVIVS ſyllogiſmi minor eſt *κεινόμενον.* Nam vt maior abſque omni exceptione ab omnibus recipitur : ita minor controuerſa erat, cum à Iudæis pleriſque,tum à gentibus. Minorem itaque inde à medio primi capitis vſque ad finem vndecimi,firmiſsimis demonſtrationibus ex veris principijs petitis probat.Nam cum eius partes ſint plures, inſtituit Apoſtolus analyſin,& eius partes ſeorſim perſequitur : quæ tametſi ſint plures,duæ tamen ſunt præcipuæ, quibus reliquæ continentur.

PRIMA, Hominem credentem ſola fide ſalutis fieri participem, ſeu quod idem eſt,hominem non iuſtificari operibus,ſed fide abſq; operibus.

SECVNDA, Hoc gratuitæ ſalutis beneficium, non pertinere ad peculiarem aliquem populum,ita vt reliquæ nationes excludantur:Sed promiſcue ad omnes homines,qui fide promiſsionem ſalutis gratuitæ amplectuntur, nullo habito perſonarum aut nationum diſcrimine,pertinere.

Ex prima parte duæ emergunt quæſtiones. VNA, Vtrum homo iuſtificari poſsit ex operibus nec ne? cuius negatiuam theſin Paulus confirmat à medio primi capitis vſq; ad medium tertij.

ALTERA, Num homo iuſtificetur ſola fide nec ne? cuius affirmatiuam theſin exponit in tertio,& confirmat,declarat,illuſtrat,anticipatis obiectionibus à principio quarti vſq; ad finem octaui.

Ex ſecunda minoris parte,plures quæſtiones emergunt. Sed præcipua eſt. Num ſalutis promiſsio pertineat etiam ad gentes, Quod dum firmis rationibus conuincit, tractantur & vicinæ quæſtiones: Quiſnam ſit verus Iſraël? Sintne Iudæi reiecti? Quænam ſit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nam ſit reiectionis cauſa? Hæ quæſtiones tribus capitibus, nono, decimo & vndecimo explicantur, in reliquis quinq; capitibus de officijs Chriſtianorum diſſeritur. Atque hæc pars huic quæſtioni ſubijcitur: Num Chriſti beneficiorum particeps & fide iuſtificatus, debeat porro vitam ſanctam & inculpatam ſine offendiculo viuere. Hæc de ſcopo, ſtatu, & principalibus quæſtionibus huius Epiſtolæ, Vnde ex quæſtionum principalium numero, tres partes huius Epiſtolæ eſſe deprehenduntur, quarum prima & ſecunda didaſcalicæ ſunt, poſtrema parænetica.

DE QVARTO.

DE ordine epiſtolari, qui epigrapha, ſalutatione, tractatione & clauſula valedictionis abſoluitur, non opus eſt admonere. Nam hic vel pueris notiſsimus eſt, quare de tractationis ordine tantum hoc loco dicturus ſum.

EXORDIVM itaque, quod eſt tractationis principium, ex proprijs locis beneuolentiæ, attentionis, docilitatis, & partibus, quæ ſunt expoſitio, ratio, redditio, comprobatio, conſtat. ita vt iuxta Rhetorum præcepta finis exordij, qui comprobatio dicitur, ſit primæ partis tractationis propoſitio, de vera iuſtificandi ratione, quam mox vnico argumento confirmat. DEINDE, priuſquam accedit ad propoſitionis iuſtam confirmationem, duo præiudicia quæ cauſæ obſtabant, diluit. Nam & hoc præcipiunt Rhetores, cum alia quàm noſtra ſententia perſuaſa eſt auditoribus, vt eam antequam ad noſtræ ſententiæ aſſertionem deſcendatur, diluamus. Donec enim contraria ſententia animos auditorum occupat, fruſtra conamur, quod ipſi ſentimus alijs perſuadere.

PRAEIVDICIA autem hæc ſunt. PRIMVM, Pſeudoapoſtoli, qui ex gentibus erant conuerſi, partim legem naturæ vrgebant, partim prætendebant ignorantiam. SECVNDVM, Pſeudoapoſtoli, qui erant ex Iudæis conuerſi, legis vrgebant opera, & potiorem iuſticiæ partem operibus legis aſſcribebant. Hæc præiudicia euertit Apoſtolus, antequam iuſtam ſuæ cauſſæ confirmationem aggreditur, idq; facit hac demonſtratione: *Quicunque iuſtificantur operibus legis, factores ſunt legis. Nulli ſunt factores legis. Nulli ergo operibus legis iuſtificantur.*

MAIOREM, quia recipiebatur ab aduerſarijs, leuiter tantum attingit. Minorem verò, quæ eſt κείνόμενον, ab iſto loco primi capitis: Reuelatur ira Dei. ad illum: Nunc autem iuſticia Dei, argumentis ab experientia vniuerſali, iudicio Dei iuſto, naturæ conditione, & pronunciatis ſcripturæ confirmat. His præiudicijs amotis, Apoſtolus cauſſam aggreditur, ac primùm iuſtificationis expoſitionem texit, in qua circumſtantias omnes proſequitur, quod fieri in plenis expoſitionibus præcipiunt Rhetores.

EXPOSITIONE abſoluta, infert rem vniuerſam de qua agit, in vnius propoſitionis formam contractam, hoc modo: Arbitramur igitur iuſtificari hominẽ per fidem ſine operibus. Mox admonet, hanc iuſtificationis gratiam promiſcue ad omnes pertinere, & ſtabilire legem, tantum abeſſe, vt eam aboleat iuſtificatio fidei.

DEINDE in QVARTO capite, occupationis ſchemate ingreditur propoſitionis confirmationem, proponitq; Abrahæ exemplum, cum ſuis circumſtantijs, vnde & vera iuſtificationis ratio & fidei definitio colligitur.

MOX in QVINTO, vt vis & ratio iuſtificationis clarius cognoſcatur, eius effectus attingit, cui collationem cauſarum damnationis & iuſtificationis ſubijcit, vt cui acceptum feratur iuſtificationis beneficium, innoteſcat.

DEINDE vicinam quæſtionem, idq; per occupationem, aggreditur in SEXTO capite, ne quis audiens ex operibus non eſſe iuſticiam, vitæ licentiam ex iuſtificationis doctrina colligat. ſymbolo Baptiſmi Chriſtianorum officium eſſe, ſanctificationi ſtudere, oſtendit. Huc additur exhortatio, vt Chriſtiani excuſſo peccati iugo, iuſticiæ ſeruiant.

IN SEPTIMO neceſſariam doctrinam addit Apoſtolus de lege Dei, in qua explicatur natura, finis & effectus legis, oſtenditur quomodo ab illa liberati ſint credentes. Nam homines non ſtupidi audientes ſine legis operibus credentes coram

DEO iuſtos reputari, cogitant: Quid ergo lex vult? cur lata eſt?

ET quoniam videbat Apoſtolus adhuc maximè concuti fidelium animos duabus veluti machinis, comminatione maledictionis, & crucis acerbitate, quæ veluti ſuo quodam ſuffragio ſententiam legis damnatoriam confirmare videtur, contra has machinas conſolatur Apoſtolus credentes in octauo capite, oſtendens, nec maledictionem legis nocere poſſe credentibus, nec vllam in mundo afflictionem tantam eſſe, vt queat nos ſeparare à dilectione DEI, gratuito nos iuſtificantis & in ſuam fidem recipientis.

HACTENVS de tractatione primæ partis & vicinarum quæſtionum, vnde prior pars iudicationis eius Syllogiſmi, quo claudi dixi ſtatum principalem huius epiſtolæ, confirmata eſt: Sequitur SECVNDA pars, in qua oſtenditur promiſcue pertinere ad omnes beneficium Chriſti iuſtificantis credentes, & confirmatur ſecundum iudicationis membrum, quæ omnia ad illud pertinent, quod in tertio attigit: An Iudæorum Deus tantum? An non & gentium? certe & gentium. Huius partis œconomia admodum prudenter iuſtituta eſt, quod qui non animaduertunt, in multas ſtoicas abſurditates præcipitantur. PRIMVM ſibi viam ſternit nouo exordiolo, in quo primum ſuam beneuolentiam oſtendit erga Iudæos. DEINDE, quia perſuaſum erat Iudæis, promiſſum Meſsiam pertinere ad Iſraëlitas omnes, Apoſtolus contrariam propoſitionem potius ex verbis ſuis cogitandam relinquit, quam exprimit, videlicet quod non omnes Iſraëlitæ ſint filij promiſsionis, quam propoſitionem hoc ſyllogiſmo claudit: *Tantum veri Iſralitæ ſunt filij promiſsionis. Plurimi ex carne Abrahæ nati non ſunt veri Iſraëlitæ.* Ergo,
Plurimi ex carne Abrahæ nati non ſunt filij promiſsionis.

HVIVS ſuæ propoſitionis fundamentum ſubijcit, videlicet, quod Dei conſilium fuerit & ſit, vt ex mera miſericordia homines per Chriſtum ſalutem conſequantur. Ex quo infert (prius aſſerta potentia Dei, qua is poteſt ſuos opprimere hoſtes) gentes quidem receptas eſſe, qui fide Chriſtum receperunt, quæ propterea dicuntur filij promiſsionis. Credunt enim promiſsioni, ſicut eorum pater Abraham fecit. Iudæos vero rejectos, eo quod iuſticia operum tumidi, & fiducia carnis Abrahæ inflati, in Chriſtum lapidem offenſionis impegerint, ac propterea nec filij promiſsionis, nec verum Abrahæ ſemen exiſtunt.

HVIVS rei cauſas latius expoſiturus in DECIMO, Primum fauorabili exordiolo Iudæos offenſos ſuperiori oratione mitigat, quibus tribuit quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam. Deinde doctrinam fidei & iuſticiæ per collationem repetit & inculcat, admonens, nullum qui crediderit à iuſticia fidei excludi, nec eſſe diſcrimen Iudæi & Græci, propterea quod Deus ſit diues in omnes. Atque hæc ſententia principalis eſt propoſitio huius partis. Huc addit gradationem, vt vnde oriatur iuſticia fidei doceat, & ſcripturis conuincit, Iudæos propria culpa excidiſſe gratia.

PORRO in VNDECIMO, ne deſperent Iudæi, quaſi prorſus eſſent reiecti, eos conſolatur, & firmis rationibus oſtendit, non eſſe penitus reiectum Iudaicum populum, nec Dei promiſsiones fore irritas ijs, qui eas fide amplectuntur. Poſthæc conuertit orationem ad gentes, monens eas ne efferantur animo aduerſus Iudæos, quaſi digni eſſent tanta gratia præ Iudæis. Tandem hanc ſecundam partem in ſummam contrahit quæ eſt, Quod gratia Dei expoſita ſit omnibus qui credunt, nullo nec perſonarum nec nationum habito diſcrimine. Huic ſententiæ ſubiungit exclamationem, in qua admiratur conſilium Dei, & inexhauſtam miſericordiam volentis gentes idolatras, ſuæ gratiæ fore participes, quod ſanè myſterium aliquandiu latuiſſe Petrum, acta docent Apoſtolica. Atque hæc eſt tractatio ſecundæ partis minoris propoſitionis in principali ſyllogiſmo huius Epiſtolæ, videlicet, quod à gratia iuſtificationis nemo excludatur propter vllam vel perſonæ vel nationis conditionem, modo firma fiducia in gratuitam promiſsionem recumbat.

TERTIAM partem Epiſtolæ aggreditur Apoſtolus in capite DVODECIMO, vt autem ſuperiores partes argumentatione, ita hanc maxima parte expoſitione tractat Apoſtolus. Hanc partem orditur ab officijs, inter quæ primum locum occupat verus Dei cultus, cui congeries officiorum additur.

DEIN-

DEINDE in DECIMOTERTIO de obœdientia erga Magiſtratum & eius officio agit, vbi in theſin fertur, & plurimas parænefes ex caritatis lege extruit.

POST hæc quia ſimultatem animaduertit inter Iudæos & gentes, propter ciborum & temporum diſcrimina, huic malo in DECIMOQVARTO medetur: commendans vtriuſque caritatis regulam, quam in tota vita ſequi conuenit. Monet igitur infirmitatem fratrum ferendam eſſe, repetens breuiter & oſtendens vocationem gentiũ ad Euangelium eſſe factam Dei conſilio. Ad hæc properans ad finem, libertatem orationis excuſat, ſuam in miniſterio fidem & beneuolentiam erga Romanos indicat, Cur hactenus non venerit ad Romanos oſtendit, Petit pro ſe preces Romanorum.

POSTREMO, Salutationes cumulat, & interiecta vtili admonitione de cauendis diſsidiorum authoribus, Epiſtolam fauſta imprecatione gratiæ & gratiarum actione claudit.

HÆC de tractationis ordine & methodo copioſius admonenda duxi, quo totius orationis œconomia perſpecta, partium enarratio facilius ab auditorib. percipiatur.

PORRO in ſingulorum capitum enarratione hunc ſequi ordinem conſtitui: PRIMO loco caput propoſitum in ſummam contraham, quo ſummatim comprehendi poſſit, quod fuſiore Apoſtoli oratione explicatur. DEINDE, eiuſdem partes & ordinem indicabo, quo materiæ membra conſpiciantur. TVM exegeſin, quo genus ſermonis & phraſes intelligantur, adijciam, vnà cum obſeruatione locorum communium, & accõmodatione doctrinæ, ad iudicium firmandum, & mores formandos. Ad hæc enim duo vniuerſa ſcriptura referenda eſt.

CAPVT I.

Summa Capitis primi.

Vindicata Apoſtolatus ſui autoritate, ac ſimul monſtrata Euangelij dignitate, fauſta precatus Romanis, beneuolentiam & attentionem exordio captat Apoſtolus, ſuum erga Romanos animum declarans, nimirum quod ipſis quoque Euangelium, quod fidei iuſticiam prædicat, annunciare ſit promtus, mox vniuerſum mundum peccati & iniuſticiæ arguens.

Ordo Capitis primi.

PARTES *capitis huius aptiſſimo ordine cohærentes, ſunt quatuor.* PRIMA, *Epigrapha.* SECVNDA, *Salutatio.* TERTIA, *Exordium, in quo captata beneuolentia & attentione, principalem colligit propoſitionem de fidei iuſticia.* QVARTA, *Demonſtratio, qua mundum vniuerſum peccato obnoxium eſſe demonſtrat. Hæc propoſitione & copioſa confirmatione abſoluitur, eſtque vt in vniuerſali periocha dictum eſt, præiudiciorum, quæ cauſſæ Apoſtoli nocere videbantur, refutatio.*

EXEGESIS PRIMI CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS ſeruus IESV CHRISTI, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei, quod antea promiſerat ꝑ Prophetas ſuos, in ſcripturis ſanctis, de Filio ſuo (qui natus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui declaratus eſt Filius Dei in potentia ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum) IESV CHRISTO Domino noſtro, per quem accepimus gratiam & Apo

Hæc PRIMA pars capitis eſt, nempe epigrapha, in qua ſunt duo obſeruanda, nempe partes epigraphæ & amplificationes. Partes indicant, quis quibus ſcribat, videlicet Paulus Romanis, Apoſtolus Chriſti gentibus.

Verum hoc loco tituli quibus cum ſcriptor ipſe, tum illi quibꝰ ſcribitur, ornantur, ſunt perpendendi.

Scriptor ipſe Paulus, ſeruum ſe Chriſti fatetur, eumque minime vulgarem, Sed Apoſtolum diuinitus vo-

ſtola-

ſtolatum, in obœdientiam fidei in omnibus gentibus ſuper nomine ipſius, in quibus eſtis & vos vocati IESV CHRISTI, omnibus qui eſtis Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis.

catum ac ſegregatum in Euãgelium Dei. Cum autem ſe ſeruum Chriſti fatetur, religionis profeſsio eſt, qua ſe diſſentire à prophanis Ethnicis & incredulis Iudæis, & amplecti Euangelium Chriſti aperte agnoſcit. Vnde nos admonemur confeſsionis ac publicę proteſtationis religionis quam amplectimur, nec debemus pacis aut alicuius vtilitatis externę gratia, vel colludere cum hoſtibus, vel noſtram fidem diſsimulare. DEINDE, ſe Apoſtolum ſcribit, vnde nos excitabimur in amorem & admirationem cœleſtis doctrinæ, quam affert, de qua re ſupra in argumento admonui. Cum autem addit ſe vocatum, Græcè κλητὸν, id eſt, eum qui vocatione diuina conſtitutus ſit Apoſtolus, cum Pſeudoapoſtolos ipſum calumniantes, quaſi inferior eſſet cæteris apoſtolis, perſtringit, tum miniſtris Euangelij ſe exemplũ ſtatuit, vt tantam atq; adeo auguſtam vocationem non attingant, niſi ad eam legitime vocentur. Quod ſequitur: Segregatus in Euangelium Dei: interpretatio eſt Apoſtolici muneris, quod eſt Euangelium Dei annunciare. Segregatus, id eſt, qui ante fuit inter Phariſæos & hoſtes Chriſti, iam de eo numero exemtus, deſtinatur Euangelio Chriſti prædicando.

Videmus qualis fuerit Paulus, cuius ſucceſſores illi tandem recte dici merentur, qui vt Paulus legitime ad prędicandum Euangelium Dei vocati, munus ſuum ſincere obeunt. Nam qui Euangelium Dei vel peruertunt, vel eius loco obtrudunt hominibus humanas traditiones de ſucceſsione in Pauli locum, fruſtra gloriantur: in quorum numero eſt Romanus Antichriſtus, cum ſuis raſis & vnctis Epicuris. Hic, quæ eſt eius impudentia, non veretur gloriari, ſe Pauli & Petri ſucceſſorẽ eſſe, cum tamen res ipſa teſtetur, eum Iudæ proditori potius ſucceſsiſſe, qui oſculo filiũ Dei prodidit. Hactenus de priori parte Epigraphæ, ſequitur poſterior.

Omnibus qui Romæ eſtis, dilectis Dei, vocatis ſanctis.

Hic primum obſeruandum eſt, quod Romanis quos inter gentes numerat, ſcribat Apoſtolus, vnde hæ quatuor hypotheſes colligantur. PRIMA, Vocationem gentium ad Euangelium decreto diuino fieri. SECVNDA, Doctrinam quæ in hac Epiſtola Romanis proponitur, eſſe nobis cum illis cõmunem. Nam & nos de gentibus ſumus. TERTIA, Vocationem ad Euangelium eſſe gratuitam. Nullum enim meritum niſi mortis afferre poterant prophanæ gentes. QVARTA, Vocationem ad ſalutem eſſe vniuerſalem, nullo vel perſonarum vel nationum habito reſpectu. Sequitur deſcriptio Romanorum quibus ſcribit Apoſtolus, ita enim habet textus:

Dilectis Dei, vocatis ſanctis.

Hic obſeruemus tres vocationis noſtræ cauſas, EFFICIENTEM, quæ eſt gratuita dilectio Dei, qua nos pater cœleſtis in filio caros habet. FORMALEM, quæ eſt vocalis Euangelij prædicatio certiſsimum dilectionis paternæ teſtimonium; Et FINALEM, quæ eſt ſanctitas, quæ ſegregatione ab impuro mundo, purificatione cordis ex fide profecta & ſanctimonia vitæ, pijsq; exercitijs conſtat. Hæ tres cauſſæ quotieſcunque vel nobis vel alijs prædicatur Euangelium, vel cum nos ipſi legimus aut cogitamus Euangelium, veniant nobis in mentem, cogitemus vocem Euangelij teſtimonium dilectionis Dei erga nos eſſe, cogitemus Deũ velle nos vocali prædicationi obœdire, cogitemus quod hæc adeo auguſta vocatio requirat ſanctitatẽ, quæ & fructus & finis vocationis noſtræ exiſtit. Hactenus de partibus epigraphæ. Nunc amplificatiões interiectas videamus. PRIMA eſt cõmendatio Euangelij, in quam dilapſus eſt hac occaſione: Dixit ſe ſegregatũ in Euangelium Dei, huc iam apponit amplificando: Quod ipſe ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis. Verum, vt ſtudioſi locos cõmendationis Euangelij in promtu habeant, quos ſparſim Apoſtolus attingit, in vnum breuiter colligam, hoc modo. Primus ſumitur ab autoritate diuina. Habet enim Euangelium Deum ipſum autorem. Secundus ab antiquitate. Non enim hodie aut nudiuſtertius eſt notũ. Sed iam olim à Deo promiſſum, Geneſ. 3. Tertius, à Prophetarum teſtimonijs, qui Prophetæ acti Spiritu Dei locuti ſunt. Nemo rem vilem, inquit Ambroſius, magnis præcurſoribus nunciat. Quartus, ab obiecto. Eſt enim Euangelium doctrina de filio Dei Domino noſtro IESV CHRISTO. Quintus, à fructu, nempe quod Euangelium ſit organum annunciandæ gratiæ DEI & ſalutis, quæ offertur prædicatione Euangelij in filium Dei, credentibus. Sextus, ab amplitudine,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nimirum quod Euangelium nõ tantum Iudaico populo, ſed etiam omnibus gentibus ſit deſtinatum. SED quæ fuit amplificationis huius cauſa? Iudæi calumniabantur & reijciebant Euangelium tanquam doctrinam recens natam, ignotam Prophetis & Patriarchis. Horum criminationi opponit autoritatem Prophetarũ, per quos ipſe Deus iam olim prænunciauerat Euangelium de ſuo filio. Si modum quæris, quo Deus per Prophetas ſuos antè promiſerat hoc de filio ſuo Euangeliũ. Reſpondeo, Quod id fecit & ſignis & verbis. Signorum ſunt alia ſacrificia, alia ſacramenta, alia typi. Verbis Prophetæ concionantur nunc de perſona filij Dei, nunc de officio, regno & ſacerdotio, nunc de aduentu & tempore aduentus, nunc de factis ex quibus agnoſci deberet adueniens Meſsias, nunc de beneficijs Meſsiæ erga homines. SECVNDA amplificatio proſopographia eſt, & manat ex prima. Facta enim mentione obiecti Euangelij, qui eſt Ieſus Chriſtus, in perſonæ Chriſti deſcriptionem excurrit, quæ ſint eius naturæ, quæ gloria, quodq́; officium oſtendens. Qui natus eſt, inquit, ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Hic humanitas vera Chriſti aſſeritur, in qua aſſertione mentionem Dauidis facit, propter promiſsionem Dauidi factã. Promiſit enim Deus, vt Chriſtus de ſemine, hoc eſt, poſteritate Dauidis naſceretur. Hæc promiſsio primum facta eſt Dauidi, 2. Samuelis 7. vbi promittitur filio Dauid ſolium regni perpetuum, & thronus firmus vſque in ſeculum. Deinde, hæc promiſsio ſæpius inculcatur, vt Pſalmo 72. Deus iudicia tua regi da, & iuſticiam tuam filio regis. Et paulò poſt, verſu quinto: Timebunt eum dum ſol & luna ſplendebunt, hoc eſt, perpetuo. Pſalmo 89. In ſeculum cuſtodiam ei miſericordiam meam, & pactum meum firmum erit ei & ponam in ſeculum ſemen eius, & thronum ipſius ſicut dies cœli. Huc Pſalmus 110. Dixit Dominus Domino meo, pertinet. Item, Pſalmus 131. Memento Domine Dauid. In hoc Pſalmo expreſſe dicitur: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Ex his ſcripturæ locis tritum erat apud Iudæos, quod Meſsias eſſet naſciturus de ſemine Dauidis. Hinc cæci apud Matthæum: Miſerere mei Domine fili Dauid. Atque hæc cauſa eſt, cur Matthæus capite 1. & Luc. cap. 3. adeo diligenter genealogiam Chriſti recenſeant.

Qui declaratus eſt filius Dei. Id eſt, certis & infallibilibus teſtimonijs & operibus diuinis ab eo editis comprobatum eſt, quod re vera ſit filius Dei. Huc illud elogium 1. Timoth. 3 Deus manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus eſt in ſpiritu &c. Sed quomodo hæc declaratio eſt facta?

In potentia ſecundum ſpiritum ſancti-ficationis ex reſurrectione mortuorum. Per potentiam intelligit miracula diuina, quibus IESVS ſe verum eſſe Deũ comprobauit, dum in his terris viſibilis inter homines verſaretur cæcis viſum reddidit, claudis vt ambularent, leproſos ſanauit, mortuos excitauit, Huc illud ad Iudæos: Si mihi nõ creditis, operibus meis credite.

Secundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum. Hoc eſt, Declaratus filius Dei ex eo, quod poſt reſurrectionẽ ſuam ex mortuis dederit die Pentecoſtes ſuis diſcipulis Spiritum ſanctum, quæ Spiritus donatio aperte teſtatur de omnipotentia Chriſti, & diuina eius natura. Habemus ergo hic tria, quæ IESVM Nazarenum filium DEI eſſe conuincunt. PRIMVM, eſt miraculorum varietas, quæ edidit cum adhuc viſibilis verſaretur inter Iudæos. Secundum eſt, quod ſua virtute reſurrexerit à mortuis. Tertium, Quod reſuſcitatus à mortuis, diſcipulis ſuis dederit Spiritum ſanctum, idq́ue viſibiliter. Actor. 2. Extrema potiſsimum Apoſtolus vrget, vt quæ in omnium oculos incurrebant. Capita teſtimoniorum de vtraque natura Chriſti complecti hoc diſticho poterimus: *Dictum; cultus, opus, confeſsio, munera, quinque hæc, Quæ ſint naturæ* CHRISTI *nos rite docebunt.* Ex hoc præterea loco licebit colligere QVATVOR, quæ pios de Chriſto ſcire omnino neceſſarium eſt. Horum Primum eſt, quod noſter Meſsias ſit verus Deus. Secundum, quod ſit verus homo. Tertium, quod non ſint duæ perſonæ vt duæ naturæ, Sed vna perſona in duabus naturis diuina & humana ſubſiſtens. Quartum, quòd ſit ſanctificator, & victor mortis, hoc eſt, Sacerdos & Rex; qui populum ſuum liberat à peccatis eius. Hæc quatuor ſimul fides intuebitur, ne vllis Sathanæ inſidijs ſuccumbat. TERTIA amplificatio ex ſecunda naſcitur, hanc ideo appoſuit, vt ſuum Apoſtolatum aduerſus aduerſarios ſuos Pſeudoapoſtolos tueretur ac defenderet. Vt ergo illi extenuarunt Pauli Apoſtolatum: ita ipſe Paulus contra aſſerit, ſe Chriſti gratia factum eſſe Apoſtolum, idq́ue in obœdientiam fidei inter gentes ſuper nomine CHRISTI, hoc eſt, vt prædicet Paulus

gentibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

gentibus Euangelium,& gentes prædicato Euangelio obœdiant, credantque in nomen Chriſti. Cum autem dicit, Super nomine eius, materiam Euangelij exprimit, quæ eſt nomen Chriſti. Significat autem nomen relationem ad prædicationem Euangelij. Talem ſiquidē Chriſtum credamus oportet, qualis nominatur, hoc eſt, prædicatur nobis in Euangelio. Cum autem dixiſſet, in omnibus gentibus, addit hypotheſin, inquiens:

Inter quas eſtis & vos vocati IESV CHRISTI.

Id eſt, qui Euangelio IESV CHRISTI obtemperatis. Nam qui de Dei filio rectè ſentiunt, hi vocati & ſancti dicuntur, vt inquit Ambroſius. Deinde cum dicit: In obœdientiam fidei in omnibus gentibus, inter quas eſtis & vos, rationem reddit cur Romanis ſcribat, quæ ratio hoc ſyllogiſmo clauditur. Ego Paulus à Chriſto deſignatus ſum Apoſtolus, vt Euangelium inter gentes prędicem. Quare cum vos ſitis ex gentibus, Apoſtolatus meus requirit, vt vobis etiam Euangelium prædicem.

Gratia vobis & pax à Deo patre & Domino noſtro IESV CHRISTO.

Mos eſt ſcribentibus ad amicos antiquiſſimus & humaniſſimus, à ſalutatione incipere. Verum hoc eſt diſcrimen inter ſalutationes ciuiles & Apoſtolicas: Illæ quidem ſunt φιλικαὶ, teſtantes de beneuolentia erga eum cui ſcribitur, vt τὸ χαίρειν, τὸ εὐπράττειν, τὸ ὑγιαίνειν apud Græcos. Et apud Latinos, Salutem, ſalutem dicit, iubet ſaluere. Hæ verò ſunt non ſolum φιλικαὶ, ſed etiam religioſæ, ſummam beneficiorum Euangelij continentes. Nam gratia eſt hoc loco fauor Dei & beneuolentia, qua Deus pater in Chriſto nos complectitur, recipit nos, & nobis remittit peccata. PAX effectus gratiæ, videlicet gaudium Spiritus ſancti, tranquillitas conſcientiæ, breuiter omnia proſpera adeoq; ſalus ipſa. Vt hæc gratia & hæc pax Romanis multiplicetur optat Apoſtolus, idque à Deo patre noſtro & à Domino IESV CHRISTO. Vt Gratiæ & Pacis vocabula fidem requirunt: ita Patris & Domini voces nos adoptionis & obœdientiæ admonebunt, quæ omnia vni Ieſu Chriſto accepta ferri debent. Habemus ergo in hac ſalutatione tria. Primum, ſummam doctrinæ Euangelij, quæ gratiæ & pacis nomine ſignatur. Secundum, confutationem Pſeudoapoſtolorum, qui ex operibus ſalutem quærunt. Tertium, Admonitionem de officio noſtro, hoc eſt, de fide & obœdientia erga Deum. In Epiſtolis ad Timotheum & Titum, inter Gratiam & Pacem interponit Apoſtolus Miſericordiam, quæ prima origo noſtræ ſalutis eſt. Ita ergo ordinandæ ſunt cauſſæ ſalutis. MISERICORDIA, qua afficitur Pater cœleſtis intuens in miſeriam generis humani. GRATIA, qua donatur Filius, vt ſit victima & λύτρον pro peccato. PAX, quæ eſt reconciliatio fide accipienda ad prædicationem Euangelij. Hanc pacem comitantur fructus vberrimi & ſuauiſſimi, cùm in hac vita tum in futura.

EXORDIVM.

Hoc Exordium iuxta normas Rhetorum formatum eſt. Præcipiunt autem Rhetores, vt exordium iuſtum, plenum & perfectum, quatuor ex partibus, Expoſitione (quæ & propoſitio exordij dicitur) Ratione, Redditione & Comprobatione componatur. Has partes ita inſtitui oportet, vt non ſolum loci exordij, qui ſunt beneuolentia, attentio & docilitas aſpergantur prudenter. Verumetiam vt oratio ſponte in ipſam propoſitionem, quæ exordij finis eſſe debet, feratur. Has leges Paulum in hoc ſuo ſeruaſſe exordio in explanatione patebit.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum, ſuper omnibus vobis, quod fides veſtra annunciatur in toto mundo.

Expoſitio exordij eſt, per quam à ſuo ſtudio erga Romanos beneuolentiam captat. Eſt enim certiſſimū indicium beneuoli animi, ob alicuius felicitatem & commoda, Deo gratias agere. Cum itaque Paulus teſtatur, ſe Deo gratias agere, quod fides, hoc eſt, religio ſeu profeſſio fidei Romanorum annunciatur in toto mundo, id eſt, paſſim per omnes Eccleſias, ſe Romanis optime velle, & ſalutē eorum ex animo cupere ſignificat. Quod autem dicit, Deo meo, per pronomen, MEO, non excludit alios, quaſi ipſi Deum eundem non haberent, Sed quod eſt commune, ſibi per fidem applicat. Eſt igitur hæc adiectio, MEO, fiduciæ argumentū, non excluſionis indicium. Deinde in verbo καταγγέλλεται eſt empha-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſis, qua ſignificatur, nec addendum nec detrahendum eſſe quicquam Euangelio prædicato Romanis. Angeli enim, id eſt, nuncij munus eſt, ea tantum quæ ſibi commiſſa ſunt, narrare. Quare & ſacerdotes Angeli dicuntur, id eſt, nuncij, quia non ſua, ſed eius qui ipſos miſit, nunciant. Porrò hæc expoſitio quatuor nobis ſuppeditat hypotheſes. Primam, omnia bona ad Deum autorem referenda eſſe, & præſertim annunciationem Euangelij. Secundam, Oportere eos qui beneficia Dei ſentiunt, datorem & agnoſcere & celebrare. Tertiam, Omnia bona per Chriſtum hominibus dari, atque ideo per eundem gratias Deo agendas eſſe. Quartam, Miniſtrorum verbi Dei eſſe, atque adeo omnium piorum, congratulari ijs, quibus Deus ſuum de filio Euangelium patefacit, idq́ue non ſine gratitudine mentis & beneficij prædicatione.

Teſtis enim mihi eſt Deus (cui ſeruio in ſpiritu meo) in Euangelio filij ipſius, quod indeſinenter mentionem veſtri faciam, ſemper in precibus meis rogans, vt (ſi aliquo modo tandem proſperum iter nactus fuero per voluntatem Dei) veniam ad vos.

Secunda pars exordij, quæ eſt expoſitionis ratio, à ſigno certiſsimo ſumta, vnde expoſitio concluditur hoc modo. Paulus ſemper mentionem facit Romanorum in ſuis precibus, cupitq́; vt ſibi proſperum ad illos iter contingat, &c. Ergo procul dubio Paulus gaudet atq; Deo gratias agit, ob Romanorum fidem ac religionẽ. Verum vt rationi huic, quæ per ſe non magis firma videbatur quam expoſitio, fidem adhibeant Romani, iureiurando eam fulſit Apoſtolus, inquiens: Teſtis mihi eſt Deus, ac ſi dicat, Deum qui ſolus corda ſcrutatur & nouit omnia, vindicem cupio, ſi hæc ita non ſunt vt dico. Verum ne quis iuſiurandum hoc leuitati aſſcribat, apponit argumentum conſtantiæ, & inquit: Cui ſeruio in ſpiritu meo (id eſt, promtiſsimo animo, & colo ſpirituali cultu) in Euangelio filij ipſius, Nam diligentia mea & labor indefeſſus in vocatione ad prædicandum Euangelium ſatis me à leuitate vindicat. Quod additur in ratione: Si quo modo tandem proſperum iter nactus &c. Argumẽtum eſt admodum expetentis occaſionem proficiſcendi ad Romanos, quare rurſus ſuam erga ipſos teſtatur beneuolentiam.

Porrò ex hac ratione aliquot vtiles admonitiones extruamus. Primam, iuramentum aliquod licitum contra veterum quorundam errorem, & Anabaptiſtarum inſaniam. Secundam, iurantibus fidem habendam eſſe, modo Deum timere eos vitæ ratio atteſtetur, alias minime. Tertiam, cultum Dei ſpiritualem eſſe, docere & diſcere Euangelium, modo fides præluceat. Quartam, officium miniſtrorum verbi Dei eſſe, non ſolum Eccleſiam docere & verbo Dei paſcere, verumetiam pro Eccleſia orare. Quintam, Stoicam neceſsitatẽ euerti. Nam ſi felix in rebus ſucceſſus precibus impetrari poteſt, profecto non omnia eueniunt ineuitabili neceſsitate. Sextam, rerum proſperum ſucceſſum à Deo eſſe, quæ res nos timoris Dei & feriæ inuocationis admonebit.

Deſidero enim videre vos, vt aliquod impertiar vobis donum ſpirituale ad vos ſtabiliendos, hoc eſt, vt communem exhortationem percipiam apud vos, per mutuã fidem veſtram ſimul & meam.

Redditio rationis eſt, tertia exordij pars à cauſſa finali ſumta. Paulus expetit impertiri Romanis aliquod donum ſpirituale ad eos ſtabiliendos. Ergo Paulus cupit venire ad Romanos. At ne quis ex aduerſarijs Pauli hoc dictum arrogantius interpretaretur, metriaſmo vtitur, ac exponit, quod illa ſpiritualis doni collatio, non ſit aliud quam vt Paulus & Romani ſe mutuo exhortentur, idque per communem fidem, quo animi vtrinque confirmatiores reddantur. Ac ſi dicat, Donum illud ſpirituale, quo vos cupio ſtabiliri, huiuſmodi eſt, vt ego vos mea fide exhorter, & vos me veſtra fide viciſsim exhortemini, vt ita mutua fide confirmati, proficiamus in vera & ſincera Chriſti religione. Ex hac pericopa aliquot colligamus hypotheſes, harum ſit Prima, doctoris præſentis vox multo efficacior eſt ad docendum & confirmandum, quam lectio ſcripti abſentis. Vnde monemur, vt auide audiamus docentes in Eccleſia, nec putemus cum nauſeantibus, ad verbum Dei ſufficere nobis domeſticam lectionem & meditationem priuatam. Habet, inquit Hieronymus, neſcio quid latentis energiæ viua vox, & in aures diſcipuli de autoris ore transfuſa, fortius ſonat. Secunda, commendantur hîc officia mutua doctorum & auditorum, videlicet vt ſe mutuis exhortationibus confirment & ſtabiliant in fide & pietate. Nam mutua exhortatio, eſt fidei communis fulcrum ac ſtabilimentum quoddã.

Tertia, Quanta ſit externi miniſterij verbi dignitas ex eo colligitur, quod ſit inſtrumentũ, quo Chriſtus offert & confert hominibus ſua ſpiritualia dona, quæ ideo miniſtri impertiri dicuntur, quia ſpirit⁹ Chriſti organa ſunt, per quæ illa hominibus diſtribuuntur. Quarta, Confutantur hîc Enthuſiaſtæ, quales ſunt Anabaptiſtæ, Stenchfeldius & ſimiles, qui externo miniſterio & vocali verbo ſuam detrahunt efficaciam. Quinta, Exemplo Pauli deprimitur hic faſtus & arrogantia eorum, qui velut ex alto deſpiciunt eos, qui minoribus donis præditi eſſe videntur, & parum ſe docere putant, vt ab alijs aliquid diſcere videantur. Cùm tamen Paulus tantus Apoſtolus, fateatur ſe vel à neophytis Romanis confirmari & fulciri poſſe. Intuentes igitur Pauli exemplum, diſcamus quicquid nobis donorum collatum eſt, conferre ad commune Eccleſiæ Chriſti ædificium, vt ita mutuis officijs inter nos coaleſcamus.

Nolo autem vos ignorare fratres, quod ſæpe propoſui venire ad vos (& impeditus ſum vſque adhuc) vt fructum aliquem haberem etiam in vobis, quemadmodum & in reliquis gentibus.

Comprobatio hæc eſt & præſumtio. Vt enim redditionis cauſſam ponit, & rem totam manifeſtius tangit, vnde in propoſitionem principalem dilabitur: ita anteuertit obiectionem eorum, qui ipſius aduentum anxie expectarunt, idque per translationem cauſſæ. Ego quidem, inquit, propoſui ad vos venire, ſed prohibitus fui. Impedimentum autem hoc, videtur fuiſſe arduum certamen, quod habuit cum Pſeudoapoſtolis, quorum ora obſtruenda erant, ne ſemen verbi cœleſtis quod iecerat ipſe in varijs locis, ſpinis Iudaicis ſuffocaretur. Addit finem aduentus: vt, inquit, fructum aliquem haberem in vobis. Hic fructus abſq; dubio fuit propagatio Euangelij & confirmatio Romanorum in ſana doctrina, ne Iudaicis corruptelis locum darent. Exemplum hoc Pauli ſinceri miniſtri Dei imitentur, quo nouis quotidie acceſsionibus augeatur Eccleſia, & ſeruetur doctrinæ puritas.

Et Græcis & barbaris, cùm ſapientibus tum inſipientibus debitor ſum, itaq; promtus ſum ego, vobis quoque qui Romæ eſtis, euangelizare.

Dixit ſe fructum quærere in Romanis, quemadmodum & in reliquis gentibus, iam idem enthymemate concludit, ſumta ratione ab Apoſtolatus proprietate. Eſt ergo hic ſenſus: Ex Apoſtolico munere à Domino mihi impoſito, teneor quibuſuis hominibus Chriſtum annunciare, itaq; promtus ſum etiam vobis Romanis euangelizare. Diſtributionis prima antitheſis ad nationes referenda eſt. Barbarorum appellatione intelliguntur omnes qui non ſunt Græci. Huc illud pertinet: Ite in mundum vniuerſum, &c. Altera diſtributionis antitheſis, qualitatem perſonarum quæ ſunt in nationibus, reſpicit, quorum alij ſunt ſapientes, alij rudes. Hinc Primum colligamus prædicationem Euangelij, qua homines promiſcue vocantur ad gratuitam ſalutem, eſſe vniuerſalem. Communis enim, inquit Chryſoſtomus, prædicatio propoſita eſt omnibus, non dignitatis nouit diſcrimen, non gentis eminentiam, neq; aliud quic quam huiuſmodi. Deinde Euangelium eſſe diſtinctum doctrinæ genus à Philoſophia. Eſt enim ignotum ſapientibus mundi. Tertio, requiri à miniſtris Euangelij ſingularem animi promtitudinem in prædicando Euangelio.

Non enim pudet me Euangelij Chriſti.

Dixit ſe promtum ad Euangelizandum Romanis, nunc eius rei cauſſam affert, & ſimul obiectioni quorundam occurrit. Cauſſa promtitudinis ſic applicabitur: Euangelium eſt glorioſum & honorificum. Igitur, Ego promtus ſum ad prædicandum omnibus Euangelium. Obiectioni eorum reſpondet qui pro ludibrio habuerunt Euangelium, quaſi nulla ex parte reſponderet ſplendori Romani imperij, inter hos fuit Nero & alij multi Romæ. Atque ideo vtitur contrario per negationem, quaſi dicat: Sunt quos pudet Euangelij, Sed ego illud glorioſum & honorificum duco, tantum abeſt vt me eius pudeat. Monentur proinde hîc miniſtri verbi, vt hominum iudicia, qui de miniſterio Euangelij parum ſincere ſentiunt, fortiter contemnant.

Nam potentia Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primum ac Græco.

Ætiologia eſt gloriæ Euangelij, & ratio præſumtionis. Vere glorioſum & minime erubeſcendum eſt organum,

per quod Deus efficax eſt ad dandam ſalutem omni credenti. Euangeliũ eſt tale organum. Proinde Euangelium nequaquam erubeſcendum, ſed glorioſum potius habendũ eſt. Potentia Dei hîc nihil aliud eſt, quam inſtrumentũ, quo Deus exerit ſuam virtutẽ in ſaluandis ijs, qui Euangelio obtemperant, ne ipſos peccatum, mors, diabolus, infernus in dãnatione detineant: Sed vt in eis gratia, remiſsio peccatorum, iuſticia, vita & ſalus locũ habeant. Huc illud Pauli pertinet: Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnũ filij ſui dilecti, in quo habemus redemtionem per ſanguinem eius, remiſsionem peccatorum. Diſtributiuncula quæ ſubiungitur generi, opponitur imaginationi Iudæorum, qui gentes à gratia Euangelij excludendas putarunt. Græcus hîc ſynechochicè ponitur, pro omni eo qui non eſt Iudęus, idq́; ideo, quia maxima pars Orientis tum Gręcè loquebatur. Quod autem dicit: primum Iudæo tum etiam Græco, non dignitatis eſt, ſed diſpenſationis, quia ex Iudæa prodijt primum ſalutis verbum, quod eſt Euangelium, iuxta vaticinium Eſaiæ: De Zion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Porrò hæc breuis ſententia multas hypotheſes continet, harum Prima eſt, quod Deus ſit autor Euangelij. Secunda, Quod Euangelium ſit inſtrumentum per quod Deus vult efficax in auditoribus eſſe. Tertia, Quod hoc inſtrumentum, hoc eſt, prædicatio Euangelij deſtinetur ſaluti hominum. Quarta, Quod prædicatio Euangelij ſit vniuerſalis. Quinta, Quod beneficia quæ offeruntur per Euangelium, fide accipiantur & poſsideantur. Sexta, Quod ſine prædicatione Euangelij homines hęreant in damnatione. Septima, Quod ſalus hominis non pendeat ex operibus aut meritis humanis, ſed ſit gratuitum Dei donum. Octaua, Quod Euangelium ſit aliud doctrinæ genus quam Lex Nam Lex peccatum oſtendit, Euangeliũ gratiam: Lex morbum, Euangelium remedium indicat: Lex mortis miniſterium eſt, Euangelium vitę & pacis: Lex virtus damnationis eſt, Euangelium virtus ſalutis: Lex ad pœnam peccatores vocat, Euangelium eoſdem ad pœnitentiam inuitat, vt ſit locus gratiæ. Hæc omnia ex antitheſi ſalutis & damnationis, & eorum quæ ad ea pertinent, intelligi poſſunt.

Iuſticia enim Dei in eo reuelatur, ex fide in fidem.

Encomium Euangelij, quod ſit potentia Dei in ſalutem omni credenti, confirmat argumento ab effectu ſumto. Euangelium patefacit & proponit iuſticiam fidei, quæ Deo probatur. Ergo Euangeliũ affert ſalutem omni credenti. Conſequentia à conſequentibus contrariorum pendet. Iuſticia legis cauſſa eſt perditionis & damnationis. Ergo iuſticia quam offert Euangelium eſt cauſſa ſalutis. Proinde Euangeliũ recte dicitur potẽtia Dei in ſalutem omni credenti. Vocatur autem iuſticia Dei hoc loco, non qua ipſe iuſtus eſt in ſe, vel qua ipſe iuſtos punit & inſontes tuetur, ſed quæ ipſi probatur, placet, ſeu accepta eſt, & cuius ipſe autor exiſtit. Quod autem hæc Dei iuſticia non ſit eſſentialis Dei iuſticia, ſicut Oſiander docet: Sed potius ea iuſticia, qua Deus noſter IESVS CHRISTVS ſuo Patri obœdiens fuit vſque ad mortem aſſumta humana natura, patet ex ea collatione quæ eſt ad Romanos 5. his verbis: Sicut inobœdienria vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ſic etiam per vnius obœdientiam iuſti conſtituentur multi. Ergo iuſticia quæ patefit per Euangelium, eſt obœdientia Chriſti imputata credenti. Hæc explicatio firma & immota eſt. Deinde verbum Reuelandi ſignificat hanc Dei iuſticiam abſconditam eſſe, donec reueletur hominibus per Euangelium. Si ergo reuelatur per Euangelij prædicationem, ſequitur, quod omnino ſit tecta, occulta & incognita, vbi vox Euangelij non ſonat, qua de cauſa Euangelium dicitur myſterium abſconditum. Sequitur & hoc, quod hæc Dei iuſticia nec ſit philoſophica nec legalis. Nam vtraque nota eſt ſine Euangelio. Sed quomodo contingit homini hæc iuſticia Dei, quæ reuelatur in Euangelio? Ex fide in fidem. Hoc eſt, ex fide perpetuo creſcente, & ſubinde vires maiores acquirente. Hanc eſſe Hebraicæ phraſis veram enarrationem, Primum ex ſimilibus locutionibus ſcripturæ manifeſtum eſt, Pſal. 84. De victoria in victoriam ibunt, hoc eſt, ſubinde maiores victorias conſequentur. Ieremiæ 9. De malitia in malitiam exierunt, hoc eſt, paulatim peiores facti ſunt. 2. Corinth. 3. Transformemur ex gloria in gloriam, hoc eſt, ex minori gloria in maiorem. Deinde hanc interpretationem confirmat Clemens Alexandrinus Stromateon 5. pag. 225. in Florentino exemplari. Videtur, inquit, Paulus geminam fidem facere, cum tamen vnam tantum ſtatuat, quæ augmentũ & perfectionẽ recipit. Non eſt ergo diſtinctio rei in repetitione vocis fidei per antanaclaſin, vt Ambroſius vult, cui priori loco fides pro fide Dei, id eſt, promiſsione gratiæ, poſteriori pro fide hominis accipitur. Sed eſt diſtinctio modi tantũ vnius & eiuſdem fidei. Hac loquendi forma ſingulari conſilio vſus eſt Apoſtolus. Aduerſarij ipſius Pſeudoapoſtoli ex Iudæis conuerſi, partim vrgebant iuſticiam operum, partim fabricarunt iuſticiam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſticiam ex fide & operibus, ſeu ex fide in opera, vt ex fide inciperet iuſticia, quæ poſtea abſolueretur operibus, quaſi opera eſſent fidei perfectio, quemadmodum etiam nugantur Papiſtæ. Contra hos Paulus dicit, iuſticiam Dei reuelari ex fide in fidem, non ex fide in opera, quaſi hæc iuſticia initium ſumeret à fide, & conſummaretur operibus. Vult ergo Paulus, quod hæc fidei iuſticia, ſola fide abſque operibus recipiatur & poſſideatur, quemadmodum ipſe ſe interpretatur infra cap. 3. vbi hanc propoſitionem copioſius confirmandam repetit. Diligenter itaque obſeruetur hæc ſententia, quia continet ſum̃am Euangelij, quæ eſt prædicatio iuſticiæ Dei, quæ fide apprehenditur. Deinde hic breuis aphoriſmus refutat omnes errores de iuſticia, qua conſiſtimus coram Deo, alio modo quærenda quam per ſolam fidem. Porrò quantum ad ordinem attinet, ſciendum eſt quod hæc ſententia: Iuſticia Dei in Euangelio reuelatur ex fide in fidem, ſit finis comprobationis exordij, & propoſitio principalis, ſeu ſtatus huius Epiſtolæ, ad quam propoſitionem paulatim & veluti per gradus, iuxta Rhetorum præſcriptum, vt ſupra admonui, deſcendit Apoſtolus.

Quemadmodum ſcriptum eſt: Iuſtus ex fide viuet.

Ratio propoſitionis eſt. Vt autem hæc ratio recte intelligatur, retexenda eſt propoſitio in duas quæſtiones, quarum Vna eſt: Num iuſticia ſit ex fide. Altera, Num iuſticia quæ eſt ex fide, Dei iuſticia ſit, hoc eſt, Deo accepta. Prioris theſin affirmatiuam concludit à coniugatis, hoc modo: Qui iuſtus eſt, ex fide iuſtus eſt, Igitur iuſticia ex fide eſt. Poſterioris autẽ theſin affirmatiuã à cõiunctis colligit, hoc pacto: Iuſtus ex fide viuet, Ergo, Iuſtus ex fide acceptus eſt Deo. Atque adeo iuſticia ex fide, Dei eſt iuſticia, vt quæ Deo probatur, illiq́ue accepta eſt. Conſequentia manifeſta eſt. Nam habere promiſſionem vitæ & Deo probari & acceptum eſſe, ſunt natura coniuncta. Deus enim nequaquam promitteret vitam & benedictionem ſibi diſplicentibus. Hæc eſt rectiſſima huius rationis accommodatio ad probandum id quod propoſitum erat. Quærebatur enim, Num ex fide ſit iuſticia, Non, an qui iuſtus eſt viuat? Nam lex ipſa ait: Qui fecerit ea, viuet in eis. Quod autem in dicto Prophetæ: Iuſtus ex fide viuet, determinatio Ex fide, principaliter ad ſubiectum Iuſtus pertineat, non ſolum ex eo patet, quod ita requirat argumenti Paulini neceſſitas, Verumetiã ex eo conuincitur, quod verba Prophetæ contineant promiſſionem, in qua iuſtis ex fide promittitur liberatio, quæ vitæ nomine apud Prophetam deſignatur. In Prophetæ ergo dicto duo tribuuntur fidei, nempe iuſticia principaliter, & vita quę ex fide manat. Eſt enim fides velut anima noui hominis, quæ vitæ actiones edit per nouum ſpiritum, qui eſt Chriſti. Porrò Prophetæ dictum non vnum tantum vſum habet. Primum enim confirmat, veluti hîc Paulus oſtendit, quòd iuſticia quæ Deo placet, ſit ex fide. Deinde, confutat operum iuſticiam, hoc eſt, quod iuſticia non ſit ex operibus, vt ad Galat. 3. vbi ita colligit Apoſtolus. Quod autem per Legem nullus iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt quia iuſtus ex fide viuet. Lex autem non eſt ex fide, Sed qui fecerit ea homo viuet in eis, Hoc eſt, Lex non ſpectat fidem in iuſticia, ſed opera, Seu, Lex non pronunciat iuſtos qui crediderint, ſed qui fecerint. Sunt itaq; cõtrariæ viæ Lex & fides. Lex enim in nobis quærit quod nunquam in nobis inueniet, ideoq́ue occidit. Fides offert quod nobis deeſt, vt nobis imputetur quod in ſolo Chriſto eſt. Ideoq; hoc reſpectu fides iuſtificat & viuificat. Tertio, Hoc dictum Propheticum conſolatur pios, qui in hac vita ſub cruce & ærumnis varijs gemunt, & in hunc vſum dictatur Prophetæ ab ipſo Deo. Hinc ad Hebræos 10. Tolerantia (inquit) opus habetis, vt voluntatem Dei faciendo feratis promiſſionem, adhuc enim tantillum, tantillum inquã, & qui venturus eſt veniet neq; tardabit, iuſtus autem ex fide victurus eſt. Atque ita vna γνώμη multis rebus ſeruit, quod eſt diligenter obſeruandum.

Reuelatur enim ira Dei de cœlo aduerſus omnem impietatem & iniuſticiam hominum, qui veritatem Dei in iniuſticia detinent.

Ratio propoſitionis eſt à cõtrario ſumta. Paulus .n. duas vias ad conſequendam iuſticiam indicat. Legem & Fidem: quarũ illam impoſſibilem, hanc vero expeditã & facilem docet. Propoſuit iuſticiã eſſe ex fide, id quod Prophetæ teſtimonio confirmauit. Nunc idẽ aſtruit hoc dilem̃ate: Omnis qui iuſtificatur, aut fide aut lege iuſtificatur, Sed nemo lege iuſtificatur, Proinde iuſticia eſt ex fide. Minorẽ probat ꝓnunciãs omnes homines & impios & iniuſtos eſſe. Certũ eſt .n. impios aduerſus Deũ, & iniuſtos contra homines non iuſtificari lege, ſed potius cõdemnari à lege. Poteſt & hæc ratio hoc pacto colligi: Nulli impij & iniuſti iuſtificari poſſũt niſi ex fide (hoc eſt, Nulli impij & iniuſti iuſtificari poſſũt propria iuſticia,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſed aliena, nempe Chriſti, quæ fide recipitur, eos iuſtificari oportet.) Omnes homines in ſe ſunt impij & iniuſti. Igitur, Nulli homines poſſunt propria iuſticia iuſtificari. Quare opus habent aliena, cuius credentes fiunt participes. Proinde nulla alia iuſticia hominis poteſt eſſe plena & ſolida quàm fidei. Sola minor loco totius argumenti ponitur, quæ quia eſt *κεινόμενον*, fulcitur vtrinq; à principio & à fine. A principio enim per ſignũ, à fine per effectũ cõfirmatur. Signũ eſt: Deus iraſcitur omnib⁹ hominibus non iuſtificatis fide. Ergo omnes homines fide deſtituti ſunt impij & iniuſti. Effectus eſt, Omnes homines fide nõ iuſtificati detinent veritatẽ in iniuſticia. Proinde omnes homines in ſe ſunt impij & iniuſti. Hactenus argumentũ Apoſtoli explicauimus, iã vocabula & phraſes videamus. Vt impietas violatio eſt primæ tabulæ: ita iniuſticia (etſi poſtea vtrunq; complectitur) ſecundæ tabulæ eſt tranſgreſsio. Reuelari iram Dei de cœlo, eſt Deum teſtari pœnis quibus puniuntur homines, Omnes homines in ſe impios & iniuſtos eſſe. Cum enim iuſtum ſit Dei iudiciũ, nemo profecto innocens eſt, qui vlla diuinitus caſtigatur pœna. Proinde cum cõſtat omnes homines morti & alijs calamitatibus obnoxios eſſe, certo certius cõuincit hoc Dei iudicium, omnes homines eſſe peccatores & reos coram tribunali Dei, ideoq; non poſſe ſuis viribus aut operibus iuſtificari. Ponitur hic vocabulum iræ pro vltione ſeu pœna, vſitata Hebræis metonymia. DETINERE veritatem in iniuſticia eſt, quicquid lucis in hominibus relictum eſt de pietate erga Deum, & iuſticia erga homines, iniuſte obruere per impietatem & iniuſticiam, adeo vt nec Deo cultum præſtent homines, nec hominibus quod ipſis debent, reddant. Cæterum obſeruandum eſt, quod quemadmodum præſens pericopa continet rationem à contrario ſumtam, vt iam dictum eſt, ita ad ea quę ſequuntur relata, noua eſt propoſitio, videlicet confutationis præiudiciorum Pſeudoapoſtolorum, qui iuſticiam quæ eſt ex ſola fide impugnarunt. Atque ita hîc incipit QVARTA pars huius capitis, qua vniuerſus mundus reus peragitur coram Dei iudicio, idq́; in eum finẽ, vt agnito peccato & iuſta noſtri damnatione iuxta vocem Euangelij agamus pœnitentiam, & iuſtificemur aliena fide, nempe Chriſti, quæ omnibus credentibus imputatur. Iam ex præſenti loco aliquot colligamus hypotheſes. PRIMVM itaque hîc probatur, quod Deus non velit peccatum, Nam iraſcitur peccato. Nemo enim offenditur ea re quam probat. Huc illud Pſalmi 5. Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neq; habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos, odiſti omnes qui operantur iniquitatem. Deinde hîc docemur, omnes calamitates, quibus obnoxium eſt genus humanũ, eſſe teſtimonia iræ Dei ob peccatum. Præterea hîc docemur, omnes homines in ſe eſſe impios & iniuſtos, vt qui detinent, iniuſte reprimunt & cohibent ſponte veluti erumpentẽ veritatem Dei. Ad hæc impietatem & iniuſticiam hominum, eſſe veritatis Dei repudium, quo ſcelere nullum maius cogitari poteſt. Poſtremò, reliquias legis naturæ quæ in homine remanent, hîc dici veritatem, ſicut infra *δικαίωμα* Dei, quod ſane encomium legis naturæ maximum eſt. Huic veritati Dei cum impietas & iniuſticia ab Apoſtolo opponuntur, facile eſt intelligere duas hîc ſtatui partes legis naturę ſeu veritatis, videlicet pietatem erga Deum & iuſticiam, qua & nobis & alijs reddimus quæ debemus. Hæ quinq; hypotheſes in hac breui pericopa continentur, ex quibus aliæ plurimæ tanquam ex primis quibuſdam axiomatis extrui poſſunt, quas breuitatis cauſa omitto.

Propterea quod id, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit, Siquidem inuiſibilia ipſius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, conſpiciuntur: æterna ſcilicet eius tum potentia, tum diuinitas, in hoc vt ſint inexcuſabiles.

Ætiologia eſt, Dixit iram Dei palàm eſſe è cœlo aduerſus impietatem & iniuſticiam hominum, huius propoſitionis rationem attexit, videlicet, quod homines detineant veritatem Dei in iniuſticia. Nunc Ætiologiam addit per occupationem, ne quis ignorantiam prætexere poſsit. & eſt ſenſus: Homines naturaliter habent noticiam Dei. Ergo cum Deum iuxta hanc noticiam non colunt, detinent veritatem Dei in iniuſticia. Quare iniuſti ſunt, & merito iræ Dei ſubiacent. Hæc eſt ſententia huius loci, quantum ad argumenti ſummam attinet. Verum ſi hanc Ætiologiam retexis, plura in ea obſeruanda occurrunt. Primum enim hîc exponitur, quænam ſit prima pars veritatis Dei, quam dixit homines detinere & cohibere per iniuſticiam, nempe noticia Dei tanta, quantam per naturam habere poſſunt. Deinde, quod hanc de ſe noticiam ipſe Deus hominibus patefecit, idq́ue per res creatas. Præterea, quod res creatæ nos introducant in cognitionem æternitatis, potẽtiæ & diuinitatis opificis. Poſtremo additur finis patefactionis

diuinæ,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

diuinæ, non eſſentialis, qui eſt Deum agnoſcere conditorem, & agnitum colere, ſed accidentalis, qui videlicet ex hominum culpa accidit, non ex natura rerum creatarum, videlicet vt homines ſint inexcuſabiles, vt qui nihil prætendere poſſunt in iudicio Dei, quin iure ſint damnabiles, qui Deum agnitum non coluerunt. Nam cum ex perpetuitate creaturarum cõditor intelligitur æternus, ex magnitudine omnipotens, ex ordine & diſpoſitione ſapiens, ex gubernatione & rerum vſu optimus, merito damnantur, qui ei laudem æternitatis, omnipotentiæ, ſapientiæ & bonitatis non tribuunt, & iuxta hæc debitum cultũ non præſtant. Plura de hac pericopa legant ſtudioſi in Enchiridio in primo loco primæ claſsis.

Propterea quod cum Deum cognouerint, non ipſi tanquam Deo gloriam dederunt aut grati fuerunt.

Dixit Deum ſe patefeciſſe per res creatas, vt homines ipſum non colentes, ſint inexcuſabiles, iam cur ſint inexcuſabiles rationem reddit, argumento à neceſſaria connexione cauſſæ & effectus ſumto: Homines Deum cognitum non glorificauerunt, nec ei debitam gratitudinem exhibuerunt. Igitur homines (gentes potiſſimum intelligit) ſunt inexcuſabiles. Nam à cognitione Dei non debet eius celebratio & gratitudo erga ipſum ſeparari. Tanquã, hoc loco, non eſt improprietatis nota, ſed ſolidæ approbationis, vt Iohannis primo: Vidimus gloriam eius gloriam tanquam vnigeniti.

Sed vani facti ſunt in ratiocinationibus ſuis, & obtenebratum eſt deſipiens cor eorum, cum ſe profiterentur ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt.

Vnde prouenerit, quod Deum agnitum non tanquam Deum glorificauerint, & gratæ fuerint gentes exponit, ac ſi diceret: Gentes quidem principia vera de Deo & eius cultu habent. Verum cum ventum fuerit ad praxin, ibi à ſuis principijs aberrant, adeo vt & à vero Deo & ab eius vera colendi ratione per ſuas ratiocinationes abducantur. Nam cum dicit eos vanos eſſe factos per ſuas ratiocinationes, ſignificat eos ratiocinando aberraſſe. Huius rei cauſam facit tenebras cordis (id eſt mẽtis, ſeu τῆς διανοίας) deſipientis, id eſt, minime ad comprehendum id quod quærebatur apti. vnde & factum eſt, quod cum ſe ſapientes profiterentur, eorum ſtulticia ſit deprehenſa. Hoc quam verum ſit, docet ſuperſtitio omnium gentium. Socrates, Plato, Ariſtoteles, & alij ſapiẽtes, immo etiam maxime barbari teſtantur principia hæc, Quòd Deus ſit, & quòd Deus ſit colẽdus, & opifex rerum ſit ſumme ſapiens, & ſumme bonus, tenuerunt. Sed poſtea ſuis ſtultis ratiocinationibus eò deuenerunt, vt animalia, aſtra & idola loco veri Dei ſuperſtitioſis & prodigioſis cultib⁹ coluerint, omiſſo vero Deo. Nam ex communibus noticijs inter ratiocinandum deficientes in teterrimam idolomaniam prolapſi ſunt. Iſtorum ergo lapſu & cæcitate admoniti, nihil tribuamus rationi extra verbum Dei in negocijs ſalutis: Sed potius cum Dauide dicamus: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Sit ergo nobis ſuſpectum quicquid non habet facem clari verbi Dei prætenſam, præſertim cum negocia religionis aguntur.

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis & volucrum, quadrupedum & ſerpentum.

Vanitatem & ſtulticiam hominum ratiocinantium de Deo & eius cultu deſcribit, quæ eſt craſſa illa & prodigioſa idololatria, in quam totus terrarum orbis prolapſus erat. Neque alia occaſio inuentorum idolorum & imaginum fuit, quàm falſa opinio, quòd homines putarunt proſtratos ſe coram idolis ſeu imaginibus verum Deum colere. neq; tamen exiſtimandum eſt, quod autores imaginum adeo craſsi fuerint, quod ligna & lapides Deos exiſtimarint: ſed iſtis adminiculis ſe excitari dixerunt ad verum Deum colẽdum. aq; ideo oraturi ſe coram illis proſtrauerunt: quem ritum colendi Deum hîc Spiritus ſanctus damnat. vnde prudens & pius Chriſti diſcipulus facile intelligere poterit, quo in loco habendę ſint iſtæ Ethnicæ & Diabolicæ abominationes, quas in contumeliam Euangelij Chriſti quidam hodie tuentur, adeo vt earum cauſa perſequantur miniſtros Euangelij.

Quapropter tradidit illos Deus in concupiſcentias etiam cordium eorum, & immundiciem, vt ignominia afficerent corpora ſua inter ſe.

Pœna idololatriæ deſcribitur, quæ eſt deſertio: qua Deus deſerit idololatras, & ſinit vt ferantur in omnem turpitudinem, prout rapiuntur à turpibus affectibus. Vocabulum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

lum Tradendi, permiſsionem ſignificat & non efficacem impulſionem: id quod ipſe textus conuincit. Nam Deus dicitur tradidiſſe gentes in concupiſcentias cordium eorum. Proinde concupiſcentiæ iſtæ, quas dicit fuiſſe cordium eorum, non ſunt à Deo illis traditæ, ſed cum antea in cordibus latuiſſent, Deus permiſit vt iſti pro cæco ſuo impetu ferrentur in immundiciem, hoc eſt, vt impuri forent & immundi. Obſeruetur itaque hic locus, quo docemur quod Deus ſuam manũ amoueat ab idololatris, quo facto, ruunt in omne genus turpitudinis.

Qui commutauerunt veritatem Dei mendacio, & coluerunt & venerati ſunt creaturam potius quam creatorem, qui eſt laudandus in ſæcula, Amen.

Amplificatio eſt ſceleris idololatrarum à comparatis ſumta. Gentes mendacium, hoc eſt, cultum idolorum prætulerunt veritati, hoc eſt, luci naturali de Deo & eius cultu. Deinde creaturam prætulerunt creatori, illam colentes, hunc contemnentes: qui tamen ſolus laudandus exiſtit.

Propterea tradidit eos Deus in affectus ignominioſos. Nam & fœminæ illorum mutauerunt naturalem vſum in eum qui eſt præter naturam. Similiter & maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt per appetentiam ſui alius in alium, maſculi in maſculos fœditatem perpetrantes, & præmium (quod oportuit) erroris ſui, in ſeſe recipientes.

Supra dixit, Deum tradidiſſe gentes in concupiſcentiam cordium eorum & immundiciem, hîc eaſdem concupiſcentias definit eſſe ignominioſos affectus, quibus ſe mutuo contaminauerunt homines ignominioſiſsimè. Hic locus Primum docet, quòd homines deſerti à Deo, plus quam beſtiæ rationis expertes, impuras impuri Dæmonis ſuggeſtiones ſequantur. Qui enim non ducuntur ſpiritu Dei, impuro Dæmonis ſpiritu eos agi neceſſe eſt. Hinc Chryſoſtomus: Cum Deus homines reliquerit, omnia ſurſum & deorſum feruntur. Deinde analogia peccati & ſupplicij hîc obſeruetur. Gentes ſpirituale adulterium commiſerunt, & ſua corpora ignominioſe idolis proſtituerunt. Proinde iuſto Dei iudicio permittuntur gentes in hanc fœditatem ruere, à qua vel beſtiæ nonnullæ abhorrent, adeo vt ſupplicij qualitas ſceleris turpitudini reſpondeat. Huc illud Sapientiæ 11. Per quæ peccat quis, per ea cruciatur. Monemur proinde nos timoris Dei, ne proprijs cupiditatibus laxantes frena, permittamur in horrendiſsima ſcelera ruere. Vocabulum Tradendi accipitur vt ſupra, non pro efficaci impulſione, ſed pro permiſsione, id quod vel ipſe textus, vt ſupra admonui, conuincit.

Et quemadmodum non probauerunt Deum habere in cognitione, (ita) tradidit eos Deus in reprobam mentem, vt facerent quæ non decent.

Dixit gentes præmium quod oportuit erroris ſui in ſe recepiſſe: Nũc id confirmat argumẽto à iuſticia Dei ſumto. Eſtque ſenſus: Homines non probauerunt Deum habere in cognitione, hoc eſt, hominibus non placuit Deum agnoſcere iuxta noticiam illis naturaliter inſitam. Ergo iuſta Dei permiſsione factum eſt, vt iudicium Dei naturale de colenda virtute & iuſticia inter homines corruperint, adeo vt omnis iudicij quodammodo expertes eſſe videantur. Eſt enim mens ἀδόκιμος, quæ nihil recte probat, & quæ quod exploratum eſt, minime comprobat, ſed peruerſe ſcelera pro virtutibus amplectitur, adeo mens peruerſa eſt, & conſcientia contaminata. Quod hic ſit ſenſus verborum Pauli oſtendit fructus reprobæ mentis, qui eſt, ea facere quæ non decent. Obſeruetur hoc loco quod malarum concupiſcentiarum origo ſit mens ipſa, & non carnis ſubſtantia, quemadmodum quidam hæretici exiſtimarunt. Poſtquam enim mens facta eſt reproba, omnia ſecum trahit. Hæc horrenda pœna contemtus Dei, nos timoris Dei admoneat, ne cum maxima parte mundi reprobæ tradamur menti, & efficiamur, vt Paulus loquitur, ἀπηλγηκότες, id eſt, dedolentes conſcientia cauterio inuſta.

Oppleti omni iniuſticia.

Effectum reprobæ mentis dixit, facere quæ non conueniunt, ſeu vt Paulus habet, facere τὰ μὴ καθήκοντα, hoc eſt, quæ officio cuiuſque aduerſentur. Eſt enim καθῆκον officium quod cuique pro ſuæ perſonæ conditione conuenit. Huius officij violati genus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

genus facit iniuſticiam, cui mox ſubiungit congeriem ſeu enumeratione͂ ſpecierum. Opleti, inquit, omni iniuſticia. Iniuſticia, hoc loco, vt ex membris enumeratis patet, violatio eſt vtriuſq; tabulæ, qua fit, vt nec Deo nec nobis nec proximo reddamus τὰ καθήκοντα, hoc eſt, quæ debemus naturali iure. Ex antitheſi colligitur, quod iuſticia vniuerſalis ſit, qua Deo, nobiſipſis & hominibus alijs ea, ad quæ natura obligamur, reddimus. hoc eſt, pietas erga Deum, ſanctimonia vitæ ſeu puritas, & caritas proximi, qua ei τὰ καθήκοντα reddimus.

Scortatione. In enumeratione ſpecierum iniuſticiæ primo loco ponit eam ſpeciem, qua homo ſibijpſi iniuſtus eſt, non reddens corpori ſuo debitum honorem, ſed illud fœde contaminans & exponens omni immundiciæ. Scortationis voce ſynecdochicôs omnem illicitam Venerem intelligit. Quanta ſit huius vitij grauitas lege 1. Corinth. 6.

Prauitate. Πονηρία Græcè, quæ proprie eſt ſtudium malefaciendi, & magis ad actu͂ refertur quàm ad habitum.

Auaricia. Latius patet vox πλεονεξία, quàm Latinè auaricia: Nam præter auariciam complectitur fraudulentas & aſtutas artes, præcipuum in quauis re quærendi, ſiue in laboribus, ſiue in lucris, ſiue in honoribus. Vnde πλεονεκτικοὶ dicuntur qui hoc vitio laborant.

Malicia. Hæc animi habitus eſt, virtuti co͂trarius.

Pleni inuidia, cæde, contentione, dolo. Fructus hi ſunt maliciæ animi, ex malicia oritur inuidia, hæc cædem parit & dolu͂, qui eſt co͂tentionis origo.

Peruerſitate. Κακοήθεια Græcè eſt vitium multis innatum, quo fit vt omnia in deteriorem partem accipiant, hoc eſt ſtudium calumniandi & deprauandi rectè facta, & opponitur candori.

Suſurrones. Hi ſunt qui clanculum aliorum vitam rodunt, & ſemina diſcordiarum inter homines ſpargunt.

Obtrectatores. Verbo græco ſignificantur omnes, qui maledicendi laborant morbo, & linguam effrenem in abſentes ſtringunt.

Dei oſores. Hoc eſt: Palam in Deum blaſphemi, qualis Senacherib fuit, & multi omnibus temporibus.

Contumelioſi. Græcè ὑβρισαὶ, qui alijs violenter iniuriam inferunt.

Superbi, glorioſi. Hæ duæ voces apud Græcos ita diſtinguuntur, vt ὑπερήφανος ſit, qui de donis ſuis quæ habet gloriatur, & propter ea vult alijs videri ſuperior & melior. ἀλάζων vero, qui falſo gloriatur & iactat ſe ea habere, quæ no͂ habet, qualis Thraſo Terentianus fuit.

Inuentores malorum. Hoc eſt, aſtuti ad inuenienda noua aucupia, quales ſunt adulatores principum, qui immodicas expilationes excogitant, & noua grauamina publicæ vtilitatis prætextu ſubditis imponunt.

Parentibus immorigeri. Hoc eſt, ſuperioribus nec debitam reuerentiam nec gratitudinem referentes, ſed potius aduerſus eos contumaces.

Intelligentiæ expertes. Hoc eſt, inſipientes vel minime ad comprehendendum apti, vt ſupra ἀσύνετος καρδία dicitur cor imprudenter ratiocinans ſeu minime aptum ad comprehendendum aliquid.

Fœdifragi. Etſi συνθήκη generaliter pro quolibet

bet pacto accipitur, proprijſsime tamen eſt pactum quo lites componuntur, & offenſi in gratiam redeunt, vnde ἀσύνθετοι dicuntur, qui pacta violant, & furioſe vlciſcendi libidine inflammantur.

Caritatis expertes.

Hoc eſt, qui vacui naturalibus ſtorgis, quibus ſe mutuo complecti maritus & vxor, parentes & liberi atque amici deberent, inſtar beſtiarum ſe inuicem petunt.

Implacabilcs.

Hoc eſt, qui nec legibus nec pactis, ſed affectibus ſe regi permittunt.

Immiſericordes.

Hoc eſt, qui non ſolum in afflictos nulla tanguntur miſericordia, verũ etiam ſunt in illos crudeles, afflictis addentes afflictionem.

Qui cũ ius Dei nouerint, (nempe, quod qui talia faciunt, digni ſunt morte) non ſolũ ea faciunt, verumetiam aſſentiuntur ijs qui talia faciunt.

Exaggeratio eſt grauiſsima flagitiorum, quorum Paulus gentes reas peragit, quæ hoc ſyllogiſmo concluditur, Qui norunt ius Dei, & non ſolùm ipſi contra faciunt, ſed etiam contra facientibus aſſentiuntut, vere ſunt iniuſti, iure damnabiles, & morte digni. Gentes norunt ius Dei, & non ſolum ipſæ contra faciunt, verumetiam contra facientibus aſſentiuntur. Proinde, Gentes verè impiæ ſunt iure damnabiles, & morte dignæ. Quid autẽ hîc aſſentiri ſignificet, ex Grȩco petendum eſt. Dicuntur autem συνδοκοῦντες, qui apud ſe & in ſuo animo cõprobant, quo afficiuntur & veluti titillantur. Significat ergo Paulus gentes, quȩ non externam illam turpitudinem perpetrarunt de qua locutus eſt, ijſdem tamen inclinationibus fuiſſe obnoxias. Quapropter merito coram tribunali Dei reas eſſe eorundem flagitiorum. Ex hac pericopa tria colligamus. Primum, noticiam naturalẽ de honeſtis actionibus & contrarijs inſitam eſſe hominibus diuinitus, quod ſignificat Paulus dum legem naturæ ſeu ius gentium δικαίωμα τοῦ θεοῦ appellat. Secundum, iudicium cõſcientiæ approbantis honeſte facta & damnantis contraria, eſſe iudicium diuinum. Tertium, Hominum horrendã deprauationem, qua non ſolum ruunt in ea, quæ norunt à Deo prohibita eſſe, verumetiam exemplo delectantur peccantiũ, eſſe maximam & præcipuam cauſſam ac veluti pabulum graſſantium ſcelerum.

CAPVT II.

Summa Capitis ſecundi.

Vt reos peragit Apoſtolus eos qui alios iudicant & reprehendunt, ita iudicium Dei, quod Deus ipſe abſq; perſonarum acceptione exercet, in omnes iuſtum eſſe declarat. & ſicuti gentes fruſtra confugêre ad ignorantiæ prætextum, Ita Iudæos, vtut magnificè de lege & circumciſione gloriantur, reos eſſe firmis conuincit demonſtrationibus.

Ordo & partes Capitis ſecundi.

Quatuor ſunt huius capitis partes eundem ſcopũ ſpectantes: nimirum, quod totum genus humanum reum ſit coram Deo. Harum Prima eſt, illatio ex principio in fine primi poſito: videlicet quod noſcentes ius Dei, & nihilominus contra facientes ſint inexcuſabiles. horum cum ſit duplex genus, Alij enim aperte legem violant flagitioſa vita, Alij foris quidem ſpecioſi ſunt & reprehendunt alios, cum tamen illorum affectus ſunt impuri: contra primum genus egit in fine primi capitis, aduerſus alterum in principio huius ſecundi acturus. Secunda pars continet argumentum à iuſto Dei iudicio ſumtum, qui reddit vnicuique iuxta opera ſua. Tertia pars deprimit Iudæorum ſupercilium: qui etſi legis erant tranſgreſſores, de lege tamen non parum gloriabantur. Quarta πρόληψιν habet, qua gloriationem de circumciſione amouet, oſtendens non externum Iudæum, ſed internum laudem habere apud Deum.

EXEGE-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVAPROPTER inexcuſabilis es ô homo quiſquis es qui iudicas.

Dixit duo genera hominum ex vno principio damnari. Principium hoc eſt: Noſcentes ius Dei nihilominus contra facientes ſunt inexcuſabiles. Primum genus hominum eorum eſt, qui non ſolum manifeſtis flagitijs ſe polluunt, verumetiam aſſentiuntur peccantibus. Alterum genus eſt eorum, qui externe iuſti apparent, & flagitioſos damnant, cum tamen mentem ſceleratam gerunt. Ex principio itaque propoſito aduerſus hoc ſecundum genus ſic colligit: Qui nouit ius Dei, & nihilominus contra facit, eſt inexcuſabilis. Tu homo quiſquis iudicas, id eſt, reprehendis & damnas alios tanquam legis diuinæ præuaricatores, noſti ius Dei & contra facis. Proinde es inexcuſabilis quiſquis alios iudicas. Obſeruetur hoc loco quod non ſolum rei ſint coram Deo qui flagitijs externis polluti ſunt, verumetiã hypocritæ, qui externam ſimulant ſanctitatem, cum interim fide, qua ſola corda purificantur, vacui ſint.

Nam hoc ipſo quod iudicas alterum, teipſum condemnas, eadem enim facis qui iudicas.

Propoſitionem quã intulit ex principio poſito, nouis rationibus confirmat, & ſumitur prima ratio à cauſſa ad effectũ, quæ hoc pacto colligitur: Qui iudicando alium, ſeipſum condemnat, eſt inexcuſabilis, Tu quiſquis alios iudicas, iudicando alios teipſum condemnas. Igitur quiſquis iudicas, es inexcuſabilis. Minor confirmatur. Quia eadem ipſe facis qui alios iudicas. Iam autem cum nemo non videt eum qui damnat in alijs quod ipſe perpetrat, ſeipſum condemnare: ſequitur quod hypocritæ, quorum mens & conſcientia polluta eſt, ſeipſos condemnant, ſententiam damnationis ferentes aduerſus eos, qui externis ſceleribus ſunt polluti. Hæc cum ad conſcientias hominũ pertinent, coram tribunali Dei non tollunt iudicia ciuilia, in quibus condemnantur flagitioſi & legum ciuilium transgreſſores.

Nouimus vero quod iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt.

Quia probatio minoris proximæ rationis (quæ eſt, eadem enim facis qui iudicas) poterat ab hypocritis negari, cum eorum vita externa ſit irreprehenſibilis, prouocat Apoſtolus ab externa larua ad iudicium Dei: quod ſane cum verum ſit & iuſtum, non poteſt fallere. Hinc ergo in hunc modum colligit: Iudicium Dei tantum exercetur in reos. Eſt enim iuſtus iudex. Iudicium Dei exercetur in hypocritas. Igitur hypocritæ ſunt rei, id eſt, ea faciunt motibus cordis quæ damnant in alijs. Maior cum aſſeueratione ponitur tanquã ab omnibus confeſſa. Nam ſi illa vera non eſſet, ſequeretur maxima abſurditas, videlicet quod Deus eſſet iniquus & iniuſtus iudex.

Putas autem ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis eadem, quod tu effugies iudicium Dei?

Procatalepſis eſt. Nam cum hypocritæ ex proximo argumento poterãt contra Paulum excipere hoc modo: Tu Paule dicis iudicium Dei exerceri in eos qui talia agunt, at in nos non exercetur iudicium Dei, Quare vel tuo proprio teſtimonio rei non ſumus. Paulus anticipans hanc obiectionem, aſſerit iudicium Dei manere ratum, etiamſi ad tempus differatur. Hic proinde locus nos admoneat timoris Dei, ne propter dilatas pœnas accerſamus nobis maiorem condemnationem. Hîc locum habet illud Valerij Maximi: Lento quidem gradu ad vindictam ſui diuina ꝓcedit ira, ſed tarditatem grauitate ſupplicij compenſat.

An diuitias benignitatis illius ac tolerantiæ lenitatiſque contemnis, ignorans quod benignitas Dei te ad pœnitentiam inuitat.

Translatio cauſſæ eſt, ac ſi diceret: Tu putas ô hypocrita, quod tua innocẽtia cauſſa ſit, quod aduerſus te Deus ſuũ iudicium non exerceat, ſed erras. Nam benignitas Dei inuitantis te ad pœnitentiam differt iudicium, vt tibi pœnitentiæ locum relinquat. Obſeruandus hic locus inprimis eſt, quod dilatio pœnæ ſit inuitatio ad pœnitentiam, quæ habet cauſſam benignitatem Dei erga homines.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sed iuxta duriciem tuam & cor pœnitere neſcium theſaurizas tibijpſi iram in diem iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.

Ne quis lenitate Dei abutatur ad peccandum, addit comminationem de futuris pœnis, niſi anteuertantur pœnitentia. Obſerua hoc loco ex dilatione pœnitentiæ cor obdureſcere, vt tandem cor neſciat pœnitere, vnde cumulantur peccata tanquam theſaurus peſsimus, quo veluti comparantur æternæ pœnæ. Imitemur itaque exemplum diui Hieronymi, qui hac cogitatione ſe in timore Dei continebat. Siue, inquit, comedam, ſiue bibam, ſiue aliquid aliud faciam, ſemper vox illa videtur ſonare in auribus meis: Surgite mortui & venite ad iudicium. Obſeruetur & hoc, quod duratio cordis non à Deo ſit, ſed ab homine ipſo, quę creſcit peccandi conſuetudine: Auferam (inquit Dominus) cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.

Qui reddet vnicuique ſecundum opera ipſius.

Quia Apoſtolus prouocauit ad iudicium Dei, exponit qualiſnam feretur ſententia quando ſiſtemur coram iuſti iudicis tribunali. tunc, inquit, iuſtiſsimus iudex abſq; perſonarum acceptione reddet vnicuique ſecundum opera ipſius. Pontificij hunc locum torquent aduerſus gratuitam fidei iuſtificationē, hoc modo: Paulus dicit: Deus in extremo iudicio reddet vnicuiq; iuxta opera ſua. Igitur, Operibus iuſtificamur. Sed falluntur, facientes ex non cauſſa cauſſam. Exiſtimant enim Paulum hoc loco opera, cauſſas ac merita ſeu formale, vt ipſi loquuntur, iuſtificationis ſtatuere. Verum illi facile refutantur, Primum enim iſta Sophiſtarum interpretatio pugnat cum præſentis loci ſcopo & periſtaſi. Tota enim hæc diſputatio ſuſcepta eſt, vt conuincat omnes homines reos eſſe peccati, quo iuſticiam, quæ eſt ex fide, ſciamus vnicam eſſe qua conſiſtere coram Deo poſsimus. Deinde vim vocabulorum quibus Paulus vtitur, non recte conſiderant. Paulus enim dicit ἀποδώσει, non ἀντιδώσει. Vt autem ἀποδοῦναι ſignificat abunde reddere. ἀπὸ enim in compoſitione ſæpe epitaſin ſignificationis eius vocis, cui additur, ſignificat: ita ἀντιδοῦναι ſignificat condignam mercedem operibus reddere. Deinde ſecundum opera non ſignificat pro dignitate operum vel iuxta operum merita, ſed iuxta qualitatem operum, quæ ſi bona ſunt teſtantur de fide, ſin mala diffidentię & impœnitentis cordis ſunt indicia, Quare cum Deus dicitur redditurus eſſe cuique ſecundum opera, ſignificatur, quod Deus redditurus ſit iuxta opera, quatenus ſunt teſtimonia vel fidei vel diffidentiæ, non quatenus ſunt vel merita vel cauſſa vel formale iuſtificationis. Præterea iuſticiarij vel hoc dilemmate refutari poſſunt. Propoſitio, Homines iuſtificantur operibus, vel de non regeneratis, vel de regeneratis intelligenda eſt. De non regeneratis ſcriptum eſt: Quod ira Dei de cœlo aduerſus eos reueletur. Item qui nō credit in filiū, manet ira Dei ſuper eum. Item, impoſsibile eſt placere Deo ſine fide. De regeneratis autem hoc conſtat, quod ipſis vita æterna contingat ex ſolo dono Dei. Ita enim Paulus ait: Donum Dei vita æterna per Ieſum Chriſtum. Idem teſtatur legem fidei excludere gloriationem, & pronunciat de Abrahamo (cuius exemplo omnes alij iuſtificantur) quod non habeat de quo glorietur coram Deo. Firmum itaque hoc principium teneamus, quod ſolus Chriſtus noſtra ſit iuſticia coram Deo, cuius ſpiritu donati ſanctificamur: quæ ſanctificatio cum innouatio vitæ ſit, teſtimonium erit fidei noſtrę in extremo die, iuxta quod teſtimonium ſententiam feret iuſtus iudex.

Iis quidem qui perſeuerantes in benefaciendo gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, vitam æternam: Contentioſis vero & inobœdientibus quidem veritati, obœdientibus vero iniuſticiæ, indignatio & ira.

Diſtributio eſt generis propoſiti. Dixit Deum redditurum eſſe vnicuique iuxta ſua facta: nunc duobus generibus hominum, hoc eſt, bonis & malis ſententiam generalem accōmodat. Bonis, inquit, reddet Dominus vitam æternam, malis indignatio & ira (quibus ſupplicia æterna ſignificantur) reddetur. In vtroque membro operum cauſſas ponit. in bonis ſtudium quærendi gloriam & honorem & immortalitatem: quæ quia quæri nequeunt ſine fide in Chriſtum, aperte ſignificat Apoſtolus, ſe loqui de operibus quæ fidei fructus ſunt & teſtimonia. In malis ponit contentionem, quæ facit vt perpetuo hæſitent & veritati ſe opponant & iniuſticiæ, hoc eſt, ſenſui carnis ſe accommodent. Atque ita aperte cauſſas malorum operum contentionem & diffidentiam facit. Hinc rurſus manifeſtum eſt, quod

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Deus iudicaturus ſit ſecundum opera, quatenus ſunt vel fidei vel diffidentiæ teſtimonia. hinc, vt ait Chryſoſtomus, diſcas, quod lapſus ſit προαιρέσεως nulla neceſsitatis culpa.

Afflictio & anxietas aduerſus omnem animam perpetrantis malum cum Iudæi inprimis tum & Græci. Gloria vero & honor & pax omni operanti bonum, tum Iudæo inprimis tum & Græco.

Repetitio diſtributionis per exaggerationem, ac ſi dicat: Quæ dico de retributione bonorum & malorum operum, ad omnes homines ita pertinere pronuncio, vt ne vnum quidem excipi velim de toto humano genere, quin huic Dei iuſtiſsimo ſubijciatur iudicio. Hæc eò pertinent, vt ſeriò cogitemus de æqualitate, quam ſeruabit iuſtiſsimus iudex, deque futuro iudicio, quod nemo euadere poterit. Deinde, vt agamus peccatorum pœnitentiam, & pœnitentia dignos fructus edamus, ſecundum quos pronunciabit iuſtus iudex: niſi malimus cum hoſtibus Chriſti æternum perire. Hîc rurſus reuocemus in memoriam principium illud, quod vita æterna ſit donum Dei per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum. Præterea teneatur hæc regula: Quod Deus det præmia non propter dignitatem operum ex debito, ſed propter ſuam paternam promiſsionem ex gratia, neq; enim vlla proportio eſſe poteſt bonorum operum & vitæ æternæ. Quare falluntur qui hoc Pauli dictum torquent contra gratuitam iuſtificationem & ſalutem. Falluntur & illi, qui fidē iactant ſine vera reſipiſcentia, quæ eſt mutatio prioris & meditatio nouæ per mortificationem & viuificationem.

Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum.

Ratio iuſticiæ diuinæ in iudicando, ſumta ab officio iuſti iudicis, apud quem non eſt προσωποληψία. Eſt autem προσωποληψία talis perſonarum reſpectus, quo iudex magis vni quàm alteri fauet, non ob cauſſæ, ſed perſonæ diſcrimen. Hæc enim duo offeruntur iudici, perſona & cauſſa. Iuſtus iudex perſonam non reſpiciens, cauſſam examinat, & iuxta eius qualitatem iudicat de homine. Contra, iniuſtus iudex cauſſam non reſpiciens, perſonam intuetur, & prout erga eam affectus eſt, de homine iudicat. Argumentum Apoſtoli hac forma concludi poteſt: Omnis iudex qui non eſt perſonarum acceptor, reddit vnicuique ſecundum facta ſua. Deus iudex non eſt perſonarum acceptor. Ergo Deus reddit vnicuique ſecundum facta ſua.

Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege etiam peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

Quod apud Deum non ſit acceptio perſonarum probat ab euentu iudicij, in quo Deus reddet omnibus peccatoribus iuxta ſua facta, interitum & damnationem. Hoc eſt, Deus ſine diſcrimine puniet omnes peccatores, ſiue ſunt gentes, quæ ſcriptam legem non habent, ſiue ſunt Iudæi, qui legem à Deo acceperunt. Proinde apud Deum non eſt acceptio perſonarum.

Non enim auditores legis iuſti apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.

Ætiologia eſt poſterioris partis diſtributionis à remotione non cauſſæ & aſsignatione veræ cauſſæ iuſticiæ, iuxta quam iuſtus iudex feret ſententiam. Audire, inquit, legem, non eſt iuſticia, ſed præſtare factis legem, eſt iuſtitia. Quare non qui audiunt legem, ſed qui legem præſtant, iuſtificantur. Hunc Pauli locum Papiſtæ torquent, & eius præſidio euertere conantur gratuitam iuſtificationem, quam prædicat Euangelium. Horum opinionem Primum refutat loci præſentis periſtaſis Nam cum Paulus in hac longa contentione hunc vnicum ſcopum habeat, vt oſtendat neminem operibus iuſtificari poſſe, perperam faciunt qui verba Pauli in alienam torquent ſententiam, ex diametro pugnantē cum mente Pauli & diſputationis ſerie. Deinde deberent Papiſtæ animaduertere, quod Paulus hîc non quenquam facere legem pronunciet, ſed ſub conditione loquatur implicita. Veriſsimum quidē eſt factores legis iuſtificari, ſi tales vlli inueniuntur. Scriptum eſt enim: Qui fecerit ea homo viuet in eis. Quod autem ſub tali conditione loquatur Apoſtolus, conuincitur etiam ex cōcluſione huius contentionis, quæ concluſio eſt in tertio capite his verbis: Ex operibus ergo legis non iuſtificabitur omnis caro coram Deo. Præterea tenendum eſt diſcrimen duplicis

iuſtificationis, quod Paulus in quarto huius epiſtolæ tradidit. Eſt enim Quædam iuſtificatio debita, vt quæ ſequitur obœdientiam legis vt debitum, Quædam eſt gratuita, vt quæ ex gratia imputatur credenti. Iam quoniam illam quæ ex debito eſt, de qua hoc loco diſſerit Apoſtolus, nemo mortalium habet: Euangelium proponit iuſtificationem gratuitam, de qua in fine tertij capitis, & in quarto & in quinto agitur. Nos igitur iuxta Pauli mentem ſic ratiocinemur ex præſenti loco: Soli factores legis iuſtificantur coram Deo ex debito. Sed nulli ſunt factores legis. Igitur, Nulli ex debito iuſtificari poſſunt. Eſt proinde opus alia iuſtificatione, nempe gratuita, quæ fide accipitur. Ad hoc enim argumentum tota præſens diſputatio pertinet. Cæterum quia cum gentes tum Iudæi habebant, quod contra obijcerent, Paulus prudenter cogitans, anteuertit vtrorumque obiectiones, eaſque diluit. Ac primum quod gentes nihil habeant quod iure prætendant, oſtendit hiſce verbis:

Nam cum gentes quæ legem non habent, natura quæ legis ſunt faciant, iſti legem non habentes, ſibijpſis ſunt lex.

Anteuertit obiectionem gentium, quæ ex eo excuſationem petere poterant, quod vt Iudæi non haberent legem ſibi diuinitus impoſitam. Verum harum excuſationem tribus refellit argumentis, quorũ Primum ab effectibus, Medium, à ſigno, Poſtremum à conſcientiæ iudicio ſumtum eſt. Primum huiuſmodi eſt: Gentes quæ legis ſunt, natura (hoc eſt, naturali inſtinctu & intelligentia) faciunt. Ergo gentes legem habent, etſi non ſcriptam, impreſſam tamen mentibus diuinitus. Quare ipſis vice legis naturalis intelligentia eſſe debet. Sed quid eſt, quod dicit gentes legem non habentes quæ legis ſunt facere? Apoſtolus hîc non loquitur de plena obœdientia erga legem, ſed tantum de operibus quibuſdam externis, quæ in oculos hominum incurrunt, & tantum ad externam diſciplinam pertinent, quæ aliunde proficiſci non potuerunt, quàm à naturali legis intelligentia.

Vt qui oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.

Secundum argumentum quod dixi à ſigno ſumtum. Gentes manifeſte oſtendunt opus legis ſcriptum eſſe in cordibus ſuis. Igitur fruſtra prætendunt ignorantiam. Sed quodnam eſt opus iſtud legis, & qualiſnam illa operis oſtenſio? Opus legis eſt agnitum Deum colere, & iuſticiam inter homines non violare. Hoc legis opus in ſuis cordibus ſcriptum oſtendunt gentes, quando religiones inſtituunt, & quando puniunt iniuſticiam, quæ ſanè facta euidenter indicant, hominibus naturaliter impreſſam noticiam quandam eſſe, de Deo colendo, & naturalem quendam affectum de iuſticia inter homines ſeruanda.

Simul atteſtante illorum conſcientia & cogitationibus inter ſe accuſantibus aut etiam excuſantibus.

Tertium argumentum à iudicio conſcientiæ cuiuſque petitum: quod ſanè iudicium cum Dei ſit, infallibile eſt & immotum. Conſcientia in gentibus vt facta iuxta legem approbat: ita contra legem perpetrata accuſat. Igitur gentes noticiam legis naturaliter ſibi impreſſam habent. Hic obſeruemus Primum, quod conſcientia cuiuſque præbeat teſtimonium legi diuinæ mentibus hominum diuinitus impreſſę. Deinde, quænam ſit vera ratio conſcientiæ indicatur. Definitur enim hîc conſcientia, quod ſit cogitatio ſeu iudicium mentis damnans aut accuſans nos. Conſcientia enim eſt motus cordis cum ſcientia facti naturaliter coniunctus. Ab hac copula, videlicet motus cordis & ſcientiæ facti, conſcientiæ nomen factum eſt. Verum quia vt facta ſunt duplicia, bona videlicet ac mala, ſeu congruentia cum lege & pugnantia cum lege: ita motus cordis ſunt duplices, nempe læticia quæ comitatur recte facta, & triſticia quæ ex male factis naſcitur: fit vt alia dicatur conſcientia bona, alia mala. Vt bona quidem ſit iucundus motus cordis coniunctus cum ſcientia recti facti, mala verò ſit motus cordis crucians ſeu triſtis, cum ſcientia praui facti coniunctus.

In die quando iudicabit Dominus occulta hominum (ſecundum Euangelium meum) per Ieſum Chriſtum.

Dixit fore, vt qui lege peccarunt, per legem damnentur, iam circumſtantiam temporis addit propter hypocritas, qui ſecure viuentes contemnunt

temnunt iudicium, & occultam cordis impuritatem tegunt hypocriſi: quæ impuritas pateſiet omnium creaturarum conſpectui, quando Dominus iudex mortuorum & viuorũ ad iudicandum venerit. Cum autem dicit: Secundum Euangelium meum, ſignificat partem Euangelicæ prædicationis eſſe, ſicuti & ſymbolum noſtrum teſtatur, prædicare Chriſtum eſſe iudicem viuorum & mortuorum. Suum hoc Euangelium vocat Apoſtolus, non quod eius autor ſit, ſed quod ſit præco & Apoſtolus ad prædicandum Euangelium diuinitus vocatus.

Ecce tu cognominaris Iudæus.

Dilutio ſeu refutatio ſecundi præiudicij eſt, quod cauſſæ ſuæ aduerſari animaduertit Apoſtolus. Ingreditur autem huius præiudicij refutationem conceſsionis ſchemate, enumerans ea quibus maximè confidebant Iudæi. Deinde oſtendit aperte eos nihilo meliores eſſe factos. Summa autem huc redit: Iudæi vtut de lege glorientur, non tamen ſunt iuſti lege. Sed ſunt & iſti peccatores acrei, non minus quàm gentes. Particula (ECCE) Iudæos placide indormientes legi, excitat, vt apertum & proximum periculum cernant.

Cognominaris Iudæus.

Hoc eſt, Ex eo ſuperbis quod ſis in populo Dei peculiari, & veluti domeſticus Dei: quod ſane magnum eſſe non inficior, modo te tali familia dignum præſtiteris. Obſerua quod non titulus, ſed fides pium ab impio diſcernat.

Et acquieſcis in lege.

Hoc eſt, Delectaris in eo, quod Deus tibi legem dederit, idq; in contemtum gentium facis, Deuteron. 4. dicitur: Quæ eſt gens cui ſunt leges, vt eſt gens iſta. Et Pſal. 147. Annunciauit verbum ſuum Iacob; iuſticias & iudicia ſua Iſrael, non fecit taliter omni nationi.

Et gloriaris in Deo.

Hoc eſt, Deum tuum eſſe prædicas, idque vanæ oſtentationis cauſa, ſine viua in ipſum fiducia.

Et noſti eius voluntatem.

Quæ ſcilicet in lege ipſius cernitur.

Et probas eximia, inſtitutus ex lege.

Hoc eſt, lege Dei edoctus iudicium habes de diſcrimine eorum quę excellunt, & quæ minus excellunt. Hîc enim probandi verbum non ad approbationem; ſed tantum ad iudicium refertur. Nam duplex eſt vſus verbi δοκιμάζειν. Aliâs enim ſignificat explorare rem aliquam, aliâs rem exploratam approbare, illud iudicij, hoc proæreſeos eſt. Vox κατηχούμενος ſatis nota eſt, & dicitur à κατηχεῖν, quod eſt voce doctrinam aliquam tradere.

Confidiſque te ducem eſſe cæcorum, lucem eorum qui ſunt in tenebris, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem informationem cognitionis & veritatis in lege.

Exaggerat ea quæ dixerat, vt magis ſupercilium Iudæorum deprimat; eandem ſententiam alijs atque alijs figuris repetens. Per formam ſeu informationem, intelligit rationem methodicam inſtruendi alios in cognitione legis, quam & Timotheo ſuo commendat Apoſtolus. Nam in docendo qui certam rationem non tenet, non tam docere quàm dedocere cenſendus eſt.

Qui igitur doces alium, te ipſum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, ſacrilegium committis? Qui in lege gloriaris, per tranſgreſsionem Deum inhonoras?

Retorquet in Iudæos illud ipſum, de quo maxime gloriari ſolebant, hoc argumento? Quicunque legem habent, eamque docent alios, ipſi tamen eandem non præſtant, iniuſti ſunt, & fruſtra legem prætendunt. Iudæi legem habent, eamque docent alios, ipſi tamen eandem non præſtant. Igitur, Iudæi ſunt iniuſti, & fruſtra legem prætendunt. Sola minor ponitur, idque interrogatiuè, vt acrior ſit oratio, & magis hypocritas pungat. Minori ſubijcit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

probationem duplicem. Primum aſſerit eos violare ſecundam tabulam furto & adulterio. Deinde primam ſacrilegio & contumelia, qua læditur honor & gloria Dei. Cum Iudæos reos peragit furti, adulterij, ſacrilegij ac contumeliæ, non externa reſpicit facta præcipue, ſed magis internam cordis impuritatem, vnde externa facta vt effectus impuri cordis proueniunt.

Nam nomen Dei propter vos blaſphematur inter gentes, ſicuti ſcriptum eſt.

Quod in extremo loco in probatione minoris poſuit, non recipiebatur à Iudæis. Igitur adiungit confirmationem ex capite 52. Eſaiæ, & 36. Ezechielis. Eſaias enim ait: Iugiter toto die nomen meum blaſphematur. Et Ezechiel: Nomen meum ſanctum polluiſtis in gentibus ad quas intraſtis. Quid autem ſit blaſphemare nomen Dei, ex antitheſi ſic collige: Sanctificat nomen Dei qui pie de Deo loquitur & ſentit, qui vero cultu Deum colit, qui ſanctimonia vitæ alios ad pietatem inuitat. Proinde is dicitur blaſphemare nomen Dei, qui vel impie de Deo loquitur & ſentit, vel ſuperſtitioſis cultibus Deum colit, vel vitæ impuritate alios à confeſsione auocat. Vocabulum blaſphemiæ Græcum eſt, & dicitur à βλάπτω noceo, & φήμη fama. Eſt ergo blaſphemia omne id, quo nomen & fama Dei læditur inter homines, cuius tria genera poſuit, videlicet, Erroneam doctrinam, Superſtitioſum cultum, & Impuram vitam. Obſeruetur hoc loco diligentiſsime, quòd ſpiritus Dei in Paulo pronunciet blaſphemiam & contumeliam Dei eſſe, ſi quis ſibi locum vendicat in populo & familia Dei ſancta, qui ſceleſtam degit vitam.

Nam circumciſio quidem prodeſt, ſi legem ſeruaueris, Quod ſi transgreſſor legis fueris, circumciſio tua in præputium verſa eſt.

Anticipat obiectionem Iudæorum, qui meritis nitebantur externorum cultuum, & præcipuè circumciſionis. Nam aduerſus exæquationem Iudæorum & gentium ita ratiocinabantur Iudæi: Si nihil eſt diſcriminis inter Iudæum circumciſum, & gentilem incircumciſum, inutiliter profecto videtur à Domino Iudaico populo circumciſio commendata. Quod ſane cum abſurdum ſit, non eſt affirmanda Iudæorum & gentium exæquatio. Paulus reſpondet primum per conceſsionem, cui mox ſubiungit correctionem. Circumciſio, inquiens, prodeſt quidem, ſi legem ſeruaris. Hæc conceſsio eſt. Sequitur correctio. Quod ſi transgreſſor fueris legis, circumciſio tua pro præputio reputabitur. Cæterum hîc duæ quæſtiones excutiendæ ſunt: Vna, cur dicat Paulus circumciſionem vtilem eſſe, cum aliàs manifeſte contradicat. Altera, cur requirat obſeruationem legis, vt circumciſio proſit, cum conſtet, legi neminem poſſe ſatisfacere. Ad Priorem quæſtionem ita reſpondendum eſt: Circumciſio ſuo tempore profuit, non vt cultus per ſe, ſed vt teſtimonium & ſignaculum externum fauoris Dei, ſymbolum vitæ & teſſera quædã profeſsionis. Loquitur igitur Paulus de circumciſionis natura, qualis erat antequam eſt per Chriſti mortem abolita. Ad poſteriorem quæſtionem dico, quod lex circumciſionis peculiaris, quæ circumciſis data fuit, de qua hîc loquitur Paulus. Hæc requirebat fidem promiſsionis, videlicet quod Deus in ſemine Abrahæ, hoc eſt, in Chriſto velit benedicere eis, qui in ſemen Abrahæ fiduciam collocant. Requirebat præterea ex fide obœdientiam, quæ tametſi perfecta non erat, placuit tamen propter fidem in promiſſum Abrahæ ſemen. Hæc interpretatio ſumta eſt ex 17. & 22. cap. Geneſ. Hinc vniuerſalem doctrinam petamus de Sacramentis noſtris, de quibus fruſtra gloriantur qui legem eorum non ſeruant. Baptiſmus quidẽ prodeſt, prodeſt & ſacra Cœna, Sed ſi legem baptiſmi, ſi legem Cœnæ ſeruaueris, hoc eſt, Si credideris in Chriſtum, ſi pœnitentiam ſeriam egeris, ſi Deo ex fide obœdientiam præſtiteris. At ſi tranſgreſſor fueris legis Baptiſmi, ſi violaueris legem Cœnæ, vt baptiſmus tuus ſit tibi immundicia, ita cœna tua profana tibi redditur. Ruit igitur opinio eorum, qui vſu Sacramentorum ſe iuſtificari putant, & meliores eſſe alijs, niſi viua in Chriſtum fiducia accedat.

Ergo ſi præputium iuſticias legis cuſtodiat, nonne præputium ipſius pro circumciſione reputabitur? & iudicabit quod eſt ex natura præputium, ſi legem ſeruauerit te qui per literam & circumciſionem transgreſſor es legis.

Ex ratione poſita infert exæquationem Iudæorum & gentiũ, & prærogatiuam externi ſigni tollit. Quia autem phraſis Hebraica paulò eſt obſcurior, hanc pericopam periphrasticôs reddam, hoc modo: Si gentilis legem circumciſionis, quæ eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

eſt promiſsioni gratuitæ credere, & ex fide Deo obœdire, fecerit, cenſebitur in populo Dei circumciſus, & damnabit ſuo honeſto exemplo ac vitæ innocentia Iudæum, qui de externa legis ceremonia gloriatur, ſine viua fide & obœdientia erga Deum. Hic ſenſus eſt huius pericopæ. Nunc vocabula quædam explicemus. Antanaclaſis eſt in voce Præputij, ter repetita. Nam extremis locis metonymicôs pro ſubiecto ſumitur, hoc eſt, pro homine habente præputium, medio loco proprie accipitur, & carnis opponitur circumciſioni. Deinde cum dicit, per literam & circumciſionem, hendiadis eſt, vocat enim literam & circumciſionem literalem, & externam circumciſionem, ſine vera hominis conuerſione.

Non enim qui eſt in aperto Iudæus, is Iudæus eſt, nec quæ in aperto eſt circumciſio in carne, ea eſt circumciſio, ſed qui eſt in occulto Iudæus, & circumciſio cordis in ſpiritu non litera, cuius laus non ex hominibus eſt, ſed ex Deo.

Ratio exæquationis Iudæorum & gentium à differentia veri & falſi, ſeu externi & occulti Iudæi, similiter à differentia carnalis ſeu literalis & ſpiritualis circumciſionis, quæ & cordis dicitur. Senſus autem huius loci eſt: Qui tantum profeſsione externa & nuncupatione eſt Iudæus, non coram Dei iudicio cenſetur Iudæus, ſed is ſolus quacunque tandem de ſtirpe fuerit, qui & fidem promiſsionis habet, & Deum ex fide vera obœdientia colit. Eadem eſt ratio literalis & ſpiritualis circumciſionis. Literalis, quæ & carnis dicitur, eſt ea ſolummodo quæ fit in corpore, Spiritualis vero, quæ & cordis dicitur, eſt quæ in fide purificante corda & amputante veterem hominem conſiſtit. Non eſt igitur verus Iudæus qui eſt litera tantum Iudæus, non eſt circumciſio vera, quæ eſt litera tantum circumciſio. Sed vt verus Iudæus eſt qui eſt ſpiritu Indæus: ita vera circumciſio eſt quæ ſpiritu fit. Vt litera hoc loco ſignificat, quicquid foris apparet ſine vera animi pietate: ita ſpiritus ſignificat motũ Spiritus ſancti in corde, & puram religionem, quæ eſt fides cum vero Dei timore coniuncta. Quod autem dicitur: Cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt, opponitur peruerſo Iudæorum iudicio, qui externa circumciſione tumebant, cum interim de vera cordis circumciſione nihil erant ſoliciti. Quæ hîc à Paulo de Iudæo & circumciſione diſputantur, rectiſsime multis hodie accõmodari poſſunt, qui de Sacramentis ac Chriſtiano titulo ſine animi pietate Thraſonicè gloriantur. Iis enim rectè obijci poteſt: non qui eſt in aperto Chriſtianus, is Chriſtianus eſt: nec qui eſt in aperto tantum baptiſmus, is baptiſmus eſt, ſed qui eſt in occulto Chriſtianus is Chriſtianus eſt, & baptiſmus cordis, quo conſcientiæ mũdantur ab operibus mortuis, verè eſt baptiſmus. Hæc nihil detrahunt dignitati Sacramentorum, nec veteris nec noui Teſtamenti, quemadmodum in quarto copioſius explicabitur.

CAPVT III.

Summa Capitis tertij.

Euerſa prærogatiua Iudæorum, exæquat Iudæos & gentes ex eo, quod omnes ſint ſub peccato: qua exæquatione confirmata, Propheticis teſtimonijs colligit concluſionem refutatoriam præiudiciorum, videlicet quod nemo nec Iudæus nec gentilis operibus legis iuſtificetur coram Deo. Deinde infert expoſitionem gratuitæ iuſtificationis quæ ex fide eſt, quam contractam in vnius propoſitionis ſummam; ad omnes homines Iudæos & gentes promiſcue pertinere contendit.

Ordo & partes Capitis tertij.

Partes huius capitis ſex conſtitui poſſunt, quarum Prima eſt conceſsio prærogatiuæ Iudæorum, quantum ſcilicet ad dona gratuita attinet. Secunda, eſt correctio in qua exæquat Iudæos & gentes, quantum ad merita attinet. Vtroſq; enim ſub peccato eſſe pronunciat. Tertia, eſt confirmatio ſecundæ per dicta Prophetica, ex quibus tota ſuperior diſputatio de reatu totius generis humani concluditur. Quarta, eſt expoſitio gratuitæ iuſtificationis circumſtantijs cauſarum & effectuũ illuſtrata. Quinta, collectio eſt expoſitionis in vnam propoſitionẽ, vnde infertur omnis gloriationis euerſio. Sexta, eſt oſtenſio amplitudinis gratuitæ iuſtificationis, videlicet quod promiſcuè pertineat ad omnes qui eam fide apprehendere non recuſant. Et

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ne quis exiſtimaret hac doctrina legem aboleri, pronunciat fide legem ſtabiliri.

EXEGESIS TERTII CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVID igitur habet in quo præcellat Iudæus? aut quæ vtilitas circumciſionis? Multum per omnem modum.

Hæc obiectio ex eo orta eſt, quod dixerat Apoſtolus in fine ſecundi capitis, Iudæos nihilo meliores gentibus eſſe propter externum titulum & circumciſionem carnis: quod quia Iudæi intolerabile iudicabant, confert duplicem ſententiam, videlicet quod Iudæi præſtent gentibus, & quod non præſtent. Præſtare quidem eos, ſi dona gratuita reſpicias. Non verò præſtare, ſi merita ſalutis ſpectes, affirmat. Vt enim vtrique ſimul rei ſunt, ita neutri habent merita quibus niti poſſunt coram tribunali Dei.

Nam primum quidem quia concredita ſunt illis oracula Dei.

Ratio reſponſionis, qua dixit præcellere Iudæos, ſumta à beneficijs Dei erga ipſos: Iudæis concredita ſunt oracula Dei, & non gentibus. Igitur Iudæi præcellunt gentibus. Græci diſtinguunt inter λόγια & χρησμούς. λόγια vocant oracula quæ à Deo dicuntur familiari ſermone, ſeu vt Græci loquuntur, καταλογάδην, id eſt, oratione ſoluta. χρησμοὺς autem appellant oracula verſibus edita, quos furentes vates fundebant, quales ſunt Apollinis. Intelligit igitur Paulus per oracula Dei, leges Dei, & promiſsiones Adamo primum, deinde ſequentibus patribus Abraham, Iſaac, Iacob, & multis alijs factas. Hoc loco obſerua collationem Iudæorum & Chriſtianorum. Nam vt Iudæis prærogatiua, qua tumebant aduerſus gentes, ipſis inutilis erat ſine vera animi pietate, ita & Chriſtianis hodie inutilis eſt prærogatiua, quâ gloriantur ſe præſtare Turcis, niſi vitã & mores iuxta profeſsionem exprimere conantur.

Quid enim ſi quidam illorum fuerunt increduli, num incredulitas eorum fidem Dei faciet irritam? Abſit.

Obiectio hæc naſcitur ex proximo reſponſo. Neque eſt quorumuis, ſed infirmorum & titubantium de promiſsionibus Dei ob incredulorum multitudinem & ingratorum. Senſus autem obiectionis hic eſt: Plurimi Iudæorum fuerunt ingrati & increduli. Ergo fides Dei facta eſt irrita. id eſt, non compleuit promiſsionem factam patribus. Sed Paulus conſequentiam negat abominationis particula, Abſit. ac ſi dicat: Indignum hoc eſt cogitatu. Nequaquam enim promiſsiones Dei propter hominum ingratitudinẽ irritæ fiunt. Nam nullo modo ob multos malos paucos bonos abijcit. Neque enim promiſsiones editæ ſunt alio conſilio, quàm vt earum tantum participes fiant, qui eas fide receperint, alij comminationibus ſubiacent.

Sit autem Deus verax, omnis autem homo mendax.

Confirmat reſponſum datum árgumento ſumto à Dei proprietate: Qui verax eſt, præſtat promiſſa. Deus eſt verax, Igitur Promiſſa præſtat. Sola minor ponitur amplificata antitheſi Rhetorico more, ac ſi dicat: Longe aliter iudicandum eſt de Deo quàm de homine. Nam homo qui temere ſæpe promittit, ſæpe etiam non ſtat promiſsis. Sed Deus nihil promittit temere, & quicquid promittit, præſtare abſq; omni dubio decreuit. Nam ipſa veritas eſt. Vt ergo prior huius antitheſeos pars commendat nobis fidem Dei, hoc eſt, conſtantiam Dei & veritatem, cum in promiſsionibus tum in minis. Vnde conſolatio nobis petenda eſt, ſi promiſſionibus fide adhæreamus, & iudicium eſt timendum, ſi à promiſsionibus recedamus per incredulitatem: Ita poſterior, hominis ingenium nobis depingit, quale ſit ſua natura, vt quod & mentiri & fallere & falli poſsit. Neq; tamen hoc ita accipiendum eſt, quaſi nullus homo verax inueniatur, ſed de eo quod fieri poteſt, loquitur Apoſtolus, vt longe aliud de Deo, qui immutabilis eſt, ſtatuamus.

Quemadmodum ſcriptum eſt: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Ætiologia eſt reſponſi à teſtimonio ſcripturæ, & exemplo Dauidis ſumta: Dauid peccauit, ſed nihilo-

minus

ominus Deus præſtat illi quod promiſerat, Promiſit autẽ ſe ſeruaturum promiſsiones ijs, qui eas fide amplectuntur, idq́ue vt iuſtificetur in ſermonibus ſuis, hoc eſt, vt ipſius ſingularis bonitas & fides in promiſsis præſtandis appareat. Nam de hac iuſticiæ forma hoc loco agitur. & vincat cum iudicatur, hoc eſt, quando fit de eo iudicium collatis promiſsionibus & euentibus, verax deprehendatur.

Quod ſi iniuſticia noſtra Dei iuſticiam commendat, quid dicemus, num iniquus eſt Deus qui infert iram? ſecundum hominem dico, Abſit.

Hæc obiectio oritur ex reſponſo dato ad præcedentem obiectionem. Si Deus glorificatur, & iuſtus ex eo declaratur, quod promiſſa ſeruet peccatoribus, profecto videtur iniuſtus qui punit peccatores. Quis enim iuſte iraſcitur ijs per quos & glorificatur & agnoſcitur iuſtus eſſe? Paulus particula abominationis conſequentiam reijcit. argumentum tamen non directe ſoluit, ſed tantum per inſtantiam. Solui autem directe poteſt hoc modo: Si dicatur paralogiſmum committi ſecundum non cauſſam vt cauſſam. Non enim cauſſa glorificationis & declarationis iuſticiæ Dei eſt peccatum noſtrum, ſed Dei potius veritas, qui promiſſa ſeruat reſipiſcentibus. Deinde non recipit Dauidem Dominus, quia peccauit, ſed quia reſipuit. Ira pro pœna hîc ponitur idiotiſmo Hebraico. Secundum hominem dico, id eſt, iuxta carnis ſenſum & humanam ſapientiam, non iuxta meam ſententiam.

Alioquin quomodo iudex erit Deus mundi.

Hæc inſtantia oppoſita obiectioni præcedenti, ſumta à contrariorum conſequentibus. Deus erit iudex mũdi. Igitur, Deus iniuſtus non eſt. Nam iuſticia mundum componere, & ea quæ inordinata ſunt in optimum ordinem reducere, atque ſimul iniuſtum eſſe, nequaquam vnà ſtare poſſunt. Quare cum Deus mundum iudicabit, iuſtus eſt, & nequaquam iniuſtus. Reſpicit autem Paulus ad locum qui eſt Geneſ. 19. Nunquid qui iudicat vniuerſam terram, non faciet iudicium? Iudicare ſeu iudicem eſſe, eſt propriè iure & iuſticia res componere, quare qui iniquum iudicat, non propriè, ſed catachriſticôs iudex dici poteſt.

Si enim veritas Dei per meum mendacium abundabit in gloriam ipſius. Quid ego adhuc tanquam peccator iudicor? Ac non potius (quemadmodum de nobis malè loquuntur, & ſicuti quidam aiunt nos dicere) faciamus mala vt veniant bona? Quorum damnatio iuſta eſt.

Duo abſurda colligunt aduerſarij Pauli ex reſponſione proxima. Primum, ſi veritas, hoc eſt, cõſtans promiſsio Dei fit illuſtrior per meũ mendacium, id eſt, per meum peccatum, non debeo propter peccatum accuſari, puniri aut damnari. Nihil enim quod gloriam Dei illuſtrat, merito damnabitur. Alterum, ſi veritas Dei per peccatum fit illuſtrior, peccandum eſt multum, quo magis gloria Dei deprædicetur. Nam ſi ex malo bonum eueniet, malefacere prodeſt, quo cumulatiora bona reddantur. Verum Paulus exutheniſmo hanc obiectionem tollit, & affirmat eos, qui hoc obijciunt, iuſte damnari. At Dialecticè dixeris recte committi fallaciam ſecundum non cauſſam vt cauſſam. Nam peccatum per ſe nequaquam cauſſa eſt, quod illuſtrior reddatur gloria Dei, neque mala per ſe cauſſæ ſunt bonorum, ſed per occaſionem tantum.

Quid ergo, præcellimus? Nequaquam.

Redit ad quæſtionem in principio capitis poſitam, & negat Iudæos præſtare gentibus, quantum quidem ad iuſticiam & meritum attinet, cuius reſponſionis plurimas ex ſcriptura rationes ſubijcit.

Nam antea cauſis redditis, oſtendimus & Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe.

Confirmat reſponſionem datam ſuperius de exæquatione Iudæorum & gentium, & ſimul repetit propoſitionem, videlicet, Quod omnes homines ſint ſub peccato, & rei coram Deo: idq́ue ideo facit, vt nouam confirmationem petitam ex ſcripturæ teſtimonijs ingrediatur.

Quemadmodum ſcriptum eſt: Non eſt

Ratio propoſitionis repetitæ à pronun-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

iuſtus, ne vnus quidem, non eſt qui intelligat, non eſt qui exquirat Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

pronunciatis ſcripturæ per locum à contrario. Nulli ſunt iuſti. Ergo omnes ſunt peccatores. Antecedens probatur per remotionem cauſſarum iuſticiæ: quæ ſunt rectum iudicium, voluntas & conatus ſiue præſtandi facultas. Nam hæc tria ad iuſtas actiones requiruntur. Cum enim dicit: Non eſt intelligens, regula iuſticiæ tollitur, quæ eſt rectum iudicium. Cum additur: Non eſt requirens Deum, negatur voluntas. Cum ſubiungitur: Omnes declinauerunt (ſcilicet à recta iuſticiæ via) & inutiles facti ſunt, videlicet quod non ſit qui faciat bonitatem, (ſcilicet iuxta ſententiam legis) & ne vnus quidem, conatus ſeu præſtandi facultas adimitur. Loquitur autem hîc Paulus de homine qualis ſit per naturam, non per gratiam. Deinde loquitur non de iuſticia fidei ſed operum. Dauid enim cum hæc diceret, abſque omni dubio iuſtus fide fuit, etſi legis operibus non fuit iuſtus. Obſeruetur hoc loco validiſsimum argumentum aduerſus aſſertores liberi arbitrij, quod ad iuſticiam ſpiritualem attinet. Quatenus enim homo ſibi relinquitur extra gratiam, nullum ei prorſus in actionibus ſalutis liberum relinquitur arbitrium. Quare monemur noſtræ corruptionis, vt agnita naturali infirmitate, confugiamus ad verbum, quo formetur iudicium noſtrum, petamus Spiritum ſanctum, vt & voluntatem flectat, & vires præſtandi quæ ipſi grata ſunt, ſuppeditet.

Sepulcrum apertum guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant.

Alio teſtimonio ex Pſalmo 5. deſumto, propoſitionem cõfirmat. Expreſsit autem Apoſtolus ſententiam Prophetæ ad verbum, niſi quod pro doloſe agebant, ex Hebræo vertendum erat partientur vel blandientur, ſed Paulus ſecutus ſeptuaginta interpretes, genus pro ſpecie poſuit. Blandiciæ enim dolis & fraudibus deſtinantur. Senſus autẽ Pſalmi hac comparatione abſoluitur. Quemadmodum ex cadauere putrido, aperto ſepulcro fœtores peſtilentes exhalant: ita ex corde impiorum per guttur, quaſi per apertum oſtium mala proficiſcuntur.

Venenum aſpidum ſub labijs eorum.

Hoc teſtimonium ex Pſalmo 140. deſumtum eſt, cuius ſenſus eſt: ita impiorum pernicioſa & lethifera eſt oratio, vt veneno aſpidum oblita labra videantur. Afflatur enim exitiũ & mors ꝑ impiorũ mẽdacia, maledicta, calumnias, obtrectationes, &c.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum.

Hoc teſtimonium ex Pſalmo 10. eſt deſumtum, quo id quod figuratè dixit, ex Pſal. 140. ſine figura dicit.

Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, contritio & calamitas in vijs eorum, & viam pacis non nouerunt.

Hoc Eſaiæ teſtimonium eſt ex cap. 49. quo teſtimonio impiorum ſtudium deſcribitur. Græcus habet ὀξεῖς, id eſt, acuti, vt ſit metalepſis. Nam per acutum penetrabile, per hoc velox intelligitur.

Non eſt timor ante oculos eorum.

Hoc admodum appoſitè ex Pſalmo 36. adiungitur, vt impietatis fons monſtretur, qui eſt carere timore Dei. Iam in ſummam contrahamus deſcriptionem, in qua Paulus deprauatæ naturæ imaginem proponit. Primum, adimitur homini iuſticia. Secundo, intelligentia. Tertio, tribuitur homini deprauata voluntas. Quarto, omnes eadem turpitudine inuoluuntur. Quinto, metaphoricis picturis oſtenditur, quibus potiſsimum vitijs laborent homines nondum renati. Sexto, adimitur homini fons omnis virtutis timor Dei. Tametſi autem in ſingulis hominibus hæc flagitia non emergunt, hydra tamen iſta in ſingulorum pectoribus, quæ nondum ſunt fide purgata, latet.

Scimus autem, quod quæcunque lex dicit, ijs qui in lege ſunt, dicat.

Anthypophora occurrit exceptioni Iudæorum, qui adducta teſtimonia Prophetica in gentes torſerunt, quaſi ad ſe non pertinerent. Verum iſtam hypocriticam exceptionem euertit hoc modo: Lex quæ dicit, ijs dicit quibus eſt lata. Eſt autem Iudæis lata. Proinde Quæ dicit lex, Iudæis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dæis dicit. Prophetica ergo teſtimonia adducta, non ſolum ad gentes, verumetiam ad Iudæos redarguendos pertinent. Lex hoc loco generaliter accipitur pro doctrina Moſis & Prophetarum. In lege eſſe dicuntur, quibus lex lata eſt.

Vt omne os obſtruatur, & obnoxius fiat totus mundus Deo.

Finis cur vniuerſum genus humanum reum peccati peragat ſcriptura, videlicet vt mundus reus eſſe comperiatur, vt qui nihil poſsit prætendere, quin iure ſit damnabilis. Obſtruere os, metonymicè eſt ita reum aliquem rationibus & teſtimonijs conuincere, vt ne verbum quidem habeat quod contradicat, & excuſationem iuſtam ſe habere nullam fateatur.

Propterea ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram Deo.

Concluſio refutationis prȩiudiciorum, & repetitio ꝓpoſitionis vniuerſalis, quæ eſt: Nullus homo iuſtificabitur ex operibus legis corã Deo, cuius propoſitionis ratio eſt, quod opera legis à nullo mortalium perfecte præſtentur, quemadmodũ copioſe hactenus in refutatione prȩiudiciorum demonſtratum eſt. Opera legis ſunt, quæ lex ſiue ſcripta ſiue non ſcripta præcipit & requirit ab omni homine: quæ ſi præſtarentur, verè iuſtificarent. Nam ſunt ipſiſsima iuſticiæ norma. Qui hæc interpretantur de ceremonijs nihil afferunt. Nam Paulus in hac tota confutatione de pietate erga Deum & iuſticia inter homines locutus eſt. Nemo ergo iuſtificatur operibus vllis, hoc eſt, nemo eſt qui operum perfectione & integritate ita ſatisfacit legi, vt ob opera ſua merito cẽſeatur iuſtus coram Deo. Hæc ſententia eſt verborum Pauli. Verum cum Iacobus dicit: Hominem iuſtificari operibus, ſentit hominem non fieri, ſed declarari iuſtum per opera, quod veriſsimum eſt, iuxta illud: Qui facit iuſticiam, iuſtus eſt. Item, Arbor bona facit bonum fructum. Vt ergo fructus bonitatem arboris indicat: ita opera bona fidei iuſticiam oſtendunt.

Per legem enim agnitio peccati.

Ratio propoſitionis à contrario effectu. Per legem eſt agnitio peccati. Igitur per legem non eſt iuſticia. Obſeruetur hîc vſus legis diuinæ, qui eſt reuelare peccatum, & cum peccato iram Dei & damnationem meritam. Verum ne legis damnatoriæ ſententiæ obnoxij pereamus, ſuccurrit Euangelium: quod hortatur nos ad pœnitentiam ſeu conuerſionem, proponit iuſticiam gratuitam, de qua pleniſsima diſputatio ſequitur.

Nunc vero abſq; lege iuſticia Dei manifeſtata eſt.

Apoſtolus refutatis præiudicijs, quæ ſuæ cauſſæ, hoc eſt, gratuitæ iuſtificationi obſtare videbantur, & collecta concluſione: Quod omnes homines ſint rei, nec poſsint ex operibus legis iuſtificari, principalem propoſitionẽ de iuſticia fidei (quam in fine exordij attigit) aggreditur, ac Primum iuſta expoſitione docet, qualis ſit iuſticia fidei. Deinde eandem in propoſitionem colligit, ac eam methodo confirmatoria munit. Quoniam autem inſtituta expoſitio multas circumſtantias, quas Rhetores elementa expoſitionis appellant, continet: eas, priuſquam ad textus enarrationem accedam, nudè & breuiter recenſebo, quo diſtinctius myſterium iuſtificationis gratuitæ intelligi poſsit: quod prorſus rationi humanæ occultum manet, donec face verbi cœleſtis prætenſa, Spiritus ſancti gratia mens noſtra illuminetur, quod cum fit, hæc diſputatio de gratuita iuſtificatione ſuauiſsima & facilima redditur. Prima igitur circumſtantia diſtinctionis eſt, qua iuſticia legis à iuſticia fidei ſeparatur. Iuſticia legis eſt ex lege, iuſticia fidei eſt abſque lege. Secunda circumſtantia eſt cauſſæ, videlicet quod iuſticia fidei dicatur Dei iuſticia, vt quæ Deo probetur, & quæ Deum autorem habeat. Tertia circumſtantia eſt comprobationis. Aſſerit enim Paulus, fidei iuſticiam habere teſtimonium Moſis & Prophetarum. Quarta circumſtantia eſt inſtrumenti, quo homini hæc Dei iuſticia applicatur, Eam enim fide obtineri affirmat. Quinta circumſtantia vniuerſalis beneficij eſt. Affirmat enim Apoſtolus, ad hanc Dei iuſticiam omnes credentes ſine diſcrimine admitti. Sexta circumſtantia, eſt exæquationis omnium hominum, quo ad meritum attinet, videlicet quod omnibus ſit meritum mortis & damnationis, atque ideo non eſſe cauſſam, cur vnus alij in gratiæ perceptione præferatur. Septima circumſtantia, eſt excluſionis omnis meriti humani, adeo quod omnes deſtituantur gloria Dei. Octaua circumſtantia, eſt cauſſæ principalis efficientis, quæ eſt gratia & fauor Dei. Nona circumſtantia, eſt formæ iuſti-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ciæ fidei, quæ eſt ἀπολύτρωσις per Ieſum Chriſtum, quæ fide poſsidetur. Decima circumſtantia eſt materiæ. Eſt enim huius iuſticiæ materia ſanguis Chriſti, hoc eſt, victima cum tota obœdientia cum crucis tum legis. Vndecima circumſtantia eſt temporis duplicis, hoc eſt, & eius quod præceſsit aduentum Chriſti in carnem, & eius quod poſtea ſecutum eſt, & ſequetur vſque ad conſummationem ſæculi. Nam vt homines ante Chriſtum exhibitum quotquot crediderunt, hac fidei iuſticia placuerunt Deo: ita poſt Chriſtum exhibitum eadem fidei iuſticia Deo probatur. Duodecima circumſtantia & vltima, eſt finis duplicis huius iuſticiæ, Prioris quidem, vt ſoli Deo tribuatur laus iuſticiæ, Poſterioris verò, vt omne humanum meritum conticeſcat, & omnis gloriatio humana excludatur. Has circumſtantias omnes continet hęc Pauli expoſitio, quibus rite perpenſis à pijs lectoribus, gratuitæ iuſtificationis doctrina facilius intelligi & iudicari poterit, quarum ſingulas in textus enarratione fuſius explicabimus.

Nunc autem abſq; lege iuſticia Dei manifeſtata eſt.

Hiſce verbis prima & ſecunda circumſtantia exprimitur. Prima, quod iuſticia legis ſit diuerſa à iuſticia fidei, id quod differentia hac ſignificatur, Abſque lege. ita enim colligit Apoſtolus: Poſtquam ex lege non eſt iuſticia, proponitur in Euangelio alia iuſticia, quæ ex lege non eſt. Teneatur ergo omnium primum hæc differentia inter iuſticiam legalem & iuſticiam Euangelicam, quod illa ex lege ſit, hæc abſque lege. Vnde hæc certiſsima doctrina ſequitur: quod lex ſeu legis opera, neque ſint principium, neque cauſſa, neque pars, neque forma, neque conſummatio iuſticiæ Euangelicæ, qua credentes iuſtificati conſiſtunt corã Deo. Secunda circumſtantia hîc expreſſa eſt, quod Euangelica iuſticia ſit iuſticia Dei, vt quæ Deo accepta ſit & probetur, Deumq; autorem habeat non hominem. Hoc Paulus ad Philippenſes 3. hiſce verbis declarat: Non habens meam iuſticiam quę ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide Ieſu Chriſti, quæ eſt Dei iuſticia in fide. Quod autem Oſiander interpretatur hîc Dei iuſticiam, qua Deus ipſe eſſentialiter eſt iuſtus, refellitur in hac ipſa expoſitione in nona circumſtantia, vbi Paulus formam huius iuſticiæ facit ἀπολύτρωσιν, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & infra vbi apertiſsime dicit, nos iuſtos fieri imputatione obœdientiæ Chriſti. Cum autem audimus Dei iuſtitiam nobis promitti, duo obſeruemus. Vnum, quantum decus ſit, quantaq́ue dignitas iuſticiæ fidei, quæ ab ipſo Deo proficiſcitur autore. Alterum, quod illam facile conſequi valeamus, cum à Deo gratis conferatur, cui omnia ſunt poſsibilia. Iam particulas, quibus Paulus annectit hanc expoſitionem concluſioni proximæ, videamus, ita enim ait: Nunc autẽm abſq; lege, ac ſi dicat: Cum iam palam eſt, omnes homines eſſe peccatores & iniuſtos, atque adeo nullam homini contingere ex lege iuſticiam, ſequitur aliam quærendam eſſe iuſticiam, ijs qui nolunt in ſuis peccatis perire, atque hanc Dei eſſe debere hac ratione manifeſtum euadit: Quiſquis iuſtificatur, aut propria iuſticia, aut Dei iuſticia iuſtificetur oportet. Nam alias iuſticiæ formas verbum Dei non agnoſcit. Sed iam oſtenſum eſt, neminem iuſtificari ex operibus. Proinde neceſſe eſt, vt quicunque iuſtificabitur, Dei iuſticia opus habeat, qua ſibi imputata, iuſtus coram Deo conſeatur. Manifeſtari, hoc loco eſt rationibus & teſtimonijs ſcripturæ oſtendi, ſicut ipſe Apoſtolus ſe interpretatur verbis ſequentibus.

Teſtimonium habens à lege & Prophetis.

Tertia circumſtantia expoſitionis Paulinæ de gratuita iuſticia, videlicet quod ſit comprobata teſtimonio legis & Prophetarum. Eſt autem hæc circumſtantia addita propter eos, qui doctrinam iuſtificationis gratuitæ tanquam nouam aſpernabantur: quorum obiectionẽ anticipat Paulus, ne abſentis doctrina in calumniam ab hoſtibus raperetur. Admoneamur igitur exemplo Pauli, ne quicquam in Eccleſia doceamus, niſi quod teſtimonio Prophetico & Apoſtolico comprobare poterimus. Admoneamur quoque, quod doctrina iuſticiæ gratuitæ non ſit recens nata, ſed quod fuerit perpetua Eccleſiæ doctrina omnibus temporibus. Obſeruetur ἀντανάκλασις in vocabulo legis. Nam cum dicitur, ſine lege, opera legis intelliguntur, cum rurſus dicitur: Teſtimonium habens à lege, legis nomen opponitur Prophetis, & ipſum Moſen ſeu penteteucon complectitur, cuius vniuerſa doctrina ad quatuor capita reuocari poteſt, quæ ſunt hiſtoria, regula vitæ, promiſsiones & comminationes legales, & fœdus gratiæ cum ſuis Sacramentis, in quo fœdere huius gratuitæ iuſticiæ promiſsio continetur. Habet autem Moſes de hac gratuita iuſticia tria teſtimoniorum genera: Primum, Aperta dicta, quale eſt hoc, Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Item, Benedi-

centur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

centur in ſemine tuo omnes gentes. Deinde, typos, quibus adumbratur hoc Dei donum, vt ſacrificia patrum, quæ fuerunt aſpectabiles quædã conciones de materia huius iuſticiæ, videlicet Chriſti victima. Tertio, exempla vt Abel, Enoch, Noë, Abraham, &c. de quo ſcriptum eſt: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad iuſticiam. plura de teſtimonijs legis & Prophetarum in quarto dicentur.

Iuſticia autem Dei per fidem IESV CHRISTI.

Hæc eſt quarta expoſitionis circumſtantia, de inſtrumento quo apprehenditur gratuita iuſticia. Eſt aũt inſtrumentum apprehendens ſeu recipiens fides IESV CHRISTI, hoc eſt, fiducia promiſsionis quæ nititur merito Chriſti. Obſeruetur proinde hîc diſcrimen inter illud quod nos iuſtificat, & inter inſtrumentum, quo apprehendimus iuſticiam. Illud quod nos iuſtificat eſt iuſticia Dei IESVS CHRISTVS, qui nobis natus eſt à Deo iuſticia. huius enim iuſticia, quæ & Dei dicitur, credenti imputatur. Inſtrumentum autem quo hanc iuſticiam apprehendimus eſt fides, hoc eſt, fiducia promiſſæ miſericordiæ ſeu promiſſæ iuſticiæ. Fides itaque proprie loquendo neque eſt principium, neque materia, neque forma iuſticiæ gratuitæ, ſed tantum inſtrumentum ac veluti manus quędam qua iuſticia hæc gratuita per verbum oblata accipitur.

In omnes & ſuper omnes qui credunt.

Hæc quinta circũſtantia beneficium gratuitę iuſticię vniuerſale eſſe docet. Nemo enim à gratuita iuſticia excluditur, qui eam fide amplecti non recuſat. Offertur quidem omnibus promiſcue fide accipienda, ſed fide vacui, ſua culpa & ingratitudine pereunt, iuxta illud: Qui non credit in filium, ira Dei manet ſuper. Conſolabitur erga nos hæc ſexta circumſtantia contra tentationem particularitatis.

Non enim eſt diſtinctio. Omnes enim peccauerunt & deſtituuntur gloria Dei.

Hæc ſeptima circumſtantia rationem continet quintę. Dixit iuſticiam Dei extendere ſe in omnes & ſuper omnes qui credunt, quo dicto excludit non credentes: cuius excluſionis ratio eſt exæquatio omnium hominum, quo ad meritum mortis, quod eſt peccatum. Nam omnes peccauerũt & rei ſunt, nec eſt quiſquam qui ſuis viribus aſſequi poterit metam propoſitam, immortalitatis gloriam: ſed omnes veneno peccati infecti, in ipſo curſu deficiunt. Hæc interpretatio ſumta eſt à propria ſignificatione græcæ vocis qua hîc Paulus vtitur.

Iuſtificantur autem gratis ipſius gratia.

Septima & octaua circumſtantiæ, quæ ſunt meriti excluſio à parte noſtra & cauſſa iuſtificationis in Deo. Cum gratis nos iuſtificari dicit, meritum excludit, non CHRISTI, ſed noſtrum. Semper enim hæc paricula, Gratis, noſtro opponitur merito, non Chriſti. Græca vox δωρεὰν, accuſatiuus eſt, & ſubintelligitur κατὰ, vt ſit ſenſus: Iuſtificamur dono gratuito ſine omni noſtro merito, cauſſa in Deo ſequitur, cum ait, Ipſius gratia. Vt autem vox, Gratia, ſolum fauorem Dei & miſericordiam iuſticiæ cauſſam facit: ita omne humanum meritum excludit. Nam vt vere Auguſtinus ait: Gratia eſt nullo modo, quæ non gratuita omni modo. Quod enim eſt ex gratia, donũ, quod ex operibus, eſt debitum. Obſeruetur hîc prima & principalis iuſtificationis noſtræ cauſſa, gratia Dei: quæ gratia eſt vltronea beneuolentia & εὐδοκία Dei. Vnde pie admodum hoc loco Ambroſius, Iuſtificati, inquit, ſunt, quia nihil operantes, neq; vicem reddentes, ſola fide dono Dei iuſtificati ſunt. Baſilius Magnus in oratione de humilitate, in qua homini adimit omnem gloriandi materiam, dicit, quod nulli gloriari poſsint de iuſticia μόνῃ πίστει δικαιούμενοι, & Chryſoſtomus non minus eleganter in hunc ipſum locũ: Non homo eſt, qui operatur hoc vt defatigetur: Sed Deus qui omnia poteſt. Hinc patet, quod ſanctis patribus hæ orationes: hominem iuſtificari gratis, & hominem ſola fide iuſtificari, æquipolleant. Præterea obſeruetur etiam refutatio illuſtris omnium hominum, qui vlla opera, ſiue præcedant fidem, ſiue ſequantur, inter cauſſas iuſtificationis ponunt.

Per redemtionem quæ eſt in CHRISTO IESV.

Nona circumſtantia, quæ eſt forma iuſtificationis gratuitæ, nempe redemtio per IESVM CHRISTVM, quæ conſiſtit in abſolutione à peccato, in imputatione iuſticiæ Chriſti, & acceptatione

ptatione

ptatione credentis ad vitã æternam. Vox Gręca ἀπολύτρωσις ſignificat proprie redemtionem captiui, perſoluto pro eus capite precio. Quare per redemtionem tota obœdientia Chriſti intelligenda eſt crucis & legis. Vnde redemerit nos Chriſtus explicat Paulus ad Galatas: CHRISTVS redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictum. Patri igitur precium ſoluit, quod iuſticia Dei requirebat, à poteſtate Diaboli nos eripuit, tanquam è lictoris manu, qui hominem tantiſper reum mortis detinet, donec iuſſu magiſtratus iubetur eum dimittere, ſoluto non lictori, ſed ei qui læſus erat, precio.

Quem propoſuit Deus propitiatorium in ſanguine eius.

Exponit quomodo per CHRISTVM parta ſit redemtio, nimirum quod ſuo ſanguine emundauerit nos à peccatis, atque hæc eſt decima circumſtantia præſentis expoſitionis, in qua notatur materia iuſtificationis, videlicet ſanguis CHRISTI, hoc eſt, victima atque adeo tota obœdientia Chriſti, quæ nobis fit meritoria ad ſalutem, quando eam fide apprehendimus, tum enim filius Dei peccata noſtra tegens ſuo ſanguine placat offenſum patrem. Hæc eſt ſumma ſententiæ Paulinæ, quæ vt nobis magis dulceſcat, analyſi quadam retexenda eſt. Primo itaque loco ait, Deum propoſuiſſe Chriſtum propitiatorium: quibus verbis typum veteris propitiatorij, de quo Exodi 25. CHRISTO dulciſsime accommodat. Primum mandat Deus, vt Moſes faciat propitiatorium ex auro mundo, hoc eſt, laminam auream. Deinde eius vſum oſtendit, dum inquit: Pones propitiatorium ſuper arcam ſuperne, & in arca pones teſtimonium quod dabo tibi. Hunc typum Iohannes primo primæ, & in 4. primæ explicat, quod & Paulus hoc loco facit: Quemadmodũ enim operculo illo ſeu propitiatorio tegebatur lex in arca, ita Chriſtus in Eccleſia tegit, abſcondit & expiat peccata noſtra, vt lex amplius non accuſet nec damnet eos, quorum peccata expiat ſanguis Chriſti. Illi enim Deum patrem propitium & placatum propter hoc propitiatorium habent. Admonet igitur appellatio propitiatorij nos de duabus rebus, nempe de ira Dei, & de remedio aduerſus iram Dei in propitiatore IESV CHRISTO. Deinde verbum, Propoſuit, ſignificat quod Chriſtus Deus & homo ſit ordinatus & conſtitutus à Deo Pontifex. Sicuti enim Moſis propitiatorium ordinatione & mandato Dei arcæ impoſitum erat, ita hic noſter Dominus IESVS CHRISTVS ſacerdos Eccleſiæ à Deo conſtitutus eſt, idque in æternum, ſecundum ordinem Melchizedech, vt Dauid & Epiſtola ad Hebræos teſtantur. Præterea hic ſit mentio ſacrificij huius ſacerdotis & ſimul fœderis quod ſanguine ipſius ſancitum eſt: Meminit autem ſanguinis Apoſtolus, vt ad typum reſpiciamus. In veteri enim populo nulla fiebat remiſsio ſine ſanguine, & ſanguine populus in cõfirmationem fœderis aſpergebatur: ita hunc typum accommodat Apoſtolus ad Chriſtum, qui ſuo ſanguine intrat in ſancta ſanctorũ redemtione æterna inuenta, quemadmodũ fuſe & luculenter hic typus in Epiſtola ad Hebræos explicatur. Ad hæc applicationis meminit Apoſtolus, cum inquit: Per fidem. Nam applicatio ſacrificij Chriſti, ac aſperſio ſanguinis huius noui fœderis ſuper nos ſit, quando in hunc propitiatorem credimus, qui offert pro nobis ſua merita, perſoluit pœnam, & applicat ſua merita omnibus credentibus. Huc illud Iohan. 17. Ego me pro eis ſanctifico. Ex his veluti elementis definitio ſacerdotis Chriſti huiuſmodi extrui poteſt: CHRISTVS eſt ſacerdos à Deo conſtitutus, vt ſua victima propitium nobis reddat patrem, ac ſanguine ſuo tegat & aboleat reatum omnium, qui ad ipſum firma fiducia confugiunt, ac tandem eos vita æterna & immortalitatis gloria donet. Non inutile videtur hoc loco diſtinguere quaſdam appellationes, quibus etſi eadem res ſignificatur, rationis tamen aliqua eſt diſtinctio. Appellationes autem hæ ſunt: Sacerdos, Mediator, Propitiator, Redemtor, quæ appellationes gradibus quibuſdam Chriſti officium & merita nobis ob oculos ponunt. Sacerdotis appellatio generalis eſt, quæ ſignificat quod Chiſtus ſit conſtitutus in ijs quæ ad Deum pertinent, vt ex epiſtola ad Hebræos patet: Nam illud commune veterum ſacerdotum officium fuit. Mediatoris appellatio propriam ſacerdotis Chriſti notam indicat, quæ eſt vt ſe inter Deum offenſum, & homines qui offenderunt, interponat, vt qui conſors ſit vtriuſque partis. Deo enim vera diuinitate, hominibus vera humanitate coniunctus eſt. Propitiator dicitur ab effectu ſacrificij ſacerdotis. Nam Deum iratum placat, ipſum nobis cõciliat, factus propitiatio pro peccatis noſtris. Poſtremo Redemtor dicitur ob fructum qui ad nos homines venit, ex eo quod Deus placatus ſit. Per CHRISTI enim ſacrificium placato patre manumittimur à iure peccati, liberamur à morte & damnatione, & tandem donabimur æterna vita, idque nullis alijs meritis, quam vnici noſtri Sacerdotis, Mediatoris, Propitiatoris & Redemtoris beneficio.

Ad

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Ad declarandam iuſticiam per remiſſionem peccatorum prius factorum, quæ Deus tolerauit: ad declarandam iuſticiam ſuam in præſenti tempore.

Vndecima circumſtantia de efficacia victimæ Chriſti, eam enim non ſolum efficacem eſſe dicit ad peccata eorum, quæ poſt Chriſtum exhibitum fuerunt delenda: verumetiam ad delenda peccata prius facta, hoc eſt, eorum hominum qui fuerunt ante Chriſtum exhibitum. Atque hoc eſt, quod in Apocalypſi dicitur: Agnus occiſus eſt ab initio mundi. Etſi autem hoc in typo, id eſt, in ſacrificijs factum eſt: Virtus tamen eius infinita eſt, qui finito eſt paſſus tempore. Peræque enim patres qui fuerunt in teſtamento veteri, & eos qui in Chriſtum exhibitum credunt, idem Chriſti ſanguis à peccato mundat. Vocat itaque hoc loco peccata præterita ſeu prius facta, peccata omnium patrum, qui fuerunt ante Chriſtum exhibitum, quæ Deus tolerauit, id eſt, remiſit propter Chriſti victimam. Eſt proinde Monachorum inſomnium de lymbo patrum deteſtandum, vt contumelioſum in ſanguinem CHRISTI, & verè ſtatuendum æquè ſaluatum eſſe Abelem atque Cornelium.

In hoc vt ſit ipſe iuſtus, iuſtificans eum qui eſt ex fide IESV CHRISTI.

Duodecima circumſtantia, vt Deo ſoli tribuatur iuſticiæ laus, qui ſolus iuſtificat, id eſt, abſoluit à reatu imputata Chriſti iuſticia, eum qui credit in Chriſtum propitiatorem. Hîc obſerua vnde, per quem, & quomodo contingat iuſticia homini, qua homo acceptus eſt coram Deo, videlicet iuſticia Chriſti à Deo patre imputata credenti.

Vbi igitur gloriatio? Excluſa eſt. Per quam legem? operum? non. Sed per legem fidei.

Duas concluſiones ex ſuperioribus colligit. Vnam, neminem poſſe gloriari coram Deo ob iuſticiam operum. Alteram, iuſticiam eſſe ex fide ſine operibus. Priorem interrogationis ſchemate infert: Vbi, inquiens, eſt gloriatio? Excluſa eſt. Hac ſubiectione veluti parta victoria inſultat aduerſus eos, qui de legis iuſticia gloriabantur, & præ ſe gentes contemnebant. Infert enim ex dictis: omnem gloriationem carnis excluſam eſſe, vt ſtatuatur iuſticia fidei: quæ fides non de ſuo gloriatur merito, ſed alienum prædicat beneficium. Figurata hæc locutio perinde valet ac ſi dixiſſet ſimpliciter: Nemo poteſt gloriari coram Deo, propterea quod nemo iuſtificatur operibus legis. Nam cum gloria ſit decus virtutis ſeu factorum præclare geſtorum; gloriatio hoc loco eſt fiducia meriti & operum. Facit hîc Paulus duplicem legē, vt illuſtrior ſit antitheſis; Vnam operum, quam decalogus docet. Alteram fidei, quam Euangelium docet. Neque enim hîc aliud lex operum eſt, quam opera, neque lex fidei aliud quàm fides. Hic ergo obſeruetur vnum ex præcipuis axiomatis doctrinæ Eccleſiæ, videlicet quod omnis meritorum fiducia in iuſtificatione hominis coram Deo excluſa ſit.

Arbitramur igitur fide iuſtificari hominem abſque operibus legis.

Secunda concluſio ex ſuperioribus collecta, quæ & principalis propoſitio eſt, & ſtatus primæ partis Epiſtolæ. Hanc propoſitionem antea in primo attigit, & deinde in hoc tertio longa expoſitione tractauit. Nunc verò ipſam colligit & validius infert, poſtquam declarauit, & firmiſſimis rationibus conuicit, neminem ex operibus legis iuſtificari poſſe. Hæc enim vis verbi Græci eſt, quo in collectione Paulus vtitur. Λογιζόμεθα, inquit, hoc eſt, colligimus & ſubductis rationibus concludimus, ac ſi dicat: Cum verbum Dei tantum duplicem iuſticiam proponit homini, nempe legis & fidei, hominis & Dei: quarũ altera hominem peccatorem iuſtificari neceſſe ſit, Etiam immotis rationibus demonſtratum eſt, neminem poſſe legis ſeu propria iuſticia iuſtificari coram Deo: Sequitur, omnes qui iuſtificantur, fidei iuſticia, quæ eſt Dei iuſtificari. Atque hæc ſententia ſimpliciſſima eſt huius concluſionis, quæ vt nobis magis dulceſcat, aliquot colligam ex ea hypotheſes, quibus illuſtrior hæc de iuſtificatione doctrina fiat. Harum prima ſit, de qua aliquoties ſupra dictum eſt; quod alia ſit legis, alia fidei iuſticia, quarum illa ex operibus, hæc ſine operibus contingat. Cum enim hominem dicit iuſtificari abſque operibus, manifeſte diſcrimen facit inter legis & fidei iuſticiam: Vnde & nos diſcamus non confundere operum iuſticiam cum iuſticia fidei. Secunda hypotheſis, quam hæc concluſio nobis ſuppeditat, eſt quod Chriſtiana iuſticia non partim operibus, partim fide nitatur, ſed quod ſit fidei tantum. Cùm enim di-

cit: abſq; operibus, manifeſte docet Apoſtolus iuſticiam Euangelij ex fide & operibus, tan quam ex partibus eam conſtituentibus, minime conſtare. Hac ergo hypotheſi aperte refutantur pontificij, qui iuſticiam Chriſtianam ex fide & operibus componunt. Tertia hypotheſis, quod omne meritum humanum ab hac Euangelij iuſticia excludatut. Meritum enim aliunde prouenire non poteſt quàm ex operibus, quæ cum excluduntur ab hac iuſticia, manifeſtum eſt meritũ excludi. Non enim fieri poteſt, vt ſit effectus ſine cauſſa. Quarta hypotheſis, quod iuſticia Euangelij ſit ex fide, hoc eſt, fiducia Mediatoris. Hæc hypotheſis teſtatur hanc fidei iuſticiam non eſſe qualitatem in nobis, ſed donum Dei, nempe imputationem iuſticiæ Chriſti, quæ fide accipitur. Quinta, Quod hæc fidei iuſticia omnibus promiſcue offeratur. Cum enim dicit ἄνθρωπον, indefinitè ſine aliquo articulo neminem excludi ab hac iuſticia, qui eam fide amplecti non recuſat, ſignificat. Sexta, Quod hominem iuſtificari fide ſit eum abſolui à peccato, donari iuſticia Chriſti, & acceptari ad vitam æternam gratis propter Chriſtum. Nam cum dicit hominem iuſtificari abſque operibus legis, clare docet, iuſtificari non ſignificare iuſtum ex iniuſto fieri per ſuam iuſticiá, quę ſanè eſſe nequit ſine operibus legis. Cum ergo id fide tantum fieri dicat Apoſtolus, Chriſti iuſticiá proponit, quam in conuerſione fides apprehendit. Hæc hypotheſis latius in quarto, quinto, decimo capitibus huius Epiſtolæ explicatur, ſimiliter in Epiſtolis ad Galatas & Epheſios. Septima hypotheſis eſt confutatio erroris eorum, qui per opera legis tantum ceremonias Moſaicas intelligunt, cum præſentem concluſioné Apoſtolus ex ſuperioribus colligat, in quibus homines ita reos peregit, quod ne vnus quidem ſit, qui ex operibus legis iuſtificari poſsit. Nam cum dicit λογιζόμεθα, non ſignificat opinionem incertam, ſed perſuaſionem firmam, quæ quaſi rationibus ſubductis & explicatis, deducta eſt.

An Iudæorum Deus tantum? an non & gentium? certe & gentium. Quandoqnidem vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.

Prolepſis eſt. Nam anticipat obiectionem Iudæorum, qui ſibi ſolis hanc vendicarunt gloriam, quaſi Deus ſolos Iudæos reſpiceret, eoſque tantum ſuos agnoſceret, atque ideo pertinere ad ſe ſolos gratuitæ iuſtificationis beneficium, gloriabantur. Verum hanc inanem fiduciam adimit Apoſtolus Iudæis, oſtendens nullum diſcrimen eſſe, nec in Deo, qui vnus eſt tantum, nec in hominibus, qui eiuſdem Dei ſunt populus. Quare gratuitæ iuſtificationis beneficium non minus ad gentes quàm ad Iudæos pertinere concludit. Atq; hoc eſt quod ſupra in expoſitione quoque in quinta circumſtantia attigit, vbi aſſerit Apoſtolus, iuſticiam Dei per fidem IESV CHRISTI extendere ſe in omnes & ſuper omnes qui credunt. Hoc ipſum iuſta diſputatione proſequitur in 9. 10. & 11. capitibus. Nam iſtorum capitum ſcopus eſt, vt doceatur beneficium Chriſti vniuerſale eſſe. Porro metonymia qua circumciſio pro Iudæis, & præputium pro gentibus ponitur, vſitata eſt Hebræis, qui ſæpiſsime nomen ſigni ad rem ſignatam, nunc præſentem cum ſigno, nunc tantum ſigno repræſentatam transferunt. Obſeruetur hoc loco diligenter hæc Pauli diſtributio, qua & occurrit tentationi particularitatis, & admonet nos fidei, qua promiſcue omnibus oblatum beneficium accipitur & poſsidetur.

Legem igitur inanem facimus per fidem? Abſit. Sed legem ſtabilimus.

Obiectionis huius hic eſt ſenſus. Si fidei doctrina veram iuſtificádi rationem & vnicam continet, videtur irrita lex, quæ operum iuſticiam requirit, & promittit vitam omnibus obſeruantibus eam. Paulus hanc conſecutionem negat, & aſſerit legem ſtabiliri per fidem. Sed huius aſſertionis hic nullam cauſſam reddit, ne confirmationem nimium à propoſitione diuellat. Verum in decimo capite hanc rationem reddit, quia Chriſtus eſt finis legis (id eſt, quod lex quaſi extremum requirit) in iuſticiam omni credenti. Hoc autem vt intelligatur clarius, ſciendũ eſt quod finis legis, & quaſi vltima eius voluntas ſit, iuſtificare eos, qui ipſam obſeruant, quo iuſtificati vitam ingrediantur, iuxta illud: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Verum quo minus aſſequatur lex quod quærit, non impedit legis vlla qualitas, ſed communis naturæ humanæ corruptio, & carnis noſtræ vitioſitas. Quomodo igitur ſtabilitur lex? Vitioſitati carnis noſtræ & communi corruptioni ita medetur Chriſtus, vt eius iuſticia nobis imputata per fidem, finem legis conſequamur, propterea quod Chriſtus pro nobis legem impleuit, factus ſit nobis iuſticia, 1. Corinth. 1. Hanc eſſe ſententiam Pauli loci periſtaſis oſtendit, & teſtimonium Chryſoſtomi, cuius verba hæc ſunt: Quodnam igitur legis opus eſt? & cuius cauſſa omnia agit? Vt hominem faciat iuſtum. Sed illa quidem hoc

non

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

non potuit. Omnes enim (ait) peccauerunt:fides vero veniens ipſum perfecit. Nam cum aliquis credit,ſimul iuſtus eſt.Igitur fides legis voluntatem ſtatuit,& propter quod omnia lex egit, hoc fides in finem perduxit.Non igitur legem irritam facit fides,ſed ſtabilem reddit.Et Theodulus Syriæ Epiſcopus: Ecqua ratione fides ſtabilit legem, quia lex ſalutem impartire volens,non poteſt hoc præſtare,fides autem ſaluat & æternum beat. breuiter lex ſtabilitur per fidem,quia id quod requirit lex obtinetur per fidem nempe iuſticia.

CAPVT IIII.

Summa Capitis quarti.

Vt exemplo Abrahæ aliÿsq́, teſtimoniÿs iuſticiam ex fide eſſe docet,ita & filios Abrahæ deſcrib:t, & fidei naturam ſeu indolem in Abrahamico exemplo depingit.

Ordo & partes Capitis quarti.

Hoc caput duabus abſoluitur partibus, Argumentatione & Expoſitione. Argumentatione quidem confirmatur iuſticia fidei,Expoſitione vero filiÿ Abrahæ depinguntur & vis fidei oſtenditur.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVID ergo dicemus patrem noſtrum inueniſſe ſecundum carnem?

Cõfirmationem orditur ab exemplo Abrahæ per procatalepſin. Nam Iudæi qui impenſe Abrahami nomine intumeſcebãt,oppoſuerunt Paulo Abrahamum,quem falſo arbitrabantur operibus legis iuſtificatum. Verum iſtud exemplum ἀντιστροφῇ Rhetorica Paulus retorquet in ipſos,& inde primam & præcipuam ſuæ propoſitionis (contra eorum expectationem) confirmationem depromit. Quid,inquit, dicemus patrem noſtrum Abrahamum inueniſſe & adeptum eſſe ſecundum carnem? hoc eſt, ex operibus,quaſi dicat:nihil prorſus ex operibus, Sed inuenit prætenſa face promiſsionis diuinæ,& accepit iuſticiam manu fidei, non poſſedit per opera. Vocat autem hîc Apoſtolus,ſecundum carnem,iuſticiam operum,quam quidem per ipſam carnem & vires carnis operamur. Quod autem qnidam, Secundum carnem,referunt ad Patrem,non congruit huic loco,Nam Paulus ſeipſum interpretatur,inquiens:

Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus fuit,habet quo glorietur, At non apud Deum.

Ratio eſt ſubauditæ inficiationis, Quærit quid inuenerit Abraham ſecundum carnem? ſubintelligitur inficiatio,videlicet, quod nihil inuenerit ſecundum carnem,ſeu quod non fuerit iuſtificatus ex operibus.Huius inficiationis confirmationem petit à remotione effectus ad remotionem cauſſæ, per argumenti modum à deſtructo conſequente.Si,inquit, Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriationem. Sed non habet gloriationem apud Deum. Proinde non eſt apud Deum operibus iuſtificatus. Verum cum iam Abraham iuſtus à Deo pronunciatur, & operum iuſticia coram Deo deſtituitur,ſequitur ipſum fide iuſtificatum eſſe. Cum tantum has duas iuſticiæ formas,legis videlicet & fidei, verbum Dei agnoſcat. Sed quomodo hoc argumentum particulare,pronunciatum vniuerſale confirmare poterit? Ad hoc ita reſpondendum eſt, quod firmiſsima ſit conſecutio: Abraham eſt iuſtificatus fide abſque operibus. Ergo quotquot iuſtificantur, iuſtificari fide abſque operibus neceſſe eſt. Argumentum quidem videtur infirmum,vt quod ex particulari concludat vniuerſale contra Dialecticorum leges. Verum conſecutionis ratio pendet à cauſſæ conſtantia & æqualitate. Deus enim qui iuſtificauit Abrahamum credentem,cum non ſit perſonarum acceptor,æqualis eſt omnibus. Proinde omnes credentes iuſtificabit nõ ſecus quàm Abrahamũ iuſtificauit.Perinde igitur valet argumentum Pauli,ac ſi dixiſſet:Eadem eſt ratio iuſtificandi in omnibus. Sed Abraham eſt iuſtificatus abſq; operibus.Igitur & reliqui abſque operibus iuſtificabuntur.

Quid enim dicit ſcriptura : Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei in iuſticiam.

Secundum argumentũ à teſtimonio ſcripturæ & exéplo probato ſumtum. Vt autem primo concludebatur iuſticiam nõ eſſe ex operibus : ita hoc ſecundo iuſticiam eſſe ex fide colligitur. Argumentum hoc ideo valet, quia exemplo approbato in ſubiecto approbatur res in genere, ex quo fit quod cõcinne ab exemplo per locum coniugatorum concludatur hoc modo:

Abraham credens Deo eſt iuſtus reputatus apud Deũ. Ergo iuſticia qua Abraham Deo approbatus eſt, ex fide prouenit. Hæc hypotheſis ad theſin transferenda eſt hoc modo: Quemadmodum Abraham iuſtificatus eſt, ita & alij iuſtificabuntur. Sed Abrahæ credenti fides imputata eſt ad iuſticiam. Ergo & alijs credentibus fides imputatur ad iuſticiam. Eſt enim eadem iuſtificationis ratio, & Deus eſt æqualis omnibus, iuxta normam ſuæ iuſticiæ & miſericordiæ. Porro ad clariorem huius argumenti explicationem obſeruandum inprimis eſt, cur fides dicatur imputari in iuſticiam, & quid ſit imputari in iuſticiam. Cum itaque dicatur fides imputari in iuſticiam, ſeu reputari pro iuſticia, nequaquã ita accipiendum eſt, quaſi fides ipſa, qua Euangelio creditur, in ſe reputetur ita pro iuſticia, vt ea tanquam qualitate aut actione ſeu habitu aliquis ſit iuſtus corã Deo. Verum ita intelligi oportet, quod fides reputetur pro iuſticia, quatenus illa apprehendit iuſticiam Chriſti, & eam vt ſuam ſibi à Deo imputatam amplectitur. hoc etiam imputandi verbo confirmatur, quod ab Arithmetica ſumtum eſt. Quemadmodum enim calculus nõ æſtimatur ex materia, nec per ſe quicquam valet, ſed reſpectu lineæ in qua ponitur, æſtimationem capit: ita fides per ſe non habetur pro iuſticia, ſed reſpectu Dei, qui credenti filij ſui iuſticiam aſsignat quaſi eius propria eſſet. Non eſt ergo imputare, attribuere quod ex debito dandum eſt, ſed eſt gratuito dare & aſsignare, quemadmodum Paulus ipſe ſe declarat, cum inquit: Operanti merces non imputatur ſecundum gratiam, &c. Deinde in quinto definitur illa iuſticia, quę nobis imputatur eſſe obœdientia Chriſti. Sicuti ergo Plinius loquitur, cum ait: Culpam noſtram illi imputamus, id eſt, aſſcribimus illi culpam noſtram, ita hîc, cum Deus dicitur nobis imputare iuſticiam, intelligendum eſt non de noſtra quam habemus ipſi, ſed de ea quæ nobis à Deo aſſcribitur. Habemus quæ ſit vis & quis ſit ſenſus argumenti Paulini: Nunc autem, quia duabus calumnijs hoc pulcherrimum argumentũ eludi ſolet, illis occurrendum eſt. Prior calumnia eſt Iudæorum, Papiſtarum poſterior. Iudæi accuſant Paulum malæ fidei, quod hoc teſtimonio ex 15. capite Geneſeos deſumto conetur probare iuſticiam ex fide eſſe. Dicunt enim iſtum locum perperam torqueri ad Chriſtum & vitam æternam, qui de terrena promiſsione, & multiplicatione ſeminis ſuper terram cõcionatur. Sed inuidi iſti falluntur committendo fallaciã compoſitionis & diuiſionis. Malè enim ſeparant præcedentia à ſequentibus, non obſeruantes plenam hiſtoriã, nec principale membrum hiſtoriæ, videlicet promiſsionem Dei, qua Deus Abraham in ſuam tutelam recipit, promittit ſalutem & benedictioné per ſemen promiſſum. Non ergo Abraham in promiſsionem multiplicandi ſeminis ſui ſuper terrã tantum reſpexit, vt Iudæi cauillantur, ſed eam includit in illa priori tanquam partem in toto. Quare cum Abraham credendo oblatam gratiam amplectitur, perſpicuum euadit, calumniam Iudaicam vt ſycophanticã deteſtandam eſſe. Prouenit enim partim ex inuidia, partim ex ignorantia promiſsionis principalis, in qua aliæ continentur. Poſterior calumnia eſt Papiſtarum & iuſticiariorum, qui Iacobum cum Paulo cõmittunt, vt iuſticiam componant ex fide & operibus ſimul. Proferunt autem ex Iacobo hæc verba: Si autem ſcire vis ô homo inanis, quod fides abſque operibus mortua eſt? Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt? offerens filium ſuum ad altare. Vides quod fides cooperata fuerit operibus eius, & ex operibus pfecta fuerit, & impleta eſt ſcriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad iuſticiam, & amicus Dei appellatus eſt. Videtis igitur quod ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc teſtimonium Iacobi Papiſtæ opponunt Paulo, & toti Euangelio, & audacter reijciunt λύτρον perſolutum pro genere humano. Verum ne videantur contra Paulum iſta dicere, interpretantur Paulum de operibus ceremonialibus, Sed quàm fœdè hallucinentur paucis oſtendam. Primum omnium obſeruandus eſt ſcopus Iacobi, qui non diſputat de iuſtificationis cauſſa, cum ſtatus quæſtionis apud ipſum ſit, quo in loco habenda ſit fidei profeſsio & iactatio ſine operibus bonis. Quare hanc propoſitionem ſtatuit: Fides abſque operibus eſt mortua, hoc eſt, iactatio ſeu gloriatio de fide, cui non adiuncta ſunt bona opera, vana & inanis eſt. Hanc eſſe ſententiam propoſitionis oſtendit compellatio. Vis autem ſcire homo κενὲ, inanis & vacue, qui nulla viua fide præditus es. Hanc propoſitionem confirmat exemplo Abrahæ deſumto ex 22. cap. Geneſ. vbi manifeſte

loquitur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

loquitur ſcriptura non de iuſticia gratuita,quæ credenti Abrahæ imputata eſt, Sed de declaratione iuſticiæ à ſuo proprio effectu, quæ in hominum oculos incurrit. Nam iuſticiam gratuitam quindecim annis ante natum Iſaac obtinuerat fide. Cum igitur Papiſtę quocunque ſe vertant non poſſunt efficere contra naturæ ordinem, vt ſua cauſſa prior ſit effectus, fruſtra ex hoc loco contendunt, iuſticiam qua iuſtificamur coram Deo in operibus conſiſtere. Verum quo omnis tollatur ambiguitas, placet exactius locum Geneſ. quem Iacobus adducit, examinare. Sunt autem hæc Moſis verba: Vocauit Angelus DOMINI Abraham ſecundo de cœlo, Per memetipſum iuraui dicit DOMINVS, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas, & veluti arenam, quæ eſt in littore maris, poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur omnes gentes terræ in ſemine tuo, quia obœdiſti voci meæ. Hoc teſtimonio confirmat Iacobus propoſitionem ſuam, ex quo firmiſſime colligam, quid iuſtificare Iacobo ſignificare poſsit. Prædicatur Abraham ob obœdientiam ſuam, quod paratus fuerit offerre filium, fit promiſsio ſeminis, & poſteritatis numeroſæ, neque aliud habet iſte locus in Geneſi. Cum itaque Iacobus confirmat Abrahamum iuſtificatum operibus, profecto aliud intelligere non potuit, quàm Abrahamum fuiſſe iuſtificatum, hoc eſt, prædicatum, ornatum, & ampliſsima promiſsione remuneratum propter obœdientiam ſuam ex fide præſtitam. Quod autem ab exemplo propoſito infert Iacobus: Vides quod fides cooperata ſit operibus illius, & ex operibus conſummata eſt fides illius. Nihil aliud vult quàm ſignificare opera neceſſario fidem comitari, atque fidem conſumari operibus, id eſt, manifeſtari hominibus ſeu demonſtrari apud homines per obœdientiam erga Deum, atque ideo fidem ſine operibus eſſe inane ſpectrum, quod nequaquam meretur fidei appellationem. Quod autem addit, impletam eſſe ſcripturam quæ dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſticiam, & amicus Dei appellatus eſt, Nihil aliud ſignificat, quàm declaratam eſſe iuſticiam fidei per obœdientiam operum. Impleri enim dicuntur idiotiſmo Hebraico, quæ plenius exhibentur & oſtenduntur & palam fiunt. Hinc tandem concludit Iacobus: Videtis quod ex operibus iuſtificatur homo, hoc eſt, ex fructu cognoſcitur & approbatur iuſtus, & non ex fide tantum, hoc eſt, nuda & inani cognitione Dei. His ita explicatis iuxta analogiã fidei ex ſcopi conſideratione & teſtimonijs ex Geneſi adducti vero ſenſu, breuiter colligam firmam paralogiſmi Papiſtici ſolutionem. Cum ergo obijciunt contra gratuitam iuſtificationem: Fides abſque operibus eſt mortua. Ergo homo non iuſtificatur fide coram Deo abſq; operibus. Reſpondeo duplicem paralogiſmum committi, & vtrunque æquiuocationis eſſe. Primum enim fides in doctrina Pauli de iuſtificatione non ſignificat tantum noticiam & aſſenſum, ſed proprie fiduciam in Deũ, quod verè velit nobis præſtare quod promittit per Euangeliũ: id quod ex deſcriptione fidei, quæ ſequitur in fine huius capitis, plenius conſtabit: Sed in Iacobo ſignificat noticiam tantum hiſtoriæ & aſſenſum, id quod quatuor rationibus ex Iacobo deſumtis, oſtendam, quarum prima ſumitur ex his verbis: Si fidem, inquit, quis dicat ſe habere, opera autẽ non habeat. Quid aliud quęſo hoc loco poteſt Iacobus intelligere per fidem quàm inanem profeſsionem & iactationem fidei. Vera enim fides & iuſtificans eſt, qua viuit iuſtus, & eſt efficax ad operandum. Secunda, Diaboli, inquit, credunt, & contremiſcunt. Quid iam certius eſt quàm Diabolos nullam miſericordiæ Dei fiduciam habere. Non enim habent promiſsionem. Quare nequaquam veram fidem habere poſſunt, ſed hiſtoriam tantum, vnde contremiſcunt, exhorrentes iuſtum Dei iudicium. Tertia, Iacobus fidem, de qua agit, vocat mortuam, eamq́ue confert corpori exanimi. Sed fides Paulo eſt, qua credentes viuunt in fide filij Dei, Galat.2. Quarta, Tu, inquit Iacobus, credis quod ſit Deus. Ita ſane credere eſt tantum hiſtorię noticiam habere, qua homines minime iuſtificari & nos teſtamur. Cur, inquies, Iacobus ita vtitur voce fidei? Reſpondeo. Loquitur ex hypotheſi hypocritarum, qui ſuam inanem de fide iactantiam fidei nomine ornarunt. Alter paralogiſmus committitur in voce iuſtificandi. Paulus enim de iuſtificatione imputationis, Iacobus autem de iuſtificatione declarationis loquitur: ex quo clare apparet, Paulum & Iacobum non inter ſe pugnare, & friuolum eſſe commentum Papiſtarum, qui in Paulo per opera tantum ceremonias intelligunt. Verum Papiſtæ hac ſolutione non contenti, vt hoſtes gratuitæ iuſtificationis, ſimilem loquendi figurã ex quarto Moſis libro proferunt, vbi opera imputari in iuſticiam aſſeruntur. Scriptum eſt enim de Phinea, quod zelo quodã heroico occiderit ſcortatorem & ſcortum, quod factum Dauid Pſalm. 105. affirmat Phiniæ fuiſſe imputatum ad iuſticiam. Hæc Dauidis verba torquent Pontificij contra gratuitã iuſtificationem: Sed qua fide id faciant facile eſt iudicare. Non poſſunt ſane Sophiſtæ iſti inficiari, quin ad legis iuſticiam requiratur plena legis obœdientia. Sed in Phinea non videmus niſi

particulare factum ex zelo peculiari profectum: quod ſane plenam legis obœdientiā fuiſſe nemo dixerit, niſi qui partem & totum confuderit. Quid ergo dicendum, clara ſunt Dauidis verba, qui affirmat hunc zelum Phiniæ fuiſſe imputatum ad iuſticiam? Si qualitatem facti Phiniæ reſpicimus, ex eo non eſt iuſtificatus Phinies, at ſi qualitatem perſonæ, cuius erat hoc factum, attendimus, conſtat ex hiſtoria, quod Phinies fuerit iuſtus fide antea. Ex fide enim exarſit hic zelus in ſancto viro, ad impediendā turpitudinem in populo Dei, ne nomen Dei propter illam male audiret inter gentes. Opus igitur ab eo factū, imputatum eſt ei ad iuſticiam, hoc eſt, habitum eſt iuſtum ac Deo placuit, quia ex fide profectum à iuſta perſona editum eſt in gloriam Dei. Ad hunc modum iudicandum eſt de aliorum ſanctorum operibus ex fide factis. Multum enim refert attendere quæ ſit perſona quæ facit opus, quidq́ue opus per ſe valeat, & quo in loco cenſeatur poſt ſtabilitam fidei iuſticiam. Porrò regulæ quarum obſeruatio prodeſt ad refutandas Papiſtarum argutias, alibi expoſitæ ſunt & declaratæ. His ita breuiter annotatis, ad exemplum Abrahæ redeamus, ex quo omnia ferè, quæ in hoc capite ſequuntur, extructa ſunt. Paulus vt artifex duo conſiderat & examinat in exemplo propoſito, videlicet factum in ſe, & circumſtantias perſonæ & facti: vnde, vt ad ſummam omnia reuocem, tria docemur: Primum, quænam ſit vera iuſtificandi ratio. Deinde, quænam ſit veræ fidei indoles. Poſtremo, qualis vita credentis perſonæ eſſe debeat. Etſi autem his tribus capitibus reliqua omnia continentur: tamen factum & circumſtantias perſonæ diſtinctius examinabimus, vt non ſolum habeamus vitæ ſpeculū in ſancto Abrahamo patre noſtro, Verumetiam vt obſeruatio ſtudioſis ſeruiat in aliorum exemplorum tractatione & accommodatione ad vſum. Factum itaque Abrahę in ſe docet ſicut antea etiam dictum eſt, quod iuſticia vera, qua Deo probamur, ſit ex fide, qua gratuitæ promiſsioni credimus. Nam vt Abraham iuſtificatus, ita & alios iuſtificari eſt neceſſe. Non enim poteſt diuerſa eſſe iuſtificationis ratio, cum Deus æqualis ſit omnibus. Circumſtantiæ iuſtificati Abrahæ de pluribus & grauiſsimis rebus nos admonent, quarū præcipuas recitabo. Prima eſt profeſsionis vitæ Abrahæ ante iuſtificationem, quæ teſtatur Abrahamum nullis ſuis meritis aut præparantibus ſuis operibus, ſed ſola miſericordia Dei receptū eſſe in gratiam. Quare & Paulus omnem ipſi materiā gloriandi ademit. Quid enim quæſo potuit idololatra mereri? Quæ potuit merita cōgrui habere quibus Deus moueretur ad cōferendā ipſi gratiam? Cōfutat igitur hæc circumſtantia dogma de operibus præparantibus & meritis congrui. Secunda circumſtantia eſt temporis, quo Abraham eſt fide iuſtificatus. Hæc docet quod circumciſio non neceſſario requiratur ad iuſtificationem. Eſt enim Abraham antea iuſtificàtus quàm circumciſus, quod minime verum eſſet, ſi circumciſio iuſtificationis aut cauſſa aut meritum aut pars aut conſummatio fuiſſet. Tertia circumſtantia eſt etiam temporis, quæ docet iuſticiam, quæ ex fide eſt, promiſcue ad omnes pertinere. Nam Abraham fide iuſtificatus eſt, antequam vllis notis externis diſcreti ſint homines. Ex hac circumſtantia, Prophetæ haud dubie conciones ſuas de vocatione gentium extruxerunt. Quarta circumſtantia ſimiliter eſt temporis, quæ docet ritus Moſaicos non requiri ad iuſtificationem. Vt enim ſine illis Abraham eſt iuſtificatus, ita qui eius exemplo iuſtificabūtur, eos non requirant ad iuſticiæ vel cauſſam vel complementum. Quinta circumſtantia etiam eſt temporis, quæ docet ſine lege morali & operibus in decalogo præceptis contingere iuſticiam gratuitam. Nam cum Abrahæ exemplo iuſtificamur, qui fuit iuſtificatus annis multis, hoc eſt, 430. ante legem moralem diuinitus commendatam populo Iſraelitico, fieri non poteſt, vt ex lege morali ſit iuſticia. Verum ſi quis obijciat legem moralem perpetuam eſſe, ideoq́ue ea non caruiſſe Abrahamum. Reſponſio facilis eſt: Nulla merces debetur operibus niſi ex pacto Dei. Non enim exiſtimandum eſt opera hominum intrinſeca aliqua dignitate meritoria eſſe, ſed acceptatione Dei & ratione pacti interpoſiti. Quare im̄ota eſt hæc ratio: Abraham iuſtificatus eſt fide promiſsionis ante editum pactum de operibus, videlicet, Qui fecerit ea homo, viuet in eis. Proinde fide & non obœdientra legis moralis eſt iuſtificatus Abraham. Sexta circumſtantia eſt fidei Abrahæ, quæ non eſt fortuita opinio aut inanis perſuaſio, ſed certa πληροφορία, quæ nullis rationis argumentis cedit, immo contra omnem rationem aſſurgit, conſtantia promittentis Dei firmiſsime nitens. Septima circumſtantia eſt adiunctorum fidei Abrahamicæ: quæ docent Abrahami fidem non fuiſſe vacuam bonis operibus, ſed adiunctam habuiſſe obœdientiam erga Deùm. Etſi enim ſola fides apprehendit gratuitum beneficium: tamen ſuis naturalibus proprietatibus non eſt ſpolianda fides, quemadmodum in Abrahamo videmus, qui & gloriā Deo tribuit veritatis, & ei obœdiuit, paratus ad mactandum filium vnicum. Vnde diſcat pius, nihil ſibi carius eſſe debere obœdientia erga Deum, & ſtudio bonorum operum. atque ideo Paulus dicit, Chriſtum eripuiſſe nos à præſenti ſæculo malo, & addit finem, Vt ſimus zelotæ bonorum ope-

rum ope-

rum operum. Proinde Abrahami obœdientia nobis imitanda eſt, modo iure de patre noſtro Abrahamo gloriari voluerimus. Octaua circumſtantia, eſt vitæ œconomicæ in Abrahamo. Vocatus enim diuinitus Abraham, non abiecit curam familiæ, ſed magis induſtrium ſe præbuit cum domi tum foris: quæ res docet, œconomicá adminiſtrationem, diuitiarum iuſtum acquirendarum modum, contractus & legitima bella non impedire quo minus placeamus Deo, modo in earum rerum vſu veſtigijs patris noſtri Abrahami inſtiterimus. Nona circumſtantia, eſt fortunarum Abrahæ, quæ impij dogmatis Monachorum, qui perfectionem Chriſtianá in mendicitate collocant, eſt refutatio. Nam cum Abraham teſtimonio Dei perfectus eſt pronũciatus, etſi facultates haud mediocres habuerit, Sequitur perfectionem Chriſtianam nequaquam in poſſeſsionum abdicatione ſitam eſſe. immo hoc Abrahæ exemplum clare docet, in quo vera Chriſtianaq; perfectio ſita eſt. Nam cum voci Dei obtemperat, paratus ad mactandum filium vnigenitũ, ſatis docet, eam demum perfectionem eſſe Chriſtianá, cum quis credens Deo, omnia obœdientiæ erga ipſum poſtponit, quemadmodum Abraham fecit. Decima circumſtantia, eſt perſecutionis Abrahæ, quæ docet Eccleſiam cruci ſubiectam, vt exerceatur fides & inuocatio. Vndecima circumſtantia, eſt inuictæ fiduciæ Abrahami aduerſus varia ſcandalorum genera. Hic enim doloribus, hoſtium multitudine, & paucitate piorum non eſt fractus, ſed ſe fiducia liberationis glorioſæ in medijs ærumnis ſuſtentauit. Duodecima circumſtantia, eſt communis ſortis piorum, videlicet quod tametſi amicus Dei prædicetur: tamen communi ſorti hominum, videlicet morti ſubiectus erat: qui quidem non mortis aſpectum timuit, ſed gloriæ cœleſtis meditatione in media morte ſe erexit, ac animá ſanctam ſpe immortalitatis Deo commendauit. Hæc de circumſtantijs perſonæ Abrahæ adijcere placuit, vt nobis conſtet, qua ratione Abraham dicatur credentium pater, nimirum vt fidem & obœdientiam huius ſancti Patriarchæ Chriſtiani exprimant.

Operanti autem merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Verum non operanti, ſed credenti in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides eius in iuſticiam.

Tertium argumentum ſumtum à differentijs ſeu contrarijs definitionibus mercedis operum & iuſticiæ fidei. Ponit autem hîc Paulus duas propoſitiones, quæ cum propoſitioni probandæ accommodantur, hic conficitur ſyllogiſmus: Imputatio gratuita non eſt operantis merces. Iuſticia credentis eſt imputatio gratuita. Ergo, Iuſticia credentis non eſt merces operantis. Maior probatur per contrarium. Merces operanti, id eſt, ei qui aliquid operibus promeretur, datur ex debito. Igitur non eſt gratuita imputatio. Probatio hæc per conceſsionem Rhetoricam intelligenda eſt. Nequaquam enim Paulus ſentit, quod quiſquam ex debito fiat iuſtus reuera, ſed quæ ſit natura rerum indicat. Minor teſtimonio Moſis, Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſticiam, nititur. Ex concluſione infertur propoſitio probanda, nempe quod iuſticia ſit ex fide. Cõſequentia ex ſuperioribus manifeſta eſt. vbi propoſuit Apoſtolus, iuſticiá aut ex fide aut ex operibus eſſe. Cum itaq; ex operibus non ſit, ſequitur eam ex fide eſſe. Hæc vis eſt argumenti Paulini. Verum nos plures colligamus hypotheſes ex verbis Apoſtoli. Harum prima ſit, de qua hîc potiſsimum agitur, quod iuſticia, qua iuſtificatur homo coram Deo, ſit imputatio iuſticiæ, quæ fide accipitur. Secunda, Quod imputare ſit aliquid ex gratia conferre, non ex debito tribuere. Imputare enim ex gratia, & ex debito tribuere, ex diametro pugnant. Tertia, quod merces propriè ſit, quod debebatur ex merito, hoc eſt, debiti ſolutio. Etſi pro genere, idq́ue frequentiſsime συνεκδοχικῶς capitur, hoc eſt, pro quauis compenſatione. Hoc genus, compenſatio, quia duas habet formas, fit vt merces nunc pro debita, nunc pro indebita compenſatione accipiatur. Cum dicitur, merces datur operanti, ſignificatur debita compenſatio, idq́ue intelligendum eſt & de bono & de malo opere. At alibi dicitur, Merces veſtra copioſa eſt in cœlis, ſignificatur compenſatio indebita, & gratis propter promiſsionem collata. Quarta, Quod gratia & debitum apud Paulum ita opponantur, vt de eodem dici non poſsint. Habent enim cauſſas immediatè contrarias. Quinta, Quod vt duplex iuſticia eſt operũ & fidei: ita illa debita, hæc gratuita appelletur Hæc diſtinctio non habet hunc ſenſum, quod aliquis poſsit cõſequi iuſticiam illam ex debito, ſed rerum differentias facit, vt ſupra admonui, vt fidei iuſticia intelligatur diuerſa eſſe à legis iuſticia. Habent enim hæ iuſticiæ formæ differentias ſpecificas. Sexta. Quod impium iuſtificare ſit remiſsis peccatis illum iuſtũ facere per imputationem alienæ iuſticiæ, nempe Chriſti. An nõ ſcriptura clamat: Qui condemnat iuſtum, & iuſtificat impium, vterque abominatio eſt coram Deo? Hoc igitur quomodo Deo conueniet?

ueniet? An is facit quod in alijs abominatur? Nullo modo. Aliud enim Paulo aliud Prophetæ ſignificat iuſtificandi verbum. Nam apud Prophetam iuſtificare eſt, ſententia iudiciaria nocentem abſoluere, ne pœnas debitas luat, & nihil præterea. Verum apud Paulum, iuſtificari nō ſolum eſt abſoluere reum, ne ſui reatus cauſſa pœnas luat, verumetiam ſignificat ex iniuſto iuſtum facere, imputatione iuſticiæ Chriſti. Septima, hac oratione: Qui iuſtificat impium, ſignificatur & qualis homo ſit ante iuſticiæ imputationẽ, nempe impius, & quod nulla merita congrui præcedant iuſtificationem, ſed vt à parte hominis mera præcedat impietas, ita à parte Dei ſola paterna beneuolentia in filio. Octaua, Euertitur hîc dogma eorum, qui clamant, opera neceſſaria ad ſalutem, quæ ſalus, cum à iuſtificatione ſeparari nequit, non habet alias cauſſas aut merita, quàm ipſa iuſtificatio. Hoc tamen fatendum eſt, quod opera neceſſario requirantur in iuſtificatis, vt iter intermediũ, non vt cauſſæ aut merita. Nona, Cum hîc non operans & operans opponuntur, ſciendum eſt, quod vt operans dicatur hoc loco, is qui ſuis operibus meretur iuſticiam: ita non operans dicatur, qui operibus ſuis non meretur iuſticiam, ſed qui in gratuitam Dei bonitatem recumbit fide, quo iuſtus fiat. Cuius rei pulcherrimũ exemplum proponitur in Paulo ipſo ad Philippenſes tertio, qui de ſeipſo ſcribit hoc modo Omnia vt detrimentum reputo propter excellentem cognitionẽ Chriſti Ieſu Domini mei, propter quem omniũ iacturam paſſus ſum, & omnia reputo vt reiectamenta, vt Chriſto lucrifaciam & inueniar in eo nō habens meam iuſticiam, quæ eſt ex lege, ſed eam quæ eſt per fidem IESV CHRISTI. Hic Apoſtolus non ſpoliat ſeipſum operibus bonis, ſed fiduciam operum abijcit, quo locus ſit iuſticiæ Dei, quæ fide in IESVM CHRISTVM accipitur & poſsidetur.

Quemadmodum & Dauid finit beatitudinem hominis, cui Deus imputat iuſticiam abſque operibus. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ tecta ſunt peccata, Beatus vir cui non imputauerit Dominus peccatum.

Quartum argumentum ab autoritate Dauidis & definitione iuſtificationis ſumtum, cuius maior tantum ponitur cum ſua probatione à coniugatis deſumta, hoc modo: Beatitudo hominis eſt imputatio iuſticiæ abſque operibus. Iuſtificatio eſt beatitudo hominis. Proinde, Iuſtificatio eſt imputatio iuſticiæ abſque operibus. Probatur maior hoc pacto: Beatus eſt, cui eſt remiſſum, tectum, & non imputatum peccatum. Ergo, Beatitudo eſt remiſsio, rectio & non imputatio peccati. At cui non imputatur peccatum, ſed eſt remiſſum, illi verè iuſticiæ imputatio imputatur ex gratia. Proinde, Beatitudo eſt imputatio iuſticiæ abſque operibus. Porrò Pſalmus Dauidicus, vnde ſumtum eſt hoc teſtimonium, didaſcalicus eſt. in quo & expoſitione & exemplo docetur, quænam ſit vera iuſtificandi ratio. Sunt autem huius Pſalmi partes plures. In principio enim definit, quęnam ſit vera coram Deo beatitudo. Deinde oſtendit, cuinam remittatur peccatum, nempe illi ſoli, qui ſine dolo peccatum agnoſcit, & confugit ad miſericordiã. Tertio loco vniuerſalis doctrina additur, nempe quod omnes teneantur peccati reatu, ideoq; debere peccatorum veniam petere etiam ſanctos. Quarto oſtendit, quod conſecuti remiſsionem peccatorum, obœdientiã debeant Deo præſtare iuſtificati. Quinto, Quia Eccleſia cruce premitur, finis crucis piorum aſsignatur, nimirum vt veluti camo & freno coerceantur, ne in peccata ruant, & peccatis inuoluti pereant. Sexto loco pœna impiorum indicatur. Septimo, effectus veræ beatitudinis ſignificatur eſſe gaudium ſpiritus, quo in Domino lętantur & exultant iuſti. Poſtquam œconomiam Pſalmi oſtendimus, paulo altius verba Dauidis, quæ ex hoc Pſalmo deſumſit Paulus, perpendamus & examinemus. Primo ergo loco meminit remiſsionis peccatorũ: Vnde docemur, quod nemo pro peccato ſatisfacere Deo poſsit. Nemo enim debitum remittit quod ſoluitur. Huius remiſsionis pulcherrima imago propoſita eſt Matt. 18. in debitore 10000. talentorum. Secundo decemur hoc loco voce remiſsionis, quod Deus nō amplius iraſcatur homini, cui peccatum remiſit. Vt enim pater filium prodigũ Lucæ 15. ſumma beneuolentia complexus, poſtquam confugienti ad ſe remiſerat peccatum: ita Deus Dauidem, remiſſo peccato, ſummo fauore proſecutus eſt. Verum quid vberioris doctrinæ cōtineat vox Remiſsionis, vide in Catechiſmo noſtro. Deinde Pſalmus definit aliquo modo remiſsionem peccati, cum inquit: Et quorum tecta ſunt peccata. hoc peccati tegumentum de duabus maximis rebus nos admonet. Primum, quod non ita tollatur peccatum, quin vitium remaneat in natura, donec in hac mortali vita ſumus. Quod enim tegitur, nō prorſus tollitur, ſed abſconditur tantum. Verum ſciendum eſt, in peccato duo eſſe, formale videlicet, ipſe reatus: qui remittitur & tollitur ſimul: & materiale, quod tegitur & non impu-

imputatur. Deinde monemur hoc loco, vt qualénam ſit illud vmbraculum peccatum tegens, cogitemus. Eſt enim hoc vmbraculum nihil aliud quàm Chriſtus Dominus cum ſua victima expiatrice: cuius vmbraculi ſeu tegumenti ſymbolum fuit olim veſtitus Adæ, Geneſ. 3. Nam cum Adam à Deo pellibus veſtitus ſcribitur, figura ſignatur, quod etſi peccatum manet in homine: tamen Chriſti vmbraculo tegatur, ne imputetur credenti. Et hoc vmbraculum etiam figuratum fuit in aurea lamina (quæ dicebatur propitiatoriũ) qua tegebatur lex ipſa cum ſua maledictione in arca teſtamenti, hoc eſt, Chriſti victima tegit peccatum, ne ſententiæ legis obnoxij damnemur. Præterea in Pſalmi verbis adductis ab Apoſtolo additur: Beatus homo cui non imputauerit Dominus iniquitatẽ, quo dicto ſignificatur, quod Dominus peccatum remiſſum & tectum nequaquam punire velit, præſertim ęternis pœnis. Quod autem Dauidem corporalibus pœnis punierit poſt remiſſum peccatũ, non fuit iudiciaria pœna, ſed paterna diſciplina, qua clementiſsimus pater filium in officio continuit. Diſcrimẽ iniquitatis & peccati ex Græcis appellationibus hoc ſtatui debet: Iniquitas eſt, quicquid cum lege Dei pugnat, Græcè enim ἀνομία dicitur. Peccatũ verò proprie errata & commiſsionis delicta notat, Græcè ἁμαρτία.

Beatitudo ergo hæc ad circumciſionem an etiã ad præputium? Dicimus enim quod imputata ſit Abrahę fides in iuſticiam. quomodo ergo imputata eſt? In circumciſione an in pręputio? Non in circumciſione, ſed in præputio.

Quia dixerat beatos, quibus imputatur per fidem iuſticia, commode quęſtionem mouet de circumſtantia, ad quoſnam pertineat iſta beatitudo, an ad ſolos circũciſos Iudæos, an etiã ad non circumciſos, hoc eſt, ad gẽtes. Ponitur autem hîc cicumciſio & præputiũ metonymicè pro ſubiectis, hoc eſt, pro Iudæis & gentibus, vt ſupra in tertio capite. Ad quæſtionem autem reſpondet Apoſtolus, videlicet quod iſta beatitudo, quæ imputatur credentibus, pertineat promiſcuè ad omnes cum Iudæos tum gentes, quicunque eam fide recipiuut. Eſt enim gratia hæc vniuerſalis. Verum quia potiſsimum in quæſtione verſabatur, an illa gratia beatitudinis ꝑtineret ad gentes etiam, hoc ſyllogiſmo Apoſtolus concludit eam ad gentes quoque pertinere. Abraham credens reputatus eſt iuſtus. Abraham credens fuit incircumciſus. Ergo, Incircumciſi modo crediderint reputantur iuſti. Pertinet igitur hæc beatitudo etiam ad gentes. Maior & minor expreſſe ponuntur. Verum vt oratio fieret acrior, & validius inferret concluſionem, vſus eſt Apoſtolus ſubiectionis ſchemate.

Et ſignum accepit circumciſionis ſignaculum iuſticiæ fidei, quæ fuerat in præputio.

Occupatio neceſſaria eſt, qua anteuertit eos, qui ex dictis inferre poterant, circumciſionem vel plane inutilem eſſe, vel eſſe complementum iuſticiæ antea per fidem inchoatæ. Hanc obiectionem diluit Apoſtolus, monſtrato vero circumciſionis vſu hoc modo: Circumciſio eſt ſigillum quo obſignatur iuſticia fidei. Ergo circumciſio nec eſt inutilis, quia eſt obſignatio iuſticiæ per fidem acquiſitæ, nec eſt complementum iuſticiæ, quia aliud eſt res, aliud rei obſignatio. Porrò quia hic locus admonet nos de vſu Sacramentorum, volo, idque breuiſsime, rationem Sacramentorum in genere excutere. Principio itaq; quo pacto Deus ſuam Eccleſiam inde vſque ab edita prima promiſsione ſeminis, rexerit & adminiſtrauerit, operæprecium eſt obſeruare. Ea enim obſeruatio, & quæ ſint miniſterij partes, & quomodo inter ſe conſentiant, clariſsime manifeſtabit. Semper inde à mundi exordio hunc morẽ ſeruauit Deus, quod promiſsionibus ſuis vel recens propoſitis, vel ſolenniter repetitis, adiecerit externa ſigna, tanquam aſpectabiles ſuarum promiſsionum conciones, quæ ſigna ob res ſacras quas ſignificant, à Latinis Sacramenta dicta ſunt, à Græcis μυστήρια appellata, eò quod ſub rebus aſpectabilibus res arcanæ & ſpirituales continentur. Atque hac de cauſſa Auguſtinus veriſsime dicit: Sacramentum eſſe viſibile verbum. Nam quod Dominus verbo offert, id ſacramento tanquam viſibili teſtimonio obſignat. Vtrumq;, hoc eſt, & verbum & ſacramentum fidem requirit, quia vtrumque eſt promiſsionis alicuius concio. Ex his facile intelligi poteſt ad ſubſtantiam cuiuſque ſacramenti hæc ordine requiri. Primum mandatũ Dei & inſtitutionem. Deinde externum ſignum, idque non ſimplex, ſed ſymbolicum. Tum promiſsionem gratiæ. Poſtremo fidem promiſsionis. Hæc quatuor Paulus hîc coniungit, cum ait: Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſticiæ fidei. Cum dicitur Abraham accepiſſe, notatur mandatum & inſtitutio diuina, de quibus Geneſ. 17. Cum nominatur circumciſio, externum proponitur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ponitur ſignum. Cum ſubiungitur ſignaculum iuſticiæ, ſignificatur illud externũ ſignum promiſsionis gratuitę iuſticię eſſe obſignationem quandam. Cum poſtremo loco additur, fidei, indicatur promiſſam iuſticiam fide accipiendam eſſe. Quatuor ergo ad rationem cuiuſque ſacramenti concurrunt, Mandatum ſeu inſtitutio diuina, Signum analogicum ſeu ſymbolicum, Promiſsionis verbum, & Fides promiſsionis. Nec aliud vult illud breue Auguſtini dictum in 15. caput Iohan. Accedit verbum ad elementum & fit ſacramentnm. Verbum intelligit inſtituentis Dei & promittentis: quod verbum requirit fidem & obœdientiam, elementum eſt res externa incurrens in ſenſus. His ita conſtitutis ex dictis extruamus definitionem Sacramenti generalem, hoc modo: Sacramentum eſt viſibile ſignum mandatum & inſtitutum à Deo, quo vt Deus hominibus ſuam gratiam teſtatur & obſignat: ita homines viciſsim ſuam in Deum fidem profitentur, eamq; vſu Sacramenti confirmant. Hinc etiam apparet quis ſit principalis finis ſacramentorũ. videlicet obſignare promiſſam gratiam, quæ fide accipitur & poſsidetur. Quod autem ſupra dictum eſt, ſignum externum oportere eſſe analogicum ſeu ſymbolicum, diligenter eſt obſeruandum. Dicitur autem analogicum ſeu ſymbolicum propter finem. Debet enim hoc ſignum eſſe velut aſpectabile verbum, hoc eſt, quod doctrinam ſimilitudine aliqua ſubijcit ſenſibus, atque ideo rectiſsime ſymbolum dicitur, id eſt, ſignum quod cõparatione (quam habet res viſibilis ad rem promiſſam & oblatam in ſacramento) docet. Hinc Auguſtinus: Si ſacramenta comparationem ad eam rem quam ſignificant non haberent, ſacramenta non eſſent. Circumciſio externa ſymbolo docuit hoc modo: Vt genitalis membri præputium præſcindebatur in circumciſione: ita figurabatur veterem naturam in regeneratione abſcindendam eſſe. In baptiſmo analogia ſeu ſymbolica ratio eſt inter aquam & ſanguinem Chriſti in effectibus. Vt enim aqua abluit ſordes corporis: ita eius aſperſione ſignificatur ſanguinis Domini virtus, quo homines emundantur à ſuis peccatis. In Cœna eſt analogia euidens inter panem & corpus, & inter vinum & ſanguinem. Sicuti enim pane nutriuntur corpora noſtra, & vino reficiũtur: ita corpore & ſanguine Domini in Cœna, modo fides aſsit, ſpiritualiter paſcimur. Hæc ſint in genere de Sacramentis dicta, plura petantur ex alijs ſcriptis.

Vt eſſet pater omnium credentium in præputio, quo ipſis etiam imputetur in iuſticiam.

Hic finis eſt cur Abrahamo imputata ſit fides in iuſticiam, cum adhuc eſſet incircumciſus, nimirum vt eſſet pater & typus gentium, quæ circũciſæ non ſunt. Nam cum gentes credunt promiſsionibus Dei de gratuita miſericordia, Abrahamum imitantur, quare eius filij imitatione ſunt. Quare cum credunt vt Abraham, imputatur fides ipſis ad iuſticiam, quemadmodum Abrahamo credenti fides ad iuſticiam imputata eſt. His monemur, vt Abrahamum nobis proponamus fidei & vitæ exemplum. Vnde Auguſtinus: Si filij Abrahæ eſtis, factis probate, non verbis.

Et pater circumciſionis non ijs qui ſunt ex circumciſione tantum, ſed etiam ijs qui inſiſtunt veſtigijs fidei patris noſtri Abrahæ, cum adhuc eſſet in præputio.

Reddit cauſſam cur Abraham iuſtificatus acceperit circumciſionem, nimirum vt circumciſorum etiam pater haberetur, præſertim eorum qui inſiſtunt veſtigijs fidei Abrahæ. Habet ergo Abraham duplices filios, videlicet carnales, iuxta originem carnis, & ſpirituales, iuxta cordis fidem, vt loquitur Auguſtinus. ad hos pertinet promiſsio, ad illos minime. Spirituales filios Abrahæ definit ipſe Apoſtolus, eſſe omnes homines, cum ex Iudæis oriundos, tum ex ipſis gentibus, quicunque inſiſtunt veſtigijs fidei Abrahæ, hoc eſt, qui recto ordine incedunt iuxta exemplum Abrahæ, & fidem promiſsionibus Dei habent, ſicuti Abraham habuit. Hæc vis eſt græcanicæ vocis ϛοιχοῦσι. Nam ϛοιχεῖν, ordine procedere, & veluti in verſus rectos porrigi ſignificat.

Non enim per legem promiſsio Abrahæ aut ſemini facta eſt, vt eſſet hæres mundi, ſed per iuſticiam fidei.

Sextum argumentum à cauſsis iuſtificationis ſumtum eſt, idque per collationem. Formari autem poteſt argumentum hoc modo: Illud iuſtificat per quod facta eſt promiſsio Abrahamo. Promiſsio autem Abrahamo facta eſt non per legem, ſed per iuſticiam fidei. hoc eſt, promiſsio iuſticiæ facta eſt non operanti, ſed credenti. Igitur non lege, ſed fide obtinetur iuſticia. Sola minor ponitur loco totius argumenti. Verum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ti. Verum quia minor hæc eſt κειμένον, atq; adeo συνέχον totius huius diſputationis de iuſtificatione, ſubijcitur probatio partium eius, quæ ſunt duæ, Vna, per legem non eſt facta promiſsio. Altera, per iuſticiam fidei eſt facta credēti. Harum partiū probationes gignunt noua argumenta, quæ ſi accommodantur propoſitioni, eam per ſe confirmant. Sed quid eſt, quod dicit Abrahamum per fidem factum hæredem mundi? An vnquam Abraham mundi hæres factus poſſedit terram, an tantum terrena bona per fidem obtinuit Abrahā? Reſpondeo ſynecdochen eſſe. Hæres enim mundi ponitur pro hærede terræ Canaan, quæ erat hæreditatis æternæ vitæ externus typus, ac veluti ſacramentum quoddam. Nam Abraham nullo pacto acquieuit in iſtis terrenis & momentaneis bonis, ſed ſemper ad principalem promiſsionem reſpexit. Eſt & concinna eorum interpretatio, qui Mundum accipiunt pro hominibus, qui in mundo ſunt. Atque ita ſenſus erit: Abraham hæres eſt mundi, id eſt, pater eſt multarum gentium.

Si enim ij qui ſunt ex lege, hæredes ſunt, inanis facta eſt fides, irrita facta eſt promiſsio. Lex enim iram operatur.

Septimum argumentum à deſtructione conſequentis, ſeu ab abſurdo, quod formabitur hoc modo: Si ij qui ſunt ex lege (hoc eſt, ſi illi qui operibus legis nituntur, vt per ea conſequantur iuſticiam) ſunt hæredes, ſcilicet vitæ æternæ, inanis eſt fides, & irrita facta eſt promiſsio. hoc eſt, fruſtra creditur promiſsioni gratuitæ iuſticiæ, ſeu vt Chryſoſtomus interpretatur, non opus erit gratuita ſalute. Sed nec fides eſt inanis, nec promiſsio irrita, hoc eſt, iuſticia & hæreditas contingit credenti promiſsioni gratuitæ iuſticiæ. Ergo ex lege, hoc eſt, propter opera legis non contingit hæreditas. Maior probatur à contrario effectu legis. Lex, inquit, iram operatur, hoc eſt, quia nemo legi ſatisfacit, lex ſubijcit omnes iræ Dei & damnationi, ſicuti oſtenſum eſt in tribus primis capitibus. Ergo lex non facit hæredes, quod eſt gratiæ opus. Vbi enim eſt ira, ibi gratia non eſt, quæ gratia eſt promiſsionis & hæreditatis cauſſa. Sublata itaque promiſsione, tollitur & fides. Nam fides ex promiſsione pendet. Duo hoc loco de fide diligenter obſeruemus: Vnum, quod fides non ſit tantum noticia hiſtoriæ & aſſenſus, ſed etiam fiducia promiſsionis, eaque firma. Alterum, quod fides habeat ſe correlatiue ad promiſsionem Dei, ita vt ſublata promiſsione, fides eſſe nequeat.

Siquidem vbi non eſt lex, ibi nec tranſgreſsio eſt. Propterea ex fide (eſt hæreditas) vt ſit ſecundum gratiam, quo firma ſit promiſsio omni ſemini.

Octauum argumentum, quo vt poſterior pars ſuperioris argumenti, quæ eſt per fidem facta promiſsio, confirmatur: ita eodem ipſa principalis propoſitio concluditur. Quare hîc ordinem probandi ſpectantes octauum argumentū conſtituamus, à connexione cauſſarum & effectuum ſumtum, quod in Soriten concludi poteſt hoc modo: Vbi non eſt lex, ibi nec tranſgreſsio. Vbi non eſt tranſgreſsio, ibi fides. Vbi fides, ibi gratia. Vbi gratia, ibi quoq; firma promiſsio. Proinde. Vbi nō eſt lex ſed fides, ibi firma promiſsio. Nam ſi ex lege penderet hæreditas, promiſsio omnino irrita eſſet propter iuſtam irā iudicis punientis peccatū, & damnantis reos. Poterit etiam commodiſsime & hoc pacto formari argumentum. Quicquid debet eſſe firmum, eſt ex gratia per fidem. Hæreditas promiſſa debet eſſe firma. Ergo promiſſa hæreditas eſt ex gratia per fidem. Probatur maior: Vbi eſt fides? vbi lex non eſt, ſcilicet accuſans & damnans, hac ſublata, nulla eſt peccati imputatio, ſed gratia ibi regnat: ex qua firmitas promiſsionis dependet, quæ fide accipitur. Poterit quoque concinne hoc modo formari argumentum. Vbi non lex, neque tranſgreſsio. In promiſsione non eſt lex. Ergo, In promiſsione non eſt legis tranſgreſsio. Et per conſequens firma eſt promiſsio, quæ ſi penderet ex conditione legis, omnino irrita eſſet.

Non ſolum ei quod eſt ex lege, ſed etiam ei quod eſt ex fide Abrahæ.

Dixit promiſsionem eſſe firmam omni ſemini, id eſt, omnibus credentibus: Nunc ſeminis diſtributionem addit. Semen ex lege vocantur Iudæi credentes, qui orti ab Abrahamo, lege circumciſionis ab alijs hominibus erant diſtincti. Semen ex fide vocātur gentes credentes. Supra opponuntur eſſe ex lege & eſſe ex fide ſimpliciter. Nam ibi eſſe ex lege dicūtur, qui ex lege quærunt iuſticiam, & ex fide, qui ex gratia ſine lege gratuitam iuſticiam accipiunt. Verum hîc opponuntur eſſe ex lege & eſſe ex fide, κατὰ τὶ, hoc eſt, quatenus fidei adiuncta eſt, aut non eſt adiuncta circumciſio. Nam totum ſemen ſupra vocauit, Omnes credentes: quod

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hîc in duas has formas diſtribuit, vt aliud ſit ex lege, aliud ex fide Abraham.

Qui eſt pater omnium noſtrum, quemadmodum ſcriptum eſt (patrem multarum gentium conſtitui te) coram eo cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint.

Ratio diſtributionis à relatiue oppoſitis. Si enim Abraham pater eſt noſter, nos certè eius ſemen, hoc eſt, filij ſumus. Eſſe autem Abrahamum patrem noſtrum, teſtimonio ſcripturæ Geneſis decimoſeptimo probatur, vbi promittit Dominus quod Abram ſit futurus pater, non vnius tantum populi, ſed multarum gentium. Antea quidem dictus eſt Abram, hoc eſt, pater excelſus, Verum vt nomen admoneret ipſum perpetuo promiſsionis diuinæ de multitudine gentium, quarum pater eſſet futurus Abraham, mutat Dominus nomen. qui vt antea dicebatur Abram, pater excelſus, iam dicatur & ſit Abraham, quaſi Abram hamon, hoc eſt, pater excelſus multitudine, ſcilicet ſeminis, ſeu pater magnæ multitudinis. Fuit ergo hoc nouũ nomen Abrahamo, veluti μνημόσυνον perpetuum huius magnificæ promiſsionis. Ex hoc tempore cœperunt infantibus nomina dare in circumciſione, hoc eſt, octauo à natiuitate die, vt nomen tum inditũ eſſet illis initi cum Deo fœderis teſtimonium. Hoc exemplũ poſtea imitati ſunt Chriſtiani, qui in Baptiſmo, qui ſucceſsit circũciſioni, nomina ſuis infantibus imponunt, in teſtimoniũ ſuſcepti Baptiſmi. Merito proinde noſtra nomina deberent nos admonere & fœderis quod cum Deo iniuimus, & abiurationis qua renunciauimus Sathanæ & eius operibus, accepta candida veſte in ſignum ablutionis peccatorum, & candidæ, hoc eſt, nouæ vitæ in poſterum agendæ. Sed hîc oritur quęſtio: Geneſis videtur polliceri carnale ſemen, quod & euentus confirmare videtur. Ex Iſmaele enim, qui natus eſt Abrahamo ex Hagar ancilla, prodierunt duodecim potentiſsimæ & nobiliſsimæ familiæ. Ex nepote Abrahę Iacob prodiêrunt duodecim tribus Iſrael, Ex nepote Eſau prodiêre Idumæi, Ex Chetura multi populi nati ſunt, vt habetur Geneſ. 25. Hanc quæſtionem diluit Paulus, cum dicit, Abrahamum patrem noſtrum corã Deo cui credidit: quo dicto primũ diſcernit inter filios Abrahæ ſpirituales & carnales. Deinde modũ propagationis oſtendit. Vt enim carnales filij iuxta origine͂ carnis ab Abrahamo deſcendunt, ita ſpirituales, qui filij corã Deo dicuntur, ſunt qui non naturæ propagatione, ſed fidei imitatione naſcuntur filij. Quare omnes, qui Abrahæ fidem imitantur, eius filij rectè dicuntur, idq; coram Deo, vt hîc Paulus loquitur. Sed quid ſibi vult adiecta amplificatiuncula: Qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint? Hæc amplificatio ideo adiecta eſt, vt Paulus doceat potentiam Dei fundamentum eſſe complendarum promiſsionum, atq; adeo totum ſalutis beneficium ſoli bonitati Dei aſſcribendum eſſe. Sicuti enim Ahraham effœtum, & Saram natura & ætate ſterilem fœcundos reddidit: ita & alios ſua dignatur gratia, dum vocat ex gratia. Cum itaque dicit: Qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non ſunt tanquam ſint, periphraſis eſt omnium hominum, qui cum ſteriles ſunt in ſe, eos tamen ſua gratia fœcundat. Obſeruemus itaque in omnibus promiſsionibus Dei ad diuinam potentiam reſpiciendum eſſe, qua poteſt Dominus omnia quæ vult, & vult omnia quæ ſuo verbo promittit, quantumuis abſurda ſenſui carnis videantur,

Qui præter ſpem ſub ſpe credidit, vt fieret pater multarum gentium.

Confirmatæ propoſitioni ſubiungit Apoſtolus expoſitionem paradigmaticam, in qua fidei naturam in illuſtri exemplo tanquam in tabula proponit. Poſtquam enim tantum fidei tribuit, quod ea ſola iuſticiam Dei apprehendat. qua ornati, ſententiæ legis damnatoriæ non amplius ſumus obnoxij, ſed potius iuſti effecti imputatione diuina, æternæ vitæ hæredes inſcribimur, merito quæri poteſt, quęnã ſit ratio fidei: (Nam vocabuli huius vis ampla eſt,) & quęnam ſit illa iuſticia, qua iuſti reputamur. Paulus itaque veluti analyſin propoſitionis inſtituens, ſingulas eius partes ſeorſum tractat, ne dubia ſente͂tia vocũ fluctuent lectores. Proponit autem Apoſtolus exemplum idem, quo propoſitionem potiſsimũ confirmauit. Vnde per locum à coniugatis, quæ ſit vera fidei iuſtificantis ratio, oſtenditur. Eſt enim hoc Dialecticorum præceptum, vt cum quærítur de abſtracti definitione, eius concretum in illuſtri exemplo adhibeatur in conſilium, vt ex concreti huiuſmodi actionibus & officijs perſpiciamus, & eruamus, quæ ſit abſtracti propoſiti ratio. Sic, quid prudentia ex prudentis perſona, actionibus & officijs eruit Ariſtoteles libro 6. Ethicorum, cum ita ait: Prudentiã ita demum intelligemus, ſi quales prudentes dicantur, conſiderauimus. Eſt aute͂ prudentis

dentis officium, habere facultatẽ rectè deliberandi de ijs, quæ non ex parte vt ſanitatem aut robur efficientia: ſed in genere ſibi vtilia bonáque ſunt, & ſpectant ad vniuerſam vitam. Hinc Ariſtoteles per locum coniugatorum hanc prudentiæ definitionẽ extruxit. Prudentia eſt habitus verus cum ratione coniunctus & idoneus ad ea, quæ proſunt humanæ vitæ, gerenda. Neque alia ratio eſt exemplorum. Nam illa concretorum loco ponuntur, & magis incurrunt in oculos. Hac Dialecticorũ norma ſeruata, ſi quæritur quid ſit ſanctitas, quid pietas, quid perfectio Chriſtiana, quid patientia & alia huiuſmodi, facile eſt reſpondere propoſitis concretis, hoc eſt, harum rerum illuſtribus exemplis. Hanc regulam & Paulus ſecutus, fidei rationem explicandam aggreditur hoc modo: Qui præter ſpem ſuper ſpe credidit. Pauca quidem ſunt hæc verba, ſed totam fidei naturam ſummatim exprimunt. Abraham, inquit, vbi nulla rationi & carnis ſenſui affulſit ſpes, nixus tamen promiſsionibus Dei credidit. Eſt ergo fides fiducia promiſsionum diuinarum contra omnẽ carnis ſenſum & expectationem. In voce, ſpei, antanaclaſis figura eſt, priore enim loco obiecta ſpei, quib. mouetur ratio, notat. Poſteriore vero promiſsionẽ diuinã ſignificat. Nam ſuper ſpe credere, eſt veluti ſuper fundamento rei ſperatæ fidem ædificare. Obſeruandus proinde eſt hic locus inprimis, qui docet apertiſsime, quod fides ſit certa fiducia rerum ſperatarũ propter promiſsionem Dei, etiamſi tota rerum natura repugnare videatur. Refutantur igitur Papiſtæ, qui dicunt fidem, de qua Paulus loquitur, eſſe tantum hiſtoriæ noticiam & aſſenſum, qualis eſt in Diabolis & in impijs, qui articulos fidei norunt & profitẽtur voce. Quod autem dicitur: vt fieret pater multarum gentium, pars eſt quædam benedictionis, quæ facta eſt Abrahamo, & in ſe includit ſynecdochicôs totum ſalutis beneficium.

Secundum id quod dictum ei fuerat: Sic erit ſemen tuum.

Rationem ſeu naturam fidei generatim in illuſtri exemplo propoſuit: Nunc, vt fiat fidei ratio illuſtrior, particulatim id facit. Nam quæ generatim dicuntur obſcurius, explicata particulatim illuſtriora redduntur. Enumerat autem ſex fidei ſiue partes ſeu conditiones, ac primo loco eius proprium obiectum ponit, quod ipſa intuetur, vnde & nomen habet ſuum, hoc autẽ obiectum eſt ipſa Dei promiſsio. Sic erit ſemen tuum, in qua principalis promiſsio incluſa eſt de ſemine, qui eſt Chriſtus. Hinc ergo conficitur quod promiſsio ſit fidei correlatiuum. Eſt itaque fides cognitæ promiſsionis fides. tolle promiſsionem, fides ſublata eſt. Et contra, vbi nulla promiſsio, nulla fides. Hinc etiam ſequitur, differentias fidei pendere ex promiſſionum varietate. Eſt promiſsio legalis, cum cõditione impoſsibili, ſi nos ipſos reſpicimus: Qui fecerit ea homo, viuet in eis. Huic promiſsioni legali fides legalis reſpondet, quam & Decalogus requirit. Eſt promiſsio gratuitæ iuſticiæ, cui fides Euangelica ancillatur. Eſt fides remunerationis obœdientiæ à ſanctis præſtitæ, quam fides remunerationis intuetur, ſed ſemper extra iuſtificationis negociũ. Sic Moſes dicitur reſpexiſſe ad remunerationem. Qui ergo dicunt fidem iuſtificantem eſſe opus exactum lege Dei, vt caritas & alia officia, modos fidei non recte diſcernunt. Porrò ſi fidei differentias ab ipſis ſubiectis in quibus eſt petamus, alia fides DEI eſt, alia hominum, alia Diabolorum. Fides DEI eſt vel ipſa Dei promiſsio, vel veritas & conſtantia dictorumq́ue factorumq́ue in Deo. Fides hominum alia eſt Chriſtianorum propria, alia hypocritarum, alia communis Chriſtianis & hypocritis. Diabolorum fides eſt, cum noticia promiſsionum & comminationum diuinarum tremor quidam propter impendens iudicium.

Ac fide minime debilitatus non conſiderauit ſuum ipſius corpus iam demortuum, cum centum circiter natus eſſet annos, nec emortuam vuluam Saræ.

Secunda deſcriptionis fidei pars. Quemadmodum Abraham excluſit omnes rationis & carnis obiectiones, dum facta eſt ei promiſsio ſeminis: ita vera fides omnem carnis ſenſum, dum intuetur promiſsiones Dei, ſecludit. Primum etenim ratio in Abrahamo ſtatuit impoſsibile eſſe, vt effœtus ſenex fieret pater. Deinde obiecit ratio præcluſionẽ Saræ, eamq́ue duplicem. Nam & natura erat ſterilis, & tempore iam grandior, quàm vt concipere, vel aluum geſtare potuerit. His rationis argumentis non ſuccumbit Abrahã, immo potius inuictus factus, conſtantiſsime in fide promiſsionis perſtitit. Atq; hoc eſt quod dicit, minime debilitatus, id eſt, fortiſsimus factus. Eſt enim Liptote vſitata Hebræis, qui contrarium eius quod negant, fortiſsime aſſeuerant. Hac ergo oratione exponit quid ſit quod ſupra dixit: Præter ſpem ſub ſpe credidit. Docet & hic locus, quod fides non ſit tantum noticia & aſſenſus, ſed etiam firma fiducia, quæ nullis rationis argumentis ſuccumbit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Aduerſus promiſsionem autem Dei nõ diſceptauit infidelitate.

Tertia pars deſcriptionis fidei. Quemadmodum Abraham non hæſitauit de promiſsione diuina ob incredulitatem, ita fides vero verbo promiſsionis acquieſcit, & pendet tota ex promiſsione Dei omnem dubitationem excludens. Obſeruetur hoc loco confutatio dogmatis Papiſtici de dubitatione, quam illi cum fide coniungunt. Sed Paulus eandem à fide prorſus alienam eſſe teſtatur. Vbi enim ſunt diſceptationes, quibus moti, nunc in hanc, nunc in illam partem ferimur, ibi vera & firma fiducia eſſe nequit.

Sed robuſtus factus eſt fide.

Quarta fidei conditio, videlicet, quod fides veluti collectis viribus luctetur aduerſus incredulitatem, & dubitationem vincat. Eſt ergo in ſanctis lucta carnis & ſpiritus, & ſpiritus collectis viribus opponit ſe carni. Probat itaque & hoc dictum, quod fides non ſit tantum noticia hiſtoriæ, ſed etiam firma promiſsionis fiducia.

Tribuens gloriam Deo.

Quinta fidei conditio eſt: Quod fides Deo verum cultum tribuat, qui ſine fide præſtari nequit. Obſeruetur hæc fidei proprietas, quæ ſibi nullam, ſed Deo omnem tribuit gloriam.

Et plene perſuaſus, quod quicquid promiſit, poſſet etiam præſtare.

SEXTA fidei conditio, quod fidei ea conſtantia & certitudo eſſe debeat, vt nullo pacto patiatur ſe auelli à promiſsionibus diuinis, ſed ſemper incrementa ſumat, certiſsima fiducia ſibi perſuadens, quod qui promiſit, & poſsit & velit promiſſa præſtare.

Ideo & imputatum eſt illi in iuſticiam.

Expoſuit qualis fuerit fides Abrahæ. Nunc quid ea fides ei profuerit, adiungit, ac pronunciat eam fuiſſe Abrahamo imputatam ad iuſticiam, hoc eſt, quod Abrahã fide apprehenderit Chriſti iuſticiam, qua illi imputata, iuſtus & acceptus fuit Deo. Hactenus Apoſtolus propoſuit in illuſtri exemplo veram fidei indolem, nunc per locum à coniugatis definitionẽ fidei abſolutam extruamus hoc modo: Fides eſt noticia & firma fiducia diuinarum promiſsionũ, excludens carnis ſenſum, ac rationis argutias pugnantes cum verbo promiſsionis diuinæ, atque adeo omnem hæſitationem, acquieſcens in verbo promiſsionis diuinæ, ſua conſtantia omnem incredulitatem vincens, quæ cum verè Deo gloriam tribuat, pleniſsima fiducia promiſſa Dei expectat. Hæc fidei iuſtificantis ratio eſt, quæ breuius in hanc ſummam cogi poteſt: Fides eſt noticia aſſenſus, expetitio & certa fiducia promiſſæ ſalutis propter Chriſtum. Huc adijciam memorabile dictũ Bernardi de fide: Tranſgreditur, inquit, fides rationis fines, humanæ naturæ vſum, experientiæ terminos.

Non ſcriptum eſt autem propter illum tantum, quod imputatũ ſit illi. Sed etiam propter nos quibus imputabitur credentibus in eum, qui excitauit Dominum noſtrum IESVM à mortuis, qui traditus fuit propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtri.

Tranſlatio hypotheſis ad theſin, ſeu accommodatio exempli Abrahami ad credentes. Hanc accommodationem amplificat Apoſtolus ab obiecto fidei, & ſimul quæ ſit materia noſtræ iuſticiæ exponit, ſed bréuius: quia hoc in quinto capite proſequitur latius. Obſeruetur hîc catholica doctrina de beneficijs Chriſti, qui morte quidem ſua, hoc eſt, obœdientia tota crucis expiauit peccatum. Eſt enim victima, λυτρον & σώστρον, quo homines à iure peccati abſoluti & redemti æterna donantur ſalute, reſurrectione vero iuſticiam nobis parauit. Nam niſi reſurrexiſſet Dominus, victima ipſius nequaquam fuiſſet ſatis nobis à iure peccati redimendis. Nam tum non victor mortis, ſed ſuperatus à morte fuiſſet. Hoc loco obſeruemus ſynecdochen vſitatam in ſcripturis, qua parti ſæpe tribuitur quod eſt totius. Hîc tribuit reſurrectioni Chriſti iuſtificationem noſtri, in quinto eandem ſanguini Chriſti, hoc eſt, victimæ Chriſti aſſcribit. Hinc docemur beneficium ſalutis cum toti obœdientiæ Chriſti, tum ſingulis eius partibus tribuere. Rectè proinde dicitur: Chriſtus natus, circumciſus, oblatus in templo, paſſus, excitatus à mortuis propter noſtra peccata. Et rurſus ſingulis actionibus Chriſti idem effectus tribui

poteſt, vt Chriſtus ſua natiuitate nos redemit, & ſic de alijs. Pendet erga ſalus noſtra tota, non ex noſtris, ſed ex Chriſti meritis: quorum verè participes ſumus, quando Chriſtum ſide induimus, tunc enim fit nobis & vmbraculum quo tegitur peccatum noſtrum, & iuſticia qua placemus Deo dilecti in dilecto.

CAPVT V.

Summa Capitis quinti.

Fructus iuſtificationis enumerando amplificat Apoſtolus charitatem Dei erga homines. & vt doceat quæ ſit materia iuſticiæ, de qua hactenus diſputauit, inſtituit collationem Adæ & Chriſti, oſtendens, quod vt Adæ lapſus fuerit nobis iniuſticiæ, mortis & damnationis cauſſa, ita Chriſti obœdientia ſit nobis iuſticiæ, vitæ ac ſalutis materia.

Ordo & partes Capitis quinti.

Abſoluta confirmatione iuſtificationis ex fide, commode Apoſtolus in principio huius capitis, quæ beneficia cum iuſtificatione coniuncta ſunt enumerat. vt ſunt, pax cum Deo per Chriſtum, acceſſus ad Deum, ſpes gloriæ Dei, conſolatio ſub cruce, & gloriatio in Deo. Horum omnium cauſſam principalem interponit, caritatem Dei erga homines, quam caritatem à ſignis & comparatis amplificat. Deinde tertio loco, vt doceat quænam ſit illa iuſticia Dei, qua iuſtificatur qui credit, monſtrat, Quod vt ab Adam peccatum, mors & damnatio, ita à Chriſto proficiſcatur iuſticia, vita & ſalus.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

IVSTIFICATI igitur ex fide, pacem habemus apud Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Hunc PRIMVM effectum iuſtificationis infert ex fine quarti capitis: ibi enim ratio ponitur, cur iuſtificati ex fide, habeant pacem cum Deo. videlicet quod eorum peccatum ſit expiatum morte Chriſti. Fecit enim peccatũ Deum nobis inimicum & hoſtem. Quare eo ſublato, inimicitia quoq; tollitur, & pax ſtabilitur: quæ pax fundatur in voluntate Dei, charos nos habentis in filio expiatore peccati, & terminat in fide noſtra recipiente oblatam gratiam. Porrò hæc breuis ſententia continet & vberrimã doctrinam, & conſolationẽ dulciſsimam. Doctrinæ partes ſunt plures. PRIMA, Quod iuſticia ſit ex fide. SECVNDA, Quod iuſtificatio ſit reconciliatio noſtri cum Deo. TERTIA, Quod hæc reconciliatio ſit facta per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Mediatorem, cuius victimæ merito abſoluti à reatu, donamur iuſticia ipſius, & acceptamur ad vitam æternam gratis, propter Chriſtum. QVARTA, Quod ſine fide rei ſimus coram Deo, hoſtes Dei, & ſubiecti damnationi, vt qui adhuc ſub ira Dei detinemur captiui. QVINTA, Refellitur falſiſsimũ dogma eorum, qui fingunt homines meritis congrui ante gratiã præparari ad iuſtificationem. Quid enim quæſo mereri poteſt iniuſtus, reus, damnatus, ſub ira Dei conſtitutus? Talis eſt omnis, qui non eſt iuſtificatus ex fide. Conſolationis ſumma eſt, quod credentes ſciant ſe habere Deum propitium, ſciant ſe acceptos eſſe fide, etſi adhuc ſentiunt peccatum. Non enim ſua merita, ſed Chriſtum Mediatorem intuentur. Contra autem nunquam poſſunt tranquillo eſſe animo, qui opera & merita ſpectant, & ea tanquam mediatores inter ſe & Deum collocant, quod ſane omnes illi faciũt, qui ſuis operibus iuſtificari volunt.

Per quem etiam fide habuimus acceſſum in gratiam hanc, in qua ſtetimus.

SECVNDVS effectus fidei primo neceſſario coniunctus, nempe acceſſus in gratiam Dei. Hic acceſſus non pedibus corporis, ſed fiducia fit Mediatoris, dum ex fide Mediatoris Deum inuocamus. Gratia fauor Dei eſt: cuius fundamentum eſt gratuita beneuolentia in Deo, qui nos in Chriſto charos habuit. Terminus eſt perſona placens fide. Atque ita hoc loco vox gratiæ omnino accipienda eſt. Interdum gratiæ vox per metonymiam pro effectibus fauoris

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Dei ſumitur, idque tripliciter. AVT enim accipitur pro imputatione iuſticiæ, vt infra, vbi gratiam & donum coniungit. AVT pro infuſis donis, vt ſunt fides, gaudium ſpiritus, pax, tranquillitas conſcientiæ, &c. AVT pro donis vt hanc vitam potiſsimum ſpectantibus, qualia ſunt animæ & corporis dotes variæ & multiplices. Cum his etiam conuenit Auguſtini diſtinctio, qui duplicem gratiam facit: quarum vna gratia gratis dans, altera gratia gratis data appellatur. Gratia gratis dans, eſt ipſe fauor Dei, ſeu Deus ipſe. Gratia gratis data eſt, quicquid ex fauore Dei nobis datur. vt illa ſit cauſſa, hæc effectus. Opponitur autem gratia merito, vt infra cap.10. & debito, vt ſupra cap.4. Merito quidem, quia nulla in nobis ſunt merita fauoris Dei. Debito verò, quia Deus ex ſola gratia in nos liberalis eſt, non expectans vllam noſtram compenſationem. Rectè igitur Auguſtinus: Gratia eſt, inquit, nullo modo, quæ non eſt gratuita omni modo. Dicitur enim gratia, vt idem teſtatur, quia gratis datur. Gratis autem datur, quia merita non præceſſerunt, ſed beneficia Dei te præuenerunt. Eiuſdem Auguſtini eſt & hæc diſtinctio, vt ſit gratia Vna operans, Altera cooperans. Illa præparat hominis voluntatem vt velit, hæc adiuuat ne fruſtra velit. Sed hæc diſtinctio eſt gratiæ gratis dantis, eſtq; non formæ, ſed modi diſtinctio. Hæc de Gratiæ vocabulo admonere hoc loco volui, vt ſtudioſi in lectione ſcripturæ ſignificata huius vocis rectè applicent. Iam quæ potiſsimum hîc obſeruanda ſunt, annotabimus. PRIMO itaque loco obſeruetur effectus fidei, qui eſt non ſolum acceſſus ad Deum, verumetiá perſeuerantia in gratia. quæ ſignificatur ſtandi vocabulo, vt fides ſit perſeuerans in gratiæ fiducia. SECVNDO loco obſeruetur teſtimonium, quod fides ſignificet non tantum noticiam hiſtoriæ, & aſſenſionem, ſed etiam fiduciam. Nam per hiſtoriæ noticiam, & nudá aſſenſionem nemini patet acceſſus ad Deum. Vnde ad Epheſios 3. per quem habemus audaciam & acceſſum in fiducia per fidem ipſius. Obſeruetur PRÆTEREA maxima credentium conſolatio, quæ ex hoc loco peti poteſt. Credentes enim non in ſe, non in vllis ſuis meritis & dignitate, ſed in ſolo CHRISTO habent fiduciam accedendi ad Deum, obtinendi gratiam, & in diuino fauore perſeuerandi. Huc pertinet illud Auguſtini: Totius fiduciæ certitudo in precioſo ſanguine Ieſu Chriſti. PRÆTEREA confutatur hoc Pauli dicto peſtilentiſsimus Papiſtarum error, qui iubent quærere alios mediatores & patronos, quàm vnicum IESVM CHRISTVM, Dicunt præſumtionem eſſe ſine patrono accedere ad Deum: quare vt contumelia afficiunt Chriſtum Mediatorem, & ſtabiliunt idololatriam: ita ſumma conſolatione ſpoliant homines, eos auocantes à vero Mediatore, ad inuocationem Sanctorum, quod eſt Antichriſti proprium.

Et gloriamur ſuper ſpe gloriæ Dei.

TERTIVS effectus fidei, gloriatio ſancta, quæ eſt cum pij non ſolum æquo animo & moderato ſunt: ſed etiam cum magna læticia perfuſi, placent ſibi de hæreditate cœleſti, quæ ipſos manet. Hæc gloriatio nititur ſpe certiſsima: quæ eſt conſtans & firma expectatio promiſſæ hæreditatis: quæ hæreditas hîc gloriæ voce ſignificatur: quam Deus olim iuxta ſuam promiſsionem pijs donabit. Accipitur enim hîc gloria Dei actiue: Hanc gloriam etiam iuſtificationi ſubiungit Apoſtolus, infra cap.8. Quos, inquit, iuſtificauit, hos & glorificauit. Eſt proinde iuſtificationi proximus gradus gloria hæc ſeu gloriatio, qua reſuſcitatis corporibus glorificabimur. Hic Pauli locus aperte pugnat cũ dubitatione Papiſtica. Qui enim fieri poteſt, vt is glorietur ſuper ſpe gloriæ Dei, qui dubitat an ſit in gratia, nec ne. Porro quod in tertio capite dictum eſt, gloriationem excluſam eſſe, non cum hoc loco pugnat. Illic enim gloriationis fundamentum eſt meritum humanum ſeu opus, hîc verò fiducia in Deum: quæ nititur conſtantia promiſsionis diuinæ. & hæc eſt gloriatio in Domino, de qua Paulus 1. Corinth.1.

Non ſolum autem hoc, ſed etiam gloriamur in afflictionibus.

QVARTVS effectus fidei, gloriatio in præſentibus ærumnis, quæ ſane gloriatio magnum eſt paradoxum ſenſui carnis & ſapientię humanæ. Vis verę & viuę fidei tanta eſt, quod in media morte animum erigat, conſoletur, atque inuictum infractumq; reddat. Dominus in Euangelio iubet, vt ſui diſcipuli gaudeant, quando ab ingrato mundo affliguntur: id quod etiam fecerunt flagellati à principibus ſacerdotum, vt teſtantur acta Apoſtolica. Verum hæc gloriatio ſuper afflictione non ex eo prouenit, quaſi afflictio per ſe eſſet expetenda vt bona, Sed gloriationis huius cauſſæ, ex quibus æſtimabitur, aliunde proueniunt. PRIMVM enim pij, ſub cruce conſtituti, intuentur Chriſtum, qui pependit in cruce, cui cum ſe conformes fieri per crucem animaduertunt, ex illa conformitatis cogitatione non parũ conſo-

lationis capiunt. DEINDE Chriſtum glorificatum intuentur, vnde ſpem concipiunt de futura glorificatione ſibi promiſſa, quæ ſuo tempore reuelabitur. PRÆTERBA, patris clementiſsimi voluntatem conſiderant ſancti, qui caſtigat filios ſuos paterno animo, non vt perdat, ſed vt cruce veluti excoctos puriores reddat. Proinde non gloriantur pij de cruce, ac ſi ſuo genere eſſet bonum, ſed propter euentum. Verum quia caro & ſanguis longe aliter de cruce iudicant, addit huius dicti, Gloriamur in afflictionibus, confirmationem.

Scientes quod afflictio tolerantiam operatur, Tolerantia probationem, Probatio ſpem, Spes non confundit.

Dixit iuſtificatos gloriari in afflictionibus: Nunc eius paradoxi rationem ſubijcit ab vſu crucis. Vtitur autem Apoſtolus Rhetorica gradatione cauſſarum & effectuum: quæ quoniã nuda proponitur, non indiget quo ad formam attinet noſtra explicatione, niſi quod liptote ſit in poſtrema ꝓpoſitione: Spes non confundit, hoc eſt, ſpes gloriam affert. Iam connecte ſubiectum primæ propoſitionis cum prædicato poſtremæ, & concluditur hoc modo: Ergo afflictio eſt glorioſa. Atque ita ſententia fit magis perſpicua mutata Rhetorica gradatione in Soriten Dialecticum. Iam materiam excutiamus. Quid ſit afflictio notum eſt. Tolerantia eſt, qua patienter afflictio ſuffertur. Probatio eſt, qua multa tolerando probati facti ſumus. Spes eſt fiducia probatione firmata, qua pius expectat promiſſam immortalitatem. Hæc eſt rerum harum non naturalis conſecutio, ſed ſupernaturalis. ſiquidem in ſolis renatis locum habet. Nam cum pij cernunt bonam Dei voluntatem & præſentiam in aduerſis, augetur in illis patientia. Huius occaſio eſt afflictio. vbi enim non eſt afflictio, ibi nec patientia locum habet. Contra in prophanis & epicureis hominibus afflictio fremitum aduerſus Deum, impatientiam, ac tandem deſperationem ac mortem parit, tantum abeſt, vt patientiam operetur. Huius diuerſitatis ratio hæc eſt. In pijs prælucet cum fide doctrina de cauſsis, quare Deus velit Eccleſiam ſubiectam eſſe cruci: quarũ cogitatione ſpiritus in renatis ſe erigit aduerſus crucem. Hæ cauſſæ epicureis & impijs ſunt ignotæ, qui tantum quæ carnis ſunt, ſapiunt. Verum hîc aliquis merito obiecerit Abrahamum, Dauidem, atque multos alios pios non raro gemuiſſe ſub cruce, atque ardenter precatos fuiſſe mitigationem. Reſpondeo. Duplex effectus crucis eſt in pijs, ſecundum duplicia principia. Nam ſi externum hominem reſpicis, hic triſtatur dolet quoties cruce premitur, vt in Dauide & Iob videmus. Contra, ſi internum intueris hominem, hic exhilaratur & exultat ſub cruce. Caro enim infirma eſt, inquit DOMINVS, ſpiritus autem promtus. Item, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. In Iob videmus luctam carnis & ſpiritus ſub cruce. Secundum carnẽ triſtatur adeo, vt maledicat diei in quo natus eſt. Secundum ſpiritum autem exultat in redemtore & cogitatione futuræ immortalitatis. Scio, inquit, quod Redẽtor meus viuat, & quod in extremo die reſurrecturus ſim, &c. Quod ergo per ſe pœna peccati eſt, & ſuo genere malum, hoc pijs fit bonum & ſalutare, iuxta illud: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Porrò patientiæ ſeu tolerantiæ effectus eſt probatio, qua aliquis exploratus & probatus declaratur. Paſsiue enim vox probationis accipi debet. Nam græcè eſt δοκιμὴ, quę eſt effectus patientiæ. Verum cum Iacobus contrario modo videtur loqui, cum ait: Probatio fidei veſtræ operatur patientiam, non intelligendum eſt de probatione paſsiua, ſed actiua. Nam Græce eſt τὸ δοκίμιον, hoc eſt quod probat & explorat. Nam loquitur de tentatione quæ probat & explorat fidem, vt ignis aurum, Vnde naſcitur patientia, ex qua δοκιμὴ, qua ſentitur fides non ſimulata, ſed vera potius ac viua, atque ideo ſpem operari ab Apoſtolo dicitur. Nam vt fides eſt fiducia præſentis gratiæ: ita ſpes eſt fiducia futuræ gloriæ.

Quia caritas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Ratio certitudinis ſpei iuſtificatorum à cauſſa infallibili ſumta, videlicet à caritate Dei erga iuſtificatos. Concluditur autem hæc ratio aptiſſimè hoc ſyllogiſmo: Qui diliguntur à Deo, non ſua fruſtrantur ſpe. Iuſtificati fide diliguntur à Deo. Igitur, Sua non fruſtrantur ſpe. Maior per ſe euidens eſt. Nemo enim qui diligit alium ſincerè, fallit amicum, qui de ſe bona ſperat, præſertim vbi acceſsit conſtans & voluntaria promiſsio. Minor probatur arrhabone ſpiritus. Is enim reddit iuſtificatorũ cordibus teſtimonium dilectionis Dei erga ipſos, iuxta illud 2. Corinth. 1. Dedit arrhabonem ſpiritus in cordibus noſtris. Atque hæc eſt argumenti ſententia. Caritas Dei hîc accipi actiuè debet. Nam de ea loquitur caritate Apoſtolus, qua Deus pater in filio nos proſequitur. Hæc effuſa eſt, inquit, per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris. hoc eſt, Spiritus ſan-

ctus inexhauſtam bonitatem Dei noſtris obſignat cordibus, quando in eis accēdit fidem, inuocationem, læticiā cordis, patientiam, & alios motus congruentes cum voluntate Dei. Hæ Spiritus ſancti flāmulæ certiſsima ſunt indicia præſentis Spiritus ſancti, qui datus eſt, vt ſit teſtimonium dilectionis Dei erga nos. Obſeruetur ergo hoc loco teſtimoniū præſentiæ Spiritus Dei in homine, ab euidētiſsimo ſigno, quod eſt effectus ipſius Spiritus in homine: qui effectus carnis ſpiritui ex diametro aduerſatur, & potiſsimum in eo ſitus eſt, quod homo retineat fidem & bonā conſcientiam. DEINDE, quod hæc Spiritus præſentia ſit teſtimoniū caritatis Dei paternæ erga nos. TVM, quod hinc, hoc eſt, ex teſtimonio caritatis Dei ſpes noſtra confirmari & excitari debeat, vt iam firmiſsimi & certiſsimi ſimus de promiſſa hæreditate cœleſti. PRÆTEREA admonemur hoc loco humilitatis & ſanctitatis, ne vel ſuperbia vel impuritate expellamus caſtiſsimū hunc Spiritum, & excidamus gratia præſenti, & gloria futura. Papiſtæ hunc locum perperam interpretantur de caritate qua nos Deum diligimus, ac ſi noſtra dilectio cauſſa ſpei eſſet. Quorū errorem refutat & argumenti ſeries, & Paulus ipſe ſe clarè interpretatur, cum ait: Commendat autem ſuam caritatem erga nos Deus &c. Præterea ſi hoc Apoſtoli dictū intelligendum eſſet de dilectione noſtra, ac ſi illa fundamentum eſſet ſpei, omnium hominum conſcientiæ cogerentur contrariū fateri, videlicet quod potius deſperationis cauſſa eſſet dilectio noſtra quàm ſpei: Cum conſtat noſtram dilectionem perquam exiguam eſſe & immundam, & quæ cōtaminatur alijs impuris affectibus. Quid præterea conſolationis haberet hoc argumentū: Nos diligimus Deum, Ergo non fruſtrabimur ſpe, Præſertim cum dilectio ſit opus legis, quod habet annexam conditionem implicitam, ſed impoſsibilem. Tum enim redditur ꝓmiſsio legalis, vbi legi ſatisfactum fuerit.

CHRISTVS enim cum adhuc eſſemus infirmi, ſuo tempore pro impijs mortuus eſt.

Ætiologia eſt ab affectu caritatis Dei. Nam affectus ex actionibus cognoſcitur: Chriſtus mortuus eſt pro infirmis & impijs, vt eos à morte æterna liberaret. Ergo, Maxima eſt Dei caritas erga nos, qua vnicum ſuum filium dedit, vt ſolueret λύτρον pro nobis. Huc illa ſententia Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Quod autem addit, κατὰ καιρὸν, ſecundum tempus, ſeu vt nos vertimus, ſuo tempore, Significat tempus illud opportunum, quo pater apud ſe conſtituerat filium in mundum mittere, vt fieret victima pro mundo. Huc illud ad Galat. 4. Quando venit plenitudo temporis, emiſit Deus filiū ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret. Pertinet & huc Prophetia Iacobi Patriarchæ, & Danielis de tempore aduentus Chriſti. Porrò quod Apoſtolus dicit: Cū adhuc eſſemus infirmi ſeu inualidi, deſtituti omnibus viribus (nam hæc vis eſt Græcæ vocis ἀσθενῶν) relationem habet duplicis temporis, videlicet ante conuerſionem & poſt conuerſionem. Ante conuerſionem omnes homines ſunt & ἀσθενεῖς & ἀσεβεῖς. ἀσθενεῖς quidem, hoc eſt, omnibus viribus deſtituti & minime apti ad intelligenda & capienda quæ Dei ſunt. Nā vt alibi dicit Apoſtolus ψυχικὸς homo non capit ea quæ ſunt Spiritus Dei, cuius ratio redditur ad Epheſ. 4. vbi tribuit τῷ νῷ, hoc eſt, principi animæ parti ματαιότητα, vanitatem, τῇ διανοίᾳ, tenebras ſiue caliginem. Quare neceſſe eſt in non renatis ignorantiam rerum diuinarum eſſe. Deinde tertio loco tribuit cordi, hoc eſt, voluntati & affectibus πώρωσιν, hoc eſt, obdurationem, hoc eſt, ſummā contumaciam qua aduerſus Deū ruunt homines indulgentes ſuis prauis affectibus. ἀσεβεῖς vero, id eſt, ſine cultu, ſcilicet Dei. Non enim Deum coluerunt, ſed multiplici idolomania ſe contaminauerunt. Hæc duo epitheta hominibus ante conuerſionem tribuit Apoſtolus, vt inde illuſtrior appareat caritas Dei erga nos, qui pro talibus filium ſuum in mortem tradere voluit. DEINDE ſignificat Apoſtolus, quod in cōuerſione donentur homines nouis viribus, vt iam conuerſi, etſi legi plenam obœdientiam præſtare non poſsint: tamen poſsint aliqua Deo grata facere. Nam & donantur noua luce, & adiuuātur à Spiritu ſancto, vt Deū veris cultibus iam colere incipiant. Sed quomodo hæc ſimul Deo conueniunt, vt & intime amet homines, & tamen eoſdem vt hoſtes perſequatur nondum conuerſos? Duo in homine intuetur Deus. VNVM, quod ab ipſo eſt: ALTERVM, quod ab homine & à Diabolo. Amat quidem nos, quia eius ſumus creatura ad ipſius imaginem conditi: Perſequitur verò vt hoſtes, idque propter peccatum. Amor ex miſericordia eſt, perſecutio ex iuſticia. Miſericordia vult homines ſaluare Deus, iuſticia vult eoſdem punire. At ſapientia Dei fecit & miſericordiæ & iuſticiæ locum. Miſericordiæ quidem, dum perditorum hominum miſeria afficitur Deus, & ad iuuandum mouetur. Iuſticiæ verò dum filium mittit, qui noſtra cauſſa in ſe recepta ſatisfacit iuſticiæ Dei, vt omnis qui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nis qui credit in hunc filium, non moriatur, ſed viuat vita æterna, in alios autem exerceatur iudicium iuſtum abſque miſericordia.

Enimuero vix pro iuſto quiſquam moriatur. Nam pro bono forſitan aliquis mori ſuſtinet.

Amplificat Dei erga nos caritatem duplici collatione. PRIOR eſt, vix pro iuſto quopiam homine quiſquá velit mortem ſubire, At Deus filium ſuum dedit, qui pro nobis non modo non iuſtis, ſed etiam ſceleratiſsimis moreretur. POSTERIOR, eius cauſſa, à quo quiſquam beneficium acceperit, forſan ſuſtineat mori, At Deus, cum non modo nullis à nobis beneficijs eſſet affectus, ſed etiá nos ſibi infenſiſsimos hoſtes eſſe non ignoraret: tamen filium vnigenitum in mortem pro nobis tradidit. Quare neceſſe eſt ardentiſsimam dilectionem eſſe, qua nos eſt proſecutus. Hæc videtur ſimpliciſſima huius loci ſententia. Nam vt infirmo opponit iuſtum, ita impio bonum & alijs commodũ. Nec mutatio numeri quenquam offendet, quæ eſt frequentiſsima apud Hebręos, qui ſæpe numerum ſingularem collectiue accipiunt. Quidam interpretes bonũ & iuſtum accipíunt in neutro genere, vt pro iuſto mori, ſit pro re iuſta mori, hoc eſt, cum quis legibus mortem debet & pro bono, hoc eſt, pro re bona, vt ſi quis mortem oppeteret volens pro patria aut liberis, Sed periſtaſis loci facit, vt priorem interpretationem præferam, quæ & autoritate veterum, Chryſoſtomi, Athanaſij, Ambroſij, Selæ & aliorum nititur.

Commendat autem ſuam caritatem erga nos Deus, Quod cum adhuc eſſemus peccatores, CHRISTVS pro nobis mortuus ſit.

Accõmodatio eſt collationis propoſitæ, cuius hæc vis eſt, Si quis ſuſtineret mori pro iuſtis & bonis, certè maximam ſuam erga ipſos declararet dilectionem. At nunc Chriſtus filius Dei mortuus eſt pro nobis non iuſtis, ſed iniuſtis, non bonis, ſed malis, Nihil enim commodi aut vtilitatis à nobis expectauit. Ergo neceſſe eſt immenſam & ineffabilem caritatem Dei fuiſſe, qua motus, filium ſuum vnigenitum pro nobis dederit. Hæc Pauli concio de caritate Dei erga nos, diligenter obſeruetur. Continet enim & doctrinam vtiliſsimam, & conſolationem vberrimam, & confutationem iuſticiariorum validiſsimam. DOCTRINA eſt, quod Chriſti mors impietatis hominum expiandæ gratia ſit facta: quodq́; ea ſola ſalutis meritoria ſit. CONSOLATIO hîc proponitur contra iram Dei ſumma, videlicet quod filius Dei adeo homines dilexerit, vt in ſe deriuarit iram patris, ne humanum genus conditum ad imaginem Dei, æternum periret. CONFVTATIO eſt erroris Phariſaici omnium temporum, quo putatur quod alijs medijs liberentur homines à peccato & morte, quam ſola filij Dei victima.

Multo igitur magis iuſtificati nunc in ſanguine eius ſeruabimur per ipſum ab ira.

Illatio à minori ad maius. Confert autem homines eoſdem pro duplici eorum ſtatu. Aut enim adhuc peccatores ſunt, hoc eſt, rei æternæ mortis propter peccatum, aut ſunt iuſtificati fide. Iam Deus dilexit nos peccatores. Igitur, Multo magis iuſtificatos diligit. Si diligit, certè non damnabit. Neque enim damnate poteſt quos à reatu abſoluit. Eſt enim reatus damnationis cauſſa. In voce Iræ, eſt metalepſis. Nam ex ira damnatio intelligitur. Obſeruetur igitur hîc rurſus beneficium reparationis totum vni CHRISTO aſſcribendum eſſe. Nam hic Apoſtolus diſertè iuſtificationem & glorificationem, quæ eſt liberatio ab ira & damnatione, adeoque integra ſalutis poſſeſsio vni Chriſto tribuitur.

Nam ſi cum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij ipſius. Multo igitur magis ſeruabimur per vitam ipſius.

De mortis Chriſti efficacia per collationem effectuum dixit: Efficax fuit mors CHRISTI ad abolendum peccatum eorum, qui adhuc erant inimici Dei. Proinde multo magis eſt efficax ad abolendam iram Dei aduerſus eos, qui iam non ſunt peccatores amplius, Sed iuſtificati, hoc eſt, abſoluti à peccato: Nunc autem addit argumentum ab efficacia vitæ Chriſti, idque per collationem virtutis, mortis & vitæ Chriſti. Mors cauſſa eſt reconciliationis. Vita cauſſa eſt ſalutis ſeu acceptationis ad vitam æternam. Concludit autem hoc modo à minori ad maius: Mors Chriſti fuit efficax ad reconciliandos nos Deo. Multo igitur magis vita Chriſti, hoc eſt, re-

surrectio

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſurrectio Chriſti efficax erit ad communicandam reconciliatis vitam æternam, quæ vita æterna reconciliationis & iuſtificationis finis eſt. Obſeruentur ergo diſtincta Mediatoris beneficia, qui vt morte ſua expiat peccatum, & reconciliat nos Deo: ita vita ſua, hoc eſt, reſurrectione iuſtificat, ac in integram ſalutis poſſeſsionem nos introducit. Quid hinc ſequitur? Id quod confirmandum propoſuit Apoſtolus: Videlicet ſpem iuſtificatorum non fore irritam, vt quæ nititur firmiſsimis fundamentis caritate Dei patris, obſignatione Spiritus ſancti, morte & vita filij, Siquidem morte expiatum eſt peccatum, vita autem parta eſt iuſticia & ſalus.

Neque id ſolum, ſed etiam gloriamur in Deo per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM.

Hic QVINTVS iuſtificationis ſeu fidei effectus eſt, gloriari in Deo: quæ gloriatio eſt ſpiritualis quædam παῤῥησία, qua non ſolum gloriamur ſuper ſpe gloriæ Dei, Sed etiam in ipſo fundamento ſpei, hoc eſt, in ipſo Deo, videlicet quod ſit noſter Deus, qui nos tuetur & defendit. Hinc conſolatio petenda eſt in omnibus aduerſis. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Si Deus iuſtificat, quis eſt qui condemnat. Verum vt abducat Apoſtolus nos à cogitatione ſiue dignitatis ſiue indignitatis noſtræ, cauſſam huius gloriationis non in nobis, ſed extra nos ponit, cum inquit: Per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM.

Per quem nunc reconciliationem aſſecuti ſumus.

Aliquoties dixerat Apoſtolus nos reconciliatos eſſe Deo per Chriſtum, iam ideo idem repetit, vt paret ſibi viam ad declarandam eam iuſtificationis partem, quam in propoſitione attigit, quæ eſt iuſticiæ Chriſti imputatio. Hactenus enim partim in genere de iuſtificatione diſſeruit, partim de prima eius parte, videlicet de expiatione peccati, ſeu abſolutione à peccato, quæ eſt remiſsio peccatorum, partim etiam de acceptatione reconciliatorum ad vitam æternam, idque gratis propter Chriſtum. Verum quia & remiſsio peccatorum, & acceptatio perſonę nititur Chriſto fundamento & autore, cuius iuſticia credentibus imputatur, vt appareant iuſti coram Deo, iam de ea iuſticia diſputationẽ aggreditur. Nam cum merito quæri poſſet, quęnam ſit illa Dei iuſticia de qua hactenus toties dictum eſt, & cum ea Chriſti propria eſſe definitur, adhuc quæri poſſet, quomodo vnius iuſticia multis ſufficere poſsit & imputari. Eã ergo iuſticiam explicandam nunc aggreditur, & modum imputationis vſq; ad capitis huius finem oſtendit, idq; pulcherrime per collationem cauſſarum & effectuũ. Confert enim inter ſe peccatum & iuſticiam, Chriſtum & Adam, mortem & vitam, legẽ & gratiã, ex quorum collatione non ſolum modus iuſtificationis noſtri apertè concluditur, Verumetiam alij multi loci, iįque in ſcriptura præcipui offeruntur: quorũ notitia admodum vtilis eſt, ad declarationem myſterij ſalutis & reparationis noſtræ apud Deum. Hæc ergo pars inprimis cognoſcenda & obſeruanda eſt: non ſolum quia continet pręcipua doctrinę cœleſtis capita, Verumetiam quia valide refutat Oſiandricum errorem, & aliorum veterum & recentium ſcriptorum, qui à vera noſtræ iuſtificationis materia aberrarunt.

Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatũ mors: Et ſic in omnes homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauerunt. Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo. At peccatum non imputatur quando non eſt lex. Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moſen, etiam in eos, qui non peccauerunt, iuxta ſimilitudinem tranſgreſſionis Adæ, qui eſt typus eius, qui erat futurus.

Quoniam dixit Apoſtolus reconciliationem factam eſſe per Chriſtum, Nunc modum oſtendit, quomodo id fieri potuerit. Videtur enim parum cõuenire, aſſerere vnius Chriſti factum multis imputari poſſe. Hoc autem vt explicet Apoſtolus, collationem facit cauſarum & effectuum. Confert enim Adam & Chriſtum, & oſtendit quid vterque fecerit. Confert autem eos tum in re ſimili, tum in contraria. Similes enim ſunt in eo, quod vterque quod eſt ſuum, cum ſuis communicat. Rurſus in eo plane diſsimiles ſunt, quod Adam peccatum in ſuos natura deriuat in mortem, Chriſtus vero ſuam iuſticiam cum ſuis per gratiã communicat in vitam. Non eſt ergo mirum vnius Chriſti iuſticiam imputari multis in vitã, cum vnius Adæ lapſus imputatus ſit multis in mortẽ.

Atque

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Atq; hæc eſt argumenti præſentis ſumma. Verum vt textum Paulinum plenius intelligamus, PRIMVM collationem ipſam verbis Pauli proponam, & ἀπόδοσιν collationis adiungam integre, quam attigit tantum Apoſtolus. DEINDE verba textus ordine explicabo. Eſt autem hæc collatio: Quemadmodum per vnum (Adamum) peccatum, (hoc eſt reatus) in mundum intrauit, & per peccatum mors (hoc eſt, corruptio & damnatio) & ſic in omnes homines (ab illo vno Adamo per naturalem propagatos generationem) mors peruaſit, etiam in eos qui non peccauerant ſimili tranſgreſsione cum Adam: Ita per vnum Chriſtum iuſticia in mundum intrauit, & per iuſticiā vita, & ſic in omnes homines (à Chriſto per regenerationis gratiam propagatos) vita peruaſit etiam in eos, qui non fuerunt iuſti ſimili obœdientia cum Chriſto. Hæc integra eſt collatio. Sed Paulus pro apodoſi poſuit hæc verba: Qui eſt typus eius, qui erat futurus, hoc eſt, Chriſti. Typus autem ad propagandi ſimilitudinem, non ad res ipſas propagatas pertinet. In eo enim, vt Ambroſius ait tantum forma Adæ Chriſtus, qui quod vnus peccauit, vnus emendauit. Iam verba textus particulatim excutiamus: Quemadmodum, inquit, per vnum hominem peccatū in mundum intrauit, & per peccatum mors. Per vnum hominem intelligit primum hominē, videlicet Adam, qui fuit veluti maſſa, vnde cæteri homines ſunt deſumti. Per hunc, inquit, peccatum intrauit in mundum. Peccatum originis ſentit. Sunt autem duo in peccato originis conſideranda, Reatus ſcilicet & Corruptio: quæ duo, etſi non poſſunt ſeparari, tamē accurate diſtingui debent. Sicut enim Adam, admiſſo peccato, primum reus factus eſt iræ Dei. Deinde, quia reus erat, pœnam peccati, id eſt, corruptionem illam tum animi tum corporis ſubijt. Atque hoc eſt quod Paulus dicit: Et per peccatum mors. Sic quoque in poſteros naturam tranſmiſit tum ream inprimis, tum corruptam. De reatus igitur propagatione proprie agit hoc loco Apoſtolus, cui opponitur imputatio iuſticiæ Chriſti. Nam cum Chriſtus morte ſua reatum eluit, ſimul fideles iuſticia imputata induit. Quod autem ad corruptionē attinet, ea diuerſum habet remedium, nempe ſanctificationem humanæ naturæ in Chriſto, de qua in octauo agitur. Porrò obſeruandum eſt hoc loco, Adam conſiderari dupliciter. PRIMVM ſimpliciter ſine reſpectu ad poſteros: qua ratione nullus eſt reus ipſius delicto. DEINDE relatiuè, quatenus eſt prima radix naturæ humanæ, in quo totum humanum genus quoddamodo fuiſſe manifeſtū eſt, atq; hac ratione reatus Adæ cum ſua pœna, quæ eſt corruptio, deriuatus eſt in omnem eius poſteritatem. Quapropter vt leproſi parentes generant leproſos liberos, qui liberi & lepra parentum & propria ſunt cōtaminati: ita Adam reus & corruptus, generat ream & corruptam poſteritatem. atque id eſt, quod Paulus ait: Sic in omnes homines mors peruaſit, ſcilicet cū reatu. Cauſſam apponit: in quo, ſcilicet Adamo, Omnes peccauerunt, hoc eſt, rei fuerunt imputato poſteritati reatu patris, cum quo coniuncta eſt & pœna, ſcilicet corruptio. Complectitur itaq; vtrunque peccatum originis, reatum & corruptionem. Nam vtrunque propagatur ab Adam in poſteros: Sed alterum cauſſæ, alterū effectus rationem habet.

Vſque enim ad legem peccatum erat in mundo.

Quid hoc ſibi vult? Abſurdum videri poterat homines condemnari, vt reos ante datam legem. Si enim peccatum eſt legis tranſgreſsio, neceſſe eſt legem eſſe ante peccatum. Hanc obiectionem anteuertit Apoſtolus prolepſi Rhetorica, & aſſerit peccatum omnino fuiſſe in mundo ante legem, contra eos, qui ab Adamo non voluerunt propagari peccatum: Sed tum demum incœpiſſe, quando lex data, ab hominibus eſt violata. Sed effectus peccati oſtendit, peccatum etiam fuiſſe ante legem datam in monte Synai. Nam fuit alia lex data Adamo in Paradyſo, quam nos omnes in Adamo tranſgreſsi ſumus, ſicuti docet pœna, quæ peccatum eſt conſecuta.

At peccatum non imputatur, quando non eſt lex.

Hæc etiam aduerſariorum obiectio eſt: quæ ex eo prouenit, quod primam legem, quam tranſgreſsi ſumus in Adamo, non attendant. Eſt autem hæc obiectio: Peccatum eſt legis tranſgreſsio, Ergo, Quando lex non eſt, neque peccatum eſſe poteſt. Nam accidens non cadit niſi in ſubiectum. Sed Paulus dat inſtantiam hoc modo: Mors regnauit ab Adam vſque ad Moſen, Ergo, Neceſſe eſt fuiſſe peccatum ante Moſen. Nam mors ſequitur peccatum vt iuſta pœna. Sumitur autem hæc reſponſio à iuſticia iudicis Dei. Deus puniuit peccatum morte ante datam legem. Ergo, Reus fuit homo ante datam legem per Moſen. Cuius ergo legis fuit reus? Primum eiuſdem, quam Adam tranſgreſſus eſt. Deinde legis non

ſcriptæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſcriptæ in libris, ſed inſculptæ in natura, de qua ſupra capite ſecundo.

Etiam in eos qui non peccauerunt, iuxta ſimilitudinem tranſgreſsionis Adæ.

Hæc verba coniungi debent cum principio huius pericopæ, hoc modo. Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatũ mors, & ſic in omnes homines mors peruaſit etiam in eos qui non peccauerunt, iuxta ſimilitudinem tranſgreſsionis Adæ. Hoc eſt, Etſi non omnes peccauerunt guſtu pomi vetiti, ſicut Adam fecit: tamen qui ab eo tanquam à vicioſa radice ſunt propagati, peccatores ſunt & ipſi & damnati. Ex hac deſcriptione Apoſtolica concludamus definitionem peccati originis, hoc modo: Peccatum originis eſt, cum reatus, quo naſcentes rei ſunt ob peccatum Adæ, tum corruptio humanæ naturæ propagata ab Adamo, obnoxia morti & damnationi, niſi fiat remiſsio.

Sed non ſicuti delictum, ita & donum.

Hæc propoſitio eſt diſsimilitudinis inter Adamum & Chriſtum. Dixit Chriſti typum fuiſſe Adamum. At ne quis eandem rationẽ in typo & antitypo ſtatueret, dicit Apoſtolus maximam diſsimilitudinem factorũ Adæ & Chriſti eſſe. Ab illo enim delictum, ab hoc donum, hoc eſt, iuſticia quæ nobis imputatur.

Nam ſi vnius delicto multi mortui ſunt, Multo magis gratia Dei & donum per gratiam, quæ eſt vnius hominis IESV CHRISTI, in multos abundauit.

Ratio & declaratio diſsimilitudinis inter delictum & donũ. Si lapſus Adæ ceſsit τοῖς πολλοῖς, id eſt, multis illis, hoc eſt, toti poſteritati Adæ in mortem, Multo magis gratia Dei & donum per gratiam, quæ eſt vnius IESV CHRISTI, cedet multis in vitam. Hæc argumenti propoſitio eſt. Aſſumtio eſt: Sed lapſus Adæ ceſsit toti poſteritati ipſius in mortem. Hinc ſequitur concluſio: Igitur, Multo magis gratia Dei, & donum per gratiam, cedet multis in vitam. Gratiam opponit Apoſtolus iræ Dei vt donum reatui. Eſt enim GRATIA fauor Dei, quo cœleſtis pater nos complectitur in filio. DONVM autem eſt ipſa obœdientia CHRISTI, qua nobis imputata, abſoluimur à reatu. Differunt ergo Gratia & Donum, vt cauſſa & effectus. Gratia enim doni cauſſa eſt. Quidam per gratiã intelligunt remiſsionem peccatorum, & per donum ſanctificationem & nouitatem. Sed horum ſententiam refutat nõ ſolum ſeries argumenti, verumetiam Apoſtolus ipſe ſatis indicat, quid per donum velit ſignificare. Nam vt paulò antea delictum oppoſuit dono, ita poſtea ait: Qui acceperunt abundantiam gratiæ & doni iuſticiæ. Porrò hæc iuſticia CHRISTI nunc ab Apoſtolo dicitur χάρισμα, nunc δώρημα, nunc δωρεὰ, quæ tria Latinus interpres vna Latina voce reddidit, nempe DONI. Sed diſcrimen hoc eſt: Δωρεὰ genus eſt ad χάρισμα & δώρημα. Χάρισμα autem dicitur, reſpectu Dei nobis iuſticiam imputans. Δώρημα, reſpectu noſtri, qui ea iuſticia donati ſumus. Proinde χάρισμα ipſius δωρήματος cauſſa eſt. quod δώρημα paulo infra δικαίωμα vocatur, quia donum illud, quod eſt obœdientia Chriſti, nos iuſtos efficit.

Et non ſicut per vnum qui peccauit, donum.

Secundæ differentiæ inter delictum & donum propoſitio. Oratio autem hæc deficiens ita completur: Et non ſicut delictum per vnum qui peccauit, ita donum, per vnũ qui iuſtus fuit ſe habet, Senſus proinde eſt huius propoſitionis: Non eſt eadem ratio delicti, quod per vnum peccatorem in alios permanauit, & doni quod per vnum iuſtum ad alios peruenit. Hæc differentia ideo obſeruanda eſt, ne quis ex eo, quod dixerat, Adam typum eſſe Chriſti, inferret hanc ſimilitudinem propagationis delicti & doni. Quemadmodum Adam vno peccato originali coniecit mundum in mortem & damnationẽ: ita Chriſtus ab vno illo peccato Adami, hoc eſt, originali, ſua iuſticia homines liberat. Verum huic obiectioni occurrit Paulus, ſtatuens diſcrimen in typo & antitypo. Adam per vnum peccatum damnauit mundum, Sed Chriſtus ex gratia per ſuam iuſticiam à multis delictis mundum liberat, hoc eſt, non ſolum ab originali, verumetiam ab omnibus alijs credentes abſoluit. Obſeruetur igitur contra Monachorum ſomnia hæc inſignis ſententia, quam verba Pauli offerunt. Non quemadmodum vnus Adam peccans vno peccato coniecit mundum in damnationem: ita Chriſtus ab vno tantum peccato liberat, ſed à pluribus.

Nam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, At donum ex multis delictis in iuſtificationem.

Ratio propoſitionis, continens diſcrimen inter reatus propagationem, & doni. Completur & hæc oratio hoc modo: Nam iudicium quidem ex vno delicto introijt in condemnationem, at donum ex multis delictis, hoc eſt, poſt multa delicta venit in iuſtificationem, quæ eſt abſolutio & liberatio à reatu. Hîc primum obſeruemus iudicium hoc loco ſignificare reatum. Nam ex reatu oritur condemnatio. Præterea quod per donum Apoſtolus intelligat iuſticiam Chriſti, qua nobis imputata, nõ amplius rei coram Deo, ſed iuſti apparemus. Adhæc, quod iuſtificatio hominis ſit imputatio iuſticiæ Chriſti, & abſolutio à reatu & damnatione, quæ damnatio ob reatum contingit. Nam Apoſtolus iuſtificationem opponit κατακρίματι, hoc eſt, condemnationi: quæ antitheſis ſatis oſtendit, quid Paulus per iuſtificationem intelligat.

Nam ſi vnius delicto mors regnauit per vnum, Multo magis ij qui abundantiam gratiæ & doni iuſticiæ accipiunt in vita, regnabunt per vnum IESVM CHRISTVM.

Ætiologia eſt ſumta à virtute cauſſarum efficientium, per collationem minoris & maioris. Si tanta fuit delicti & reatus Adami vis, vt in totam eius poſteritatem dimanarit in condemnationem, Multo profecto maior erit vis gratiæ & iuſticiæ CHRISTI, vt qui eius reddantur participes per fidem, vitam viuant æternam. Obſeruetur hîc Hebraiſmus, quo abundantia gratiæ ponitur, pro abundante gratia, quæ opponitur iræ Dei: & abundantia doni iuſticiæ pro abundante & donata, hoc eſt, imputata Chriſti iuſticia. Rurſus hîc gratia & donum, vt cauſſa & effectus ſe habent, & aperte donum definitur iuſticia, quæ donatur ex gratia, hoc eſt, gratis imputatur.

Itaque quemadmodum per vnius delictum (iudicium venit) in omnes homines in condemnationem, Sic etiam per vnius iuſtificationem (donum abundauit) in omnes homines in iuſticiam vitæ.

Concluſio eſt diſsimilitudinis inter Adamum & Chriſtum, quantum ad effecta contraria attinet. Eraſmus in priori membro ex ſuo: propagatum eſt malum. in poſteriori, propagatum eſt bonum adiecit, deprauata ſententia Apoſtoli. Nam ſi admiſerimus propagari bonum in iuſtificationem: ſophiſtæ intrudent nobis ſuam inhærentem qualitatem, qua homines iuſtos fieri fingunt. Rectius ergo complebitur ſententia, ſi id quod deeſt reſtituimus ex verſu, qui paulo ante præceſsit: Nam iudiciũ quidem ex vno in condemnationem at donum ex multis in iuſtificationem. Ex hoc verſu ſubiecta, iudiciũ & donum ſumamus. Deinde verbum quod reſpondebit priori ſubiecto, ſumatur ex verſu, Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, Quod poſteriori reſpondebit, petatur ex illo dicto: Gratia & donum in multos abundauit. Hanc interpretationẽ facile approbabit is, qui accuratius totam hanc diſputationem contemplatur. Vocabulum iuſtificationis bis poſitum. vt apud Græcos variat paraſchematiſmo, ita etiam hoc loco variat modo ſignificandi. Nam PRIORI loco iuſtificatio Græcè δικαίωμα, ipſam iuſtificationis noſtræ materiam declarat, hoc eſt, iuſtificationẽ, qua ipſe Chriſtus iuſtus eſt ſua obœdientia. Opponitur enim delicto Adæ & noſtro. POSTERIORI loco, iuſtificatio Græcè δικαίωσις, ſignificat iuſtificationem, qua nos à damnatoria legis ſententia abſoluimur. Opponitur enim condemnationi communi. Differt ergo iuſtificatio priori loco poſita, à iuſtificatione quæ poſteriori loco ponitur, vt cauſſa à ſuo effectu. Hanc interpretationem germanam eſſe, antitheſium collatio facile conuincit. Quod autẽ addit Apoſtolus: Vitæ, notat finem iuſtificationis eſſe vitam æternam, quam in 8. cap. vocat glorificationẽ. Hoc etiam ex antitheſi finium patet. Nam vt condemnationis finis eſt mors æterna, ita iuſtificationis finis eſt vita æterna. Docet præterea hæc antitheſis, quid apud Paulum ſignificet iuſtificationis vox. Nã cum opponitur condemnationi, quid quæſo aliud ſignificare poteſt, quam abſolutionem à reatu, quæ fit cum Chriſti iuſticia nobis imputatur?

Sicut enim per inobœdientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: Ita obœdientia vnius, iuſti conſtituentur multi.

Comprobatio concluſionis eſt per collationem cauſſarum in contrarijs effectibus. Cauſſæ ſunt Adam peccans, & CHRISTVS iuſtus: Effecta ſunt, peccato Adæ multi ſunt

conſtituti peccatores, iuſticia Chriſti multi cõſtituti ſunt iuſti. Obſeruemus hoc loco PRIMVM definitionem vtriuſque, hoc eſt, & delicti Adæ & iuſticiæ Chriſti. Vt enim delictum Adæ definitur inobœdientia eſſe erga Deum: ita iuſticia Chriſti definitur obœdientia, qua ipſe Chriſtus non ſolum ſatisfecit legi, verumetiam obœdiens fuit vſque ad mortẽ crucis. DEINDE quod, quemadmodum vnus Adam ſuo peccato nos reos fecit: ita vnus Chriſtus ſua obœdientia nobis imputata, nos iuſtos coram Deo conſtituit. Hinc ergo patet, quod quemadmodum reatus eſt ordinatio peccati Adæ ad damnationẽ: ita iuſtificatio eſt ordinatio iuſticiæ Chriſti ad acceptationẽ noſtri. Notetur igitur diligenter diſcrimen inter cauſſam reatus, & cauſſam iuſtificationis. Cauſſa reatus & in Adam & in nobis eſt: Sed iuſtificationis cauſſa in ſolo Chriſto exiſtit, per quem etiam ſanctificamur, vt incoetur in nobis noua obœdientia. POSTREMO, obſeruemus hîc ſolidam refutationem erroris Oſiandri, qui contendit homines iuſtificari eſſentiali Dei iuſticia, propterea quod ſupra Apoſtolus diſtinguat inter iuſticiam Dei & hominum. Sed Paulus hîc apertiſsime illam Dei iuſticiam definit obœdientiam Chriſti, qua multi conſtituentur iuſti: quæ Chriſti obœdientia ideo Dei iuſticia dicitur, quia & Deum autorem habet, & ſumme Deo probatur.

Cæterum lex prætereà introijt, vt abundaret delictum.

Quia aduerſarij Pauli ex ſingulis pene verbis eius calumniandi occaſionem quærebant, Paulus prudenter anticipat, quæ obijci poſſunt ab aduerſarijs. Diſputauit hactenus Apoſtolus, gratia Dei & obœdientia Chriſti iuſtificari homines. Hanc doctrinam expugnare contenderunt aduerſarij hoc modo: Si Chriſti obœdiẽtia ex ſola gratia Dei iuſtificantur homines, profecto fruſtra per Moſen lex lata eſt. Quid enim aliud eſt lex, quàm iuſticiæ regula? Paulus reſpõdet, & tribuit legi effectum, opinioni aduerſariorum prorſus contrarium. Aduerſarij putabant legem eſſe latam quæ tolleret peccatum, & iuſtos faceret homines. Sed Paulus cõtra contendit, legem acceſsiſſe ad morbum naturalem, & eum magis auxiſſe in humana natura, & damnaſſe. Hîc quæſtio oritur difficilis: Cum nullus bonus magiſtratus fert legem, vt malum in ſua repub. augeatur, immo potius vt minuatur & tollatur: Quomodo quæſo optimo Deo conueniet, vt ferat legem in hunc finem, vt peccatũ abundet magis & augeatur? Ad hanc quæſtionem alij aliud reſpondent. Quidam dictum Pauli ad incrementum noticiæ & peruicaciẹ referunt. Ad noticiæ quidẽ incrementũ, quia vox legis ponit homini voluntatem Dei ante oculos, quam qui violat, ſcit ſe magis reum eſſe, quam ſi nulla extaret lex diuinitus lata, atq; ideo ſupra dictum eſt: Per legem eſt agnitio peccati. Ad peruicaciæ verò incrementũ, quia ex lege data ſcit maieſtatem diuinam contemni præuaricatione legis, magis apparet delinquentis præuaricatio & contumacia, nam ſuam voluntatem diuinæ anteponit. Hæc etſi vera ſunt: tamen huic loco minime quadrare videntur. Nam gratiam & legem committit Apoſtolus quantum ad contraria effecta attinet. Vt enim gratia peccatum minuit & tollit: ita lex lata idem auget & abundare facit, vt dicit Apoſtolus, aperte legem acceſsiſſe, vt abundaret delictum. Quid ergo ad obiectionem dicendum eſt? Si præſentem locum cõferamus cum nonnullis dictis, quæ ſunt in ſeptimo: nulla amplius relinquetur dubitatio. In ſeptimo enim ita habetur: Cũ eſſemus in carne, affectiones peccatorum per legem exiſtentes, vigebant in membris meis ad fructificandum morti. Item: Peccatum occaſione ſumta genuit in me omnem concupiſcentiam. Item: Peccatum occaſione ſumta ſeduxit me. Item: Ergo quod bonum eſt, mihi factum eſt mors? (id eſt mortiferum?) Abſit, immo peccatum. Ex horum locorum collatione diſcimus, legem per ſe non augere peccatum in natura, ſed per occaſionem. Nam peccatũ ſumta occaſione à lege creſcit magis magiſq;, ac veluti exæſtuat. Lex bona ab optimo Deo lata eſt, vt quid iuſtum & iniuſtum ſit edoceat: atque vt facientes eam, viuant in ea. Quod autem alius iam ſit euentus legis, id hominum culpa fit, non vllo legis vitio. At hanc interpretationem non videntur admittere verba Apoſtoli: Dicit enim diſerte: Lex introijt vt abundaret peccatum, hîc rem & finem rei coniungit. Reſpondeo, vſitatam in ſcripturis phraſin eſſe, qua cauſſẹ agendi propter aliud, effectus tribuitur, qui habet aliam propriam cauſſam, idque propter euentum. Supra in primo capite dictum eſt: Deum æternam ſuam potentiam & diuinitatem patefeciſſe hominibus, vt ſint inexcuſabiles, qui ſane finis non eſt proprius patefactionis diuinæ maieſtatis, ſed acceſſorius, idque propter euentum. Oſeæ 8. Aurum ſuum & argentum fecerunt ſibi idola, vt interirent. Hic ſane euentus non ſequitur conſilium fabricantium idola, ſed aliam cauſſam, videlicet peccatum Iſraelis. Sed huius phraſis exempla videbimus plura in 9. cap. Hic ergo finis legis ex euentu eius in hominibus, & non ex natura legis accipiendus eſt, quemadmodum rurſus oſtendetur in ſeptimo.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Vbi autem abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia.

Dixit peccatum abundare per legem, iam peccato abundanti opponit victricem gratiam. Nunquam enim ita abundare peccatum poteſt, quin gratia, qua Deus nobis remittit peccatum, & imputat iuſticiam filij, ſit multo abundantior. adeo vt gratia à peccato ſuperari nequeat: ſed ſemper peccatum vincat in ijs, qui confugiunt ad gratiam. Hic locus inſignis eſt, qui vt clypeus tentationi quæ oritur ex cogitatione magnitudinis peccati opponendus eſt. Huiuſmodi tentatio in Cain fuit, cum diceret: Maius eſt peccatum meũ quàm propitiatio, & in Iuda, qui peccati mole oppreſſus deſperauit. At Paulus perſecutor Eccleſiæ, ſe cogitatione huius ſuperabundantis gratiæ conſolatus eſt. Sic Dauid, Manaſſes, Magdalena, atq; adeo omnes ſancti omnibus ætatibus, ſe cogitatione miſericordiæ Dei erexerunt contra deſperationem. atq; hinc eſt quod Dauid dicat, miſericordiam Dei omnia opera Dei ſuperare. Opponamus ergo & nos hoc inſigne dictũ cogitationi de ira Dei & magnitudine peccati, & ſciamus, vt Ioannes ait: ad hoc apparuiſſe filium Dei, vt deſtruat opera Diaboli. Hac conſolatione in hora mortis nulla gratior, nulla firmior, nulla deniq; dulcior eſſe poteſt. Verum caueat vnuſquiſque, ne hoc Paulino dicto abutatur, & diuturna impœnitẽtia prouocet iram Dei. Hoc enim ideo à Paulo dictum eſt, non vt gratiæ magnitudine ad licentiã peccandi abutamur, ſed vt lapſi non deſpondeamus animum propter peccati magnitudinem, & vt agamus pœnitentiã maturè, gratias agentes Deo, qui tanto fauore nos complectitur in filio, quod velit omnia noſtra peccata ſanguine filij ſui abluere, modo ſeriã egerimus pœnitentiam. Porrò ſciendum eſt, gratiam ſupra peccatum abundare quatuor modis, videlicet, Imputatione, Dignitate, Donatione, & Conſummatione. PRIMVM enim remiſsis peccatis imputatur credentibus iuſticia Chriſti, qua perfectè iuſti in conſpectu Dei & angelorum habentur. DEINDE dignatur Deus credentes filiorum honore & titulo. Dedit enim hunc honorem Deus hominibus, vt filij eius ſint, quotquot credunt in nomen eius. PRÆTEREA, donat Deus credentibus ſuum Spiritum ſanctum, quo aguntur, hoc eſt, qui eos conſolatur, viuificat, ſanctificat, adiuuat, eiſque obſignat promiſſam hæreditatem. POSTREMO, ſua gratia excitabit Deus corpora noſtra, & ea reddet conformia glorioſo corpori filij ipſius Domini noſtri IESV CHRISTI, atque ita in omni æternitate geſtabimus imaginem Dei, & Deus erit omnia in omnibus.

Vt quemadmodum regnauit peccatum in mortem: Sic & gratia regnet per iuſticiam in vitam æternam, per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM.

Dulciſsimus finis victricis gratiæ attexitur per collationem regni peccati & regni gratiæ. Regnum peccati cedit in mortem & damnationem, Regnum gratiæ finem habet vitam æternam, idque per victorem mortis Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM. Obſeruandus eſt hic locus inprimis. monſtrat enim diſcrimẽ inter duo diuerſiſsima regna: quorum vnum eſt peccati, alterum gratiæ. Illud adminiſtratur per inobœdientiam in mortem, hoc per iuſticiam in vitam æternam. Vbicunque autem fides in Mediatorem non eſt, ibi regnat peccatum in mortem. Contra vbi fides eſt, ibi eſt regnum gratiæ in vitam. Credenti enim remiſſa ſunt peccata, & imputata eſt iuſticia CHRISTI: per quem habemus pacem cum Deo. Monemur proinde hîc, vt fidem retineamus, vt non ſinamus peccatum in nobis regnare, vt excitemus ſpiritum veræ pœnitentiæ fructibus, inuocatione, lectione & meditatione verbi, patientia & alijs virtutibus, quo tandem ad optatam metam perueniamus, per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM.

CAPVT VI.

Summa ſexti Capitis.

Quemadmodum docet iuſtificatorum munus eſſe, peccato renunciato ſanctitati & nouæ vitæ ſtudere: ita hortatur vt hoc ſuum officium iugo peccati excuſſo gnauiter præſtent.

Ordo & partes Capitis ſexti.

Poſtquam Apoſtolus demonſtrauit iuſticiam eſſe ex fide, eamq; iuſticiam non eſſe in nobis qualita-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rem vllam, ſed obœdientiam Chriſti credentibus imputatam: vicinam quæſtionem de ſanctificatione aggreditur, Eſt enim ſanctificatio comes iuſtificationis. Auſpicatur autem hanc partem ab obiectione aduerſariorum, qui cum ſtuderent iuſtificationis doctrinam calumnijs proſcindere, ex eo quod dixerat Apoſtolus: Gratiam ſuperabundare, vbi peccatum abundat, inferebant, licenter peccandum eſſe. Verum huic obiectioni opponit contrariam ſententiam, videlicet, Quod nequaquam ſit propterea peccandum. Hac ſententia iuſta confirmatione munita, ex doctrina exhortationem more Prophetico & Apoſtolico extruit. Atque ita huius capitis partes ſunt duæ, quarum PRIOR *docet,* POSTERIOR *exhortatur.*

EXEGESIS SEXTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVID igitur dicemus? Manebimus in peccato vt gratia abundet?

Hæc aduerſariorum obiectio: Si abundante peccato gratia magis abundat (quæ ſane gratia res dulciſſima & optima eſt) profecto peccatis indulgendum eſſe videtur. Sed cum hoc ſit extremè abſurdum, docere manendum eſſe in peccatis, quæ Deus & vetat & punit, Sequitur Paulinum paradoxum, eſſe minime ferendum, quo docetur, ſuperabundare gratiam vbi abundat peccatum. Verum Paulus reſpõdet per inſtantiam. Opponit enim fortius argumẽtum ſumtum à conditione iuſtificatorum. Realis autem ſolutio hæc eſt. Vbi abundat peccatum, ibi ſuperabundat gratia. Ergo peccandum eſt, vt gratia magis abundet. Neganda eſt conſequentia. Nam eſt fallacia ſecundum non cauſſam vt cauſſam. Diſtinguendum eſt enim inter cauſſam rei alicuius & occaſionem. Peccatum abundans per ſe cauſſa eſt maioris iræ & damnationis, per occaſionem vero ſuberabundãtis gratiæ. Manaſſes cumulans peccata, theſauriſauit ſibi iram, donec iuſto iudicio Dei ſit abductus in captiuitatem, vbi in carcere flectit genua cordis, & precatur veniam. Hic peccatũ Manaſsis per ſe fuit cauſſa irę, quia Deum grauiſsime offendit, ſed occaſio fuit ſuperabundãtis gratiæ. Nã illa omnia peccata Manaſsis, quæ faſſus eſt excedere numerum arenæ maris, & omnes ſanctorum cędes, quibus impleuit Hieruſalem, victrix gratia ſuperauit. Hinc ergo patet quanta fuerit malitia aduerſariorum Pauli, qui huiuſmodi ſophiſtica doctrinam Pauli inuiſam reddere Romanis conabantur.

Abſit.

Hæc reſponſio abominantis eſt malitiam aduerſariorum, & includit contrariam opinioni aduerſariorum ſententiam, ac ſi dicat: Nequaquam inde peccandi licentia petenda eſt, quod abundante peccato ſuperabundet gratia, ſed potius cogitanda eſt bonitas Dei, & meditanda eſt pia & ſancta vita, ne iram Dei aduerſum nos prouocantes, gratia rurſus excidamus. Ex hoc ergo reſponſo colligenda eſt hæc propoſitio; Iuſtificati fide, nouæ vitæ ſeu ſanctitati ſtudere debent. Obſeruemus proinde hoc loco catholicam doctrinam, videlicet, quod iuſtificationis comes eſſe debeat ſanctificatio, quæ eſt regenerationis forma, cuius fructus eſt exterior & interior obœdientia erga Deum. Hoc confirmatur 1. Corinth. 1. Factus eſt nobis ſapientia, iuſtificatio, ſanctificatio, redemtio.

Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo?

Ratio propoſitionis à priuatiuè oppoſitis, quæ non poſſunt ſimul eidem ſubiecto tribui. Qui enim viuit, mortuus non eſt, & qui mortuus eſt, nequaquam viuit. Hinc talis conficitur ſyllogiſmus. Mortui peccato non viuunt peccato. Iuſtificati fide ſunt mortui peccato. Iuſtificati fide igitur non viuunt peccato. Minor & concluſio in vnius veluti propoſitionis formã redactæ, interrogationis ſchemate ideo efferuntur, vt & vehementior ſit oratio, & fortior illatio, vt eius veritati nemo facile ſe oppoſuerit. Sed quid eſt mors peccati, & quid vita peccati? Vt vita peccati in eo conſiſtit, quod homo peccati concupiſcentijs indulgens peccato obtemperat, illique imperium committit: ita mors peccati in vera pœnitentia eſt ſita, quæ pœnitentia ſemper cum iuſtificatione coniuncta eſt. Nam in conuerſione iuſtificatur homo vt moriatur peccato, & viuat iuſticiæ, atq; huius rei cauſſa Euangelium nos ad pœnitentiam, hoc eſt, conuerſionem inuitat. Obſeruetur itaque hîc neceſſaria doctrina, quod vbi viuat fides, ibi neceſſe ſit mori peccatum per veram & ſalutarem pœnitentiam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

An ignoratis, quod quicunque baptiſati ſumus in CHRISTVM IESVM, in mortẽ ipſius baptiſati ſumus. Sepulti igitur ſumus vna cum ipſo per baptiſma in mortem, vt quemadmodũ excitatus eſt CHRISTVS ex mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus,

Probatio minoris eſt, videlicet, q̧ iuſtificati fide, ſint mortui peccato. Sumitur autem hęc probatio ab analogia ſeu ſymbolo baptiſmi. Quicunque baptiſati ſumus, in IESVM CHRISTVM ſumus baptiſati, Ergo quicunque baptiſati ſumus, in mortem, ſepulturam & reſurrectionem Chriſti baptiſati ſumus. Eſt autem in Chriſtum baptiſari, in eum finem baptiſari, vt coaleſcentes Chriſto vnum ſimus cum illo, vim mortis, ſepulturæ & reſurrectionis ipſius percipientes. quo virtute mortis Chriſti moriamur peccato, virtute ſepulturæ corrumpatur peccatum, & virtute reſurrectionis nouam cum Chriſto incoemus vitam. Porrò hoc loco miſere Anabaptiſtæ abutuntur, ad ſtabiliendum ſuum errorem de vſu ſacramentorum. Hinc enim probare conantur ſacramenta noui teſtamenti tantum eſſe ſymbola quædam vitæ ac morum Chriſtianorum, ac veluti quaſdam imagines rerum gerendarum. Verum quam miſere fallantur iſti, periſtaſis huius loci ſatis indicat. Nam hoc omnium PRIMVM certiſsime nobis conſtat, quod Paulus hoc loco probare contendat, fideles mortuos eſſe peccato, & debere nouam vitam viuere, propterea quod ſint in CHRISTVM IESVM baptiſati. Hoc vt totum & minime dubiũ ſumit. DEINDE, ex hoc toto infert partes totius hoc ſenſu: In Chriſtum Ieſum baptiſati ſumus. Ergo in Chriſtum mortuum & in eundem ſepultum atq; excitatum, baptiſati ſumus. Hic ſane quilibet videre poteſt, quod non ſolũ proponat Apoſtolus mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti qualemcunque imitationem, qua nos in hoc incũbere deberemus, vt quemadmodũ Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt, & reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtri: ita & nos illum ſtudeamꝰ imitari. Verumetiã & id multo magis Apoſtolus mõſtrat nobis, propoſito ſymbolo baptiſmi. vim mortis, peccati & vitę nouę in virtute mortis & reſurrectionis Chriſti ſitam eſſe. Niſi enim prius in nobis extincta ſit peccati ingeniti virtus, & vis noua acceſſerit, quæ nobis vitam nouam pariat, fruſtra proponitur imitationis exemplum. Hanc ergo vim conferri nobis per mortem, ſepulturã & reſurrectionem Chriſti docet Apoſtolus, propoſito baptiſmo, qui huius rei efficax ſymbolũ exiſtit. Qui enim fieri poteſt, vt Deus ſuis non ſtet promiſsis. Promiſit autem quod ſacramentorum notis figurat. Proinde vis illa efficax, qua in nobis perimitur peccatum, & crucifigitur vetus homo, ad nos emanat ex virtute mortis CHRISTI, qua moriens peccata noſtra nobis quoque domuit, peremit, & crucifixit peccatum & veterem hominem, vt in nobis iuſtificatis modo, priſtinas ſuas vires exercere non poſsit regnando & dãnando vt antea. PRAETEREA, vt virtute mortis Chriſti indies magis magisq; cõtunditur in credentibus corpus peccati, & virtute ſepulturæ corrumpitur paulatim & extinguitur, donec totũ aboleatur: ita virtute reſurrectionis Chriſti excitatur in credentibus ſpiritus nouus, & vis ſuppeditatur noua, qua iuſticiæ ſtudere incipimus. Sunt ergo in iuſtificatis fide, mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti effectã, quæ nobis baptiſmus figurat & conſignat. hæc nobis communicantur per eam, quam habemus cum Chriſto ſpititualem cõmunionem, cuius efficax ſymbolum eſt ſacrum baptiſma. Ex his quæ hactenus ex Paulo diximus, non ſolum confutationem dogmatis Anabaptiſtici cõcludimus, verumetiam mortem, ſepulturam & reſurrectionem Chriſti eſſe in nobis & donũ & virtutem & exemplum. Donum quidem, quo iuſtificamur, Virtutem vero, qua mortificatur in nobis vetus homo, & excitatur nouus. Deniq; exemplum pœnitentiæ, atq; adeo totius vitæ, iuxta voluntatem Dei formandæ.

Nam ſi inſititij ſumus facti illi per ſimilitudinem mortis eius, certe etiam reſurrectionis erimus.

Hoc ad probationem conſequentiæ proximi argumenti refero. Dixerat nos mortuos eſſe peccato per mortem Chriſti, id eſt, per virtutẽ mortis Chriſti. Ergo etiã oportere nos reſurgere cum Chriſto in nouitatẽ vitæ. Hoc cõfirmat pulcerrima ſimilitudine. Nos coaluimus cũ Chriſto ſimilitudine mortis, hoc eſt, virtute mortis Chriſti in nos manante morimur peccato, vt & ipſe mortuus eſt. Proinde etiã reſurrectioni eius inſerimur, vt quemadmodũ ipſe excitatus eſt ex mortuis, & vitã nouam viuit: ita & nos excitati nouam vitã viuamus. Similitudo ergo hoc loco non ſignificat imitationẽ, ſed conformationẽ, virtute ab ipſo Chriſto in nos deriuata Hęc ſimilitudo ſeu cõformatio in ipſo baptiſmo conſpicitur, quemadmodũ ex ſuperioribus patet. Hoc ergo vult Apo-

ſtolus:Nos ſumus ſurculi inſiti corpori Chriſti.Igitur ferre fructũ nos oportet. Sed quomodo fit hæc inſitio? Spiritualiter fit,cum in Chriſtũ credimus, quæ inſitio figuratur & obſignatut baptiſmo.Porrò quæ Ambroſius annotauit in hunc locum, pulchre mẽtem Apoſtoli explicant.Nos,inquit,baptiſati conſepulti ſumus Chriſto, vt de cætero hanc vitam conſequamur, in qua Chriſtus reſurrexit. Baptiſmus itaq; reſurrectionis pignus eſt & imago, vt iam in noua illa vita manentes non peccemus.qui enim moritur iam non peccat.Mors enim finis peccati eſt.Nam ideo per aquam celebratur baptiſmus,vt ſicut aqua ſordes corporis abluit:ita & nos per baptiſmum ab omni peccato ſpiritualiter purgatos & innouatos credamus,vt quod incorporale eſt,inuiſibiliter abluatur.Hæc Ambroſius.

Hoc ſcientes , quod vetus noſter homo cum eo crucifixus eſt, vt aboleatur corpus peccati,vt non amplius nos ſeruiamus peccato.

Quæ ſit vis mortis Chriſti in iuſtificatis exponit, videlicet quod eius virtute crucifigatur vet⁹ ho mo in nobis,hoc eſt, vt morificetur peccatum, & paulatim vitioſitas naturæ corrigatur,vt aboleatur & eneruetur corpus peccati, hoc eſt, caro in qua peccatum ipſum hæret, idque in eum finem, vt non amplius ſeruiamus peccato.In hac pericopa multa ſunt obſeruanda, ac PRIMVM diſcrimen inter veterem & nouum hominem Sciendum eſt ergo quod vetus & nouus homo metonymia Hebraica dicuntur. Nam ſubſtantia ſeu ſubiecti appellatio pro adiuncto ponitur, & epitheta vetus & nouus,diuerſa ſtudia & affectiones indicant. DEINDE vetus homo & nouus conſiderantur dupliciter. ALIAS enim inter ſe opponuntur in diuerſis ſubiectis, qua ratione vetus homo dicitur,qui eſt expers fidei & nondum renatus. Contra nouus qui credit & renatus eſt. Vetus quidem,quia detinetur in ſuæ originis vetuſtate, & vitioſitate,referens indolem primi & veteris Adami:Nouus verò qui ſpiritu Chriſti renouatus & regeneratus eſt,referens imaginem ſecundi Adami,hoc eſt,Chriſti. ALIAS,vetus homo & nouus opponuntur in ijſdem ſubiectis. Vt enim primo modo nouus dicitur propter fidem, ita ſecundo modo dicitur nouus,propter nouæ arboris nouos fructus,hoc eſt,propter nouam obœdientiam & vitá,quæ ſequitur fidei iuſtificationem. Contra,quod in iuſtificatis ſpiritui ſe opponit,vetus homo dicitur:quem vt Paulus interdum carnis voce deſignat, ita nouum ſpiritus appellatione notat,idque duplici metonymia. PRIMVM enim ſpiritus & carnis vocabula non pro ſubſtantijs,ſed pro qualitatibus,quę in ſubſtantijs ſunt,accipiuntur. DEINDE cauſſa pro effectu ponitur. Vt enim caro carnis opera:ita ſpiritus motus à Spiritu ſancto excitatos ſignificat.

DEINDE & hoc loco obſeruandum eſt, quod vetus noſter homo duplici modo dicatur crucifixus eſſe cum Chriſto. PRIMVS enim modus pertinet ad gratuitá pro peccatis noſtris ſatisfactionem. Chriſtus enim peccata noſtra per crucem expiauit. Huc illud Apoſtoli:Chriſtus mortuus eſt propter peccata noſtra, ſcilicet expianda. Nam ipſius mors peccatorum noſtrorum ſatisfactio eſt,quæ ſatisfactio nobis credentibus imputatur. SECVNDVS modus pertinet ad regenerationem,de qua hoc loco agitur. Virtute enim crucis Chriſti crucifigitur in nobis peccatum:quę crucifixio intra nos ſentitur in vera pœnitentia. Vocatur autem hæc crucifixio in genere mortificatio,quæ eſt regenerationis ſeu ſanctificationis principium,Sicut Viuificatio finis eſt & conſumatio, quæ proficiſcitur,vt ſupra dictum eſt, ex virtute reſurrectionis CHRISTI. PRÆTEREA obſeruandum eſt hîc diſcrimen inter veterem hominem & corpus peccati. Vetus homo,vt ſupra dictum eſt,peccatum ipſum notat.Corpus peccati omnes hominis partes ſignificat,in quibus vis peccati ſe exerit. Hoc corpus peccati virtute crucis Chriſti paulatim eneruatur, vt homo renatus non ſeruiat peccato,hoc eſt,non faciat quę imperat peccatum,ſed eius concupiſcentijs reluctetur ſpiritu. POSTREMO obſeruandum eſt, quid Paulo ſit abolere peccatum,videlicet ita eius impetum cohibere,vt ei non ſeruias,hoc eſt,non facias deſideria eius:quod cum fit,vetus homo cum Chriſto crucifixus eſſe cognoſcitur.

Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato.

Dixit Apoſtolus veterem hominem crucifixum eſſe & mortuũ peccato, ex quo concluſit, non ſeruiendum eſſe peccato.Iam eam conſecutionem confirmat à conditione ſeruorum, qui ſuis dominis obnoxij ſunt,donec viuunt, à quorũ tandem poteſtate per mortem liberantur. Argumentatur autem hoc modo. Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Vetus noſter homo mortuus eſt, quia eſt cum Chriſto crucifixus. Igitur, Vetus noſter homo iuſtificatus eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tus eſt à peccato. Proinde, non amplius debet ſeruire peccato. In verbo iuſtificandi metalepſis eſt. Nam hîc iuſtificari eſt exemtum eſſe à iure peccati, vt non amplius peccato ſis obnoxius, vt eius imperata facias. Non ergo loquitur hîc Apoſtolus de expiatione peccati per mortem Chriſti. Sed de effectu mortis Chriſti, quæ facit, vt à peccati actionibus abſtineamus.

Quod ſi mortui ſumus cũ CHRISTO credimus etiam quod viuemus cum eo.

Duo ſunt propoſitionis probandæ mēbra, ſicuti ſupra dictũ eſt, VNVM, quod non ſit peccandũ, ALTERVM, quod ſit ambulandum in nouitate vitæ, prius potiſsimum hactenus probauit, videlicet quod non ſit peccandũ, Nunc poſterius, videlicet, quod oporteat ambulare in nouitate vitæ confirmat. Sumitur autem hoc argumentum, vt ſuperiora, ab efficacia communionis noſtræ cum Chriſto, & ponitur propoſitio loco totius argumenti. Si mortui ſumus cum Chriſto, viuemus etiam cum eo. Iuſtificati fide, mortui ſumus cum Chriſto. Igitur etiam viuemus cum eo, cum in hac vita per nouam obœdientiam, tum in æterna vita per reſurrectionis gloriam.

Scientes, quod CHRISTVS excitatus ex mortuis, non amplius moritur, mors illi vltra non dominabitur, Quod autē mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel, Quod autem viuit, Deo viuit. Sic & vos reputate, voſipſos tum mortuos eſſe peccato, tum vero viuere Deo in CHRISTO IESV Domino noſtro.

Hactenus argumentis ſumtis à virtute communionis noſtri cum Chriſto, probauit iuſtificatos mortuos eſſe peccato, & viuere debere iuſticiæ, nunc ab exemplo ratiocinatur. Eſt autem hic duplex Enthymema, VNVM ab exemplo mortis: Chriſtus ſemel mortuus eſt. Ergo nos mortui peccato, non debemus rurſus peccato viuere. ALTERVM, ab exemplo reſurrectionis. CHRISTVS reſurgens perpetuam vitam viuit, Igitur & nos perpetuo nouitati vitæ ſtudebimus. Summa ergo huc redit: Vt exemplo Chriſti mori debemus peccato, vt ei non obtemperemus: ita eodem exemplo viuere debemus Deo, vt quæ grata ſunt illi faciamus. Verum hîc diſsimilitudo obſeruanda eſt. CHRISTVS mortuus eſt corpore naturæ, & mortuus eſt peccato expiando. Nos autem fide iuſtificati morimur corpore peccati, & morimur peccato non expiando, ſed deſtruendo peccata in carne noſtra: quod peccatum plene abolere nequit, donec in hoc mortali moramur corpore. Nam noſtra ſanctificatio à Chriſti virtute promanans, nunquam hic in nobis perficitur, cum ab ipſa morte pendeat noſtræ ſanctificationis conſummatio.

Ne regnet igitur peccatum in mortali veſtro corpore, vt obœdiatis illi in cupiditatibus huius, neque ſiſtite membra veſtra arma iniuſticiæ peccato.

Hanc exhortationem commode ſubijcit Apoſtolus doctrinæ, vt intelligatur quodnam ſit iuſtificatorum officium, qui ſunt cum Chriſto crucifixi & excitati, nimirum vt tyrannidi peccati ſe opponant, ne imperium habeat in ipſorum corpore. Confert autem hîc peccatum originale violento tyranno, qui ſibi imperium vſurpat in hominem, cum homo cupiditatibus corporis indulgens, membra ſua ſiſtit veluti in conſpectu huius tyranni, vt præſto ſint ad accipienda mandata, & perficienda quæ imperantur. Facit autem hîc Apoſtolus quatuor peccatorum gradus, quibus regnum peccati perficitur. PRIMVS eſt ipſum peccatum, quod originale vocamus, quod hîc ἡ ἁμαρτία dicitur, articulus enim certum peccati genus ab Apoſtolo ſignificari indicat. SECVNDVS, eſt vis malæ concupiſcentiæ, quæ eſt natiuæ corruptionis proximus effectus. TERTIVS, eſt conſenſus ſeu obœdientia, qua voluntas ſe peccato ſubijcit. QVARTVS, eſt membrorum corporis promtitudo, ad ſatisfaciendum cupiditatibus corporis. Subiectum horum omnium facit Apoſtolus corpus hoc mortale, quod circumferimus. cui ideo tribuit concupiſcentias, quia animus per concupiſcentias corpus cōmouet, ac viciſsim corpus animum ſolicitat. Hinc iam colligamus regnum peccati eſſe, cũ concupiſcentiæ corporis imperio peccati obœdiunt, ac membra corporis imperata pficiunt. Vt ergo peccatum regnans dicitur, cuius imperio per concupiſcentias corporis ac membrorum interiorum & exteriorum ſatisfit: ita peccatum non regnans, ſed domitũ & ſubiugatum dicitur, & crucifixum, quando renati opponunt ſe cupiditatibus, & coercent

membra, ne, quæ imperat peccatum, perficiant. Docemur præterea hoc loco, quod renati poſsint per gratiam regenerarionis ita reluctari peccato, vt in ipſis non regnet. Tametſi enim omni ex parte motus ſuborientes coercere non poſſunt: tamen corpus & eius membra ita in poteſtate habent, vt ea continere poſsint, ne ſint arma peccato ad perpetrandam iniuſticiam, hoc eſt, ad id faciendum, quod non decet.

Sed ſiſtite vos Deo vt ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſticiæ Dei.

Exhortationis alterũ membrum. Vt enim prius membrum eſt, ne nos obœdiamus peccato, ad facienda ea quæ ſunt iniuſta: ita poſterius eſt, vt obœdiamus Deo, & ſiſtamus membra noſtra arma iuſticiæ, vt ea quæ iuſta ſunt, faciamus, idq́ue ideo, quia ex mortuis viui facti ſumus, virtute reſuſcitati Chriſti. Sciant ergo renati ſui muneris eſſe, vt perpetuo ſe ſiſtant in Dei conſpectu, & ſemper præſto ſint, ad facienda quæ imperat.

Peccatum enim vobis non dominabitur.

Prolepſis eſt. Nam anteuertit obiectionem illorum, qui conqueri poterant de peccati tyrannide quam ſentiunt in ſe renati, ac promiſsione erigit eos, ne animũ in lucta ſpiritus aduerſus carnem deſpondeant. ac ſi dicat: Scio quanta ſi vis peccati, ſed maior eſt vis gratiæ, qua donati ſunt renati. Quare nequaquam futurum eſt, vt eos peccatum rurſus ſuo iugo ſubijciat, modo vt ſtrenui milites iuſticię peccato ſe oppoſuerint ſpiritualibus armis, quibus Chriſtianos munitos eſſe oportet. Pertinet itaque hæc promiſsio nõ ad quoſuis, ſed tantum ad eos, de quibus hîc agitur, hoc eſt, ad iuſtificatos fide. Memorabilis itaque doctrina hîc obſeruetur de viribus iuſtificatorum, qui ita poſſunt peccato reſiſtere, ne in ijs regnũ habeat. Verùm interea ſciendum eſt, quod iſtud poſſe non ſit naturæ, ſed gratiæ adiuuantis reformatam voluntatem, & Spiritus Chriſti, quo fideles aguntur.

Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.

Ratio promiſsionis à conditione iuſtificatorum. Iuſtificati non ſunt ſub lege damnante. Ergo peccatũ non dominabitur iuſtificatis. Eſt enim dominium peccati, quod qui peccatum faciant, ſint ſub legis maledictione, & ira Dei. Verùm cum iuſtificati ſint ſub gratia, qua teguntur peccata per vmbraculum Chriſti, & donamur Spiritu ſancto, per quem ſanctificamur, legis damnatorię ſententiæ nõ amplius ſunt ſubiecti. Obſeruetur hîc & inſignis doctrina, & vtilis conſolatio. Doctrina quidem, quod qui ſunt ſub gratia, & habent remiſsionem peccatorum, liberi ſint à iure legis, quantum ſanè ad eius damnatoriam ſententiam attinet. Conſolatio verò quòd iuſtificati fide, etſi habent peccatum, quod lege Dei damnatur, hoc tamen illis non imputetur ad damnationem, propter gratiam cuius ſunt participes.

Quid igitur? peccabimus quod non ſimus ſub lege, ſed ſub gratia?

Hæc obiectio eſt male torquentium proximè præcedentem ſententiam, & ex ea concludentium abſurditatem, vt doctrinam Pauli cauillationibus hoſtiũ obijciant. Sic ergo ex verbis Pauli inferunt: Nos non ſumus ſub lege. Ergo liberum eſt peccare. Quia peccatum nõ amplius eſt peccatum. Nam peccati ratio ex lege pendet. Vbi ergo non eſt lex, ibi neque peccatum. Proinde licebit ex arbitrio quiduis audere. Atque ita aduerſarijs Pauli non eſſe ſub lege ſignificat, homines exemtos eſſe ab omni lege, vt iam amplius nullam legi obœdientiã debeant, quemadmodum hodie Libertini, & olim Carpocratiani impie docuerunt, ſtatuentes libertatem Chriſtianam in licentia quiduis audendi & faciendi eſſe poſitam.

Abſit.

Hæc reſponſio, μὴ γένοιτο, familiaris Paulo eſt, quoties craſſa & abſurda, perperam vel ab aduerſarijs vel ab infirmis obiecta, confutat, ac ſi dicat, monſtri ſimile eſſe quod obijcitur, vt hoc loco, cum aduerſarius obijcit: Nos non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Igitur quiduis audere licebit. Paulus reſpondet, Abſit, quaſi diceret, minime ſequi propterea peccandum eſſe, quia ſumus ſub gratia, & non ſub lege. immo contrarium potius inde colligi oportet, hoc modo: Nos ſumus ſub gratia, Ergo non eſt peccandum, Quia gratia & peccatum abolet, & nouam obœdientiam in renatis incoat. Verum ad antecedens ita reſpondendum erit: Iuſtificati non ſunt ſub lege, hoc dictum non eſt intelligendum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dum ſimpliciter, ſed ſecundum quid, Non enim ſunt iuſtificati ſub lege, ſcilicet accuſante & damnante, ſed manent ſub lege docente, & normam iuſticiæ præſcribente.

An neſcitis, quod cui ſiſtitis voſipſos ſeruos ad obœdiendum, eius ſerui eſtis, cui obœditis, vel peccati ad mortem, vel obœdientiæ ad iuſticiam.

Hæc ratio ſumitur à iure gentium: Quilibet eius ſeruus eſt, cui ſe ſiſtit ad obœdiendū. Hæc propoſitio eſt principium, ex quo has duas hypotheſes infert: Ergo qui ſe ſiſtit peccato ad obœdiendum illi, eſt ſeruus peccati, Et qui ſe ſiſtit Deo ab obœdiendum illi, ſeruus eſt eius. Requirebat plena antitheſis, vt in ſecunda hypotheſi diceretur: Siue iuſticiæ vel Dei in vitam. Verum loco iuſticiæ ſiue Dei ponit obœdientiam, vt quid per iuſticiam intelligat, explicet, videlicet obœdientiam erga Deum, quæ iuſtificationis finis eſt. Deinde pro eo quod diceret, in vitam, ideo ponit in iuſticiam, quia iuſticia vitæ, hoc eſt, viuificationis eſt comes & monſtratrix.

Gratia autem ſit Deo, quod fuiſtis quidem peccati ſerui, ſed ex animo obœdiſtis formæ doctrinæ, in quam eſtis traditi, verum liberati à peccato, ſerui eſtis iuſticiæ.

Hæc ſubſumtio eſt, ſed ornata amplificatione. Simpliciter dixiſſet: At vos ſerui eſtis iuſticię ſiue Dei. Verum quia magnum beneficium eſt, è ſeruo peccati ſeruum Dei fieri, orditur ſubſumtionem à gratiarum actione, qua gratias agit Deo, vt monſtret autorem tanti beneficij, & excitet iuſtificatos ad gratitudinem. DEINDE admonet prioris ſtatus, in quo fuerunt ante iuſtificationem adeptam, tum enim fuerunt miſerrima peccati mancipia. hoc autem ideo facit, vt magis ad obœdiendum Deo, cuius iam ſerui facti ſunt, excitet. TERTIO, cauſſam mutati ſtatus indicat, cum dicit eos obtemperaſſe formæ doctrinæ, in quam traditi ſunt per prædicationem Euangelij. Hic PRIMVM ex antitheſi obſeruetur, quod omnes qui non obœdiunt Euangelio, ſint ſerui peccati in mortem. DEINDE, quod Euangelium ſit veluti typus, hoc eſt, forma qua noui homines finguntur & formantur, vt referant figurā doctrinæ. PRÆTEREA, quod vt verbum, cum quo Spiritus ſanctus coniungitur, ab vna parte neceſſarium eſt, ita voluntas noſtra, qua obœdimus verbo, à parte noſtri requiritur, vt iuſticiæ ſeruire poſsimus. Non ergo conuerſi ſe habent vt ſaxa, vt inuiti, & quaſi violenter trahantur in obſequium iuſticiæ.

Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ.

Antequam infert concluſionem, per prolepſin interponit excuſationem, cur videlicet de rebus cœleſtibus agens, vtatur ciuili exemplo, ac dicit ſe id facere propter infirmitatem carnis eorum. Humana enim tanta eſt infirmitas, vt ſine comparatione rerum humanarum, in diuinarum cognitionem peruenire nequeat. Atque hac de cauſſa Prophetæ, Apoſtoli, ac præcipuè Dominus ipſe toties parabolis è rebus incurrentibus in ſenſus, vtitur.

Quemadmodū enim exhibuiſtis membra veſtra ſerua impuritati & iniquitati ad nequitiam: Sic nunc ſiſtite membra veſtra ſerua iuſticiæ ad ſanctificationem.

Hæc concluſio argumenti eſt, ſimiliter collatione amplificata, neque offendere debet quenquam particula γὰρ, enim. Nam & illa interdum illationibus deſeruit. Obſeruetur hîc antitheſis duplex, PRIOR, qua iuſticia opponitur cum impuritati tum iniquitati. POSTERIOR, qua ſanctificatio ſeu ſanctimonia opponitur iniquitati. Prior docet, quid per iuſticiam intelligat Apoſtolus, nempe mundiciem cordis, quæ fit per fidem (hæc enim mundicies aduerſatur impuritati cordis) & obœdientiam erga legem, quæ ἀνομία, hoc eſt, quicquid legi Dei aduerſatur, opponitur. Ergo iuſticia incoata in iuſtificatis, eſt mundicies cordis per fidem, & obœdientia erga Deum, quanta in hac infirmitate præſtari poteſt. Poſterior docet, quid ſanctimoniæ vox ſignificet, videlicet ſtudium innocentiæ & obœdientiæ erga Deum (nam aduerſatur iniquitatis ſtudio) vt ſimus ſancti. Hinc proinde colligitur, iuſtificatorum officium eſſe, perpetuo ſanctimoniæ ſtudere, quæ in iuſticia ſita eſt, quæ iuſticia conſtat mundicie cordis, & incoata obœdientia erga Deum.

Cum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſticiæ.

Concluſioni ſuo more comprobationem addit Apoſtolus, idque per locum à contrarijs. Vis autem argumenti hæc eſt: Quando ſerui eratis peccati (ſcilicet ante iuſtificationem) liberi eratis iuſticiæ, hoc eſt, iuſticiæ non ſtitiſtis membra veſtra ad obœdiendum illi. Nullum enim in vos imperium iuſticia habuit. Igitur cum nunc ſerui eſtis iuſticiæ, liberi eſtis peccato, ſcilicet vt non ſiſtatis vos peccato, ad obœdientiam illi. Nam nullum in vos imperium habet peccatum. atque ita Apoſtolus per proſopopœiam peccatum & iuſticiam duos dominos, penes quos ius imperandi eſt, facit: quorum illi quidem non iuſtificati, huic vero iuſtificati, ſe ſiſtant ſeruos.

Quem igitur fructum habebatis tunc, ob quæ nunc erubeſcitis?

Hæc quæſtio duo argumenta continet, VNVM à fructu, ALTERVM à turpitudine peccati ſumtum. Fructus peccati eſt peſsimus, & peccatum ipſum turpe. Igitur fide iuſtificati, qui peccato renunciarunt, amplius peccato ſeruire non debent. Aduerbia tunc & nunc relationem duplicis ſtatus notant: PRIORIS quidem, ante iuſtificationem, POSTERIORIS vero, poſt acceptam iuſtificationem. Obſerua quod iuſtificatos pudere oporteat prioris ſtatus: in quo turpiſsimo domino, videlicet peccato, ſe ſtiterunt ſeruos.

Nam finis illorum mors.

Probat fructum peccati peſsimum eſſe, videlicet mortem, eamque æternam.

Nunc vero liberati à peccato, ſerui vero facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.

Antitheſis eſt eius quod paulo antea dixit: Cum enim ſerui eſſetis peccato, &c. Hinc huiuſmodi argumentum concluditur: Illa ſeruitus merito eſt præferenda, cuius fructus eſt ſanctificatio, & finis vita æterna: Seruitutis iuſticiæ fructus in hac vita eſt ſanctificatio, & finis vita æterna. Igitur ſeruitus iuſticię præferenda eſt ſeruituti peccati, quæ ſeruitus peccati in hac vita fructum habet impuritatem, & finem mortem æternam. Vita æterna dicitur finis ſeruitutis iuſticiæ. non quod iuſticia noſtra illam mereamur, ſed quia eſt iter intermedium in iuſtificatis.

Nam ſtipendia peccati mors: donum autem Dei eſt vita æterna, per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum.

Probat finem ſeruitutis iuſticiæ eſſe vitam æternam à contrarijs. Finis peccati eſt mors æterna. Ergo, Finis iuſticiæ eſt vita æterna. Ne autem quis hanc vitam ex merito pendere inferat, anteuertit Apoſtolus, & eam pronunciat eſſe donum Dei per IESVM CHRISTVM. Obſeruetur metaphora in voce Obſonia, Significat autem obſonium regium comeatum, & dona quę ex lege dignitatibus tribuebantur. Cum ergo peccatum ſit violentus tyrannus, ſuis militibus tribuit digna obſonia, mortem, infernum, perpetuum cruciatum.

CAPVT VII.

Summa Capitis ſeptimi.

Iuſtificatos fide ideo non eſſe ſub lege docet, propterea quod & lex ipſis ſit mortua, & ipſi legi ſint mortui, idq́ ideo, vt ſe Chriſto iungant tanquam nouo marito, cui parere debent. Deinde legis officium eſſe, oſtendere peccatum, indicat. vnde delabitur ad diſsidium legis, & corruptæ naturæ in iuſtificatis, deſcribendum.

Ordo & partes Capitis ſeptimi.

Tres partes præcipuæ ſunt huius capitis, quarum PRIMA *eſt de libertate noſtri à iure legis, cuius libertatis finis eſt, vt ſeruiamus liberatori. Huius partis occaſio hæc eſt. Dixerat in ſexto, vt doceret*

peccatum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

peccatum non dominari iuſtificatis, iuſtificatos non eſſe ſub lege. Hîc autem ſublati dominij cauſſam reddit: quam & illuſtrat propoſita ſimilitudine à coniugio ſumta. SECVNDA *pars huius capitis eſt quæſtio de vſu legis.* TERTIA *pars eſt deſcriptio diſsidij legis diuinæ & corruptæ naturæ, & certaminis ſpiritus & carnis in regeneratis. Ante concluſionem huius partis in parentheſi pulcherrimum huius certaminis paradigma proponitur. Paulus enim ex lege diuina maculas ſuas agnoſcens, terretur conſpectu peccati: & tamē ex Euangelio concepta fiducia gratias agit Deo. Poſt parentheſin ſequitur concluſio tertiæ partis.*

EXEGESIS SEPTIMI CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quod lex dominetur homini quoad vixerit.

Cōpellatione & apoſtropha facit Romanos attentos ad ea, quæ dicturus eſt de liberatione à iure legis. In ſexto dixit: Iuſtificatos fide non eſſe ſub lege. Verum quia hoc dicere multis videbatur abſurdum, ideo hoc loco, quod illic breuiter attigit, iuſta confirmatione munit. quæſtio ergo eſt, Num iuſtificati fide ſint ſub lege nec ne? Ad huius quæſtionis negatiuam theſin probandam, hoc principium verſatis in lege notiſsimum: Lex dominatur homini quoad vixerit, aſſumit. Verum in hoc principio dubium eſt, quodnam ſit ſubiectum verbi vixerit. Oratio enim ambigua eſt. Poteſt enim & lex & homo pro ſubiecto ſumi. Lyranus interpretatur quoad vixerit, ſcilicet, lex. Chryſoſtomus, quoad vixerit, ſcilicet, homo: quem plerique ſunt ſecuti. Comparatio quæ proxime ſubiungitur, videtur cōfirmare ſententiam Lyrani. Concluſio vero & declaratio quę eam ſequitur, Chryſoſtomo patrocinatur. Quid ergo dicendum? Contextus & ſeries argumentorū Pauli omnino cōuincit, quod Apoſtoli ſententia ſit, legē dominari homini quoad alteruter vixerit ſiue lex ſiue homo. Nā ſi lex alia qua abrogatur, nō amplius obligat, & ſi homo moritur, legis imperatis non amplius tenetur. Præterea hîc etiā quæri poteſt, de qua lege hîc loquatur Apoſtolus Sed hanc quæſtionē ſoluunt ſequentia. Nam ex Decalogo adducit teſtimonium. Verum ſciendum eſt hoc non ad doctrinā legis, ſed ad damnatoriam legis ſententiam referendā eſſe. Nam doctrina nunquam moritur, immo in iuſtificatis eſt multo efficacior lex, quam in alijs, quantū quidem ad doctrinā attinet, & obœdientiam.

Nam viro ſubiecta mulier viuenti viro alligata eſt per legem, quod ſi mortuus fuerit vir, liberata eſt à lege viri. Proinde viuente viro adultera vocabitur, ſi fiat alterius viri. Sin autem mortuus fuerit vir, liberata eſt à lege illa, vt non ſit adultera, ſi iuncta fuerit alteri viro.

Declarat principium propoſita ſimilitudine à coniugio ſumta. Similitudinis autem partes ſunt duæ, quarum PRIOR hæc eſt: Eadem eſt ratio legis ad hominem iuſtificatum, quæ eſt mariti mortui ad vxorem. Sed maritus mortuus nō dominatur amplius vxori ſuperſtiti. Ergo nec lex mortua homini iuſtificato dominabitur. Minor antitheſi amplificata eſt. Valet autem hæc comparatio. quia eadem eſt ratio legis & mariti. vterq; enim ius ſeu dominium habet donec viuit. POSTERIOR ſimilitudinis pars, iuſtificatos debere Chriſto obœdientiam, concludit. Concluditur autem ſimpliciſsime hoc modo: Eadem eſt ratio iuſtificati hominis ad Chriſtum. quæ eſt mulieris ad ſecundum maritum, priore mortuo. Sed mulier ſecundo marito ſubiecta eſſe debet per obœdientiam, nam illi iam lege coniugali deuincta eſt. Ergo homo iuſtificatus fide, vt liber eſt ab imperio legis damnantis, ita Chriſto tanquam nouo ſponſo obœdire debet. HIC ergo locus apertiſsime confutat eos, qui negant nouam obœdientiam neceſſariam eſſe in conuerſis, qui enim hoc faciunt, perinde faciunt, ac ſi quis ſuaderet ne mulier nupta ſecundo marito obœdiret. quod ſane nihil eſſet aliud, quàm diuortio operam dare. Obſeruetur PRÆTERBA hoc loco, ad quoſnam pertineat abrogatio legis, quo ad eius damnatoriam ſententiam attinet, nimirum ad iuſtificatos fide. DEINDE obſeruetur, quod Eccleſia ſit Chriſti ſponſa, cui per ſpiritum parere debet proles, hoc eſt, omnis generis virtutes, quales recenſentur ad Galat. 5. & alibi. Et dicuntur fructus ſpiritus, quia ſpiritu Chriſti acti homines fructificant bona opera. Vt ergo hæc ſimilitudo amorē Chriſti ſponſi erga nos teſtatur: ita nos viciſsim admonebit cum caritatis erga ipſum: tum officij erga nos mutui. PORRO quod quidam ex hoc Pauli loco catholicam doctrinam de coniugij vinculo ſumendā putant, ineptius eſt, quàm vt refutatione indigeat. Nam Apoſtolus hoc loco non inſtituit diſputationem

ſputationem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſputationem de matrimonio, aut de diuortij cauſsis: ſed tantum è re coniugali ſimilitudinem ſuo propoſito accommodam petit, ac loquitur ſolummodo de ordinaria via in bene conſtituto matrimonio, iuxta quam non fit coniugum à ſe inuicem ſeparatio. Non autem loquitur de vicijs propter quæ diuortia fieri poſſunt legibus diuinis & humanis. Nam hoc ad propoſitum non feciſſet quicquam. Non enim liberamur à lege per diuortium, ſed per mortem.

Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis legi per corpus CHRISTI, vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo.

Res hîc exprimitur, cui explanandæ ac probandæ ſeruit ſimilitudo adducta de muliere, in qua re tria ſunt, Homo, Peccatũ, Lex. ſicuti tria ſunt in propoſita ſimilitudine, Mulier, Maritus, Lex. Vt ergo mulier, viuente marito, ſub lege mariti eſt, & mortuo marito libera eſt à lege mariti: ita homo viuente in ſe peccato eſt ſub lege, quæ virtus peccati eſt, ſed mortuo peccato ſub lege damnante, nõ amplius eſt homo. Præterea vt mulier libera à lege prioris mariti, & nupta alteri poſteriori obœdire debet: ita homo iuſtificatus fide liber à lege accuſante & damnante, debet obœdire Chriſto, vt nouo marito, eiq; liberos parere, ſcilicet fructus ſpiritus. Hactenus ſententiam Apoſtoli explicauimus, iam verba altius expendamus. PRIMVM ergo dicit: Et vos mortificati eſtis legi. Hîc conſequens ponitur pro antecedente. quod eſt: Et vos mortui eſtis peccato, hoc eſt, & vobis peccatum mortuum eſt, Eſt enim hypallage. Hinc ſequitur, vos nõ eſtis ſub lege quatenus lex virtus eſt peccati & damnat. Deinde cauſſa redditur mortui peccati ſiue legis, quatenus eſt virtus peccati. Per corpus Chriſti, hoc eſt, per victimam Chriſti, & per communionem, quam iuſtificati habent cum corpore Chriſti. Nam vt ſupra dictum eſt: Vetus noſter homo cum Chriſto crucifixus eſt. PRÆTEREA additur finis mortui peccati: Vt ſitis alterius qui ex mortuis exuſcitatus eſt, hoc eſt, Chriſti noui ſponſi, videlicet, vt fructificemus Deo. Quod autẽ tranſit Apoſtolus à ſecunda perſona ad primam, idiotiſmus Hebraicus eſt. SVMMA ergo collationis huc redit: Quod peccato in nobis mortuo non ſimus ſub lege damnante, ſed ſub gratia Chriſti noui ſponſi, cui liberos parere debemus, fructus ſpiritus, vt dictum eſt.

Quando enim eramus in carne, affectiones peccatorum per legem exiſtentes operabãtur in membris ad fructificandum morti.

Dixit finem liberationis à lege eſſe, vt adhæreamus Chriſto ad fructum ferendum Deo. Verum quia aduerſarij poterant obijcere, homines ſub lege conſtitutos, poſſe Deo fructificare viuendo iuxta legis præſcriptum, occurrit Apoſtolus iſti obiectioni, ac tribuit legi contrarium effectum. Lex, inquit, facit, vt mali affectus incendãtur & inflammentur magis in nobis. Igitur, per legem nemo poteſt fructificare Deo At ne quis hanc ſterilitatem legi aſſcriberet. Apoſtolus cauſſam huius rei à conditione ſtatus hominis petit. Quando enim eramus in carne, hoc eſt, quando ſoli naturæ corruptæ relicti deſtituebamur ſingulari ſpiritus gratia, tum affectiones peccatorum per legem irritatæ vigebant magis magiſq, in membris noſtris, idq; non vicio legis, ſed corruptæ naturæ, qua nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq; negata. Hinc Auguſtinus: Vbi non eſt gratia liberatoris, auget peccandi deſiderium prohibitio peccatorum. Porrò παθήματα peccatorum vocat Apoſtolus ὁρμὰς ſeu motus ad peccandum ſolicitantes, qui ſunt tanquam aculeus peccati, per quem peccatum gignit in nobis carnis opera veluti partus, quorũ catalogus Galat. 5. recitatur. Iam reliquum eſt, vt hypotheſes nonnullas ex Pauli verbis cõcludamus. PRIMA, Nemo naturæ viribus legi Dei plenam obœdientiam poteſt præſtare. SECVNDA, Lex in non renatis excitat & irritat malos affectus, idq vitio carnis. TERTIA, Liberum arbitrium eneruatum eſt ita, vt nemo Deo debitam obœdientiam præſtare poſsit ſibi relictus. QVARTA, Opera hominis non iuſtificati, omnia ſunt peccata, vt quæ morti fructificant. QVINTA, Membra hominis non regenerati, atque adeo omnes vires, obſequium malis affectibus præſtant. Porrò confutationem Manichæorum, qui his Pauli verbis abuſi, dixerunt legem à Deo datam non eſſe, vide in Auguſtino ſermone 4. de verbis Apoſtoli.

Nunc autem liberi ſumus à lege, mortui ei ſub qua detinebamur, vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, ac non in vetuſtate literę.

Hæc antitheſis quatuor habet. PRIMVM, manumiſsionem à lege, quæ opponitur ſeruituti legis. DEINDE cauſſam manumiſsionis, mortem

tem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tem peccati, quod crucifixum eſt cum Chriſto, ex quo fit vt non amplius detineamur ſub imperio legis damnantis. Nam per mortem peccati vinculum legis ruptum eſt. Hæc mors opponitur vitæ peccati, qua ipſum viget in membris noſtris. PRÆTEREA, finē manumiſſionis à lege, videlicet, vt ſeruiamus Deo. Hæc ſeruitus opponitur ſeruituti mortis, qua illi fructificamus. POSTREMO, modum ſeruitutis, quem per collationē amplificat, dicens: Non in vetuſtate literæ, ſed in nouitate ſpiritus. Hîc vetuſtati nouitas, & literæ ſpiritus opponitur. Vt vetuſtas ſignificat priorem cōditionem ſub primo marito, nempe peccato: ita nouitas ſignificat poſteriorem conditionem ſub ſecundo marito, nempe Chriſto. Illa vetuſtatis nomine ſignificatur, cum quia prior eſt, tum quia abolebitur. Hæc nouitatis voce indicatur, quia noui hominis eſt, & perpetuis incrementis augebitur, & nunquā abolebitur. Deinde vt literæ appellatione legem reſpectu veteris conditionis vocat, quia ſcilicet apud homines nō renatos eſt veluti muta ac litera mortua, quod ad eius obſeruationem attinet. hæc, quod ab ea peccatum arripiat occaſionem nos interimendi, dicitur occidere. Huc illud Auguſtini: Doctrina illa, qua mandatum accepimus, continenter recteq; viuendi, litera eſt occidens, niſi aſsit viuificans ſpiritus: Ita ſpiritus vocabulo ſignificatur gratia ſpiritus Chriſti, qua & noſtra voluntas per Spiritum ſanctum reformatur, & motus noui excitantur, ac vires nouæ ſuppeditantur, quibus incoamus Deo ſeruire, & parere Chriſto nouo ſponſo liberos, qui ſunt fructus ſpiritus. Hic ideo dicitur viuificare, quia eo excitamur ad viuendam nouam vitam. Hanc eſſe genuinam interpretationem literæ & ſpiritus, ipſe contextus & argumēti ſeries euincit. Quare qui per literam ſenſum literalem aut ceremonias, & per ſpiritum ſenſum allegoricum intelligunt, nec cœlum nec terram attingunt, immo ſacrum Dei verbum calumnijs hoſtium exponunt. Iam quę ſint obſeruandæ doctrinæ videamus. PRIMA, quod vt nihil boni poterimus agere, priuſquam Chriſto coniungamur ſpiritu, per fidem manumiſsi à maledictione legis: ita ſoluti à vinculo legis, donamur Spiritu ſancto, qui reformat mentes & voluntates noſtras, vt & intelligamus quid fieri oporteat, & velimus præſtare quod intelligimus. SECVNDA, Quod finis iuſtificationis & manumiſsionis à lege, ſit Deo obœdire per nouam obœdientiam. TERTIA, Quod confutentur hac Pauli aſſertione, qui mentiuntur per prædicationem Euangelij laxari frena cupiditatibus, vt iam quodlibet liceat, quaſi libertas Chriſtiana eſſet, omnem erga Deum obœdientiam abijcere, & licentia quiduis audendi, ſicuti olim per Carpocratianos, & hodie per Libertinos Diabolus ſuum virus euomit in contumeliam Euangelij Chriſti, & incertam multorum perniciem.

SECVNDA PARS CAPITIS.

Quid igitur dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit.

Quia dixerat Apoſtolus affectus peccatorum per legem exiſtere, & animaduertit aduerſarios hoc detorſuros in malam conſequentiam, occupatione quadam eos anteuertit. Poterant enim ex dictis Apoſtoli ita obijcere. Quicquid operatur malum & morti fructificat, id quodq; malum & peccatum eſſe neceſſe eſt. Sed lex operatur malum, vt quæ gignit & fouet in nobis peccatum. Nam vt tu Paule dicis: Affectiones peccatorum ſunt per legem ad fructificandum morti: Igitur lex eſt malū, ſiue peccatum. Hoc cum maxime ſit abſurdum de lege Dei dicere, male affirmas affectus peccatorum exiſtere per legem. Hæc aduerſariorū obiectio eſt, ſed maior eſt diſtinguenda, quæ quidem vera eſt intellecta de eo quod per occaſionem operatur malum. Non enim omnis occaſio mali eſt mala. Neq; ſequitur qualitas rei qualitatem occaſionis. Hæc ſumma eſt reſponſionis Pauli. Sed primum opponit contrariam ſententiam per abominationis notam, μὴ γένοιτο, hoc eſt, ne fiat, ſiue abſit, quaſi diceret, nequaquam ſequitur propterea legem eſſe peccatum aut rem malam. atque hac occaſione Apoſtolus ingreditur fuſiorem de lege diſputationem.

Immo peccatum non cognoui niſi per legem.

Refellit aduerſariorum obiectionē argumento à contrarijs oppoſito, quaſi diceret, Immo tantum abeſt vt lex ſit peccatum, hoc eſt, vt peccatum gignat ac foueat, vt cōtra nihil æque aduerſetur peccato. ea enim vna eſt, quæ illud alioqui latens prodit ac detegit. Quod ſi inde peccatum irritetur, ac in rabiē feratur, multoq; magis ſæuiat quàm antea, quorſum hoc legi imputetur, quæ hoſtis inſidias detegit? Non ergo peccatum eſt lex, ſed index peccati, vt ait Ambroſius. Atq; ideo Paulus non dicit: Peccatum non erat niſi per legem. Sed peccatum non

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

noui niſi per legem: Significans legem indicatricem eſſe peccati. Transfert autem Apoſtolus orationem in ſe, vt in paradigmate res oſtendi clarius, & veluti pingi videatur. Si quæritur, quomodo noſcamus peccatum per legem? ſciendum eſt, id fieri hoc modo, dum homo ſua facta legi, vt normæ vitæ accommodat, videt vbi legem tranſgreſſus eſt, & vbi non. Vbi enim vita cum regula non congruit, peccatum commiſſum eſt. Contra, vbi vita cum regula concordat, nulla culpa deprehenditur. Hinc legis huiuſmodi definitio colligi poteſt: Lex eſt regula faciendorum & vitandorum: quorum illa dum fiunt probat, hæc dum committuntur, accuſat & damnat. Obſeruetur præterea hic vſus legis vnus, qui eſt oſtendere peccatum, de quo etiam ſupra attigit, vbi ait: Per legem eſt agnitio peccati.

Concupiſcentiam non noſſem, niſi lex dixiſſet: Non concupiſces.

Dixit ſe non nouiſſe peccatum, niſi per legem. id iam propoſito omnis peccati fonte probat. Concupiſcentia proditur per legem, vt vetita & damnata à Deo. Igitur peccatum innoteſcit per legem. Hîc nudam concupiſcentiam, in qua natiua illa labes veluti ſedem poſuit, intelligere oportet. Nam prauæ cupiditates, quæ ab iſto impuro fonte oriuntur, à lege naturæ acriter damnantur. Vnde Plato ἐπιθυμίαν πολυκέφαλον vocat, vt quæ plurimorum malorum cauſſa exiſtit, quam coercendam eſſe monet φόβῳ καὶ νόμῳ καὶ ἀληθεῖ λόγῳ, hoc eſt, metu, lege, & vera ratione. Porrò hic locus obſeruetur diligenter, quo refutantur qui Paulum putant tantum de operibus ceremonialibus diſputare in hac Epiſtola, & non de lege morali. Nam hic Apoſtolus adducit teſtimonium de vetita concupiſcentia, quæ lege morali prohibetur, quare manifeſte & fallunt & falluntur Sophiſtæ.

Sed peccatum occaſione ſumta, operatum eſt per mandatum in me omnem concupiſcentiam.

Translatio eſt culpæ à lege in peccatum originale. Nam ex eo quod dixerat Apoſtolus: Affectiones peccatorum exiſtere per legem, inferebant aduerſarij legem eſſe peccatum, hoc eſt, peccatum gignere & fouere. id iam Apoſtolus diluit & affirmat id fieri non natura legis, ſed vitio carnis & peccati in carne habitátis: quod peccatum occaſione ſumta magis irritatur per mandatum legis, & inflammatur concupiſcentia. Signum, Omnis, non hîc notat diſtributionem eius, cui additur, ſed vim potius & vehementiam, ac ſi dicat: Concupiſcentia ipſa magis vim ſuam declarauit, & importunius me inuaſit per mandatum. Etſi autem eadem concupiſcentia eſt in homine ante legis noticiam, quæ poſt legem eſt, tamē modo quodam differt hæc ab illa.

Sine enim lege peccatum mortuum eſt.

Ratio à contrarijs. Sine lege, id eſt, cum ignoratur Dei voluntas ex lege. Peccatum mortuum eſt, hoc eſt, ignoratur, non apparet, non ita vim ſuam per concupiſcentiam explicat. Hoc ſignificari per mortem peccati manifeſtum eſt ex antitheſi. Nam vt peccatum per legem cognoſcitur, operatur & apparet magis: ita ſine lege non cognoſcitur, non operatur, hoc eſt, non exerit vim ſuam, & non apparet. Atque hoc eſt quod dicit Apoſtolus: Peccatum mortuum eſſe. Deinde & hoc obſeruetur, quod hoc Pauli dictum non ſimpliciter, ſed comparatè ſit intelligendum.

Ego aliquando viuebam ſine lege, Sed veniente mandato peccatum reuixit, & ego mortuus ſum. Et inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, ad mortem facere. Nam peccatum occaſione ſumta per mandatum, decepit me, & per ipſum occidit.

Theſin proximam ad hypotheſin accommodat. Quod enim generatim dixit Apoſtolus, id nunc ſuo probat exemplo. Nam tum demum doctrina generalis perfectius cognoſcitur, cum exemplis illuſtribus declaratur. Senſus verborum Pauli non melius percipietur, quàm ex contrariorum collatione. Quare hanc pericopam in quinque membra retextam proponam, ex antitheſium comparatione declarabo, & ex ſingulis membris vniuerſales doctrinas extruam. PRIMVM membrū cōtinetur his verbis: Ego autem viuebam aliquando ſine lege. hoc eſt, Ego viuebam aliquando ſine peccati ſenſu ſecurus omnino, non vim peccati per legē intellexi, nec mea conſcientia peccati ſtimulis eſt exagitata. Hinc ſumatur hæc generalis doctrina traducta ab hypotheſi ad theſin:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

theſin: Quamdiu homo legem Dei non attẽdit, nec eam accommodat tanquam regulam iuſti & iniuſti, æqui & iniqui ad ſua facta, non ſentit peccati vim ad mortem inferendam, ſed viuit ſecure ſine morſu conſcientiæ ac hypocritam agit. Eſt enim hæc theſis intelligẽda de ijs, qui quantum ad externam conuerſationem attinet, inculpatè viuunt, vt Paulus fecit cum viueret ſine lege, quemadmodum ipſe de ſe teſtatur ad Philip. 3. Sequitur SECVNDVM membrum: Sed veniente mandato, peccatum reuixit, hoc eſt, poſtquã vim legis ſenſi, factis meis ad normam legis examinatis, me tranſgreſſorem legis deprehendi, ac reum coram tribunali Dei. Nam peccatum quod antea latebat vt mortuũ, iam per legem agnitum in cõſcientia mea reuixit, & affectiones peccatorũ magis vigebant in membris meis. Hinc generalis doctrina concluditur, videlicet, quod lex, vbi homo cœperit ſuã vitam ad eius normam exigere, peccatum, antea veluti mortuũ deliteſcens, exciter & prodat in conſcientia hominis affectus peccatorum, qui antea minus apparebant. TERTIVM membrũ eſt hoc: Ego autem mortuus ſum, hoc eſt, me mortuũ eſſe cognoui, & me dignum morte & damnatione intellexi. Nam mortem & damnationẽ comminatur lex omnibus, qui perpetuam obœdientiam puram & perfectam, iuxta legis pręſcriptum, Deo non præſtãt. Generalis doctrina, quæ hinc concluditur, hæc eſt: Ex agnitione peccati per legem homines in agnitionem iræ Dei & commeritæ damnationis veniunt, cuius finis eſt, vt peccatores Chriſtum propitiatorem quærant. Sequitur QVARTVM membrum. Et repertum eſt mihi mandatũ, quod erat ad vitã, ad mortem facere: hoc eſt: deprehẽdi quod mandatum quod inſtitutum erat ad vitam conſequendam, ſi quis ei obœdiret, cedere mihi in mortem, propter eius trãſgreſſionẽ. Vt enim obœdientibus vita promittitur, ita præuaricantibus mors peccati ſtipendium eſt propoſita. Hinc ergo generalis admonitio extruitur de promiſſionibus & comminationibus legalibus, videlicet, vitę & mortis, iuxta ſententiam legis. POSTREMVM membrum reſtat: Nam peccatum occaſione ſumta decepit me per mandatum, ac ipſum occidit me. Hic transfertur culpa à lege in peccatum vt ſupra, ac ſi dicat Apoſtolus. Quod mortuus ſim legis miniſterio, nequaquam vitiũ & culpa legis eſt, ſed peccati potius, hoc eſt, innatæ corruptionis. Hoc, inquit, peccatum, per mandatum decepit me, hoc eſt, vt latro quiſpiam me à via abduxit peccatum, quando magis irritabatur per legem. Nam ἐξαπατᾷν proprie eſt à via recta aliquem fraudulenter abducere, vt in eum ſecurius graſſari poſſit, donec ipſum occiderit & ſpoliauerit, ideo ſequitur: Et per illud, ſcilicet, mandatũ. Occidit me, ſcilicet peccatum. Nã peccati merces eſt mors. Doctrina generalis hinc petitur, non eſſe culpã legis reuelantis malũ, quod ex agnitione peccati per legẽ reddamur deteriores, ſed eſſe vitium peccati inhabitãtis in carne noſtra, quod magis æſtuat & inflammatur, quando accedit vox legis prohibentis & damnantis peccatũ. Habemus ergo pulcerrime in hoc paradigmate depictum, quis ſit vſus legis in nondũ renatis. qualis Paulus fuit aliquando. indicat lex viam vitæ & mortis, cũ cõditione obœdientiæ & præuaricationis: oſtendit & reuelat peccatum: mortis ſententiã pronunciat in legis tranſgreſſores: affectus præterea peccatorum irritat, ſed vitio carnis. Si quis horum effectuũ legis μετάνοια & ſalutaris conuerſio dici poterit, recte faciunt illi, qui pręedicationem pœnitentiæ, hoc eſt, μετανοίας ſubijciunt legi. Sed cum prædicatio pœnitẽtiæ ſalutaris pugnet ex diametro cum iſtis legis diuinæ proprietatibus, Sequitur eam ad legem minime referẽdam eſſe.

Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum & bonum.

Concluſio eſt confutatæ obiectionis aduerſariorum à vero vſu legis, qui bonus eſt. Aduerſarij quidem obiecerunt, Igitur lex peccatum eſt. Sed Paulus concludit: Igitur lex ſancta eſt. Sanctum enim opponit peccato. Deinde mandatum concludit eſſe ſanctum, iuſtũ & bonum. Sanctum quidem, quia omni vitio caret. Iuſtum, quia quæ iuſta ſunt requirit. Bonum vero, quia promittit vitam obtemperantibus.

Quod igitur bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum.

Etſi planiſſime reſpondit Apoſtolus ad proximam obiectionem, qua lex Dei vt mali cauſſa accuſata eſt, & culpam à lege in vitium carnis tranſtulit: tamen ex refutationis concluſione & effectu legis accidentario, videlicet quod viuente lege dixerit Apoſtolus peccatum reuixiſſe in ſe atque adeo ſe mortuum eſſe, formant aduerſarij hanc obiectionem, in qua abſurda connectunt hoc modo: Tu Paule concludis legẽ bonam eſſe, & tamen eius aduentu dicis te mortuum eſſe factum. Ergo lex bona, homini mortifera eſt, atq; adeo mortis culpam ſuſtinet. Hæc obiectio videtur niti hoc immoto principio: Quod bonum eſt, nemini mortiferũ eſſe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

poteſt. Sunt enim hæc repugnantia, Bonum eſſe, & mortiferum eſſe. Si ergo lex bona eſt, non eſt mortifera, Si mortifera, non eſt bona. Sed Paulus conſecutionem negat, & vtitur cum inficiatione translatione. Culpam enim à lege in peccatum transfert, pronuncians non legem quæ bona, ſed peccatum quod malum eſt, in mortem ſibi ceſsiſſe. Eſt ergo in obiectione aduerſariorum fallacia non cauſſæ vt cauſſæ. Lex enim cauſſa mortis eſt per accidens, ſeu per occaſionem, vt loquitur Apoſtolus, peccatum vero per ſe.

Vt appareat peccatum per bonum, operatur mihi mortem, quo fiat excellenter peccans peccatum per mandatum.

Senſus eſt. Lex facit vt appareat peccatum, quod antea veluti mortuum delituit. Hoc peccatum iam per legem detectum operatur mihi mortem, dum me mórtis reum oſtendit, idq́ue in eum finem, vt peccatum fiat excellenter peccans per mandatum, hoc eſt, vt appareat clariſsime & certiſsime, conſtetq́; quantus ſit peccati reatus, & quam criminoſum ſit ipſum peccatum, quod lex ipſa ſtatuit ob oculos. Obſeruetur proinde hic vſus legis, quæ ideo reuelat peccatum, vt eius turpitudo, magnitudo & reatus appareat, quo peccati grauitate territi, & fulmine legis proſtrati, quæramus propitiatorem, ne ira Dei & damnatione æterna obruamur.

TERTIA PARS.

Scimus enim quod lex ſpiritualis eſt, at ego carnalis ſum.

Quę ſit vis legis in hominibus non regeneratis, hactenus in illuſtri exemplo oſtendit, nunc repugnantiam legis & peccati inhabitantis oſtenſurus in regeneratis, collationē proponit legis & hominis: quarum conditio cum ſit diuerſiſsima, fieri non poteſt, vt conſentiant. Nam quorum naturę ſunt contrariæ, eorū effecta repugnare ſibi inuicem neceſſe eſt. Lex proinde cum ſit ſpiritualis, & homo carnalis, fieri non poteſt vt eadem velint, & in eadem ferantur, ſed vt illa ſpiritualia ſuadet, cœleſtia & integra requirit, ita hic in carnalia, terrena & corrupta toto fertur impetu. Cum ergo iam homo donatur ſpiritu Dei, neceſſe eſt magnā luctā oriri. Nam cum ſpiritus ſpirituali lege delectatur, & caro originis corruptionē ſapit, quid aliud expectandum eſt, quam vt caro & ſpiritus acerrime inter ſe in regeneratis dimicent? Spiritus enim homini ſuadet, vt ſibi obtemperet, & Deo ſua membra ſiſtat ad obœdiendū: caro contra ſuadet, vt ſpiritus imperium homo excutiat, & ſiſtat ſua membra iniuſticiæ. Spiritus vult vt homo ſe Deo ſubijciat in vera ſanctitate, caro ſuadet vt ſerpenti & carnali voluptati auſcultet. Si itaq; illi obtemperat homo, teſtimonium habet ſpiritus Dei. ſi autem huic ſciens & volens auſcultat, adhuc totus carnalis eſt, & extra Chriſti regnum. Sed ſemper excipiēdi ſunt ignorantiæ & infirmitatis lapſus, quibus ſancti obnoxij ſunt, donec hoc mortale corpus circumferunt. Ea enim eſt carnis noſtræ ad malum procliuitas, vt niſi freno ſpiritus perpetuo coerceatur, ex vno in aliud malū præceps feratur. quantumuis enim magna adhibetur diligentia: tamen ea eſt peccati inhabitantis vis, vt nemo ſine peccatis infirmitatis, ignorantiæ & ſuborientium concupiſcentiarum viuere poſsit, quæ omnia repugnantibus ſpiritu, condonantur.

Venditus ſub peccatum.

Hæc ratio eſt cur ſe carnalem vocat Apoſtolus ſumta à cauſſa. Venditus ſum, inquit, ſub peccatum, hoc eſt, ſub imperio peccati captiuus teneor. Sumta eſt autem hæc metaphora à captiuis, qui vendebantur à victoribus, vt eſſent perpetui ſerui, niſi forte veniret quiſpiam potentior & fortior, qui eos à ſeruitute eriperet. Significat autem hîc venditum eſſe ſub peccato, eſſe ita peccato obnoxium, vt aliud fieri non poſsit quin ſæpiſsime eius tyrannide prematur. Hinc proinde locus ponit nobis ob oculos vim peccati originis, quod etiā renatis faceſsit negociū. Vnde ſatis apparet, quod nō ſit tantum alieni delicti imputatio, verumetiam horrenda quædam deprauatio in natura humana, vnde in mente dubitatio de Deo de promiſsionibus & cōminationibus: in voluntate diffidētia: in corde inordinati affectus etiam in ſanctis ſuboriuntur, contra quę mala pij perpetuā ſuſtinent luctam. Nam ſi Paulus, qui nō tantum primitias ſpiritus, ſed etiam decimas acceperat, hanc experitur pugnam, Quid ſentiendum eſt de alijs? Monebimur proinde hoc loco, vt cautè ambulemus coram Deo noſtro, & exuſcitemus ſpiritum aduerſus carnem perpetuis fidei & inuocationis exercitijs, ne ſpiritus ipſe extinguatur, ac ita naufragio circa fidē facto, ſalute excidamus. Huc pertinēt exhortationes Apoſtolicæ & Propheticæ, quibus ad

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtudiũ ſanctitatis excitamur. Quare diligenter cogitemus cauſſas lapſuum in ſanctis, quæ ſunt præcipuè peccatum inhabitans, inſidiæ Sathanæ, mala mundi conſuetudo, (quæ nequitiæ) vt quidam ait (pabulum eſt) & indulgentia eorum, qui legibus & diſciplina mores hominum coercere & gubernare deberent. His cauſsis opponamus ſpiritum Dei, crucem Chriſti, dignitatem filiorum Dei, exempla ſanctorum, peccati & periculi magnitudinem, & victoriæ coronam. Sæpe enim multi, dum contra conſcientiam peccant, eò impelluntur à Sathana, iuſto Dei iudicio, vt nunquã reſipiſcant, ſed ruant in æternã mortem.

Quod enim operor non noui.

Se venditum eſſe ſub peccatum, probat ab effectu peccati, & ponitur minor loco totius argumenti, quod hoc pacto complebitur. Quicunq; operatur quod improbat, alieno impellitur imperio. Ego Paulus operor, quod nõ noui, hoc eſt, quod improbo. Igitur, Ego Paulus alieno imperio, nempe peccati, impellor. Proinde captiuus peccati ſum, ita vt non poſsim penitus à cupiditatibus liberari. PRIMVM hoc loco diſcernendum eſt inter ſpiritus impulſum & carnis ferociam. Hæc facit vt Paulus quod malum eſt operetur, ille autem improbat carnis opera. Huiuſmodi pugna non eſt niſi in renatis. Nam illi ſoli ſpiritum habent qui aduerſatur carni. Quod autem de Medea dicitur: Video meliora proboq;, deteriora ſequor: totum carnis eſt, hoc eſt, animalis hominis non ſpiritus. Ratio enim prauos affectus, præſertim cum in actus erumpant, improbat. Sciendum eſt ergo quod Paulus hîc nõ loquatur de externis actionibus, quas locomotiua regit, nec de voluntarijs delictis vaſtantibus conſcientiam: quod facile conſtabit, ſi Pauli vitam ante conuerſionem primum, & deinde poſt conuerſionem examinemus. Ante conuerſionem teſtatur ipſe Philippenſibus ſcribens, Quod vixerit ſecundum legem irrepehenſibilis, quantũ quidem ad iudicium humanum, & iuſticiam literalem attinet. Poſt conuerſionem ſub miniſterio ſui Apoſtolatus Paulum bona conſcientia vixiſſe conſtat, ita enim de ſeipſo ait: Hæc eſt gloriatio noſtra, teſtimonimum conſcientiæ noſtræ. Item: Eſtore imitatores mei, ſicuti & ego Chriſti. Hinc manifeſtum eſt, quod Apoſtolus non loquatur de voluntarijs delictis aut externis actionib. patentibus oculis hominũ, ſed tantũ de arcanis motibus, qui ſubinde ſuboriuntur in ſanctis, idq; vitio carnis, & importunitate peccati inhabitantis, vt Apoſtolus ſeipſum paulo poſt interpretatur. Huiuſmodi arcani motus ſunt ſuborientes diſputationes de ꝓmiſsionibus & minis Dei, de prouidentia, itẽ impatientia ſub cruce, & alię cupiditatũ flamulæ: quas tamen ſpiritus reprimit, cum primũ ſuboriuntur. Vnde exiſtit in homine renato ꝑpetua lucta ſpiritus & carnis. Sed quid dicemus ad dictũ Domini? Qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati. Aliud eſt facere peccatũ, quam affectibus peccatorũ ſubinde turbari. Facere peccatũ dicitur, qui vacuus ſpiritu Dei tradit ſe malis affectibus, ijsq́, obtemperat ad facienda deſideria peccati, ſeu vt breuius dicam, is facit peccatum, in quo regnat peccatum, iuxta impetũ cupiditatum corporis, & qui talis eſt, vere ſeruus peccati eſt. Verum qui peccati incendia mox extinguit ſpiritu Dei, non eſt peccati ſeruus, ſed iuſticiæ, quemadmodum in ſexto capite dictum eſt. Obſeruetur proinde hoc loco, quod ſancti in hac vita nunquã ita poſsint peccati maculas abſtergere, quin ſemper aliquid reſtet eluendum per Chriſti ſanguinem.

Non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi hoc facio.

Aſſumitur hæc propoſitio ad probandam minorem proximi argumenti verbis Pauli expreſſam. Sumitur autem hæc probatio à repugnantibus. Repugnant enim approbare & odiſſe, & ponitur ſola aſſumtio, amplificata antitheſi, ſed complebitur argumentum hoc modo: Quicunque odit quod operatur, improbat ſuum opus. Ego Paulus odi quod facio. Igitur, Improbo meũ opus, ſeu quod idem eſt, quod operor nõ noui. Verba enim cognitionis interdũ per metalepſin ponũtur pro affectibus, qui cognitionẽ ſequuntur, vt in Pſalmo primo: Dominus nouit viã iuſtorum, hoc eſt, approbat illorũ vitam & ſtudium. Iam verba textus altius expendamus. Non quod volo, ſcilicet, ſpiritu, hoc eſt, iuxta voluntatem reformatam ſpiritu Dei, Hoc ago, ſcilicet, ex toto corde, tota anima, totis viribus, iuxta legis ſcilicet præſcriptum. Sed quod odi, ſcilicet, ſpiritu, hoc ago, ſcilicet vitioſitate carnis, dum concupiſcentiæ incendia ſentio. Sciendum & hîc eſt, quod verba ago, facio, operor, non ad externa delicta, & ad externos mores referenda ſint, ſed tantũ ad motus quos excitat ſubinde peccatum originis, quibus ſuborientibus, ſpiritus mox ſe opponit. Nam hîc tantum deſcribitur lucta ſpiritus & carnis in corrupta natura, & nõ fit collatio voluntatis & externorum morum, ſicuti quidam inſulſe exiſtimarunt. Vtitur autem Apoſtolus verbis agendi &

di &

di & faciendi, vt effrenem corruptæ naturæ concupiſcentiam, actu peccatum eſſe oſtendat, & ſua natura mereri mortem & damnationem, quam tamen Deus dignatur venia in conuerſis. Admoneamur ergo hîc de inſidijs peccati originis, vt ſemper ſimus in armis, & pugnemus contra eius praua deſideria robore ſpiritus & precatione, obtẽperantes Apoſtolo, qui ad Galatas quinto ait: Spiritu ambulate, & concupiſcentias carnis ne perfeceritis.

Si autem quod non volo hoc facio, conſentio legi Dei quod bona ſit.

Colligit ex dictis defenſionem legis. Lex diuina ea requirit, quę voluntas reformata ſpiritu Dei approbat. Ergo lex diuina bona eſt. Conſtat enim ea mandata optima eſſe, quæ maxime congruunt cum ſpiritu Dei, & cum voluntate hominis, ſpiritu Dei renouata & reformata.

Nunc autem ego non amplius operor illud, ſed habitans in me peccatum.

Dixit paulò antea Apoſtolus: Non quod volo hoc ago, ſed quod odi hoc facio, Iam eius diſsidij in vno eodéq; homine rationem infert, oſtendens aliam eſſe voluntatem ſpiritus, alium eſſe impetũ carnis ſeu inhabitantis peccati. Ego, inquit, ſecundum ſpiritum ſeu interiorem hominem ſeu voluntatem reformatam non operor ſcilicet quod odi, Sed inhabitans peccatum, quod in me gignit omnem concupiſcentiam. Peccatum enim originis, quod perpetuo circumfert homo etiã renatus ſpiritu Dei, ſubinde excitat praua deſideria, quibus renatus reſiſtit. Obſeruetur igitur, quod ſancti in hac vita nunquam poſsint ita mali fontem occludere, quin ſubinde ex eo peſtilentes riuuli profluant. Non enim peccatum deſerit ſuum domicilium, donec hoc mortale corpus circumferimus. Atq; ea de cauſſa dicitur, peccatum originis habitare in homine, vt quod perpetuam ſedem in carne ſibi delegerit. Obſeruandum tamen eſt, aliter in renatis quam in profanis peccatum originis habitare. In his enim regnat iuxta cupiditates corporis: in illis autem ſpiritu Dei domatur & quotieſcunq; inſurgit per ſuas concupiſcentias, proſternitur. Atq; hinc eſt, quod in profanis mortale ſit, in renatis autem veniale, non quidem ſua natura, ſed ex gratia.

Noui enim quod nõ habitat in me (hoc eſt, in carne mea) bonum.

Ratio eſt inhabitantis peccati ab eius effectu. Nihil boni in carne mea habitat. Igitur, Illic cauſſam mali eſſe neceſſe eſt. Et huius cauſſa nulla eſt alia, quam inhabitans in carne peccatum. Eſt autem caro hoc loco totus homo cum omnibus ſuis facultatibus & viribus, extra regenerationis gratiam.

Velle adiacet mihi, vt autem perficiam bonum, non reperio.

Ætiologia eſt. Confirmat enim rationem proxime præcedentem ab effectu. Bonum quod volo iuxta ſpiritum non poſſum perficere, propter carnem. Igitur in carne non habitat bonum. Verbum perficiendi ſignificat regeneratos aliquo vſq; progredi, ſed tamen longe abeſſe à meta. Ex hoc Pauli dicto duo colligamus: VNVM, quod peccatum originis remaneat in ſanctis, ac in illis efficax ſit, etſi ſpirit⁹ imperio reprimatur. ALTERVM, quod ſancti in hac vita nunquam poſsint, etſi maximè velint, Deo plenam præſtare obœdientiam.

Non enim quod volo facio bonum: Sed quod non volo malum hoc ago.

Ratio eſt proximę ſententię ab experientia Apoſtoli ſumta. Quicunq; quod vult bonum non facit, Sed malum quod non vult, agit, facultatem voluntatis habet, ſed perficiendi virtute deſtituitur. Apoſtolus regeneratus ſeu conuerſus, bonum quod vult, non facit, ſed malum quod non vult, agit. Igitur Apoſtolus habet quidem volendi facultatem, ſed perficiendi non item. Hinc ſumatur generalis doctrina de renatis, videlicet, quod illorum quidem voluntas ex gratia promta ſit ad obœdiendũ Deo, ſed conatus imbecillitate carnis & naturę prauitate interturbetur. Porrò qui ex hoc loco liberum arbitrium in corrupta natura concludunt, toto cœlo errant. Nam Paulus hîc loquitur de ſe iuſtificato, & de voluntate quá habet ex gratia renouationis per Spiritum ſanctum.

Si enim quod non volo ego hoc facio,

Translatio culpæ eſt in peccatum non

non amplius ego operor illud, ſed habitans in me peccatum.

hæreditarium. Hoc argumentum ita concluditur: Si quod non volo hoc facio, nõ amplius ego operor illud. Sed quod non volo hoc facio. Ergo, Ego amplius non operor illud. Si ego id non facio, neceſſe eſt alium eſſe qui hoc agit. Is enim alius inueniri non poteſt, quam morbus hæreditarius. Hinc rurſus obſeruetur lucta carnis & ſpiritus, Et diſcrimen noui & veteris hominis. Nouus eſt, qui vult, Vetus eſt qui aduerſatur in vno eodéq; homine. Nou⁹ homo eſt, quicquid ex regenerationis gratia homo habet: Vetus eſt qualitas totius hominis non regenerati, quæ aduerſatur Deo. Non ergo hîc fit collatio voluntatis & effectuũ in quolibet homine, ſed ſpiritus & gratiæ in renatis.

Reperio igitur legem volenti mihi facere bonum, quod malum mihi adiacet.

Hactenus multis oſtendit ex carne peccatũ eſſe, quod lex Dei profert in lucem. Nunc idem concludit hoc modo: Inuenio mihi volenti facere bonum, legem eſſe quæ doceat quod malum mihi adiunctum ſit. Nam dum facta mea ad normam legis reuoco, video defectum, quem mihi lex monſtrat, cum ait: Non concupiſces. Cum hic ſit ſimpliciſsimus ſenſus huius loci, congruens cum tota diſputationis ſerie, aliorum interpretationes omitto.

Condelector enim legi Dei ſecudum interiorem hominem, ſed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meę, & captiuantem me legi peccati, quę eſt in membris meis.

Comprobatio eſt concluſionis & declaratio partium eius. Nam quod velit bonum agere ex eo comprobat, quod condelectetur legi Dei, quod ſane promtiſsimæ voluntatis indicium eſt. Quod autem malum ſibi adiunctum ſit, ab effectu oſtendit, cum inquit: Sed video aliam legem in membris meis, hoc eſt, vim ad peccandum ſeu impetum inhabitantis peccati, huic legi duo tribuit, VNVM, quod rebellando aduerſetur legi mentis ſuæ, id eſt, pio & ſancto propoſito, quo ſe ad normam legis diuinæ conatur componere. ALTERVM, quod captiuet ſe legi peccati, quæ eſt in membris, hoc eſt, ita ſe captiuum teneat, vt peccati iugum prorſus excutere nequeat. Obſeruandũ hoc loco quod & Ambroſius admonet, quadruplicem legẽ hîc à Paulo proponi, quod eò ſpectat, vt expreſsius in renatis delineet carnis & ſpiritus cõflictum, oſtendatq; veteris & noui hominis diſcrimen. PRIMA lex Dei eſt, quæ eſt rectiſsima iuſticia norma, iuxta quam interior homo viuere expetit. SECVNDA lex mentis eſt, hoc eſt, noui hominis per gratiam regenerati ſpiritus. TERTIA eſt lex membrorum, quæ vt ex textu colligitur, eſt impetus ad peccandum. QVARTA eſt lex peccati, hoc eſt, ipſum peccatum originis & naturæ humanæ vitioſitas, hæc à tertia differt, vt cauſſa à ſuo effectu. Nam vt hæc quarta lex eſt ipſa naturę prauitas, ita tertia complectitur concupiſcentias prauas inde pullulantes. Hæ quatuor leges ſunt in regeneratis. ſed lege mentis, quæ eſt bona voluntas, ſanctum propoſitum, bona inclinatio, propenſio & impetus per regenerationis gratiam excitatus in cordibus piorum, ad obœdientiam Deo præſtandam carent non renati. Quare nec pugnam ſpiritus & carnis ſentiunt. Obſeruetur proinde hîc clariſsima doctrina de peccato originis, ac eius malis concupiſcentijs. PRIMVM enim confertur militi promciter oppugnanti aduerſarium ſuum, & in hoc incumbenti, vt ipſum capiat, proſternat & opprimat. DEINDE confertur victori, qui victum aduerſarium vincire & captiuare conatur, vt ipſum perpetuæ mancipet ſeruituti. Quam autem hoc verum ſit, oſtendunt plurimi ſanctorum lapſus, vt Dauidis & aliorum. Verum ſpiritus rurſus ſe erigit, concepta fiducia, atq; hoſtem ſpiritualibus armis profligit.

Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratias ago Deo per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM.

Exclamatio eſt parentheſi includenda, qua ſerio ſuſpirans, deplorat ſuam ſub peccato captiuitatem, à qua ſe non liberari, donec hoc mortale corpus circumferat, ingemiſcit. Verum in hoc ipſo ſuſpirio fides mox adeſt, qua ſe rurſus erigit Apoſtolus, vnde erumpit in gratiarum actionem cogitans de liberatore, ac ait: Gratias ago Deo per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM. Hic Paulus agnoſcit Deum Patrem autorem eſſe liberationis à morte & damnatione, quam lex minatur tranſgreſſoribus, Agnoſcit & Chriſtum Mediatorem, cuius mors pro peccatis noſtris eſt ſatisfactio.

Igitur ipſe ego mente quidem ſeruio legi Dei, carne vero legi peccati.

Comprobationis concluſio eſt. Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, etſi legi peccati captiuus ſum ſecundum carnem. Igitur ego ipſe Paulus mente quidem, ſcilicet reformata manu Dei, ſeruio legi Dei, hoc eſt, me legi Dei ſubijcio, & ad eius normam vitam meam componere ſtudeo, Sed carne ſeruio legi peccati, hoc eſt, peccato ipſi non quidem volens, ſed ſub eius tyrannide captiuus. Non enim ita poſſum carnem ſpiritus imperio ſubijcere, quin ſubinde praui motus ſuboriantur, quos gignit peccatum in carne mea. SVMMA eorum, quæ in hoc capite de vſu legis diſputata ſunt, huc redit: Quod alius ſit vſus legis in non renatis, alius in renatis. Non renatis reuelat lex peccatum, quod cum fit, affectiones peccatorum magis irritantur, idq́; non culpa legis, ſed vitio carnis. DEINDE, homo agnito ſuo malo, ſe morte dignum agnoſcit, dum mandatum, cui addita eſt conditio vitę & mortis, intuetur. Verum renatis lex norma vitæ eſt, cui renatus ſe conformare conatur ſecundum ſpiritum, ſed carnis vicioſitate impeditus, quod lex requirit præſtare ad plenum, minime poteſt.

CAPVT VIII.

Summa Capitis octaui.

Quemadmodum eos, qui in Chriſto ſunt per fidem, & non ſecundum carnis imperium ambulant, à damnatione legis liberos eſſe pronunciat, contraq́; contendit, ambulantes iuxta carnis imperium, mortis ſententiæ adhuc ſubeſſe: Ita afflictiones præſentis vitæ bonum habituras exitum promittit, præſertim cum tanta ſit Dei dilectio erga nos in CHRISTO IESV, *vt ab ea nihil nos ſeparare queat.*

Ordo & partes Capitis octaui.

Sapientia Apoſtoli in diſpoſitione huius Epiſtolæ admiratione inprimis digna eſt. Omnia enim ita prudenter ordinat, vt nec quicquam omittat, quod ſcire in cauſſa propoſita neceſſarium eſt, nec quicquam addat, quod offendere poteſt, modo omnia prudenter conſiderentur, & alia alijs conferantur. Semper enim à quibus vel ratio offenditur, vel infirmi fidelium animi percelluntur, occupationibus anteuertit & diluit, Sicut & in hoc capite facit. Poſtquam enim in diſputatione ſuperioris capitis de lege & peccato dixerat, peccatum habitare in regeneratis, quod ſua natura & iuxta legis ſententiam mortem & damnationem meretur, ne quis hinc occaſionē deſperationis ſumeret, in PRINCIPIO *huius capitis eam obiectionem anticipat, docens nullam cōdemnationem ijs metuendam eſſe qui ſunt in Chriſto Ieſu, & non ambulant ſecundum carnis, ſed ſpiritus imperium. Huic doctrinæ adijcit exhortationem, vt nos ſpiritui & non carni præbeamus obſequium.* DEINDE, *Quia in proximo capite Apoſtolus conqueſtus eſt de ſua miſeria in hoc mortali corpore, quæ illi cum omnibus pijs communis eſt, conſolationem aduerſus crucis ſcandalum inſtituit, eamq́; plurimis munit argumentis. Tres itaq́; ſunt huius capitis partes.* PRIMA *doctrina & conſolatio contra damnatoriam legis ſententiam. Docet enim quod nulla ſit fidelibus condemnatio metuenda, modo ſecundum ſpiritum ambulent.* SECVNDA *eſt exhortatio ad pietatis ſtudium, quæ ſane exhortatio ex ipſa doctrina petitur.* TERTIA *conſolatio eſt, qua Apoſtolus animat pios aduerſus tentationem, quæ ex crucis ſcandalo oriri poterat. Nam cum crux videtur legis damnatoriam ſententiam confirmare, neceſſe eſt vt pij rectè de crucis cauſſis doceantur.*

EXEGESIS OCTAVI CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

DE PRIMA PARTE.

NVLLA igitur nunc eſt condemnatio ijs, qui ſunt in CHRISTO

Propoſitio PRIMA huius capitis didactica ſimul & conſolatoria.

IESV.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

IESV, & non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum.

Opponitur autem hęc propoſitio obiectioni eorum, qui peccati vim in carne ſua ſentientes, ſic ratiocinabantur. Si peccatum eſt reliquum in credentibus, Eſt & condemnatio reliqua. Nam certum eſt legem minari tranſgreſſoribus ſuis condemnationem. Paulus conſecutionem hanc negat, affirmans nullam eſſe metuendam condemnationem ijs, qui ſunt in CHRISTO IESV, qui eſt vmbraculum, quo teguntur peccata, immo victima, cuius virtute reatus peccati ſublatus eſt. Verum ne quis inani ſpectro ſe fallat, certam notam apponit eorum, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Sumitur autem hæc nota à conſequentibus & neceſſarijs ſignis fidei, ſeu ſpiritus Chriſti, quo donati ſunt iuſtificati. Qui, inquit, non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum. Secundum carnem ambulant, qui contemto iudicio Dei, indulgent prauis cupiditatibus, & ſinunt in ſe regnare peccatum. Contra, ſecundum ſpiritum ambulant, qui carnis imperium excutiunt, & ſpiritu facta carnis domant, perpetuamque luctam ſuſtinent aduerſus carnem, atq; eius prauas cupiditates. Porrò hæc propoſitio tria continet diligenter obſeruanda. Horum PRIMVM eſt doctrina conſolatoria, videlicet, quod fidelibus ſit ſublata legis damnatoria ſententia. SECVNDVM eſt nota fidelium infallibilis, quæ eſt non carni, ſed ſpiritui obſequium præſtare. Hæc nota 1. Ioan. 1. his verbis etiam indicatur: Si dixerimus quod ſocietatem habeamus cum ipſo, & in tenebris ambulamus, mentimur & non facimus veritatem, At ſi in lumine ambulemus, ſicut ipſe eſt in lumine, ſocietatē habemus inuicem, & ſanguis IESV CHRISTI filij eius purgat nos ab omni peccato. TERTIVM eſt diſcrimen hominum, quorum alij habenas laxantes carni feruntur quocunque impetus impellit, alij ſpiritu premunt, ac veluti lupatis iniectis retinent ac refrenant carnem, quibus nihil moleſtius eſt quàm carnis & peccati maculis inuolui. Illi adhuc ſunt ſub lege, hi vero ſub gratia. Quare vt illis mors & damnatio iuſta eſt propoſita: ita his ſalus eſt in CHRISTO IESV Domino noſtro. His itaque admoniti reſipiſcamus, ac ſpiritus imperio nos committamus,

Nam lex ſpiritus vitæ in CHRISTO IESV, liberauit me à lege peccati & mortis.

Ratio propoſitionis à cauſſa ſumta. Cauſſam autem hanc accommodat illuſtri exemplo, vt vniuerſalis doctrina in eo veluti pingi videatur.

Quæſtio eſt: Num vlla condemnatio ſit fidelibus, qui adhuc ſentiunt in ſe vim peccati, & qui adhuc gemunt ſub peccati onere. Reſponſum eſt: Nullā condemnationem eſſe ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu. Huius reſponſi ratio hîc à cauſſa petitur, quæ eſt ſanctificatio Chriſti nobis credētibus imputata. Vt enim duo ſunt in peccato, Corruptio ſeu Vitioſitas & Reatus: ita duo ſunt in Chriſto remedia, Iuſticia & Sanctificatio. hæc opponitur corruptioni & vitioſitati noſtræ, illa reatui. Non ergo reliquiæ peccati condemnant fideles, quia ſanctificatio & puritas Chriſti, nobis imputata, nos liberat à lege peccati & mortis, ne videlicet peccato nobis imputato, mortis ſententiæ ſimus obnoxij. Hæc ſimpliciſſima eſt huius loci interpretatio, iam verba Apoſtoli expendamus: Per legem ſpiritus vitæ Ambroſius intelligit fidem ipſam, quæ ſane interpretatio non conuenit. Nam hoc ipſum quæritur, Num fidelibus ſit ſublata condemnatio. alij per legē ſpiritus vitæ intelligunt regenerationis gratiā in nobis incoatā, cui profecto nequaquā competit, vt dicatur nos liberare à lege peccati & mortis. Nā hęc incoata gratia potius eſt teſtis noſtræ liberationis, ob quā cauſam Chryſoſtomus intelligit per legem ſpiritus vitæ, ipſam Spiritus ſancti perſonā, quam interpretationem ipſa diſtinctio ſatis conuellit. Quid ergo dicendum? Duo ſunt in verbis Pauli, vt taceam de ſcopo diſputationis & ætiologia quæ ſequitur, quæ meā interpretationē, quam poſui, confirmant. VNVM, quod legem illam ſpiritus vitæ, de qua hic loquitur Apoſtolus, in Chriſto Ieſu eſſe pronunciat, & non in nobis, Lex, inquit, ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, id eſt, quæ eſt in Chriſto. ALTERVM, quod hæc lex ſpiritus vitæ quæ eſt in Chriſto Ieſu, opponatur legi peccati & mortis, quæ eſt in nobis. Iam autem cum hîc lex peccati & mortis abſq; omni dubio ſit tyrannis peccati in vitioſa noſtra carne, quæ fructificat morti, vt in ſexto dictum eſt, quis non videt legem ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, vim quādam eſſe in Chriſto Ieſu, quæ tyrannidem peccati & carnis corruptionē ſuperat? Hæc vis nulla alia eſt, quam Chriſti ſanctificatio perfecta, quæ nobis imputata, facit nos liberos, ne peccati labes, quæ adhuc reliqua eſt in carne, nos condemnet. Potentior eſt enim hæc Chriſti virtus peccati vitio & mortis imperio.

Quod enim per legem fieri non potuit,

Ætiologia eſt, cuius hæc eſt ſum-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

eo quod debilitabatur per carnem Deus (præſtitit) dum proprium filium miſit in ſimilitudine carnis peccati, & pro peccato damnauit peccatum in carne, vt ius legis impleatur in nobis, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulamus.

ma: Chriſtus factus eſt hoſtia pro peccato, vt ipſius innocentia nobis imputetur. Igitur nulla nobis metuenda eſt damnatio, nec peccatum nec mors quicquam in nos iuris habet. etiamſi in carne noſtra manent reliquiæ peccati, quæ teguntur Chriſti puritate. Porrò quoniam hæc ætiologia copioſe amplificatur, eam in quatuor membra diſtinctam conſideremus. PRIMVM membrum occupationem habet. Nam anticipat quæſtionẽ de iuſticia legali, & diſerte aſſeuerat inefficacem eſſe legem ad iuſticiam obtinendam. At ne quis hoc infirmitati legis aſſcriberet, transfert culpam in carnem, hoc eſt, humanę naturæ corruptionem. Nam lex per ſe quidẽ eſt certiſsima ac rectiſsima iuſticiæ norma. Sed ea eſt infirmitas carnis noſtræ, vt legem præſtare nequeamus, vnde fit, quod nec iuſticiam ex lege conſequamur. Hìc ergo teſtimonium obſeruetur, quod nemo mortalium poſsit ex lege iuſtificari, propterea quod nemo obœdientiam, quam requirit lex, præſtare poteſt. Lex indicat quidem quid faciendum ſit, ſed non præſtat vires. Lex indicat quidem morbum, ſed non ſanat. SECVNDVM membrum modum indicat, per quem ſumus à maledictione legis, atq; adeo à iure peccati & mortis liberati. Deus, inquit, præſtitit quod lex non potuit, dum miſit filiũ ſuum in ſimilitudine carnis peccati, hoc eſt, dum miſit filium ſuum qui aſſumſit carnẽ, hoc eſt, humanam naturam ſimilem noſtræ, excepto peccato. Et pro peccato, hoc eſt, propter peccatum, hoc eſt, victimam Chriſti, (Peccatum autem ideo dicitur victima Chriſti, quia reatum peccati in ſe recepit Chriſtus, & ſua victima pro eo ſatisfecit.) Damnauit, id eſt, interfecit, aboleuit. In carne, id eſt, in humana natura. Peccatum, hoc eſt, ius peccati. Obſeruetur hoc loco pręclarum teſtimonium de aduentu CHRISTI in mundum, & cur aſſumſerit humanam naturam, videlicet, vt fieret victima pro peccato, ſeu vt Epiſtola ad Hebræos loquitur, vt haberet quod offerret. TERTIVM membrum finem victimæ Chriſti continet, qui eſt vt ius legis impleatur in nobis, hoc eſt, vt obœdientia, qua Chriſtus legi ſatisfecit, nobis imputata, à iure legis ſimus exemti, ne videlicet nos amplius condemnet lex tanquam reos & peccatores. Eſt enim legis voluntati ſatisfactum per mortem Chriſti. QVARTVM membrum repetit ea quæ ſupra poſuit de diſcrimine hominum, quorum alij ſecundum carnem, alij ſecundum ſpiritum ambulant. Hoc membrum ideo adiecit Apoſtolus, ne quis putet licentiam carni concedi, propterea quod à iure legis ſimus exemti. Eſt enim magnum diſcrimen inter ius legis damnatoriũ, & regulã vitæ, quæ in lege traditur. ab illo liberi ſumus, modo in CHRISTVM credimus, & ſpiritu Chriſti ducimur: iuxta hanc autem vitam conformare, quantum quidẽ in hac infirmitate fieri poteſt, oportet.

Nam qui ſecundum carnem ſunt quæ carnis ſunt ſapiunt, qui vero ſecundum ſpiritum, quæ ſunt ſpiritus.

Cur ſupra in propoſitione adiecerit: Qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum, & idem inculcauerit rurſus in proxima ætiologia, iam iuſta confirmatione oſtendit. Fundamentum autem huius rationis hoc eſt: duplex eſt vita, carnalis vna, altera ſpiritualis. Illa veteris hominis, hæc noui eſt. Qui illam viuit ſub lege eſt, qui vero hanc, ſub gratia. Vtraq; ex ſuo ingenio cognoſcitur, & ex proprijs fructibus deprehenditur. Qui ergo ſecundum carnem ſunt, hoc eſt, in quibus corrupta natura dominatur, ea quæ carnis ſunt, ſapiunt, hoc eſt, iudicant, cogitant, meditantur, ſentiunt, curant &c. quæ ſunt carnis, id eſt, toti ad carnis imperium feruntur, quare adhuc carnalis illorum vita eſt. Nam regenerationis gratia in nouam creaturam nondũ ſunt renouati. Quare non mirum eſt, eos qui tales ſunt, adhuc ſub legis damnatione manere. Contra verò qui ſecundum ſpiritum ſunt, hoc eſt, in quibus nouus homo dominatur, & qui Chriſti ſpiritu ducuntur, hi quæ ſunt ſpiritus ſapiunt, hoc eſt, iudicant, cogitant, meditantur, curant, ſentiunt quæ ſunt ſpiritus, hoc eſt, ſpiritus imperio ſe regi ſinunt, & ſe carni toto impetu opponunt, gementes ſub acerrima lucta ſpiritus & carnis. Quare huiuſmodi nõ amplius ſunt ſub damnatione legis, ſed ſub gratia. quæ reliquias peccati tegit, vmbraculo Chriſto. PORRO quia hæc ratio firmamentum eſt præſentis confirmationis, eam Apoſtolus ſibi probandã proponit, vt ea ſolide confirmata, nihil amplius dubij de quæſtione propoſita relinquatur. Continet autem hæc ratio duas hypotheſes cum ſuis rationibus: Ambulãtes ſecundum carnem ſunt ſub maledictione. Hæc eſt PRIOR hypotheſis. Ratio huius eſt: Quia quæ carnis ſunt ſapiunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

piunt. Hypotheſis POSTERIOR eſt: Ambulantes ſecundum ſpiritum non ſunt ſub damnatione. Ratio huius eſt: Quia quæ ſpiritus ſunt ſapiunt. Cæterum vt veritas harum hypotheſium conſtet, eas longiori circuitu confirmat Apoſtolus, & quoniam progreſsio huius argumentationis eſt à cauſsis ad effecta, texit Apoſtolus duos Soritas cõtinentes principalis ſyllogiſmi proſyllogiſmos quoſdam, ſic enim Ariſtoteles partes Soritarũ appellat. Neque id facit ſimpliciter, ſed vt Ariſtoteles loquitur ὑπαλλήλως, hoc eſt, ita vt partes vnius partibus alterius ex aduerſo κατ' ἀντίθεσιν reſpondeant, vt contraria effecta carnis & ſpiritus apertius conſpiciantur. Vt autem vterque Sorites nude conſpiciatur, alterum ab altero ſeiungam, & deinde in textus explicatione membrorum antitheſin oſtendam.

PRIMVS SORITES.

1. Verſantes ſecundum carnem carnalia ſapiunt. 2. Carnalia ſapientes quæ ſunt mortis ſapiunt. 3. Sapientes quæ ſunt mortis, inimici ſunt Dei. 4. Inimici Dei Deo diſplicent. 5. Diſplicentes Deo ſunt ſub maledictione. Hinc à primo ad vltimum concluditur. Igitur, Verſantes ſecundum carnem ſunt ſub maledictione.

SECVNDVS SORITES.

1. Verſantes ſecundum ſpiritum, quæ ſpiritus ſunt ſapiunt. 2. Sapientes quæ ſunt ſpiritus, quæ vitæ & pacis ſunt ſapiunt. 3. Sapiẽtes quæ ſunt vitæ & pacis, amici Dei ſunt. 4. Amici Dei Deo placent. 5. Placentes Deo liberi ſunt à damnatione legis. Hinc rurſus concluditur à primo ad vltimum. Igitur, Verſantes ſecundum ſpiritum liberi ſunt à damnatione legis. In hoc poſteriori Sorita quædam adieci, quæ non expreſſe ponuntur in textu, Sed ex antitheſi tamen facile intelliguntur. nunc partes vtriuſque Soritæ in textu declarabimus.

Nam qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt.

Hæc PRIMA pars antecedentis eſt primi Soritæ, & minor primi proſyllogiſmi. Secundum carnem eſſe dicuntur, non qui interdum carnis imbecillitate labuntur, ſed qui ſe totos carnis imperio tradiderunt, ſeu vt Paulus locutus eſt: In quibus peccatum regnat iuxta concupiſcentias corporis.

Qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, ea quæ ſunt ſpiritus.

Hæc PRIMA pars antecedentis eſt ſecundi Soritæ, & minor primi proſyllogiſmi. Sapere ſecundum ſpiritum dicuntur, qui luctantes cum carne ſpiritus imperio cupiunt ſubeſſe, & quæ ſpiritus ſunt cogitant & faciunt.

Intelligentia enim carnis mors eſt.

SECVNDA pars antecedentis primi Soritæ, & minor ſecundi proſyllogiſmi. Sed mutatio abſtracti in concretum nonnihil obſcuram reddidit collectionẽ. Quare ita retexenda eſt oratio: Qui ſapiunt ſecundum carnem, quæ mortis ſunt ſapiunt. Verum Apoſtolus ideo abſtracto vſus eſt, vt oſtendat totum φρόνημα carnis, hoc eſt, omnem ſapientiam, omnia cogitata, omnia conſilia, omnes deliberationes, omnem prudentiam, breuiter λόγον καὶ ὁρμὴν omnium hominum non regeneratorum, ſi modo negocium ſalutis ſpectes, non niſi ad mortem facere. Vocabulum enim φρόνημα, genus eſt complectens omnes animi actiones & affectus. Quare potius intelligẽtiam poſui ſupremam animi actionem, quam prudentiam vel ſenſum. Nam ſi conſtiterit intelligentiam hominis, quæ vt pars ſub voce Græca continetur, in rebus ſalutis non niſi ad mortem tendere, facile de inferioribus facultatibus idem concedetur. Auguſtinus ſapientiæ voce vſus eſt.

At intelligentia ſpiritus vita & pax.

SECVNDA pars antecedentis ſecundi Soritæ, & aſſumtio ſecũdi proſyllogiſmi. Mutetur & hîc abſtractum in concretum hoc modo: At qui ſapiunt ſecundum ſpiritum, quæ vitæ & pacis ſunt ſapiunt. Nam contraria ſunt carnis & ſpiritus ſtudia, Si igitur caro in ea fertur quæ ſunt mortis, ſequitur ſpiritum vitam & pacẽ ſectari. Habemus hactenus materiam duorum proſyllogiſmorum, quorum vnus eſt prioris, alter poſterioris Soritæ. Proſyllogiſmum prioris Soritæ ita concludemus, ſi ex prædicatis primæ & ſecundæ

partis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

partis prioris Soritæ maiorem fecerimus hoc modo: Qui carnalia ſapiunt, quæ mortis ſunt ſapiunt. Aſſumtio eſt prima pars antecedentis: Qui ſecundum carnē ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt. Hinc ſequitur concluſio: Ergo qui ſecundum carnem ſunt, quæ mortis ſunt ſapiunt. Formabitur etiam primus proſyllogiſmus ſecundi Soritæ ad eundē modum: Sapientes quæ ſunt ſpiritus, quæ vitæ & pacis ſunt ſapiunt. Qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, ea quæ ſunt ſpiritus ſapiunt. Ergo, Qui ſecundum ſpiritū ſunt, quæ vitę & pacis ſunt ſapiunt.

Propterea quod intelligentia carnis inimicitia eſt aduerſus Deum.

TERTIA pars antecedentis primi Soritæ, & aſſumptio tertij proſyllogiſmi, cuius prædicatum ſi attribuatur prædicato ſecundæ partis, fiet maior tertij proſyllogiſmi, hoc modo: Quicunque quę mortis ſunt ſapiunt, inimici ſunt Dei. Aſſumtio vt antea eſt aſsignata: Qui ſapiunt ſecundum carnem, quæ mortis ſunt ſapiunt. Igitur, Qui ſapiunt ſecundum carnem, inimici ſunt Dei. Verum hîc obſeruandum eſt, quod nonnihil à lege Soritæ deflexerit Apoſtolus. Nam pro eo quod dicendū fuiſſet: Intelligentia mortis inimicitia eſt aduerſus Deum, hoc eſt, qui ſapiunt quę mortis ſunt, inimici ſunt Deo, ſubſtituit hanc propoſitionem, propterea quod intelligentia carnis inimicitia eſt aduerſus Deum, ac ita probat intelligentiā carnis ad mortem tendere, atq; concludit hoc modo: Inimicitia aduerſus Deum mortē affert, Intelligentia carnis inimicitia eſt aduerſus Deum, Igitur mortem affert. Verum, quia idem eſt ſapere quæ carnis ſunt, & quæ ſunt mortis, quia carnis φρόνημα tendit ad mortem, tertiam partem hîc conſtituo antecedētis primi Soritæ, cui cum ex antitheſios lege oppoſueris hanc: Sapientes quæ ſunt vitæ & pacis, ſunc inimici Deo. Habes tertiam partem antecedentis poſterioris Soritæ, cuius prædicatum cum attribuitur prædicato ſecundæ partis, fit maior ſecundi proſyllogiſmi hoc modo: Qui ſapiunt quæ ſunt vitæ & pacis, amici ſunt Deo. Aſſumtio vt antea eſt ſignata, Qui ſapiunt ſecundum ſpiritum, quæ vitæ & pacis ſunt ſapiunt. Proinde qui ſapiunt quæ ſunt ſpiritus, amici ſunt Deo.

Legi enim Dei non ſubijcitur, neque enim poteſt.

Ratio eſt proximæ ſententiæ, videlicet quod intelligentia carnis ſit inimicitia aduerſus Deum. Hoc loco conſuetudo ſcripturæ obſeruanda eſt, qua contrarium cum negatione pro contrario ponitur. Cum ergo dicit: Intelligentia carnis non ſubijcitur legi Dei. Senſus eſt: Intelligentia carnis aduerſatur legi Dei. Nam vt ſupra dictum eſt: Affectiones peccatorum in carne exiſtunt per legem. Quare non mirum eſt intelligentiam carnis inimicitiā eſſe aduerſus Deum. Fieri enim aliter non poteſt, quàm vt hoſtis ſit legiſlatoris, quicunque eius legem aduerſatur. PORRO hîc obſerua duo quæ tribuuntur carni. PRIMVM, praua voluntas, qua fit vt caro aduerſetur legi Dei. DEINDE impotentia, qua fit vt caro legi Dei ſubeſſe non poſsit. Caro proinde, hoc eſt, homo quatenus carnalis eſt, nec vult nec poteſt ſe legi Dei ſubijcere. Huic rationi ex antitheſi opponitur alia de ſpiritu, videlicet, quod ſpiritus ſe legi Dei ſubijciat. Quare & intelligentia ſpiritus amicitia eſt cum Deo. Nam ita complere membra comparationis oportet, vt plena conſpiciatur collatio. Quod autem ſpiritus ſe legi Dei ſubijciat, ad voluntatem & conatum ſpiritus referendum eſt, & non ad impletionem legis, quemadmodum ex ſuperiori capite manifeſtum eſt.

Cæterum qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

QVARTA pars antecedentis primi Soritæ, & aſſumtio quarti proſyllogiſmi, cuius prædicatum cum attribuitur prædicato tertiæ partis, fit maior tertij proſyllogiſmi, hoc modo: Inimici Dei Deo diſplicent, Aſſumtio ſupra ſignatur, Qui ſapiunt quæ ſunt mortis, inimici ſunt Dei, Igitur Deo diſplicent. Hîc rurſus ponitur oratio æquipollens. Nam pro eo quod dicēdum fuiſſet. Inimici Dei Deo diſplicent, ponit, Qui in carne ſunt Deo placere nō poſſunt. Huc iam per antitheſin adde: Amici Dei Deo placent, ſeu quod idē eſt: Qui ſunt in ſpiritu Deo placent. Hinc tertius proſyllogiſmus ſecundi Soritæ concluditur: Amici Dei Deo placent, Qui ſapiunt quæ ſunt vitæ & pacis, amici ſunt Dei, Ergo Deo placent. Hinc iam ſequuntur duæ concluſiones, videlicet quod placentes Deo ſint extra damnationem: &, diſplicentes Deo ſint ſub maledictione. Hæ duæ concluſiones ſunt poſtremæ partes in antecedentibus Soritarum, ex quibus duo fiunt proſyllogiſmi, videlicet quartus primi, & quartus ſecundi Soritæ, hoc modo: Diſplicentes Deo ſunt ſub condemnatione. Inimici Dei diſplicent Deo. Igitur, Inimici Dei ſunt ſub condemnatione. Iam coniunge primum ſubiectum

cum

cum poſtremo prædicato,habebis concluſionem primi Soritæ,quæ eſt: Verſantes ſecundũ carnẽ ſunt ſub cõdemnatione.Syllogiſmus ergo principalis erit: Quicunq; diſplicent Deo ſunt ſub condemnatione. Verſantes ſecundum carnem diſplicent Deo. Igitur verſantes ſecundum carnem ,ſunt ſub condemnatione.Et hęc eſt vna pars propoſitionis principalis probandæ.Quartus ſecundi.Placentes Deo ſunt extra damnationem. Amici Dei placent Deo.Igitur,Amici Dei ſunt extra damnationem.HIC rurſus primum ſubiectum cum extremo prædicato coniunge,& habebis concluſionem ſecundi Soritæ.quæ eſt: Ergo, Verſantes ſecundum ſpiritum,ſunt extra damnationem. Syllogiſmus ergo principalis erit huiuſmodi.Quicunq; placent Deo, ſunt extra damnationem. Verſantes ſecundum ſpiritum placent Deo.Ergo,Verſantes ſecundum ſpiritum ſunt extra damnationem.Et hæc eſt altera pars propoſitionis principalis probandæ.

Vos autem non eſtis in carne,ſed in ſpiritu , ſiquidem ſpiritus Chriſti habitat in vobis.

QVÆ hactenus in genere diſſeruit ,iam ad hypotheſin accommodat, & colligit concluſionem hoc modo:Qui in carne ſunt,ſub condemnatione ſunt, Qui vero in ſpiritu ſunt , liberi ſunt à condemnatione. Sed vos non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Igitur, Non eſtis ſub condemnatione , ſed à condemnatione liberi. ALTERAM partem minoris probat: Siquidem ſpiritus Chriſti habitat in vobis,id quod ex eius motibus cognoſcitur & fructu.Eſt autem eius fructus condelectari legi Dei,opponere ſe carni, congemiſcere ſub peccati mole,breuiter nihil magis expetere, quam iuſticiæ ſeruire in gloriam Dei,quemadmodum ex ſuperioribus manifeſtum eſt.

Si quis ſpiritum CHRISTI non habet, non eſt eius.

MINOREM proximi argumenti antitheſi illuſtrat.Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.hoc eſt, non eſt vitæ Chriſti particeps. ex quo ſequitur, quod nec Chriſti membrum ſit. Qui enim Chriſti membrum eſt,conſors eſt eiuſdem ſpiritus cum Chriſto:vnde noua vita exiſtit. At ſi dicas:Cum omnes homines peccant,& ſæpiſsime labuntur, quomodo ſciri poteſt, num quis ſpiritum Chriſti habeat, præſertim cum ratio ipſa in philoſophis aduerſetur peccato,quemadmodum & Seneca dicit:Si ſcirem homines ignoraturos,& Deos ignoſcituros: tamen propter peccati turpitudinem peccare non vellem. Reſpondeo,Philoſophi aliquouſq;ratione progreſsi ſunt,ſed conuerſi ad Deum pręſentiam ſpiritus ex ardentibus motibus quibus inſurgunt aduerſus peccati fontem , cognoſcunt, & ex precandi affectu , & alijs occultis efficacijs,& pręcipue ex effectibus,de quib.in ſequentibus diſſerit Apoſtolus.

At ſi CHRISTVS in vobis,corpus quidem mortuum eſt propter peccatum , Spiritus vero vita propter iuſticiam.

VNDE cognoſci poſsit præſentia ſpiritus Chriſti in fidelibus, exponit, nempe ex duabus rebus:nimirũ Mortificatione & Viuificatione: quæ ſunt efficaciæ ſpiritus Chriſti habitantis in iuſtificatis. Corpus,inquit, mortuum eſt,propter peccatum,hoc eſt, caro mortua eſt,quia eius praui affectus in conuerſis mactantur,& veluti trucidantur. Vt enim affectus peccatorum in non conuerſis per legem irritantur, ita in conuerſione ad Deum per Chriſti mortem iugulantur.Corpus hoc loco ſignificat maſſam illam ex carne,neruis & oſsibus compactam,ſed pro adiuncto ponitur,ac idem ſignificat quod caro,quatenus opponitur ſpiritui,hoc eſt, vim peccati & innatam prauitatem, quemadmodum ipſa antitheſis oſtendit. Nam opponitur ſpiritui,qui eſt efficacia ſpiritus Dei in regeneratis. DEINDE obſeruandum eſt vocabulum peccati per metonymiam accipi & ſignificare hoſtiam pro peccato, videlicet,ipſam mortem Domini,quæ hoſtia Chriſti eſt,& expiatio peccati,& virtus mortificandæ carnis in ijs qui conuertuntur,quæ ſane mortificatio prior pars eſt ſanctificationis ſeu regenerationis.Spiritus vero vita propter iuſticiam,hoc eſt, nouus homo viuit propter iuſticiam,ſcilicet Chriſti. Nam Chriſti iuſticia & imputatur nobis,vt ea ſimus iuſti in cõſpectu Dei,& eſt virtus qua viuificatur ſpiritus in nobis.Hæc ergo effecta præſentiã Chriſti in nobis oſtendunt. Si itaque cupis ſcire in carne ne ſis, an in ſpiritu, ex vtriuſq; effectis hoc cognoſcas.

Si autem ſpiritus eius, qui excitauit IESVM ex mortuis, habitat in vobis, is

Declaratio proximæ ſententiæ à diuini ſpiritus virtute, qui ſpiritus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

qui excitauit Chriſtum ex mortuis ,viuificabit etiã mortalia veſtra corpora per habitantem eius ſpiritum in vobis.

ſicuti in capite noſtro Chriſto ſe exeruit, ita etiam in nobis, qui eius membra ſumus exeret. Sicut ergo Deus ſpiritu ſuo Chriſtum excitauit ex mortuis:ita etiam noſtra corpora mortificata virtute mortis Chriſti,viuificabit per eundem ſpiritum. PORRO hæc pericopa multiplicem doctrinam continet. PRIMVM enim clare nominantur & diſcernuntur tres perſonæ diuinitatis. Pater qui excitauit Chriſtum ex mortuis. Filius excitatus.& Spiritus ſanctus viuificans. DEINDE, quod idem ſpiritus ſit & patris & filij, & ab vtroque mittatur in corda fidelium, vt ea viuificet. TERTIO, quod opus redemtionis ſit totius Trinitatis,ſed ſeruata cuiuſq; perſonæ proprietate. Pater viuificat & ſaluat,ſed per filium vt Mediatorem,per ſpiritum vt per Sanctificatorem. QVARTO,quod reſurrectio Chriſti ſit & incoatio & teſtimonium futurę glorię fidelium. QVINTO, obſeruetur quanta ſit dignitas conuerſorum,in quibus ſpiritus habitat, vnde admoneantur,vt quemadmodum ſunt viuæ Dei templa:ita Deum in ſe habitantem veris cultibus colant,per omnem vitá incendant thymiama mane & veſperi, offerant vitulos labiorum ſuorum, & ſe mactent Deo in hoſtiam rationalem:& contra cogitent horribile malum eſſe,hoc Spiritus ſancti templum conſcientia peccati contaminare.

Igitur fratres debitores ſumus non carni,vt ſecundum carnem viuamus.

Exhortatione accõmodat doctrinam ad vſum auditorum: quod quidem facit Apoſtolus more Prophetico & Apoſtolico, quem morem vt ſequantur omnes pij verbi miniſtri,requirit plena docendi ratio,quæ conſtat methodo & motu. Methodus rem docet. Motus doctrinam accõmodat.idq; nunc exhortando,interdum obiurgando,nonnunquá conſolando,ſæpe comminando, &c. Hic autem exhortando & cõminando doctriná accommodat. Propoſitionis huius exhortatoriæ duæ ſunt partes, quarum VNA expreſſe ponitur. ALTERA ex antitheſi & confirmatione intelligitur. Complebitur autem propoſitio hoc modo: Igitur fratres debitores ſumus non carni,vt ſecundum carnem viuamus,ſed ſpiritui,vt ſecundũ ſpiritum viuamus. Illationis particula notatur neceſsitas conſequentię doctrinæ ad debitá obœdientiam erga doctrinam. Etenim doctrinæ finis eſt, vt ei obœdiatur. DEINDE obſeruetur hoc loco neceſsitas debiti,aduerſus eos,qui bonorum operum in fidelibus neceſsitaté negant. Qui enim debet,neceſsitate debiti obligatur, cuius neceſsitatis ratio ſequitur.

Nam ſi ſecundum carnem vixeritis, futurum eſt,vt moriamini.

Ratio PRIMÆ partis propoſitionis à neceſsitate vitandi pœnam, quæ eſt mors æterna. Qui ſecundum carnem vixerint,futurum eſt vt moriantur. Ergo iuſtificati caueant,ne rurſus carnis illecebris decepti,excuſſo ſpiritu ſe carni tradát. Notetur ergo,quod iuſtificati poſsint relabi in priores ſordes,& abijcere fidem,& in æternum perire. DEINDE obſeruetur,fidem & malam conſcientiam non poſſe ſimul conſiſtere. Qui enim vere credit,filius Dei eſt, & habet arrabonem vitæ æternæ. At qui malam habet conſcientiam,hoc eſt, qui viuit ſecundum carné, manet ſub damnatione legis,vt mancipium Sathanæ. Proinde fieri non poteſt, vt qui carni indulget,veram fidem habeat.

Sed ſi ſpiritu actiones corporis mortificetis,viuetis.

Ratio SECVNDÆ partis exhortationis à conſequentibus. Qui ſecundum ſpiritum vixerit, viuet, idq́ue ex gratia,non ex merito ſuo. Nam Chriſtum vitam in ſe retinet, qui fons & autor vitæ eſt. hoc igitur amiſſo,per obſequium carni præſtitum,amittitur & vita. Nam qui ſecunduum carnem ambulat, damnatoriæ legis ſententiæ, hoc eſt,morti ſubiacet. Præſens verbum mortificetis, ſignificat vigere luctam carnis & ſpiritus in ſanctis, donec in hoc ſunt mortali corpore.

Quicu͂nque enim ſpiritu Dei ducuntur, hi ſunt filij Dei.

Ætiologia eſt, continens firmiſsimum principium rationis proximæ. Quicunq; ſpiritu Dei ducuntur,ſunt filij Dei. Qui ſpiritu mortificant actiones corporis, ducuntur ſpiritu Dei. Igitur, Qui ſpitu mortificant actiones corporis ſunt filij Dei. Filij autem Dei viuent, Igitur, qui ſpiritu

actiones

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

actiones corporis mortificant, viuent. OBSERVETVR certiſsimum indicium præſentis ſpiritus Dei in conuerſis, videlicet eius victoria aduerſus carnem. qui tamē ſpiritus non ita triumphum agit, quin perpetuam luctam ſuſtineat aduerſus carnem rebellantem. Admonemur ergo ſingularis ardoris in hac ſpirituali pugna, ne ſuccumbamus victi à carne.

Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis, rurſus in timorem, Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater.

Qualis ſit ductus ſpiritus Dei declarat, vnde ab effectu oſtendit, quinam ſint filij Dei. Diſcernit autem hic Apoſtolus inter ſpiritum ſeruitutis & ſpiritum adoptionis. Spiritus adoptionis eſt, qui alit fiduciam adoptionis in nobis: qua Deum vt patrem noſtrum inuocamus. Hæc enim duo, fiducia adoptionis & inuocatio, ſpiritus Dei præſentiā euidenter declarant. Nam ſpiritus Dei PRIMVM perſuadet cordibus noſtris, quod ſimus adoptati in filios à Deo patre per IESVM CHRISTVM. DEINDE idem ſpiritus fideles excitat ad inuocandum, qui inuocationis cultus immediate à fide proficiſcitur. Sed quid eſt quod dicit: Non rurſus accepiſtis ſpiritum? Spiritus accipitur ad prædicationē Euangelij. Nam dicitur accipi ſpiritus, quando in homine eſt efficax quouis modo, cum accipitur ad prædicationē legis, ſpiritus ſeruitutis dicitur. Hic ſpiritus qui à prædicatione legis viā quidem ſalutis proponit, ſed cum conditione duriſsima, planeque impoſsibili, nihil niſi timorem in animis noſtris efficere poteſt. vnde fit, vt quaſi ſerui iram Domini magna cum anxietate, pauidaq; conſciēntia ſentientes, crucem imminentem perhorreſcamus. Atq; hinc eſt, quod Spiritus ſanctus ab hoc effectu dicatur ſpiritus ſeruitutis in timorem, vt qui in ſeruilem cōditionem nos redigat. Contra vero, quia idem Spiritus ſanctus gratuita adoptione ſalutem in animis credentiū obſignat, & à legis maledictione liberat, ſpiritus adoptionis à Paulo dicitur. Hic nobis perſuadet, vt non amplius ſimus ſub metu, ſed vt fiducia adoptionis patrem Deum inuocēmus. Quod autem Paulus Syriaca voce vſus ſit Abba, videtur eò pertinere, vt magis hac voce mutuam ſtorgam inter patrem & filios exprimat. Nam nomē Syriacum Abba, videtur à dilectione ſumtum. Nam Abah, vnde deductum apparet, diligere ſignificat. Græca autem appellatio interiecta eſt, interpretādi cauſſa, & ponitur caſus primus pro vocatiuo.

Ipſe ſpiritus teſtatur cum ſpiritu noſtro, quod ſimus filij Dei.

Producit Apoſtolus duos teſtes noſtræ in Chriſto adoptionis, qui ſunt, ſpiritus Dei, & ſpiritus noſter ab eo certior factus. Spiritus noſter eſt ardens affectus à Spiritu ſancto excitatus in corde fidelium. Huc illud Pauli 2. Corinth. primo: Is qui confirmat nos vobiſcum in CHRISTO, & qui vnxit nos Deus eſt, qui etiā obſignauit nos, deditq; arrabonem ſpiritus in cordibus noſtris. Hoc arrabone, quo dato confirmatur fideiuſsio, ſpiritus fidelium confirmatus, certiſsime ſibi perſuadet, quod à Deo ſit adoptatus, vt in Chriſto iam vere ſit filius. Cum ergo conſentiunt hi duo teſtes, de adoptionis gratia non amplius fidelis dubitare debet, ſed per patientiam expectare promiſſam hæreditatem, de qua ſequitur.

Si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes vero Chriſti.

Attexit argumentum à iure naturæ: quo iure filij ſuccedunt in bona parentum. Poſtquam autem oſtendit, fideles eſſe filios Dei, ex filiorum iure infert hoc argumentum. Si fideles ſunt filij Dei, ſunt etiam hæredes Dei. Sed ſunt filij. Ergo & hæredes. Iam quia Chriſtus eſt Dei filius, erit & ipſe hæres. Proinde fideles & Chriſtus ſunt Dei cohæredes. Quid an non hæredes dicuntur, qui in bona parentum ſuccedunt, ſed prius demortuis parentibus? Quomodo ergo hæredes Dei dici poſſunt fideles, cum Deus nunquam moriatur? Vſitata eſt Hebræis figura, qua ſpeciei nomē pro genere ponitur, vt cum merces accipitur pro quauis compenſatione. Hæredes ſunt quidem proprie qui ſuccedunt in mortuorum parentum bona, ſed hîc generalius accipitur. Nam ea voce tantum ſignificantur, qui bonorum patris cœleſtis ſunt participes, atq; ideo ſcriptura voce hæreditatis vtitur, vt ſciamus poſſeſsionem cœleſtem nobis gratis donari, & non contingere ex noſtro merito, ex emtione aut alio huiuſmodi titulo. Dicitur ergo hîc κληρονόμος, qui bonis ſibi gratis conceſsis fruitur: & hæreditas, quicquid alicui gratis cedit in poſſeſsionem.

Si modo ſimul cum eo patimur, vt etiam cum eo glorificemur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

A conditione filij naturalis colligit conditionem eorum, qui in filios adoptati ſunt, hoc modo: Filius Dei naturalis primū paſſus eſt, ac deinde glorificatus adijt hæreditatem paternam. Igitur ſi fideles ſunt cohæredes Chriſti, per crucem hæreditatē cum Chriſto adibunt. Verum hoc argumentum ſingulari prudentia attexit Paulus. Nam hoc argumento occurrit obiectioni infirmorum, qui contra magnificas promiſsiones ſibi factas, poterant obijcere hoc modo: Ecce nos obijcimur omnis generis calamitatibus, quis ergo nos pro filijs Dei agnoſcet? Quis putabit nos Deo curæ eſſe? Hanc obiectionem inuerſionis ſchemate excipit Apoſtolus, propoſito exemplo filij Dei Domini noſtri IESV CHRISTI, acſi dicat: Quod patiantur fideles, hoc habent commune cum filio Dei. Eſt enim paſsio tranſitus ad glorificationem. Verum cauſſæ paſsionū ſunt diuerſæ, Chriſtus enim non pro ſuo, ſed pro noſtro peccato expiando paſſus eſt, Nos vero patimur, non vt expiemus peccatum noſtrum aut alienum, Sed vt peccatum in nobis mortificetur, & corpus peccati crucifigatur. Porrò ex hoc argumento colligenda eſt propoſitio tertiæ partis huius capitis, videlicet, quod fideles non debeant varijs huius vitę ærumnis frangi, ſed crucem patienter ferre, donec cum Chriſto glorificentur.

CONFIRMATIO TERTIAE PROPOSITIONIS.

Statuo enim, quod non dignæ ſint paſſiones pręſentis temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur nobis.

PRIMVM argumentum à collatione præſentium ærumnarum cum futura gloria ſumtum. MALVM breui finiendum, quod nunquam finienda gloria ſequitur, æquiore eſt animo ferendum. Paſsiones præſentis vitæ ſunt huiuſmodi. Igitur, Patienter ferendæ ſunt. VOCAT autem Apoſtolus παθήματα ea quæ in hac vita patimur, vt ſunt omnis generis calamitates, de quibus dicitur τὰ παθήματα μαθήματά ἐστι. Gloria nobis reuelanda, eſt æterna beatitudo, & fruitio Dei in omni æternitate. In hanc itaque gloriam intueamur, quoties cruce aliqua premimur, ac retineamus fidem & bonam conſcientiam, ne ſpe huius gloriæ excidamus.

Nam ſolicita creaturæ expectatio, reuelationem filiorum Dei expectat.

SECVNDVM argumentum ab exemplo totius creaturæ ſumtum. Tota rerum natura abuſibus impiorum ſubiecta eſt, & contaminatur ſceleratorum hominum veluti contactu, expectat tamen liberationem, quando filij Dei liberabuntur. Igitur & nos fortiter feramus præſentes calamitates, ſpe futuræ liberationis. Vocabulum ἀποκαραδοκία, quo Paulus vtitur, ſignificat geſtum cupidiſsime aliquid expectantis, quaſi porrecto capite & oculis in rem intentis, venturum aliquid eminus proſpicientis.

Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam ſub ſpe.

Amplificat ſecundum argumentum: Creatura, inquit, ſubiecta eſt vanitati, hoc eſt, corruptioni & abuſibus hominum, at ſpe futuræ liberationis ſe ſuſtentat. Igitur & nos eius exemplo bene ſperemus. QVOD autem Apoſtolus tribuit toti creaturæ affectus, proſopopœia eſt, qua exprimit Apoſtolus iniuriam, qua creatura afficitur.

Quoniam ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem glorię filiorum Dei.

Hoc eſt, quando liberabuntur filij Dei, & donabuntur gloria æterna, tum ſimul liberabitur creatura à ſeruitute corruptionis, qua ſcilicet corrumpitur. Poterit quoque ὅτι εἰδικῶς reddi, vt ſit expoſitio modi quo fit creaturæ liberatio, vt non amplius impiorum abuſibus ſit expoſita.

Nouimus enim quod tota creatura congemiſcit, & vna parturit vſq; in hunc diem.

Repetitio eſt eiuſdem ſententiæ, niſi quod pulcerrima ſimilitudine exponat afflictionis creaturæ magnitudinem, & deſiderium emergēdi ex præſentibus malis, & ſimul indicet futurum euentum.

Quemad-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quemadmodum enim dum parturit mulier, grauiſsimos habet dolores, ſed, edito infante in lucem, lætatur, ac dolorum quos paſſa eſt, obliuiſcitur: ita creatura pręſentibus abuſibus preſſa gemit, & veluti parturit. Conſimiliter Eccleſia varijs ærumnis huius vitæ expoſita gemit, ac veluti parturit, donec aduentu filij Dei liberabitur. atq; tunc propter gloriæ reuelandæ magnitudinem, omnium afflictionum quæ paſſa eſt in hac vita, obliuiſcetur.

Non ſolum autem hoc, ſed & ipſi primitias ſpiritus habentes, & noſipſi in nobiſipſis gemimus adoptionem expectantes, redemtionem corporis noſtri.

TERTIVM argumentum ab exemplo Apoſtolorum ſumtum. Nos qui primitias, hoc eſt, excellentia dona habemus, affligimur, & ſub cruce expectamus liberationem. Igitur & vos nobiſcum præſentes ærumnas fortiter ferte, & nolite huius vitæ incommodis fracti abijcere confeſsionem. Spiritus primitias habere, phraſi Hebraica, eſt excellentia dona habere, & inter primos numerari. Eſt autem hæc phraſis ſumta à primitijs frugum, quæ Deo offerebantur. Vt ergo iſtæ primitiæ primæ & electiores erant vtpote Deo offerendæ, ita translatitiè primitiæ notant excellentiora dona, quibus Apoſtoli vt primi, eos qui ſibi in miniſterio Eccleſiæ ſuccederent, excelluerunt. Hanc interpretatiouem confirmat Apoſtolus, cum addit: Et noſipſi, ſcilicet Apoſtoli, in nobis, id eſt, intimo corde, Gemimus expectantes adoptionem quæ eſt redemtio corporis, quod in hoc mundo varijs eſt obiectum calamitatibus. Hæc autem corporis redemtio fiet per reſurrectionem mortuorum: Tum enim depoſita mortalitate, induemus immortalitatem, 1. Corinth. 15. & 2. Corinth. 5.

Spe enim ſaluati ſumus. Spes autem ſi cernatur, non eſt ſpes. Quod enim quis cernit cur ſperet? Si vero quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.

QVARTVM argumentum à ſalutis partæ ratione ſumtum. Spe ſumus ſaluati. Igitur ſalus patienter expectanda eſt. Conſecutionem probat à definitione ſpei & repugnantibus. Definitio eſt, quod ſpes ſit abſentium & non præſentium & apparentium rerum. Repugnantia ergo ſunt, aliquid præſens eſſe viderique & idem ſperari. Hinc infert hypotheticum argumentum: Si quod non videmus ſperamus, certè per patientiam id expectamus. Sed non videmus quod ſperamus. Igitur per patientiam id expectamus. Hinc illud ad Galat. 5. Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſticiæ expectamus. Porrò Paulus accipit metonymicôs ſpem pro re ſperata, & notetur definitio ſpei, quod ſit certa ſalutis & aliorum quę Deus ſua voce promiſit per patientiam expectatio ſeu fiducia.

Itidem autem & ſpiritus ſubleuat infirmitates noſtras. Quod enim oremus quemadmodum oportet non nouimus, ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

QVINTVM argumentum à præſenti Spiritus ſancti auxilio. Spiritus ſanctus adeſt nobis, & ſubleuat infirmitates noſtras, ne ſcilicet fracti imbecillitate carnis, ſuccumbamus Igitur cum talem habeamus παραςάτην, patienter expectemus liberationem. Antecedens probatur ex eo, Quod Spiritus ſanctus ſanctos motus excitet, & efficiat, vt cum magnis gemitibus oremus Deum. Nam quod dicit: Spiritus poſtulat, Hebraiſmus eſt. Nam poſtulat ponitur pro verbo coniugationis Hiphil, hoc eſt, poſtulare facit. Hanc efficaciam ſpiritus, ſoli intelligunt verè pij, qui in ſuis ardentibus precibus ſentiunt conſolationem, ac veluti reſponſum diuinitus ad ſua poſtulata accipiunt. PORRO obſeruandum eſt diſcrimé inter Chriſti interpellationem pro nobis, & Spiritus ſancti. Scriptura dicit, Chriſtum eſſe vnicum interceſſorem inter Deum & homines. Hîc autem Paulus videtur ei adiungere Spiritum ſanctú. Sed diſcrimen facit ordo & modus. ORDO, quod Chriſtus interpellet ante ſublatam iram Dei, Spiritus ſanctus autem poſt iram Dei placatam. MODVS, filius eſt interpellator, quia eſt redemtor qui perſoluit precium, vt ſatisfieret iuſticiæ Dei, & placaretur ira Dei, & iam apparet vultui Dei, vt interpellet pro nobis. Sed Spiritus ſanctus eſt interpellator, quatenus nos ad inuocandum mouet. Accepiſtis, inquit Apoſtolus, ſpiritum, quo clamamus Abba pater.

Qui autem ſcrutatur corda, nouit quis

Piorum gemitus à Spiritu ſancto

ſit ſenſus ſpiritus, Quia ſecundum Deum interpellat pro ſanctis.

excitari probat, qui ſcrutatur corda, periphraſis Dei eſt, qui in Actis dicitur καρδιογνώστης. Hic Deus ſcrutator cordium, nouit & facit ſanctos ſcire, quodnam ſit φρόνημα ſpiritus, id eſt, quæ preces, quæue ſuſpiria à ſpiritus ſui afflatu proficiſcantur. Eſt enim ſenſus ſpiritus, quem ſpiritus ſanctus in cordibus piorum inter orandum ciet, Quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis. hoc eſt, facit vt ea à Deo precentur, quæ & Deo grata ſunt, & ipſi ſalutaria.

Scimus autem quod diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum, ijs qui iuxta propoſitum vocati ſunt.

SEXTVM argumentum ab euentu ſumtum. Filijs Dei omnia in bonum cedunt. Igitur præſentium ærumnarum moleſtiam tãdem ſequetur lætus exitus. Quare patienter eſt expectanda liberatio. Iuxta propoſitum vocati dicuntur, qui iuxta conſilium Dei ſunt vocati. Hoc propoſitum, hoc conſilium, hæc εὐδοκία ſeu beneplacitum Dei fuit ſemper & eſt, quod ex mera ſua bonitate intercedente filio, ſaluare velit omnes qui ad ſe per fidem confugerint, & contra damnare omnes incredulos. Non eſt enim προσωποληψία apud Deum, Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui vero non credit, manet ſub legis damnatione.

Nam quos præſciuit eoſdem & prædeſtinauit, conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus inter multos fratres.

SEPTIMVM argumentum à conformitate filiorum Dei inter ſeſe, cum in aduerſis, tum in proſperis. Proponit autem exemplum filij Dei naturalis, vt ex illo de filijs adoptiuis iudicium fiat. Cum autem ſic ſtatutum eſt apud Deum, vt omnes quos adoptat in filios, ſint conformes imagini filij ſui, atque hic filius naturalis non ſolum calamitatibus varijs in hoc mundo expoſitus erat, verũ etiam poſt afflictiones conſecutus eſt gloriam, fieri non poteſt quin & fideles omnes per crucem adeant gloriã ſibi paratã, Quare patienter ferenda eſt crux, & expectanda glorioſa liberatio. Sed quid eſt quod dicit: Vt ipſe ſit primogenitus inter multos fratres? Alludit ad legem, in qua primogeniti alijs fratribus proponebantur, quaſi exemplaria vitæ morumq́;. Quare cum hic naturalis Dei filius & primogenitus per crucẽ intrarit in gloriam, reliqui fratres ipſius exemplum ſequi debent. De præſcientia Dei & prædeſtinatione alio loco dicetur commodius, hîc ſatis eſt, argumẽtum Apoſtoli accommodaſſe propoſitioni.

Quos autem prædeſtinauit, eos & vocauit, & quos vocauit, hos etiam iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, eos etiam glorificauit.

OCTAVVM argumentum ab ordinatione Dei, quam ſeruat in glorificandis ſuis electis. Hîc obſeruetur gradus actionum Dei, in reparationis generis humani myſterio. Numerantur autẽ ab Apoſtolo noſtro quinque gradus, qui ſunt: Præſcientia, Prædeſtinatio ſeu Electio, Vocatio, Iuſtificatio & Glorificatio. PRÆSCIENTIA præſciuit Deus ab æterno omnia futura. Neque tamen hæc Dei præſcientia ad temporis decurſum, ſed ad æternitatem referenda eſt. Non enim Deus res vt abſentes videt, ſed vt præſentes in ſuo æterno intuetur. Non ergo propterea erit aliquid, quia Deus ſcit illud futurum, ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo. Nam res non pendet à ſcientia, ſed ſcientia à re. Hæc ſcire de præſcientia Dei prodeſt, ne profana de ea cogitatio nos à verbo reuelato abſtrahat. PRÆDESTINATIONE ordinat & diſponit Deus apud ſeſe quod eſt facturus. VOCATIONE inuitat quos præſciuit & prædeſtinauit. IVSTIFICATIONE præſcitos, prædeſtinatos & vocatos à reatu abſoluit, & in filio vnigenito caros habet. GLORIFICATIONE iuſtificatos donat æternæ vitæ poſſeſsione, quę eſt fructus vltimus & meta prædeſtinationis, de qua in nono capite plura dicenda ſunt. Hîc autem obſeruetur, quænam ſit vera Chriſti Eccleſia, videlicet cœtus hominum qui vocantur per Euangelium, & credunt Euangelio. Eſt præterea hoc Pauli dictum non ſolum Anabaptiſtis opponendum, verumetiam Thamero, Stenchfeldio, & alijs qui vocali verbo ſuam efficaciam detrahunt, quales reuera ſunt omnes qui ſtoicam prædeſtinationem & fatalem rerum omnium neceſsitatem Eccleſiæ conantur obtrudere.

Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

NONVM

NONVM argumentum à defenſione & patrocinio Dei ſumtum, & illatum ab octauo. Eſt autem hypotheticum argumentum, cuius ſola propoſitio ponitur, aſſumtio & cõcluſio à ſuperioribus pendent. Complebitur itaque argumentum hoc modo: Si Deus à noſtra ſtat parte, nulla res aduerſus nos præualebit. Atqui Deus à noſtra ſtat parte, vt ex octauo argumento patet. Nulla igitur res aduerſus nos præualebit. Proinde, Neque præſentibus ærumnis frangamur. Huc illud Pſalmi: Tecum ſum in afflictione, inuoca me, & liberabo te, & glorificabis me.

Qui ſane filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, Quomodo etiam cum illo non omnia nobis donaret?

Minoris probatio eſt, ab infallibili ſigno, quod demonſtrationem immotam parit. Deus dedit nobis filium ſuum, quo nihil neque carius neque precioſius habet: Multo magis dabit alia quæ nobis ad ſalutem neceſſaria nouit, Cur ergo cruce frangimur, cum certa nobis ſalus conſtet?

Quis intentabit crimina aduerſus electos Dei?

DECIMVM argumentum ab effectu electionis diuinæ. Eſtque ſimul prolepſis, qua anteuertit obiectionem infirmorum, qui tentantur cogitatione peccatorum ſuorum, & accuſantur cum à lege Dei, tum à propria conſcientia. Eſt autem argumentum eiuſmodi: Electis fruſtra intentantur crimina. Fideles ſunt electi. Igitur, Fruſtra illis intentantur crimina, Proinde, Conſolentur ſe fideles hac fiducia, ne frangantur animis in præſentibus ærumnis.

Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnat?

Anticipatio eſt. Poterant enim infirmi reſpondere ad proximam interrogationem, legem eſſe & propriam conſcientiam quæ accuſant. Verum huic obiectioni occurrit fortiſsimo argumento à repugnantibus petito. Fideles ſunt à Deo iuſtificati, & à condemnatione abſoluti. Igitur fruſtra lex & conſcientia eos accuſant. Diligenter obſeruetur hoc loco antitheſis, qua verbum iuſtificandi, verbo condemnandi opponitur. Hæc enim antitheſis apertiſsime docet, iuſtificationẽ in hac diſputatione Paulo ſignificare abſolutionẽ à reatu, & acceptationem credentis apud Deum ad vitam æternam. ſi enim iuſtificatur, non condemnatur, Sequitur iuſtificatum à reatu abſolutum eſſe.

CHRISTVS eſt qui mortuus eſt, immo vero qui etiam excitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei patris, qui & intercedit pro nobis.

VNDECIMVM argumentum, ab efficacia Mortis, Reſurrectionis, Regni, & Pontificatus Chriſti ſumtum. Hæc enim quatuor coniungit Apoſtolus. MORS Chriſti opponenda eſt peccatis. Nam propter peccata noſtra mortuus eſt, ad Rom. 4. RESVRRECTIO condemnationi opponatur, Surrexit enim propter iuſtificationem noſtri, quæ eſt à condemnatione abſolutio. REGNVM glorioſum opponendum eſt præſentis vitæ miſerijs, à quibus nos ſuo tempore transferet in ſuam gloriã. INTERCESSIO ſeu pontificatus opponi debet infirmitati noſtræ. Cum ergo huiuſmodi portum certo ſperemus, fortiter & patienter huius vitæ ærumnas finiendas feramus.

Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti?

DVODECIMVM argumentum, à conſtantia caritatis Chriſti erga fideles ſumtum. Hæc enim caritas tanta eſt, vt nihil eã immutare poſsit. Proinde ſub cruce ſimus bono animo. Non enim fraudabimur promiſſa gloria, cũ adeo nos Chriſtus diligat.

Tribulatio aut anguſtia, aut perſecutio, aut fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius? (quemadmodum ſcriptum eſt, tua cauſſa morti tradimur tota die, reputati ſumus veluti oues mactationis)

Enumerat ea quibus maximè tum temporis animi fidelium concutiebantur, & vt ſciant fideles, non eſſe inſolens quod filij Dei affligantur in hac vita, addit teſtimonium ex Pſalmo 43. in quo conqueritur Eccleſia.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sed in his omnibus ſuperamus per eum, qui dilexit nos.

quod tam varijs caſibus propter confeſsionem Chriſti ſit expoſita. Verum vt ſemper Deus ſuæ Eccleſiæ adeſt, ita promittit fore, vt per Chriſtum, qui diligit nos, euadamus ſuperiores. Hæc ergo Pauli ſententia & perpetua Eccleſiæ imago opponatur iudicio carnis & rationis humanæ. Ratio colligit Deum iraſci nobis, propterea quod aſsiduè ſimus ſub cruce, Sed ſpiritus fidelium intuetur perpetuam imaginem Eccleſiæ, atque adeo ipſum Chriſtum, vnde colligunt pij, & ſe Deo curæ eſſe, & fore aliquando, vt omnis huius vitæ calamitas ſit lætum habitura exitum.

Perſuaſus ſum enim, quod neque mors, neq; vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque præſentia, neq; futura, neque altitudo, neq; profunditas, neque vlla creatura alia poterit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in CHRISTO IESV Domino noſtro.

Ratio enumerationis à certiſsima fiducia, qua fideles ſtatuant, nullam creaturam tantum valere, vt eos à dilectione Dei ſeparet. Nam hæc dilectio in Chriſto fundata eſt, in quo caros habet pater nos, qui in ipſo manemus per fidem. Enumerationis huius membra nihil habent obſcuri, modo obſeruemus vſitatam enallagen, qua abſtracta pro concretis ponuntur. Principatus enim pro principibus, poteſtates pro ijs qui poteſtate præditi ſunt, altitudo pro rebus altis & ſublimibus, profunditas pro rebus profundis accipitur. Summa ſententiæ huc redit: Nihil neque in cœlo, neque in terra, neq; in mari, neque in inferno eſt, quod dilectionem Dei erga nos obſcurare poteſt. Quare fideles in medijs ærumnis huius vitæ ſe ſolētur cogitatione dilectionis Dei, quę eſt in CHRISTO IESV Domino noſtro. Eſt & hic locus obſeruandus propter Angelos, quos inter creaturas hîc numerat Apoſtolus.

CAPVT IX.

SECVNDA PARS EPISTOLAE.

IN vniuerſali periocha huius Epiſtolæ dixi, ſtatum principalem hoc concludi ſyllogiſmo: Ea ſola & vnica conſequendæ iuſtificationis & ſalutis ratio eſt, quam ipſe Dominus ſuo verbo & præſcribit & approbat. NVNC autem omnem qui credit abſque omni perſonarum & nationum reſpectu iuſtificat, & ſalutis fieri participem pronunciat. PROINDE omnis qui credit, nullo habito perſonæ aut nationis reſpectu iuſtificatur gratis, & ſalutem conſequitur. VERVM quia minor huius ſyllogiſmi quæ eſt κρινόμενον, duas habet partes, quarum PRIOR eſt, quod homo fide iuſtificatur abſq; operibus. POSTERIOR, quod hoc iuſtificationis beneficiũ promiſcue pertineat ad omnes qui oblatũ beneficium fide recipere non recuſant, nulla habita aut nationum aut perſonarum ratione: Deus enim diues eſt in omnes, & non eſt tantum Iudæorum, ſed & gentium Deus, nec eſt vlla perſonarum acceptio coram Deo, inſtituit Apoſtolus iuſtam vtriuſq; partis cõfirmationem. Vt enim priorem partem hactenus confirmauit, ſolutis etiam incidentibus quæſtionibus: ita poſteriorem in ſequentibus tribus capitibus grauiſsima cõtentione colligit, idq; adhibita ſingularis prudentiæ methodo, de qua nonnulla in vniuerſali periocha diximus. Iam conſtat ad quem ſcopũ collimat ſequens diſputatio, quæ tribus ſequentibus capitibus abſoluitur. Cæterum quia ſunt magni nominis viri, qui ex hac diſputatione quandam ſtoicã prędeſtinationem fabricant, nõ obſeruato vero huius diſputationis ſtatu, quem ex fine tertij capitis, & ex alijs locis obſeruaſſe debuiſſent: Sciendum eſt, quod alia electio & prædeſtinatio cogitanda non ſit, quam ea ſola, quæ in filio Dei Domino noſtro IESV CHRISTO reuelata eſt & propoſita. Hæc enim cum habeat teſtimonium Domini, & teſtimoniũ Domini ſit verax, nequaquã ſinamus nos ab ea auelli vllis Stoicorum cataſtrophis, ſed firmiter retineamus hoc Dei propoſitum, Quod vt in filio nos elegit, ita in eodem nos caros habeat, ac propter eundem nos ſaluet adoptatos per fidem in ipſum. PORRO ſunt duo genera hominum, qui cum audiunt noſtram ſalutẽ in Dei electione & propoſito fundatam eſſe, non recte intellecto electionis myſterio, horrendè impingunt. QVIDAM enim carnalis cuiuſdam ſecuritatis anſam hinc capientes in quæuis ſcelera licẽtioſe ruunt, ſibi quidem ipſis in certam perniciem, alijs verò in graue ſcandalum. QVIDAM in contrarium malum ruentes, ſtoicam quandam prædeſtinationem contra verbum Dei, & vniuerſalem

gratiæ promiſsionem ſomniantes, in deſperationis baratrum immerguntur. Illos ſecuros, hos deſperabundos voco. Verum ne nos in iſtas carybdes incidamus ſummopere cauendum eſt. Caueri autem poteſt hoc pacto. PRIMVM, ſi occaſionem huius diſputationis diligenter expenderimus. DEINDE, ſi eiuſdem finem & ſcopum intentè aſpexerimus. OCCASIO itaque diſputationis huius hæc eſt. Apoſtolus diſputauit, fide in Chriſtum iuſticiā quæ coram Deo valet, obtineri. Qua diſputatione non parum offenſi Iudæi, inferebant ex Pauli dictis hoc, vt iudicabant, abſurdum. Si fide iuſtificatur homo, & Chriſtus ad credentes tantum pertinet, profecto reiectum eſt ſemen Abrahæ, quia paucißimi ex ſemine Abrahæ Chriſtum recipiunt. Verum vt hanc obiectionẽ diluat Apoſtolus, inſtituit diſputationem de electione, in qua firmis rationibus docet, promiſsiones Dei manere ratas & firmas, cum de Chriſto, tum de eius Eccleſia colligenda, promiſcue ex omnibus qui Chriſtum fide receperint, ſiue ſint ex Iudæis ſiue ex gentibus, vt tollatur omnis προσωποληψία, omnis reſpectus perſonarum & nationũ, vt vera & immota maneant hæc dicta: Deus vult omnes homines ſaluos fieri, Deus non eſt προσωπολήπτης. Deus non vult vllos perire, Sed omnes ad pœnitentiam recipere. Omnis qui credit in filium, habet vitam æternam. CÆTERVM finis diſputationis eſt, vt omnis caro conticeſcat, Vt omnis carnis fiducia & prærogatiua cõfundatur, Vt omne meritum eneruetur, Vt ſoli Deo gloria tribuatur, Vt Deus verè φιλάνθρωπος, Vt vere diues in omnes & ſuper omnes qui credunt, inueniatur, Vt non ſolum Iudæorum, verumetiam gentium Deus prædicetur. HÆC præfari volui, ne in noſtram ruinā myſterio electionis, de quo in his capitibus agit Apoſtolus, abutamur. Reſtat vt genus cauſſæ & ſtatum præſentis diſputationis horum trium capitum indicemus, quo ad illum omnia dirigamus argumẽta, nec ſinamus nobis eripi vlla ſophiſtica verum huius diſputationis ſcopum. Genus itaq; cauſſæ iudiciale eſt, & ſtatus coniecturalis qui hoc ſyllogiſmo concluditur. Filij promiſsionis & non carnis hæreditatem cœleſtem conſequentur. Vt vere credentes, ſiue ex Iudæis ſiue ex gentibus ortum habeant, ſunt filij promiſsionis: Ita qui non credunt, ex quibuſcunque parentibus ortum ducant, ſunt filij carnis. IGITVR, Vt illi promiſſam hæreditatem vere conſequuntur, ita hi ſua culpa pereunt. HVC pertinet dictum quod ex Iohele adducit Apoſtolus: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. In quo dicto fides à ſuo proprio effectu ſignificatur.

Summa Capitis noni.

Vt veros Iſraëlitas à falſis diſtinguit: ita conſilium Dei eſſe docet Apoſtolus, vt homines per Chriſtum ſalutem conſequantur. Hunc Chriſtum quia gentes recipiunt, Dei populus cenſentur, Contra Iudæi, qui hunc Chriſtum non recipiunt, fiducia carnis tumentes, reijciuntur.

Ordo & partes Capitis noni.

PRIMO *loco animum ſuum erga ſuos contribules exordiolo declarat Apoſtolus.* DEINDE, *ab exordio concluditur propoſitio, quam inſinuat tantum.* TVM *diſcrimen filiorum Abrahæ faciens, alios promißionis, alios carnis pronunciat eſſe filios.* AD HAEC *tres obiectiones ponit & diluit, de quibus in exegeſi dicetur. Erunt igitur quatuor partes huius capitis: Exordium, Propoſitio, Confirmatio & Confutatio.*

EXEGESIS NONI CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

EXORDIVM.

VERITATEM dico in Chriſto Ieſu, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto, quod triſticia mihi ſit magna, & continuus dolor cordi meo.

Expoſitio exordij, qua ſuum animum erga Iudæos exponit Apoſtolus. Vt autem tollat omnem ſuſpicionem odij, orditur à iureiurando. Non enim ignorauit Apoſtolus, eſſe nonnullos qui ipſum odio ſuæ gentis Chriſtum prędicare calumniarentur. Quare vt hanc calumniam euertat, pluribus ſignis ſuum affectum erga ſuos contribules ſignificat. PRIMVM enim inquit: Veritatem dico. Quod dictum opponit calumniæ aduerſariorum,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

uerſariorum, ac ſi diceret: Sunt qui calumniantur me odio meæ gentis Chriſtum prædicare, ſed ego verè ſummo eorum ſtudio teneor. Vt autem huic aſſeuerationi pondus addat, ſubiungit: per Chriſtum, quem verborum ſuorum teſtem inuocat, & affectus erga Iudaicam gentem. ADHÆC, vt vehementior ſit aſſeueratio, eam amplificat à contrario negato. Non, inquit, mentior. DEINDE prouocat ad teſtimonium conſcientiæ ſuæ, quod magnam habeat triſtitiam & continuum dolorem in corde ſuo, propterea quod gens Iudaica ſua propria culpa reluctetur Chriſto, ac eius ſalutare Euangelium cõtemnat. HINC diſcant miniſtri Euangelij, quomodo eos affectos eſſe oporteat erga auditores ſuos etiam male meritos, DEINDE obſeruetur contra Anabaptiſtas, exemplo Apoſtoli iuriſiurandi religionem confirmari.

Optabam enim ipſe ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, cognatis meis, ſecundum carnem qui ſunt Iſraelitæ.

Ratio affectus & ſtudij Pauli erga ſuos cognatos & Iſraelitas. Quicunque ſuo periculo & interitu aliorum ſalutem optat redimere, eum ſumma caritate eos proſequi neceſſe eſt. Paulus optabat anathema fieri à Chriſto, vt Iudæi reciperentur. Ergo neceſſe eſt ineffabilem amorem fuiſſe Pauli, quo ſuos proſecutus eſt Iſraelitas. ETSI autem in ſingulis verbis huius pericopæ nulla eſt ambiguitas: verborum tamen coniunctorum alij alium ſenſum faciunt, quod ſane vſu venire ſolet in rebus obſcuris. Vocabulo anathematis ter vſus eſt Paulus. nec dubiũ eſt quin ſeptuaginta duos imitetur interpretes, qui anathema vſurpant, pro eo quod Hebræi dicunt Cherem, à Charam, quod ſignificat deuouere & excommunicare ab vſu cõmuni, ſeu è medio ſine vlla commiſeratione tollere. Hæc Forſteri eſt interpretatio. Chryſoſtomus autem hoc modo: Quid eſt anathema? Audi ipſum dicentẽ: Si quis nõ amat Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM ſit ἀνάθεμα. τοῦτ᾽ ἔςι κεχωρίσθω πάντως: ἀλλότριος ἔςω πάντως, hoc eſt, ſeparetur omnino, alienus ſit omnino, atq; ita vocabulum in genere ſignificat ſeiunctionem & ſeparationẽ quandã, metaphora ſumta à ſacrificijs, quæ cum dicata eſſent Deo, ſeparabantur & ſeiungebantur ab vſibus humanis. Hoc poſtea in duo diuiditur genera, vt ſit anathema ſeparatum ab vſibus hominũ, vt quod Deo dicatum ſit, & anathema ſeparatum & ſeiunctum à Deo, vt quod à Deo reiectũ & maledictum ſit. Vt enim ea quæ Deo offeruntur & dicantur, attrectare audet nemo. Sic eum qui à Deo ſeparatus eſt ratione quadam nullus cõueniet, aut cum eo verſabitur. Nam ſacris oblationibus honoris gratia tanquam Deo dicatis, appropinquare nulli hominum audent. Ab hoc vero qui maledictioni fuerit obnoxius, nõ ſecus ac à profano, & ab ipſa diuinitate alieno, ſeceſſerunt omnes. Hactenus Chryſoſtomus, cuius interpretatio probatur forma orationis Paulinæ. Optabam, inquit, eſſe anathema à Chriſto. Præpoſitio A, manifeſte ſeparationem notat. proinde anathema à Chriſto, ſignificat ſeparatum & ſeiunctum à Chriſto. Qualis eſt hic affectus in Apoſtolo? Num ob caritatem fratrũ & cognatorum, vt illi ſaluarentur, ipſe cupit alienus eſſe à Chriſto? Num caritate Chriſti non vult habere Chriſtum? Quid quæſo abſurdius dici poteſt: Chriſtus dicit: Si quis venit ad me, nec odit patrẽ ſuum nec matrem, & vxorem & liberos & fratres & ſorores, amplius autem etiam animam ſuã, non poteſt meus eſſe diſcipulus? Quid ergo dicemus de hoc Pauli affectu? Hoc primum teneamus principium, quod nihil voluerit abſurdi, nihil impij, nihil contra ſalutem animæ ſuæ, nihil contra dilectionem Chriſti, nihil contra amorem ſuæ gentis, ſpiritu enim Chriſti agebatur Paulus. Hoc ſtabilito principio, neceſſe eſt hanc ſeparationem à Chriſto non intelligendam eſſe de interna ſeparatione à Chriſto & æterna: Sed de externa tantũ & temporali, qua cupit perire in carne, vt ſaluentur alij in ſpiritu. Cupit ſuum ſanguinẽ fundere, vt ſaluentur multorum animę. Hieronymus hoc Pauli dictum refert ad tempus præteritũ, ac ita exponit: Optabam aliquando cum perſequerer Chriſtum, iam non optarem. Sciebam enim quod ipſorum eſſent hæc omnia. Sed poſtquam cognoui veritatem, dereliqui eos quos totaliter diligebam, & ipſi non conuertuntur. Hæc Hieronymus. Et profecto ex Epiſtola ad Galatas manifeſtum eſt, quod Paulus magis ſæuierit in Chriſtum & Chriſtianos ante conuerſionem zelo ſuæ gentis, quam iudicio. Verum ego priorem interpretationem præfero, etſi poſteriorem verba Apoſtoli recipere poſſunt, alias multorum interpretationes omitto, quæ pugnant cum principio à nobis poſito.

Quorum eſt adoptio, & gloria, & teſtamenta & legiſlatio & cultus & promiſſiones, quorum ſunt patres.

Enumerat prærogatiuas Iudæorum, quarum PRIMA eſt adoptio: Dominus enim Iſraelitas gratuito in filios adoptauit. HVC addit gloriam. Eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

am. Eſt enim glorioſa inprimis adoptio in filios Dei, qua cæteris gentibus omnib. antecellebant. Teſtamenta Græcè διαθῆκαι, ſunt fœdera & pacta, hoc eſt, tabulæ fœderis. Eſtq; hoc intelligendum de lege morali, vt νομοθεσία, legislatio ad iudicialem, & λατρεία, cultus ad ceremonialem legẽ refertur. Sequuntur promiſsiones quæ ſunt de gratuita miſericordia propter Chriſtum, diuina oracula, qualia ſunt: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Item, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Obſeruetur hîc aſsignatio capitum principaliũ doctrinę cœleſtis, quæ ſunt lex moralis, lex iudicialis, lex ceremonialis & promiſsio ſeu fœdus gratiæ, quæ omnia communi nomine Thora dicuntur, hoc eſt, doctrinæ. Septuaginta vertunt νόμον, quos ſecuti Latini, legem verterunt.

Ex quibus eſt CHRISTVS quoad carnem, qui eſt ſupra omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen.

Hæc maxima Iudaicæ gentis prærogatiua eſt, quod ab illis natus ſit Chriſtus. Sed hanc non eſſe ſalutarem per ſe ipſe Chriſtus teſtis eſt, qui nunciantibus matrem eius & fratres ſtare pro foribus, reſpondet, eos, qui verbum ſuum audiunt, eſſe matrem, fratres &c. vt ſtet illud Pſalmi immotum: Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. Porrò quia Dei opera ſunt ἀμεταμέλητα, hoc eſt, quorum Deum non pœnitet, non eſt dubium, quin Deus voluerit iſtius gentis ſalutem, apud quam tot ſalutis oblatæ teſtimonia reliquit. Cum ergo iuxta Pſalmum: Annunciat verbum ſuum Iacob, iuſticias & iudicia ſua Iſrael: non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit ijs', Non eſt dubiũ quin Iudaicæ gentis ſalutem verè voluerit Dominus. Quare quod perierint, ipſorum diffidentiæ aſſcribendũ eſt, non arcano Dei conſilio, aut fatali neceſsitati. Obſeruandum eſt hoc loco, quod Paulus hîc quatuor de Chriſto affirmet. PRIMVM enim pronunciat ipſum verum hominem eſſe, vt qui natus ſit ex maioribus gentis Iſraeliticæ. DEINDE Chriſtum Deum aſſerit. At ne quis tropicè ab Apoſtolo dictum putet, addit veram notam veræ diuinitatis, cum inquit, Qui eſt ſupra omnia Deus. TERTIO, cum dicit Chriſtus, & non Chriſti in plurali, vnionem hypoſtaticam manifeſtiſsime docet. QVARTO, cum addit: Qui eſt benedictus, reſpicit ad promiſsiones de CHRISTO, in quo eſſent omnes nationes terræ benedicendæ. Nam ab eo ſolo omnis benedictio & ſalus exiſtit. Habemus ergo hîc quatuor de Chriſto: Humanam naturam diuinam naturam, vnionem perſonalem, & officium, quod eſt benedictionem & ſalutem conferre credentibus. HACTENVS exordium, ex quo colligenda eſt ſecunda pars capitis, nempe ipſa propoſitio, idq; per inſinuationẽ quam vocant. Nam ex querela ſua propoſitionem lectori cogitandam reliquit hanc nimirum: Quod maxima Iudaciæ gentis pars à Deo ſit reiecta. Cuius propoſitionis vera & ſola ratio eſt, quam infra ſæpe inculcat: Diffidentia & propriæ iuſticiæ ſtabilitio.

Non autem quaſi exciderit ſermo Dei.

Obiectionem aduerſariorum anticipat. Obiectio autem huiuſmodi eſt: Si populus Iſraeliticus eſt reiectus, ſermo Dei excidit, hoc eſt, promiſsio Dei & fœdus Dei cum ſemine Abrahæ initum, eſt factum irritum. Verum Paulus conſecutionem negat, & diſtinctione vtitur, qua veros Iſraelitas à falſis diſtinguit, affirmatq; promiſsiones Dei manere ratas ſemini Iſraelis, cui facta eſt promiſsio.

Non enim omnes qui ex Iſraël ſunt, hi ſunt Iſraël, neque quia ſemen Abrahæ omnes filij.

Hæc diſtinctio eſt filiorum Abrahę ſeu Iſraelis. Nam ijdem & ab auo & à nepote nomen habent. Senſus autem eſt: Multi quidem ſunt nati ex Iſraele, qui ſane omnes, ſi carnem ſpectas, ex Iacobo, qui & Iſrael dictus eſt, ducunt originem. Verum ſi promiſsionem reſpicis, alij reputantur pro filijs, alij minime. Vocabulum Iſraelis bis poſitum, priori loco ipſam perſonam Iacob notat, poſteriori gentem ab eo ortam, declarat vſitata Hebræis metonymia.

Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen.

Ratio diſtinctionis à pronunciato ſcripturæ Geneſ. 21. Abraham habuit duos filios, vnum ex Agar ancilla, alterum ex Sara vxore, ille Iſmael, hic Iſaac dictus eſt. Iſmael autem non eſt reputatus pro ſemine, ſed Iſaac. Hinc Paulus euertit vniuerſale pronunciatum, obiecto contrario exemplo. Illi obiecerunt: Nati ex Abrahæ ſemine, ſunt ſemen Abrahę. Paulus reſpondet hac ſententia: Iſmael non reputatur pro ſemine. Iſmael eſt

natus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

natus ex Abraham. Ergo nõ omnes nati ex Abraham, reputantur pro ſemine. Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, hoc eſt, filius Iſaac, Iacob & nepotes eius cenſebuntur filij ac nepotes tui, non autem illi qui ex Iſmaele naſcentur. Sed quid hæc ſibi volunt? Hoc typo olim præfigurabat Dominus, quod eſſent naſcituri filij Abrahæ, quorum alij veſtigijs patris inſiſterent, & haberentur pro filijs, Alij autem degenerarent, & non haberentur pro filijs, pręſertim coram Deo. Hoc ipſum indicat Dominus apud Ioannem, vbi deſtinguit carnis filios à filijs imitationis, fidei, & operum Abrahę: qui infra filij promiſsionis dicuntur: ita enim ait Dominus: Si filij Abrahæ eſſetis, faceretis vtiq; opera Abrahæ, nunc autem quæritis me interficere, quod Abraham non fecit.

Hoc eſt, non qui filij carnis, hi ſunt filij Dei, ſed filij promiſsionis reputantur in ſemen.

Exegeſis eſt & typi declaratio, quæ concluditur hoc modo: Non filij carnis, ſed filij promiſsionis ſunt popul⁹ Dei. Multi autem ex Iudæis ſunt filij carnis tantũ, & multi ex gentibus ſunt filij ꝓmiſsionis. Proinde, Vt multi ex Iudęis nõ ſunt populus Dei: ita multi ex gentibus in ſemen reputantur. Qui aũt ſint filij ꝓmiſsionis ſupra docuit Paulus in 4. his verbis: Et ſignũ accepit circumciſionis ſignaculũ iuſticiæ fidei quæ fuerat in præputio, vt eſſet pater omniũ credentium in præputio, quo ipſis etiã imputetur in iuſticiã, & pater circumciſionis non ijs qui ſunt ex circumciſione tantum, ſed etiã qui inſiſtunt veſtigijs fidei patris noſtri Abrahæ, cũ adhuc eſſet in præputio. Hîc apertiſsime definiuntur filij ꝓmiſsionis eſſe, qui credũt & inſiſtunt veſtigijs fidei Abrahę, vndecunq; ſunt oriundi, ſiue ex Iudæis ſiue ex gentibus, ſiue nati ſunt ex Abrahamo ſecundum carnẽ, ſiue non. Atque ita diſerte Paulus ad Galat. 3. definit filios Abrahæ, cum inquit: Noſtis igitur, quod qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ. Et paulo poſt: Itaq; qui ex fide ſunt, benedicũtur cum fideli Abraham. Huc pertinet Iohannis dictum: Dedit poteſtatem vt filij Dei fierent, quotquot credunt in nomen eius. Item, Qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt, ſcilicet per promiſsionis fidem, rectè proinde Auguſtinus ait: facti ſumus filij Abrahæ imitãdo fidem, non naſcendo per carnem. Sicut enim illi degenerando exhæreditati: Sic nos imitando adoptati. FILII carnis dicuntur in genere quidem omnes, qui ortum ducunt à ſemine Abrahæ. In ſpecie vero, vt hîc, qui neglecta fide Abrahæ, ſanguinis quidem ratione ſunt filij, ſed carne, hoc eſt, externa ceremoniarum ſeruitute nituntur, ideoq; non ſunt filij hæredes, ſed vt ſerui abdicãtur Horum typus fuit Iſmael ex Agar natus, quæ Agar montem Syna figurat, vbi leges & ceremoniæ ſunt promulgatæ. Atq; ita hunc typum explicat Apoſtolus ad Galat. 4. qui in tertio ſub alia verborum forma locutus, rem eandem proponit, & diſtinguit poſteros Abrahæ in eos qui ex fide ſunt, & in eos qui ſunt ex operibus legis. His obſeruatis, planiſsimus erit huius loci ſenſus, videlicet, quod verus Iſrael habeatur quiſquis credit promiſsioni, non habita aut carnalis propagationis aut gentis, aut ceremoniarum ratione. Quemadmodũ enim Deus non omnes Abrahæ filios voluit cenſeri in ſemine, ſed Iſaac tantum: ita nunc quoque, tametſi numeroſus eſt Iſraelitarum populus: tamen illi ſoli veri Iſraelitæ cenſentur, qui promiſsionis fidem habent, atque ita pręſens argumentum à typo ad antitypon deſcendit. Sed quid de Iſmaele cenſendum? Ex hoc loco nemo probauerit Iſmaelem damnatum eſſe, tantum enim neglectum & præteritũ docet hic locus, ne haberetur hæres Abrahæ, & ne ab eius ſemine naſceretur Meſsias, ſed Iſaac ſolus hæres conſtituitur, vt conſtaret certa Chriſti genealogia. Quis diceret vndecim tribus dãnatas, quod ſint neglectę & pręteritę pręm tribu Iuda, cui promiſſum erat, vt ex ea naſceretur Chriſtus.

Promiſsionis enim ſermo hic eſt: In tempore iſto veniam, & erit Saræ filius.

Hoc promiſsionis verbum habetur Geneſ. 18. in quo verbo tria ſunt obſeruanda, Hiſtoria, Finis, typus. HISTORIA eſt. Quod Abrahamo ſeni promiſſus ſit filius ex vxore Sarah, quæ & natura & ætate ſterilis fuit. qui filius, excluſo Iſmaele nato ex Agar, hæres Abrahę futurus eſſet, atque ideo filius haberetur Abrahæ. Etſi autem Iſmael ex ſemine Abrahæ eſt natus, non tamen habetur pro filio, propterea quod hæreditate excluditur. FINIS fuit, vt certo conſtaret ex qua linea deſcendente ab Abraham naſceretur promiſſus Meſsias. TYPVS hic eſt, quod vt Abraham plures habuit filios, ſed non omnes facti ſunt hæredes, ideoque nec pro filijs reputati ſunt: ita multi propagati quidem ſunt ex ſanctis parentibus, ſed non omnes ſunt promiſsionis hæredes, ſed tantum illi, qui ſanctorum patrum veſtigijs inſiſtunt viua fiducia cum patribus in Chriſtum recumbentes. Atque hæc ideo olim typicè figurata ſunt, vt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cum fierent contumaces & increduli Iudæi, reuocati ad typum coarguerentur. Quare Apoſtolus noſter pulcerrime typum antitypo accommodat.

Non ſolum autem, ſed & Rebecca ex vno ſemen habens Iſaac patre noſtro.

Ne exciperent Iudæi contra, ac dicerent iſta violenter à Paulo torqueri, cum maxima ſit diſsimilitudo inter filium ex ſerua natũ, & filium ex vxore libera procreatum. Paulus proponit alium typum, quo priorem confirmat, contra quem non poſſunt Iudæi excipere. Vnus Iſaac fuit pater, vna Rebecca fuit mater, ſimul ambo concepti ſunt Eſau & Iacob, attamen Iacob præfertur Eſau, atq; reputabatur in ſemen, vt ab eius poſteritate olim naſceretur Meſsias, ac interea Eſau præteritus eſt, vt non ex ſemine ipſius naſceretur Meſsias. Hinc concluditur, non omnes natos ex ſanctis patribus eſſe eiuſdem dignitatis & loci. Iacobum delegit Deus, vt ex eo naſceretur Chriſtus. Eſau autem præterijt nõ moratus quod fuerit peræquè natus ex ſanctis parentibus, ſicut Iacob. Hæc eò pertinent, vt veluti duas familias patriarchæ Iacob conſideremus, in quarum vna ſunt nati ex ſemine carnali tantum, in altera verò, qui ſunt ex ſpiritu & fide promiſsionis. Oratio Paulina Ecliptica implebitur hoc modo: Non ſolum autem (ſcilicet Abraham expertus eſt in ſuis filijs, non omnes reputari pro ſemine qui ab eo nati ſunt ſecundum carnem) verumetiam Rebecca (ſcilicet experta eſt in ſuis filijs.) Huc iam aptiſsime ſubiungitur ratio Pauli.

Nondum enim natis pueris, cum neque boni quippiam feciſſent, aut mali (vt ſecundum electionem Dei propoſitum maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt illi: Maior ſeruiet minori.

Hoc teſtimonio idem probatur quod ſupra, & propoſitum & probatum eſt: nimirum quod non omnes nati ex ſanctis parentibus ſint æqualis ſortis, & ne exciperent Iudæi contra, ac dicerent, id ideo factum eſſe, quia Eſau erat malus, Iacob vero bonus. Apoſtolus anteuertit & dicit, Deum antea propoſuiſſe vtrum ex iſtis duobus eligeret, vtrum alteri præferret, idque in re certa, quemadmodum clare indicat hiſtoria. Maior, inquit, ſcilicet Eſau primogenitus, Seruiet minori, ſcilicet Iacobo, quod ſanè nunquam cõpletum eſt in perſonis eorum. Nam Iacob reuerſus à Laban ſocero cum vxore, familia & armentis, proſternit ſe coram Eſau fratre ſuo, ac Dominum eum appellat, Geneſ. 23. Verum iuxta prophetiam completum eſt. Duæ, inquit, gentes ſunt in vtero tuo, hoc eſt, duo populi ex tuis filijs naſcentur, Iſraeliticus quidem à Iacob, Idumæus verò ab Eſau, horum maior, hoc eſt, populus natus ex primogenito Eſau, ſeruiet minori, hoc eſt, populo nato ex Iacob, hoc eſt, Iſraelitico. Hæc prophetia completa eſt tempore Dauidis, tum enim Idumæus Iſraeli ſeruit, 2. Samuel 8. Quid ex his conſequitur? Typo antitypon reſpondere. Quemadmodum enim Eſau fretus prærogatiua carnali præteritus eſt & neglectus in re certa, & Iacob ſola gratia fretus dominus eſt factus Eſau: ita hodie Iudæi carnis prærogatiua tumentes, & externis cultibus nitentes non ſunt populus Dei, ſed omnes illi qui cum Iacobo ex gratia vocantis pendent, & non ex merito operum.

Sicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau vero odio habui.

Alia probatio eiuſdem ex Malachia deſumta, quæ hoc modo concludi poteſt: Eſau non eſt reputatus pro ſemine coram Deo, Eſau fuit filius Iſaac. Igitur quidam filij Iſaac non reputantur pro ſemine coram Deo. Et rurſus, Iacob reputatus eſt pro ſemine coram Deo. Iacob fuit filius Iſaac. Igitur non totum ſemen Abrahæ eſt reiectũ. Vtriuſq; argumenti maior probatur Prophetæ teſtimonio. Cæterum ne hoc teſtimonio abutamur contra ſcopum præſentis diſputationis, PRIMVM tropum, qui eſt in verbis Prophetæ, excutiamus. DEINDE typũ propoſitum videamus, atq; accommodemus propoſitioni, quam Paulus probãdam ſuſcepit. PROPHETA dicit, Deum odio habuiſſe Eſau. Hîc meritò quæritur, quid ſibi odij vocabulum velit, præſertim cum ſcriptura dicat: Miſereris omnium Domine, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Fieri ergo non poteſt, vt odij vocabulum affectum in Deo notet, quo ipſe Dominus Eſau auerſetur. Proinde neceſſe eſt iſtam vocem figuratè accipi, vt in Euangelio, cum dicitur: Qui non odit patrem & matrem, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hîc cum palam eſt, quod Chriſtus non velit vt filij parentes affectu odij proſequantur, figuratè vocabulum odij accipi neceſſe eſt. Eſt itaque figura metalepſis qua vox à propria ſignificatione trãsfertur propter conſecutionem quandam ad id, quod eſt poſterius, hoc eſt, ad

id, quod in hominibus odium ſequi ſolet. Homines enim qui alios oderunt, eos negligunt & prætereunt. Hac igitur ratione dicitur Deus odio habuiſſe Eſau, non quod ex animo oderit, aut reiecerit eum tanquam damnatum, ſed quod in externis commodis eum neglexerit, ita vt ſemen Iſrael non diceretur, nec ex eius ſemine promiſſus naſceretur Meſſias, ſed ex Iacobi ſemine. Deinde quod non Eſau, ſed Iacob terram promiſſam ſemini acciperet poſsidendam. Cæterum ſi Malachiæ ſcopum conſiderauerimus, habent hæc verba exprobrationẽ. Nam hoc ideo dicit Deus, vt oſtendat ſe longe maiora beneficia exhibuiſſe Iſraelitico populo, quàm Idumitis aut alijs gentibus, & tamen illi ingrati, pientiſsimum patrem & beneficum Dominum non agnouerunt. Cum ergo dicit: Eſau odio habui, comparate intelligendum eſt. TYPVS præterea eſt hic conſiderandus, quo externæ res transferuntur ad ſignificandas res ſpirituales. Quemadmodum enim Deus olim multis typis & figuris adumbrauit ſtatum Eccleſiæ Chriſti ſub nouo teſtamento: ita hic Eſau & Iacob quaſi imaginem quandam proponit Deus, vt in ea conſpiciatur & reiectio & aſſumtio eorum, qui ab Abrahamo deſcendunt. Nam ex hoc typo concluditur propoſitio diſtinctionis filiorum carnis & filiorum promiſsionis. Neq; tamen hic typus eò pertinet, vt ſententiam damnatoriam feramus aduerſus Eſau & eius poſteros, quaſi ad vitam æternam non eſſent electi. Non enim propterea damnauit Eſau Deus, quia voluit illum typum eſſe externum rerum futurarum olim in Eccleſia.

Quid igitur dicemus? Num iniuſticia eſt apud Deum? Abſit.

Anticipat obiectionem aduerſariorum, eamq́ue diluit. Nam eo quod dixerat Apoſtolus Deum dilexiſſe Iacob, & odio habuiſſe Eſau, idq́ue antequam in hanc lucem ederentur, apparet quod Deus alios reijciat ſine demerito, aſſumat autem alios ſine merito: quod ſane eſt æqualibus inæqualia tribuere. Quapropter iniuſtus videtur Deus, qui æqualitatem non ſeruat. Vt enim iuſticiæ proprium eſt æqualitatẽ ſeruare: ita iniuſticiæ eſt hanc violare. Hanc obiectionem Paulus ſuo more excipit exurenïſmo, eamq́ue veluti indignam reijcit, Deinde reiectionis cauſſam ſubijcit hoc modo:

Moſi enim dicit: Miſerebor cuiuſcunque miſereor, & miſerabor quemcunque miſeror.

Inficiationis ratio eſt à repugnantibus ſumta. Senſus autem hic eſt: Iniuſtus eſt qui non reddit quod debet. Deus autem ex miſericordia recipit quoſcunque recipit. Quare iniuſtus dici non poteſt. Nam cum nihil cuiquam debeat, liberum eſt ipſi dare cui vult. Eſau quidem multas dedit diuitias, & copioſam familiam, ſed terram Canaan noluit illi dare. Eſau dedit copioſum ſemen, nam ex eius ſemine multi præclari duces orti ſunt. Sed non voluit Deus vt Meſsias ex ipſius poſteritate naſceretur. Non eſt ergo mirum, quod multos ex Iudæis reijciat Dominus. Nam vult ſuam miſericordiã ſolis credentibus accommodari. Textus Hebraicus clarior eſt, in quo PRIMO loco effectus ponitur, ſcilicet in gratiam recipere homines abſq; omni hominum merito. SECVNDO loco ponitur cauſſa: Viſcera miſericordiæ Dei. Nam verbum quo vtitur Moſes, dicitur à nomine Rechem, quod Zacharias expreſsit in ſuo Cantico, cum ita inquit: Ad dandã ſcientiam ſalutis populo eius, in remiſſione peccatorum eorum, per viſcera miſericordiæ Dei. Ex hoc ergo Moſis teſtimonio nihil aliud concludi poteſt, quam ſalutem atque alia beneficia, quæ nobis largitur Deus, ex ſola eius bonitate & miſericordia pendere.

Non eſt igitur volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.

Infert ex dicto Moſis cõcluſionem cauſſæ beneficiorum Dei, & eſt ſenſus: Deus benefacit hominibus, non propter ipſorũ merita, ſed propter ſuam miſericordiam. Non ergo debuit Eſau quicquam. Quare non eſt iniuſtus Deus, quod Eſau præterito, voluerit Iacob cenſeri ſemen Iſaac. Eſau quidem voluit & cucurrit vt acciperet benedictionẽ, quæ iam decreta erat & annunciata Iacobo. Sed Dominus ex miſericordia Iacobo benedici voluit, vt exemplo iſto oſtenderet, ſe ex gratia benefacere, & non ob merita. Per voluntatem itaque & curſum intelligit Apoſtolus humanum opus ſeu meritum, quod ſane nullũ locum habet inter cauſſas ſalutis noſtræ, quæ eſt gratuita. Quid? an non velle & currere debemus? Immo vero vtrunq; oportet, & velle & currere, ſed ſecundum verbum. Cum enim Dominus dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo vos, requirit ſane & voluntatem & curſum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

curſum. Etſi ſuum opus eſſe pronunciat reficere, hoc eſt, onus tollere & ſalutem conferre. Iſmael & Eſau voluerunt & cucurrerunt, ſed nō iuxta verbum, ideo eorum curſus nihil iuuit. Sic hodie Turci, Monachi, Iuſticiarij volunt & currunt, ſed eorum voluntas & curſus non regitur verbo Dei, ſed carne nititur, & non gratia ſtabilitur. Hanc interpretationem & præcedentia confirmant, & ratio, quæ mox ſequitur, comprobat. Non ergo negatur, iuxta verbum volentibus & currentibus, brauium. Deus enim cum currentibus legitime præmia proponit, vult vt & velimus præmia, & curramus in ſtadio, donec ad metam veniamus. Qui enim fieri poteſt, vt præmia obtineamus, niſi & velimus & ſtrenue curramus. Nam oportet vt vterq; & ἀγωνοθέτης & curſor faciant ſuum officium. Non igitur Paulus hoc vult, vt nihil interſit ſiue velis ſiue nolis, ſiue curras ſiue non curras, modo recte id fiat, Sed tantū affirmat, nō meritū voluntatis aut curſus noſtri cauſſam eſſe eius, quod premium propoſitum ſit, ſed tantū miſericordiam. Vt igitur miſericordia mera Dominus voluit Iacob hæredem terræ Chanaan eſſe, & non Eſau: ita eadem miſericordia ſaluat omnes credentes, ſiue ex gentibus ſiue ex Iudæis originem ducunt. Hîc proinde obſeruetur catholica doctrina de cauſſa ſalutis noſtræ, videlicet quod ex ſola miſericordia Dei, & non ex vllo humano merito pendeat ſalus.

Dicit enim ſcriptura Pharaon: In hoc ipſum excitaui te, vt oſtenderem in te potentiam meam, & vt annunciaretur nomen meum in vniuerſa terra.

Vt ſupra typis & exemplis declarauit, Deum mera miſericordia recipere quos recipit: ita hîc illuſtre proponit exemplum, videlicet Pharaonis olim in Ægypto regis potentiſsimi, quo exemplo oſtendit Apoſtolus, quod idem Deus, qui recipit confugientes ad ſe mera miſericordia, ſuo iuſto iudicio reijciat improbos, adeo vt ipſorū voluntas peruerſa, & curſus male ſuſceptus nihil Deum impediat, quo minus faciat quod vult. Nam vt Pharao nitens contra Deum, ſua voluntate & curſu recuſauit Deo obœdire: quā ob cauſſam potenti Dei manu proſtratus, in mari rubro perijt: ita omnes improbi, quantumcunq; nituntur aduerſus Deū, olim iuſto Dei iudicio pœnas luent. Non enim impediet manū Dei illorum voluntas peſsima, nec curſus quo ſe illi Deo opponunt. Huius rei fines adijciuntur duo, VNVS, vt oſtendatur potentia Dei punientis reprobos. ALTER, vt prædicetur nomen Dei in vniuerſa terra, videlicet quod ſit vltor ſcelerum eorum, qui contra ſe ſunt contumaces, & miſericors in eos, qui obœdiunt voci ſuæ. Nam vt tyrannum Pharaonem recuſantem obœdire voci ſuæ, deiecit Deus in mari rubro: Ita Moſen & populum Iſraeliticum obœdientem ſuæ voci eduxit ex Ægypto per medium maris rubri. Obſeruetur diligenter hic locus, qui docet tyrannos & impios reſeruari ad commeritas pœnas, quas Deus infliget ſuo tempore, vnde nos excitari debemus ad timendum DEVM, ne noſtris ſceleribus colligamus nobis iram in die iræ. Porrò verbum Excitandi, nequaquam ſignificat actionem efficacem, ac ſi Deus violenter Pharaonem aduerſus ſe & ſuum populum impuliſſet, Sed vt veteres interpretantur, notat permiſsioné qua permiſit Deus, vt excitaretur Pharao ſuis malis affectibus aduerſus populū Dei. Sunt qui verbum excitandi aliter interpretantur, & illud referunt ad voluntatem Dei efficacé, ordine omnia antecedentem. Sed illi refutantur Hebræa voce, quæ ſignificat, feci te ſtare & manere, cum alios multos in tuo regno proſternerē, hoc eſt, non ſtatim exterminaui te ob tuum peccatū. Septuaginta interpretes in paſsiua voce reddiderunt: διετηρήθης ἕως τοῦ νῦν, hoc eſt, conſeruatus es hucuſq;. Hanc interpretationé confirmat etiam Chryſoſtomus, qui vtitur voce ἐτηρεῖτο, hoc eſt, conſeruabatur Pharao. Deus enim ſæpe tyrannis parcit, cum vt eis pœnitentiæ locum concedat, eoſq; tandem, niſi egerint pœnitentiam, in exemplum aliorum puniat, tum vt ſint veluti ferula quædam, qua Dominus ſuos caſtigat, atque in officio retinet.

Itaque cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.

Hæc oratio quia concluſio eſt, neceſſe eſt vt non pugnet cum propoſitione ſolutionis quæſtionis propoſitæ. Propoſitio ſolutionis fuit hæc: Quod Deus non ſit iniuſtus, propterea quod Iacob dilexerit, hoc eſt, prætulerit fratri in re certa, & Eſau odio habuerit, hoc eſt, neglexerit & præterierit, ita vt nō haberetur hæres Iſaac coram Deo, nec ex eius poſteritate naſceretur Meſſias. Ratio propoſitionis fuit, Quod qui ex miſericordia facit, & ex iuſto iudicio non ſit iniuſtus dicendus. Huc addit exemplum cum miſericordiæ tum iudicij. Populū Iſraeliticū, ſuæ voci obtemperantem, ex mera miſericordia eduxit ex Ægypto, Pharaonem autem contu-

macem & rebellem, iuſto ſuo iudicio deiecit in mari rubro. His nunc ſubijcitur concluſio: Igitur, Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Cuius ſenſus alius eſſe non poteſt, quam quod Deus mera miſericordia recipiat quos vult, hoc eſt, credentes & obœdiẽtes voci ſuæ & iuſto iudicio reprobos abijciat, ac ſinat contemtores verbi ſui, qui poſt multas admonitiones & plagas interdum manent contumaces & rebelles, magis magisq́; indurari. Porrò ne quis hoc teſtimonio contra Apoſtoli mentẽ abutatur, duo ſunt nobis excutienda, nempe, quid ſibi velit indurandi verbum, & quos Deus indurare, & quorum miſereri velit ac ſoleat. Quantum itaq; ad indurandi verbum attinet, eius ſignificandi modus certa nobis methodo eſt inquirendus. Significatio etenim verbi cuiuſq; aut ex ipſa voce, aut ex ſententia, iuxta periſtaſin, petenda eſt. Iam etſi ex verbo ſignificatio in genere nota eſt: tamen modus ſignificandi cognoſci nequit. Nam illum nõ eſſe vnum & eundem, ex eo manifeſtum eſt, quod Exodi 8. bis & Exodi 9. ſemel dicatur, Pharao ſuum cor induraſſe, & rurſus capite 9. dicatur Deus cor Pharaonis induraſſe. & in eodem capite repetatur paſsiuè: cor Pharaonis induratum eſſe. Etſi aũt omnia hęc teſtimonia indurationẽ et aggrauationẽ cordis Pharaonis indicant: tamen collatio manifeſte conuincit eodẽ modo iſta dici nõ poſſe. Nã ſi idẽ ſignificandi modus vbiq; in hiſce notatis locis ſeruaretur, duplex ſequeretur cõtradictionis implicatio, nimirũ quod Deus induraret cor Pharaonis, & nõ induraret. Et Pharao induraret cor ſuum; & non induraret. Cum ergo ex contradictionis lege hæc cõſecutio eſt neceſſaria: Si Deus indurauit cor Pharaonis, Pharao nõ indurauit: Et, ſi Pharao indurauit, Deus non indurauit. Sed iam ſcriptura vtrumq; habet, quod & Deus indurarit cor Pharaonis, & Pharao indurarit cor ſuũ. Neceſſe eſt igitur non eundem manere modũ ſignificandi vtrobiq;. Quare contradictionis ratio cogit fateri modũ ſignificãdi verbi indurandi variũ eſſe, qui ex verbis ipſis ſciri nequit. Nam ſi quis ex verbis contendit, hominẽ à Deo indurari, quia ſcriptum eſt: Deus indurauit cor Pharaonis, alius rurſus ex verbis cõtendere poteſt, Hominem à ſeipſo indurari, quia ſcriptum eſt: Et indurauit Pharao cor ſuum. Quid ergo hîc faciendum, cum conſtet quidem de ſignificatione verbi in genere. Sed modum ſignificandi eſſe varium oſtendat collatio teſtimoniorum? Ad ſententiã confugiendũ eſt, quam ex ſcripturis hac via eruere debemus. Omnes homines ab Adam iuxta communem naturę legem propagati, habent cor durum, id quod non ſolum lapſus communis conuincit, verumetiam clara ſpiritus Dei oracula teſtantur, Ierem. 17. ita ſcriptum eſt: Prauum eſt cor hominis ſupra omnia & præfractum. Ezech. 36. Auferam cor lapideum, id eſt, durum ſeu induratum de carne veſtra. Iam ſi Pharaonis cor, vt aliorum omnium, communi naturæ prauitate erat prauum, præfractum, lapideum, non magis poterat à Deo indurare quàm lapis, niſi prius fuiſſet mollitum quod non fuit. Ex quo ſequitur: efficacẽ indurationis cauſſam Deo non eſſe aſſcribendam, quare alius huius verbi ſignificandi modus neceſſario ſtatuendus eſt. Sunt qui volunt permiſsionem indurationis ſignificari hoc verbo, quorum ſententia etſi ꝓbatur multis, & eſt vera recte intellecta: tamẽ à Grammaticis impugnatur, qui permiſsionem ſignificari verbis Hiphil, & non verbis Piel, quę augent ſignificationem actionis verborum Paal, & ſemper efficacem actionem notant. Sed hiſce quid reſpondebimus? PRIMVM manifeſtum eſt ex ijs quæ diximus, Deo non aſſcribendam eſſe efficacem indurationis cauſſam. DEINDE, ſi concedimus Grammaticis verba Piel ſignificare efficacem actionem, illi viciſsim cogentur nobis concedere, quod verba ſæpe, ſicuti & nomina, pro contrarijs negatis ponantur, id quod in omnibus linguis vſitatiſsimum eſt, vt Iob. 24. dicitur, nocere viduis, qui eis non prodeſt. Et in Euangelio dicitur odiſſe, qui non approbat & complectitur, & amare vitam ſuam, qui eam periculis pro Euangelio nõ exponit. Quare ſi hîc verbum indurandi, vbi Deo tribuitur, explicemus per contrarium negatum, nihil inuſitate facimus, & pulcre conſentiet & ſtabit ſcriptura, nec vlla Grammaticorum legibus vis fiet. Cum itaq; duro molle contrarium eſt, & verbũ indurandi verbo molliendi aduerſatur, dicamus indurandi verbum pro contrario negato, hoc eſt, pro non mollire poſitum eſſe, idq́; in ea propoſitione, qua Deus dicitur cor Pharaonis induraſſe. Vt cum dicit ſcriptura, Deus indurauit cor Pharaonis, ſenſus ſit: Deus non molliuit cor Pharaonis. Et cum rurſus dicitur: Pharao indurauit cor ſuum, hunc habeat ſenſum: quod Pharao ſciens & volens indurauerit, hoc eſt, retinuerit cor durum & pertinax, neq; ſe molliri voluerit, ſed magis magisq́; obfirmauerit cor ſuum, ne populũ Dei dimittetet, tametſi miraculis conuictus confeſſus fuerit ſe peccaſſe. Cum enim videret pluuiam, grandinẽ & tonitrua ceſſaſſe, auxit peccatum, & aggrauatum eſt cor eius: ſpreto Dei mandato de dimittendo populo, & contemtis iræ diuinæ teſtimonijs. HÆC vocis interpretatio neq; à verbis neq; à ſententia diſcrepat, immo vt oſtenſum iam ſatis eſt periſtaſi loci, vnde hoc teſtimonium deſumtum eſt, cõfirmatur, & eſt analoga primi religionis noſtræ axiomatis. CÆ-

TERVM, etſi certa ratione ac via inquiſiuimus huius loci ſententiam: operæprecium tamen videtur, Eccleſiæ vocem audire, ac pauca patrum teſtimonia huc aſſcribere, vt inde magis adhuc confirmentur animi noſtri, de loci huius ſententia. OECHVMENIVS, Eum qui durus eſt & inobœdiens, durum & incredulum eſſe concedit. NAZIANZENVS, Quod Ægyptius tyrannus à Deo induratus eſt, non ſic accipiendum eſt, quaſi Deus diuina ſua voluntate pugnantiã & reniſum menti tyranni impreſſerit: Verũ quod voluntas alioqui propenſior ad malitiam non acceperit verbũ molliens iſtum, quo Dei ſententiæ aduerſabatur, reniſum. BASILIVS, Indurauit Deus Pharaonem longanimitate pœnæq; dilatione. ATHANASIVS, Tunc Deus mortalium corda obdurat, cum illos pro ſua magnitudine tolerat diu, cuius deinceps ob tolerantiam redduntur ijdem obſtinatiores ad malum, nec aliter ſe Deus habet quam herus aliquis, qui ſeruum nactus ſit improbum, quem, vbi humaniter & clementer vtatur, facit deteriorem, quod quidem non eo fit, quod dominus ſeruũ malignitate indurauerit, ſed quia ſeruus Domini placabilitate ſit ad augendã improbitatem, & iniquitatẽ abuſus, vt qui herilẽ huiuſmodi in ſe benignitatem contemſerit. CHRYSOSTOMVS hanc ipſam interpretationem ad verbum fere habet. AVGVSTINVS in libro de voluntate Dei, in hæc verba (quem vult indurat) ita ait: Sed non ita intelligendum eſt, quaſi Deus in homine ipſam, quæ non eſſet, duriciem cordis operetur. Quid enim aliud eſt duricia, quam Dei obuiare mandatis? Vnde illud beatus Stephanus dicebat ad populum: Dura ceruice & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. AMBROSIVS vt hunc ſcopum declinet, dicit hæc verba: Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, ex perſona contradicentis dici, quaſi eſſet illatio aduerſarij abſurda, ex verbis Pauli colligentis. Etſi autẽ hanc interpretationem Ambroſij non recipio: tamen manifeſte colligitur ex verbis Ambroſij, quod Stoicam opinionem de efficaci induratione improbauerit. Hæc patrum teſtimonia, & hęc vox Eccleſiæ noſtram interpretationem muniunt, quam eorum autoritati oppono, qui hodie excuſare Pharaonem nituntur, & accuſare Deum, quaſi indurationis adeoq; peccati autorem. QVANTVM autem ad id attinet, quod poſterius obſeruandum dixi, de ijs videlicet, quos Deus ita indurare ſoleat, & quorum miſereri velit, explicatio petenda eſt, non ex imaginationibus Stoicis, ſed ex promiſsionibus & cõminationibus Dei, ex Propheticis & Apoſtolicis concionibus. Hæc enim omnia docent, Deum ſolere indurare eos, qui ſe oderunt, qui ſibi ſæpe admonenti & vocanti obœdire recuſant, qui verbum Dei ingrati repudiant, qui Euangelij gratiam aſpernantur. Vnde patet, quod indurationis cauſſa non ſit Deus ipſe, ſed hominis antegreſſa voluntas & rebellio, quemadmodũ Paulus infra ex Prophetæ verbis docet: Tota die expandi manus meas ad populum contumacem & contradicentem. Huc accedit querela Domini, Matth. 23. Quoties volui congregare te & noluiſti. Et Stephanus in Actis, Duri ceruice, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis, ſicuti & patres veſtri. Contra miſeretur omnium Dominus qui ad ſe confugiunt, & credunt in filium, adeo quod ipſos filiorum titulo ornet, ac hæredes beatæ immortalitatis cõſtituat. Vult enim omnes ſaluos fieri, qui ſalutem oblatam fide accipiunt. Vtraque hæc Dei voluntas, cum in malos perdendos, tum erga pios ſeruandos in Pſalmo indicatur his verbis: Fideles cuſtodit Dominus, & retribuet abundanter facienti ſuperbiã. Vnde hanc exhortationem infert: Viriliter agite & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino. Et rurſus in alio Pſalmo: Cuſtodit Dominus omnes diligẽtes ſe, & omnes impios diſperdet. Et rurſus in alio Pſalmo: Multæ plagæ ſunt impio, ſperantem autem in Dominum miſericordia circumdabit. Hinc conſolationem & exhortationem extruit: Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.

Dicis igitur mihi: Quid adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit?

Eſt & hæc aduerſariorum obiectio illata ex præcedentibus verbis de Pharaone, & generali doctrina inde concluſa, videlicet, Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Senſus obiectionis hic eſt: Deus quem vult indurat. Igitur, Deus non iuſte conqueritur de eo qui induratur, nec ipſum iuſte punit. CONSECVTIO eſt firma, Quia nemo voluntati Dei reſiſtere poteſt. Principium quo nititur hæc obiectio hoc eſt: Nemo iuſte accuſat in alio quod ipſe facit. Sed ad principium reſpondendum eſt per diſtinctionem: Nemo iuſte accuſat in alio quod ipſe facit, ſcilicet efficaci voluntate, aliter iudicandũ eſt de eo, qui aliquid dicitur facere quando vel permittit aliquid fieri, vel non violenter prohibet. Deus igitur cum indurat permittendo, & non molliendo nec prohibendo, iuſte & accuſat & punit induratum. Nam cauſſa effectrix indurationis non in ipſo Deo, ſed in homine eſt. Verũ Paulus ad hanc obiectionem

reſpondet dupliciter, PRIMVM, per obiurgationem, DEINDE, redditis cauſsis proprijs, cum reiectionis tum aſſumtionis.

Atqui ô homo tu quis es qui ex aduerſo reſpondes Deo?

Hæc prior reſponſio eſt, qua contumaciã aduerſarij importunius reſponſantis retundit, quaſi diceret: Tu puluis & cinis cum ſis, cur diſceptas cum tanta maieſtate? Cur ex aduerſo Deo reſpondes, quaſi ipſius facta ad examen reuocaturus. Audis quod ipſe Iſmaelem præterierit,, & Iſaac elegerit: Audis quod Iacob dilexerit & Eſau odio habuerit: Breuiter audis, quod cuius vult miſereatur, & quem vult induret. Cum hæc audis obſtupeſcis, immo Deum quaſi ad tribunal vocas, vt tibi ſuorum factorum cauſſas reddat, & tamen non miraris, nec culpas, quod ex eadem maſſa figulus diuerſa vaſa faciat. HINC proinde ſumamus catholicam doctrinam, qua docemur, nõ diſceptandum eſſe de verbis & factis Dei, ſed ea potius ſumma cum reuerentia ſuſpicienda. Huc illud Chryſoſtomi: δεῖ γὰρ πείθεσθαι τοῖς ὑπὸ τοῦ θεοῦ λεγομένοις, οὐ περιεργάζεσθαι κἂν τὸν λόγον αὐτῶν ἀγνοῶμεν. Hoc eſt, Oportet enim credere ijs quæ à Deo dicuntur, & non curioſe inquirere, etſi rationem eorũ ignoremus. Hoc tamen ita accipiendũ eſt, ne noſtra oſcitantia & inertia ita adhæreamus dictis, vt nullam patiamur collationem ſeu θεωρίαν, ſine qua ſcriptura nequaquam intelligi poteſt. Nam vt ad cognitionem requiritur θεωρία: ita ad vſum αἴσθησις eſt neceſſaria.

Num dicet plaſma ei qui finxit ſe: Cur me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in ignominiam?

Confirmatio obiurgationis à comparatis. Confert autem Deum figulo: maſſam humanæ naturæ luto: & hominem quemlibet vaſi ex luto factũ. Priuſquam autem hanc comparationem exponam, regulam Chryſoſtomi de huiuſmodi ſimilitudinibus ſtudioſis commendatam eſſe volo, qui ita ait: τὰ ὑποδείγματα οὐ πάντα καθόλου δεῖ λαμβάνειν, ἀλλ' εἰς ὅπερ παρείληπται, τὸ λοιπὸν ἅπαν ἐᾶν. Hoc eſt, Non oportet ſimilitudines ita accipere, vt in omnibus partibus rerum, quæ conferuntur, fiat comparatio, ſed tantum ſpectandum eſt cuius gratia adductę ſunt, reliquis omnibus omiſsis. Iam comparationis partes videamus. Supra dixerat Apoſtolus: Iacobum & Eſau ab ijſdem natos eſſe parentibus, & veluti de eadem ſeminis maſſa ſumtos, ſed vnum à Deo electum eſſe, vt illuſtrior haberetur in populo Dei, alium vero neglectum, vt in obſcuriori haberetur loco, in hoc facto Deum culpari non debere oſtenditur PRIMVM hac comparatione: Figulus ex eadem maſſa aliud vas in honorem facit, aliud in ignominiã, & tamen à nemine culpatur vt iniuſtus. Cur ergo accuſatur Deus, qui ex eodem ſemine Abrahæ, alium nempe Iſaac voluit hæredem cenſeri, alium ſcilicet Iſmaelem hæreditate Abrahæ excludi? Et rurſus ex ſemine vno natis duobus ſcilicet Eſau & Iacob, quorũ hunc dilexit, & voluit in illuſtriori loco in Eccleſia eſſe, illum vero odio habuit, hoc eſt, præterijt, nec voluit in tam illuſtri loco eſſe, quemadmodum ſupra copioſe explicatum eſt. DEINDE dictum eſt, Deum Pharaonem proſtrauiſſe in mari rubro, & eduxiſſe Moſen cum Iſraelitis per medium maris. Hoc Dei admirandum factum nequaquam accuſandum eſſe, declaratur etiam præſenti ſimilitudine hoc modo: Figulus vaſa integra ſeruat, ſiue ad honeſtos, ſiue ad inhoneſtos vſus ſint facta, at in camino fracta cõminuit ac abijcit, & tamen nemo accuſat vt iniuſtum. Cur ergo idem non licebit Deo? Cur non licebit illi contumacem & rebellem Pharaonem punire & abijcere, & obœdientem Moſen ſeruare? hoc eſt, Cur non licebit Deo alios homines, qui ſuo verbo non obœdiunt reijcere, & alios, videlicet qui ſuo verbo obœdiunt, ex miſericordia recipere? Hæc ratio eſt adductæ ſimilitudinis, conueniens non ſolũ argumento quod tractat Apoſtolus, verumetiam loco Ieremiæ vnde Paulus hanc comparationem mutuatur. Ieremiæ cap. 18. Deus per os Prophetæ exemplo figuli oſtendit, in manu ſua eſſe cõtemtores verbi ſui poſſe perdere, & reſipiſcentes poſſe ſaluare. Quid quæſo aliud hîc facit Paulus exemplo Pharaonis & populi Iſraelitici propoſito? Senſus ergo Prophetæ, vt & Pauli, eſt: Deus habet homines in ſua manu ſicut figulus ſuum lutum, Si quis vitam ſuã corrigere & Deo obœdire non vult, eum Deus perdit, ſicut figulus perdit vas, quod ſæpius refictum, vicioſum tamen manet: & contra, Si quis voci Dei obtemperat, & vitam corrigit, hunc Deus ſeruat, ſicuti figulus ſeruat vas non vicioſum & infractum. PRÆTEREA, vt figulus vas quod ſæpe refinxit, & nihilominus de camino ſemper prodit vicioſum iratus abijcit: ita Deus quos ſæpe inuitauit ad pœnitentiam, & voluit ſuo verbo refingere, ſed emendari nolunt vt Pharao,

perdit

perdit & abijcit. ADHÆC, vt figulus nullum vas facit vt perdat, ſed tantum perdit ea quæ bona non ſunt, cum tamen conſiliũ fingentis fuit vt bona fierent. Non enim dubium eſſe poteſt, quin bonus artifex omnia quæ facit, bona eſſe velit: Sic Deus nullum hominẽ creauit, vt perderet, ſed tantum perdit eos qui reſipiſcere nolunt, cum tamen conſilium creantis fuerit, vt boni fierent. Neque enim dubitandum eſt, Deum velle omnes bonos eſſe, cum ſit ipſe optimus, & eundem velle omnes ſaluare, cum ſit ipſe feliciſsimus. PRÆTEREA, quemadmodum figulus ex eodem luto vaſa facit, at non omnia ad eundem vſum, ſed alia quidem ad vſum menſæ, & rerum honeſtarum, alia vero ad vſum culinæ, aut aliarũ rerum parum honeſtarum: Sic Deus alios homines condidit vt ſint in Chriſti corpore, tanquam oculi, quoſdam vt aures aut manus, alios vero vt ſint quaſi pedes, & minus illuſtres partes quales ſunt illi, quibus pauciores dotes contulit Deus. Atqui hoc eſt quod Paulus dicit: Aliud vas factum in ignominiam, id eſt, in vſum non tam honeſtum, vt ignominia pro cõtrario negato per liptotem accipiatur. Diſcernendum itaq; diligenter eſt aliud eſſe frangi, aliud in ignominiam, id eſt, parum honeſtum vſum, eſſe factum. Quodlibet enim vas, ſi malũ eſt, frangitur, ſiue ad honeſtos vſus, ſiue inhoneſtos ſit factum, quod clariſsime oſtenditur Ieremiæ 22. vbi ita ait Dominus: Si fuerit Iechonias filius Ioachim regis Iuda annulus ſignatorius in manu mea dextera, inde euellam te, tradamq́; te in manus quærẽtium animam tuam. Rurſus, quodlibet vas ſi bonum eſt ſeruatur, etiamſi ad vſus parum honeſtos factum ſit. Verum in malo & vicioſo oſtendit figulus poteſtatem ſuam id frangendo, ſicuti ipſe Paulus, vt paulò poſt ſequitur, oſtendit. PORRO, quoniam quæ apparent ſunt veluti quædam ſymbola rerum ſpiritualium, ſumamus ſimilitudinẽ à magiſtratu ciuili, qui quædam imago Dei in ſcriptura prædicatur. Magiſtratus pius abſque omni dubio omnes ſuos ſubditos amore proſequitur, omnes cupit eſſe bonos & pios, vt ipſe eſt pius & bonus, Verum ſi quis petulanter & contumaciter ſuas leges contemſerit, hunc punit, Et contra obſeruantem leges ſuas, honore afficit & tuetur: Sic Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Verum ſi quis hanc Dei voluntatẽ ſpreuerit vt Pharao, hunc Deus potenter proſternit, & contra, obœdientem ſuæ voci tuetur & ſaluat. HÆC tam copioſe à nobis dicta ſunt in hunc locum, ne quis putet Apoſtolum contra ſcopum diſputationis ſuæ patrocinari ſtoicæ neceſsitati.

Si vero volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, tulit magna cum patientia vaſa iræ, apparata ad interitum. Et vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, Quis poteſt conqueri?

Similitudinem præſentem accommodat, cuius hæc eſt ſumma: DEVS dum perdit iræ vaſa, oſtendit ſuam potentiam, dum contra ſaluat vaſa miſericordiæ, hoc eſt, credentes & obœdientes ſuo verbo, oſtendit ſuam gloriam. Vt cum Pharaonem vas iræ deiecit in mari, ſuam potentiam declarauit. & contra, cum Moſen vas miſericordiæ eduxit per mare rubrum, oſtendit ſuam gloriam. Porrò duo ſunt in hac pericopa, quæ in ſpeciem videntur confirmare eorum ſententiam, qui affirmant Deum violenter & indurare & ſaluare. DICIT enim vaſa iræ apparata fuiſſe ad interitũ, quod videtur hunc habere ſenſum, quod Deus illa parauerit vt perderet. DEINDE addit, Deum præparaſſe vaſa miſericordiæ ad gloriam, vnde concludi videtur, quod non ſolum ſanatio, verumetiam induratio ſit effectiue à Deo. Sed hanc expoſitionẽ ipſe textus clariſsime refutat, cum Deum ipſum dicit oſtendiſſe irã, & tuliſſe vaſa iræ magna cum patientia. Vtrumque pugnat cum ſtoica interpretatione. oſtendit etenim Dominus iram ſuã in vaſa iræ. At nemo iraſcitur ob factum, cuius ipſe eſt autor. Iraſcitur autem Deus Pharaoni indurato. Proinde fieri non poteſt, vt Deus ſit indurationis Pharaonis cauſſa efficax. Quare Pharao non eſt apparatus à Deo, vt fieret vas ad interitum. Deinde additur in textu, Quod Deus magna cum patientia tulerit vaſa iræ. Si tulit, certe dolet ei res, Si dolet, profecto non placet. Quare & hinc ſequitur, Deum non effectiue paraſſe vaſa, vt vaſa iræ eſſent, quod nec Apoſtolus dicit, ſed præparaſſe vaſa iræ ad interitum. Vt autem hoc intelligatur apertius, notanda eſt phraſis frequens in ſcriptura, qua tribuitur cauſſæ agẽti propter aliud euentus, qui aliam propriam cauſſam habet, idq́; propter euentum, quemadmodũ ſequentia teſtimonia apertiſsimè conuincunt. Oſe. 8. Aurum ſuum & argentum ſuũ fecerunt ſibi idola, vt interirent. Conſilium fabricantium idola nequaquam fuit, vt colentes idola interirent, ſed potius vt Deum iſto pacto placarent, & ſaluarẽtur, verum propter euentum ita loquitur Propheta. Mich. 6. Ambulaſti in voluptatibus eorum, vt darem te in perditionem. 4.

 Reg. 21.

Reg. 21. Manaſſes dicitur traduxiſſe filios ſuos per ignem, vt faceret malũ coram Domino, & irritaret eum. Hac phraſi etiam dicitur Deus creaſſe impium ad diem malum. nequaquam enim hominem ipſum creauit ad diem malum, hoc eſt, vt interiret, ſi conſilium creantis Dei ſpectes: ſed dicitur propter euentum, qui habet aliam cauſſam, eamq́; propriam, nempe impietatem hominis. 1. Corinth. 1. dicitur: Videte fratres vocationẽ veſtram, non multi ſapientes ſecundum carnem, nõ multi potentes, non multi nobiles, ſed ſtulta mundi elegit Deus. Hic Apoſtolus vtitur quidem eligẽdi verbo, ſed quod illud ad euentum ſit referendum, & non ad conſilium Dei creantis & reformantis hominẽ, ſatis indicat. Nam illa impedimenta enumerat, quæ homines auocare ſolent, quo minus hanc cœleſtem vocationem curent, vt ſunt ſapientia carnalis, potentia & nobilitas. His enim rebus ineſcati homines cõtemnunt Euangelium. Hoc ipſum Dominus teſtatur propoſita parabola Lucæ 14. vbi dicit: Multos vocatos quidem fuiſſe ad cœnam illam magnam, ſed alium aliam cauſſam prætexuiſſe, quo minus venire vellet, vnus villam, alter quinq; iuga boũ emerat, tertius vxorem duxerat, atq; ita à cœna illa magna apparata multis, excluduntur, non deſtinatione Dei vocantis omnes, ſed propria culpa. Quomodo autem dictum Chriſti intelligendum ſit: Multi ſunt vocati, pauci vero electi, periſtaſis loci ſatis indicat, Matth. 20. & 22. Illud enim dictum cõtinet duo, nempe bonitatis Dei ſeu miſericordiæ magnitudinem, qui omnes vult ſaluos fieri, atq; ideo eos vocat per Euangelium, & turpiſsimã hominum ingratitudinem, qui tantam vocationem contemnunt.

Quos etiam vocauit, nimirum nos non ſolum ex Iudæis, verumetiam ex gentibus.

Definit vaſa miſericordiæ eſſe vocatos, hoc eſt, eos qui ad prædicationem Euangelij conuertuntur. Relatiuum diſcrepat ab antecedente in genere, nam Apoſtolus rationem ſententiæ habuit, qui per vaſa homines intelligit. Obſeruentur ergo duo, VNVM de vaſis miſericordiæ, videlicet quod hoc nomine dicantur vocati, hoc eſt, credentes Euangelio. ALTERVM, quod Eccleſia conſtet promiſcue ex omnibus hominibus Iudæis & gentibus, qui Euangelium recipiunt. Hîc enim non nationis, ſed fidei habetur ratio.

Vt etiam in Oſea dicitur: Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum, & eam quæ dilecta non erat, dilectam. Et erit in loco vbi dictum fuerat eis: Non populus meus vos, illic vocabuntur filij Dei viuentis.

PRIOR pars huius teſtimonij ſumta eſt ex 2. Oſeæ, POSTERIOR ex primo. Probat autem hoc teſtimonio Apoſtolus alterum diſtributionis membrum, videlicet quod ex gentibus etiam Eccleſia ſit colligẽda. Nam cum Oſeas viueret, gentes non habebantur pro populo Dei, ſed ſoli Iudæi. Nam paucisſimis ex gẽtibus innotuerat fœdus de Meſsia. Quare cum dicit fore, vt ijs, qui tum non habebantur pro populo, aliquando dicatur: populus meus vos, & filij Dei viuentis vocentur, ſatis manifeſte vocationem gentium vaticinatur: quemadmodum & exemplo filij fornicariæ, qui dicebatur Loami, figurabat. Hinc ergo efficitur quod propoſuit Apoſtolus, videlicet, quoſdam pro ſemine habendos, qui eſſent promiſsionis & nõ carnis filij. Porrò epitheton viuentis, quod Deo tribuitur, PRIMVM additur, vt diſtinguat verum Deum à dijs gentium, quos coluerunt gentes ante conuerſionem, & Iudæi etiam relicta Prophetica doctrina exemplo gentium. DEINDE, vt ſignificet efficaciam, virtutem & operationem Dei in Eccleſia. POSTREMO, vt oſtendat quonam nos vocet Deus ſuo verbo, nempe ad æternam beatamq́ue vitam.

Eſaias autem clamat ſuper Iſraël: Si fuerit numerus filiorum Iſrael vt arena maris, reliquiæ ſaluabuntur.

Ex capite 10. Eſaiæ ſumto teſtimonio probat Apoſtolus, quod antea probandum propoſuit, videlicet non omnes qui ſunt ex carnali Iſraelis ſemine eſſe veros Iſraelitas. Nã veri Iſraelitæ omnes ſunt promiſsionis filij. Sed pleriq; ex ſemine carnali Iſraelis damnabuntur. Quare ſequitur pleroſq́; eorũ non eſſe veros Iſraelitas. Cur autem damnentur pleriq; Iudæorũ, in initio capitis indicatur, vbi obiurgat eos, quod fuerint impij, iniuſti, & omni iniuriæ proximi intenti, atq; ideo minatur eis Dominus & captiuitatem corporum, & animorũ interitum: excipit tamẽ illos paucos, qui ſe ad Dominum in vera pœnitentia conuertunt. Similitudo arenæ maris, vt multitudinẽ impiorũ Iudæorum

dæorum

dæorum notat:ita Dei iuſtiſsimam iram indicat, qua contumaces & rebelles Iudæos perdet. Monet igitur hic locus, ne multitudinem peccantiũ imitemur, ſed potius illos paucos, qui vera pœnitentia ſe ad Dominum conuertunt. Deus enim non multitudinis, ſed fidei & infidelitatis in ſaluandis & perdendis hominibus rationẽ habet. Nam omnes viæ Domini iudicium, iuſticia & miſericordia. Hebræus textus & ſeptuaginta habent: Si fuerit populus tuus Iſrael vt arena maris, pro quo Apoſtolus habet: Si fuerit numerus filiorum Iſrael. Hoc annotandum putaui, quia hinc apparet, tempore Apoſtoli extitiſſe aliam Græcam verſionem quàm ſeptuaginta interpretum, quam & vetus interpres ſecutus eſſe videtur.

Verbum enim conſumans & abbreuians in iuſticia, quia verbum abbreuiatum faciet Dominus in terra.

Ratio Prophetæ, cur reliquiæ filiorum Iſrael ſaluabuntur, ſumta à iuſto Dei iudicio. Nam ingentem multitudinem, ob ſua ſcelera & impœnitẽs cor perdet. Hæc ſententia eſt verborum Prophetæ, quemadmodum circumſtantiæ cum apud Prophetam, tum apud Apoſtolum ſatis oſtendunt. Textus Græcus obſcurior eſt propter triplicem Hebraiſmum. PRIMVM enim verbum pro re, & res pro populo Iſraelitico ponitur. DEINDE participia pro verbis ponuntur, conſumans pro conſumat, & abbreuians pro abbreuiat. PRÆTEREA præſentia pro futuris ponuntur. Senſus ergo eſt: Dominus populum conſumabit & abbreuiabit iuſte: hoc eſt, ex magna multitudine exiguam ſummam ſaluabit, reliquis iuſte perditis. Hebraicus textus ita habet ad verbum redditus: Conſumtio conciſa inundat in iuſticia, quoniam conſumtionem, eamq; deciſam Dominus Deus Sebaoth facit in medio orbis terræ. Bis eandem ſententiam repetit, vt maiorem terrorem contumacibus Iſraelitis incutiat. Eſt autem hic ſenſus: Deus decreuit, idq; iuſto iudicio, ſumere pœnas de Iſraele, & illum conſumere & perdere ob eius ſcelera.

Et quemadmodum prædixit Eſaias: Niſi Dominus Sebaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicuti Sodoma facti fuiſſemus, & ſicut Gomorra fuiſſemus.

Idem probat teſtimonio ſumto ex primo capite eiuſdem Prophetæ, in quo teſtimonio antegreſſa cauſſa obſeruanda eſt, quæ fuit maxima populi contumacia aduerſus Deum, de qua Dominus conqueritur hoc modo: Audite cœli & auribus percipe terra, filios enutriui & exaltaui, ipſi autem conſpirauerunt aduerſus me. Agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe dominorum ſuorum: Iſrael autem me non agnouit, & populus meus nõ intellexit. Deinde poſt multas cõminationes ſubijcit verba, quæ hîc ab Apoſtolo adducuntur. Hinc duo concluduntur, VNVM, quod non omnes qui nati ſunt ex Iſrael ſunt veri Iſraelitæ, id quod ꝓbandum ſumſit Apoſtolus ALTERVM, Quod nõ ex deſtinatione Dei ſint degeneres facti Iſraelitę, ſed ex propria malicia, quia Deum contemſerunt, ac eius vocem audire recuſarunt.

Quid igitur dicemus? Gentes quæ non ſectabantur iuſticiam, apprehenderunt iuſticiam, iuſticiam inquam, quæ eſt ex fide: Iſraël autem ſectans legem iuſticiæ, ad legem iuſticiæ non peruenit.

Poſtquam typis, ſimilibus, exemplis & ſcripturæ teſtimonijs oſtendit, non omnes eſſe Iſraelitas, qui ex ſemine Iacob ducunt originem, ſed ꝓmiſcue omnes qui promiſsioni credunt, abſq; reſpectu carnalis originis, cenſeri coram Deo pro ſemine, apertè cauſſas ponit cum reiectorum Iſraelitarum, tum aſſumtarum gẽtium. Sententiæ autem ſumma huc redit: Iſraelitæ pleriq; pereunt, quia excæcati perſuaſione iuſticiæ legis, iuſticiam fidei aſpernantur. At pleræq; gentes aſſumuntur, quia deſperantes de legis iuſticia, ad fidei iuſticiam confugiunt. Obſeruetur igitur hoc loco vniuerſale & immotum Dei decretum, quo Deus certiſsime decreuit, omnes credentes ſaluare, ijs omnibus reiectis qui aliunde quærunt ſalutem, quam à ſolo Chriſto, quales ſunt omnes Phariſæi omniũ temporum. Neque tamen hæc ita accipienda ſunt, ac ſi Deus bona opera, quæ lex requirit, non velit. Nam ideo & creauit hominem, & poſtea lapſum redemit, vt in bonis operibus ambularet, ſed tantum damnat peruerſam operum perſuaſionem, qua homines ſe fingunt coram Deo operibus ſuis iuſtificari.

Propter quid? Quia non ex fide, ſed ex operibus legis.

Quęrit rurſus, cur Iſrael ad legem iuſticiæ non peruenerit, vt eius veram & vnicam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

&vnicam cauſſam doceat. Eſt autem hæc vnica cauſſa, non conſilium Dei creantis Iſraelitas, non decretum Dei donantis Iſraelitis tam eximia dona, adeo quod non fecerit taliter omni nationi, nec voluntas promittentis eiſdem Meſsiã, ac cũ illo veram ſalutẽ: Sed quod non ex fide quæſiuerit iuſticiam Dei, ſed ex operibus legis propriam, quod ſane nihil aliud eſt, quàm ſacerdotium Chriſti reijcere, ac ſanguinem Domini impuris pedibus cõculcare.

Impegerunt enim in lapidem offenſionis, quemadmodum ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali, & omnis qui credit in ipſum, non pudefiet.

Ætiologia eſt ex Prophetæ Eſaiæ teſtimonio ſumta, cuius hic eſt ſenſus: Quod Iudæi non ſint conſecuti iuſticiam fidei, cauſſa alia non eſt, quam quod obiectum fidei Chriſtum ſpreuerint. Offendebantur enim in perſona Chriſti, quem non agnouerunt iuſtificatorem. Hic Chriſtus lapis quidẽ offenſionis appellatur, ea phraſi, qua Euangelium odor mortis ad mortem dicitur, hoc eſt, vicio hominum, qui ſibi à Chriſti perſona, aut à doctrina, aut ab Eccleſiæ forma, aut ab alijs quibuſcunq; rebus ſcandalum ſumunt. Porrò teſtimonium Prophetæ inprimis obſeruandum eſt, in quo quinq; hypotheſes cõtinentur. PRIMA, quod extra Chriſtum non ſit ſalus. SECVNDA, quod Iudæi reiecti ſint, quia in perſona Chriſti offendebantur. TERTIA, quod beneficium ſalutis ſit vniuerſale. QVARTA, quod hoc ſalutis beneficium ſolis credentibus applicetur. QVINTA, quod Chriſtus ſit verus Deus. Nam ſolus promittitur in illum credentibus.

CAPVT X.

Summa Capitis decimi.

Sicut Iudæi propriam iuſticiam ſtatuentes, Iuſticiæ Dei non ſunt ſubiecti: ita promiſcue omnes qui credunt Euangelio iuſtificantur fide, & vt hi ſoli ex gratia ſaluantur, ita illi ſuapte culpa pereunt.

Ordo & partes Capitis decimi.

Poſtquam in ſuperiori capite ſatis refutauit Apoſtolus Iudæos, qui putarunt ſe gentibus, quantum ad ſalutis beneficium attinet, præferendos eſſe, propterea quod è ſanctis patribus originem ducerent: Hîc rurſus ingreditur diſputationem aduerſus eoſdem, & detrahit eis, cui potiſsimũ nitebantur, videlicet operum iuſticiam, fuſiusq; de cauſsis reiectionis Iudæorum, & aſſumtionis gentium diſputat. Ac PRIMVM *quidem exordiolo beneuolentiam captans, cauſſas reddit, cur Iudæi non ſint fidei iuſticiam aſſecuti.* HVC *addit neceſſariam iuſticiæ legis & iuſticiæ fidei collationem, vt conſtet exactum diſcrimen.* HINC *deſcendit ad deſcribendam fidem, & oſtendit vnde ſit, quodnam ſit eius obiectum, quis fructus, & quod omnibus offeratur gratia, propterea quod non ſit diſtinctio Iudæi & Græci, quemadmodum ſupra in primo & tertio attigit.* POSTREMO *loco, vt fortius ſuos Iudæos premat, oracula Prophetarum de illorum vſitata contumacia adducit.*

EXEGESIS DECIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

FRATRES, propenſio quidem cordis & deprecatio, quæ eſt ad Deum pro Iſraël, eſt in ſalutem.

Exordiolo aditum ſibi facit Apoſtolus ad ſequentem diſputationem, contra iuſticiam operum, & pro iuſticia fidei, idq; ideo, vt tollat omnem odij ſuſpicionem. Duo autem facit in hoc exordiolo. PRIMVM teſtatur de promtitudine animi ſui erga Iudæos. Eſt autem hîc εὐδοκία magnũ deſiderium, vt interpretatur Chryſoſtomus, non ex virtute aut meritis illorum ortum, ſed ex miſericordia potius erga eos quos videt in certum interitum præcipitari. DEINDE dicit, ſe pro ipſis deprecari apud Deum. Prius admonet nos & affectus & officij erga eos, qui nondum ſunt edocti Euangelium

gelium. Poſterius clarè oſtendit, Iudæos non ita reiectos fuiſſe, quin in gratiam poſsint recipi, modo agerent pœnitentiam. Stultum enim fuiſſet orare pro eis, quibus certa decreta eſſet damnatio. Apertè igitur Paulus teſtatur, ſe non iudicaſſe, Iudæos decreto Dei fuiſſe ita abiectos, quin aditus pateret ad gratiam, ſi reſipiſcerent. Quare hæc deprecatio Pauli Stoicam prædeſtinationem euertit.

Teſtor enim illis, quod zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.

Hæc ratio non eius orationis eſt quæ præcedit, ſed obiectionis quæ in hac cauſſa locum habere videtur. Poterant enim ita obiicere ſiue Iudæi ipſi, ſiue alij eorum vicem dolentes: Iudaicus populus magno zelo glorię Dei ardet, magno ſtudio pietatis facit quod facit. Non igitur veriſimile eſt eum à Deo reiectum eſſe. At Apoſtolus reſpondet per conceſsionem & correctionem. Fateor, inquit, quod zelum Dei habeant mei contribules, ſed non ſecundum ſcientiam. Quare ipſis nihil prodeſt iſte zelus. Singulari quidem zelo operá dant propagandæ gloriæ Dei. Sed regula zeli iſtius erronea eſt. Continet igitur hic locus inſignem doctrinam, qua docemur, erroneum zelum & intentionem bonam extra verbum inutilem, immo pernicioſam eſſe. Quicunq; autem aliquid facit bono zelo & intẽtione, ſed errante, quadrupliciter peccat. PRIMVM enim defectione delinquit. Nam à verbo Dei deficiens, ſuum admiratur zelum. DEINDE temeritatis reus peragitur, quia temere id tentat & ſtulte, de quo nullum præceptum habet. TERTIO, peccat ſuperbia, Nam opinione ſapientiæ ſuæ ſuperbè deligit ſibi cultus in contumeliam Dei. QVARTO, plurimis alijs exemplo defectionis, temeritatis & ſuperbiæ nocet. Hinc facile eſt iudicare de illis, qui ſuas bonas intentiones pro cultu obtrudunt Eccleſiæ. CÆTERVM notatur hîc duplex zelus Dei quorum VNVS eſt ſecundũ ſcientiam, ALTER præter ſcientiã. Ille regulam certam & infallibilem ſequitur, Hic errorẽ pro veritate amplectitur, in ſuã ipſius perniciem. Admoneamur ergo hinc diligentiæ in cognoſcenda veritate, ne cum Iudæis erroneo zelo feramur contra Deũ.

Ignorantes enim Dei iuſticiam, & propriam quærentes ſtatuere, iuſticiæ Dei non fuerunt ſubiecti.

Ratio eſt erronei zeli Iudæorum, videlicet, ignorantia iuſticiæ Dei, & propriæ iuſticiæ ſtabilitio. Illa habet cauſſam antegreſſam ignorantiã Chriſti, hæc legis externa opera, ſeu legis literalem iuſticiam. Quænam ſit iuſticia Dei, in primo & in tertio declaratum eſt, videlicet ea ſola quæ probatur Deo, quæ eſt obœdientia Chriſti, cum crucis tum legis. Hæc ideo fidei dicitur, quia porrecta prædicatione Euangelij veluti manu Dei, apprehenditur fide veluti manu hominis, quam fidẽ Spiritus ſanctus ad prædicationem Euangelij operatur in cordibus hominum non reluctãtibus. Vt autem crucis obœdientia eſt peccati expiatio: ita obœdientia legis in Chriſto eſt credentis iuſticia, vt credens perſona iam placeat Deo, & accepta ſit. Legis iuſticia, quę & hominis dicitur, eſt, quę parari putatur ab homine per obœdientiam erga legem Dei. Verum quia hanc iuſticiam nemo operando aſſequi poteſt, grauis caſus illis omnibus accidit, qui per eã iuſtificari contendunt. Nam & Dei iuſticia excidunt, & grauius in peccatorum baratrũ immerguntur, vt nullis humanis viribus inde eluctari queant. Diligenter igitur obſeruetur conſecutio Apoſtolica: Quicunque propriam iuſticiam ſtatuunt, non ſunt ſubiecti iuſticiæ fidei. Hanc doctrinam pulcerrimo ſuijpſius paradigmate confirmat Apoſtolus ad Philip. 3. Hinc ergo qualiſnam ſit doctrina Phariſaica & Papiſtica apparet, qui Chriſtianam iuſticiam ex fide & operibus, tanquam ex cauſsis ſeu partibus eſſentialibus conſtare contendunt, quam copulam in iuſtificando impoſsibilem eſſe hîc clare pronunciat Apoſtolus. Etſi autem obœdientia debita Deo, neceſſario cum fide coniuncta eſt: tamen vt cauſſa iuſticiæ non eſt ſtatuenda. Nam obœdientia Chriſti ſola eſt iuſticia credẽtis, cuius pars hominis iuſticia nullo modo dici poteſt. PORRO hîc quęſtio oritur de ignorantia, vtrum excuſet nec ne. Paulus aperte hoc loco teſtatur, eã minime excuſare. Nam aberrantes à vera iuſticia, per ignorantiam puniri affirmat. Diſtinctiones ignorantiæ, quas cum Theologi, tum Iuriſconſulti tradunt omitto, & hoc tantum de ignorantia ſcire hoc loco neceſſarium eſt, quod tradit Auguſtinus hiſce verbis: In ijs qui intelligere noluerunt, ipſa ignorantia peccatũ eſt, in ijs vero qui non potuerunt, pœna peccati: ita ignorantia noſtri & Dei, antequam verbũ audiuimus, pœna peccati fuit, iuſto Dei iudicio damnabilis. At poſtquã acceſsit verbum, non ſolum pœna eſt peccati ignorantia, verumetiam grauiſsimum peccatum. Nam, vt inquit Bernardus, qui neſciunt vel ſciendi incuria, vel diſcendi deſidia, vel verecundia inquirendi, nullam excuſationem habent.

Finis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Finis enim legis eſt Chriſtus, in iuſticiam omni credenti.

Ætiologia eſt, cum à fine & ſcopo legis, tum à CHRISTI officio ſumta. Hanc Ætiologiam ita inſtituit, vt ſimul anticipet eorum obiectionem, qui ex verbis Apoſtoli, & conſilio latæ legis poterant obijcere, fruſtra toties in ſcripturis commendari iuſticiā legis, ſi nemo eā ſuis viribus aſſequi valeat. PRIMVM itaq; Paulus clare affirmat finem, hoc eſt, extremam voluntatem, adeoq; legis ſcopum eſſe iuſticiā, videlicet vt eos iuſtificet, qui eam obſeruant, quo autem minus id aſſequatur lex, non impedit, aut vlla eius impotentia, aut imperfectio, ſed noſtræ carnis vicium, quo impedimur, vt non poſsimus hunc legis finem noſtris aſſequi viribus. Quare lex nos relinquit ſub maledictione & morte. Non enim aliā ſalutis viam nouit lex, quam per ſui impletionem, quæ eſt iuſticia, adeoq; finis & ſcopus legis. Iam vt ab hac maledictione, & legis damnatoria ſententia liberaremur, venit Chriſtus, & legi ſatisfecit, non pro ſe, ſed pro nobis, atq; ita noſtro defectui medetur. Nam eius iuſticia nobis gratis imputata, finem legis conſequimur. Nam cum ipſe Chriſtus pro nobis peccatoribus apud Patrem intercedit, virtute victimæ expiat peccatum, & expiatos ſua donat iuſticia, vt nō amplius peccatores & iniuſti appareant, ſed à peccato immunes & iuſti, non ſua, ſed Chriſti iuſticia. Qui Chriſtus, quoniam pro nobis legem impleuit, factus eſt nobis iuſticia, quæ eſt finis legis. Quare lex non habet amplius ius in nos damnatorium. Eſt enim aſſecuta quod voluit. Quomodo autem huius Chriſti iuſticiæ reddamur participes, vt finem legis conſequamur, exprimit Paulus, cū inquit: Omni credenti, in quo dicto & vniuerſalis particula, & fidei proprietas obſeruetur. Vt enim omnibus offertur hæc Chriſti iuſticia: ita ſola fide accipitur & poſsidetur. OBSERVETVR itaq; hoc loco definitio iuſticiæ fidei, cuius quidem materia eſt impletio legis, non in nobis, ſed pro nobis à Chriſto facta, Forma verò eſt imputatio eiuſdem, quæ fit omni credenti. Nam omnis qui credit, habet iuſticiā legis per imputationem, qua Chriſtus credenti ſuam iuſticiam imputat & communicat.

Moſes enim deſcribit iuſticiam, quæ eſt ex lege: Quod qui fecerit ea homo, viuet in eis.

Vt conſtet apertius quæ ſit fidei iuſticia, collationem adhibet, qua confert legis & fidei iuſticiam inter ſe: idq́ue in cauſsis contrarijs, & ſubiectis diuerſis. Legis enim iuſticiam ex operibus eſſe: Fidei verò gratuitam pronunciat. Illam in homine faciente legem: hanc in ſolo Chriſto eſſe, ſed imputari credentibus. Hæc ſumma collationis eſt. PORRO cum hoc primum collationis membrum definiat, iuſticiam legis eſſe facere legem (Nam ex lege iuſtum eſſe, & in lege viuere, natura coniuncta ſunt) & conſtet neminem legem facere, quemadmodum diſputatum copioſius eſt, ſupra in capite 1. 2. & 3. Sequitur ex lege neminem iuſtificari poſſe. Lex enim non iuſtificat quenquam, niſi qui plenam obœdientiam præſtiterit. Obſeruetur ergo hoc loco definitio iuſticię legalis, & quod ea ſit impoſsibilis, quantum ad humanas vires attinet.

Quæ autem ex fide eſt iuſticia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cœlum? hoc eſt Chriſtum deducere, aut, quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt Chriſtum ex mortuis reducere.

Hæc prior pars deſcriptionis iuſticiæ fidei per abnegationem eſt. Nam his verbis docet Apoſtolus, quid non ſit iuſticia fidei, ac ſi quis definiret iuſticiam moralē eſſe habitum non lædendi alios, non aliena rapiendi &c. Ad eundem modum iuſticia fidei eſt, quæ non dubitat, an Chriſtus venerit nec ne, ſeu deſcenderit de cœlo, & aſſumſerit humanam naturam, non quærit, an Chriſtus excitatus ſit ex mortuis. Senſus itaq; verborū Pauli hic eſt: Quis aſcendet in cœlum, videlicet vt Chriſtum deducat? hoc eſt, fides, qua iuſtificatur homo non dubitat de Chriſti in mundum aduentu, non expectat adhuc cum incredulis Iudæis Chriſtum venturum de cœlo, vt carnem induat. Quis deſcendet in abyſſum, ſcilicet vt Chriſtum inde deducat? hoc eſt, fidelis anima non dubitat, an Chriſtus ſit mortuus, & tertia die reſurrexerit à morte. Hæc Apoſtolus opponit cogitationibus Iudæorum incredulorum, qui dum iuſticiam ex lege quærunt, varijs concutiuntur cogitationibus. Nam cum lex promittit cœlū ſub conditione impoſsibili, & minatur infernum tranſgreſſoribus, fieri non poteſt quin vacillent, & varijs fluctuent cogitationibus, vt nunc inferni metu perturbentur, nunc cœli perexigua ſpe fulciantur. Contra autem fides, quæ verè ſtatuit Chriſtum de cœlo veniſſe, & pœnas luiſſe non ſibi, ſed nobis debitas, nullo inferni metu tenetur. Nam in Chriſto ſalutem, adeoq́ue cœlum ipſum poſsidet.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sed quid dicit? Prope te verbum eſt, in ore tuo & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.

Quemadmodum ſupra negatiue inquiſiuit fidei rationem, vt eam diſtingueret à dubitatione: ita hic idem facit affirmatiue, & definit fidem veram eſſe, quæ ſtatuit verbum Euangelij quod prędicatur de Chriſto, verum eſſe & nõ procul poſitum, hoc eſt, minime dubium ſeu ambiguum, ſicuti ea ſolẽt eſſe, quæ de rebus procul remotis narrantur. Hinc patet quod fides ſit firma aſſenſio Euangelij, & fiducia in Chriſtũ, quem Euangelium prædicat, quemadmodũ Paulus apertius indicat, hæc ſubiungens:

Si confeſſus fueris ore tuo Dominum IESVM, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitarit ex mortuis, ſaluus eris.

Exponit quodnam ſit illud verbũ fidei, quod prope eſſe dixit, videlicet: Si confeſſus fueris &c. hoc eſt: Si ex corde agnoueris IESVM eſſe tuum Dominum, & promiſſum Meſſiam, & credideris eundem à Iudæis crucis patibulo affixũ, mortuum & ſepultum, reſuſcitatum eſſe ex mortuis, ſaluus eris, proinde & iuſtus. Nemo enim ſalutẽ adipiſcitur, niſi qui prius iuſtus fuerit. Obſerua hîc duo tribui fidei, nempe iuſticiam & ſalutẽ, contra eos, qui fidei initium iuſticiæ tribuunt, operibus vero conſummationem iuſticiæ. PRÆTEREA obſeruetur phraſis Paulina: Si credideris in corde tuo, quæ duo docet, VNVM, quod fides non ſit tantum noticia, ſed etiã fiducia. Nam vt noticia eſt in mente, ita fiducia in corde. Quare ex hoc loco confirmemur, quod fides non tantum ſignificet noticiam hiſtoriæ, ſed etiam firmam fiduciam, qua credens in Chriſti merita recumbit. ALTERVM, quod promiſſa ſalus habeat cõditionem fidei annexam, Si, inquit credideris. Proinde, quiſquis non crediderit, non ſaluabitur. Conueniunt quidem in hoc Lex & Euangelium, quod vtraque doctrina habeat conditionem annexam, ſed in modo conditionis maximum eſt diſcrimen. LEX enim habet conditionem impletæ legis, quæ eſt omnino impoſsibilis, ſi nos ipſos intueamûr. EVANGELIVM vero habet conditionem fidei, quæ poſsibilis eſt. Concipitur autem fides ad prædicationem Euangelij, in qua Spiritus ſanctus efficax eſt. CÆTERVM, quod priori loco ponat confeſsionẽ oris, & poſteriori fiduciam cordis, ideo facit, quia arbor non poteſt melius probari, quam ex ſuis fructibus. Nam tempore quo ſcripſit hanc Epiſtolam Paulus, non ſine maximis perſecutionibus, contumelijs & ſupplicijs potuit quiſquam Chriſti fidem profiteri. Quare fidei certiſsimum indicium tum temporis fuit externa profeſsio.

Corde enim creditur ad iuſticiam, ore autem fit confeſsio ad ſalutem.

Definitionis iuſticiæ, quæ eſt ex fide, ratio à decreto Dei ſumta. Eſt enim hoc decretum Dei & ordinaria diſpenſatio, quod velit eos, quos fide iuſtificauit, per confeſsionẽ & piam vitã inducere in æternæ vitæ poſſeſsionem. Neq; ex hoc Pauli dicto rectè concluditur, confeſsionem ſalutis cauſſam eſſe, ſed potius veram & infallibilem iuſtificantis fidei notam. Fieri enim non poteſt, quin fides vera comitem habeat confeſsionem. Quare qui gloriantur de fide ſine confeſsione, alijsq; pietatis exercitijs, vmbram inanem ſectantur, viua Chriſti fiducia vacui.

Dicit enim ſcriptura: Omnis qui credit in eum, non pudefiet.

Confirmat quod dixit Eſaiæ teſtimonio, quod teſtimonium duo continet, PRIMVM, finem fidei eſſe ſalutem. Ita enim malo cum Petro dicere, quam dicere ſalutem vel affectum vel fructum fidei eſſe. DEINDE iuſticiam fidei eſſe vniuerſalem, hoc eſt, omnibus offerri qui in Chriſtum credere non recuſarint. Obſerua & hîc propheticam phraſin, qua non pudefieri pro ſaluari ponitur. Eſt enim metonymia ſeu metalepſis, qua conſequens pro antecedenti ponitur. Vt enim qui aliquid expectat, & non conſequitur, pudefit: ita qui cõſequitur quod expectauit, nequaquã pudefit, ſed lætus expectato fruitur bono. Hoc opponi debet & carnali noſtræ diffidentiæ, & fidei imbecillitati. Fieri enim nõ poteſt, vt ſua ſpe fruſtretur, qui Deo promittenti credit. Promiſit autem omni credenti ſalutem, certiſsime igitur illam præſtabit, etiamſi omnes creaturæ, atque omnia mala aliud comminari videantur.

Non eſt enim diſtinctio Iudæique & Græci. Idem enim Dominus omnium,

Ad confirmandam declarandamq; vniuerſalem gratiæ promiſsionem, &

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

diues in omnes qui inuocant eum. Nam omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

diſtinctionem tollit & argumentum à DEI potentia, veritate & bonitate ſumtum: qui omnes ſe inuocantes ſaluare conſtituit, adhibet. Diſtinctio tollitur cum inquit: Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, quaſi diceret. Deus non eſt προσωπολήπτης, ſed eſt omnibus æqualis, ſecundum normam ſuæ iuſticiæ. Non recipit Iudæum, quia Iudæus eſt, nec abijcit Græcum, hoc eſt, quemuis gentilem, (per Græcos enim omnes, qui nō ſunt Iudæi, intelligit) quia gentilis eſt, ſed æqualis eſt Iudæo & Græco. At quare eſt æqualis omnibus? Quia ille ipſe eſt vnus & idem omniū Dominus, atq; ideo in populo ſuo reputat quemuis, qui ſibi parere non recuſauerit, reliquos iuſto olim affecturus ſupplicio. HÆC ſi conferantur cum ijs quæ in fine tertij capitis dicta ſunt (ibi enim Apoſtolus ita ait: Deus non eſt Iudæorum Deus tantū, ſed & gentium) facile intelligetur ſcopus præſentis diſputationis, quem hæc pericopa continet, ad quem cum omnia referri neceſſe eſt, nemo non videt Stoicis imaginationibus nullum relinqui locum, immo potius hanc cōſtantem & immotam veritatem Dei eſſe, quæ hîc proponitur & confirmatur Iohelis teſtimonio, videlicet quod omnis abſq; diſcrimine nationis & perſonarum, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus ſit futurus. Porrò in Iohelis dicto hæc quatuor obſeruentur, PRIMVM, particula vniuerſalis, quæ non patitur vllas ſtoicas exceptiones. DEINDE, vera nota fidei, atq; adeo filiorum Dei, quæ eſt inuocatio. TERTIO, finis fidei & inuocationis, videlicet vita & ſalus æterna. QVARTO, contrarius ſenſus, videlicet, quod quiſquis non inuocauerit nomen Domini, nec ſaluetur nec fidem habeat.

Quomodo igitur inuocabunt in quem non crediderunt? Quomodo autem credent quem non audiuerunt? Quomodo audient abſque prædicante? Quomodo autem prædicabunt niſi miſsi fuerint?

Prolepſis admodum hoc loco neceſſaria, qua anteuertit hominum curioſitatem, quam vt contundat Apoſtolus primum gradatione, quæ videtur pro aduerſarijs facere, vtitur, Sed mox infert calumniæ refutationem. Gradatio autem hæc eſt: Tu Paule dicis quidem nullam diſtinctionem eſſe, ſed omnē qui inuocauerit nomen Domini, ſaluum fore. Sed vide: Nonne inuocatio ex fide? ita eſt. Nonne fides ex noticia? omnino. Nonne notica contingit per prædicationē? ſic ſane eſt. Nonne prædicatio requirit qui mittantur? fateor hoc quoq;. Ergo qui non audiuerunt, iuſte ignorantiā prætendere poſſunt. adeoq; iuſte poſſunt cōqueri maiorem curam aliorum fuiſſe Deo. Videtur itaq; magna eſſe diſtinctio, cum Deus alijs mittat prædicatores, alijs non item. Sed Pauli reſponſum videbimus, vbi prius præſentis gradationis propoſitiones declarauerimus, quæ ſunt quatuor. PRIMA, Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? HÆC propoſitio quatuor ſuppeditat hypotheſes. PRIMAM, Quod ſolus is ſit inuocandus in quem eſt credendum. quare vt ſolius Dei inuocatio hîc ſtabilitur, in quem ſolum credere licet: ita omnis creaturarū inuocatio, vt ſacrilega & blaſphema in Deū, conuincitur. SECVNDAM, Quod vera inuocatio fieri non poſsit ſine fide. ex qua ſequitur, quod nec Iudęi, nec Turcę, nec aliæ gentes & profani homines qui Euangelium ignorāt, Deum inuocant. Nam vt fide, ita & Mediatore carent. TERTIAM, quod inter precandum cogitatio diuinarum promiſsionum requiratur neceſſario. Nam fides ſine promiſsionibus eſſe non poteſt. Habent enim fides & promiſsio ſe correlatiue. QVARTAM, quod inuocatio niti debeat mādato Dei. Fides enim nihil aggreditur de quo mandatū non habet. hoc enim impellitur, vt promiſsione erigatur, SECVNDA propoſitio eſt: Quomodo credent quem non audiuerunt? HÆC propoſitio quatuor docet. PRIMVM, quod fides ſupra humanam rationem emineat. Nam ſi fides concipitur ex prędicatione, manifeſtum eſt, quod ratio per ſe, quæ fidei ſunt, non capiat. ALTERVM, quod vox miniſtrorum verbi ſit ipſiſsima Dei vox, modo ipſi à Prophetica & Apoſtolica doctrina non diſcedant. Qui vos (inquit Chriſtus) audit, me audit. TERTIVM, quod auditores verbi eos, qui verbum Dei docent, debeant ea reuerentia audire, qua legatos Dei, immo ipſum Deum audire decet, 2. Corinth. 5. QVARTVM, quod miniſtri verbi, qui falſa docent, arguant Deum mendacij, & ferant teſtimonium aduerſus Deum, id quod ipſis in horrendū interitum cedet. TERTIA propoſitio, Quomodo audient ſine prædicante? HÆC propoſitio vt docet ſalutarem Dei noticiam eſſe ex prædicatione verbi: ita refutat Enthuſiaſtas, qui vocalem prædicationem reijciunt, iactantes ſe numine afflatos, & expectant reuelationes, vt Stenchfeldius, Anabaptiſtæ, & illi qui Socratem, Platonem, Scipionem, Ariſtidem ignorantes Euangelium Chri-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ꝛm Chriſti, inter ſanctos numerant, repudiata voce Chriſti, dicentis: Qui non credit in filium, ira Dei manet ſuper eum: QVARTA propoſitio, quomodo prædicabunt niſi mittantur? HÆC propoſitio rurſus commendat nobis miniſterium verbi; & inuitat ad gratitudinem erga eum, qui dat Eccleſiæ pios & doctos verbi miniſtros.

Quemadmodum ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.

Probat propoſitionem quartam Eſaiæ teſtimonio. Etſi autem Apoſtolus eò adducit hoc dictum Prophetæ, miſsionem ad prædicandum eſſe neceſſariam: tamen multo plura continet, quæ breuiter attingam. PRIMVM enim admiratur Propheta legatos Dei, quorum pedes ſpecioſos dicit, hoc eſt, amabiles, propterea quod ſua legatione exponant, quam dulcis & amabilis ſit ſtorga & clemētia benigniſsimi patris erga eos, qui horum legatorum vocē amanter & benigne audiunt, atq; ipſi obœdiunt. Hinc rurſus æſtimāda eſt dignitas miniſterij verbi. Hinc Euangelij maieſtas, dignitas & vtilitas intelligitur. Annūciat enim dulciſsimam pacē, annunciat & alia bona cum hac pace coniuncta. Sed quænam illa pax eſt quam annunciat Euangelium? Eſt pax inter Deum & homines. Deus enim offert hominibus ſuā gratiam, quam cum fide amplectuntur, initur hæc pax. Eſt ergo hæc pax mutuus conſenſus Dei & hominis. Dei quidem recipientis hominem reſipiſcentem in gratiā propter Mediatorem. Hominis vero oblatā gratiam recipientis, ac ſe Deo in poſterum approbantis in vera ſanctificatione. Cum hac pace coniuncta ſunt bona, atq; ideo addit Propheta: Euangelizantium bona, hoc eſt, omnia proſpera: purgationem à peccatis, iuſtificationem, ſanctificationem, bonam conſcientiā, aditum ad clementiſsimum patrem, gaudium ſpiritus, plenam liberationem per reſurrectionem à mortuis, adeoq; vitam æternam victis & ſuperatis omnibus aduerſarijs noſtris, carne, mundo, Sathana & nouiſsima hoſtium morte. Quanta autem ſint hæc bona, ex comparatione malorū, quibus inuoluimur propter peccatū, vtcunq; intelligi quidem, ſed nullis verbis humanis explicari ſatis poteſt. Hactenus de verbis quæ Paulus ex Propheta adduxit, ſed in concione Prophetæ duo adijciuntur. PRIMVM enim inquit, Publicantium ſalutem, ſalutis nomine cum pax tum cætera bona intelliguntur. DEINDE ſubiungitur concionis forma. Dicite, inquit, Sioni, regnat Deus, quæ ſententia duo continet, VNVM, quid ſit præcipue ſpectādum in prædicatione Euangelij, nempe vt erigatur regnum Chriſti, quod tum demum fit, quando renunciato Sathana, nomina Chriſto damus, atque ei ex fide obtemperamus. ALTERVM, quam miſeri ſimus extra Chriſti regnum, Qui enim regno Chriſti excluſus eſt, ſub regno & tyrannide Sathanæ captiuus iacet. Hinc admonemur, vt magnifaciamus miniſterium verbi, ſine quo extreme miſeri ſumus.

Sed non omnes obtemperarunt Euangelio.

Anticipatio eſt per querelam. Nam cum ex dictis Iudæi inferre poterant: Si fides nullibi eſt niſi vbi eſt verbum, videtur fides eſſe vbicunque verbum ſonat. Sed populus Iudaicus verbum habet. Quare ergo non fidem habet? Apoſtolus reſpondet breuiſsime: Quia non omnes qui verbum audiunt, verbo credunt.

Eſaias enim dicit: Domine, quis credit auditui noſtro?

Querela Prophetæ probat non omnes qui audiunt Euangelium, Euangelio credere. Hæc querimonia eſt Prophetæ cupientis Chriſtum innoteſcere omnibus, & cōquerentis de ingratitudine plerorumque, qui Chriſti vocem contemnunt. Hinc monemur & nos qui Chriſtum docemus, vt ingemiſcamus, & conqueramur cum Propheta, ſi parum fructuoſus noſter labor videatur. Obſeruetur quoque quam appoſite hoc Prohetæ teſtimonium ſummæ cauſſæ conueniat. Nam apertiſsime ſignificat hanc vnam & ſolam cauſſam eſſe reiectionis Iudæorum, quod verbis Prophetarum non crediderint. Et contra, vnam & ſolam cauſſam eſſe ſalutis gratuitam in Chriſto miſericordiam, quæ omnibus credentibus applicatur. Vocabulum auditus accipitur dupliciter, videlicet actiue & paſsiue. Cum actiue capitur, facultas audiendi eſt: cum paſsiue, eſt verbum quod auditur. Et per metalepſin noticia, ex audito verbo concepta.

Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.

Gradationis concluſio, videlicet quod fides ſit ex noticia verbi Dei. Auditus hîc pro noticia eius quod auditur capitur, quæ noticia fit per prędicationem verbi, contra Enthuſiaſtarum deliria, qui nihil vocali concioni tribuunt.

Sed dico: Numquid non audiuerunt?

Rurſus anticipat obiectionem, ne quis ſe excuſet quaſi verbum non audierit, & oſtendit eorum culpam eſſe, qui non audiuerunt, & non culpam Dei, qui in orbem terrarum miſit ſuos legatos, vt verbum ſuum annunciarent, atque ideo ſubijcitur:

Quinimo in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis verba eorum.

Hæc obiectionis dilutio eſt, qua ignorātiæ prætextus adimitur Iudæis, & concluditur hoc modo: Vox prædicantium verbum per totum mundum inſonuit: Igitur Iudæi falſo prætendunt ignorantiam. Ignorantia ſiquidem affectata, ignorantem nequaquam excuſat. Teſtimonium ex Pſalmo 19. parum videtur in ſpeciem præſenti cauſſæ conuenire, Nam in eo Pſalmo loquitur Dauid de duplici modo gloriæ Dei, quorum VNVS fit per cœlos & miranda Dei opera, quæ in cœlis conſpiciuntur, ad quem modum pertinent hæc Dauidis verba: In omnem terram exiuit ſonus eorum, ſcilicet cœlorum, hoc eſt, miranda machina cœlorum vbique per orbem teſtatur de gloria Dei opificis. ALTER modus fit per verbum, de quo ita incipit: Lex Domini immaculata &c. Reſpondeo, Paulum rectè tribuere antitypo quæ typo conueniunt. Nam ſonus cœlorum typus fuit vocis Apoſtolorum ſoniturae per orbem terrarum. Sicuti viſibilis hic Sol typus eſt Chriſti, qui ſuæ virtutis radios ſpargit per orbē terrarum, idque multo potentius & efficacius quam hic Sol aſpectabilis. Quod autem Dauid reſpexerit ad hoc antitypon, oſtendunt ea quæ ſequuntur: Et in fines orbis verba eorum. Nam verba improprie tribuuntur rebus inanimatis.

Sed dico, nunquid non cognouit Iſraël?

Quoniā offendebantur Iudęi quod gentes per Euangelium vocarentur. Putabant enim Iudæi ad ſe ſolos pertinere Meſsiam cum ſuis beneficijs, ideo Prophetarum teſtimonia adducit Apoſtolus, vt oſtendat vtrumq; olim fuiſſe prædictū à ſanctis Dei Prophetis, hoc eſt, & gentes inuitandas eſſe ad gratiam Euangelij, & Iudæos plęroſquę ob ſuam ingratitudinem reijciendos.

Primus Moſes dicit: Ego ad æmulationem prouocabo vos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo vos.

Hoc eſt: Ero gentibus adeo clemens & miſericors, vt vos eis inuideatis. Prouocabo enim vos exemplo gentium. Nam cum gentes amplexæ fuerint Euangelium, vos zelo quodam gentibus hanc felicitatem inuidebitis, & ita offendemini, vt etiam Euangelium reijciatis, quo reiecto & vos peribitis. Notetur & hîc phraſis ſcripturæ, qua euentus tribuitur agenti propter aliud. Non enim conſilium Dei fuit, vt Iudæos prouocaret ad defectionem à miſericordia, quam gētibus eſſet exhibiturus, ſed quia talis euentus ſecutus eſt, qui habuit veram cauſſam, inuidiam & malitiam Iudæorum.

Eſaias autem audet & dicit: Inuentus ſum non quærentibus me, conſpicuus factus ſum his, qui me non interrogabant.

Eſaiæ teſtimonio probat gentes vocandas ad gratiam Euangelij, in quo teſtimonio tria notentur. PRIMVM, beneficium Euangelij vniuerſale eſſe. SECVNDVM, gratiam Euangelij non pendere ex prærogatiua hominum. TERTIVM, non operibus & meritis hominum Deum prouocari ad exhibendam gratiam. Non quærentes Deum & non interrogantes de Deo, periphraſis gentium eſt, quæ docet, qualesnam ſint homines antequam ipſos Dominus ſua miſericordia præueniat.

De Iſraël autem dicit: Quotidie expandi manus meas ad populum contumacem & contradicentem.

Eodem pertinet & hoc Eſaiæ dictum, quo vt ſtorgam Dei erga Iudæos notat: ita ſummam eorum ingratitudinem indicat. Expanſio manuum Dei ſymbolum eſt cum cumulantis beneficia in homines, tum allicientis eos ad ſe per prædicationem Euangelij ne pereant. Obſeruetur hîc rurſus vera cauſſa & vnica reie-

ctionis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ctionis Iudæorum nempe contumacia & ſuperba rebellio, qua Iudæi ſe Deo oppoſuerunt, & contradictio, qua Prophetis Dei, adeoq; Deo ipſi aduerſati ſunt. Quod autem Deus arcano conſilio non deſtinarit hunc populum certæ damnationi, manifeſtũ eſt. Nam dicitur Deus expandiſſe manus ſuas ad illum, vt eum alliceret ad Euangelij gratiá, quod ſane nequaquam feciſſet, ſi eum ad certum condidiſſet interitum. Opponamus igitur hoc perſpicuum dictum Stoicis de prædeſtinatione imaginationibus.

CAPVT XI.

Summa Capitis vndecimi.

Vt Iudæos non eſſe omnino reiectos, ſed ſaluari omnes qui ex illis crediderint, oſtendit: ita gentes & docet & monet: Docet quidem quod Iudæi ſint lapſi in ipſarum commodum, Monet vero ne gentes ſuperbè abutantur gratuito Dei beneficio in Iudæorum contemtum.

Ordo & partes Capitis vndecimi.

PRIMO *loco diluit Apoſtolus obiectionem, quæ naſci poterat ex fine capitis decimi, vbi adhibitis Eſaiæ teſtimonijs, gentes quidem aſſumtas, Iudæos verò reiectos concludit.* DEINDE, *vt retundat omniũ hominum arrogantiam, & præcipue Iudæorum, electionem docet eſſe gratuitam, atq; eos qui quærunt ex operibus iuſticiam magis, excæcari oſtendit.* POSTHÆC *ad gentes ſe conuertit, quas docet & grauiter monet, ne diuino beneficio abutantur.* POSTREMO *hanc totam diſputationem exclamatione claudit. Sunt proinde quatuor huius capitis partes.* PRIMA *eſt huius propoſitionis (Non omnes Iudæi ſunt reiecti) confirmatio.* SECVNDA *eſt comprobatio gratuitæ electionis.* TERTIA *eſt Apoſtrophe ad gentes, partim didactica, partim protreptica.* QVARTA *ephiphonema eſt, qua præſens clauditur diſputatio.*

EXEGESIS VNDECIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

DICO igitur: Num repulit Deus populum ſuum? Abſit.

Obiectio hæc naſcitur ex fine præcedentis capitis, vbi Propheticis teſtimonijs oſtendit Apoſtolus, gentes quidem receptas, Iudæos verò reiectos eſſe, vnde videtur ſequi: Deum ſuum peculiarem populum repuliſſe, atq; adeo ſuam promiſsioné irritam feciſſe. Verum Paulus, vt in principio noni, ſoluit obiectionem diſtinctione, Sed PRIMVM auerſantis particula reijcit quod obijcitur. DEINDE oſtendit ſe vniuerſaliter non locutum eſſe de omnibus Iudæis, ſed tantum de ijs, qui rebelles eſſe perſeuerant.

Etenim ego Iſraëlita ſum ex ſemine Abrahæ, tribu Beniamin.

Ratio inficiationis à ſuo exemplo petita, quæ concluditur hoc modo: Ego Paulus non ſum reiectus. Ego Paulus ſum Iſraelita. Igitur, Iſraelitæ non ſunt reiecti. SOLA minor ponitur, Maior autem & concluſio ex propoſitione refutanda & ratione poſita colliguntur. Obſerua Apoſtolum iuxta artificum præceptum particulare axioma verum opponere vniuerſali refutando. Neq; eſt vlla potentior ratio refellendi vniuerſalia dicta, quam per eiuſdem generis particularia pugnantia, cum eorum veritas demonſtratur. HIC locus cum Papiſtico pugnat dogmate, qui dicunt, præſumtionem eſſe, ſi quis certo ſe in gratia eſſe ſtatuat. Quare exemplo Pauli vnuſquiſq; ſuam certificet conſcientiam, viua in Chriſtum fiducia, ac debita obœdientia,

Non reiecit Deus populum ſuum quem præſciuit.

Reſpõſionis aſſeueratio per diſtinctionem. Non repulit Deus populũ ſuũ quem præcognouit. Præcognouit autem in Chriſtũ credituros ſaluandos, & contumaces hoſtes Chriſti ob ſuam ipſorum

 culpam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

culpam abijciendos decreuit. Huc pertinet illa diſtinctio, quã ſupra in 9. Apoſtolus tradidit, videlicet quod ſemen Abrahæ diſtinguatur in filios carnis, & in filios promiſsionis, illi quidem non reputantur in ſemen, hi autem ſunt ſemen coram Deo: non quidẽ propter vllam carnis prerogatiuam, ſed propter imitationem fidei: vnde eſt quod non minus gentes, quam Iudæi credentes, Æbrahæ ſemen dici poſsint.

An neſcitis in Helia quid dicat ſcriptura? Quod intercedit apud Deum pro Iſraël dicens: Domine, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua ſubuerterunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Quid dicit ei oraculum? Reliqui mihi ſeptem millia, qui non curuarunt genua Baal. Sic igitur & hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ factæ ſunt.

Diſtinctionem probat Apoſtolus ſcripturæ teſtimonio, & collatione temporis Heliæ cum tempore ſuo. Diſtinguit autem populũ Iudaicum in duos ordines. in quorum VNO fuerunt plurimi, & qui in ſpeciem apparebant præcipui in regno Iſraelitico, quorum tamen ſtudium præcipuum fuit Prophetas Dei perſequi & occidere, adeoq; pietatis prætextu, religionem veram & verbum Dei quod ſonabat Helias, funditus euertere. In ALTERO erant pauci obſcuri & contemti, qui publicè non profitebantur, vnde & Helias conqueritur ſe ſolum relictũ eſſe, Hi tamen non curuarunt genu imagini Baal ad imperium impiæ fœminæ Ieſabelis, hoc eſt, fuerunt vnius Dei veri cultores. Hi ſecundum electionem, qua Deus gratuito ſaluat credentes, ſaluati ſunt. Etſi erant illi, ſi reliquam multitudinem ſpectes, admodũ pauci: Ad eundem modum nunc fit, plurimi adeoq; præcipua pars impij ſunt, & ſua pereunt culpa. Contra paucisſimi, qui reſpectu turbæ vix reputantur nimia quædam portio tanti cœtus, in verbo promiſsionis gratuitæ acquieſcunt & ſaluantur. PORRO querela Prophetæ, ſe ſolum relictum eſſe conquerentis, clare oſtendit, qualiſnam fuerit in media ætate mundi facies Eccleſiæ. Satis enim oſtenditur, quod tũ tẽporis Eccleſia Dei cũ tyrannide potentum, tum ſuperſtitione idololatrarum fuerit oppreſſa, adeo vt nullus ferè fuerit qui publice veram religionem profiteretur. Hæc res & nos, qui in extremam fere Eccleſiæ ſenectam incidimus, conſoletur aduerſus ſcandalum paucitatis & crucis, & ex reſponſo Domini, qui teſtatur ſeptem millia relicta eſſe, qui nõ curuarunt genua Baal, ſciamus multo plures eſſe veros Dei cultores, quã externe apparet in ijs locis, vbi tyranni & hypocritæ veram doctrinam perſequũtur. Baal proprie ſignificat eum, in cuius poteſtate aliquis eſt, vt mancipium in poteſtate Domini, vxor in poteſtate mariti, diſcipulus in poteſtate magiſtri, res poſſeſſa in poteſtate poſſeſſoris. Hinc transfertur ad idolum, cui ſcilicet idololatrę ſeſe totos mancipant, ex quod manifeſtũ eſt, quod quicunq; beatã virginem aduocatã & dominam aut alios ſanctos vt patronos implorant, ſin idololatrę: & quod nemo coram idolis & imaginibus eorum ſe incuruare poſsit, ſine ſacrilega idololatria.

At ſi ex gratia, non amplius ex operibus, alioquin gratia non amplius gratia. Si autem ex operibus, non amplius ex gratia. Alioquin opus non amplius eſt opus.

Anticipat Iudæorũ obiectionem, & eorum arrogantiam retundit, qui electionem pendere ex operibus, falſo opinati ſunt: quem errorem per collationem contrariorum effectuum, operum & gratiæ refellit. Ponuntur autem hîc duæ propoſitiones loco duorum ſyllogiſmorum, quorum PRIOR à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis concluditur hoc modo: Si gratuita eſt electio, non pendet ex operibus. At electio, adeoq; ſalus ipſa eſt gratuita. Ergo, Nequaquam ex operibus pendet. PROPOSITIONI probationem ſubiungit. Alioquin inquit, gratia non eſt gratia. Nam quod ex gratia datur, merum donum eſt, Contra quod operibus rependitur, debitum eſt omnino. Cum itaq; debitum & donum ita repugnãt, vt neutrum de altero recte dici poſsit, fieri nequaquam poteſt, vt idem ſit donum & debitum. Hoc argumentũ ad Romanos 4. hiſce effertur verbis: Operanti merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecũdum debitum. At non operanti, credenti vero in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides eius in iuſticiam. Quod igitur redditur operanti, merces eſt, & quod ex gratia tribuitur, merum eſt donum. POSTERIOR ſyllogiſmus à deſtructione antecedentis concluditur hoc modo: Si ex operibus eſt electio, iam non ex gratia. Sed electio non eſt ex operibus. Igitur,

Eſt

Eſt ex gratia. PROPOSITIO probatur hoc modo, Alioquin opus non eſt opus. Vt enim præmium operis eſt, ita donum gratiæ. Hîc locum habet regula illa Dialecticorum: Quorum ſubiecta ſunt contraria, illa quoq; ſunt contraria. Cum igitur gratia & opus ſunt contraria, erunt etiam donum & meritum contraria. Quare rectiſsime de gratia Auguſtinus loquitur, cum ait: Gratia eſt nullo modo quę non eſt gratuita omni modo. Et Ambroſius, Ingratus eſt miſericordiæ Dei, qui vult eſſe ſub lege. Obſeruetur hoc loco refutatio erroris Papiſtarum, qui iuſticiam, qua iuſtificamur coram Deo & ſaluamur, componunt ex fide & operibus ſimul. Nam cum fides ex ſola gratia dependet, non eſt quod quis ei meritum operum, tanquam συναίτιον adiungat.

Quid igitur quod quærit Iſraël hoc non eſt conſecutus, ſed electio eſt conſecuta, reliqui autem excæcati ſunt?

Concludit reſponſionem ad quæſtionem propoſitam, cuius concluſionis hic ſenſus eſt: Iſrael quærit iuſticiam & ſalutem, ſed præpoſterè, nempe per ſua merita & opera, Ideo iuſticiam & ſalutem non eſt conſecutus, ſed electio, hoc eſt, electi, nimirum qui ex gratia per fidem quęrunt ſalutem, hi ſalutem conſecuti ſunt, reliqui autem propriæ iuſticiæ opinione ſunt excæcati. Electi autem dicuntur, quicunq; fidem promiſsionis habent. Nam Deus ante conditum mundum ſtatuit in filio ſaluos facere credentes citra omnem perſonarum acceptionem. Hoc decretum diuulgatum eſt orbi terrarũ voce Apoſtolorũ, idq; ex mandato filij ita Dei ſuis diſcipulis mandantis: Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.

Quemadmodum ſcriptum eſt: Dedit eis Deus ſpiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vſq; in præſentem diem.

Hoc Eſaiæ teſtimonio comprobat Apoſtolus alterum cõcluſionis membrum de reiectione contumacium Iudæorum. Verum ne hoc teſtimonium ſinamus torqueri in alienum ſenſum, tria nobis obſeruanda ſunt. PRIMVM, in quem finem adducatur ab Apoſtolo hoc Eſaiæ teſtimonium. DEINDE, Quid agat Propheta in eo loco, vnde hoc teſtimonium deſumtum eſt. PRÆTERE A phraſis eſt cognoſcenda. Adducitur autem hoc teſtimonium, vt eo oſtendat Apoſtolus, pleroſq; Iudæorum contumaces eſſe, ac ſpreta fidei iuſticia, ſectari iuſticiam operum, à qua tamen procul abſunt. Hoc Apoſtolum velle & nihil aliud, ſatis diſputationis ſeries oſtendit. Huc etiam congruit Prophetæ conſilium, qui in eo loco pœnas impietatis gentis Iudaicæ deſcribit. Hæc enim gens, quia noluit Prophetas Dei audire, vt cõuerteretur ad Dominum, deſertione diuini auxilij punitur, ex quo fit, vt magis magisq; ad verbum Domini obdureſcat. Cum hac etiam interpretatione cõuenit & phraſis linguę, qua dare, non aufferre, ſed iuſto Dei iudicio permittere accipitur, idq; propter contumaciam antegreſſam. SPIRITVS compunctionis eſt ſpiritus pungens & mordens, eo quod exacerbatus ſit voce Prophetarũ, ac odio doctrinæ. Significatur ergo hac locutione, quod pleriq; Iudæorũ extremè contemſerint verbum Dei, cuius contemtus iuſtiſsima pœna eſt cæcitas animorum, quæ ſymbolo oculorum non videntium, & aurium non audientium ſignificatur. HOC ergo Prophetæ dictum admoneat nos timoris Dei & reuerentiæ erga verbum, ne & nos ob contumaciá noſtram ſimiliter puniamur. Exempla huius rei horrenda in Mahometiſtis & Papiſtis videro licet, vt interim taceã de multis qui Papatui renunciarunt, ſed interim totos ſe carni tanquam mancipia tradiderunt: vnde factum eſt, quod Euãgeliũ Dei apud externos male audiat, ac ſi omni turpitudini et tyrañidi habenas laxaret.

Et Dauid dicit: Fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionẽ illis. obſcurentur oculi eorum, vt non videant, & dorſum eorum ſemper incurua.

Dauidis quoq; teſtimonio eãdem concluſionem comprobat, & oſtendit contemtum verbi Dei in populo Iudaico cæcitate puniri, & prorſus idem ſenſus eſt huius Dauidis dicti, qui eſt teſtimonij Eſaiæ, ſed tantum obſcuritas eſt in phraſi, quam ita explico, Menſa eorũ fiat in laqueum, hoc eſt, miniſterium verbi per malas & erroneas opiniones corrumpatur, hoc eſt, quod ad Theſſalonicenſes ſcribitur, de ſpiritu erroris, quo Apoſtolos prædicit donandos, qui veritati nolunt obedire. Nam per laqueum corrupta doctrina intelligitur. Nam ea animę hominũ non ſecus capiuntur, quam aues laqueis aucupum. Idẽ ſignificatur captionis & ſcandali vocabulis, metaphora ſumta à feris, quæ decipulis capiuntur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

piuntur. Cauſſam expreſſe addit, cum inquit: In retributionem ipſis, hoc eſt, vt ipſis eo pacto reddatur commerita pœna. Huc dorſi incuruatio pertinet, quæ ſignificat contumaces deprimendos oneribus malæ cõſcientiæ, ne ſurſum aſpiciant, metaphora ſumta à geſtantibus onera, qui dum incuruantur, ſub pondere ſurſum aſpicere nequeunt. Hinc itaq; concluditur, quod excæcatio & obduratio ſit contemti verbi iuſtiſsima pœna, vnde monemur timoris Dei & reuerentiæ erga miniſterium, ne nos contumaces effecti ſimili aliquando puniamur pœna.

Dico igitur, Num impegerunt vt caderent? Abſit.

Repetitio quæſtionis eſt, ad quam negatiue reſpondet, vt ſupra. Repetit autem quæſtionem, vt eam nouo argumento corroboret.

Sed eorum lapſu ſalus contigit gentibus, vt ipſi ad æmulationem prouocentur.

Ratio inficiationis. Sic abijciuntur Iudæi contumaces, vt vel ipſa æmulatione tandem prouocentur ad gratiam, & reſipiſcant, vbi viderint tantam gratiam gentibus contigiſſe. Obſeruetur hîc, quod lapſus Iudæorum non fuerit per ſe cauſſa ſalutis gentium, ſed tantum per occaſionem, alioqui res mala boni cauſſa videretur. Sic dicuntur mali mores bonarum legum cauſſæ eſſe, ſcilicet non effectiuè, ſed occaſione tantum.

Si vero eorum lapſus diuitiæ ſunt mundi: & diminutio eorum diuitiæ gentium, quanto magis incolumitas eorum?

Anticipat obiectionem. Si lapſus Iudæorum fuit gentibus ſalutaris, ſequitur quod ſalus Iudæorum ſit gentibus pernicioſa. hoc eſt, Si ſtetiſſent Iudæi, gentes non fuiſſent ſalutem conſecutæ. Sed Paulus argumentum hoc inuertit, per locum à minori ad maius, hoc modo: Si lapſus Iudæorum fuit ſalutaris gentibus: Multo magis incolumitas Iudæorum fuiſſet gentibus ſalutaris. Non gentes fuiſſent Iudæorum exemplo prouocatæ, vt Euangelium reciperent.

Vobis enim dico gentibus, quatenus certe ego gentium ſum Apoſtolus, miniſterium meum illuſtro, ſi quo modo ad æmulationem prouocem carnem meam, & aliquos ex ea ſaluos faciam.

Apoſtrophe ad gentes, quæ continet ſecundam reſponſionis datæ rationem, à ſuo facto deſumtam, cuius hic ſenſus eſt: Ego gentium Apoſtolus maiori ſedulitate & induſtria propagare ſtudeo Euangelium inter gẽtes. vt prouocem carnem meam, hoc eſt, conſanguineos Iudæos ad æmulationem, quo gentium exemplo excitentur ad amplectendũ Euangelium. Eſt autem illuſtrare miniſterium nihil aliud, quàm illud illuſtre reddere & exornare, quod fit ſumma in officio ſedulitate, ac pia ſanctaq; vita tanto munere digna. Hoc Pauli exemplum intueantur omnes verbi miniſtri, ac ſtudeant pro viribus ſinguli exornare miniſterium quod nacti ſunt, qui autẽ contra faciunt, cogitent quanto ſcelere ſe inuoluant, & quantas pœnas ſibi accerſant. Quod autem addit Apoſtolus: Vt aliquos ex eis ſaluos faciam, duo continet, PRIMVM enim euertit ſtoicam de prædeſtinatione doctrinam. Huc enim totus incumbit Apoſtolus, vt ſuos conſanguineos Iudæos per prædicationem Euangelij cõuertat. Quare nequaquam ſtatuit fatali quadam neceſsitate decretam eſſe ipſis certã damnationem. DEINDE dignitatem miniſterij extollit, cum miniſtri Euangelij ſaluare recipientes Euangeliũ dicantur. Huc illud ad Timotheum: Attende tibi ipſi & doctrinæ, perſiſte in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui audierint. Saluos igitur faciunt miniſtri Euangelij eos, quĩ ſe audiunt, non vt autores ſalutis, ſed vt miniſtri, qui ſalutem hominibus annunciant.

Nam ſi reiectio eorum eſt reconciliatio mundi, quid receptio, niſi vita ex mortuis?

Repetitio proximę anticipationis, quæ eo pertinet, vt conſoletur gentes, ne ſuam ſalutem impediri exiſtimẽt, ſi Iudæi in gratiam recipiantur. Rurſus hîc ſciendum eſt, reconciliationem Iudæorum eſſe quidem reconciliationem mundi, ſed non effectiue & per ſe, ſed per occaſionem tantum. Vita ex mortuis hoc loco eſt, qua de regno mortis transferuntur homines in regnũ Chriſti, quod fit quando Euangeliũ Chriſti fide recipiunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quod ſi primitiæ ſunt ſanctæ, etiam maſſa.

Tertia ratio allegorica eſt, quæ nititur promiſsionibus patribus factis. Nam illæ promiſsiones pertinent pariter & ad ſtirpem & ad poſteros. Stirpis autem nomine patriarchæ Abraham, Iſaac, Iacob intelligendi ſunt, qui hic primitię dicuntur. Maſſæ ſeu aſperſionis nomine poſteri patriarcharum ſignificantur. Etſi autem clarum eſt per primitias intelligi patriarchas, vt dictum eſt, & per maſſam eorum poſteritatem: tamen ratio appellationis non eadem ab omnibus ſtatuitur. Quare omiſsis cæteris opinionibus, eam amplector quæ eſt Leuitici cap. 23. vbi ita loquitur Dominus: Ex habitationibus veſtris adducetis panes ventillationis duos, qui facti ſunt ex duabus decimis ſimilæ, quique cum fermento cocti ſunt pro primitijs Domino. Ad horum panum primitias reſpicit Apoſtolus, quorum oblatione tota maſſa Iſraelitis ſanctificabatur, quod ſcilicet tum demum poſſent in reliquum annum ſuas fruges pinſere & coquere bona conſcientia, perſolutis primæ illius maſſæ primitijs.

Et ſi radix ſancta, etiam rami.

Eiuſdem rationis repetitio licet alia ſit allegoria. Radix, inquit, eſt ſancta, hoc eſt, patres ſunt ſancti, non quidem natura, ſed promiſsione, cui fidē adhibuerunt. Igitur etiam rami, id eſt, patrum poſteri ſunt ſancti. Nam ad hoc etiam promiſsio hæc pertinet: Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te in ſempiternum. HIC oritur quæſtio, Num orti ex ſanctis parentibus ſint ſancti? PRIMVM reſpondeo, diſcernendum eſſe inter naturam & promiſsionem. Natura omnes naſcimur rei & peccatores, qualeſcunq; tandem habuerimus progenitores. At qui nati ſunt ex ſanctis parentibus, promiſsionis huius: Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te in ſempiternum, ſunt participes. Sed hæc promiſsio videtur tantum pertinere ad Abraham & eius poſteros? Reſpondeo, Paulus ad Galatas 3. definit filios Abrahæ, qui ſunt participes promiſsionis factæ Abrahæ, quales ſunt omnes qui promiſsioni gratuitæ fidem adhibent. ita enim ait: Qui ex fide ſunt, benedicuntur cũ fideli Abrahamo. hoc eſt, eadem benedictio pertinet ad fideles, quæ facta eſt olim Abrahamo. Vt igitur Deus obſignauit hanc ſuā promiſsionē infantibus, ortũ ducentibus ab Abrahamo viſibili ſacramento, videlicet circumciſione: ita infantibus Chriſtianorum gratiam promiſsionis baptiſmo obſignat. cuius promiſsionis ſi non eſſent participes, obſignari illis nequaquam poſſet. Quod ergo Eccleſia offert ſuos infantes ad baptiſandũ, ideo hoc facit, quia promiſſione diuina nititur. Hinc & illud ſequitur, quod Chriſtianorũ infantes diſcedentes ſine baptiſmo, præuenti ſubitanea morte, non propterea vt prophani abijciendi ſint. Nam ſalutem ex promiſsionis efficacia non minus obtinent, quàm Iudæorum infantes, qui morte præuenti ante octauum diem non fuerunt circumciſi. PORRO ſi de adultis quæris, dico quod in ipſis requirat Deus fidem promiſsionis, quam qui nō habent, promiſsione excidunt. qua de cauſſa ab Apoſtolo defracti rami dicuntur. Neque tamen ſequitur, ſalutem infantum parentum dignitate niti, ſed promiſsione potius, cuius communicandæ occaſionem eſſe parentum fidem teſtatur promiſsionis verbum: Ero Deus tuus & ſeminis tui. Alias quæſtiones intricatas, quæ hîc agitari poſſent, omitto.

Quod ſi ex ramis quidam defracti ſunt, tu vero cum eſſes oleaſter, inſitus es pro ipſis, & particeps factus es radicis, & pinguedinis oleæ, ne glorieris aduerſus ramos.

Rurſus gentes admonet, ne ex eo ſuperbiant, quod ſint vocatæ ad Euangelij gratiam, reiectis contumacibus Iudæis. Senſus verborum hic eſt: Si quidam ex Iudæis propter incredulitatem ſuam ſunt abiecti & abſciſsi de populo Dei, & tu gentilis, qui eras extra familiam Dei, iam in populo cenſeris, & promiſsionis illis factæ per fidem es particeps, caue ne ſuperbe contemnas Iudæos, & arrogantius exprobres illis ſuum infortunium, qui olim quidem rami fuerunt, nunc autem ob ſuam contumaciam ſunt defracti. id eſt, exciderunt promiſsione patribus facta. Non igitur Iudæi fatali neceſsitate reiecti ſunt, ſed propter ſuam contumaciam, qui noluerunt in radice & eius pinguedine manere.

Quod ſi gloriaris, tu non radicem portas, ſed radix te.

Ratio ab abſurdò. Nam gentilem gloriari aduerſus Iudæum, perinde eſt ac ſi rami arboris gloriarentur aduerſus radicem, ſine qua prorſus arent, & ſunt infœcundi. Vt enim à radice venit ſuccus in ramos, vnde floreſcunt: ita promiſsio patribus facta, ad eorum quoq; natos pertinet, cuius promiſsionis gentes factæ ſunt participes ex gratia.

Dices ergo: Defracti ſunt rami, vt ego insererer.

Obiectio gentium conuerſarum per prædicationem Euangelij. Rami defracti ſunt, vt oleaſtri insererentur, hoc eſt, Iudæi ſunt reiecti, vt aſſumerentur gentiles.

Bene, propter incredulitatem defracti ſunt, tu vero fide ſtetiſti.

Conceſsio eſt & translatio cauſſæ. Sũt, fateor, defracti rami, ſed propter incredulitatem, tu ſtas, quia credidiſti gratuitæ promiſsioni. Non ergo res dependet ex tua dignitate, ſed ex gratia, cuius per fidem factus es particeps. Non eſt itaque quod de merito tuo aduerſus Iudæos glorieris. Hîc rurſus cauſſæ reiectionis Iudæorum, & aſſumtionis gentium notentur.

Ne efferaris animo, ſed time.

Infert exhortationem ex doctrina, & proxima comminatione, idq́; more Prophetico & Apoſtolico. Sunt autem duo in hac propoſitione. PRIMVM enim requirit humilitatem, quę facit vt nos ipſos intuentes, alios non contemnamus, ſed potius vt membra foueamus, atque erratis mutuis condonemus. ALTERVM eſt, quod requirit timor, qui admonebit nos, & noſtræ fragilitatis, & ſingularis ſtudij retinendæ ac fouendæ fidei, ne ea amiſſa, in priorem condemnationem recidamus. Huc & illud Apoſtoli pertinet: Qui ſtat, videat ne cadat.

Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: Vide ne qua fiat, ne & tibi non parcat.

Ratio propoſitionis à maiori ad minus. Si Deus populo ſuo peculiari ob contumaciam aduerſus ſe non pepercit: Multo minus parcet gentibus, ſi contumaces & ſuperbæ eſſe cœperint.

Vide igitur lenitatem & ſeueritatem Dei.

Excitat gentes, vt cogitent de cauſſis cum reiectionis Iudæorum, tum aſſumtionis gentium, vt hoc pacto gentes ad timorem Dei inuitet, atq; illis verã humilitatem cõmendet. Summa huc redit, vt in hoc myſterio iudicij & miſericordiæ Dei duo ſpectemus, nempe lenitatẽ ſeu benignitatem, qua ex miſericordia credentes aſſumit, & ſeueritatem qua iuſte cõtumaces abijcit.

In eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem, in te vero lenitatem, ſi permanſeris in lenitate.

Diſtributionis huius hic eſt ſenſus: Deus ſeuere iudicabit contumaces, & gratioſe ſaluabit omnes, qui in lenitate (ſcilicet Dei) permanſerint, quod quidem illi faciunt, qui retinent fidem & bonam conſcientiam. Nam vt Dominus mitis & benignus eſt fidelibus, ita ſeuerus iudex erit contumacibus & inobœdientibus. Obſeruetur hoc loco diligenter adiecta conditio: Si permanſeris in lenitate, quæ conditio ſatis docet, quod qui in gratia iam eſt, poſsit ſua culpa & ſuopte vicio gratia excidere & perire. Hæc ſane doctrina nequaquam ſtare poteſt cum ſtoica illa, quam quidam defendunt, prædeſtinatione.

Alioqui & tu excideris, & illi ſi non permanſerint, in incredulitate inſerentur. Poteſt enim Deus illos rurſus inſerere.

Comminationis repetitio: in qua obſeruetur excisionis cauſſa, quæ eſt defectio à lenitate, quæ fit abiectione fidei. Nam qui fidem abijcit, ex olea, in quam per fidem inſitus fuit, excidi dicitur. Rurſus, qui poſt defectionẽ à fide, & exciſionem ex olea denuo credit, dicitur rurſus in oleam inſeri per gratiam. Hic locus manifeſte euertit imaginationem de prædeſtinatione ſtoicã. Hic enim aperte dicitur, quod & homo poſsit inſeri in oleam per fidem, & idem rurſus eximi per incredulitatem. Non igitur alio reſpiciendum eſt in hoc myſterio, quam ad iudicium Dei, quo iuſte abijcit contumaces, & ad miſericordiam eiuſdem, qui rurſus in oleam inſerit agentes pœnitentiam. Huius rei ratio à potentia Dei ſumitur. Poteſt enim, inquit, Deus rurſus eos inſerere. Hæc ratio tria docet: PRIMVM, quod homo excidens gratia, non poſsit ad eam redire, niſi virtute Dei. SECVNDVM, quod lapſis non ſit neganda venia, & intercludenda ſalutis via. TERTIVM, quod nõ plus poſsit homo in rebus ſalutis ſine fide, quàm ramus defractus virere priuſquam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

uſquam in arborem hortulani manu fuerit inſitus. Neque tamen debet hæc ſimilitudo ad omnes proprietates & accidentia rami & hominis referri.

Si igitur tu ex oleaſtro, quæ tibi natiua erat, exſectus es, & præter naturam inſitus es in veram oleam, Multo magis hi, qui ſunt ſecundum naturam propriæ oleæ inſerentur.

Concluſio comminationis, argumento ſumto à minori ad maius, cuius hic ſenſus eſt: Si gentes quæ non erant populus, vtpote quibus non eſt facta peculiaris promiſsio, ex ſola gratia, abſq; omni merito, receptæ ſunt, Multo magis Iudæi, quibus facta eſt promiſsio peculiaris, recipientur, modo promiſsionē fide amplexæ fuerint. Vt præter naturam eſt aliquid eſſe abſq; omni merito, cum ſubito & repente fit præter expectationem: Ita ſecundũ naturam eſt, quod ex peculiari promiſsione diutiſsime durante olim patribus facta contingit, ea loquendi ratione, qua vſitata & diuturna ſecundum naturam dici poſſunt, & contra, quæ inuſitata & præter expectationem contingentia, præter naturã. Alioqui non eſt magis præter aut ſecundum naturam recipi Iudæum quam gentilem. Nam nõ eſt diſtinctio. Omnes enim ab eodem Deo creati. Omnes ab eodē patre Adamo nati. Omnes in eodem Adamo lapſi. ac, Omnibus cum eodem Adamo facta eſt prima promiſsio.

Nolo autem vos ignorare fratres, myſterium hoc (vt ne apud voſmetipſos ſuperbiatis) quod cæcitas ex parte Iſraëli contigit, donec plenitudo gentium ingrediatur, atque ita vniuerſus Iſraël ſaluabitur.

Quod hactenus figuratè dixerat Apoſtolus, nunc tandem concluſurus aperte enunciat, ac primo loco finem totius huius diſputationis ponit, videlicet ne ſuperbiamus, hoc eſt, vt humiliemur, ac timeamus Deum, vnde fiet, vt fidem quoque ad finem retineamus. Vocat autem conſilium Dei de reiectione Iudæorum, & aſſumtione gentium myſterium, propterea quod caro per ſe illud cõſilium non intelligat, vt apparet in Iudęis, qui non intellecto hoc arcano Dei conſilio, putabant Meſsiæ beneficia ad ſe ſolos pertinere: hoc nitentes fundamento, quod eſſent nati ex ſemine Abrahæ, cui facta erat promiſsio cum ſuo ſemine in ſempiternum duratura. Non autem intellexerunt nec iuſtam Dei iram in contumaces, nec inexhauſtam eius miſericordiam in eos, qui ad miſericordiam per fidem confugiunt. Quantum autem ad cæcitatem, cuius hîc meminit, attinet, ſatis ſupra dictum eſt. Nam oſtenſum eſt, quod habuerit hæc cæcitas cauſſam antegreſſam contemtum Dei, & cõtumaciam aduerſus ipſum, vt clariſsime docetur ſuperiori capite. Plenitudinem gentium vocat, magnum illum ex gentibus numerum, qui per Euangelium conuertetur. Quod autem addit: Sic totus Iſrael ſaluabitur, ab alijs aliter exponitur. Sunt qui hoc dictum de Iudæis nouiſsimo tempore ante iudicium conuertendis intelligunt, & magnam multitudinem eorum totum Iſraelem hyperbolicè dici autumant. Alij Iſraelē totum, Eccleſiam catholicam ex Iudæis & gentibus congregandam interpretantur, vt ſupra oſtenſum eſt. Nam illi ſoli habentur filij Iſraelis, adeoq; veri Iſraelitæ, qui inſiſtunt veſtigijs Iſraelis, & in promiſsionis verbo acquieſcunt. Hæc ſententia verior eſſe videtur, & confirmatur tota huius diſputationis ſerie. Verum quia ſunt qui ſuperiorem interpretationem malunt, totum hoc de conuertendis Iudæis myſterium Deo committamus. ac nos interea in timore Dei retineamus fiduciam, adhærentes ipſius verbo in vera humilitate.

Sicut ſcriptum eſt: Veniet ex Zion liberator, & auertet impietatem à Iacob, & hoc illis à me fœdus, cum abſtulero peccata eorum.

Probat Eſaiæ teſtimonio totum Iſraelem conuertendum, & ſimul definit verum Iſraelem. Paulus ſecutus verſionem Græcam, in verbis nonnihil diſcrepat ab Hebraica veritate, quæ ſic ad verbũ habet: Veniet Zioni Redemtor, & ijs qui redierint ab iniquitate in Iacob. Proinde reſipiſcentes in Iacob verus Iſrael ſunt, adeoq; totus Iſrael reputantur. alij qui non conuertuntur apud Deum tanquã non populus, immo veluti reiectamenta habentur. De fœdere autem, cuius meminit, hoc tenendum eſt, quod eius ſit duplex conditio: VNA, à parte Dei, quæ hîc à Paulo exprimitur: Cum abſtulero peccata eorum. ALTERA, à parte hominis, videlicet, cum homo fide in promiſsionem fœderis recumbit, atq; hoc Eſaias addit cap. 59. Et ego cum illis hoc meum fœdus ſancio, dicit Dominus, Spiritus meus qui ſuper te eſt, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, neque ex ore ſeminis tui,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nis tui, ab hoc tempore vſque in æternum. Cum Deus hîc requirit conſeruationem verbi, requirit vtique & verbi fidem, qua promiſsio nobis applicatur. Diligenter hîc obſeruetur ordo diuinitus in miniſterio Euangelij inſtitutus. Spiritus Dei, & verbum Dei coniunguntur non ſecus atque in pane vis panis & ipſe panis, hæc vna nutriunt, neutrum ſine altero efficax eſt. Tolle ſpiritum à verbo, & remanet mortua litera, Tolle verbum à ſpiritu, non amplius remanet ſpiritus Dei, ſed Sathanæ potius.

Itaque quoad Euangelium inimici propter vos, quoad electionem autem dilecti propter patres.

Concluſio quæſtionis eſt, huius videlicet: Num impegerunt vt caderent. ad quam quæſtionem reſpondet Apoſtolus negatiuè, particula abominationis Abſit, addens finem lapſus, ſed accidentalem. Sed eorum lapſu, inquit, ſalus contigit gentibus, hoc ipſum hîc repetit in concluſione. Quod autem dicit Apoſtolus, Iudæos inimicos factos eſſe propter gentes, ad euentum referendum eſt, non ad cauſſam efficacem. Vocatio enim gentium fuit quidem occaſio obdurationis Iudæorũ, ſed non cauſſa efficax. Quare inimici ſunt quoad Euangeliũ quod ſpreuerunt, Verum quoad electionem, dilecti ſunt propter patres, id eſt, propter promiſsionem patribus factam. ita enim ſonat promiſsio: Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te in ſempiternum. In hac promiſsione ſi manſiſſent poſteri Abrahæ, electionis gratia nequaquam excidiſſent. Fuerunt ergo Iudęi electi, ſed ſua culpa electione exciderunt, qui ſi reſipuerint aſſumentur rurſus. ex quo patet, falſiſsimum eſſe dogma ſtoicum de electione fatali, quæ excludit conditionem fidei.

Nam dona & vocatio Dei eiuſmodi ſunt, vt eorum ipſum pœnitere non poſſit.

Comprobatio eſt proximæ concluſionis à conſtantia Dei ſumta. Sunt enim promiſsiones Dei firmæ & irreuocabiles ſeruata cõditione ex parte hominum, quam pactio requirit. Cum ergo Deus elegit patres, & promiſit illis & illorum poſteris benedictionem, fieri nõ poteſt vt hæc promiſsio irrita reddatur, ac reuocetur à Deo. Deus enim conſtans eſt qui promiſit. Obſeruetur hoc loco ſingularis γνώμη: Dona & vocatio Dei ſunt ἀμεταμέλητα, id eſt, non pœnitenda, hoc eſt, in Deum non cadit diſplicentia facti, poſtquam aliquem ex ſua bonitate inuitatum prædicatione Euangelij recepit in gratiam. Hinc Paulus ſæpe conſolationes petit, qualis inter multas hæc eſt: Qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet. Quare? Quia dona & vocatio Dei ſunt ἀμεταμέλητα. Sic & nos concludamus, quos hodie inuitat Dominus per ſuum Euangelium. Deus dedit nobis Euangelium, Obſignat nobis ſuam gratiam per baptiſmum, Confirmat eandem ſacra cœna. Quare non dubitandum eſt de eius erga nos fauore, modo nos in fide perſtiterimus. Hanc enim conditionem requirit vocatio Euangelica.

Sicut enim & vos quondam non paruiſtis Deo. Nunc autem miſericordiam eſtis conſecuti per horum contumaciam: Sic & iſti nunc non paruerunt vt per veſtram miſericordiam, & iſti miſericordiam conſequantur.

Ratio comprobationis per collationem, qua probat fieri poſſe, vt Iudæi aliquando conuertantur. Vos aliquando occaſione incredulitatis Iudæorum cœpiſtis credere. Ergo & illi ex eo occaſionem nacti, quod videãt apud vos prædicari miſericordiam Dei, potuerunt reſipiſcere. Hic obſeruetur zelus bonus, quo quis ad æmulationem boni excitatur aliorum exemplo. Vnde monemur & nos, vt talis ſit doctrina noſtra & vita, vt alijs æmulationis occaſio eſſe poſsit, ad res bonas & Deo placentes. Contra qui zeli mali occaſionem dederit, pœnas proditionis meretur. Obſcuritatem quæ eſt in græco textu ſuſtuli per trãſpoſitionem particulæ, Vt, Nam ſi legeris in accommodatione: Sic & iſti nunc non paruerunt veſtra miſericordia, vt & ipſi miſericordiam conſequantur, ſententia quam requirit antitheſis euertitur. Opponit enim Apoſtolus miſericordiam gentibus exhibitam contumaciæ Iudæorum. Quare ſi Vt particulam præpoſueris, vt ego verti, conſtabit antitheſis, & plena erit ſententia, congruens cum illa: Si eorum lapſus diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentiũ, quanto magis plenitudo ipſorum.

Concluſit enim Deus omnes in incredulitatem, vt omnium miſereatur.

Ratio generalis ab exæquatione omnium hominum cùm Iudæorum tum

tum gentium, & ab æquitate Dei, qua eſt æqualis omnibus abſque perſonarum reſpectu. PRIMVM dicit: Omnes eſſe peccatores, quare non eſt quod putemus alios alijs ob ſuam dignitatē præferendos eſſe. DEINDE affirmat Deum miſericordem eſſe in omnes. Quare & Iudæis nunc contumacibus aliquando reſipiſcentibus contingere poteſt miſericordia. Nam cum omnes pariter ſunt rei, & omnibus æqualiter offertur gratia, quis intercludet Iudæis miſericordiæ viam? Non eſt ergo quod glorietur gentilis contra Iudæum. Nam vtriq; peccatores ſunt: Nec eſt quod Iudæus deſperet, quod multis peccatis ſit implicitus. Nam Deus concluſit omnes ſub incredulitate, vt omnium miſereatur. Sed quomodo; inquies, concluſit Deus omnes ſub incredulitate? Vt iudex ferens ſententiam iuſtam, non vt incredulitatis effector. Hic multa obſeruatione digna occurrūt. PRIMVM enim hic locus aperte indicat, quod non ſit perſonarum acceptio apud Deum. Nam vt omnes ſine diſcrimine rei ſunt, ita in omnes ſine diſcrimine Deus eſt miſericors, ſed ſeruata Euangelij cōditione. DEINDE obſeruetur teſtimonium de peccato, cuius rei pronunciantur omnes homines naturaliter propagati. AD HÆC confutantur hoc Pauli dicto iuſticiarij, qui putāt homines ſuis operibus corā Deo iuſtificari, & conſiſtere poſſe in iudicio Dei. PRÆTEREA docet hic locus, quod ſummum peccatum ſit incredulitas, quæ inobœdientiæ erga Deum eſt mater, vt fides in illum omnium virtutum radix exiſtit. POSTREMO, obſeruetur dulciſsima conſolatio, quod Deus non ideo hominem peccati reum peragat vt eum damnet, ſed vt miſericordiæ ſit locus, modo peccator ad prædicationem Euangelij reſipiſcat.

Ō profunditas.

Diſputationem de vocatione gentium & reiectione Iudæorum, exclamatione, quæ continet admirationem & collaudationem ſeu gratiarum actionē, claudit. Pertinet autem hæc exclamatio eò, vt compeſcat humanam ſtulticiam, quæ omnes omnium actionum Dei cauſſas, ſacrilege ſcrutatur. Nos ergo intra limites verbi cōtineamus, ſtultæq; rationis iudicium in negocijs fidei cōtemnamus, in fide & timore Dei ambulantes, agenteſq; perpetuo gratias Deo, qui nos vaſa miſericordiæ eſſe voluit, & non abiecit, ſicuti magnam mundi partem propter ſuam in Deum contumaciam abiecerat.

O profunditas diuitiarum, & ſapientiæ, & cognitionis Dei.

Cum admiratione exclamat & extollit diuitias cum ſapientiæ tum cognitionis Dei: qui ex miſericordia quidem aſſumſit gentes in gratiā, iuſto vero iudicio contumaces Iudæos abiecit. Iudæi arbitrabantur gentes ob ſuam idolomaniam ita abiectas eſſe, vt nulla vnquā ipſis ſalutis via pateret. Non enim tenebant hanc de Deo cognitionē, quod adeo propitius ſit, quod etiam gentes idololatras in gratiā recipere velit. Huic Iudæorum iudicio de gētibus opponit Apoſtolus inexhauſtas miſericordiæ Dei diuitias. Notat aūt vox diuitiarum, gratiæ Dei magnitudinem, qua Deus homines peccatores inuitat ad gratiam per Euangelij prædicationem. Nos ergo quoties tentamur peccati noſtri magnitudine, opponamus huic tentationi bonitatem Dei, qua omnes ad ſe confugientes recipit, & filiorum loco habet. Præterea diuitias ſapientiæ opponit iudicio humano de conſilio Dei. Iudæi iudicabant Dei conſilium eſſe, vt tantum nati ex ſemine Abrahæ, hæredes fierent promiſsionis, ac ita ſe ſapientiam Dei exhauſiſſe, nec quicquam ſe latere de conſilio Dei opinabantur. Sed Paulus profundiores ſapientiæ Dei diuitias eſſe affirmat, quam vt eas puluis & cinis aſſequatur. Hinc ergo monemur, vt nullam ſapientiam in rebus ſalutis noſtræ, præter eam quæ verbo Dei nobis commendata eſt, ſpectemus. Frenum proinde inijciamus noſtris cogitationibus, qui Dei ſapientiam, quæ verbo Dei nobis reuelata non eſt, ſcrutari præſumimus. Ad hæc diuitias cognitionis, qua Deus nouit omnia antequam fiant, opponit Apoſtolus iudicio & imaginationi gentium, qui cum viderent Iudæos ob ſuam contumaciam abijci, exiſtimarunt eos ita in finem vſque abijciendos, vt nulla ad gratiam via ipſis vnquam pateret. Hinc monemur, vt non ſcrutemur quæ nobis occulta eſſe voluit Dominus, ſed tantum in voluntate Dei verbo reuelata acquieſcamus. Atque ita Apoſtolus cogitationibus hominum vanis & ſtultis de vocatione gentium, reiectione Iudæorum, & eorundem rurſus aſſumtione opponit hæc tria, Inexhauſtam gratiam Dei, Infinitam ſapientiam, & inenarrabilem rerum futurarum in Deo cognitionem.

Quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inperueſtigabiles viæ eius.

Hæc admiratio iudiciorum & viarum Domini eo pertinet, vt retundatur

datur humana ſuperbia, vtque nihil de Deo inquirere audeamus, niſi quod per ſcripturas nobis reuelatum eſt. Scrutator enim maieſtatis, vt inquit Salomon, opprimetur à gloria. Sunt qui hoc loco iudicia interpretantur, quibus Deus iuſtiſsime punit & abijcit contumaces, Vias autem Dei, quicquid agit & facit, niſi mauis iudicia & vias idem ſignificare, videlicet morem Dei in agendo, ſuæ bonitati, iuſticiæ & miſericordiæ conuenientem, humanis cogitationibus ſine verbo nequaquam perceptibilem.

Quis enim nouit mentem Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?

Ratio proximi dicti de inſcrutabilibus conſilijs Dei & inperueſtigabilibus vijs eiuſdem, ſumta à remotione cauſſæ. Deus non communicat ſua conſilia cum hominibus. Ergo non mirum eſt eius conſilia eſſe inſcrutabilia, & eius vias imperueſtigabiles. Hæc non ad euertendam fidem noſtram referēda ſunt, ac ſi ignoraremus mentem Domini de noſtra ſalute, in eum enim finem nequaquam dicuntur. Nam Paulus 1. Corinth. 2. ait, Nos ſpiritum qui ex Deo eſt habemus, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Et paulò poſt: Quis nouit mentem Domini, aut quis inſtruxit eum? Nos autem Chriſti mentem habemus. Hæc Chriſti mens multis verbis indicatur & in vniuerſali mandato: Ite in mundum vniuerſum, & proclamate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit, ſatis euidenter continetur.

Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ci?

Hac ratione interrogationis ſchemate figurata validiſsime retunditur cum opinio meriti, tum prærogatiua nationis. Vtraque Iudæi ſupra modum tumebant. Nam & propter obſeruantiam legis, & propter originis ſuæ dignitatem putabant, Deum ſibi debitorem eſſe, atque ideo magnam ſibi iniuriam fieri exiſtimarunt, ſi ſe abiectis reciperentur idololatræ gentes. Verum contra eos Apoſtolus Dei iuſticiam defendit hac ratione: Deus nemini eſt obſtrictus ob accepta beneficia. Igitur Nemo iuſte conqueri poteſt aduerſus ipſum de iniuria ſibi facta. Si ergo Iudæus contumax abijcitur, & gentilis verbo Dei obœdiens aſſumitur, Ille quidem iudicium agnoſcat iuſtum: hic vero miſericordiam Dei erga ſe deprædicet. Hic proinde locus omnia humana merita euertit, & omnem gloriationem carnis tollit, idque ideo, vt in ſola bonitate Dei acquieſcamus.

Nam ex eo, & per eum, & in ipſum ſunt omnia.

Ætiologia quæ declarat, cur Deus nemini quicquam debeat. A quocunque ſunt omnia, & per quemcunque adminiſtrantur omnia, & ad quemcunque tanquam ad proprium & vltimum finem omnia ordinantur, is ſane nemini quicquam debere conuincitur, immo omnes creaturæ quicquid habent, illi debent. A Deo autem ſunt omnia, per Deum omnia adminiſtrantur, ad Dei gloriam illuſtrandam omnia merito referri debent. Igitur Deus nemini quicquam debet. Conticeſcant itaque humana merita. Porrò hoc dictum Pauli cum ad creationem, tum ad reparationem omnium referendum eſt.

Ipſi gloria in ſecula, AMEN.

Clauſula continens gratiarum actionem ſeu δοξολογίαν, in qua antitheſis diligenter cogitanda eſt. Nam Paulus hanc δοξολογίαν opponit gloriationi humanæ. immo ea deſtruit omnem hominum gloriationem, vt merito cum Daniele fateri cogantur: Tibi Domine iuſticia, nobis autem confuſio faciei. Debetur enim ſoli Deo bonitatis, miſericordiæ & iuſticiæ gloria. Quare nos, quos ad æternam ſuam vocauit gloriam, ipſum ex fide glorificemus, ac in eius ſincero cultu perſiſtamus in finem vſque: quo cum omnibus ſanctis glorioſa donemur immortalitate, ac ita cum illo viuamus beati in omni æternitate, vbi filio Dei Domino noſtro IESV CHRISTO conformes erimus.

CAPVT XII.

DE TERTIA PARTE HVIVS EPISTOLAE.

In vniuerſali huius Epiſtolæ periocha, etiam Argumentum ſequentium capitum attigimus, & oſten-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

& oſtendimus quod Apoſtolus more Prophetico & Apoſtolico, poſt doctrinam paræneſes ad vitam profeßione Chriſtiana dignam inſtituat. Ea enim ratione doctrinam auditoribus accommodandam eſſe Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, & aliorum piorum doctorum exempla tradunt. Quoniam autem vitæ inſtitutio ac morum doctrina triplex eſt, videlicet Ethica, Politica, & Ceremonialis, Paulus ordine de hoc triplici morum genere diſſerit. Ac PRIMVM *ethica præcepta de ſingulorum moribus in duodecimo capite colligit.* DEINDE *in decimotertio politicos mores format:* TVM *de ceremonijs & adiaphoris in decimoquarto agit. etſi ſubinde varia colligit, adeo vt parum videatur ſolicitus fuiſſe de ordine, vt in paræneſibus fieri vſitatum eſt. Poſtrema duo capita partim generalibus præceptis, partim familiaribus quibuſdam, item ſalutationibus, cum graui admonitione, vt dißidiorum videntur autores, abſoluuntur.*

Summa Capitis duodecimi.

Ad verum cultum Deo præſtandum iuſtificatos hortatur, plurima de priuatis moribus præcepta, quæ omnia ex dilectione Dei & proximi, tanquam ex ſuis proprijs fontibus manant, coaceruans.

Ordo & partes Capitis duodecimi.

In PRINCIPIO *capitis hortatur iuſtificatos ad offerenda Deo ſacrificia, idq́; propriorum corporum, & ſimul eadem ſacrificia definit, & in quibus rebus collocantur, explicat.* DEINDE *de eorundem ſacrificiorum effectibus acturus, vt* πολυπραγμοσύνην *vitemus, manentes intra noſtræ vocationis terminos, donaq́; diuinitus collata, ad eiuſdem myſtici corporis incolumitatem referentes, admonet.* TVM *ſubiungit variorum officiorum catalogum, atq; addit plurima priuatæ vitæ inſtituta, quæ ſub communi dilectionis præcepto continentur.*

EXEGESIS DVODECIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

ADHORTOR igitur vos fratres, per miſerationes Dei.

Pareneſes orditur à grauiſsima obteſtatione. Obteſtatur enim Romanos, immo nos omnes qui Euangelio credimus, per miſerationes Dei, ſignificans cogitationem miſericordiæ DEI debere nobis eſſe ſtimulum ad vitam Deo placentem tranſigendam. Vt enim nos Deus ſua miſericordia in filio complexus eſt: ita viciſsim officium noſtrum eſt, vt grati erga Deum ſimus, vitam noſtrã ad normam voluntatis ipſius, quantum quidem id fieri poteſt in hac infirmitate, inſtituentes. Huc illationis particula, Igitur, pertinet, ac ſi dicat Apoſtolus: Cum vos fratres iam ex gratia Dei tantam conſecuti eſtis ſalutem à Deo, decet vt grati ſitis erga adeo clementem patrem, qui noſtri cauſſa vnicum dedit filium, qui & peccatum aboleret, & ſuo ſpiritu vos ſanctificaret. Hæc exhortationis ratio copioſius inculcatur Philippenſibus, vbi Apoſtolus hoc modo loquitur: Si qua igitur conſolatio eſt in Chriſto, ſi quod ſolatium dilectionis, ſi qua communio ſpiritus, ſi quæ viſcera & miſerationes, implete gaudium meum, &c. Cum itaq; ea de cauſſa filius Dei redemit nos, vt deleat peccatum & mortem, & nos viuificet, ac ſibi aſsimilet, & æternam iuſticiã in nobis reſtituat, nequaquam decet vt carnis illecebris, affectuum incendijs, diſsidiorum furoribus, atq; alijs vicijs pietati aduerſantib. indulgeamus: Sed vt potius piè, iuſtè & ſobriè in pręſenti vita viuamus, quo magis magisq́; corpus peccati deſtruatur, & nouus homo per Spiritum Chriſti excitetur. Ad hunc ergo finem omnia ſequentia præcepta pertinent, vt digne tam auguſta & ſancta vocatione ambulemus. Hoc illud ad Epheſ. 4. Adhortor vos, vt digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis.

Vt ſiſtatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, placentem Deo, rationalem cultum veſtrum.

Propoſitio parænetica, cuius hæc eſt cõſtructio quam monſtrant Græci articuli: Vt ſiſtatis rationalem veſtrum cultum, videlicet corpora veſtra hoſtiã viuam, ſanctam & placentem Deo. Vt autem hęc propoſitio rectius percipiatur, PRIMVM tenendum, quemnam cultum vocet Apoſtolus rationalẽ. DEINDE, quæ qua-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

lisq; ſit corporum noſtrorum ſiſtio ſeu oblatio. TVM, oblationis huius deſcriptio & encomium. CVLTVS itaq; ad voluntatem Dei exactus & præſtitus, ſolus rationalis à Paulo vocatur hac de cauſſa, quod vbi ſapere plus quam oportet homines cœperint, à ratione viaque aberrent. Debet itaq; omnis cultus Dei fieri iuxta rationem, ſed verbo Dei & ſpiritu Chriſti edoctam, reformatam, illuminatam, alioqui ratio ſibi relicta nequaquá intelligit, quis ſit verus colẽdi Deum modus. Cum igitur Paulus requirit rationalem cultũ, damnat omnes cultus ſtulte ab hominibus excogitatos. Sicut & ipſe Domin9 Eſaiæ 19. & Matth. 15. facit, cum inquit: Fruſtra me colunt docentes doctrinas mandata hominum. CORPORVM noſtrorum oblatio eſt, ipſa malorum affectuum mortificatio & occiſio, quæ in vera pœnitentia ſita eſt. Alludit autem Apoſtolus ad veterem ſacrificandi ritum, quo ſiſti oportebat victimam ad aram, atq; ideo corporum meminit, etſi totum hominẽ ſynecdochicôs hoc nomine comprehendit. Verum vt corpora ſacrificiorum veterum cremabantur, & fumus de ſacrificijs ſurſum aſcendebat: ita ſignificatur iſto ſymbolo, vt noſtros affectus morti ficantes, ſpiritum ſurſum ad Deum leuemus. DESCRIPTIO & encomium huius oblationis eſt, quod prædicetur viua, ſancta, & accepta. VIVA quidem eſt, propter fidem & Spiritum ſanctũ, quo donati ſunt credentes. Nam vt membra veteris hominis mortificantur, ita nouus homo ſpiritu Dei excitatur magis magisq;, atq; viuit. HOC proinde epitheto præfertur ſacrificium noſtrum mortuis animalium corporibus, quæ ſub lege offerri ſolita erant. SANCTA præterea dicitur, quia à prophanis vſibus ſegregata, ſanguineq; Chriſti mundata, dicatur Deo. ACCEPTA Deo ſeu bene placens Deo dicitur, propter fidem offerentis. ex quo ſequitur, & in omni hoſtia requiri fidem, & nullam Deo gratam eſſe, niſi fides Mediatoris præluceat, quæ verbo Dei nititur. Hinc cocluditur: fruſtra gloriari Papiſtas de ſuo ficto & inſulſo ſacrificio, cum & verbo Dei deſtituatur, & ſale fidei & ſpiritualis prudentiæ careat. PRÆTEREA hic locus apertè teſtatur, quod omnes Chriſtiani ſint coram Deo ſacerdotes. Nam ſi tantum ſacerdotum eſt offerre Deo hoſtias, easque Deo placentes, & mandatur omnibus Chriſtianis hoc munus, quis non videt Chriſtianos ſacerdotali dignitate eminere? Huc illud 1. Pet. 2. Et ipſi tanquam viui lapides ædificamini domus ſpiritualis ſacerdotium ſanctum, ad offerendas ſpirituales hoſtias, bene acceptas Deo per IESVM CHRISTVM.

Et ne accommodetis vos ſeculo huic, ſed transformemini nouitate mentis veſtræ, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & placens, & perfecta.

Expoſitio eſt. Nam in quibus rebus conſiſtat oblatio noſtri declarat. Ponit autem huius oblationis tres partes, quarum PRIMA eſt, ne accom modemus nos huic ſeculo, ſeu potius ne configuremur præſenti ſeculo, quantum quidem ad mortua eius opera pertinet, ſed potius vt carnis corruptæ & peccati imperio renunciemus. SECVNDA, vt transformemur nouitate mentis noſtræ, hoc eſt, vt mente renouata ſpiritu Dei nouos affectus congruentes cum lege Dei induamus. TERTIA, vt probemus quæ ſit voluntas Dei, hoc eſt vt ſtudium noſtrum ſit & propoſitum conforme voluntati Dei bonæ, placidæ & perfectæ. ita vt noſtrum propoſitum ſemper ſe ſubijciat voluntati Dei. Pertinent igitur epitheta voluntatis Dei eò, vt doceamur qualiſnam conformitas noſtrarum voluntatum cum Dei voluntate eſſe debeat. OBSERVETVR hîc definitio oblationis noſtri cum ſuis partibus, atq; adeo nouæ regenerationis: vnde fructus reliqui pietatis tanquam ex fonte manant.

Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omni verſanti inter vos, ne ſapiat præterquam quod oportet ſapere, ſed ſapiat quo modeſtus ſit, quemadmodũ vnicuique partitus eſt Deus menſuram fidei.

Subijcit quaſdam formulas ſeu exempla mortificandorum affectuum, ac primum πολυπραγμοσύνην impugnans, requirit, vt nemo extra ſuam vocationem quicquam temere tentet, aut arroganter in alienum officiũ irrumpat, ſed maneat quietus intra ſuæ vocationis terminos, nec arroget ſibi dona quæ non habet, ſed agnoſcat etiam dona Dei in alijs. PROPONIT autem Apoſtolus huius præcepti & certum finem & iuſtum modum. FINIS eſt, vt vnuſquiſq; ſit modeſtus, ita vt in omni actione & tota vita modeſtia quædam & grauitas reluceat. MODVS, quilibet ſapiat iuxta menſuram fidei, hoc eſt, iuxta donum gratiæ, quod Deus cuilibet credenti donauerat. QVÆDAM exemplaria Græca habent μέτρον χάριτος, hoc eſt, menſuram gratiæ, id eſt, doni gratuito collati.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quemadmodum enim in vno corpore membra multa habemus, membra vero omnia non eandem habent actionem: Sic multi vnũ ſumus corpus in Chriſto, mẽbra mutuo alter alterius, Habentes aũt dona ſecundum gratiam datam nobis differentia.

Similitudine hac pulcerrima declarat, quam deceat ſingulos Chriſtianos, qui eiuſdem corporis Chriſti myſtici membra ſunt, conſiderare, quid ſibi pro menſura fidei ſeu gratiæ & vocationis conueniat: atque ideo vt locum & officium ſuum ſinguli tueãtur, & ad incolumitatem totius corporis conſeruandam referant, ſeruato cuiuſq; membri ordine & dignitate. SIMILITVDO autem præſens hoc modo concludenda eſt: Eiuſdem corporis membra, ſeruato cuiuſq; officio & ordine, debent ſibi mutuo ſeruire, quo totum corpus conſeruari poſſit incolume. CHRISTIANI ſunt membra eiuſdem corporis myſtici, quod eſt Eccleſia, cuius vnicum caput eſt Chriſtus Dominus. Igitur, Chriſtiani ſeruato cuiuſque officio & ordine, debent ſibi inuicem ſeruire, quo Eccleſiæ corpus incolume ſeruari poſsit. CÆTERVM huius loci dignitas meretur, vt ipſum alijs ſcripturæ locis fuſius declaremus. Ad Cor. 12. & ad Epheſ. 4. hac eadem ſimilitudine Apoſtolus vtitur in eodem argumento, ex quibus locis aliquot colligemus hypotheſes, quæ hanc Pauli ſimilitudinem illuſtriorem reddent. PRIMA eſt, de nexu & coagmentatione membrorum inter ſeſe: de quo nexu & coagmentatione ad Epheſios ita ſcribit Apoſtolus: Vnum corpus, vnus ſpiritus, ſcilicet quo in vnũ corpus coniungimur & coagmentamur. Ad Corinthios vero ita: Etenim per vnum ſpiritũ nos omnes in vnũ corpus baptiſati ſumus, ſiue Iudęi ſiue Græci, ſiue ſerui ſiue liberi, & omnes vnã potionẽ potauimus in vnum ſpiritum. Hîc Paulus Spiritũ ſanctũ autorem facit, quod cum Chriſto vnum corpus fiamus myſticum. atq; adeo quod in vnius Chriſti corpus coaleſcamus. Huius coagmentationis efficacia ſymbola ſunt fidelibus, Baptiſmus & Cœna Domini: Quicunq; enim baptiſati ſumus, Chriſtũ induimus. Nã vt in baptiſmo ſpiritu regeneramur: ita in cœna dicimur Domino incorporari. Nã cum dicit Apoſtolus, omnes eandẽ potionem potaſſe in vnũ ſpiritum, declarat vno viuifico ſanguinis Domini potu participes nos fieri ſpiritus Chriſti, qui per omnia mẽbra permeans, ſingula viuificat, redditq́; ſuis functionibus idonea. Ex his colligamus coagmentationis noſtri inter nos in eodẽ corpore myſtico cauſſas eſſe, Spiritũ Chriſti, Baptiſmum, & Cœnã Domini, per quæ Chriſto primum capiti cõiungimur. Deinde inter nos ſpiritu coagmentamur & coaleſcimus, modo alioqui verè ſumus quod audimus, hoc eſt, Chriſtiani. Hanc coniunctionem locorũ diſtantia & corporum nequaquam impedit, quia myſtica & ſpiritualis eſt. DEINDE ex Pauli verbis colligitur & hæc hypotheſis, quod vita membrorum ſit idẽ ſpiritus, qui diſtribuit ſingulis prout vult. TERTIO, quod diſtincta ſint & eſſe debeant officia & gradus in Eccleſia, ſicuti membrorum diuerſorum in eodem corpore. Hinc eſt quod alios cõſtituat in Eccleſia Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores, alios Doctores, &c. Huc dona ſanationum, gubernatores, genera linguarum, & alia quæ Apoſtolus ad Corinth. enumerat, pertinent. QVARTO, Hæc ſimilitudo monet, vt ſingula membra ſtrenue ſuum faciant officium, quæque ſuo loco iuxta donum gratiæ. QVINTO monet hæc ſimilitudo, vt membrorum diuerſitas non ſit occaſio diſsidiorum & odiorum, ſed potius vinculum neceſsitudinis & ſanctæ concordiæ. SEXTO monet hæc ſimilitudo, vt ad totius corporis commodum, conſeruationẽ & vſum ſuas functiones membra conferant. Etſi enim aliud manus, aliud pedis, aliud oculorum. aliud aurium eſt officiuma, d eiuſdem tamen corporis incolumitatem omnia referenda ſunt. SEPTIMO monet hæc ſimilitudo, vt mutuis afficiamur & commodis & incommodis. Hinc Paulus: itaq; ſi patitur vnum membrum, ſimul dolent omnia membra, ſiue honore afficitur vnum membrum, cõgratulantur omnia membra. POSTREMO monet hæc ſimilitudo, vt glorioſum huius Chriſti corporis membra eſſe qualiacunq; putemus, cogitemusq́; communia corporis bona eo pertinere, vt concordiam & amicitiã inter nos alamus. Hinc Paulus, Vnum eſt corpus, vnus eſt ſpiritus, ſicut & vocati eſtis in vnam ſpem vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnia (in totam Eccleſiã ſummum tenens imperium) & per omnia (prouidentia ſua omnia Eccleſiæ membra late per orbem diſperſa complectens) & in omnibus vobis (nos in Chriſto coniungens.)

Siue prophetiam, iuxta anologiam fidei.

Diſtributio eſt donorum quibus membra myſtici corporis Chriſti donata ſunt in mutuam ædificationem: ac primo loco ponit Eccleſiaſticas functiones, nempe prophetiã & diaconiam, quæ ſum-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mum locum in Eccleſia obtinent. Defectus orationis ex ſuperioribus hoc modo reſarcietur: Siue prophetiam (ſcilicet quis habeat) iuxta analogiā fidei (ſcilicet ea vtatur ſeu eam habeat.) Eſt autem prophetia donum vel præuidendi futura, vel interpretandi ſcripturā. Neque dubium eſt quin hoc poſteriori ſignificato prophetiæ vocabulum hic à Paulo accipiatur, quod indicat modus prophetiæ quem ſubiungit: iuxta analogiam fidei. Vult autem Apoſtolus prophetiam fieri iuxta analogiam fidei, hoc eſt, conſentire cum fidei ſeu religionis Chriſtianæ primis axiomatis, quæ axiomata in articulos ſymboli Apoſtolici breuiter congeſta ſunt. Hîc monentur Doctores, vt non diſcedant à pacto Dei cum Leuitis inito, quod eſt annunciare verbum ex ore Dei, cauereque ne humanas doctrinas in locum verbi Dei ſubſtituant, & auditoribus obtrudant.

Siue miniſterium, in miniſtrando, ſiue qui docet, in doctrina.

Hiſce verbis nihil aliud vult Paulus, quàm vt ſinguli ſui officij finem ſpectent. Qui ergo Diaconum bonorum Eccleſiæ agit, ſit ſedulus in eo officio: & qui prouinciam docendi ſuſcepit, hunc ſibi proponat finem, vt totum ſe illi rei accommodet.

Siue qui exhortatur, in exhortatione.

Tanta eſt hominum oſcitantia, etiam in negocio propriæ ſalutis, vt niſi ſtimulis exhortationum & obiurgationum inſtigentur, doctrina maneat inefficax. Admoneantur igitur hoc loco verbi præcones, vt non ſolum cogitent officium ſuum eſſe, quæ recta ſunt docere, verumetiam vt doctrinam auditoribus accommodent. quod fit, dum Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum exemplo, ea quæ docuerunt exhortando veluti inſtillent, & varios affectuum motus excitent.

Qui diſtribuit, in ſimplicitate.

Hoc ad Diaconos pertinet, quorum officium eſt eleemoſynas Eccleſiæ diſtribuere egentibus, idque in ſimplicitate, hoc eſt, ſine corruptione affectuum, ſiue perſonarum reſpectu.

Qui pręeſt, cum diligentia.

Hoc membrum pertinere videtur ad eum ordinem presbyterorum, qui externā Eccleſiæ politiam regebant, ac diſciplinæ cuſtodes erant, de quib. 1. ad Timoth. 5.

Qui miſeretur, cum hilaritate.

Eum intelligit hoc loco Apoſtolus, qui curandis pauperibus erat deſtinatus vt ferè tum temporis viduæ. Quod autē hoc latius non accipio, in cauſſa eſt, quod Paulus adhuc agat de functionibus Eccleſiaſticis, quarum aliquot genera hîc recenſuit. Quod autem requirat hilaritatem in hoc officij genere, ideo fit, quia huiuſmodi officia ſæpe magnas moleſtias habent, cum propter importunitatē eorum, qui iuuari cupiunt, tum propter alias cauſſas. Requirit ergo Apoſtolus, vt qui huiuſmodi muneri præfecti ſunt, ita animos componant ſuos, vt ſemper officiū cum quadam animi hilaritate facere videātur.

Dilectio ſit minime ſimulata.

Hactenus de functionibus Eccleſiaſticis: nunc de communibus officijs acturus auſpicatur à dilectione, à qua reliqua omnia officia manant. Dilectionem itaque tanquam caput ſeu fontem communium officiorum primo loco requirit, hanc non vult eſſe fucatam, ſed ſinceram à pio corde profectam.

Sitis auerſantes malum, adhærentes bono.

Dilectionis effecta ſunt, malicioſum ſtudium excludere, & officioſam benignitatē complecti, quoties cum proximo agendum eſt. Vult igitur Apoſtolus, vt nemini noceamus, ſed potius vt omnes, quantum quidem in nobis eſt, candide & benigne iuuemus.

Fraterna caritate ad vos mutuo amandos propenſi.

Vnde dilectio, erga quos exerceri, & qualis eſſe debeat, explicat. PRIMVM enim venire nobis in mentē debet, quod nos omnes ſimus in Chriſto fratres, quod Deus pater caros nos habe-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

at in filio: DEINDE, quod velit vt hanc caritatem erga nos mutuo exerceamus: TVM, vt non ſecus atque pueri & parentes ſe mutua ſtorga complectuntur, nos inuicem complectamur.

Honore alij alios præuenientes. Hoc quoque dilectionis eſt ingenium, quod dona Dei in alijs libeter agnoſcat ac veneretur. Sunt autem tres cauſſæ præcipuè, cur Chriſtianos ſe inuicem honorare deceat. PRIMA eſt imago Dei, ad quam homo conditus eſt primum, & iam in Chriſtiano reparatur indies. SECVNDA, donorum conſideratio. Nam ob dona, quibus Deus ornauit Eccleſiam, oportet, vt ea agnoſcentes, reuerenter eos complectamur, qui huiuſmodi donis ornati ſunt. TERTIA, vocationis ratio & eminẽtia. Hinc fit, quod parentes honorare vox legis præcipiat, quo mandato ſynecdochicôs continentur omnes, qui in aliquo dignitatis gradu conſtituti ſunt. Porrò honor eſt duplex: Externus & Internus. EXTERNVS, eſt externa quædam honoris & reuerentiæ exhibitio, quæ fit geſtu corporis, & alijs externis officijs, pro conſuetudine ac more Reipub. in qua viuitur. INTERNVS, eſt interna animi affectio, qua eos ſincere cõplectimur ac honoramus, in quibus vel dona Dei excellẽtia animaduertimus, vel quos Deus in eminentiori dignitatis cõſtituit gradu.

Studio non pigri. Hoc eſt, alij pro alijs ſoliciti eſtote, ac mutuo alter alterius onera ſubleuate, ſeu quilibet magno cum ſtudio in ſuo progrediatur officio. Nam non progredi, inquit Bernardus, eſt regredi.

Tempori ſeruientes. Hoc eſt, occaſiones nolite negligere, ſed quæuis potius capte tur occaſio ad benefaciẽdum, & ad officia mutua præſtanda. Quædã exemplaria Græca habent, κυρίῳ δουλεύοντες, hoc eſt, Domino ſeruientes. Si hanc lectionem ſequamur, hic erit ſenſus, quod in omni officio caritatis, quod proximo præſtandum eſt, debeamus ad Dominum reſpicere, qui ſibi noſtris officijs cultum præſtari ſentit. Huc illud ad Hebræos: Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, huiuſmodi enim ſacrificijs placetur Deo.

Spe gaudentes. Quia vt plurimum pij premuntur in hoc mundo cruce, opponit cruci fiduciam certæ liberationis: fiducia faciet vt in medijs ærumnis bono ſimus animo. huc illud Chriſti dictum: Gaudete, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

In tribulationibus patientes. Effectus eſt ſuperioris præcepti. Nihil enim magis patientiam operatur, quam ſpes læti exitus. Eſt etenim hæc vna Chriſtianorum fortitudo, malis non ſuccumbere.

Spiritu feruentes. Hoc eſt, indies magis magiſq; ſpiritum excitantes, vt ſit ardentior in pugna aduerſus cupiditates carnis: & feruentior in omnibus pietatis exercitijs, in inuocatione, in caritate atque alijs motibus congruentibus cum lege & voluntate Dei.

In oratione perſeuerantes. Ac ſi dicat: Etiamſi mox non videbimini impetrare quod petitis, nolite tamen diffidentia à petendo deſiſtere, ſed exemplum potius mulieris Lucæ 11. imitamini.

Neceſsitatibus ſanctorum communicantes. Requirit liberalitatem erga indigentes fratres.

Hoſpitalitatem ſectantes. Species quædam eſt ſuperioris pręcepti. Hoſpitalitas magna virtus eſt, quam nobis plurima ſanctorum exempla commẽdant, vt Abrahami, Loth & aliorũ. Verum ne quis excipiat dicatq; ſe paupertate impediri, quo minus illud officium hoſpitibus præſtare poſsit, Paulus potiſsimum affectum requirit, ſi vna cum affectu externum opus

præſtari non poſsit. Nam φιλοξενία propriè affectus eſt, quo amanter complectimur hoſpites, eos conſolamur, ac noſtris conſilijs recreamus. Hoſpites enim & exules pauperiores, non ſolum opus habent corporum refectione, verumetiam animorum conſolatione, ne exilio fracti, confeſsionem abijciant.

Benedicite ijs qui vos perſequuntur, benedicite & non malum imprecemini.

Benedicere phraſi Hebraica eſt bene precari, & beneficia in aliquem conferre. Vult ergo Apoſtolus, vt ijs, qui nos perſequunrur, precemur ſaniorem mentem, vt & ipſi tandem ad Deum conuertantur. Eſt autem hoc loco diſcernendum inter hoſtes Dei, & noſtros priuatos inimicos. Hoſtibus Dei optare quidem oportet conuerſionem ad Deum, vt ex hoſtibus amici, immo filij fiant. Verum ſi conuerti recuſauerint, cum Dauide ipſis confuſionem precabimur, ac iudicium Dei contra ipſos non tacebimus. Hoc etiam Chriſti facto confirmatur, qui & Herodem vulpem, & Phariſæos parietes dealbatos appellauit. & Paulus ad Galatas ait: Si quis aliud Euangelium docuerit, ſit anathema. Porrò geminatio eò pertinet, vt ſciamus hoc officium ſerio à nobis requiri.

Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.

Qualis συμπάθεια Chriſtianorum eſſe debeat, hac docetur hypotheſi. Vt enim mẽbra mutuis bonis & malis afficiuntur: ita membra corporis Chriſti myſtici erga ſe mutuo affecta eſſe debent, vt rebus aliorum proſperis congratulemur, & contra, aduerſis triſtemur.

Mutuo alij in alios ſenſu affecti.

Hoc eſt, ſitis concordes & vnanimes inter vos.

Non arroganter de vobis ſentientes.

Hoc eſt, Etiamſi quis inter vos maioribus videatur donis excellere, non propterea alios ſuperbe, tanquam ex alto deſpiciat, neque ſibi aſſcribat quod Dei eſt. Quid habes, inquit Apoſtolus, quod non accepiſti? Vult ergo Apoſtolus omnem ambitionem & arrogantiam à Chriſtianis pectoribus exulare. Nihil enim magis ſcindit concordiam atque ambitio. Huc illud: Inter ſuperbos ſemper iurgia.

Sed humilibus vos accommodantes.

Antitheſis eſt ſuperioris præcepti. Requirit enim veram humilitatem, quæ oritur ex vera noſtri cognitione.

Ne ſitis prudentes apud voſmetipſos.

Hoc eſt, ne veſtro iudicio ſapiatis nimium, ac ſi nõ indigeretis aliorum conſilijs, hoc præceptum habetur Prouerb. 3. Ne ſis ſapiens in oculis tuis. Eſt autem fons arrogantiæ, ſuæ ſolertiæ ac iudicio plus ſatis tribuere, ac propriæ prudentiæ opinione turgere. Verum cum ideo rationem & ſermonem Deus hominibus tribuit, vt alij aliorum iudicia & conſilia audiant, verè prudentis eſt iſta media amplecti, atque aliorum iudicia & ſententias audire.

Nemini malum pro malo rependentes.

Hîc nõ loquitur de vindicta. nam de ea paulò poſt acturus eſt, Sed monet ne par pari referamus, ſi quod officium aliquando nobis denegatum fuit. hic nõ vult Apoſtolus, vt par pari referamus, ſed potius vt perinde faciamus, ac ſi aliorum beneficijs prouocati eſſemus. Qui ergo aliquando tibi mutuum negauit, illi ipſi indigenti opem feres, immemor olim tibi negati officij.

Præuidentes bona cum omnibus hominibus.

Iubet vt inprimis attenti & ſoliciti ſimus, vt vita noſtra bene & honeſtè inſtituatur, ne quis habeat quod in nobis merito culpari poſsit, hoc eſt, vt Paulus alibi loquitur, vt ſimus ἀπρόσκοποι, & vt Chriſtus ait, Lux noſtra luceat coram hominibus, vt glorificetur pater noſter cœleſtis. Breuiter, vult nos eſſe typos aliorum in fide & in conuerſione.

Si fieri poteſt, quantum eſt in vobis,

Requirit Apoſtolus vt pacificè cũ

cum

cum omnibus hominibus pacē habentes.

alijs hominibus viuamus, quantum quidem in nobis eſt. Nam cum in hac mundi malicia plena inter homines pax non eſt ſperanda, monet vt demus operam, ne per nos ſtet, quo minus pacificè viuatur.

Non voſmetipſos vlciſcentes dilecti, ſed date locum iræ, Scriptum eſt enim, Mihi vindicta, & ego rependam, dicit Dominus.

Vindictā prohibet, ſed priuatam, id quod antitheſis oſtendit, Sed date locum iræ, id eſt, pœnæ Dei vindicantis, nunc per ordinarium magiſtratum, nunc ſine magiſtratus opera. Hanc eſſe ſententiam huius hypotheſios, oſtendit ſubiecta probatio. Mihi vindicta, mihi ſcilicet ordinanti pœnas per magiſtratum, aut alioqui punienti per me, quos magiſtratus non punit. Obſeruetur hîc, quod Deus nobis adimat ius vindicandi, ac ſibi ſoli illud attribuat, ſignificans vindictam ad ſuam pertinere gloriam. Quare qui proprias iniurias vlciſcuntur, quantum in ſe eſt, gloriam Dei lædunt.

Si igitur eſurit inimicus tuus, ciba eum, ſi ſitit, da ei potum.

Dixit non reddendum malum pro malo, nec vindictam quærendam eſſe, cuius rei certiſsimum argumētum affert, quod eſt benefacere inimico, cibando eum ſi eſurit, & dando potum eidem ſi ſitit: quod profecto vt rariſsimum, ita ſanctiſsimum eſt victoriæ genus. Porrò hanc hypotheſin ſumſit Apoſtolus ex 25. capite Prouerbiorum, cum ſequenti ratione.

Hoc enim ſi feceris, carbones ignis coaceruabis in caput eius.

Ratio à fructu beneficij inimico præſtiti. Hoc Salomonis ænigmate ſignificatur animus inimici vri beneficijs acceptis, vt frangatur vel in hanc vel in illam partem. hoc eſt, vt aut emolliatur, & ex hoſte fiat amicus, aut vratur & æſtuet teſtimonio propriæ conſcientiæ, quod ſane pars quædam eſt diuinæ vindictæ.

Ne vincaris à malo, ſed vince in bono malum.

Hoc eſt, bonitate & innocenti vincere tuos hoſtes conare: quod ſane victoriæ genꝰ Chriſtiano milite digniſſimum eſt. *Nobile vincendi genus eſt patientia, vincit Qui patitur, ſi vis vincere, diſce pati.*

CAPVT XIII.

Summa Capitis decimitertij.

Quilibet ſuo magiſtratui ſubiectus ſit, reddat ſingulis debita, diligat proximum, ac vitam inculpatam viuat.

Ordo & partes Capitis decimitertij.

Superiori capite de officijs Eccleſiaſticis & moribus priuatorum egit. hîc autem politicam vitam inſtituit. Ac PRIMVM *de magiſtratus ac ſubditorum analogo agit officio: vnde ad communia deſcendens, docet quid ſingulis hominibus præſtandum ſit, idq; ex caritatis lege.* TVM *ad vitæ innocentiam, & morum puritatem hortatur. Tres igitur huius capitis erunt principales partes, quarum* PRIMA *exhortationem ad præſtandam obœdientiam proprio magiſtratui habet, vbi & officium magiſtratus perſpicue traditur.* SECVNDA, *exhortatio eſt ad dilectionem erga omnes:* TERTIA, *continet exhortationem ad mores priuatos formandos, nimirum vt quilibet apud ſe innocentiæ & puritati vitæ ſtudeat.*

EXEGESIS DECIMITERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

OMNIS anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto.

PROPOSITIO primæ partis huius capitis, præcipiens obœdientiam erga magiſtratum ciuilem, cuius ſenſus eſt: Quilibet homo ſuo magiſtratui ſubiectus eſto. PORRO in hac propoſitione quatuor ſpectandæ ſunt circumſtantiæ. PRIMA, quiſnam obligetur hoc præcepto. SECVNDA, quid præcipiat, nempe ſubiectionem. TERTIA, cuinam illa ſubiectio debeatur. QVARTA, cauſſa ſubiectionis. PRIMA indicatur hiſce verbis: Omnis anima. Etſi autem anima ſynecdochicôs pro homine accipitur, hîc tamen non caret emphaſi tropus. Vult enim Apoſtolus omnem hominem cuiusq; fuerit conditionis & ſtatus obligatum eſſe hac lege. Vnde Chryſoſtomus hunc locum explanans ait: Quod hæc omnibus præcipiantur, non ſolum ſecularibus, ſed etiam ſacerdotib9 & Monachis, declarat exordium cum dicat: Omnis anima, ſiue Apoſtolus, ſiue Euangeliſta, ſiue Propheta, ſiue quiſquis fueris. Neq; enim ſubiectio pietatem euertit. Hæc ergo circumſtantia ex diametro pugnat cum immunitate, quam ſibi ſacrilege arripiunt Papiſtæ. Papa enim hoc Pauli præceptum impiè inuertit. Nam cum ille iubetur voce Apoſtoli vt magiſtratui ciuili ſit ſubiectus, is contra, ſe ſupra omnem magiſtratum extollit, ſe Chriſti vicarium in terris mendaciter appellitans. SECVNDA circumſtantia, eſt de ſubiectione quæ magiſtratui debetur, quæ duo potiſſimum continet, reuerentiam & obœdientiam non pugnantem cum lege Dei. TERTIA circumſtantia eſt, quod hæc ſubiectio debeatur poteſtati, hoc eſt, magiſtratui, qui in nos ius & dominium habet. Nam ἐξουσία poteſtas eſt autoritate & iure prædita. QVARTA circumſtantia, cauſſam ſubiectionis indicat, quæ cauſſa voce ὑπερεχούσαις ſignificatur, Quilibet enim ideo magiſtratui ſubijci debet, quia magiſtratus in ſuperiori gradu collocatus eſt. Significatur ergo hîc relatio mutua ſuperioris & inferioris. Vnde & hoc conſequitur, quod non alieno, ſed noſtro magiſtratui debeamus ſubiectionem.

Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo.

Ratio propoſitionis à cauſſa efficiente ſumta. Deus conſtituit poteſtatem. Igitur poteſtati ſubiectum eſſe oportet. Hîc diſtinguendum eſt inter Rem & perſonas. RES videlicet poteſtas ipſa, hoc eſt, magiſtratus eſt, qui Deum autorem habet. Verum PERSONÆ rem hanc haud raro ſuo vicio contaminant, vt Achab, Nero, Iulianus, & multi alij, quibus Elias, Eſaias, Elizæus & Paulus nequaquam obtemperare debuerunt in ijs, quæ impie cõtra Deum pręceperunt, ſed in externis rebus & politicis officijs obœdientiam præſtiterunt.

Quæ enim ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt.

Expolitio eſt. Modum enim quo Magiſtratus à Deo eſt, declarat: nimirum quod ſit diuina quędam ordinatio, & ſimul reſpondet obiectioni illorum, qui opinabantur magiſtratum tanquam malum pœnæ à Deo eſſe, & non eſſe ordinationem Deo placentem. PORRO cum dicat Apoſtolus poteſtatem ordinationem Dei eſſe, tria docet. PRIMVM, quod ius ipſum magiſtratus à Deo ſit. DEINDE, quod huius poteſtatis diſtributio & εὐταξία Deo quoque ſit aſſcribenda, vt ſciamus etiam extremis & infimis ordinibus parendum eſſe. TVM, quod quæ iuri & poteſtati connexa ſunt, à Deo quoq; autore proficiſcantur, vt ſunt omnia vincula humanæ ſocietatis, leges, inſtituta, diſciplina, conſuetudines prudentum autoritate approbatæ, iudicia, contractus, artificia, ſtudia, breuiter omnia quæ faciunt ad conſeruandos & orandos ſtatus à Deo approbatos & ordinatos. Hæc omnia recte ad Deum autorem retuleris, donec à lege naturæ ſeu Decalogi diſſentire non deprehendantur: quod cum fit, non Dei ordinationi, ſed malitiæ & diabolorum & hominum aſſcribenda ſunt. Quare fugienda ſunt, vt quæ turbant & contaminant ordinationem diuinam.

Itaq; quiſquis reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.

Illatio SECVNDI argumenti à parte definionis poſitæ ſumti. Magiſtratus eſt ordinatio Dei. Ego qui magiſtratui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Sed cum hoc nemini liceat facere, Sequitur magiſtratui parendum eſſe.

Qui autem reſiſtunt, ſibijpſis iudicium accipient.

TERTIVM argumentum à neceſſiate vitandæ pœnæ ſumtum, & loco totius argumenti ſola propoſitio ponitur

ponitur. Qui reſiſtunt magiſtratui, ſibijpſis iudicium accipient, hoc eſt, accerſent ſibi pœnas. Eſt enim metalepſis: Sed quilibet cauere debet, ne ſibi pœnas accerſat. Nemo igitur debet magiſtratui reſiſtere, ſed parere potius, quo pœnam vitet. Iudicium hoc loco ſignificare pœnam, quæ ſententia magiſtratus reo infertur, ea quæ mox ſequuntur docebunt.

Principes enim non ſunt terrori bonis operibus, ſed malis.

Propoſitionis proximi argumenti probatio eſt. Principes puniunt male agentes. Ergo, Qui illis reſiſtit, iudicium, hoc eſt, pœnam ſibi accerſit.

Vis autem non timere poteſtatem, quod bonum eſt facito, & habebis laudem ab ea.

QVARTVM argumentum ab vtili ſumtum. Bene agentes laudem ferunt à magiſtratu, tantum abeſt, vt magiſtratus bene agentibus ſit terrori, Quare magiſtratui bene agendo obtemperandum eſt. Loquitur autem hic de natiuo magiſtratus officio: à quo tametſi homines in magiſtratu conſtituit ſæpe aberrant: tamen illis obœdientia in rebus licitis eſt deferenda. ex quo fiet, vt ex ea parte non ſint bene agentibus terrori, Vnde Nazianzenus: φοβῶν γὰρ ἔξω πᾶς ὁ τῶν νόμων φύλαξ. At ſi pietatis nomine te perſequitur magiſtratus, ne timeas magiſtratum, nec cedas illi, ſed Deo potius obtempera, exemplo ſanctorum Prophetarum patienter ferendo crucem, & expectando glorioſam liberationem.

Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.

Ratio, cur rectè faciens non debeat timere magiſtratum, ſed potius expectet laudem à magiſtratu, ſumta à fine magiſtratus. Magiſtratus eſt miniſter Dei obœdienti in bonum. Ergo qui obtemperat, non metuere magiſtratum, ſed præmium potius ab eo expectare debet.

Si vero male feceris time, Non enim fruſtra gladium geſtat.

QVINTVM argumentum à pœna, in quam incurrit qui magiſtratui non obtemperat. Magiſtratus punit non obtemperantes. Ergo, vt pœnam euadas illi obtempera. Antecedens probat à deſtinatis. Magiſtratus geſtat gladium. Ergo eum ſtringet in contumaces & rebelles.

Dei enim miniſter eſt, vindex in iram aduerſus eum qui male agit.

A fine magiſtratus ſeu proprio probat, magiſtratum timori eſſe malè agentibus, atque in eum finem geſtare gladium ſibi à Deo traditum. His Pauli verbis ſtabilitur magiſtratus autoritas, nimirum quod ſit diuina. Magiſtrat⁹ enim vice Dei fungitur, cum in pręmijs dandis obœdiētibus, tum in pœnis infligendis contumacibus.

Itaque neceſſe eſt ſubijci, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

Concluſio eſt proximi argumenti, cui attexit SEXTVM argumentum à neceſsitate obœdientiæ. Peccatum, quo conſcientia fit rea & vaſtatur, cauendum eſt. Talis eſt contumacia aduerſus magiſtratum. Igitur cauenda, & magiſtratui obtemperandum eſt. HIC obſerua, quod obœdientia erga magiſtratum non ſit res media & adiaphora, ſed huiuſmodi, vt etiam hominis conſcientiam obliget. Quare qui conſcientiam ſuam illæſam ſeruare cupit, non detrectet magiſtratus imperium, modo cum obœdientia, quæ Deo debetur, ſtare poſsit.

Propter hoc enim & vectigalia ſoluite, Dei enim miniſtri ſunt, in hoc ipſum incumbentes.

Hactenus iuſta cõfirmatione probatum eſt, quod magiſtratui ſubiectũ eſſe oporteat omnem hominem: Nũc autem eidem vectigalia eſſe ſoluenda, duplici argumento probat, PRIMVM, à cauſſa efficiente ſumitur. Principes ſunt λειτουργοὶ Dei, hoc eſt, publici miniſtri Dei, qui à Deo ipſo Rebuſpublicis præfecti ſunt, vt publica negocia tractent, & ea quæ ad incolumitatem reipublicæ faciunt, agant. Igitur vectigalia ſunt illis pendenda. ALTERVM à fine magiſtratus ſumitur: Magiſtratus magnum

pondus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

pondus ſuſtinet, cum oppugnando malos, tum defendendo bonos, Itaque vectigalia illis ſolui debent. IN hoc ipſum, hoc eſt, vt malos oppugnent & bonos tueantur, προσκαρτεροῦντες, in hoc incumbentes, inuicta ſcilicet quadam & diuina fortitudine, vt Deo fidem ſuam in officio ſibi commiſſam approbent.

Reddite igitur omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Illatio generis, quod mox in certas ſpecies diuidit. Reddite omnibus debita, hoc eſt, cuiq; quod ipſi debetur. Et loquitur hîc de ijs debitis, quæ ciuili obligatione debentur. Ponit autem hîc quatuor ſpecies eorum quæ poteſtatibus debentur, quæ ſunt Tributũ, Vectigal, Timor, Honor. quorum duo prima, tributum & vectigal hoc modo differunt. Tributum Græcè φόρος eſt, quod viritim imponitur, & pro cenſus ratione penditur. Vectigal verò Græcè τέλος vt ſunt portoria, & quæ pro inuectis aut exportatis mercibus perſoluuntur. Præterea, vt timor Hebræorum more pro obœdientia ex animo proficiſcente capitur: ita honor pro reuerentia ſincera & voluntaria, quæ magiſtratui debetur, accipitur.

Nemini quicquam debeatis, niſi hoc vt alij alios diligatis.

In prima huius capitis parte officium Chriſtianorum erga magiſtratum docuit, quod ſub quarto præcepto continetur. Hîc tranſit ex hypotheſi ad genus, qualenam ſit Chriſtianorum officium erga omnes oſtendens, ſimul ad illud ipſum exhortans. Principio autem duplicis debiti meminit, quorum VNVM ſoluere, vt nihil debeant, Chriſtianorũ eſt. ALTERVM, perpetuo quidem ſoluere ſtudebunt, quod tamen nunquam perſoluent ita, quin debitores adhuc maneant. PRIVS illud debetur ciuili obligatione. Eſt autem ciuilis obligatio, quando ciuilibus legibus aliquis ad ſoluendum obſtrictus eſt ita, vt magiſtratus cogere poſsit & punire legibus non ſoluentem. Cum ergo Paulus dicit: Nihil cuiquam debeatis, vult nos ſeruare leges contractuũ, & non defraudare alios in ciuilibus officijs. Cum autem hoc debitum Paulus vult nos ſoluere, ſatis ſignificat rerum diſtinctiones iuris diuini eſſe, quemadmodum & ſeptimum præceptum, non furtum facies, manifeſte docet. POSTERIVS debetur obligatione naturali. Eſt autem obligatio naturalis, qua natura obligati ſumus ordine diuino, ad perpetuam dilectionem. Hac obligatione debemus multa officia non debita ciuili obligatione. Cum ergo Paulus dicit: Niſi hoc, vt vos mutuo diligatis, ſignificat perpetuam obligationem eſſe, qua nos Deus & natura obligat, ad officia alijs præſtanda. Huius obligationis cauſſa eſt, quod creatura perpetuo debeat obœdientiam creatori. Et eſt obſeruandum, quod Paulus exhortaturus ad communia officia caput ſummum Decalogi de dilectione proponat, ex qua reliqua officia omnia manant.

Nam qui diligit alterum, legem impleuit.

Probat omnia officia alijs debita in dilectione includi. Loquitur autem hîc de officijs erga proximos in hac vita, ſicuti & ipſa propoſitio & enumeratio mox ſequens oſtendit. Quare perperam hunc locum Papiſtæ contra totam ſuperiorem doctrinam, de gratuita iuſtificatione torquent. Neq; enim Paulus dicit quenquam hanc legem præſtitiſſe, ſed tanquam caput officiorum mutuorum dilectionem ſtatuit, & ſub conditione loquitur. Quare legis vocabulum hoc loco ad ſecundam ſolummodo tabulam reſtringendum eſt.

Siquidem illud: non mœchaberis, non occides, non furaberis, non dices falſum teſtimonium, non concupiſces. Et ſi quod aliud eſt mandatum, in hoc ſermone ſummatim comprehenditur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

Ætiologia per enumerationem partium legis, & poſſunt ſingulæ partes enthymematicè concludi per locũ à repugnantibus, hoc pacto: Qui diligit proximum, non mœchatur. Repugnat enim dilectioni, alterius thorum maculare, alterius caſtitatem violare, & conſcientiam vaſtare. Qui diligit proximum non occidit. Proficiſcitur enim occiſio proximi ex odio aduerſus illum, quod manifeſte & ex diametro cum dilectione pugnat. Qui diligit proximũ non furatur. Quia proximum damno & dolore afficere caritati repugnat. Qui diligit proximũ, nequaquam dicit contra ipſum falſum teſtimonium, quia illud ſimiliter ex odio proficiſcitur, &

tendit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tendit in alterius perniciem. Qui diligit proximum, non concupiſcit ſcilicet res proximi. Nam qui proximũ amat, potius res ipſius augeri quàm diminui cupit. Huic enumerationi, vt artifex, genus ſubijcit. Et ſi quod aliud eſt mandatum, in hoc ſermone ſummatim comprehenditur, Græcè ἀνακεφαλεοῦται, hoc eſt, in ſummam & compendium redigitur. PORRO in dicto legis: Dilige proximum ſicut teipſum, quatuor ſunt: Mandatum, dilectionis affectus, obiectum & modus dilectionis per comparationem.

Caritas proximo malum non operatur.

Partes poſitas in dilectione includi ſumto argumento à negato genere comprobat: Caritas proximo non operatur malum. Ergo nec mœchatur, nec occidit, nec furatur, nec falſum teſtatur, nec concupiſcit. Hæc enim omnia mala ſunt, & dum perpetrantur proximus læditur.

Conſummatio itaq; legis eſt caritas.

Concluſio eſt ex proxima enumeratione collecta, nec aliud vult hæc concluſio, quàm in dilectione legem de mutuis officijs incluſam eſſe. Quare monemur, vt in omnib. officijs in hac vita dilectionẽ ex fide tanquã regulam intueamur ac ſequamur.

Idque perſpecta opportunitate, quod hora iam ſit nos à ſomno expergiſci.

Exhortationem ad vitæ innocentiam attexit, ſumta ratione à temporis circumſtantia. Facit autem collationem duplicis temporis, nimirum præteriti, quo viximus in ignoratione Chriſti, & pręſentis, quô nobis lux Euangelij affulſit. illud nocti, propter denſas ignorantię noſtrę tenebras, hoc diei, propter ſcientiam ſalutis, nobis per Euangelij prædicationem patefactam, comparans. Vult igitur vt induſtrios homines imitemur. Nam vt illi tranſacta per ſomnum nocte, mox ſole orto ad labores, relicto ſomno ſurgunt: ita nos, orta nobis luce Euangelij, errore relicto, ardentes eſſe debemus in ſalutis noſtræ negocio.

Nunc enim propius nos eſt ſalus, quam cum credidimus.

Ratio à tẽporis collatione. Olim, nondum exhibito Chriſto, remotius à nobis videbatur ſalus eſſe, At nunc illo exhibito & prædicato per Euangelium, propius nos eſt ſalus. Quare noſtrum erit, ne hanc occaſionem negligamus.

Nox præterijt, dies autem aduenit.

Allegoricè idem repetit, quod paulò antea dixit. Eſt autem ſenſus: Tenebræ ignorantiæ per allatam Euangelij lucem diſparuerunt, & cœpit ſcientiæ ſalutis lux fulgere. Quare æquum eſt, vt relictis tenebris in luce ambulemus. Confert autem Apoſtolus hoc loco tempus quo vixerunt Romani in gentiliſmo ante Chriſtum exhibitum, cum tempore prædicati apud ipſos Euangelij, iam Chriſto exhibito.

Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

Concluſio eſt: Nox præterijt: Ergo opera noctis abijciamus. Dies aduenit: Proinde opera lucis ſectemur, faciamusq́ue ea, quæ lucis requirit conditio. Vt autem opera tenebrarum vocat eam vitam, quam agere ſolent qui lucis conſpectum fugiunt: ita arma lucis vocat opera fidei, & quæ decent lucem Euangelij.

Tanquam in die compoſite ambulemus.

Vt modeſti homines interdiu cauent, ne quid indecorum appareat in habitu & cultu corporis: ita eorum eſt, quibus lux Euangelij eſt orta, honeſte ac decenter viuere.

Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus ac laſciuijs, non in lite & inuidia.

Quædam tenebrarum opera, exempli gratia, quæ vult nos fugere Apoſtolus, enumerat. Per comeſſationes conuiuia laſciua & immoderata intelligit. κῶμος enim veteribus Deus nocturnorum conuiuiorum & voluptariæ vitæ habebatur, vnde & comeſſatio nomen habet apud Latinos. Per cubilia intelligit vagos con-

cubitus, & veneream vitam, qualis ebrioſorum eſſe ſolet. Laſciuiæ Græcè ἀσελγείαι, improbitatem & contumeliam per petulantiam admiſſam notant, vnde lis & inuidia ſequitur.

Sed induamini Dominum IESVM CHRISTVM, & carnis curam ne faciatis ad concupiſcentias.

Vt opera tenebrarum deponenda, & noctem fugiendam eſſe docuit: ita hîc arma & indumenta lucis requirit, ac iubet vt induamus Chriſtum Dominum, vt illo veſtiti, compoſite in luce Euangelij ambulemus. Veſtimur autem Chriſto dupliciter: PRIMVM ipſius merito ſeu obœdientia, qua meruit nobis remiſsionem peccatorum, vt peccata noſtra non amplius appareant coram Deo, ſed ſint tecta & abolita Chriſti ſanguine. SECVNDO, efficaci præſentia, qua nos regit, conſolatur, ſanctificat. Cum igitur iubet Paulus, vt Chriſtum induamus, vult vt fide illum apprehenſum imitemur, in vera innocentia & ſanctitate.

CAPVT XIIII.

Summa Capitis decimiquarti.

In rebus indifferentibus nemo alium offendat, ſed vnuſquiſque bona conſcientia agat, quicquid facit, viteťq; ſcandalum.

Ordo & partes Capitis decimiquarti.

Vt hoc caput facilius intelligatur, proderit obſeruare, qualiſnam tempore Apoſtoli Eccleſiæ ſtatus fuerit. Multi ex Iudæis, qui Romæ morabantur, Euangelij doctrinam receperant: multi quoque ex gentibus ad fidem erant conuerſi. illi quidem, aſſueti ritibus Moſaicis, non ſatis intellexerunt Chriſtianam libertatem, quare ritus quoſdam de cibis, & feſtis diebus obſeruantes, ſpreuerunt eos qui hos ritus non ſeruarunt, tanquam legis diuinæ tranſgreſſores: Hi, quia nihil habebant agendum cum ceremonijs Moſaicis, ſua ſunt vſi libertate, nulla aut perexigua infirmorum ratione habita. Vtroſque igitur Paulus in hoc capite corrigit. ac PRIMVM *tradit generalem, de aſſumendis infirmis fratribus, regulam.* DEINDE *generali regulæ certos caſus de cibis & ferijs ſubijcit: de quibus tum temporis maxime ab vtriſque diſceptabatur.* HVC *regulas quaſdam cum ſuis rationibus addit, moneťq;, vt nec ſcandalo ſint alicui, nec quicquam ipſi agant, niſi prælucente fide, propterea quod, quicquid non ſit ex fide, ſit peccatum.* PORRO *doctrina hæc nobis quoque inprimis vtilis eſt. Nam non paucas continet regulas, quæ nos regere, in rebus externis & adiaphoris, ne in earum vſu alijs ſimus offendiculo, debent.*

EXEGESIS DECIMIQVARTI CAPITIS

CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

CAETERVM eum qui fide eſt infirmus aſſumite, non ad dijudicationes diſceptationum.

Propoſitio generalem regulam ſeu doctrinam de ſubleuãdis infirmis in fide (hoc eſt, in Euangelij doctrina de Chriſtiana libertate, quæ quia credenda eſt, fides metonymicôs dicitur) continens. Eſt ergo ſenſus: Infirmum in fide aſſumite vobis, & eum erigite, cauentes ne ex veſtris diſceptationibus labefactetur ipſius conſcientia: neue magis dubius ex veſtris ambiguis diſceptationib. efficiatur, quam fuit. Doctrina hæc inprimis memorabilis eſt. Docet enim, ne quenquã mediæ & indifferentis rei cauſſa cõtemnamus aut fugiamus: ſed vt potius eius conſortium expetamus, quo per nos tandẽ edoctus, firmior in fide euadat. DEINDE hic locus inanes diſputationes & λογομαχίας, quales ſunt omnes quæ nihil ad ædificationem faciunt, vitandas eſſe monet.

Alius quidem credit veſcendum eſſe quibuſuis, alius autem infirmus edit olera.

Exemplum addit quo generalem regulam accommodat certis caſibus, vt vocant, ſeu ſpeciebus. Gentilis conuerſus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cõuerſus ad fidem, ſtatuit licere veſci quibuslibet: Iudæus vero non rectius edoctus, putat diſcrimina ciborum, iuxta legem Moſaicam, ſeruanda eſſe: ideoq; potius veſcitur oleribus, quàm cibis in lege vetitis. Obſeruanda eſt autem hoc loco duplex infirmitas, Mentis vna, altera Voluntatis. MENTIS infirmitas eſt iudicij, videlicet cum aliquis nõ ſatis edoctus de re dubitat, licita ſit nec ne. VOLVNTATIS autẽ infirmitas eſt, quando aliquis quod verum eſt certo nouit, non tamen idipſum propter paruitatem animi confiteri audet. Illa quidem caritate toleranda eſt, hæc vero monitione tolli debet. OBSERVETVR præterea hîc, quod infirmitas ſit, in cibis delectum Iudaicum facere.

Qui edit, non edentem ne ſpernat, & qui non edit, edentem non condemnet.

Duas regulas tradit: VNAM ei qui libertatem Christianam edoctus, veſcitur quibuslibet ſine diſcrimine, videlicet vt imbecillem fide non habeat pro nihilo, nec cõdemnet tanquam à Chriſti regno alienum. ALTERAM imbellici fide, videlicet ne ipſe vtentem libertate condemnet, tanquam legis diuinæ tranſgreſſorem. Doctrina obſeruetur catholica, quod verè piorum ſit, vt omni faſtu depoſito, alter alterius infirmitati medeatur. Nam caritas poſcit, vt prudenter & amicè pij ſe mutuo admoneant, & alter alterius onera portet.

Deus enim illum aſſumſit.

Ratio primæ regulæ. Non eſt pro nihilo habendus & ſpernẽdus quem Dominus aſſumſit. At eum qui non veſcitur, non ſatis edoctus in Chriſtiana libertate, de abolito ciborum delectu per CHRISTI aduentum, Dominus aſſumſit, Nequaquam igitur pro nihilo habendus eſt ab eo, qui veſcitur. Hic locus ſummam conſolationem continet, nimirum quod illi, qui initia habent timoris & fidei, non reijciantur à Domino, propterea quod omnia myſteria religionis exactè nõ teneant, Dominus enim eos aſſumſit, & ſuo fauore complectitur. Hæc tamen ita intelligi debent, vt non augeant torporem in nobis. Nã Chriſtianus animus perpetuo magis magisq; in ſchola Chriſti proficere cõtendet.

Tu quis es, qui condemnas alienum famulum? proprio domino ſtat aut cadit, ſtabilietur autem. Poteſt enim Deus eum ſtabilire.

Ratio ſecundæ regulæ, à iure gentium ſumta. Nemo debet ſibi ius ſumere in alienum ſeruum, Qui non edit, alienus ſeruus eſt. Nõ debes igitur ipſum damnare. Nam ſi lapſus eſt, poteſt à ſuo domino erigi, cui ſoli in lucrum & damnum cedit incolumitas & lapſus ſerui. Rurſus hoc loco docemur, ne imbecilliores & rudiores, tanquam deſperata eorum ſalute, condemnemus, Sunt enim Dei ſerui, quos Dominus ſuo tempore ..abiliet.

Alius quidem æſtimat diem præ die, alius autem peræq; æſtimat quemuis diem.

Aliud exemplum ſeu alium caſum ponit, nempe de dierum obſeruatione, cui ſuperior regula generalis accommodanda eſt. Iudæus fide infirmus æſtimat diem præ die, ex legis Moſaicæ præſcripto. Gentilis vero conuerſus, peræque æſtimat omnem diem. Didicit enim aduentu Chriſti ceremonias Moſaicas ſublatas eſſe. Hîc duo obſeruanda ſunt, PRIMVM, Quod propter ferias, aut alias res indifferentes Eccleſiæ vnitas non ſit ſcindenda. immo aliquid ad tempus fratrum infirmitati largiendũ eſt: Secus de obſtinatis & pertinacibus iudicãdum eſt. DEINDE, diſcrimen inter obſeruationem dierum Iudaicam & Chriſtianam tenendum. Illa religionis cauſſa ſuſcipiebatur, & putabatur per ſe cultus Dei eſſe, & neceſſaria propter præceptum: Noſtra tantum eſt diſciplinæ, & libera iudicatur. Neque enim eam violans, extra caſum ſcandali, & citra diſciplinæ contemtum, peccat.

Vnuſquiſque in proprio ſenſu plene certus ſit.

Regulam neceſſariam, in omnibus actionibus ſeruandam, tradit. Vnuſquiſque ſit plene certus in ſuo ſenſu, hoc eſt, nihil agat contra conſcientiam, nihil faciat de quo dubitat, ſitne licitum nec ne. Nemo igitur veſcatur, niſi intelligat licitum eſſe: nemo peræq; quemuis diem æſtimet, niſi plene nouerit diſcrimina dierum Moſaica ſublata eſſe. VETVS interpres dum vertit: Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet, hoc eſt, vt interpretantur: Suam ſequatur mentem, ſiue vt Ambroſius explicat, Suo remittatur conſilio, ſententiam Apoſtoli non ſolum corrupit, ſed etiam impiam proſus ac minime Chriſtianã ſubſtituit. Nam Deuteron. 14. aperte pro-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hibet Dominus, ne quis quod ſibi viſum eſt, pro ſua bona, vt vocant, intentione faciat: Non facietis, inquit, ſinguli quod ſibi rectum videtur.

Qui curat diem, Domino curat. Et qui non curat diem, Domino non curat. Qui edit, Domino edit, gratias enim agit Deo, Et qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.

Exempla regulæ generalis, qua præcipitur, vt nemo quicquam tentet contra conſcientiam. Qui curat, inquit, diem., hoc eſt, qui diem præ die æſtimat, iuxta legis Moſaicæ præſcriptum, Domino curat, hoc eſt, ideo hoc facit, ne Dominus offendatur, qui diſcrimina dierum in ſua lege præceperat, neque enim didicit adhuc libertatem Chriſtianam, de ſublato dierum diſcrimine. Quare laudãdus eſt potius quàm vituperandus, quod non audeat aliquid facere nondum confirmata conſcientia. Et qui non curat diem, id eſt, qui peræq; æſtimat quemuis diẽ, Domino non curat, id eſt, ideo hoc facit, quia ſcit DOMINO hoc placere. Eſt enim plene inſtitutus in Chriſtiana libertate, vnde haud ignorat, abolita eſſe Moſaica dierũ diſcrimina. Quare plene certus in ſua conſcientia, perinde æſtimat quemuis diem. EXEMPLVM de cibo, eodem explicandum eſt modo: Qui edit, id eſt, qui ſublatum Iudaicum ciborum delectum ſtatuit, & fiſus Chriſtiana libertate, quibuslibet veſcitur. Qui non edit, id eſt, qui adhuc fide infirmus, delectum Moſaicũ obſeruat in cibis, atq; ideo non veſcitur quibuslibet, ſed tantum conceſſis in lege Moſi. Vterque in DOMINO facit, id eſt, bona conſcientia id facit. Ille quidem Deum laudat, qui ſibi ius fecit veſcendi quibuslibet. Hic ſimiliter Deũ laudat, dum abſtinet ab eo, quo putat Deum offendi. PORRO ne quis hæc Pauli verba ad ἐθελοθρησκείας transferat, PRIMVM obſeruemus Paulum hìc loqui de infirmis, qui nondum plene Chriſtianam libertatem didicerunt, & non de præfractis, qui contumaciter ſe opponunt veritati, quales ſunt hodie plerique Papiſtæ. DEINDE obſeruandum eſt, Paulum hìc loqui de ſolis illis rebus & actionibus, quæ ſuapte natura ſunt mediæ & indifferentes. Quare verbis Pauli nequaquã putabimus nobis prohiberi iniuſte & impie facta fratrum reprehendere aut corrigere, quaſi illorum ſalus nihil ad nos pertineret. Nec Paulus reprehendit, ſi quis fratrem iuxta caritatis regulam ex errore reuocare ſtudeat, ſed leuitatẽ condemnandi alios, propter vſum rerum indifferentium, reprehendit Apoſtolus.

Nullus enim noſtrum ſibijpſi viuit, & nullus ſibijpſi moritur.

Pulcerrime probat à toto partem, quod in omnibus actionibus noſtris ad Domini voluntatẽ debeamus reſpicere. Ad arbitrium Domini, & non noſtrum & viuere & mori nos oportet. Ergo omnia quæ agimus ad voluntatem Domini ſunt exigenda. Vt autem ſibi viuere is dicitur, qui ſe vnum reſpicit, vt ex ſuo arbitrio & voluntate viuat, ita Domino viuit, qui Domini voluntatem vitæ regulam agnoſcit, Atque ideo ita vitam inſtituit, vt Domino reddendam ſibi rationem eſſe cogitet.

Nam ſiue viuimus, Domino viuimus, ſiue morimur, Domino morimur. Siue igitur viuamus ſiue moriamur Domini ſumus.

Ætiologia eſt à iure naturæ ſumta. Nos ad Dominum pertinemus, eiusque peculium ſumus. Ergo vitæ & mortis in nos poteſtatem habet. Proinde nullus ſibi debet vſurpare ius damnare alios, vbi non conſtat de ſententia Domini.

In hoc enim CHRISTVS & mortuus eſt & reſurrexit & reuixit, vt mortuis & viuentibus dominetur.

Ætiologiæ comprobatio à cauſſa ſeu merito. Chriſtus ſua morte & reſurrectione in ſuum peculium nos recepit. Igitur ipſius ſumus, ipſeque nobis merito dominatur. Si itaq; omnia in illum tendunt, nemo profecto debet vel propter cibum, vel propter dierum obſeruationem, aut vllam aliam rem mediam alium iudicare, ſed Domino ſoli permittere iudicium. Verum hic rurſus obſeruandum eſt, de quo iam admonui, videlicet quod Paulus hìc loquatur de infirmis in fide, & de vſu & abſtinentia rerũ mediarum. Nam longe aliter ſe res habet in actionibus præceptis & prohibitis. ibi enim iudicare, eſt iudicium Domini pronunciare, iuxta ſententiam verbo Dei præſcriptam. Veruntamen pronunciaturus contineat ſe intra iuſtos terminos, qui ſunt, vt ex amore iuſticiæ & timore Dei procedat pronunciatio, & tendat in bonum finem, quantũ in nobis eſt.

Tu vero

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Tu vero cur iudicas fratrem tuum? aut etiam, cur pro nihilo habes fratrem tuum?

Apoſtropha obiurgatoria ad vtrunque, hoc eſt, ad Iudæũ fide infirmum, & ad gentilem fide confirmatum. Eſt autem hic verborũ ſenſus: Tu qui diſcernis cibos, & diem diei præfers ex Moſis præſcripto, cur condemnas fratrem tuum, qui hoc non facit? & cui illa lex lata non fuit? Et tu qui libertate Euangelica vſus, nec cibos nec dies diſcernis, cur infirmum fratrem pro nihilo habes, ac ſi vita & ſalus in vſu rerum indifferentium ſita eſſet? Monemur rurſus hoc loco, vt ita temperemus adiaphororum vſum, ne legem caritatis violemus, & ſτοργῆς fraternæ obliuiſcamur. Habet enim vim argumenti in ſe fratris appellatio, quaſi diceret, admodum abſurdum eſſe & crudele, ſi frater fratrem pro nihilo habeat, aut condemnet.

Omnes enim ſiſtemur apud tribunal CHRISTI.

Ratio obiurgationis à diuerſis. CHRISTVS eſt noſter iudex, Ergo alter alterum iudicare non debet. Sed hoc cum exceptione ſupra annotata accipiendum eſt. Neq; hoc dictum patrocinatur Anabaptiſtis, qui iudicia & leges tollere conantur. Nam qui in officio ſunt, debent ex ſententia Dei pro vocationis ſuæ ratione iudicare.

Scriptum eſt enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi ſeſe flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

Confirmatio rationis à teſtimonio Eſaiæ cap. 45. & à ſigno eminentiæ Chriſti. Omne genu flectet ſe ad tribunal Chriſti, & omnis lingua confitebitur Deo. Igitur Chriſtus omniũ iudex eſt, qui & Dominus & Deus vniuerſorum eſt. Genuflexio coram Chriſto duplex eſt: Subiectionis tantum. Subiectionis & cultus ſimul: Illa inferi quoq; agnoſcunt Chriſtũ victorem & triumphatorem, & in extremo iudicio vt victi ſe coram illo proſternent: Hac electi Chriſtum ſaluatorem venerantur & perpetuo genua cordium ſuorum illi flectunt.

Itaq; vnuſquiſq; noſtrum de ſe ipſo rationem reddet Deo, Ne amplius igitur nos inuicem iudicemus.

Concluſio eſt diſputationis de non iudicando aut contemnendo alios propter vſum aut abſtinentiam rerũ ſua natura indifferentium.

Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri aut ſcandalum.

Hæc ſecunda capitis huius propoſitio eſt, de cauẽdo ſcandalo & offendiculo, quæ regulam continet, quatenus Chriſtianis ſua libertate in rebus medijs vti liceat. Licet autem ea liberate vti, modo fratribus noſtris non ſimus offendiculo aut ſcandalo. Diſtinguuntur autem offendiculum & ſcandalum hoc modo: Offendiculum de eo recte dicitur, qui ita impingit vt tamen non concidat. hoc de eo qui prorſus concidit, Verum hoc diſcrimen ſæpe confunditur.

Noui & perſuaſum habeo per Dominum IESVM, nihil eſſe commune per ſe, niſi ei qui exiſtimat aliquid eſſe commune, ei commune eſt.

Prolepſis eſt, qua anteuertit obiectionem illorum qui docti Chriſtianam libertatem, ex ea rerum externarum vſum ſemper licitum eſſe concluſerunt, ac ſimul regulam Euangelicam ſtatuit. Quod nullum cibi genus ſit commune, hoc eſt, impurum & illicitum per ſe & ſua natura, Sed per accidens fieri poteſt, vt aliquis cibus impurus & communis dicatur, idq; ratione eius, qui dubitante conſcientia veſcitur.

Verum ſi propter eſcam frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum caritatem ambulas.

PRIMA ratio propoſitionis ſumta à lege caritatis. Nemo debet contra caritatem proximi facere quicquam. Igitur nemo cibo ſuo conſcientiam fratris infirmi vulnerare debet. Obſeruetur igitur hoc loco, quod caritas Chriſtiana regula eſſe debeat vſus rerum mediarum.

Ne eſca tua illum perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

SECVNDA ratio à periculo fratris,qui offenditur & grauitate ſcandali. Frater infirmus offenſus tuo exemplo, poterit fidem amittere,atq; adeo toti religioni renunciare, gratia excidere, in perpetuum animæ ſuæ exitium.Ergo magnopere cauendum eſt, ne tu abuſu rerum mediarũ tantũ ſcelus committas, quo fratrem perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt.Obſeruetur hoc loco quam graue peccatum ſit, infirmo fratri occaſionem ſcandali præbere.

Ne veſtrum igitur bonum blaſphemetur

TERTIA ratio à dignitate Euangelij ſumta. Cauendum eſt ne malè audiat Euangelium propter vſum rerum indifferentium. Nam cum homines audiũt offenſiones oriri inter vos propter ciborum delectum,ſumunt inde occaſionẽ malè loquendi de toto Euangelio,ac eius profeſsione. Proinde ſummo ſtudio cauere oportet, ne contentionum cauſſam præbeamus abuſu rerum mediarum. Vocat autem hîc Euangelium bonum,eò quod annunciet bona & ſalutaria omnibus Euangelium recipientibus.

Non enim eſt regnum Dei eſca & potus,ſed iuſticia & pax & gaudium in Spiritu ſancto.

QVARTA ratio à collatione rerum neceſſariarum & non neceſſariarum. Regnum Dei non eſt poſitum in cibo aut potu aut alijs rebus externis ſeu indifferentibus. Igitur nemo alterum offendat propter cibum aut potum: Sed eſt poſitum in iuſticia,pace & gaudio ſpirituali. Ergo propter diſcrimina rerum mediarũ nemo vel damnandus vel offendendus.Iuſticia,pax & gaudium ſpiritus hoc loco ad qualitatem eorum propriam,qui in regno Chriſti ſunt,referantur. Qui enim Chriſto verè dederunt nomina,& in catalogum ciuium regni eius aſſcripti ſunt, iuſticiæ & paci ſtudent,ſpirituali quodam gaudio in Chriſto exultantes, tantũ abeſt vt diſcordias foueant propter res medias.Docet ergo nos hic locus,qualenam ſtudium vere piorum in hac vita eſſe debeat.

Nam qui per hęc ſeruit Chriſto,gratus eſt Deo,& acceptus hominibus.

Probat regnum Dei, hoc eſt, cultum qui in regno Dei requiritur eſſe iuſticiam, pacem & gaudium ſpiritus,idq; ab effectu.Regnum Dei ſeu cultus regni Dei eſt quo Chriſto ſeruimus, Deo accepti ſumus,& hominibus probamur.Iuſticia,pax & gaudium ſpiritus ſunt huiuſmodi. Igitur in his cultus Dei poſitus eſt. Quare hæc ſectanda ſunt magno ſtudio & alacritate, & contraria totis viribus cauenda.

Proinde quæ ad pacem ſunt ſectemur, & quæ ad mutuam ædificationem faciunt.

QVINTA ratio, à proprio Chriſtianorum ſtudio, ad tollendum cõtrarium effectum. Quæ ad pacem & ędificationem mutuam faciunt ſunt ſectanda.Ergo nemo alteri ſit ſcandalo,propter vſum rerum mediarum & indifferentium.

Ne propter cibum diſſoluas opus Dei.

SEXTA ratio à grauitate ſcandali. Non eſt deſtruendum opus Dei. Qui ſcandalo eſt fratri infirmo, deſtruit opus Dei. Nemo igitur debet alteri ſcandali cauſſam præbere. Vocat autẽ hîc opus Dei ſalutem hominis.quã iam Deus in homine incoauerat per ſpiritum & fidem. Hanc deſtruit,qui ſuo ſcandalo facit, vt infirmus fide excidat,atque per id in damnationẽ priorem relabatur. Quantum autem hæc pugnant cum ſtoica quorundam neceſsitate, nemo non videt. Si enim opus ſalutis, quod Deus in homine inceperat,poteſt ſcandalo dato deſtrui,ita vt homo pereat, pro quo,vt ſupra dictum eſt Chriſtus eſt mortuus,profectò ſalus & perditio non ex fatali neceſsitate dependet.

Omnia quidem pura, ſed malum eſt homini qui edit cum offendiculo.

Obiectio cum dilutione. Edoctus de libertate Chriſtiana, in rebus medijs ita colligit: Omnis cibus eſt purus. Ergo nullus cibus eſt communis, id eſt, illicitus habendus. Reſpondet Apoſtolus per diſtinctionem: Omnis cibus eſt purus per ſe, ſed abuſu fit impurus, videlicet cùm tuo eſu offenditur proximus infirmus. Obſeruetur hîc regula de vſu Chriſtianæ libertatis in rebus medijs.

Bonum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Bonum eſt non veſci carnibus, nec bibere vinum, neque quicquam in quo frater tuus impingit aut offenditur, aut infirmatur.

Declaratio dilutionis per exempla rerũ mediarum, vnde hæc regula colligitur: Vſus Chriſtianæ libertatis in rebus medijs tantiſper liber eſt, donec ex eo nulla fratrum infirmorũ offenſio oriatur, quod cum fit, vſus ille peccato non caret, quemadmodum aliquoties Apoſtolus ſupra oſtendit.

Tu fidem habes, apud temetipſum habe coram Deo.

Anticipat obiectionẽ eius qui poſſet fidem obijcere, qua creditur plene diſcrimina ciborũ ſublata eſſe (de hac enim fide hoc loco agit Paulus, quod ideo admonendũ duxi, ne quis hoc Apoſtoli dictum ſuo torpori obtendat, & puſillanimitati, quaſi fidei cõfeſsio non neceſſario requiratur) Sed Paulus reſpondet, apud temetipſum habe coram Deo, id eſt, Sis contentus ttanquillitate conſcientiæ in vſu rerum mediarum coram Deo, & noli quenquam infirmum abuſu tuæ libertatis offendere

Beatus qui non iudicat ſeipſum in eo quod probat.

Ratio dilutionis, cuius ſenſus eſt: Beatus eſt qui cum rem aliquã nouit licitã eſſe per ſe, non tamen quicquam agit in offendiculũ infirmorum. Nam qui hoc facit, cõſcientiam ſuam vulnerat, propterea quod ſciens & volens legem caritatis violauit. Atq; ita hîc firmis in fide traditur regula qua monentur, vt vſu rerum mediarum non accerſant ſibi iudicium.

Qui vero dijudicat (id eſt, ambigit) Si ederit condemnatus eſt, quia non (edit) ex fide. Quicquid enim non eſt ex fide, peccatum eſt.

Regulam infirmis præſcribit, ne quid agant dubitante conſcientia. Eſt autem integer ſyllogiſmus, cuius partes tranſpoſitæ ſunt. Concluſio enim vt propoſitio confirmanda præcedit, minor ſequitur. Poſtremo loco ponitur maior. Dialecticè ergo hoc modo tranſponuntur partes: Quicquid non eſt ex fide, eſt peccatum. Veſci cum dubitatione non eſt ex fide. Ergo Veſci cum dubitatione eſt peccatum. Quiſquis igitur hoc facit condemnatus eſt. PORRO ex fide aliquid facere, eſt ex certitudine verbo Dei comprobata facere. Hic vtiliſsima Pauli regula obſeruetur, videlicet, quod nulla actio probanda ſit, niſi fide verbi Dei nitatur: Clara eſt enim vox Apoſtoli: Quicquid non fit ex fide eſt peccatum. Idem alibi: Impoſsibile eſt placere Deo ſine fide. Poinde hoc dicto Apoſtolico, tanquam fulmine cœleſti, proſternitur totus fere Papatus, & omnes Monachorum, adeoq; omnium hominum ἐθελοθρησκείαι euertuntur, & quicquid curioſitate hominum in Eccleſiam cultus gratia inuectum eſt, hoc dicto damnatur.

CAPVT XV.

Summa Capitis decimiquinti.

Quemadmodum mutuas infirmitates ferendas monet: ita hortatur vt totam vitam noſtram ſic componamus, vt ad mutuam ædificationem, & gloriam Dei omnia cedant.

Ordo & partes Capitis decimiquinti.

PRINCIPIVM *capitis huius cohæret cum ſuperiori, de mutuis infirmitatibus ferendis, diſputatione. Hîc enim propoſitionem repetens, ei aliquot ſubiungit rationes, & Chriſti exemplum proponit, vſumq; totius ſcripturæ oculis ſubijcit.* HVC *addit votum & exhortationem ad concordiam, quo plurima ſcripturæ teſtimonia adducit, vt oſtendat Iudæos & gentes cõcordibus animis gloriã Dei deprædicare debere.* POSTHÆC *clauſurus epiſtolam multa congerit, quemadmodũ in perorationibus fieri ſolet, libertatem ſcriptionis excuſat, ſuam in miniſterio verbi fidem, & amorem in* Romanos *teſtatur, cauſſam qua hactenus impeditus ad eos non venerit, exponit.* POSTREMO, *preces eorum pro ſe petit, addito voto pro* Romanis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

EXEGESIS CAPITIS DECIMIQVINTI
CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

DEBEMVS autem nos,qui firmi ſumus, imbecillitates infirmorũ portare,& non placere nobiſipſis.

Propoſitio eſt quæ ex ſuperiori diſputatione facile intelligi poteſt. Habet autem hęc propoſitio duas partes, quarum PRIOR eſt, vt infirmorum infirmitates toleremus in rebus medijs, & eas ſanemus quantum in nobis eſt. non vult vt abijciamus infirmos,quod non ſatis videantur nobis edocti eſſe de Chriſtiana libertate in rebus adiaphoris. Hîc obſeruandum eſt quod annotauit Chryſoſtomus: Apoſtolum non dicere χαριζόμεθα, ſed ὀφείλομεν, id eſt, debemus, vt intelligamus non eſſe liberum ferre infirmitates fratrum, & non ferre, ſed eſſe debitum officium, quod & pietas erga Deum, & caritas erga proximum perpetuo requirit. POSTERIOR, ne quis noſtrum ſibi placeat & indulgeat, hoc eſt, ne quis cæteris contemtis ſui ſolius rationem habeat, neue id vnum ſpectet, vt animo ſuo morem gerat, id quod tum temporis fecére non pauci, qui nulla habita fratrum ratione, cum offendiculo abuſi ſunt Chriſtiana libertate, contra pietatis & caritatis regulam. Verum quouſque hæc συγκατάβασις ſe extendere debeat, ſequens Pauli regula docet.

Vnuſquiſq; noſtrum proximo placeat, in bonum, ad ædificationem,

Regulam tradit Apoſtolus, qua præſcribit, quatenus proximo placere oporteat ferendo eius imbecillitates, ac PRIMVM in bonum vult nos illi placere. DEINDE, ne quis hoc interpretetur anguſtius, addit: in ædificationem. Nam ſi in malum ei placeremus, violaremus & pietatis & caritatis regulam. Et ſi in bonum ſimpliciter, poſſet perfectus dicere: Vſus mea libertate, conor infirmũ ad bonum perducere, vnde tamen ille grauius impingeret. Quare addit: ad ædificationẽ. PORRO quia ſæpius ædificationis fit mentio in ſcripturis, hîc rationẽ appellationis explicare viſum eſt. Fideles in ſcripturis templũ Dei dicũtur, in quo Deus per ſuum Spiritum ſanctũ reſidet, cuius fundamentum Chriſtus, & ſancti ipſi viui lapides, qui extruuntur ſuper fundamento Chriſto, vt ſint quædam ſpiritualis Hieruſalem, in quo domeſtici Dei habitent. Hæc ædificatio duobus fit modis: nempe pia doctrina, & ſancta vita. DOCTRINA efficitur, vt Chriſto adiungatur, qui antea Chriſti non erat, quod fit, quando ex verbo per Spiritum ſanctum fidem in Chriſtum cõcipit. SANCTA vita fit, vt Chriſto iam adiunctus, magis magisq; ei coaleſcat, & ſpiritus eius virtute adoleſcat. Contrà, ædificium hoc Dei erronea doctrina & ſcelerati mores demoliuntur, quo latrocinio nullum maius malum cogitari poteſt. Memores igitur ſimus huius regulæ Pauli, vt ſimus non deſtructores templi Dei, ſed conſtructores potius cum doctrina tum vita.

Etenim Chriſtus non ſibijpſi placuit.

Ratio ab exemplo Chriſti, cuius omnis actio, vt pie dicitur, noſtra eſt inſtructio. Hic quia non ſuam quærebat ſecuritatem, ſed alijs placuit ad ædificationem, & eorum patienter tulit infirmitates, debemus certe & nos, ſi modo germani eius diſcipuli eſſe velimus, non nobis, ſed alijs placere ad ædificationem, & ferre aliorum infirmitates. Diſcite, inquit, à me, quia mitis ſum & humilis corde. Item, Exemplũ dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, & vos faciatis alij alijs. Item, Præceptum nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem, quemadmodum ego dilexi vos.

Sed ſicut ſcriptum eſt: Conuitia conuitiantium tibi, ceciderunt in me.

Confirmatio exempli ex Pſalmo 69. petita, in quo Pſalmo Chriſtus orat conſtantiam in ferenda cruce, vt pij habeât bonæ ſpei exemplum de ſalute & liberatione promiſſa. In nono huius Pſalmi verſu cauſam ſuæ perſecutionis teſtatur fuiſſe zelum pro domo Dei, & vero ipſius cultu, quamobrẽ conuicia & opprobria in ſe cecidiſſe aït, quæ ipſi fiebant patri à Iudæis templum Dei profanantibus, vt ita Eccleſiam Dei ædificaret. ex quo patet, Chriſtum non ſibi placueiſſe, ſed Deo & electis, alioqui tanta opprobria nequaquam ſponte ſuſtinuiſſet.

Quæcunque enim præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per

Probat exemplum Chriſti ad nos erudiendos propoſitum eſſe, idq; ab patientiam

patientiam & cõſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.

vſu ſeu finibus vniuerſæ ſcripturæ. Nã tota ſcriptura, atque adeo omnia exempla in eo propoſita, ad nos informandos pertinent. PRIMVM enim docet nos ſcriptura recte ſentire, recte credere, & iuſte agere. DEINDE, quia certamina pijs ſunt in hoc mundo intus & foris, ſcriptura propoſitis exemplis ſanctorum Regum, Prophetarum & Martyrum patientiam nobis commendat, vt preſsi cruce non frangamur animis, ſed ſpe potius glorioſæ liberationis nos erigamus, conſolemur, intuentes in exempla eorum qui olim varijs ærumnis vexati, tandem glorioſe liberati ſunt. Huius generis exempla nõ pauca recitat Epiſtola ad Hebræos cap. 11.

Deus autem patientiæ & conſolationis, det vobis, vt eodem animo inter vos mutuo affecti ſitis, ſecundum IESVM CHRISTVM.

Votum addit Apoſtolus, vt intelligamus iſta quæ requirit nõ eſſe ſimpliciter humanarũ virium, ſed à Deo autore proficiſci. Is enim ſicuti facit vt patientes ſimus, ita conſolatur nos per ſuum ſpiritum, efficitq; vt eodem animo inter nos ſimus affecti, ſed ſecundum Ieſum Chriſtum, hoc eſt, iuxta voluntatem Ieſu Chriſti, & in ijs quæ probantur Ieſu Chriſto, ſeu ſicuti Ieſus Chriſtus erga nos affectus eſt. Hîc igitur, quemadmodum monemur, vt ardentibus precibus à Deo per Chriſtum petamus patientiam, conſolationem, concordiam, atque adeo omnia ſalutaria: ita clare docemur, nihil nos poſſe in rebus ſalutis noſtræ, niſi ab illo iuuemur, ſicuti ipſe Dominus apud Ioannem ait: Sine me nihil poteſtis facere.

Vt concorditer vno ore glorificetis Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Finem exprimit Apoſtolus, quo noſtra mutua concordia referri debeat, nimirum eò, vt ſimul concordibus animis Deum autorem omnis boni patrem Domini noſtri IESV CHRISTI glorificemus. Obſeruetur hoc loco ſcopus totius vitæ noſtræ, atque adeo omnium actionum noſtrarum, modo velimus veri eſſe diſcipuli Chriſti.

Itaq; aſſumite vos inuicem, ſicut Chriſtus aſſumſit nos in gloriam Dei.

Concluſio generalis omnium eorum quæ diſputata ſunt ab Apoſtolo, à principio decimiquarti capitis huc uſque, quæ vult, vt feramus infirmos fratres, & quemadmodum fieri conſueuit in contentione præcipua argumenta repetit, videlicet ab exemplo filij Dei, & à principali fine, qui eſt Deum glorificare. Deinde partem huius concluſionis tanquam nouam quandam propoſitionem ſibi confirmandam proponit, nimirum quod Chriſtus cum Iudæos tum gentes aſſumſerit in gloriam Dei, hoc eſt, elegerit, & per Euangelium vocauerit, vt vna Deum glorificent, mente, profeſsione & vita.

Dico autem IESVM CHRISTVM fuiſſe miniſtrum circumciſionis, pro veritate Dei, vt confirmaret promiſsiones patrum.

Probatio quod Chriſtus Iudæos aſſumſerit in gloriam patris. Nam illorum miniſter fuit. hoc eſt, datus illis eſt vt ſit doctor & ſaluator eorũ, vt compleret ea quæ patribus olim erãt promiſſa. hoc eſt, vt fieret victima pro genere humano in ſalutem omniũ credentium, cum Iudæorum tum gentium.

Et (dico) vt gentes pro miſericordia glorificent Deum.

Probat gentes quoq; aſſumtas eſſe in gloriam Dei, Verum quia hoc Iudæis non ſatis erat perſuaſum, & non pauci ex gentibus hærebant in dubio, ideo Apoſtolus hanc partem claris ſcripturæ teſtimonijs confirmat, docetque gentes aſſumendas fuiſſe in gloriam Dei.

Sicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi inter gentes, & nomini tuo pſallam.

Hoc teſtimonium deſumtum eſt ex 17. Pſalmo Dauidis, qui de ſecundi Regum 22. capite in Pſalterium translatus eſt. Eſt autem is Pſalmus hiſtoricè de Dauide & eius hoſtibus, myſticè verò de Chriſto & Eccleſia eiusq; hoſtibus intelligendus, cuius argumentum eſt, quod ſit ἐπινίκιον & gratiarum actio ſuper victoria, &

parta

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

parta Eccleſiæ ſalute. Ab Apoſtolo autem adductus eſt hic Pſalmus, vt probet gentes debere Deum glorificare. Et vtitur huiuſmodi argumento: Chriſtus aperte profitebitur, & celebrabit nomen Dei inter gentes per prædicationem Euangelij. Ergo gentes participes factæ beneficiorum Chriſti, Deum celebrare debent.

Et rurſus dicit: Gaudete gentes cum populo eius.

Hoc teſtimonium ſumtum eſt ex Pſalmo Moſis Deuteron.32. quo confirmat & gentiles & Iudæos aſſumendos fuiſſe. Nam gaudium, cuius meminit, fructus eſt prædicati Euangelij.

Et rurſus: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi.

Hoc teſtimonium ex Pſalmo 117. deſumtum, ſimiliter confirmat & gentes & Iudæos aſſumendos fuiſſe in gloriam Dei.

Et rurſus Eſaias dicit: Erit radix Ieſſe, & qui exurget ad imperandum gentibus, in ipſo gentes ſperabunt.

Hoc teſtimonium depromtum eſt ex 11. capite Eſaiæ, & continet vaticinium de regno Chriſti inter gentes, qui Chriſtus ex Dauidica proſapia erat oriundus, quantum quidem ad humanam naturam attinet. Confert autem Propheta Ieſſe patrem Dauidis radici, Chriſtum vero ſurculo, qui ex ea radice erat oriundus ad imperandum gentibus, quæ cum in Chriſtum ſperabunt participes beneficiorum Chriſti, Deum vnà cum ipſis Iudæis conuerſis glorificabunt.

Deus autem ſpei impleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis vos in ſpe, in patientia Spiritus ſancti.

Votum hoc eò pertinet, vt Iudæos & gentes ad mutuam dilectionem, gaudium ſpirituale, pacem, hoc eſt, concordiam excitet. Obſeruentur hic duo effecta fidei, Vnum internum, alterum externum. INTERNVM eſt gaudium ſpirituale. Signum, Omne, non hic diſtributiuè, ſed completiuè accipitur. EXTERNVM, eſt mutua concordia inter homines, quæ facit, vt alij aliorum infirmitates patienter ferant. Obſeruetur præterea, quod hæc non proficiſcantur ex vi liberi arbitrij, ſed ſunt dona Dei, & creſcunt in pijs ex gratia Dei per virtutem Spiritus ſancti.

Perſuaſum autem habeo fratres mei, & ipſe de vobis quod ipſi per vos pleni ſitis bonitate, impleti omni cognitione, & qui poſsitis vos mutuo monere.

Abrumpit exhortationem ſignificatione ſuæ de ipſis perſuaſionis, nimirum quod ipſi & ſatis docti & alacres ſint ad ſe inuicem exhortandos, ad omnia pia officia. Obſeruetur hîc cauſſarum & effectuum ordor. Omnis, hoc eſt, plena cognitio Chriſti parit bonitatē, hoc eſt, caritatem, quemadmodum & vetus interpres reddit. Hæc cum cognitione coniuncta efficit, vt alij alios admoneant, & ad pietatis officia exhortentur. Propria itaque Chriſtianorum nota eſt, ex vera Dei noticia & viuifica fide ſe mutuo admonere & ædificare, cum doctrina tum vita.

Fratres, cæterum audacius ſcripſi vobis ex aliqua parte, veluti commonefaciens vos propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter IESV CHRISTI apud gentes.

Peroratio eſt, in qua plurima, vt fieri ſolet, congerit, ac primum excuſat quod liberius ſcripſerit, ſumta ratione ab officio ſibi commiſſo & dono. Deus, inquit, mihi contulit gratiā commonefaciendi vos ac prædicandi Euangelium inter gentes, Ergo & vos commonefaciendos duxi.

Sacrificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta & ſanctificata per Spiritum ſanctum.

Extollit miniſterium ſuum Apoſtolus à fine ſeu vſu. Dum doceo Euangelium Chriſti inter gentes, ipſæ gentes mactantur gladio Euangelij, cum videlicet ad eius prædicationem agunt pœnitentiam, id eſt, cōuertuntur, & ſimul offeruntur Deo ſanctificati per Spiritum ſanctū, qui fidem in hominum operatur cordibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

& eos regenerat in nouos homines, vt porro ſanctitati & innocentiæ ſtudeant. PRIMVM hîc obſeruemus, quod miniſtri Euangelij ſint ſacerdotes, vt qui ſpirituali gladio homines mactant, & Deo offerunt, Vnde quanta ſit dignitas miniſterij patet. SECVNDO, modus oblationis obſeruetur, nimirum quod tum demum dicantur homines offerri Deo, quando ad Euangelij prædicationem conuertuntur, & ſanctificantur per Spiritum ſanctum. TERTIO, quod Chriſti Euangelium ſincere prædicare, & prædicato credere, ſit cultus Deo gratiſsimus.

Habeo igitur gloriationem in IESV CHRISTO, in ijs quæ ad Deum (pertinent.)

Vt Romani ſibi perſuadeant de veritate doctrinæ ſuæ, addit hoc Apoſtolus confirmationis loco. ac ſi dicat: in hoc poſſum gloriari, quod ſim verus legatus, & fidelis Chriſti ſeruus, in ijs fideliter tradendis, quæ ad Deum pertinent. Obſeruetur qualiſnam gloriatio pijs verbi miniſtris ſit licita & ſtudioſe quærenda.

Nō enim ſuſtinuerim loqui quicquam, quod non fecerit CHRISTVS per me in obœdientiam gentium ſermone & opere in potentia ſignorum & prodigiorum in virtute ſpiritus Dei.

Ratio commendationis ſui Apoſtolatus à proprio Apoſtoli officio. Decet enim fidelem legatum eius qui ipſum miſit, mandata fideliter referre & narrare, nihil de ſuo addendo. Obſeruetur propria nota præconum verbi Dei, quæ eſt nihil afferre præter verbum Dei, quod prædicantibus Apoſtolis confirmatum eſt diuinis teſtimonijs, vt gentes iſtis miraculis conuictæ de veritate Euangelij, crederent.

Adeo vt ab Hieruſalem & circumiacentibus regionibus vſq; ad Illyricum impleuerim prædicandi Chriſti munus.

Amplificat quod dixit à circumſtantijs locorum vbi prædicatur Euangelium. Exemplum nos monebit ſeduli ſtudij in functionibus nobis commiſsis.

Ita annitens prædicare Euangelium, non vbi nominatus erat CHRISTVS, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.

Suum ſtudium in prædicando & propagando Euangelio indicat Apoſtolus, vt Romani ipſum verum intelligant Apoſtolum, qui tot moleſtias ſuſcepit, vt Euangelium Chriſti quam latiſsime ſpargeret, iuxta Domini mandatum, dicentis: Ite in mundum vniuerſum, & proclamate Euangelium omni creaturæ. Deinde etiam hæc eò pertinent, vt Romani ſciant, Apoſtolo animum non defuiſſe ſibi quoq; prædicare Euangelium. Quid autem hic vocet alienum fundamentum, declaratur adducto Eſaiæ teſtimonio, nimirum quod alterius opera iactum eſt. Nam alioqui Prophetarum & Apoſtolorum, adeoq; omnium miniſtrorum verbi vnum & idem fundamentū eſt, nempe IESVS CHRISTVS. Non ergo hoc loco alienum, extraneum, ſed alterius manu iactum fundamentum ſignificat. Ex hac pericopa tria colligamus, eaq; nobis applicemus. PRIMVM, ſtudium magnum Apoſtoli, cum magni alacritate animi coniunctum, in prædicando Euangelio, hoc ſtudium voce φιλοτιμεῖσθαι ſignificatur. DEINDE, quanta pericula neceſſum fuerit Apoſtolum adire, dum adeo latè per orbem, vbi non erat nominatus Chriſtus, ſemina Euangelij iecit: cui reſiſterunt non ſolum Philoſophi & idolorū cultores, verumetiam multi potentes in mūdo, vt ex actis Apoſtolicis patet. Nihil enim difficilius quàm ſuperſtitionem, & potiſsimum à maioribus acceptam, ex animis hominum euellere. POSTREMO, vocatio Pauli ad Apoſtolatū hîc confirmatur Eſaiæ teſtimonio. Nam cum ille prædicit, Euangelium Chriſti annunciandum eſſe gentibus, ſpecialiter per Apoſtolos, & hoc per Paulum potiſsimum fit, Apoſtolatus Pauli hoc ſigno confirmatur. Horum PRIMVM admoneat nos ſtudij & alacritatis in officio noſtro. SECVNDVM nos animet, vt pericula & diſcrimina vitæ in officio noſtro contemnamus. TERTIVM doceat, vt legitima ſit noſtra ad miniſterium Euangelij vocatio.

Quapropter impeditus etiam ſum ſæpe ne venirem ad vos: Nunc autem cum

Miniſterio prædicandi Euangelij ſe impeditum dicit, quo minus ha-

non am-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

non amplius locum habeam in his regionibus, deſiderium autem habeam veniendi ad vos à multis annis, quando proficiſcar in Hiſpaniam veniam ad vos.

ctenus ad Romanos veniret. Deinde pollicetur ſe venturum nõ ſolum, quia in iſtis locis non impediatur vt antea, verumetiam quia magno teneatur deſiderio viſendi Romanos, vt iſthic ſua voce Euangelium doceat. Hæc rurſus nobis alacritatem in noſtro officio commendent.

Spero enim fore, vt iſthac præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi tamen vobis prius ex parte expletus fuero.

Dixit ſe venturum ad Romanos cum proficiſcatur in Hiſpaniam. Verum quia euentus erat incertus, ſpem huius profectionis ſe habere reſtatur, & finem addit, videlicet vt videat Romanos, & ab illis deducatur in Hiſpaniam. Verum vt intelligant Romani, quod Apoſtolus magno teneatur deſiderio videndi, id eſt, inſtruendi & confirmandi eos, addit: Si tamen vobis, id eſt, veſtra conſuetudine, prius ex parte expletus fuero. Quid hinc nos diſcemus? PRIMVM, nullis laboribus parcendum eſſe, quos requirit fides vocationis noſtræ. DEINDE, animum paternũ erga eos gerere, quos docendos ac informandos accepimus. TVM, polliceri nobis ab ijs, quos magno labore informamus, officium mutuum. Hæc enim tria hic in Paulo cernuntur.

Nunc autem proficiſcor Hieroſolymam, miniſtrans ſanctis.

Prolepſis eſt, qua anteuertit eorũ obiectionem qui iuſte quærere videbãtur, cur iam ſtatim non adueniret, ac dicit in cauſſa eſſe profectionem ſuam Hieroſolymam verſus ſuſceptam, & miniſterium quo ſanctis qui illic ſunt, miniſtret, quale autem illud miniſterium fuerit explicat, dicens:

Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ conferre aliquid in pauperes ſanctos qui ſunt Hieroſolymis.

Ratio profectionis Hieroſolymam verſus, videlicet quod eleemoſynam Eccleſiarum Græcarum eſſet perlaturus Hieroſolymam. Vnde duo notemus. PRIMVM, quod exemplo Græcarum Eccleſiarum debeamus & nos liberales eſſe erga pauperes ſanctos, & hilari animo & beneuolo conferre illis aliquid de noſtris facultatibus, quo illorum ſubleuetur inopia. Nam cum Paulus dicit: εὐδόκησαν, ſignificat eos vltro, & voluntate quadam alacri eleemoſynas contuliſſe. ALTERVM, quod exemplo Pauli debeant miniſtri Euangelij pauperum habere curam, quam curam Apoſtoli ſibi inuicem commendarunt, ad Galat. 2.

Placuit enim & debitores illorum ſunt.

Dixit Græcos contuliſſe eleemoſynam pauperibus ſanctis, qui erant Hieroſolymis. Nunc hoc debitum fuiſſe officium addit, vt ipſi Romani, adeoque omnes pij ſciant, ſuum officium eſſe, aliorum, quantum in ſe eſt, inopiam ſubleuare.

Nam ſi ſpiritualia illorum bona gentes participarunt, debent etiam in carnalibus miniſtrare ipſis.

Ætiologia ex comparatione maioris & minoris ſumta. Gentes Euangelium à Iudæis acceperunt. Ergo, Gentes obligatæ ſunt ad compenſationem. Obſeruetur hîc, quod Eccleſia debeat ſinceris Euangelij miniſtris compenſationem laboris in miniſterio præſtiti.

Hoc igitur vbi perfecero, & eis conſignauero hunc fructum, abibo per vos in Hiſpaniam.

Promittit ſe inuiſurum Romanos, vbi eleemoſynam Græcorum obſignauerit Hieroſolymis, cum iſthac ſcilicet iter facturus ſit in Hiſpaniam. Notatu dignum eſt quod eleemoſynam Græcorum fructum appellet, ſignificans liberalitatem erga pauperes, & verum fidei caritatiſque fructum eſſe, & remunerationem habere ſibi propoſitam & promiſſam, Vnde & nos monemur, vt pauperum non obliuiſcamur, ſed in eos ex facultatibus noſtris ſimus liberales.

Scio vero quod cum veniam ad vos,

Hoc ad laudem Romanorum per-

in plen

in plenitudine benedictionis Euangelij Chriſti veniam.

tinet, quos ob fidem Euangelij prædicat Apoſtolus: Noui, inquit, quod vbi venero ad vos, inueniam vos plene Euangelium Chriſti amplecti. In plenitudine benedictionis Euangelij phraſis eſt Hebraica, & eſt ſenſus: cum plena benedictione Euangelij Chriſti. Vocat autem benedictionem Euangelij duplici de cauſſa, PRIORI quidem, quia Euangelium prædicatum & creditum, omnis generis benedictiones affert. POSTERIORI verò, quia efficit vt homines Euangelium Chriſti edocti benedicant & celebrent Deum, alioſq; fructus Euangelio dignos edant.

Precor autem vos fratres per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, & per caritatem ſpiritus, vt mecum certetis veſtris pro me apud Deum precibus.

Alia propoſitio, nempe precatoria, videlicet vt Romani pro ſe orent. Propoſitioni duas rationes admiſcet, VNAM, cum eos obſecratur per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, quaſi diceret: Cum negocium Chriſti Domini agitur, veſtrum eſt pro me orare, vt id feliciter peragam. ALTERAM, cum addit: Et per caritatem ſpiritus, hoc eſt per mutuam illã coniunctionẽ, qua Spiritus ſanctus animos noſtros deuincit. Obſeruetur igitur, qualiſnam debeat eſſe Chriſtiana illa συμπάθεια, caritatis Chriſtianæ effectrix. Non enim ſecus affecti eſſe erga ſe mutuo Chriſtiani debent, quàm membra eiuſdem corporis, quæ vno eodemq; ſpiritu reguntur & fouentur.

Vt liberer ab incredulis Iudæis, vtque miniſterium meum erga Hieruſalem acceptum ſit ſanctis, vt cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei, vnaque vobiſcum refociller.

Quatuor fines ponit, cur petat pro ſe Romanorum preces, quorum PRIMVS eſt liberatio à periculo. Iudæi enim increduli vitæ Pauli inſidiabantur. SECVNDVS, vt ſuſceptum miniſterium in perferenda eleemoſyna acceptum ſit ſanctis, id eſt, pijs morantibus Hieroſolymis. TERTIVS, vt cum gaudio diſcedens à Hieruſalem, ad Romanos per voluntatem Dei veniat. QVARTVS, vt refocilletur apud Romanos, audiens illorũ fidem & caritatem. Hîc obſeruetur PRIMVM, quod ea bona quæ hîc recitat, ad Deum autorem referat. DEINDE, quod vt eadem ſunt à Deo petenda: ita petentibus ea largiatur Dominus. TERTIO, commendantur nobis hîc mutuæ preces. QVARTO, hæc Pauli petitio manifeſte ex diametro pugnat cum ſtoica neceſsitate, & aperte confirmat contingentiam. Nam aliquid precibus piorum impetrari poſſe, quod alioqui non contingeret, ſignificat.

Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis, AMEN.

Clauſula eſt qua optat Romanis vt Deus pacis & concordiæ ſit cum ipſis, vtq; idem in eis ſit autor pacis & concordiæ.

CAPVT XVI.

Summa Capitis decimiſexti.

Vt alios Romanis commendat, & alios ſalutari ſuo nomine iubet: ita cauendos monet diſsidiorum autores, & fugienda doctrinæ ſcandala, fauſta imprecatione claudens totam Epiſtolam.

Ordo & partes Capitis decimiſexti.

Tres huius capitis partes ſunt, PRIMA conſtat commendationibus & ſalutationibus. ALTERA neceſſariam admonitionem habet, nimirum vt Romani caueant diſsidiorum autores & doctrinæ corruptelas. TERTIA eſt votum. Nam & Dei gloriam illuſtrari optat, & omnia proſpera precatur Romanis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

EXEGESIS DECIMISEXTI CAPITIS
CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

COMMENDO autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt miniſtra Eccleſiæ Cenchreenſis, vt eam ſuſcipiatis in Domino: ita, vt dignum eſt ſanctis, & aſsitis ei in quocunque vobis eguerit negocio, Etenim ipſa multis cum affuit, tum etiam mihiipſi.

Commendat Phœben Romanis honeſtiſsimam matronam, & petit vt ei aſsint, in quacunq; re eorum opera opus habere videatur. Huius commendationis quinq; rationes ponit. PRIMA eſt, quod ſit ſoror, id eſt, eiuſdem religionis conſors. SECVNDA, quod ſit miniſtra fidelis Eccleſiæ Cenchreenſis. (Cenchree Corinthiorum nauale ſeu portus pene ſub ipſa vrbe, ad quem portum applicant qui ex Aſia nauigant.). TERTIA ratio ſumitur ab officio ſeruorum Chriſti, qui debent amanter complecti omnes, & potiſsimum eos qui de Eccleſia ſunt benemeriti. QVARTA ratio ſumitur à beneficijs huius mulieris erga totam Eccleſiam. QVINTA, ab ipſo miniſterio Paulo ipſi exhibito. Hinc & nos diſcamus, pios Eccleſiæ miniſtros fratribus commendare, atq; omni officiorum genere proſequi.

Salutate Priſcillam & Aquilam cooperarios meos in CHRISTO IESV (qui pro anima mea propriam ceruicem ſuppoſuerunt, quibus non ego ſolus gratias ago, ſed etiã omnes Eccleſiæ gentium) & Eccleſiam quæ eſt in illorum domo.

Horum fit mentio Actorum 18. quos Apoſtolus laudat propter beneficia ſibi ab illis præſtita. Cum autem hos agnoſcit cooperarios ſuos in negocio Euangelij, modeſtiam ſuam nobis commendat imitandam, qui in negocio Euangelij non dedignatur conſortem habere mulierem.

Salutate Epænetum & dilectũ meum qui eſt primitiæ Achaiæ in CHRISTVM.

Hoc eſt, primus omnium Epænetus fuit, qui in Achaia Chriſtum amplexus eſt. Cum autem eum primitias vocat, alludit ad ſacrificia quæ fiebant ex primis fructibus, ſignificans eos qui conuertuntur ad Chriſtum, ſacrificari & dicari Deo, tanquam hoſtiæ Deo gratæ per IESVM CHRISTVM. Vide ſupra in 15.

Salutate, &c.

Quod autem tot congerat hic Apoſtolus ſalutationes, videtur pertinere ad morem iſtius gentis. Magnum enim ſalutandi ſtudiũ erat Romæ, & inter magnos honores erat ſalutari, inter pręcipua vero officia ſalutare. Vtraq; res erat mire plauſibilis & popularis, multumq; faciebat ad fauorem conciliandum.

Qui ſunt inſignes inter Apoſtolos.

Hîc obſeruetur Apoſtoli nomen aliquando generaliter accipi pro quouis verbi miniſtro.

Salutate vos inuicem oſculo ſancto.

Oſculum Hebræis vſitatum concordiæ & mutui amoris ſymbolum & teſtimonium fuit. Epitheton ſanctum additur, vt diſtinguat inter purum ſanctorum oſculum, & impurum eorum qui perdite & nequiter amant.

SECVNDA PARS CAPITIS.

Obſecro vos Fratres, vt obſeruetis eos qui diſsidia & ſcandala contra doctrinam quam didiciſtis excitant, & vt declinetis ab eis.

Hæc propoſitio eſt ſecundæ partis huius capitis parænetica. Obteſtatur enim Romanos vt & attente diligenterq; diſsidiorum & ſcandalorum autores veluti hoſtes è ſpecula obſeruent. (Eſt enim hæc vis græcanicæ vocis σκοπεῖν) & cum eos agnouerint ſibi ab ipſis caueant. Vt enim omnibus mandatum eſt veram de Deo doctrinam agnoſcere: ita omniũ eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

&explorare & cognitos fugere doctrinæ corruptores, ſicuti ipſe Chriſtus præcipit, cum inquit: Cauete à falſis Prophetis. Item, Cauete à fermento Phariſæorum. HIC igitur vt omnibus hominib. præcipitur falſos doctores fugere: ita mandatur omnibus veros doctores audire & amanter complecti. DEINDE obſeruetur fructus prauorum dogmatum. Nam diſsidia & factiones excitant, ex quibus oriuntur ſcandala, adeo vt multi à vera doctrina deficiant, quare hoc præceptum inprimis obſeruetur. PRÆTEREA hic locus haud obſcure ſignificat, fore, vt vbicunqne ſincere docetur verbum Dei, illic inſidiæ ſtruantur doctrinę à Sathana, vt doctrinę puritas turbetur. Nuſquam enim magis vires ſuas omnes intendit Diabolus, quàm in Eccleſia rectè & piè conſtituta. Nam cum reliqua ipſi in tuto videntur, hîc eius regnum inuaditur, & arma ipſius diripiuntur, quare nõ mirum eſt, plures excitari hæreſes in Eccleſijs ſincerá habentibus doctrinam, quàm in Turcia aut in Papatu. Huc pertinet parabola Domini de zizanijs: Cum creuiſſet, inquit, herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt zizania. Hoc quàm verum ſit, apparet in primitiua Eccleſiæ, Nam quo latius ſpargebatur verbum Dei incorruptibile Eccleſiæ ſemen, & quo magis proficiebat Eccleſia, eò plures hæreſes emerſerunt. Hæc conſolentur nos aduerſus ſcandala hæreſium & diſsidiorum.

Nam qui eiuſmodi ſunt, Domino noſtro IESV CHRISTO non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, ac per blandiloquentiam & aſſentationem decipiunt corda ſimplicium.

Ratio propoſitionis à periculo, cui præponit propriam falſorum doctorum notam. Ratio quidem hæc eſt: Quod decipiant corda ſimplicium, ac euertant eorum fidem, atq; ita regno Chriſti excuſſos in exitium præcipitent, idq; hiſce artibus blandiloquentia & aſſentatione. Verũ quia hæ voces in Græco ſunt ſignificantiores, clarius excutiendæ ſunt. PRIMA eſt blandiloquentia, Græcè χρηστολογία. Dicitur autem χρηστολόγος, cum is qui verbis multũ pollicetur, re autem nihil præſtat, tum is quem ſi audias, dicas eum de te & cõmodis tuis magis, quàm de ſe ipſo ſolicitũ eſſe. ALTERA vox aſſentatio, Græcè εὐλογία, hoc eſt ad verbum, benedictio, quæ hoc loco eſt oratio ad prædicandas alicuius laudes accommodata, cuiuſmodi aſſentatorum eſſe ſolet. Obſeruemus hoc loco notam, qua Pſeudoprophetæ à Chriſti ſeruis diſcernendi ſunt, negat enim Chriſto ſeruire, ſed proprio ipſorum ventri, qui & ipſorum Deus ad Philippenſes dicitur.

Veſtra enim obœdientia ad omnes peruenit.

Occupatio eſt qua anteuertit obiectionem eorum, quit poterant ex dictis ſuperioribus colligere, ſe leues à Paulo iudicari & faciles, ad præbendum Pſeudoprophetis aures, ac ſi dicat: Non ideo vos admoneo, quod leues vos exiſtimem, Sed quia admodum facilis eſt lapſus, & variæ ſunt Diaboli inſidiæ, præmonitos vos volui.

Gaudeo igitur de vobis.

Veſtra obœdientia & ſinceritas mihi gaudio eſt. Miniſtrorum igitur gaudium ſit, auditorum in pietatis curriculo progreſsio.

Sed volo vos ſapientes eſſe ad bonum, ſimplices vero ad malum.

Quo ſpectet ſuperior admonitio, breuiſsime exponit. Volo, inquit, vos ſapientes eſſe ad bonum, id eſt, volo vos cognitione veritatis & prudẽtia inſtructos eſſe, vt bona amplecti, mala vitare, fraudes & laqueos Pſeudoprophetarum effugere, illis quoque aperte obſiſtere poſsitis. Deinde volo vos in malum ſimplices eſſe & innocentes, vt qui nullam prorſus nocendi artem teneatis, tantum abeſt, vt reipſa cuiquã noceatis. Sumta autem metaphora eſt à placidis animalibus, quæ ne cornua quidem ad nocendum habent. Hoc Pauli dictum euertit fidem illam implicitam Papiſtarum, quam dicunt ſufficere ad ſalutem, ſi fuerit formata bonis operibus. Eſt autem illis fides ſimpliciter, cum quis ſe dicat credere, quod Eccleſia Catholica credit, etiamſi, quid ipſa credit Eccleſia, ignoret.

Deus autem pacis conteret Sathanam ſub pedibus veſtris cito.

Conſolatio & promiſsio eſt contra periculum ex inſidijs doctrinæ. Promittit enim fore, vt Romani firma

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

fiducia in Chriſto concepta firmentur, ac ita perſeuerent in doctrinæ puritate. Deus enim qui in ipſis cœpit bonum opus, vult illud etiam perficere, Nam ipſius opera ſunt ἀμεταμέλητα. Dicitur autem tum demum Sathanas conteri ſub pedibus noſtris, & cum per fidem Chriſto Sathanæ victori inſerimur, & cum pia vita & honeſtis actionibus in Sathanæ regnum inuadimus. Hoc illud Ioannis: Hæc eſt victoria mundi fides veſtra, per mundum intelligens vniuerſum Sathanæ regnum.

Gratia Domini noſtri IESV CHRISTI vobiſcum.

Clauſula continens fauſtam imprecationem, qua Romanis fauorem Dei in Chriſto precatur. Hæc imprecatio vt fructum Euangelij continet, ita fidem Romanorum requirit.

Ei vero qui vos confirmare poteſt ſecundum Euangelium meum & prædicationem IESV CHRISTI, ſecundum reuelationem myſterij, temporibus ſecularibus taciti, manifeſti autem nunc, & per ſcripturas Propheticas, ſecundum æterni Dei ordinationem, in obœdientiam fidei ad omnes gentes promulgati. Soli ſapienti Deo per IESVM CHRISTVM, huic gloria in ſecula, AMEN.

Δοξολογία claudit Epiſtolam. Vnde & nos monemur, vt & ipſi quoties recolimus Dei beneficia, in laudes Dei & gratiarum actioné prorumpamus. Nam ab illo autore ſolo omnia bona & ſalutaria proficiſcuntur. Verum quia in hac gratiarum actione multa ſunt quæ & explanatione aliqua indigent, & vtiles doctrinas & admonitiones ſuppeditant, omnia ſunt nobis diſtinctius retexenda & excutienda. PRIMVM itaq; cum dicit: Qui vos confirmare poteſt, & docet & monet. Docet quidem quàm imbecilles & vacillantes ſimus, niſi manu Dei fulciamur. Monet vero, vt intellecta infirmitate noſtra, petamus robur ab eo, qui promittit Spiritum ſanctū petentibus. Ad confirmationé pertinet quod addit: Secundum Euangelium meum, hoc eſt, quemadmodū per Euangelium promittit Dominus, ſeu vt ſentit Chryſoſtomus, hic modus confirmationis exprimitur. Nam Deus nos fulcit per prædicationem Euangelij, in quo efficax eſt Spiritus ſanctus.. Vocat autem Paulus ſuum Euangelium, non cauſſæ, ſed miniſterij reſpectu. DEINDE breuem Euangelij definitionem addit, cum inquit: Et prædicationem IESV CHRISTI, hoc eſt, vel prædicationem quam ipſe Chriſtus prædicauit, vt interpretatur Chryſoſtomus, vel pręconium de IESV CHRISTO. Eſt enim Euangelium proprie ſolenne præconium manifeſtati Chriſti, in quo promiſsiones ipſæ exhibentur, vnde ad Rom. 1. Quod antea promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis. PRÆTEREA quod addit: Secundum reuelationem myſterij temporibus ſecularibus taciti, commendatio eſt Euangelij à cauſſa & antiquitate, & ſimul anteuertit obiectionem eorū, qui Euangelium vt nouum doctrinæ genus cōtempſerunt. Dicit enim Euangelium non eſſe nouum myſterio, ſed reuelatione tantum. Cur autem myſterium appellat Euangelium, explicat, videlicet quia arcanum & occultum fuit omnibus, donec per prædicationem reuelaretur. In omnibus enim philoſophorum ſctiptis altum ſilentiū eſt de Euangelio, tantum quaſdam legis particulas agnouerunt Philoſophi. MODVM præterea reuelationis attingit, cū illud per Propheticas ſcripturas manifeſtatū eſſe dicit, idq́; nō temere, ſed ex ordinatione Dei. Non igitur humano conſilio Euangeliū in alijs atq; alijs locis ſubinde reuelatur, ſed ex ordinatiōe Dei fit. FINEM præterea addit Apoſtolus prædicati Euangelij, In obœdientiam, inquit, fidei, ad omnes gentes promulgati. Ideo igitur pręcdicatur Euangelium, vt audientes credant & obœdiant Euangelio. Obſeruetur quoq; hîc vniuerſalis particula: Ad omnes, inquit, gentes. Cum itaq; omnes gentes vocet Deus ad obœdientiam Euangeli, profecto ſerio vult omnium gentium ſalutem. Sunt enim ἀμεταμέλητα donum & vocatio Dei. ADHÆC cum Deo ſoli ſapientiam tribuat, vt laudem ſapientiæ ſoli Deo vendicat: ita eam omnibus creaturis adimit. Qui igitur veram & ſalutarem ſapientiam cupit, fontem ſapientiæ Deum ipſum accedat, ac ipſius verbum audiat, & ſimul precetur ipſum, vt ſibi cor & ſapientiam tribuat.

ΤΕΛΟΣ.

CLARISSIMO VIRO,

NOBILITATE, SAPIENTIA ET PIETATE PRAESTANTI, ABSOLONI VVRNE DOMINO DE SOEGAARD, PATRONO SVO PERPETVA OBSERVANTIA COLENDO, GRATIAM ET PACEM PER CHRISTVM IESVM PRECATVR

NICOLAVS HEMMINGIVS.

NVLLVM DECVS EXCELLENTIVS, ET NVLla gloria maior eſt, quàm eſſe conciuem ſanctorum, domeſticum, & filium Dei. Hoc decus & hæc gloria ſolius eſt Eccleſiæ Dei, hoc eſt, eorum omnium qui Chriſto dederunt nomina, renunciato impuro Sathanæ imperio. Turcicus tyrannus ſummum decus definit, imperare tot populis & nationibus, cum ipſe interea turpiſsimorum affectuum ſeruus ſit, & immaniſsimi tyranni Diaboli mancipium. Sed quale quæſo iſtud eſt decus quo ſuperbit hoſtis Chriſtiani nominis Turca? breue eſt, momentaneum eſt, fallax eſt, inconſtans eſt, mixtum ingentibus malis eſt: cuius exitus, æternæ miſeriæ eſt aditus. Diues Epulo, cuius Euangelica hiſtoria meminit, in ſummis delicijs viuebat, & ſummam gloriam putabat, honoribus, diuitijs, luxu & voluptatibus abundare: ſed hanc gloriam clauſit tandem ſempiterna ignominia. Lazarus contemtus, vlceroſus, mendicus in conſpectu hominum, in animo maiores diuitias & delitias circumferebat ſuo, quàm vt eas cõmutaret omnibus mundi opibus & voluptatibus. Sciuit enim ſe membrum Chriſti eſſe: ſciuit ſe templum Dei viuentis ab angelis Dei agnoſci: nec ipſum ſpes ſua fefellit. Nam defuncti animam ipſi angeli Dei deportarunt in ſinum Abrahæ, vt illic abundet, non ad breue aliquod tempus, ſed in omni æternitate, veris & perpetuis delitijs. Non igitur immerito Dauid à Spiritu ſancto edoctus, cum rex clarus & potens eſſet, maluit ſedere in limine domus Dei, quàm habitare in tabernaculis impiorum. ita enim canit Pſal. 84. Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper mille. malo ſedere in limine domus Dei, quàm habitare in tabernaculis impiorum. Hanc vocem ſanctiſsimi regis haud dubie multi Satrapæ in ipſius aula tanquam fabuloſam deriſerunt, intuentes ſplendorem regum & principum mundi, quorum ſumma felicitas eſt habitare in baſilicis, ornatis ſignis & picturis, inſtructisque rebus his omnibus, quib. abundant hi qui beati, mundi iudicio, putantur. Horum iudicio non cedit Dauid, ſed mauult vel in limine domus Dei ſedere, hoc eſt, mauult eſſe & manere in ſocietate Eccleſiæ, quàm extra Eccleſiam in ſummis honoribus & delitijs viuere. Huius ſuæ voluntatis cauſſam exponit ſanctiſsimus rex, cum in eodem Pſalmo ſubiungit hæc verba: Quia ſol & ſcutum dominus Deus, gratiam & gloriam dabit dominus. Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia. Vide quàm pulchris picturis Eccleſiæ decus deſcribit hic rex & Propheta Dei. dicit Deum eſſe ſolem Eccleſiæ, eſſe ſcutum Eccleſiæ, dare gratiam & gloriam Eccleſiæ, donare Eccleſiam bonis præſentibus & æternis. Quis non hoc decus (modo vlla ſuæ ſalutis cura tangeretur) iure præferret his mundi vanitatibus? vt in mundo hic aſpectabilis ſol eſt fons lucis & vitalis poten-

tiæ, id eſt, caloris viuifici & ſpirituum vitalium: ita Deus ſol Eccleſię ſpargit lucem veræ doctrinæ, per quam reſtituit iuſticiam & vitam æternam, effuſo in pectora Spiritu ſancto. & vt ſcutum corpus noſtrum tuetur aduerſus ictus hoſtiles: ſic Deus ſcutum Eccleſiæ eſt. Nam tanquam ſcuto ſua bonitate miſericordia & miſerationibus Eccleſiam coronat, & ſe Eccleſiæ hoſtibus opponit inuictus. Quam ob cauſſam hunc titulum ſibi vendicat, quod ſit protector omnium ſperantium in ſe. Huc addit donationem gratiæ & gloriæ. Gratia, Eccleſiæ membra acceptat, & in numerum filiorum aſſcribit. Gloria, eadem Eccleſiæ membra glorificaturus eſt in reſurrectione mortuorum. Interea etiam, donec in hac peregrinatione manebit Eccleſia, dabit ei tuguriola, & alia bona quibus in hac vita indiget: etſi calici ipſius abſinthium interdum admiſceatur. Cogitatione huius gloriæ Eccleſiæ, debemus nos conſolari in medijs ærumnis & cruce, exemplo Moſis, qui maluit ſocius ærumnarum populi Dei eſſe, quam frui voluptatibus & honoribus aulæ Aegyptiæ. QVONIAM autem multa ſunt, quæ homines impediunt, quo minus ſe adiungant huic glorioſo cœtui qui eſt Eccleſia: Deus, vt eſt φιλάνθρωπος & amans hominum, multis medijs vtitur ad alliciendos homines in ſuam familiam. Multi, voluptatibus huius mundi ebrij, contemnunt vocem Euangelij. non pauci, potentia ſua ſuperbi, nolunt Chriſto regi homagium præſtare. nonnulli, nobilitate generis tumentes, contemnunt in numerum filiorum Dei aſſcribi. non pauci, blanditijs diuitiarum ſeducti, aures obturant ad vocem Dei vocantis. non deſunt, qui curis huius mundi oppreſſi, non aſpiciunt ad æternum ſolem Eccleſiæ. Breuiter, nemo eſt qui non habeat quo ſe excuſet, cur ſocietati timentium Deum ſe nō adiungat. Tanta eſt hominū peruerſitas, tanta cœcitas, vt potius in ſuis tenebris palpare, quàm in luce Dei ambulare velint. Sed quid hic Deus facit? num ſtatim abijcit recuſantes venire? id ſane faceret iure optimo: ſed maior eſt ſtorga paterna in ipſius pectore, quàm vt tam facile paterni amoris obliuiſcatur. nouit figmentum noſtrum quàm ſit fragile. quid ergo facit? more patrum bonorum agit: in quibus veſtigium quoddam ſui amoris erga humanum genus impreſſit. hi non ſtatim contumaces abijciunt filios, ſed nunc blāditijs, nunc muneribus, nunc minis, nunc plagis, nunc propoſitis ſeueritatis exemplis, eos in viam reuocare conantur. Quid blandius hac oratione Dei? Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. ecce in manibus meis deſcripſi te. Quid blandius voce filij Dei? qui ita ad omnes clamat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo vos. quid dicam de múneribus quibus nos inuitat Dominus in ſuam domum? Iſaiæ 55. Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, comedite, venite. Parua ſunt hæc temporalia bona, ſi conferantur ſpiritualibus & æternis: quæ offert gratis ſine pecunia. Hæc bona ideo donat & offert Deus, vt ipſius bonitate alliciantur ad audiendam vocem eius, & vt voci ipſius credentes adiungamur familiæ ipſius, cui ſalus & æterna vita eſt propoſita. Verum, quia ſunt non pauci, qui nec blanditijs mouentur, nec munera agnoſcunt: DEVS haud raro iuſta ira commotus ad minas venit, ac minatur excluſionem ab hæreditate paterna, ſi perrexerint homines eſſe contumaces. Iſaiæ 1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs peſtiferis. Item, Si nolueritis audire me, & irritaueritis me, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum eſt. & CHRISTVS: Lucæ 13. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. huc etiam pertinent exprobrationes, qualis illa eſt Iſaiæ 1. Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me, cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Haud raro à minis ad plagas ſe conuertit.

uertit. Quoties reuocauit populum Iſraëliticum à ſua contumacia plagis? nonne Dauidem peccantem plagis emendauit? in hunc ergo finem, nunc famem, nunc gladium, nunc ſæuas beſtias immittit dominus in contumaces, vt caſtigati reſipiſcant. Multi enim in ſecundis rebus, ſecurè ſine timore Dei, in vtranque aurem ſtertunt: ſed caſtigati paternè, oſculantur virgam, & plagis emendati, paternis iuſsis obtemperant. Ipſe noui multos, qui cum abundarent opibus, honoribus & voluptatibus, ſine omni timore Dei vixerunt: ſed ſpoliati honoribus & fortunis, & proſtrati morbis, ad mentem redierunt, ac ſeriam pœnitentiam meditati ſunt, Deo gratias agentes pro paterna caſtigatione, qua in viam fuerunt reuocati à præcipitio damnationis. Haud raro etiam ſeueritatis exempla ponit Deus ob oculos, vt qui blanditijs, muneribus, minis & plagis non emendantur, intueantur eos quos dominus iuſta ſua ira abiecit, & reddantur cautiores eorum exemplo. Abiectio Cain non parum excitauit in Abele timorem domini. Submerſio Pharaonis populum Iſraëliticum ad tempus repreſſit. Exciſio Chore, Datan & Abiron, reliquos in officio continuit. Saulis caſus Dauidi ſalutaris fuit. Hodie abiectio Iudæorum nos ad gratitudinem & timorem inuitat. Felices ergo nos, ſi alieno incommodo cautiores redditi, Dei vindictam matura reſipiſcentia anteuertamus.

PORRO quia Eccleſiæ, cuius tantum eſt decus tantaq; gloria, membra fieri nõ poſſumus, niſi renaſcamur in nouos homines, & adoptemur à Deo in filios, & hæredes vitæ æternæ, & hæc renouatio & adoptio pendeat ex cognitione Dei & fide Chriſti, iuxta illud: Hæc eſt vita æternas, vt te cognoſcant verũ Deum, & IESVM eſſe CHRISTVM quem miſiſti: Nemo non videt quàm neceſſaria ſit vox Prophetarum & Apoſtolorum, quæ docet agnitionem Dei & fidem in IESVM CHRISTVM. Nemo non intelligit, quanta ſit vtilitas piarum ſcholarum, in quibus inſtituuntur in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, qui aliquando publicis concionibus præficientur, vt multos aggregent in familiam Dei, quæ eſt Eccleſia. Tametſi autem clariſſima ſunt axiomata noſtræ religionis, cum in Propheticis tum in Apoſtolicis ſcriptis prodita: tamen non pauca ſunt, quæ opus habent theoria: ſine qua, nec definitiones extrui, nec diſtinctiones inſtitui, nec cauſſæ deſtingui, nec effecta diſcerni, nec antilogiæ ſolui, nec obſcura illuſtrari, nec ambigua tolli commodè poſſunt. Quam ob cauſſam præclarum donum Dei fatendum eſt, quod Eccleſia ornata ſit dono interpretandi, & quod habeat pios ſcripturę interpretes, qui obſcurioribus dictis ex collatione pluriũ locorum lucem afferunt, & quæ late ſunt ſparſa veluti in vnum corpus redigunt. Hoc donum agnoſcit Dauid cum inquit: Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis: Mens etenim noſtra, naturæ prauitate vanitati obnoxia eſt. intelligentia obſcurata. cor induratum. verum cum Deus regulam ſuæ voluntatis adhibet, vocem Propheticam & Apoſtolicam, mens à vanitate liberatur, intelligentia illuminatur, atque adeo cor ipſum quod antea ſaxeum erat, fit carneum. tanta vis verbi diuini eſt, in quo Spiritus ſanctus verè adeſt, & eſt efficax in audientib. verbum. In hunc igitur vſum pij Reges & principes erigunt ſcholas, alunt diſcentes & docentes, vt puritas doctrinæ retineatur, vt vitentur errores, vt iuuentus rectè edocta, quaſi per manus poſteris tradat puritatem doctrinæ. Hoc etiam conſilio pij interpretes ſuas theorias adornant, & exegemata in lucem emittunt, vt & teſtes ſint veræ interpretationis, & aliquid lucis afferant, oſtenſa rerum ſerie, & declaratis obſcurioribus loquendi modis, qui à rudioribus videri non poterant. Etſi autem magna eſt donorum diuerſitas in interpretibus, ex quo fit vt alij clarius, alij obſcurius, alij doctius, alij rudius, eaſdem res tractent: tamen laudandum eſt ſtudium in omnibus, qui amore propagandæ gloriæ Dei, & ædificandæ Eccleſiæ Chriſti ducuntur, etiamſi ſem-

 per votis

per votis non reſpondeat euentus. Solomonis ſacrificium prædicatur, qui obtulit oues & boues ſine numero & æſtimatione. prædicatur & pauperculæ viduæ factum, quę duo tantũ minuta in Gazophylaciũ miſit. Nam ſi aſſit promtus animus, is acceptus eſt pro eo quod habet aliquis, & non pro eo quod non habet. Huc facit etiam dulciſſima promiſſio domini: Habenti dabitur: qua ſignificatur, quod Deus habenti, hoc eſt recte vtenti donis collatis, addat incrementa donorum, & compenſet rectum donorum vſum maiore beneficiorum cumulo. Hac ego ſpe fretus, clariſſime vir & patrone ſingularis, adornaui commentarios in vtranque Epiſtolam Pauli ad Corinthios, in hunc finem, vt rudioribus ſaltem lectoribus methodum tractationis monſtrem, & phraſes obſcuriores declarem. Quod ſi autem pijs lectoribus aliqua vtilitas ex his cõmentationibus noſtris acceſſerit, Deo acceptum ferant: Sin minus, promtitudinem animi, qua gloriam Dei & ædificationem Eccleſiæ quæro, agnoſcant. Quod autem hos commentarios ſub tuo nomine, vir clariſſime, in lucẽ prodire volui, iuſtiſsimas habeo cauſſas. Nam plurima beneficia veſtræ familiæ libens agnoſco: pro quibus perpetuam animi gratitudinem debeo. & quia non poſſum parem rependere gratiam, hoc ſaltem officium poſtulat, vt declarem animi gratitudinem, & agnoſcam beneficia. Pater tuus pijſsimæ memoriæ Iohan. Vurne, doctrina & pietate tantus, vt etiam ſummos illos viros Mart. Lutherum & Philippum Melanchthonem habuerit ſibi deuinctiſsimos, quorum iucundiſsima familiaritate integro quadriennio cùm Vuitebergæ ageret, vſus eſt, primus in veſtra familia meas conditiones perſpexit, & liberali ſtipendio me aliquot annos Vúitebergæ ſuſtentauit: cuius liberalitatis nomine, agnoſco me plurimum debere veſtræ familiæ. Poſtqam autem in inuocatione nominis diuini animam ſanctam Deo tradidiſſet Iohannes Vurne: ſoror tua nobiliſsima & pijſsima fœmina Adelhada Vurne, Nobilis ac prȩſtantis viri Georgij Vuenſtermand vidua, quaſi hæreditario iure ſuccedens fratri in benemerendo de omnibus hominibus, plurima in me cumulauit beneficia. Huc accedit tua, vir clariſsime, promtitudo animi & beneficentia, quam maximam iam multos annos ſum expertus, non erga me ſolum, ſed etiam erga complures alios. Nam cum ſingulari ſapientia, præclara doctrina, & magna pietate excellis, rectè iudicas nihil eſſe melius quam optimè mereri de omnibus, & præcipue de ijs, quorum operam vtilem in Eccleſia eſſe animaduertis. Ego igitur vt & tibi optimè de me merito gratus ſim, & beneficiorum plurimorum familiæ veſtræ haud immemor eſſe videar, hos meos commentariolos in vtranque Epiſtolam Pauli ad Corinthios tibi dicatos in lucem emitto, ac rogo vt non animum ex dono ſed donum ex animo æſtimes. Vale cum caſtiſsima vxore tua nobiliſsima fœmina Domina Birgitta Ruth, & cum tota familia. Hafniæ, Menſe Septemb. Anno 1564.

ARGV-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ARGVMENTVM
IN PRIOREM EPISTOLAM PAVLI AD CORINTHIOS.

QVATVOR IN PRINCIPIO ENARRATIONVM SACRORVM ſcriptorum examinanda & excutienda ſunt: PRIMVM, Quis autor ſcriptionis ſit. SECVNDVM, Quæ ſcribendi occaſio. TERTIVM, Quis ſtatus. QVARTVM, Quæ tractationis methodus ſeu ordo. Hęc enim quatuor dextrè explicata in cuiuslibet ſacri ſcripti adytum veluti luce prætenſa lectorem introducunt. De horum primo, hoc eſt, de autore huius Epiſtolæ, dixi copiosè in argumento Epiſtolę ad Romanos ſcriptę. Quare de reliquis tribus dicam quàm breuiſsimè.

OCCASIO HVIVS EPISTOLAE SCRIBENDÆ.

OCCASIO ſcribendi hanc Epiſtolam, duplex fuit Paulo, prior, fama de ſchiſmate corruptiſq; Corinthiorum moribus: poſterior ſcriptum Corinthiorum ad Paulum de coniugio, & alijs rebus. Schiſma quidem inde ortum eſt, quod poſtquam Paulus Corintho diſceſsit qui illic ſeſquiannum docuit, ſubingreſsi ſunt arrogantes quidam doctores, qui philoſophico verborum ſplendore & ambitione effecerunt, vt varijs factionibus ſcinderetur Eccleſia: ex quo factum eſt, vt ſimplicitate Pauli cõtemta, alij alijs Doctoribus adhæſerint. Hæc res multis ſceleribus & litibus occaſionem præbuit: ad quod non parum iuuit ciuitatis mercatoriæ eiuſdemq; opulentiſsimæ conditio. Solent enim in Emporijs, maior luxus, faſtus, vanitas, delitiæ, ambitio, libido, & alia plurima vitia, regnare. Huic ſchiſmati mederi conatur Paulus hac Epiſtola. Deinde quia Corinthij ſcripſerant Paulo de Coniugio, Diuortijs, Cælibatu, Virginitate, De victu miniſtrorum, De Idolothytorum eſu, De Ceremonijs Eccleſiaſticis, De ordine in Eccleſia, De Contentione ſuper mortuorum reſurrectione, &c. De his ſingulis reſcribit Corinthijs. Hinc apparet præſentem Epiſtolam vtiliſsima doctrina refertam eſſe: vt quæ tam varias de multis vtiliſsimis quęſtionibus diſputationes & exhortationes contineat.

DE STATV EPISTOLAE.

ETSI ſtatus huius Epiſtolæ non eſt ſimplex, non enim vnum negocium tractat, vt ea quæ ad Romanos eſt ſcripta: Tamen vno capite facile cõtineri poteſt tota Epiſtola. Hortatur enim Corinthios, vt digne Euangelio ambulent. Huic capiti ſubijciuntur multæ hypotheſes, videlicet, Vt ſint concordes, vitent diſsidia, ne ſe efferant propter ſapientiam humanam aut doctorum eminentiam, vt puniant excommunicatione ſceleratos, vt fugiant lites, ne abutantur libertate Chriſtiana in aliorum ruinam, vt vel caſto vtantur coniugio, vel purè in cælibatu & virginitate viuant, ne cum aliorum ſcandalo Idolothytis veſcantur, vt victum debitum miniſtris ſuppeditent, vt honeſte ſe gerãt in ſacris ritibus, Vt cœna Domini digne vtantur, vt dona collata recte in aliorum ædificationem conferant, Vt pluris faciant dilectionem proximi quam alia dona quantumuis eximia, Vt ordinem dicendi in publicis congreſsibus ſeruent, Ne ſe ſinant falſis perſuaſionibus à vera de reſurrectione mortuorum ſententia abduci, Vt ſint liberales in pauperes ſanctos, &c.

ORDO TRACTATIONIS.

QVIA quæſtiones quæ à Paulo in hac Epiſtola tractantur, Natura ferè diſcretæ ſunt, ordo earum non eſt artificalis ſed arbitrarius. Quare de earum ἀκολουθίᾳ non eſt laborandum. Poſt Epigrapham & Exordium proponit de vitandis ſchiſmatibus, & eas tractat ordine hypotheſes, quas paulò antea recitaui, ac tandem fauſta imprecatione ſuo more claudit Epiſtolam. Porrò in enarratione ſingulorum capitum huius

Epiſtolæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Epiſtolæ, Quatuor meo more faciam. Primum notabo ſummam capitis, huic ſubijciam ordinem & partes eiuſdem. Tum adiungam exegeſin vnà cum obſeruatione locorum communium, eorumq; accommodatione ad nos docendos & admonendos.

CAPVT I.

Summa Capitis Primi.

Vt gratulatur Corinthijs donorum ſpiritualium excellentiam, ita hortatur eos ad concordiam, ne ſint in eis ſchiſmata ob doctorum eminentiam, aut ſapientiam humanam: præſertim cùm ea in prædicatione Euangelij nihil valeat, immo obſit magis. Nam ſolus Chriſtus ſaluandis factus eſt à Deo ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio, adeo vt extra ipſum nullus ſit gloriandi locus.

Ordo & partes Capitis Primi.

Partes huius capitis quinq; ſunt: PRIMA *epigrapha.* SECVNDA, *Salutatio.* TERTIA, *propoſitio ſuaſoria ad concordiam, vt vitent ſchiſmata.* QVARTA, *propoſitionis confirmatio continens collationem ſapientiæ humanæ & diuinæ: admonitionem de conditione & qualitate electorum, qui potiſſimum ſunt infirmi & rudes in hoc mundo: & commemorationem præcipuorum beneficiorum Chriſti qui nobis à Deo factus eſt ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio, vt in illo ſolo & non in ſapientia humana glorientur ſancti.*

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS vocatus Apoſtolus IESV CHRISTI per voluntatem Dei, & Soſthenes frater, Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in CHRISTO IESV vocatis ſanctis, cum omnibus inuocantibus nomen Domini noſtri IESV CHRISTI, in quouis loco eorumq; & noſtro.

In hac Epigrapha duo ſunt, Nempe partes Epigraphæ & amplificationes. Partes ſunt duæ expreſſæ, videlicet ſcriptor Epiſtolæ Paulus, & Corinthij, quibus hæc Epiſtola ſcribitur. Amplificatio prima eſt deſcriptio Pauli, ab officio nimirum, quod ſit vocatus Apoſtolus IESV CHRISTI per voluntatem Dei. Cum autem dicit ſe vocatum, ſignificat ſe Dei gratia & mandato deſignatum eſſe ad fungendum Apoſtolico munere, idq; vt & omnem ambitionis ſpeciem vitet: & Corinthios atq; adeo omnes pios ad legendã hanc Epiſtolam compellat, tanquam ex mandato Dei præſcriptam. Vnde & nos monemur, quo in loco hanc Epiſtolã habere debeamus. Deinde cum ſe Apoſtolum vocat, oſtendit, & ſe nihil ab officio ſuo alienum facere, dum Corinthios inſtruit, & Corinthijs haud impune licere aſpernari, quæ ab Apoſtolo Dei proponuntur ex Dei mandato. Præterea haud fruſtra addit, Per voluntatem DEI. Nam, vt hac voce omnem arrogantiæ ſuſpicionem à ſe auertit: ita innuit Dei ordinationem oppugnare eos, qui doctrinæ eius aduerſantur. Quod autẽ adiungit ſibi Soſthenem fratrem tanquam ſcriptionis ſocium, id eò facit, vt ipſum commendatiorem reddat Corinthijs. Fuit autẽ hic Soſthenes princeps Iudaicæ ſynagogæ quæ erat Corinthi. Vnde & nos monemur, fratres & comminiſtros Euangelij cõmendatiores ſuis auditoribus reddere noſtro teſtimonio. Altera amplificatio continet perſpicuam definitionem Eccleſiæ Dei, nimirum quod Eccleſia Dei ſit cœtus hominum ſanctificatorũ in Chriſto Ieſu, vocatorum ad ſanctitatem, & inuocantiũ nomen domini noſtri Ieſu Chriſti vbiuis terrarum. Non enim Eccleſia certo loco clauditur, ſed latè ſparſa eſt per vniuerſum orbem, vbicunq; Chriſti nomen prædicatur & inuocatur.

Gratia vobis & pax, à DEO patre noſtro & Domino IESV CHRISTO.

Hęc ſalutatio Apoſtolica proprium Euangelij fructum breuiſsimè proponit. Gratia eſt fauor Dei & beneuolentia,

uolentia, qua Deus pater in Chriſto recipit nos, remittit nobis peccata & adoptat in filios. Cum ergo hanc gratiá nobis optat Paulus à Deo patre noſtro, vult vt vera fiducia in Deum patrem recumbamus. Nam ſine fide nemini illa adoptio contingit. Pax effectus gratię eſt, nempe ipſa per Chriſtum reconciliatio, tranquillitas conſcientiæ, gaudium ſpiritus: breuiter, omnium rerum felix ac proſper in Deo ſucceſſus.

Gratias ago Deo meo ſemper de vobis ob gratiam Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu.

Exordium gratulatoriũ eſt: quod eò pertinet vt præmolliat Paulus Corinthios, quò ſe magis dociles præbeant. Deinde vim exhortationis habet. Nam ad perſeuerandum Corinthios hac gratiarum actione incitat Apoſtolus. Tum beneuolentiam hoc pacto Paulus ſibi conciliat. Nam teſtatur ſe nõ ſecus illorum cõmodiş affici quam ſuis. Hic primum obſeruetur, quòd, cum gratiarum actio beneficij ſit agnitio, omnia bona ſalutaria Deo ferenda ſint accepta. Vocat autem hic per Metonymiá Gratiam, ipſa dona ex gratia collata. Deinde obſeruetur, quod hæc bona contingant per Chriſtum & in Chriſto quem pij fide poſsident. Præterea exemplũ Pauli nos admoneat gratitudinis erga Deũ, cum pro beneficijs nobis ipſis præſtitis, tum pro donis alijs collatis. Miniſtri quoq; Euangelij ſuum eſſe officium obſeruent, vt pro felici Euangelij ſucceſſu gratias Deo agant. Præterea prætereundum non eſt, quod dicit DEO MEO, qua loquendi forma non excludit alios, ſed quod eſt commune, ſibi per fidem applicat. Eſt igitur fiduciæ argumentum, quo monet nos, qualem fiduciam erga Deum habere debeamus.

Quod in omni ditati ſitis in ipſo, omni ſermone, omniq; cognitione.

Exponit ſpeciatim quod per genus, hoc eſt, per gratiam ipſis datam intelligit. Vt autem diuitiarum nomen, abundantiam & copiam: Ita particula OMNI plenitudinem rei denotat. Significat ergo Paulus ſermonẽ Chriſti, hoc eſt Euangeliũ, clarè & plenè ipſis fuiſſe propoſitũ, adeo vt plená Chriſti cognitionem ex prædicato Euangelio ſint cõſecuti. Cognitionis vocabulo Synecdochicè, & noticiam & fidem quæ ex cognitione naſcitur, intelligit. Porrò hoc Elogium non pertinet ad omnes. Nam poſtea ipſos carnales nominat propter quoſdam qui reuera tales erãt, ſed ad eos paucos qui alijs pietate & vera Chriſti cognitione excelluerũt.

Quemadmodum teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis.

Ratio eſt eorum quæ dixit, ac ſi dicat: Teſtimonium Chriſti, hoc eſt, varia dona ſpiritus, quib. inſtructi eſtis, teſtantur de Chriſti ſermone & cognitione inter vos. Obſeruetur quod vbicunq; ſit Chriſti Euangelium, Chriſtiq; vera cognitio, ibi quoq; eſſe varia ſpiritus Chariſmata, quæ teſtimonium de Chriſti præſentia & virtute perhibent.

Adeo vt nullo dono deſtituamini, expectantes reuelationem Domini noſtri IESV CHRISTI.

Ætiologia eſt. Nam in ipſis teſtimonium Chriſti confirmatum eſſe, ex donis quæ acceperant comprobat: quibus ita eos abundare diciti, vt iam nihil ſit illis reliquũ, niſi vt expectent, donec reueletur Chriſtus ſecundo ſuo in mundum aduentu. Monemur nos quoq; hoc loco, vt nacti Chriſti cognitionem ſalutarem, iam porro animos leuemus in cœlũ, vnde expectandus eſt ſaluator noſter Ieſus Chriſtus. Huc pertinet illud ad Philip.3. Noſtrũ πολίτευμα eſt in cœlis, vnde expectamus Dominũ noſtrum IESVM CHRISTVM.

Qui etiam confirmabit vos vſq; ad finem inculpatos in die Domini noſtri IESV CHRISTI.

Promiſsio eſt perſeuerantiæ Dei in benefaciendo. Solet autem Paulus ab antecedentibus ad conſequentia argumentari, quando de voluntate Dei erga Eccleſiam agit, vt Philip.1. Perſuaſus, quod qui incœpit in vobis opus bonum, perficiet vſq; ad diem Ieſu Chriſti. Porrò cum promittit confirmationem, duo ſubindicat: Vnum nunquam eò perfectionis venire homines in hoc mundo, quin manu Dei qua fulciantur, indigeant. Alterum, vt ex fide hanc petamus confirmationem.

Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in

Ratio promiſsionis à conſtantia com-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

communionem filij ipſius IESV CHRISTI Domini noſtri.

Dei: Deus qui vocauit vos in communioné filij ſui eſt fidelis, id eſt, conſtans & verax in ſuis dictis & factis. Ergo quod incepit in vobis, ad bonum deducet finem. Huius collectionis ratio à qualitate donorum & vocationis Dei ſumitur. Nam dona (vt Roman. 11. ait) & vocatio Dei huiuſmodi ſunt, vt eorum ipſum pœnitere non poſsit. Quare noſtrum eſt cauere, ne noſtra proteruia & ingratitudine prouocemus Deum, noſtraq; culpa tantum theſaurum amittamus. Inculpatos vocat eos, qui ſunt in Chriſto Ieſu, quibus iam nulla eſt condemnatio, quorumque vnicum hoc ſtudium eſt, vt ita viuant ne quis ſe merito culpare poſsit.

Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri IESV CHRISTI, vt idem loquamini, & non ſint inter vos diſſidia, ſed ſitis coagmentati iñ eadem mente, & in eadem ſententia.

Propoſitio eſt ſuaſoria, vt vitent diſſidia & ſint concordes. Magna vis eſt in obteſtationis modo, cũ ait: per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac ſi dicat: ſi Chriſti nomen & religio apud vos aliquem locum habet, eſtote concordes. Hoc enim ipſe vnice expetit. Opponit auté hoc loco ſchiſmati tria: Orationem, eandem Mentem (hoc eſt, animorum & voluntatum cõiunctionem) & eandem Sententiam, hoc eſt idem de religione iudicium. Procedit autem hic Paulus à poſterioribus ad priora. Quod enim poſtremo loco ponit, cauſſa eſt medij, & medium primi. Nam qui eodem animi iudicio præditi ſunt, voluntate etiam cohærent. Voluntatis coniunctio locutionis eiuſdem effectrix eſt.

Significatum eſt enim mihi de vobis fratres mei à domeſticis Cloæ, quòd lites ſint inter vos.

Ratio exhortationis à rumore, immo certo teſtimonio de illorum diſsidijs: & ne falſa ſuſpicione duci videatur, nominat domeſticos honeſtę Matronæ Cloæ, quos ſibi hoc diſsidium narraſſe dici t. Obſeruetur exemplũ. Vt enim miniſtris verbi non licet ſuos auditores reprehendere, niſi certò conſtiterit de facto, contra leuitatem eorum qui quiduis ſibi licere putant: Ita piorum in Eccleſia eſt, exemplo Cloæ, ſi quid malè in Eccleſia geri animaduerterint, piè id Eccleſiæ miniſtris indicare. Neq; hoc qui accuſari videntur ægre ferre debent, cum eorum emendatio & ſalus quæratur.

Dico autem hoc quod vnuſquiſq; veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli, ego vero Apollo, ego vero Cephæ, ego vero Chriſti.

Per Mimeſin cauſſas diſsidiorũ exponit, nimirum, quod alij de alijs Doctoribus arroganter gloriati ſint aduerſus alios, qui ijdem Doctoribus ſecum non ſunt vſi. Quidã enim Paulum, quidam Apollo, quidã Cepham, & quidam alios ſuos iactarunt magiſtros in aliorum contemtum. Neq; defuerunt qui ita ſe Chriſti diſcipulos eſſe contenderent, vt alios omnes miniſtros verbi ſuperbè contemſerint. Nequaquam enim Paulus reprehendit, quòd dicerent ſe Chriſti diſcipulos ſimpliciter, ſed quia hac arrogãtia elati alios, quibus etiam ſuus honor deferendus fuiſſet, ſpreuerunt ſuperbè. Hic manifeſtè arguitur vana Monachorum ſuperſtitio, quorum alij Franciſcum, alij Dominicum, alij Bernardum, alij alium magiſtrum ſuæ sectæ ſuperbè iactant. Breuiter, vt Paulus hic vult vni Chriſto ita magiſterium aſſerere in Eccleſia, vt ab eo pendeamus omnes: ſic eos reprehendit qui poſt ſe diſcipulos abducunt, vt Eccleſiæ ſcindant vnitatem.

Ergóne diuiſus eſt CHRISTVS? Num Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomen Pauli baptizati fuiſtis?

Congeries argumentorum, quibus Corinthiorum craſſum errorem confutat & arrogantiam deprimit. Ponit autem tria ordine efficaciſsima argumenta. Primum ſumtũ eſt ab abſurdo: Si in eadem Chriſti Eccleſia ſcindere vnitatem licet, ita vt alius alium ſuperbè iactet miniſtrum: tum ſanè Chriſtus eſt etiam in partes diuiſus & factiones. Sed Chriſtus non eſt diſpertitus in partes & factiones. Ergo in eadem Chriſti Eccleſia ſcindere vnitaté non licet, alio de alio magiſtro arroganter gloriante. Obſeruanda in primis doctrina, quod, quemadmodum vnus CHRISTVS Eccleſiæ caput eſt,

& ſolus

& ſolus in Eccleſia regnat: Ita qui in Eccleſia eſſe volunt, ſub hoc vno Chriſto copulati inter ſeſe vera animorum concordia eſſe debent, quoſcunq; tandem ductores ad Chriſtum habuerint. Secundum argumentũ, ſimiliter ab abſurdo ſumtum. Si Paulo aut alij cuipiam ita adhęrere licet, vt iſto pacto ſcindatur Eccleſiæ vnitas: tum Paulus aut alius, quiſquis ille magiſter fuerit, pro vobis crucifixus eſt, hoc eſt, vos redemit perſoluto ſui ſanguinis precio pro vobis. Sed nec Paulus, nec alius quiſquam, niſi ſolus Chriſtus pro vobis crucifixus eſt. Ergo nullius magiſtri cauſſa ſcindenda eſt Eccleſiæ vnitas. Doctrina obſeruanda, quod ita ſub iure Chriſti ſimus propter redemtionis beneficium, vt nõ liceat ab eo diſcedere & vnitatem Eccleſiæ ſcindere: quod qui faciunt in ſummæ ingratitudinis notá incurrunt. Deinde ita ſoli Chriſti ſanguini aſſcribitur hoc redemtionis beneficium, vt meritum ſalutis & remiſsionis peccatorum in neminem alium ſine ſacrilegio transferri poſsit. Confutantur ergo Papiſtæ hoc loco, qui theſaurum Eccleſiæ componunt ex ſanguine Chriſti & martyrum ſimul. Quaſi martyres aliquid nobis meruiſſent ſuo ſanguine ad expianda peccata noſtra. Tertium argumentum, ab inauguratione noſtri per baptiſmum ſumitur. Illi inauguramur illiq; nomen damus, in quem baptizamur. Sed non baptizamur in nomen Pauli aut alterius, ſed in nomen Chriſti. Ergo non Paulo inauguramur, ſed Chriſto, qui vt nobis hoc ſymbolo teſtatur ſuam gratiam, noſque in ſuam familiam recipit: ita nos viciſsim obligamur, vt ipſi fide adhæreamus, quod niſi fecerimus fœderis violati rei ſumus. Obſeruetur doctrina, quod vt baptiſmo inauguramur Chriſto: Ita eodem admonemur concordiæ & coniunctionis mutuæ inter nos in Chriſto. Vnde Paulus ad Epheſ. 4. ab vnitate baptiſmi exhortationem petit, ad ſeruandam vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Quare contaminant & diuidunt baptiſmum, qui ſuis diſsidijs & ſectis vnitatem Eccleſiæ ſcindunt. Quoties igitur baptiſmi meminerimus, cogitemus de vnitate & concordia, quam Chriſtus ab omnibus, qui ſibi nomen in baptiſmo dederunt, requirit.

Gratias ago Deo meo, quod neminem veſtrum baptizaui niſi Criſpum & Gaium, vt ne quis dicat, quod in nomen meum baptizauerim. Baptizaui autem etiam Stephanæ familiam. Præterea non noui an quenquam alium baptizauerim. Non enim miſit me CHRISTVS baptizare, ſed Euangelizare.

Senſus horum verborum facilis eſt, ſed præbet duabus quæſtionibus occaſionem. Quarum prior eſt, num rectè miniſter verbi glorietur, ſe abſtinuiſſe à pio & laudabili opere? Poſterior, quomodo verum ſit, Paulum non eſſe miſſum ad baptizandum, ſed ad Euangelizandum, cum tamen Dominus miſerit Apoſtolos non ſolum, vt docerent, ſed etiam vt baptizarent? Ad vtramque quæſtionem reſpondendum eſt: quod neutra illarum ſimpliciter, ſed comparate intelligenda ſit. Gratias quidem agit Deo Paulus quòd neminem baptizauerit, ſcilicet ne inde raperent occaſionem gloriandi de ſe vt magiſtro, in aliorũ contemtum, Neq; propterea quiſquam à baptiſmo excluſus eſt, quod Paulus non baptizarit. Fuit enim baptiſmus adminiſtratus per alios. At quod dicit ſe non eſſe miſſum ad baptizandum ſed Euangelizandum, Non negat ſimpliciter ad ſuum officium pertinere baptizare, ſed officij partes diſtinguit, & potiſsimam partem functionis Apoſtolicæ munus prædicandi Euangelium aſſerit, quam partem non potuit in alterius humeros conijcere. Verum cum baptizandi opus tale erat quod per multos adminiſtrari potuit, voluit Paulus in magis neceſſario officio, cui potiſsimum erat deſtinatus, occupatus eſſe. Neque hæc quæ hoc loco à Paulo dicuntur, rectè rapiuntur ad extenuandum baptiſmum. non enim hic quæſtio agitatur de virtute baptiſmi, ſed de miniſterio, quo non occupabatur Paulus, vt magis arduo prædicandi munere perfungi poſſet.

Non in ſapientia ſermonis, ne inanis reddatur crux Chriſti.

Remouet cauſſam gloriationis Corinthiorum. Illi iactarunt quiſq; ſuum magiſtrum ob oratoriam dicendi facultatem, & ſermonis ſplendorem & facundiam (Hic enim ſapientia) quę peritiá omnis generis artificum continet (ad certam ſpeciem, nempe ad dicendi artificioſam peritiã referenda eſt) ſed hæc magis obeſſe videtur, cum id orationis virtuti tribuatur, quod potentiæ Euangelij tribuendum eſſet. tantũ abeſt vt eloquentia prædicationi Euangelij accommoda ſit, Grauis enim ratio eſt cum inquit, Ne inanis reddatur crux Chriſti, hoc eſt, ne tribuatur hominis facundiæ, quod propriũ eſt crucis & beneficij redemtionis. Atq; hæc cauſſa fuit, cur Chriſtus elegerit Apoſtolos rudes, & qui nulla ſapientia pollerent coram mundo. Cauſ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

do. Cauſſa igitur non fuit donationis imbecillitas, ſed vt non tribueretur virtus ipſa eloquentiæ humanæ. Verum hic duæ arduæ quæſtiones ſe offerunt. Vna, Num Paulus prorſus damnet ſermonis ſapientiá tanquam Euangelio contrariam? Altera, Num repudiandus ſit quiſquis Euangelium paulo nitidiori ſermone illuſtret? Quantum ad primá quæſtionem attinet, certum eſt cum honeſtas artes omnes, tum ipſam eloquentiam eſſe donum Dei. Deinde fuiſſe Paulo potiſsimum, inter Apoſtolos ſummam eloquentiam conſtat, qua etiam olim excelluiſſe Dauidem, Salomonem & Eſaiam manifeſtum eſt. Quare Paulus non eſt putandus aliquid in contumeliam artium dicere, ſed Euangelij prædicationem vult eſſe ſimplicem, cum vt appareat ſola ſpiritus efficacia in prædicatione Euangelij, tú vt ſermone rudi & impolito noſtra obœdientia, docilitas, & humilitas magis conſpicua reddatur. Ex hoc etiam ad ſecundam quæſtionem reſpondere non eſt difficile, Licere quidem omni Eloquentiæ gratia illuſtrare Euangelium, modo vana verborum oblectatione non inebrientur homines. Verum hic modus ſeruandus eſt, ne hominis eloquentiæ tribuatur quod eſt virtutis Dei. Quare præſtat ſimplicitatem in docendo, grandiloquentiam & eloquentiam in exhortando & confutando adhibere.

Nam ſermo qui eſt crucis, ijs quidem qui pereunt ſtulticia eſt, nobis vero qui ſeruamur potentia Dei.

Conceſsio eſt cum correctione per diſtinctionem. Obijciunt quidam qui humanam iactant ſapientiam & eloquentiam, genus illud ſermonis quo vtitur Paulus atque alij Apoſtoli, in annuncianda ſalute per Chriſti crucifixi mortem, eſſe impolitum, rude atq; adeo ſtultum, vt quod careat omni eloquentiæ laude, ſed Paulus illis hoc concedit, ſed mox per diuiſionem corrigit: Sermo qui eſt crucis (id eſt, prædicatio de Chriſto crucifixó) ſimplex & minime ornatus humanæ ſapientię coloribus, ijs qui pereunt, eſt non ſolum ſtultus, ſed ipſa ſtulticia, eorum ſane iudicio qui pereunt: At ijs qui ſaluantur eſt potentia Dei. Nam per illum Deus ſuam mirificam vim declarat: qua vtitur in eripiendis hominibus à potentia Sathanæ, in adoptandis filijs donata remiſsione peccatorum per Chriſtum. Hæc potentia Dei non ita emineret, ſi ab humanarum artium ſubſidio pendere videretur. Nam tum hominibus magna ex parte tribueretur, quod eſt proprium crucis Chriſti.

Sed ſicut ſcriptum eſt, perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.

Eſaiæ teſtimonio probat ſapientiam & prudentiam hominum in religionis negocio plane nullum habere locum. Quare minatur Dominus apud Eſaiam ſe aboliturum, & è medio ſublaturum ſapientiam mundi, vt locus ſit ſapientiæ Dei, hoc eſt, Euangelio Chriſti. Docet hic locus, quod in ſalutis doctrina nihil prorſus valeat ſapientia philoſophica, vt quæ miniſterium Euangelij pro ludibrio habeat.

Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor ſeculi huius? Nonne infatuauit Deus ſapientiam mundi huius?

Ex Eſaiæ pronunciato Paulus validè infert per inſultationem, gloriationem mundi & ſapientiam nihil prorſus in myſterio ſalutis valere. Sapiens eſt Paulo hoc loco, qui philoſophiam iactat, veluti ſapientiæ fontem. Scriba eſt interpres legis, aut quilibet literatus ac ſtudio longo exercitatus. Conquiſitor ſeculi eſt, qui in huius mundi arcanis perſcrutandis, & acutiſsimis quibuſque quæſtionibus explicandis omnem ætatem conſumit.

Poſtquam enim in ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtulticiam prædicationis ſaluare credentes.

Vt probat ab effectu, mundi ſapientiam non perducere hominem in veram noticiam Dei: Ita ſapientiæ mundi opponit ſtulticiam prædicationis, hoc eſt, ſtultá prædicationem ipſius Euangelij: quam ſtultam nominat, quia iudicio mundi talis videtur, quę tamen reuera iudicio Dei & Eccleſiæ Chriſti ſumma eſt ſapientia. Poſtquam inquit, in ſapientia Dei (hoc eſt, in hac mundi fabrica, quæ eſt veluti quoddam ſpeculum ſapientiæ Dei) non cognouit mundus (hoc eſt, homines non regenerati) per ſapientiá (hoc eſt, per lumen rationis, ac demonſtrationes ex natura rerum ſumtas) DEVM (ſcilicet vera & ſalutari noticia) Placuit Deo (hoc eſt, ita viſum eſt ex gratuita ipſius bonitate) per ſtultam (ſcilicet coram mundo)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mundo) prædicationem (de Chriſto crucifixo) ſaluare credentes. Doctrina prima hic obſeruetur, quod homines non poſsint venire in ſalutaré Dei noticiá per mundi ſapientiam. Secunda, quod ſolum Euangelium ſalutarem Dei noticiam pariat. Tertia, quod omnes homines abſque noticia Euangelij in damnatione hæreant. Quarta, quod fructus creditæ prædicationis Euangelij ſit ſalus animarum.

Quandoquidem & Iudæi ſignum petunt, & Græci ſapientiam quærunt, Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum: Græcis vero ſtulticiam.

Exegeſis per collationem. Exponit enim quomodo Euangeliũ mundo ſit ſtulticia, ſed ipſis electis ſumma ſapientia. Iudæi pleriq; miracula & ſigna petunt, non contenti miraculis, quibus iam pridem veritas Euangelij cõfirmata eſt, vnde fit vt ipſis Chriſtus in ruinam & lapſum prædicetur: Græci autem ſapientia ſua & rationis acumine Euangelium metiri conantur: quod dum rationis lumine non perſpiciunt, ſtultum iudicant. Quare prædicatio Euangelij de Chriſto, ipſis ſtulta & ridicula videtur. Hinc diſcamus rationem noſtram in rebus diuinis captiuare, ac voci Dei ſoli fidem adhibere.

At ipſis vocatis Iudæiſque & Græcis, Chriſtum Dei potentiam & ſapientiam.

Excipit eos quibus prædicatio de Chriſto eſt ſalutaris, nempe vocatis, hoc eſt, ijs qui Euangelio prædicato fidem adhibent (Hi enim vocati dicuntur) His prædicatio de Chriſto crucifixo, eſt & potentia Dei & ſapientia Dei. Potentia quidem, qua Deus illos potenter eripit à damnatione & Sathanæ imperio: Sapientia vero, qua in ſalutarem Dei noticiam eruditi, Deum ex fide vera colere norunt.

Nam ſtulticia Dei ſapientior eſt hominibus, & infirmitas Dei robuſtior hominibus.

Ratio, quod prædicatio de Chriſto crucifixo (nam ſtulticiam Dei & infirmitatem Dei crucem Chriſti appellat) quæ ſtulta videtur mundo, ſit potentia & ſapientia Dei. Mundus iactat ſuam ſapientiam & ſuas vires, ſed prædicatio Euangelij quæ in hominum oculis quædam ſtulticia & infirmitas apparet, habet ſuã vim & virtutem à Deo, qui & ſapientiſsimus & robuſtiſsimus eſt. Cum ergo de prædicatione Euangelij quæritur, Vnde tanta eius vis ſit? ad eius autorem qui in eo eſt efficax, reſpiciendũ eſt.

Videtis enim vocationem veſtram fratres, quod non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt in mundo elegit Deus, vt ſapientes pudefaciat, & quæ ſunt infirma in mundo elegit Deus, vt pudefaciat ea quæ ſunt robuſta: & quæ ignobilia ſunt in mundo & ſpreta, elegit Deus: & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt aboleret, Vt non glorietur omnis caro coram Deo.

Id quod ſcripturis antea probauit, hîc ipſo rei euentu & propria Corinthiorum experientia confirmat, vt vel hoc pacto eorum faſtum deijciat, ne quid ſibi arroganter tribuant. Atque hæc ſumma ſententiæ eſt. Verum ne hunc locum rapiamus in contemtum nobilium, potentum, & ſapientum huius mundi, opus eſt collatione huius loci, cum alijs dictis & exemplis ſcripturæ. Ad Timoth. ait Paulus, quod Deus velit omnes ſaluos fieri. Ad Rom. Qui diues eſt in omnes: item, non eſt diſtinctio Iudęi & Græci. Iohan. 3. Omnis qui credit non peribit, ſed habebit vitam æternam. Dauid præterea hortatur Reges ad oſculandum filium, quos Eſaias Eccleſiæ nutritores vocat. Diuites & potentes fuerunt Dauid, Ezechias, Ioſias & multi electi. Quare nec diuitiæ, nec nobilitas, nec potentia, nec ſapientia eſt cauſſa reiectionis: ſed harum rerum abuſus. Nam plerique his rebus ebrij, Euangelium ſpernunt, Cùm contrà pauperes, ignobiles, contemti corá mundo, iſtis impedimentis non implicantur: etſi inter illos quoq; non pauci ſua incredulitate pereunt. Porrò ea quæ non ſunt, Hebraico idiotiſmo vocat quæ pene nulla ſunt: ſed hominum non Dei iudicio. His opponuntur ea quæ ſunt, hoc eſt, quæ in precio coram mundo habentur. Cæterum duos fines hic ponit, cur non multi nobiles, potentes, &c. eligantur: Quorum primus eſt, vt pudefaciat ſapientiam, potentiam & nobilitatem mundi,

 hoc eſt,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hoc eſt, vt declaret quod Deus iſta non reſpiciat in ſalutis negocio. Vult enim Deus, vt vnuſquiſq; abneget ſemetipſum, & proſternat ſe nudum & deſtitutum omni merito & dignitate coram Deo. Alter finis eſt, ne coram Deo vlla caro glorietur, hoc eſt, ne quiſquam mortalium ſalutis meritum ponat in nobilitate, diuitijs, potentia, aut vlla alia re mundi: ſed eam acceptam ferat ſoli Chriſto crucifixo, Quemadmodum ſequentia Pauli verba teſtantur. Porrò de electione copioſius ſcripſi in primum Caput ad Epheſios.

Sed ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſticiaque & ſanctificatio & redemtio.

Expoſuit quales ſunt in ſe, qui vocantur. Nunc autem explicat quales fiunt ex gratia, & ex communicatione quam habent cum Chriſto. PRIMVM quidem adoptantur in Chriſto, vnde fit vt cæteris hominibus tanto ſint nobiliores, vtpote nati ex Deo, quanto Dei gloria omnibus excellit. Deinde, vt illuſtriora ſint Chriſti beneficia erga Eccleſiã, ea particulatim recitat, ac numerat quatuor ſeruato conſecutionis ordine. Ait enim, Chriſtum eſſe nobis factum ſapientiam, iuſticiam, ſanctificationẽ & redemtionẽ. Nam vt Adam primus ſuo lapſu factus eſt nobis ſtulticia, iniuſticia, impuritas & exilium: Ita Chriſtus nouus & ſecundus Adam, factus eſt nobis, ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio. Primum itaq; factus eſt nobis Sapientia: quia in illo reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Hæc autẽ ſapientia conſtat vera Dei noticia, qua eius in Chriſto dilectionem cognoſcimus, & veram colendi Deum rationẽ tenemus. Hac ſapientia deſtituuntur omnes, qui in Chriſti ſchola non ſunt edocti. Iuſticia deinde fit nobis, quando remiſsis peccatis nobis credentibus iuſticia ipſius gratuito imputatur. Hac iuſticia veſtiti, non amplius vt rei apparemus in conſpectu Dei. Tertio factus eſt nobis Sanctificatio. Nã ſicuti Chriſtus nos iuſtificando à peccatis liberat & à morte, quæ peccati pœna eſt: Ita ſanctificando regenerat in nouos homines, & ſuam reddit in nobis efficacem iuſticiam, ad creandos in nobis per Spiritum ſanctum nouos motus, & ad efficiendas Dei filijs dignas actiones. Obſeruetur igitur hic, res diſtinctas eſſe iuſtificationem & ſanctificationem, quamuis ita natura coniunctæ ſunt, vt ſanctificatio à iuſtificatione nunquã abeſſe poſsit. Quarto, factus eſt nobis Redemtio. quia ita per eum ſapientia donati, iuſtificati & ſanctificati, certam redemtionem tandem aſſequemur, reſuſcitatis corporibus & donata nobis vita æterna. Hic Pauli locus ideo obſeruandus eſt diligentius, quia vix vllus alius in ſcripturis eſt, qui diſtinctius omnia beneficia Chriſti erga Eccleſiam enumerat.

Vt ſicut ſcriptum eſt, qui gloriatur in Domino glorietur.

Soli Chriſto ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio eſt accepta ferenda, Ergo in ſolo Chriſto gloriandum eſt. Stulte igitur faciunt, qui vel humana & philoſophica ſapientia tumidi, ſchiſmata in Eccleſia faciunt, Vel qui gloriantur de ſuis in religione magiſtris: Propterea quod magis ſecundum mundum ſapere videantur.

CAPVT II.

Summa Capitis Secundi.

Vt qua orationis humilitate Euangelium ſit prædicandum, ſuo oſtendit exemplo: Ita qualis ſit ſapientia Euangelium ipſum, exponit: indicans, eam non poſſe ab homine carnali percipi, ſed tantum per ſpiritum Dei cognoſci.

Ordo & partes Capitis Secundi.

Primum, quia in ſuperiori capite oſtendit Euangelio quodammodo contrariam eſſe ſapientiam & philoſophicam eloquentiam: hic ſuo exemplo demonſtrat qua humilitate Euangelium ſit prædicandum. Deinde ſequitur commendatio ſapientiæ illius, quam profitetur Euangelium. Poſtremo, vt hanc ſapientiam excedere humanum captum: Ita non percipi niſi ab ijs qui ſpiritu Dei edocti fuerint, monet: quod ſuo quoque exemplo clarum facit.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

ET ego cum veniſſem ad vos fratres, veni non in excellentia ſermonis aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Dei. Nõ enim iudicaui me ſcire quicquam in vobis, niſi Chriſtum Ieſum & hunc crucifixum.

Suo exemplo confirmat, naturam Euangelij quodammodo cõtrariam eſſe grandiloquentiæ humanæ, ac omnino diuerſiſsimum eſſe Euangelium à ſapientia mundi: vt, quod nec ex inani ſermonis ſplendore, nec ex humanæ ſapientiæ ſupercilio dependeat. Huius ſui facti Paulus rationem reddit, cum ait: non enim iudicaui me quicquam ſcire, hoc eſt, non eximium duxi, nec quicquam cognitione ſum dignatus, Niſi Ieſum Chriſtum eumque crucifixum: vt crucis humilitati meum ſermonem accommodem. Hic locus, vt indicat quid docere debeant fideles miniſtri verbi: Ita monet quid nobis toto huius vitæ curriculo diſcendum ſit, modo alioqui ſalus nobis curæ fuerit.

Et ego in infirmitate, & in timore, & in tremore multo, fui apud vos, & ſermo meus & prædicatio mea: non in perſuaſorijs humanæ ſapientiæ ſermonibus, ſed in demonſtratione ſpiritus & potentiæ: vt fides veſtra non eſſet in ſapientia hominum, ſed in potentia Dei.

Exponit clarius quod dixit, & ſunt in ipſa expoſitione quatuor potiſsimum membra: PRIMVM, quòd perpẽſa magnitudine negocij, quod ſuſtinuit ſuæ infirmitatis memor, in eo magno cum timore & tremore verſatus ſit. Quo, vt monet qualiſnam cura & ſolicitudo miniſtrorum Euangelij eſſe debeat in tanto miniſterio: Ita perſtringit Thraſonicos concionatores, qui tantum inanem verborum ſplendorem ſuperbè afferebant. SECVNDVM ex primo naſcitur. Dicit enim ſuam prædicationem non fuiſſe in perſuaſorijs humanæ ſapientiæ ſermonibus, qui magis artificio ſubtili quam veritate nituntur: ex quo fit vt magni oratores ſæpe imperitis fucum faciant ac veritati tenebras offundant. TERTIVM eſt, quod dicit ſuam prædicationẽ fuiſſe in demonſtratione ſpiritus & potentiæ, id eſt, ſpiritualis cuiuſdam virtutis, qua Deus & ſuo ſpiritu efficax eſt in prædicatione Euangelij, & multis ſtupendis factis veritatem Euangelij obſignat. QVARTVM eſt finis, cur Chriſtus voluerit ſuũ Euangelium humili ſermone proponi, ne videlicet fides Corinthiorum videretur pendere ex ſapientia & grandiloquentia humana, ac ſi ſermonis ſplendore ac eloquentia eſſet ad finem deducta: ſed vt conſtaret potentiam Dei in humili prædicatione latere. Vnde Corinthij admonebantur, vt hanc Dei potentiam in Euangelio latentem agnoſcerent, & non ſinerent ſe vllo pacto ab ea doctrina auelli, in qua potentia Dei adeo clarè conſpiceretur.

Porrò ſapientiam loquimur inter perfectos.

Prolepſis eſt, anticipat enim obiectionem illorum, qui ex dictis inferre poterant, Paulum deſpicere ſapientiam omnem hominum, ſicut homines barbari & imperiti ſolent: verum iſti obiectioni reſpondet, & dicit ſe cum alijs Euangelij miniſtris veram ſapientiam loqui & profiteri, ſed inter perfectos, quibus ſolis ſapit verbum quod annunciamus. Vocat autem perfectos eos, qui integro & incorrupto iudicio ſunt, quorumque mentes, ſpiritus gratia, iam capaces ſunt huius ſapientiæ. Significat igitur alios iudicio corruptos eſſe, vt qui de humana glorientur ſapientia.

Sapientiam autem non ſeculi huius, neq; principum ſeculi huius qui abolẽtur.

Prolepſis alia eſt. Anticipat enim Apoſtolus ne quis obijceret, eam quam iactaret ſapientiam, à ſummis quibuſq; ingenijs contemni, Ideoq; ſapientiæ nomen non mereri. Concedit itaq; Paulus non eſſe ſapientiam huius mundi aut principum huius mundi, hoc eſt, eorum qui in mundo ingenio dignitate & potentia excellunt. Hic igitur obſeruetur, Euangelium nequaquam iudicio ſapientum huius mundi ſubijciendum eſſe, vt quod diuerſiſsimũ ſit à ſapientia principum huius mundi, qui abolentur cum ſua ſapientia. Innuit ergo his verbis, Euangelium quandam ſapientiam æternam eſſe, vt quæ Deum autorem æternum habeat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sed loquimur ſapientiam Dei in myſterio abſconditam, quam præfinierat Deus ante ſecula in gloriam noſtram.

Definit qualiſnam ſapientia ſit Euangelium, nempe ſapientia à Deo autore profecta, non recens nata, ſed definita ante ſecula in gloriam noſtram: Etſi iam diu in myſterio abſcondita latuerit.

Quam nemo principum huius ſeculi cognouit.

Ratio eſt, cur ſapientiam hanc Dei dixerit in myſterio abſconditam fuiſſe, nempe ideo quia eam nemo mortalium vel ſapientiſsimorum, ſuo acumine perceperit.

Nam ſi cognouiſſent (eam) nequaquam dominum gloriæ crucifixiſſent.

Ætiologia eſt ab euidenti ſigno. Si principes mundi cognouiſſent hanc Dei ſapientiam, nequaquam eius autorem Dominum gloriæ, hoc eſt, potentẽ illum Deum veræ gloriæ & maieſtatis plenum, crucifixiſſent. Alludit autem hic Paulus ad Pſalmum 24. in quo Chriſtus rex glorię dicitur. Obſeruẽtur hic duo teſtimonia, Vnũ diuinitatis Chriſti quæ opponitur crucis ignominiæ. Alterum coniunctionis duarũ naturarum in vnã perſonam. Hic enim quod ſolius humanitatis eſt (ſi naturas ſeorſim ſpectas) cum diuinitate communicatur. Quemadmodũ Iohan. 3. Quod eſt ſolius diuinitatis, cum humanitate communicatur propter vnionem perſonalem. Aperte igitur hic diſtinguuntur duæ naturæ in Chriſto, & vna cõfirmatur hypoſtaſis, id eſt, perſona. Chriſtus enim adeo vnus eſt, vnitis duabus naturis in vnã perſonam, vt, quod vnius naturæ eſt proprium, interdum toti Chriſto tribuatur: Vt, cum dicimus Chriſtum natum ex muliere, paſſum, crucifixum, ſepultum, &c. Hic enim toti tribuitur Chriſto, quod eſt humanæ tantum naturæ propriũ: Interdum vero quod vnius naturæ eſt, ad alteram transferatur. Vt cum Paulus hic dicit, Dominum gloriæ crucifixum. Hic enim quod eſt humanæ naturæ, ad diuinã transfertur per Tropum quem veteres vocarunt κοινωνίαν ἰδιωμάτων, hoc eſt, communicationem proprietatum. Hæc eo ſpectant, vt diſcamus naturas Chriſti ita diſtinguere, vt tamen alteram ab altera non ſeparemus. Nam niſi idem ille Chriſtus qui paſſus eſt, Deus ſit æternus, quomodo ſaluaret? Et viciſsim, niſi idem Deus ille æternus paſſus eſſet in carne ſua, quomodo redimeret? Neutrum enim poteſt, niſi vnus & idem ſit Deus & homo: qui poteſt quidem quia Deus eſt, debet vero quia homo eſt.

Sed ſicut ſcriptum eſt: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ipſum.

Dixit principes mundi non cógnouiſſe ſapientiam Dei, Nunc id confirmat teſtimonio Eſaiæ cap. 64. Qui euincit, doctrinam Euangelij humani ingenij comprehenſionem ſuperare. Si enim cogitare non poteſt homo de ijs, quæ Deus ſuis parauit, quomodo quæſo ea poterit ſenſibus comprehendere? Nam cum omnis humana cognitio, aut ex ſenſibus (viſu potiſsimum & auditu quos hic ponit Apoſtolus) aut ex intellectu oriatur: Et nullo horum, vel ſapientiſsimi in mundo, potuerunt hanc Dei ſapientiã comprehendere, neceſſe eſt eam poſitam eſſe extra omnem hominis comprehenſionẽ, quam Philoſophi vocant συγκατάληψιν. Obſeruetur hoc teſtimonium aduerſus eos, qui transformant Euangelium in legem neſcio quam moralem & Ariſtotelicam.

At nobis Deus reuelauit per ſpiritum ſuum.

Prolepſis eſt. Nam huic quæſtioni reſpondet: Si nec ſenſibus, nec mente comprehenditur Euangelium, quomodo ergo vobis innotuit? Reſpondet: Deum illud reuelaſſe per ſuum ſpiritum. Atque ita poſtquã Apoſtolus oſtendiſſet, humanam mentem non poſſe conſcẽdere ſuo marte ad capienda myſteria Dei, monſtrat verum & vnicũ myſteriorum Dei magiſtrũ ſpiritum ſanctum, cuius ſolius magiſterio Paulus edoctus fuit. Hic locus nequaquã ſuffragatur Anabaptiſtis aut alijs Enthuſiaſtis. Nam ſpiritus ſanctus eſt ſemper doctor Eccleſiæ, ſed per vocale verbum, quod iuſsi ſunt Apoſtoli & eorum ſucceſſores annunciare omni creaturæ.

Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.

Ratio reuelationis Euangelij per ſpiritum. Spiritus enim ſanctus, qui vnus eſt cum patre & filio Deus, occultiſsi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cultiſsima quæque & ſolus nouit,& ſolus eadem docere nos poteſt. Eſt ergo argumentum à ſufficienti cauſſa ſumtum,quę cauſſa vt noſtræ cæcitati opponēda eſt, ita eidem medetur.

Quis enim hominum nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in eo? Ita etiam quæ Dei ſunt nemo nouit, niſi ſpiritus Dei.

Alia ratio ſeu rationis declaratio à comparatis ſumta: Quemadmodum ſpiritus hominis, id eſt, anima ipſa (in qua vis intellectualis reſidet) ſola nouit hominis conſilia & voluntatem, quæ alios homines latent, priuſquam ſermone promuntur è Theſauro cordis: Ita cōſilia & voluntatem Dei de ſalute generis humani, ſolus ſpiritus Dei nouit, quæ ipſe ſpiritus promit per prædicationem Euangelij, & ſua diuina virtute cordibus electorum obſignat. Docet & hic locus, extra comprehenſionem humani ingenij poſitam eſſe ſapientiam eam quam profitetur Euangelium.

Nos vero non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui eſt ex Deo, vt ſciamus quæ nobis à Deo donata ſunt.

Diſcernit inter ſpiritum mundi & ſpiritum Dei, & in quem finem donamur ſpiritu Dei docet. Accipere autem ſpiritum mundi eſt afflari eo ſpiritu, qui ea doceat, quæ mundus curat, & quorum capaces ſunt homines ſuæ naturæ aptitudine. Sed accipere ſpiritum Dei, eſt eo ſpiritu afflari qui nos ad Deum vſq; ſubuehat, cuius vi ſcilicet ſcrutemur & intelligamus ſalutis noſtræ myſteriū, alioqui imperueſtigabile. Notemus itaq; hoc loco, genitiuos Mundi & Dei, Idiotiſmo Hebraico pro Epithetis poni, & Epitheta ipſa obiecta ſignificare. Vt enim ſpiritus mundi eſt, qui circa mundana, ita Dei ſpiritus eſt qui circa diuina occupatur. Hinc vtilem doctrinam petamus de fide, quod non ſit incerta opinio: Sed vera ſcientia ex demonſtratione ſpiritus in cordibus electorum extructa. Turpiter igitur errant qui iubent homines dubitare, an ſint in gratia nec ne. Nam hic Paulus aperte dicit, ſpiritum Dei accipi, vt ſciamus, quę nobis Deus eſt gratificatus, hoc eſt, vt beneficia nobis in Chriſto ex mera gratia collata intelligamus.

Quæ & loquimur, non in eruditis humanæ ſapientiæ ſermonibus, ſed Spiritus ſancti: ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.

Hactenus oſtendit Apoſtolus, quæ & quanta ſit ſapientia Dei, & quod differat ab humana ſapientia: Nunc quo dicendi genere hæc ipſa Dei ſapientia proponenda ſit, docet. & vt eam longe diuerſiſsimā ab humana ſapientia docuit: Ita eandem longe alio dicendi genere tradendam eſſe, ſuo aliorumq; Apoſtolorum exemplo demonſtrat. Humana ſapientia eruditis humanæ ſapientiæ ſermonibus (hoc eſt compoſitis ad Rhetorum normam, & refertis philoſophicis ampullis, Ita, vt in ſui admirationem grandiloquentia quadam auditores rapiant) traditur: At hæc Dei ſapientia traditur Spiritus ſancti ſermonibus, hoc eſt, ad ſincerum ſimplicemq; ſtilum, Maieſtate ſpiritus dignū, magis compoſitis quam ad vanam oſtentationem, Idque ideo vt ſpiritualibus (hoc eſt, rebus cœleſtibus & diuinis) ſpiritualia (hoc eſt, ſermonem ſpiritualem) iudicio aptemus. Nam ea demum tradendæ alicui diſciplinæ maxime eſt appoſita oratio, quæ proprijs, & ad id de quo agitur accommodatis verbis & formulis vtitur. Atqui Euangelium ſicuti à Deo & non ab hominibus manat, Ita etiam res docet ab humano ſenſu remotas. Merito igitur in eo tradendo non humanam, ſed diuinam eloquentiam vſurpare oportet.

Animalis autem homo non capit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei.

Anticipatio eſt, qua anteuertit hāc obiectionem: Qui fit, quod tam pauci hanc cœleſtem ſapientiam amplectuntur? Reſpondet Apoſtolus propoſita cauſſa, quæ eſt impotentia quædam, nimirum quod nullæ ſint hominis faculates ad capiendam hanc cœleſtē ſapientiam idoneæ. Quemadmodū enim vaſa minora nulla ratione quippiam maius ipſorū proportione capere poſſunt: Ita homo animalis, id eſt, non alia quam naturali luce præditus, vt qui ſpiritum Dei non habeat (ita enim vocabulum ψυχικὸς in Epiſtola Iudæ explicatur, id quod patet ex ipſa antitheſi, qua ψυχικὸς ſpirituali opponitur) nō poteſt illis ſuis facultatibus hanc capere cœleſtem ſapientiā. Obſeruandus eſt inprimis hic locus, Nam vt clare docet, nullas eſſe facultates in homine, quibus homo poſsit per ſe Dei Euangelium percipere: Ita eneruat, immo prorſus ſubuertit liberum arbitriū, quantū ad obœdientiam ſpiritualē Euangelio præſtandam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dam attinet: de quo adeo gloriantur ſophiſtæ. Tametſi autem ex contemplatione rerum creatarum philoſophi DEVM eſſe ratiocinati ſunt, eúmque omnipotentem, æternum, ſapientem & bonum agnouerunt: tamen hanc ſapientiam Dei, quod Deus ſit nobis pater in filio reconciliatus nequaquam agnouerunt. Nam hæc ſapientia non agnoſcitur niſi ab ijs, quibus Spiritus ſanctus eam peculiari gratia patefecit.

Stulticia enim ipſi ſunt, & non poteſt cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur.

Duplex ratio cur animalis homo non percipiat ea quæ ſunt Dei, quarum prior ſumitur ab ingenio hominum, Poſterior à natura doctrinæ cœleſtis. Priorem his verbis ponit, quia ſtulta ea videntur, vt quæ nullis rationis demonſtrationibus, aut probabilitate euidenti ſuffulta eſſe videantur. Poſteriorem ita exprimit, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur, id eſt, non poſſunt agnoſci niſi ab ijs, qui Spiritum ſanctum habent, & nouo ſpiritus afflatu ſunt præditi.

At ſpiritualis quidem dijudicat omnia, Ipſe autem à nemine dijudicatur.

Quiſnam huius diuinæ ſapientiæ nō ſit capax oſtendit: nunc quiſnam eiuſdem ſit capax docet, nimirum, ſpiritualis, id eſt, Spiritu ſancto afflatus. hic enim ſolus dijudicat & intelligit omnia pro menſura gratiæ ſibi collatæ, at ipſe contra à nemine dijudicatur, quantum ſcilicet ad eam partē attinet qua ſpiritualis eſt. Nā nec fides, nec veritas Euangelij vllius hominis arbitrio ſubiecta eſt. Non igitur vllæ humanæ ſcietiæ & ſapientię ſiue cōſilij, res fidei ſubiectę ſunt.

Quis enim nouit mentem Domini, qui dirigat eum?

Confirmatio eſt ſuperioris ſententiæ ex 40. capite Eſaiæ petita, & eſt ſenſus: Nullus animalis homo nouit arcana Dei, vt poſsit edocere quenque quid ſit agendum aut non agendum, quid rectum & iniquum. Ergo animalis homo, ſpiritualem nequaquam iudicare poteſt, vt qui omni iudicio ſpirituali deſtitutus ſit. Monet hic locus, vt ex verbo reuelato iudicemus de voluntate Dei, & non ex ratione humana, quæ prorſus cæca eſt in rebus diuinis.

Nos autem mentem CHRISTI habemus.

Antitheſis eſt, vt enim ſupra dixit, animalem hominem non capere, quæ ſunt ſpiritus Dei, Ita hic eorundem capaces eſſe docet eos, qui afflati ſunt ſpiritu Dei, ſed ſe Paulus alioſque Apoſtolos, exempli cauſſa ponit.

CAPVT III.

Summa Capitis Tertij.

Corinthijs vt carnalibus ſimplicem Euangelij prædicationem diſplicere affirmans, miniſtros Euangelij agricolis & ædificatoribus comparat, ac ſe tanquam ſapientem architectum fundamentum ieciſſe, ſuper quod alij aliud ædificant teſtatus: à dignitate extructi ædificij ſumto argumento, hortatur Corinthios ne ſe inani mundi doctrina prophanari permittant: vnde concludit, non in hominibus ſed in ſolo Deo gloriandum eſſe.

Ordo & partes Capitis Tertij.

Quia in ſuperiori capite, ſe humili ſermone in prædicando Euangelio vſum fuiſſe, dixit, In initio huius capitis rationem facti petit à Corinthiorum perſona: qui adhuc veluti infantes lactis potu alendi erant & fouendi. & ne ſe maiores progreſſus feciſſe dicerent, à factis illorum eos confutat. Deinde de miniſtris agit, oſtendens quid habeant commune, ſeque inter eos architectum conſtituens, monſtrat verum fundamentum eſſe Ieſum Chriſtum, ſuper quod alij omnes ædificare debent. Tum hortatio ſequitur, vt qui iam Dei templa ſint effecta, non ſinant ſe prophanari aut doctrina, aut moribus prophanis, ſed in hoc potius toti incumbant, vt in ſolo Deo glorientur.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

ET ego, fratres, non potui loqui vobis vt ſpiritualibus, ſed vt carnalibus, vt infantibus in Chriſto.

A Corinthiorum perſona ſumit Apoſtolus rationem ſui humilis ſermonis apud Corinthios. Qui cum pueris agit & infantibus, debet orationem ipſorum captui accommodare. Vos autem adhuc infantes eſtis in Chriſto. Igitur non potui vobis, vt plene adultis loqui, ſed loquendum mihi fuit, vt infantibus. Locus hic admodum vtilis eſt. Nam monet miniſtros Euangelij, vt ſe ad auditorum captum demittant: quod niſi fecerint, labor eorum fruſtraneus erit. Oblique præterea hic taxat Apoſtolus nouos illos & arrogantes Doctores, qui in rudi adhuc Corinthiaca Eccleſia grandiloquentiæ laudem affectarunt. Porrò vt ſpirituales hic vocat, qui amplioribus donis ſpiritus erant donati, quique maiores progreſſus fecerant in pietate: Ita carnales vocat, non vt ad Romanos, qui fide vacant, Sed, ſicuti ipſe ſe interpretatur, infantes in Chriſto. Nam cum fide inſerimur in Chriſtum, eius ſpiritu agitamur, ex quo fit, vt pro menſura fidei & profectus dicamur adoleſcere.

Lactis potu vos alui & non ſolido cibo. non enim poteratis, imo ne nunc quidem adhuc poteſtis.

Quod ſimpliciter dixit, idem nunc figurate repetit, ſumta occaſione ex eo quod ipſos infantes appellauerit. Senſus igitur eſt: Quemadmodum bonę nutrices, non ſtatim infantibus ſolidum ingerunt cibum (eum enim ob imbecillitatem ventriculi ferre nequeunt) ſed primũ lacte eos alunt, donec adoleſcunt: Ita & ego vos, adhuc infantes in Chriſto, alui lactis cibo, hoc eſt, ſimpliciſſima Euãgelij prædicatione, excluſa omni humana eloquẽtia & orationis illecebris. Vt autem hic Apoſtolus prædicationem Euangelij nutricationi puerorum comparat: Ita ipſos cõcionatores nutricibus confert. Quare monemur non ſolum quonam affectu debeant eſſe miniſtri verbi erga ſuos auditores: Verumetiam quod ſingulari diligentia ſe captui illorum accommodare debeant. Cæterum lac & eſca, ſeu ſolidus cibus, re quidem eandem ſignificant Euangelij doctrinam, Sed tantum tradendi modo differunt. Lac quidem dicitur dum ſimplici ſermone & veluti conceptis verbis, rudibus inſtillatur. Eſca vero, quando grandiori ſermone ac latiori ſplendidiorique oratione prædicatur. Sicut apud nos Catechiſmus puerilis lacti: plenior explanatio, ſolido cibo conferri poteſt, tametſi re eadem ſint.

Nam adhuc carnales eſtis.

Dixit eos non capaces eſſe ſolidi cibi, vt qui adhuc infantes ſint: Nunc idem ab adiunctis Corinthiorum probat, quos dicit eſſe carnales, hoc eſt, rudes & ſpiritus omnino imperio non ſubiectos.

Cum enim in vobis ſint, æmulatio, & contentio & diſſidiæ, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?

Probat eos carnales eſſe, hoc eſt, ſicuti ipſe ſe interpretatur, ſecundum hominem ambulare, & carnis vicioſitati ſeu affectibus morem gerère, idq; à proprijs effectibus carnis & repugnantibus ſpiritus. Quicunq; æmulationibus, contentionibus & factionibus indulgent, carnis affectibus ducuntur, & non reguntur toti ſpiritus imperio: Sed vos Corinthij æmulationibus, contentionibus & factionibus indulgetis. Carnales igitur eſtis, & carnis opera facitis, vt qui humani iudicij imbecillitati ſitis obnoxij: quod ſane aliquatenus etiam in eos cadit, qui alioqui ſunt ſpirituales.

Cum enim dicat aliquis, ego quidem ſum Pauli, Alter vero, Ego ſum Apollo: nonne carnales eſtis?

Dixit inter eos æmulationes, contentiones & factiones eſſe: Nunc ſpeciem vnam ponit, in qua iſta omnia inſunt. Verum quia hæc in primo ſupra ſunt explicata, Hic ſolummodo obſeruetur, parum aut nihil in ſchola CHRISTI proficere eos, qui ambitioni indulgent, & ſe alijs propter res externas in Eccleſia præferre volunt.

Quis igitur eſt Paulus? Quis autem A-

Iam de miniſtris infert quæſtionẽ,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

pollos? niſi miniſtri per quos credidiſtis, & vt cuique Dominus dedit?

ne quis vel in ipſis miniſtris hæreat, vel miniſtris miniſtros anteponat arroganter. Ponit autem ſe & Apollo loco generis, vitandæ inuidiæ gratia. Eſt autem ſenſus: Miniſtri Euangelij, vt nihil propria virtute agunt, ſed ſicuti cuiq; dominus largitur, Ita inſtrumēta ſunt miniſtri, per quos crediditis. Igitur non ſuperbe in ipſis hærendum eſt, nec vnus alteri arroganter præponendus in aliorum deſpectum. Hic duo obſeruanda ſunt: Primum, quis ſit vſus miniſtrorum verbi? Nimirum, quod ſint organa Dei, per quæ homines ad fidem vocantur. Alterum, quod eorum virtuti nihil ſit aſſcribendum, ne quid gloriæ detrahatur Deo: ſed omnia Deo vt autori aſſcribenda ſint.

Ego plantaui, Apollos rigauit: ſed Deus incrementum dedit.

Ne quis ex proximis verbis inferret, inanem miniſtrorum operam, ſe plantaſſe, Apollo rigaſſe, affirmat: ſed ita, vt Deus incrementum dederit. Hęc commendatio, qua miniſtris verbi plantandi & rigandi partes aſsignantur, vt Deus cœleſtis agricola plantantium & rigantiū laboribus benignus aſpiret non eſt exigua. Ex hac comparatione tres colligantur hypotheſes: Prima, quod Eccleſia ſit ager Dei ſeu vinea Domini, in qua vt Chriſtus eſt vitis, & credentes ipſius palmites: Ita miniſtri verbi vinitores & agricolæ ſunt, ſed ſub Deo ſummo agricola. Secunda, quod hæc vinea obducatur ſentibus prauæ doctrinæ & malorum morum, & paulatim conuertatur in vaſtam ſolitudinem, niſi agricolarum cura, plantatione, rigatione excolatur. Tertia, quod horum agricolarum labor ſit irritus, niſi ſummam manum adhibuerit ſummus agricola Deus. Ex prima ſequitur, quanta ſit Eccleſiæ dignitas. Ex ſecunda, quodnam ſit miniſtrorum officium. Ex tertia, quod ſoli Deo omnia ſint attribuenda, & in eo ſolo gloriandum, ſicut iam concludit Apoſtolus.

Ita neq; is qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui dat incrementum.

Hæc concluſio eſt. Quemadmodū plantatio & rigatio nihil prodeſt, niſi Deus incrementum dederit: Ita prædicatio Euangelij nihil prodeſt, niſi Deus ſuo ſpiritu conatibus laborantium aſpiret. Ergo gloria ſoli Deo, & non miniſtris eſt tribuenda, nec in miniſtris hęrendū eſt, ac ſi quicquam eorum virtute propria fieret. Hæc itaque comparatio, qua omnia Deo nihil autem hominibus tribuatur, reprimit illorum arrogantiam, qui magiſterij humani iactantia abuti videbantur.

Is vero qui plantat, & is qui rigat, vnum ſunt: vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundum proprium laborem.

Idem confirmat à fine miniſtrorū verbi, Vt miniſtri verbi huc ſuos conatus vnanimiter referunt, quo ager Domini excolatur: Ita vnuſquiſque eorū mercedem accipiet iuxta ſuum laborem. Ergo ſicuti auditores non debent abuti ſuis doctoribus ad ſectas & factiones ſtabiliendas: Sic nec Doctores quærant inanem vulgi applauſum, ſed ad Dominum reſpiciant, & ab eo ſolo mercedem expectent. Hic ergo locus, cum miniſtros inter ſe, tum auditores ad mutuam concordiam hortatur.

Dei enim ſumus cooperarij, Dei agricolatio eſtis, Dei ædificatio eſtis.

Vt probat eum qui plantat & eum qui rigat vnum eſſe, quia vnius Dei miniſtri ſunt eundem ſpectantes ſcopum, nempe ædificationem vineæ Dei: Ita conuincit auditores illorum, hoc eſt, Eccleſiam vnius eſſe Dei, qui eos excoluerit & ædificauerit. Vt autem melius huius loci concluſio appareat, Argumentū Pauli in formā dialecticam cogam, omnibus eius partibus expreſsis: Qui eiuſdem Dei ſunt cooperarij vnū ſunt. Qui plantat & rigat eiuſdem Dei ſunt cooperarij. Ergo qui plantat & rigat, ſunt vnum. Ex hac concluſione rurſus colligitur: Qui plantat & qui rigat vnum ſunt. At Paulus plantat & Apollos rigat. Ergo Paulus & Apollos vnum ſunt. Hinc rurſus: Si Paulus & Apollos vnum ſunt. Ergo qui eſt Pauli, idem & Apollo: & qui Apollo, idem & Pauli. Sed nec Pauli nec Apollo eſtis, niſi quatenus illi vnius Dei miniſtri ſunt Ergo nec in illis, nec in alijs miniſtris gloriandum eſt. Verum quia Dei eſtis agricolatio, qui vos excoluit, & ædificatio Dei, qui vos in filio ædificauit, vnius Dei eritis. Quare in eo gloriandum eſt ſolo, & non in homine. Male igitur facitis, qui arroganter ad

ſectas

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſectas & factiones veſtris magiſtris abutimini. Atque hæc poſtrema concluſio, horum trium capitum principalis eſt propoſitio.

Secundum gratiam Dei quæ data eſt mihi, vt ſapiens Architectus fundamentum poſui, Alius autem ſuperædificat. cæterum quiſque videat quomodo ſuperædificet.

Quia ędificationis mentionem fecit, iam de Architectis & fabris agit. Ac primum, ne quid gloriæ Deo detrahere videatur, Deo acceptum refert ſuum miniſterium, quod ipſe ſibi ex gratia contulerit. Deinde diſcernit inter ſe & alios Architectos, ac ſe ait fundamentum Eccleſię Chriſti ieciſſe apud Corinthios, quos ipſe primus ad fidem conuertit, alios vero ſuperædificare. Tum admonet, vt vnuſquiſq; videat quomodo ſuper fundamento iacta ſuperædificet. Vt primo loco, autoritatem ſuæ doctrinæ conciliat, & omnia ad Deum autorem refert: Ita ſecundo reprimit arrogantum doctorum inſolentiam, qui ſe Paulo, propter nouam dicendi rationem & argutias Philoſophicas, præponebant. Nam maior eſt qui fundamentum perite iacit, quam qui ſuperædificat. Et tertio monet, vt quiſque caueat, ne ſuperædificet ea quæ minus tam nobili fundamento adeo peritè iacto congruant.

Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitũ eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.

Dixit ſe ieciſſe fundamentum Eccleſiæ apud Corinthios, iam illud & vnicum eſſe ait, & quodnam ſit oſtendit, definiens vnum eſſe Ieſum Chriſtum: hic ideo fundamentum Eccleſiæ dicitur, quia vnica eſt cauſſa ſalutis & vitæ æternæ. Nam is eſt nobis ſapientia à Deo, iuſticia, ſanctificatio & redemtio, ſupra capite primo.

Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, cuiuſque opus manifeſtum fiet, Dies enim manifeſtabit. Nam in igne reuelatur, & cuiuſque quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manet, quod ædificauit, mercedem accipiet: Si cuius opus exuſtum fuerit, damnum faciet, ipſe vero ſaluabitur, Ita tamen ſicut per ignem.

Vt hos verſus recte intelligamus, diligenter periſtaſis loci eſt obſeruanda. Primum enim certũ eſt, Paulum hic loqui de miniſtris verbi, de doctrinæ fundamento, de modo tradendi hanc doctrinam, ſeu de ædificandi ratione ſuper hoc vnicum fundamentum, quod eſt IESVS CHRISTVS. Quare nõ patiemur hanc allegoricam orationẽ aliorſum torqueri contra mentem Apoſtoli, & contra ſcopum inſtitutæ diſputationis. videtur autem hic ſimpliciſsimus ſenſus eſſe verborũ Pauli: Lux veritatis ſuo tempore ignorantiæ tenebras pellet, atq; tunc quę pro auro, argento & precioſis lapidibus admirationi ſunt (id eſt, curioſa iſta humanæ ſapientiæ oſtentatio) apparebunt, nihil aliud eſſe quam res inanis & prorſus vana, quam cum cœperit illuceſcẽs animis veſtris Dominus tanquá igne explorare, neceſſe eſt eam euaneſcere, & tanquam lignum aut fœnum aut ſtipulam conſumi: ignis enim propriũ eſt, vt illuſtret & probet. Quare examen illud ſpiritus Dei recte per ignem ſignificatur. Verũ ſi cuius opus manſerit, hoc eſt, ritè ædificatum fuerit, mercedẽ accipiet: at ſi cuius opus exuſtũ fuerit, id eſt, inutile cognoſcatur, propter humanas argutias & ſermonis inanẽ ſplendorẽ, opere quidẽ & mercede mulctabitur, at ipſe ſaluabitur, quia in fundamento manet, Ita tamen vt examinis illius rigorẽ non effugiat, & nõ niſi probatus & exploratus abſterſis demũ ſordib. placeat. Hic ſimplex loci huius ſenſus eſt. Alij quorum ſententia etiã videtur probabilis, intelligunt per aurũ, argentum & precioſos lapides, vtilem & neceſſariã Eccleſiæ doctrinã, quæ nobili & ſolidæ materiæ confertur. Per lignum autem, fœnum & ſtipulas, ſignificari dicunt inutilẽ doctrinã, quæ ignobili & infirmæ materiæ atq; ideo ad ſtabile & diuturnũ ædificiũ inepte comparatur. atq; ita faciunt duo miniſtrorum genera: quorũ quidã ſincere docent, atq; ideo architectis auro, argento & lapidibus precioſis vtentibus conferuntur: quidam humanã doctrinã afferunt, quæ ligno, fœno & ſtipulæ comparatur. Hac conſtituta miniſtrorũ diſtinctione, per aurum fidem intelligunt, quam ædificatores proximã fundamento collocarunt. Vnde Moyſes arcam fœderis auro ornauit, propterea quod aurum typus fidei erat. Deinde vt per argentum quod auro proximum, caritatis doctrinam, Ita per lapides precioſos actiones ex fide & caritate promanãtes & à Deo præceptas, ſignificari aſſerunt. Sicuti enim lapides precioſi in auro & argento arte diſtincti lucent: Ita bona opera quæ ex fide & caritate fluunt, inſignem pietatis

ſplendorem

ſplendorem edunt. Quemadmodũ enim in templo Salomonis duodecim lapides erant in veſtibus ſacerdotis, omnibus ſuo ſplendore conſpicui: Sic Chriſtus vult lucere ſuorum diſcipulorum bona opera, vt glorificetur pater cœleſtis. Atq; in his tribus ſuper fundamento collocandis, omnem ſuam operam collocant fideles ædificatores. At alij ædificatores, ligna, fœnum, ſtipulam, hoc eſt, humanas doctrinas ędificant, Quemadmodũ Pauli tempore Pſeudoapoſtoli, & noſtro ſeculo Papiſtæ, & alij multi faciunt: Hi ornant ſua ligna, fœnum & ſtipulas auro, vt purum eſſe aurum videantur: verum detracto auro, lignum, fœnum, & ſtipulæ agnoſcuntur, quæ ignis comburet & dies, hoc eſt, clarũ verbum DEI manifeſtabit, hoc eſt, monſtrabit illam inutilem materiam, Sicuti hodie doctrina de delectu ciborum, miſsis, indulgentijs, inuocatione diuorum (quæ aurum purum iam multis annis viſa ſunt) lucente die, id eſt, reuelato Euangelio & exhibito igni, hoc eſt, Spiritus ſancti examine manifeſtatur, hoc eſt, detrahitur aurum, & apparent ligna, fœnum & ſtipulæ. Nam verbum Dei eſt ignis conſumens, hoc eſt, docet nos abijcere ea quæ à Deo non ſunt profecta, vt nullam fiduciam in illis collocemus, atq; id eſt, quod Paulus dicit: Si cuius opus exuſtũ fuerit, damnũ operis & laboris patietur, ſed ipſe ſaluabitur, ac velut per ignem ſcilicet pœnitentiæ, per quam redit ad fundamentum. Ita Bernardus poſtquam multas ſtipulas extruxiſſet, & tandem hoc agnouiſſet, illuceſcente clarius in animo verbo Dei, ſtipulas abiecit & proiecit in ignem, confugiens ad vnicum fundamentum Chriſtum faſſus ſe perdite vixiſſe. Hæc interpretatio, tametſi aliena à mente Pauli videtur, ferri tamen poteſt, cum nihil in ea ſit, quod pugnet cum analogia fidei. Verum ſi quis eam confutare velit, ſatis erit ei dicere, Paulum hic loqui de ijs ædificatoribus, qui ſuper fundamento Chriſto extruunt, non de ijs qui aliud ſalutis fundamentũ iaciunt, vt faciunt illi qui humanam doctriná præferunt Euangelio. Verior igitur eſt prior interpretatio quam adduxi. Verum Gregorius adhuc longius à ſcopo aberrans libro Dialogorum 4. capite 39. Ita ait: Quamuis hoc de igne tribulationis, in hac nobis vita adhibito, poſsit intelligi, Tamen ſi quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, penſandum ſolicite eſt qui illum per igné dixit poſſe ſaluari, non qui ſuper fundamentum ferrum, æs, plumbum ædificat, id peccata maiora & iccirco duriora atq; tum iam inſolubilia, ſed lignum, fœnũ, ſtipulam, id eſt, peccata minuta & leuiſsima quæ ignis facile cõſumat. Hæc Gregorius, Cuius blaſphemus error ab eius ſucceſſoribus plurimum eſt auctus, qui leuia illa peccata reliquerunt aquę aſpergine eluenda, Maiora vero atq; alia maxima quæq; ſibi reſeruarunt: vt horum ſcilicet obtentu non animos repurgẽt (quod ſolius Dei eſt per fidem in Chriſtum) ſed crumenas fœdiſsima ſua iſta nundinatione emungant, idq; maxima cum Chriſti contumelia, ac infinitarum animarum extremo exitio. Hæc adijcere volui, vt ſtudioſi admoniti animaduertant, quam exigua fuerit cura Papiſtis, vel gloriæ Chriſti, vel ſalutis animarum: & vt agamus Deo gratias, qui iam lucem ſuam accendit, quæ prodit iſtas Papiſtici regni fraudes & impoſturas igni, hoc eſt, examine ſpiritus examinandas.

An neſcitis, quod templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?

Multis argumentis hactenus conuicit, non eſſe gloriandum in hominibus ob humanam ſapientiam. & quia incidit in mentionem ædificij, cuius fundamentum eſt vnicus IESVS CHRISTVS, occaſione oblata fundamentum ſuaſorij argumenti à pœnis quas luent prophanatores templi Dei iacit, cum credentes vocet templum Dei, propterea quod in eis ſpiritus Dei habitet. Plenum autem argumentum hoc eſt: Quicunq; habent Spiritum ſanctum in ſe habitantem, ſunt templum Dei, Credentes habent in ſe habitantem ſpiritum Dei. Ergo credentes ſunt templum Dei. Hæc Pauli verba multa continent. Primum, quanta ſit Chriſtianorum dignitas, qui templum Dei ſunt. Secundum, quæ deceat Chriſtianos ſanctimonia & innocentia, ne hoc ſanctum Dei templum prophanent. Tertium, quodnam ſit Chriſtianorum officium, videlicet, vt Deum in ſe habitantem perpetuis celebrent laudibus. Quartum, quod quiſquis Deum fide non retinet ac eum non colit, non ſit Chriſti. Quintum, quomodo ſe Deus nobis communicet, nempe Spiritum ſuum ſanctum nobis infundendo, quo ſpiritu veluti vinculo quodam illi adhæremus. Sextum, illuſtre teſtimonium hic habemus de diuinitate Spiritus ſancti. Si enim Spiritus ſanctus creatura eſſet, non efficeret habitando in nobis, vt templa Dei eſſemus.

Si quis templum Dei deſtruit, deſtruet ipſum Deus, Nam templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Hoc argumentum ſuaſorium à pœna ſumtũ eſt, quo deterret doctores Corinthiorum, ne ſua iactantia ob ſapientiã mundanam ſchiſmata in Eccleſia faciant. Cõplebitur autem argumentum hoc pacto: Quicunq; templum Dei deſtruit, Deum vindicem ſceleris ſui habet. At vos qui creditis, Dei templum eſtis. Igitur quicunq; vos deſtruit, hoc eſt, diſsidia inter vos facit & factiones excitat, per iactantiam humanæ ſapientiæ, aut quocunq; alio modo, ſui ſceleris vindicem & vltorem Deum habet. Hic duo notentur: Primum, quantum ſcelus ſit Eccleſiam Chriſti turbare factionibus. Nam qui hoc facit, templum Dei deſtruere dicitur. Secundum, quanta pœna eos maneat qui hoc faciunt. monemur igitur vt pacem & concordiam ſanctam inter nos mutuo alamus.

Nemo ſeipſum ſeducat.

Admonet vtroſq;, cum Doctores tum auditores, ne vel illi falſa humanæ ſapientiæ perſuaſione tumeant, vel hi ambitioſis doctoribus ſe accommodando ſchiſmata in Eccleſia faciant. Nam vtriq; ſe fallunt, dum à recto curſu deflectunt.

Si quis videtur ſapiens eſſe inter vos in ſeculo hoc, ſtultus fiat vt ſit ſapiens.

Admonuit ne quis ſe fallat. Nunc ſuum conſilium communicat: nimirum, vt qui ſapiens eſt in hoc ſeculo, id eſt, iuxta rationem, vel opinionem mundi, ſtultus fiat, hoc eſt, mundi ſapientiæ renunciet, quo fiat ſapiens, hoc eſt, vt ſit locus veræ ſapientiæ quæ Dei eſt. LOCVS obſeruandus, quod nõ poſsimus alia via ad ſapientiam Dei peruenire, niſi ſtulti fiamus mundo. Verum hic diligenter animaduertendum eſt, quid Paulus vocet ſapientiam mundi, & quid ſtulticiam, ne quis Paulum patrocinari ignauiæ putet eorum, qui artes contemnunt. Sapientia itaque mundi hoc loco eſt, velle omnia ſua ratione metiri, tanquam ſibi ipſa ſufficiat ad capiendum de rebus ſalutis conſilium. Ergo ex contrario ſequitur, ſtulticiam eſſe hoc loco, renunciare iudicio carnis in rebus ad ſalutem ſpectantibus. Non igitur Paulus ſtulticiam vocat hoc loco ſtuporem, nec iubet vt qui liberalibus diſciplinis ſunt inſtituti, earum cognitionẽ abijciãt, quaſi Chriſtianus eſſe nequeat, niſi qui pecudi magis ſimilis ſit quam homini. Pueros non ſenſu ſed malicia, requirit Chriſtiana profeſsio. Hoc igitur vult Paulus adeoq; Chriſtiana requirit profeſsio, ne quis aut proprij ingenij, aut doctrinæ fiduciam in ſcholã Chriſti afferat: ne quis faſtu turgidus mox repellat quod proponitur priuſquam guſtauerit. huius faſtus abijciendi & veręhumilitatis recipiendę cauſſæ ſunt timor Domini, ac ſuijpſius vera noticia.

Nam ſapientia mundi huius, ſtulticia eſt apud Deum.

Ratio à contrarijs. Sapientia huius mundi eſt apud Deum ſtulticia. Ergo neceſſe eſt vt renunciet mundi ſapientiæ, qui vult eſſe capax ſapientiæ diuinæ.

Scriptum eſt enim, deprehendens ſapientes in aſtutia ſua.

Idem confirmat petito teſtimonio ex quinto capite libri Iob. Senſus eſt: vtcunq; ſunt vafri, ſapientes mundi, eos tamen capiet Dominus, vt pro nihilo habeatur eorum ſapientia coram ipſo.

Et rurſus: Dominus nouit cogitationes ſapientum quod vanæ ſint.

Pſalmo 94. idem ꝓbat: Quicquid agit homo ſuo acumine in rebus diuinis, mera vanitas eſt. Quare ſtulti ſunt qui humanis conſilijs Chriſti Eccleſiam ſubiectam eſſe volunt.

Proinde nemo glorietur in hominibus.

Vniuerſalis concluſio eſt, cum in ſapientibus mundi, ſi religionem ſpectes, nihil eſt niſi mera vanitas, non eſt quod quiſquam in eis glorietur.

Omnia namq; veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollos, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia veſtra ſunt, Vos autem Chriſti, Chriſtus vero Dei.

Cõcluſioni comprobationem ſubijcit, videlicet cur non ſit gloriandum in hominibus, ſed in Domino tantum. Homines, atq; adeo omnia eo deſtinata ſunt à Deo, vt Eccleſiæ ſeruiant. Ergo non debent Eccleſiæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dominari,ſed ſingula debent in ſuo loco & gradu ſubſiſtere,ne quid derogent Chriſti magiſterio: idq; in eum finem, vt fideles ſoli Chriſto adhæreant,& à Chriſto ad Deum ſubuehantur. Miniſtrorum ergo verbi proprium eſt, ſuos auditores ad Chriſtum adducere,& non ſibi arroganter adiungere diſcipulos, Vnde ſchiſmata & factiones in Eccleſia naſcuntur: quæ Eccleſiæ pacem turbant in multorum infirmorum ruinam.

CAPVT IIII.

Summa Capitis Quarti.

Cum præcones verbi miniſtri ſint Chriſti, & œconomi myſteriorum Dei, atq; ideo humano iudicio, modo fideles fuerint, nequaquam obnoxij, Temere faciunt & doctores qui ſe arroganter alijs ob donorum eminentiam præponunt, & diſcipuli qui doctorum cauſſa inſoleſcunt.

Ordo & partes Capitis Quarti.

Huius capitis partes ſunt plures. Prima, definitio muneris Apoſtolici & propria nota verorum miniſtrorum verbi. Secunda, quoniam Corinthiorum iudicium de Paulo potiſſimũ corruptum erat, eo repudiato ad diem Domini prouocat Apoſtolus. Tertia, quo ſuperior tota diſputatio pertineat, & cur Apoſtolus ſub ſuo & Apollo nomine omnia propoſuerit aperit, nempe ne quis ob doctoris ſui eminentiam intumeſcat. Quarta eſt obiurgatio, eaq; duplex, Priori enim arrogantes doctores, Poſteriori autem ſuperbos diſcipulos obiurgat. In quinta, enumeratis ſuæ fidelitatis ſignis, ſe alijs Doctoribus Corinthiorum comparat, eos quidem pædagogos, ſe vero patrem, vt qui Corinthios in Chriſto genuerit, aſſerens. Poſtrema pars exhortatio eſt, vt ſe imitentur cum commendatione Timothei & ſui aduentus denunciatione: quo aduentu promittit ſe oſtenſurum quam vana ſit Pſeudoapoſtolorum iactatio,

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SIC nos æſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & œconomos myſteriorum Dei.

Hæc definitio eſt muneris Apoſtolici & officij Eccleſiaſtici paſtoris, nimirum quod Eccleſiaſticus paſtor ſit miniſter Chriſti, vt myſteria Dei diſpenſet. Ex qua definitione quatuor hypotheſes colligamus. Primam, quo in loco habẽdi ſint miniſtri Euangelij, & quales æſtimandi ſint à ſuis auditoribus, nempe miniſtri & œconomi Chriſti. Secundam, quod miniſtri verbi non ſuum, ſed Chriſti cuius miniſtri ſunt negocium agere debeant. Tertiam, qualenam ſit miniſterium præconum verbi & quam late pateat, nempe vt myſteria Dei, quæ ex ore Dei didicerunt hominibus patefaciant: Quod ſane miniſterium peruertunt, qui in locum myſteriorũ Dei humana ſubſtituunt ſomnia. Quartam, quod Euangelium ſit doctina arcana quæ prorſus ab hominibus ignoratur, donec per verbi cœleſtis prædicationem reueletur.

Quod reliquum eſt: in miniſtris requiritur, vt fidelis aliquis inueniatur.

Hæc propria verorũ miniſtrorum nota eſt, vt qui hoc ſacro miniſterio fungitur, fidelem ſe præbeat. Fidelitas autem hæc conſiſtit in duobus, videlicet vt non promat niſi myſteria Dei de Theſauro cœleſti, vtq; poſthabitis omnibus rebus mundi, ſedulo ſtudeat ſuo perfungi officio, ſeipſum formam doctrinæ proponens.

Mihi vero pro minimo eſt, vt à vobis dijudicer, aut ab humano die.

Quia corruptũ erat Corinthiorum de Apoſtolo iudicium, illud repudiat & contemnit, & ſimul ſuam innocentiam & fidelitatẽ teſtatur aduerſus eos, qui vel ipſius doctrinam vel vitam ſugillabant: Humanum diem vocat humanũ iudicium, idq; metalepſi. Nam dies reis dici ſolet, & ſcriptura diem Domini vocat, diem extremo iudicio deſtinatũ. Hoc iudiciũ ideo humanum vocat, quia non ex veritate & ſententia Domini pronunciatur, ſed ex libidine hominum,

quorum

quorum iudicium vel errore vel malicia deprauatũ eſt. Alioqui cum homines ex veritate & ſententia Dei iudicant, cum doctrinam ſuam, tum vitam debent pij paſtores hominum iudicio ſubijcere. Non ergo hic damnat Paulus priuata charitatis iudicia, nec ciuilem aut Eccleſiaſticam politiam: perperam proinde faciunt, qui hoc Pauli dictum ad genus vniuerſum transferunt, cum ad certam hypotheſin referri debeat: videlicet cum homines ſine verbo Dei vel de doctrina noſtra, vel de vita iudicare temere præſumunt. Exemplum hoc Pauli pijs paſtoribus imitandum eſt, vt ſic & doceant & vitam ſuam componant, vt nullius hominis formident iudicium: Sed crimina obiecta quantum in ſe eſt purgent: quorum purgatio ſi non recipiatur, conſolentur ſe bonitate cauſſæ.

Sed neque meipſum dijudico. Nullius enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, ſed Dominus is eſt qui me dijudicat.

Probat ſe non iudicandum à Corinthijs, quantus ſit vel non ſit, ex eo quod ipſe qui optimus eſt ſui cognitor, non ſeipſum dijudicet quantus ſit vel non ſit. & ætiologiam addit cur non audeat ſeipſum iudicare, nempe ideo, quia etſi nullius culpæ in apoſtolatu ſuo ſit ſibi conſcius, non tamen ex eo ſe iuſtum coram Deo agnoſcat. Deinde quia Domini eſt iudicare de cuiuſq; hominis dignitate vel indignitate. Neq; tamen ſimpliciter adimitur hominibus, his verbis iudicandi poteſtas de doctrina & vita, ſed quatenus Domini iudicio ſpreto ſuũ ſubſtituunt homines, vel errore decepti vel malicia adducti. ſunt ergo hæc Pauli verba vt ſuperiora, non ad genus vniuerſum, ſed ad certam ſpeciem referenda.

Itaque ne ante tempus quicquam iudicetis donec venerit Dominus, qui & illuſtrabit occulta tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordium, & tunc laus erit vnicuique à Domino.

Concluſio eſt, in qua clarius aperit, quale iudicium improbet, nempe præceps & temerarium: quale fuit Corinthiorum de rebus occultis & incognitis: Quarum iudicium ſolius Domini eſt, qui nouit occulta cordium. Is enim non externam laruam reſpicit, ſed intima cordis intuetur. Hinc vtilis ſumatur doctrina, videlicet ne temere & præcipitanter ex opinione de vllis rebus iudicemus, multo minus de prorſus occultis & incognitis. Hinc confirmatur iſtud vulgare dictum, De occultis non iudicat Eccleſia.

Hæc autem fratres transfiguraui in meipſum & Apollo propter vos, vt in nobis diſceretis ſupra id quod ſcriptum eſt non ſentire, vt ne vnus pro alio inflemini aduerſus alterum.

Summam eorũ quæ hactenus tractauit exponit, videlicet ne quis arroganter ſe alij præponat huius vel illius doctoris nomine, ſed potius ſinguli in ſimplicitate humilitatem & concordiam colant: quod autem dicat Apoſtolus: hæc transfiguraui in me & Apollo, vt in nobis diſceretis &c. Hunc habet ſenſum, Ego exempli gratia in me & Apollo tranſtuli omnia, vt in vos noſtrum exemplum transferatis, diſcatiſq; noſtro exemplo neminẽ arroganter & nominatim carpere, ſed potius humiliter de vobis ipſis iudicare omni faſtu & arrogantia excluſa. Hinc plurimæ doctrinæ colligi poſſunt. Prima, quod ſuperbia initium & cauſſa ſit omnium contentionũ. Secunda, quod miniſtri Euangelij alijs exemplar humilitatis & aliarum virtutum eſſe debeãt. Tertia, quod exemplo Pauli neminem, quantũ quidẽ fieri poteſt, ſine læſione doctrinæ cœleſtis nominatim carpere debeamus. Nam inde maior ira, vnde prouenit diſcordia, naſcitur, Nemo enim audiens (vt ait Ambroſius) nomen ſuum taxari aut eius cui fauet, contentus eſt tacere. Tacito autem nomine ſi quis audiens, etſi de ſe dictum intelligat, dictum diſſimulat. Quarta, quod cum præcones verbi, tum auditores, ſedulo humilitatem colere debeant & concordiam. Bene enim dixit qui ait, Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur.

Quis enim te dijudicat?

Ratio, cur alius aduerſus alium inflari non debeat per obiurgationem. Obiurgat enim arrogantes doctores, qui ob ſua eximia dona alios tanquam ex alto deſpiciebant. Eſt autem verborum Pauli hic ſenſus: Quis te dijudicat, hoc eſt, quis te ſegregat à cæterorum grege lata ſententia, vt alij pro te pro nihilo habeantur, vt contra eos inflari tibi liceat? Num Deus hoc facit? minime, ſed homo vanus & animi tui ſuperbia, quæ facit vt donis Dei abutaris in aliorum contemtum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quid autem habes quod non accepiſti? quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?

Ratio obiurgationis per prolepſin. Anteuertit enim eum qui obijcere potuit, ſe præ alijs eloquentia & doctrina aut etiam alijs virtutibus eminere, Ideoq; merito præſtantiorem haberi, ſed hoc à cauſſa ſumto argumento diluit. Nemo merito ob gratuita dona & aliunde accepta gloriari poteſt in aliorũ cõtemtum. Quicquid autem habet aliquis, vel doctrinæ, vel eloquentiæ, vel etiam aliorum rerum, gratuitũ eſt, & à Deo gratis acceptum. Igitur nemo talibus donis efferri debet & alios præ ſe contemnere, quibus pauciora aut minora dona cõtigiſſe videntur. Hic locus nos admonebit: Primo gratitudinis erga Deũ, à quo omnia bona accepimus quæ poſsidemus. Deinde admonebit nos humilitatis, ne ob donorũ eminentiã alios ſpernamus. Poſtremo nos admonebit hic locus rectæ diſpenſationis rerũ quas à Domino accepimus, nempe vt iuxta voluntaté eius (à quo omnia bona quæ habemus accepimus) ea diſpenſemus. Præterea euertit hic locus dogma Papiſticũ, de meritis. Nã generalis eſt propoſitio, quid habes quod non accepiſti?

Iam ſaturati eſtis, iam ditati eſtis ſine nobis, regnum adepti eſtis. Atque vtinam ſane regnum eſſetis adepti, vt & nos vobiſcum regnaremus.

Obiurgatio Ironica eſt, qua auditores, qui ſibi placebant in nouis doctoribus, obiurgat: & ſimul eos ingratitudinis inſimulat, qui per ipſum & Apollo edocti erant, Iam ſuũ profectum Pſeudoapoſtolis acceptum ferunt. eſt autẽ magna inhumanitas de donis Dei gloriari, & interea eos per quos ea dona accepimus, contemnere, aut etiam eadem alijs autoribus aſſcribere. Saturitatis diuitiarũ & regni vocabulis ſummã felicitatem deſignat, quam ſe adeptos eſſe per nouos magiſtros putauerunt Corinthij. Hanc felicitatem teſtatur ſe illis non inuidere, modo non eſſet imaginaria & ficta. Nã ea demum eſt vera felicitas, illud verum & glorioſum eſt regnum, vbi Chriſtus per ſuum Euagelium in cordibus hominum habitat. ibi enim animæ ſaturitas, ibi theſauri cœleſtes, ibi deniq; regnum gratiæ & ſalutis.

Exiſtimo enim, quod Deus nos poſtremos Apoſtolos demonſtrauerit tanquam morti deſtinatos, eo quod theatrum facti ſumus mundo & Angelis & hominibus.

Ratio per Ironiam, & loquitur ex hypotheſi Corinthiorum. Senſus autem ſimplicisſimus hic eſt: Si ita metiri oportet miniſterium & apoſtolatus dignitatem, vt vos facitis, nos ſcilicet vltimi Apoſtoli non ad miniſterium, quo regnum Chriſti erigitur, ſed ad morté tantum erimus deſignati à Domino, & quidem poſt acerbisſimas quaſq; ignominias. atqui prorſus aliter ſe res habet, neque noſtis, vtut gloriamini vos regnum adeptos eſſe per arrogantes veſtros Doctores, quid ſit de Chriſti regno & Eccleſia iudicandum. Porrò cum nominat angelos & homines, per diſtributionem exponit quid per mundũ intelligat, nempe omnem rationalem creaturam, vt ſunt boni & mali angeli & homines.

Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem validi: vos glorioſi, nos autem ignominioſi.

Contentio eſt Ironica, qua deridet Corinthiorum vanitatem, quod inuerſo ordine filij & diſcipuli, prudentes, Validi & nobiles videri velint coram mundo: cum pater, ſtultus, infirmus & ignominioſus haberetur omnibus mundi probris expoſitus. Proinde hic eſt ſenſus. Ego veſter Apoſtolus ſuſtinui in mundo haberi ſtultus, ignominioſus, vt qui carnis ſapientiæ, viribus, & nobilitati renunciauerim, vt in ſolo Chriſto gloriari poſsim, quomodo ergo conueniet, vt vos iam prudentes, validi & glorioſi coram mundo habeamini?

Ad hanc enim horam vſq;, & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus & colaphis cædimur, & incertis ſedibus erramus, & laboramus operantes proprijs manibus.

Ætiologia eſt. Reddit enim rationem cur coram mundo dixerit ſe ſtultum, ignominioſum, & infirmum: ſumto argumento à vitæ ſuæ conditione. Hinc admonemur quanta cõſtãtia debeant præcones verbi in miniſterio Euangelij verſari, nempe vt nullis iniurijs aut aduerſis fracti à miniſterio deficiant. Deinde docet hic locus quod nihil deroget Eccleſiaſticæ functioni, ſi quis verbi miniſter paupertate coactus victũ ſibi q̃rat honeſto artificio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Maledictis laceſsiti, benedicimus: perſecutionem patientes, ſuſtinemus: conuitijs affecti, obſecramus. quaſi purgamēta mundi facti ſumus, omnium reiectamentum vſque ad hunc diem.

Hæ antitheſes ſignificant Paulum voluntaria quadam humiltate præditū fuiſſe in calamitate ferenda: quod ſane non carnis opus erat, ſed virtus ſpiritus Dei renouantis cor Pauli, ac ipſum ſubijcientis ſpiritus imperio. Eſt autem hoc demum reddere bonum pro malo, & iuxta Chriſti mandatū orare pro perſequentibus nos. Hoc Pauli exemplum non ſolū pios miniſtros, verum etiā alios omnes qui veri Chriſtiani cenſeri volunt, imitari oportet. Porrò Græcæ voces περικαθάρματα & περίψημα hoc modo differunt: περικάθαρμα proprie eſt quicquid de re lurida abraditur & abijcitur: vt quod de re reliquū manet mundius conſeruetur, vnde ſacri homines hac voce ſignificabantur, quorum capita pro ſalute Reipub. dououebantur, Quales fuerunt Decius, Codrus, Oedipus, Achan & ſimiles. Hinc Paulus Apoſtolos ipſos, quia tales vulgo habebātur ab impio mundo, περικαθάρματα, hoc eſt, piacula vocat: περίψημα autem proprie eſt quicquid limando deteritur & abijcitur. Metaphorice pro homine reiectaneo hoc loco accipitur. Hinc ſe conſolentur miniſtri Euangelij, cum ſe ab ingrato mundo contemni animaduertunt. neque enim ſunt meliores Apoſtolis ipſis, qui eandem experti ſunt fortunam.

Non quo pudorem vobis incutiam hæc ſcribo, ſed vt filios meos dilectos admoneo.

Mitigat correptionem, eius fine propoſito, qui non eſt vt pudore afficiantur Corinthij, ſed potius vt admoniti ſe emendent, vt exemplo Apoſtoli humilitatē diſcant depoſito faſtu. Obſeruetur hic modus & finis correptionis Eccleſiaſticæ, quæ quidem pro modo delicti moderanda eſt, & in emendationem ſalutemq; eorum qui corripiuntnr ordinanda: quod tum demum fit, quando ij qui corripiuntur intelligunt ex amico & paterno animo proficiſci obiurgationem, & tendere ad ipſorum emendationem.

Nam etſi decem millia pædagogorum habueritis in Chriſto, non tamen multos patres: in Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui.

Ratio eſt cur Corinthios filios appellauerit, à natura relatiuorū ſumta, & amplificata comparatione. Ego pater veſter ſum in Chriſto, Ergo vos mei filij in Chriſto. Antecedens probat à definitione patris cum ait, In Chriſto Ieſu per Euangelium vos genui. Præclara ſane natiuitas eſt in Chriſto naſci, & fieri Chriſti membra per ſemen incorruptibile Euangelium: quod vt iacitur à præconibus verbi per prædicationem Euangelij, Ita fide in agrū cordis recipitur, vt filij Dei naſcantur. Transfertur autem hæc gloria quodammodo ad miniſtros Euangelij, propterea quod organa ſint Dei, quibus vtitur in ſpargendo Euangelij ſemine. Porrò collatio eo ſpectat, vt Corinthij in memoriam reuocent, ſe per Apoſtolum tantam dignitatē nactos eſſe, quod noui ſint in Chriſto facti homines: atq; ideo ingratos eſſe ſubindicat eos, quod parū memores videātur eſſe tanti beneficij. Ex hoc loco primum colligamus quæ ſit miniſterij Euágelij dignitas, per quod homines Ieſu Chriſto inſerti nouæ naſcuntur creaturæ. Deinde qualis affectus mutuus pręconum & auditorum eſſe oporteat, nempe vt illi hos vt filios complectantur: Hi autem illos vt patres reuereantur & colant. Cæterum, quæſtio quæ oritur ex verbis Pauli facile diluitur. cùm enim quæritur, num ſoli illi paſtores patres habendi ſint, qui, vt Paulus, primi homines adducunt Chriſto per Euangelium, & eorum ſucceſſores pædagogi tantum habendi ſint, Ita reſpondendum eſt, ſi comparatiue interrogatur, iſti ſoli patrum titulū merentur, qui primi homines Chriſto adducunt, reliqui autem pędagogi ſunt: at ſi ſine comparatione quęritur, partes agnoſcendi ſunt omnes, qui Euangelium docent, ſiue primi ſunt ſiue eorum ſucceſſores.

Obſecro ergo vos imitatores mei eſtote.

Concluſio eſt, per exhortationem. Cum honeſtorum liberorum ſit à patribus non degenerare, ſed eos potius in omnibus honeſtis imitari: Hortor vos filios meos vt me imitemini, deponentes faſtum, ſuſtinentes crucis contumeliam: ſectantes humilitatē & ſanctam concordiam aliaſq; virtutes. Cæterum hic duo obſeruanda ſunt: primum, quod pij paſtores debeant eſſe forma virtutum, quas grex imitari debeat. Secundū, quatenus imitari oporteat paſtores, nempe

quatenus nos ducunt ad Chriſtum ſincera doctrina & ſancta conuerſatione: id quod ipſe Paulus infra explicat capite vndecimo, vbi ait:imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti.

Hac de cauſſa miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus dilectus, & fidelis in Domino, qui vobis in memoriam reducet vias meas quæ ſunt in Chriſto, quemadmodum vbiq; in omni Eccleſia doceo.

Prolepſis eſt ſiue præſumtio, qua anteuertit eorum obiectionem qui arrogantius obijcere poterant. Quomodo te imitabimur cum abſis, quomodo ſciemus, qualis ſit tua vita? Reſpondet Paulus, ea de cauſſa ſe Timotheum miſiſſe, cui vt fidem habeant, paucißimis verbis eum commendat Corinthijs: cuius commendationis duæ ſunt partes: Prima, per quem Timotheus in religione ſit inſtitutus. Multum enim refert per quem rudimenta religionis percepimus. Nam ea prima ſemina tenacius adhæreſcunt, & veluti liquor infuſus perpetuum odorem conſeruant, iuxta illum prouerbialem verſiculum: Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem Teſta diu. Cum ergo Paulus vocet Timotheum dilectum filium, ſignificat ſe illum genuiſſe in Domino, per fidelem inſtructioné in Euangelio Chriſti. Proinde hęc commendatio eſt ſinceritatis in doctrina religionis. Altera cõmendationis pars pertinet ad officium paſtorale. Nam cum illum fidelem in Domino vocat, exprimit id quod in principio huius capitis dixit, requiri in miniſtris, nempe vt fidelis aliquis reperiatur. Eſt ergo commendatio fidelitatis in officio, quæ eo ſpectat, vt Corinthij narranti Timotheo fidé adhibeát. Abſoluta commendatione ſubiungit quidnam Timotheus apud Corinthios faciat, nempe vt reducat eis in memoriam vias Pauli, hoc eſt, quomodo doceat & viuat, & quam conſtans ſit eius & docendi & viuendi ratio.

Proinde ac ſi non ſim ad vos venturus inflati ſunt quidam.

Cauſſam cur criſtas erigant Pſeudo apoſtoli aſsignat, quæ eſt Apoſtoli abſentia, qui præſens facile illorum faſtum reprimere poſſet.

Veniam autem breui ad vos, ſi dominus voluerit, & cognoſcam non ſermonem inflatorum, ſed virtutem.

Promittit Apoſtolus ſe ad Corinthios venturum & repreſſurum arrogantiam eorum, qui de ſua eloquentia & excellentihus donis ſuperbius gloriabantur.

Non enim in ſermone regnum Dei eſt, ſed in virtute.

Ratio cur non velit Pſeudoapoſtolos æſtimare ex ſermone, ſed ex virtute. miniſtri enim Euangelij æſtimandi ſunt ex eo per quod regnũ Dei inter homines adminiſtratur, & Deus inter nos regnat. Sed regnum Dei inter homines adminiſtratur, non garrulitate & inani verborum tinnitu, ſed virtute, hoc eſt, zelo propagandi regni Dei, deſiderio illuſtrandæ gloriæ Dei, Timore Domini, inuicta conſtantia, conſcientiæ puritate, humilitate ſancta & pura conuerſatione & huiuſmodi alijs dotibus, quæ neceſſariæ ſunt ad ædificationé regni Dei. Proinde miniſtri Euangelij non æſtimandi ſunt ex ſermone tantum, ſed ex virtute potius, quę veluti anima ſermonis eſſe debet. hoc ergo loco commendatur veris miniſtris verbi iuſta adminiſtrandi regnum Dei ratio: quæ in virtute (qua continetur quicquid huc ſpectat & ad hunc finem deſtinatur, vt inter nos regnet Deus) conſiſtit.

CAPVT V.

Summa Capitis Quinti.

Obiurgatis Corinthijs quod fornicarium de ſuo cætu non excluſerint, præcipit Apoſtolus vt eum vna ſecum excommunicent, redditq́; cauſſas cur flagitioſi in Eccleſia ferendi non ſint.

Ordo & partes Capitis Quinti.

Quatuor huius capitis partes conſtituantur. Quarum prima eſt obiurgatoria. obiurgat enim Corinthios Apoſtolus quod inceſtuoſum non excluſerint. Secunda, mandatum, modum & finem excommunicationis continens. Tertia eſt exhortatio ad vitæ innocentiam. Quarta, in quoſnam excommunicatione animaduertendum ſit exponit.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVID vultis, cum virga veniam ad vos, an cum charitate & ſpiritu manſuetudinis?

Propoſitio obiurgatoria eſt, paternis mitigata affectibus ac ſi diceret: cogitate quid meriti ſitis veſtris prauis moribus: qui ſane vt filij inobœdientes, virga, id eſt, paterna caſtigatione digni eſtis. hic locus, quomodo paſtores cum ſuis auditoribus agere debeant, docet. Primum enim paternam charitatem & paternos affectus erga eos perpetuo retinere debẽt. Deinde ex hac charitate leniter & manſuete, quantum fieri poteſt, omnia agent. Tertio cum opus ſit virga, ei non parcent, ſed ſeuerius caſtigabunt ſcelera, ita tamen ne paternos affectus exuiſſe videantur.

Omnino auditur inter vos ſcortatio, & eiuſmodi ſcortatio, quæ ne inter gentes quidem nominatur, vt quis vxorem patris habeat.

Ratio obiurgationis, quod in ſuo cœtu ferant hominem, qui propriam nouercam in vxorem duxit. Quod ſane factum collatione exaggerat, nempe quod talis ſcortatio ne inter gentes quidem nominetur. cum inquit, inter vos, Emphaſin habet, ac ſi dicat, nequaquam ferendum eſt, vt vos qui in familiam DEI per prædicationem Euangelij aſciti eſtis, vt huiuſmodi nefandis ſceleribus polluamini. Hic locus primũ nos docet turpiſſimũ eſſe, Chriſtianos Ethnicos ignaros Dei ſuperare turpibus factis. Deinde teſtatur hic locus, lege naturæ certos conſanguinitatis & affinitatis gradus prohiberi: qui Leuit. 18. enumerantur.

Et vos inflati eſtis, & non potius luxiſtis, vt tolleretur de medio veſtri, qui facinus hoc patrauit.

Præſumtio eſt, poterant enim Corinthij obijcere, non ſe, ſed autorem tantum iſtius facinoris obiurgãdum eſſe: ſed Paulus reſpondet, non vnum tantum in vitio & culpa eſſe, ſed totum illum cœtum vnius ſcelere contaminatum. Hinc igitur tria diſcamus. Primum, crebros fratrũ lapſus humilitatem nos debere docere. Secundum, quod nõ ſolum noſtra verumetiam aliena delicta lugere oporteat, quo emendentur delinquentes. Tertium, vt ſeueritatem exerceamus in publicos lapſus, quo diſciplina aliqua honeſta in Eccleſia ſeruari poſſit.

Ego quidem certe & abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui tanquam præſens eum qui hoc ita perpetrauit in nomine Domini IESV CHRISTI, congregatis vobis & meo ſpiritu, Cũ potentia Domini noſtri IESV CHRISTI, eiuſmodi inquam hominem tradere Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluetur in die Domini IESV CHRISTI.

Hæc Pauli verba tria continent, Iudicium Pauli quod vice mandati eſt, modum excommunicationis, & eiuſdem finem legitimum. Iudicium ipſum cum mandato tacitam reprehenſionem continet. Nam cum ait: ego tanquam abſens corpore, præſens vero ſpiritu, hoc eſt, animo & voluntate iudicaui iſtum inceſtum tradendum Sathanæ, ſignificat multo magis Corinthios ipſos qui cum eo conuerſationẽ quotidianam habebant, debuiſſe iſtum impurũ ab Eccleſia ſua excludere, ne totum corpus Eccleſiæ vnius cõtagione pollueretur. Tradi autem Sathanæ, nihil aliud eſt quam haberi tanquã Ethnicum & publicanum ſeu excommunicari, hoc eſt, excludi & ſegregari ex cõmunione Eccleſiæ, id eſt, regni Chriſti, niſi quod malum excommunicationis hac oratione expreſſius ſignificatur. Nam duo tantũ ſpiritualia regna ſunt in hoc mundo: Vnũ Chriſti, alterũ Sathanæ. Neceſſe eſt, vt qui alterutro horum excluditur, in alterum includatur. Chriſtus in Eccleſia regnat tanquam hominum Saluator & Mediator. Sathan extra Eccleſiam regnat ac ſuo imperio ſubiectos habet, quotquot Chriſti iugum ſubire re

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cuſant. Eſt enim ſpirit⁹ agens in filijs contumacibus, qui & princeps mundi huius & DEVS huius ſeculi appellatur. aptiſsime ergo cum extra Eccleſiam ſint impij, dicuntur tradi Sathanæ, quotquot iuſta Eccleſiæ cenſura ab Eccleſia excluduntur, ſeu excõmunicantur. Hinc proinde colligamus, quã graue ſit malũ à ſocietate Chriſti & Eccleſię excludi, quod nihil aliud eſt quam denuo mancipari Diabolo, vt in ipſis rurſus operetur. Admoneamur ergo timoris Domini & veræ pœnitentiæ, ne quid deſignemus propter quod ab Eccleſiæ conſortio merito excludamur. Iam modus excommunicationis nobis explicandus eſt, in quo omnium primum eſt neceſſaria cognitio facti criminalis & autoris facti. Nã ſi cõſtiterit de facto cuius autor eſt incognitus, externæ excommnicationi nullus eſt locus. Quare temere faciũt illi qui fulmina excõmunicationis eiaculãtur in ignotos, & ſtultius adhuc faciũt, qui abſentes & deſertores Reipub. ob aliquod enorme facinus excõmunicant, Fruſtra enim excluduntur de noſtro cœtu, qui vel ſponte ſua vel coacti à noſtro cœtu diſcedũt. præſertim cum talis excõmunicatio finibus legitimæ excõmunicationis nequaquã ſubijciatur. Deinde cognitis facto & autore facti, iudicium ſenatus Eccleſiaſtici in bene conſtituta Eccleſia fieri debet, in quo conuinci oportet reum: qui conuictus ſi vere reſipuerit, non eſt ex ſocietate ſeparandus, ſed eius reſipiſcentia, ſi factum vulgo innotuit Eccleſiæ toti, per paſtorem declaranda eſt, & vbi ipſe reus coram Eccleſia lachrymis & cõfeſsione facti teſtatus fuerit ſuum lapſum, ac ita Eccleſiæ deprecando ſuam culpam ſatisfecerit, Inuocato nomine Dei paſtor reum publice abſoluet, iam recõciliatum Eccleſiæ, Exhortando ipſum vt in poſterũ ſibi diligentius caueat, ne quid deterius ipſi fiat. At ſi factum paucis admodum innotuit, ſufficit vt ab ijs corripiatur, coram quibus reus peractus eſt. Verũ ſi conuictus coram iudicio noluerit reſipiſcere, & veræ reſipiſcentiæ notæ non apparuerint, ſententiã excõmunicationis ferant delecti iudices in presbyterij cõſiſtorio, adhibito in conſiliũ verbo Dei, cum quo verbo Chriſti poteſtas coniuncta eſt: vnde tota excommunicationis virtus dependet. Nam vt verbum Dei eſt regula, & veluti Lydius lapis ad quẽ examinabitur factũ quodlibet: Ita poteſtas Chriſti facit vt ratũ habeatur in cœlo, quod hic in mundo ab hominibus agitur. Contra vero vbi iudices verbo Dei deſtituuntur, Chriſtum à ſua parte non habent. Quare fulmen excõmunicationis quod vibrant in fumũ abit, & nequaquam in cœlum pertingit, nec nocet ei in quẽ innocentem exercetur. Nequaquam enim ratum eſt in cœlo, quod homines ſtulti ſine verbo Dei hic in terris agere præſumunt. Deinde vbi iam conſtiterit de enormitate facti ex verbo Dei, & de impœnitentia, ex parte rei, charitas ex parte totius corporis Eccleſiæ, & ædificatio cõmunis, in conſilium adhibenda eſt. Nam vt charitas facit, vt omnia agant in bonum & ſalutem rei, ſi vltimus finis excõmunicationis ſpectetur: ita ædificationis cogitatio euentum, quod ad totã Eccleſiam attinet, ſpectat. Nam ſi facit ad Eccleſiæ conſeruationem & cõmunem ædificationem excõmunicationis ſententia, recte & grauiter feratur. Sin minus, ſed potius ad deſtructionem propter peccantium multitudinem facit: cauendum eſt, ne ita vni membro remediũ adhibeatur, vt malum ipſum contagionis in totũ corpus ſerpat: quare hic regulas Auguſtini, quas in Enchiridio poſui ſequamur. Porrò vbi iam iudicium excõmunicationis in conſiſtorio presbyterij in reum latum fuerit, debet paſtor congregata Eccleſia, non ſine ſignificatione ingentis doloris & inuocatione nominis Chriſti, ſententiã excõmunicationis toti Eccleſię exponere, ac ita cum poteſtate Chriſti reum in nomine patris & filii & Spiritus ſancti excõmunicare, & prohibere ne quis familiarem cõſuetudinem cum excõmunicato habeat, niſi quatenus reus vel docendus eſt, vel adhortandus ad reſipiſcentiam. Cæterum, excommunicationis fines reliqui ſunt, qui ſunt tres. Nam ſi Deum reſpicis, in Dei familia nõ eſt ferendus, qui non poteſt illic eſſe ſine contumelia nominis Dei. Si Eccleſiam ſpectas, ab ea excludendus erit, ex cuius contagione periculũ eſt, ne ea plures inficiantur. Poſtremo ſi reum conſideras, in iſtum finem feratur excommunicationis ſententia, vt caro rei intereat, & ſpiritus ſaluetur in die Domini IESV CHRISTI. Quemadmodum Paulus hic docet. Verũ quia oratio Pauli ambigua eſt, (nam quid interitus carnis & quid ſalus ſpiritus ſit inter omnes non conuenit) declaratione quadam indiget, quam declarationem petemus partim ex fine cõmunicati incæſti & euentu, partim ex vſu vocum quibus hoc loco Apoſtolus vtitur excommunicatus incæſtus nõ eſt ita traditus Sathanæ vt interiret caro, hoc eſt corpus rei: Nam poſtquam reſipuit incæſtus, in Eccleſiam Corinthiacam receptus eſt. Quare finis excõmunicati incæſti non fuit vt interiret corpus, ſed vt ipſe pudore ſuffuſus & dolore compunctus tandem reſipiſceret. Caro ergo hoc loco non ſubſtantiam, ſed qualitatẽ ſignificat. iam autem caro quoties pro qualitate capitur & opponitur ſpiritui, vt hoc loco, ſignificat vicioſitatem naturæ ſeu veterem hominem: quæ caro tum interire dicitur quando vera pœnitentia cõuertimur ad Deum & vitioſis affectibus renunciamus, ſubijcientes nos ſpiritu

renouatio-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

renouationis,hoc eſt,obtemperátes nouis motibus quos in conuerſis excitat Spiritus ſanctus. Eſt ergo ſenſus huius loci germanus, non vt miſer iſte pereat, ſed vt ſaluetur, id eſt,vt cum ipſe pudore ac triſticia ſapere didicerit, Caro quæ in hoc præcipitium ipſum abripuit funditus pereat: Spiritus autem qui videbatur in certamine prorſus occubuiſſe, erigat ſeſe iterum nec aboleatur, ſed carne interemta ſuperſtes maneat. Nam hic eſt finis Eccleſiæ propoſitus,non modo in extremo illo remedio,ſed etiam in omnibus tum admonitionibus,tum reprehenſionibus,vt caro dometur, & ſpiritus confirmetur. Cæterum quo huius loci plenior ſit explicatio,duæ quæſtiones nobis explicandæ ſunt,quarum prior eſt: Num neceſſaria ſit excommunicatio , vbi pius præſidet magiſtratus? Altera,num errata iuris in ijs rebus quæ ad hanc externam vitam pertinent , excommunicatione caſtiganda ſint nec ne? Quantum ad priorem quæſtionem attinet: num neceſſaria ſit excommunicatio, vbi Chriſtianus eſt magiſtratus,hoc tenendum eſt: cum alia ſit magiſtratus ciuilis , & alia miniſterij Eccleſiaſtici functio,diuerſam quoq; eſſe vtriuſq; rationem. Nam tametſi ſibi mutuo auxiliares manus porrigunt , eiuſdemque Eccleſiæ ſunt membra: tamen quia diuerſa ſunt membra , non idem ſpeciale officium habent,nec eundem finem proximum. magiſtratus officium eſt pœnis corporalibus punire ſontes qui ſuam violarunt legem , Idque in hunc finem,vt legum ſuarũ maneat autoritas, tranquillaq; ſit Reſpublica: Eccleſiæ autem eſt, peccata quæ pugnant cum lege Dei punire gladio ſpirituali , Alia lenius , Alia ſeuerius pro ratione culpæ, Idq; in hunc finem,vt qui peccauit reſipiſcat pœna admonitus,ac ita in familiam Dei emendatus recipiatur. Ex his perſpicuum eſt , non ſolum vtramq; functionem ſibi inuicem debere manus porrigere auxiliatrices, verumetiam vtramque ſuo fungi officio debere in corrigendis peccatis, quo offenſa Dei quantum fieri poteſt caueatur. Reſtat altera quæſtio: num errata Iuris, dum petitur iudicis ſententia,excommunicatione punire liceat? vt ſi quis agrum ſibi vendicet , exiſtimans ipſum ad ſe ſpectare . hanc quæſtionem diluit Paulus,qui in ijs quę ad vitam hanc externam ſpectant,quæ ipſe βιωτικὰ appellat,requirit iudicium ciuile,quo erratum manifeſtatur iudicis voce. Verum ſi quis contumaciter reclamauerit iudicis ſententiæ, nouo ſe obſtringit reatu , quem punire vtrumque magiſtratum oportet. vt ſi quis agrum retinere conaretur contra iudicis ſententiam, ſine prouocatione ad ſuperiorem iudicem , is quia errato iuris contumaciam adiunxit rectius edoctus, vt contumax iure puniendus erit. Porrò, quæſtiones de lapſuum generibus & de peccatis multitudinis &c. in Enchiridio copioſe explicantur.

Non eſt bona gloriatio veſtra.

Repetit obiurgationem. Corinthij nõ ſolum efferebant ſe ob ſua inſignia dona ſupra alios,ſed etiam in vitijs ſibi placebant, dum Corinthium incæſtum tanquam re bene geſta in ſuo ferebant cœtu. Locus memorabilis , quod alienus lapſus ad nos quoque pertineat , ſi eum non emendemus, modo potuerimus. Deinde admonet nos hic locus humilitatis & communis imbecillitatis.

An neſcitis, quod paululum fermenti totam Maſſam fermentat?

Ratio allegorica eſt: quæ integra ſimilitudine explicari poteſt hoc pacto: Sicut paululum fermenti totam maſſam fermentat: ita paucorum vitia totam congregationem ſua contagione inficiunt: Vt enim hic fermentum ſocietatem vnius vitioſi cum alijs notat , ita maſſa vniuerſum Eccleſiæ corpus ſignificat. Hic obſeruetur finis medius excommunicationis , qui eſt ne corpus vniuerſum Eccleſiæ, contagione vnius membri inficiatur , iuxta vulgares verſiculos:

Morbida facta pecus totum corrumpit ouile:
Ne maculet reliquas , eſt ſeparanda gregi.

Expurgate igitur vetus fermentum vt ſitis noua Maſſa,vt eſtis Azymi.

Exhortationis huius occaſionem ſumit ex ratione allegorica, quæ præceſsit: & trãſit ab hypotheſi ad theſin, ſeu à ſpecie ad generalem doctrinã,quod ſæpe tum Prophetæ tũ Apoſtoli & alij non ineptũ miniſtri verbi facere conſueuerunt.Nã hic in genere hortatur Corinthios ad vitæ puritaté, ne ſinant ſe vllo aut doctrinæ aut morũ fermento corrumpi. Vt vetus fermentũ Phariſaicũ faſtum, doctrinam corruptam & hypocriſin vocat, Ita nouam maſſam vocat renatos in Chriſto Ieſu,cuius ſanguine purgati in Dei conſpectu apparent Azymi,id eſt,fermenti expertes,hoc eſt,puri & ſine faſtu in doctrina & ſine prophanitate & hypocriſi in moribus.

Etenim

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Etenim paſcha noſtrum pro nobis immolatus eſt Chriſtus.

Ratio exhortationis ex collatione veteris & noui paſchatis ſumta: quæ collatio vmbræ ad veritatem illuſtrior fit hoc modo: Quemadmodum in veteri populo mactato phaſe, id eſt, agno tranſitionis, fermento abiecto, Azymis, id eſt, panibus infermentatis veſcebantur: ita exhibito vero phaſe, hoc eſt, agno immaculato, qui eſt Chriſtus Ieſus, oportet vt abiecto fermento prauæ doctrinæ & hypocriſeos Azymis veſcamur. Notandum eſt, quod paſcha hic non certum anni tempus ſignificet, ſed metonymice agnum, hoc eſt, Chriſtum Dominum, qui in ara crucis mactatus eſt, cuius ſanguine aſperſus populus Dei, à ſeruitute liberatur, & in libertatem veram vindicatur.

Itaque feſtum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento nequitiæ & maliciæ: ſed in Azymis ſinceritatis & veritatis.

Concluſio exhortationis, quæ ex collatione vmbrę ad veritatem infertur, hoc ſenſu: Quemadmodum in veteri populo mactato agno phaſe, celebrarunt feſtum Azymorum per ſeptem dies, hoc eſt, comederunt dulces panes carentes omni fermento: Ita noſtro agno mactato pro nobis, viuamus vitam in ſinceritate & veritate. Azymos ergo Paulus interpretatur ſinceritatem & veritatem. Illa opponitur fermento doctrinæ & fermento veteri: hæc hypocriſi & prauis moribus, quos Paulus malitiæ & nequitiæ nominibus deſignat. Vult ergo Paulus vt qui feſtum phaſe celebrant, hoc eſt, qui vere credunt Chriſtum pro ſe paſſum eſſe & factum piacularem victimam, ſinceram doctrinam amplectantur & innocentem vitam degant.

Scripſi autem vobis in Epiſtola, ne commiſceremini cum ſcortatoribus, ac non omnino cũ ſcortatoribus huius mundi, aut cum auaris, aut cum rapacibus, aut idololatris, alioqui deberetis è mundo exire.

Reuocat Corinthijs in memoriam de quibus eis antea ſcripſerat, & diſtinguit inter flagitioſos qui in ſinu Eccleſiæ reperiuntur, & inter eos qui extra Eccleſiam ſunt. illos excludendos monet propter cauſſas ſupra notatas, hos autem non ita vitari poſſe ait, niſi in nouũ quendam mundum migrare liceret: ſignificans maiorem eſſe malorum turbã, quam vt facile vitari aut emendari poſsit. Verum hoc tamen ita intelligendum eſt, vt cum ſceleribus eorum pijs nihil ſit commune: & vt Deus rite animo & corpore colatur, Sic Chriſtus cum Phariſæis & Publicanis cibum capiebat ac conuerſabatur.

At nunc ſcripſi ne commiſceamini, ſi quis cum frater nominetur, ſit ſcortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuitiator, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi inquam ne edatis quidem.

Recitat quædam ſcelerum genera exempli cauſſa, quæ excommunicatione vult puniri: & ponitur hic propoſitio maior præſentis de incæſto excludendo diſputationis. Idololatriæ ideo mentionem facit, quia quidam (ſicuti patebit ex octauo capite) Ethnicis & Chriſtianis placere ſtuduerunt, atq; iccirco interfuerũt ſacris Idolorum, pacis, vt aiebant, & concordiæ publicæ gratia: qui tamen fratres, hoc eſt, Chriſtianæ religionis profeſſores cenſeri voluerunt. Quemadmodũ hodie multis accidit, qui cum volunt vtrique parti placere, Papiſtis multa tribuunt, ac etiam interdum laudant, ac interim Euangelici & eſſe & dici volunt: Verum Paulus id improbat, & vult tales excommunicationis pœna in viam rectam reuocari.

Quid enim mea refert etiam de extraneis iudicare? Nonne de ijs qui intus ſunt vos iudicatis? de extraneis vero Deus iudicat?

Ratio cur de extraneis, hoc eſt, ijs qui ſunt extra Eccleſiam, nolit ſibi iudicandi autoritatem ſumere. Nam cenſura Eccleſiaſtica tantummodo ad domeſticos Eccleſiæ ſe extendit, quod etiam Corinthiorum exemplo confirmat, cui aliam cauſſam ſubiungit, nimirum quod ſolius Chriſti ſit & non cenſuræ Eccleſiaſticæ, alienos à fide pœna aliqua caſtigare.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Tollite igitur iſtum ſceleratum ex vobis ipſis.

Concluſio eſt quæ ex his propoſitionibus conficitur: Si quis, cum frater nominetur, ſit flagitioſus, excommunicatione caſtigandus eſt. At iſte incæſtus frater eſt nominatus, ac dederat Chriſto nomen, & hoc tamen ſcelus, quod rem cum nouerca habuerit, perpetrauit. Proinde excommunicatione, id eſt, excluſione ex veſtra ſocietate merito caſtigandus eſt.

CAPVT VI.

Summa Capitis Sexti.

Chriſtianus aduerſus Chriſtianum iudicium ne petat ſub infideli iudice, ſed ſub fideli: aut potius patiatur iniuriam vel damnum, quam ſuum perſequatur ius coram infidelibus iudicibus. Chriſtiani non abutantur ſua libertate, nec ſcortationem inter res medias ponant, cum ſit grauiſſimum ſcelus.

Ordo & partes Capitis Sexti.

Duæ ſunt huius capitis partes, Prior eſt inuectiua, & conſtat propoſitione & confirmatione. Inuehitur enim in eos, qui eo temeritatis progreſſi erant, quod fratres coram infidelibus iudicibus, propter res leues accuſarint, & non potius ipſi fideles iudices conſtituerint, aut etiam iniuriam aut damnum paſſi fuerint. Altera eſt confutatio & dehortatio. Confutat enim errorem eorum, qui abuſi libertate Chriſtiana, ſcortationem etiam rebus medijs annumerarunt. Deinde dehortatur grauiſſimis argumentis à ſcortatione, hortans vt Deum glorificent corpore & animo.

EXEGESIS SEXTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

AVDET aliquis veſtrũ negocium habens aduerſus alterum, iudicari ſub iniuſtis & non ſub ſanctis.

Propoſitio eſt, qua increpat cum Corinthiorũ litigandi ardorem, tum quod ſub iniuſtis iudicibus litigãtes, expoſuerint Euangeliũ ludibrio prophanis hominibus, id quod audendi vocabulo innuitur: Ac diceret Apoſtolus: Eo ne demum amentiæ proceſſiſtis, vt vos non pudeat palam Euangeliũ exponere prophanorum hominum obtrectationibus? plerunq; enim accidit, vt hominum vitia profeſſioni eorum aſſcribantur. Deinde propoſitionis altera pars requirit, vt controuerſias ſuas Chriſtiani coram ſanctis, hoc eſt, Chriſtianis & pijs iudicibus perſequantur. Hanc propoſitionis partem iuſta confirmatione confirmandum ſibi proponit. Verum hic diſcernendũ eſt inter neceſſario & voluntarie litigantes. Illis licet ſuam iuſtã cauſſam tueri, immo debent ſi res poſtulauerit etiã coram infideli iudice, vt ſi quis ab alio trahatur in iudiciũ, licet ſane immo neceſſarium eſt, vt coram ſuo magiſtratu ſiue pius ſiue impius ſit, reſpondeat. His autem non licet fratribus lites intendere in foro infidelium, ne Euangelium male audiat, & contumelioſi videantur in fratres. Quare hic Pauli conſiliũ, quod paulò poſt ſequitur, ſequendum eſt, potiuſq; ferenda eſt iniuria, quam vt eam perſequamur cum ludibrio Euangelij & contumelia fratrum. Verum quatenus Chriſtiano liceat cauſſam ſuã coram iudice perſequi ſine peccato, in Enchiridio explicatum eſt. DEINDE hoc quoq; tenendum eſt, quod ſi Chriſtianis inferatur iniuria ab impijs & hoſtibus doctrinę, liceat ipſis Pauli & multorum aliorum exemplo prouocare ad iudicẽ, etiam (ſi res poſtulauerit) infidelem, quemadmodum Paulus fecit dum ad Cæſarem prophanum appellauit.

An neſcitis, quod ſancti mundum iudicabunt?

Cõfirmationis fundamentum eſt, interrogatione figuratum, quo vehementior & minus dubia appareat propoſitio. Verum hic propoſitio ſola ponitur loco huius proſyllogiſmi: Sancti mundum iudicabunt. Vos Corinthij eſtis ſancti. Ergo vos Corinthij mundum iudicabitis. Ex hac conclu-

concluſione extruit Apoſtolus argumentum hypotheticũ quod ſequitur. Verũ ſciendum eſt quod Paulus hic loquatur non de præſenti, ſed de futuro iudicio, in quo caput Chriſtus cum ſuis membris totum impium mundum iudicaturus eſt, quemadmodum ipſe Dominus teſtatur, Matth. 19.

Quod ſi per vos iudicabitur mundus, indigni eſtis minimis iudicijs.

Hoc argumentum, vt ſupra admonui, extructum eſt ex proxime præcedente fundamento, & ponitur hic rurſus propoſitio ſola loco totius argumenti, quod hoc pacto excluſo interrogationis ſchemate complebitur. Si Corinthij iudicabunt mundum, nõ ſunt indigni qui pręficiantur iudicijs de rebus minimis & ad hanc vitam ſpectantibus. Sed Corinthij iudicabunt mundũ, Ergo non ſunt indigni minimis iudicijs. Vocat autem minima iudicia, quæ ſunt de rebus minimis & caducis. ideo interpres vetus per periphraſin clarius expreſsit conſequens, Indigni eſtis qui de minimis iudicetis. Eſt ergo argumentum à minori ad maiusſumtum.

An neſcitis quod angelos iudicabimus, nedum ad vitam pertinentia?

Aliud argumentum, ſimiliter à minori ad maius ſumtum: Sancti angelos, hoc eſt, diabolos iudicabunt, multo magis res minores, vt ſunt quæ ad vitam hanc ſpectant.

Iudicia ergo de rebus ad victum pertinentibus ſi habueritis qui contemtibiles ſunt in Eccleſia, eos conſtituite.

Quia ſolidis argumentis concluſerat Paulus, licere Corinthijs priuatas fratrum controuerſias de rebus ad victum pertinentibus iudicare & componere: Iam præcipit vt cõſtituant iudices ſeu arbitros, qui lites inter fratres ortas dirimãt. Huius loci vſus duplex eſt. Primus, quod teſtetur in Eccleſia Corinthiaca fuiſſe diſtinctionem dominiorum & bonorum, quæ ad vitam & ad cultum pertinent. Secundus, quod remedium præſcribat nobis imitandũ, quo lites ortæ inter fratres de rebus victualibus componi poſsint. Non enim cuiq;, quod rectum putat, facere licet: ſed arbitris partes ſuas controuerſas committant, eorumq; iudicio acquieſcant. Quod autem iubeat eos Paulus cõſtitui iudices qui in Eccleſia ſunt contemtibiles, non detrahit aliquid, vt quibuſdam videtur, dignitati magiſtratus aut iudicum. Nam per anticipationẽ & comparatiue ea vox intelligenda eſt. Cum enim Corinthij obijcere poſſent, ſe idoneos iudices deſiderare, atq; ideo ortas controuerſias priuatas inter fratres ad iudices prophanos deferre, Paulus reſpondet: Immo poſtremus & abiectiſsimus veſtrũ, ſi conſtituatur arbiter, melius res inter vos cõtrouerſas componet, quam impij iudices, tantum abeſt, vt vlla neceſsitas vos cogat litigare coram prophanis iudicibus. Præterea Paulum non velle ſimpliciter abiectos homines cõſtitui iudices oſtendit correctio, quæ in textu ſequitur: ad erubeſcentiam veſtram, &c. Nequaquam igitur hac ſententia Pauli eleuatur magiſtratus dignitas aut iudicũ officiũ, qui vice Dei in dirimendis controuerſijs funguntur. non enim ſuum ſed Dei iudiciũ exercent iudices, modo legum ſuarum, non pugnantium cum decalogo, præſcriptum ſequantur. Perperam proinde faciunt, qui hoc Pauli dicto abutuntur ad extenuandam legũ ciuilium ſcientiam, & eleuandá magiſtratus & iudicum dignitatem. Peius adhuc olim fecerunt Epiſcopi, qui & prauo intellectu huius loci, proprio officio magna ex parte neglecto, cõtrouerſijs ſecularibꝰ ſe implicuerunt: qui potius Chriſti exemplum ſequi debuiſſent, qui cum rogaretur à quodam vt diceret fratri ſuo, vt ſecum diuideret hæreditatem, reſpondet: Quis me conſtituit iudicẽ aut diuiſorem ſuper vos? ſignificans diſcrimen eſſe inter regimen Politicum & Eccleſiaſticum. Sed peſsime omnium abutuntur hoc loco Papiſtæ, qui hinc iuriſdictionem ciuilem in cauſsis pecuniarijs ſe habere contendunt, quam contemtibilibus in Eccleſia, hoc eſt, ſuis officialibus (vt vocant) committunt. Porrò quod quidam verbum καθίζετε per indicatiuũ reddunt: Conſtituitis, Et dicunt Paulum hic reprehendere Corinthios, quod contẽtibilibus in Eccleſia tantam dignitatẽ, tantumq; officiũ demandarunt, vt arbitri & iudices in cauſsis & controuerſijs ſanctorum eſſent, facile refellitur. Primum enim pugnat cum ſcopo pręſentis diſputationis. Nã Paulus Corinthios reprehendit, quod nullos omnino cõſtituerint iudices, adeo vt in leuiſsimis etiã rebus coacti ſint ſententiam quærere à prophanis iudicibus. DEINDE illorum interpretationi orationis nexus reclamat. Nam particula illationis ſatis indicat, hoc Pauli dictum ex ſuperioribus eiuſdem verbis extrui & concludi. Cum enim docuiſſet licere pijs cauſſas cognoſcere & iudicare, infert præceptum, vt id quod licet faciant, conſtituantq; iudices ſeu arbitros qui inter fratres ortas lites de rebus ad victum pertinentibus, componere poſſunt.

Ad erubeſcentiam veſtram dico, adeo non eſt inter vos ſapiens ne vnus quidem, qui poterit iudicare inter fratres, ſed frater cum fratre litigat, idq́; ſub infidelibus.

Aliud argumentum à contingentibus ſumtum: cuius hic ſenſus eſt: magnum dedecus eſt coram prophanis iudicibus cauſſas agere. nam inde aduerſarij veſtram inſcitiam arguunt, quaſi nemo omnium veſtrum ſit, qui ea ſit prudentia præditus, vt poſsit veſtras controuerſias priuatas componere.

Iam quidem omnino delictum in vobis eſt, quod iudicia habetis inter vos.

Deprimit illorum faſtum qui nihil ſibi deeſſe ad perfectioné iudicarunt, ſumto argumento ab effectu ad cauſſam. Iudicia habetis inter vos, hoc eſt, lites & contentiones ſectamini. Ergo in vobis eſt delictum, id eſt, animi imbecillitas, qua ita ſuccumbitis, vt iniuriam & damnum non potius patiamini, quam coram impijs iudicibus cauſſas agatis. Neque hæc Pauli verba aliquid detrahunt legibus ciuilibus aut iudicibus, ſed tantum eos reprehendit Apoſtolus, qui leuibus iniurijs ita franguntur, vt mox ad magiſtratum vindicem confugiant.

Cur non potius iniuriam ſuſtinetis? cur non potius damnum accipitis? at vos iniuriam facitis & damno afficitis, idque fratres?

Duo reprehēdit hic in Corinthijs. Primum quod litigarunt coram prophanis iudicibus, vnde male audit Chriſtiana religio. Deinde quod intulerint fratribus damnum & iniuriam. adeo improba habendi cupiditas inter homines regnat.

An neſcitis quod iniuſti regni DEI hæreditatem non conſequentur?

Argumentum à pœna ſumtum. Iniuſti regnum Dei non obtinebunt. qui inferunt iniuriam fratribus & damno eos afficiunt, ſunt iniuſti. igitur regnum Dei non obtinebunt. reſipiſcite ergo ne tantam hæreditatem veſtra amittatis culpa.

Ne erretis, neque ſcortatores, neq; idolatræ, neque mœchi, neque molles, neque qui concumbunt cum maſculis, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neq; maledici, neque rapaces regnum Dei hæreditate obtinebunt.

Denunciat pœnam iniuſtis & iniuſticiæ quaſdam formas exempli cauſſa recitat. Quomodo autem hæc denunciatio intelligenda ſit ſequens oratio Pauli oſtendit, & ſumma ſententiæ huc redit, quod tales excludátur à regni Dei hæreditate, niſi egerint pœnitentiam: quod cum fecerint, non amplius iniuſti ſed iuſti cenſentur, Chriſti iuſticia ornati. Molles Paulo ſunt, qui verborũ lenocinijs, effœminato geſtu & veſtitu alijſq; delitijs, impudicitiam ſuã produnt.

Et hæc fuiſtis quidem, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini IESV, & per ſpiritum Dei noſtri.

Vt commemoratione pręteriti ſtatus Corinthios humiliat, ita propoſito gratuito beneficio excitat eos ad gratitudinem per ſolicitudinem ſanctam, qua caueãt ne tantum bonum ſua culpa amittant. Vtrũq; & nos ex hoc loco diſcamus, humiliemur cogitatione præteriti ſtatus, & excitemur ad gratitudinem & innocentiá morũ cogitatione præſtitæ gratiæ. Cęterum Apoſtolus non fruſtra hæc tria: purgationem, ſanctificationem & iuſtificationem, coniunxit. Nam vt purgationem ſordibus, ſanctificationé pollutioni, & iuſtificationem reatui opponit: Ita vult vt purgati nõ amplius inuoluamur prioribus ſordibus, ſanctificati non nouis inquinamentis polluamur, iuſtificati non nouo reatu nos obſtringamus: ſed vt potius puritatem & ſanctificationem, iuſticia Chriſti donati, per totam noſtram vitam meditemur. Addit præterea Apoſtolus modũ & cauſſas noſtræ purgationis, ſanctificationis & iuſtificationis. Nam dum ait: In nomine Domini IESV, & per ſpiritum Dei noſtri, Primũ ſignificat prædicationem Euangelij de Chriſto creditam, eſſe cauſſam tantæ gratię. nam nomen IESV ad prædicationem quę fidem requirit refertur. qui ergo credit IESVM talem ſibi eſſe, qualis nominatur, id eſt, prædicatur Euangelio, is purus, ſanctus & iuſtus cenſetur. Verũ quia ſine Spiritu ſancto, qui fidẽ in auditoribus Euangelij operatur, nemo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

purgatur, ſanctificatur & iuſtificatur: recte adiecit Apoſtolus, Et per ſpiritum Dei noſtri. Nec prætereundum eſt, quod Apoſtolus exprimat tres diuinitatis perſonas, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, quibus tribuit redemtionis beneficium.

Omnia mihi licent, at non omnia cõducunt, omnia mihi licent, at non redigar ſub vllius poteſtatem.

Confutatio eſt erroris eorum, qui prætextu Chriſtianæ libertatis quiduis ſibi licere exiſtimarunt, non habita ratione ædificationis mutuæ & grauioris ſeruitutis, nempe peccati. Repetit autem bis obiectionem Corinthiorum. Omnia mihi licent. Vbi obſeruandum, quod ſignum deſtributiuum ad res externas quas medias vocant, pertineat. Id quod circumſtantia loci euincit. Incipit enim hic de rebus medijs diſputare, quarũ vſus liber eſt, modo habeatur ratio mutuæ ædificationis, & caueatur maior ſeruitus, in quam incurrunt qui ſuis cupiditatibus indulgẽtes rebus externis nimiũ addicti ſunt. Liberum quidem eſt veſci quibuslibet cibis: at qui hoc facit cum ſcandalo fratris infirmi, aut ita indulget ſibi vt gulæ mancipium fiat, ſua libertate abutitur, Immo potius eam amittit, & mancipatur ſeruituti peccati. Nam iuxta Chriſti ſententiam: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Hic locus requirit explicationem doctrinæ de libettate Chriſtiana & de rebus medijs ſeu adiaphoris: quam aliunde petant ſtudioſi.

Eſcæ ventri & venter eſcis. Deus autem & hunc & eas abolebit.

Proponit ſpeciem exempli gratia, vnde de toto genere iudicandum eſt. Ciborum inquit vſus eſt, vt in hac vita conſeruemur ad tempus, poſt hanc enim vitam nullus vſus erit, vel ventris, id eſt, nutritionis, & ciborum. quare illis ita vti conuenit, ne eorum cauſſa aut fratres offendamus, aut illorum abuſu in fœdam ſeruitutem peccati noſipſos conijciamus. Tantiſper enim liberi ſumus donec ab alio capiamur, & ab eo in ſeruitutem redigamur. Proinde qui indulget cibis & ventri contra charitatem proximi, aut ad voluptates & dilitias, vt charitatis legem violat: Ita fit manc pium rei corruptibilis. Hoc iam ad totum genus transferri debet, hoc eſt, ad res medias & externas omnes: quę nec prohibitæ nec mandatæ ſunt ſimpliciter. Et diligenter diſcernendum eſt inter libertatem ipſam & libertatis vſurpationem. liberæ quidem ſunt res mediæ, vt veſtes, cibus, locus, tempus &c. ſed in earum vſu cauendum eſt, ne aut fratres offendamus, aut noſipſos, dum eis nimium addicti ſumus, in fœdam peccati ſeruitutem conijciamus.

Corpus autem non ſcortationi ſed Domino, & Dominus corpori.

De rebus medijs dixit, & quid in earum vſu cauendum ſit breuiter diſſeruit. Nunc fœdiſſimum errorem eorum confutat, qui ſcortationem inter res medias collocarunt, & eam tanquam licitam prætextu Chriſtianæ libertatis defenderunt. Ponitur autẽ hic minor loco totius argumenti, quod hoc modo complebitur: Quicquid Domino dicatum eſt, nõ eſt polluendum ſcortatione, Corpus noſtrũ Domino dicatum eſt (Nam per baptiſmum Chriſti corpori inſiti ſumus) Igitur corpus noſtrum ſcortatione non eſt polluendum, Proinde nequaquã licita eſt ſcortatio, nec in rebus medijs vllo pacto numeranda. Locus communis, quod quęlibet res ei fini cui deſtinata eſt certa lege intenta eſſe debeat, nõ alieno cũ ſua natura pugnanti.

Deus autem & Dominum ſuſcitauit, & nos ſuſcitabit per potentiam ſuam.

Secundum argumentum, ſumtum à conditione noſtrorum corporum, quæ glorificanda ſunt olim cum glorificato Chriſti corpore. Et ponitur ſola minor loco huius argumenti: Corpora olim cum Chriſto glorificanda, non ſunt polluenda ſcortatione. Noſtra corpora olim ſunt cum Chriſto glorificanda per gloriam reſurrectionis. Non igitur ſunt contaminanda ſcortatione. Quod autem addit: per potentiam ſuam, Anticipatio eſt, qua occurrit rationis peruerſo iudicio de reſurrectione. Quando igitur ratio articulum reſurrectionis in dubium reuocat, nos potentiam Dei opponamus. Is enim quod ſtatuit, poteſt etiam præſtare. Porrò ex hoc Pauli dicto hunc locum communem deſumamus, quod corpora Chriſtianorum propter futuram reſurrectionis gloriam, caſta & pura conſeruari debeant.

An neſcitis, quod corpora veſtra ſint membra Chriſti: igitur tollens membra Chriſti faciam, vt ſint ſcorti mẹmbra? Abſit.

Tertium

Tertium argumentũ ab abſurdo ſeu indigno,ſed minor & concluſio ordine ponuntur. Argumentum autẽ hoc pacto complebitur: Nullo pacto ferendũ,vt membra Chriſti cum ſcortis communicentur. Sed noſtra corpora ſunt membra Chriſti. Igitur indigniſsimũ & abſurdiſsimum eſt,ea ſcortatione polluere. Hæc abſurditas & indignitas notatur particula abominandi,abſit. Hoc loco & alia obſeruetur doctrina, nempe quod ſpiritualis noſtra ſocietas cum Chriſto non tantum ad animam,ſed etiam ad corpus pertineat,In qua ſocietate ſpes noſtræ reſurrectionis ſita eſt.

An neſcitis, quod qui agglutinatur ſcorto,vnum corpus eſt? erunt enim inquit duo in carnem vnam.

Amplificatio & exaggeratio eſt proximi argumenti. quam enim ob cauſſam ſit abſurdum & indignum polluere corpora noſtra ſcortatione, exponit. Nam qui hoc faciunt membra Chriſti de eius corpore diſcerpunt & agglutinant ſcorto,ita vt iam amplius non ſunt vnum cum Chriſto,ſed cum impuro ſcorto. Hoc confirmat ex ſecundo Geneſeos capite. Erunt,inquiens,duo in carnem vnam. Quæ ratio non ſimpliciter ſed per comparationẽ accommodanda eſt propoſito hoc pacto: Quemadmodum maritus & vxor vna caro fiunt benedicta copula: Ita ſcortator & ſcortum,maledicta copula coniunguntur & veluti vna caro fiunt. Habet enim ſcortatio cum coniugio aliquã ſimilitudinem,ſed tanquam eius corruptela. Aliter dictum Moſis non poteſt accommodari præſenti argumento.

Qui vero agglutinatur Domino vnus ſpiritus eſt.

Oſtendit arctiorem copulam Chriſtianorum cum Chriſto eſſe,quam eſt mariti & vxoris. Hæc enim corporalis tantum eſt: Illa vero ſpiritualis. Vnde quartum argumentũ à comparatis extrui poteſt hoc pacto: Copula mariti & vxoris ſancte eſt conſeruanda, ne vlla impuritate contaminetur. Multo magis copula ſpiritualis inter Chriſtum ſponſum & eius ſponſam Eccleſiam ſancte conſeruanda eſt, ne vlla turpitudine polluatur. Qualis autem ſit copula Chriſti & eius ſponſæ,Oſeas Propheta explicat his verbis: Sponſabo te mihi in fide, & cognoſces Dominum.

Fugite ſcortationem.

Oſtenſo errore eorum qui ſcortationem rebus medijs annumerarunt, & monſtrata ſcortationis turpitudine & ſcelere, exhortationem attexit, vt non ſecus atq; peſtem & rem extreme periculoſam ſcortationem fugiant Corinthij. Nam fugiendi vocabulum duo innuit, videlicet, Periculum quod eſt ex ſcortatione, & quam acre ſtudium euitandi illud periculum in pijs eſſe debeat.

Omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus eſt, ſed qui ſcortatur in proprium corpus peccat.

Quintum argumentum ab effectu proprio ſcortationis ſumtum, quod in hunc modũ nonnihil commutata orationis forma cõcludi poteſt: Quicquid dehoneſtat & cõtaminat proprium hominis corpus, merito eſt fugiendũ. Scortatio dehoneſtat & cõtaminat propriũ hominis corpus. Igitur ſcortatio merito fugienda eſt. Eſt autem in proprium hominis corpus peccare hoc loco, ipſum dehoneſtare, contaminare, honore debito ſpoliare, ludibrioq; exponere. Minor ſola hic ponitur amplificata per comparationem ſcortationis cum alijs peccatis. Alia peccata dicit extra corpus eſſe, hoc vero in ipſo manere corpore, ac veluti notam illi inurere. Verum hic oritur perdifficilis quæſtio. Nam Dominus apud Matthæũ ait: De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ: hæc ſunt quæ inquinant hominẽ. Et Eſaias: Manus veſtræ ſanguine pollutæ ſunt. Et ad Roma. Præbuiſtis membra veſtra arma iniquitatis peccato. Et ad Titum, Omnia mũda mundis, contaminatis vero & infidelibus, nihil mundum, ſed contaminata eſt eorum & mens & conſcientia. Et multæ ſimiles ſententiæ teſtantur totum hominẽ peccato pollui. Qui fit ergo, quod Paulus dicat: reliqua peccata eſſe extra corpus, Scortationem vero in corpore manere? Reſpondeo, omne peccatum hominem polluit, quantũ ad reatum attinet, Nam vt mentẽ & conſcientiã contaminat: Ita hominẽ totum reatu obſtringit. Verũ ſcortatio (qua omnis Venus extra matrimonium per ſynecdochen ſignificatur) non ſolum mentẽ polluit, cõſcientiam coinquinat, ac totum hominẽ nouo reatu cõmaculat: verumetiã quodam ſingulari modo probrũ inurit

corpori

corpori ac ipſum conſpurcat,ac veluti ludibrio conſpurcatū exponit.Huius ſingularis maculę ita Deo mirabiliter ordinante,haud raro in ſcortatoribus teſtimonia quędā apparent, vt ſunt morbus Gallicus, &alij turpiſsimi, quos nominare nolo:Qui turpiſsimi morbi in honeſtis coniugibus non conſpiciuntur.Nā vt illic maledictio coniuncta eſt cū violatione ordinis diuini:Ita hic benedictio ordinationem Dei comitatur.Hoc ſcortationis probrum moueat honeſtos adoleſcentes,ne ſinant ſe in ſcortationis volutabrum præcipitari.

An neſcitis, quod corpus veſtrum templum ſit eius qui in vobis eſt ſpiritus ſancti, quem habetis à Deo?

Sextum argumentum à deſtinatis ſumtum, quod hoc modo abſoluitur: Templum Spiritus ſancti purum & mundū conſeruari oportet. Veſtrum corpus eſt templum Spiritus ſancti, Igitur corpus veſtrum purum & mundum conſeruari oportet Proinde nequaquam prophanandum & polluendum eſt ſcortatione aut vlla alia impuritate. Cum autem addit: Quem habetis à Deo, tacite admonet Corinthios,ne ſua culpa gratuitum hoc donū tantumq; theſaurum amittant,immo in hoc toti potius ſint,vt Spiritus ſancti domicilium & templum mundum ſanctumq; conſeruetur. Cæterum,cur Chriſtiani dicantur templū Dei,dictum eſt ſupra capite tertio.Et ſumma huc redit: Quod quilibet Chriſtianus ideo ſit templū Dei,quod Deus in eo ſit,habitetq;, iuxta Chriſti promiſsionem: Qui ſermones meos audit, ad eū veniemus & manſioné apud eum faciemus. Deinde quod quilibet Chriſtianus debeat perpetuis cultibus Deum celebrare,ſeq; mundum à peccati prophanatione conſeruare.

Et non eſtis veſtri iuris, emti enim eſtis precio.

Septimū argumentum à iure ſumtum: Qui non ſunt ſui iuris non poſſunt ſe alijs Dominis mācipare. Chriſtiani nō ſunt ſui iuris.Ergo Chriſtiani non poſſunt ſe alijs Dominis mancipare.Quare iniuriam Chriſto Domino faciunt qui ſcortationi ſe proſtituunt,ac eius mancipia ſe ſponte conſtituunt.Minor ſola cum ſua probatione ponitur,quæ ita concluditur: Chriſtiani emti ſunt precio,Igitur non ſunt ſui iuris. Hoc ipſum argumentum in exhortatione ad vitæ innocentiam vſurpat Petrus, cum ait:Scientes vos non caducis, argento aut auro fuiſſe redemtos ex vana veſtra conuerſione, ex patrum traditionibus accepta:ſed precioſo ſanguine agni immaculati & incontaminati Chriſti.

Glorificate igitur Deum, in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.

Concluſio exhortatoria.Cum non ſitis veſtri iuris, cum iam templa Dei ſitis, &c. par eſt, vt Deum & corpore & anima glorificetis.Anima quidē glorificatur Deus, Primum cum recte ſentimus de natura Dei,maieſtate & veneratione. Deinde cum ei tribuimus omnem miſericordiam,ſapientiam,iuſticiā & potentiam.Tertio cum quicquid habemus illi ſoli acceptum ferimus. Quarto cum nos illi ex fide,mente, voluntate & affectibus ſubijcimus, per patientiā eum inuocātes & prædicantes.Sed corpore glorificatur,cultu,puritate,& exemplo:Cultu,cum non proſternimus nos coram Idolis more Papiſtarum & prophanarum gentiū,ſed nos coram illis proſternimus, illum in cœlo quærentes non apud ſtatuas. Puritate,cum corpus purum, ſanctum & caſtum conſeruamus ab omni turpitudine ſexto præcepto prohibita. Exemplo, cum actiones omnes noſtræ externæ,vita,conuerſatio, geſtus,verba,veſtitus & huiuſmodi alia quæ in oculos hominum incurrunt,ſunt talia quod illis inuitentur alij ad glorificandum Deum nobiſcum: Contra Deum ſua gloria quantum in ſe eſt ſpoliant, qui contraria his vel ſentiunt,vel agunt.

CAPVT VII.

Summa Capitis Septimi.

Etſi bonum ſit vxorem non ducere, modo caueatur ſcortatio: vel ab vxoris thoro abſtinere, modo fiat ex conſenſu: tamen vinculum coniugale fas non eſt per diſceſſionem violare, nec Chriſtianis licet propter religionis diſsimilitudinem diuortium facere. Verum ſi infidelis diſcedit, ſoluitur pius à coniugij vinculo. Præterea etſi virginitas præferenda eſt coniugio propter neceſſitatem præſentem: Tamen parentes

rentes

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rente: non peccant ſiue filias ſuas nuptum dederint ſiue non: etſi melius fecerint ſi non elocauerint, niſi alia cogat neceſſitas. Neque viduis negandæ ſunt ſecundæ nuptiæ.

Ordo & partes Capitis Septimi.

Orditur Apoſtolus à conceſſione, nimirum quod homini bonum ſit mulierem non attingere. Cui ſubiungit reſtrictionem ſeu exceptionem duplicem videlicet, vt caueatur ſcortatio: & ne alter coniugum alterum fraudet debito coniugali. Deinde contra ſeparationem coniugum ex ſententia Domini diſſerit, præcipiens ne coniuges à ſe inuicem diſcedant propter animorum offenſionem. Tum de impari coniugio agit, præcipiens ne fidelis coniugem deſerat infidelem. at ſi ſponte infidelis diſceſſerit, ſoluitur fidelis è lege coniugij. his ſubijcit nonnihil de vocatione, cui addit de virginitate & de iure parentum in elocandis liberis diſputationem. Poſtremo loco de ſecundis nuptijs agens, Etſi præfert cœlibatum, liberas tamen relinquit ſecundas nuptias. Atque ita in hoc capite multi vtiles loci tractantur, vt de cœlibatu, de neceſſitate matrimonij propter vitandam ſcortationem, de debito matrimonij, de diſſidijs in matrimonio ex animorum offenſione & ingeniorum diſſimilitudine, de impari coniugio, de vocatione, de ſeruitute, de virginitate, de ſecundis nuptijs: Quorum locorum cognitio ſumme neceſſaria eſt in Eccleſia, de quibus omnibus, Corinthios ad Paulum ſcripſiſſe, ex principio huius capitis apparet.

EXEGESIS SEPTIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

CAETERVM de ijs quæ ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini mulierem non attingere.

Ex conceſſione hac & duabus exceptionibus quæ ſequuntur, videtur quod Corinthij Paulo ſcripſerint & interrogauerint, An liceret homini, vel omnino vxorem non ducere, vel ab vxoris thoro prorſus abſtinere. ad quam quæſtionem reſpondet per conceſſionem: bonum eſt homini mulierem non attingere, id eſt, bonum & commodum eſt, ſi homo vel maneat ſine vxore, vel ſi vxorem habet, ab eius conſuetudine abſtineat. Bonum hoc loco non opponitur malo aut vitioſo: vt Hieronymus & Monachi eum ſecuti interpretati ſunt, ſed ſignificat commodum & expediens propter aliud, vt abſtinere à vino eſt bonum, hoc eſt, commodum & expediens propter aliud. vnde tamen non ſequitur, vinum bibere malum eſſe ſimpliciter. Quod autem non opponatur bonum hoc loco vitio, docet & matrimonij inſtitutio quæ Dei benedictionem (qua omnes res malæ & turpes deſtituuntur) coniunctam habet: & exceptiones Paulinæ quæ ſequuntur. nullo enim pacto concedendum eſſet matrimonium, ſi aut malum aut vitioſum eſſet.

Sed propter fornicationes vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, & vnaquæque ſuum maritum habeat.

Prior exceptio. Bonum eſt homini ab vxore ducenda abſtinere, modo non ſit ſcortationis periculum. Verum ſi quis continere non poteſt, ſed ſuccumbit tentationibus, & vincitur prauis affectibus ita, vt voluntas ſuccumbat, etiam illi non ſolum remedium conceditur matrimonium, verumetiam præcepto diuino ad coniugium obligatur. Nam cum dicit Paulus hoc loco: Vnuſquiſq; ſuam vxorem habeat, & vnaquæq; ſuum maritum, non eſt concedentis oratio, ſed præcipientis.

Vxori maritus debitam obœdientiam reddat, Similiter autem & vxor marito.

Poſterior exceptio. bonum eſt homini ab vxoris thoro abſtinere, ſi modo illud ex conſenſu fiat, alioqui debent ſibi inuicem mutuum officium & coniugalem beneuolentiá quam ſibi mutuo promiſerunt matrimonium contrahentes.

Vxor proprij corporis poteſtatem non habet, ſed maritus. Similiter autem & maritus proprij corporis poteſtatem non habet, ſed vxor.

Ratio reddendæ mutuæ beneuolentiæ in coniugio. quilibet iure exoluere tenetur quod alij debet. Ergo maritus cum eius corpus ſit in poteſtate

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtate vxoris: & vxor cum eius corpus ſit in poteſtate mariti, debent ſibi mutuo debitam beneuolentiam exoluere. Prohibet ergo eam, quæ fit abſque conſenſu continentiam. q.d. cum alter ſit in alterius poteſtate, non poteſt facere quod vult abſque eo qui iugum ſecum vnà trahit.

Nolite fraudare vos inuicem, niſi ſi quid ex conſenſu fiat ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi.

Concluſio eſt ſuperiorum. Si neuter coniugum poteſtatem habet proprij corporis, ſed alter alterius. non igitur ſe inuicem fraudare debent debito coniugali. Hic primum obſeruandum eſt ideo requiri conſenſum, quia non de vnius continentia ſed duorum agitur. Deinde cum dicit ad tempus, prohibet perpetuam abſtinentiam à thoro coniugali. contra quod Spiritus ſancti oraculũ peccauerunt Papiſtę, dum permiſerunt coniugibus modo Monachiſmum profiteri vellent perpetuã ſeparationem. Præterea finem ſecubationis addit: Vt vacetis ieiunio & orationi. Ieiunium & oratio coniungi ſolent, quando ſignificatur ſolennis aliqua & publica orationis celebritas, cum vel aliquod magnum & arduum negocium aggrediendum ſit, vel aliquod imminens periculum, aut præſens calamitas vrgeat ad publicas preces inſtituendas. Porrò his verbis Pauli abutuntur Monachi, cum ex illis inferunt thorum coniugalem rem eſſe vicioſam & malam, vt quæ orationem quæ perpetua eſſe debeat, impediat: Cui obiectioni iam reſpõſum eſt, nempe quod Paulus non loquatur de perpetuis Chriſtianorum precibus, ſed de ſolennibus tantum, quæ fiunt præcedente & coniuncto ieiunio. Deinde inſtantiam damus ex hoc ipſo loco Pauli, ſi illorum conſequentia valet, valet & hæc: Cibus & potus impediunt ieiunium. Igitur cibus & potus mala ſunt, hanc conſequentiam quis recipiet?

Et rurſus in vnum conuenite, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam veſtram.

Prohibet ſecubationem perpetuam, cuius prohibitionis grauiſsimam ſubiungit cauſſam, ne videlicet tentet ipſos Sathanas propter incontinentiã ſuam. Nam cum perpetuo ſecubant coniuges, Sathanas inſidias ſtruit carni & obijcit varias libidines, in quas ruunt ſæpe cœlibes imbecillitate carnis victi. ne igitur idem accidat coniugibus, perpetuam prohibet ſecubationẽ. Hæc manifeſtè pugnant cum impuro cœlibatus voto, quod ſupra modum extollunt Papiſtæ. Sunt qui hæc verba: Ne tentet vos Sathan propter incontinentiam veſtram, referunt ad ſuperiora, ac ſi dicat Paulus: interdum ſecubandũ eſſe coniugibus, ne propter nimiam libidinis incontinentiam exponant ſe Sathanæ inſidijs. Nam ſicut qui abutuntur cibo & potu, exponunt ſe Sathanæ, Ita qui thoro coniugali intemperantius vtuntur periculum ſibi accerſunt. Coniuges ergo in timore Dei, vt cibo & potu, ita thoro coniugali temperanter vtantur.

Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum præceptum.

Prolepſis eſt. Nam ex ſuperioribus aliquis obijcere poſſet: Dicis, vnuſquiſq; habeat ſuam vxorem, & vnaquæque habeat ſuum maritum. Ergo vis vt omnes matrimonium contrahant: Reſpondit Apoſtolus, conceſsionem eſſe quam propoſuit & non pręceptum, conceditur enim omnibus vel à coniugio abſtinere, vel matrimonium contrahere. Verum ſi quis continere nequeat, ei præcipitur vt remediũ à Domino propoſitum quærat. Porrò cum Papiſtæ ex hoc loco ſic ratiocinentur. Quod opus habet venia, culpa non caret. Coniugium opus habet venia. Ergo culpa non caret. Proinde pie faciunt qui perpetuam vouent caſtitatem. Reſpondeo eos non attendere, quo hæc Pauli verba referenda ſint. Deinde perperam vrgere veniæ aut indulgentiæ vocabula. Nam συγγνώμη, qua voce vtitur Paulus, interdum remiſſionem notat vbi nullum ſimpliciter vitium eſt. Præterea illorũ cauillatio refutatur multis Encomijs matrimonij, quæ paſsim in ſcripturis extant.

Velim enim omnes homines eſſe, ſicut & ego, ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius ſic, alius autem ſic.

Ratio cur velit ſuperiora, non vt præteptum, ſed vt conceſsionem intelligi, & ſeipſum exemplũ proponit continentiæ. non ergo cum ait, vnuſquiſq; ſuam vxorem habeat, &c. præceptũ eſt, quo omnes vult adigere ad matrimonium: ſed conceſsio qua ſtatus ipſe liber relinquitur omnibus, ſed ijs qui continere non poſſunt à Domino propoſitum remedium neceſſarium eſt. Verũ ne quis de exemplo Pauli vniuerſa

lem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

lem regulam conſtituat, reſtrictionem ſubiungit: Sed vnuſquiſq; proprium donum à Deo habet, ſignificans & continentiam donum eſſe, & neminem qui hoc donum non habet, debere Deum tentare, ſed potius diuinitus propoſito remedio vti cum gratiarum actione & timore Dei. Obſeruandus locus, quod à nemine ſit requirendus cœlibatus, niſi quatenus ipſe ſpeciale donum continentiæ habeat.

Dico autem inconiugatis & viduis, Bonum eis eſt ſi maneant vt ego. Si autem nõ continent, matrimonium contrahant.

Ratio voti: Optauit omnes eſſe ſicut ipſe eſt, idque ideo, quia illud bonum & commodũ ipſis eſſe videtur, Verum mox exceptionẽ repetit, modò quis dono caſtitatis ſit præditus, quo ſi careat, matrimonium contrahat. Hæc ergo diſtributio loco generis ponitur, & intelligenda eſt de omnib⁹ ijs, qui adhuc extra matrimonium viuunt, quorũ neminem à matrimonio excludit, niſi donum continentiæ habeat.

Melius eſt enim matrimonium contrahere, quàm vri.

Ratio exceptionis à collatione ſumta. Matrimonium eſt res bona, vſtio qua quis ita incendio flammarum libidinis ardet, vt vel continere non poſsit, victa voluntate ab affectibus, vel ipſius preces impuritate affectuum contaminentur, mala eſt. Quare matrimonium præferendum eſt vſtioni. Non igitur hæc collatio eſt maioris & minoris mali, ſed eſt boni per ſe. & mali collatio. melius proinde eſt, idem quod præferendum eſt, vt bonum malo, honorabile turpi. Diligenter hic Metaphora obſeruanda eſt: non dixit Apoſtolus, Melius eſt nubere, quam calere libidinis affectibus, ſed vri. Nemo enim mortalium eſt, qui non interdum ſentiat libidinis calorem, ſed non tamen omnes æſtuant & ita vruntur, vt voluntas ſuccumbat. Quare male faciunt, qui fere impuberes adoleſcentes cogunt ad matrimonium contrahendum. Cum potius ſtudijs, laboribus, ſobria vita, perpetuis exercitijs & precibus eſſent cohercendi, ne intempeſtiuo coniugio interrumpant curſum ſtudiorum ſuorum.

Coniugatis denuncio non ego ſed Dominus, vxor à marito ne diſcedat, quod ſi diſceſſerit, maneat innupta, aut reconcilietur marito, & vir vxorem ne dimittat.

Quia apud Corinthios fuerũt, qui religionis pretextu coniugij moleſtias excutere voluerunt, quoties inter coniuges orta eſſet aliqua offenſio, propter animorum diſsimilitudinẽ: Apoſtolus ex mandato Domini denunciat eis, quod nequaquam liceat coniugij legem violare, ac ita à ſe inuicem diſcedere, vt liceat nouas nuptias quærere. Verum ſi inciderit talis offenſa, vt vna habitare nequeant propter acerbitatem animorum, permittit quidem ſeparationem; ſed non concedit nouas nuptias. Immo vult, vt potius reconciliati rurſus conueniant in vnum. Hic Apoſtolus tantum loquitur de cauſsis illis leuioribus, propter quas viri vxoribus miſerunt libellos repudij, vt ſunt ſordes, ignauia, ſomnolẽtia, negligentia rei familiaris, Garrulitas, moroſitas & huiuſmodi alia mulierum vicia, propter quæ Iudæi præcipue ſæpe fecerunt diuortia: Quorum errorem Chriſtus corrigit, & docet non licere diuortium facere & nouas quærere nuptias, niſi legitima diuortij cauſſa intercedat, de qua Apoſtolus hic nõ agit. Non enim exiſtimandum eſt, quod Apoſtolus exceptionem quam Chriſtus diſerte ponit Matth. 5. & 19. improbet, ſed vt Lucas & Marcus, ita ipſe quoq; tantum de ijs cauſsis agit, quæ non interrumpunt matrimonij ſubſtantiã violato coniugali thoro. Abutuntur ergo hoc loco Papiſtę, dum hinc colligunt illicitas eſſe nouas nuptias facto diuortio ob adulteriũ, cõtra aperta Chriſti verba & multorum ſanctorum fratrum pronunciata, qui rectius perpenderunt Chriſti reſponſionem, & hunc Pauli locum diligentius cum verbis Chriſti contulerunt.

Reliquis ego dico non Dominus.

Dicturus de coniugio inæquali, quod communi legi non ſubijcitur, præfatur ſe non expreſſum Dei verbum ſuper ea re habere, ſed id promere quod ex ſpiritu Dei hauſerat: Sicut poſtea exponit cum ait: Exiſtimo me quoque ſpiritum Dei habere.

Si quis frater vxorem habet infidelem, & ipſa conſentit cum eo habitare, ne dimittat eam: Et mulier quæ maritum habet

Quia apud Corinthios fuerunt, qui diuortium fecerunt propter religionis diuerſitatem, præcipit fideli-

 infide-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

infidelem, & ipſe conſentit cum ea habitare, ne demittat eum.

bus ne religionis prætextu dimittant coniuges: modo velint infideles perſonæ in matrimonio contracto manere. cuius præceptionis poſtea cauſſam ſubiungit.

Sanctificatus eſt enim vir infidelis in vxore, & ſanctificata eſt mulier infidelis in viro.

Prolepſis eſt. Poterant enim obijcere prophanum & vicioſum eſſe thorum illum coniugalem propter alterius impietatem: ſed Apoſtolus reſpondet, ſanctum & purum coniugium eſſe, ita vt non contaminetur fidelis coniunx per infidelis impietatẽ, immo poſsit fidelis maritus bona conſcientia vti vxoris infidelis thoro, & fidelis vxor thoro infidelis mariti. Nam plus valet fidelis coniugis pietas, vt coniunctio iſta ſit ſancta, quam infidelis contagio ad prophanandum coniugium. Sed quomodo hoc conuenit cum ijs quæ alibi dicit: Nolite ducere iugum cum infidelibus? Nullus enim conſenſus Chriſto cum Belial. Reſpondeo, Aliud eſſe loqui de retinendis matrimonijs, aliud de contrahendis. Præterea, quomodo infidelis ſanctificatur per fidelem? Reſpondeo. Senſus verborum Pauli hic eſt: Pietas fidelis coniugis nihil prodeſt infideli coniugi, ſed ipſi fideli tantum, ne ſcilicet inquinetur per infidelis cohabitationem. ſanctificatus ergo dicitur, cuius vſus eſt licitus, ſanctus & Deo placens. Porrò hoc Pauli dicto abutuntur, qui negant inter infideles & prophanos homines verum & legitimum matrimonium eſſe: Sed ſciendum eſt, aliud eſſe verum matrimonium, aliud ſanctum. Inter infideles quidem verum matrimonium eſſe poteſt: Sed ſanctum minime, cum illorum mens & conſcientia ſunt polluta, atque ipſi ſunt abominabiles coram Deo.

Alioqui pueri veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.

Ætiologia ab effectu. ſi immundum eſſet coniugium, in quo alter coniugum eſt fidelis, & alter infidelis? immundi eſſent liberi in eo coniugio nati, Sed non ſunt immundi, immo ſancti. Non igitur eſt immundum tale coniugium. ſed fidelis poteſt bona conſcientia vti infidelis cõiugis thoro. Aſſeueratio hæc qua Paulus aſſerit, natos in ſancto coniugio ſanctos eſſe, diligenter obſeruanda eſt, Eſt enim petita ex promiſsione fœderis initi inter Dominum & Abrahamum, his verbis: Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te. Qui autem in Chriſtum credunt, ſunt ſemen Abrahæ, Rom. 4. & Galat. 3. Cognoſcitis ſane quod qui ex fide ſunt, ſunt ſemẽ Abrahæ. Sicut ergo Iſaac & Iacob placuerunt Deo propter hoc fœdus, Ita hodie Chriſtianorum infantes, virtute promiſsionis ſancti ſunt ac placent Deo. Neque obſtat quod Paulus dicit, Nos naſci filios iræ. Et Dauid: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum. Nam qui natura ſua ſunt filij irę & immundi, gratia fœderis ſunt filij Dei & ſancti. Deinde quemadmodum placuit Iacob in vtero matris, & iam infans in lucem editus etiam ante circumciſionem, idque propter promiſsionem fœderis: ita eiuſdem fœderis virtute, Chriſtianorum infantes editi in lucem placent Deo, etiam ante baptiſmum. Verum vt illud fœdus olim circumciſionis ſignaculo conferebatur viſibiliter & obſignabatur, Ita hodie baptiſmus eſt externum teſtimonium, applicatio & teſtificatio inuiſibiles gratiæ. Præterea vt illi, qui in veteri populo contemſerunt circumciſionis præceptum, exterminabantur de populo Dei: Ita hodie contemtus baptiſmi nocere putandus eſt. hic ergo docet Apoſtolus, ſingulare priuilegium eſſe infantum Chriſtianorum. Nam etſi communi lege naſcuntur filij iræ, gratia tamen Dei ſancti habentur. damnandus eſt igitur furor Anabaptiſtarum, qui negant infantes baptizandos eſſe: cum manifeſtũ ſit, baptiſmum fœderis ſigillum eſſe. Deinde & illi damnandi ſunt, qui ex hoc loco ratiocinantes negant infantes Chriſtianorum naſci cum peccato originis, propterea quod Paulus hic eos ſanctos pronunciet. Nam illa ſanctitas non eſt naturæ ſed gratiæ, vt dictum eſt. Sunt qui hoc Pauli dictum de ſanctitate ciuili intelligunt, ac ſi Paulus ſtatueret eos propterea legitimos eſſe, quod alter parentum ſit fidelis: Sed hæc interpretatio ſtare non poteſt. quantum enim ad hoc attinet, vt pueri legitimi habeantur ciuiliter, par eſt conditio omnium. Nam non minus legitimi ſunt, qui ex infidelibus coniugibus naſcuntur, quam qui ex fidelibus.

Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, Non enim ſubiectus eſt ſeruituti frater aut ſoror in talibus.

Anticipat obiectionem. non concedis Paule Chriſtiano vt fidelem cõiugem deſerat: Quid eſt igitur faciendum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

endum fratri aut ſorori, ſi ab infideli deſeratur? Reſpondet, Infidelis ſi diſcedit, diſcedat, non hic conſcientia pij lęditur. Non enim facit, ſed patitur iniuriam ab infideli qui diuortium facit per deſertionem. quod cum fit ſoluitur fidelis à coniugij vinculo, ne cogatur à ſecundis nuptijs abſtinere, ſi modo ijs opus habeat ad pie ſanćteq; viuendum. Hoc Pauli dićtum etiã ad deſertionem illam rećte accõmodatur, cum maritus matrimonij vinculum pertæſus, deſerit coniugem: aut cum vxor maritum relinquens fugit alio, vt matrimonij legibus liberata licentioſius viuat. Verũ hic magna prudentia adhibenda eſt, cum petit deſerta perſona iudicis ſententiam, vt concedantur nouæ nuptiæ. Quare de hac re nonnulla adijcienda videntur. Antequam igitur feratur iudicis ſententia, examinandæ & diligẽter perpendendæ ſunt hæ quatuor circumſtantiæ: Prima conditio perſonæ deſertæ. Secunda, cõditio perſonę deſerentis. Tertia, temp⁹ deſertionis. Quarta, inquiſitio deſertoris. Prima circumſtantia eſt de perſona deſerta, in qua ſpećtandum quomodo ſe in matrimonio ante deſertionem geſſerit. Nam ſi ita ſe geſsit, quod non cauſſam euidentem deſertionis prębuerit vllo infami fačto aut turpitudine, iuſtè de iniuria coram iudice conqueri poteſt: Sin minus & cauſſam deſertionis præbuerit efficacem, iniuſta ęſt querimonia, etſi deſertor in magna culpa eſt, qui impatientia vićtus diſſoluit fœdus quod à Domino ſancitũ erat. Secũda circumſtantia examinanda hæc eſt. Nam deſerens perſona ſponte aut coacte, metu forte alicuius pœnæ aut damni diſceſſerit: Si coačtus diſceſsit metu pœnæ aut dãni, debuit vxor conſcia partem ęrumnarum in ſe recipere, & maritũ fugientem magiſtratus manus inquirere. Verum ſi ſponte & non coačtus diſceſsit, id aut conſentiente & concedente vxore propter rem forte familiarem augendam, aut ob aliã iuſtam cauſſam, cum promiſsione reditus ad vxorẽ fecit, aut ignorante & inuita vxore tædio coniugij hoc fecit, vt iam vagabundus liberius ſuas ſećtetur voluptates extra matrimoniũ, ſi ergo conſentiente vxore de probabili cauſſa diſceſsit, æquum eſt vt mulier expećtet mariti reditum: At ſi inuita vxore ſine probabili cauſſa hoc fecit, deſertor iudicandus eſt. Tertia eſt temporis circumſtantia, quod longius eſſe conuenit, ſi vel concedente vxore abijt maritus, vel dum abſuit per literas aut nuncios ſignificauit, ſe ad deſertam vxorem reuerſurum. Verum ſi inuita vxore diſceſsit, & nullam ſpem fecit reditus ſui ad vxorem deſertam, Conſiſtoria in reformatis Eccleſijs Germaniæ, & hic in Dania, tres annos deſertæ perſonæ præſcribunt, antequam ei concedunt nouas nuptias. Poſtrema circumſtantia, eſt de inquiſitione deſertoris antequam feratur iudicis ſententia: Et probo conſuetudinẽ Cõſiſtorij Lundenſis & Roſchildenſis, vbi ita conſtitutum eſt, vt ter in publico placito, vt vocant, quæratur deſertor, Qui ſi inuentus fuerit, curabitur à deſerta pſona citari literis ſupremi iudicis in cauſsis matrimonialib⁹. In diœceſi vbi relićta eſt innocens perſona, ad diem iudicio dićtum: At ſi non fuerit inuentus, inquiſitionis teſtimonium obſignatum afferatur à deſerta perſona, & tradatur iudicibus. His quatuor circumſtantijs diligenter perpenſis, iuxta hanc regulam ferri poteſt ſententia. Si deſerta perſona honeſtatis teſtimonium habet, & deſertor improbus ſponte inuitam deſeruit, poſt trienniũ poſſunt concedi deſertæ perſonæ ſecundæ nuptiæ. Nam & veriſimile eſt, deſertorem tanto tempore haud continenter vixiſſe: & iuſtũ eſt, vt infirmitati deſertæ perſonæ conſulatur, ne deſertoris culpa puniatur innocens. Ac ita ſi continere nequit ruat in periculoſas tentationes, & tandem in laqueũ Diaboli. Neq; quiſquam rećte obiecerit, hoc Pauli dićtum tantum intelligendũ eſſe de eo, qui à fide Chriſti alienus ab vxore pia diſcedit. Nam qui ſanćtiſsimum coniugij fœdus impie & temere diſſoluit, fidẽ Chriſti fačtis abnegat, & eſt infideli deterior. Huc facit quoq;, quod Paulus cauſſam liberationis coniugis fidelis à ſeruitute coniugis infidelis, non ſtatuit impietatẽ diſcedentis (Nam ſupra pronunciauit infidelitatem non eſſe iuſtam diuortij cauſſam) ſed diſceſſum infidelis. Quare, cum alter coniugum diſcedit ſine legitima cauſſa, ſeruatis circũſtantijs ſuperioribus, poteſt iudex bona cõſcientia deſertę perſonæ ius facere contrahendi nouas nuptias, & poteſt deſerta perſona bona conſcientia ad pie ſanćteq; viuendũ nouas contrahere nuptias, ſed prius liberata à deſertore per iudicis ſententiam.

Sed ad pacem vocauit nos Deus. Hoc non ad proxime præcedens membrũ pertinet, ſed ad probandum id quod ſuperius dixerat, nempe, quod fidelis coniux non debeat dimittere infidelẽ, quia Deus vocauit nos ad pacem, vt concorditer & pacifice inter nos viuamus, quantũ id quidem fieri poteſt illæſa pietate. Hinc generalem dočtrinam ſumamus de ſeruanda pace & concordia etiam cum aduerſarijs religionis noſtræ & infidelibus, Ita tamen vt ſalua maneat pietas. Hinc alibi Paulus: pacem cum omnibus habentes quantum in vobis eſt.

Ecquid

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Ecquid enim noſti vxor an virum ſis ſeruatura? Aut ecquid noſti vir an vxorem ſis ſeruaturus, an non?

Alia ratio à commodo, cur nolit fidelem coniugem dimittere infidelem, nimirum, vt infidelis tandem pacifica & honeſta conſuetudine fidelis coniugis perſuadeatur, vt impietate relicta ad Deum conuerſus ſaluetur. Obſerua hic tribui inſtrumentis, quod proprium eſt ſolius Dei. Præterea obſerua quo referri debeat concordia illa & pax, quam cum infidelibus habendam dixit, nimirum vt tandẽ conuerſi ſaluentur. Deinde quoq; obſerua, quod Paulus velit in coniugio Chriſtiano ſcholam quandam eſſe, in qua erudiantur homines ad pietatem, vt ergo fidelis coniunx pacifice habitare debet cum infideli, ea ſpe vt tandem reſipiſcat, Ita noſtra conuerſatio cum hoſtibus religionis noſtræ debet eſſe pacifica, ne odio aduerſus illos laborare videamur, ac ita illos magis à pietate abſterreamus.

Vt vnicuiq; partitus eſt Deus, vt vnumquemq; vocauit Dominus ſic ambulet, atque ita in Eccleſijs omnibus conſtituo.

Alia ratio, cur nolit fidelem coniugem deſerere infidelem coniugem, à voluntate & vocatione Dei. Quilibet in vocatione ſua, quam ex dono Dei habet, manere debet. Donum Dei eſt & Dei vocatio, quod fidelis ſit impari coniugio conſtrictus. ergo non excutiat iugum, ſed illud ferat donec Domino viſum fuerit. Sola maior ponitur amplificata comparatione. Locus hic obſeruandus aduerſus multorũ πολυπραγμοσύνην, qui nõ ſolum curioſe & maligne in aliorum vocationes ſe ingerunt: verumetiam ſuis negocijs neglectis in hoc toti incumbunt, vt alios debito honore ſpolient, ac eundem in ſe transferant, peſſimum ſane hominum genus.

Circumciſus aliquis vocatus eſt, ne attrahat præputium: in præputio aliquis vocatus eſt, ne circumcidatur. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei.

Exemplis maiorem illuſtrat addita ratione amplificata antitheſi, vt oſtẽdat, quo vita, ſtudia, actioneſq; omnes Chriſtianorum referri debeant, nimirum vt ſtudeamus Deo placere iuxta ipſius mandata. Nam cum commendat nobis obſeruationẽ mandatorum Dei, ſignificat dilectionem erga Deum & proximum veræ concordiæ & pacis cauſſam eſſe, quam concordiam & pacem quærere debent qui ſtatuerunt Deo obœdire.

Vnuſquiſq; in vocatione in qua vocatus fuit, maneat in ea.

Transfert hypotheſin ſuo more ad theſin, & interſerit generalem doctrinam de vitæ genere ſeu vocatione cuiuſq;: ac præcipit, vt quiſq; in ea vocatione in qua fuit dum conuerteretur ad Dominũ maneat Vt autem hoc loco commendatur vnicuiq; ſancta cura & diligentia in ſuo officio, ita dãnatur πολυπραγμοσύνη, qua homines curioſe aliena examinant, ꝓprio officio neglecto.

Seruus vocatus es? ne ſit tibi curæ: ſed ſi potes etiam liber fieri, potius vtere.

Ne quis putaret ſeruilem conditionem cum libertate Chriſtiana pugnare, Anteuertit, & præcipit ne quis anxie ſit ſolicitus, quaſi ſeruilis conditio Chriſtianis indigna eſſet, ſed hoc potius ſe cõſoletur, quod à miſera ſeruitute peccati & mortis, per Chriſtum ſit manumiſſus, & interim ferat ſeruitutis iugum, donec domino viſum fuerit. quod ſi etiam libertate aliquando fuerit donatus, accipiat conditionem in timore Domini, cum gratiarum actione. Hic locus exceptionem habet theſis præcedentis, quod liceat conditionem viliorem meliori commutare, ſi modo fiat legitime ſine dolo malo, ſine auaritia & aliorum iniuria per ordinaria media.

Etenim qui in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus Domini eſt.

Ratio cur non debeat anxius eſſe Chriſtianus, cuius ſeruilis eſt conditio nempe quod Domini ſit libertus, qua libertate omnis ciuilis libertas inferior eſt. quos enim liberos reddit filius, vere liberi ſunt, vt qui peccati & mortis carcere ſint exemti. hinc ergo petant conſolationem pij ſerui & opponant diuturnius bonum & libertatem ſpiritus præſenti afflictioni, non diu duraturæ ſeruituti corporis.

Similiter

Similiter & qui liber vocatus fuit, ſeruus eſt Chriſti:

Hoc eſt, is cuius conditio libera erat quando ad participationē Chriſti vocatus eſt, iam factus eſt Chriſti ſeruus, Quare quantum ad ſpiritualem cum Chriſto ſocietatem attinet, perinde eſt ſiue quis liber, ſiue ſeruus ſit. Nam in Chriſto Ieſu neque ſeruus neque liber eſt. hoc eſt, non ſpectantur in regno Chriſti ſeruitutis aut libertatis ciuilis conditiones.

Precio emti eſtis, ne fiatis ſerui hominum.

Quid? An non modo dixit, ſi ſeruus vocatus es, ne ſit tibi curæ, Cur ergo hic prohibet ne fiamus ſerui hominum? Ratio hic præfixa ſane indicat ſeruitutem, de qua hic loquitur Paulus, diuerſam eſſe à ſuperiori, quantum ſcilicet ad obœdientiam attinet. Nam antea ſæpius dictum eſt, nihil impedire, quo minus ſeruus hominis poſsit eſſe libertus Chriſti. Nunc autē cum dicit, Non oportere nos hominum ſeruos fieri, propterea quod precio emti ſimus, ſignificat reſtringendam eſſe obœdientiā erga Dominos, nimirum vt illis obtemperent, donec obœdientia illorum poteſt ſtare cum libertate quam in Chriſto habent. non vult ergo vt cupiditatibus Dominorum obtemperent in rebus à Domino prohibitis: quod qui faciunt amittunt libertatem ſpiritus, & denuo fiunt peccati mancipia. Nam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Anteuertit igitur hic ſeruorum obiectionem, qui poterant obijcere, Quod ſæpe rogantur facere, quæ à Deo prohibita ſunt, Quare hic monet obœdientiā erga Deum præferendam eſſe. Huc facit quod Paulus ad Epheſios monet ſeruos, vt obtemperent Dominis carnalibus in Domino, hoc eſt, in timore Domini & propter Dominum, ſignificans obœdientiam ſeruorum non debere pugnare cum obœdientia quam Deo debent.

Vnuſquiſq; in quo vocatus fuit fratres, in hoc maneat apud Deum.

Concluſio eſt de vocatione, nempe vt quiſque ita ſe gerat in ſuo vitæ genere, vt qui coram Dei conſpectu commiſſo officio fungatur. Hic locus primum docet diligentiam in legitima vocatione, cultum eſſe Dei, modo ex fide fiat. Deinde docet Deum inſpectorem eſſe noſtri laboris, vt nos excitet ad ſanctam curam, inuocationem & timorem Dei in noſtro officio.

Cæterum de virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, vt miſericordiam conſecutus à Domino, quo ſim fidelis.

De virginitate ſeruanda dicturus, præfatur ſe non ex verbo expreſſo quicquam de virginitate habere, ſed id tamen dicere quod ſentit, non per rationem, ſed per miſericordiam qua diuinitus inſtructus eſt, vt ſit in officio fidelis, id ergo quod ſentit Apoſtolus ſpiritus Dei oraculum putandum eſt.

Exiſtimo igitur hoc bonum eſſe propter præſentem neceſsitatem, quod bonū ſit homini eſſe ſic.

Sententiam ſuam de Virginitate ſeruanda hac propoſitione exponit Apoſtolus, & pronunciat bonum, id eſt, commodū & expediens eſſe propter aliud, nempe præſentem neceſsitatem. Loquitur autē Apoſtolus de eo tempore quo hæc ſcripſit, cum ſcilicet vix liceret pijs vllo loco conſiſtere propter perſecutiones: quæ tempore Apoſtolorum & poſtea multis annis, cum adhuc fere omnes mundi principes perſequerentur Chriſti nomen, erant grauiſsimæ. Pertinet igitur hoc dictum ad circumſtātiam temporis, quo hæc Apoſtolus ſcripſit, quando nuſquam tutum erat fidelibus à iactatione perſecutionum. Nonnulli hoc referunt ad perpetuam Eccleſiæ conditionem, ſed quomodocunq; accipias, ſub conditione hac intelligendum eſt: ſi donum continentiæ adeſt.

Alligatus es vxori? ne quæras diſſolutionem: ſolutus es ab vxore? ne quæras vxorem.

Ne quis ex ſententia Pauli male detorta inferret, bonum eſſe vxorem dimittere, cum bonum ſit vxorē non ducere & cœlibem viuere propter præſentem neceſsitatem, Anteuertit obiectionē & prohibet ſpontaneam diſſolutionem, & conſulit, vt qui vxorem habet, eam ne dimittat propter præſentia pericula: & qui cœlebs eſt ab vxore abſtineat, quo minus illi ſit impedimento, in ferēdis imminentibus calamitatibus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mitatibus. Verum hoc poſterius membrum ſub conditione ſuperius poſita intelligendum eſt. ſi ſcilicet continere poteſt.

Quod ſi etiam duxeris vxorem non peccaſti, & ſi nupſerit virgo non peccauit.

Iam liberum facit Apoſtolus vtrumq; ſtatum, cœlibatum ſcilicet & coniugium, ne quis ex ſententia propoſita perperam concluderet, eos qui matrimonium contrahunt peccare, quod certe facerent, ſi cœlibatus & virginitas per ſe & non propter aliud bona eſſent. Nam ſi quid per ſe bonum & laudabile eſt, eius profecto contrarium malum & vituperabile inuenitur. Quare ex hoc loco diſcamus, coniugio anteferre cœlibatum, non quod hic magis placeat Deo quam illud, ſed propter aliud, nempe vt expeditiores ſimus ad ſuſtinenda pericula, & alia officia præſtanda: Si modo aſsit continentiæ donum.

Sed afflictionem in carne ſunt habituri huiuſmodi.

Cauſſam reddit cur cœlibatũ coniugio præferat. Nam in coniugio maior eſt afflictio. Vocat autem Apoſtolus hoc loco carnem externum hominem, & quæcunq; ad præſentem vitam ſpectãt. Cum igitur coniugium multas moleſtias ſecum trahit ex hæreditario peccato exortas, veluti curã liberorũ, rei domeſticæ adminiſtrationẽ, & alia incommoda, quæ ex deprauatione morum naſcuntur, optat Apoſtolus, vt pij iſtis moleſtijs vacui, poſsint ſe totos Deo dicare.

At ego vobis parco.

Reſtrictio eſt ac ſi dicat, cupio veſtræ infirmitati conſultum, adeo vt vos coniugio non indigere exoptem: quo ſitis omnibus iſtis moleſtijs vacui. Verum ſi cõiugio carere nõ poteſtis, habenda eſt veſtræ infirmitatis ratio per remedium diuinitus ordinatum. Parcere igitur hic ſignificat indulgere & cupere ſubleuatos afflictionibus.

Hoc autem dico fratres, quoniam tempus contractum eſt in poſterum.

Quod hæc intelligenda ſint de vſu ſancti coniugij, Enumeratio ſequens oſtendit. ſumit enim argumentum à vitæ humanæ breuitate: vnde infert, ita vtendum eſſe coniugio & alijs rebus terrenis, ne nos à Deo auocent. Nam quo propior eſt terminus vitæ, eo magis de migratione cogitandum, cauendumq; ne quid obſtet, quo minus ſimus parati ad migrandũ omni momento. Obſeruandus locus, quod breuitas humanę vitę, & termini vitæ noſtræ incertitudo debeat nobis incitamentum eſſe ad bene pieq; viuendum: Nam vt rectè inquit Seneca, Sicut fabula ſic & vita, non quam diu, ſed quam bene ſit acta refert. Porrò tempus hic contractum vocat, metaphora à velis ſeu alijs rebus quæ complicari poſſunt, ſumta.

Vt & qui habent vxores, ſint vt non habentes, & qui flent vt non flentes, & qui gaudent, vt non gaudentes, & qui emunt, vt non obtinentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes.

His Paradigmatis non vult nos res terrenas abijcere, ſed ita eis vti, ne ſint nobis impedimento, quo minus Deo adhæreamus. Hinc ergo ſummatim diſcamus, ita adhærendum eſſe rebus terrenis, ac ſi omni momento hinc migrandum eſſet, hoc eſt, ita vtendum eſſe donis Dei, cum gratiarum actione, ne ſint nobis impedimento, quo minus ea quæ ſalutis noſtræ ſunt diligenter curemus. Vt fletus res aduerſas, ita gaudium res proſperas Metonymice ſignificat: reliqua nota ſunt.

Præterit enim figura huius mundi.

Ratio à vanitate huius mundi. quę huius mundi ſunt, ſpeciem quidem habent incurrentem in oculos hominum, ſed mox euaneſcunt & auferuntur è conſpectu. quare ſtultum eſt illis ita occupari, vt eas anteferamus obœdientiæ erga Deum, aut ijs ita impediamur, vt non toti addicti Deo eſſe poſsimus.

Velim autẽ vos abſq; ſolicitudine eſſe.

In quem finẽ ſuperiora dicta ſint, & quare cœlibatum in ijs qui continentes eſſe poſſunt, præfert coniugio, hoc voto indicat. optat enim Chriſtianos ita addictos Domino eſſe, vt ab eo nullis auocamentis auocentur. Quod autem velit nos eſſe abſque ſol-

que ſolicitudine, intelligendum eſt de prophana huius mundi ſolicitudine, quæ impedit quo minus Deo adhæreamus.

Qui cœlebs eſt, curat ea quæ ſunt Domini, quomodo placiturus ſit Domino, at qui duxit vxorem, curat ea quæ ſunt mundi, quomodo placiturus ſit vxori. diſcreta ſunt ea, quæ eſt vxor & ea quę eſt virgo: quæ eſt innupta curat ea, quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta cum corpore, tum ſpiritu, Quæ vero nupta eſt curat ea quæ ſunt mundi, quomodo placitura ſit viro.

Probat ab effectu ſancti cœlibatus, cur pręferat cœlibatum coniugio piorum, qui prophanis hominibus copulati ſunt. Non enim hic loquitur de quouis cœlibatu, ſed tãtum de eo qui ſuſceptus eſt propter regnum Dei, ab ijs qui dono continentiæ ſunt prędíti. Neq; loquitur de quouis cõiugio, ſed de impari, in quo fideles infidelibus ſeu mũdo deditis copulati ſunt. Nam alias neq; cœlibatus per ſe curam eorum quæ Dei ſunt affert, neq; coniugiũ per ſe à Deo ad res terrenas abſtrahit. Nam pleriq; cœlibes, vt in regno Antichriſti videre eſt, videlicet in Cardinalibus, Epiſcopis, Sacrificulis, Monachis & Monialibus, non ea curant quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt mundi. Vt ſunt, manifeſta doctrinæ deprauatio, ſacramentorũ & diſciplinæ corruptio, ſacrilegia, ſtupra, adulteria, & aliæ nefandæ libidines. Nec omnes iuncti matrimonio curant quæ mundi ſunt, ſed plurimi eorũ quæ Dei ſunt. Vt videre eſt in Abraham, Iſaac, Iacob, Zacharia & alijs multis ſanctis Patriarchis & Prophetis. Nam in ſancto coniugio maritus qui habet fidelẽ vxorem, & vxor quæ habet fidelem maritum, adiuuant ſe mutuo, cum exemplo, tum pijs exhortationibus (quemadmodum in Eccleſia domeſtica fieri docet) vt ea quæ Dei ſunt curent & prophanam mundi ſolicitudinem abijciant. Deinde propria coniugum officia, vt ſunt: procreare, & educare liberos in timore & correptione Domini, eoſdem inſtituere, ſe mutuis adiuuare officijs: ſancta ſunt opera & cœleſtia, quibus Deus colitur à ſanctis coniugibus. tantum abeſt, vt hæc opera prophana & Chriſtianis indigna cẽſeantur. Ex his haud obſcurum eſt, iniuriam facere Spiritui ſancto Papiſtas, qui hoc Pauli teſtimonio abutuntur ad confirmandum ſuum impurum cœlibatum, tanquam cultus Dei eſſet per ſe, & ad extenuandam coniugij dignitatem, quaſi per ſe homines à pietatis auocaret ſtudio.

Hoc autem ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis inijciam, ſed ad honeſtatem & decorum, vt Domino adhæreatis abſq; vlla diſtractione.

Rurſus moderatur conſiliũ de cœlibatu & ſignificat ſe nemini imponere neceſsitatem vel ducendæ vxoris vel non ducendæ, ſed ſimpliciter oſtẽdere vtrum vitæ genus ſit cõmodius, vt quiſq; ſuas hic vires expẽdat. vtilis quidem & commodus eſt cœlibatus pijs, quibus nihil periculi eſt ab incontinentiæ malo. Nam tum nullis rebus externis occupati, poſſunt abſq; vlla diſtractione Domino adhærere in ſpirituali illo coniugio, quo nihil eſt honeſtius, nihil ſanctius. Verum ſi continere nequeunt, contrahant matrimonium, ne ſtulte affectatus cœlibatus conijciat ipſos in laqueum Diaboli. In ſumma ergo hic duo conſideremus, Primum, in quem finem ſit expetendus cœlibatus, non vt putetur cultus eſſe aut magis placere Deo quam coniugium, ſed vt adhæreant cœlibes Deo abſq; vlla diſtractione. Secundum, laqueus non eſt inijciendus cuiquam, vt arceatur à coniugio: quod liberum relinqui debet omnibus. etſi ſecus & contra Paulum adulatores Antichriſti decernunt.

Si quis autem virgini ſuæ indecorum iudicat, ſi excedat florem æratis, & ita fieri debet, quod voluerit faciat non peccat: nubant.

Nunc ſermonem conuertit ad parentes habentes filias adultas, quibus poteſtatem facit elocandi filias ſi velint. Verum quod interponit: Et ita fieri debet, Reſtrictio eſt, & intelligendum eſt hoc modo: Si virgo caſtitatis dono deſtituitur debet ita fieri, nempe vt tradatur nuptui quo vitetur ſcortatio. Contra vero ſi donum habet virgo caſtitatis, liberum relinquitur parentibus elocandi filias & non elocandi. Hinc diſcant parentes: quod non liceat ipſis liberis perpetuam caſtitatis legem imponere, niſi prius conſtiterit de dono caſtitatis, quod rariſsime contingit ſine aliquo peculiari morbo aut defectu. Porrò quod dicit in plurali numero: Nubant, ſyntheſis eſt, nam intelligendum eſt, non tantum de vna filia, ſed etiam de multis, ſi quis plures habeat, immo etiam de filijs.

Qui autem ſtat firmus in corde neceſſitatem non habens, poteſtatem vero habet ſuper propria voluntate,& hoc decreuit in corde ſuo, vt ſeruet ſuam virginem, bene facit.

Quemadmodum liberum fecit parentibus elocare filias, quæ donum caſtitatis non habent: Ita hic ius facit eiſdem non elocandi filias, quæ habent caſtitatis donum. Hic ſenſus verborũ Pauli eſt ſimpliciſsimus. Verum dictio apoſtolica explanatione aliqua indiget: Qui autẽ ſtat firmus in corde ſuo, hoc eſt, qui firmiter ſtatuit apud ſe neceſsitatem non habens, hoc eſt, cui non obſtat filiæ infirmitas, quo minus virgo ſeruari poſsit: Atq; hæc exceptio diligenter notanda eſt. Nam reſtringit ius parentum in ſeruandis ſuis virginibus: Poteſtatem vero habens ſuper ſua voluntate, hoc eſt, cuius voluntas ab altero non pendet: Pendet autem patris voluntas à liberorum voluntate hactenus, vt infirmitatis illorum rationem tantum habeat, vt nec iure poſsit nec debeat ab illis exigere cœlibatum, qui hoc dono diuinitus nõ ſunt donati. Conditione ergo caſtitatis ſalua, bene facere parentes pronunciat, qui ſuas virgines ſeruant, idque propter cauſſas ſupra commemoratas.

Itaque qui & nuptum collocat, bene facit, & qui non collocat nuptum, melius facit.

Concluſio eſt ſermonis de parentibus habentibus liberos in ſua poteſtate. in vtroque membro ſubintelligenda eſt exceptio ſupra poſita, hoc modo: Qui nuptum collocat filiam quæ continere nequit, bene facit conſulens infirmitati virginis, vt vitetur ſcortatio: Qui non collocat nuptum, ſcilicet filiam habentẽ donum caſtitatis melius facit, hoc eſt, commodius filiæ conſulit propter cauſſas ſupra expreſſas. Porrò ex hac parte duo concludamus præter ea quæ dicta ſunt, Primum, liberos eſſe in poteſtate parentum. Alterum quod ex primo ſequitur, non licere liberis contrahere matrimonium ſine parentum conſenſu. Qui enim id faciunt, parentes contemnunt & legem Dei pro nihilo habent, Quare poſſunt parentes ſuo iure tales contractus infringere, vt impios & illicitos, Sed per ſententiam iudicis.

Mulier alligata eſt legi quam diu maritus eius viuit, Si autem mortuus eius fuerit maritus, libera eſt, cui vult nubat, modo in Domino. At beatior ſi ſic maneat ſecundum meam ſententiam, Exiſtimo autem me quoq; ſpiritum Dei habere.

Hic peculiariter de viduis mulieribus agit, ne exiſtimarent ſe ob ſexus conditionem exemtas eſſe, ne ſibi liceret quod viris licet. Eſt autem ſumma ſententiæ: Aliæ nuptiæ poſt mortem maritorum viduis concedantur modo in Domino, hoc eſt, ſi in timore Domini & religioſe id fiat. Hanc ſuam propoſitionem probat Apoſtolus argumento à contrarijs ſumto: Mulier alligata eſt legi (ſcilicet quæ ſanxit viri & mulieris ſocietatem indiuiduam) quamdiu maritus eius viuit. Ergo mortuo marito libera eſt: Si libera eſt, nubere poteſt cui vult. Huc addit correctionem (quæ tantum locum habet in viduis habentibus donum caſtitatis, qualis fuit Anna propheti ſſa) Beatior vero eſt ſi ſic maneat ſecundum meam ſententiam, id eſt quemadmodum ego ſpiritu Dei edoctus iudico. Nam exiſtimo me quoq; habere ſpiritũ Dei, quo dictante hæc ſcribo, ne contemnantur tanquam ab homine profecta. Porrò beatior dicitur, non quod viduitas per ſe ſit virtus quæ magis Deo placet quam honeſtum coniugium: ſed quia à curis mundi (modo dono caſtitatis non fuerit deſtituta) erit alienior. Hic locus quia tantum agit, quid liceat viduis, an illis concedendæ ſint aliæ nuptiæ: perperam opponitur ſententiæ Chriſti Matth. 5. & 19. vbi adulterio ſolui vinculum coniugale aſſerit Dominus. Deinde Paulus deſertione ſolui coniugium aſſeruit. Propterea hic locus opponatur veteribus quibuſdam, inter quos Athenagoras hanc turpiſsimam vocem euomuit, quod ſecundæ nuptiæ ſint σεμνὴ μοιχεία. Deinde opponatur Papiſtis, qui negarunt benedictioné ſecundis nuptijs, & legibus ſuis vetuerunt, ne quis clericus ſecundis nuptijs intereſſet. Quare nos opponamus vnum Paulũ omnibus Antichriſti morionibus: & ſpiritũ quo dictante hæc ſcripſit Paulus, Spiritui Sodomitico Papiſtarum: quo ruunt prætextu cœlibatus in varia nefandarum libidinum genera.

CAPVT VIII.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Summa Capitis Octaui.

Etſi per ſe licitum eſt idolothytis veſci: tamen qui cum offendiculo fratris infirmi hoc facit, vulnerans ipſius conſcientiam infirmam, reus ſit, vt qui in Chriſtum peccet.

Ordo & partes Capitis Octaui.

Vt in ſexto capite propoſuit de rebus medijs & confutauit illorum errorem, qui ſcortationem in medijs numerarunt, Et inde in ſeptimo cœlibatum & coniugium res medias docuit: ita hic in octauo aliud genus rerum mediarum proponit, nempe de vſu idolothytorum, hoc eſt, ciborum qui idolis erant conſecrati. Ac in principio capitis Ironicam conceſsionem ponit, & concedit illis ſcientiam qua freti Idolothytis veſcebantur, ſed mox corrigit aſſerens eam ſcientiam nihil eſſe, quæ non temperata ſit charitate Dei & proximi. Deinde per Mimeſin eorum verba, qui Idolothytis veſcebantur recitat vna cum rationibus firmiſsimis, quibus idola nihil eſſe ratiocinabantur, vnde rem mediam eſſe concludebant veſci idolothytis & non veſci. Verum Paulus negat eam ſcientiam in omnibus eſſe, atque ideo oportere eos, qui ſcientia præditi ſunt infirmorum rationem habere. Deinde hypotheſin ad theſin per Mimeſin transfert, & affirmat cibum non commendare nos Deo, vt aliqua iuſticia vel accedat, vel diſcedat nobis ſiue veſcamur, ſiue non veſcamur. Quod quidem Paulus illis concedit, ſed cum hac exceptione, ne infirmorum conſcientiam lædant. Vnde generalem regulam colligit de rebus medijs, nimirum quod vſus earum nequaquam ſit licitus, ſi offendiculum infirmorum coniunctum habeat.

EXEGESIS OCTAVI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

CAETERVM de ijs quæ idolis immolantur, ſcimus quod omnes ſcientiam habemus.

Hæc conceſsio Ironica ad eos ſolummodo reſtringēda eſt, qui inflati ſcientia de Idolothytis, veſcebantur illis nulla infirmorū ratione habita.

Scientia inflat, charitas ædificat.

Ab effectu ſcientiæ non temperatæ charitate corrigit quod dixit, aſſerens eam non veram ſcientiam eſſe, immo ſine charitate inflatos reddere: charitatē autem ædificare, hoc eſt, inſtruere proximum, eumq; promouere in pietatis & religionis ſtudio. Quod autem dicat ſcientiam inflare, id fieri vicio hominum in hac corrupta natura ſciendum eſt. Nam alioqui ſcientia ipſa quæ donum Dei eſt per ſe vicioſa nō eſt, neq; cauſſa inflationis propria, ſed ἀφορμὴ tantum. Quare vt perperam faciunt, qui hoc loco abutuntur in cōtemtum artium & liberalium diſciplinarum, quarum vſus maximus in vita cernitur: ita rectiſsime eo vtuntur, qui ſcientias quas ex dono Dei adepti ſunt, charitate temperant, quo eos qui ignari ſunt inſtituant. Charitas enim ſcientis, vt excludit inanem faſtum, ita efficit, vt ſcientia præditus non quærat quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum ad ædificationem.

Quod ſi quis ſibi videtur aliquid ſcire, nōdum quicquam nouit ſicut oportet noſſe, ſed qui diligit Deum hic cognitus eſt ab eo.

A definitione ſalutaris ſciētię probat opinione potius ſcientiæ inflatos fuiſſe Corinthios, quam veram habuiſſe ſcientiam. format autem hanc definitionem per abnegationem & per affirmationem. Abnegatione quidem, quod non ſit ſalutaris ſcientia oſtendit, cum ait: Si quis videtur ſibi aliquid ſcire, hoc eſt, ſi quis opinione ſua ſapit, & ideo inſoleſcit, alios tanquam ex alto deſpiciens: Hic nondum nouit quemadmodum oportet, hoc eſt, ipſius ſcientia nihili ſit apud Deum. Affirmatione vero exponit, quæ ſit ſalutaris ſcientia. nempe quæ in Dei cognitione fundatur, & tēdit in Dei dilectionem. Si quis inquit, diligit Deum (hic vna parte totus cultus Dei intelligitur) hic cognitus eſt ab eo, hoc eſt, approbatur à Deo, vt qui vera ſcientia præditus ſit. Hinc diſcamus in regno Chriſti fruſtra de ſcientia gloriari eos, qui ex Dei cognitione non didicerunt veram humilitatem, & veram Dei & proximi dilectionem.

De eſu igitur illorum quæ idolis im-

Exponit per Mimeſin, quali ſcien-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

molantur ſcimus, quod idolum nihil eſt in mundo, & quod nullus eſt Deus alius niſi vnus. Nam etiamſi ſint qui dicantur dij & in cœlo & in terra (ſicut ſunt dij multi & domini multi) nobis tamen vnus eſt Deus, ex quo omnia, & nos in ipſo, & vnus Dominus IESVS CHRISTVS per quem omnia & nos per ipſum.

tia tumidi Corinthij veſcebantur idolothytis etiam cum offenſione fratrũ: eſtq; hoc principale argumẽtum, ſeu iſtius ſcientiæ qua tumebant, Demonſtratio firma ſane & immota. Quod nulla diuinitate aut virtute prę ditum eſt, id ſane in cibis aliquam differentiam non facit, vt vel eos ſanctificet vel polluat. Idolum nihil eſt, hoc eſt, nulla diuinitate aut virtute præditum eſt. Non igitur poteſt in cibis aliquam differentiá facere, qua vel ſanctificantur vel polluuntur homines. Quare eſus Idolothytorũ indifferens eſt, adeo vt liceat eis veſci & non veſci. Hactenus recte concluſum eſt. aſſumtio confirmatur à diſparatis. Nullus eſt Deus alius niſi vnus. Ergo idolum nihil eſt, hoc eſt, non habet aliquid diuinitatis, ſeu non eſt Deus. Verum ne quis exciperet & diceret plures eſſe Deos, occurrit iſti obiectioni & diſtinguit inter illos, qui dicuntur Dij ſiue falſo, ſiue participatione nominis propter aliquá tenuẽ ſimilitudinis vmbrá, vt magiſtratus & iudices in Pſalmo Dij dicuntur: & inter verum Deum, qui vnus eſt in eſſentiæ vnitate, & trinus in perſonis, & hunc verũ eſſe Deum à proprio docet, cũ inquit: à quo omnia & nos in ipſo, hoc eſt, qui omnia creauit & conſeruat, & vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia & nos in ipſo. Hic obſerua primum, quod Dei proprium eſt tribui Chriſto: quare natura Deus eſt. Deinde manifeſte hic aſſeritur cum vnitas diuinæ eſſentiæ, tum perſonarum diſtinctio. quod enim ait, vnus eſt Deꝰ, ad eſſentię vnitatem refertur. Cum rurſus patrem ſeorſum à filio nominat, diſtinguit non naturam, ſed perſonas. Præterea cum ait: Per quem omnia, non ſignificat inſtrumentalem cauſſam, ſed efficientem. Nam filius cum patre cauſſa efficiens eſt, tum in creando tum in conſeruando: quod ita accipiendum eſt, vt nec duas cauſſas conſtituamus, cum filius ſit eſſentia vnus cum patre, nec rurſus in perſonarum diſtinctione inæqualitatem, aut ſeparationem imaginemur. Nam æqualis Pater, æqualis Filius, æqualis Spiritus ſanctus. & Pater eſt in Filio & Spiritu ſancto, & Filius eſt in Patre & Spiritu ſancto, & ſpiritus eſt in patre & filio, κατὰ περιχώρησιν, vt loquuntur Theologi.

Sed non in omnibus eſt ſcientia. Nonnulli enim conſcientia idoli vſque ad hoc tempus, vt idolis immolatum edunt, & cõſcientia eorum infirma cum ſit, polluitur.

Oſtendit non omnes adhuc inſtructos fuiſſe de Idolorum vanitate, ſed eſſe quoſdam qui cum ſcientia Idoli Idolothytis veſcerentur, hoc eſt, qui tametſi adhuc tacite apud ſe iudicarunt immunda eſſe, quæ Idolis eſſent oblata, nihilominus tamen aliorũ exemplo de Idolothytis edebant, ac ſi ſuam polluebant conſcientiá. quare intempeſtiue Corinthios vſos fuiſſe ſua libertate in eſu Idolothytorũ ſignificat. Nam illorum exemplo infirmi ad comedendum pertracti ſunt, ac ita, quia hæſitante conſcientia hoc fecerunt, grauiter peccarunt.

Atqui eſca nos non commendat Deo, neq; enim ſi comedamus abundamus, neque ſi non comedamus, deficimus.

Per Mimeſin transfert hypotheſin ad theſin tanquam ad cõſultationem cauſſæ propoſitæ. Controuerſia erat de eſu Idolothytorum, Iam theſin ſeu conſultationem adducunt: vnde conficitur hæc concluſio. Eſca nos non commendat Deo. Idolothytum eſt eſca. Igitur Idolothytum nos non Deo commendat. Maior inde cõfimatur quod neq; comedens abundat, neq; non comedenti aliquid deficit. hoc eſt, nemini ex eo quod vel comedat vel nõ comedat, aliquid iuſticiæ accedit aut diſcedit. Sed intelligendum eſt, ſi id temperanter fiat in timore Dei, alioqui crapula & ebrietas Deo ſupra modum diſplicẽt: vt quæ & prohibita ſunt à Deo & homines à pietatis exercitijs auocent, impediantq; ab officio præſtando. Hinc ergo diſcamus, cultũ Dei in ciborum delectu nequaquam poſitum eſſe. Vnde Apoſtolus ad Rom. 14. Regnum Dei non eſt cibus & potus, ſed iuſticia, pax & gaudium in Spiritu ſancto. Nam qui in his ſeruit Chriſto, acceptus eſt Deo & probatus hominibus. Itaque quæ pacis ſunt ſectemur & quæ mutuæ ædificationis. Eſt autem doctrina dæmoniorum, quæ cultum Dei collocat in delectu ciborum, id quod Antichriſtum facere manifeſtum eſt.

Sed videte ne quo modo poteſtas ve-

Concedit quidem Paulus eſcam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtra offendiculo ſit ijs qui infirmi ſunt.

nos non commendare Deo, atque ideo facultatem nobis eſſe comedendi & non comedēdi, ſed vſum huius facultatis charitatis regulæ vult ſubiectū. Nam catholicum præceptum Dei eſt, vt diligamus proximū; cum qua dilectione pugnat infirmis offendiculo eſſe. quare qui edit aut vlla re media abutitur cum offenſione infirmorū, violat legem charitatis & fit reus iræ Dei. Hæc ergo regula tantum intelligēda eſt de vſu rerū mediarum & de infirmis. Nam in rebus præceptis & in rebus prohibitis præſtanda eſt obœdientia, etiamſi totus mundus offenderetur. Daniel coluit Deum verum cum offenſione totius regni Babylonici. Tres viri ſtatuam noluerunt adorare, non morantes offenſionē tyranni Babylonici & Satraparum eius. Ad eundem quoq; modum miniſtri Dei, exemplo Prophetarum & Apoſtolorum, docebunt veritatem etiamſi offenſione totus collaberetur orbis. Præterea ab vſu rerum mediarum non eſt abſtinendum propter peruicaces hoſtes. Immo hîc confeſsio fidei libertatis neceſſaria eſt, ne impij & pertinaces noſtro exemplo confirmentur in ſuo errore, hoc confirmatur exemplo Chriſti & Pauli.

Etenim ſi quis viderit te qui habes ſcientiam in epulo Idolorum accumbentem, nonne conſcientia eius qui infirmus eſt, ædificabitur ad edendum ea quæ idolis ſunt conſecrata?

Offenſio infirmorum explicatur, quæ eſt exemplo firmorum veſci Idolothytis reluctante vel dubitante conſcientia. Nam cum infirmus videt firmum de Idolothytis veſci, mox ipſe exemplum ſecutus edit, etſi hoc licere nondum intelligit. Quare edendo polluit conſcientiam ſuam. Obſeruandus locus, quod qui facit aliquid per ſe non malum. ſed opinione tantum malum, peccet, quare Pauli præceptum in omnibus actionibus ſequendum eſt, Quilibet in ſuo ſenſu certus ſit.

Et tua ſcientia peribit frater, qui infirmus eſt, propter quem Chriſtus eſt mortuus?

Exaggerat peccatum edentis cum periculo infirmorum per comparationem. Chriſtus mortuus eſt pro fratre tuo, tu autem eum rurſus perdis: quare grauiſsima iniuria afficis, & Chriſtum redemtorem & fratrem qui tua culpa perit. Obſeruandum, quod peccans, alieno exemplo ſeductus, non excuſari poſsit, quin iure fit damnabilis & reus iræ Dei. Adeo graue eſt quicquam tentare repugnante aut hæſitante aut errante conſcientia.

Ita autem peccantes in fratres & percutientes ipſorum conſciētiam infirmam, in Chriſtum peccatis.

Ratio cur adeo graue ſcelus eſſe dixerit offenſionem infirmorum, ſumta ex adiunctis. Qui in Chriſtum peccat, grauiſsimo reatu obſtringitur. Peccantes in fratres infirmam ipſorum conſcientiam vulnerando, in Chriſtum peccant, Quare grauiſsimo reatu obſtringuntur. Nota rurſus quam graue peccatum ſit, cum ſcandalo infirmorum aliquid facere.

Quapropter ſi eſca offendit fratrem meum, nequaquam veſcar carnibus in æternum, ne fratri meo ſim offendiculo.

Suo exemplo præſcribit generalem Regulam ſequēdam in vſu omnium rerum mediarum. Nam quod hic de vna ſpecie dicit, ad vniuerſum genus referendum eſt. Eſt autem ſenſus: vſus rerum mediarum moderandus eſt ad charitatis regulam & ædificationem. Quare ſi eſca offendit fratrem, hoc eſt, ſi præbet ei occaſionem lapſus, vt aliquid faciat contra conſcientiam, omnino ab eſca abſtinendum eſt, ne ſit fratri offenſionis, id eſt, lapſus cauſſa. Idem iudicium eſt de alijs rebus medijs: Obſeruandum quod Apoſtolus hic tantum loquatur de infirmis, qui nondum erant edocti de Chriſtiana libertate, & de rebus medijs. Quare hic locus nequaquam patrocinatur Papiſtis, qui à carnibus volunt nos abſtinere die Veneris, ne offendantur à nobis. Immo cum iam ſuperſtitioſa ſua obſeruatione deflexerunt Papiſtæ à recta via, peccant qui ſuo exemplo eos in errore confirmant, tantum abeſt vt ipſorum gratia hic quicquam de ſua libertate cedant fideles. Nam illa offenſio ſola cauenda eſt, quæ abducit à via recta.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

CAPVT IX.

Summa Capitis Noni.

Suo docet exemplo Apoſtolus omnia ad ædificationem facienda, nihilque agendum vnde offendi poſſunt infirmi.

Ordo & partes Capitis Noni.

Huius capitis œconomia admodum eſt prudenter inſtituta, non enim ſtatim ſuum exemplum tanquam Apoſtolicum vrget, ſed conſiderato iudicio quorundam de ſe, omnium primum anticipat illorum opinionem, qui aſpernabantur ipſum tanquam inferiorem reliquis Apoſtolis, vendicans ſibi plenam Apoſtolatus autoritatem. Deinde infert ex eo idem ſibi ius eſſe in rebus medijs quod & reliquis eſt Apoſtolis, ac ſumit vnam ſpeciem de ſtipendio miniſtrorum Euangelij, quam iuſta colligit confirmatione. Tum addit cauſſam cur ſuo non ſit vſus iure, cui plurimas rationes ſubnectit, cur verbi præcones digni ſint ſuo præmio, verum ne quis auare hoc ab Apoſtolo dici exiſtimaret, rurſus anticipat, & quod ſui officij ratio poſtulat docet, enumeratione exponens, quod omnia in aliorum ædificationem facere conſueuerit. Huc addit exhortationem, exemplo pugilum propoſito, vt quiſque ita ſe gerat ne deſtituatur præmio. Tandem concludens ſe Corinthijs imitandum proponit. Poteſt autem totum caput hoc Enthymemate claudi: Ego Paulus Apoſtolus veſter omnia facio ad ædificationem, & ab vſu meæ libertatis abſtineo, vt plures Chriſto adducam. ergo vos me magiſtrum imitari par eſt, vt nullis rebus in aliorum ruinam abutamini. Locus communis huius capitis eſt, vt miniſtri verbi forma ſint gregis, & doctrinam quam profitentur, vita & moribus exprimant. Nam ea demum optima docendi ratio eſt, cum regulis rerum agendarum illuſtria iunguntur exempla.

EXEGESIS NONI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

AN non ſum Apoſtolus? An non ſum liber?

Anticipatio eſt. propoſiturus enim ſe imitandum, neceſſarium habuit vendicare ſibi Apoſtolatus dignitatem: quam quidam apud Corinthios non parum extenuare conabantur, ac ſi non eſſet æqualis autoritatis cum reliquis Apoſtolis. Locus obſeruandus de cuiuſque officio, quo admoneri debet, vt & agat, quæ ſunt officij ſui, & ſe talem gerat ne ſibi iure obijci poſsit, Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum.

Nonne IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino.

Apparet aduerſarios Pauli, dignitatē Apoſtolicam duabus definiuiſſe rebus: nempe viſione Chriſti ſaluatoris, à quo edocti erant Euangelium Apoſtoli, & docendi munere. Vtrumque ſibi vendicat Paulus, videlicet quod & Chriſtum viderit, & fecerit Apoſtoli officium diligenter docēdo Euangelium. nam in tertium cœlum raptus, & Chriſtum vidit & à Chriſto didicit Euangelium.

Si alijs non ſum Apoſtolus, at certe vobis ſum, nam ſigillum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.

Conceſsio cum correctione. ſit ſane quod non ſim reliquis Apoſtolus, vobis tamē ſum Apoſtolus. nam vos eſtis veluti ſigillum quo meus obſignatus ſit Apoſtolatus, à me enim Chriſtum didiciſtis. Obſerua quod Paulus inde vendicet ſibi Apoſtolatus dignitatem, quod Apoſtoli munere ſit perfunctus. Quod cum Papa fecerit, illum libenter Apoſtolicum & Epiſcopum agnoſcemus. qui tantiſper de vano gloriatur titulo, donec exemplum Petri & Pauli, quorum ſucceſſorem ſe iactat, imitari contemſerit.

Mea defenſio apud eos qui me dijudicant, hæc eſt.

Cur ſuperiora dixerat, exponit. fuerunt enim apud Corinthios, qui dijudicabant Paulum, id eſt, qui Paulo detra-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

lo detrahebant & obloquebantur,quaſi non eſſet cum reliquis conferendus Apoſtolis:quibus oppoſuit Apoſtolatus ſui teſtimonium, nempe fidem Corinthiorum,quos ſua prædicatione ad Chriſtum conuerterat. Propria enim nota Apoſtolica eſt Chriſtum docere ac multos ad fidem conuertere.

An non habemus poteſtatem comedendi & bibendi? An non habemus poteſtatem ſororem vxorem circūducere, quemadmodum & reliqui Apoſtoli & fratres Domini & Cephas? an ſolus ego & Barnabas non habemus poteſtatem non operandi?

Poſtquam aſſeruit Apoſtolatus ſui autoritatem, infert Apoſtolus idem ius ſibi eſſe in vſu rerum mediarum, quod & reliquis Apoſtolis. & generis loco tres ponit ſpecies. Primam quod ſibi non minus liceat veſci quibuslibet & bibere quemuis potum, quam reliquis Apoſtolis. Alteram,quod ſororem,id eſt,Chriſtianam & piā vxorem circumducendi, eamque alendi ſumtibus Eccleſiæ poteſtatem habeat,perinde atque Petrus ac nonnulli alij qui ſuas ſecum circumduxerunt, eaſq; ſumtibus Eccleſiarum aluerunt.Tertiam, quod habeat quoq; ſicuti alij Apoſtoli ius ſumendi ſtipendium pro labore Apoſtolatus, ne cogatur proprijs manibus victum quærere.ab harum rerum vſu abſtinuit Paulus,ne cui eſſet offendiculo, quemadmodum ſequitur paulò poſt.hoc itaque ſuum exemplum,vult Paulus Corinthios imitari in vſu rerum indifferentium.

Quis militat proprijs ſtipendijs vnquā? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Aut quis paſcit gregem,& de lacte gregis non edit?

Poſtremam ſpeciem rerum mediarum ſumit probandam: nimirū quod licuiſſet ſibi, quantum ad ius attinet, ſine manuum labore vixiſſe ſumtibus Eccleſiæ. hoc primum tribus ſimilibus colligit,nempe à iure milirari,à vinitoribus,& à pecuarijs. Vt ergo militi ex ſuo ſtipendio,& vinitori ex ſuis vitibus & pecuarijs ex lacte gregis licet viuere, Ita & Paulo ex Euangelio ſuſtentari & viuere licuiſſet, niſi offenſionis cauendæ gratia à ſuo abſtinuiſſet iure.

Num ſecundum hominem hæc dico? Nonne etiam lex hæc dicit? Nam in Moſis lege ſcriptum eſt, Non obligabis os boui trituranti.

Prolepſis eſt, nā anteuertit illorum obiectionem,qui iſta à rebus mundanis ſumta ſimilia poſſent refellere ex eo, quod longe alia ratio ſit rerum diuinarum quam humanarū. ex capite igitur 25. Deut. aliud ſimile ſumit,quod hoc modo applicabitur:Deus vetuit in ſua lege obligare os boui trituranti,hoc eſt,mandauit vt ſinerent boui trituranti ex ſtraminibus & frumento,quod calcando excuteret pabulū capere:multo magis Deus vult,vt hominum operas iuſta compenſemus mercede. Quare nec Apoſtolis laborantibus in prædicatione, ſuum negandum eſt ſtipendium.

Num boues curæ ſunt Deo?

Vt oſtendat ſe recte ſimilitudinem bouis triturantis accommodaſſe miniſtris Euangelij,hanc quæſtionē ponit.Nam quicquid de bobus præcipitur,id hominum cauſſa ſignificat factum. quia ergo vult Deus,vt boum laborantium curam habeant homines,multo magis hominum laborantium rationē habendam eſſe inſinuat. Nam tametſi boues & minimi etiam paſſerculi ſub prouidentia Dei cadunt,tamē longe alius modus eſt eius prouidentiæ qua homines ad ſuam imaginē conditos complectitur. Cum erga negat boues curæ eſſe Deo non ſimpliciter accipiendum eſt, ſed κατά τι,hoc eſt, ſecundum excellentiorem prouidentiæ modum quo hominum & potiſsimum Eccleſiæ curam habet.

An propter nos omnino dicit? propter nos enim ſcriptum eſt, Nam ſub ſpe debet is qui arat, arare, & qui triturat ſub ſpe, ſpei ſuæ particeps eſſe.

Senſus eſt:Deus hoc præceptum de bobus triturantibus edixit, vt inde quantam hominum curam laborantium præſertim, nos oporteat habere intelligatur. Huc arrepta occaſione à Moſis dicto attexit aliam ſimilitudinem ab agricultura ſumtam. Qui triturat & arat,hoc facit percipiendi fructus gratia, multo magis qui in agro Euangelij laborant, & præmio ſunt digni & longe meliorem fructum expectant.

Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos veſtra carnalia meſſuerimus.

Anticipât rurſus cauillationem eorũ, qui obijcere poſſent, aliam rationem fructus Euangelij eſſe, aliam agriculturæ. illic fructum eſſe ſpiritualem, hic carnalem. non igitur valere hanc ſimilitudinem, Sed Paulus collationẽ maioris & minoris inſtituens, ſignificat, quo nobilior & precioſior ſit fructus Euágelij, quam orationis & triturationis: eo etiam digniores eſſe, qui in Euangelio laborant, laboris ſui compenſatione. Porrò, vt carnalia hic vocat, quæ ad corpus & externum hominem pertinent, Ita ſpiritualia appellat, quæ ad ſpiritum & animam pertinẽt. Vt ergo anima corpori multis modis eſt præferenda, ita labor qui conſeruandæ animæ deſtinatur, multo præſtantior habendus eſt eo, qui tantum carnem ſpectat. Obſeruandus locus de dignitate miniſterij verbi, qua anteferendum eſt omnibus huius vitæ officijs & muneribus.

Si alij apud vos ſui iuris participes ſunt, cur non potius nos?

Concludit à minori ad maius, licuiſſe ſibi à Corinthijs ſui laboris mercedem ſumſiſſe. Nam alij qui minus laborarunt, & qui pædagogorum vice ſunt functi, acceperũt ſtipendia à Corinthijs, Multo magis hoc Paulo licuit, qui eos primum in Chriſto genuit & ab impietate Ethnica ad fidem Chriſti conuertit.

Atqui non vſi fuimus iure iſto, ſed omnia ſuſtinemus, vt ne quam offenſionem demus Euangelio Chriſti.

Cur ſuo non ſit vſus iure exponit, videlicet ne curſus Euangelij iſto pacto impediretur. Cum vel infirmi vel maligni inde ſumerent occaſionem offenſionis. ac ſi Paulus lucri gratia Euangelium doceret. Hoc ſuum exemplum ideo proponit Apoſtolus, vt Corinthij illud in conſpectu habeant, ac factum magiſtri ſui ſequanrur, ne quid tentent vnde curſus Euangelij impediri poſsit, & fratres infirmi offendi. atq; ad hoc probandum totum hoc caput, vt ſupra monui, referendum eſt.

Neſcitis, quod qui ſacra operantur ex ſacro edunt, & qui altari aſtant, altaris ſunt participes? Sic & Dominus ordinauit, vt qui Euangelium annunciant, viuant ex Euangelio, ego autem nullo horum vſus ſum.

Ad idem probandum aliud ſimile adducit ex lege Moſis. Deus in veteri teſtamento Leuitis ordinauit ſuum victum. Ergo æquum eſt, vt miniſtris Euangelij etiam ſuus decernatur victus. Papiſtæ qui hoc Pauli dictum ad ſacrificulos cœnam Domini prophanantes referunt, verbum Dei pro ludibrio habent.

Neq; vero hæc ſcripſi, vt ita fiat in me. Nam bonũ eſt mihi potius mori, quam vt gloriationem meã aliquis inanem reddat.

Ne quis ea quæ hactenus agitata ſunt de ſtipendijs miniſtrorũ, à Paulo dicta eſſe putet, vt Corinthios ex obliquo admoneat, vt deinceps in ſe ſint liberaliores, ac ſibi laboris ſtipendiũ perſoluant: anteuertit, & negat ſe ea ſcripſiſſe in iſtum finem, aſſerens quod potius mori ſit paratus, quam vt velit ſuam gloriationem (nempe quod gratis prędicauerit Corinthijs Euangelium) inanem reddi. Nam ſi accepiſſet ſtipendium Apoſtolus, præbuiſſet Pſeudoapoſtolis anſam calumniæ, ac ita autoritas prædicationis Pauli fuiſſet diminuta, & aperta ianua Pſeudoapoſtolorum corruptelis. Hinc diſcant pij miniſtri Euangelij, curſum Euangelij propriæ vitæ præferre.

Etenim ſi euangelizem non eſt mihi gloriatio, neceſsitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi niſi euangelizem.

Anticipatio eſt. Nam obiectioni eorum reſpondet, qui poſſent dicere ſatis gloriationis Paulo eſſe ex prædicationis officio, etiamſi cum alijs accipiat ſtipendiũ, ſed reſpondet neminem recte gloriari, ſi id fecerit quod ex officio debet: quod ſi non faceret, maledictioni & irę Dei ſubijceretur. Obſeruent hic miniſtri Euangelij duo, Primum, quod poſtquã legitime vocati ſunt ad miniſteriũ, nõ poſsint ſine ſcelere pedẽ reuocare. Nam arctius eſt vocationis vinculũ quã vt ipſum rũpere liceat. Deinde, quod vocati iam ad miniſteriũ maledictioni & iræ Dei obnoxij ſint, niſi ſtrenue officiũ fecerint.

Nam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Nam ſi volens hoc faciam mercedem habeo: ſin inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt.

Suo exemplo propoſito diſcernit inter eum, qui ſponte & eum qui inuite ſeu coacte facit officiũ. qui enim ſponte hoc facit, habet mercedem. Nam eius induſtria Deo probatur. qui autem inuitus & quaſi cogitur ad præſtandum officium, is neceſsitate diſpenſationis, id eſt, commiſsi muneris compellitur. atque ideo eius opera minime Deo probatur. Præterea etiam mercede priuatur. Locus obſeruetur, Quod is demum officio ſuo rite perfungi dicendus eſt, qui hilari promtitudine & alacri animo in commiſſo munere verſatur.

Quæ igitur mihi eſt merces, Vt cum Euangelizem gratuitum conſtituam Euangelium Chriſti in hoc, ne abutar poteſtate mea in Euangelio.

Dixit ſe potius paratum eſſe mori, quam vt gloriatio ſua inanis redderetur, Nunc autem quænam ſit illa gloriatio exponit. Si prædicat Euangelium, neceſsitate officij cogitur id facere: at ſi non prædicat, iræ diuinæ ſubiacet. nunc autem non ſolum prædicat idq; libens, Verumetiam gratuitum facit Euangelium, hoc eſt, ſine ſumtu eorũ, quibus illud annunciat: idq; ideo ne ſua poteſtate abuti videatur. Abutitur autem is ſua poteſtate, qui id quod licet ſimpliciter & per ſe, intempeſtiue agit cum offenſione aliorum contra regulã Apoſtolicam: ne cui cauſſam offendiculi demus. Ex hoc loco Papiſtæ commentum operum ſupererogationis fabricarunt hoc modo: Paulus aliquid facit propter mercedem, vltra debitum officium. Ergo eſt aliquod ſupererogationis opus. Reſpondeo, Quilibet debet cauere offenſionem in ſuo officio, ne quid tentet quod infirmis in ruinam cedat. hoc cum Paulus ſe feciſſe teſtatur, quid fecit quæſo quod non debuit? ſi debuit, profecto non eſt dicendus aliquid ſupererogaſſe, hoc eſt, aliquid feciſſe vltra id quod non debuit ex officij neceſsitate.

Nam liber cum ſim ab omnibus, omnibus meipſum ſeruum feci, vt plures lucrifaciam.

Transfert hypotheſin ad theſin. vt enim ſupra in certo caſu ſe infirmis accommodaſſe dixerat, Ita hic perpetuum ſuum ſtudium in vniuerſo genere rerum mediarum indicat: nimirum, quod tametſi multarum rerum libertatẽ habuerit, ſeruierit tamen infirmitati aliorũ, caueritq; ne quem intempeſtiuo libertatis vſu offenderet: idq; eo conſilio quo plures Chriſto adduceret. hinc & nos generalem ſumamus regulam de vſu rerum mediarum, nimirum, vt eas ad ædificationem aliorum referamus.

Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifaciam: ijs qui ſub lege ſunt, tanquam ſub lege, vt eos, qui ſub lege ſunt lucrifaciam: ijs qui ſunt ſine lege, vt ſine lege (cum non ſim ſine lege Deo, ſed in lege Chriſto) vt lucrifaciam eos, qui ſine lege ſunt. factus ſum infirmis vt infirmus, vt infirmos lucrifaciam: omnibus factus ſum omnia, vt omnino aliquos ſeruem.

Generi ſubijcit diſtributionem ſpecierum: qua quidem diſtributione, nihil vult aliud quam quod modo dictum eſt, & quod ſingulis ſpeciebus ſubijcit, quodq; poſtea in genere repetit, nempe vt lucrifaciat quã plurimos Chriſto, cum non abſterreantur intempeſtiuo rerum mediarum eſu. parentheſis tantum mollitionem durioris verbi habet, Nam cum dixerat ſe ἄνομον eſſe, hoc eſt, ſine lege, poſſent id calumniatores torquere ad effrenem peccandi licentiam, Quare eam calumniam hac correctione tollit Apoſtolus.

Hoc autem facio propter Euangelium, vt particeps eius fiam.

Quare Paulus ſe accommodauit omnibus in rebus medijs indicat, primum vt hoc pacto latius ſpargeretur Euangelij doctrina, vt nullo obſtaculo eius curſus impediretur. Deinde, vt ipſe quoq; eius fieret particeps, hoc eſt, vt fructum prędicati Euangelij conſequeretur. Vt ergo hoc dicto teſtatur Apoſtus multa ſe feciſſe & à multis abſtinuiſſe quæ officij neceſsitas poſtulabat, Ita ſignificat eos cõmunione Euangelij indignos, qui ſuo exemplo non cauent impedimẽta quibus Euangelij curſus præcludi poſsit.

An ne-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

An neſcitis quod qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit præmium: ſic currite vt comprehendatis.

Hactenus docuit, nunc ſuo more doctrinæ exhortationẽ ſubijcit, quo magis doctrinam infigat auditorum animis. præponit autem exhortationi aptiſsimam ſimilitudinem, in qua ſpectanda ſunt, Stadium, cui vita noſtra confertur: Curſus, cui viuendi ratio reſpondet: Curſores, quibus homines amplexi Euangeliũ comparantur: Meta, cui oponitur finis vitæ noſtræ: Corona victoris, cui comparantur bona pijs in cœlo repoſita: Agonothetæ homini, Deus obœdientiæ remunerator comparatur. Quemadmodum igitur curſores qui in medio curſu deficiunt, antequam ad metã peruenerint fruſtrantur præmio: ita Chriſtiani, qui bene quidem incœperunt & non vſq; ad finem perſeuerant, præmijs deſtituentur & nihil præter ignominiam reportabunt. Nam & Paulus alibi inquit:Non coronabitur quis, niſi qui legitime certauerit, Deinde, vt curſores qui ad metam vſque currendo perſeuerant, accipiunt propoſitam coronam, Ita Chriſtiani qui in pietatis curſu perſiſtunt vſque ad vitæ huius finem promiſſa bona percipiẽt. Verum hoc eſt inter curſores & Chriſtianos diſcrimen. ex illis vnus tantum, vt qui primus metam attingit, præmium capit, Chriſtiani vero omnes, quotquot currunt vſque ad metam, hoc eſt qui in vita Chriſtiana vſq; ad vitæ finem perſeuerant, præmium accipient iuxta Chriſti dictum: qui perſeuerauerit vſque ad finem ſaluus erit. Hæc ergo exhortatio acres ſtimulos nobis addere debet, vt in cœpto Euangelij curſu non deficiamus.

Porrò quiſquis certat, in omnibus eſt continens, Illi quidem igitur, vt perituram coronam accipiant, Nos vero incorruptibilem.

Vt ſimilitudine Corinthios ad perſeuerantiam exhortatus eſt, ita eadẽ ſimilitudine exhortationem pręſenti cauſſæ, hoc eſt, hypotheſi, de qua ſuperius diſputauit, accommodat. Nã agebatur de non offendendis fratribus per intempeſtiuum vſum libertatis noſtræ in cibis, nempe vt potius abſtinerent Corinthij non ſolum ab idolothytis, Verumetiam ab omni carne priuſquam infirmis fratribus offendiculo eſſent: id nunc à minori ad maius confirmat. Curſores, quibus marceſsibilis corona eſt propoſita, continentes ſunt & abſtinent à cibis, quibus corpus grauari putant: multo magis decet, vt Chriſtiani ſibi non indulgeant nec ſectentur voluptates, quibus incorruptibilis corona eſt propoſita.

Ego ita igitur curro, vt non in incertũ: ſic pugilem ago, non vt aërem verberans.

Vt doctrinæ exemplum ſe ſtatuit, ita & exhortationis. fruſtra enim hortaris ad ſobrietatem, cum ipſe perpetua ebrietate mades. & ſic de alijs. in incertum currere dicitur qui vagus eſt, & erroneus, vt qui & currendi rationem non teneat, & metam ignoret. aërem verberat, qui fruſtratur ictu, ac ideo vanum ſumit laborem. Hæc excitare pios debent ad acre pietatis ſtudium, iuxta regulam verbi Dei.

Verum ſubigo corpus meum & in ſeruitutem redigo: ne quo modo fiat, vt cum alijs prædicauerim ipſe reprobus fiam.

Ne carnis laſciuijs abripiamur ab incœpto curſu, proponit ſuum exemplum de ſubigendo corpore & in ſeruitutem redigendo, ne ferociat aduerſus ſpiritus imperium: ſed vt potius aſſuefiat ad obœdientiam ſpiritus. Cum igitur affectus praui reprimi non poſsint, niſi corpus prius dometur, vult Paulus vt ſuo exemplo corporis ferociam prudenter coherceamus abſtinentia, laboribus, & alijs non ſuperſtitioſis exercitijs. Neque hæc eo pertinent, vt in corporalibus exercitationibus, quas Paulus alibi modice vtiles eſſe teſtatur, inhæreamus, ac ſi Deo placerent per ſe, & cultus eſſent Deo gratus: ſed vt eo vſque ſeruitute premamus corpus noſtrum, ne laſciuiẽdo à curſu pietatis nos impediat, in noſtrum exitium & aliorum offenſionem.

CAPVT X.

Summa Capitis Decimi.

Quemadmodum monet, ne ſuis cupiditatibus indulgeant Corinthij ad peccandum: ita dehortatur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tatur eos, qui menſam Dominicam participant: ne dæmoniorum menſæ communicent: & vt caueant ne cuiquam vlla in re ſint offendiculo.

Ordo & partes Capitis Decimi.

Duæ ſunt principales huius capitis partes. Prior diſſuaſoria eſt generalis, ne cui ad peccandum cupiditati indulgeant Corinthij. Poſterior diſſuaſoria eſt ſpecialis. nam quod octauo propoſuit abſtinendum eſſe ab idolothytis, hic latius proſequitur pluribus argumentis. Prioris partis hæc eſt œconomia, Primum quia Corinthij non parũ gloriabãtur de donis Dei, ac ideo ſe impune infirmos offendere poſſe arbitrati ſunt, confert eos cum veteri populo Dei, qui non minus quam ipſi plurimis donis claruerunt. Deinde exempla pœnarum in iſto populo proponit, admonens fore, vt ſi ſimilia deliquerint, ſimiliter quoque puniantur. Tum concludit cauendum eſſe ne ſecuritate torpeant. verum ne propoſitis horrendis iræ Dei exemplis deficiant Corinthij, conſolatione hanc partem mitigat. Poſterioris partis hic eſt ordo. Propoſitio infertur ex prima parte veluti hypotheſis ex ſua theſi. videlicet vt caueant ab Idolothytis. Huc addit confirmationem ab abſurdo, nimirum quod minime deceat, vt qui participant menſam Dominicam, Idolorum menſæ communicent: admonens quam periculoſum ſit Deum prouocare. ne autem rurſus ius libertatis abijciant, eam obiectionem breuiter refellit. Et quia interrogare poterant, quid facerent ſi quando ab infidelibus inuitentur, ſuum ipſis in eo caſu impertit conſilium. Tandem concludens, quæ in tribus capitibus proximis diſſeruit, hortatur vt in omni re ſtudeant gloriæ Dei, neminiq; ſint offendiculo, ſuo exemplo iterum in medium adducto.

EXEGESIS DECIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

NOLO autem vos ignorare fratres, quod patres noſtri omnes ſub nube fuerũt, & omnes per mare trãſierunt.

Quia Corinthij tumuerunt varijs donis Dei, ac ſe ideo impune peccare poſſe falſo putarunt, confert eos cum veteri populo, qui non minus de beneficijs Dei erga ſe gloriari potuerũt, quam Corinthij: quibus tamen peccantibus, Deus nequaquam pepercit. Hiſtoria cuius hic meminit Apoſtolus habetur Exod. 13. & 14. & Numerorum 9.

Et omnes in Moſen baptizati ſunt in nube & in mari.

Aliud indicium fauoris Dei erga veterem populum, quo ipſum Corinthijs confert, ne Corinthij prærogatiua baptiſmi ſe veteribus præferant. dicit ergo eos non minus baptizatos fuiſſe olim, quam nunc ipſi Corinthij baptizati ſunt. Sed quomodo baptizati ſunt illi? in Moſen, hoc eſt, Moſis ductu & miniſterio, ſiue vt Auguſtinus interpretatur, in Moſe, hoc eſt, per Moſen. Nam cum Moſes populum educeret, eum per mare rubrum, ſtante vtrinq; aqua & ſuperne incubante nube, traduxit. Nubes ergo & mare externe fuere iſtius baptiſmi ſigna, & tranſitus per medium maris ipſum baptiſmũ referebat. miraculoſa exiccatio maris teſtimonium fauoris Dei fuit. Nubes incubans præſentiam Chriſti notauit. Quid ergo hic requiritur ad rationem ſacramenti? nihil plane, modo Paulo credimus, qui definit ſacramentum eſſe obſignationem diuinarum promiſſionũ. Deus promiſit ſuo populo liberationẽ à ſeruitute Ægyptiaca: in qua liberatione continetur ſynecdochicôs promiſſio condonationis peccatorum, quam promiſſionem, quia hoc mirando ſigno cõfirmat, ſimul requirit populi fidem in hanc promiſſionem. Nihil ne igitur noſter baptiſmus illi veteri eſt præferendus? Si rem reſpicis nihil plane: Si tempus, ille temporarius fuit, noſter eſt perpetuus Eccleſiæ: Si modum, ille miraculoſus, noſter ordinarius: Si lucem ſeu claritatem, ille obſcurius figurabat, quod noſter clarius veluti expreſſa imagine ponit ob oculos. Deinde vt ille viſibili miraculo peragebatur virtute Domini: ita noſter inuiſibili gratia eiuſdẽ ablutionẽ peccati confert obſignat. Vterque eſt σφραγὶς iuſticiæ fidei, hoc eſt, ſigillum condonationis peccatorum: in qua iuſticia Chriſtiana ſita eſt fide apprehendenda. Huc facit dictum Auguſtini contra Fauſtũ lib. 6. cap. 29. vbi ait, mare & nubem fuiſſe baptiſmum conſecratum ſanguine Chriſti, & per ea Iudæorum remiſſa fuiſſe peccata. Quod ſane de ijs tantũ Iudæis eſt intelligendum, qui illum baptiſmũ fide receperunt. Nam vt verba ſcripturæ ſonantia in auribus foris nihil

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

..is nihil proſunt, niſi illis fides ab auditoribus adhibeatur: ita niſi eadem aſsit nihil proſunt Sacramenta. Nam iuxta Auguſtinũ ſacramenta ſunt verba viſibilia. Quare hæc nõ minus quam illa fidem requirunt. recte igitur TERTVLLIANVS definit baptiſma eſſe fidei obſignationem. ex dictis de definitione baptiſmi, oritur quæſtio de baptiſmo infantũ. Nam cum dictum ſit, ſacramentum atq; adeò baptiſmũ ipſum eſſe obſignationem iuſticiæ fidei, queri poteſt, quomodo obſignetur quod non videntur habere infantes. Nã ſi infantes naſcuntur filij iræ, hoc eſt, iniuſti & rei mortis æternæ, nullam profecto iuſticiã habere videntur baptiſmi ſigillo obſignandam. Reſpondeo, infantes Iudæorum ſicuti & Chriſtianorum conſiderandos eſſe dupliciter, in ſe, hoc eſt, ex naturæ ſuæ deprauatione, & ex gratia ſeu ex promiſsione fœderis. Si eos conſideres ex ſe & naturæ deprauatione, ſunt rei mortis æternæ, ſicuti & omnes adulti ſunt: Nam omnes meritum mortis ex deprauatione naturæ circumferimus: Verũ ſi eos conſideras ex promiſsione fœderis, quæ extat Gen. 17. & Chriſtianis applicatur ad Gal. 3. vbi ita ait Apoſtolus: Scitote igitur quod credentes ſunt filij Abrahæ, Nunc autem promiſsionis verbum eſt, Ecce pactum meum tecum, eriſq; pater multarum gentium. Et paulò poſt, Et ſtatuam pactum meũ inter me & te, interq; ſemen tuum in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, vt ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te. Huc Paulus reſpexit 1. Corinth. 7. Vbi pronunciat fidelium liberos ſanctos, non quidẽ natura, ſed gratia promiſsionis. nimirum, quod Deus velit illorum Deus eſſe, condonatis peccatis: quæ condonatio peccatorum eſt iuſticia Abrahæ. σφραγὶς & obſignatio eſt baptiſmus, cum infantibus Chriſtianorum confertur. hanc condonationem peccatorũ, hoc eſt, iuſticiam apprehendunt Chriſtianorũ infantes fide, quæ eſt motus ſpiritus in infantibus ſoli Deo cognitus. verum ſi Turcorũ pueri ab Eccleſia baptiſmatis lauacro abluerentur, applicaretur illis haud dubie, & conferretur per baptiſma ꝓmiſsio, ac ſimul donarentur iuſticia, quæ eſt cõdonatio peccatorum, quam iuſticiam teſtaretur etiam & obſignaret baptiſmus. atq; ita ipſis quoq; baptiſmus fieret obſignatio iuſticiæ fidei. Sed quid ſi puer negligentia parẽtum moriatur, antequam abluatur ſacro baptiſmate? num hic puer peribit, qui cum ederetur in lucem, immo in vtero matris particeps fuit fœderis? num contra Prophetæ dictũ filius portabit iniquitatem patris? illud ſane grauitæ bonitati Dei, hoc vero iuſticiæ diuinæ non parum aduerſari videtur. Quid ero dicendum? Nonne textus clarus eſt de circumciſione, cui noſter ſucceſsit baptiſmus? Maſculus cui præputij caro non fuerit circũciſa, delebitur anima eius de populo meo: quia pactum meum irritũ fecit. Hæc Dei ſententia abſq; omni dubio iuſtiſsima eſt. Sed ſciendum eſt eſſe duplicem deletionem ſeu exterminationẽ de populo Dei. externam vnam, internam alteram. externa deletione infantes non circũciſi puniuntur. parentes qui pactum Dei violarunt, non circumcidendo maſculũ ſuum infantẽ iuxta legem, digni ſunt ſane qui eius infantis conſpectu priuentur, quẽ Deo per ordinarium ſacramentum offerre neglexerunt. neq; enim ad æternam cõdemnationem putandus eſt deleri talis infans, cũ particeps ſit promiſsionis, ſed potius in ſalutem. ne malicia mutaret cor eius, vtq; morte ſua parentibus teſtaretur, quam illi grauiter peccarint, pactum Domini violando. non igitur infans interna deletione exterminari de populo Dei putandus eſt parentum culpa. An non cõminatio in Geneſi expreſſa pertinet etiã ad infantem? Immo etiam ad infantẽ, ſi cum adoleuerit parentum negligentiam approbarit, & circũciſionem ad quam lege obſtringebatur nõ admiſerit. Hæc ſolutio petita eſt ex fœdere promiſsionis, ex comminatione diuina, & ex collatione eiuſdem cum dicto Domini apud Prophetã: Filius non portabit iniquitatem patris. Nec diſsimilis ratio eſt noſtri baptiſmi, cum ad nos quoq; fœdus cum Abrahamo initum pertineat. de loco qui eſt Iohan 3. legite Enchiridion, Ab alijs curioſis quæſtionibus conſulto abſtineo, quæ plus faciunt ad certamina facienda, quam ad pietatem promouendam.

Et omnes eandem eſcam ſpiritualem ederunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, Biberunt enim ex ſpirituali ſequente petra, petra vero erat Chriſtus.

Aliud indicium fauoris Dei erga veterem populum: videlicet, quod illis miraculoſe in deſerto manna dederit comedendum, & aquam de duriſsima petra manantẽ ad bibendum. Exod. 17. Hic magna certamina ex duarum vocum ambiguitate oriuntur. Nam cum Paulus eandem eſcam ſpiritualem, & eundem potum ſpiritualem dicat, Alij relatiuum Idem ſimpliciter referunt ad ſubiectũ, nimirũ quod patres noſtri omnes eandem eſcam comederunt, & eundem potũ biberunt, quotquot vna in deſerto fuerũt 40. annis poſt exitũ ab Ægypto. Alij comparatiue hoc exponunt reſpectu noſtri & veterum. ac ſi ſenſus eſſet: Veteres eandem eſcam ſpiritualem ediſſe quam nos, & eundẽ ſpiritualem potum bibiſſe quẽ nos neutra

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

neutra opinio eſt repudianda ſi dextre intelligatur, immo vtramq; neceſſe eſt ſimul ſtare. Verum priuſquam hanc quæſtionem concludam, de Epitheto Spiritualis dicã. Nam hinc quæſtionis ſolutio dependet. De hoc Epitheto variant etiam plurimum autores. Alij hoc referunt ad efficientem cauſſam tantũ: Alij ad rem ſignatam tantum. Alij ad rem ſignatam & præſentem, ſed diuerſam à ſubſtantia noſtræ cœnæ: Alij ad rem præſentem & ſignatam, ſed eandem quæ in Dominica quoq; cœna eſt. Ambroſius ad cauſſam efficientẽ pertinere Epitheton ſpiritualis putat. Ita enim in hunc locũ ſcribit: Manna & aqua quæ fluxit de petra, hæc dicit ſpiritualia, quæ nõ mundi lege parata ſunt, ſed Dei virtute ſine Elementorũ commixtione ad tempus creata. Ad rem ſignatam tantũ referunt hoc Epitheton Anabaptiſtæ & Sacramẽtarij, qui in ſacramentis nuda tantũ ſigna agnoſcunt, & ſignificationem non præſentis, ſed abſentis rei ſpiritualis: quorũ ſententia iure exploſa & damnata eſt. Qui referunt hoc Epitheton ad rem ſignatam & præſentẽ ſimul, pie ſentiunt. Nam illorum ſententia ex verbis Pauli cõcluditur. Cum ipſum cibũ ſpiritualem & potũ ſpiritualem definit Chriſtum eſſe: cuius carnem qui non ederit & ſanguinem non biberit, vitã in ſe non habet, ſed adhuc in peccatis ſuis eſt, & in dãnatione. Nec cum his pugnant verba Chriſti apud Iohannem, Amen amen dico vobis, Moſes non dedit vobis illum panem cœleſtem, ſed Pater meus dat vobis panem illum vere cœleſtem. Item, patres veſtri comederunt manna in deſerto & mortui ſunt, at ſi quis ederit ex hoc pane, viuet in ęternum. Prius enim dictum diſcernit inter id quod miniſter, & illud quod Deus per miniſtrum offert. Poſterius loquitur de incredulis, qui manna carnaliter tantum manducarunt, & mortui ſunt propter ſuã incredulitatem. vnde Auguſtinus, quod illi non mortui ſunt, ita vult intelligi, vt non viuant in æternum. nam temporaliter & hi profecto moriuntur, qui Chriſtum manducant, ſed viuunt in æternum, quia Chriſtus eſt vita æterna. Ac de fidelibus idẽ ait Auguſtinus in hunc modũ: manducauit manna & Moſes & Aaron & Phinees, manducauerunt quoq; ibi multi, qui Domino placuerunt & mortui non ſunt. Quare quia viſibilẽ cibum ſpiritualiter intellexerunt, ſpiritualiter eſurierunt, ſpiritualiter guſtauerũt, vt ſpiritualiter ſatiarentur. De hoc eſu carnis Chriſti & hoc potu ſanguinis Chriſti, copioſe diſputat ipſe Dominus Iohan. 6. Quid inquies eſt edere carnem Domini, & bibere eius ſanguinem? Eſt in Chriſtum firma fiducia recumbere, ipſius gratia, ſpiritu & præſentia ali & foueri & ſuſtentari ad vitã æternam, ſeu vt ipſe Dominus ſe interpretatur, Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo. hoc eſt ergo illam manducare eſcam & illum bibere potum, in Chriſto manere & illum manentẽ in ſe habere. At per hoc, vt ait Auguſtinus, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritualiter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducat & bibit. Sed inquies, Nonne manna & aqua de petra manans ceſſarunt, cum iam Ioſua tranſijſſet Iordanem occupaturus terram promiſſam? quomodo ergo idem cibus ſpiritualis eſſe poteſt cum noſtro qui hodie in Chriſtũ credimus? Ad hanc obiectionem Auguſtinus hiſce verbis reſpondet, Si ſpeciem viſibilẽ intendas, aliud eſt, Si intelligibilem ſignificationem, eundem potum ſpiritualẽ biberunt. Si ſpiritualem, eundẽ. Nam corporalẽ non eundẽ. & idem, Quanto errore delirant, qui putant ſignis, ſacramẽtiſq; mutatis etiam res ipſas eſſe diuerſas. Huc addã Bertramij ſententiã: quæ res (ait) fortaſſe quam eandem? nimirũ ipſam quam hodie populus credentiũ in Eccleſia manducat & bibit. non enim licet diuerſa intelligi, quoniã vnus idẽq; Chriſtus eſt, qui & populũ in deſerto in nube & mari baptizatũ, ſua carne pauit, ſuo ſanguine tunc potauit, & in Eccleſia nunc credẽtium populũ ſui corporis pane, ſui ſanguinis vnda paſcit & potat. Sed quomodo cibus iſte & potus ſpiritualis eſſe potuit indignis & incredulis, cum illi tantũ ſaginarint ventrẽ nihil de ſpiritu ſoliciti? Ad hanc quæſtionẽ Auguſtinus vere reſpondit hiſce verbis, Non propterea (loquitur de eo qui carnaliter ſacramentũ vſurpat) deſinit eſſe ſpirituale, ſed tibi nõ eſt ſpirituale. Manna etenim & aqua de petra manans ſacramẽtum fuit, Atq; ideo ſpirituale, ſi ordinationẽ Dei ſpectes, quã non poteſt mutare puluis & cinis. Porrò, etſi ſatis oſtenſum eſt, eundẽ Chriſtum datũ olim fuiſſe ſub veteribus ſacramẽtis, qui hodie ſub noſtris datur: tamen quæri poteſt, an nõ aliud præterea in noſtris ſacramentis cõfertur, quam tũ conferebatur? Sane cum idẽ ſit Chriſtus, qui & illis & nobis donatus eſt, ꝓfecto qui aliud nobis in noſtris ſacramentis dari cõtendunt, lacerant Chriſtũ & ſpoliant eum diuina ſua potentia. Quare ſicut pie dicitur, occiſus eſt ab initio mundi, ita etiã ab initio mũdi caro eius fuit cibus, & ſanguis eius potus electorũ, Tametſi modus edendi nõ omnino ſimilis eſt. in noſtro enim ſacramẽto præbetur Chriſtus edendus & potandus, qui iam exhibitus eſt in carne, & λύτρον perſoluit pro peccatis noſtris: illic edebatur promiſſus ſuo tẽpore offerendus, aſſum-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ta carne à caſtiſsima virgine. & quia ſacramentum cœnæ inſtitutũ eſt, poſtquam Chriſtus carnem aſſumſit, ſunt qui vt veterem edendi modũ ſacramẽtalem & ſpiritualẽ tantum: Ita hunc noſtrum, præterea etiam ſubſtantialem dicant. Etſi vtrobiq; idem eſt Chriſtus: quorum ſententiam & ipſe cum noſtris Eccleſijs probo, modo non carnalem fingant, & localem incluſionẽ corporis in pane, & ſanguinis in vino, ita vt locus & corpus ſe mutuo contingant, locuſq; cedat corpori. nec ad hanc veram realem & ſubſtantialem præſentiam requiro, vt humanitas Chriſti ſit vbiq;. Verum vt in cœna ſedit circumſcripto corpore & nihilominus exhibuit ſuum verum corpus ad edendum & verum ſanguinem ad bibendũ iuxta verba cœnæ: ita in cœlo ſedens, porrigit communicantibus miniſtri manu (ea enim eſt eius diuina potentia) ſuum corpus & ſuum ſanguinem, vnde Latina Eccleſia ante communionem precari ſolebat: Surſum corda habemus ad Dominum, nõ ſecus atq; in prima cœnę inſtitutione in Chriſtum ſedentẽ cum diſcipulis ad menſam, oculos intentos habuerunt diſcipuli. Sed de hac re plura in ſequenti capite, nunc doctrinas quaſdam ex verbis Pauli colligam, quarum ſit prima: Teſtimonium de diuinitate Chriſti, nempe quod fuerit antequã aſſumſit carnem de beata virgine, ſicuti & ipſe de Abrahamo dixit: vidit diem meum & gauiſus eſt. Secunda, quod ſit vnica Chriſti Eccleſia omnium credentium, tũ eorum qui fuerunt ante Chriſtum exhibitum, tum eorum qui poſt Chriſtum exhibitũ nati ſunt. Nam vt idem eſt Chriſtus, Ita eadem Eccleſia. Tertia, quod eodem modo ſaluati ſunt patres, quo nos hodie ſaluamur. Quarta, obſeruandum eſt diſcrimen inter mere typicam locutionem, & ſacramentalem: Etſi autem vtrobique, hoc eſt, in typica locutione & in ſacramentali, cum in ſubiecto tum in prædicato naturę veritas intelligitur, vt enim in hac locutione, Petra erat Chriſtus, vere ſubſtantia Petræ & Chriſti exiſtentia ſignificatur: ita in his verbis, Panis eſt corpus, ſubiectum & prędicatum proprie accipiuntur: Tamẽ in hoc differunt, quod in mere typica locutione res futuræ vel præteritæ adumbrantur, Sed in ſacramentali præſentes res offeruntur & accipiuntur. ſignum quidẽ externum panis & vinum, Res conſignata vereq; præſens verum corpus & verus ſanguis IESV CHRISTI, ea nimirum coniunctione iuncta ſunt, qua vt panis & vinum corpora ipſa reficiunt, alunt atque conſeruant: ita ipſum corpus & ſanguis Chriſti reficiunt, alunt & conſeruant animam noſtram ad vitam æternam. Sententiam igitur illorũ, qui EST per ſignificat in typicis locutionibus interpretantur, ferri poteſt, modo eam interpretationẽ ad ſacramentalem locutionem non transferant. proprie enim hic verbum Eſt accipitur, & eſt verbũ veritatis exiſtentiæ, vt cum dicitur, Hoc eſt corpus meum &c. atq; ita, etſi in verbis ſingulis nullus eſt Tropus, in ſenſu tamen eſt ſynecdoche ſeu intellectio. Nam cum ſenſus externa percipit, fides ſimul intelligit præſentia, quæ ordinatio Dei illic adeſſe voluit.

Sed pleroſq; illorum non approbauit, proſtrati enim ſunt in deſerto.

Hoc eſt patribus noſtris, quibus tanta erant concredita myſteria, & tanta beneficia miraculoſe exhibita, non pepercit Deus peccantibus, ſed eos in deſerto proſtrauit. ergo nec vobis Corinthijs qui eorum veſtigijs inſiſtitis varijs modis Deum offendendo. & hæc eſt ſumma præſentis diſputationis, quam nunc accommodat & amplificat.

Hæc enim typi noſtri fuerunt.

Accommodat veterem hiſtoriam Corinthijs, & omnibus Chriſtianis. Hęc fuerunt typi, hoc eſt, exemplaria, in quibus tãquam in tabellis Deus nobis delineauit, quid fugere, quidq; ſequi debeamus, quomodoq; erga cõtumaces ſit affectus. Obſeruetur vtilis regula de vſu hiſtoriarum ſacrarũ, quæ ſunt nobis veluti imagines, in quibus pictum eſt, quid fugere & quid expetere oporteat, ꝓpoſitis pœnis & præmijs in illuſtribus exẽplis.

Vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicuti illi concupiuerunt.

Alludit ad hiſtoriam quæ eſt Numerorum vndecimo, vbi narratur, quod populus flagrarit deſiderio carnium, ſedens & flens & dicens per contemtum: Nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri quam Man. atq; ita mannæ cœleſti ollas carnium Ægyptiorum prępoſuit, ſed Dominus illam ingratitudinem puniuit. Nam bene refertos carnibus proſtrauit in deſerto. Quorũ exemplo cautos nos eſſe decet, ne ſimili modo pœnas noſtrę gulę luamus. ſtudeamus itaq; ſobrie viuere, victum cultumq; corporis ad valetudinem & ad vires non ad voluptatem referentes.

Neq; idololatræ ſitis, vt quidam illo-

Hiſtoria legatur Exod. 32. vbi narratur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rum, ſicuti ſcriptum eſt: ſedit populus, vt veſceretur ac biberet, & ſurrexerunt ad ludendum.

ratur quomodo 3000. hominum trucidati ſint, propterea quod vitulum propoſitum ab Aarone adorarũt more Ægyptiorum. vſq; adeo tenaciter adhæret ſuperſtitio à maioribus accepta. Hinc notanda ſunt duo grauiſsima peccata ſancti Aaronis. Primum, quod cum Propheta eſſet, ſumſerit ſibi officium legislatoris. Deinde quod contra verbum Dei nouam colendi Deum rationẽ propoſuerit. Hinc igitur nos admoneamur, ne moueat nos autoritas ſanctorum, cum à verbo Dei diſcedunt.

Neq; ſcortemur, ſicut quidam illorum ſcortati ſunt, & ceciderunt vno die viginti tria millia.

Hæc hiſtoria habetur Numer. 25. Vbi narratur 24000. occiſos eſſe propterea quod fornicati ſunt cum filiabus Moab: in qua hiſtoria ſingulare exemplum ſancti zeli proponitur in Phinee, qui ſcortatorem cum ſcorto lancea trãsfodit, quod factum Deus, vt iuſtum approbat.

Neque tentemus Chriſtum, quemadmodum quidam eorum tentauerunt & à ſerpentibus perierunt.

Hæc hiſtoria habetur Num. 21. vbi narrantur duo præcipua peccata populi, Primum, quod tædio laboris & itineris ſit affectus. Deinde quod cibum diuinitus datum, vt tenuem & vilem cõtemſerit, adeo quod dixerit indignabundus: animus noſter nauſeat iam ſuper cibo iſto leuiſsimo. vt autem hanc cõtumaciam puniret Dominus, dimiſit vrentes ſerpentes ſeu dipſadas in populum, vnde multi perierunt, donec mandato Dei erectus ſit ſerpens, in quem aſpicientes ſanabantur. hanc figuram ipſe Dominus interpretatur Iohan. 3. Hinc & nos monemur ne panem cœleſtem vt vilem contemnentes incurramus in pœnam, id eſt, rurſus ſubijciamur antiquo ſerpenti diabolo. obſeruetur hinc quoque teſtimonium de æternitate Chriſti.

Neque murmuretis, ſicut quidam illorum murmurarunt, & perierunt ab exterminatore.

Hæc hiſtoria habetur Num. 14. vbi narratur quomodo viri, quos miſerat Moſes ad contemplandũ terram promiſſam, reuerſi male locuti ſint de terra promiſſa, vnde tota multitudo murmurare & inſurgere aduerſus Deum cœpit. Propter quod ſcelus adeo puniti ſunt, quod ex ſexcentis millibus duo tantũ viri, Num & Caleb terram promiſsionis ingreſsi ſint. hinc ergò diſcàmus vtrumq;, & Deum nequaquam parcere peccantibus, quia multi ſunt: & paucos bonos in magno malorum cœtu diuinitus conſeruari & defendi. per exterminatorem angelus intelligitur, qui Dei ſententiam executus eſt.

Hæc autem omnia in figura contingebant, ſcripta ſunt autem ad admonitionem noſtri, in quos fines ſeculorum deuenerunt.

Hoc eſt, iſta omnia ideo literis prodita ſunt, vt nobis ſint quaſi exemplaria & tabellæ, in quibus perſpiceremus, quæ nos ira Dei maneat, ſi ijſdem vicijs cum illis fuerimus obnoxij. Vocat autem fines ſeculorum, tempus totum conſecutũ aduentum Chriſti in carnem.

Proinde qui videtur ſtare, videat ne cadat.

Illatio admonitionis grauiſsimę eſt. quaſi diceret: cum ita actum ſit cum populo Dei in deſerto, vt maxima eius pars ob ſuam contumaciam perierit: cui peccanti non pepercit Deus, habita beneficiorum in eos collatorum ratione, Cauete vobis, qui videmini vobis ſecuri eſſe ne vos ſimiliter in manum Dei propter peccata veſtra incidatis. Eſt autẽ hæc Pauli ſententia intelligẽda de ſecuritate ſtulta, qualis fuit Corinthiorum ſecure torpentiũ, nulla ſuæ infirmitatis habita ratione, & tantum arroganter ſibi ob dona Dei placentium, nõ de ſecuritate ſancta, qui certa fiducia in Dei promiſsiones infallibiles recũbit. Quare Papiſtę vim faciunt huic loco, quando eũ torquent ad ſtabiliendum ſuũ dogma de perpetua fidei hęſitatione, quam verbũ Dei in multis locis reprehẽdit. Obſeruetur hic vtiliſsima doctrina, qua docemur ne ita de initijs donorũ Dei gloriemur, vt ſecure poſtea torpeamus, ac ita paulatim gratiæ primitijs excidamus, ſed potius ſancta quadã ſolicitudine meditemur perſeuerantiã in fide, in ti

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

more Dei,& obœdientia erga Deum,& fugiamus peccati occaſiones, per quas ſancti olim in peccata inciderunt, & quæ noſipſos prius inuoluerunt peccato.

Tentatio vos non cepit niſi humana.

Erigit rurſus Corinthios, ne audítis tam horrendis Dei exemplis deficiant ac deſperent. quaſi diceret: nolite deſpondere animum. id quod vobis accidit, etiam alijs hominibus vſu venire ſolet carnis imbecillitate. vos igitur infirmitatis veſtræ conſcij nolite ſecuri eſſe, ſed potius ſecuritati reluctamini perſeuerantes in vera pœnitentia. Apoſtolus tentationẽ vocat, quicquid ſolicitare nos poteſt: ſiue res ſint proſperæ, ſiue aduerſæ, ſiue peccata præterita, ſiue iræ Dei exempla. breuiter, quicquid in hoc mundo hominibus vſu venire poteſt, quo ſolicitantur & impediuntur, quo minus currant in ſtadio pietatis.

Fidelis autem eſt Deus, qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam euaſionem, vt poſsitis ſufferre.

A fide Dei, qui recipit Corinthios atq; adeo pios omnes in ſuam tutelã, conſolationem petit. vnde promittit fore, vt & modus imponatur tentationi, & vires ſuppeditentur à Domino, & tentatio in bonum cedat. Epitheton fidelis argumentum continet, ac ſi diceret Paulus: Deus fidelis cuſtos eſt ſuorum, Ergo ipſis non deerit in tentationibus, ſed & modum imponet tẽtationi & vires ſuppeditabit, vt ſufferre valeamus. Obſeruandum primũ, quod pij ſub Dei ſint cuſtodia. Deinde, quod in tentationibus illis aſsit ne ſuccumbant, orandus igitur eſt, vt opem ferat quotieſcunq; ſolicitamur ad peccandum ne ſuccumbamus. quod ſi contigerit, noſtræ ſocordię imputandum eſt, qui præſens auxilium non implorauimus.

Quapropter dilecti mei fugite ab idololatria.

Redit ad hypotheſin quam tractandam in octauo propoſuit: & nunc rurſus infert ex theſi hoc modo, Deus veteri populo varijs & mirãdis donis Dei abundanti nõ pepercit peccanti, Quapropter & vos nolite peccare, ſed poti⁹ ab omni peccato abſtinete, atq; adeo fugite ab ipſa idololatria, cuius rei eritis ſi epulis dæmoniorum cõmunicatis. Porrò idololatriã hic à parte nominat ritus illos & geſtus externos pertinentes ad cultum idolorũ, dum idolothytis veſcerentur idolorũ cultores. hos ritus & geſtus Corinthij conuerſi ad fidẽ inuitati ad epulas illas prophanas imitabantur, quam imitationẽ hic Paulus idololatriam vocat, idque non iniuria. Nam cum & interna pietas & externa veneratio corporis Dei ſit propria, in idololatriæ crimen incidit, qui quod Dei proprium eſt, idolis tribuit. Proinde nec Papiſtæ excuſari poſſunt, qui externam venerationem ſtatuis exhibent cõtra apertum Dei verbum. quantum autẽ ad honores illos externos attinet, qui geſtibus corporis exhibẽtur principib⁹ aut alioqui præſtãtibus viris, ſciendũ eſt quod tantiſper licite exhibeãtur, donec finis politicus maneat. Nã huiuſmodi honoris exhibitio, externa agnitio eſt ordinis diuini & donorũ Dei.

Vt peritis loquor, iudicate vos quod dico.

Captat beneuolentiam, & facit attentos ad argumẽtum grauiſsimum quod ſubiungit, ac ſi dicat: Cum vos non ignoretis quantum ſit myſterium Chriſti cœna, Iudicate vos ipſi quantum valet ratio quam inde promo.

Calix benedictionis cui benedicimus, nonne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Nam omnes vnius panis participes ſumus.

Confirmatio eſt quod non deceat Chriſtianos ea ſe idololatria polluere, qua ſe contaminarunt Corinthij, qui in idolorum cõuiuijs idolothytis veſcebantur. Poteſt autem duplex argumentum ex hiſce verbis Pauli peti & præſenti cauſſæ accommodari: quorum prius à communicantium ritu (qui idololatrico ritui opponitur) Poſterius à rei dignitate, cuius participes fiunt communicantes, ſumitur. Prius argumentum à ritu communicantium ſumtum, in his verbis eſt, Poculum benedictionis, hoc eſt, gratiarum actionis, cui benedicimus, hoc eſt. quod cum ſumimus agimus Deo gratias, prædicamus eius beneficia, celebramus ipſum quod filium ſuum voluerit hominem fieri & mori pro nobis, atq; adeo victimam fieri, qua placaretur ira Dei, & expiaretur peccatum. Hinc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ergo huiuſmodi argumentum extruit Chryſoſtomus. Quomodo nunc contraria facitis ô Corinthij? gratias cum agitis Deo, quod ab idolis vos liberauerit, cur rurſus ad menſas illorum curritis? Obſerua hic cœnam ſacram à Paulo dici εὐλογίαν, hoc eſt, quod alia voce Græci exprimunt εὐχαριστίαν, à perpetuo ritu Eccleſiæ: quæ cum celebrat hanc cœnam, gratias agit Deo, & prædicat beneficia Chriſti, iuxta Chriſti inſtituentis factum: qui cum hanc ſacram cœnam inſtitueret à gratiarum actione exorſus eſt, vnde & mandatũ dedit inquiens: Hoc facite in mei commemorationem. quod Paulus etiam inculcans Corinthijs ait: Quotieſcunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate donec venerit. Atque hæc breuiter ſint dicta de priori argumento. Nunc autem priuſquam ſecundum concludamus argumentum, in numerum digeram hypotheſes (id eſt, propoſitiones didacticas) quæ ex Pauli verbis euidenter conſequuntur.

PRIMVM ergo ex Pauli verbis euidentiſsime patet, Corpus & ſanguinem Chriſti vère in cœna adeſſe & communicantibus exhiberi. Nam cum dicit, Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? nihil aliud vult, quam quod Bernardus expreſsit ſublato ſchemate: Calix inquit, id eſt, communicatio calicis, facit nos habere quandam communionem cum Chriſto: eodem modo de pane iudicandum eſt.

SECVNDO ex verbis Pauli colligitur confutatio duplicis erroris Papiſtici: prioris de Tranſubſtantiatione. aperte enim teſtatur Apoſtolus, panis & vini ſubſtantiam remanere poſt benedictionem. fractio enim ad panis naturam refertur. Iam ſi panis natura remanet, remanebit etiam vini ſubſtantia. Immo ſi natura panis & vini mutaretur, non haberent rationem ſacramenti. Poſterioris de mutila cœna Papiſtarum, quia à calice Domini arcent laicos, quod manifeſte cum hac Pauli ſententia pugnat.

TERTIO ex verbis Pauli colligitur quod participatione corporis & ſanguinis Chriſti in cœna communicantes vniantur Chriſto, & veluti incorporentur corpori ipſius. vnde Chryſoſtomus: Quemadmodum corpus illud vnitum eſt Chriſto, ſic & nos illi per panem hunc vnimur. neq; tamen hoc ita intelligi debet, quin aliter etiam homines Chriſto vniantur. Nam hic tantum agitur de vnione ſacramentali.

QVARTO, hinc colligitur, quod corporis & ſanguinis Chriſti participes, fiant quoque inter ſe vnum corpus. cuius rei ſymbolum eſt vnus panis ex multis granis compactus. Huc verba Chryſoſtomi faciunt, qui ait: Quid eſt panis? Corpus Chriſti. Quid fiunt qui participant? corpus Chriſti. non corpora multa, ſed corpus vnum. quemadmodum enim panis ex multis compactus granis vnitus eſt, vt nuſquam appareant grana, etſi illic ſint, (quorum tamen diſtinctio vel differentia non agnoſcitur propter coitionem) ſic & Chriſto & nobiſipſis coaleſcimus. non enim ex altero quidem tu, ex altero vero ille alitur, ſed ex eodem omnes, Hæc Chryſoſtomus.

QVINTVM ex quarto conſequitur, nimirum quod qui iam idem corpus in Chriſto ſint effecti, debeant inter ſeſe ſpiritu Chriſti & charitatis vinculo coaleſcere.

SEXTVM, quod tempore Pauli conſuetudo Eccleſiæ fuerit, vt vnus integer panis benediceretur, ex quo ſinguli ſuam portionem ſumerent, quo magis ipſo facto coadunatio omnium piorum in vnum Chriſti corpus ſignificaretur. ſed & hoc inter adiaphora numero, cum de eo tantum exempla non præcepta extent.

SEPTIMVM, quod indignum immo horrendum ſacrilegium ſit, hoc Chriſti corpus vlla ratione prophanare. Quare qui hoc Chriſti corpus prophanant dæmoniorũ epulis, vt iniurij ſunt Chriſto eius corpus prophanando, Ita grauiſsimo reatu obſtringuntur. Quare Paulus apposite hinc ſumit argumentum, quod paulò poſt vrget magis cum ait: Non poteſtis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum.

Videte Iſraëlem qui eſt ſecundum carnem, nonne qui edunt victimas participes altaris ſunt?

Alia ratio qua abſterret Corinthios ab idolothytorum eſu, conuincens idololatras eſſe, qui idolothytis veſcuntur. hanc rationem rectius intelligemus, ſi per altare cultum, cui deſtinatur altare, per metonymiam intelligimus. atque tum formabitur argumentum hoc pacto: Carnales Iſraëlitæ, qui nondum ad Chriſtum conuerſi ſunt, vt ſunt participes eiuſdem eſus victimarum, ita etiam ſunt eiuſdem cultus participes. Ergo ſi vos idolothytis veſcemini, eritis etiam cultus idolorum participes. ſed hoc non licet, igitur ab idolothytis etiam vobis abſtinendũ eſt. Alij aliter hoc exemplum accommodant, ſed contextus meæ interpretationi ſuffragatur.

Quid ergo dico idolum aliquid eſſe?

Anthypophora eſt. Nam cum Corin-

aut quod idolis immolatum eſt aliquid eſſe? ſed quod quæ immolant gentes, dęmonijs immolant non Deo. nolim autem vos participes dæmoniorum eſſe.

thios veſcētes idolothytis idololatriæ accuſat, poſſunt ex ijs, quæ in octauo diſſeruit Apoſtolus, inferre, Tu ergo ipſe Paule tibi contrarius videris, fatebaris nobiſcum idolum nihil eſſe, cur iam eos qui veſcūtur idolothytis idololatras vocas? reſpondet Apoſtolus per diſtinctionem. Primum enim concedit quod antea ſponte dedit, quod nec idolum ſit quicquam, nec idolothytum, ſi modo ipſa ſeorſim conſiderentur. at ſi finis idolothytorum ſpectetur, dæmonijs, id eſt, diabolis dicatur ille cibus, qui offertur idolis. quare qui iſtum cibum participat, cum diabolis aliquid commune habet, ac eius ſocietatis fit membrum, qui dæmoniorum auſpicijs coit. ſed quia hoc non decet Chriſtianos, debent omnino à dæmoniorum menſa abſtinere. Obſeruetur doctrina, quod opus hominis non ſolum ex ſe, ſed etiam ab affectione agentis & alijs circumſtantijs æſtimandum ſit.

Non poteſtis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.

Alia ratio ab impoſsibili, qua cōfirmatur κεινόμενον proximi argumenti. Nemo poteſt particeps eſſe, & poculi menſæque dæmoniorum & poculi menſæ Domini. Cum ergo Chriſtiani participes eſſe debeant & poculi menſæq; Domini, nihil poſſunt habere commune cum idolothytis, quæ dæmoniorū ſunt. Doctrina hic obſeruetur neceſſaria, quod cum veræ pietatis natura non poſsit ſtare externa impietatis profeſsio. Deinde, quod qui velit Chriſto communicare, debeat prius omnibus ſacrilegijs renunciare. alioqui fruſtra gloriabitur de communione Chriſti.

An non prouocamus Dominum? nunquid fortiores illo ſumus?

Exaggeratio argumenti eſt, illorū opinioni oppoſita, qui idolothytis veſci non ita magnum peccatum eſſe, modo peccatum ſit, interpretabantur, atque ita ſuam licentiam excuſare voluerunt, Sed contra Paulus dicit eos prouocare Deum ad iram, & arma contra Dominum arripere, qui eius offenſam non verentur: id quod nemo poteſt facere ſine certo ſuo exitio. Deus enim fortior eſt, quam vt ab omnibus ſuperetur. cum ergo nemo ſine periculo fortiorem ſe prouocat, quid fiet de ijs, qui excuſant manifeſta peccata, & Deum quodammodo in diſceptationem vocant?

Omnia mihi licent, at non omnia cōferunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.

Præſumtio. Nam eorum obiectionem anticipat, qui obijcere poterant ius Chriſtianæ libertatis, & dat quod ponunt, ſed cum ea exceptione, ſi conferat proximo & eum ædificet. hæc intelligenda eſſe de medio genere rerum, manifeſtum eſt. Nam vt quæ præcepta ſunt neceſſariam requirunt obœdientiam, Ita quæ prohibita ſunt, neceſſario ſunt cauenda. reſtat ergo medium genus, quod ſua quidem natura & in ſe liberum eſt, ſed eius vſus reſtringendus eſt ad charitatis & ædificationis normam.

Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quiſque quod alterius eſt.

Ratio reſtrictionis à cōmuni Chriſtianorum officio. quilibet pius debet totius corporis vtilitatem ſpectare. ergo nihil faciendum quod cum eo pugnat. Eſt autem hoc Pauli dictum intelligendum excluſiue. nemo quod ſuum eſt quærat, ſubaudi tantum excluſa ratione proximi, alioqui quiſque ſuum quærere poteſt, & debet iuſto & recto ordine.

Quicquid in macello venditur edite, nihil interrogantes propter conſcientiam.

Quia queri poſſet, quid faciendum ſit, ſi idolothyta vt communes carnes in macello vendantur, num tum liceat ijs veſci nec ne? Paulus eam obiectionem anteuertens, dat conſilium, immo præcipit vt edant, nihil percunctantes an idolothytum ſit nec ne, quaſi hæſitante conſcientia. Solebant antiquitus, vt ait Auguſtinus, carnes quæ ſupererant de ſacrificijs vendere, quarum precium redibat ad ſacerdotes.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Domini enim eſt terra & plenitudo eius.

Ratio ex Pſalm. 24. petita, cuius ſenſus eſt: cum omnis creatura, quæ in terris hominum vſui deſtinatur, Deum autorem habeat, tanquam è manu ipſius accipienda eſt. neque quicquam impurum æſtimandum, quod ipſe conſeruat & veluti fidelium vſui conſecrat, vt eo vtantur cum gratiarum actione. reliquis autem impura ſunt non quidem creaturarum vitio, ſed illorum contagione qui creaturas Dei ſuo attactu commaculant.

Quod ſi quis vocat vos infidelium, & vultis ire, quicquid apponitur vobis edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Quod ſi quis vobis dixerit: hoc idolis immolatum eſt, ne edatis, propter illum qui indicauit & propter conſcientiam. Domini enim eſt terra & plenitudo eius.

Alia quæſtio ſoluitur, an liceat pijs inuitatis ad priuata conuiuia veſci idolothytis nec ne? Reſpondet id licere, cum hac tamen exceptione. ſi frater aliquis infirmus præſens in eodem conuiuio non indicauerit eſſe idolothytum. tum enim abſtinēdum eſt propter illum qui indicauit: cuius conſilij rationem ſubiungit eandem, quam paulò antea, vbi de idolothytis egit venalibus in macello, poſuit, inquiens, Domini eſt terra. tametſi vetuſtiora exempla Græca hanc rationem hoc loco non repetunt.

Conſcientiam autem dico non tuam, ſed illius alterius.

Quia ambiguum eſſe poterat, de cuius conſcientia loqueretur Apoſtolus, ſe ipſum interpretatur, & ait ſe loqui de alterius, nempe infirmi fratris conſcientia: quæ polluitur, quando exemplo alterius inuitata, quicquam cum hæſitatione agit. quicquid enim fit vel repugnante, vel errante, vel hæſitante conſcientia, peccatum eſt.

Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conſcientia?

Ratio proximæ ſententiæ eſt, quaſi dicat Paulus: cauendum eſt, ne quis ita ſua libertate abutatur, vt infirmi eius conſcientiam damnent, quaſi rem illicitam cum Dei contemtu tentaret. verbum iudicandi pro condemnare hic poſuit, vſitata ſcrituræ phraſi.

At ſi ego per gratiam participo, cur impius iudicor, pro quo ego gratias ago?

Rationis proximæ declaratio eſt, cuius hic eſt ſenſus: ſi ex beneficio Dei hoc vel illo cibo mihi vti licet, cur committam, vt hæc mea libertas offendat infirmũ, vt me propterea, quaſi impium & blaſphemum iudicet. Alij, & hæc Pauli verba & præcedentem clauſulã in perſona Corinthiorum accipiunt. ac ſi hæc eorum obiectio eſſet: cum idolothytum ſit liberũ per ſe, certe qui illud participat cum gratiarum actione, non peccat. Verum quo minus hanc ſententiam amplectar, facit primum particula rationis quam addit Paulus. Deinde, quod non clare ſuo more Apoſtolus hanc obiectionem declarat. Deinde reſponſio, quam dicunt Pauli eſſe ad obiectionem, videtur non reſponſio eſſe, ſed generalis huius diſputationis concluſio per exhortationem, id quod particula inferendi οὖν conuincit.

Siue igitur editis, ſiue bibitis, ſiue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Generalis concluſio eſt diſputationis, quam orſus eſt in octauo capite, & hucuſq; continuauit. concludit autem ſuo more per exhortationem, proponens ſcopum ad quem reſpicere debemus in omnibus actionibus, nempe vt glorificetur Deus. quare qui edit aut bibit, aut aliud quid facit, huc reſpiciat, vt non tam libertatem iactet, quam gloriam DEI reſpiciat: quæ gloria non parum minuitur inter homines, quando ſua libertate in rebus medijs cum offenſione infirmorum abutuntur. Obſeruetur hæc regula in omnibus actionibus noſtris, quam qui volens & ſciens violat, is haud dubie Deum ignominia afficit, grátia excidit, & fit reus iræ æternæ, donec reſipuerit.

Eſtote ſine offendiculo & Iudæis & Græcis, & Eccleſiæ Dei.

Hoc eſt, cauete ne vlli homini præbeatis efficacem cauſſam offenſionis, pro genere ſpecies poſuit, per Græ-

cos ſuo more intelligit omnes, qui non ſunt Iudæi, Eccleſiam vocat cœtum hominum, qui ex vtroque populo aggregatus eſt per prædicationem Euangelij.

Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipſius voluntatem, ſed multorum vt ſaluentur.

Suum exemplum quod propoſuit in nono imitandum, hic in concluſione repetit, & vult vt ipſi diſcipuli ſuum imitentur magiſtrum, qui ſe omnibus accommodat ad ædificationem. non enim Paulus in malo alicui placere ſtuduit, ſed vt ipſe ſe interpretatur, genus reſtringendo, in bono tantum, quatenus expedire videbatur ad ipſorum ſalutem: quemadmodum prolixe diſſeruit in nono. Hic primum obſeruetur miniſtrorum verbi officium eſſe, vt non ſolum doceant, ſed ſeipſos typum doctrinæ ſtatuant. Nam is vere Eccleſiam docet, qui doctrinam cœleſtẽ quam profitetur, ſanis moribus & pura vita exprimit. Deinde diſcant hinc miniſtri verbi ſe accommodare auditoribus, cum in docendo tum etiam in vſu rerum externarum, vt in omnibus Eccleſiam Dei ædificare & ornare videantur.

Imitatores mei eſtote, ſicuti ego Chriſti.

Vtilis admodum hæc reſtrictio eſt, qua docetur quatenus miniſtros verbi imitari nos oporteat. Multę quotidie occurrunt in miniſtris infirmitates, multorum miniſtrorũ ſcelerata & impura vita eſt, multi decepti à diabolo à verbo Domini deficiunt, & adhærent doctrinis dæmoniorum, nec deſunt qui ſuperſtitione pernicioſa laborant. quare modus imitationis tenendus eſt, quem hic pręſcribit Apoſtolus inquiens, Sicuti ego Chriſti imitator ſum. Nam vt miniſtri verbi, non ſuum ſed Chriſti verbum annunciare debent: Ita Chriſtum quoq; imitari magiſtrum eos decet. Qui ergo contendunt nos ſanctos patres imitari debere, in doctrina & moribus, ſciant imitationis modum eſſe, vt vox Dei & Chriſtus ipſe ſtatuatur imitationis regula, à qua dum diſcedunt patres, ab illorum imitatione nos liberat Apoſtolus.

CAPVT XI.

Summa Capitis Vndecimi.

Vt decorum ſeruandum in conuentibus publicis viris & mulieribus præſcribit: ita obiurgat eos, qui cœnam Domini quibuſdam vitijs prophanarunt, & reuocat ad primam cœnæ Dominicæ inſtitutionem.

Ordo & partes Capitis Vndecimi.

Partes ſunt duæ principales huius capitis. Prior eſt inſtructio, poſterior obiurgatio. Prioris membra ſunt plura, nempe exordium, fundamentum ſeu principium, ex quo extruitur confirmatio. Propoſitiones duæ, vna de non velandis capitibus virorum, Altera de velandis capitibus mulierum, in cœtibus Eccleſiaſticis. Confirmatio ipſis propoſitionibus ſubiecta. & clauſula de fugienda rixandi libidine, in ijs rebus quæ ad decorum externæ Eccleſiæ faciunt, & graui autoritate ſunt receptæ. Poſterior obiurgationem primo loco habet. Nam vitia quæ obrepſerant in ſacra cœna, reprehendit. Deinde eos ad Chriſti inſtitutionem reuocat. Poſtea comminatur ijs, qui indigne hac cœna vtuntur, propoſitis exemplis illorum, qui mortui ſunt propter huius ſacræ cœnæ abuſum. atq; ita breuiter hanc partem concludens, promittit ſe cætera cum venerit ordinaturum.

EXEGESIS VNDECIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

CAETERVM laudo vos fratres, quod omnia mea meminiſtis, & traditiones tenetis, quemadmodum vobis tradidi.

Exordium prioris partis eſt: in quo Corinthios laudat, vt eos magis ad obœdiẽtiam eorum quæ dicturus eſt extimulet. creſcit enim laudata virtus.

tus. Sed quid eſt, quod Paulus eaſdem traditiones, quas ſeruatas ab ipſis laudat, nunc repetit & inculcat ac ſi eas non ſeruarent? ex clauſula de fugiendis rixis apparet fuiſſe quoſdam qui de velandis & non velandis capitibus diſputationem mouerunt, vt ergo illorũ rixandi de hac re libidinem compeſcat, hanc de decoro diſputationem ingreditur: vt quod hactenus in velandis & non velandis capitibus decorum ſeruarunt, in poſterum quoque ſecluſis contentionibus inutilibus conſeruent.

Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput Chriſtus eſt: Caput autem mulieris, vir: Caput vero Chriſti, Deus.

Fundamentum propoſitionum de non velandis virorum, & velandis mulierum capitibus in publicis cœtibus vbi fiunt preces & Prophetiæ, de qua re poſtea dicetur. Obſeruentur hic perſonarum gradus quatuor. In infimo, eſt mulier: in ſecundo, vir: in tertio, Chriſtus ſecundum humanitatem: in ſupremo, Deus. Deinde obſeruetur eminentia dignitatis in politia Eccleſiaſtica. non enim de ſpirituali Chriſti regno, in quo non habetur ſexus ratio, hic fit mentio. In triplici regno verſantur Chriſtiani. 1. In regno mundi. 2. in regno Dei, ſpirituali & inuiſibili. 3. in Politia Eccleſiaſtica. In his tribus Deum timere debes. Mulieris caput eſt vir, hoc eſt, viro ſubijcitur mulier: Viri autem caput Chriſtus: Chriſti autem caput eſt Deus. Præterea obſeruetur, quod in his gradibus inferiora ſubijciebantur ſuperioribus, ergo omnia Deo.

Omnis vir orans aut prophetans operto capite, dedecore afficit caput ſuum: omnis vero mulier orans aut prophetans non operto capite, dedecore afficit ſuum caput.

Propoſitiones duæ ſunt, quarum vna eſt: Vir aperto capite orare & prophetare, hoc eſt, ſacris cœtibus intereſſe, in quibus fiunt preces & prophetiæ, hoc eſt, conciones ſacræ ſeu interpretationes ſcripturæ, debet. Altera eſt: Mulier debet operto capite orare & prophetare, id eſt, precibus publicis & prophetijs intereſſe. Nam alioqui mulieribus in Eccleſia prophetare non licuit. vtriq; propoſitioni eandem rationem ſubijcit, nimirũ quod alioqui vterq; dedecore afficiat ſuum caput, vir qui orat aut prophetat operto capite, dedecore afficit Chriſtum. Mulier vero, quæ orat aut prophetat non operto capite, dedecore afficit virum ſeu maritũ ſuum. ſed qui hoc fit? Nam vt velum capitis ſubiectionis eſt ſignum: (hinc etiam nubere, id eſt, velari dicuntur quæ maritis traduntur:) ita caput apertum principatus & eminentiæ ſuper mulierem ſymbolũ eſt. Maritus ergo, qui operto capite orat aut prophetat, caput ſuum, hoc eſt, Chriſtum à quo illud Dominium in mulierem habet dedecorat, non agnoſcens principatum ſuum quem habet à Chriſto, ſed potius ſubiectionem velato capite teſtatur ingratus. Deinde mulier, quæ aperto capite orat aut prophetat, hoc externo ſymbolo teſtatur ſe non ſubiectam eſſe viro. quare eum ignominia afficere videtur, cuius Dominium reſpuit. Porrò cum hæc ad decorum pertinent, quod pro gentium & nationum ratione variat, ſatis eſt genus retinere. hoc eſt. vt quæque natio decorum pro ſua ratione ſeruet. Deinde etſi viris mandatur, vt aperto ſint capite, nihil tamen prohibet quin frigoris pellendi cauſſa tegant, vbi res poſtulat. neque his verbis virgines coguntur, vt velent caput, cum in his regnis conſuetudo, atq; adeo decorum virginum aliud poſtulet. nondum enim viris nupſerunt, quibus ſubiectæ eſſe coguntur, ſed apertis capitibus ſuam teſtantur libertatem.

Nam id perinde eſt prorſus ac ſi raſa eſſet. etenim ſi non velatur mulier, etiam tondeatur, Quod ſi turpe eſt mulieri tonderi aut radi, veletur.

Secundæ propoſitionis ſecunda ratio à comparatis ſimul & indecoro ſumta. Mulier non velata eſt ac ſi raſa eſſet, aut detonſa coma. Sed hoc indecorum eſt. Nam id viris conuenit, & non mulieribus. Ergo mulier velari debet. non enim decet, vt mulier habitum viri gerat. Hoc enim abominatio eſt coram Deo, qui omnem odit confuſionem & ἀταξίαν. ſiquidem vt in prima creatione alter ſexus ab altero natura diſtinctus fuit, ita vult Deus alterum ab altero officijs & ornatu ſeparari.

Vir enim non debet velare caput, cum imago ſit & gloria Dei.

Secunda ratio primæ propoſitionis: Vir eſt imago gloriæ Dei, (in eo enim elucet Dei maieſtas & imperiũ. Nam

vir in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

vir in ſupremo gradu dignitatis in hoc mundo reſpectu mulieris collocatus eſt, qua ratione Deum repræſentat) Ergo non debet vir velare caput ſuum in ſacris cœtibus. eſt enim expeditum & liberum caput libertatis ac eminentiæ ſymbolum.

At mulier gloria viri eſt.

Ratio tertia ſecundæ propoſitionis à conditione mulieris. Mulier eſt gloria viri. Ergo mulier debet caput velare in teſtimonium ſubiectionis. Chryſoſtomus hæc verba Pauli explicans, ait: Mulier gloria viri eſt, hoc eſt, mulier eſt ſub viri poteſtate. neceſſe itaque eſt hanc ipſam cum ſeruitutis inſignibus comparere, quæ in capitis velamento conſiſtunt. debet ergo gloria viri paſsiue intelligi. Nam viro non parum gloriæ accedit, quod mulier illi diuina lege ſit ſubiecta.

Non enim eſt vir ex muliere, ſed mulier ex viro. neque enim conditus eſt vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.

A prima conditione viri & mulieris probat antecedens ſuperioris argumenti, nempe mulierem viro ſubiectam eſſe. mulier eſt ex viro deſumta, & creata propter virum. Ergo mulier ſubiecta viro eſt, atque adeo viri gloria. vt enim ex coſta viri extructa, ita & in adiutorium eſt data, vt ſub viri ſit poteſtate.

Propter hoc debet mulier poteſtatem habere in capite propter angelos.

Quarta ratio ſecundæ propoſitionis. Angeli Dei qui in ſacris cœtibus inuiſibiliter aſſunt, abominantur confuſionem ordinis diuini. Quare propter illos mulieres velatæ eſſe debent. poteſtatis vocabulum hic per Metonymiam pro velamine accipiendum eſt. Nam velamen indicat mulierem ſub poteſtate viri eſſe.

Attamen neq; vir abſque muliere, neque mulier abſque viro in Domino. ſicut enim mulier ex viro eſt, ita vir per mulierem, omnia vero ex Deo.

Præſumtio eſt, qua tum virorum imperium, tum mulierum ſubiectionem temperat. Nam cum vir ſibi tantum imperium in mulierem conceſſum diuinitus audit, ſuperbire, & vxorem tanquam ex alto deſpicere incipit. poteſt & mulier de ſua conditione, vt nimium abiecta conqueri. Apoſtolus igitur, vt illum reprimit, ita hanc conſolatur, indicans mutuæ iſtius coniunctionis autorem & conſeruatorē eſſe Dominum. Sic enim eminet vir, vt conſiſtere non poſsit ſine muliere. ſic quoq; mulier ſubiecta eſt, vt vir aliquid ab ea accipiat. cũ ſicut ipſa primum ex viro ſumta eſt, ita etiam vir, nõ niſi per ipſam poſsit propagare, quod ſit in adiutorium data viro. cum ergo ait: Mulier ex viro eſt, materiam notat. cum addit: Vir per mulierem, inſtrumentalē cauſſam exprimit. & cum ſubiungit OMNIA EX DEO: & primum principium & verum αἴτιον ſignificat, nempe Deum, ad quod principium vult nos Apoſtolus reſpicere, ne alius alium contemnat, & vt omnes ſciamus nos quicquid ſumus aut habemus, ab ipſo eſſe & habere, vt ad eum prædicandum omnia referamus.

Apud voſipſos iudicate: num decorum eſt, mulierem non velatam Deum orare? An ne natura ipſa hoc docet vos. quod viro quidem comatum eſſe, dedecori ſit: contra vero mulieri comatam eſſe, gloria ſit. Nam coma pro velamine data eſt ei.

Quintam rationem ſecundæ propoſitionis, & tertiam primæ per communicationem ex collatione & ſigno colligit. viro comatum eſſe, hoc eſt, prolixos capillos alere inſtar mulieris dedecori eſt. Contra mulieri comatam eſſe, hoc eſt, prolixos capillos nutrire, eſt honori. Vt ergo coma mulieri pro velamine eſt, hoc eſt, indicat mulieris caput velamine indigere, ἀντὶ enim hic non pro vice ponitur, ſed finem declarat: ita breuiores capilli viri ſignificant ipſum velamine non indigere. Natura enim viro breuiores capillos, etiamſi quis ſinat excreſcere, Mulieri vero prolixiores & capiti obuoluendo idoneos, tribuit.

Quod ſi quis videtur contentioſus eſſe, Nos huiuſmodi conſuetudinem non habemus,

Quia non ignorabat Apoſtolus apud Corinthios fore nonnullos con-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

bemus,neque Eccleſiæ Chriſti.

tentioſos, qui hæc argumenta conuellere niterentur: monet ritus vtiles, & graui autoritate receptos non debere à quoquam cõtemni, ſed honeſtatis & decori cauſſa ſine contentione retinendos eſſe. Vocat autem hic contentioſum, qui libidine cõtradicendi laborat, non inquirendæ veritatis, ſed inanis gloriæ cauſſa.

Hoc autem præcipiens, non laudo, quod non in melius, ſed in peius conuenitis.

Vt in ſuperiori parte huius capitis Corinthios iccirco laudauit, quod in pleriſque eum ordinem retinerent, quem in eorum Eccleſia conſtituerat: ita in hac parte præfatur ſe non poſſe non reprehendere eorum ἀταξίαν in ſacra Chriſti cœna: ad quam non in melius, ſed in peius conuenerunt. Græca ad verbum expreſsi: hoc præcipiens non laudo. cuius ſenſus eſt, Dum hoc refero quod nunc ſubiungam de ſacra cœna, non poſſum vos laudare, qui ſacra Chriſti cœna indigne abutimini.

Nam primum quidem conuenientibus vobis in Eccleſia, audio ſchiſmata inter vos eſſe, & ex parte credo.

Ratio obiurgationis à moribus Corinthiorũ in cœna ſacra. dicit eos non vnanimes eſſe, quemadmodũ decet Chriſtianos, ſed diuerſis ſtudijs addictos: vnde & diſsidia & multi abuſus in Eccleſia naſcuntur.

Oportet enim & hæreſes inter vos eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant inter vos.

Ratio cur Apoſtolus rumorem de ſchiſmatibus inter Corinthios ortis verum eſſe credat, à neceſsitate & fine hæreſium: quæ ex diſsidijs ſæpe oriuntur. Vt autem hæc neceſsitas non eſt ordinata, ſed conſequentiæ tantum, propter inſidias diaboli qui perpetuo in Eccleſia turbas mouere conatur, & ſua zizania in agrum Domini iacit, & propter multorum hypocritarum faſtum & arrogantium in Eccleſia: ita finis non eſt proprius hæreſeos, prolatio & manifeſtatio fidei, Sed ex prouidentia DEI hoc euenit, qua fit, vt quod ſua natura malum eſt, electis in bonum cedat, iuxta dictum Pauli, Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. hinc itaq; petamus conſolationem, cum paſſim audimus hæreſes ſuboriri, quæ ſunt infrementis diaboli aduerſus Eccleſiam certiſsima indicia, qui piorum ſtudium nolens excitat, vt tanquam aurum igne perſecutionis reddantur puriores: tantum abeſt, vt Eccleſiam Dei ſuis technis ac dolis abolere poſsit.

Conuenientibus ergo vobis in vnum, non eſt Dominicam cœnam edere, vnuſquiſque enim propriam cœnam præoccupat in comedendo, & hic quidem eſurit, ille vero ebrius eſt, nunquid domos non habetis ad edẽdum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis? & pudore afficitis eos, qui non habent? quid vobis dicã? laudabo vos? in hoc non laudo.

Quam indigne cœnã Dominicam celebrarũt Corinthij exponit, eorum peſsimos mores & ἀταξίαν taxans. Primum denunciat hoc non eſſe cœnam Dominicam edere, hoc eſt, non licere ita intemperanter cum aliorum contemtu & pudore, cõuenire ad ſacram Chriſti cœnam tanquam ad prophanas epulas. Deinde, quid reprehendat apertius exponit. nimirum quod illic ſinguli ſuam cœnam præſumerent, & nõ ſolum ad ſatietatem, ſed ad ebrietatem ſe expleant, non ſine pauperum pudore, qui interea eſurire cogebantur. hoc peccatum exaggerans, pronunciat eſſe contemtum Eccleſiæ Dei. quare vult Paulus Corinthios domi famem & ſitim ſedare, in cœtu vero Eccleſiaſtico reuerenter & vnanimiter cœnam Domini ſumere, ſine perſonarũ vllo diſcrimine: id quod iam ex inſtitutione cœnæ probandum aſſumit.

Ego enim accepi à DOMINO, quod & tradidi vobis, Quod Dominus IESVS in ea nocte qua traditus eſt, accepit panem, & gratijs actis fregit ac dixit: accipite, comedite, hoc meum eſt corpus, quod pro vobis frangitur. hoc facite in

Ratio reprehenſionis intemperantiæ & ἀταξίας Corinthiorum in celebratione cœnę Dominicæ. ex circumſtantijs enim inſtitutæ cœnę infert indignum eſſe, ita intemperanter abſq; omni reuerentia Chriſti inſtitutoris cœnam hanc peragere. proinde pro-

mei

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mei commemorationem. Similiter & poculum, poſtquam cœnaſſet, dicens: Hoc poculum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcunq; biberitis in mei recordationem. quotieſcunque enim ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, vſquequo venerit. Itaque quiſquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.

nunciat reos ſpreti corporis & ſanguinis Domini, qui adeo impure & irreuerentur tantum myſterium tractarunt: atq; hæc argumenti ſumma eſt. Verum vt peccatum Corinthiorum clarius ponatur ob oculos, circũſtantias diligẽtius perpendamus. CHRISTVS iam tradendus & mortem obiturus propter peccata hominũ hanc inſtituit cœnam quomodo ergo conuenit, vt hanc celebraturi epulis & ebrietatibus ſe dedãt? Chriſtus gratias egit Patri cœleſti hanc cœnam inſtituens, & vos ingratiſsimi eſtis fratribus veſtris, quos cõtemnitis & pudore afficitis. Chriſtus corpus ſuum edendum & ſanguinem ſuum bibendum proponit, & vos prophanis epulis, & poculis hanc cœnam prophanatis. Chriſtus cœnã inſtituit, vt ſit nouum fœdus gratiæ & remiſsionis peccatorum, & vos eam celebrantes peccatis indulgetis grauiſsimis. Chriſtus in ſuæ mortis recordationẽ vult hanc cœnam ſumi, & vos tanquam eius immemores, ducimini veſtris concupiſcentijs. Chriſtus vult prædicari ſua beneficia erga Eccleſiam donec hæc cœna tractatur, & vos pauperes, qui membra Eccleſiæ ſunt contemnitis. Chriſtus vult hanc cœnam communem eſſe toti Eccleſiæ, & vos ſinguli ſuam cœnam præoccupatis in comedenda. Chriſtus vult nos ſobrie in timore Dei communicare, & vos ebrij abſq; omni timore id facitis. Chriſtus vult per hanc cœnã coaleſcere inter ſe cõmunicantes ſpiritu Chriſti & charitatis vinculo, & vos ſchiſmata facitis in Eccleſia. Iſto proinde pacto cum indigniſsimum ſit cœnam Domini celebrare, reos vos conſtituitis ſpreti corporis & ſanguinis Domini, qui adeo impure & irreuerenter, & indigne ad eam conuenitis. Hactenus quo hæc Pauli dicta pertineant dictum eſt: nunc integram doctrinam de cœna adijciam. Deus faxit, vt quicquid dicturus ſum, in gloriam Dei cedat. Cum nemine rixari volo cõtentus ſimplici veritatis oratione: & Deum patrem Domini noſtri IESV CHRISTI oro, vt incendiũ ex diſputationibus de hac ſacratiſsima cœna excitatum, clementer extinguat.

DE SACRA COENA.

CVM ſacra Chriſti cœna ſit Eccleſiæ ab ipſo Chriſto commendata, paulò ante quàm ſuam piacularem victimã pro peccatis generis humani peregit in ara crucis: neceſſe eſt graues huius inſtitutionis cauſſas fuiſſe, quæ haud obſcure in ipſis cœnæ verbis indicãtur. quare decet omnino, vt omnes qui Chriſto nomina dederunt, & huius cœnæ rationem exacte intelligant, & iuxta præſcriptam à Domino normã ea ſæpius vtantur: vt non rei peragantur ſpretæ huius ſacratiſsimæ cœnæ. Vt aũt plenior eius habeatur inſtructio, in quatuor partes eius tractationem diſtribuam. Quarum prima ſit, quod hæc cœna ſit ſacramentum, & qualenam ſit ſacramentum. 2. Quænam res in hoc ſacramento concurrant ſpectandę, cum earum analogia. 3. Quæ ſignificationes huius cœnæ ſint reſpectu temporis præſentis, præteriti & futuri. 4. Quænam ſit vera meditatio & perceptio digna huius ſacramenti.

DE PRIMO.

Cum omne ſacramentũ ſignum ſit viſibile diuinitus inſtitutũ, cui addita eſt promiſſio fidẽ ſacramenta percipientium requirens, nemo dubitare poteſt, quin hæc cœna ſit etiam ſacramentum. Chriſti enim mandatum extat, & inſtitutio eſt manifeſta: ſignum conſpicitur, panis & vinum: promiſsio noui fœderis de gratia & remiſsione peccatorum adijcitur: quæ ſane promiſsio inefficax eſt, niſi fides accedat, quam Chriſtus haud obſcure requirit, cum ait: HOC FACITE IN MEI RECORDATIONEM. Hanc eſſe ſacramentorum rationem inde intelligi poteſt, quod iſta quatuor quæ poſui: mandatum diuinum, ſignum viſibile, promiſsio beneficij, & fides promiſsionis: cum in veteris populi, tum in noui populi ſacramentis omnibus concurrant, vt in circumciſione videre licet. Cæterum cum iam conſtet, cœnam hanc Chriſti eſſe ſacramentum, ſciendum quoque eſt, qualenam ſit ſacramentum. Nam vt veteris, ita & noui populi duplex eſt ſacramentum: vnum initiationis, alterum confirmationis. vt circumciſio veteris populi initiationis ſacramentum fuit,

quia per

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quia per illud recipiebantur in p opulũ Dei: ita comeſtio agni cõfirmationis ſacramentum erat,quo in populum Dei recepti cõfirmabantur. Ad eundem modũ in nouo teſtamento baptiſmus quidem initiationis ſacramentũ eſt,Cœna vero Domini cõfirmationis. Quotquot inquit Apoſtolus baptizati ſunt, Chriſtũ induerũt. Nam quod in Eccleſiá recipimur per baptiſmũ,ac Chriſto inſerimur,in eoq; regeneramur, & à peccatis mundamur,nõ ſine corporis beneficio conſequimur quo induimur,& ſanguinis quo abluimur. quod vero per baptiſmũ Chriſto inſiti eodem alimur,fouemur, & ſuſtentamur,id nullo cõſequimur alio beneficio, quá corporis & ſanguinis Chriſti. quod ergo nobis in baptiſmo tegumentũ eſt & mundatio,in cœna cibus & potus exiſtit. Atq; vt aliud eſt gigni,aliud educari, ita aliud eſt in nouam vitá renaſci,aliud ſuſtentari & creſcere. Ex his itaq; cõficitur,quod vt baptiſmus eſt initiationis,Ita cœna Domini eſt confirmationis ſeu cõtinuationis ſacramentum. Sacramentũ quidem dictũ,quia eſt ſignum externum (quod in pane & vino conſpicitur) ſacræ rei, hoc eſt, corporis & ſanguinis Chriſti atq; omnium beneficiorum, quæ Chriſtus per corpus & ſanguinem ſuum credentibus tribuit:

DE SECVNDO.

Res concurrentes in ſacra cœna ſunt plures. Nam illic primum oportet adeſſe prædicationẽ beneficiorum Chriſti,preces,gratiarum actionem,&c. Deinde elementa,panem & vinum iuxta inſtitutionem Chriſti, non mutatis naturis panis & vini,ſed in ſacrũ vſum elementis deſtinatis. Hoc primum aperte teſtantur verba Apoſtoli ſupra capite 10 cũ ait: Panem quem frangimus,nonne communio corporis Chriſti eſt? Deinde ſi mutaretur, ſeu vt Papiſtæ cum Toma loquuntur, tranſubſtantiaretur ſubſtantia elementorum, in naturam corporis & ſanguinis, nequaquá haberent ſacramenti rationem. Nam ad ſacramenti integritatem requiritur ſigni externi propria natura, Vt arbor vitæ vera erat arbor, Arcus cœleſtis verus erat arcus,Præciſio cutis in circumciſione vera erat præciſio. Petra in deſerto, vera erat petra. Man verum Man erat. Agnus phaſe vere erat agnus. Sanguis vaccæ rufæ, vere erat ſanguis. Aqua in baptiſmo vera eſt aqua. & ſic de alijs. quare nõ eſt dubium, quin vera ſubſtantia panis & vini maneat in ſacra cœna,iuxta ſententiá purioris Eccleſiæ. Gelaſius qui vixit anno Domini 486. ita ait: Certa ſacramenta,inquit,quę ſumimus corporis & ſanguinis Chriſti, diuina res eſt, propter quod & eiuſdem diuinæ efficimur conſortes naturæ,& tamen non deſinit eſſe ſubſtantia & natura panis & vini. & Auguſtinus: Accedit verbum ad elementum,& fit ſacramẽtum. non dicit, verbum tollere aut tranſubſtantiare,ſed dicit accedere,vt hę duę res verbum & elementum integrum conſtituant ſacramentũ. Neque recte obijcitur virga Moſis, aut aqua in Cana Galilæa in vinum conuerſa. Nam illic cum naturarũ mutatione proprietates etiam mutatæ ſunt, quod in ſacra cœna nõn fit, vbi manent proprietates panis & vini. Neq; recte obijciuntur Papiſtica miracula,qui dicunt ſanguinem de pane à Iudæo quodá cultro vulnerato emanaſſe. Nam iſtæ præſtigiæ diaboli fuerunt, quibus duo horrenda ſacrilegia confirmare voluit: Vnũ de adoratione panis & circumgeſtatione: Alterum de altera ſacramenti parte eripienda Eccleſię. Nam cũ iſto figmento facile perſuadere populo potuerunt,tãtum eſſe in vna parte quantum in ambabus, non difficile erat illis ſuum fucare ſacrilegium. Tertio ſunt in cœna verum corpus & verus ſanguis Domini noſtri IESV CHRISTI, vna cum pane & vino, non naturæ coniunctione, ſed ſacramentali. Nam quod non ſit carnalis, nec localis incluſio corporis in pane,& ſanguinis in vino,ita vt locus & corpus ſe mutuo cõtingant, locuſq; cedat corpori,ipſe etiam Lutherus teſtatur, qui rectiſsime dicit: non naturalem præſentiam,ſed ſupernaturalem eſſe. ex quo & hoc efficitur, quod ad hanc veram præſentiam corporis & ſanguinis in cœna Domrni,non requiratur,vt humanitas Chriſti ſit vbiq; diffuſa, ac ſi iá poſt reſurrectionem in diuinitatem conuerſa eſſet, quæ hæreſis olim refutata eſt. Verum hoc ſatis eſt credere, quod quemadmodũ in cœna Dominus ſedit circũſcripto corpore & nihilominus diſcipulis exhibuit ſuum verum corpus edendũ,& ſanguinem verum bibendum,vt teſtantur verba cœnæ: ita iam in gloria cœleſti ſedens porrigit communicantibus in terra (ea eſt diuina ipſius virtus & potentia) ſuum corpus & ſuum ſanguinem, vnde Eccleſia precari ante communionem ſolita eſt his verbis: Surſum corda habemus ad Dominum, Quemadmodũ ergo in prima cœnæ inſtitutione diſcipuli oculos habuerũt intentos ad Dominũ, qui ad mẽſam ſedẽs porrexit diſcipulis corporis & ſanguinis ſacramentũ: ita nos quoq; leuemus corda noſtra ad Dominum,qui illic agens,nobis miniſtrorum manibus porrigit verum ſuum corpus & ſanguinẽ,vt ſint cibus & potus interioris hominis,quo ille alitur,augeſcit & creſcit ad vitam immortalem & beatam. Si non intelligis modum præſentię, Eccleſiæ voce te

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſuſtenta, quç ita canit: Etſi ſenſus deficit, ad firmandum cor ſincerum, ſola fides ſufficit. Veteres quidam partes huius ſacramenti ita diſtinguunt, vt primo loco ſpectandũ ſit id quod eſt ſacramentum tantum, vt panis & vinum, quæ ideo ſacramenti appellationẽ ſortiuntur, quia ſunt res externæ ſpiritualẽ habentes conſideratiõẽ. Deinde id quod eſt res & ſacramentum ſimul, vt corpus & ſanguis Domini, quæ inuiſibiliter & arcano quodã modo aſſunt, vt ſint alimentum interioris hominis. Poſtremo id quod eſt res tantum & non ſacramẽtum, hoc eſt, effectus huius ſacramenti in ijs, qui illud fide percipiunt. Sed de effectibus ſuo loco dicetur. Ex his quæ hactenus diximus, facile arbitror intelligi qualiſnam ſit hæc ſacramentalis locutio, panis eſt corpus, vinum eſt ſanguis. Veritas quidẽ naturarum, quæ vocibus ſignificatur manet, & non fit naturarum vlla μετουσίωσις, ſeu tranſubſtantiatio: ſed dijudicatio huc adhibẽda eſt, qua ſpiritualia ſpiritualiter, & corporalia corporaliter dijudicare oportet. Nã ea dijudicatione adhibita, analogia panis ad corpus Chriſti & vini ad ſanguinem facile perſpicietur. Quam ergo rationẽ habet panis & vinũ ad corpus humanum nutriendum, augendum, conſeruandum, exhilarandum: eandem habet corpus & ſanguis Chriſti, ad augendum, nutriendum, conſeruandum & exhilarandum interiorẽ hominem. Sunt ergo panis corpus, & vinum ſanguis Domini ea coniunctione iuncta, qua vt panis & vinum corpora humana nutriunt, augent, conſeruant, exhilarant, ita caro Chriſti & ſanguis, alit, auget, conſeruat, exhilarat animas noſtras ad vitã æternam: modo viua fides non defuerit. Hæc comparatio cum ſit, recte dicitur, Panis eſt corpus Domini, Vinum eſt ſanguis Domini. Nam quem vſum corporibus noſtris præſtat terrenus panis & vinũ, eum in ſuo genere prçſtat animis piorum corpus & ſanguis Chriſti. Huc facit illud dictũ Bernardi: Cibus iſte non eſt ventris, ſed mentis, nõ eſt enim datus ad ruinas huius vitæ, quæ vapor eſt ad modicum parens, ſed ad æternam vitam conferendam animæ. atq; hæc de partibus huius ſacramenti & analogia terrenarum & cœleſtium rerum, quæ in cœna ſunt, dicta ſufficiant: nunc quod tertio loco propoſuimus videamus.

DE TERTIO.

Sicut agnus phaſe plures habebat ſignificationes in veteri teſtamento. reuocabat enim in memoriam populo Dei beneficium liberationis à ſeruitute Pharaonis, teſtabatur populum participem huius agni populũ Dei eſſe, & inter ſeſe tanquam eiuſdem corporis membra myſtice cõiunctos eſſe, & erat figura futuræ victimæ Chriſti & liberationis à ſeruitute Diaboli: ita hæc cœna quæ agno phaſe ſucceſsit, habet quoq; varias ſignificationes, idq; reſpectu diuerſorum temporum. Nam ſi tempus reſpicis præteritum, eſt hæc ſacra cœna commemoratio quædam paſsionis Dominicæ, atq; adeo ſacramentum noſtræ per victimam Chriſti redemtionis. ex quo factum eſt, quod veteres hanc cœnã ſacrificium vocarint, non quod Deo hic aliquid offerrent, quemadmodũ Papiſtæ inſulſè ſacrificij nomen accipiunt: ſed quia peracti olim ſacrificij veluti quoddã μνημόσυνον erat & recordatio. huc Domini prçceptum facit, hoc facite in mei recordationẽ, quæ recordatio omnia beneficia Chriſti erga Eccleſiam complectitur. Quoniam autem hæc recordatio beneficiorũ Chriſti cõiunctam habuit gratiarũ actionem, Paulus cœnã hanc vocauit εὐλογίαν, & veteres Theologi εὐχαριστίαν. Deinde ſi reſpicis præſens tempus, habet hæc cœna has ſignificationes. primum ſignificat nos vniri ac veluti incorporari Chriſto, idq; ſpiritualiter iuxta Pauli verba. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quẽ frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt, id eſt, cõmunicatio corporis & ſanguinis Domini facit nos habere quandam cõmunionem cum Chriſto, vt qui iã inſiti ſumus corpori eius, modo viua fides non defuerit. tametſi autẽ omnis qui credit, habet hanc cum Chriſto ſpiritualem cõmunionem, tamen hæc ſacramentalis communio nõ fruſtra accedit. Vt enim Apoſtoli habuerunt Spiritum ſanctũ ante diem Pentecoſtes, tamen illa viſibilis & ſacramentalis Spiritus ſancti collatio, nõ caruit ſua virtute & efficacia: ita mãducatio ſpiritualis corporis & ſanguinis Domini non impedit virtutẽ & efficaciã ſacramentalis manducationis, Immo illa hæc confirmatur & augetur ad fidei incrementũ, quam excitat ſacramentalis eſus. Deinde ſignificat nos inter nos inuicẽ vniri ſpiritu Chriſti, qui vna hac Chriſti cœna cõmunicamus, cuius cõmunionis ſymbolum vnus panis exiſtit, vt Paulus teſtatur, cum ait: Quoniam vnus panis, vnum corpus ſumus. Nam omnes vnius panis ſumus participes. Quemadmodũ enim panis ex multis compactus eſt granis, ita multi in corpus vnũ Chriſti myſticum coaleſcunt. ab his effectibus cœna Domini à Paulo communio dicitur, quam communionem explicans Damaſcenus ita ait: Dicitur cõmunio, quia cõmunicamus per ipſam Chriſto, & quia participamus eius carnẽ & diuinitatẽ, & quia cõmunicamus & vnimur inui-

mur inui-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mur inuicem per ipſam. atq; huc appellatio σύναξις pertinet. Præterea ſi futurum reſpicis tempus, ſignificat hæc ſacra cœna, quod virtute corporis Chriſti reſuſcitemur à mortuis, noſtra quoq; corpora debeant reſurgere ad beatam vitam. Vnde Paulus, Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus. Deinde ſignificat fruitionẽ perpetuæ præſentiæ corporis Chriſti in æterna beatitudine. Hinc quidam veterum vocarunt hanc cœnam Viaticum, propterea quod admonebat ante mortem ſumentes hanc cœnam, quod Chriſtus eſſet ipſis via ex his ærumnis & morte ad perpetuam fruitionem Dei in æterna vita. & hæc ſignificatio diligẽter omnibus, ſed potiſsimum iam morituris inculcanda eſt. Poſtremo, ſi æternitatem reſpicis, atq; adeo omne tempus, hæc ſacra cœna ſignificat nouum fœdus Dei cum homine initum de perpetuo fauore Dei erga hominem credẽtem. atq; adeo hanc ob cauſſam hæc cœna teſtamentũ ſeu fœdus ab Euangeliſtis & Paulo dicitur. Quare hæc cœna definiri poteſt confirmatio noui teſtamenti, id eſt, fœderis gratiæ & remiſsionis peccatorũ omnium hominum, qui ſalutem promiſſam fide recipiunt. Cæterum vt ratio appellationis diſtinctius intelligatur, ſciendum quinque in omni teſtamento ſpectandá eſſe. 1. Teſtator. 2. Hæreditas. 3. Scripti hæredes. 4. Mors interueniens teſtatoris. 5. Conditiones ſeruandæ ab inſcriptis hæredibus. Haſce quinq; circumſtantias, in definitione huius noui teſtamenti coniungam. Nouum teſtamentum eſt fœdus ſancitum morte Chriſti, teſtatoris, de gratia Dei, remiſsione peccatorum & donatione vitæ æternæ, promiſſa omnibus gentibus & populis in Chriſtum crucifixum credentibus. Hanc definitionem ſi retexis, habes teſtatorem Chriſtum, habes hæreditatem, gratiam Dei, reconciliationem, & donationem vitæ æternæ. Habes ſcriptos hæredes omnes gentes & populos. Habes mortem teſtatoris interuenientem & confirmantem legatam hæreditatem. Habes conditiones à ſcriptis hæredibus ſeruandas, nimirum, vt in Chriſtum teſtatorem firma fiducia recumbant, cum qua fide coniuncta eſt nouitas vitæ & obœdientia erga Deum. Huius teſtamenti virtute omnes, qui inde vſque ab initio mundi crediderunt ſaluati ſunt.

DE QVARTO.

Cum ſacra Chriſti cœna ſacramentũ ſit noſtræ per victimam Chriſti redemtionis, omnium primum in mentem venire nobis debet, cauſſa mortis Domini, nempe peccatũ noſtrum. mortuus eſt enim, inquit Paulus, propter peccata noſtra. Secundo cogitandus eſt finis victimæ corporis & ſanguinis Domini, quę ideo peracta eſt, vt nos redimeremur à peccati regno & commerita damnatione. Tertio, ex præſtantia victimæ vnigeniti filij DEI, cogitandum eſt maximam fuiſſe iram Dei aduerſus peccatum, quod nõ potuit vllis hoſtijs aboleri niſi eius ſolius, qui & Deus & homo eſſet. Quarto, cauſſa impulſiua huius victimæ duplex cogitanda eſt, ineffabilis miſericordia Dei volentis nos ſub regno diaboli maledictione oppreſſos in gratiam recipere, intercedente filij ſatisfactione, Et amor filij Dei, qui natura humana aſſumta voluit fieri victima, & in ſe deriuare irá Dei pœnáq; pro peccató humani generis ſuſtinere. Hæc meditari debet tota Eccleſia ſemper, & potiſsimũ quando hæc ſacra Chriſti cœna celebratur. Cæterũ qui accedere ad huius cœnæ communionẽ conſtituit, debet ſe probare priuſquá de pane hoc edit, aut de poculo bibit iuxta hæc Pauli verba: Probet autem quiſq; ſe ipſum & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Hæc Pauli exhortatio nequaquam ſurda aure prætereunda eſt. Ná cum graue immineat periculũ ijs qui hac cœna abutuntur, neceſſarium profecto eſt examen cõſcientiæ priuſquá hanc quis cœná accedat. vt aũt hoc examen rectius fiat, non humana ſomnia de probatione per confeſsionẽ auricularem & ſatisfactionem audienda ſunt, ſed diligenter inquirendũ ex verbo Dei eſt, quæ ſit vera probationis ratio. Hęc ratio probationis, tametſi paucisſimis verbis indicari poteſt: nempe quod is probatus ſit, qui reuerenter in timore Dei, in vera pœnitẽtia, in vera fiducia, & cum ſancto propoſito ad hanc cœná accedit: tamen propter errores Papiſticos diſtinctius ſalutaris probandi ratio nobis excutienda eſt: Quare tres circumſtantias huius probationis ex verbis Pauli conſideremus. 1. Quemná velit probari Paulus. Deinde, quidnam probari, hoc eſt, tentari, experiri, examinari ſeu excuti velit. Tum, à quo hanc probationem fieri cupiat. Quemnam igitur vult probari? Eum nimirum qui ſe ad ſacram huius cœnæ communionẽ comparat. quid in eo probandum ſeu examinandum? R. Hoc Paulus 2. Corinth. 15. explicat his verbis. Vos ipſos tentate an ſitis in fide, vos ipſos probate, an non cognoſcitis voſipſos, quod Ieſus Chriſtus in vobis eſt, niſi ſicubi reprobi eſtis? Hæc Antitheſis, qua reprobi & probati opponũtur, illuſtris eſt. vt enim probatos dicit eos, qui in fide ſunt, & Chriſtum habitantem in ſe ſentiunt, Ita reprobos eos ſtatuit, qui fide carent, & de Chriſto in ſe habitante dubitant. Quare iuſta probatio & examen in hoc conſi-

ſtit, vt vere ſentiatur fides, & Chriſti præſentia in nobis ex virtute ſpiritus eius nos ad pietatis ſtudium excitantis. Porrò fides, quæ ſine peccati agnitione eſſe nequit, noticia victimæ Chriſti & fiducia miſericordiæ abſoluitur. Nam dũ cogitat pius in vſu huius cœnæ, quam magnum peccatum noſtrum fuiſſe neceſſe fuerit, pro quo abolendo oportuerit filium Dei mori, agnitione peccati huius accenditur contritio in corde, & dolor propter commiſſum peccatũ augetur. at cum rurſus in hac cœna contemplatur pius Chriſtũ mortuũ & reſuſcitatum, vt peccato abolito nouam iuſticiam conferat, accenditur fiducia in hunc mediatorem, quæ fiducia confirmatur, augetur & ſtabilitur ſumtione huius ſacræ cœnæ. Quare qui hanc ſacram cœnam digne vult percipere, exploret apud ſeſe an vera pœnitentia ſentiatur, Experiatur an ſtatuat victimam Chriſti ſatisfactionẽ eſſe pro peccato totius mundi, iuxta aſſertionem Iohannis Bapiſtæ, qui ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Examinet ſe an in hunc ſatisfactorẽ viua fiducia recumbat, Excutiat num ſentiat Chriſtum in ſe habitantem & oſtendentem ſuam pręſentiam & ſpiritus ſui efficaciam, Videat an firmum propoſitum habeat peccatũ omne poſthac vitandi, ac Deo totam ſuam vitam approbandi cum perpetua gratiarum actione pro tanto beneficio. A quo hoc examen fieri debet? Paulus reſpondet. Probet ſeipſum homo. nemo enim melius & certius iudicare poteſt, an fide ſis præditus quam tuipſe. Quare vanum eſt figmentũ Papiſtarum, qui tanquã neceſſariam omnino ad hanc probationem requirunt confeſſionẽ auricularem. Nam ſi illa neceſſaria eſſet ad hoc examen, Paulus non debebat dixiſſe, probet ſeipſum homo, ſed probetur per alium. Hoc cum affirmo, nec veram confeſſionẽ repudio, nec diſciplinam noſtræ Eccleſiæ receptam conuello. De confeſſione enim neceſſaria ex verbo Dei ſic ſentiẽdum eſt, ſi adeſt vera fides & pœnitentia, non eſt alio opus confeſſionis genere, quam quo ſancti homines Dei, Patriarchæ, Prophetæ, Reges, Abraham, Daniel, Dauid, Petrus, &c. veniã de maximis ſceleribus impetrarunt à Deo, qui ſolus peccata cõdonare & delere poteſt. quare ad aliam nemo cogi debet autoritate verbi Dei: niſi quis forte totam Eccleſiam offendit. tum enim is mandato Dei compellitur, vt confeſſione publica Eccleſię reconcilietur. Verũ quantum ad diſciplinam in noſtris Eccleſijs receptam attinet, hoc ſentio, primum quod vehemẽter neceſſariũ ſit, vt inſtituantur rudes & ignari, qui Chriſtianæ religionis myſteria nondum tenent, priuſquã ad hanc admittantur. Deinde, vt iuuenum & adoleſcentum in Catechiſmo exploretur profectus. Eſt enim boni paſtoris, nõ ſolum publicè docere, verumetiã exemplo Pauli experiri quouſq; ſui auditores in pietatis curſu promouerint. Tũ æquũ quoq; eſt aliquam fidei rationem exigere ab ijs, de quorũ fide ac religione iuſta poteſt eſſe dubitatio. Præterea quorum perplexa erit conſcientia, aut ſcrupulo premetur aliquo, qui eã reddet inquietam, ſibi recte conſulent, ſi ad ſuos ſe paſtores aut alios quoſpiã viros bonos receperint, quorum doctrina conſilio & conſolatione iuuari poſsint. Propter hæc quatuor hominũ genera, diſciplina confeſſionis & abſolutionis (quæ fit cum annunciato Euangelio creditur) in noſtris Eccleſijs retinetur. Prodeſt præterea omnibus priuatim in priuato colloquio vocem Euangelij audire, qua annunciatur remiſsio peccatorum credẽtibus. Nam tum demum aperitur regnum cœlorũ clauibus Eccleſiæ, & fit abſolutio, quando Euangelium annunciatum lectum vel cogitatum fide audientis, legentis aut cogitantis recipitur. Habemus, quę ſit vera meditatio, iuſta probatio, dignaq; perceptio ſacræ cœnæ, nunc ſequitur in textu qualiſnam pœna illos maneat, qui indigne hanc ſacram cœnam attingunt.

Nam qui edit & bibit indigne, iudicium ſibi ipſi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini.

Vt ſupra peccati magnitudinẽ eorum, qui indigne ſacro pane veſcuntur, & Domini calicem bibunt expreſſit, cum eos reos perageret corporis & ſanguinis Domini: ita nunc pœnam proponit, vt ipſos magis à prophano cœnæ abuſu abſterreat. Porrò duplex indignitas, & duplex iudiciũ hic obſeruetur. Eſt enim indignitas ex impietate profecta, cuius pœna eſt iudicium condemnationis æternæ, donec per veram pœnitentiã reſipiſcat impius. Eſt alia indignitas ex ſocordia, negligentia & irreuerẽtia nata: cuius pœna eſt iudiciũ caſtigationis, & correptionis: atq; huius finis eſt, vt caſtigatus ad ſe redeat & iudicium exitioſum præuertat. etſi de vtraq; dignitate & vtroq; iudicio Paulus intelligi poteſt: tamen de indignitate irreuerentię & iudicio caſtigatorio eũ loqui, & totus contextus, & nõnulla eorũ quæ ſequuntur oſtendunt. Etſi ratio proxima vtriq; indignitati & iudicio recte accommodari poteſt, cum ait: Non diſcernens corpus Domini, vt à prophano cibo illud diſtinguat. Diſcernere enim corpꝰ Domini is dicitur, qui dignitatis illius habet rationẽ, ac proinde cum ſumma reuerentia ad hunc panem & ad hoc poculum tanquã ad myſteria rei omniũ precioſiſsimæ tremens accedit. Porrò breuitatis cauſſa, corporis tantum meminit. Nam de ſanguine idem eſt iudicium.

Pro-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Propterea inter vos multi ſunt debiles, & inualidi, & obdormiunt multi.

Dixit indigne edentes corpus Domini, & bibentes eius ſanguinem, iudicium ſibi edere & bibere, nunc ab euentu idem confirmat, dicens ingraſſante peſte multos morbo & infirmitate, & multos morte caſtigatos eſſe, propterea quod irreuerenter & non, vt decet, ſacram cœnam attingerent. Ex his apparet Paulum potiſsimum de iudicio caſtigationis loqui; quo ſolet Deus quos diligit erudire: ex quo & illud ſequitur, quod ſuperius de indignitate irreuerentiæ ſit locutus potius quam de ea indignitate, quæ ex impietate manat. Preterea inter alias crucis cauſſas in Eccleſia obſeruetur ſocordia, negligentia & irreuerentia erga ſacrũ miniſterium.

Si enim noſipſos dijudicaremus non iudicaremur.

Ætiologia eſt, cuius hic eſt ſenſus, ſi fidei germanis fructibus, timore Dei, & ſanctis moribus nos à prophanis ſeiungeremus nõ puniremur diuinitus, vel peſtẽ vel alijs calamitatibus. Iudicandi verbum, hic per metalepſin pro puniendi verbo ponitur. Hunc locum Papiſtæ cõtra mentem Pauli torquent ad ſatisfactionem canonicam, quæ eſt humana traditio, cum hic agatur de veris pœnitentiæ fructibus, qui ex viua proficiſcuntur fide iuxta mandatum Dei.

Sed cum iudicamur à Domino erudimur, ne cum mundo damnemur.

Conſolatio additur ex fine caſtigationis. Nam cum cruce aliqua diuinitus premimur, ideo fit, vt præuertamus iudicium condemnationis vera pœnitentia. Hinc etiam apparet Paulum ſuperius locutum de iudicio caſtigationis potiſsimum.

Itaque fratres mei cum conuenitis ad veſcendum, alius alium expectate. quod ſi quis eſurit, domi edat. ne ad iudicium conueniatis. reliqua vero cum venero ordinabo.

Concluſio eſt ſecundæ partis huius capitis, nimirum, vt decenter & religioſe ad cœnam Dominicam conueniant Corinthij, ne incidant in iudicium, & caſtigentur diuinitus, tanquam filij qui ad patris menſam ſe ſatis compoſite non gerant. Obſeruetur hic, quod Paulus velit magnum diſcrimen eſſe inter eam cœnã, in qua anima recreari debet, & illam in qua cura corporis agitur. Huic rei egregie congruit, quod minutulæ particulæ panis ſingulis in cœna Domini porrigantur, vt intelligatur non ventris, ſed mentis cibus eſſe. Hactenus claris & perſpicuis verbis Methodum cœnæ Dominicæ expoſui, & ne interrumperem methodi membra, de aduerſariorum obiectionibus parum fui ſolicitus.

CAPVT XII.

Summa Capitis Duodecimi.

Vt varias donationes ſpiritus eſſe in Eccleſia, quas idem ſpiritus diuidit pro ſuo arbitrio cuique, docet: ita propoſito paradigmate membrorum humani corporis, eaſdem ad mutuam concordiam & totius corporis, id eſt, Eccleſiæ incolumitatem referendas eſſe, concludit.

Ordo & partes Capitis Duodecimi.

Occaſio huius capitis ſcribendi fuit, ſicuti ex contextu facile colligi poteſt, quod Corinthij donis egregijs, quibus inſtructi erant, abuterentur ad ambitionem in aliorum contemtum, ignorantes & à quo collata eſſent, & in quem finem ea accepiſſent. diſſerit ergo in hoc capite de varijs donis ſpiritus, de eorum proprio fine & legitimo vſu. Porrò docendi cauſſa hoc caput in tres partes diuido. quarum prima continet expoſitionem de donorum autore, nempe Spiritu ſancto. Secunda habet paradigma membrorum humani corporis, vnde oſtendit, quis ſit verus finis & legitimus vſus donorum variorum in Eccleſia. Tertia accommodat paradigma ad Eccleſiam, quæ eſt corpus Christi, & oſtendit neceſsitatem diuerſitatis donorum & officiorum. vt enim corpus humanum ſuo fungi munere nequiret, ſi omnia membra vnum idemq; haberent officium: Ita Eccleſia ad ſuam incolumitatem varijs & diuerſis opus habet donis & offitijs.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

EXEGESIS DVODECIMI CAPITIS

CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PORRO de ſpiritualibus fratres nolo vos ignorare.

Propoſitio eſt huius capitis, cum compellatione fraterna qua eos excitat ad attentionem beneuolam, vt ea quæ de ſpiritualibus donis dicturus eſt, intimis animis recondant. vocat autē dona ſpiritualia metonymicôs ab ipſo autore Spiritu ſancto, non à donorū ſubſtantia aut qualitate.

Scitis cum gentes eratis qualiter ſimulacra muta prout ducebamini ſecuti ſitis.

Vt excellentiam donorum, quibus præditi erant Corinthij Chriſtiani facti oſtendat, reuocat eis in memoriam qualeſnam fuerint ante ſuſceptam fidem Euangelij, nempe cæci & ignari Dei, vt qui à vero Deo ad muta idola aberrarint ſathanæ ſpiritu abrepti. Notandus locus de cœcitate hominum, & ſathanæ pleno imperio in eos, quorum mentes verbi Dei luce illuſtratæ non ſunt. Vnde admonemur de gratitudine erga Deum, qui allata verbi ſui luce & dato Spiritu ſancto iſtas tenebras diſcuſsit.

Quapropter notum vobis facio, quod nullus per ſpiritum Dei loquens dicit Ieſum anathema, & nullus poteſt dicere Dominum Ieſum niſi per Spiritum ſanctum.

Quia neceſſe eſt vnumquemq; hominem regi vel à ſpiritu ſathanæ, vel à ſpiritu Dei, proponit certiſsimam notam, vnde quis ſcire poteſt à cuius regatur ſpiritu. qui amplectitur idola & profitetur ſe execrari Chriſtum, vt ſpiritum Dei non habet, ita manifeſte agitur ſpiritu ſathanæ. nam effectus redolet ſuam cauſſam. contra qui dicit Chriſtum eſſe Dominum, id eſt, qui agnoſcit Chriſtum Dominum, & ex vera in illum fiducia eundem confitetur, ſpiritu Dei agitur. Dicendi enim verbum hic tria ſynecdochicôs continet, agnitionem, fiduciam & confeſsionem.

Diuiſiones autem donorum ſunt, ſed idem ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem Deus, efficiens omnia in omnibus.

Quia fuerunt apud Corinthios, qui ex diſcrimine donorum occaſionem ſumſerunt ſchiſmati & diſcordiæ, Paulus argumenti euerſionem petit ab vna eademq; cauſſa diuerſitatis donorum. ac ſi diceret: fateor quidem diſcrimina eſſe donorū, miniſteriorum & efficaciarū. tamen quia vnus idemq; Spiritus ſanctus omnium autor eſt non diſcordię, non ſchiſmatis, ſed concordiæ & vnitatis, inde argumentum petendum eſt. atq; hic ſenſus verborū Pauli ſimpliciſsimus eſt. verum tria vocabula illa quibus vtitur Apoſtolus, ita diſtinguo. Dona (quæ chariſmata, hoc eſt, gratuita dona dicuntur) generis loco ponuntur: cui duæ ſpecies ſubijciuntur, miniſteria & operationes: quas in hunc modum diſtinguito. Miniſteria ſunt variæ miniſterij Eccleſiaſtici functiones, vt Apoſtolatus, Epiſcopatus, Paſtoratus. Diaconatus, &c. de quibus plura circa finem capitis dicenda ſunt, vbi Apoſtolus quædam miniſteria recitat. Operationes Græce ἐνεργήματα ſunt facultates à Spiritu ſancto in ſingulos collatæ in vſum & conſeruationem Eccleſię. quarum ſpecies quaſdā paulò poſt ſubiungit. Porrò hic tres doctrinæ obſeruentur. Prima atq; ea propria, quod diſcrimina donorum in Eccleſia referenda ſint ad concordiam & vnitatem fouendam, cum conferantur ab vno eodemq: ſpiritu ad Eccleſiæ incolumitatem. Sicuti enim Deus principium & autor donorum eſt: ita etiam finis eſſe debet. Secunda eſt confutatio τῶν πνευματομάχων qui Spiritum ſanctum à donis non diſtinxerunt. Immo ipſum Spiritum ſanctū nihil aliud eſſe contenderunt, quā dona hominibus diuinitus collata. hic error manifeſte Pauli verbis refutatur. Nam aperte & diſtincte dicit: Diuiſiones donorū ſunt, ſed idem ſpiritus. quem & Dominum & Deum hic appellat. Tertio obſeruetur triplex relatio. Prima donorū & ſpiritus. Secunda miniſtrorum & Domini. Tertia, efficaciarum vel operationum & Dei. vnde docemur, vt Spiritui ſancto acceptum feramus quicquid habemus donorū, vt noſtra omnia miniſteria & officia ad ſeruitutem quam Domino DEO debemus referamus, vt denique quicquid habemus facultatum DEO aſſcribamus autori. Sunt qui ex hoc loco trinitatem perſonarum probari nituntur, ſed malo tantum fidei articulū ſolidioribus niti fundamentis. Cæterum qui ex generali dicto, Efficiens omnia in omnibus, concludunt Deum autorem eſſe

rem eſſe peccati, vt impij in Deum ſunt, ita male circumſtantiam loci perpendunt. Nam hic tantum agitur de ſalutaribus in Eccleſia actionibus.

Vnicuique vero datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem.

Finem breuiter notat donorum ſpiritus, eſſe vſum & commodum totius corporis Eccleſiæ. ipſa dona manifeſtationem ſpiritus vocat. nam cum ea largitur, ipſius vis præſens declaratur, & ex effectu cauſſa monſtratur.

Nam huic quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, Alij vero ſermo cognitionis per eundem ſpiritum, Alij vero fides per eundem ſpiritum, Alij vero dona ſanationum per eundem ſpiritum, Alij vero facultates virtutum, Alij vero prophetia, Alij vero dijudicationes ſpirituum, Alij vero genera linguarum, Alij vero interpretatio linguarum: ſed omnia hæc efficit vnus ille & idem ſpiritus, diuidens peculiariter vnicuique ſicuti vult.

Diſcrimina ſeu ſpecies quaſdam operationũ, id eſt, facultatum quibus Spiritus ſanctus ornat Eccleſiam exempli cauſſa recitat, & ponit ordine nouem, quarum quædam explicatione non indigent. Inter ſapientiam & cognitionem hoc eſt diſcrimen, illa eſt vniuerſalis rerum diuinarum noticia, hæc particularis, Illa conſummatior, hæc mediocris. Sermonem addit Apoſtolus, quia vtraq; facultas in docendo conſpicitur. fides hic non dogmatum, ſed ſignorum intelligenda eſt. Miraculoſe ſanationum donis claruit Eccleſia ad tempus, vt doctrina Euangelij, quæ tum noua videbatur, confirmaretur. per facultates virtutũ, intellige eas efficacias, per quas Apoſtoli & multi ſancti in primitiua Eccleſia veluti imperio quodam cohibuerunt dæmones atque fugarunt. Prophetia hoc loco eſt donum arcanæ Dei voluntatis explicãdæ. Diſcretiones ſpirituum fuerunt, per quas ſancti homines ſingulari inſtinctu ſpiritus ſinceros Chriſtianos à falſis diſcernebant. Generibus linguarum diuerſarum multi pollebant, quos alij vernaculo idiomate in vſum Eccleſiæ reddiderunt. Hæc varia dona cum idem ſpiritus diſtribuat, & nemini ſimul omnia conferat, monent nos, vt ſinguli quicquid habemus donorum, in commune conferamus, vt ita ſeruetur vnitas & corporis Eccleſiæ incolumitas.

Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia vero membra corporis vnius, multa cum ſint, vnum ſunt corpus, ſic & Chriſtus.

Iam paradigma humani corporis & membrorum eius proponit, vt doceat diuerſitatem donorum ad Eccleſiæ conſeruationem referendam eſſe. Quemadmodum ſe habent membra diuerſa ad idẽ corpus hominis, ita ſe habent Chriſtiani diuerſis donis pollentes, ad vnum idemq; corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia. ſed in humano corpore membra diuerſa ſuas facultates conferunt ad conſeruandam corporis compaginem & incolumitatem. ergo & in Eccleſia Chriſtiani diuerſis donis pollentes, omnia referre debent ad Eccleſię conſeruationem & incolumitatem. Porrò obſeruetur hic nominis communicatio pleniſſima conſolationis, qua Eccleſiam Chriſtum appellat, vt ſciamus Chriſtum à ſua Eccleſia, cuius caput eſt, nunquam diuelli, ſed eam perpetuo ſuo ſpiritu fouere, regere & conſeruare.

Etenim per vnum ſpiritum nos omnes in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes vnum ſpiritum potauimus.

Probatio eſt, quod Chriſtiani, vt diuerſa membra, vnum corpus conſtituunt. argumento ſumto à ſacri baptiſmatis & cœnæ effectibus Vt enim in baptiſmo inſerimur corpori Chriſti, dum per ſpiritum ſanctum regeneramur, Ita regeniti eodem Chriſti ſpiritu viuimus: cuius ſacrum ſymbolum eſt cœna Domini. Cum ergo vnum eſt corpus Eccleſia, & vno regitur ſpiritu, decet profecto vt omnia ad vſum huius corporis & commodum referamus; modo reuera velimus huius corporis membra cenſeri.

Etenim corpus non eſt vnum membrum, ſed multa.

Pulcerrimam analyſin propoſiti paradigmatis inſtituit, in qua dum gra-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

...mbrorum corporis multiplices facit, per quos variæ functiones & facultates in Ec... ...itelliguntur, plurimas hypotheſes colligit, ſeruientes pręſentis diſputationis ſcopo. ...utem accommodatio apertior ſit, ſummam omnium ad ſex membra referam. PRI...M ergo ex eo, quod ad corporis vnitatem plura requirantur membra, quorũ quædam ...t alijs nobiliora, alia viliora & abiectiora, abiectæ ſortis homines apud Corinthios con...latur, ne propterea putent ſe extra Eccleſię corpus eſſe, quod non ſint adeo excellentibus facultatibus præditi, vt Apoſtoli, Prophetæ, &c. SECVNDO, ex neceſsitate diuerſorum membrorũ in vno eodemque corpore humano, docet diuerſas facultates & diuerſa officia in Eccleſia neceſſaria eſſe, vt nemo ſit in Eccleſia, cuius non ſit aliquis vſus ad totius corporis Eccleſiæ conſeruationem. TERTIO, ex eo quod ſe inuicem opus habeant membra, adeo vt nobiliſsima etiam requirant infirmorum miniſteria, tollit faſtũ eorum, qui tumidi excellentia donorum, alios præ ſe contemſerunt. QVARTO, ex quorundam membrorũ humilitate & vilitate, quæ diligentius cura hominis reguntur, immo ſtudioſius ornantur etiam, docet quod Eccleſia infimæ etiam ſortis hominibus ſuum honorẽ tribuere debeat, eoſdem eiuſdem corporis ſecum membra agnoſcat, tegatque quæ indecora videntur. QVINTO, ex totius corporis apta ſymmetria diuinitus ita conſtituta, vt diſsidium in Eccleſia vitandum, ita concordiam diligenter fouendam, docet. SEXTO, & vltimo ex mutua corporis membrorum eiuſdem affectione docet, vt diuerſis præditi donis in Eccleſia afficiantur mutuis commodis atq; incommodis. Nam qui ita non afficiuntur, ſe non eſſe de eodem corpore oſtendunt. His ita explicatis textus facilime à quouis intelligi poteſt.

Etenim corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. ſi dicat pes non ſum manus, non ſum de corpore, num ob id non eſt ex corpore? & ſi dicat auris non ſum oculus, non ſum igitur de corpore. num ob id non eſt ex corpore?

Hoc primum membrum eſt analyſios, plura membra ſunt vnius corporis, Ergo diuerſæ facultates ſunt in Eccleſia, vt diuerſa & plura membra in eodem corpore. quare perperam abiectiora membra ſe ex corpore eſſe negant, propterea quod ſuperiorem locum non occupent. idem iudicium de Eccleſiæ membris eſt. Nã vt ſingula membra corporis, iuxta dignitatis gradus & facultates ſua habent officia: Ita ſingulis officia in Eccleſia conferenda ſunt iuxta donorũ analogiam. Prophetæ & Apoſtoli, Doctores, Euangeliſtæ, ſint veluti oculi, his nonnihil inferiores, veluti aures habeantur auditores excellentioribus donis præditi. pedes ſint vulgus promiſcuum, non ita præclaris donis conſpicuum, atque ita de cæteris.

Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? nunc autem Deus collocauit membra ſingula ſigillatim, vt voluit. quod ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? nunc autem multa quidem membra, vnum vero corpus.

Secundum reſolutionis membrum eſt, cuius ſenſus & ſupra clare eſt redditus. Docet enim ex diuerſitatis neceſsitate, donorum in eodem corpore neceſſario eſſe varia officia in Eccleſia. argumentum autem ita concludi poteſt: Quemadmodum neceſſe eſt, vt in vno corpore plura ſint membra, Ita neceſſarium eſt, vt in Eccleſia ſint diuerſæ functiones & officia. Ergo cum corpus eſſe non poſsit, niſi ſint in eodem diuerſa membra, fieri nequit, quin in Eccleſia requirantur varia & diſtincta officia.

Non poteſt autem oculus dicere manui, opus mihi te non eſt. aut rurſus caput pedibus, non eſt mihi opus vobis. Immo multo potius, quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſaria ſunt.

TERTIVM reſolutionis membrum, per quod tollit faſtum eorum, qui ſuis donis inflati, alios in Eccleſia præ ſe contemnunt. Nam qui alterius opera & miniſterio indiget, adeo vt ſine ipſo non poſſet ſuum ſtatum tueri, non poteſt profecto iſtius miniſterium contemnere ſine proprio interitu.

Et quæ putamus corporis maxime eſſe inhoneſta, ijs ampliorem honorem circumponimus, & indecora noſtra copioſi-

QVARTA reſolutionis pars, quæ hoc pacto acommodabitur: membra corporis quo ſunt magis indecora, eo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

orem decorem habent. Nam quæ ſunt decora in nobis, non opus habent.

ſtudioſius teguntur & ornantur, vt tegatur quod eſt in illis pudendum, Ergo homines in Eccleſia abiectiores, ac veluti pudenda membra, præſtantiorum beneuolentia fouendi, tegendi & ornandi ſunt: ne, dum ſe abiectos dolent, animum prorſus deſpondeant. Hæc non pertinent ad turbandum ordinem politicum aut Eccleſiaſticum: ſed vt ſingulis officiorum gradibus ſuus, ſeruata iuſta proportione, honor habeatur.

Sed Deus ſimul temperauit corpus ei cui deerat copioſiori tributo honore, ne ſit diſſidium in corpore, ſed alia pro alijs idem curent membra.

QVINTA reſolutionis pars, in qua ex membrorum iuſto temperamento docet fines diuerſorum officiorum in Eccleſia. cur videlicet Deus velit eſſe diuerſa officia in Eccleſia, ni mirum vt vitentur diſsidia. Nam ſine mutua opera membra ſuum ſtatum tueri nequeunt. Deinde, vt alia membra pro alijs idem curent, id eſt, vt ſingula membra ad totius corporis commodum & conſeruationem ſuas functiones conferunt: ita in Eccleſia ſinguli ſuo loco, quicquid habent donorum ad totius Eccleſiæ incolumitatem referre debent.

Itaque ſiue patitur vnum membrum, ſimul dolent omnia membra, Siue honore afficitur vnum membrum, congratulantur membra omnia.

SEXTA analyſis pars, quæ ex quinta concluditur, qua docetur, vt Chriſtiani in Eccleſia mutuis commodis & incommodis affici debeant iuxta Pauli dictum: flete cum flentibus & gaudete cum gaudentibus. Hæc membrorum corporis Chriſti συμπάθεια vbi non fuerit, arida eſſe membra & ſpiritu Chriſti deſtituta neceſſe eſt.

Vos autem eſtis corpus Chriſti & membra, ex parte.

Paradigma propoſitum accommodat. Eccleſia tota per orbem ſparſa, eſt corpus Chriſti myſticum: cuius corporis membra ſunt ſinguli Chriſtiani, quiſque pro ſuæ functionis munere. atque hoc eſt, quod dicit membra ex parte, hoc eſt, diſpertitis functionibus & officijs.

Et alios quidem conſtituit Deus in Eccleſia, Primum Apoſtolos. Deinde Prophetas. Tertio Doctores. Deinde Poteſtates, deinde dona ſanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.

Exempli gratia nonnulla Eccleſiæ membra, enumerat, eaq; magis illuſtria, vt quæ manuum, aurium, oculorum vicem obtinent. Apoſtolorum appellatio nota eſt. Prophetæ fuerunt tum qui dono prædicendi futura ornati erãt, tum qui ſacram ſcripturam & Prophetias interpretabantur. Doctores doctrinam ab Apoſtolis & Prophetis acceptã, in certis locis certo populo tradebant. Poteſtates hic vocat eos, qui facultate edendarum virtutum præditi erant. Opitulationes ſeu ſubleuationes ſunt Diaconorum & viduarum miniſteria, quæ pauperibus & ægrotis deſtinabantur. Gubernationes fuerunt ordinationes diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

Num omnes Apoſtoli? Num omnes Prophetæ? Num omnes Doctores? Num omnes ſunt poteſtates? Num omnes donum habent ſanationum? Num omnes linguis loquuntur? Num omnes interpretantur?

Sicut ſupra in corpore humano oſtendit diuerſa eſſe membra officijs & gradibus diſtincta, Ita etiam in Eccleſia ſe habere dicit. ſicut enim non omnia membra in corpore humano ſunt oculus, Ita non omnes in Eccleſia ſunt Apoſtoli, ſed alij alium nacti locum, æqualiter omnes ſunt de eodem corpore.

Ambitis vero dona potiora? adhuc excellentiorem viam vobis demonſtrõ.

Hæc ſi ita interrogatiue leguntur, ſenſus hic eſt: Vos quidem cupitis alijs alios excellere ambiendo potiora dona. quod ſi omnino placet indulgere ambitioni, oſtendã vobis aliam viã, qua quò quiſ-

que

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

que magis excelluerit, eo merito excellentior in Eccleſia habebitur. Hæc autem via eſt charitatis indefeſſum ſtudium. Alij hæc legunt ſine interrogatione, & reddunt Græcam vocem per imperatiuum modum, hoc pacto: æmulamini dona potiora. atque tum exhortatio eſt, vt quæ ſunt potiora & maiora, magno ſtudio ſectentur Corinthij, vnde promittit ſe illis oſtenſurum excellentiorem viam, nempe charitatem ipſam. Verum prior lectio magis propria eſſe videtur.

CAPVT XIII.

Summa Capitis Decimitertij.

Vt alia dona nullius eſſe precij, niſi charitatem habeant coniunctam: ita virtutibus omnibus eandem præferendam eſſe, docet: vt quæ ſuum vſum latius quam aliæ virtutes diffundat.

Ordo & partes Capitis Decimitertij.

Quia Apoſtolus animaduertit apud Corinthios factionum ſtudia inter ſuperiores & inferiores, conatur in hoc capite iſti vitio mederi. Vt autem remedium, quod eſt vehemens charitatis ſtudium, eo promtius recipiant, eius encomium texit, & ex quatuor potiſſimum locis eius commendationem petit, Quorum primus eſt à comparatis, Secundus ab eius vſu inter homines, Tertius à duratione, Quartus ab excellentia ipſius inter ſummas virtutes. De quibus ſingulis in enarratione copioſius.

EXEGESIS DECIMITERTII CAPITIS

CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SI linguis hominum loquar aut angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum æs reſonans aut cymbalum tinniens. & ſi habeam prophetiam, & nouerim myſteria omnia, omnemq́ue ſcientiam, Et ſi habeam omnem fidem, adeo vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi inſumam alendis egenis omnes facultates meas, Et ſi tradam corpus meum, vt comburar, charitatem autem non habeam, nihil iuuor.

Prima ratio cur charitas omnibus reliquis, quibus excellere poſſunt homines, præferenda ſit, ſumta à comparatis. Quæcunq; ſunt eiuſmodi, vt ſuis poſſeſſoribus nihil proſint, niſi cõiunctam habeāt charitatem moderatricem, merito charitati cedunt, eiq; poſtponuntur. huiuſmodi ſunt genera linguarum, Prophetiarum, myſteriorumq́; Dei ſcientia, fides edendorum miraculorum, facultatum diſtributio in pauperes, Martyriū pro confeſſione doctrinæ ſuſceptum. Hęc igitur merito cedunt charitati, eiq; merito poſtponuntur. Eſt proinde charitas ex fide profecta vnica operum regula, & ſola recte moderatur vſum donorum Dei. Sola Minor hic ponitur in illuſtri exemplo, vt magis ſit conſpicua, ex qua concluditur propoſitio in fine capitis ſuperioris poſita. Linguam angelorum, vocat κατ' ἐξοχὴν ſingularem & eximiam facundiam. Fidem, nõ fiduciæ, ſed ſignorum intelligit, id quod hinc patet: primum, quod fides fiduciæ nunquam ſit ſine charitate. Deinde, quia ipſe Paulus fidem de qua loquitur, reſtringat ad miracula, cum inquit: Adeo vt montes transferam. neque cum hac interpretatione pugnat particula omnis. Nam vocula Omnis, non ſemper diſtributionem generis ſignificat, ſed ſæpe integritatem & conſummationem rei cui additur, notat. quare hæc regula obſeruetur in talibus locutionibus: Vniuerſales propoſitiones reſtringendæ ſunt ad materiam de qua agitur. vt cum alibi ait: Gratias ago Deo quod ditati eſtis omni ſermone & omni noticia. Hic certe omnis, non diſtribuit vniuerſum genus, ſed integritatem & conſummationem ſermonis & noticiæ ad pietatem facientis ſignificat.

Charitas patiens eſt, benigne agit.

Qualis ſit, quid efficiat, & à quibu[s]

Cha-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Charitas non inuidet, non agit inſolenter, non inflatur, non agit indecenter, non quærit ſua ipſius, non prouocatur, non cogitat malum, non gaudet ob iniuſticiam, congaudet autem veritati, Omnia fert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

abſtineat charitas, exponit: vt ipſam nobis commendatiorem reddat. Primum eſt patiens, vt quæ tarda ſit ad commotionem animi. Hæc eſt enim vis Græcę vocis μακροθυμεῖ. Deinde benigne agit, ſiue comis eſt. χρηστεύεται enim à χρηστὸς dicitur, quod eſt probus, humanus, cõmodus, qui ſe alijs vtendum præbet: ex primo conſequitur Tertium, quod non inuideat cuiquam. ex ſecundo Quartum & quintum videlicet, quod nec inſolenter ſeu perperam ſeu inconſtanter agat, nec infletur. Reliqua plana ſunt, niſi quod generalia dicta: omnia fert, omnia credit &c. reſtringenda ſint ad ea quæ ferri, credi, ſperari, ſuſtineri pietas ſuadet.

Charitas nunquam excidit, ſiue Prophetiæ abolebuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue cognitio abolebitur.

Tertia cõmendatio charitatis ſumta ab eiuſdem duratione. Diuturniora præferẽda ſunt minus diuturnis & perituris, Charitas, quę nunquam excidit, id eſt, deficit & aboletur eſt diuturnior Prophetijs, linguis & cognitione omni, Igitur charitas illis præferenda eſt. Verum cum ſcientia, cognitionis habitus perficietur in ęterna vita, neceſſe eſt hæc Pauli verba intelligi de ratione adipiſcendæ ſcientiæ ex Prophetia, hoc eſt, doctrina ſeu ex aliorum inſtitutione. Conferuntur enim hic Prophetia & cognitio, vt Prophetia ſit doctrina in docente, cognitio ſit ratio acquirendæ doctrinæ in diſcente.

Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus, poſtquam autem venerit, quod perfectum eſt, tunc quod eſt ex parte, abolebitur.

Probat prophetiam & cognitionẽ, hoc eſt, modum docendi & diſcendi in hac vita vſitatum abolendum eſſe. Nam in futura vita, in qua fruemur contemplatione Dei, perfectus erit modus ſciendi, & longe diuerſus ab hoc imperfecto modo. Cum ergo ait, Ex parte cognoſcimus, ſenſus eſt: quod ſit imperfecta cognitio noſtra in hac vita, quantum quidem ad habitum attinet, non quantum ad finem doctrinæ & cognitionis: qui eſt, vt ex fide Chriſti ſaluentur credentes.

Cum eſſem infans, vt infans loquebar, vt infans cogitabam, vt infãs ſentiebam. poſtquam autem factus ſum vir, aboleui quę infantis erant.

Rationem propoſitam illuſtrat perſpicuo exemplo per quod comparat præſentem vitam infantiæ, futuram vero virili ætati. Vt ergo infantibus puerilis eſt locutio, cogitatio, & ſenſus, In viris autem locutio, cogitatio & ſenſus, quæ viro conueniunt: Ita in hac vita eſt imperfectior cognitio, in futura erit cõſummata & pfecta. Proinde vt in viro abolita eſt puerilis cognoſcendi ratio: Ita in ſanctis poſt hanc vitam illa docendi & diſcendi ratio, quæ nunc in vſu eſt, abolebitur.

Cernimus enim nunc per ſpeculum in ænigmate, Tunc vero faciẽ ad faciem. nunc cognoſco ex parte, tunc vero cognoſcam prout edoctus fuero.

Confert noticiam quam habemus in præſenti vita cum ea, quam aſſequemur in futura. Illa inſtar ſpeculi & ænigmatis (hoc eſt, obſcurioris orationis) exiſtit: hęc quę in æterna vita erit, tanquam res ipſa eſt, & clariſsima Dei contemplatio. Nam tum & noſtra conditio melior erit vbi induerimus immortalitatem, & ratio diſcendi perfectior: quæ erit præſentis Dei contemplatio.

Nunc vero manet fides, ſpes & charitas: ſed maxima harum charitas.

Hæc quarta eſt commendatio charitatis ab eminẽtia eius inter alias virtutes Chriſtianorum proprias & perpetuas, ac veluti Chriſtianæ religionis ſubſtantiales, cum reliquæ abeſſe poſsint, vt virtutes edendi miracula, &c. Sine enim fide Chriſtianus nemo eſſe poteſt. Hæc generat charitatem & ſpem, quæ eſt indubitata expectatio eorum, quę creduntur iuxta diuinas promiſsiones.

Apoſtolus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Apoſtolus inter has tres virtutes, maximam pronunciat charitatem, cum quia vſus eius eſt maximus & diffundit ſe latius in commodum proximorum, Tum, quia nunquã abolebitur, vt quæ hic inchoata in æterna vita perficiatur, vbi nec fidei nec ſpei locus vllus erit. Verum ſi alia ſpectes, inuenies Fidem in hac vita multo excellentiorem eſſe. Ea enim renaſcimur & efficimur filij Dei, per eam obtinemus vitam æternam, Ea facit, vt Chriſtus in nobis habitet, atq; adeo ipſa charitatis cauſſa & mater exiſtit. Argumentum Papiſtarum hinc petitum contra gratuitam iuſtificationem, à Philippo in Locis & in Examine ſoluitur.

CAPVT XIIII.

Summa Capitis Decimiquarti.

Vt dona omnia ad ædificationem referenda, ita Prophetiam linguis anteponendam docet, præſcribens recte agendi modum in Eccleſia, vt omnia decenter & iuxta ordinem fiant.

Ordo & partes Capitis Decimiquarti.

Hortatur in principio ad charitatem & vt alia ſpiritualia dona æmulentur, ſed præ alijs Prophetiam. Deinde collationem linguarum & Prophetiæ facit, hanc illi præferens, vt quæ magis ad ædificationem faciat. Poſt hæc reprehendens ἀταξίαν Corinthiorũ in Eccleſiaſticis cœtibus, Modum recte agendi monſtrat, & interdicit mulieribus ne in Eccleſia loquantur. Tandem regulam generalem præſcribit, nimirum vt omnia decenter & iuxta ordinem ad ædificationem fiant.

EXEGESIS DECIMIQVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SECTAMINI charitatem, æmulamini ſpiritualia, magis autem vt prophetetis.

Exhortatio ad charitatem, quã in ſuperiori capite reliquis donis præferendam docuit. Hæc cum obtinetur, reliqua quoque recto expetuntur ordine. quare addit, æmulamini, id eſt, ambite ſpiritualia dona: inter quæ prophetiam præfert, vt quæ magis ad ædificationem faciat. Eſt autem prophetare hoc loco verbum Dei interpretari, ac Eccleſiæ Dei ad ædificationem accommodare.

Nam qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo. nullus enim audit, ſpiritu vero loquitur myſteria: At qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem & conſolationem.

Collatio eſt linguæ (id eſt, idiomatis vulgo incogniti) & prophetiæ in effectibus. Nam ex effectibus cauſſæ æſtimantur. illud donum quo magis Eccleſia ædificatur (id eſt, promouetur in pietatis cognitione & ſtudio) eſt præferendum ei quo minus ædificatur. Sed Eccleſia magis ædificatur prophetandi munere, quã vulgo incognito idiomate. Ergo prophetia præferenda eſt idiomati, præſertim cũ non accedit interpretatio. Minoris probatio ponitur. Non loquitur inquit homninibus, quia nullus audit, id eſt, intelligit, ſpiritu, id eſt, afflatu diuino loquitur myſteria, vnde ſolus ædificatur. Contra vero qui prophetat, hominibus loquitur eis exponendo myſteria. vnde qui audiunt, capiunt ædificationem, exhortationem & conſolationem, Nam hac tria præcipue ſpectare debebunt verbi Dei miniſtri.

Qui loquitur linguis, ſeipſum ædificat. qui vero prophetat, Eccleſiam ædificat.

Qui plures ædificat prę̧ferendus eſt ei, qui pauciores. qui linguis loquitur ſe ſolum ædificat, qui vero propheta, totum Eccleſiaſticum cœtum. Ergo hic illi præferendus eſt. quare prophetia linguis eſt anteponenda.

Velim autem omnes loqui linguis,

Prolepſis eſt, qua anticipat obie-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

magis tamen, vt prophetetis, Maior enim qui prophetat, quam qui loquitur linguis, niſi ſi interpretetur, vt Eccleſia ædificationem accipiat.

ctionem eorum qui verba Pauli torquere poterant, ac ſi idiomata peregrina eximia dona Dei cõtemneret. quare magnifacere ſe teſtatur linguas, ſed ita vt præferatur Prophetia. linguas tum demum vtiles eſſe, vbi accedit interpretatio, vt Eccleſia ædificationem accipiat.

Nunc vero fratres ſi veniam ad vos linguis loquens, quid vos iuuabo, niſi vobis loquar, aut per reuelationem, aut per cognitionem, aut per Prophetiam, aut per doctrinam?

Quia fuerunt inter Corinthios, qui valde tumebant variorum idiomatum cognitione, horum faſtum vt reprimat, ſeipſum exempli loco ſtatuit, ac dicit ſe nihil vtilitatis afferre Eccleſiæ linguarum cognitione, niſi accedat interpretatio. Porrò voces quatuor, quas hic Paulus ponit, ita diſtinguo: quod reuelatione conſecutus eſt quiſquam, per Prophetiá diſpenſat, & doctrina cognitioné communicat. Vt ergo Prophetia effectus eſt reuelationis, ita cauſſa cognitionis eſt doctrina.

Quin & inanima ſonum reddentia, ſiue tibia, ſiue cithara, niſi diſtinctionem ſonis dederint, quomodo cognoſcetur quod tibia canitur aut cithara? etenim ſi incertam vocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? ſic & vos per linguam niſi ſignificantem ſermonem dederitis, quomodo intelligetur, quod dicitur? eritis enim in aërem loquentes.

His ſimilitudinibus docet, idioma vulgo incognitum nihil omnino ędificare Eccleſiam. Quemadmodum enim ſonus tibiæ aut citharæ, niſi certa modulatione diſtinguatur, temere editur: Ita lingua niſi accedit interpretatio, non ædificat Eccleſiam, ſed qui ita loquitur peregrina lingua in aerem loquitur, aerem fruſtra verberans.

Tam multa verbi gratia genera vocum ſunt in mundo, & nullum horum mutum. Itaq; ſi neſciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus.

Species ſupra poſuit: nunc idem verum eſſe in vniuerſo genere docet. quicquid ſonũ illum edit in mundo, aliquid ſono ſignificat, Ergo in hominibus quoque habenda eſt ratio illius qui loquitur, ne audienti ſit barbarus, & contra. Vocat autem barbarum eum, cuius ſit ignotum & peregrinum idioma, vt apud Ouidium: *Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor vlli.*

Itaq; & vos quandoquidem ſectatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite, vt excellatis.

Illatio exhortatoria, vt Corinthij dona ſpiritualia ſectentur & ambiant ad ædificationem. Vocat autem hic ſpiritus ipſa varia ſpiritus χαείσματα, vſitata Hebræis metonymia.

Quapropter qui loquitur lingua, oret vt interpretetur.

Oſtendit modũ quomodo linguæ cedant in Eccleſiæ ædificationé: nempe ſi acceſſerit donum interpretandi linguas. quod quia à Deo eſt, iubet vt à Deo petatur.

Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat. mens autem mea infructuoſa eſt.

Quod in genere de linguis dixerat, nunc ad orationem transfert, & ſeipſum declinandæ inuidię cauſſa exempli loco ſtatuit. Eſt autem ſenſus: Si ego in publico cœtu oro incognito Eccleſiæ idiomate, ſpiritus meus orat, id eſt, ex dono ſpiritus id quidem ago, ſed mens mea, hoc eſt, precationis intelligentia, ſeu ſenſus, non pertingit ad Eccleſiam ædificandam, ſed manet infructuoſa, ſcilicet Eccleſiæ. Nam qui ita orat, ſeipſum ædificat, non Eccleſiam. Hinc æſtimari poteſt, quo in loco habendi ſint boatus canonicorum & monachorum, qui nec à ſe ipſis nec ab auditoribus intelliguntur, quare nequaquam preces ſunt, ſed mera Dei & Eccleſiæ Chriſti ludibria.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quid igitur eſt? orabo ſpiritu, ſed orabo & mente. pſallam ſpiritu, ſed pſallam & mente.

Ne quis ex dictis inferret, donum ſpiritus precantium à Paulo contemni, anteuertit & vult vtrumque coniungi, nimirum vt & ſpiritus afflatu oremus, & ſimul ſtudeamus, vt mens noſtra, id eſt, precationis ſenſus intelligatur ab Eccleſia. loquitur enim de publicis precibus, quæ nunc fiunt à miniſtris verbi: quorum verba populus circumſtans animo ſequitur, & voto excipit. hęc ex diametro pugnant cum precandi ritu, qui in Eccleſijs Papiſticis ſeruatur magna cum Dei contumelia.

Quandoquidem ſi benedixeris ſpiritu (ſcilicet ſolo abſque intelligentia) is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus eſt Amen, ad tuam gratiarũ actionem? quandoquidem quid dicas neſcit.

Quod de precibus dixit, idem ad gratiarum actioné transfert. ad quam totus cœtus circumſtans tempore Apoſtoli, Amen dicere ſolebat & voto ſibi eandem applicare. Locum idiotæ implet, qui inter idiotas ſedet, id eſt, priuatos, qui non publico miniſterio fungebantur. facit ergo hic Paulus duos ordines in Eccleſia, nempe miniſtros & idiotas, horum partes erant in Eccleſia audire & aſſenſum ſignificare.

Nam tu quidem bene gratias agis, ſed alius non ædificatur.

Præſumtio eſt, ne quis exiſtimaret Paulum nullam gratiarũ actionem recipere, niſi quæ fieret omnibus nota lingua. Quare ſe eam probare teſtatur, ſed vni tantum vtilem eam dicit & non toti cœtui.

Gratias ago DEO meo, quod magis quam vos omnes linguis loquor.

Ne quis calumniaretur Paulũ linguas extenuare ob imperitiam, anteuertit illam obiectionem, & ſe ſolum plus quam omnes Corinthios linguarum cognitione pollere aſſerit. & ne hoc quoq; in calumniam verterent, id donum Dei eſſe teſtatur dum ei gratias agit.

Sed in Eccleſia mallem quinque verba intelligentia mea loqui, vt alios informem, quam decem millia verborum lingua.

In cœtu Eccleſiaſtico præfert Prophetiam linguis, quia prophetia alijs eſt vtilis ad ędificationem. linguę non ædificant niſi eum, qui eas callet. vt per quinque verba pauca, ita per decem millia multa intelligit, certum enim numerum pro incerto more ſcripturæ poſuit.

Fratres ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malitia pueri ſitis, ſenſibus autem perfecti. in lege ſcriptum eſt: varijs linguis & labijs varijs loquar populo huic, & ne ſic quidem audient me dicit Dominus.

Superiora argumenta ad locũ vtilitatis referuntur. iam à dãno ſeu pœna ſubiecturus argumentum, ab exhortatione incipit. hortatur enim Corinthios, vt non ſint pueri ſenſibus, id eſt, intelligentia rudes, vt qui verbum Dei auditum non intelligant magis quam infantes, ſed pueri malitia, vt ſuperbiam & faſtum reliquaque vitia deponant, eiſq; non magis addicti ſint, quam recens nati infantes, Verum contra vt ſint ſenſibus, id eſt, intelligentia (qua verbum Dei percipiunt) perfecti, id eſt, adulti, hoc eſt, tales qui verbum Dei auditum intelligãnt, meditentur, retineãt, ac iuxta illud vitam ſuam inſtituãt. Hunc eſſe ſenſum exhortationis pręſentis patet ex Eſaię teſtimonio. Nã Eſaias eo loco reprehendit Iudæos, quod ſuo faſtu & ſceleribus effecerint, quod Deum ſibi per Prophetas loquentem nõ intellexerint, magis quã pueri. Immo Deus viſus eſt ijs barbarus & quaſi peregrina lingua loquens, cum vitã ad verbi ipſius normã non formarent. Hic ergo locus, vt nos monet quanti faciamus verbum Dei, quam auide illud audiamus, quam ſtudioſi & intenti ſimus, vt à nobis intelligatur, iuxtaque illud & mens & vita noſtra formetur: Ita iram Dei comminatur ijs qui pergentes in ſuis ſceleribus, aurem verbo Dei non adhibent. futurum enim eſſe prędicit Propheta, Vt verbum aliquando auditum non magis intelligant, quã ſi barbara & peregrina lingua ijs proponeretur. Hac horrenda pœna puniuntur hodie plurimi, qui ſępe quidem verbum audiunt, ſed vitam ſuam iuxta eius normam non inſtituunt: quo ſcelere maius aliud nullum cogitari poteſt.

Linguæ igitur ſunt ſigna non ijs, qui credunt, ſed infidelibus: prophetia vero nõ infidelibus, ſed credentibus.

Hęc concluſio obſcura eſt, niſi conſideretur ex ſua periſtaſi. Primum ergo cõſiderandum eſt, linguarum donum non conſiderari hoc loco ſimpliciter & in ſeſe, ſed quatenus linguis abutebantur Corinthij in ſacris cœtibus, neglecta & iacente Prophetia. Deinde, quod hic abuſus linguarum peregrinarum cum non ædificatur Eccleſia, ſit ſignum infidelibus, id eſt, teſtimonium infidelitatis, videlicet, quod illi qui ita abutuntur in ſacris cœtibus peregrinis linguis, fide careât, atq; adeo maledictioni obnoxij ſint. ſed cõtra Prophetia, id eſt, prædicandi verbi Dei munus, ſit ſign ũfidelibus, nempe benedictionis. Nam fides ex auditu verbi eſt. Auditus vero per verbum Dei, auditũ & intellectum. Quare vt talis linguarum abuſus eſt maledictionis, qua Deus prophanos vlciſcitur, ſignum: ita Prophetia benedictionis, qua Deus ſuos erudire dignatur, teſtimonium eſt. Ex his patet quid de Papiſtis, in quorũ templis tantum linguæ vulgo incognitæ ſonant, iudicandum ſit. Suppeditant enim iſti horrendæ maledictionis Dei domeſtica exempla. Nam contenti boatibus templicis, prædicandi munus tanquã ſe indignum in alios reijciunt. Neque tamẽ ex his efficitur, nullũ prorſus vſum linguarũ licitum eſſe in templis. Nam Paulus tantũ cõtra illos agit, qui Prophetia omiſſa, linguis peregrinis in ſacris cœtibꝰ abutebãtur.

Si igitur conuenerit Eccleſia in vnum, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem idiotæ aut infideles, nonne dicent vos furere? Sed ſi omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quiſpiam, aut idiota, arguitur ab omnibus, iudicatur ab omnibus, & ita occulta cordis eius manifeſta fiunt, atq; ita procidens in faciem adorabit Deum, renuncians quod Deus vere in vobis ſit.

Superius Apoſtolus contulit linguas & Prophetiam, quantũ ad vſum vtrorumq;, quantum ad domeſticos, id eſt, Eccleſiæ membra attinet: nunc addit quid efficiant in peregrinis & infidelibus. ſumma autem ſententiæ Paulinæ huc redit: linguarum abuſus facit, vt exponantur Corinthij infidelium ſannis, vt dicant ipſos furere, cũ in ſuis cœtibus reſonent linguas peregrinas, magno labore, ſine fructu. Verum cõtrà Prophetia primum efficit, vt arguantur infideles, id eſt, expaueſcant ad verbum Dei. Deinde, vt dijudicentur, id eſt, examinentur in ſuis conſcientijs, dum in ſeipſos deſcendunt, & habito examine ſibiipſis innoteſcunt. Tertio, vt occulta cordium ipſorum manifeſta ipſis fiant, dum ſcilicet ex verbi Dei teſtimonio ſuo mala cognoſcant, vnde pauor in corde & cõtritio exoritur. Quarto, vt procidant in faciem iam fide donati, ac Deum ex fide inuocent. Quinto, vt reddant vobis teſtimoniũ, quod Deus vere in vobis ſit, & vos eius ſitis populus. Obſeruetur hoc Pauli teſtimoniũ de efficacia verbi Dei: cui ſimile illud eſt: viuus eſt ſermo Dei & efficax & penetrantior quouis gladio vtrinque ſecante, pertingẽs ad diuiſionem animę ſimul & ſpiritus, compagumq; & medullarum, diſcretor cogitationum cordis. Huius verbi diuini efficacia illuſtre exemplum habetur in actis Apoſtolicis, vbi ad concionem Petri tria hominũ millia ad fidem conuerſa eſſe leguntur, ex his proinde manifeſtũ eſt, Prophetiam & verbi Dei prædicationem multis modis anteponendam eſſe linguis.

Quid igitur fratres? quoties conuenitis quiſq; veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, linguam habet, reuelationem habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant.

Hactenus varijs rationibus docuit Prophetiam linguis præferendam eſſe, nunc commode modum ſubiungit vtendi ad ædificationem cum linguis tum Prophetia. ac primũ quod in principio capitis fecit, omnia ad ædificationem referenda monet. In diſtributione exempli cauſſa pauca genera chariſmatum recenſet: vt de alijs idem iudicemus. ἕκαστος vnuſquiſque, hoc loco pro ὁ μὲν alius ponitur, ne quis ſingulos omnibus iſtis donis præditos fuiſſe arbitretur.

Siue lingua quis loquitur, fiat per duos, aut ad ſummum tres, idq; viciſsim. Vnus autem interprętetur, quod ſi non ſit interpres, taceat in Eccleſia, ſibijpſi vero

Quod in genere dixit, id nunc ſpeciatim explicat, ac primum modum ſtatuit ijs qui linguarum dono pollebant. Huiuſmodi partes ſunt quinq;.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

loquatur & Deo.

1. Ne vltra tres ad ſummum in cœtu Eccleſiaſtico loquantur linguis, ſi omnino linguis vti ipſis placeat. eſt enim permiſsio non præceptum. 2. Vt non ſimul loquantur, ſed alius poſt alium, vt ſe inuicē audire poſsint. quæ enim eſſet confuſio, ſi plures diuerſas linguas ſimul ſonarent in ſacris cœtibus? 3. Vt ſtatim aſsit interpres, qui exponat Eccleſiæ quid ſibi linguæ velint, quod niſi fiat non ædificatur Eccleſia. 4. Eſt præceptum vt omnino ſileant linguæ in Eccleſia, niſi ſimul aſsit interpres. Hoc Pauli præceptum nullum locum habet in toto papatu. 5. Vt qui linguis donati ſunt niſi habeant aut ipſi donū interpretādi, aut alius ſit interpres ſibi priuatim & Deo, qui ipſis hoc donū cōtulit loquātur.

Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & alij dijudicent. quod ſi alij fuerit reuelatum aſſidenti, prior taceat. poteſtis enim omnes ſingulatim prophetare, vt omnes diſcant & conſolationem accipiant. Et ſpiritus prophetarum Prophetis ſubijciuntur.

Vt modum linguis ſtatuit, ita nunc prophetiæ vſum oſtendit. Primum vult duos aut tres ex Prophetis viciſſim ꝓphetare. Deinde vult alios Prophetas iudices eſſe, ne quid proponatur, quod cum verbo DEI pugnet. Tertio vult etiā alijs locum dari, qui prophetandi munere valent. Quarto, concedit omnibus qui prophetiæ donum habent, prophetandi locum, ſed ſeruato ordine iuſtæ gubernationis & ſpectata populi vtilitate, idq; in eum finem, vt omnes diſcant & conſolationē accipiāt. Nemo enim tam doctus eſt inter miniſtros Dei quin audiendo alios & doctior fieri, & conſolationē ſeu exhortationem (nam vtrumq; ſignificat Græca vox παρακλῆσις) accipere poſsit. Quinto, vult ſpiritus Prophetarum (id eſt, doctrinam Prophetarum, quam afferunt ſpiritu Dei ſuggerente) ſubiectos eſſe Prophetis, hoc eſt, cenſuræ & examini Prophetarum, vt iuxta præceptum Iohannis probent, an ſpiritus ſint ex Deo. Probatio autem hæc aliunde peti non debet, quam ex analogia fidei, quemadmodum Paulus docet Rom. 12. hoc eſt, tum demū probanda eſt Prophetia, ſi cum primis religionis axiomatis congruit, ſi cū fundamento, id eſt, ſymbolo Apoſtolico, quod Irenæus traditionem Apoſtolicam vocat, non pugnat. denique ſi facit ad alendam pietatem veram & charitatem ſinceram inter homines.

Non enim eſt confuſionis Deus, ſed pacis, vt in omnibus Eccleſijs ſanctorum.

Hæc ratio ad vtrumq; membrum, immo ad totam gubernationem Eccleſiaſticam pertinet. Deus eſt autor ordinis & pacis. Ergo omnia in Eccleſia ordinate & ad pacem vult fieri Deus. Qui ergo confuſioni & diſcordiæ ſtudet, cum Deo bellum gerit. vt autem hæc ratio magis moueat Corinthios, addit exemplum aliarum Eccleſiarum Dei, quæ pacis & ordinis amātes ſunt. Obſeruandus locus, quod qui pacis & concordiæ non ſunt amantes & ſtudioſi, fruſtra ſe Eccleſiæ membra glorientur. hoc tamen ad pacem & concordiam, cuius fundamentum & vinculum eſt veritas Dei, referendum eſt.

Mulieres veſtræ in Eccleſia ſileant, nec enim permiſſum eſt vt loquantur, ſed vt ſubditæ ſint. quemadmodum & lex dicit.

Aliud adhuc vitium in Eccleſia Corinthiorum corrigit, nempe garrulitatem mulierum: quæ etiam in Eccleſia linguis loqui & prophetare voluerunt. Iubet proinde Apoſtolus, vt mulieres in publicis conuentibus taceant. Vt autem præceptū hoc maius pondus habeat, illud confirmat autoritate legis diuinæ, quæ iubet mulieres viris ſubiectas eſſe, Gene. 3. Sed quæ ratio eſt conſequentiæ? Mulieres ſubiectæ eſſe debent, Ergo non debent in publico cœtu loqui. Docere in Eccleſia, autoritatem & veluti præfecturam quandam in Eccleſia habentis eſt. Sed hęc pugnat cum ſubiectione. Ergo cum mulieres ſubiectę eſſe debeant, non debent publicum in Eccleſia docendi munus ſibi arripere.

Quod ſi quid diſcere volunt, domi ſuos maritos interrogent. turpe eſt enim mulieribus in Eccleſia loqui.

Anteuertit obiectionem. poſſet enim obijci: quid ſi diſcendi cauſſa loqui cupiant mulieres in cœtu publico? Reſpondet Paulus: domi interrogent maritos. & ſubiungit rationem à facti qualitate: nimirum, quod turpe ſit mulieribus in cœtu loqui. ſed qui ſic? Propterea quod indecorum ſit mulieribus perfecturam habere

ſupra

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſupra viros. Verum hoc vniuerſaliter intelligendum non eſt, ſed locum habet tantum vbi rite conſtituta eſt Eccleſiaſtica gubernatio. Nam alioqui tempore neceſsitatis non vetantur mulieres in publico cœtu loqui. Nam hic obſeruandum eſt diligenter, quod de ijs rebus agit Apoſtolus quæ ſeruiunt decoro & honeſtati in bene conſtituta republica.

An à vobis ſermo Dei profectus eſt? an ad vos ſolos deuenit?

Retundit faſtum Corinthiorum hac obiurgatiuncula, Qui reliquas Eccleſias præ ſe contemſerunt, quaſi ab eis initium haberet Eccleſia. Verum cum vtrumque ſit falſum, fruſtra Corinthios iſta ambitione tumere ſignificat Apoſtolus. Docemur ergo hoc loco, quod particulares Eccleſiæ non debeant aliæ alijs ſe præponere, ſed ſe inuicem potius amplecti, & cauere ne concordia ſcindatur propter res externas, aut cæremoniarum diſsimilitudinem, modo fundamentum maneat ſaluum.

Si quis videtur Propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quod Domini ſint mandata. ſi quis autem ignorat, ignoret.

Monet ante concluſionem cum peritos tum imperitos. peritos quidem, vt ea quæ de ἀταξίᾳ Eccleſiaſtica ſcripſit, ſciant eſſe præcepta Dei, qui cõfuſionis non eſt autor: Imperitos vero & rudes, vt ſuam ignorantiam agnoſcant, neq; turbent Eccleſiam, ſed peritiorum iudicio acquieſcant. ſæpenumero enim turbæ in Eccleſijs oriũtur ex eo quod imperiti & ignari, nolint imperiti & ignari videri, ſed peritiorum & doctorum locum occupent. Quare, vt illum errorem tollat Paulus, ait: Qui ignorat ignoret, id eſt, ignorantiam ſuam agnoſcat. Verum quæſtio hic oritur: Cur Paulus vocet ea quæ hic ſcripſit mandata Domini, cum nullum verbum de ijs, nec in veteri nec in nouo teſtamento extet? Reſpondeo. Sunt mandata Domini, quæ hic à Paulo præcipiuntur, quantum quidẽ ad genus attinet, quatenus præcipiunt decorum & ordinem in Eccleſia publicæ ædificationis & pacis gratia. Verum quo ad circumſtantias attinet libera ſunt, vt res aliæ mediæ, quæ non perpetuo obligant niſi ad genus ipſum decori videlicet & ordinis. Deinde diſcernendum eſt inter mandata ſpectantia ad politiæ Eccleſiæ ſtatum, & præcepta moralia ad pietatem immediate pertinentia. Nam hæc duo genera diuerſimode obligant.

Itaque fratres æmulamini Prophetiam, & linguis loqui ne prohibeatis. Omnia decenter & ſecundum ordinem fiant.

Concluſio eſt præſentis diſputationis de linguis & Prophetia: quæ duo ita vult adhiberi in Eccleſia, vt ædificationi ſeruiant, decenter & ordine fiant. hoc dictum: Omnia decenter & ordine fiant, fundamentum eſt gubernationis Eccleſiaſticæ. quo vt decorum & ordo ad ædificationem mandatur, Ita prohibetur quicquid cum decoro & ordine pugnat. ex hoc fundamento, tanquam principio, primum vniuerſa gubernatio Eccleſiaſtica ſicut dixi, extrui debet. Deinde ex eo confirmatur, quod pię Eccleſiæ conſtitutiones ex ea parte cenſendæ ſint diuinæ, quatenus decoro & ordini ad ædificationem ſeruiunt. Obligant igitur ad obœdientiam ea parte etiam diuino iure. Tertium, quod liberum ſit Eccleſijs ritus ordinare, ſeruientes decoro & ordini, & eos rurſus mutare probabili de cauſſa, modo id quod diuinum eſt, id eſt, decorum & ordo retineatur. Quarto, quod vt traditiones impiæ omnino fugiendæ ſint, vt quæ ab autore confuſionis diabolo profectæ ſint: ita etiam traditiones inutiles, quæ ad ædificationem non faciunt, nequaquam pios ad obœdientiam obligant.

CAPVT XV.

Summa Capitis Decimiquinti.

Virtute reſurrectionis Chriſti nos olim excitandos, vt æternum immortales & beati viuamus, in hoc capite docet Apoſtolus,

Ordo & partes Capitis Decimiquinti.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quatuor ſunt huius capitis præcipuæ partes, quæ ad eundem ſcopum referuntur. 1. Eſt commonefactio de Euangelio, & eiuſdem ſummaria quædam repetitio. 2. Contentio in qua confutatur error eorum, qui negarunt reſurrectionem, & confirmatur vera ſententia iuſta confirmatione, aſperſis nonnullis de effectibus reſurrectionis Chriſti. 3. Eſt de modo, qualitate, ordine & fine exuſcitandorum plena inſtructio. 4. Eſt concluſio exhortatoria, vt in hac doctrina maneant firmi & ſtabiles Corinthij. Eſt autem hoc caput ideo diligentius legendum & cognoſcendum, quia nuſquam melius aut perfectius traditur reſurrectionis myſterium, adeo vt ad iuſtam methodum nihil prorſus deſideretur. Quare & nos in eodem explicando erimus diligentiores.

EXEGESIS DECIMIQVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

NOTVM autem vobis facio fratres Euangelium, quod Euangelizaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod etiam ſaluabimini, ſi quo ſermone Euangelizauerim vobis tenetis, niſi fruſtra crediditis.

Exordiolo hoc ſibi aditum facit ad expoſitionem ſequentem: in qua repetitur ſumma Euangelij. Sunt autem quinque in hoc exordiolo præter amicam & fraternã compellationẽ, qua eos excitat ad attentionem. Primum teſtatur Apoſtolus ſe Euangelium Corinthios docuiſſe, ac eorum Apoſtolum fuiſſe. Deinde, approbat illorum ſtudium qui prædicatum Euangelium alacriter receperunt. Tertium, laudat conſtantiã quod in recepto Euangelio perſtiterint. Non enim ſatis eſt bene incœpiſſe, niſi quis in bene cœptis perſeueret. Quartum, fructum Euangelij aſsignat ſalutem credentiũ. Quintum, monet de periculo defectionis, nempe quod ſalute excidant, ſi fidem abiecerint. Hęc breuiter eo pertinent, vt Corinthij non facile ſinant ſe turbari ab ijs, qui Euangelium euertere conabantur, negantes reſurrectionem mortuorum.

Tradidi enim vobis in primis quod & acceperam, quod Chriſtus mortuus ſit pro peccatis noſtris iuxta ſcripturas & quod ſepultus ſit, & quod ſuſcitatus ſit tertia die ſecundum ſcripturas.

Materiam Euangelij exponit, nimirum mortem & reſurrectionem Chriſti, id eſt, humiliationem paſsionis, qua ſatisfecit pro peccatis noſtris: & exaltationem & triumphum, per quem nos victores conſtituit: modo in eum firma fide recubuerimus. Sepulturæ mentionem facit, quia eſt euidentiſsimum mortis argumentum. Quod autem non meminerit deſcenſus ad inferos, ideo ht, quia eſt triumphi & victoriæ pars ſuper ſerpente quem ſua reſurrectione proſtrauit. Obſeruanda eſt igitur hæc breuiſsima Euangelij ſumma, qualis & illa eſt, Rom. 4. Traditus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtri. Verum hic ſciendum eſt, per mortem Chriſti intelligi omnia Chriſti myſteria, quæ ipſam præceſſerunt, vt natiuitas, prædicatio, labores in docendo, accuſationes, damnatio, crux, &c. Reſurrectionis vero ex mortuis voce, comprehenditur quicquid poſt illam ſecutum eſt. Vt reſtitutio ad vitam æternam, perpetua gloria, & ſumma felicitas. Hæc nobis tum demum ſalutaria erunt, quando Chriſtum fide poſſederimus iuxta illud Pauli, Si credideris in corde tuo, quod Deus ipſum excitarit ex mortuis, ſaluaberis. corde enim creditur ad iuſticiam. Item, omnis qui inuocauerit nomen Domini ſaluabitur. Eſt enim inuocatio propria nota credentium.

Et quod Cæphæ viſus fuit, Deinde ipſis duodecim, poſtea viſus fuit plus quam quingentis fratribus ſimul, ex quibus plures manent ad hunc vſque diem, quidam etiam obdormierunt. Deinde, viſus eſt Iacobo, Poſtea Apoſtolis omnibus. Poſtremo vero omnium veluti abortiuo fuit & mihi.

Quoſdam adducit reſurrectionis Domini teſtes αὐτόπτας, qui ſuis ipſorum oculis Dominum poſtquam excitatus eſt viderunt: vt horum teſtium teſtimonio confirmati, de Domini reſurrectione non dubitemus. Recitat autẽ hic præcipuas apparitiones ſex, omiſsis alijs. apud Luc. 24. referunt diſcipuli illi duo, qui redierunt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ex Emaus, quod apparuerit Petro. Cuius apparitionis mentionē hic facit Apoſtolus, duodecim, id eſt, deſignatis Apoſtolis apparuit referente Iohanne ter. ſemel abſente Thoma, rurſus ſemel præſente Thoma. Tertio piſcantibus. Porrò cum Apoſtolus hic duodecim nominat, retinet receptam appellationem per ſynecdochen, tametſi iam Iudas mortuus erat. Tertia apparitio quam hic ponit Apoſtolus, eſt qua apparuit quingentis fratribus, id eſt, Chriſtianis: de qua Pauli teſtimoniū nobis ſufficit. Nam alioqui nuſquā in ſacris hiſtorijs recitatur. Deinde, quando viſus eſt Iacobo, ante ne aſcenſionem vel poſtea, incertum eſt. Tum dicit eū omnibus Apoſtolis viſum eſſe. per Apoſtolos non ſolum vndecim illos, ſed etiam 70. illos diſcipulos, quibus erat etiā prædicandi munus cōmiſſum intelligo. Poſtremo dicit ipſum ſibi quoq; viſum, de qua apparitione & Lucas in Actis, & ipſe aliquoties teſtatur. Marcus refert, quod ſit primum viſus Mariæ Magdalenæ, è qua eiecerat 7. dæmonia. Deinde, quod pluribus ſimul mulieribus ſit viſus. Lucas & Marcus teſtantur, quod apparuerit duob⁹ diſcipulis euntibus Emaus. His apparitionibus ſi addideris Prophetias, figuras, ſigna, vt terræmotum, ſepulcrū vacuum, lintea reperta, conciones angelorum, efficaciam Chriſti in credentibus, Spiritus ſancti miſsionem, dona quibus Chriſtus in cœlo ſedens ornauit primitiuā Eccleſiam, ſtupēda miracula quibus Apoſtoli fidē reſurrectionis confirmarunt & obſignarunt, habes certam ſcientiam (vt Paulus loquitur 2. Corinth. 5.) reſurrectionis Dominicæ. His ergo nos confirmati nō moueamur vel diabolorum vel hominum mendacijs, qui fidem reſurrectionis ſubruere in certiſsimā ſui ipſorum perniciem moliuntur, ſed potius conſilio Pauli obtemperantes, perpetuo memores ſimus reſuſcitati CHRISTI: vt inde præſentiſsimum remedium aduerſus omnes huius mundi ærumnas capiamus. Cæterū reſurrectionis articulo coniunctus eſt articulus aſcenſionis, de quo Dauid Pſal. 67. & Paulus Epheſ. 4. vt alia infinita teſtimonia omittam. & debet aſcenſio intelligi, vt verba ſonant & Euangeliſtæ enarrāt, de naturali & phyſica ſublatione in cœlum, id eſt, in cœleſtem locum vbicunque eſt, ita vt Chriſtus corporali locatione ſit in aliquo loco vbicunq; vult. Hinc Cyprianus: aſcendit in cœlos, non vbi verbū Deus antea non fuerat, quippe qui erat ſemper in cœlo & manebat cum patre, ſed vbi verbum caro factum nō ſedebat, id eſt, vbi corpus antea non habuerat corporalem locationem. Hunc articulum qui ſophiſtica illudere tentant, euertunt fidem, & veram Chriſti humanitatem negant.

Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, propterea quod perſecutus ſum Eccleſiā Dei.

Cur ſe abortiuū dixerit, rationem reddit: nimirum quod ex perſecutore ſit factus Apoſtolus. Ex his ergo patet, quid velit per abortiuum ſignificare. nempe, vt ſeipſum interpretatur, hominem contemtum propter ſuam in Eccleſiam ſæuitiam. Obſeruetur exemplum diuinæ clementiæ, qui quantumuis magnos peccatores in gratiam recipit. Nam vult Deus omnes homines ſaluos fieri. non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.

Sed gratia Dei ſum, id quod ſum, & gratia eius non fuit in me inanis.

Hæc neceſſaria prolepſis eſt, ne tanquā minimi momenti apparitionem Paulo factam aſpernentur. Diſcernit enim inter ſe, gratia deſtitutum, & iam gratia donatū Deoq; reconciliatum. Homo quidem ex ſe & in ſe nihil quod Deo vere probari poteſt efficere valet, ſed gratia Dei efficitur vtile & ſalutare organon. Deinde obſeruandum & hoc eſt, quod gratiam aſſecutus acceptum ferat eidem gratiæ, quicquid boni in vſum Eccleſiæ facit. vnde nos ſumamus catholicam doctrinam, quod vt ſine gratia nihil valeamus niſi malum: ita cōſecuti gratiam eadem operante, nos idonei ad agendum reddamur.

Sed amplius quam illi omnes laboraui, non ego tamen, ſed gratia Dei quæ mecum eſt.

Quod non fuerit gratia Dei in ſe inanis oſtendit ex eo, quod plus laborauerit quā omnes reliqui Apoſtoli. Verum ne quis glorioſi⁹ hoc dictum obijceret, mox corrigit. & omnia gratiæ diuinæ tribuit. Vetus interpres omiſit articulum ἡ & reddit, & gratia Dei mecum. quaſi Paulus partem gratiæ, partem ſuis proprijs tribueret viribus. Vnde Papiſtæ ſuū extruxerunt de Libero Arbitrio commentū. ſed circumſtantia loci etiamſi abeſſet articulus, eos refutat. Nam quis non videt Paulū nihil plane ſibi tribuere, niſi quod fuerit perſecutor Eccleſiæ. Quod autem organon ſit factus ſalutare, ſoli gratiæ diuinæ acceptum refert. ſignificat autem hic Gratia, & cauſſam & effectum, nempe fauo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rem Dei quo in Apoſtolum cooptatus eſt, & virtutem qua iam potuit aliquid Deo gratum in Apoſtolatu facere.

Et ego igitur & illi ſic prædicamus, & ita crediditis.

Concluſio commonefactionis de ſumma Euangelij, quam vnanimi conſenſu Apoſtoli prædicarunt. Ita inquit prædicamus, nempe Chriſtum mortuum pro peccatis, ſepultum & excitatum tertio die. Ita vos quoque crediditis conuicti ſcripturarum & miraculorum teſtimonijs. Porrò reſpectu ſequentium hæc concluſio propoſitionis locum occupat, ac ſi diceret, Chriſtus igitur vere excitatus eſt.

Quod ſi Chriſtus prædicatur ex mortuis ſuſcitatus eſſe, quomodo dicunt quidam inter vos non eſſe reſurrectionem mortuorum.

Cõfirmatio eſt reſurrectionis mortuorum, ab ipſius vera cauſſa & fundamento ſumta. Chriſtus reſurrexit à mortuis, ergo mortui ſurgent. Conſequentia inde patet, quod poſita ſufficienti cauſſa in actu, ſequatur effectus ſuo ordine & tempore.

Nam ſi reſurrectio mortuorum non eſt, Chriſtus quoque non reſuſcitatus eſt.

Ab inficiatione propoſitionis colligit abſurdum, vnde rurſus inficiatio deſtruitur: ſi reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit, At Chriſtus reſurrexit, Igitur eſt reſurrectio mortuorum. ſola propoſitio ponitur.

Quod ſi Chriſtus non eſt ſuſcitatus, inanis eſt prædicatio noſtra: inanis autem eſt & fides veſtra. inuenimur autem & falſi teſtes, quod teſtificati ſumus de DEO, quod ſuſcitarit Chriſtum, quem non ſuſcitauit, ſi videlicet mortui non ſuſcitantur. nam ſi mortui non ſuſcitantur, Chriſtus quoque non eſt ſuſcitatus. quod ſi Chriſtus non eſt ſuſcitatus, fides veſtra inanis eſt, adhuc eſtis in peccatis veſtris, nempe qui & obdormierunt in Chriſto, perierunt.

Multas abſurdas colligit hypotheſes ex negata reſurrectione Chriſti, ex quarum abſurditate colligit negatæ propoſitionis veritatem. Nam ea eſt natura rerum immota. A quocunque falſi aliquid aut abſurdi colligitur in bona conſequentia, neceſſe eſt illud quoq; falſum & abſurdum eſſe, & eius contrarium ſiue cõtradictorium eſſe verum. Colligit autem in hac pericopa quinque abſurdas hypotheſes ex negata reſurrectione Domini. quarum prima eſt, quod Apoſtolorũ prædicatio ſtupendis miraculis cõfirmata, ſit inanis. 2. Quod fides quæ verbum prædicatum recipit, ſit fruſtranea. 3. Quod non ſolum ipſi, verumetiam ipſe Deus ſit falſus & mendax teſtis de ſuo filio. 4. Quod credentes cõtra manifeſta oracula Dei ſint adhuc in peccatis ſuis, obnoxij irę Dei & damnationi. 5. Quod qui in fide Chriſti obdormierunt, cõtra promiſsiones diuinas perierint prorſus, non ſecus atq; alij qui Chriſtum non agnouerunt. Verum cum clara voce Dei, cõſenſu perpetuo Eccleſiæ, & ſtupendis miraculis demonſtretur harum hypotheſium falſitas, neceſſe eſt eam propoſitioné, ex qua immota conſequentia concluditur iſta falſitas, falſam & abſurdam, quæ eſt hæc: Chriſtus non ſuſcitatus eſt à mortuis. quod ſi autẽ hæc falſa & abſurda eſt, eius contradictoria, quæ eſt, Chriſtus eſt excitatus ex mortuis, eſt vera & immota. ex qua veritas principalis propoſitionis infertur: nimirum quod mortui reſurgent. atq; ita Paulus obliquo quodam ductu principalem propoſitionem colligit.

Si in hac ſolum vita ſpem in Chriſto habemus, miſerrimi omnium hominum ſumus.

Si reſurrectio mortuorum non eſt, ſpes promiſsionũ cum hac vita finit. quod ſi ita ſit, neceſſe eſt Chriſtianos omnium hominũ miſerrimos eſſe, vt qui tot mala in hac vita ſuſtinent Chriſti & Euangelij cauſſa. Verum cum Deus promiſerit conſolationem, liberationem & compenſationem ærumnarum huius vitę, ſpes in Chriſto non perit in hac vita. quare vt ſperatis potiamur bonis, neceſſe eſt vt à mortuis reſurgamus. verum ſi quis obiecerit, quod anima immortalis cum ſit, poſsit ea bona percipere etiamſi corpus non reſurgat. Reſpondeo nullam felicitatem, nec corpori nec animæ promiſſam eſſe, niſi in Chriſto mortuo & reſuſcitato.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Nunc autem Chriſtus ſuſcitatus eſt ex mortuis,primitiæ eorũ qui obdormierunt.

Aſſumſit propoſitionem ſupra probatam,nempe quod Chriſtus ſuſcitatus ſit ex mortuis, vt oſtendat quomodo illud ſequatur,quod mortui excitabuntur,ac primũ argumentum à figura ſeu typo veteris legis petit.primitiæ dicatæ Deo reliquos quoq; fructus ſanctificarunt.ſed Chriſtus eſt eorum qui obdormierunt primitiæ.ergo qui obdormierunt in Deo per illum cõſecrati ſunt Deo.vt ergo ille excitatus eſt ex mortuis:ita quoq; & alij poſt eum ſuo tempore excitabuntur.ſignificatur autem metaphora primitiarum & cauſſa & ordo reſurrectionis. Theodoretus per primitias aperte maſſam oſtendit. primitiæ enim eandem habent naturã cum illo cuius ſunt primitiæ.

Poſtquam enim per hominem mors, per hominem quoque reſurrectio mortuorum, ſicut enim per Adam omnes moriuntur, Sic & in Chriſto omnes viuificabuntur.

Dixit Chriſtum fuiſſe primitias reſurgentium, id nunc probat ex collatione contrariarũ cauſſarũ in contrarijs effectibus,Contrariæ cauſſæ ſunt Adam & Chriſtus.harum cauſſarum contrarij effectus ſunt mors & vita. quemadmodũ igitur per Adam peccantem mors venit: Ita per Chriſtum iuſtum vita.ſicuti Apoſtolus ad Rom.5.Quemadmodum per inobœdientiam vnius multi ſunt conſtituti peccatores: ita vnius iuſticia multi conſtituentur iuſti. Peccati quidem ſtipendium mors,Iuſticiæ vero donum vita æterna in Chriſto Ieſu. Cæterum ſciendum eſt hic figuram eſſe,quæ vocatur communicatio idiomatum.Nam quod vtriuſq; naturæ eſt & officij, tribuitur perſonæ ſub appellatione humanæ naturæ:quam æterna perſona aſſumſit, vt iuſticiæ Dei ſatisfaceret. Eſt enim Chriſtus autor vitæ & ſalutis ſecundum vtramq; naturam.

Vnuſquiſq; autem in proprio ordine. primitiæ Chriſtus, deinde qui Chriſti ſunt in aduentu eius.

Diſcrimen facit inter effectus cauſſarum contrariarum, quo ad tempus attinet.vt ita obiectioni occurrat,huic videlicet: Omnes mortui ſunt per Adam vel in vtero materno. Ergo vitæ reparatio per Chriſtum non deberet deferri. Reſpondet,diſcrimẽ eſſe.Nam vt in fructibus primitiæ & reliqui fructus colliguntur quidem omnes,ſed ſuo ordine ſinguli. Chriſtus vt primitiæ reſurrexit, nos vero vt fructus reliqui reſurgemus in aduentu ipſius,atq; tunc æternum conſecrati Deo viuemus.

Poſtea finis,quando tradiderit regnum Deo & patri,cum aboleuerit omnem poteſtatem & virtutem.

Docet finem & metam curſus noſtri fore, vbi aduenerit Dominus, cũ aboleuerit omnem principatum, ſcilicet cuius vſus eſt in hac mortali vita. & tradiderit regnum DEO & patri.id eſt,DEO qui eſt pater.idq; non ſecundum diuinam naturam,qua vna cum patre & Spiritu ſancto æqualiter regnabit in æternum. Sed ſecundum officij adminiſtrationem in Eccleſia. Porrò Chriſti regnum de quo hic loquitur,duas partes habet, gubernationem fidelium, & debellationem contumacium hoſtium Chriſti, diabolorum & impiorum hominum.

Oportet enim ipſum regnare, donec poſuerit omnes inimicos ſuos ſub pedes ſuos, nouiſsimus deſtruetur hoſtis mors, omnia enim ſubiecit ſub pedes ſuos.

Petitis teſtimonijs ex Pſal. 110. & Pſal. 8. à perfectione ſeu integritate regni Chriſti, probat mortuorum reſurrectionẽ. Chriſtus tum demum patri regnum tradet, vbi ſecundum ſcripturas omnia fuerint ſubiecta pedibus eius,& omnes eius hoſtes fuerint deuicti. ſed mors nouiſsimus hoſtis,nondum plene victa eſt,niſi quantum ad cauſſam:quę mors abolebitur per mortuorum reſurrectionem, cum aduenerit Dominus ad iudicium. Proinde ratio imperij Chriſti requirit,vt tandem deuicta morte, reſurgamus ad æternam & beatam vitam.

Cum omnia dixerit, clarum eſt, quod omnia ſint ſubiecta, præter eum qui omnia illi ſubiecit. Cum autem ſubiecerit il-

Vrget vniuerſalem propoſitionem, ex Pſalmo 110. & 8. petitam, vt mortem aliquando omnino ſubijciẽdam

li om-

li omnia, Tum & filius ei ſubijcietur, qui illi ſubiecit omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.

doceat: quod cum factum fuerit, Chriſtus quoq; patri ſubijcietur, quatenus ipſe Chriſtus cum ſua Eccleſia vnum corpus conſtituat: quod corpus Dei contemplatione felix & beatum perpetuo fruetur, vt ſit omnia Deus in omnibus, id eſt, vt omnia ad Deum tanquam vnicū ſuum principium & finem reducantur, & illi deuinciantur. Loquitur autem de pijs tantum, non de diabolis & impijs, quos quidā ex hoc loco ſaluandos aliquando perperam concluſerunt. Interim vero Chriſtus ſemper eminebit, tum quia eſt Deus Patri & Spiritui ſancto in omnibus æqualis, tum quia Ecleſiæ caput eſt.

Quid alioqui faciunt, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non ſuſcitantur, quid etiam baptizantur pro mortuis?

Argumentum hoc deſumtum eſt à cōſuetudine Catechumenorum, qui cum in certum mortis periculū inciderent, & omnino de vita deſperarēt, petebant baptiſmum, vt ſecum ferrēt ſalutis ſuæ obſignationem. Baptizantur ergo pro mortuis, qui ita baptizantur, vt ſibi mortuis & non viuis proſit illorū baptiſmus, vt qui paulo ante mortem baptizarentur. Nā hi certe, ſi nulla eſt corporum reſurrectio, fruſtra baptizantur. Hic præſentis argumētationis verus ſenſus eſt. quemadmodum Epiphanius, libro primo, Tomo. 2. aduerſus Cerinthianos, his verbis teſtatur: Et hac de cauſſa traditio, quæ ad nos deuenit, eundem ſanctum Apoſtolum dixiſſe ait: Si omnino mortui non reſurgent, cur baptizantur pro mortuis? Cęterum alij recte interpretantes hoc dictum dicunt, quod morti vicini, ſi fuerint in pietatis doctrina inſtructi, ob hanc ſpem ante obitū lauacro digni fiant. oſtendentes, quod qui mortuus eſt etiam reſurget, & ob id indiget remiſsione peccatorū per lauacrum. Hactenus Epiphanius. Aliorum expoſitionem, qui vel pro mortuis, interpretantur vice mortuorum: vel pro mortuis id ſuper ſepulcra mortuorum exponunt, reijcio. Quia Paulus nequaquam hos ſuperſtitioſos ritus ſine graui reprehenſione præterijſſet. Sunt qui argumentū ductum putant à generali fine baptiſmi, vt baptizari pro mortuis idem declaret, atq; baptizari, vt mors ipſa extinguatur, ſiue in reſurrectionē à mortuis. cuius nimirū ſymbolum eſt baptiſmus, Rom. 6. Hic quidem ſenſus bonus & pius eſt, ſed forma verborum Pauli eum non videtur recipere: quare interpretationem primo loco ſignatam præferendam iudico.

Quid etiam nos periclitamur omni hora? quotidie morior per noſtram gloriam fratres, quam habeo in CHRISTO IESV Domino noſtro. ſi ſecundum hominem pugnaui ad beſtias Epheſi, quid mihi vtilitatis, ſi mortui non ſuſcitantur?

Argumentum à ſuo exemplo petit. cuius hæc vis eſt: Si tantum ſpectarem hanc vitam, & non exiſtimarem me aliquando ſuſcitatum iri, pluſquam ſtultus, immo inſanus eſſem, qui tot pericula adirem, quotidie mortis periculis obijcerer, adeo quod etiam beſtijs obiectus fuerim, vt contra illas in ſpectaculum pugnarem. Hęc adeo grauia & ingentia pericula nequaquam ſubirem, ſi non ſtatuerem in alia vita mihi præmium horū certaminum eſſe repoſitum. Hæc ſumma argumenti Paulini eſt. Periclitari omni hora & quotidie mori pro eodem accipit, niſi quod poſterius grauius videatur & ſpecialius ſit. quotidie enim mori, eſt mortis periculo perpetuo obijci. Per gloriam noſtram, Iuramentum eſt, quo confirmatur quod dixit de periculo, in quo aſsidue fuit. Gloriæ autem ideo meminit, vt & admoneat Corinthios de glorioſa poſt hanc mortem vita, & eandem opponat ignominiæ quā pati coguntur pij, donec in hac vita fuerint. Secundum hominem, id eſt, huius vitę reſpectu tantum, non cogitans de futura gloria quæ repoſita eſt in cœlo legitime certantibus. Hiſtoria Pauli pugnantis cōtra beſtias nullibi extat, niſi hic: quare quidam hæc metaphorice intelligit de furioſis Iudæis, quos excitauit Epheſi Demetrius contra Apoſtolum. vt legitur Acto. capite 9.

Edamus & bibamus, cras enim moriemur.

Antitheſis eſt proximi argumenti, ſumta ex prouerbio familiari Epicureis: cuius etiam meminit Eſaias [illegible] capite, cuius ſenſus hic eſt: Si non eſſet reſurrectio mortuorum, in qua præmia iuſtis [illegible] næ iniuſtis reddentur, præſentis vitæ voluptas nō eſſet negligenda, Immo ſapien[illegible] inſtituerent Epicurei, qui propterea quod putāt mortem omnium rerū extrem[illegible] mam clauſulam eſſe, iudicant indulgendū eſſe huius vitæ voluptatibus. Verum cū [illegible]

facio,longe aliud quam Epicurei ſentio de vitæ præſentis voluptatibus & de mortuorum reſurrectione.

Ne ſeducamini, Mores bonos colloquia corrumpunt mala.

In medio doctrinę exhortationem more Prophetico & Apoſtolico intertexuit: quo doctrina efficacius accõmodetur auditoribus, Propoſitio exhortationis eſt, ne ſinant ſe ſeduci Corinthij Epicureorum πιθανολογίαις. Rationẽ propoſitionis ſumit à dicto Menandri, ex comœdia cui nomen eſt Thadia, quemadmodum quidam Græcus Scoliaſtes annotauit. Eſt autem verſus Iambicus ſenarius, continens grauiſsimam doctrinam & admonitionem, nimirum quod bonis moribus nõ ſit aliunde magis periculum, quam ex prauorum hominum colloquio. quare tales fugiendi ſunt, non ſecus atque omnis pietatis & honeſtatis peſtes.

Euigilate iuſte,& ne peccetis.

Exhortationem ſpecialem ad genus transfert, In voce ἐκνήφειν conſideranda eſt metaphora. Dicitur autem τὸ ἐκνήφειν proprie de ebrijs qui à ſomno demum fiunt ſobrij. indulgentes igitur peccato confert ebrijs, qui turbato cerebro nihil non imprudenter agunt. Vult ergo Apoſtolus, vt de ſomno peccati euigilemus, quo iam vacare liceat iuſticiæ, id eſt, (vt Hebraica antitheſi explicat) quo amplius non peccemus.

Ignorantiam Dei quidam habent.

Ratio cur multi peccati ebrietati indulgeant, nimirum quod non norunt Deum: non ſtatuunt ipſum præſentem inſpectorem omnium actionum interiorum & exteriorum: non cogitant Deum vindicem ſcelerum eſſe. adeo cœca ignoratione Dei laborant, Quare turpe fuerit tales ſectari magiſtros.

Ad pudorem vobis incutiendum loquor.

Hoc eſt, hæc ideo à me dicuntur, vt vos pudeat iſtos ſectari magiſtros, qui cum Deũ non norunt, nihil recte de rebus diuinis diſſerere poſſunt.

At dicet aliquis, quomodo ſuſcitantur mortui? quali autem corpore prodeunt?

Tranſit ad tertiã huius capitis partem, quã ſupra dixi continere doctrinã de modo, qualitate, ordine & fine exuſcitandorũ. propoſitio figurata eſt interrogatione, quo aptius cohæreat cũ ſuperiorib.

Demens, tu quod ſeminas non viuificatur niſi mortuum fuerit, & quod ſeminas non corpus, quod naſcetur, ſeminas, ſed nudum granum: Exempli cauſſa, tritici aut alicuius reliquorum. Deus autem illi dat corpus quemadmodum voluerit, & vnicuique ſeminum proprium corpus.

Pulcerrima ſimilitudine & maxime appoſita modum reſurrectionis oſtendit, Corinthios ipſos adeoq; pios omnes deducens ad reſurrectionis quandam imaginem in natura rerum propoſitam. Quemadmodum, inquit, ſemen coniectum in terram & veluti ſepultum, non prius viuificatur quam mortuum, id eſt, corruptum fuerit, & tum prodit multo nobilius, mutata qualitate non ſubſtantia. atq; hoc eſt, quod ait: non corpus quod naſcetur ſeminas, ſed nudũ granum, Ita corpora noſtra, ſunt ſemen Dei, quæ non viuificantur niſi prius ſepulta fuerint, & tum prodibunt multo nobiliora, eadem quidem ſubſtantia, ſed mutata qualitate. Hæc ſumma ſimilitudinis eſt, cuius alterũ membrum videlicet ἀπόδοσις paulò poſt ſequitur, vbi ait: Ita & corpora noſtra. Verum multa interponit illuſtrandi gratia. Cum autem addit, Vnicuiq; ſeminum ſuum corpus: ſignificat, quod quemadmodum ex tritici ſemine oriatur triticũ, ex hordei ſemine hordeum &c. Ita hominum corporibus ſepultis ipſi homines in reſurrectione ad vitã prodeant, ſuis proprijs corporibus. Hic obſeruemus, quæ ſunt ſimilia in partibus quæ hic cõferuntur, & quæ ſunt diſſimilia. Prima itaq; ſimilitudo eſt in cauſſa. Nam vt Dei potentia ſemina cõiecta in terram viuificantur: ita eiuſdem Dei virtute humana corpora iuxta decretũ Dei reſurgent. Deinde, vt vitam ſeminum præcedit mors & corruptio. Ita noſtra reſurrectio non fiet niſi prius corpora noſtra corrupta fuerint, exceptis ijs, qui adhuc viuent veniente Domino ad iudicium. Præterea, vt idem corpus ſeminis ſurgit, mutata qualitate, & mutata ariditate in vi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

riditatem quandam iucundiſsimã & pulcerrimam, Ita corpora noſtra mortalitate exuta, ſurgent ad immortalem vitam & gloriam, vt ſint futura σύμμορφα glorioſo corpori Chriſti. Poſtremo, vt ex quolibet ſemine, eiuſdem ſeminis, corpus exoritur, Ita eadem corpora hominum, quæ humo condita iacuerunt, prodibunt in reſurrectionẽ vitæ. At diſsimilia ſunt: Primum in hoc, Ex vnius ſeminis corpore naſcuntur multa corpora, ſed non ſic in humanis corporibus futurum eſt. Surgent enim eadem humana corpora, non multiplicata numero. Deinde, ſeminum corpora viuificantur & exuſcitantur rurſus moritura: ſed aliter ſe habet cum humanis corporibus, quæ ſurgent ad immortalem gloriam, non amplius corruptioni obnoxia.

Non omnis caro eadem caro, ſed alia quidem caro hominum, alia verò caro pecorum, alia autem piſcium, alia vero volucrium. Et ſunt corpora cœleſtia & terreſtria: Sed alia quidem cœleſtium gloria, alia verò terreſtrium, alia gloria ſolis, alia gloria lunę, & alia gloria ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in gloria.

Duo docet hac comparatione. primum, quod eadem corpora reſurgẽt. Deinde, diſcrimen inter ea corpora, quæ nunc habemus, & eadem cum ea recipiemus. Quod ſane diſcrimen ſolummodo in qualitate poſitum eſt. Quantum autem ad primum attinet, hic ſenſus eſt, Quemadmodum non omnis caro eſt eadem caro (ſcilicet quo ab ſubſtantiam attinet) ſed ex ſemine hominis naſcitur caro hominis: ex ſemine piſciũ naſcitur caro piſcium: ex ſemine volucrium naſcitur caro volucrium, &c. Ita ex corporibus humanis ſepultis, in reſurrectione mortuorum non prodibunt diuerſorũ animantium corpora, ſed eadem humana exuſcitabuntur corpora. atq; ita illuſtrat quod ſupra dixit: Vnicuiq; ſeminum ſuum corpus, quantum ſcilicet ad ſubſtantiam attinet. Quantum ad ſecundum attinet, hæc eſt comparationis ſumma, Quemadmodum maximũ eſt diſcrimen inter corpora cœleſtia & terreſtria, id eſt, ea, quæ in cœlo conſpiciuntur, & ea quæ hic in terra ſunt. Nam illa his multo maiorem gloriam & honorem habent: Ita maxima erit differentia inter ea corpora, quæ hic circumferimus, & eadẽ donata immortalitatis gloria. Deinde quemadmodũ in cœlo non eſt eadem omniũ corporum cœleſtium gloria. Nam alia eſt gloria ſolis, alia lunæ, & reliquæ ſtellæ inter ſe differunt: ita in reſurrectione mortuorũ diuerſi erunt honoris & glorię in ſanctis gradus: Id quod etiam Danielis cõprobatur teſtimonio, qui ait: Et multi de his qui dormiunt in terrę puluere euigilabunt. Alij ad vitam æternam, & alij ad opprobria & contemtũ ſempiternum. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſticiam erudiunt multos, ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.

Ita & reſurrectio mortuorum. ſeminatur in corruptione, reſurget in incorruptione: ſeminatur in ignominia, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in potẽtia: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.

Ἀπόδοσις ſeu accommodatio ſimilitudinis, in qua antitheſin facit quadruplicẽ eiuſdem corporis, videlicet reſpectu ſtatus huius vitę & futuri ſtatus, poſt reſurrectionem. Hic corpus eſt corruptioni obnoxium, ignominioſum, infirmum, animale: Illic erit incorruptum, glorioſum, potens, ſpirituale. Hæc Epitheta ex antitheſi facile intelliguntur. Quod hic humana corpora ſint corruptioni obnoxia & ignominioſa, id eſt, ſplẽdoris & honoris expertia, docent morbi & ſepulcra. quid enim fœdius cadauere, à quo viui plane abhorrent. Si ſpectetur corporis in terra putreſcentis ignominia, quid quæſo turpius? fit enim eſca vermium: immo inde vermes & pediculi naſcũtur. Deinde, ſi corpus hominis ſpectas, vt animale eſt, id eſt, quatenus anima ipſi vitales facultates, eaſq; imbecilles & tẽporarias præbet, eſt corruptioni obnoxium, ſordidum, mille modis deniq; infirmũ, præſertim cũ anima deſtitutum ſeminatur, id eſt, ſepelitur homo, qui animalis fuerat. Verũ cõtra, exuſcitatũ ex mortuis corpus erit liberum à corruptione, liberũ ab ignominia, liberũ à priori infirmitate, vt viciſsitudini varię nequaquam ſit obnoxiũ, erit quoq; ſpirituale, diuinæ naturæ particeps: vnde fit, vt eiuſmodi corpus ſit æternum, glorioſum, ſplendidum. Hæc igitur Epitheta animale & ſpirituale, nõ ad ſubſtantiam corporũ referentur, ſed ad cauſſas & qualitates. Cauſſæ ſunt anima & ſpiritus, illa in priori corpore, hic in poſteriori dominabitur. Qualitates ſunt, animalem eſſe, quod conuenit homini in hac vita: ſpiritualẽ eſſe, quod conuenit homini in futura vita. Hęc gloria, quæ contingit corporibus noſtris, non ſolum conſolari nos debet in morbis, cõtemtu

& mor-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

& morte, verumetiam monebit vt ſanctorum corpora in honore habeamus, ea honorifice terræ mandemus, mundaq; ſeruemus loca vbi ſunt ſanctorũ ſepulcra: quæ loca cœmeteria ideo dicuntur, quia ibi ſanctorũ corpora veluti cõſopita iacent, donec tuba Archangeli excitabuntur. ſequamur itaq; exempla ſanctorũ Patrum, Patriarcharum & piorũ regum, qui maximã curam habuerunt hortorum, in quibus collocata erant ſepulcra piorum. Verum contra impiorum & hoſtium Dei corpora deſtinata perpetuæ ignominiæ, non ſunt à pijs nec honorifice deducẽda, nec cum ſanctorum corporibus ſepelienda. Nam Eſaias ait: Non habebit conſortium cum eis in ſepultura.

Eſt corpus animale, eſt & ſpirituale, ſicút etiam ſcriptum eſt: factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, Poſtremus Adam in animam viuificantem.

Comparationẽ poſitam confirmat à cauſsis. Adam cauſſa eſt animalis hominis. nam tales ab eo naſcuntur qualis ipſe fuit. Chriſtus cauſſa eſt ſpiritualis hominis. Tales enim per conſummatam regenerationẽ naſcuntur ex eo, qualis ipſe iam eſt excitatus ex mortuis. Verum hic tria notanda ſunt, Vnum, qualitatem animalem ſic in nos eſſe ab Adamo propagatam, vt corpus duntaxat ex eius ſubſtantia acceperimus, Animã vero nõ item. adeoq; Apoſtolum non dicere Adamum factũ eſſe in animam viuificantem, ſed in animam viuentem, aduerſus eos, qui animam voluerunt à traduce deriuari. Alterum eſt, Chriſtum quoq; ad temp' fuiſſe in animã viuentem, excepto peccato, ſpiritu ſcilicet in eo vim integram non exerente, donec omni infirmitare ſuperata glorioſus reſurgeret, & in cœlo ad dexteram patris ſederet, eoq́; reſpectu à Paulo ſic cõſiderari, & nos quoq; in illo. Tertiũ, ſic eſſe ſpirituale Chriſti corpus non ſubſtantia, ſed qualitate, id eſt, æternum, glorioſum, potens, vt hac à ſpiritu, id eſt, diuina natura accipiat hypoſtatice, id eſt, perſonaliter ipſius corpori & animæ iã tum coniunctà, cum verbum fieret caro: noſtra vero corpora fore ſpiritualia non nouę alicuius partis adiunctione, quæ ſpiritus dicatur, ſed ipſius ſpiritus, id eſt, diuinæ naturæ Chriſti virtute, idq; non per hypoſtaticam vnionem, ſed particicipationem. Cuius erit vinculũ idem ille ſpiritus, qui iam efficit, vt illum quamuis in cœlo ſedẽtem, fide tamen amplexi ſpe poſſideamus in terris, tunc vero efficiet, vt illo præſente præſentes perfruamur.

Ac non prius, quod ſpirituale eſt; ſed quod animale, Deinde, quod ſpirituale.

Oſtendit ex cauſſarum ordine neceſſariũ eſſe, vt prius naſcamur animales homines, quam renaſcamur in ſpirituales. vt enim primus Adam noſter parens eſt, quatenus naſcimur animales homines, Ita Chriſtus qui ſecundus eſt Adam, nos ſuo regenerat ſpiritu. Quare animale præcedit id quod eſt ſpirituale, tempore & origine.

Primus homo è terra, terrenus, Secundus homo ipſe Dominus, è cœlo. qualis terrenus ille, tales & qui terreni ſunt: & qualis ille cœleſtis, tales qui cœleſtes ſunt: & ſicut geſtauimus imaginem terreni, geſtabimus etiam imaginem cœleſtis.

Clariſsima eſt hæc collatio. Primũ cõfert cauſſas in ſuis qualitatibus. Deinde, confert effectus in qualitatibus quas à cauſsis mutuantur. Tum concludit propoſitionẽ, de qua in hoc capite late diſputatum eſt: nimirum, quod quemadmodum in hac vita geſtauimus imaginẽ Adæ, quatenus ab eo prognati corruptioni obnoxij ſumus: Ita geſtabimus aliquando imaginẽ Chriſti exuſcitati à mortuis. videlicet, cum corpora noſtra cõformia erunt glorioſo ipſius corpori. Primo collationis membro abuſi ſunt Manichęi, dicẽtes Chriſtum corpus ſuum è cœlo attuliſſe in vterum virginis, Id quod vt falſiſsimum eſt, ita pugnat manifeſte cũ ſententia Pauli, qui hic non de materia diuerſorũ corporum loquitur, ſed de qualitatibus, pro reſpectu diuerſorum ſtatuũ eorundem corporum. Primus homo terrenus eſt, vt qui ſapiat terrena, rebus terrenis addictus, & corruptioni obnoxius. Secundus è cœlo, cœleſtis, id eſt, ſapit cœleſtia, rebus cœleſtibus addictus eſt, & immortalis. At locus hic deſignatur, cum ait: E cœlo. Verum quidẽ eſt, ſed obſerua orationis formam. Secundus homo ipſe Dominus è cœlo. Proinde per communicationem idiomatum intelligendum eſt, hoc modo: Secundus homo eſt de cœlo, quia hic ſecundus homo eſt etiam Deus & Dominus cœleſtis. ſimilis eſt locutio Iohan. 3. Nemo aſcendit in cœlum, niſi filius hominis, qui deſcendit de cœlo.

Hoc autem dico fratres, quod caro &

Exegeſis eſt ſuperioris ſententiæ.

ſanguis regni Dei hæreditatem accipere non poſſunt, neq; corruptio incorruptionem poſſidebit.

clare enim enunciat, corpus hoc animale cum qualitatibus quas nunc habet, nequaquam poſſe gloriæ immortalitatis fieri particeps, ſed neceſſe eſt vt ex terreno fiat cœleſte: ex animali, ſpirituale: non quidem mutata ſubſtantia, ſed immutatis qualitatibus. Hunc eſſe verũ huius loci ſenſum, apparet ex eo quod ſequitur de corruptiõe & incorruptione. Et Paulus infra dicit. Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. Pręterea Epiphanius Manichęos refutans, qui ex hoc loco negarunt reſurrectionem corporum, ait: non de carne hac quæ laboribus fatiganda eſt, quæ ſanctificata eſt & Deo complacuit: ſed de ea quæ in peccatis verſata eſt, dictum Apoſtoli intelligendum.

Ecce myſterium vobis dico, non omnes quidem dormiemus, ſed omnes mutabimur in momento, in ictu oculi ad vltimam tubam. Canet enim tuba & mortui ſuſcitabuntur incorrupti, & nos mutabimur.

Confirmata reſurrectione mortuorum, & oſtenſa qualitate corporũ reſuſcitandorum, modũ reſurrectionis aggreditur, breui exordiolo excitans lectorem, vt attente legat: & ſimul ocurrens obiectioni carnis, dum myſterium, id eſt, rem arcanam & adhuc occultam nominat reſurrectionem mortuorum. Deinde exponit modum, nempe, vt quos Dominus adueniens viuos ex ſanctis inuenerit, repente nõ interueniente morte nec corruptione illa ordinaria immutet, vt cũ ſanctis qui reſurrexerint in nube Domino occurrãt. Sic enim ſcribit Apoſtolus 1. Theſſ. 4. Hoc enim vobis dicimus verbis DOMINI, quod nos viui, qui reliqui erimus in aduentu Domini, nõ præueniemus eos, qui obdormierint. Nam ipſe Dominus cum hortationis clamore & voce Archangeli ac tuba Dei deſcẽdet de cœlo, & qui mortui fuerint in Chriſto reſurgent primũ, Deinde nos viui qui reliqui erimus, rapiemur ſimul cum illis in nubes in occurſum Domini in aera, & ita ſemper cũ Domino erimus. Atq; hic articulus fidei noſtræ eſt, quo confitemur nós credere Dóminum venturum iudicatum viuos & mortuos. Quod autem Paulus ſe veluti vnum ex illis facit, quos Dominus viuos deprehendet, eo fit, quia & tempus illud incertũ eſt, & vult ſingulos noſtrũ ita comparatos eſſe ac ſi ſingulis momentis Dominus venturus eſſet.

Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.

Immutationis, quæ vice mortis erit, neceſsitatem exprimit. Corpora poſt reſurrectionem erũt incorrupta & immortalia. Igitur neceſſaria erit immutatio, qua deponitur corruptio & mortalitas, & induitur incorruptio & immortalitas, natura enim quę hic corruptioni obnoxia eſt, illic erit incorrupta, quo nihil impediat mortalitatis gloriam.

Cum autem corruptum hoc induerit incorruptionem, & mortale induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: abſorpta eſt mors in victoria.

Finis reſurrectionis explicatur & comprobatur Eſaiæ teſtimonio, qui capite 25. ait: Abſorpſit mortem in æternum. ſeu vt Paulus habet, Ad victoriam, id eſt, vſque ad victoriam, id eſt, ita vt ſit prorſus debellata mors, nouiſsimus hoſtis à Chriſto victore ſuperandus.

Vbi eſt tuus ô Mors ſtimulus? Vbi tua Inferne victoria?

Idem confirmat Oſeæ teſtimonio, quod vetus interpres aliter & rectius expreſsit, quam nunc habent Græca exemplaria. ita enim habet: Vbi eſt mors victoria tua? Verũ 70. interpretes habent, ποῦ δίκη σου θάνατε, hoc eſt, vbi contentio tua ô mors, ſed ſententia manet eadem. Si ergo ſic legimus, Sarcaſmus eſt ſeu hoſtilis deriſio, qua Chriſtus victor mortis in ſe & in ſuis, hoſti proſtrato morti inſultat & victor ouans triũphat. qui triumphus quidẽ incoatus eſt, reſurgente Domino, cõſummabitur vero in ipſius aduẽtu, quando mortui è ſepulcris ſuis in lucem prodibunt. Verũ ſi legerimus, vt nunc Hebraicum textũ reddunt, hæc erit lectio: Ero peſtis tua ô mors, Ero exciſio tua ô inferne, atq; hoc pacto erit cõminatio Prophetica, qua Chriſtus victor cõminatur morti, vt aliquando ſuper ea triumphũ agat, eam perimens & excidens.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dens. Ero peſtes tuæ, id eſt, vice peſtium, id eſt, interimam, Et exciſio tua ſeu morſus tuus, hoc eſt, excidam te & perimam. atque ita more Hebraico ſententia eadem repetitur, idq; certitudinis, attentionis, & vehementiæ cauſſa. Cæterũ de vocabulo inferni obſeruandum eſt, quod vbi Paulus & ſeptuaginta interpretes ᾅδην habent, ibi textus Hebraicus Scheol habet, ſenſu quidẽ eodem, ſed diuerſa Etymologia. ᾅδης enim dicitur, quaſi ἀΐδης, à priuatiua particula α & ἰδεῖν quod eſt videre, Eſt ergo ᾅδης locus ἀνήλιος ſolis expers, cuiuſmodi eſt ſepulcrum in quod hominis cadauer reconditur. ſed Scheol Hebraicũ à Shaal, id eſt, à poſtulando nomẽ habet, quaſi perpetuo petat, & nunquam ſaturetur, vnde Pſal. 27. Infernus & perditio nunquam ſaturantur. Hanc Etymologiam expreſsit Lactantius hoc carmine: *Inferni inſatiabiliter caua guttura pandit.* Neq; aliter accipitur, ſi Petro creditur, Pſal. 7. & Acto. 2. Quoniam non derelinques animã meam in inferno, id eſt, vt ſeipſum interpretatur Dauid, Non ſines ſanctum tuum videre corruptionem. Neſeſch enim illic vt Leuit. 21. Super anima nullus contaminetur in populis ſuis, pro cadauere accipitur.

Aculeus autem mortis peccatum eſt. Virtus vero peccati lex. Sed Deo gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM.

Quia ſtimuli ſeu aculei mentionem fecit, inde ſumit pulcerrimum argumentũ, quod probat mortis tyrannidem ſublatam eſſe. Cõfert enim mortem inſecto ſeu ſerpenti, qui armatur aculeo, & ſine aculeo inermis & innoxius eſt. Mortis aculeũ ſeu telũ quo vulnera infligit, nominat peccatũ (mortis enim cauſſa peccatum eſt) Hic aculeus qui eſt peccatũ, omnem vim ſuã ex lege habet. Nam lex vim exitialem peccato miniſtrat: idq; per occaſionẽ, quia iram Dei monſtrat, propter legis & voluntatis Dei tranſgreſsionẽ. Porrò hoc peccati robur beneficio Chriſti tollitur, qui legi ſatisfecit, & credentibus ſuam iuſticiam imputat. Hinc ergo concluditur hoc pacto: Chriſtus legi ſatisfecit & ſuſtulit irã Dei, adeo vt lex non amplius damnet credentes. legis virtute ſublata peccatum quoq; abolitum eſt, quod non aliunde vim quam à lege habet. peccato abolito, quod mortis eſt aculeus, mors ipſa inermis eſt, & amplius Chriſto eiuſque membris nocere non poteſt. Hoc autem completum eſt in Chriſto, quando ipſe è mortuis exuſcitatus eſt, in omnibꝰ pijs incoatur hæc victoria, quando Chriſto per fidẽ inſeruntur, conſummabitur vero in ipſius aduentu, quando omnes pij excitabuntur ad immortalitatis gloriã. Hic locus Pauli, præterquã quod confirmat reſurrectionem mortuorum, multiplicem doctrinã continet. Primum enim docet, quod mors ſit peccati pœna, vt quæ propter peccatum in totum genus humanum peruaſerit. Eſt enim vt Paulus ait Rom. 6. Stipendium pecccati mors. Deinde, quid ſit peccatum, nempe virtus legis, id eſt, reatus propter legis tranſgreſsionem, cui coniuncta eſt ira & maledictio. Tum quod beneficium Chriſti ſit tollere robur ſeu virtutẽ legis, vt non amplius damnare poſsit eos, qui Chriſto inſeruntur. Hanc virtutem abolendi vim legis, alij rei quam Chriſto tribuere, eſt ipſum Chriſtum contumelia afficere. Atque ita hac breui ſententia, Paulus monſtrat nobis mortis & vitæ fontes. Verum cum interſerit gratiarum actionem dicens, Gratia Deo, qui dedit nobis victoriam, Inuitat nos ſuo exemplo, vt & fide Chriſti beneficia amplectamur, & Deo perpetuas gratias pro hoc ingenti & ineffabili beneficio agamus.

Itaque fratres mei dilecti firmi ſitis, immobiles, abundantes in opere Domini, ſemper ſcientes, quod labor veſter non ſit inutilis in Domino.

Concluſio exhortatoria eſt, ex doctrina reſurrectionis extructa, quæ hoc Enthymemate clauditur. Veſter labor ope & bonitate Dei id efficiente, nõ eſt inutilis. Nam eum ſequitur poſt reſurrectionẽ, immortalitatis gloria. Igitur eſtote firmi ne fluctuetis quouis doctrinæ vento. Eſtote immobiles ſuper ſolido fundamento Chriſto Domino, in ipſum ſincera fide & perfecta recumbentes. Eſtote abundantes in opere Domini, renunciantes operibus Sathanæ. Hic ergo tria nobis commendat Paulus, doctrinæ ſinceritatem & firmitatem, fidei conſtantiam, & vitæ innocentiam, quæ in pijs exercitijs & bonis operibus eſt poſita. Obſeruetur proinde hoc loco vſus ſalutaris cogitationis de mortuorum reſurrectione. qui eſt vt nos excitet ad acre pietatis ſtudiũ, & conſoletur nos in laboribus & ærumnis huius vitæ.

CAPVT XVI.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Summa Capitis Decimiſexti.

Admonitis Corinthijs de pauperum cura habenda & promiſſione facta de ſuo ad ipſos aduentu, commendat ipſis Timotheum & cur minus ad ipſos venerit Apollos exponit. Deinde hortatur ad conſtantiam commendans ipſis Stephanæ familiam, atque adeo omnes qui eius in laboribus imitantur exemplum.

Ordo & partes Capitis Decimiſexti.

Quia hoc capite clauditur Epiſtola, multa familiaria in eo congerit Apoſtolus, quæ nos in octo partiamur partes. 1. Eſt exhortatio ad collectam faciendam in vſum pauperum. 2. Eſt promiſſio ſui aduentus. 3. Eſt commendatio Timothei. 4. Excuſatio cur minus ad ipſos venerit Apollos. 5. Exhortatio ad conſtantiam in doctrina, fide & charitate. 6. Commendatio eſt familiæ Stephanæ miniſtri verbi laborantis atque omnium adeo laborantium in verbo Domini. 7. Continet ſalutationes & imprecationem eorum, qui non amant Dominum Ieſum Chriſtum. 8. Clauſula eſt fauſtæ imprecationis.

EXEGESIS DECIMISEXTI CAPITIS
CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PORRO de collecta in ſanctos quemadmodum conſtitui Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite.

Exhortationis ad collectam faciendam in vſum pauperum propoſitio eſt: quam munit exemplo Eccleſiarum Galatiæ. Locus obſeruandus, quod vt ſincerorum miniſtrorum verbi eſt hortari populum ad liberalitatem erga pauperes, Ita populi eſt liberalem ſe exhibere erga ſanctos, qui eorum auxilio indigent. ad Gal. 2. Memorat Paulus, quod Apoſtoli ſe inuicem admonuerint, vt pauperum curam haberent. premebantur enim inopia tum temporis præcipue ſancti, qui erant Ieroſolymis, orta fame ſub Claudio Cæſare iuxta vaticinium Agabi Prophetæ, quemadmodum refert Lucas Acto. 11. Collecta λογία eſt Eleemoſyna in vſum pauperum collecta & repoſita. Græce λογία à λέγεσθαι, id eſt, colligendo dicta, quo vocabulo abutuntur ſacrificuli, cum illud ad ſuas preculas transferunt.

In vna ſabbatorum vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, theſaurizans quod proſpere ſucceſſerit, ne cum venero tunc collectæ fiant.

Modum ſeponendæ Eleemoſynæ exponit. vult vt quilibet certum diem in ſeptimana conſtituat, in quo apud ſe ſeponat, quod irrogatur eſt in pauperes, ne cum venerit Apoſtolus, tum primum idque tardius collectæ fiant. Cum autem addit theſaurizans, quod proſpere ſucceſſerit, duo innuit: Vnum, quod optimus & tutiſsimus theſaurus ſit quicquid in pauperes confertur, Alterū quod quilibet conferat quantū pro facultatum ratione, quę ex Dei benignitate contigerunt liceat. ſignificat enim vocabulum εὐοδῶται, proſperetur, nempe Deo benedicente. ſignificat ergo par eſſe vt ex ijs quæ nobis contigerunt ex Dei benignitate, aliquid conferamus ijs, in quos Deus nos vult eſſe liberales: idque in teſtimonium gratitudinis noſtræ erga Deum.

Vbi autem aduenero quos probaueritis per Epiſtolas eos mittam, vt perferant gratiam veſtram in Ieruſalem, quod ſi fuerit operæprecium me quoq; proficiſci, mecum proficiſcentur.

Hæc eo pertinent, vt intelligant Corinthij ſe non fruſtra ſumtus facturos, modo per fidos nuncios res agatur. huc accedit, quod etiam Apoſtolus ſuā operam polliceatur, ſi alioqui viſum fuerit operæpreciū. Exemplū Pauli nos imitemur, ſanctorum paupertate preſſorum curam habentes. Gratia hic per Metonymiam pro eo quod aliquis gratuito confert accipitur. Obſeruetur etiam hic locus quod non ſolum in præſenetes & indigenas, verumetiam in abſentes & exteros, qui noſtra ope indigent deceat nos eſſe liberales.

Veniam autem ad vos cum Macedo-

Promittit ſe ad Corinthios venturum

niam tranſiero. Macedoniam enim pertranſiturus ſum. apud vos forte permanebo, vel hybernabo, vt vos me deducatis quocunque proficiſcar. Nolo enim vos in tranſcurſu videre, ſed ſpero me aliquandiu manſurum apud vos, ſi Dominus permiſerit.

tum, ſignificās ſimul quo & ipſe erga eos ſtudio ſit, & quomodo illi viciſſim erga ſe affecti ſint. Nam vt mētio hybernationis & diuturnioris moræ apud Corinthios teſtatur, quod eorum ſtudeat ſaluti, ita quod ſibi perſuaſum habeat, quod ſint ſe deducturi quocunq; voluerit, teſtatur de mutua eorum ergā ſe charitate. Hoc ergo exemplum ſibi proponant cum ipſi verbi miniſtri, tum eorum auditores, vt illi ſtudioſe horum ſalutem quærant, & hi viciſsim illos debitis proſequantur officijs. quod niſi fiat, vanus & irritus ſuſceptus eſt labor. Porrò quod additur. Si Dominus voluerit, duo docet, videlicet quod & futuri euentus in manu Domini ſint poſiti, & iuxta ipſius prouidentiam eueniant, & noſtrum ſit officium omnia voluntati Dei ſubijcere, quoties de futuris conſultamus, præſertim cum negocium vel ad gloriam Dei vel ad noſtram ſalutem ſpectet. neque tamen hic libertas voluntatis eneruatur vel contingentia tollitur. Nam ipſa diuina prouidentia promiſsionis verbo & non fato alliganda eſt

Commorabor autem Epheſi vſque ad Pentecoſten. Nam oſtium mihi apertum eſt magnum & efficax, ſed aduerſarij multi.

Cur non mox ad ipſos veniat exponit, dicens ſe commoraturū Epheſi ad Pētecoſten. Iudęorum more tempus notat. Nam tum temporis quādo hæc ſcripſit Paulus, nulla erant inſtituta feſta ordinaria præter diē Dominicum, huius commorationis duas cauſſas reddit. Prior eſt quod dicat ſibi magnum oſtium, id eſt, magnam occaſionem multos adducendi ad Chriſtum oblatam eſſe. Quare ipſius ſtudiū ad promouendam gloriam Dei in aliorum exemplū commendatur. Poſterior quod multi illic fuerint aduerſarij, quibus os obſtruere oportuit, ne aliquod damnum inferrent ouili Chriſti: quare commendatur animi fortitudo Apoſtoli in adeundis periculis pro propagatione & cōſeruatione doctrinæ: quod ſane exemplum pios verbi miniſtros imitari decet. Præterea ex hoc loco diſcimus, non imitandam eſſe multitudinem cuius magna pars perſequi ſolet Euangelium, ſed potius exemplo Pauli eo confidentius & conſtantius in propaganda veritate laborare. nunquam enim quod optimum eſt, vulgo placere ſolet. improbe ergo faciunt hodie qui propterea ab Euangelio deficiunt, quod habeat multos aduerſarios.

Quod ſi venerit Timotheus, videte vt abſque metu ſit apud vos. opus enim Domini operatur quemadmodum & ego. ne quis igitur ipſum ſpernat, ſed proſequamini eum, cum pace, vt veniat ad me.

Hæc Timothei commendatio tribus abſoluitur propoſitionibus. quarū prima eſt, ne qua illi vis aut iniuria fiat ab hoſtibus Euangelij, quo poſsit eſſe apud ipſos ſine metu. Hinc propoſitioni rationem ab officio Timothei cum amplificatione exempli ſubiungit. Doctrina hic duplex colligatur. Vna, quod Eccleſia debeat miniſtris Euangelij defenſionem aduerſus hoſtes ſinceræ doctrinæ. Altera, quod miniſtri verbi, qui habent præſtantiora dona, debeāt etiam inferiores honorare ſuo teſtimonio, & eos cōſortes eiuſdem muneris & operis DOMINI agnoſcere. Secunda propoſitio eſt, ne quis ipſum Timotheum ſpernat, ſeu pro nihilo habeat, haud dubie propter ætatem iuuenilem, quæ minus reuerentiæ habere ſolet, ſed potius vt Chriſti fidelem miniſtrum in precio habeant: vnde & nos diſcamus quo in loco habendi ſint pij verbi miniſtri. Tertia propoſitio, vt ipſum proſequantur & deducant pacifice, vt ſuum iter ad Apoſtolum ſine periculo conficere poſsit. Hinc Eccleſiæ admonitio vtilis extruitur, vt quantum poſsit ſtudeat incolumitati & ſecuritati miniſtrorū verbi. Nam ſi illis debemus hæc officia, qui in rebus terrenis nobis ſuam operam locarunt, multo magis ſolicitos nos eſſe decet pro miniſtris Euangelij.

Porrò de Apollo fratre, multum hortatus ſum illum, vt veniret ad vos cum fratribus, & omnino non fuit ei voluntas, vt nunc veniret, veniet autem cum opportunitatem nactus fuerit.

Ne ſibi imputarent Corinthij cur APOLLOS ad ipſos non redeat ſtatim, ſignificat nequaquam per ſe ſtetiſſe, quo minus venerit, immo ſe multum eum hortatū fuiſſe teſtatur, vt CORINTHVM ſe conferret,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſed ipſum Apollo hoc recuſaſſe: quem tamen promittit venturum vbi opportunitatem nactus fuerit.

Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, Robuſti eſtote, omnia veſtra in charitate fiant.

Exhortatio hæc duo habet membra: Pri⁹ de militia Chriſtiani militis. Poſterius de mutuis officijs ciuium Chriſti inter ſe, ſeu de regula ad quam omnia officia exigenda ſunt. Prioris membri articuli ſunt quatuor: Primus, vt Corinthij adeoque omnes pij excubias in caſtris Chriſti agant, ne Sathan aduerſarius eos incautos opprimat. Nam cùm perpetuo nos hoſtis oppugnat, vigilantia mentis, qua ſolicitudines huius mundi abijciuntur, neceſſaria eſt. Siquidem curæ huius ſeculi arma ſunt, quibus ad nos opprimendos vti conſueuit. Secundus, vt fide ſtent. Nam donec fidem retinemus, immoti ſub vexillo Chriſti & tuti militamus, qui victor eſt Sathanæ. Hinc Iohan. Hæc eſt victoria quæ vicit mundum, Fides veſtra. Tertius, vt viros in hac pugna ſe pręſtent. Nam qui ocio torpet, facile ab aduerſario obruitur. Quartus, vt indies magis magiſque roboremur more militum, qui quo frequentius ſe bellicis rebus exercent, eo confirmantur magis, & ad pugnam redduntur alacriores. Alterum membrum eſt, quod velit omnia officia noſtra inter homines ad charitatis normam exigi. quod præceptum qui obſeruat, omniũ actionum in vita regulam habet tutiſsimam.

Hortor autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ & Fortunati primitias eſſe Achaiæ, atque vt ſe in miniſterium ſanctorum ordinauerint, vt etiam ſubiecti ſitis talibus, & cuiuis adiuuanti & laboranti.

Non ſolum commendat familiam Stephanæ & Fortunati, Verumetiam monet Corinthios, vt ſe illis ſubijciát, ſcilicet ſubiectione honoris & reuerentiæ. immo non ſolum illis, verũ & cuiuis laboranti & adiuuáti in Eccleſia. Cur autem velit Stephanæ Fortunatoq; honorem deferri explicat, cum ...t eos primitias fuiſſe Achaiæ, id eſt, primos, qui ex Achaia ad Chriſtum conuerſi ſunt, & quod ſe ordinarunt in miniſterium ſanctorũ, hoc eſt, quod ſeſe in miniſterium ſanctis addixerunt. loquitur autem de ea functione, quæ pauperum ſubſidijs & gubernationi Eccleſiaſticæ dicata erat. Hic locus in primis obſeruádus eſt de honore & reuerentia, quam Eccleſia debet ijs, qui maioribus donis ornati ſunt, & Eccleſiam ijſdem donis ornant & iuuant. Huc illud ad Timotheum pertinet, Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Honoris auté appellatione omne officium ac ſubſidium Hebræorũ more ſignificatur.

Gaudeo vero de aduentu Stephanæ & Fortunati & Achaici, quia quod deerat à vobis, ipſi ſuppleuerunt.

Hoc eſt, quod mihi deerat, nempe, vt vos conſpicerem & rerum veſtrarum ſtatum intelligerem, ipſi ſuppleuerunt, dum rerum veſtrarum ſtatum mihi expoſuerunt. Nam hoc ad aliquam pecuniariam rationem referri nequaquam poteſt, præſertim cum ſupra teſtatus ſit ſe gratuito illis prædicaſſe, nec vnquam paſſurum eſſe, vt hæc gloria ſibi extorqueatur.

Refocillarunt enim ſpiritum meum & veſtrum.

Ratio cur gauiſus ſit Apoſtolus de aduentu eorum, nimirum quod refocillarunt ſpiritum, id eſt, animam ipſius exponendo, ſcilicet ſtatum rerum Corinthiacarum. Eſt enim miniſtris Euangelij non paruum gaudium, quod videant Deum ſuos labores fortunare.

Agnoſcite itaque huiuſmodi.

Concluſio eſt. agnitionis vocabulum per Metalepſin ponitur pro eo, quod in bonis comitari ſolet, præſtantium hominum noticiam, hoc eſt, pro honore, reuerentia atque adeo omni pio officio.

Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ, ſalutant vos in Domino multum Aquila & Priſcilla, cum ea quæ in domo eſt ipſorum Ec-

Epiſtolaris terminus eſt vſitatus, ſalutare notos & bene meritos, id quod multũ habet commodi. Nam præter-

clesia,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cleſia, ſalutant vos omnes fratres. quam quod affectum ſalutãtium erga abſentes amicos declarat, vnde cõciliata prius amicitia fouetur magis ac creſcit, Etiam vice precationis & pij voti habetur pia ſalutatio: quam Deus non ſinit irritam fore.

Salutate alij alios oſculo ſancto. Oſculum Hebræis & multis alijs nationibus vſitatum, reuerentiæ & obedientiæ inferiorum erga ſuperiores, concordiæ & mutui amoris erga pares ſymbolum fuit. Vnde in Pſal. 2. Oſculamini filium, hoc eſt, ipſum agnoſcite, amanter complectimini, eique obœdite. Epitheton ſanctum addit, vt diſtinguat inter pium ſanctorum amorem, & impium eorum qui perdite & nequiter amant.

Salutatio manu mea Pauli. Hoc additum eſt, vt ſit teſtimonium quod hæc Epiſtola habeat Paulum autorem, ſcripſit enim Epiſtolam ipſam per Amanuenſem, ſed ipſe ſua manu ſalutationem appoſuit.

Si quis non amat Dominum IESVM CHRISTVM, ſit anathema Maranatha. Imprecatur anathema hoſtibus Chriſti, non quidem extraneis ſed domeſticis, qui pietatis prætextu pietatis peſtes ſunt, hiſce denunciat anathema & imprecatur exitium. Vox anathematis & eius vſus obſeruetur. Anathemata inter alia dicebantur cauſſæ damnatorũ hominum ſuſpenſæ aut affixæ columnis, vt ab omnibus legerentur. vnde pro ipſis reis & damnatis propter enormia ſcelera ponuntur. Eius autem vſus in ſcripturis eſt, quod qui eo damnatus eſſet, Domini iudicio quaſi in manus hoſtium citra vllam veniæ ſpem traderetur, hoc eſt, extreme execrandus & à Deo ſeparandus. Porrò, de eo quod additur Maranatha, non conueniunt inter ſeſe interpretes. Quidam enim putant duas eſſe dictiones Syriacas, nempe Maran, id eſt, Dominus, & atha venit. quidam tres, Maran, Dominus, Na Chaldaicum, noſter, & Atha venit. Sed hæc interpretatio parum cum præſenti loco conuenit. Reuchlinus, Capito, Bulingerus, Caluinus, & alij multi doctiſsimi viri vnam dictionem eſſe contendunt, eamq; Hebraicam, ſed nonnihil corruptam. integre enim dicendum eſſet Macharametha, Chet quod Grȩcus in medio dictionis exprimere non potuit, omiſit, & Mem mutauit in Nun, niſi forte error ſit commiſſus à librarijs, vnde Maramatha. Eſt autem hæc vocis compoſitio, Primum à Cherem fit Charama, & per reduplicationem finalem (quæ vehementiæ cauſſa fieri apud Hebræos conſueuit) Charamatha vt à Ieſu Ieſuatha. Præterea præpoſita Heemantica litera Mem, fit Macharamatha: quo vocabulo ſignificatur extrema exciſio & execratio.

Gratia Domini noſtri IESV CHRISTI ſit vobiſcum, dilectio mea cum omnibus vobis in Chriſto Ieſu, AMEN. Vt incœpit Epiſtolam à fauſta imprecatione, ita etiam claudit. quare vt oſtendit ſuum erga eos affectum, ita eis in memoriam reuocat ſalutis ſuæ proram & puppim in vnius Chriſti merito poſitam eſſe.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ARGVMENTVM IN POSTERIOREM EPISTOLAM PAVLI AD CORINTHIOS.

QVATVOR SVNT, QVAE SI DEXTRE IN INITIO enarrationis alicuius ſacri ſcripti explicata fuerint, viam ſternent auditoribus, ad totum ſcriptum facilius intelligendum, ac veluti facem quandam prætendentia, eos in ſcripti adytum introducent. Sunt autem hæc: PRIMVM, quis ſit ſcripti autor? vnde autoritas ſcripti dependet. SECVNDVM, quæ fuerit ſcribendi occaſio? Cuius obſeruatio plurimum facit ad intelligendam ſcriptoris mentem & tractationis œconomiam. TERTIVM, quis ſit ſtatus ſeu quæſtio principalis? vna ne an plures. Si plures, genere ne conueniant, an diſcretæ ſint, nec ne? QVARTVM, quis ſit tractationis ordo? qui ſi non monſtretur, non ſolum docentis, verumetiam diſcentium labor fruſtra ſuſcipitur. De his ergo quatuor, eo quo propoſita ſunt ordine, dicemus.

DE PRIMO.

TAMETSI copioſe de Paulo Apoſtolo, qui autor eſt huius Epiſtolæ, in enarratione Epiſtolæ ad Romanos diximus: Tamen quia prodeſt idem ſæpius inculcare, & multi acceſſerunt nouitij, volo breuiter huc quædam aſſcribere, quæ auditores in conſpectu habere vtile erit, quoties Paulum in manus ſumunt. Quis itaque, quantuſque fuerit hic Apoſtolus Dei, & gentium doctor, teſtatur vox eius, de quo dictum eſt: Hic eſt filius meus dilectus, &c. Hic enim æternus Dei filius, Paulum organum electum ad portandum nomen ſuum coram gentibus & regibus filijsque Iſraël vocat. Actor. 9. teſtatur conuerſio violenta. Acto. 9. ad Gal. 1. & 2. teſtatur doctrina ex Moſis, Prophetarum & Chriſti concionibus extructa. Teſtatur ardor & zelus in docendo, adeo quod plus laborauerit vnus Paulus, quam reliqui fere omnes Apoſtoli, ſicuti ipſe in huius Epiſtolæ cap. 11. fatetur. Teſtantur pericula plurima, quæ adire non dubitauit, pro aſſerenda veritate & gloria Dei. Teſtatur denique ſanguis, quo tandem doctrinam ſuam imperante Nerone confirmauit. His omnibus accedit Petri Apoſtoli teſtimonium, cum totius Eccleſiæ Chriſti ſuffragio: vt interim prætereaam potentiam ſpiritus, prodigia, miracula diuina, quibus Chriſtus teſtatus eſt, ſe per Paulum locutum fuiſſe. Vnde ipſe Paulus Rom. 15. Non audebo loqui quicquam eorum, , quæ non operatus eſt Chriſtus per me in obœdientiam gentium, ſermone & opere in potentia ſignorum & prodigiorum, in potentia ſpiritus Chriſti. Et in 12. huius Epiſtolæ: Signa Apoſtoli peracta ſunt in vobis, in tolerantia, in ſignis, & prodigijs & virtutibus. Hæc omnia eo dicuntur, vt conſtet Chriſtianis lectoribus, quanta ſit huius viri autoritas: quam certa ſit eius doctrina: quantaque reuerentia docentes & diſcentes in hanc apothecam theſaurorum cœleſtium ingredi oporteat. Non enim ſecus accipienda ſunt, quæ hic promit ſpiritus Chriſti per hoc electum organum, & gentium, id eſt, noſtrum Apoſtolum, atque vox cœleſtis quam pater de cœlo ſonuit. Quapropter omnia quæ in hac Epiſtola, atque in alijs Pauli ſcriptis continentur, eius autoritatis eſſe ſciamus, vt quemadmodum in dogmatibus extruendis & confirmandis: ita in erroribus confutandis non minus ponderis habeant, quam ipſiſsima vox filij Dei, cuius Apoſtolum & legatum agit Paulus. Apoſtolica igitur appellatio admoneat nos, PRIMVM, quod Paulus loquatur nobiſcum vice Chriſti. DEINDE, quod afferat doctrinam cœleſtem. TVM, quod nihil erroris ſit ipſius doctrinæ admixtum. PRAETEREA, quod tanquam voci Dei ſit illi credendum. POSTREMO, quod quicunque afferat doctrinam pugnantem cum doctrina Apoſtoli, etiamſi fuerit angelus de cœlo, debeat à nobis tanquam peſtis ſalutis noſtræ haberi, &, vt ipſe Paulus loquitur, Anathema cenſeri, vt ut arroganter gloriatur de Apoſtolica ſucceſsione. Porrò de perſona Pauli hoc quoque ſciendum eſt, quod fuerit natura vehementior: quam vehementiam auxit heroicus zelus propagandi Euangelium, & refrenandi Pſeudoapoſtolos. Quod ideo admonendum duxi, quia inde facilius diſputationum aculei, occupationes crebriores, ac redargutiones argutæ intelligi poſſe videntur. Singulari enim prudentia, & ſancto impetu, omnia quæ di-

citexaminat, & quicquid vel ab aduerſarijs vel amicis contradici poteſt, occupationibus anteuertit: vt & illis detrahat calumniandi anſam, & hos ab errore liberet.

DE SECVNDO.

OCCASIO ſcriptionis huius Epiſtolæ, ex ſerie diſputationis colligenda eſt. Scripſit Corinthijs ſuperiorem Epiſtolam, qua alij, vt Pſeudoapoſtoli grauius offenſi ſunt: Alij, nempe infirmi, ſed Pauli fautores, non exiguum perceperunt fructum. Pſeudoapoſtoli, vt Paulum deſpicabilem apud Corinth. facerent, obijciebant Paulo crucem, mendacia, affectatam tyrannidem in Eccleſiam, impoſturam, deprauationem verbi Dei, &c. Pij contra optabant, vt Paulo ſuus conſtaret honos, & ſalua maneret autoritas. Vt ergo & illorum vanitatem confutet Apoſtolus, & horum conſulat infirmitati, hanc ſcribit ſecundam Epiſtolam.

DE TERTIO.

VNVS ſtatus, ſeu vna quæſtio huius Epiſtolæ ſtatui nequit, cum res, de quibus in eà agitur, natura & genere diſcretæ ſint: Nunc enim reſpondet obiectionibus & calumnijs aduerſariorum, qui ipſi crucem, mendacia, affectatam tyrannidem in Eccleſia, & alia, qualia modo recenſui, obiecerunt, Nunc hortatur ad piam vitam, Nunc ad eleemoſynam præſtandam inuitat, Nunc vendicat ſibi autoritatem Apoſtolatus, & oſtendit quam non ſit vanus, & quo pertineat poteſtas Eccleſiaſtica, quæ data eſt ad ædificationem, non ad deſtructionem. Ex his iam patet, quod hæc Epiſtola non ſit vnius generis: tametſi maxima ex parte Apologetica eſt generis iudicialis, Vnde quidam eam totam Apologeticam eſſe volunt. Sed res ipſa oſtendit, quod ſit partim apologetica, partim conſolatoria, partim exhortatoria, partim epidictica. Id quod planius ſuis oſtendemus locis.

DE QVARTO.

ORDINEM epiſtolarem qui conſtat epigrapha, ſalutatione, tractatione & clauſula imprecationis, hic explicare, cum omnibus notus ſit, non eſt neceſſarium. Quare tractationis ſolummodo ordinem, ſicuti ſupra promiſſum eſt, indicabo. Exordium ſumit à gratiarum actione, quod Deus ſe in cruce tueatur, & teſtimonium ſuæ conſcientiæ corrupto Pſeudoapoſtolorum opponit iudicio: cauſſas mox explicans, cur non venerit ad eos, quemadmodum promiſerat in priori Epiſtola, qua re vanitatem Pſeudoapoſtolorum redarguit. Deinde affectatam tyrannidem & impoſturam à ſe amouet, docens quo conſilio incœſtum tradendum Sathanæ iudicauerit, & oſtendens bona ſe fide verbum Dei docuiſſe: id quod etiam Corinthiorum exemplo confirmat. Hinc dilabitur in commendationem miniſterij verbi, & confert legem & Euangelium, in cauſis efficientibus & effectibus. Vnde redit ad oſtendendum, quanta fide in miniſterio verbi Dei ſit verſatus. oſtendens, quantum ſit diſcriminis inter ipſum dominum, quem prædicant Apoſtoli, & ipſos Apoſtolos. Vnde dilabitur rurſus, vt maius diſcrimen pateat, in crucis mentionem, vt oſtendat vnde vera conſolatio ſit haurienda. Id quod cum explicat, de beneficijs Chriſti, & noſtri per Chriſtum reconciliatione, præclare diſputat. Huc iam tempeſtiue ſubijcit exhortationem ad vitam Chriſto dignam, ſimul tollens impietatis fomites, nempe impiorum commercia, quibus rebus templum Dei prophanatur. Vnde ſubiungit conſilium ſuum, cur incœſtum puniri voluerit. Id enim ſalutis eorum interfuiſſe indicat. Quare laudat illorum factum & pœnitentiam. Hac occaſione, quæ ſint propria Chriſtianæ pœnitentiæ enumerat. His abſolutis, exhortationem ad beneficentiam in fratres egenos exercendam inſtituit, quam copioſe tractat & confirmat. Deinde, vt infirmos muniat contra eos, qui ſuam autoritatem extenuarunt, inſtituit longam ἐπίδειξιν in genere demonſtratiuo, oſtendens quis ſit, qualis haberi debeat, Id quod plurimis argumentis, vt ſua contra Pſeudoapoſtolos apud infirmos illibata conſtet autoritas. Poſtremo clauſurus Epiſtolam, multa ex dictis breuiter repetit, monens poteſtatem ſibi atque adeo Eccleſiæ datam eſſe ad ædificationem, non ad deſtructionem. His exhortationem cum clauſula imprecationis ſubiungit, atque ita finit Epiſtolam. Porrò exegeticum ordinem in ſingulis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

gulis capitibus, vt hactenus feci, hunc ſeruabo. Primum, caput enarrandum in breuem ſummam contraham. Deinde, eiuſdem partes & ordinem indicabo. Tertio, textum explicabo, & ſimul, quod quartum eſt, memorabiles doctrinas cum accommodatione ad vſum noſtrum notabo.

Summa Capitis Primi.

Gratijs Deo actis, qui ſuis in cruce adeſt, quanta ſit paſſus, Deo ſe clementer defendente, exponit, ſuamque ſinceritatem in officio, contra eos qui ipſum mendacij arguebant, quod non iuxta promiſſum venerat Corinthum, probat.

Ordo & partes Capitis Primi.

Huius capitis partes ſunt, Epigrapha, Salutatio, Exordium gratulatorium, Expoſitio ſuæ crucis, & defenſio aduerſus eos, qui ipſum leuitatis, propterea quod non venerat iuxta promiſſum ad ipſos, inſimularunt.

EXEGESIS CAPITIS PRIMI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum ſanctis omnibus, qui ſunt in tota Achaia.

Hæc Epigrapha eſt, in qua obſeruandæ ſunt perſonæ & perſonarũ deſcriptiones. Perſonæ ſunt Paulus & Corinthij: His enim ille ſcribit. Perſonæ ſcribentis deſcriptio breuis eſt, ſi verba ſpectes: ſed auguſta & copioſa ſatis, ſi quod in verbis latet eruas. Nam cum Apoſtolus vocatur, quæ ſit eius autoritas, quæ ſcripti æſtimatio, qua reuerentia accipienda ſint quæ dicuntur, inſinuatur, de qua re ſupra quædam annotauimus. Perſonę quibus ſcribitur Corinthij ex gentibus fuerunt, vnde docemur ad gentes quoque, atque adeo ad nos pertinere Euangelium. Hos vocat Eccleſiam Dei, inter quos fuerunt multi infirmi, multi Pſeudoapoſtoli, pauci perfecti. Vnde colligimus, quod Eccleſia Dei ſit cœtus hominum amplectentium Euangelium, & profitentium Chriſtianam religionem, etiamſi inter illos ſint & multi infirmi, & multi hypocritæ. Quare conſolemur nos, cum intuemur noſtras maculas, & admoneamur, vt ad ſanctitatem tendamus. Cur autẽ ipſos ſanctos appellat manifeſtum eſt, nempe quod purgati ſanguine Chriſti, deſtinentur ſanctitati, quæ iam in ipſis incoata, perficietur in futura vita.

Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.

Hæc ſalutatio, & pium votum Apoſtolo vſitatum in omnibus fere Epiſtolis, continet præcipua Euangelij beneficia, monſtrat fontem omnis boni, & oſtendit, quo medio beneficiorum Euangelij efficimur participes. Cum enim optat gratiam & pacem, Gratiæ quidem nomine ſignificatur fauor Dei, quo teguntur noſtræ maculæ, remittitur peccatum & Deo reconciliamur: & tacite requirit fidem Corinthiorum: ſine qua imprecatio gratiæ inefficax exiſtit. Pacis vero nomine ſignificantur omnia fauſta, ſpiritualia & corporalia, quæ reconciliatis promittuntur.

Benedictus Deus & pater Domini noſtri IESV CHRISTI, pater miſericordiarum, & Deus omnis conſolationis: qui conſolatur nos in omni afflictione noſtra. In hoc, vt nos poſsimus conſolari eos, qui ſunt in quauis afflictione per conſolatio-

Gratiarũ actio eſt, qua tribuit Deo omnem laudem & gloriam. Nam homines benedicere Deo dicuntur, cum ei omnia bona accepta ferẽtes, ac ipſi laudem omnẽ & gloriã tribuentes, celebrãt ipſum agnitione, voce, confeſſione & moribus. Huic gratiarũ actinem,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nem,qua noſipſos conſolatur Deus.

oni duplicem rationem ſubiungit, vnam ab affectu Dei, alteram ab effectu. Affectus quidem exprimitur,cum ait: Pater miſericordiarum,hoc eſt,ſumme miſericors,idq; propter Chriſtum,in quo nos caros habet. Quare vt huius affectus Dei erga nos fontem monſtraret Apoſtolus,præpoſuit hæc verba: Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,per quem & nobis pater factus eſt,& ſtorgam paternã erga nos habet. Effectus vero indicatur cum addit:Et Deus omnis conſolatiouis,ſcilicet autor. Quicquid enim ſolidę cõſolationis homines capiunt,id à Deo autore proficiſcitur. Hoc amplificat à tempore,fine,& modo. A tempore cum ait: Qui conſolatur nos in omni afflictione. Vnde ipſe in Pſalmo 90. Cum ipſo ſum in tribulatione,& eripiá eum, & glorificabo eum. A fine: In hoc vt nos poſsimus conſolari eos qui ſunt in quauis afflictione: obſeruáda doctrina eſt,vt dona nobis collata, in aliorum cõmodum conferamus. A modo,cum ſubiungit:Per conſolationem,qua nosipſos conſolatur Deus. Conſolatur autem nos Deus ſcriptura,dum per ſcripturam quæ nobis proponitur,promiſsionem liberationis offert,fide amplectendam. Deinde conſolatur nos ſpirituali robore, quod donat cruce preſsis,& præſenti interdũ liberatione. Hunc modum ſibi ſoli reſeruat,ideoq; ſolus in neceſsitate inuocandus eſt. Laurentiũ in craticula ſcriptura & ſpirituali robore,quo fortiter crucem cõtemſit, conſolatus eſt. Danielé coniectum in lacum leonum,præſenti quoq; liberatione eſt conſolatus. In omni ergo anguſtia noſtra, hæc tria nobis cogitanda ſunt: Promiſsio auxilij, Quibus promiſsio facta eſt,& modus cõſolationis. Promiſsioné & quibus ea facta eſt,cõtinet Pſalmus 90. in quo Dominus ita ait: Quoniam in me ſperat,eruam eum,protegam eum,quoniá agnoſcit nomen meum. Inuocabit me & exaudiá eum. Hic ſit promiſsio agnoſcentibus nomen Dei,credentibus ſeu ſperantibus in eum,& inuocãtibus ipſum in tempore afflictionis. Modus cõſolationis eſt duplex: Nunc enim aperto auxilio cõſolatur, nũc ſcriptura & virtute ſpiritus aſsiſtit nobis, ne malis victi deficiamus. Hoc proinde exordiũ eo pertinet totum,vt Apoſtolus & Pſeudoapoſtolos coarguat, qui ipſi crucem vt probroſam, obiecerunt: & pios confirmet,ne vel ipſi in cruce deficiant,vel ſua cruce cum Pſeudoapoſtolis offendantur.

Quia ſicuti abundant paſsiones Chriſti, ſic per Chriſtum abundat etiam conſolatio noſtra.

Ratio petita à collatione ærumnarum (quas Chriſti nomine perfert Apoſtolus) & conſolatione. Nam quo maior fuerit afflictio, eo maior conſolatio requiritur. Quare & Deus ſe magis præſentem oſtendit,& Chriſti virtutem in cruce preſsis exerit. Paſsiones Chriſti actiue & paſsiue intelligi poſſunt. Nam ſiue ærumnas quas propter Chriſtum perpetimur,ſiue eas quas Chriſtus in nobis, tanquam ſuis membris perpetitur,intelligas, idem eſt ſenſus.

Siue autem affligimur pro veſtra conſolatione, & ſalute (quæ efficitur in tolerantia earundem paſsionum, quas & nos patimur) ſiue conſolationem accipimus pro veſtra conſolatione & ſalute (& ſpes noſtra firma eſt de vobis) ſcientes quod ſicut ſocij eſtis paſsionum, ita etiam conſolationis.

Quia Pſeudoapoſtoli obiecerant Paulo crucem in contemtum, Apoſtolus contra,crucem ſuam glorioſam prædicat: & quæ proueniat vtilitas à ſua cruce ad ipſos Corinthios exponit,vt & Pſeudoapoſtolorum calumniam refutet, & infirmos ab errore monſtrato apud Eccleſiam fructu reuocet. Sunt autem huius pericopæ tria membra: 1. de cruce. 2. de conſolatione. 3. de ſocietate in cruce & conſolatione. De primo ait: Siue affligimur pro veſtra conſolatione & ſalute,ſcilicet affligimur. hoc eſt, eo tendit crux noſtra, vt vos noſtro exemplo animati, conſolationem accipiatis, atq; ita ad metá vobis propoſitam,nempe ſalutem tendatis,quæ ſalus efficitur,dũ patiéter eaſdem ærumnas quas nos ferimus ſuſtinetis. Non quod afflictiones noſtræ ſint expiatoriæ pro peccatis noſtris:eſt enim vnicũ expiatorium ſacrificium,nempe Chriſti victima. Sed quia nos confirmando ædificant,cum cruce preſsi diuinitus conſolationem percipimus De II. Siue conſolationem accipimus,pro veſtra conſolatione & ſalute ſcilicet conſolationem accipimus, nimirum vt vos noſtro exemplo in cruce erigatis, & conſolatione accepta ſalutẽ conſequamini. Atq; hoc ſibi certo perſuaſum eſſe pronunciat Apoſtolus,vt re vera ſtatuant Corinthij,finé crucis piorum non interitum, ſed ſalutem eſſe. Proinde & afflictiones & conſolationes miniſtrorũ Euangelij ſeruiũt auditoribus in ſalutem, quæ etiamſi gratuito nobis cõtingit, certo tamẽ itinere ad eam contendere

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tendere nos oportet,nimirũ per pœnitentiam, crucem,inuocationem,innocentem & puram vitam. Atque hoc eſt quod Apoſtolus ait ad Philip.2. Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini. Quamuis enim gratis in vno Chriſto per fidẽ apprehenſo ſaluemur: tamen per viam iuſticiæ ad ſalutẽ contendere nos oportet, cum filij Dei eius ſpiritu ducantur,per quem ſunt iuſtificati,vt in bonis operibus ambulent,& in ſtudio iuſticię ad metam properent. De tertio: ſcientes, quod ſicuti ſocij eſtis afflictionum, ita etiam cõſolationis, ſcilicet ſocij eritis. Vult enim Deus nos conformes imaginis filij ſui fieri, cum in cruce,tum in cõſolatione & glorioſa liberatione,id quod in ipſis ſanctis Patriarchis, Apoſtolis Domini,atque adeo in omnibus pijs videre eſt. Quare pius ſub cruce conſtitutus,debet ad decretum Dei, ad exempla filij Dei & ſanctorum reſpicere, & certo ſtatuere, quod non tantum ſit crucis cum Chriſto & Apoſtolis particeps, verumetiam quod ſit futurus cõſolationis & glorioſæ liberationis ſocius, iuxta illud Apoſtoli,Rom.8. Vna cum eo patimur,vt vna cum ipſo glorificemur. Verum ne quis ærumnas huius vitæ per ſe ſalutares eſſe putet,& meritorias vitæ æternæ, ſicut falſo monachi putarunt: tenendum eſt, quid ſit cum Chriſto pati. Non enim ſupplicium,ſed cauſſa, vt dici ſolet, martyrem facit. Vt igitur teneatur,quid ſit cũ Chriſto pati, cauſſæ cur Chriſtus ſit paſſus, reſpiciendæ ſunt, quæ ſunt in vniuerſum duæ: vna vt patri obœdiret: altera vt vinceret & damnaret peccatũ noſtrum. Quare & nos cum Chriſto pati dicimur, cum ſub cruce Deo obœdientiã fide præſtamus, & vincimus & damnamus peccatum noſtrum, nõ expiando, quod eſt ſolius Chriſti ſacerdotis, ſed mortificando, ne ei obœdiamus in concupiſcentijs ſuis.

Non enim volumus vos ignorare fratres, de afflictione noſtra, quæ contigit nobis in Aſia, quod excellenter grauati fuimus ſupra vires, adeo vt deſperaremus etiam de vita,ſed & ipſi in nobiſipſis reſpõſum mortis habuimus, ne confidamus in nobiſipſis, ſed in Deo,qui exuſcitat mortuos, qui ex tanta morte liberauit nos & liberat, in quem ſperamus, quod etiam adhuc liberabit.

Quia ex gratiarũ actione facile intelligi poterat,de ſingulari aliquo periculo ereptum fuiſſe Apoſtolũ. Nunc cõmemorat eius periculi magnitudinem, finem duplicem, liberationem, & ex liberatione conceptã fiduciam. Hæc enim quatuor habet præſens Pericopa. Periculi magnitudinẽ tribus propoſitionibus exaggerat, adhibitis figuris, quæ periculorum veluti magnitudinem depingunt. Prima, quod fuerit excellenter grauatus ſupra vires: Metaphora ſumta ab ijs, qui ſub oneris grauitate deficerẽt, niſi mox adeſſet aliquis, qui onere depreſſos ſubleuaret: ſignificat ergo hac pictura omnino de ſe actum fuiſſe, niſi Dominus præſens auxiliũ tuliſſet. Secunda, quod deſperaret de vita, aut quod animi penderet anxius, perplexus & inops conſilij quomodo periculum vitæ euaderet. Dicitur enim ἀπορεῖσθαι, quo verbo hic vtitur PAVLVS, qui nõ nouit quomodo ſe ex aliqua difficultate expediet. Tertia, quod ipſe reſpõſum mortis in ſe habuerit, hoc eſt, quod apud ſe decretum & conſtitutum fuerit, quod nullo pacto mortem euadere poſſet, adeo præſentia pericula præſentem mortem Apoſtolo denunciarunt. Eſt autem ἀπόκριμα ſententia de reo à Iudice pronunciata, vnde ad ſuum de ſe iudicium vocabulũ transfert. Ex hac periculi deſcriptione apparet, quod Apoſtolus loquatur de eo periculo, in quo fuit Epheſi, concitante turbam Demetrio fabro argentario, de quo Lucas in Actis capite decimonono. Obſeruetur hoc loco humanarũ viriũ imbecillitas, adeo quod mortis horrori tãtus Apoſtolus fere ſuccubuerit. Nullę enim humanę vires tantę ſunt, vt ſibi relictæ mortis aſpectum non reformident, ſibi inquã relictæ, quia cum ſuas vires Sancti metiuntur diuino præſidio, fortes & inuicti ſunt, pericula omnia atq; adeo mortem ipſam facile cõtemnentes. Finis huius periculi duplex hic proponitur: Vnus, vt fiduciam carnis deponat homo: Alter, vt in ſolum Chriſtum fiduciã habeat. Hinc duo colligenda ſunt, Primum, quod in Sanctis reliquiæ peccati ſunt adhuc reliquæ, quas cruce mortificari neceſſe eſt. Secundum, quod ad veram humilitatem peruenire nõ poſſumus, niſi prius ad deſperationem noſtrarum virium perducti fuerimus. Hanc deſperationẽ morti comparat, à qua nos toties liberat Dominus, quoties in graues tentationes incidimus, à quibus rurſus eluctamur. Liberatio deſcribitur cum ait: Qui ex tãta morte, id eſt, ex tanto mortis periculo nos liberauit & liberat: Hic ergo fiduciæ in Deum fructus eſt. Non eſt enim tutius in tribulatione refugiũ, quam in Deum firma fiducia: ex qua Deum inuocat, mole crucis preſſus. Vnde Pſalmus 49. Inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis me. Ex liberatione concepta fiducia, vt in poſterũ quoq; diuino auxilio fretus, pericula ſit euaſurus,

rus,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rus, deſcribitur his verbis: In quem ſperamus, quod etiam adhuc liberabit. A pręſtitis enim beneficijs Dei de perpetua eius erga nos beneuolentia, argumentum petendum eſt. Vnde Paulus ſæpe conſolationes petit, vt ad Phil. 1. Perſuaſus ſum, quod qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet in diem IESV CHRISTI. Tot enim pignora beneuolentiæ Dei erga nos habemus, quot eius ſentimus beneficia. Neque ipſe, cum immutabilis ſit, mutabit affectum, niſi nos noſtra culpa iuſtam iudicis iram prouocauerimus. Solicite ergo ambulemus coram eo in vero timore.

Simul adiuuantibus & vobis per deprecationem pro nobis, vt donum ex multis perſonis erga nos collatum, gratiarum actione per multos celebretur pro nobis.

Quod è periculo mortis, in quo fuit, ſit liberatus, tribuit ex parte precibus Corinthiorũ, qui pro ipſo deprecati ſunt Deum, & ſimul finem liberationis ſuæ tertium, nimirum vt publicè per multos celebretur Deus, qui ipſum eripuit è periculo, propter multorum preces. Hic huius loci ſenſus eſt ſimpliciſsimus, tametſi oratio Pauli nonnihil obſcura eſt: Donũ ex mulis perſonis collatum, hoc eſt, liberatio, quæ mihi contigit per multorum preces. Gratiarum actione per multos celebretur pro nobis, id eſt, vt noſtra cauſſa etiam multi gratias agant Deo pro beneficio mihi collato: Hic primũ obſeruetur, quanta ſit vis piæ deprecationis, adeo vt merito dixerit Salomon: Turris fortiſsima nomẽ Domini. Admonemur igitur nos, vt cum in proprijs, tũ in cõmunibus periculis confugiamus ad preces Eccleſiæ: Habet enim Eccleſia promiſsionem, quod Deus velit eam exaudire in ſalutem. Deinde obſeruetur hic manifeſta refutatio erroris, eorũ, qui omnia fato tribuunt, & mortis momenta fato alligant, quorũ ſententia ſi vera eſſet, Paulus non recte tribueret precibus Corinthiorũ, quod ex præſenti mortis periculo ſit ereptus. De futuris ergo cogitantes euentibus, reſpiciamus ad cõminationes & promiſsiones diuinas. Ad cõminationes quidem, ſi quid mali egerimus: Ad promiſsiones vero, cum Deo obœdientiam ex fide præſtiterimus, & inuocauerimus ipſum iuxta mandatũ Chriſti: Quicquid petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis. Tertio obſeruetur, noſtrum officium eſſe, Deo gratias agere, pro defenſione miniſtrorum & conſeruatione Eccleſiæ, atque adeo pro omnibus beneficijs, quoties ipſius præſentem opem experimur, hoc eſt, ſemper. Vnde Paulus: ſemper gratias agentes Deo.

Nam gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate & ſinceritate Dei, conuerſati ſumus in mundo, potiſsimum autem apud vos.

Rationem ſumtam ab Apoſtolici muneris fideli & ſedula adminiſtratione, iuſtiſsimã reddit, cur Corinthij merito Deo gratias agere debeant pro ſua ſalute, videlicet quod ſit è mortis periculo ereptus. Nimirum quod ſimpliciter ſine dolo, & ſincere ſine admixtione peregrinæ doctorinæ, in Euangelij negocio ſit verſatus, idq; potiſsimũ apud Corinthios, apud quos diutius cõmoratus fuit. Merito enim chara ſalus eius omnibus eſſe debet, qui ſalutis omnium curã habet. Quod hic ſit ſenſus verborum Pauli, antitheſis docet. Nam cum ſapientiæ carnali opponit gratiam Dei, manifeſtum eſt, quod gratia Dei per metonymiã accipiatur pro ſapientia Dei, hoc eſt, pro Euangelio, ſicuti 1. Corinth. 1. Paulus ſapientiã Dei interpretatur, quam carnis ſeu mundi ſapientiæ opponit. Sed metonymia ideo vſus eſt Apoſtolus, vt cauſſam monſtraret ſuæ functionis, & autorẽ Euangelij, quem tacite opponit arrogantiæ illorum, qui apud Corinthios de carnali ſapientia gloriabantur. Verũ vt hæc ratio recipiatur à Corinthijs, ad ſuæ conſcientiæ teſtimonium prouocat. Quod perinde eſt, ac ſi Deum ipſum teſtem vocaſſet. Neq; id ſimpliciter facit, ſed dicit ſe in hoc ſuæ conſcientiæ teſtimonio gloriari. Cuius quidem gloriationis fundamentũ eſt, ſolida in Deum fiducia, qua Deo autori omne bonũ fert acceptum. Hoc ergo fundamento poſito, licet in omnibus donis Dei ſancte gloriari. Non igitur pugnat hic locus cum eo, qui eſt 1. Cor. 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Differt enim hæc gloriatio ab illa, fundamento, & fine ſeu termino. Gloriatio enim prohibita fundamentum habet meritum proprium, finem ſeu terminum iuſticiæ propriæ opinionem. Verum gloriatio ſancta & licita, fundamentũ habet fiduciam in Deum, & in ea fiducia bonam cauſſam, quam donum Dei agnoſcit. Terminum vero lęticiam in Deo, & Dei celebrationem. Hoc Pauli exemplum nos moneat, vt ita coram Deo & hominibus verſemur, vt nobis ſit incolumis & illæſa cõſcientia, qua nulla ſenectutis nutrix dulcior eſt, ſecundum Pindarum.

Non enim alia ſcribimus vobis, quam quæ legitis aut etiam agnoſcitis: ſpero autem, quod vſque ad extremum quoque agnoſcetis.

Comprobatio eſt ſuæ ſimplicitatis & ſinceritatis. Cum enim Paulus dicit, ſe non aliud ſcribere, quam quod legunt & agnoſcunt Corinthij, ſignificat ſe candide, ſincere, & abſq; omni fuco ſcribere. Nam, vt qui tecta & fucata oratione vtitur, merito ſane dicitur alia ſcribere, quam quæ leguntur: Ita qui ſimplici & ſincera oratione vtitur, eadem quæ leguntur, dicitur ſcribere. Hoc quoque illorum teſtimonio confirmat, cum ait: & agnoſcitis, ſcilicet verum eſſe & ſimplex, quod dico. Hic vt nobis cõmendatur candor & ſimplicitas in loquendo & docendo: Ita omnis fucus & orationis perplexitas damnatur, vt indigna pijs.

Sicuti & agnouiſtis nos ex parte, ſiquidem gloriatio veſtra ſumus, quemadmodum & vos noſtra in diem domini Ieſu.

Ab anteactis. Ab eo enim quod antea cognouerint ſimplicitatem & ſinceritatem ſuam in docẽdo, atq; adeo totam doctrinam approbauerint, pollicetur ſibi futurum, vt in poſterum quoq; agnoſcant. Quod autem agnouerint & approbauerint doctrinam ſuam, cõfirmat à mutua ſua & Corinthiorum gloriatione. Quemadmodũ enim gloriatio Pauli fuit, quod Corinthios Chriſto lucrifeciſſet per Euangelij prædicationem: Ita viciſsim gloriatio Corinthiorum erat, quod à tali & tanto Apoſtolo, adeo pure & ſincere eſſent inſtituti. Hanc gloriationem in Corinthijs, quia ea abutebantur in aliorum contemtum, reprehendit in prioris primo. Hic eandem laudat quatenus ea recte vſi ſunt, ſine aliorum contemtu ad autoritatem Apoſtolicæ doctrinæ comprobandam.

Itaque hac fiducia volui ad vos venire, primum, vt ſecundam gratiam haberetis, & per vos tranſire in Macedoniam, & rurſus à Macedonia venire ad vos, ac à vobis deduci in Iudæam.

Hoc eſt, propterea quod vos noſtra gloria ſitis, & nos veſtra, volui in Macedoniam profecturus vos primum inuiſere, & poſtea à Macedonia in Iudæam conceſſurus, iterum per veſtram regionẽ tranſire, vt hoc meo ad vos reditu ſecundam haberetis gratiam, hoc eſt, beneficium ſecundum perciperetis, veſtrum Apoſtolum ſæpius docentem audiendo. Atq; ita gratiæ vocabulum metonymicos pro dono ſeu beneficio accipitur. Poteſt etiam gratia hoc loco per Metalepſin pro gaudio, quod ex beneficio capitur, poni: vt ſecunda gratia ſit ſecundum gaudium ex præſentia Pauli perceptum. Hæc monent quali affectu deceat miniſtros Euangelij & auditores, ſe mutuo complecti.

Hoc igitur cum cogitarem, nunquid leuitate vſus ſum? Aut num quæ conſulto, ſecundum carnem conſulto: vt ſit apud me etiam & non?

Apologiam inſtituit aduerſus eos, qui ſe leuitatis inſimularũt, propterea quod iuxta promiſsionem Corinthum non veniſſet, vnde etiam reliquam Pauli doctrinam calumniati ſunt: Ac ſi quod nunc affirmaret, idem mox præ leuitate negaret. Eſt ergo ſenſus verborum Pauli: Quando propoſui ad vos venire, num leuitate aliqua hominum inconſtantiũ more, qui & temere ſolent polliceri quiduis, & leuiter conſilium mutare, vſus ſum, vt quod nunc affirmem, id rurſus negem? Secundum carnem hoc loco eſt, aliquid more leuium hominum facere. Etiam, declarat affirmantem ſermonem, Non, negantem. Ergo ſenſus eſt, quem expreſsi, vt ſit apud me etiam & non, hoc eſt, vt idem & affirmem & negem.

Immo fidelis Deus, quod ſermo noſter qui ad vos factus eſt, non fuit etiam & non.

Reſponſio eſt Apoſtoli & dilutio obiectionis. Eſt autẽ ſenſus: Deus qui fidelis eſt & verax, nouit me vobis eandem veritatem conſtanter prædicaſſe. Sermo noſter, hoc eſt, prædicatio Euangelij non fuit etiam & non, id eſt, non fuit de eadem re nunc aiens nunc negans, ſed ſemper ſibi ſimilis, & conſtans.

Nam Dei filius IESVS CHRISTVS, qui inter vos per nos prædicatus eſt, per me, & Syluanum, & Timotheum, non

Probat à conſtantia obiecti ſeu materia Euangelij, ipſam Euangelij prędicationem conſtãtem & firmam eſ-

fuit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

fuit etiam & non, ſed etiam in ipſo fuit.

ſe. Argumentum ita colligitur: Chriſtus Ieſus qui prædicatur à nobis, non eſt etiã & non, hoc eſt, non eſt varius & inconſtans, ſed prorſus idem, & ſemper ſibi ſimilis. Ergo prædicatio de ipſo, conſtans quoque eſſe debet, & ſemper ſibi ſimilis. Quicunque ergo puritatem Euangelij non retinent, Chriſtum quodammodo inconſtantiæ inſimulant.

Quotquot enim ſunt promiſsiones Dei, in ipſo ſunt etiam, & in ipſo ſunt Amen, Deo ad gloriam per nos.

Probat rurſus quam conſtans & immota ſit doctrina Euãgelij, quam Corinthijs tradidit: idque cum à ſubiecto, tùm à promiſsionũ diuinarum firmitudine. Eſt autẽ hæc argumenti ſummã: Cum promiſsiones Dei in Chriſto ſint fundatæ, qui perpetuo ſibi ſimilis eſt & inuariabilis, fieri non poteſt, quin ſint certiſsimæ & firmiſsimæ. Quare cum Euangelium nihil aliud ſit, quam promiſsionum diuinarũ promulgatio & annunciatio, firmum, ratum & conſtans eſſe neceſſe eſt. Verum cum hoc Pauli dictũ ſit vnum ex præcipuis principijs noſtræ religionis; operæpreciũ fuerit illud diſtinctius retexere, & eruere multiplicem doctrinam, quæ in ipſo continetur. Quatuor ergo hic breuis Aphoriſmus cõtinet. 1. Monſtrat ſalutis fundamentum. 2. Promiſsionum Dei meminit. 3. Indicat, quo pertineat verbi miniſterium. 4. Omnium horum finem opponit. Fundamentũ ſalutis Chriſtum eſſe docet. Nam vt ſine illo nullus nobis acceſſus ad Deũ patet: peccatum enim nos à Deo excludit: Ita per illũ Deus nobis propitius redditur, condonatis peccatis. Promiſsiones ſunt fauoris diuini teſtimonia, in quibus ſpectanda eſt varietas, amplitudo, ſponſio & ratificatio. Varietas hæc eſt, quod promiſsionũ quædam ſunt legales, ſeu remunerationis, aliæ Euangelij ſeu ſalutis. Verum quia Paulus hic teſtatur omnes promiſsiones Dei in Chriſto fundari, fieri non poteſt, vt legales locũ habere poſsint, priuſquam Chriſtum fide apprehendimus, quo facto, legales quoq; ratæ ſunt, tametſi incoatio obœdientiæ ſit languidior. Amplitudo harum promiſsionũ eſt, quod non ad certos homines, ſed ad totum genus humanum ſe extendant. Quemadmodum enim in Adam omnes peccauimus, ita Chriſtus omnibus à Deo reconciliator eſt datus, vt omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitã æternam. Sponſio harum promiſsionũ ſolido fundamento nititur. Nã in Chriſto fundatæ ſunt & propter ipſum factæ. Gene. 3. Atq; hoc eſt, quod Paulus hic dicit: Promiſsiones Dei in Chriſto ſunt etiam. Eſt enim τὸ ναὶ apud Græcos affirmantis & ſpondẽtis. Quare cum diuinas promiſsiones recolimus, veniat nobis in mentẽ, quod illarum ſponſio fundamentum habeat ſolidum, nempe Chriſtum dominũ. Proinde qui extra illum eſt, ſciat promiſsiones diuinas ad ſe minime pertinere, priuſquam cõuertatur & reſipiſcat. Præterea ratificatio earundem promiſsionũ, non noſtræ dignitati & meritis, ſed Chriſto nititur, vnde fides noſtra ingentem conſolationem haurit, cum non ſolum ſponſionem ſalutis, verumetiam eiuſdem ratificationẽ tam ſolido & conſtanti fundamento niti animaduertit. Atq; hoc eſt, quod Paulus dicit, Promiſsiones in Chriſto ſunt Amen. Porrò his promiſsionibus promulgandis deſtinatur miniſterium Euangelij, quod indicat Apoſtolus cum ait: Per nos, ſcilicet Euangelij miniſtros. Nam theſaurum ſuarum promiſſionum diſtribuendum miniſtris Euangelij concredidit. Poſtremo finis datarum promiſſionum etſi multiplex eſt, hic tamen principalis ſolummodo ponitur, cui reliqui ſubordinãtur. Eſt autem principalis finis, gloriæ Dei prædicatio, quæ tum demũ plena erit, quando proſtrato & abolito regno Sathanæ, pij ſalute æterna donabuntur. Huic fini cum deſtinatum ſit miniſterium verbi, agamus gratias Deo, qui illud in Eccleſia conſeruat, & donat Eccleſiæ ſuæ pios miniſtros, qui promiſsionum diuinarum publici ſunt pręcones, quorum voce multi euocantur è regno Sathanæ, & fiunt ciues & hæredes vitæ æternæ.

Porrò, qui confirmat nos vobiſcum in Chriſtum, & qui vnxit nos, Deus eſt, qui etiam obſignauit nos, deditq; arrabonem ſpiritus in cordibus noſtris.

Firmitudinem promiſsionũ diuinarum, atq; adeo dignitatem officij Apoſtolici aſſerit, certiſsimo propoſito indicio ab effectibus ſpiritus Dei, cum in ipſis miniſtris, tũ in auditoribus. Recitat autem ordine quatuor effectus ſpiritus Chriſti, qui ſentiuntur vere in ijs, qui Euangelium prædicatum recipiunt, vt ſunt: confirmatio, vnctio, obſignatio, & Arrabonis donatio. Hæc quatuor etſi eandem rem declarant, tamen ratione quadã diſtinguuntur. Cõfirmatio dicitur, quatenus ſpiritus Dei nobis certitudinẽ Euangelij ita cordibus noſtris ratã efficit, vt ei, vel reclamante ratione & omni naturæ ſenſu, indubitatam fidem habea-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mus. Cum ergo animalis homo non capit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, quicunq; Dei verbum indubitata fide amplectitur, Spiritus ſancti magiſterio eũ edoctum & confirmatũ eſſe neceſſe eſt. Vnde non mirum eſt, quod multi ſapientes mundi qui res diuinas ſua ratione & ſenſu metiri volunt, Euangelium non recipiant. Eſt itaque hæc confirmatio, qua miniſtri verbi & auditores vna, Spiritus ſancti teſtimonio ita in cordibus ſuis cõuincuntur de veritate Dei, vt firma fide in Chriſtũ recumbant. Cum hac cõfirmatione coniuncta eſt vnctio, qua ſpiritualiter vnguntur, qui verbum Dei indubitata fide recipiunt. In hac vnctione obſeruanda ſunt quatuor: Quiſnam vngat? Quænam, qualiſq; ſit vnctio? Quis vngatur? & ad quid vngatur? Deus eſt qui vngit. Vnctio eſt ipſe Spiritus ſanctus, qui efficit motus in cordibus noſtris congruentes cum lege & voluntate Dei. Vngitur autem omnis, qui vera fide verbum Dei recipit, idq; ob hos fines: 1. vt iam oleo læticiæ inuncti, in Deo exultemus. 2. Vt Sacerdotes, Reges & Prophetæ ſimus coram Deo. 3. Vt iam quoque ſimus luctatores vnctione ſpiritus, præparati ad luctam ineundam cum vicijs & carnis cõcupiſcentijs, vt poſthac nõ militemus carni, ſed ſpiritui. De hac vnctione & eius virtute, plura habes 1. Iohan. 2. Poſtremo loco donationis Arrabonis meminit. Nam Spiritus ſancti virtus, in credentibus excitat ardorẽ fidei, ſpem, dilectionem, & alias virtutes, quæ virtutes ſunt pars aliqua promiſsionũ diuinarum, quæ ſunt veluti arra quædã quæ nobis donata eſt, in pignus reliquarum promiſsionũ diuinarũ, quæ nondum ſunt completæ. Eſt enim Arrabo pactum, ſymbolum, ſeu pignus, quod dari ſolet in certitudinem eius, quod promiſſum eſt.

Ego vero teſtem Deum inuoco in animam meam, quod parcens vobis nondum venerim Corinthum.

Accuſarũt Paulum leuitatis, quod iuxta promiſſum non venerit Corinthum. Vnde & reliquam doctrinam calumniati ſunt Pſeudoapoſtoli. Verum quia maioris momenti res erat doctrinæ vindicare ſinceritatẽ, quam ad præſcriptum tempus non venire. Primum aſſeruit doctrinæ firmitudinẽ, cui ſubiungit cauſſam, cur non venerit, nimirum, vt illis pareret expectando illorũ ſpõtaneam pœnitentiam. Hoc autem vt credant verum eſſe, interponit iuſiurandum, quo Deum in teſtem & vindicem inuocat, cum ſuæ animæ, id eſt, vitæ & ſalutis periculo, ſi fallit.

Non quod dominemur veſtræ fidei, ſed quod adminiſtri ſimus gaudij veſtri: fide enim ſtatis.

Prolepſis eſt. Nam ex eo quod Paulus dixerat, Parcens vobis nondũ veni Corinthum, poterant aduerſarij calumniam extruere ac ſi Paulus affectaret in ipſos dominium aliquod, quaſi ſibi liceret quiduis in religione conſtituere. Hanc igitur calumniam anteuertit, & veram cauſſam ſui facti aſsignat, nimirum quod adminiſter ſit gaudij ipſorum. Hoc eſt, quod ſua admonitione de flagitioſo eijciẽdo moti, egerint pœnitentiam. Vnde gaudium conſcientiæ nacti in fide ſtant, qui antea quodãmodo proſtrati alieni delicti approbatione iacuerunt. Qui autem fide ſtant, ſalutem in Chriſto obtinent, quorũ officium eſt, donec in hac mortali vita ſunt, vt magis magiſq; in cognitione & ſenſu abundent. Phil. 1.

CAPVT II.

Summa Capitis Secundi.

Cauſſa dilati aduentus ſui ad Corinthios reddita, iubet Apoſtolus vt Corinthij incœſtuoſum pœnitentem in gratiam recipiant, & hortatur ne nefandis machinationibus Sathanæ ſinant ſe circumueniri. Deinde, gratijs Deo actis, qua fide Euangelium docuerit, ab effectu demonſtrat.

Ordo & partes Capitis Secundi.

Plures ſunt huius capitis partes. 1. Cauſſæ redditio eſt, cur iuxta promiſsionem non venerit Paulus Corinthum. 2. Sententiæ ſuæ declaratio eſt, de incœſtuoſo Corinthio recipiendo in Eccleſiam: pro quo & ipſe intercedit rogans, vt ipſi pœnitenti lapſum iſtum condonent. 3. Exhortatio generalis eſt, ne ſinamus nos, quemadmodum ille fecit, à Sathana circumueniri. 4. Narratiuncula eſt de profectione Apoſtoli. 5. Gratia-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Gratiarum actio pro felici in negocio Euangelij ſucceſſu. 6. *Diluit crimen Apoſtolo obiectum, videlicet, quod non cauponetur verbum Domini, vt plerique: ſed ſincere, in conſpectu Dei, de Chriſto loquatur.*

EXEGESIS CAPITIS SECVNDI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

HOC autem mihi faciendum iudicaui, vt ne rurſus cum triſticia ad vos venirem.

In fine primi capitis cœpit ſe excuſare Apoſtolus, cur iuxta promiſsionem non venerit Corinthum, nunc eiuſdem excuſationis plures rationes colligit. Hoc inquit, mihi faciundum iudicaui. hoc eſt, non veni ad vos, ne rurſus ad vos cum triſticia venirem: quod ſane eueniſſet, ſi vos adhuc vobis placentes deprehendiſſem nō animaduertiſſe in incœſtuoſum fratrem. Nam interea dum Apoſtolus diſtulit aduentum, Corinthij ipſius ſcripto admoniti reſipuerūt, ac incœſtuoſum excommunicauerunt in teſtimonium veræ pœnitentiæ, & quod non delectarentur alienis peccatis. Hinc duo diſcamus: vnum, totius Eccleſiæ intereſſe, lapſos in viam reuocare. Quod niſi fecerit, alieno obſtringi peccato. Alterum, miniſtrorum verbi eſſe moderari caſtigationem, conſpecta delinquentium pœnitentia.

Nam ſi ego triſticia vos afficiam, Quis eſt qui exhilaret me? niſi is qui triſticia afficitur ex me?

Ætiologia eſt, dixerat enim ſe non veniſſe, ne Corinthios triſticia afficeret: nunc eius cauſſæ rationem reddit, à ſua perſona ſumta, videlicet, ne ſibiipſi mœrorem accerſeret, illos triſticia afficiendo, & caſtigando propter eorum factum. Indoles pij paſtoris hic indicatur, qui cum alios caſtigat, ipſe quoque dolore afficitur. non inſultat lapſis lætabundus, quod cauſſam caſtigandi acceperit, ſed paterno potius animo, & ſancta caſtigatione errantes in viam reuocat. Obſeruetur igitur hoc loco, quomodo affectum ad caſtigationem errantium accedere miniſtrum Dei oporteat.

Et ſcripſi vobis hoc ipſum, ne cū venero triſticiam capiam ex ijs, ex quibus oportebat me gaudere, confiſus vobis omnibus, quod gaudium meum omnium veſtrū ſit.

Eodem pertinere ait, quod in priori Epiſtola de excommunicando incœſtuoſo ſcripſerat. Scripſi, inquit, vobis hoc ipſum ſcilicet, quod moleſtiam & ipſi incœſtuoſo & vobis attulit, vt & ipſe & vos reſipiſcentes, & ego veniens gauderem ſuper veſtra pœnitentia. Rationem addit: Confiſus vobis omnibus, quod gaudium meum omnium veſtrum ſit, hoc eſt, qui omnino ſperaui fore, vt quod mihi diſplicere intelligeretis, ſtatim tolleretis, propterea quod meum gaudium vobis quoque commune eſſe exiſtimetis. Atq; hæc pia συμπάθεια eſt miniſtrorum verbi & auditorum, vt quemadmodum ex mutua triſticia triſticiam capiunt: Ita ex mutuo gaudio gaudeant.

Nam ex multa oppreſsione & anxietate cordis, ſcripſi vobis per multas lacrymas, non vt triſticia afficeremini, ſed vt cognoſceretis charitatem quam habeo abundantius erga vos.

Aduerſarij Pauli apud Corinthios calumniabantur ipſum ex affectatione tyrannidis, vt contriſtaret Corinthios, ſcripſiſſe incœſtuoſum illum tradendum Sathanæ: ſed Paulus longe aliam cauſſam impellētem, & alium finem fuiſſe aſſerit. Dicit enim ſe magna oppreſsione & anxietate cordis fuiſſe impulſum ad ſcribendum id, quod ipſius vberrimæ teſtantur lacrymæ: & hoc in eum finem, vt cognoſcerent charitatem, quam haberet abundantiſsimā erga eos. Hic locus docet, & quanto dolore animi miniſtri verbi debeant peccata ſuorum auditorum deflere, & quo cordis affectu correptionem ſuſcipiant. Cæterum cum auditores hoc non ita accipiunt, ſed cum aduerſarijs Pauli fingunt alias cauſſas, fremunt aduerſus ſuos admonitores, & vt hoſtes eos perſequuntur: quemadmodum Herodes Ioannem perſecutus eſt. Verum hic miniſtri verbi cum Paulo freti bonitate cauſſæ, & conſcientia præſtiti officij non ceſſabunt in officio, ſed ſtrenue & prudenter munere ſibi commiſſo vice Dei fungentur: ne ipſi alienis communicent delictis. Vide Eze. 3.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Si quis autem contriſtauit, non me contriſtauit, ſed (ex parte, vt ne aggrauem) omnes vos.

Paulus reconciliaturus incœſtuoſum Corinthijs pręmollitione vtitur. Si quis, inquit, contriſtauit, hoc eſt, ſi incœſtuoſus ille triſticiá attulit ſuo ſcelere, non mihi triſticiam attulit, hoc eſt, perinde id accipio ac ſi me ſuo peccato nõ offendiſſet, poſtquam per veram pœnitentiá reſipuit: Sed vos omnes contriſtauit, id eſt, vos omnes ſuo lapſu offendit. Hoc quoq; præmolliens ait, Ex parte, id eſt, quodammodo, & præmollitionis finem addit: Vt ne grauem, ſcilicet ipſum, maius onus adijciens exaggerando ipſius ſcelus poſt reſipiſcentiam. Hic ſenſus verborum Pauli eſt, qui minus obſcurus eſt in textu Gręco, qui paraphraſi hoc modo reddi poteſt: Incœſtuoſus ille qui triſticiam tantam attulit, adeo ſua pœnitentia me commouit & conſolatus eſt, vt omnis triſticia quá ex ipſius facto perceperam, ſit plane abſterſa, ac ſi nunquam me offendiſſet. Verum vos ſupereſtis, quos omnes offendit, ſed quodammodo: quia ſecuta eſt pœnitẽtia. quod ideo dico ne iam per ſe grauato maius adijciam onus, quod potius detractum velim. Locus obſeruandus, quod pœnitentium præterita ſcelera, alta obliuione nos tegere oporteat, omni offenſione remiſſa. Idque exemplo benigniſsimi patris cœleſtis, qui ita tegit peccata remittendo, vt ſe dicat, eorum amplius non meminiſſe.

Sufficit autem ei qui talis eſt, correctio hæc, quæ à pluribus illi contigit, vt potius è diuerſo debeatis condonare & conſolari, ne forte abundantiori triſticia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt.

Sententiam ſuam de recipiendo incœſtuoſo Apoſtolus ponit, nimirum vt correptus à pluribus & reſipiſcens, recipiatur in gratiam. Sententiæ autem ſuæ finem addit, ne videlicet correptus, nimis diu dilata recõciliatione ruat in deſperationem. Hinc duo colligamus: Primum, confutationem Donatiſtarum, qui negarunt lapſis veniam. Hic enim aperte oſtenditur, quod lapſis pateat reditus ad gratiam, qua exciderunt, modo pœnitentiam egerint. Alterum, modum ſeruandum eſſe in corrigendis fratrum lapſibus, nimirum vt caſtigatio talis ſit, quæ lapſos pœnitentes non magis proſternat, ſed erigat potius, cum veræ pœnitentiæ teſtimonia appareant.

Quamobrem obſecro vos, vt confirmetis in eum charitatem.

Poſt ſententiæ ſuæ de recipiendo incœſtuoſo expoſitionem, addit quoque ſuam pro ipſo interceſsionem, & ſe veluti aduocatum ipſius conſtituit. Nam ea eſt vis vocis παρακαλῶ. Rogat enim, vt ſe deprecatore, publico Eccleſiæ conſenſu declarent, ſe illum pro fratre complecti, ſicuti publico Eccleſiæ iudicio fuit eiectus. Vtitur Apoſtolus verbo κυρῶσαι, quod legitimæ poteſtatis definitionem & decretum declarat. Quare hic forma iuris Eccleſiaſtici deſcribitur. Lapſus agnoſcit errorem, dolet, petit veniam. Paulus aduocatus intercedit, Eccleſia Corinthiaca cauſſam cognoſcit, & fert ſententiam, quam ratam & autenticam eſſe vult, iuxta Domini dictum, Quorumcunque peccata ſolueretis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlo. Diſcamus ergo ex hoc loco, quæ ſit legitima ratio recipiendi lapſos poſt reſipiſcentiam: videlicet quod non ſit vnius paſtoris, ſed ſenatus Eccleſiaſtici, vbi legitima Eccleſiæ gubernatio locum habet.

Nam in hoc etiam ſcripſeram vobis, vt probationem veſtri cognoſcerem, an ad omnia obœdientes ſitis. Cui autem condonatis, etiam ego. Etenim cui condonaui, ſi quid condonaui, propter vos condonaui coram Chriſto.

Difficiles admodum fuiſſe Corinthios ad recipiendum excommunicatum, ex hoc loco apparet. Vnde ſingularis grauitas in talibus cauſsis requiri videtur. Vt autem ipſos ad condonationem permoueat, duplici vtitur argumento: vno ab illorum officio, altero à ſuo facto petito. Officium Corinthiorum fuit, ſuo Apoſtolo obœdire in re pia & honeſta. Factum Pauli erat, quod lapſum ſuo recepiſſet ſuffragio, idq; corá Chriſto, id eſt, vere & ex animo tanquam Chriſto inſpectore. Tales ergo decet reconciliationes eſſe inter Chriſtianos, non ſimulatas, non fictas, non quas leuicula offenſio rurſus reſcindat.

Ne occupemur à Sathana, non enim

Etſi hæc eo pertinent potiſsimum,

ipſius

ipſius cogitationes ignoramus.

ne Corinthij ſint nimis duri & rigidi in corripiendo incœſtuoſo reſipiſcente, vnde & deſperatio in peccatore, & diſſenſio inter ipſos Corinthios oriri poſſet, quibus rebus diabolus homines circumuenire ſolet:tamen generalius hoc dictum accipi debet,vt ſit exhortatio generalis,ne ſinamus nos circũueniri vllis Sathanæ conſilijs,vt aliquid committamus contra conſcientiam & normam iuſticiæ diuinæ.Quales ſint artes diaboli,caſus primorum parentum,Chriſti admonitio,& plurimorum triſtis lapſus teſtatur.Primos parentes aduerſando impediuit in innocentiæ ſtatu,& ſophiſtica verbũ Dei corrupit,& quos mendacio circumuenerat tyrannide occidit. Vnde Chriſtus admonet, quod Sathan ſit mendax & homicida ab initio: Id quod non ſolum lapſus primorum parentũ teſtatur, ſed omnium temporum hiſtoriæ conuincunt,atq; hic dies cum multarum animarum horrendo interitu docet. Vt autẽ Apoſtolus nefandas machinationes Sathanæ melius nobis ponat ob oculos,tribus ſignificantibus vocibus vtitur.Sathan Hebręa vox eſt,qua duplex ſtudium diaboli ſignificatur.Prius, quod ex profeſſo generis humani aduerſarius & hoſtis ſit irreconciliabilis. Poſterius,quod hominibus impedimenta obijciat, vt vel impingant in ſtadio pietatis,vel prorſus cadant & deficiãt. Hęc impedimẽta pulcre deſcribuntur in tentationibus Chriſti Matth. 4. Primum enim nititur perſuadere homini, quod Deo non ſit curæ,ſumtis argumentis à cruce. Si hoc non ſuccedit, impellit vt temere tentemus aliquid contra vocationẽ,vnde in vitæ & ſalutis diſcrimen conijcimur. Tertio, propoſitis præmijs ad idololatriam ſolicitat,qua techna maximam partẽ orbis terrarum hodie captiuã tenet. Græca vox πλεονεκτεῖν,aliena inuadere & malis artib⁹ occupare ſignificat. Quare hac voce ſignificat Paulus,quod Diabolus ipſam Eccleſiam filij Dei peculium inuadere ſoleat, ſemperque nitatur, vt fraudulenter & malis artibus eam ſubruat,vt multi à Chriſto deficiant. νοήματα ſignificant cogitationes Sathanæ, quibus nefanda excogitat conſilia,vt ſceleratam ſuam voluntatem perficiat, maximamq; generis humani partem interimat. Ac omnium primum conatur per ſua nefanda conſilia noſtras mentes corrumpere. Si non vna via ſuccedit, aggreditur aliam. Si doctrinam corrumpere non poteſt, ſacramenta contaminat: ſi neutrum ſuccedit,obijcit multa ſcandala,nunc ad hoc, nunc ad illud ſolicitans, & per gradus tandem peccatorum multos in deſperationem abducit.Hanc machinationẽ Sathanę Petrus eleganti imagine depingit, cum dicat: diabolum tanquam rugientem leonem circumambulare,& quærere quem deuoret.Aduerſus has Sathanę machinationes turris fortiſsima eſt nomen Domini,id eſt, vera ex fiducia Chriſti inuocatio, ſine qua nequaquã vllus mortalium euadere poteſt,quin diaboli inſidijs & conſilijs victus ſuccumbat.Plura de πανοπλία militis Chriſtiani, lege ad Ephe. 6. & 1.Theſſãl. 5.

Porrò cum veniſſem Troiadem in Euangelium Chriſti, etiam oſtio mihi aperto in Domino, non habui relaxationem ſpiritui meo, eò quod non inueneram Titum fratrem meũ, ſed illis valedicens profectus ſum in Macedoniam.

Hæc narratiuncula de profectione Pauli eo pertinet,vt Apoſtolus & ſtudium ſuum in annunciando Chriſto oſtendat, & cauſſam moræ, quod ad Corinthios iuxta promiſsionem non venerit, indicet. Quod autem dicat, ſe admodum anxium fuiſſe, quod nõ inuenerat Titum fratrẽ Troiade,atq; ideo ſtatim relicta Troiade, profectum eſſe in Macedoniã, facit ad declarandam Apoſtoli ſolicitudinem pro Corinthijs. Nam ideo ſolicite quærit Titum, vt ab eo ſtatum Corinthiorum cognoſcat. Hæc ſolicitudo Apoſtolica nobis in exemplum propoſita eſt, vt ſingulari ſtudio Eccleſiam Chriſti proſequamur, & præſertim pro illis ſoliciti ſimus, quorum cura nobis præcipue commendata eſt. Porrò prouerbialis iſta locutio oſtij aperti ſimilitudinis declaratione facilis redditur. Oſtio aperto,aditus facilis in ædes patet. Contra,oſtio clauſo excludimur. Quemadmodum igitur oſtio aperto patet ingreſſus in domũ: Ita data facultate ex Domini voluntate miniſtri verbi facilius progrediuntur in Euangelij annunciatione,& contra. Sicut oſtio clauſo alia via tentanda eſt. Ita vbi nullus fructus Euangelij ſe profert, rogandus eſt Dominus, vt ipſe ſua manu oſtium aperiat.

Deo autem gratia, qui ſemper facit nos triumphare in Chriſto, & odorem noticiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.

Quia mentionem fecerat ſui in Euangelij negocio laboris, merito in gratiarum actionem fertur:qua & ſoli Deo acceptũ fert fructum ſuæ præ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dicationis, & ſignificat ſe minime ocioſum fuiſſe, ſed magnis negocijs impeditum, non veniſſe Corinthum, quemadmodum in ſuperiori Epiſtola promiſerat. Duplici metaphora hoc loco vtitur, & vtriuſque explicatio ſuam doctrinam ſingularem ſuppeditat. Triumphi nomine quatuor indicat Apoſtolus. 1. Fuiſſe ſibi magnum certamen in prædicatione Euangelij. 2. Hoſtes ſuos deuictos fuiſſe & Sathanam proſtratum gladio Euangelij. 3. Partum eſſe ſpolium, hoc eſt, homines qui ſub tyrannide diaboli captiui tenebantur, nunc libertatem adeptos eſſe per Chriſtum. 4. Sibi honorem certaminis, & veluti coronam triumphantis deberi. Vnde ad Timotheum: Certamen bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi iuſticiæ corona, quā reddet mihi Dominus in die illo iuſtus iudex. Verum cum Apoſtolus dicit, Deum facere ſe triumphatorem, omnem gloriam Deo tribuit, ac ſe organum tantum, quo Deus pro ſua voluntate vtitur, agnoſcit. Hic præterea locus mire facit ad refutādos Enthuſiaſmos eorum, qui cum reuelationes iactant, nihil vocali verbo & externo miniſterio tribuunt. Odoris nomine ſignificatur fama & celebritas noticiæ Dei, nimirum, quod homines per prædicationem Euangelij venerint in eam Dei noticiam, quod ipſum agnoſcant & celebrent. Atque huic fini Euangelium Chriſti deſtinatum eſt.

Nam Chriſti bona fragrantia ſumus Deo, in ijs qui ſaluantur, & in ijs qui pereunt.

Prolepſis eſt, Nam cum Paulus dicat, Deum manifeſtare odorem ſuæ noticiæ in omni loco: poſſent aduerſarij excipere, & dicere, Non fructum ferre vbique, ideo gloriationem Pauli minime iuſtam eſſe. Sed Paulus reſpondit per diſtributionem, ac dicit odorem noticiæ Dei peruenire quidem ad omnes, & gratum eſſe illum odorē, hoc eſt, Deum acceptare & probare miniſtrorū obſequium in annunciando Euangelio, tametſi omnibus nō ſit ſalutare. Nam hic odor Deo gratus eſt, cum in ijs qui ſaluantur, tum in ijs qui pereunt. Hic locus docet, monet & conſolatur. Docet quidem, quod qualiſcunq; euent⁹ ſit noſtræ prædicationis, miniſterium noſtrum & obſequiū ſit gratum Deo & acceptū. Monet, cum pios tum impios: Pios quidem, vt in Euangelij noticia ſuā ſalutem ſtatuant: Impios vero, quod in maiorem condemnationem cedat ipſis prædicatio Euangelij, ſi Euangelio fidē non adhibeant. Conſolatur miniſtros Euangelij contra ſcandalum paucitatis, amplectentium Euangelium. Nam quomodocunq; acciderit illorum prædicatio, ad gloriā Dei illuſtrandam facit. Conſolatur quoq; miniſtros verbi contra cōtemtum mundi, qui vt reiectamenta quædam miniſtros Dei aſpernatur. In hoc contemtu ſciant miniſtri verbi, ſe bonā fragrantiam Deo eſſe, vtut fœteant coram ſtulto mundo, qui ſuis inſtar ſordes vnionibus præfert. Sed quæſtio hic oritur, Cum proprium Euangelij ſit prædicare ſalutem: cur hic Paulus illud dicat quibuſdam in damnationē cedere? Reſponſio, quod duplex ſit Euangelij officium, nempe proprium quod eſt annunciare ſalutē per Chriſtum, & accidentale, quod eſt incredulis maioris damnationis occaſionē prębere. Deinde, vt Euangeliū ſua natura eſt gratiæ prædicatio, ita occaſione eſt iræ Dei manifeſtatio. Vt enim ſalutem credentibus offert gratuitam: Ita teſtatur irā Dei ſuper incredulos manere. Quare vt Euangelium requirit pœnitentiam & fidem: Ita recte definitur eſſe prædicatio pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum in nomine Chriſti, Lucæ 24.

His quidem odor mortis ad mortem, Illis vero odor vitæ ad vitam.

Perſiſtit in metaphora: cuius hæc ſimpliciſsima eſt explicatio: Ijs qui pereunt, prædicatio Euangelij, adeoq; miniſtri ſunt inſtrumentū mortis, vt non credentes Euangelio ęternum moriantur: Contra, ijs qui ſaluantur, prædicatio Euangelij atque adeo Dei miniſtri ſunt inſtrumentū vitæ, vt Euangelio credentes æternum viuant. Clemens Alexandrinus libro 2. pædagogi. capite octauo, ita legit hunc Pauli locum: His quidem odor ex morte in mortem: Illis vero odor ex vita in vitam. Hanc lectionem ſi ſequimur, ſignificat Paulus duo in prædicatione Euangelij proponi, mortē Chriſti, & vitā Chriſti, mors Chriſti eſt odor mortis in mortem, ſcilicet pereuntibus, vt qui in Chriſti morte vitā non quærant, vita Chriſti eſt odor ex vita ad vitā, ſcilicet ſaluandis, qui peccati mortem in Chriſti morte, & vitā in eius vita quęrunt.

Et ad hæc quis idoneus?

Digreſsiuncula exclamatoria eſt, qua ſignificat eximium decus eſſe miniſterium verbi, & raræ eiuſdem virtutis officium in eo miniſterio fideliter præſtare.

Non

Non enim, vt plærique, cauponamur verbum Domini, ſed vt ex ſinceritate, ſed vt ex Deo in conſpectu Dei de Chriſto loquimur.

Paulus ſuperius dixit Apoſtolos, ſe aliofque miniſtros Dei, eſſe bonam fragrantiā Deo, cum in ijs qui ſaluantur, tum in ijs qui pereunt. Nunc eius dicti rationem reddit à proprio miniſtrorum verbi officio ſumtam. Miniſtri ſincere, vt ex Deo profectum verbum annunciantes, & non cauponantes verbū Domini, ſed tanquam in conſpectu Dei de Chriſto loquentes, ſunt Deo bona fragrantia. Nos ex ſinceritate, vt ex Deo in conſpectu Dei de Chriſto loquimur. Ergo nos ſumus bona fragrantia Deo. Collationem contrariorū facit propter eos, qui Paulum accuſarunt tanquam minus ſincere fungentem officio. Dicuntur autem cauponari verbum Domini, qui veluti caupones, ſua vina vt grata ſint palato bibentium, quo plus lucri ſibi accedat, ſinceritatem Euangelij vitiant, hoc eſt, qui verbū Domini humanis doctrinis & additamentis corrumpunt, idq; in fraudē & dolum auditorū, quo & ipſis auditoribus quæ ſapiunt illorū palato propinent, & ipſi lucrū aliquod inde percipiant. Hinc diſcamus, quod quicunq; vel addit aliquid de ſuo, vel detrahit quicquam verbo, vel verbum ipſum parum candido animo prædicat, vel ſuum lucrum ſpectat, vel voluptati auditorum illud accommodat, dicatur cauponari verbum Domini. In hoc numero ſunt hodie multi, qui dolo & fraude ad Eccleſiaſticas functiones proſiliunt, quiq; cum ipſi nondum religionis fundamenta didicerint, munus docendi capeſſunt. Quæ leuitas non cōſiderans quam ardua & grauis res ſit Eccleſiaſtico munere fungi, meretur horrēdas pœnas. Cauponantur & illi verbum Dei, qui ſuæ ſecuritatis gratia, verbum Domini non recte ſecant, non obiurgant tyrannos, auaros, libidinoſos, ne ſuæ quieti male conſulere videantur. Hos Petrus in poſterioris ſecundo grauiſsime taxat. Quod autem ex ſinceritate oporteat verbum Dei prædicari, tribus argumentis docet: Primū ab autore verbi ſumitur, qui & verbum ponit in ore miniſtrorum, & eos ad prædicandum mittit. Cum igitur Deus maxime ſincerus ſit, decet eos qui eius vice funguntur ſincere & pure agere, ita vt nec affectu, nec verbo, nec facto, nec exemplo vitient puritatem fontis ſaluatoris. Secundū ſumitur à preſentia Dei, in cuius conſpectu ſtamus, cum verbū Dei prædicamus. Summa igitur puritas in eius conſpectu requiritur, qui puriſsimus eſt, ne audiat miniſter Deum increpantem ſe, iuxta illud Pſalmi, Quare tu enarras iuſticias meas & aſſumis teſtamentum per os tuū. Tu vero odiſti diſciplinā & proiecisti ſermones meos retrorſum. Tertiū ſumitur ab obiecto predicationis qui eſt Chriſtus agnus Dei immaculatus. Quare purè negociū Euangelij tractare oportet, & eos deligi ad tam auguſtū munus qui ſunt idonei. Porrò cum Paulus hic dicit, vt ex ſinceritate, vt ex Deo. ſciendū quod particula VT non ſit ſimilitudinis aut impropriētatis nota, ſed potius veram & ſolidam approbationē deſignet. vt Ioannis primo: Vidimus gloriam eius, vt filij vnigeniti à patre. Et Paulus ad Epheſios quinto. vt filij lucis ambulate. Illic Ioannes intelligit conſpectam fuiſſe in Chriſto gloriá, quę filio Dei vere congrueret, certumque eſſet diuinitatis teſtimoniū. Hic Paulus vult nos vere operibus teſtari hoc ipſum, quod ſimus vere filij lucis. Ad eundem modum hoc loco ὡς, id eſt, vt, non eſt improprie loquentis, ſed certo approbantis. Quemadmodum Caph apud Hebræos.

CAPVT III.

Summa Capitis Tertij.

Vt ſe rite ſuo officio functum teſtimonio Corinthiorum probat Apoſtolus, idq; non ſua virtute, ſed per gratiam Dei, Ita de efficacia ſui miniſterij agit, conferendo inter ſe legem & Euangelium, & vtriuſque miniſtros: vnde quanta ſit gloria Euangelij concludit.

Ordo & partes Capitis Tertij.

Tametſi vnus ſcopus eſt huius capitis, nempe oſtenſio eminentiæ miniſterij Apoſtolici, poteſt tamen in has quatuor partes commode diſtribui. Quarum prima eſt teſtimonium virtutis Apoſtolicæ prædicationis. Secunda, remotio inanis gloriationis, & aſſertio gratiæ Dei, cui omnem virtutem ſui miniſterij fert acceptam. Tertia, eſt confutatio eorum qui legalia admiſcuerunt, idque per comparationem legis & Euangelij, literæ & ſpiritus. Quarta, eſt concluſio gloriationis Apoſtolicæ: in qua confert auditores legis &

Euangelij,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Euangelij,Illos,donec conuertantur ad Dominum,habere cor velamine obtectum, ne videant gloriam Chriſti:hos reuelata facie gloriam Domini ſpeculari aſſerens.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

I NCIPIMVS rurſus noſipſos commendare? num egemus, (vt nonnulli) commendaticijs epiſtolis apud vos, aut à vobis commendaticijs?

Quia fuerunt apud Corinthios,qui Pauli miniſterium extenuarint,nunc aduerſus eos agit, & prouocat ad totius Eccleſiæ Corinthiacę teſtimonium. ſed prius per admirationem interrogat: Num apud eos commendaticijs epiſtolis indigeat? quibus verbis oblique taxat eos,qui cum propter inertiã ſuam huiuſmodi aſſequi nõ poſſent,laudi & dignitati Apoſtoli inuiderunt. Hic locus monet miniſtros Euangelij,ne ſinant ſuũ miniſterium contemni,& vt ſe commendabiles auditoribus reddãt,fide & diligẽtia in miniſterio.

Epiſtola noſtra vos eſtis, inſcripta in cordibus noſtris: nota & lecta ab omnibus hominibus, manifeſtati quod eſtis epiſtola Chriſti, ſubminiſtrata à nobis, inſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viuentis, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis.

Hic prouocat Apoſtolus ad teſtimonium Corinthiorum, qui miniſterio Pauli ad Chriſtum conuerſi erant: Eſt autem hic ſenſus verborũ Pauli: Vos Corinthij,quales nunc eſtis per Chriſtum noſtro miniſterio effecti, nobis eſtis inſtar Epiſtolæ ab omnibus lectę & intellectæ,qua & ipſi vobis, & alijs rurſus per vos commendamur. Hinc ergo diſcant miniſtri Euangelij; teſtimoniũ ſui officij diligenter præſtiti ab ipſis petere auditoribus, dum in eis monſtrant quem fructum prædicatum per ipſos Euangelium ferat. Obſeruetur præterea hoc loco duplex antitheſis, Vna atramenti & ſpiritus Dei viui, Altera tabularum lapidearum & carnearum. vt atramento ſcribuntur quidẽ epiſtolæ, ſed eo non confertur vis intelligendi, quæ ſcripta ſunt: Ita ſpiritus Dei vim habet ſolus regenerandi animos, qui ſpiritus per miniſterium Euangelij confertur auditoribus. Tabulæ lapideæ in quibus lex Dei ſcripta erat, adumbrant ſummam humani cordis duriciem, à qua cor hominis nondum regenerati lapideum dicitur, cui opponitur cor carneum, quod virtute ſpiritus Dei mollius eſt factum, vt in eo Euangelij gratia inſculpi poſsit.

Fiduciam autem huiuſmodi habemus per Chriſtum apud Deum.

Ne quid arrogantius dixiſſe videatur Apoſtolus, Deo aſſcribit ſui miniſterij virtutem, ac ſi dicat: hanc confidentiam habemus, & ita magnifice gloriamur de noſtri miniſterij dignitate, quia Chriſti legatione fungimur: cuius ſpiritus in noſtro miniſterio efficax eſt.

Non quod ſufficientes ſumus à nobis ipſis cogitare aliquid quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti.

Apertius omnem gloriationẽ Deo aſſcribit, & ſe tantum organum quo Deus pro ſua voluntate vtitur, pronunciat. Hic locus apertiſsime docet in rebus ſalutis nihil poſſe humanas vires, priuſquã ſpiritu Dei per verbũ mens & voluntas reformentur. Nam cum tria requirantur ad quodlibet factum, iudiciũ, voluntas, & operatio: quorũ vnum ſi defuerit, prorſus iacet opus, Manifeſte hoc loco docetur liberũ arbitrium euerti. Nam hic quod omnium primum ad opus requiritur, negat ſe Paulus habere, cum dicat: Non ſumus idonei ad cogitandum & ratiocinandum aliquid, Deprauatum ergo agnoſcit mentis iudicium: vnde ſequitur volũtatis peruerſitas. Huius doctrinæ vſus eſt vt agnita noſtra οὐδενίᾳ & imbecillitate, magis nobis dulceſcat redemtionis beneficiũ. Pręterea hic diſcernitur inter doctorẽ ſalutis, & effectorem. Paulus ſalutis doctor eſt tantum, Chriſtus vero doctor & effector ſimul. Hoc quoq; Ioannes Apoſtolus agnoſcit cum Baptiſtam non lucem veram pronunciat, ſed Chriſtum qui illuminat omnẽ hominem, qui illuminatur. Præterea cum Paulus ſe alioſq; Apoſtolos miniſtros noui teſtamẽti appellat, diſcernit inter legis doctores, & noui fœderis

quod

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quod ſanguine Chriſti ſancitum eſt. Neque hic ſtabilitur Antinomorum error, qui legem Dei doceri in Eccleſia nolunt, ſed tantum diſcernitur inter proprium finem Euangelij, & legem, quatenus conſideratur ſine Chriſti noticia.

Non literæ, ſed ſpiritus.

Vt dignitatem ſui miniſterij extollat Apoſtolus, collationem facit inter miniſtros legis & miniſtros Euangelij: illos literæ, hos vero ſpiritus miniſtros pronuncians. quo elogio ampliſsimis laudibus Euangelicum miniſteriũ exornat. Cum hic legem manifeſte literam vocet, & Euangeliũ ſpiritum appellet, quærẽda eſt harũ appellationum ratio. vt litera quidẽ inſculpta lapidi (nam ad lapideas tabulas Moſis alludit) expers virtutis omnis eſt: ſpiritus vero intus in corde motus ciet & efficax eſt: Sic lex non maiorem vim habet, quam ſcriptũ aliquod per ſe omnis virtutis expers, niſi apud eos à quibus intelligi & præſtari poſsit. Euangelium vero cuius ſpiritus Chriſtus eſt, viuificum eſt, Vt quod in cordibus audientiũ iuſticiam vitam, ſalutem, & pacem efficiat. Appellationes ergo Literæ & Spiritus, nõ ad interpretationem. ſed ad efficaciã referendæ ſunt: quatenus ſcilicet ad proprium effectum legis eiuſq; miniſtrum Moſen, & ad propriam naturam Euangelij, eiuſq; autorem Chriſtum reſpiciamus. Hac etenim ratione, vt legis natura eſt tantum liberaliter docere homines: Ita Euangelij proprium eſt ſpiritualiter & efficaciter docere, ita vt cor ipſum iam mollius effectum doctrina penetret. Verũ ſi quando hæc Euangelij vox non ſentitur, nequaquã Euangelij, ſed audientium culpa erit, quibus Euangelium, adeoq; omnis doctrina literalis manet. Nã non conuerſis omnis doctrina ſcripta, lecta, intellecta, adeoque omne opus & ſacramentũ quoq; & profeſsio externa ſine efficacia ſpiritus intus corda renouantis, litera eſt. Præterea, cum illi habẽdi ſunt miniſtri ſpiritus, qui verba Dei non ſolum exponunt, ſed etiam cordibus auditorum imprimunt: & contra, qui hoc non faciunt, tametſi bona & ſalutaria loquuntur, non ſpiritus ſed literæ miniſtri ſunt: Piorum paſtorum fuerit orare Dominum, vt ſeſe faciat miniſtros non literæ ſed ſpiritus.

Nam litera occidit, ſpiritus autem viuificat.

Ex comparatione effectuum legis & Euangelij, dignitatẽ miniſtrorum Euangelij oſtendit. Verum hic obſeruandum eſt, qua ratione dicatur lex occidere, & Euangelium viuificare. Cum itaq; lex auditur, & non præſtatur, nec adigit hominem ad Chriſtum, dicitur propter talẽ euentum occidere. Qui enim ita legem audit, in mortem incurrit, non legis, ſed ſua culpa. At cum Euangelium prædicatum creditur, viuificare dicitur, quia credentes ſpiritum Chriſti accipiunt, quo iuſtificati iam per fidem viuificantur & ſanctificantur. Verum, cum contrà Euangelium prædicatum non recipitur fide, dicitur id quoque occidere, ſed per accidens. Quemadmodum & à Simeone dicitur Chriſtus multis eſſe poſitus in ruinam, nempe ijs omnibus qui ipſum fide non ſunt recepturi.

Quod ſi mortis miniſterium, literis informatum in lapidibus, fuit in gloria, adeo vt non poſſent intueri filij Iſraël in faciem Moſis, propter gloriam vultus eius quæ abolenda erat: quomodo non magis miniſterium ſpiritus erit in gloria?

A comparatis dignitatẽ Euangelij colligit. Lex quę eſt miniſterium mortis, fuit glorioſa: multo magis Euangelium quod eſt miniſterium ſpiritus & vitæ, eſt glorioſum. Dicitur autem lex miniſterium mortis, eo quod mõſtrat peccatum, cuius pœna iuſta eſt mors. Euangelium dicitur miniſterium ſpiritus, quia per illud offert Deus ſpiritum & vitam, adeoque ſalutem ipſam. Quod autem dicat miniſterium mortis informatum in ſaxis, per antitheſin ad Euangeliũ quod digito Dei inſculpitur in cordibus hominum, intelligẽdum eſt. Porrò ſplendor faciei Moſis ſymbolum fuit gloriæ legis. de quo Exodi 34. Vbi Moſis facies edidiſſe radios ſplendoris legitur. Vnde filij Iſrael timuerunt prope accedere. Significatur ergo hoc ſplendore vultus Moſis, intolerabilis diuini iudicij ſenſus. Nemo enim ferre poteſt horrendum illum legis accuſantis & damnantis igneum ſplendorem. Contrarius ſplendor eſt faciei Chriſti, in qua amabilis refulget gratia, qua à legis damnatione liberamur.

Nam ſi miniſterium condemnationis fuit glorioſum, multo magis miniſterium

Argumentum ſuperius reſoluit, ac effectus legis & Euangelij particula- iuſticiæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

iuſticiæ abundat in gloria.

tim committit. Lex miniſtra cõdemnationis fuit glorioſa, multo magis Euangelium miniſterium iuſticię erit glorioſum. Vt autem lex miniſtra condemnationis eſt per ſententiam condemnationis in peccatores: Ita Euangelium miniſterium iuſticiæ eſt, quia proponit nobis Chriſtum iuſtificatorem.

Etenim quod glorificatum fuit, ne glorificatum quidem fuit hac in parte, propter excellentem gloriam.

Aliud argumentum, quo dignitas Euangelij præ legis dignitate extollitur. Cuius hic eſt ſenſus: Splendor legis collatus ſplendori Euangelij euaneſcit, non ſecus atq; ſtellarum ſplendor ſole oriente non amplius conſpicitur. Quantumuis ergo lex glorioſa fuit, eius tamen gloria nulla eſt reſpectu Euangelij.

Nam ſi quod abolendum erat, fuit glorioſum: multo magis eſt glorioſum id quod manet.

Cũ perpetua bona ſint temporaneis præferenda, Euangelij ſplendor qui perpetuus eſt, legis ſplendori, qui ad tẽpus tantũ durauit, eſt præferendus.

Habentes igitur huiuſmodi ſpem, multa fiducia vtimur.

Gloriationis ſupra propoſitæ concluſio eſt. quaſi diceret: cum fungimur miniſterio ſpiritus, vitæ, & iuſticiæ: quod multo glorioſius eſt miniſterio literæ, mortis & condemnationis: non eſt inanis noſtra gloriatio. Quare magna cum fidentia noſtrum miniſterium extollimus, non morantes calumnias Pſeudoapoſtolorum, qui dignitati noſtri miniſterij inuident.

Nec (ſumus) ſicut Moſes (qui) imponebat velamen faciei ſuæ, ne intuerentur Iſraëlitæ in finem eius quod abolendum erat.

Cõcluſioni attexit diſcrimen inter Moſen, & miniſtros noui teſtamenti: Moſes imponebat velamen faciei ſuę, ne intenderent Iſraelitæ in finem, id eſt, in ſcopum legis, quæ abolenda erat. Verum miniſtri noui teſtamenti, non velamen opponunt, ſed clara facie Chriſtum monſtrant. Cum dicitur Moſes velamen impoſuiſſe faciei ſuæ, ne intenderent Iſraelitæ in faciẽ eius, non ad conſilium Moſis, ſed ad euentum referendũ eſt. Nam conſtat Moſen non alia ratione velamen adhibuiſſe, quam quod faciei ipſius fulgorẽ non poſſent Iſraelitæ ſuſtinere. Porrò hoc velamen Moſis ſymbolum fuit Propheticũ, quo adumbrabatur pleroſq; Iudæorum non penetraturos ad myſteria legis, adeo vt nec eius ſpiritualẽ intelligentiam caperent, nec ſcopum legis, hoc eſt, CHRISTVM agnoſcerent. Phariſæi legem quidem docuerunt & audiuerunt, ſed quia Moſi vultus velatus fuit, iuſticiam mundi docuerunt, didicerunt, & fecerunt, & iudicarunt ſe ſatisfeciſſe legi diuinę illa carnali ſimulatione operum: non ſecus atque hodie monachi faciunt, qui pro peccatis per opera ſatisfacere volunt. Deinde hoc velamen fuit etiam adumbratio carnalis intelligentiæ legis diuinæ, in omnibus qui ad Chriſtum conuerſi non ſunt.

Sed excæcati ſunt ſenſus eorum, Nam vſq; in hunc diem velamen illud in lectione veteris teſtamenti manet, nec tollitur, eo quod aboletur per Chriſtum: ſed vſque in hodiernum diem cum legitur Moſes, velamen illorum cordi impoſitum eſt.

Symbolum velaminis exponit. nimirum quod Iudæi habeant velamen cordibus ſuis impoſitum. hoc eſt, maneant excæcati. Nam velamen non tollitur, niſi per Chriſtum: quem ipſi extreme oderunt: adeo vt nomen ipſius ferre nequeant. Poteſt autẽ præſens pericopa hoc ſyllogiſmo concludi: Quicunq; non agnoſcunt Chriſtum, in lectione legis habent velamen impoſitum cordi ſuo. Sed Iudæi plerique in hodiernum diem non agnoſcunt Chriſtum. Ergo pleriq; Iudæi in hodiernum diem habent velamen cordi ſuo impoſitum. Maior probatur, quia velamen non tollitur niſi per Chriſtum: Caro autem velamen illud eſt quo Moſi facies eſt tecta, Hæc, inquam, caro, hoc eſt, hypocrita & humana opinio de lege, non tollitur niſi per Chriſtum, qui credentibus dat Spiritum ſanctum, vt vere introſpiciant in legem, & eius ſcopum, qui eſt Chriſtus Ieſus in iuſticiam omni credenti.

Poſt-

Poſtquam autem conuerterit ſe ad Dominum, tollitur velamen.

Quamdiu velamen cordi maneat impoſitum explicat, & ſimul oſtendit quomodo tollatur. Quia autē hic locus paulò obſcurior eſt, cum quia comparatio plena non eſt, tum quia ſimilitudinis nota non eſt adiecta, explicatius ſenſum reddamus hoc modo, Quemadmodū Moſes auertens ſe à Domino ad populum, velamen habuit ſuper faciem ſuam, & rurſus conuertens ſe ad Dominum amouit velamen: Ita cor hominis donec auerſum fuerit à Domino, habet velamen ſibi impoſitum, verum mox vbi ad Dominū conuerſum fuerit, tollitur velamen: hoc eſt, carnalis legis intelligentia, & Chriſtus finis legis agnoſcitur: cuius ſpiritu regenerati homines incipiunt Deo ſpiritualem præſtare obœdientiam. Locus obſeruandus, quo docemur ad legis ſpiritualem intelligentiam neminem peruenire poſſe, priuſquam ad Chriſtum Dominum conuerſus fuerit.

Dominus vero ſpiritus ille eſt.

Ratio eſt à cauſſa efficiente, cur cōuerſo ad Dominum auferatur velamen: nempe quia Dominus eſt, qui ſui ſpiritus virtute cor hominis viuificat: vt non amplius ſub litera velamine legis obtegatur, & in ſeruitute, & in ignorantia, & in timore hæreat.

Vbi autem ſpiritus Domini, illic libertas.

Effectus ſpiritus in conuerſis breuiſsime deſcribitur. Quicunque ſpiritus Chriſti per fidem fuerit particeps, is libertatem nactus à legis ſeruitute & timore eſt liberatus. Hunc locum ita explicandum eſſe, docet alius qui eſt Rom. 8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis rurſus ad timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis. Cum ergo hic dicit Paulus, Vbi ſpiritus Domini, illic libertas. Libertatis vocabulo duplex beneficium intelligendum eſt: Vnum, liberatio à ſeruitute legis, Alterum, fiducia adoptionis: in quibus Chriſtiana libertas ſita eſt.

Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini in ſpeculo videntes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini ſpiritu.

Antitheſis eius eſt quod ſupra dixit de Iudæis, quorum cor velamine in lectione veteris teſtamenti obtectum eſt. Quemadmodum Moſes vertēs ſe ad Dominum, eius gloriā retecta facie intuebatur: Ita nos in Chriſtum credentes retecta facie in gloriam Domini intuemur. Verum quia hic Pauli locus apertiſsime nobis progreſſus gratiæ Dei in credentibus explicat, eum retexemus in certa quædam membra. Primum itaq; amouendum velamē cordis tanquam impedimentum ſalutis, monet. Deinde, quod nō noſtra virtute, ſed gratia Chriſti tollatur hoc velamen, ne quis ſuæ ſalutis principium ſuis viribus attribuat, Tum quod conuerſi intueamur gloriam Domini, ſed in ſpeculo limpidiſsimo, ſcilicet Chriſto Deo in carne manifeſtato: Præterea, quod is intuitus efficiat, vt paulatim transformemur in eandem imaginem, ita vt ſanctitas Chriſti in nobis quodammodo refulgeat. Debemus proinde quotidiana incrementa meditari, cū in noticia Chriſti, tum in conformitate cum illo, quotquot de fide eius gloriari volumus. Ad hęc, vt transformemur à gloria in gloriam, hoc eſt, vt gloriæ Chriſti participes facti, fiamus & nos glorioſi. Denique cauſſam huius transformationis ponit ſpiritum Domini, hoc eſt, efficaciā Chriſti in nobis, qui ſuo ſpiritu nos paulatim transformat. Obſeruetur hic, finem Euangelij eſſe vt ei credentes recuperent Dei imaginem, quam primus homo peccando amiſit. Vnde concluditur, quanta ſit miniſterij verbi dignitas: quod miniſterium recuperandæ imagini Dei deſtinatum eſt.

CAPVT IIII.

Summa Capitis Quarti.

Vt ſuam fidem in prædicando Euangelio extollit Apoſtolus, Ita à diabolo omnes eos excæcatos pronunciat, qui ad Enangelij ſplendorem cæcutiunt. Et quia Euangelij miniſterio adiuncta eſt crux, qua ea animi fiducia ferenda ſit docet.

Ordo & partes Capitis Quarti.

Partes huius capitis quatuor ſunt. Primum enim oſtendit diligentiam ſuam in prædicando Euangelio, & per antitheſin ſuam fidem in Euangelij negocio commendat Corinthijs. Secundo, exponit cauſſas interitus impiorum, qui ad Euangelij ſplendorem cæcutiunt. Tertio meminit crucis & mortificationis quæ coniuncta eſt cum miniſterio. Quarto loco eſt conſolatio ſub cruce. Hæc omnia vnicum ſcopum habent, nempe vt contra Pſeudoapoſtolos ſuum miniſterium defendat Paulus, vtque nos exemplo eius confirmati, intrepide in medijs ærumnis Chriſtum prædicemus.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONB. DOCTRINARVM.

1 PROPTER hoc habentes miniſterium hoc (ſicuti miſericordiam conſecuti ſumus) non deficimus, ſed abdicauimus latebras dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque dolo tractantes ſermonem DEI, ſed manifeſtatione veritatis commendantes nos apud omnem conſcientiam hominum coram Deo.

Ex ijs quę diſſeruit in tertio de miniſterio Euangelij, infert qua fide & diligẽtia ipſe in eodem miniſterio ſit verſatus: Ac primum omnia accepta fert gratiæ, & miſericordię Dei: ne ſe propter miniſterij excellẽtiam extollere videatur. Cuiꝰ exemplum omnibus pijs Euágelij miniſtris eſt imitandum. Deinde reijcit à ſe duo probra, quæ forte illi obiecerant Pſeudoapoſtoli, vel ſane Pſeudoapoſtolos perſtringit: vnum probrũ erat deficere & ſegneſcere in Euangelij miniſterio, & quærere turpes latebras non conuenientes ijs, quibus adeo glorioſum miniſterium commiſſum eſt. Alterum probrum eſt, verſute & callide agere falſando ſermonem Dei, & eum ingenijs hominum accommodando, ſuæ ſecuritatis & gloriæ cauſſa. Hæc probra in ſe competere negat Apoſtolus: Sed contra quod manifeſtando veritatem commendauerit ſe omnibus, ad quorum conſcientiam appellat in conſpectu Dei. Hæc ſancta gloriatio in eos nequaquá competit, qui cum inanis gloriæ & ventris mancipia ſint, ſe populari auræ accommodant, Sed ſolummodo in eos qui lectioni, doctrinæ, & exhortationi pie ſancteq; viuentes intendunt: qui gloriam Dei & ſalutem auditorum quærunt, qui nullis malis fracti ſegneſcunt in miniſterio, ſed potius crucis ſtimulo ad fortius militandum in caſtris Domini excitantur.

Quod ſi obtectum eſt Euangelium noſtrum, in ijs qui pereunt obtectum eſt.

Prolepſis eſt. Nam anteuertit obiectionem, quæ contra dicta obijci poterat. Dixit ſe manifeſtaſſe Euangelium, quod inficiari poterant Pſeudoapoſtoli, eo quod plerique Euangelio non crederent. Reſpondet ergo Apoſtolus per translationem cauſſæ, ac ſi dicat, Non eſt culpa Euangelij prædicati, quod multi non credant: ſed culpa auditorum, qui ſponte ruunt in ſuum interitum, malicia ſua impediti, quo minus aures ſuas voci docentium accommodent. iuxta illud: Cogitationes peruerſæ ſeparant homines à Deo, & in animam malicioſam non introibit ſapientia, nec in corpore obærato peccato habitabit. Hæc fuſius ad Epheſ. 4. ab Apoſtolo tractantur.

In quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes incredulorum, vt ne reſplendeat lumen Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

Cauſſam ponit obdurationis infidelium, nimirũ quod Deus huius ſęculi, hoc eſt, Sathan ſenſus infidelium excæcauit, ne claritas glorioſi Euangelij eos irradiet. Oratio Pauli ob imitationem Hebraiſmi obſcurior eſt: quæ hoc modo Latine reddi poteſt: Quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes, id eſt, infidelibus, explicans nimirũ quos ſupra vocauit ἀπολλυμένους pereuntes, nimirum eos, qui Euangelio non credunt. Duæ ſectæ nempe Arianorũ & Manichæorum, hoc Pauli loco abuſi ſunt. Illi quidem, vt Chriſto Domino veram diuinitatem adimerent: Hi vero vt ſuum dogma de duobus dijs, bono & malo ſtabilirent. Quorum obiectionẽ vt refutarẽt Hilarius, Irenæus, Auguſtinꝰ, Chryſoſtomus, Ambroſius & multi alij, hoc in loco ὑπέρβατον dixerunt, & ita ordinandá verborum ſyntaxin contenderunt: In quibus Deus excæcauit ſenſus infidelium huius ſęculi, & locum hunc de vero Deo interpretati ſunt

ſunt in diſputationum feruore, vt iſto pacto declinarent obiectiones hæreticorum. Verum hoc refugium pugnat cum mente Apoſtoli. Quare in hunc modum collatis pluribus locis reſpondere potuiſſent. Diabolus Ioan. 12. dicitur princeps huius ſæculi, Et venter Philip. 3. dicitur Deus auarorum concionatorū, in quibus locis manifeſta eſt κατάχρησις. Dicitur autem venter Deus, & Sathan princeps huius ſæculi, Item Deus huius ſæculi, reſpectu infidelium, qui ventris & Sathanæ imperata faciunt.

Non enim noſipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum, nos vero ſeruos veſtros per Ieſum.

Hæc ratio pertinet ad primam pericopiā huius capitis. Probat enim cur non deficiat in Euangelij miniſterio, nec dolo tractet ſermonem Domini, ſed manifeſtatione veritatis commendet ſe apud omnem conſcientiam hominum coram Deo. Non enim, inquit, noſipſos prædicamus: hoc eſt, nō ſtudemus populari aurę & oſtentationi, vt eminere ſupra alios videamur: ſed prædicamus IESVM CHRISTVM Dominum, vt is ſolus emineat ſalutis autor, dum omnem noſtrū laborem eo deſtinamus, vt abolito regno Diaboli ædificetur corpus Eccleſiæ in Chriſto. Quod autem addit, nos vero ſeruos veſtros propter Ieſum: præſumtio eſt. Nam obiectioni Pſeudoapoſtolorum reſpondet, qui poterant quærere, cur tam multa de ſe prædicet? Reſpondet, prædicamus nos ſeruos Eccleſiæ propter Ieſum: hoc eſt, vt ipſius regnum propagetur ac multi per ipſum ſaluentur. Hic locus multas admonitiones ſuppeditat: Primum enim diſcernit inter duplices miniſtros Euangelij, ſinceros & inſinceros, Illi Chriſtum prædicant Dominum & ipſius ſolius gloriam quærunt: Hi ſeipſos prædicant, dum quouis modo ſuæ gloriæ aut lucro ſtudent. Deinde ſignificat paſtoris fidelis officium eſſe, vt ab omni dominandi cupiditate alienus ſit, nihilque magis in votis habeat, quam vt ſeruiat Eccleſiæ, cuius ſeruum ſe exiſtimet eſſe non dominum. Tertio, quam auguſta ſit hæc ſeruitus cogitandum, Nam eo deſtinatur hęc ſeruitus, vt myſteria regis regum, & Domini dominantium tractet & ea diſpenſet pro Domini arbitrio. Etſi igitur miniſterium verbi ſeruitus hic dicitur: tamen omni dominatu mundi eſt potior. Præterea populus hic diſcat recte de miniſtris ſinceris iudicare. Nō enim ab externa ſpecie, ſed ex maieſtate Domini à quo miſsi ſunt, & ab officij excellentia eos æſtimare debet: Qui ergo hos miniſtros contemnunt, maieſtati Domini derogant, officij excellentiam non perpendunt, Immo, quod grauiſsimum eſt, ipſum Dominum ſpernunt, iuxta illud: Qui vos ſpernit, me ſpernit.

Quoniam Deus qui dixit è tenebris lumen ſplendeſcere, idem illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Ieſu Chriſti.

Efficaciā miniſterij Apoſtolici per comparationem oſtendit. vt olim Deus è tenebris lucem ſplendeſcere fecit, dicens: Fiat lux, & facta eſt lux, Ita hodie lumen accendit cognitionis Dei in cordibus miniſtrorū, vt alijs eadem cognitio luceat per prædicationem Euangelij, quo poſsint in faciē Chriſti amabilem fidei oculis intueri. In dicto, Ad illuminationē cognitionis gloriæ Dei, Hebraiſmus eſt, id eſt, ad præbendum lumen quo gloriam Dei cognoſcant in facie Ieſu Chriſti. Atq; ita alludit ad collationē faciei Moſis & Chriſti, de quibus ſupra. Deinde, obſeruetur hoc loco, quod vt tenebræ ante lucis formationē fuerunt typus tenebrarum, id eſt, ignorantię quæ erat ſecutura in hominibus poſt lapſum: Ita lux ſequens fuit typus ſpiritualis lucis, id eſt, cognitionis Chriſti, quę futura erat per Euāgelij prædicationē.

Habemus autem theſaurum hunc in fictilibus vaſis, vt excellentia virtutis ſit Dei, & non ex nobis.

Vt hactenus dignitatem minſterij extulit: Ita nunc de miniſtrorum fragilitate & cruce agit: Eſt autem huius propoſitionis ſenſus: Nos qui miniſtri ſumus Euangelij, quibuſq; commendauit hunc theſaurum Dominus, obnoxij ſumus varijs infirmitatibus, & non ſecus atque teſtacea vaſa corruptioni obnoxij ſumus, & iniuriæ omnium hominum expoſiti. ſumus enim contemtibiles, & inglorij coram mundo. Idq; ideo fit, vt tota gloria virtuti diuinæ accepta feratur & non nobis. Hic ergo diſcamus diſcernere inter theſaurum ipſum, & vas in quo conſeruatur theſauru s, ne propter vaſis contemtum theſaurum quoq; aſpernamur. Deinde quod virtus non proficiſcatur à theſauro, qui à vaſe depromitur.

Quando in omnibus premimur, at non

Propoſitionis probatio eſt per enu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

anxij reddimur: laboramus inopia, at non deſtituimur: perſecutionem patimur, at non deſerimur: deijcimur, at non perimus.

merationẽ ſpecierum, & quatuor exempli gratia recenſet: preſſuram, inopiam, perſecutionem, & contemtum, ſed his ſe minime victũ pronunciat, exemplum nobis relinquens, ne nos ærumnis fracti ſtationem noſtram in caſtris Domini deſeramus. Vocabulũ στενοχωρούμενοι, quod anguſtiamur reddidit vetus interpres. nonnulli, coarctamur, & quidam, Anxij reddimur: proprie dicitur, cum alicui euadendi locus propter circumſtans periculũ non pateat.

Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore circumferentes, vt etiam vita Ieſu in corpore noſtro manifeſta fiat.

Hoc eſt, quocunq; venimus parata eſt nobis afflictio, tanquã eam nobiſcũ circumferremus. Vocat autem hic crucem mortificationem IESV CHRISTI, propter tria: Primum, quia cruce Apoſtoli reddebantur conformes imaginis filij DEI. Deinde quia propter Chriſtum ea cruce premebantur. Tertio, quia quicquid membra Chriſti patiuntur in hac vita, Chriſto quadam ratione competit. Quid cruci adiunctum ſit, ſubiungit conſolationis gratia, cum ait: vt vita IESV in nobis fiat manifeſta. hoc eſt, quod euadimus è mille periculis, id non à nobis proficiſcitur, ſed ex virtute Chriſti qua conſeruamur in hac vita donec ipſi viſum fuerit. Hic obſeruetur miniſtrorum verbi, atque adeo omnium piorum conditio, videlicet quod quotidianis, vt ita dicam, mortibus obnoxij ſint: Obſeruetur quoque conſolatio in his periculis, quæ in Chriſti vita poſita eſt: qui & in hac vita nobis ſua virtute aderit, modo ex fide ipſum inuocemus, Et olim glorificabit nos, modo hic cum illo compatiamur. Qui enim cum illo patiuntur, cum illo quoq; glorificabuntur, Roman 8.

Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt etiam vita Ieſu manifeſta fiat in mortali carne noſtra.

Expoſitio eſt ſuperioris ſententiæ. Quid enim per mortificationẽ intelligat, exponit. Eſt enim mortificatio Ieſu Chriſti, tradi in mortem, id eſt, mortis pericula propter Euangelium IESV, in quibus periculis vita IESV ſe manifeſte declarat, dũ ſua virtute à mortis periculis ſuos ſeruos liberat. Vocat autem carnem mortalem, non propter omnibus communem mortis conditionem, ſed propter mortificationem per crucem, cui expoſita eſt.

Itaque mors in nobis agit: vita autem in vobis.

Concluſiũcula eſt ex ſuperioribus collecta, cuius ſenſus eſt: nos verbi miniſtri affligimur, & quotidie mortis periculo exponimur, verum hæc noſtra mors in veſtrum cedit commodum, dum per prædicationem Euangelij vitam in Chriſto conſequamini, & ſalutem.

Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſecundum id quod ſcriptum eſt: Credidi propter hoc locutus ſum. & nos credimus, propter quod & loquimur.

Cauſſam reddit cur Apoſtoli tãtis periculis ſe exponant: nimirũ, quia fidem Chriſti habent, cuius impulſu loquũtur de Chriſto, ac ipſum coram mundo confitentur. Rationem hanc exemplo Dauidis confirmat, qui tametſi grauiſsima pericula, perſequente ſe Saule, quotidie experiri coactus erat: Tamen ſpiritus afflatu & dono animatus inuictum ſe præbuit. Eſt autem ſpiritus fidei, fides ipſa, quæ afflatu & dono ſpiritus contingit. Obſeruetur hic vis viuæ & germanæ fidei, quæ non ſinit hominem torpere ocio & ignauia, ſed eum ad officium alacriter præſtandum excitat.

Scientes quod qui ſuſcitauit Dominum Ieſum, & nos per Ieſum ſuſcitabit, & ſiſtet vobiſcum.

Quid fides in cruce & perſecutione ſpectet, & vnde ſummam conſolationem capiat, declarat. Reſpicit enim fides ſub cruce ad gloriam reſurrectionis. Nam quemadmodum mors Chriſti fuit quidam ad gloriam tranſitus: Ita illi qui Chriſtum fide poſsident, & iam eius ſunt membra effecti, per crucem tranſibunt ad gloriam.

Omnia enim propter vos, vt gratia ab-

Ratio hæc non ad proxime præce-

undans

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

undans pluribus gratias agentibus, redundet in gloriam Dei.

dentē ſententiam, ſed ad ſuperiorem, qua dixit ſe fidei impulſu loqui, referenda eſt. Eſtq; ſumta è fine patientiæ Apoſtolorum in afflictionibus: Omnia, inquit, propter vos, ſcilicet facimus & ſuſtinemus, vt gratia Chriſti per prædicationem noſtram pluribus innoteſcat, & multi ad agnitionem veritatis adducti gratias Deo agant, ac vna nobiſcum Deum glorificent.

Propter quod non deficimus, ſed etiam ſi externus noſter homo corrumpitur, internus tamen renouatur quotidie.

Concluſio eſt ex ſuperioribus collecta, Miniſterium noſtrum Chriſtum Dominum prædicat: virtute Dei efficax eſt, ſpectat eo vt præbeat lumen cognitionis Dei, quo in amabilē faciem Chriſti intueri liceat: Spē habet adiunctā immortalis gloriæ, Deniq; fructum copioſum profert, adeo vt multi cōuerſi Deo agant gratias iſumq; glorificent. Ergo in miniſterio noſtro propter quotidianas ærumnas nō deficimus, magis ignaui & ſegniores facti. Huc occupationē cum correctione addit: Sit ſane quod externus noſter homo corrumpitur, Internus tamen quotidie renouatur, & nouas tandē vires acquirit per gratiam Dei, vt oneri non ſuccumbat. Etſi autē quid ſit hic externus homo & quid internus à quibuſdam ambigitur: Tamē qui propius periſtaſin loci examinat, ambigere non poteſt. Quidam externum hominem ſenſitiuam naturā intelligunt, & internum intellectualē interpretantur, quorum opinio confutatione indigna eſt. Nam loci circumſtantia ſatis conuincit, externū hic hominem dici quicquid hominū iniuriæ obnoxium eſt, ſeu quicquid ſpectat ad præſentem hanc vitam cōſeruandam: & contra, Internum eſſe quicquid facit ad conſeruationē cœleſtis vitæ, vt Spiritus ſancti gratia, fides, & ardens colendi Dei ſtudiū. Vt enim duplex vita eſt Terrena & Cœleſtis: Ita duplex eſt eius conſeruandi ratio. Ponitur autem hic hominis vocabulum pro adiuncto per Metonymiam, & Epitheta: Externus & Internus, ad diſtinctionem vitæ vtriuſq; referri debent.

Leuitas enim afflictionis noſtræ ſupra modum momentanea, æternum ſupra modum pondus gloriæ operatur in nobis, dum non ſpectamus ea quæ videntur, ſed ea quæ non videntur. Nam quæ videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna.

Ratio concluſionis à cōparatis ſumta. Mala quæ in hac vita ferunt pij, ſunt momentanea: Bona autem quæ expectant, ſunt æterna. vt ergo leuiter ferenda ſunt illa mala, quæ æterna comitabitur gloria: Ita nequaquā propter vllas ærumnas deficere oportet in Euāgelij miniſterio. Locus hic in omnibus ærumnis maximū vſum habet. Monet enim vt oculos ab ijs quæ videntur auertamus, & ſurſum mentes noſtras erigamus, omnemq; noſtram cogitationē ad æternā cœleſtis regni fruitionem cōuertamus. Ita longe aliud obiectum eſt oculi fidei & interni hominis, quā oculi carnis & externi hominis. Porrò cum Apoſtolus hic dicit patientiam afflictionum operari pondus glorię, non de merito gloriæ agit, ſed de itinere quo ad gloriam peruenitur. Deinde loquitur tantū de afflictione filiorum Dei, quorū eſt hæreditaria gloria, non de impijs, quorū afflictio veluti præludium eſt ad æterna ſupplicia, niſi reſipiſcant.

CAPVT V.

Summa Capitis Quinti.

Spe immortalitatis in ærumnis huius vitæ ſolatur Apoſtolus verbi præcones, vnde & ad officium diligentius præſtandum adhortans, teſtes ſuæ ſinceritatis in Euangelij miniſterio ipſos Corinthios ſtatuit: Cuius rei cauſſas cum reddit, in ſummam doctrinæ Apoſtolicæ de reconciliatione per Chriſtum delabitur.

Ordo & partes Capitis Quinti.

Partes huius capitis quinque ſunt: Quarum prima, eſt expoſitio allegorica eius ſpei, cuius in fine quarti meminit. Secunda, illatio eſt obœdientiæ ſuæ erga Deum in miniſterio. Nam immortalitatis ſpe ſe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rapi ait ad omne obſequium Deo præſtandum, & ad quiduis ferendum: id quod nonnullis rationibus confirmat. Tertia, prouocatio eſt ad conſcientias Corinthiorum, quibus manifeſta fuit Pauli ſinceritas in miniſterio Euangelij. Quarta, remotio eſt arrogantiæ aduerſus Pſeudoapoſtolos, cui plures adhuc rationes ſubijcit ſuæ in miniſterio diligentiæ. Quinta, vniuerſalis doctrina eſt de Reconciliatione & beneficijs Chriſti. in quam doctrinam per occaſionem delabitur. Nam cum in confirmatione dixiſſet, Apoſtolis datum eſſe miniſterium reconciliationis, oportune fertur in reconciliationem noſtri cum Deo deſcribendam. Porrò harum partium vnus eſt ſcopus, nempe vt miniſtri Euangelij conſiderata immortalitatis ſpe, & officij ſui dignitate, confidentius in huius mundi ærumnis Chriſtum doceant.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SCIMVS enim quod ſi terreſtris noſtra domus tabernaculi diſſoluatur, ædificiũ ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.

Ratio eſt eius quod in fine quarti habetur. Illic enim ait: quæ videntur, temporanea ſunt, quæ autem non videntur, æterna. Vtrumque hic probat pulcerrima allegoria, qua pingit ſtatum vtriuſque vitæ, præſentis ſcilicet & futuræ. Erit autem collatio illuſtrior, ſi ſublata hypallage qua Paulus hic vſus eſt, antitheſin hoc modo digeramus. Scimus quod ſi tabernaculũ terrena noſtra domus diſſolutũ fuerit, ædificiũ ex Deo habemus, domum non manufactã & æternam in cœlis. Tabernaculum (per quod ſignificatur corpus noſtrũ mortalitati obnoxium. nam vt tabernaculũ eſt fragilis & caduca ſtructura, ad breue tempus in peregrinatione extructa: Ita corpus noſtrum imbecille vt caducũ eſt) opponitur ædificio (per quod ſignificatur corpus noſtrũ immortalitatis gloria donatum) id eſt, firmæ ſtructuræ, quæ immoto nititur fundamento. Deinde terreſtris domus (ita enim definitur tabernaculũ ab Apoſtolo) eſt, vt ex antitheſi colligitur, quæ ab homine eſt, quæ manufacta eſt, quæ temporanea eſt, & quæ in terra eſt, Hæc opponitur domui quæ à Deo eſt, quæ non manufacta eſt, quæ æterna eſt, quæ cœleſtis eſt. Verũ notandũ eſt, has differentias corporis mortalis & immortalis non ſumi à ſubſtantia, ſed à qualitate, quemadmodũ 1. Corinth. 15. manifeſte docet Apoſtolus: & Articulus fidei noſtræ de carnis reſurrectione conuincit. Dicitur ergo corpus noſtrum vbi immortalitatem induerit, non manufactũ, æternum & cœleſte, non ſubſtantia, ſed gloria & immortalitate. Verum cum hanc conſolationem certæ ſcientiæ de futura immortalitate teſtificatione præmuniat, vult nos Apoſtolus oculos auertere à carnis ſenſu ad cogitationem certitudinis de noſtra im̃ortalitate, qua ornabimur excitatis corporibus noſtris in extremo die. Sunt autẽ quinq; certitudinis cauſſæ de reſurrectione noſtrorũ corporum. Quarum prima obſcurior eſt, quæ in figuris eſt poſita. vt in excitatione Adæ à ſomno & in translatione Enoch. Secunda eſt in ſignis, quę ſunt duplicia, Naturalia & ſacramẽtalia. Naturalia quę in ipſa natura cõſpiciuntur, cuius generis eſt illud 1. Cor. 15. de grano cõiecto in terrã & mortuo, quod rurſus viuificatur: Sacramẽtalia ſigna ſunt baptiſmus & cœna Domini: Hæc enim externa ſigilla ſunt reſurrectionis mortuorũ. Tertia eſt promiſsio filij Dei qui promiſit ſe nos excitaturũ in extremo die, & daturũ vitam æternam. Quarta eſt promiſsionis confirmatio per iuſiurandũ Domini: Amen Amen, ait, dico vobis, Qui credit in me, non peribit, ſed habebit vitam æternam. Quinta eſt fundamentum & cauſſa noſtræ reſurrectionis, quæ eſt reſurrectio Ieſu Chriſti Domini, de qua copioſe Paulus 1. Corint. 15.

Nam & in hoc ſuſpiramus domicilio noſtro, quod è cœlo eſt, ſuperindui expetentes: ſiquidem etiam induti non nudi reperiemur.

Confirmat quod dixit à votis & ſuſpirijs piorũ. pij enim expetũt ſuperindui domicilio cœleſti, id eſt, donari immortalitatis gloria, vt qui iã prius in hac vita non nudi, ſed induti inueniantur. Sed quænam eſt illa veſtis qua nos veſtitos eſſe oportet? Paulus Galat. 3. dicit. Quotquot in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Prima ergo veſtis eſt, quod abluti ſanguine Chriſti eius merito veſtiamur, quo noſtra peccata tegũtur iuxta illud: Beati quorũ tecta ſunt peccata. Secundo, veſtimur Chriſti iuſticia. Nam vt victima ſua peccatũ expiauit: Ita obœdientia ſua nos iuſtos reddit. vt enim per vnius inobœdientiam multi cõſtituti

ſunt peccatores: Ita per vnius iuſticiam multi conſtituentur iuſti. Tertio, veſtimur Chriſti præſentia, qua nos regit & cõſolatur. Quarto, veſtimur ſanctificatione ſpiritus Chriſti, qua ſanctificati Deo obœdire ſtatuimus. atq; ita bonis quoq; operibus nos veſtiri oportet, quę ſi abfuerint, ſuperiora quoq; veſtimenta abeſſe neceſſe eſt. Sunt enim bona opera germanæ fidei perpetuus fructus: cum his cõgruit quod Matth. 22. de veſte nuptiali dicitur: Nam tametſi illam veſtẽ alij aliter exponunt: Tamen theſis ad quam reprehẽſio eius, qui veſtem nuptialem non habuit, accõmodatur, manifeſte conuincit eam veſtem ſanctificationẽ noſtri eſſe ad quã vocamur. Vt enim vetus noſter homo cum inquinamentis ſuis exuendus eſt: Ita noua vita eſt meditanda, vt veſtitus tã honorificę vocationi reſpõdeat. Neq; hoc pugnat cum gratuita iuſtificatione. Non enim ad iuſtificationis cauſſas, ſed ad qualitatẽ iuſtificatorum referendũ eſt. Vt ergo fieri non poteſt, vt bona arbor fructum bonum non edat: Ita impoſsibile eſt à iuſtificatione ſeparari ſanctificationem, tametſi res ſint diuerſæ. Quotquot, inquit Paulus, ſpiritu Dei ducuntur, ij ſunt filij Dei. Item, ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſed ſi ſpiritu actiones corporis mortificetis, viuetis.

Etenim qui ſumus in hoc tabernaculo ſuſpiramus grauati, eo quod non exui volumus, ſed ſuperindui, vt abſorbeatur quod mortalc eſt à vita.

Επεξεργασία eſt: Quod enim in ſuperiori verſu obſcurius dixerat, hic apertius exponit. Allegoriæ huius hic ſenſus eſt: Nos qui varijs ærumnis in hac vita grauamur, aſpiramus quidem ad immortalitatem, vt corpus noſtrũ ex mortali cœleſte & immortale fiat: Verum id ita fieri expetimus, ne mortis ſenſus intercedat, ſed ſubita quædam fiat transformatio: in qua vita mortem ſine mali ſenſu abſorbeat. Quemadmodum in Enoch & Elia factũ eſt. Significatur ergo hoc loco, qualis ſit colluctatio carnis & ſpiritus etiam in ipſis ſanctis.

Qui autem condidit nos ad hoc ipſum, Deus eſt, qui etiam dedit nobis arrabonem ſpiritus.

Confirmatio à fine creationis, ab autore & à teſtimonio Spirit⁹ ſancti: Deus creauit nos ad immortalitatẽ, Ergo aliquanto immortalitate donabimur. Cum enim Deus ſit omnipotens, haud dubie præſtabit, quod olim promiſit. Spiritus ſanctus eſt imortalitatis pignus, quem nos Apoſtoli habemus. Ergo vere eandem aliquando nos adipiſcemur. Obſeruandus locus, quod dona ſpiritus in hac vita ſint arra quædam immortalitatis. Eſt enim arrabo pacti ſymbolũ, ſeu pignus datum in certitudinẽ rei promiſſæ. Geneſ. 38. Si dederis arrabonem donec miſeris. Vnde ad Epheſios primo: Obſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, quæ eſt arrabo hęreditatis noſtræ, id eſt, qui Spiritus ſanctus datus eſt in certitudinem hæreditatis.

Confidentes igitur ſemper & ſcientes, quod habitantes in corpore peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per aſpectum) confidimus, inquam, & libentius optamus peregrinari à corpore, & habitare apud Dominum.

Quid efficiat in ſanctis arrabo ſpiritus, infert. Efficit autem in ſanctis ardentem affectũ deponendi hoc mortale corpus & induendi immortalitatem. θαῤῥοῦντες enim dicuntur, qui pręſenti ſunt animo, id eſt, quieto & ad ſuſtinenda quæuis pericula parato, propterea quod de felici exitu nihil dubitent. Huius affectus duplicem cauſſam ſubiungit. Vnam, quia hic tantum fidei oculis cœleſtem gloriam videmus: Illic vero claram Domini faciem intuebimur. Alteram, quia hic in peregrinatione procul à patria vagamur: Illic depoſita mortalitate perpetuo cũ Domino habitabimus. Hic affectus Apoſtoli breuius ad Philip. exprimitur, his verbis: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.

Quapropter etiam contendimus, ſiue incolentes ſiue migrantes, vt illi accepti ſimus.

Iam infert ex immortalitatis ſpe, ſe paratũ eſſe ad obſequium Deo præſtandum, cum in hac vita, tum in migratione ab hac vita. Contendimus (pro quo Paulus habet φιλοτιμούμεθα) proprie eſt magno ſtudio conari quippiam efficere. Significatur ergo his Pauli verbis, quam ardens ſtudiũ in pijs eſſe debeat approbandi Deo totam ſuam vitam: A quo ſtudio qui alieni ſunt, fruſtra de fide Chriſti gloriantur, fruſtra Chriſtianum nomen prætendunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Omnes enim nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, vt reportet vnuſquiſque quæ per corpus facta fuerint, prout fecerit ſiue bonum ſiue malum.

Ratio eſt ardentis in Apoſtolo ſtudij approbandi ſe Deo, ſumta à præmio obœdientiæ & pœna inobœdientiæ. Ponit autem hic generalem ſententiam iudicis Chriſti, coram quo ſiſti debent duo hominum genera, pij nimirũ & impij. Illis quidem reddet immortalitatis gloriam: His vero ignominiã & confuſionem perpetuam. Porrò cum hoc loco abutuntur Papiſtæ ad ſtabiliendam operũ iuſticiam, perperam confundunt cauſſas iuſtificationis, & qualitatẽ iuſtificatorum. Hic enim Paulus non diſputat de cauſsis iuſtificationis & ſalutis, ſed tantum indicat qualesnam ſint quibus ſalus aut damnatio contingit.

Scientes igitur terrorem Domini, hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Speramus autem & in conſcientijs veſtris nos manifeſtos eſſe.

Ex iudicij Domini expectatione concludit, quã acre ſit ſuum ſtudiũ ad obœdientiam Deo prẹſtandam in ſuo miniſterio. Ponit autem huius obœdientię partes tres. Primam, ſuadere hominibus, manifeſto Hebraiſmo eſt homines per prædicationem Euangelij ad fidẽ adducere. Ponitur enim hic πείθομεν pro participio præſenti à verbo Hiphilhæemin, id eſt, facere, credere ſeu ad fidem adducere. Secundam, manifeſtari Deo, hoc eſt, Deo approbari, idq; per Metalepſin, ſcilicet per eam fidem quam alijs prædicauit, Tertiam, manifeſtari in conſcientijs hominum, hoc eſt, homines habere certum miniſterij Apoſtolici teſtimonium, quorum conſcientia teſtis eſt fidei in miniſterio præſtitæ. Ex hoc ergo colligimus, tres partes ſtatui poſſe obœdientiæ miniſtrorum, atq; adeo piorum omnium. Quarum prima eſt, quæ hic ſecundo loco ponitur, pietas erga Deum. Nam fides reliquas virtutes, quæ ad pietatis complementum pertinent, habet comites. ſecunda quę tertio loco ponitur, eſt approbare ſe hominibus, vt apud eos bonam conſcientiam bene actæ vitæ habeat. Tertia eſt, quæ primo loco ponitur, acre ſtudium præſtandi ea, quæ ad cuiuſq; officium pertinent, vt enim hic Paulus in Euangelio laborat ſtrenue: Ita ſuo exemplo alios ad acre vocationis ſtudium hortatur. vocat autem hic iudicium Domini terrorem, per metonymiam, & effectum iudicij in ijs omnibus qui Deo non obtemperant.

Non enim rurſus noſipſos commendamus vobis, ſed occaſionem dantes gloriationis de nobis, vt habeatis (ſcilicet quod dicatis) aduerſus eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.

Cur tãtopere ſuum ſtudium in Euangelij miniſterio extulerit Apoſtolus, exponit, Ac primum negat ſe id inanis gloriæ cauſſa feciſſe, quemadmodum calumniabantur Pſeudoapoſtoli. Deinde affirmat id factum eſſe, vt ſua autoritas ſalua maneret apud Corinthios, præſertim propter eos, qui externis laruis & fucata eloquentiæ pompa, non autem vera pietate apud Corinthios gloriabantur. Nam iſtorum vanorum hominum iactantiæ ardens Pauli ſtudium in miniſterio, vera pietas & ſinceritas opponitur, ad refrenandam Pſeudoapoſtolorum arrogantiam. Cum ergo de miniſtrorum verbi laudibus agitur, præferantur ſinceri, docti, induſtrij glorioſis, garrulis & pigris, quorum cura gloriæ & ventris eſt præcipua.

Nam ſiue inſanimus, Deo inſanimus: ſiue ſani ſumus, vobis ſani ſumus.

Ratio eſt ſuperioris dicti. Cuius ſenſus eſt: Siue inſanimus', id eſt, veſtro iudicio inſanire videmur, dum ſcilicet noſtrã diligentiã in officio extollimus, Id certe nõ facimus, vt nos extollamus, ſed vt in vnius Dei gloriã cedat noſtrũ miniſterium. Siue ſani ſumus, id eſt, ſimpliciter faciamus officium ſine omni diligentiæ noſtræ cõmendatione, vobis ſani ſumus, id eſt, eo pertinet noſtra induſtria, vt vos ſalutem per noſtram prẹdicationem conſequamini. Ad hos ergo duos fines tendat miniſtrorum verbi labor, Primum, vt ſoli Deo tribuatur gloria. Deinde, vt multi ad ſalutem adducantur. Præterea, cum Paulus hic dicit, Inſanimus, & ſani ſumus, ſciendum eſt quod loquatur ex hypotheſi eorum qui bus ſcribit.

Charitas enim Chriſti conſtringit nos iudicantes illud.

Hoc eſt, quod omnia noſtra ad Dei gloriam & Eccleſiæ ædificationem referenda

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ferenda ſtatuimus, efficit in nobis cogitatio illius ſummi amoris, quo Chriſtus nos cōplexus eſt, & quem ſua morte nobis eſt teſtatus. Conſtringendi vocabulo ſignificat aliter fieri non poſſe, quam vt in obſequium Chriſti totum ſe addicat, quiſquis vere reputat quantus fuerit amor Chriſti, qui ſe in mortem pro peccatoribus tradiderat.

Quod ſi vnus pro omnibus mortuus fuit, Ergo omnes mortui fuerunt.

Teſtificatio eſt charitatis Chriſti. Ponit autem propoſitionem loco totius argumēti. Si vnus Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, omnes fuerunt mortui, id eſt, mortis ſententiæ ſubiecti. Atqui Chriſtus eſt mortuus pro omnibus. Ergo omnes fuerunt mortui. Proinde maximam fuiſſe charitatem oportet, qua motus voluntariam mortem pro omnibus ſubierit Dominus. Maioris conſequentia à deſtinato ad finē probatur. Nam ideo mortuus eſt Chriſtus pro omnibus, vt omnibus vitam impertiret. Cum ergo omnes opus habuerunt, vt vitam per mortē Chriſti reciperent, ſequitur omnes mortuos fuiſſe.

Et quidem pro omnibus mortuus eſt, vt qui viuunt poſthac non ſibi viuant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt, & reſurrexit.

A fine mortis Chriſti probat Apoſtolus, cur Deo in omnibus acceptus eſſe ſtudeat. Chriſtus mortuus eſt, vt nos noua donemur vita, Ergo iam viuificati per fidem Chriſti debemus totam noſtram vitam Chriſti obſequio ſubijcere. Obſeruetur hic antitheſis, ſibi viuere, & Chriſto viuere: quæ duo nō poſſunt ſimul ſtare. Qui enim ſibi viuit, Chriſto non viuit: & qui Chriſto viuit, ſibi non viuit. Vt autem ſibi viuere dicitur, qui nondum regenitus ſecundum φρόνημα carnis viuit: Ita Chriſto viuere dicitur, qui renunciatis carnis concupiſcentijs vitam piam, iuſtam, & modeſtā meditatur. Breuiter: Qui ſecundū carnem viuit, ſibi viuit: Qui ſecundum ſpiritum viuit, Chriſto viuit. Vide Rom. 8. Hic locus aperte docet, ſanctificationem à iuſtificatione nequaquam ſeparari poſſe.

Itaq; nos poſthac neminem nouimus ſecundum carnem.

Quia is ſolus agnoſcendus eſt viuere, qui Chriſto viuit, infert Apoſtolus ſe externam apparentiam hominum non ſuſpicere, & nullam vitam, nullas actiones, nullas deniq; virtutes agnoſcere in ijs, qui adhuc in carne degunt, non regeniti per Chriſti gratiam, ac noua vita per Chriſtum donati. Hic locus manifeſte docet nullas veras virtutes in nondum renatis eſſe, ſed tātum laruas quaſdam, & virtutum mortua ſimulacra.

Quod ſi etiam ſecundum carnem nouimus Chriſtum, iam non amplius nouimus.

Per Communicationem loquitur Apoſtolus. Eſt autem horum verborum ſenſus: Chriſtus ad tempus conuerſatus cum Apoſtolis ab eis æſtimatus eſt, vt homo aliquis excellens: At nunc non tantum homo excellens, ſed filius Dei ſedens ad dexterā patris agnoſcitur. Carnis vocabulum quemadmodum paulò antea, ita & hic nō pro ſubſtantia, ſed pro qualitate, & externa ſpecie accipitur. Quare Seruetus impie abuſus eſt hoc loco ad probandū, humanam naturā in Chriſto à diuinitate abſorptam eſſe.

Proinde ſi quis in Chriſto, noua creatura ſit.

Concluſio ex ſuperioribus collecta: Si quis in regno Chriſti ciuis vult haberi & vere eſſe, ſit noua creatura, hoc eſt, regenitus per ſpiritum Chriſti ſit nouus homo, & viuat ſecundum nouæ vitæ conditionem, ac ſtudeat Deo ſemper acceptus eſſe. Damnatur hic quicquid eſt in homine ante regenerationem.

Vetera præterierunt, Ecce noua facta ſunt omnia.

Cur in regno Chriſti ſola creatura noua locum habeat, vaticinio Prophetico oſtendit: Prophetæ enim cum de regno Chriſti loquuntur, conferunt illud cœlo nouo & terræ nouæ, vt Eſai. 65. Ecce ego creo cœlum nouum & terram nouam, & non erunt in memoria priora. Et 43. Ne recordamini priorū, & antiqua ne memoretis. Quibus vaticinijs ſignificatur cū conditio piorum in regno Chriſti in hac vita, tum ſtatus rerum poſt iudicium.

Omnia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Omnia autem ſunt ex Deo, qui reconciliauit nos ſibi per Ieſum Chriſtum, deditq; nobis miniſterium reconciliationis.

Aliud argumentum obœdientiæ Apoſtoli in miniſterio. Omnia ſunt ex Deo, Igitur omnia in ipſius gloriá cedere par eſt. Proinde cum nobis commiſerit miniſterium Euangelij, decet vt in eo annunciando minime ſimus ignaui. Vt autem oſtendat omnia ex Deo eſſe, proponit ſummum & maximum beneficium, nimirum quod Deus nos reconciliauerit ſibi per IESVM CHRISTVM. Porrò quomodo Deus nos reconciliarit ſibi, paulò poſt Apoſtoli verbis ſignificatur. Quod autem vocat miniſterium Euangelij recõciliationis miniſterium, duo indicat, Primum, quod omnes qui non ſunt participes Euangelij, ſint adhuc ſub ira Dei & damnatione, Alterum, quod Euangelium nobis offerat reconciliationem, quam fide ſola recipimus.

Quoniã erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis peccata ipſorum.

Dixit Deum nos ſibi reconciliaſſe. Iam modum quẽ in fine capitis apertius declarat, exponit. Reconciliauit autem nos ſibi Deus hoc modo: Deus erat in Chriſto, mundum ſibi reconcilians, hoc eſt, Deus pater, qui vnus eſt eſſentia cum filio, iuxto illud: Ego in patre, & pater in me, nos ſibi reconciliauit interceſsione filij. Verum ſi quæris, cur pater non mediator dicatur, cum ſit reconciliator? Reſpondeo: Reconciliauit nos ſibi per mediatorem, qui eſt vnus IESVS CHRISTVS. Nam tametſi vt inſeparabilis eſt & indiuiſa vnitas ſubſtantiæ trium perſonarum, Ita & operatio: Tamẽ nec confundendus eſt ordo perſonarum, nec ſingularum proprietas in ſalutis myſterio eſt tollenda. Pater, Filius, Spiritus ſanctus, hoc eſt, tota trinitas, ſibi mundum reconciliauit, ſed Pater mittit Filium, vt ſit propitiatio pro peccatis, iuxta primam promiſsionem: Semen mulieris conteret caput ſerpentis, Flius miſſus, propitiatio eſt facta, Et Spiritus ſanctus hanc propitiationem obſignat. cuius propitiationis effectus eſt, quod Deus non imputet peccata iis, qui in Chriſtum credunt, Quemadmodum Romam. 3. & 4. fuſius declaratur. Recte ergo dicitur, Reconciliauit nos tota trinitas, ex virtutis vſu, dum peccata delet: ſed filius ſolus λύτρῳ & impletione obœdientiæ. vt enim per λύτρον ſatisfactum eſt pro peccato: Ita obœdientia Chriſti, qua impleuit ipſe legem, imputatur credenti. Vnde homo recõciliatus Deo, acceptus fit illi, & habetur iuſtus. Vnde pleniſsima cõficitur reconciliationis definitio, quæ alias iuſtificatio dicitur, nempe, quod ſit credentis perſonæ in Chriſtũ abſolutio à peccato, imputatio iuſticiæ Chriſti, & acceptatio ad vitam æternam gratis propter Chriſtum.

Et poſuit in nobis ſermonem reconciliationis.

Repetit quod ſupra dixit de dignitate Euangelij. Vnde ſi legationis vocem mutuamur ex ſequentibus, hanc Euangelij definitionem extruere licebit. videlicet, quod Euangelium ſit legatio Chriſti, per quam pax annunciatur & reconciliatio mundi cum Deo. ex quo intelligi vult Apoſtolus quanta induſtria, quanta vigilantia, quanta ſinceritas in miniſtris Euangelij requiratur, quibus tanta legatio commiſſa ſit. Confutantur hic Enthuſiaſtæ, qui verbum vocale contemnunt Refutantur etiam Papiſtę, qui in complementum doctrinę ſalutis adijci volunt humanas traditiones.

Itaque pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante (vos) per nos, rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo.

Infert ex dictis quãta ſit Euangelij dignitas: ex qua etiam concluditur, quãta requiratur in miniſtris fides & ſinceritas. Sunt autem in hac pericopa quatuor propoſitiones, quæ & doctrinam maximã & admonitiones vtiliſsimas nobis proponunt. Prima, minſtri verbi pro Chriſto legatione funguntur. Ex hac propoſitione ſequentes hypotheſes collige: primam, ſummá eſſe dignitatem miniſterij Euangelij: Secundam, ſummá requiri fidem in ea legatione. Tertiam, non licere niſi legantis Chriſti verba afferre. Quartam, audiendos eſſe hos legatos tanquam Chriſtum ipſum. Quintá, miniſtros Euangelij debere habere legitimam vocationem. Nulli enim legatũ agere licet, niſi ab aliquo mittatur. Sextam, non eſſe Chriſti legatos, ſed criminis ſtellionatus reos, qui aliud annunciãt, quam quod ore ſuo locutus eſt Dominus. Secunda propoſitio, Deus tanquam exhortatur ſeu precatur auditores Euãgelij, non quod Deus reuera percetur, ſed tanquam precetur, idq; in miniſtrorum perſona. Hinc primum admoneantur miniſtri verbi qua oportet animi præſentia & fortitudine le-

gatione

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

gatione cõmiſſa fungi. Non enim ſuum negocium agunt, ſed Dei. Contemnitur ergo Deus, quando miniſtrorũ verbi vox contemnitur, iuxta illud: Qui vos ſpernit me ſpernit. Admoneantur etiã miniſtri Euangelij nõ ſcurriliter agere, non ἀπροσδιόνυσα infarcire ſuis demagorijs, id eſt, publicis concionib9, quo diutius cum populi applauſu detinere auditores poſsint: Quod certe cedit in contumeliam Dei, cuius os eſſe dicuntur miniſtri Euangelij. Admoneãtur præterea auditores ſingularis reuerentię & modeſtiæ erga miniſteriũ. Tertia propoſitio eſt: Miniſtri verbi pro Chriſto, id eſt, nomine Chriſti, rogant, iuxta illud: Qui vos audit, me audit. Ex hac propoſitione ſequuntur omnia ſuperius ſignata ad primam & ſecundam propoſitionem. Quarta propoſitio continet ſummam legationis, nimirũ, vt homines reconcilientur Deo. Proponitur autem hęc exhortatio omnibus, non ſolũ nondum conuerſis, verumetiam conuerſis. Nam quemadmodũ quotidie peccamus: Ita quotidiana per Chriſtum reconciliatione indigemus: Quæ reconciliatio, vt ſupra dictum eſt, in iuſtificatione perſonæ eſt poſita: dum videlicet perſonæ credenti Deus non imputet peccatũ, ſed obœdientiam filij, & eam acceptet gratis ad vitam æternam. Errant igitur Donatiſtæ, cum lapſis veniam negent, & reditum ad gratiã. Errant & Papiſtæ, qui docent, homines lapſos poſt baptiſmum mereri remiſsionem peccatorũ pœnitẽtia, intercedente clauiũ beneficio.

Eum enim, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo.

Hæc ratio ad modum reconciliationis ſupra poſitum, eſt referenda. Illic enim dixit, Erat Deus in Chriſto mũdum ſibi reconcilians: Hic iſtum modum reconciliationis declarat, cum dicat, Chriſtum omnis peccati expertem, peccatũ factum eſſe pro nobis, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo. Quoniam autẽ hæc gnoma eſt præcipua in tota ſacra ſcriptura, libet eã paulò diſtinctius retexere, & membra ſeorſim cõſiderare. Sunt autem duo huius propoſitionis pręcipua membra. Primum eſt deſcriptio ſacerdotis Chriſti, Alterum eſt beneficij eius erga Eccleſiam aſsignatio. Deſcriptionis ſunt duæ partes. Quarum prior deſcribit Chriſtum ſacerdotem, qualis in ſe eſt. Poſterior, qualis ſit εὐδοκίᾳ paterna pro nobis factus. Cum igitur ait: Eum qui non nouit peccatũ, complectitur integram illam deſcriptionẽ, quæ eſt in Epiſtola ad Hebræos, nempe quod ſit ſanctus, innocẽs, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis. Huiuſmodi enim oportuit eum eſſe qui legem cõdemnantẽ nos impleret, & eius capitali iudicio ſatisfaceret. Eſt autem phraſis hic conſideranda cum ait: Non nouit peccatum. Hic enim verbum noticiæ non ad ſcientiam, ſed ad experientiam referendũ eſt: Chriſtus enim adeo purus erat à peccato, quod nullum vnquam perpetrauerit peccatum, nullaq; eius radix in eo fuerit. Deinde peccatum hic proprie accipitur, ſignificans defectionem à lege & voluntate Dei cũ obligatione ad æternam mortem & damnationẽ: Atq; hactenus de priori deſcriptionis parte. Poſterior eſt, pro nobis peccatum fecit, hoc eſt, pater æternus λόγον æternum aſſumta naturæ noſtræ maſſa voluit recipere in ſe reatum noſtrũ, & pro nobis fieri victimam expiatoriam. nã hoc loco peccatum pro Aſcham ponitur, quod & reatum ſignificat & hoſtiã pro expiando delicto immolatam, vt Geneſ. 36. Leuit. 5. 2. Reg. 12. Eſa. 53. ad quem Prophetæ locum hic Apoſtolus alludit. Ait enim illic Propheta, ſi poſuerit Aſcham animam ſuam, id eſt, ſi ipſe reatu peccati in ſe recepto factus fuerit pro peccato expiando hoſtia, videbit ſemen longæuum. Eſt ergo in voce peccati ἀντανάκλασις. In eodem enim verſu diuerſimode capitur. Obſerua ergo hic quod Chriſto qui reuera fuit expers omnis peccati noſtrum peccatum imputatum ſit, adeo vt reus peccati coram Deo ſit habitus. Quod obſeruãdum eſt propter antitheſin. In altero huius propoſitionis membro aſsignat beneficiũ Chriſti ſacerdotis erga Eccleſiam, quod beneficiũ effectus eſt & finis ſacrificij Chriſti. Ait enim, Vt nos fierem9 iuſticia Dei in ipſo. Hic duplex conſideretur antitheſis. Nos reuera peccatores, & Chriſtus expers omnis peccati. peccatum, id eſt, reatus victimaq;, & iuſticia Dei: Reatus quidem noſter Chriſto imputatur, qui & pro eo factus eſt victima. Iuſticia vero Chriſti nobis imputatur, vt nobis ſit placatus Deus: vt ergo Chriſtus fuit peccator: ita nos iuſti ſumus. Quare neceſſe eſt hic iuſticiã Dei intelligere cum liberationẽ ab obligatione mortis & damnationis: Tum obœdientiam Chriſti à Deo approbatam & nobis imputatam: propter quam etiam accepti ſumus Deo: Hanc interpretationem oppoſitorum ratio omnino efflagitat, quam vniuerſa ſcriptura confirmat. Et illud Apoſtoli: vnius Chriſti obœdientia multi iuſti conſtituuntur. At cũ Apoſtolus addit in ipſo, nempe Chriſto ſacerdote, duo ſignificat, vnum quod iuſticia illa, quæ nobis imputatur ſit extra nos, quemadmodũ peccatum Chriſto imputatum, erat reuera extra Chriſtum. Alterum, quod tum demũ huius reddamur iuſticiæ participes, quando in Chriſto inuenimur per fidem. Sed cur vſus eſt abſtracto Iu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cto Iuſticia Dei, cum potius concreto Iuſti coram Deo vtendum fuiſſe videatur? propter duo id fecit. Primum, vt appareret antitheſis inter peccatum & iuſticiam. Deinde, vt ſignificaretur iuſticiæ perfectio: Nam Enallage hæc ſignificat nos plene iuſtificatos eſſe coram Deo, vt plena eſt obœdientia Chriſti. Quotquot enim fide iuſtificati ſunt, perfectam Chriſti iuſticiam poſsident, & omnes æque ſunt iuſti, quantum quidem ad imputationem attinet, tametſi ſanctificationis vis quæ iuſtificationi coniuncta eſt, in alijs ſit maior in alijs minor, iuxta fidei menſuram.

CAPVT VI.

Summa Capitis Sexti.

Vt ſuo exemplo miniſtros verbi qui fuerunt Corinthi, exhortatur ad munus fideliter præſtandum: Ita ipſos Corinthios verbi auditores ad pietatem validis inuitat argumentis.

Ordo & partes Capitis Sexti.

Duæ ſunt huius capitis partes. Quarum prior eſt exhortatio ad miniſtros verbi, vt ſedulo præſtent officium. Poſterior eſt exhortatio ad ipſos auditores Corinthios, ne fruſtra verbi diuini miniſtros audiuiſſe videantur.

EXEGESIS SEXTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

NOS vero cooperantes etiam obſecramus vos ne fruſtra gratiam Dei reciperetis.

Propoſitio eſt prioris exhortationis hui⁹ capitis, qua exhortatur miniſtros Euangelij, vt caueant ne fruſtra videantur accepiſſe gratiã Dei, id eſt, munus docendi Euangelium. Chryſoſtomus hoc interpretatur de auditoribus, ſed ea quæ ſequuntur ſatis indicant quod ad prædicatores referri debeat preſens exhortatio. tametſi nihil refert ſi eam ad vtroſq;, id eſt, miniſtros & auditores referas. ſed vox συνεργοῦντες, id eſt, vna vobiſcum operantes, declarat commune miniſtrorũ ſtudium. Obſeruetur hoc exemplum quo monentur ſuperiores miniſtri, vt alios exhortentur ad officium præſtandum.

Dicit enim, tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis ſuccurri tibi: Ecce nunc tempus acceptum: ecce nunc dies ſalutis.

Prophetæ teſtimonio cõfirmat nõ fruſtra ſuſcipi miniſterium verbi. Promittit enim Domin⁹ Eccleſię in capite Chriſto, quod velit miniſterio adeſſe, & facere vt multi per miniſterium ſalutẽ conſequantur. Paulus hic 70. interpretes ad verbum imitatur. Hebræus textus multo eſt illuſtrior, in quo quatuor ſunt ſpectanda, quæ concurrunt in miniſterio verbi. Primum, eſt cauſſa nempe Raſon, id eſt, εὐδοκία, beneplacitum ſeu gratuitus fauor Dei, qui eſt fundamentum ſalutis noſtræ. Secundo, ponitur effectus iſtius fauoris, nempe Ieſchuah, id eſt, ſalus. Salui enim ſumus quia placemus Deo, vt filij tenerrimi ſuo patri, non dignitate noſtra aut meritis, ſed liberali eius gratia. Tertio, cum dicit, Reſpondi tibi, & ſuccurri tibi, ſignificat & inuocationem cum prædicatione verbi coniunctam & exauditionem, quod Deus velit vere præſtare nobis, quod offert per miniſterium: Cum ergo tempus prædicationis Euangelij dicatur tempus beneplaciti, & dies ſalutis, decet non ſolum miniſtros ſalutis, verumetiã auditores, vt hoc tempus non negligant. præſertim cum prædicatio Euangelij ſit teſtimonium beneplaciti Dei, & ſalutis noſtræ inſtrumentum: quemadmodum Paulus indicat cum Prophetę teſtimonio ſubijcit hæc verba: Ecce nunc tempus acceptum, Ecce nunc dies ſalutis. Illud nunc ad omnes ætates pertinet, in quibus Deus ex ſuo beneplacito verbum ſuum annunciari permittit. & hodie verè dicere poſſunt miniſtri Euangelij, Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies ſalutis.

Nullam dantes in vlla re offenſionem ne vituperetur miniſterium.

Suũ exemplum alijs miniſtris imitandum proponit. Verbum, obſecramus, ex

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

[illegible] repetendũ eſt, vt ſit ſenſus, Nos nullam dantes vlla in re offenſionem [illegible]us vos, hoc eſt, nos cauemus ne vlla morũ impuritate ſimus impedimento audi[illegible] Euangelij, idq; ideo ne noſtrum vitium transfundatur in miniſteriũ. Hic primum [illegible]cant miniſtri Euangelij, qua deceat eos vitæ innocẽtia præditos eſſe. Nam duo ingentia mala comitãtur ſceleratos miniſtrorũ mores. Primum enim retardatur in auditoribus Euangelij progreſſus, Deinde vicia miniſtrorũ quodammodo infamiã miniſterio conciliant.

Sed in omnibus commendantes nos tanquam Dei miniſtri.

Vt ſe cauere omnem offenſam dixit: Ita altera ex parte aſſerit, quod ſe ſuis auditoribus in omnibus cõmendabilem reddat, quemadmodũ Dei miniſtros decet: Obſeruetur igitur hic Regula: quod quicunq; velit cum fructu Dei miniſter eſſe, debeat ſe ita ſuis auditoribus in doctrina, vita, & moribus commendare, vt ſui gregis forma in omni pietate & probitate vere dici poſsit.

In patientia multa, in afflictionibus, in neceſsitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in ſinceritate, in ſcientia, in tolerantia, in manſuetudine, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in ſermone veritatis, in potentia Dei.

Quod in genere dixerat, id per enumerationem ſpecierũ ſeu partium explicat, vt apertius ponat ob oculos quibus virtutibus præditos eſſe oporteat ſinceros verbi præcones. Porrò in hac enumeratione diſtinguẽdum eſt inter duo virtutũ genera, quæ Paulus requirit in miniſtris Euangelij. Quædam enim perpetuæ eſſe debent, quædam non niſi in certis caſibus requiruntur. Perpetua eſſe debent, labores, vigilię, ſinceritas, ſcientia, manſuetudo, ſpiritus, charitas, ſermo veritatis, potentia Dei. Quarum autem neceſsitas non eſt perpetua, ſunt aliæ præter enumeratas. Requiritur enim patientia in rebus aduerſis. inuictus animus in afflictionibus, in neceſsitatibus, in carceribus, in plagis, in ſeditionibus, quotieſcunq; ea inciderint. His iam quorũdam vocabulorum explanationem adijciamus. Patientia ὑπομονὴ eſt, cum inuicto animo toleramus aduerſa, & oneri non ſuccumbimus. Huius cauſſa eſt ſpiritus regenerationis, fides, cogitatio mandati Dei, & promiſsio liberationis. Beatus vir qui ſuffert tentationẽ, qui cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quã promiſit Deus diligentibus ſe. Obiectum eſt quicquid corpus vel animum premit, vel quouis modo moleſtũ eſt: qualia ſunt multa quæ Paulus hic recitat, vt, afflictio corporis, inopia, anguſtia, plagæ, carceres, labores, exilia. Vnde Apoſtolus noſter, Afflictio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit, id eſt, non fruſtratur ſperantem. Finis eſt, vt Deo præſtetur obœdientia iuxta primum præceptum. Deinde, vt retinentes confeſsionem alijs ſimus bono exemplo, vt illi quoq; ſe inuictos in quibuſuis duris exhibeant. Diſcrimen patientiæ Chriſtianæ & Philoſophicę petatur ex cauſsis & finibus. Afflictio ſeu tribulatio Græce θλίψις, eſt quæuis corporis compreſſio & iniuria. Neceſsitas hoc loco inopia eſt earũ rerum, quæ ad victum & amictum requiruntur. Anguſtia στενοχωρία, cum ad animum tum ad corpus referri poteſt. Ad animũ quidem relata, eſt conſilij inopia, vt neſcias quo te vertas conſilij expers, Ad corpus vero, cum ita incluſus videaris ab hoſtibus, vt nuſquam euadendi locus pateat. Seditio ἀκαταστασία, cum aliquis ob tumultus, & turbatum rerũ ordinem cogatur incertis vagari ſedibus, vt qui nuſquam habeat vbi pedem figat. Ieiunium νηστεία, eſt abſtinentia ad tempus à cibo & potu, qua corpus affligitur & veluti mortificatur. Hæc definitio nominis eſt. Nam vt Græca vox νηστεία dicitur παρὰ τὸ νὴ ἐσθίειν, id eſt, à non comedendo: Ita Hebræa Zom, id eſt, ieiunium dicitur ab exhauriendo, quia ieiunium exhaurit, & veluti emulget vires corporis atq; adeo corpus ipſum affligit & mortificat. Huius formæ primæ ſunt tres. Nam eſt ieiuniũ indifferens. eſt pium ſeu acceptum, eſt & impium ſeu Phariſaicum. Indifferens ieiunium eſt, cum vel præ inopia vel valetudine, vel ingenti aliquo mœrore animi abſtinetur à cibo & potu. Hoc per ſe nec placet nec diſplicet Deo. Verum prout fides & patientia affuerint placere & diſplicere putandum eſt. Ieiunium pium, Chriſtianum, & acceptum Deo, eſt abſtinentia, à cibo & potu, qua corpus premitur & mortificatur, adeoq; abſtinetur ab omnibus rebus, quæ carni voluptatem afferunt: vt plenum ſit ſpiritus imperium per veram pœnitentiam, piam orationem, & ſeriam renunciationem omnium iniuriarum, quibus proximus lędi poteſt. Nam corporis afflictio per ieiunium eſt mœroris animi propter peccatũ ſymbolum & teſtimonium. Huius ergo fines ſunt (propter quos & placet) tres. Mortificatio carnis, excitatio ſpiritus, intenſius omnis pietatis ſtudium. Tale fuiſſe ieiunium Pauli, cuius hic fit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mentio non eſt dubium, & deberent pij huiuſmodi ieiunio ſæpe ſpiritũ excitare, ne carnis concupiſcentię ſuccumberent. Eſt autem hoc ſanctũ & Chriſtianum ieiuniũ duplex, nempe priuatum & ſolenne. Priuatum, eſt quod quis ſua ſponte ſibi imponit, vel pietatis excitandæ cauſſa (quale vt ſæpe alias, ita potiſsimũ ante ſacram σωάξιν à quolibet Chriſtiano, cuius caro hac caſtigatione indiget, deligi vellem) vel officij capeſſendi gratia, vt ſe quis eo præparet ad meditationem officij, oretq; vt Deus auſpicijs ſui muneris aſpiret. Quemadmodum Moſes, Helias & Chriſtus feciſſe leguntur. Solenne ieiuniũ pium & Chriſtianum eſt, quod pius magiſtratus ſeu gubernatores Eccleſiarum indicunt, vel vt præſens malũ, peſtis, gladius, &c. vera pœnitentia & inuocatione Dei aut tollatur aut mitigetur, vel vt mala quæ ob peccata imminere videntur, caueantur. cuiuſmodi ieiunia ſancti Reges & Prophetæ ſæpe indixerunt: quæ Deo grata fuerunt propter pœnitentiam, fidem, inuocationem, charitatem, meditationem beatæ vitæ, mortificationem carnis, & huiuſmodi alia, quæ in Chriſtiano ieiunio concurrere debent: quemadmodũ ex definitione ſupra poſita intelligi poteſt. De hoc duplici ieiunio priuato & ſolenni tenenda eſt hæc Regula, Quod vt priuatũ liberum eſt, pertinens ad cuiuſq; priuatã diſciplinam: Ita ſolenne obligat mandato magiſtratus & charitatis lege. Quare illud contumaciter violare peccatũ eſt. Contumaciter dico propter valetudinem cuiuſq;. Nam qui aduerſa valetudine ſatis grauatus eſt, non debet onere huius ſolennis ieiunij magis grauari, ſed ſtudere potius, vt veris gemitibus cordis Deum iratũ placet. Impium ſeu Phariſaicum ieiunium eſt abſtinentia à certo cibi genere, quæ abſtinentia putatur cultus Dei eſſe per ſe, & res Deo grata propter ipſum opus, adeoq; meritoria. Quaſi vero Deus ſpectaret externa opera, vbi cõſcientia eſt impura, & ieiunium eſſet in eo operũ genere, quæ Deo probantur per ſe, quemadmodum ea quæ ſua lege præſcribit, & nõ potius eſſet externum tantum exercitium & corporalis exercitatio alium finem ſpectans, nimirum vt pœnitentiæ, vt orationi, vt carni domandæ, vt charitati, vt meditationi beatæ vitę ſubſeruiat. Merito igitur Prophetæ huiuſmodi hypocritica ieiunia dãnant, in quibus plurima horrenda ſcelera concurrunt. vt opinio cultus, fiducia operis, neceſsitas, coactio, delectus ciborum neceſſarius, modus ieiunandi quo vel porci ſaginari poſſent, meditatio fraudis, & iniuriæ proximorum. Poteſt autem hoc ieiunium Phariſaicum diuidi in duo genera, vt vnum dicatur ſtatum, Alterũ arbitrarium. Statum & ordinarium eſt, quod certo tempori anni, menſis aut ſeptimanæ eſt affixum: quale apud Papiſtas eſt quadrageſimale, quod vocant, ieiunium: item quatuor temporum, Apoſtolorum &c. in quibus nihil ſani fuit, ſed mera ſuperſtitio, multiplex impietas, & ἐθελοθρησκεία ab Apoſtolo damnata, imperiũ tenent. Arbitrarium, quod aliquis arbitrio ſuo quo ſibi Deum debitorem faciat, deligit. quale Phariſæi fuit, qui iactabundus in oratione Domino ait: Ieiuno bis in ſabbato, vbi ſuum ieiuniũ vt opus ſanctum & meritorium prædicat, ac Deum admonet ne eius obliuiſcatur. Tale & hypocritarum illorũ fuit, qui apud Eſa. 58. cap. Domino obijciunt eum grauiter accuſantes: Quare ieiunauimus, & nõ reſpexiſti? Hęc de ieiunio admonere hoc loco volui, vt ſtudioſi ſciant, quid ex verbo Domini de ieiunio ſtatuere debeant, vtq; intelligant in quo ſit operũ genere, in quibus placeat & propter quid, & in quibus non placeat. Sinceritas Græce ἁγνότης eſt puritas ſeu caſtitas cum animi tũ corporis, quæ regenerationis ſpiritualis effectus eſt. Scientia γνῶσις, id eſt, recte agendi peritia, quæ ſincera doctrina gubernatur. Tolerantia μακροθυμία (quam vetus interpres ad verbũ longanimitatem vertit) eſt virtus moderans iram ne quis cito excandeſcat, ſed emendationis ſpe irã & vindictam protrahat. Manſuetudo χρηστότης, eſt benigna humanitas & facilitas ad benefaciendũ. Opponitur aſperitati & moroſitati. Spiritus ſanctus ſignificat cum ipſum Spiritũ ſanctum, vt cauſſam, tum motus excitatos à Spiritu ſancto. Sermo veritatis, eſt ipſa Euangelij prædicatio. Cum enim vocat Euangelium ſermonem veritatis, ſignificat quod abſq; humanarum corruptelarum cõmixtione prædicari debeat. Potentia Dei eſt, cum virtus edendi miracula, tum facultas caſtigandi contumaces.

Per arma iuſticiæ dextra & ſiniſtra.

Quia ſinceri miniſtri Dei veluti in prima acie ſunt collocati aduerſus Diabolum, qui ex omni parte eos inuadere cõatur, armorũ meminit dextrorũ & ſiniſtrorum. Hoc eſt, vult eos armatos eſſe iuſticia bonæ conſcientiæ à dextris & ſiniſtris, vt ſuſtinere valeant impreſsionem hoſtilem. de armatura Chriſtiani militis copioſe diſputat Apoſtolus ad Epheſ. 6. & 1. Theſſ. 5.

Per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, tanquam impo-

Quo itinere per arma iuſticiæ tendat ad metam declarat, ſignificans ſe

ſtores,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtores, & veraces. tanquam ignoti, & celebres: tanquam morientes, & ecce viuimus: tanquam caſtigati, & non morti traditi: tanquam mœrore affecti, ſemper tamen gaudentes: tanquam inopes, multos tamen ditantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes.

animo obfirmato eſſe ad omnia cum proſpera tum aduerſa ferenda, ita vt nec illis ſuperbus eſſeratur, nec hiſce oppreſſus in pugna deficiat. Quemadmodũ enim gloria & bona fama non effertur, ita nec ignominia & mala fama deijcitur. cum audit impoſtor, nõ frangitur animo, ſed verax manet. cum obſcurus & ignotus habetur, celebrem ſe per Euangelij prædicationem oſtendit. ſæpe in pericula vitæ incidens, præſentia diuina adiutus è periculis liberatur, Caſtigatus virgis & alapis, è morte tamen ereptus eſt. mœrore affectus nihilominus intus ſpiritu gaudet. inopia laborans, multos per Euangelij prædicationem ſpiritualibus diuitijs ditat. Hoc ſuum exemplum proponit Apoſtolus miniſtris Corinthiorum, quod eos imitari mauult, quam vt inani rerum externarum ſpecie oblectentur. Non enim inanis gloriatio, ſed res bene fortiterque & cum virtute geſta, militem fortem ab ignauo ſeparat.

Os noſtrum apertum eſt ad vos Corinthij. Cor noſtrum dilatatum eſt, non eſtis anguſti in nobis, ſed eſtis anguſti in viſceribus veſtris. Eandem vero remunerationem, vt à filijs exigo: dilatemini & vos.

Conuertit ſe ad totam Eccleſiam Corinthiorum, erga quos ſuum intimum & paternum affectum teſtatur. Hos nõnihil accuſans quod ſimilem affectum erga ſe non habeant, hortatur eos, vt vicem rependant, vt decet filios. Atque hic eſt verborum ſenſus ſimplicisſimus. Oratio autem figurata grandior eſt. Oris apertio & cordis dilatatio, ſignificant vehementisſimum affectum & vere paternum, quo ipſos Corinthios iam in intimo corde complexus erat. Quem affectum amplificat cum addit: Non eſtis anguſti in nobis, id eſt, vos totos animo complector, adeo cor meum ad vos recipiendos dilatatum eſt. Sed anguſti eſtis in viſceribus veſtris. Id eſt, veſtrum cor non viciſsim dilatatũ eſt ad me recipiendũ, & intimo amore comprehendendum. Quare vobis, vt filijs dico, dilatemini & vos ad me recipiendum intra veſtra viſcera, quo ita nos mutuo complectentes, vos nobis & nos viciſsim vobis vicem reddamus. atq; ita mutuum amorem remuneremus. Hic locus docet qualiter affectos eſſe deceat verbi præcones, & eorum auditores erga ſe inuicem.

Nolite iugum ducere cum infidelibus.

Exhortatio eſt qua Corinthios hortatur, ne ſe contaminent conſuetudine & operibus infidelium. Qui enim picem tetigerit inquinabitur ab ea. Vtitur autem hic Apoſtolus elegantisſima metaphora, alludens ad legem Moſi Deutero. 22. qua cautũ fuit ne quis bouem & aſinum ſub idem iugũ cogeret. Dicit enim ne ſitis ἑτεροζυγοῦντες cum infidelibus, id eſt, ne impari iugo copulemini cum infidelibus. Vocantur autẽ hic ἑτεροζυγοῦντες, qui cum ſint diuerſæ conditionis in eodem opere mutuam operam præſtent. vt ſi fidelis vxorem infidelem ducat, vel econtra; aut ſi menſæ dæmoniorum fiat particeps: deniq; ſi cum infideli in aliquo opere, vel per ſe vel ſecundum quid illicito, commercium habeat. Hæc exhortatio ad Epheſ. 5. his verbis habetur: ne commercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, ſed potius arguite. Porrò cum exhortatio hæc Pauli ſit vniuerſalis, poteſt commode accommodari etiam impari coniugio, ne fidelis vir aut mulier copuletur infideli coniugi.

Quæ enim participatio iuſticiæ cum iniquitate? quæ communicatio luci cum tenebris? quis conſenſus Chriſto cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli? quæ autem conuentio templo DEI cum idolis?

Congeries argumentorum, & exemplorum imparis iugi. Recenſet autem quinq; exempla. Primum, eſt iuſticiæ & iniquitatis. Secundum, lucis & tenebrarum. Tertium, eſt Chriſti & Belial. Vocat autẽ hic Belial ipſum Diabolum, qui eſt caput omnium ſceleratorum: quemadmodum Chriſtus eſt caput omnium piorum. Quartum, eſt fidelis & infidelis, vt enim fidelis eſt membrum Chriſti: Ita infidelis membrum eſt Diaboli. Qu ntũ, eſt templi Dei viuentis, & idolorum. Cum autem horũ natura ſit talis, vt minime ſub idem iugum cogi poſsint, nequaquá debent à

bent à Chriſtianis coniungi. Cæterum ſi quis hæc argumenta in ſyllogiſmos cogere velit, habet hic quinque propoſitiones interrogatione ideo elatas, vt ſignificet neminem habere, quod contra obijcere audeat, aut iure poſsit. Ex harũ prima conficitur hic ſyllogiſmus, Iuſti & iniqui nullum poſſunt habere conſortium in operibus, quæ ſingulis propria ſunt, Chriſtiani ſunt iuſti, infideles vero iniqui, Igitur Chriſtianis cum infidelibus nulla poteſt eſſe participatio in operibus, quæ ſingulis ſeorſim propria ſunt. Sunt enim veluti diuerſa iumenta ſub idem iugum coacta. Formabuntur autem & reliqui ſyllogiſmi eodem modo, Quare non eſt neceſſe eos aſſcribere.

Vos enim eſtis templum Dei viuentis.

Quintæ propoſitioni ſubſumit minorem. Vnde hic conficitur ſyllogiſmus. Templum Dei & idola non poſſunt inter ſeſe conuenire. Chriſtiani ſunt templũ Dei viuentis, Infideles vero ſunt templa idolorum. Ergo Chriſtiani non poſſunt conuenire, & veluti iugum trahere cum infidelibus. Hoc argumẽtum ſæpe à Paulo Chriſtianis inculcatur, vt in priori Epiſtola ad Corinthios cap. 3. & 6. Et ad Epheſ. 2. Neque enim quicquam magis hominem pium à peccato abſterrere poteſt, quam vt cogitet ſe templum Dei viuentis, & in ſe habitantis eſſe. Qua dignitate cum nulla maior eſſe poſsit, horrendum ſacrilegium fuerit adeo ſanctum templum vlla re contaminare. Vt igitur hęc appellatio, & Chriſtianorum dignitas admonet nos ſingularis ſanctimoniæ & puritatis: Ita ſignificat totum noſtrum ſtudium eo referendum eſſe, vt Deum veris cultibus celebremus, & prædicemus.

Sicut dicit Dominus, habitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.

Teſtimonio diuino & à definitione templi Dei probat pios eſſe Dei tẽplum. Vbi Deus habitat, illic eſt templum ipſius. Deus habitat in pijs. Ergo pij ſunt templum Dei. Huius argumenti minor hic ponitur, & promiſsione diuina nititur, quæ extat Leuit. capite 36. & Ezech. capite 37. In Leuitico habetur: Ambulabo in vobis, & ero veſter DEVS, & vos eritis mihi populus. In Ezechiele ita legitur: & erit tabernaculum meum in eis, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Quid autem ſit, quod Deus velit illorum Deus eſſe, & ipſi viciſsim debeant eius populus eſſe, declarat Propheta cum addit: Et ſcient gentes quod ego Iehoua ſanctifico Iſrael, id eſt, tueor, protego, & defendo, Eccleſiam meam, vt rem ſanctam. Cum fuerit, inquit, ſanctuarium meum in medio eorum in perpetuum, hoc eſt, nunquam illi deſtituentur fauore & auxilio meo, donec meum ſanctuarium, id eſt, Chriſtus fide eorum retineatur.

Quamobrem exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego ſuſcipiam vos.

Exhortationem argumento ſubijcit, quæ deſumta eſt ex cap. 52. Eſaiæ, quaſi diceret: Cum vos templum Dei eſtis, relinquite idolorum templa, & prophanationes Babyloniorũ. Quod enim Propheta dicit de exitu Babylonico in terram Iudaicam, hoc transfert Apoſtolus à typo ad rem ſignificatam. vt qui Deo dederunt nomina, relinquant prophanationes gentium & immundicias idolorum, hoc eſt, vt nihil commercij habeant cum infrugiferis operibus tenebrarum. Quare Propheta addit in eodem loco: Mundamini qui fertis vaſa Domini, id eſt, vos ſacerdotes & Leuitæ ſanctificamini, ne vlla ſpurcicia veſtrum miniſterium contaminetis. Verum quia Leuitæ fuerunt Chriſtianorum (qui ſunt regales ſacerdotes) typi, debent Chriſtiani qui tantum theſaurum circumferunt, immo qui ipſa templa Dei ſunt, ſe ab omni immundicia conſeruare. Hæc enim eſt voluntas Dei ſanctificatio noſtra.

Et erō vobis in patrem, & eritis mihi in filios & in filias.

Hæc promiſsio Ierem. 31. & in multis alijs ſcripturæ locis, quo ad ſenſum attinet, habetur, quæ quia fide recipienda eſt, ſoli credentes & Deo ex fide obœdientiam exhibentes, de ea gloriari poſſunt.

CAPVT VII.

Summa

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Summa Capitis Septimi.

Apoſtolus exhortans Corinthios ad ſanctimoniam vitæ, purgat ſe à tyrannidis captatæ ſuſpicionē; quoque animo ſit erga eos certis indicijs oſtendit, nempe, quod in ſummis perſecutionibus ex illorum ergà ſe ſtudio & pœnitentia, & affectu eorum ergà Titum, conſolationem acceperit.

Ordo & partes Capitis Septimi.

Quatuor ſunt huius capitis præcipuæ partes. Prima, exhortatio eſt ad ſanctimoniam vitæ, quæ infertur ex promiſsionibus, quas poſuit in fine ſexti. Secunda, eſt purgatio affectatæ tyrannidis in Corinthios. Tertia, ſignificatio ſui animi ergà eos cum ſumma Corinthiorum commendatione. Quarta interponitur per occupationem, & eſt excuſatio Apoſtoli, quod eos paulo durius tractauerit in ſuperiori Epiſtola: In hac parte ingenium ſalutaris pœnitentiæ graphice depingit.

EXEGESIS SEPTIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

HAS igitur promiſsiones habentes dilecti, purgemus noſipſos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.

Exhortatio illata ex promiſsionibus, in fine ſexti adductis. Deus promittit quod velit eſſe noſter Deus, & noſter pater, & habere nos loco filiorum & filiarū, Ergo nos decet ſanctificationi ſtudere, vt ſimus puri ab omni inquinamento animi & corporis. Eſt autē hæc collectio inprimis obſeruāda. Nam pendet ex mutuo pacto inter Deū & nos. Etſi enim Deus ex ſua mera miſericordia nos in gratiam recipit, abſq; omni conditione legis & operum: Tamen poſtquā ſuæ gratiæ nos participes reddidit, ſtipulatur à nobis mutuam gratitudinem. quemadmodū de Abrahamo legimus, quem Deus prius in gratiam recepit, ſed mox ab eodem ſtipulatus eſt mutuā gratitudinem, inquiens: Ambula coram me, & eſto perfectus, Geneſ. 17. Hanc perfectionem facto declarauit cum iuberetur offerre filium. De fide ergo Abrahæ nemo gloriari poteſt, niſi qui Deo ex fide cum Abrahamo obœdientiam præſtiterit. Sed hic oritur quæſtio de conditione. Promiſsiones legales ſunt conditionales, & Euangelicæ ſunt gratuitæ, Igitur conditio obœdientiæ non eſt addenda gratuitæ iuſtificationi. Reſponſio, promiſsiones legales ſunt conditionales, vt quæ habeant impletionem legis cauſſam promiſſorum. Lex enim nihil gratis confert, ſed implentibus legem promittit præmia: Sed Euangelicæ promiſsiones ſunt gratuitæ, quia ſalus nobis credentibus offertur, donatur & obſignatur gratis, ſine noſtris præcedentibus meritis. Verum poſtquam fide gratiam adepti ſumus, Deus à nobis ſtipulatur obœdientiam: quæ obœdientia, etſi à nobis plene præſtari nequit, placet tamen in reconciliatis. Hoc confirmatur non ſolum exemplo Abrahæ, in cuius veſtigijs inſiſtere debent omnes, qui cupiūnt ipſius filij eſſe: Verumetiam parabola de debitore, Matth. 18. Cui debitori gratis quidem vniuerſum debitum eſt donatum ex mera bonitate patrisfamilias, ſed conſecutus condonationem eſt ad pœnam reuocatus, propter hanc pactionem, de obœdientia in poſterum præſtanda, violatam. Habent ergo omnes promiſſiones Dei ſua natura quoſdam in ſe ſtimulos, qui nos excitare debent ad ſanctimoniam vitæ perpetuo meditandam. Cæterum exhortationem Pauli altius perpendamus, in qua tria ſunt: Primū, quod purgati ſint adhuc purgādi. Purgatis enim, inter quos ſe etiā numerat Apoſtolus, ſcribit vt ſe purgent. Semper enim circumferimus nobiſcū maculas, quibus purgandis perpetuo ſtudere nos oportet. Alterum eſt diſtributio, nimirum quod oporteat nos purgari ab inquinamentis carnis & ſpiritus, hoc eſt, animæ & corporis: quæ duo cum à Deo habeamus, debemus eis vti in gloriam Dei, 1. Corinth. 6. Tertium eſt, quonam tendere debeat noſtri purgatio, nempe ad perfectionem ſanctificationis in timore & vero cultu Dei. Ad hanc ergo metam quotidie magis magiſque contendere debemus, modo promiſsionis filij eſſe cupiamus, & gloriari de patre noſtro Abraham.

Capaces eſtote noſtri.

Hoc veluti exordiolum eſt purgationis, quę ſequitur, quaſi diceret: Cum

me videatis corde intimo vos complecti, vos quoque dilatamini & me capite intra veſtra viſcera, quo mutua ſit affectio amoris inter nos. Niſi enim miniſtri verbi & auditores ſe mutua proſequantur beneuolentia, vtrique operam ludunt.

Nemini fecimus iniuriam, neminem corrupimus, neminem defraudauimus.

Remouet à ſe ſuſpicionem tyrannidis, & tria grauiſsima ſcelera enumerat: Iniuriam (qua ſignificatur poteſtatis abuſus, qui partim à ſuperbia, partim à corrupto iudicio, partim ab alijs prauis affectibus oritur) Infidelitatem in docendo, qua homines corrumpuntur & in errores ducuntur, quibus mens corrumpitur & affectus, Et Auaritiam, qua auditores defraudãtur, dum miniſtri eorum bona dolis & fraude ad ſe transferunt. Ab his ergo tribus criminibus immunis eſſe debet pius paſtor, ſi nolit ſuorum auditorum animos à ſe alienari.

Non hoc ad condemnationem veſtri dico.

Prolepſis eſt: Anteuertit enim obiectionem. Dicere enim poterant Corinthij, iſta dici in illorum contumeliam, ſed Paulus id negat, ac ſi dicat: non hoc dico, vt vos ingratitudinis condemnem, ſed tantum vt me purgem.

Nam antea dixi, vos in cordibus noſtris eſſe ad commoriendum & conuiuendum.

Ratio quod non dixerit ea contumeliæ cauſſa, ſed tantum ſuæ purgationis gratia. Eſt autem hæc ratio ſumta à certiſsimo ſigno: nemo contumelioſus eſt in eos quos intime amat, Ego autem antea teſtatus ſum me vos intime amare, adeo vt paratus ſim vobiſcum mori & viuere; Ergo non eſt quod quiſq; putet me aliquid contumeliæ cauſſa dixiſſe.

Multa mihi fiducia erga vos, multa mihi gloriatio de vobis, impletus ſum conſolatione, Exundo gaudio in omni tribulatione noſtra.

Hoc incremento ſignificat Apoſtolus ſuum erga Corinthios affectum cum ſumma illorũ commendatione. multa mihi fiducia eſt, hoc eſt, ſecuro & quieto ſum animo, adeo vt nulla ſit in eo offenſa: immo quod plus eſt, de vobis glorior, atq; adeo in ſummis meis afflictionibus non ſolum conſolationem capio magnam, verumetiam vehemẽter exundo gaudio. Vnde autem hoc gaudium & hæc conſolatio, in ſequenti narratiuncula explicat.

Nam cum veniſſemus in Macedoniam, nullam relaxationem caro noſtra habuit, ſed in omnibus fuimus oppreſsi, foris pugnæ, intus timores: ſed qui conſolatur afflictos, conſolatus eſt nos per aduentum Titi.

Hæc narratiuncula crucis Pauli acerbiſsimæ eo pertinet, vt oſtendat maximam fuiſſe conſolationẽ, quam ex Titi narratione de Corinthiorum ſtudio & affectu erga ſe conceperat. Nam quo grauior eſt morbus, eo remedium iudicatur præſtantius, quo morbus ſuperatur & tollitur. Meminit autem hic duplicis crucis cum ait: Foris pugnæ, intus terrores. per pugnas, intelligit inſultus aduerſariorum, qui ipſum perſequebantur. Per terrores, moleſtias quas habuit ex inteſtinis morbis Eccleſiæ. Solet autem Paulus aduerbijs Foris & Intus vti, quando loquitur de ciuibus Eccleſię & eius hoſtibus. Quemadmodum foris eſſe dicuntur prophani, qui extra templum Dei & gratię regnum ſunt: Ita intus eſſe intelliguntur ſancti, qui ſunt in regno gratiæ templum Dei. Præterea cum crucem carni ſuæ impoſitã ait, ſignificat ſpiritum ſpirituali quodam gaudio ſuſtentatum fuiſſe in ſuis afflictionibus. Debet igitur ſpiritus gaudium opponi omnibus duris & incommodis, quæ patitur caro noſtra in hac vita.

Non ſolum autem per aduentum ipſius, ſed etiam per conſolationem quam ille accepit de vobis, cum renunciaret nobis veſtrum deſiderium, veſtrum eiulatum,

Exponit quomodo per aduentum Titi conſolationẽ perceperit. Senſus eſt: non tam quod ipſe Titus venerit, quam quod ſtudiũ & affectum erga veſtrum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

veſtrum pro me zelum, adeo vt magis gauiſus fuerim.

me veſtrũ mihi renunciarit, conſolationem percepi. Incremẽto affectum eorum erga ſe exaggerat. Nam minus eſt deſiderium quam eiulatus, & eiulatum excedit zelus. deſiderio ſignificat quod Apoſtolum ſuum maximi fecerint. Eiulatu, quod ſerio ad ſui doctoris admonitionem pœnitentiam egerint: zelo, quod eum ardentiſsime vt patrem chariſsimum amauerint. Hinc diſcãt auditortes verbi, quomodo affectos eſſe eos deceat erga Euangelij miniſtros, qui ipſos paternis obiurgationibus in viam ſalutis à præcipitio peccati reuocare ſatagunt.

Nam etiamſi triſtitia vos affeci per Epiſtolam, non me pœnitet etiamſi pœnituerit. Video enim quod Epiſtola illa, tametſi ad tempus triſtitia vos affecit, nunc gaudeo non quod triſtitia affecti fueritis, ſed quod triſtitia affecti fueritis ad pœnitentiam.

Ratio eſt per occupationem. Tametſi, inquit, me male habuit quod ad tantam ſeueritatem coactus ſim, vt vobis acerbius ſcriberem: Tamen iam vehementer gaudeo, quod euentus votis meis reſpondeat: nimirum, quod triſtitia affecti ſitis ad pœnitentiam, hoc eſt, quod ea triſtitia, quam percepiſtis ex mea obiurgatione, profuerit vobis ad emendanda veſtra vitia.

Nam triſtitia affecti fuiſtis ſecundum Deum, ſic vt nulla in re detrimento ſitis affecti per nos.

Duo probat Apoſtolus. Vnum, quod illorum triſtitia profuerit ad reſipiſcentiam. Alterum, quod obiurgatio ipſius non ceſſerit illis in detrimẽtum. Quod triſtitia illorum profuerit ipſis ad pœnitentiam, ex eo probat, quod ſint triſtati ſecundum Deum, hoc eſt, quod illorum triſtitia, quæ fuit verus dolor de peccato commiſſo, Deo accepta fuerit. Ex quo ſequitur & alterum, quod Apoſtolus eos non affecerit detrimento vllo, aut eos læſerit ſua obiurgatione: Immo quod excitarit potius eos ad pœnitentiam, quæ plurima ſecum commoda affert, Deoque gratiſsima eſt.

Nam quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, ea pœnitentiam operatur ad ſalutem non pœnitendam: At mundi triſtitia mortem operatur.

Quia triſtitia per ſe & ſimpliciter nõ videtur expetẽda, diſtinctionem adhibet, aſſerens aliam eſſe triſtitiam ſecundum Deum, aliam mundi. Illam bonam & nequaquam pœnitendam, ex affectu oſtendit, nam efficit pœnitentiam ad ſalutem: Hanc malam eſſe ex eo cõcludit, quod mortem afferat. Verum cum triſtitia ſecundum Deum, & triſtitia mundi opponantur, ex collatione oppoſitorum petendæ ſunt differentiæ. Triſtitia ſecundum Deum inde naſcitur, quod aliquis ſentiat ſe Deum offendiſſe, & iam opret id factum non eſſe. Quare ingenti pauore perculſus propter iram Dei, magno eiulatu deflet peccatum, & promiſsionum de Meſsia cogitatione erectus, confugit ad miſericordiam vera & viua fiducia, atque ita ſalutem qua peccando exciderat, ſalutari pœnitentia recuperat. Talis fuit dolor Dauidis, Manaſsis, Magdalenæ, Petri, Latronis in cruce, &c. At mundi triſtitia, eſt dolor ſine fide ad deſperationem ac mortem tendens, qualis fuit Caini, Saulis, Iudę, &c. Poteſt autem hęc mundi triſtitia diſtingui per cauſſas: vt alia ſit cum quis angitur amiſsis bonis, ſiue fortunæ, ſiue corporis, ſiue animi. Alia ex inuidia ortum habeat, cum quis dolet ob bonum alterius: Alia ex ſenſu iudicij Dei proficiſcitur, videlicet cum aliquis ſibi mali alicuius conſcius, pœnæ impendẽtis metu eſt ſolicitus. Extremis generibus facilius eſt adhibere remedium: Medium autem, quia prorſus diabolicum eſt, difficilius curatur.

Ecce enim iſthuc ipſum quod ſecundum Deum triſtitia affecti fuiſtis, quantum in vobis fecit ſtudium, immo defenſionem, immo indignationem, immo timorem, immo deſiderium, immo zelum, immo vindicationem, per omnia teſtatum feciſtis vos eſſe puros in hoc negotio.

Dixit Corinthios dolore ſecundum Deum, qui dolor reſipiſcentiam operatur ad ſalutem, affectos fuiſſe: Id nunc probat ab effectis, & enumerat ſeptem, quæ primum accommodabo hypotheſi, deinde ad theſin & communem inſtructionẽ transferam, indeque Chriſtianæ & ſalutaris pœni-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tentiæ definitionē extruam. Primum ergo triſtitia Corinthiorum effecit in eis ſtudium ſcilicet emendandi, quod peccatum erat per incœſtuoſum, qui nouercam ſuam habuit. Deinde defenſionem, hoc eſt, purgationem, qua ſe Corinthij purgauerunt, quod non approbarent admiſſum flagitium. Tertio indignationē, qua flagitioſo illi fuerant indignati, accuſantes & culpantes eius turpitudinem. Quarto timorem, ſcilicet pœnæ propter tantam offenſam, qua Deus offenſus erat. Quinto deſiderium, id eſt, charitatem erga Apoſtolum monentem ipſos, vt à ſe iram Dei ſeria pœnitentia auerterent. Sexto zelum, id eſt, ardens ſtudium deinceps cauendi, ne talia ſcelera impunita ſint in ſua republica. Septimo vindicationem, qua ſtatuerunt vindictam per excommunicationem in flagitioſum fratrem, & deinceps in omnes eos quos deprehenderent in legem Dei contumelioſos, viuendo impuram vitam. Atque hæc ita hypotheſi accommodata ſint: verum ſi ad theſin transferantur, nobis ſalutaris pœnitentiæ adiuncta depingent. Qui enim vero dolore afficitur, & ſecundum Deum, is emendationi ſtudet, cauet ne alieni peccati reus fiat, indignatur ſibi peccanti, iudicium Dei ſibi ob oculos ſtatuit, quo à peccandi licentia reuocetur, ſingulari deſiderio ſe Deo approbare ſtudet, ardenter omnem offenſam Dei cauet, atque alios peccantes in viam ab errore reuocare conatur. Ex his in vnum collectis efficitur, quod vera & ſalutaris adeoque Chriſtiana pœnitentia ſit verus dolor de offenſa Dei, cum voto ac ſpe veniæ, & voluntate ardentíque ſtudio peccatum omne poſt hac vitandi, Deoq́ue vitam omnem approbandi.

Nempe etſi ſcripſi vobis non eius cauſſa qui læſerat, neque eius cauſſa, qui læſus fuerat, ſcripſi, ſed vt palam fieret ſtudium veſtrum pro nobis apud vos in conſpectu Dei.

Per occupationem reddit cauſſam cur ſcripſerit illis priorem Epiſtolam, idque per ſeiunctionem non cauſſæ, & poſitionem veræ cauſſæ, Non, inqt, ſcripſi vobis vel fornicatoris cauſſa, qui me ſuo facto offenderat, vel mea cauſſa qui offenſus fueram, ſed vt vobiſipſis innoteſceret ô Corinthij, quo erga me ſtudio ſitis, & quo affectu me proſequamini in cōſpectu Dei: Id quod haud obſcure declaraſtis veſtra reſipiſcentia ſtatim poſtquam à me admoniti fuiſtis. Hæc ſententia Pauli duos locos continet: Vnum (quem exemplum Pauli nobis ſuppeditat) quod peccatoribus ſua peccata non ſint exprobranda à miniſtris, poſtquam ad pœnitentiam ſeriam adducti fuerint. Alterum (quem exemplum Corinthiorum ſuppeditat) quod peccatores caſtigati à ſuis paſtoribus, non odiſſe eos, qui ſe caſtigant, ſed tanquam patres eos complecti debeant.

Propterea conſolationem accepimus ob conſolationem veſtri.

Concluſio prioris cauſſæ conſolationis quam accepit in ſuis afflictionibus. Hactenus enim expoſuit quomodo in ſuis ſummis afflictionibus conſolationem acceperit ex pœnitentia Corinthiorum, quæ ipſis quoque Corinthijs magnam conſolationem attulit.

Quin vberius etiam gauiſi ſumus ob gaudium Titi, quod refocillatus ſit ſpiritus eius ab omnibus vobis.

Alteram cauſſam ſuæ cōſolationis, & gaudij in cruce aggreditur, nempe quod Corinthij benigne & amanter exceperint Titum, quem Apoſtolus ad ipſos miſerat. Nam auditorum ſtudium erga miniſtros ſinceros, haud obſcure declarat animum erga religionem.

Nam ſi quid apud eum de vobis gloriatus ſum, non fui pudefactus, ſed vt omnia in veritate locuti ſumus vobis, Ita gloriatio noſtra apud Titum veritas facta eſt.

Ætiologia eſt: Paulus miſſurus Titum ad Corinthios prædixit fore, vt ipſum humaniter exciperét, Id nunc ita eueniſſe gaudet Apoſtolus.

Et viſcera eius abundantius erga vos ſunt, dum reminiſcitur omnium veſtrum obœdientiæ, quemadmodum cum timore & tremore exceperitis eum.

Quod intimo amore Tit⁹ viciſſim complectatur Corinthios exponit, idque non ſolum obœdientiæ ipſorum gratia, verumetiam quod ſuum erga ipſum animū declarauerint, eius doctrinam & admonitionē cum timore & tremore excipientes; Quod ſane veræ reſipiſcentiæ ſignum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tiæ ſignum fuit: Viſcera hic metonymia Hebraica intimum amorem ſignificant. Eſt autem ſedes affectuum in viſceribus. Obſeruetur quoque hoc loco, quæ ſit vera ratio excipiendi miniſtros Euangelij.

Gaudeo, quod in omni confidam in vobis.

Epiphonema eſt, cuius hic eſt ſenſus: Quid plura dicam? Huiuſmodi vos eſſe cognoui, vt de vobis ſecure poſsim optima quæque ſentire, loqui, & ſperare.

CAPVT VIII.

Summa Capitis Octaui.

Prædicata alacritate animi Macedonum in afflictionibus, & liberalitate eorundem in pauperes ſanctos, ipſos Corinthios ad imitationem propoſito Chriſti exemplo exhortatur: & poſt commendationem æquabilitatis ſeruandæ, Titum & alios quoſdam fratres commendat Corinthijs.

Ordo & partes Capitis Octaui.

Quatuor huius capitis partes ſunt. Prima, prædicatio Macedonum ob patientiam in afflictionibus, & liberalitatem erga pauperes. Secunda, exhortatio Corinthiorum ad imitationem. Tertia, commonefactio de ſeruanda æquabilitate. Quarta, commendatio fratrum quos Apoſtolus Corinthum mitt t.

EXEGESIS OCTAVI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PORRO notam vobis facimus fratres gratiam DEI datam in Eccleſijs Macedoniæ, quod in multa probatione afflictionis, redundauit gaudium ipſorum, & profunda illorum paupertas exuberauit in diuitias ſimplicitatis eorum.

Macedones à duabus ſummis virtutibus commendat, Primum, quod in ſummis afflictionibus ſuperarit in illis gaudium ſpiritus. Deinde, quod in profunda paupertate fuerint in pauperes ſanctos liberales. Hæc commendatio eo pertinet, vt Corinthij qui opibus abundabant exemplò Macedonum excitarentur ad liberalitatem. Si enim paupertate preſsi Macedones adeo fuerunt liberales, Quid decet Corinthios, qui tantis opibus abundant? Singulariter obſeruandum eſt, quod Apoſtolus vtramque virtutem, nempe patientiam ſub cruce, & liberalitatē in ſanctos, vocet gratiam Dei, hoc eſt, diuinum beneficium. Nam Deus eſt & autor conſolationis gaudijque ſub cruce, ideoque Deus conſolationis dicitur, & ipſe affectum liberalis animi erga egenos inſpirat, contra carnis iudicium: quæ caro tantum ſibi detractum arbitratur, quantum in alios cōfertur. Proinde cum Paulus iſtam erga pauperes promtitudinem & liberalitatem appellet gratiam DEI, ſciamus, cum liberales in pauperes ſumus, nobis ſingulare beneficium Dei contingere, modo Eleemoſyna noſtra Phariſaico fermento non fuerit vitiata. Ideo Paulus diuitias ſimplicitatis appellat illam liberalitatem, quia eam vult proficiſci ex ſimplici & ſincero charitatis affectu, & tendere in gloriam Dei, & in ſubleuationem egenorum.

Nam pro viribus (teſtor) immò etiam ſupra vires voluntarij fuerunt.

Ratio ab effectu. fuerunt Macedones pro viribus, immo ſupra vires voluntarij, id eſt, ſponte liberales & benigni, Græce eſt αὐθαίρετοι. id eſt, qui vltro & ſponte aliquid eligunt & ſuſcipiunt. Cōmendatur ergo in Macedonibus promtitudo animi & alacritas in Eleemoſyna præſtanda. Debet enim hæc Pauli regula obſeruari: Qui miſeretur, in hilaritate, Rom. 12.

Multa cum obteſtatione rogantes nos,

Amplificatio eſt qua exaggerat Ma-

vt gra-

vt gratiam & ſocietatem miniſterij erga ſanctos ſuſciperemus.

cedonum alacritatem in conferenda Eleemoſyna. Nam non ſolum ſponte contulerunt pro ſuis viribus, verumetiam cum multa obteſtatione à nobis expetiuerunt, vt ſocij eſſemus illorũ, qui iſtam gratiam Jeroſolymam ad pauperes ſanctos perferrent. Gratiã vocat hic Eleemoſynam à cauſſa, à qua profecta eſt, de qua iam dictum eſt.

Ac non quatenus ſperabamus, ſed ſeipſos dederunt primum Domino, deinde & nobis per voluntatem Dei, vt adhortaremur Titum, vt quemadmodum antea cœpiſſet, ita & conſummaret erga vos hanc gratiam.

Senſus eſt: Superarunt longe noſtram expectationem. Nã non ſolum res ſuas conferre, ſed etiã ſeipſos parati erant Domino & nobis, inſtantes vt Titum adhortaremur: vt quemadmodum cœpiſſet, Ita & ſtrenue perageret hoc munus apud vos, adhortando vos ad liberalitatem erga egenos. Quod autem ait, eos dediſſe ſe primũ Domino, deinde ſibi, teſtimonium eſt & pietatis Macedonum erga Deum, & obſequij eorum erga Apoſtolum iuxta Dei voluntatem, qui vult nos obœdire miniſterio.

Verum quemadmodum in omni abundatis fide, & ſermone, & cognitione, & omni diligentia, & ea quæ ex vobis erga nos eſt charitate, facite vt etiam in hac gratia abundetis.

Hortatur Corinthios, vt benefici ſint & liberales in egenos, idque per collationem. Qui in omnib⁹ reliquis excellunt, dabunt operam ne in vno aliquo langueſcere videanturi, Corinthij, fide, ſermone, cognitione, &c. excellunt, Proinde operam dabunt ne beneficentia erga pauperes ſint poſtremi. fides hoc loco fiducia eſt erga Deum cũ pietate, quæ illi natura coniuncta eſt. Sermo eſt prædicatio Euangelij. Cognitio peritia eſt & prudentia, qua verbum recte applicatur. diligentia eſt in pietatis officijs ardens ſtudium. Charitatis erga ſe etiam meminit Solent enim homines amicorum monitionibus libentius acquieſcere. Gratia beneficentiam ſignificat. Obſeruetur hoc loco quibus virtutibus Chriſtianos præditos eſſe oporteat, modo ſuum nomen rite tueri volunt.

Non ſecundum imperium loquor, ſed per aliorum ſolicitudinem, & veſtræ dilectionis ſinceritatem approbans.

Præſumtio eſt, Nam tollit obiectionem eorum, qui poſſent dicere, Paulum ſibi hæc onera imponere, vt ipſis imperare videatur: quod negat Apoſtolus, & duas cauſſas affert veras, cur eos hortetur ad hanc beneficentiam. quarum vna eſt ſolicitudo aliorum, ſcilicet Macedonum, qui ipſum magna obteſtatione ſolicitarunt, vt Corinthios ad hanc beneficentiam adhortaretur: Alia cauſſa eſt ſumma illorum dilectio: quæ profert ſua natura benficentiam erga proximos.

Noſtis enim gratiam Domini noſtri IESV CHRISTI, quod propter vos pauper factus ſit, cum diues eſſet, vt vos illius paupertate diteſceretis.

Ab exemplo Chriſti ſuaſorium petit argumentum, quo argumento nullum pijs paſtoribus, vel maius vel efficacius proponi poteſt. Petra igitur quauis durior ſit neceſſe eſt, qui eo non permouetur. Is dicit, diligite vos inuicem ſicuti & ego dilexi vos, Quod dictum & præceptum & exemplum continet. Ponitur & hic gratia pro beneficentia.

Et conſilium in hoc do. Hoc enim vobis conducit, qui non ſolum facere, ſed etiam velle cœpiſtis anno ſuperiori.

Ab vtili & honeſto argumenta petit. Eſt vtile vobis, beneficentiam exercere erga pauperes. Deinde honeſtum eſt ſtrenue progredi in eo, quod pie cœpiſtis anno ſuperiore. Nam tum non ſolum facere, verumetiam velle, id eſt, vltro facere cœpiſtis, adeo quod ex ipſo facto ſingularem voluptatem perceperitis. Atque id velle, hoc loco Hebræorum more ſignificat, quibus Zaza ſignificat prono & promto eſſe animo, & quaſi animo & affectu accurrere. Atq; hoc pacto plus eſt velle quam facere. Nam

facere

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

facere cuiuis licet, cui ſuppetunt facultates, velle vero tantum, cuius animus & affectus ardeat benefaciendi ſtudio. Nam alioqui velle ſimpliciter præcedit factum.

Nunc autem & ipſum facere perficite, vt ſicut promta fuit voluntas, ita etiam perficiatis ex eo quod ſuppetit.

Vrget, vt quod feliciter cœperant, abſoluant. Oratio Græca multo eſt venuſtior, in quib⁹ infinita verba pro nominibus ponuntur: Supra poſuit τὸ θέλειν, id eſt, velle, & τὸ ποιῆσαι, id eſt, facere. Hic τὸ ἐπιτελέσαι, id eſt, perficere. & τὸ ἔχειν, id eſt, habere. Hæc igitur quatuor requiruntur ad beneficentiam veram, ſcilicet: facultas, voluntas, actio, & perfectio.

Etenim ſi iam adeſt animi promtitudo, ea iuxta id quod quiſq; habet accepta eſt, & non iuxta id quod non habet.

Occupatio eſt, qua occurrit obiectioni pauperum inter Corinthios, pauperes parum admodum poſſunt conferre, Igitur à ditioribus exigatur iſta beneficentia. Reſpondet Apoſtolus propoſita regula pulcerrima, nimirum quod Deus æſtimet beneficentiam vniuscuiuſq; ex eius animo. ſi enim animus pius & promtus eſt, acceptum eſt Deo vel minimum quiddam, At ſi animus triſtis fuerit, vel maxima donaria diſplicent. Nota eſt hiſtoria pauperis viduæ, quæ duo minuta mittens in Gazophylacium prælata eſt diuitibus, qui magnas opes contulerunt.

Non enim vt alijs relaxatio ſit, vobis autem oppreſsio: ſed ex æquabilitate hoc tempore veſtra abundantia ſupplet illorum defectum. vt & illorum abundantia ſuppleat veſtrum defectum, vt fiat æquabilitas.

Cõmonefactio eſt de ſeruanda æquabilitate. Requirit enim ius analogum inter dantem & accipientem. Non ſit, inquit, vt alijs ſit relaxatio, hoc eſt, vt alij ocioſe ex alieno viuant, Vobis autem oppreſsio, hoc eſt, vt nimium erogando in egenos in anguſtias paupertatis cogamini, & paupertate opprimamini. Sed hoc tẽpore neceſsitatis extremę pari conditione veſtra abundantia ſupplet illorum inopiam, vt veſtra viciſsim inopia illorũ copia ſubleuetur. Nam ſicut nunc alijs egenis vos abundãtes largimini è veſtro, ſic alij viciſsim de ſuo vobis egẽtibus largiantur. Idq; vt fiat æquabilitas, ſerueturq; ius analogum. Debet enim vltro citroq; ius illud inter Chriſtianos valere, quantũ quidem ad vſum rerum attinet, non quantum ad poſſeſsionem. Hic modus cõmunicandi inopibus de noſtris facultatibus, à Salomone etiam commendatur his verbis: Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta de medio putei tui, Diſpergãt ſeſe fontes tui foras in plateis, riui aquarum ſint tibi ſoli, & non alienis tecum. Requirit hic Salomon liberalitatem erga alios, ſed vult penes noſipſos rerum noſtrarum dominiũ eſſe.

Sicut ſcriptum eſt: Qui multum (collegit) non habuit amplius. Et qui paulum (collegit) non habuit minus.

Probat æquabilitatem ſeruandam ex typo. Nam vt qui multum colligebat de Manna, huic nihil ſuperfuit, & qui paululũ colligebat, is nihil minus habuit: Ita in vſu rerum fieri apud Chriſtianos oportet, vt qui plus habet, non habenti communicet, vt fiat quædam æquabilitas: nõ quidem in poſſeſsione, ſed in vſu rerum. Hoc ergo typo monentur diuites, quod illorum copia ſit temperantiæ propriæ & fratrum egeſtati deſtinata.

Gratia autem Deo, qui dedit eandem ſolicitudinem Domini in corde Titi, qui exhortationem acceperit, quin potius cum eſſet diligentior ſua ſponte venerit ad vos.

Commendaturus eos quos Corinthum erat miſſurus, primũ meminit Titi, quẽ dicit nõ tam ſuo ſuaſu & exhortatione, quã propria animi promtitudine ſuſcepiſſe negocium colligendæ Eleemoſynæ apud Corinthios. Cum autem propter hoc Deo gratias agit, ſignificat non ſolum omnes pios motus in hominibus à ſpiritu Dei excitari, verumetiam hoc opus Deo pergratum eſſe, vt egeſtati fratrum ſuccurrant.

Miſimus autem vna cum illo fratrem,

Barnabam hunc ſecũdum ſocium

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

[…]laus in Euangelio eſt per multas Ec[…], nec id ſolum, verumetiam delectus […]ccleſia, eſt comes peregrinationis no[…], cum hac gratia quę adminiſtratur à vo[…]s ad eiuſdem Domini gloriam, & animi […]eſtri promtitudinem.

[…] fuiſſe, quem cum Tito mittit Apoſtolus, non tam ex eo apparet, quod eius magna laus fuerit in prædicatione Euangelij, quam ex eo quod dicatur ab Eccleſia Paulo conſtitutus comes peregrinationis: quemadmodum ex actis Apoſtolicis conſtat. Ad huius commendationem facit quod dicit, eum ab Eccleſia cōmunibus ſuffragijs electum ad colligendā Eleemoſynam apud Corinthios. Quod cum cedere in gloriam Dei, & animi eorum promtitudinem dicat, ſtimulos addit Corinthijs ad liberalitatem ſuam erga pauperes declarandam.

Declinantes hoc, ne quiſquam nos carpat in hac exuberantia quæ adminiſtratur à nobis, procurantes honeſta non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.

Cur alios mittat exponit, ſcilicet ne quis malignus, vt nemo eſt à Sathanæ morſibus immunis, diceret Paulum ſuis priuatis commodis potius, quam pauperum neceſsitati ſtudere. Paulus ergo, vt vir honeſtus & ſanctus, dicit ſe ſtudere, vt non ſolum apud Deum habeat conſcientiā bonam, verumetiam vt ſit extra calumniam apud homines. Vnde Auguſtinus: qui negligit famam, crudelis eſt, Quia nō minus neceſſaria eſt nobis coram proximo, quam bona conſcientia coram Deo. Hoc Pauli exemplum non ſolum miniſtris verbi, verumetiam omnibus pijs propoſitum eſſe ſciamus.

Miſimus autem cum eis fratrem noſtrum, quem ſæpe in multis probauimus, diligentem: nunc autem multo diligentiorem ob multam fiduciam, quam habeo erga vos.

Superioribus tertiū addit ſocium, quem commendat à diligentia quam ſæpe fuerat in eo expertus, & quam nunc multo maiorem eſſe in eo intelligit, propterea quod magnam fiduciam conceperit de eorum erga pauperes liberalitate. Hic Paulus ad Eleemoſynam colligendam non mittit niſi virum de cuius pietate & diligentia compertum habet. Viderint ergo noſtri, qui ad curam animarū emittunt eos, qui vix eſſent idonei qui porcis paſcendis præficerentur.

Siue de Tito: ſocius meus eſt, & apud vos adiutor, ſiue (de alijs) fratres noſtri ſunt, & Apoſtoli Eccleſiarum & gloria Chriſti.

Etſi hic particula illationis non eſt expreſſa: Tamen non dubito quin ſit cōcluſio cōmendationis legatorum, quos Corinthū mittit. Colligit enim in ſummam quibus laudibus clareāt illi tres qui mittuntur. Siue inquit de Tito, ſcilicet quæritur, eſt ſocius meus in miniſterio Euangelij, & adiutor apud vos: ſiue de alijs duobus quæritur, ſunt fratres noſtri, ſunt Apoſtoli, id eſt, legati Eccleſiarum, ſunt gloria Chriſti, vt per quos gloria Chriſti manifeſtetur, Dum eum prædicant, & ſincere colunt, ſancteque inter homines viuunt. Eraſmus vertit ὑπὲρ Τίτου, Titi nomine. Sed quia ὑπὲρ ſæpiſsime apud Paulum pro περὶ capitur, malui de Tito, quam Titi nomine, vertere. Nam hoc magis congruit & Chryſoſtomus ita explicat. & nouus interpres. Collige ex his quæ eſſe debeant in diaconis pauperū & miniſtris Eccleſię, nempe vita honeſte anteacta, pietas, rerum experientia, vocatio, labor, induſtria, cura pauperū: breuiter, vt ſint tales qui Chriſti gloria iure dici poſsint, quales ſoli illi ſunt, qui de bona conſcientia apud Deum, & ſancta vita coram hominibus in Domino gloriari poſſunt. Deteſtanda eſt igitur vox eorum, qui populo illudentes dicunt, Facite ſicut doceo, non ſicut ago: qui potius ἀλάστορες Eccleſiæ, quam paſtores animarum cenſendi ſunt.

Itaq; demonſtrationem charitatis veſtræ & noſtræ de vobis gloriationis oſtendite erga eos etiam in conſpectu Eccleſiarum.

Concluſio exhortationis. Oſtēdite itaq; veſtram charitatē erga egenos, & efficite ne fruſtra de vobis gloriatus eſſe videar, quod tum demum futurum eſt, ſi hos quos mitto in cōſpectu Eccleſiarū amanter & benigne complexi fueritis. Hinc & nos diſcamus, quomodo excipiendi ſint qui pauperū negocium apud nos agunt.

Chryſo-

Chryſoſtomus exponit εἰς πρόσωπον Eccleſiarum, in gloriam & honorē Eccleſiarum. Qui enim hos legatos honorant, honorant & Eccleſias, quæ eos miſerunt. Vtraque expoſitio ſatis congruit. Sed hæc poſterior magis ſtimulat Corinthios ad officium præſtandum.

CAPVT IX.

Summa Capitis Noni.

Iam dudum Achaiam inſtructam eſſe & ſe miſiſſe fratres, vt omnia ſint in promtu, cum ipſe cum Macedonibus venerit memorans, validiſſimis argumentis ad candidam liberalitatem eos inuitat.

Ordo & partes Capitis Noni.

Capitis huius ſunt quatuor partes. Prima, eſt ſignificatio quod Eleemoſyna Achaiæ iam dudum inſtructa ſit. Secunda, cauſſam apertius exponit, cur Titum & alios miſerit Corinthum. Tertia, exhortatur ad liberalitatem, quæ careat triſtitia & minime ſit coacta. Quarta, eſt clauſula acclamatoria per gratiarum actionem ob inenarrabilia Dei dona.

EXEGESIS NONI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

NAM de ſubſidio quidem, quod fit in ſanctos, ſuperuacaneum mihi eſt ſcribere vobis (noui enim promtitudinem veſtram, cuius cauſſa de vobis glorior apud Macedones) quod Achaia parata eſt ab anno ſuperiori, & qui eſt ex vobis zelus prouocauit complures.

Præteritio eſt. Dicit enim ſuperuacaneū eſſe ſcribere de ſubſidio quod fit in ſanctos, Id quod tamen breuiter facit. dicit enim non ſolum Achaicam Eleemoſynam iam dudū paratam eſſe, verumetiā multos zelo Corinthiorum iā magis ad liberalitatem exercendam prouocari. Eſt autem optimus & laudabilis zelus cū alius alterius pietate & virtute ita prouocatur, vt eam ſibi imitandam, aut etiam, ſi fieri poteſt, ſuperandam proponat, abſque tamen omni vllius odio. Talis fuit zelus ſanctorum olim, multum diuerſus ab eo zelo, quo nunc multi laborant in aliorū perniciem. Rationem propoſitionis, à promtitudine Corinthiorum ſumtam, Parentheſi incluſi, vt contextus expoſitionis conſpiceretur.

Miſi autem fratres, vt gloriatio noſtra de vobis non inanis reddatur in parte hac, (vt quemodmodum dicebam) parati ſitis ne quo modo, ſi venerint mecum Macedones & offenderint vos imparatos, pudefiamus nos (ne dicamus vos) in hac gloriationis fidentia.

Cauſſam apertius exponit, cur Titum cum alijs duob. fratribus miſerit Corinthum, nimirum vt Corinthiorum Eleemoſyna eroganda in pauperes ſit parata vbi Apoſtolus venerit cum Macedonibus. Hunc autem finem multis verbis inculcat videlicet, ne gloriatio noſtra reddatur inanis: vt parati ſitis: ne pudefiamus nos in hac gloriationis fidentia, vt interim taceam, vt vos non pudefiatis cum venerint Macedones. Magis enim cum aliquid à nobis peccatum eſt erubeſcimus in multorum conſpectu. Hæc copia & expolitio vrget Corinthios vt officium faciam. Vocabulum ὑπόστασις, pro quo fidentiam poſui, idem eſt hoc loco, quod Hebraicum Tocheles, quod 70. interpretes Pſal. 39. verterūt hypoſtaſis, id eſt, ſpes ſeu expectatio ſeu fidentia, quæ eſt firma animi confiſio.

Itaque neceſſarium putaui adhortari fratres, vt prius veniant ad vos, & prius ordinent antea indictam benedictionem ve-

Finē legationis colligit, nimirum vt legati Eleemoſynā prius indictam abſoluant & ordinent, priuſquā Paulus cum Macedonibus venerit. Elee-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtram, vt hæc ſit parata, ita vt ſit benedictio & non auaritia.

moſynam, quam ſupra gratiam vocauit & ſubſidium, hic benedictionem appellat, quæ quid ſit, hoc loco ex antitheſi colligendum eſt. Opponitur autem auaritiæ, id eſt, auiditati plus habendi, vbi autem illa eſt, habet coniunctam tenacitatem & difficultatem quandam aliquid erogandi in pauperes, ita vt quicquid auarus confert, ſit veluti extortum quiddam. Huic ergo vitio opponitur benedictio: Proinde ſignificat benedictio benignam & ſpontaneā beneficentiam ſeu donum, quod benigne & vltro datur. Debet enim piorum Eleemoſyna benigna & ſpontanea eſſe, non extorta. Porrò extrema huius pericopæ verba: ita vt ſit benedictio non auaritia: reſpectu ſequentis exhortationis vim propoſitionis obtinent, nimirum vt Corinthij vltro & benigne conferant Eleemoſynam.

Hoc autem qui ſeminat parce, parce & metet, qui ſeminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet.

Ratio propoſitionis à fructu beneficētiæ, qui ad ipſos qui liberales ſunt redit: Eſt autem hæc ratio allegorica amplificata cōtrariorum collatione. Quemadmodum enim ſe habet cum ſeminatoribus: Ita cum ijs qui Eleemoſynam conferunt. Nam vt qui parum ſeminat, parum & metet, & qui multum ſeminat, multú metet: Sic qui parce & ex auaritia parum largitur in vſus pauperum, Remunerationem ſuo auaro animo dignam reportabit. At qui in benedictionibus, id eſt, perbenigne in egenos conferunt Eleemoſyna, à Domino recipient copioſam mercedem. Etſi Eleemoſyna in ſe fuerit pro tenuitate alicuius perexigua. Nam vt ſupra dictum eſt, promtitudo animi accepta eſt ex eo quod quis habet, non ex eo quod non habet. præpoſitione IN cum nomine BENEDICTIONIBVS, pro aduerbio vtitur: Pluralem numerum pro ſingulari Emphaſeos gratia ponit. Obſeruetur autem in hac ſententia, quo in loco ſint habendæ piorum Eleemoſynæ, nimirum quod ſint veluti ſemen coniectum in agrum, qui magno cum fœnore reddit quod ſeminatum eſt. Vnde illud Domini: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Vnuſquiſque autem quemadmodum propoſuit in corde, non ex triſtitia, aut ex neceſsitate.

Regula de Eleemoſyna conferenda hic traditur. Certa menſura nemini præſcribatur, ſed conferat vnuſquiſque quemadmodum propoſuit apud ſe: Tantum caueat ne aſsit triſtitia propter illud, quod ſibi detrahi videtur: vel neceſſitas, quaſi autoritate Apoſtoli, aut aliorum exemplo cogeretur inuitus. Vtrunque enim opus ſua natura pium prophanat & contaminat.

Hilarem enim datorem diligit Deus.

Non vult ex triſtitia aut neceſsitate proficiſci Eleemoſynam, ſed ex hilaritate, propterea quod talis Eleemoſyna ſolo Deo ſit grata. Alludit autem Apoſtolus ad dictum Syracidæ 35. capite: In omni munere vultum præbeas hilarem. Significatur igitur hoc dicto, quod animi promtitudo, & voluntas liberalis ex eo quod quiſque poteſt, non ex eo quod quiſque non poteſt, ſpectari debeat, iuxta regulam in octauo poſitam.

Potens eſt autem Deus efficere, vt omnis gratia in vos redundet, vt in omni ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.

Argumentum à potentia Dei contra imaginationē carnis. Caro putat ſibi detrahi quicquid in pauperes cōfertur, Sed Paulus dicit fieri potentia Dei, vt non ſolum tota illorum beneficentia in eos redundet, ita vt nihil deſiderent ad præſentis vitæ ſuſtentationem: verum etiam vt alijs quoque bonis operibus creſcant. Ita Deus officium beneficio compenſat, & virtutem virtute ornat & præmiat. Hæc ſi multi cogitarent, non ita nonnulli fame & frigore perirent, idque inter eos qui domeſtici Dei haberi volunt.

Quemadmodum ſcriptum eſt: diſperſit, dedit pauperibus, iuſticia eius manet in ſæculum ſæculi.

Quod Deus ſoleat efficere, vt abundent in omne opus bonum, qui ſunt erga pauperes liberales. probat ex Pſalmo 112. in quo Dauid virum beatum à timore Dei & alijs virtutibus deſcribit: inter quas etiam ponit liberalitatem erga

pauperes.

pauperes. Diſperſit, inquit, dedit pauperibus, In Hebræo eſt fregit, ſcilicet panem, quo verbo ſignificatur ſtudium & actio liberalitatis. Quod autem additur iuſticia eius manet in ſæculum ſæculi. ſignificat, quod Deus ſoleat pietatem erga pauperes compenſare alijs diuinis beneficijs, & præcipue, vt in iuſticia & pietate conſeruentur. Pietas enim vt ſuis exercitijs proprijs augetur, Ita etiam conſeruatur.

Porro qui ſuppeditat ſemen ſeminanti, etiam panem in eſcam ſuppeditet, & impleat ſementem veſtram, & augeat fructus iuſticiæ veſtræ.

Votum eſt interpoſitum. Optat enim vt is à quo omnia bona proueniunt, ſuppeditet ipſis omnia affatim. et γεννήματα (id eſt prouent⁹ & fructus) iuſticię (id eſt, beneficentiæ) illorum erga pauperes compenſet. Hinc monemur, vt nos quoque bona precemur ijs, quorum beneficentiam vel erga nos vel erga alios experimur. Deinde, docemur quod prouentus terræ, & alij fructus non obtingant caſu, ſed tanquam manu Dei hominibus porrigantur.

In omnibus ditati in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem.

Tacita epanalepſis eſt. Nam verbum Abundetis in hoc hyperbato repetendum eſt, hoc modo: vt inquam abundetis ditati in omnibus in omnem ſimplicitatem, id eſt, ad omnem benignitatem, quæ ex ſimplici proficiſcitur animo: hoc eſt, non auaro, non triſti, non coacto, ſed hilari & ſincero Deumq; timente. Huc addit argumentum ab effectu, nimirum quod illorũ ſimplicitas, id eſt, beneficentia efficiat, vt Deo gratiæ agantur: quo rurſus monemur pios erga egenos affectus oriri à ſpiritu ſancto, qui in ſanctis habitat.

Nam ſubſidium oblationis huius non ſolum ſupplet ſanctorum defectus, ſed etiam redundat per multas gratiarum actiones apud Deum.

Argumenti proximi repetitio per amplificationem. Liberalitas erga egenos, non ſolum ſubleuat egeſtatem egenorum: verumetiam efficit, vt plurimi agant Deo gratias propter beneficentiam, quæ exercetur in pauperes. λειτουργίας, id eſt, ſacrificij ſeu oblationis vox, vim argumenti ſuaſorij habet. Significat enim quod beneficentia erga egenos ſit ſacrificium Deo gratum. Hinc illud ad Hebræos 13. Beneficentiæ & communicationis nolite obliuiſci. Huiuſmodi enim hoſtijs delectatur Deus. Hoc eſt, huiuſmodi hoſtiæ Deo pergratæ ſunt, idque propter Chriſtum, in quo ſolo & nos acceptos habet pater, Epheſ. 1. & noſtram obœdientiam ex fide promanantem approbat, etſi imperfectam.

Per probationem ſubminiſtrationis huius glorificantes Deum ſuper obœdientia conſenſus veſtri, in Euangelium Chriſti, & ſimplicitate communicationis in eos & in omnes, & eorum precatione pro vobis, deſiderantium vos propter excellentē gratiam Dei in vobis.

Dixit illorum beneficentiam erga pauperes efficere, vt multi agant Deo gratias, nunc autem eius rei cauſſas enumerat quatuor. Quarum prima eſt, quod illa beneficentia ſit quædam probatio ſeu experimentum fidei Corinthiorum. Secunda, quod teſtetur de conſentiente illorum obœdientia erga Chriſti Euangelium. Tertia, quod ſimplicitas eorũ, id eſt, benignitas & beneficentia erga pauperes manifeſtetur. Quarta, quod ita coniungant animos ſuos cum egenis Ieroſolymitanis, vt ipſi & pro eis orent, & eos ex animo deſiderent ac complectantur propter eminētem gratiam, id eſt, magnam liberalitatem quam in eis experiuntur. Hæc commoda & nos moueant ad beneficentiam erga pauperes exercendam.

Gratia autem ſit DEO ſuper inenarrabili ſuo dono.

Epiphonema εὐχαριστικὸν eſt, quod eo ſpectat, vt Corinthij audita hac ſui prædicatione, ne efferantur. Monet enim hoc epiphonemate, quod materia gloriationis non ſit à nobis, ſed à Deo. Ex hoc epiphonemate tria colligamus: primum, quod in omnibus Deo ſint gratiæ agendæ. Secundum, quod bene velle & bene agere ſint Dei dona. Tertium, quod nullus ſatis beneficia & dona Dei poſsit prædicare. Humana enim lingua ea narrari non poſſunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

CAPVT X.

Summa Capitis Decimi.

A calumnijs Pſeudoapoſtolorum ſe purgans, & quanta ſit ſua potentia in Euangelij negocio oſtendens Apoſtolus, in Deo gloriandum admonet.

Ordo & partes Capitis Decimi.

Tres ſunt huius capitis partes principales, Quarum prima eſt exordium, in quo per obteſtationem requirit Corinthiorum æquitatem & manſuetudinem. Secunda defenſio eſt autoritatis Apoſtolicæ aduerſus eos, qui ipſi detrahebant apud Corinthios: In hac parte tria facit: Primum, quia obiecerunt illi humilitatem & contemtum perſonæ: reſpondet per conceſſionem primum, deinde opponit poteſtatem Apoſtolicam, qua ſe non parum valere teſtatur. Deinde, quia quidam gloriabantur ſe eſſe Chriſti miniſtros cum Pauli contemtu, His quoque reſpondet, quod in hoc non ſit eis inferior, immo quod poſſit gloriari pluſquam illi de ſua poteſtate. Tertio, quia calumniabantur ſuperiorem Epiſtolam tanquam nimis auſteram, cum interim ipſe præſens eſſet infirmus, & ſermo eius contemtus, Reſpondet, ſe nihil Epiſtola egiſſe, quod non etiam coram fuiſſet facturus. Deinde ironice eos extollens ſe cum illis comparat, & oſtendit quam fuerit fidelis miniſter in commiſſo ſibi Euangelij negocio. Tertia pars continet regulam, ad quam vult vnumquemque ſe examinare, vt ſciat vbi recte gloriari poſſit.

EXEGESIS DECIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

CAETERVM ipſe ego Paulus obteſtor vos per manſuetudinem & æquitatem Chriſti, qui iuxta ſpeciem quidem humilis ſum inter vos: Abſens vero audax ſum in vos.

Exordiolo parat ſibi aditum ad ſequentem confutationem, in qua diluit calumniam Pſeudoapoſtolorum, qui ſe propter externam verborum pompam magnifaciẽtes, Pauli apud Corinthios autoritate eleuare conati ſunt. Obteſtatur autem Corinthios, vt intuentes Chriſtum, eius manſuetudinem & æquitatem ſibi proponant, & non ducantur fallacibus affectibus, ſed rem ipſam recte æſtimantes manſueti & æqui ſint iudices. Orationẽ affectus abrumpit. Criminationẽ enim aduerſariorum ironice attexit, inquiens: qui iuxta faciem humilis quidem ſum inter vos, & abſens audax ſum in vos, hoc eſt, externam ſpeciem meæ perſonæ contemnunt Pſeudoapoſtoli, vt meam autoritatem apud vos minuant. & meã abſentis in vos temerariam confidentiam exaggerant, vt ita me vobis exoſum reddant. Notetur hic ingenium arrogantum hominum, qui vt ipſi magnifiant nihil non agunt, vt aliorum æſtimationem obſcurent: In verſione ſecutus ſum Eraſmum, & verti κατὰ πρόσωπον iuxta faciem ſeu externam ſpeciem, potius quam cum nouo interprete, qui motus antitheſi coram vertit. Nam hoc potiſſimum criminationis caput fuit, vt Pſeudoapoſtoli Paulum inuiſum redderent Corinthijs propter perſonæ externæ contemtum, & orationis humilitatem.

Rogo autem hoc ne præſens audax ſim ea fiducia qua reputor audax eſſe, in quoſdam qui æſtimant nos tanquam ſecundum carnem ambulantes.

Orationem, quam abrupit epanalepſi, ſynonymia reſtituit. dixit, obteſtor vos per manſuetudinẽ & æquitatem Chriſti, vbi abrupit orationem, criminationẽ Pſeudoapoſtolorũ ironice interſerẽs, quam orationẽ nunc abſoluit, Rogo pro obteſtor reponens. Eſt autem hæc plena oratio, obteſtor & rogo vos per manſuetudinem & æquitatẽ Chriſti, ne præſens auſus ſim, &c. Hoc eſt, vt ita agatis & rem ita controuerſam inter nos æſtimetis, ne cogar præſens apud vos mea vti ſeueritate, id ita demum futurum eſt, ſi vos manſuetos & æquos iudices exhibeatis. Atq; ita hic Paulus ex conſequente antecedens vult intelligi, idq; perſuadendi gratia. Quid autem ſit ſecundum carnem ambulare, ex antitheſi quæ mox ſequitur, patet: vbi arma potentiæ Dei carni opponit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

opponit. Ergo caro hoc loco ſignificat imbecillitatem, qualē natura hominum præ ſe ferre ſolet. Cum ergo Pſeudoapoſtoli dicerent, Paulum ſecundum carnem ambulare, ſignificabant eũ non alio præſidio fretũ, quam quod incurreret in oculos ex Pauli externa ſpecie.

In carne enim ambulantes non ſecundum carnem militamus (Arma enim militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad ſubuerſionem munitionum.)

Hæc cõfutatio eſt primæ criminationis Pſeudoapoſtolorũ: in qua primum concedit ſe in carne ambulare; hoc eſt, ſe ſecundum externam ſpeciem imbecillem eſſe, vt qui nõ ita multum valeat, ſi externam ſpeciē ſolummodo ſpectes. Verum huic externæ ſpeciei & apparentiæ opponit Apoſtolicam autoritatem, videlicet quod poteſtate DEI validus ſit, ad ſubuertendas munitiones quas enumerat, dicens:

Ratiocinationes euertentes, & omnem altitudinem quæ effertur aduerſus cognitionem Dei, & captiuantes omnem cogitationem in obœdientiam Chriſti, & in promtu habentes vindicationem omnis contumaciæ; dum impleatur veſtra obœdientia.

Enumeratione effectuum exponit ad quid valeant arma militiæ, in qua ſe bella gerere profitetur. Ac dicit ſe iſtis ſuis ſpiritualibus armis euertere primum λογισμοὺς, id eſt, Ratiocinationes & cõſilia, quib. homines mundani vtuntur ad euertendum Chriſti regnum, ad quorum expugnationem requiritur & ſingularis rerum diuinarum cognitio, & inuictum animi robur cũ vera pietate & aſsidua precatione coniunctum. Deinde altitudinem omnem, quæ effertur aduerſus cognitionē Chriſti (qui in mundo apparet humilis & abiectus) id eſt, quamlibet mundi gloriā & potentiam, Eam enim in nihilum rediget miniſter Dei, vt nullum prorſus in regno Chriſti locum habeat. Tertio, omnem cogitationem ſe captiuam ducere dicit ad obœdiendum Chriſto: Quod fit quãdo homines renunciata carnis cogitatione ſepoſitis ratiocinationibus corruptæ naturæ, & ſeclusa gloriæ & potentiæ mundi vanitate, verbo Dei cõuincuntur de ſua impietate, & prædicatione Euangelij Chriſto adducuntur. Quarto vindicationem omnis contumaciæ ponit, quæ eſt etiam pars poteſtatis Eccleſiaſticæ, fundata ſuper hoc Chriſti dicto, Quicquid ligaueritis ſuper terram, in cœlo quoq; ligatum erit. Nam quæ hic recenſet Apoſtolus communia ſunt omnibus miniſtris, ſed non æque feliciter ab omnibus adminiſtrantur. Hoc poſtremum de vindicatione etiam referri poteſt ad pœnas corporales, quas diuina virtute contumacibus inflixit: ſicut Eliman magum cœcitate percuſsit: Alexandrum & Hymenæum Diabolo tradidit cruciandos. Quod autem addit: dum veſtra obœdientia impleatur, ſignificat in quem ſcopum collimare miniſtri verbi debeant, nimirũ vt iſtis ſuis armis vtantur, donec homines Chriſto obœdientes reddiderint. Hic locus extollit magnifice miniſterium verbi, & illud collocat ſupra omnem gloriā & poteſtatem mundi: videant igitur miniſtri verbi, vt hac ſua poteſtate rite fungantur.

Quæ ſecundum ſpeciem ſunt aſpicitis?

Hæc interrogatio cũ admiratione reprehenſionem habet, quaſi diceret: cum iſtis armis me vti experti eſtis, perperam facitis qui iuxta externam faciem, & non potius iuxta veritatē de me iudicatis. Externa quidem apparentia humilis eſt, ſed ſpirituale robur miniſterio noſtro annexum in æſtimandis Chriſti miniſtris potius eſt ſpectandum. Idem ſit de omnibus ſinceris Dei famulis iudicium.

Si quis apud ſe confidit quod Chriſti ſit, Hoc reputet rurſus ex ſe, quod quemadmodum ipſe Chriſti, ſic & nos Chriſti.

Reſpondet eis qui gloriabantur ſe eſſe miniſtros Chriſti, idq; cum Pauli contemtu, & dicit neminem ex eo iuſtam habere cauſſam ſe cõtemnendi, cum ſit & ipſe Chriſti miniſter. verum illi in hoc errarunt, quod non æſtimarint, vt decuit, vocationem, dona, & labores Pauli, iuxta quæ tria, gradus & ordines inter Dei famulos geometrica proportione in bene conſtituta Eccleſia fieri oportet.

Nam etſi etiam abundantius quid glorior de poteſtate noſtra, quam de

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dit Dominus nobis in ædificationem & non deſtructionem veſtri, non pudefiam, vt non videar terrere vos per epiſtolas.

Vt modeſtiæ Apoſtoli fuit, quod ſe alijs miniſtris inferioris gradus adiunxerit: Ita autoritatis ſuæ tuendæ gratia ſuum dignitatis gradum ſibi vendicat. & ne quis id arrogantiæ aſſcribat, totum Deo fert acceptum, cum ait: Quam dedit mihi Dominus non in deſtructionem veſtri ſed ædificationem, ne videlicet putetis, quæ iacto, inania quædam verborum terriculamenta eſſe. Obſeruetur hic finem poteſtatis Eccleſiaſticæ eſſe ædificationem Eccleſiæ. Quicunq; ergo vel doctrina, vel facto, vel vita, deſtruit Eccleſiam, fruſtra ſe vicarium Chriſti aut famulum eſſe gloriatur.

Nam epiſtolæ quidem inquit graues ſunt & validæ, ſed præſentia corporis infirma, & ſermo contemtus.

Hæc obiectio eſt Pſeudoapoſtolorum, & criminatio quod Paulus alius ſit abſens per literas, alius præſens. Abſentis quidem (aiunt) literæ ſunt graues & validæ, ſed ipſe cum præſens adeſt vobis non ſolum ipſe inualidus eſt: verumetiam ſermo eius eſt cōtemtus. Hinc apparet quod aduerſarij Pauli potiſsimum gloriati ſint de grauitate ſuæ perſonæ, & de externa verborum ἀμορφίᾳ, pompa, & grandiloquentia: Sed ſequitur Apoſtoli reſponſum.

Hoc cogitet qui talis eſt: quod quales ſumus abſentes ſermone per epiſtolas, tales etiam præſentes opere.

Reſpōſio eſt ad criminationē quaſi diceret: Ei qui obijcit mihi quod abſens audax ſim per Epiſtolas, & præſens abiectus, vt qui cōtemto ſermone vtar, Hoc reſponſum volo: quod abſens & præſens idem ſim, ne quid amplius dicam.

Non enim audemus inferre aut conferre noſipſos quibuſdam, qui ſeipſos commendant.

Ratio eſt ironica. Non audemus nos inferre, id eſt, annumerare, aut inſerere quibuſdam, nec conferre nos cum illis, qui ſeipſos commendant ac prædicant. Dicuntur autem ſeipſos commendare, qui cum nihil egregie fecerunt ipſi, applauſum tamen vulgi quærunt, & maximi videri volunt. Qui quoniam alios non habent commendatores, ipſi propriæ laudis præcones ſunt. Quod ἐγκρῖναι per inferre reddidi, ſecutus ſum Camerarij autoritatem, vt retinerem παρονομασίαν, quæ in Græco eſt.

Sed non intelligunt quod ipſi ſeſe ſeipſis metiuntur, & ſeſe ſibijpſis comparant.

Antitheſis eſt. quaſi diceret: Illi quidem magnifice ſe prædicant, ſed non ſentiunt nec animaduertunt quid faciant. Deberent res à ſe geſtas in medium afferre, quas nullas omnino habent. Apud vos latent, nullas nationes ad fidem cōuerterunt, nullos labores experti ſunt, ſed ſolummodo abſque vlla ſuorum factorum menſura gloriantes, per ſeipſos ſe metiuntur, & ipſi ſibijpſis menſura ſunt: vt qui ſe ſibijpſis comparent, id eſt, ſuo proprio teſtimonio ſunt clari: qua iactantia nil poteſt dici abſurdius. Quod autem hanc Pauli ſententiam reddidi in tertia perſona, ſecutus Pariſienſem Theologum, Camerarium, & Eraſmum, potius quam Photium, motus ſum antitheſi quæ ſequitur.

At nos non extra menſuram gloriabimur, ſed iuxta dimenſionem regulæ eius menſuræ, quam Deus nobis diſpertitus eſt, videlicet quod etiam peruenerimus vſque ad vos.

Senſus eſt: Verum nos res geſtas à nobis proponimus, de quibus in Domino gloriamur. Sed Apoſtolus perſiſtit in metaphora menſuræ, & primum dicit ſe non extra menſurā gloriari, vt faciunt Pſeudo. noſtoli. Deinde, regulam certam ſe ſecutum ait eius menſuræ, quam Dominus ſibi partitus eſt. Vocat autem menſuram Apoſtolus, quicquid terrarum Deus ipſi velut ad regulam eſſet admenſus, vt totum illud ſpaciū adduceret Chriſti imperio. Tertio, partem ſpacij ſeu menſuræ nominat Apoſtolus cum ait: Adeo quod peruenerimus etiam vſque ad vos, hoc eſt: quod præter alias nationes & populos vos quoq; pars menſuræ ſitis mihi à Domino aſsignatæ: videtur autem hic Apoſtolus alludere ad men-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ad menſuram terræ Paleſtinæ & eius diuiſioné inter duodecim tribus: qua re ſignificatum myſtice fuit, quod duodecim Apoſtoli iuxta regulam à Domino ſibi commendatam, multas terras & nationes adijcerent regno Chriſti.

Non enim quaſi non perueniremus vſque ad vos, ſuper extendimus noſipſos. nam vſque ad vos etiam peruenimus in Euangelio Chriſti.

Antitheſi amplificat & repetit quod dixit perſiſtens in eadem metaphora. ſenſus eſt: Non ita vſque ad vos peruenimus quaſi aliquo ſpacio magno in medio relicto, ſed omnibus peragratis interpoſitis, regionibus, & in ijs iacto fundamento Euangelij ad vos ſuo loco & ordine peruenimus, ſeruata legitima dimenſionis ratione.

Non extra menſuram gloriantes in alienis laboribus: ſed ſperantes augeſcente fide veſtra in vobis magnificari ſecundum regulam noſtram in exuberantiam, vt etiam vltra vos Euangelizem non aliena regula, vt de ijs quæ parata ſunt glorier.

Hac antitheſeon collatione grauiter perſtringit Pſeudoapoſtolos, qui in alienis laboribus & extra menſuram ſibi deputatam gloriati ſunt. Ac ſi dicat: Illi extra menſuram gloriantur: At ego ſecundum menſuram, adeo quod ſperem ſuccreſcente veſtra fide me magnificatū iri in vobis, dum ſcilicet veſter profectus in fide ſe magis oſtenderit. Eſt enim magiſtri gloria diſcipuli profectus. Neque ſpero hoc tamen, ſed ſuperabundantius adhuc, nempe vt extendam meam regulam vltra vos, ad eos ſcilicet qui nondum audiuerunt Euangelium: ne in aliena regula de ijs quæ parata ſunt glorier: hoc eſt ne mihi aſſumam quod Dominus alijs admenſus eſt: quemadmodum veſtri Pſeudoapoſtoli faciunt, ſed vt in mea regula glorier, dum illis qui nondum Euangelium audiuerunt, Euangelizem. Regula hic pro re menſurata ponitur, pro qua antea μέτρον, hoc eſt, menſuram poſuit.

Sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed is quem Dominus commendat.

Vt & ſe & Pſeudoapoſtolos in ordinem cogat, commode hanc regulam tradit: quam omnes pios in omnibus ſuis actionibus ſequi oportet. Qui gloriatur in Domino glorietur, hoc eſt, In omnibus honeſtis & præclaris factis, Primum Deo toram gloriā in ſolidum vendicet. Deinde ad Dei gloriam referat quicquid gratiæ à Deo accepit. Primum ſuperbiæ medetur, alterū auaritiæ: quę duo vicia quantumuis excellentia dona Dei fœde contaminant. Rationem regulæ addit per collationé cauſſarum: quarum altera eſt deſtruens, altera efficiens. Qui enim ſe ipſe cōmendat alijs, ſordeſcit contemtus. Non enim eius eſt vera commendatio. At is quem Deus cōmendat, probatus eſt Deo & hominibus. Sed quiſnā à Deo commendatur? Qui omnia ſua recte facta ad hanc Pauli regulam exigit & examinat.

CAPVT XI.

Summa Capitis Vndecimi.

Hortatur Apoſtolus Corinthios, ne ſe ſinant à Pſeudoapoſtolis decipi, & à Chriſto ſponſo abduci: & oſtendens haud iuſtas eſſe cauſſas ſui contemtus, quas prætendunt Pſeudoapoſtoli, ſe illis non modo parem, ſed longe ſuperiorem multis argumentis conuincit.

Ordo & partes Capitis Vndecimi.

Huius capitis diſpoſiti mirum in modum eſt artificioſa. Nam cum hunc ſcopum ſibi Apoſtolus proponat, vt perſuadeat Corinthijs, ne, ſe illorum Apoſtolo contemto, Pſeudoapoſtolis adhæreant, cum animatum ſuarum certo periculo, neceſſe habuit oſtendere, quibus rationibus excellat iſtis. Exordiolo igitur admodum apto à voto ſumto vtitur. Optat enim vt ſe inſipientem, id eſt, ſuas laudes

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

referentem ferant, ſed mox correctione ſubiecta exponit in quanto metu ſit, ne ſinant ſe decipi à Pſeudoapoſtolis: vnde inſinuat propoſitionem huius capitis principalem, videlicet ne ſinant ſe ſeduci à Pſeudoapoſtolis, ſed ſibi potius quam illis adhæreant. Hac propoſitione confirmata, paucis diluit calumnias Pſeudoapoſtolorum, qui obiecerunt Paulo ſermonis ſimplicitatem, perſonæ contemtum. & abſtinentiam à ſtipendio in ſignum alieni animi à Corinthijs. Vnde dilabitur in deſcriptionem Pſeudoapoſtolorum, & oſtendit quam fallaciter agant ſub prætextu pietatis, idq; exemplo ſathanæ, cuius miniſtri ſunt. Deinde, vt redigat Pſeudoapoſtolos in ordinem, rurſus præfatur & petit, vt ſe inſipientem ferant, qua occaſione exprobrat Corinthijs quod ſe ita ſeruiliter ſubiecerint Pſeudoapoſtolis, tum proponit ſe etiam gloriari poſſe, & velle. & collationem inſtituit ſui & Pſeudoapoſtolorum, in qua multis modis ſe non modo parem eſſe, verumetiam antecellere Pſeudoapoſtolis oſtendit.

EXEGESIS VNDECIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

VTINAM tolleraretis me pauliſper in inſipientia, immo etiam toleratis.

Exordiolum à voto. vtinam tolleraretis me pauliſper gloriantem de mea eminentia in negocio Euangelij. Hoc votũ mox corrigens ait: Immo etiam toleratis. ac ſi dicat, Quid opus eſt vt id optem, quod ſponte mihi largimini? Poteſt etiam petitio eſſe (Nam verbum Græcum ambiguum eſt) vt ita reddatur, Immo etiam tolerate. Etſi autem vtraq; expoſitio ſatis cõgruit, priorem tamen præfero cum Eraſmo. Cum inſipientiæ meminit, oblique perſtringit Pſeudoapoſtolos, qui ſuarum laudum buccinatores erant apud Corinthios, quo nihil inciuilius, nihilq; ſtultius eſſe poteſt. Quare recte huiuſmodi gloriationem, qua quis ſeipſum iactat, inſipientiã vocat Apoſtolus. Verum interea & hoc obſeruãdum, interdum quod ſimpliciter & per ſe in vitio eſt, fieri debitum officium propter aliquam circumſtantiam. Pſeudoapoſtoli gloriabantur, vt ipſi magnifierent, Quare recte ſtulticiæ inſimulantur. Paulus gloriabatur, vt tueretur poteſtatem ſuam Apoſtolicam: quo veritas Euangelij permaneret apud Corinthios in gloriam DEI & ſalutem Corinthiorum. Quare ipſius gloriatio fit debitum officium: Tantum abeſt vt Apoſtolo notam inſipientiæ inurat. Hoc exemplum miniſtri verbi in ſimili cauſſa, modo ſimilem affectum retineant, imitari poſſunt.

Nam zelotypus ſum erga vos Dei zelo.

Ratio voti ab effectu Apoſtoli erga Corinthios, ac ſi dicat: quod anxie optem, vt meam inſipientiam feratis, facit zelotypia qua laboro erga vos. Nõ quidem mea cauſſa ſed Dei. Hac zelotypię diſtinctione rurſus Pſeudoapoſtolos pungit, qui ſibi zelotypi erant non Deo. Monentur ergo miniſtri Dei hoc Pauli exemplo, vt Deo ſint zelotypi tanquam ſinceri Paranymphi, qui nolunt ſponſam amare niſi propriũ ſponſum, & iraſcuntur ſancto zelo omnibus, qui ſponſam à ſuo legitimo ſponſo abducere moliuntur.

Deſpondi enim vos vni viro, vt exhibeatis vos Chriſto virginem puram.

Ætiologia eſt. ſuæ enim erga Corinthios zelotypiæ rationem reddit. Eſt autem ſenſus horum verborum. Prædicatione Euangelij à fornicatione impura. qua cõtaminati eratis, adduxi vos ad Chriſtum, cui purificanti vos à prioribus pollutionibus, deſpondi vos vt Paranymphus marito Chriſto vt poſthac exhibeatis vos vt puram virginem. Conſiſtit autem hæc puritas in doctrinæ Chriſti ſimplicitate, cultu ſincero, & in morũ innocentia. Qui enim vel doctrinam corrumpit, vel cultum legitimum violat, vel impudicitia morũ laſciuus eſt, à Chriſto ſponſo ad fornicariam laſciuiam deflectit.

Metuo autem ne quo modo ſicut ſerpens Euam decepit calliditate ſua, ſic corrumpantur ſenſus veſtri à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.

Exponit quãto in metu ſit pro Corinthijs, videlicet quod metuat, ne à ſalute per Chriſtum parta excidant, ſeducti à Pſeudoapoſtolis. Eſt autem hic duplex collatio, Vna Euæ & Eccleſię: Altera ſerpentis, hoc eſt, Diaboli & Pſeudoapoſtolorum. Vt Eua ante lapſum fuit typus Eccleſiæ: Ita eadem poſt lapſum figura eſt excidentiũ gratia per inobœdientiã. vt ergo ſalus Euæ poſita fuit in ſimplicitate

verbi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

verbi Dei eiuſq; obœdiẽtia, & eiuſdem lapſus ex corruptela verbi extitit & ex inobœdientia: Ita ſalus Eccleſiæ Chriſti in ſimplicitate Euangelij eſt ſita eiuſq; fide & obœdientia, & interitus in defectione à ſimplicitate Euangelij. Deinde altera collatio eſt ſerpẽtis & Pſeudoapoſtolorum, quę ita inſtituenda eſt: Quemadmodum ſerpens ficto zelo pro primis parentibus calliditate ſua monſtrato fructu Paradiſi (qui Euę audito ſerpente viſus fuit aptus ad cibum deſiderabilis oculis, & expetibilis ad prudentiam conferendam) decepit Euam: Ita Pſeudoapoſtoli ſua calliditate externam ſpeciem rerum, pompam verborũ, ſimulatam ſanctimoniam, fictum zelum ſapientiæ opinionem prætendentes, nituntur Eccleſiam à ſimplicitate Euangelij Chriſti abducere, atq; ita æternis mancipare pœnis. Hic obſeruetur primum quantum ſit beneficium Chriſti, qui nos peccato perditos & proſtratos ſub damnatione, ſuo Euangelio in ſalutis ſtatum reſtituit. Deinde quanta ſit dignitas & neceſsitas miniſterij verbi, quamq; bene mereantur de Eccleſia ſinceri miniſtri Euangelij, qui voce & vita veram pietatem docent & exprimunt: Et econtra conſiderandũ, quantæ peſtes ſint Eccleſiæ falſi doctores, qui homines à ſimplicitate Euangelij abducunt ad humanas corruptelas, atq; ita præcipitant in certam damnationem. Porrò hæc Pauli ſententia inſinuationem habet antea ſignatæ propoſitionis. videlicet, vt Corinthij caueant, ne ſinant ſe decipi à Pſeudoprophetis. Habet etiam apertam rationem propoſitionis à periculo & certo damno petitam: videlicet, ne ſicut Eua excidant gratia & ſalute.

Nam ſi is qui venit, alium quidem Chriſtum prædicat, quem non prædicauimus, aut ſpiritum alium accipitis quem non accepiſtis, aut Euangelium aliud, quod non accepiſtis, recte toleraueritis (eum.)

Ratio propoſitionis eſt, ſumta à perfectione doctrinæ Pauli, Cuius propoſitio ſola loco integri argumenti ponitur. Si Pſeudoapoſtolus aliquis veniens docuerit perfectiorem Chriſtum, impetrauerit vobis alium Spiritum ſanctũ ſeu efficaciorem, & tradiderit vobis perfectius Euangelium quam ego feci, bene feciſtis quod ſuſtinueritis & receperitis eum. Sed nullus poteſt venire, qui hoc faciat. immo qui à ſimplicitate Euangelij abhorrent, ſeductores ſunt & impoſtores. Quare nequaquam eos ſuſtinere deberetis. Hic diſcamus, quod ſi prædicatio Pauli fuit ſufficiens ad ſalutem conſequendam, ſeductores ſint Papiſtæ qui Euangelio non contenti, immo Euangelio ſpreto doctrinas humanas pro Euangelio obtrudunt. Quare non minus quam Sathanas ipſe cauendi ſunt.

Arbitror enim me nihilo inferiorem fuiſſe eximijs Apoſtolis.

Pro ipſa minore ponit minoris cõfirmationem. Paulus non eſt inferior eximijs Apoſtolis. Ergo Pſeudoapoſtoli perfectiorem ſalutis doctrinam afferre non poſſunt. Verum hanc confirmationem hic veluti digito monſtratam, in duodecimo capite perſequitur. Nunc enim obiectiones Pſeudoapoſtolorum aduerſus eam confutat, ne veluti præiudicio quodam impediti Corinthij, minus ſe faciles ad credendum ipſi exhibeant.

Etſi autem idiota ſum ſermone, non tamen ſcientia.

Refutatio eſt primæ obiectionis cõtra minorem, in qua aſſeruit ſe nõ inferiorẽ eſſe eximijs Apoſtolis. Obiecerunt Paulo quod ſermone eſſet idiota, ideoq; ipſius doctrinã non fuiſſe abſolutam: Reſpõdet per conceſsionem & correctionem: fateor me eſſe idiotã ſermone, nihilominus tamen ſcientia non ſum idiota, quod paulò poſt in duodecimo declarat, vbi ſe in tertium cœlum raptum fuiſſe ait. Idiota grandiloquo & pompoſo oratori hic opponitur. Paulus enim vt penitius penetraret in corda hominum rudium ſuo Euangelio, vſus eſt ſermone populari & ſimplici, vt ita ſe captui rudium diſcipulorum accommodaret. quod ſane officium eſt fidelis magiſtri, qui non tam ſuam laudem quam inſtructionem diſcipulorũ quærit. Verum Pſeudoapoſtoli crepantes grandia, garrulitate ſua auditores in admirationem ſui perduxerunt quidẽ, ſed eos nihil ſolide docuerũt. Vnde vt viderẽtur eximij doctores eſſe ſoli, obiecerunt Apoſtolo imperitiã ſermonis, ſed falſo. Hinc diſcant pij miniſtri verbi, non à Pſeudoapoſtolis inanem garrulitatem captare, ſed potius ab Apoſtolo ſe rudium auditorum captui accommodare, quo ipſorum labor in ædificationem Eccleſiæ cedat.

Sed omnino manifeſtati ſumus vobis in omnibus.

Firmiſ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Firmiſsimo teſtimonio confirmat Apoſtolus quod dixit. Prouocat enim ad illorum conſcientiam, quibus haud ignotum erat, quanta diuinarum rerum ſcientia polleret, vt qui ipſos ab errore Ethnico ſua induſtria & doctrina abductos, Chriſto lucrifecerit.

Num peccatum feci, quod me humiliauerim, vt vos exaltaremini? quod gratis Euangelium Dei euangelizauerim vobis?

Criminationes duas Pſeudoapoſtolorũ per interrogationem & admirationẽ proponit. Obiecerunt Apoſtolo abſenti contemtum perſonæ, nempe quod ſe nimiũ familiarem omnibus fecerit, ac ſe vel minimis ſubiecerit, vt eos exaltaret, id eſt, in Chriſti cognitionem perduceret. DEINDE, quod gratis Euangelium prædicauerit, cum alij acciperent ſtipendium. Vtraque criminatio quam ſit iniuſta oſtendit. An is, inquit, qui ſe humiliat, vt alios exaltet, peccat? An is, qui Euangeliũ Chriſti prædicat gratis propter cauenda ſcandala, eſt culpandus? Vtrumque ſane debitum officium eſt. Quare qui hinc anſam calumniandi petit, iniquus & malignus ſit neceſſe eſt. Hoc exemplum Pauli abſtinentis à ſtipendio nequaquam imponit legem miniſtris verbi, niſi in ſimili caſu. Nec Papiſtæ hinc recte extruunt ſupererogationis opera, cum Paulus nihil aliud fecerit quam quod ex officio debuerit. Debent enim omnes miniſtri Dei ſcandalis quantum fieri poteſt occurrere, ne Eccleſiæ ædificatio per illos impediri videatur.

Alias Eccleſias ſpoliaui accepto ſtipendio, ad hoc vt vobis inſeruirem.

Macedonicas Eccleſias intelligit, quæ fuerunt cum in pauperes, tum in miniſtros Euãgelij liberaliores. Quod autem dicit ſeſe expoliaſſe Eccleſias, id ita accipiendum eſt, quod quicquid conferant pij ſua ſponte in miniſtrorum verbi ſuſtentationem, eſt veluti debitum, quod debeatur iure ſpiritualis belli. Nam homines Sathanæ ſubiectos, prædicatione Euangelij & armis ſpiritualibus liberant præcones verbi, & Chriſto ſubijciunt. His quoq; verbis non parum perſtringit Corinthiorum ingratitudinem, qui permiſerunt, vt ipſe ab alijs acciperet ſtipendium, & ſibi ſeruiret: quorum exemplum multi hodie imitantur, cum paucisſimi Macedonibus ſimiles reperiantur, qui in miniſtros alijs Eccleſijs ſeruientes fuerunt liberales.

Et cum præſens eſſem apud vos, & egerem, non torpore meo quemquam grauaui: Nam quod mihi deerat, ſuppleuerunt fratres, qui venerant ex Macedonia, & me vobis ſeruaui minime oneroſum & ſeruabo.

Ἐπεξεργασία eſt. Nam id quod dixit breuius, hic latius repetit, & duo addit: Primũ, quod ſuo tempore & ignauia nõ fuerit alijs torporis cauſſa, nec ipſis Corinthijs oneri. quo dicto non parũ perſtringit Pſeudoapoſtolos, qui cum ipſi ignaui eſſent ventres, liberaliter de alieno vixerunt: Alterum eſt quod dicat etiam in poſterum ſe effecturũ ne ſit Corinthijs oneri, quod itidem Pſeudoapoſtolorũ reſpectu facit, qui poſſent forte ea, quæ dixerat, eo torquere, quaſi Paulus ſuccenſeret ipſis, quod ſtipendia non conferrent, aut ſaltẽ prouocaret eos ad maiorem liberalitatẽ.

Eſt veritas Chriſti in me, quod gloriatio hæc non obturabitur mihi in regionibus Achaiæ.

Aſſeueratio eſt interpoſito iuramẽto, eſtq; ſenſus. Hæc mea gloriatio, ſi modo Chriſti veritas in me eſt, quod in Achaiæ regionibus non accipiam ſtipendium, nequaquam obturabitur mihi, hoc eſt: nequaquam excludetur aut deficiet. Vt enim caueam ſcandala, ab iſto meo iure abſtinebo. Pertinet & hoc exemplum ad omnes verbi miniſtros, non quidem in ſpecie, ſed in genere facti.

Propter quid? An quod non diligam vos? Deus nouit: Quod autem facio, etiam facturus ſum.

Expoſiturus cauſſã cur nolit à Corinthijs ſtipendiũ accipere, primum deſtruit fictam cauſſam, quã aduerſarij ipſius ipſi obiecerũt. Calumniabantur enim quod Paulus ideo abſtineret, quia Corinthios nõ amaret. Sed hanc calumniã iuramento interpoſito diluit. Hic nota, quam ſit prona malicia hominũ ad excogitandas varias calumnias, quibus ſæpe virtus ipſa obruitur, ac vitij loco habetur. Deinde quoq; exemplũ Apoſtoli docet: quod in cauſſa honeſta liceat ad Dei teſtimonium prouocare, & iuramento

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mento confirmare, cum vel deſunt teſtes, vel ſimplici noſtræ narrationi fides non adhibetur.

Vt amputem occaſionem eorum, qui cupiunt occaſionem, vt in quo gloriantur, inueniantur, quemadmodum & nos.

Iam verā cauſſam exponit cur à ſtipendio abſtinuerit, nimirum, vt amputaret occaſionem eorum, qui cupiuerunt occaſionem. Hāc occaſionem explicat cum addit, Vt in quo gloriantur, inueniantur, quemadmodū & nos. Gloriabantur autem ſe eſſe veros Chriſti Apoſtolos, quemadmodum ſubiecta ratio oſtendit: Hanc gloriationem putabant ſe in ſolidum conſecuturos, ſi Paulus in accipiendo ſtipendio, & in captando ocio ipſis ſimilis videretur. Ne igitur iſta ratione habeantur pro ſinceris miniſtris, qui reuera ſunt Pſeudoapoſtoli, abſtinet Apoſtolus à ſtipendio, & ſe non ventris gratia Euangelium docere, facto comprobat.

Etenim huiuſmodi Pſeudoapoſtoli operarij doloſi ſunt, qui transfigurant ſe in Apoſtolos Chriſti.

Quod occaſionē quærant Pſeudoapoſtoli, vt videātur veri Apoſtoli, ab illorum ingenio probat. Dicit enim eos eſſe operarios quidē, ſed tales qui dolo malo omnia agant: adeo vt ſi externa tantum conſideres, videantur ipſiſsimi Chriſti Apoſtoli. Hypocriſis enim fingit externam perſonam, cum interim mens varijs opinionibus obruta iacet, Et affectus impietati ſeruit. Porrò transfigurare ſeu transformare, nihil aliud eſt quam externos geſtus fingere, vt aliquis foris alius videatur eſſe quam intus ſit in corde. Monemur ergo, ne huiuſmodi externis laruis ſinamus nos decipi.

Et non mirum eſt: ipſe enim Sathanas transformauit ſe in angelum lucis: non magnum igitur eſt ſi etiam miniſtri eius transfigurantur, tanquam miniſtri iuſticiæ, quorum finis erit iuxta opera eorum.

A facili & exemplo ſimul probat, quod Pſeudoapoſtoli ſe transforment in Apoſtolos Chriſti. De Sathana mānifeſtum eſt, qui non ſolū primos nōſtros parentes ſub ſpecie ſanctitatis & amicitiæ euertit: verumetiam poſtea omnibus ętatibus idololatriā inuexit in perniciem hominum. Si ſtatim fuiſſet dehortatus homines ab omni religione, fuiſſent qui cornua eius, vt dici ſolet, animaduertiſſent. Nūc autem vt ſtudioſus ſalutis hominum videatur, tanquam angelus lucis varias religiones inſtituit. Verum interea fraude & dolo homines occidit. Hiſtoria de Gregorio Papa nota eſt, cui Sathan obtulit mortuorū ſpectra, vt horrendam illā blaſphemiam miſſam pro defunctis inſtitueret, &c. Præterea multa alia in regno Antichriſti excogitauit Sathan, quibus occulte & ex inſidijs adortus eſt regnum Chriſti. Nec illi diſsimiles ſunt eius miniſtri: volunt vocari ſacerdotes Dei, ſerui ſeruorum Dei, ſucceſſores Apoſtolorum, columna Eccleſiæ, Spiritus ſancti organa, adeo vt quicquid dicūt pro articulo fidei habeatur. Admoniti igitur hac Pauli ſentētia, diſcamus recte diſtinguere inter veros miniſtros, & ęos qui falſo ſibi iſtū titulū vſurpant, & volunt videri miniſtri Chriſti, cū ſint Pſeudoapoſtoli. Sunt enim Pſeudoapoſtoli qui mentiūtur ſe Apoſtolos eſſe, cum non ſint, vt Pſeudochriſtus eſt, qui ſe Chriſtum & Meſsiā mentitur, cum non ſit.

Rurſus dico (ne quis putet me inſipientem eſſe, alioquin etiam, vt inſipientem accipite me, vt paululum quiddam & ego glorier) quod dico non dico ſecundum Dominum, ſed vt per inſipientiam in hac gloriationis fiducia.

Exordiolo viā ſibi parat ad ſequentem collationem, & prolepſi anticipat obiectionem. Inſipientis eſt ſeipſum laudare, & vere inſipiētis eſſe ait gloriari coram Domino, cum nemo non ſentiat, quanta ſit ſua imbecillitas. Quare reſpectu aliorum gloriaturum ſe eſſe ait, rogatq; vt hanc inſipientiam boni conſulant, præſertim cum tanta ſit ſibi gloriationis materia & fiducia.

Quandoquidem multi gloriantur ſecundum carnem, & ego gloriabor.

Hæc propoſitio eſt figurata collatione. multi gloriantur ſecundum carnem: Cur idem & mihi non licebit? Secundum carnem eſt de rebus externis gloriari, vt de generis nobilitate, bonis fortunæ, animi, & externis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Libenter enim toleratis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes.

Ratio propoſitionis eſt ironica. Qui ipſi ſapientes ſunt, ferunt moderate aliorum infirmitatem & inſipiẽtiam. Quare cum vos ſapientes ſitis, non dubito quin meam inſipientiam boni conſulatis.

Toleratis enim ſi quis vos in ſeruitutem adigit, ſi quis exedit, ſi quis accipit, ſi quis effertur, ſi quis vos in faciem cædit.

Ætiologia eſt ſimiliter ironica, habens in ſe tacitam eamque acerbiſsimam reprehenſionem. Sumitur autem hæc ratio à minori ad maius. Aliorum dominium, voracitatem, rapinas, ſuperbiam, immo & verbera æquo animo toleratis. Cur non multo magis veſtri Apoſtoli inſipientis ſuſtineretis orationem?

Iuxta contumeliam loquor, perinde quaſi nos infirmi fuerimus, immo in quocunque audet aliquis (per inſipientiam loquor) audeo & ego.

Hoc ad confirmationẽ conſequentiæ ſuperioris argumenti refero, quaſi diceret: contumelia dignum eſſet, ſi me veſtrum Apoſtolum non ferretis, cum tãta ab iſtis ambitioſis ſuſtinetis. Cum tamen ego non minus quam illi, immo plus etiam gloriari poſsim, ſi modo paululum mihi liceat inſipientis ſuſtinere perſonã. Iam ſequitur collatio ipſa, in qua quid commune cum Pſeudoapoſtolis habet, & quam præ illis habeat gloriandi materiam, exponit.

Hebræi ſunt? ſum & ego: Iſraëlitæ ſunt? ſum & ego: ſemen Abrahæ ſunt? ſum & ego.

Quod ter eandem ſententiã repetit, reſpicit ad faſtum ambitioſorum iſtorum, qui arrogãter his verborum formulis gloriari ſolebant. Hebræi ſumus, Iſraelitæ ſumus, Semen Abrahæ ſumus, Cur ergo cederemus Paulo? verum Paulus hoc quidem ita illis concedit, vt ſe in eo non minorem eſſe illis oſtendat, atq; adeo ſignificat, quod ex illa gloriatione non habeant iſti iuſtam ſe cõtemnendi cauſſam.

Miniſtri Chriſti ſunt? (inſipienter loquor) amplius ego.

Hinc incipit redigere Pſeudoapoſtolos in ordinem, ſuũ Apoſtolatum & labores quos in officio ſuſtinuit extollendo. Sunt quidem (vt ipſi gloriantur) miniſtri Chriſti, ſed non eſt eorum miniſterium ſincerum, nec Apoſtolatus dignitatem conſecuti ſunt, neque tantos labores perpeſsi ſunt in miniſterio, quantos ego.

In laboribus abundantius, in plagis ſupra modum, à Iudæis quinquies plagas quadragenas accepi vna minus, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, noctem & diem egi in profundo, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in vrbe, periculis in deſerto, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore & moleſtia, in vigilijs ſæpe, in fame & ſiti, in ieiunijs ſæpe, in frigore & nuditate.

Hic Catalogus laborũ & periculorum Apoſtoli oſtendit, quam excellat Pſeudoapoſtolis Paul9 in miniſterio. Illi enim molle ſectabantur ociũ, ipſe autem omnes difficultates, labores & pericula, vt propagaret regnũ Chriſti, contemſit. Deinde Pauli fidem in miniſterio nobis commẽdat, qui in tantis ærumnis non abiecit confeſsionem aut miniſterium. Tertio, hoc exemplũ omnibus miniſtris verbi, atq; adeo omnibus pijs imitandum proponitur, ne propter vllas iniurias abijciant cõfeſsionem aut miniſterium. De plagis quadragenis lege Deut. 25.

Præter ea quæ extrinſecus accidunt, concurſus fit ad me quotidianus, & cura eſt omnium Eccleſiarum.

Præterea quæ recenſuit, meminit quotidiani Eccleſiarum concurſus ad ſe, & curæ quam pro omnibus Eccleſijs habuit. Hæc diſtinguit Apoſtolus ab externis vt quæ pertinent ad ipſius Eccleſię corpus conſeruandũ. Multæ enim incidunt dubitationes, multæ pauperum querelæ, ſæpe Eccleſia ab hoſtibus impetitur: In hiſce & ſimilibus

milibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

milibus difficultatibus, confugerunt Eccleſiæ ad Apoſtolum, tanquam ad earũ ſummum gubernatorem. His omnibus reſpondere laborioſiſsimum fuit. Hinc diſcant miniſtri Eccleſiarum, ſuum officium eſſe, conſcientijs errantibus & dubitantibus mederi, & affici non ſolum totius corporis, verumetiam ſingulorum membrorum cura: ἐπισύστασις ἐμοῦ, σύστασις ἐπ' ἐμὲ, hoc eſt, conuerſus ad me.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?

Declaratio eſt eius quod in genere dixit de ſua pro Eccleſijs cura. Nemo, inquit, vllo afficitur incõmodo, quin perinde illud habeam ac ſi mihi ipſi contingeret. Non minus de infirmitate & offendiculo fratrum moueor, quam ſi ipſe infirmus eſſem, vel ſcandalo turbarer: Habent hic miniſtri verbi quem imitentur.

Si gloriari oportet, de ijs quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor.

Proponit de alio gloriationis genere, quod etſi admodum eximium eſt, Tamen illud ex hypotheſi aduerſariorum, infirmitatis eſſe dicit. Pſeudoapoſtoli enim inde argumentis ſumtis Paulum contemtibilem Corinthijs reddere conati ſunt.

Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, nouit quod non mentiar. In vrbe Damaſco præfectus Aretæ regis cuſtodiebat Damaſcenorum ciuitatem, cupiens me comprehendere. ac per feneſtram in ſporta fune demiſſus fui per murum, effugique manus eius.

Vt ſibi fides à Corinthijs maior habeatur, Deum ſuæ narrationis teſtem adhibet, qui cũ omnia aperte nouit, ſapiens etiam teſtis eſſe poteſt. Narratur & hæc hiſtoria à Luca, act. 9. quæ contigit cũ ſecundo Apoſtolus reuerſus eſſet Damaſcum. Nã diuinitus in itinere conuerſus, & Damáſci ab Anania baptizatus abijt in Arabiam prædicaturus verbum Dei. Deinde reuerſus Damaſcum, concitata aduerſus ipſum tota vrbe, euaſit manus præfecti Aretæ regis Arabiæ, & inde abijt Ieruſalem. Porrò hæc fuga Pauli nequaquam patrocinatur leuitati hominum, qui quauis de cauſſa, vel ob leuiſsimam iniuriam ſtationem ſuam mutant, vt melius ſuo ocio & ventri conſulant: verum ſi ſimili cum Paulo neceſsitate cogantur, cum eo in Domino gloriari poſſunt, quod Deus ipſis tantum animi robur tribuerit, quo fortiter contemnant omnia pericula. Monet & hoc Pauli factum, ne quis ſe vltro in manus hoſtium conijciat, immo fugiat potius, cum id ſalua pietate fieri poſsit. Hinc etiam manifeſtum eſt, quod zelus multorum martyrum, qui ſponte ſe hoſtibus trucidandos tradidere, fuerit intempeſtiuus, & nequaquam ſecundum ſcientiam: verum hanc infirmitatem & ſtultum zelum Dominus haud dubie propter fidem Chriſti boni conſuluit.

CAPVT XII.

Summa Capitis Duodecimi.

Reuelationes cœleſtes, tentationes, & ærumnas ſuas exponens, finemq́; ſuæ gloriationis indicans, autoritatem Apoſtolicam ſibi vendicat Paulus, & Corinthios de ſuo aduentu commonens, quanta ſit ſua cura pro ipſis ſignificat.

Ordo & partes Capitis Duodecimi.

Partes capitis hæ ſunt. Prima, expoſitio raptus ſui in tertium cœlum. Secunda, indicatio finis tentationũ, ne videlicet ob reuelationes efferretur. Tertia, oblectatio in perſecutionibus pro Chriſto, Quarta, indicatio finis ſuæ gloriationis cum vindicatione autoritatis Apoſtolicæ. Quinta, mentio aduentus Apoſtoli ad Corinthios, & ſolicitudinis ipſius pro ipſis.

EXEGESIS DVODECIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

GLORIARI ſane non expedit mihi, veniam enim ad viſiones & reuelationes Domini.

Quia ampliſsimã gloriandi materiam miniſtrare poterant Apoſtolo viſiones & reuelatiões, vnde efferri poſſet Apoſtolus, ſi ſpiritus imperio caro nõ caſtigaretur, præfatur nõ expedire ſibi, quantum quidem ad carnis imbecillitatẽ attinet. verum quia id cedit in gloriam Dei & ædificationem Corinthiorum, promittit ſe viſiones & reuelationes Domini IESV relaturum, Quo conſtet à quo ſit miſſus & in qua ſchola veritatem Euangelij didicerit, Idq; in eum finem, vt Corinthij veritati Euágelicæ quam ab ipſo didicerant, obtemperent, & non ſinant ſe decipi à Pſeudoapoſtolis.

Noui hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (An in corpore neſcio, an extra corpus neſcio, Deus nouit) raptum in tertium vſque cœlum. Et noui huiuſmodi hominem (an in corpore, an extra corpus neſcio, Deus nouit) raptum fuiſſe in Paradiſum, & audiuiſſe ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui.

Reuelationem ſuam & viſionẽ deſcripturus, loquitur vt de alio, ne ſibi inde gloriam, ſed ſoli Deo eius rei autori tribuat. Deinde temporis circumſtantia ad probandum ipſius apoſtolatum facit. Nam tum diuinitus cõuerſus & edoctus, apoſtolatus munere eſt donatus. Cum autem modũ raptus, an in corpore fuerit vel extra corpus, ignorare ſe dicat Apoſtolus, noſtrum non eſt ſcrupuloſe inquirere, quod ipſi Apoſtolo ignotũ fuit. Præterea cum tertium cœlum & Paradiſum pro eodem accipit, & tertium cœlum abſq; omni dubio ſit locus beatorum ſpirituũ, vbi maieſtas diuina ſe angelis & ſanctorum animabus illuſtrius patefacit, & vbi Chriſtus cum ſuo glorioſo corpore ab angelis & ſanctorũ animabus colitur, Efficitur, quod Paradiſus hic nõ ſignificet locum in quo primi parentes à Deo fuerunt collocati. Nam is in terra erat, qui poſtea in diluuio vniuerſali deſtructus eſt aquarũ inundatione, & fuit typus eius Paradiſi, cuius meminit Chriſtus, & Paulus hoc loco. Cæterum cum hic Apoſtolus tertium cœlum, hoc eſt, locũ beatorum, paradiſum nominat, ſignificat quod in Chriſtum credẽtes non ſolũ reſtituendi ſint ſtatui honoris, in quo primi parẽtes ante lapſum fuerunt: verumetiam quod multo maior ſit futura felicitas in cœleſti paradiſo, quam in terreſtri fuiſſet futura. Porrò ſi quis interroget: Cum hic tertium cœlum nominatur, quodnam ſit primum, quod ſecundum? præterea etiam, an ſint plures cœli, quam tres? Ad hanc quæſtionẽ reſponſio colligi poteſt, hoc modo. Primum, ſcriptura meminit cœli aerij, in quo aues volitant. Deinde pars illa, quæ aerium cœlum ambit, dicitur cœlum in quo ſunt omnia viſibilia corpora cœleſtia, vt planetę et ſupra eos ſtellæ fixæ: Iam vltra hoc cœlũ tertium eſt, cuius hic meminit Apoſtolus. Primum & ſecundum homines mathematicis ſpeculationibus conſcendunt. In tertium vnicus ductor eſt IESVS CHRISTVS, qui ibi Paulum in miniſterio Euangelij inſtituit, ne alijs Apoſtolis videretur inferior, qui cum Domino corporaliter in terra conuerſati ſunt. Porrò cum dicat Apoſtolus, ſe ineffabilia audiuiſſe, quæ nemo mortalium capere poteſt. Monet vt aſpiremus ad iſtam cœleſtẽ ſcholam, in qua quæ nunc in imagine, & velut in ænigmate videmus, videbimus facie ad faciem gloriam Domini contemplantes. Sit ergo noſtrum πολίτευμα in cœlis, vbi Chriſtus ſaluator ſedet in gloria patris.

De huiuſmodi gloriabor, de meipſo verò non gloriabor, niſi in infirmitatibus meis.

Paulus coactus erat calumnijs Pſeudoapoſtolorum oſtendere, ſe non inferiorem eſſe cæteris Apoſtolis. Nunc egregie quibus limitib⁹ incluſerit ſanctam iſtam gloriationem oſtendit: Primum enim materiam gloriationis à ſe reijcit, & ad Deũ autorem refert. Deinde, excludit gloriationem carnis. Tertio, cogitatione ſuæ infirmitatis frenum ſibi imponit, ne extra metam tranſiliat. Hinc ergo diſcamus & nos, intra quæ ſepta includi debeat Chriſtiana gloriatio. Primum enim cum cogimur beneficia Dei erga nos referre, autorem agnoſcemus, & prædicabimus non nos ſed Deum ipſum. Deinde excludemus φιλαυτίαν, quæ ſe ingerere ſolet, vt vel minimam particulam laudis nobis arrogemus. Tertio, vt frenum imponamus carni noſtræ, cogitabimus quanta ſit noſtra, vbi nobiſipſis relicti fuerimus, infirmitas. quo magis excitemur in potentię Dei cogitationem, qui nos infirmos ſuo confirmat robore.

Nam ſi voluero gloriari, non ero in-

Præſumtio eſt. Nam Pſeudoapo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſipiens, veritatem enim dicam: ſed ſuperſedeo ne quis mihi imputet quicquam ſupra id quod videt eſſe me, aut quod audit ex me.

ſtolis, qui poterãt obijcere, Eum iam omnia narraſſe de quibus gloriari poterat, Reſpõdet & affirmat multa alia habere ſe, de quibus vere & in Domino gloriari poſſet, Sed ſe ſuperſedere iſtis, ne quis ſibi maiora aſſcribat, quã quæ in ipſius Apoſtolatu conſpiciuntur. Contentus enim eſt eam ſuſtinere perſonã, quam Deus illi impoſuit. Hic conſideretur antitheſis: Pſeudoapoſtoli de multis gloriabantur, quorum nullam experientiã ſenſerunt Corinthij: Paulus autem tãtum de ijs gloriabatur, quorum experientia apud Corinthios erat manifeſta. Tacite ergo & oblique Pſeudoapoſtolos perſtringit, qui arroganter gloriabantur, & interim vani & mendaces erant: Eſt enim inſipiẽtis prorſus gloriari, vbi nulla ſubſit veritas.

Et ne excellentia reuelationum ſupra modum efferar, datus mihi fuit ſtimulus carni nuncius Sathanæ, vt me colaphis cædat, ne ſupra modum efferar.

Dixit, quod non vellet gloriari de ſeipſo niſi in infirmitatib⁹ ſuis: Cuius dicti rationẽ hic ponit, nimirũ quod iſtæ infirmitates ipſum reprimant, ne efferatur ob excellentiã reuelationũ. Affirmat ergo iſtas infirmitates fuiſſe ſibi inſtar ſtimuli, qui carni ſuæ infix⁹ huc illuc ipſum impellere tentaret. Metaphora ſumta à bobus qui ſtimulis impellũtur. Significat ergo hoc loco ſtimulus omne tentationũ genus, quibus probatior reddebatur Apoſtolus & continebatur in officio. Verum quia Apoſtolus ipſe ſpecies iſtarum tentationum non explicat, neq; noſtrũ eſt ſcrupuloſe eas inquirere. Ineptiſſimi ſunt Monachi, qui vt ſuæ libidini turpiſſimæ patrocinium quęrant, ad libidinem hunc ſtimulum referunt, qua dicunt Apoſtolum tentatũ fuiſſe. Nec illi ſunt audiendi, qui vt Paulo perfectiſſimum pietatis & virtutis κατόρθωμα vendicent, ſtimulum interpretãtur grauiſſimos capitis dolores, quibus Paulum laboraſſe aiunt. Verum nos retineamus genus, vt ſtimulus ſit quodlibet tentationũ genus, quo Apoſtolus examinabatur, & veluti igni tentationum excoquebatur, vt indies redderetur probatior. Porrò ſententiam hanc Pauli diſtinctius conſideremus, quo vberiorẽ inde depromamus doctrinam. Primum itaq;, cum dicit ſibi hunc ſtimulum datũ ne efferatur, ſignificat paterna Dei voluntate factum eſſe, vt iſto veluti freno reprimeretur caro, ne laſciuiret per ſuperbiam aut alia vitia. Deinde, cum hunc ſtimulum interpretatur angelum Sathanæ, vt docet tentationum occaſiones à Sathana obijci in perniciem hominum: Ita monet, vt nos aduerſus hoſtem crudeliſſimum ſpiritualib⁹ armis muniamus, ne nos inermes & imparatos opprimat. Tertio, cũ ait ipſum ſe colaphis cædere ne efferatur, Significat hac metaphora tentationes eſſe veluti colaphos in maxillas impulſos, quibus in ordinem redigimur, ne petulantes aliquid deſignemus, quod nos non deceat. Obſeruentur ergo hic fines tentationum: Sathan quidem tentat vt perdat, ſed Deus ſua bonitate facit, vt quod Sathan tanquam venenum propinauit, hoc cedat in ſalutare piorum remedium. Cum videlicet inde diſcunt, ſe armare aduerſus Sathanam & tanquam colaphis infixis reſiliunt à vitijs, & retinentur in officio. Præterea docet hoc Pauli exemplum, quod nemo adeo plene regeneretur in hac vita, quin ſemper nouis incrementis indigeat. Si enim Apoſtolus tantus ab ipſo Chriſto in tertio cœlo edoctus & regenitus, opus habuit perpetuis incrementis, Quid dicemus de alijs? Pergat igitur vnuſquiſq; ad perfectionẽ, & nemo deſperet, etiamſi adhuc totam vitiorum hydram non iugulauerit.

Super hoc ter dominum rogaui, vt abſcederet à me.

Memorat Apoſtolus ſe ter, id eſt, ſæpius oraſſe Dominum, vt abſcederet à ſe angelus Sathan, id eſt, vt à tentationum acerbitate liberaretur. Hinc duo diſcamus: Vnum, quod tentationibus non ſit indulgendum, ſed mox arripienda ſunt arma, & confugiendum ad præſidium firmiſſimum nomen Domini: Alterum, qnod ſolus Dominus poſſit à tentatione eripere: quod Paulus hac ſua inuocatione docet.

Et dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea. Nam potentia mea in infirmitate perficitur.

Duo habet hoc reſponſum. Primũ, quod gratia Dei, id eſt, auxilium diuinum vires, quo minus ſuccumbamus tentationibus ſuppeditet, præſertim vbi id à Deo ex fide per Chriſtum petierimus. Alterũ, eſt cauſſa cur Paulum noluerit Dominus prorſus à tentatione iſta liberare: Quia, inquit, potentia mea in infirmitate perficitur,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hoc eſt, mea potentia qua aſſum laborantibus & infirmis, magis ſe conſpiciendam exhibet, dum laborantes & infirmi ſentiunt ſe non ſuis viribus, ſed mea ſolius potentia conſeruari & ſuſtentari, quo minus ſub tentationum onere ſuccumbant. Atque ita Dei potentia non perficitur in ſe, quæ perpetuo conſummatiſsima eſt, ſed in ſanctis qui eam in ſuis infirmitatibus ſentiunt & agnoſcunt.

Libentiſsime igitur gloriabor potius in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me potentia Chriſti.

Cur potius de infirmitatibus ſuis, quam de magnis reuelationibus gloriari velit, concludit. Chriſtus enim in cruce magis ſuam hominibus pijs oſtendit præſentiam & potentiam, dum ſui ſpiritus robore eos inuictos reddit: Obſerua quod quodammodo probroſum eſt mundo, Chriſti ſeruis ſit glorioſum. Crux enim piorum non eſt irati iudicis ſignum, ſed paterni amoris teſtimonium: qui crucis ferula eos reprimit, ne carni indulgentes aduerſus Deum laſciuiant, ac tandem ſua culpa pereant. Obſeruetur & hic teſtimonium de diuinitate Chriſti.

Propterea oblector in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſsitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs, pro Chriſto: cum enim impotens ſum, tunc potens ſum.

Repetitio eiuſdem ſententiæ, per amplificationem & diſtributionem. cũ, inquit, infirmus ſum, ſcilicet mearum virium reſpectu, & premor cruce, tunc potens ſum, ſcilicet Chriſti præſidio, qui me ne ſuccumbam confortat. Porrò quia duplex genus crucis eſt. Vnum, quod extra noſtram ſingularem culpam nobis imponitur propter veritatem. Alterum, quod noſtra culpa nobis accerſiuimus, ſciendum eſt, quod inuocantibus & agentibus pœnitentiam obœdientia in vtroque genere ſacrificium Deo gratum ſit.

Factus ſum inſipiens gloriando: vos me coëgiſtis. Nam ego debueram à vobis commendari. Nulla enim re inferior fui ſummis Apoſtolis, tametſi nihil ſum.

Excuſat gloriationem, & oſtendit in quem finem eam inſtituerit, nimirum vt vendicaret ſibi autoritatem apoſtolicam apud Corinthios, qui cœperant adhærere Pſeudoapoſtolis ſe ſpreto. Notandum quod diſtinguat hic inter ſuum officium & ſuam perſonam. Officium defendit, Nam id ad aſſerendam Euangelij veritatem faciebat: Perſonam ſuam agnoſcit nihil eſſe, tantum abeſt, vt cum Pſeudoapoſtolis de ſuis donis gloriari velit. vtrumque pij verbi miniſtri imitentur, Officium ſuum ſtrenue tueantur, & humiliter de ſeipſis ſentiant.

Signa enim Apoſtoli peracta fuerunt in vobis, in omni tolerantia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus.

Probat Paulus ſe non fuiſſe inferiorem cæteris Apoſtolis, idque à proprijs apoſtolat⁹ indicijs, & enumerat quatuor: tolerantiam, ſigna, prodigia, & virtutes. Tolerantia eſt fortitudo animi, quæ facit ne in rebus aſperis frangamur animo, & tædio laboris abijciamus confeſsionem, ſicuti multi olim fecerunt, & hodie faciunt multi in ſuarũ animarum certam perniciem. Hæc tolerantia omnibus verbi miniſtris communis eſſe debet. Verum tria quæ ſequuntur propria ſunt apoſtolatus inſignia, quorũ tertium Apoſtolus ad Hebræos in duo genera diuidit. Ita enim ad Hebræos ſecũdo ſcribitur: Nam ſi per angelos dictus ſermo fuit firmus, & omnis tranſgreſsio & inobœdiẽtia accepit iuſtam retributionem. Quomodo nos effugiemus tantam negligẽtes ſalutem, quæ cœpta enarrari per Dominum, ab ijs, qui audiuerunt in nobis confirmata eſt, conteſtante Deo ſignisq; & prodigijs, & varijs virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ipſius voluntatem. Quia Dominus ſuam doctrinam miraculis, veluti quibuſdam ſolennibus obſignationibus, ad medendum infirmitati humanæ, ac vacillantibus hominum animis confirmare dignatus eſt, Apoſtolus ea numerat, quibus potiſsimum veritas Euangelij hominibus conſignata eſt. Miraculum autem in genere factũ Dei eſt extraordinarium & inuſitatum, hominũ animos in admirationem adducens. Ponuntur autem hic primo loco σημεῖα, id eſt, ſigna quę ita dicuntur, quod mentes hominũ excitent ad conſiderandũ aliquid amplius, quá quod foris apparet. Chriſtus ſanat ſola voce ſurdũ & mutũ, Hoc ſignũ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

excitat ſpectatorum mentes ad aliquid altius cogitandum, nempe quod Chriſtus ſit ornatus diuina potentia, & quod ſit verus Meſsias, tametſi hoc externe non apparebat. Deinde, Portenta ponuntur, quæ ita dicuntur quia nouum aliquid & inuſitatum continent. vt nouum & inuſitatum fuit, hominem mortuum excitari ſola voce. Græci σημεῖα & τέρατα ita diſtinguunt, vt τέρατα, id eſt, portenta, ſint præter naturam: σημεῖα vero præter conſuetudinem. Sanatio febricitantis non fit præter naturam. Nam per naturam poteſt ſanari febricitans, ſed quod ſocrus Petri febricitans ſola Chriſti voce ſit reſtituta ſanitati. præter conſuetudinem fuit. Ideo eius ſanatio σημεῖον, id eſt ſignum fuit, non τέρας, id eſt portentum. Mortuum hominem vitæ reſtituere, contra naturam eſt. Nam per naturam nequaquam vitæ mortuus reſtitui poteſt. Quare cum Chriſtus Lazarum iam in ſepulchro fœtentē excitat, τέρας, id eſt portentum fuit. Addit tertio loco Apoſtolus virtutes ſeu potentias, quibus epiſtola ad Hebræos Spiritus ſancti diſtributiones adijcit. Sunt autem virtutes ſeu potentiæ, quibus Dominus efficax in pijs ſuam virtutem peculiarem oſtendit, quod ſane Diabolus ſuis præſtigijs nequaquam imitari poteſt. Diſtributionibus Spiritus ſancti tanquam authentico ſigillo obſignauit Dominus ſuum Euangelium, non ſolum in die Pētecoſtes, verumetiam ſæpenumero in apoſtolica Eccleſia ad preces Apoſtolorum imponentiū hominibus manus. Hæc miracula ſigilla veritatis Dei nobis perpetuo in conſpectu eſſe debent. Nam eorū vſus perpetuus durabit in Eccleſia, qui nullus alius eſt legitimus & verus, quam obſignatio doctrinæ cœleſtis. Et quanquam huiuſmodi ſigna hodie non eduntur: Tamen perpetuo ad illa olim edita miracula reſpiciendum eſt, quę confirmato per orbem Euangelio ceſſare debent, non quidem vſu ſed facto.

Nam quid eſt in quo fuiſtis inferiores cæteris Eccleſijs, niſi quod torpore meo vos non grauaui, condonate mihi hanc iniuriam.

Ab effectu ſui apoſtolatus probat ſe alijs non fuiſſe inferiorem, & ironice excipit nihil eſſe in quo dici poſſit inferior, niſi quod torpore ſuo non præbuerit ipſis torpendi occaſionem. quod dum ſibi cōdemnari petit, ſtimulo acutiſsimo pungit conſcientias Corinthiorum, qui cum nihil haberent aduerſus ſuum Apoſtolum optime ſane de ſe meritum, ingrati tamen eum contemſerunt adhærentes Pſeudoapoſtolis.

Ecce tertio paratus ſum venire ad vos, & non torpore grauabo vos, non enim veſtra quæro, ſed vos, non enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parētes liberis.

Significat promtitudinem animi ſui proficiſcendi ad Corinthios, & finem addit per collationem, quem finem cōfirmat exemplo à iure naturæ petito. Parentum eſt theſauros filijs reponere, Ego vos in Chriſto genui per Euangelium, Ergo meum eſt vobis theſaurizare. Non igitur veſtra quæro, vt abundem ſicuti Pſeudoapoſtoli faciunt, ſed vos quæro, vt ſpiritualibus diuitijs abundetis. Obſeruetur hic diſcrimen inter verum paſtorem & mercenarium, Ille principaliter quærit ſalutem ouium: Hic oues ipſas, vt illarum lana, lacte & carnibus abundet, idque ſub prætextu pij & ſancti paſtoris.

Ego vero libentiſsime expendam, & expendar pro animabus veſtris, etiamſi amplius vos diligens, minus diligar.

Se vt patrem filijs theſaurizare dixit: Nunc illam paternam στοργὴν amplificat per comparationem. Parētes & ſe & ſua bona expendunt pro liberis ex ſumma dilectione, qua eos complectuntur, etiamſi filij interdum vicem dilectionis non rependant. Sic & ego erga vos ſum affectus. Paratus ſum enim ad quiduis ferendum & patiendum pro ſalute veſtra, tametſi vos parum grati erga me inueniamini. Hoc Pauli exemplum imitentur miniſtri verbi, in hac ſumma mundi ingratitudine.

Sed eſto: ipſe non grauaui vos, ſed cum eſſem callidus dolo vos cœpi.

Conceſsio eſt Pſeudoapoſtolorum & rurſus eorundem criminatio ficta. Concedebant Pſeudoapoſtoli quod ipſe Paulus per ſe in ſua perſona non grauaret Corinthios, verum interim pro ſua aſtutia & dolo ſubornatis alijs eorum facultatibus inſidiaretur. Vnde eum adeo ſolicitū fuiſſe in extorquenda à Corinthijs Eleemoſyna criminabantur. Hunc eſſe ſenſum præſentis loci ipſa antitheſis, & confirmatio ſequēs oſtendunt, atq; adeo ipſe Chryſoſtomus cōfirmat, qui hic

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

etiam κατενάρκησα poſuit, metaphora ſumta à torpedine piſce, qui νάρκη Græce dicitur. Vide Hieroglyphica Pierij.

Nunquid per quenquam eorum quos miſi ad vos circumueni vos? Rogaui Titum, & cum eo miſi fratrem, nunquid vos circumuenit Titus? nonne eodem ſpiritu ambulauimus? nonne eiſdem veſtigijs?

Remouet à ſe ſuſpicionem fraudis. Si enim Paulus fraude aliqua facultatibus Corinthiorũ inſidiatus fuiſſet, hoc haud dubie per Titum feciſſet. Sed hoc non eſſe factum Corinthiorũ tacito teſtimonio confirmat. Quare fictam criminationem Pſeudoapoſtolorum fuiſſe, manifeſtum eſt.

Rurſus, arbitramini quod nos vobis excuſemus? in Chriſto loquimur. Sed omnia chariſsimi pro veſtri ædificatione.

Quia aduerſarij Pauli hæc ita accipere poterant, ac ſi Paulus reuera reus hanc caluam excuſationem afferret, nullo fundamento innitentem, iureiurando cõfirmat ſe veritatem dicere, & omnia in ædificationẽ Corinthiorum feciſſe.

Nam metuo ne quo modo cum venero non quales velim reperiam vos, & ego reperiar vobis qualem nolitis.

Ætiologia eſt ab affectu Apoſtoli erga Corinthios, quaſi diceret: Hæc omnia à me dicta eſſe ſcitote, quibus vendicaui mihi autoritatem Apoſtolicam, & amoui à me ſuſpicionem fraudis, vt vos ſimplicitati doctrinæ Euangelij adhæreatis, & non ſinatis vos à Pſeudoapoſtolis decipi. Quod ſi feceritis, & vos multis ſceleribus implicamini, & ego ad vos veniens habebo lugendi cauſſam.

Ne quo modo ſint lites, æmulationes, iræ, contentiones, obtrectationes, ſuſurri, rumores, ſeditiones, ne iterum vbi venero humilem me faciat Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum qui antea peccauerunt, nec reſipuerunt ſuper impuritate & ſcortatione & petulantia quam perpetrarunt.

Declaratio eſt eorum quæ in genere dixit. Exponit enim quales metuat ſe eos inuẽturum, & qualem viciſsim ipſi eum reperturi ſint, ſi Pſeudoapoſtolis auſcultauerint, ſe ſpreto. Vitia quæ enumerat, quia ſatis nota ſunt, nõ tam indigent interpretatione noſtra quam ſeria eorũ renunciatione, ſi modo de Chriſto vere gloriari velimus. Humilitatẽ exponit Paulus luctum pro ipſis Corinthijs, qui tot vitijs ſeducti à Pſeudoapoſtolis laborabant, vt hunc affectum Apoſtoli miniſtri verbi imitari conentur.

CAPVT XIII.

Summa Capitis Decimitertij.

Vt denunciat ferocientibus ſeueriorem vindictam, niſi reſipiſcant priuſquam ad eos ipſe venerit: Ita vt vnuſquiſque ſeipſum exploret an ſit in Chriſto, & vt omnes renunciatis vitijs virtuti ſtudeant monens, ſalutatione & voto claudit Epiſtolam.

Ordo & partes Capitis Decimitertij.

Hoc caput Epilogum continet totius Epiſtolæ, niſi quod expreſſe Eleemoſynæ non meminit. Primum enim aduentus ſui mentionem facit. Deinde contumacibus vindictam comminatur. Tertio, Apoſtolatus ſui autoritatem tuetur. Quarto, dehortatur à vitijs, & hortatur ad virtutem. Quinto, vt Corinthij ſe mutuo ſalutent ſuo nomine petit, eiſque fauſta precatur.

EXEGESIS DECIMITERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

HIC

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

HIC tertius erit aduentus meus ad vos, in ore duorum aut trium teſtium ſtabilietur omne verbum.

Tertium pollicetur ſuum aduentum, in quo ſe contra contumaces & rebelles varijſq; vitijs contaminatos acturum comminatur: vt qui conuicti fuerint ſub duobus aut tribus teſtibus, iuxta legem, quę eſt Deuteron. decimo nono, ſeuerius Apoſtolica poteſtate puniantur. Hunc eſſe germanum ſenſum huius loci exiſtimo, etſi quidam triplicem aduentum pro triplici teſtimonio interpretantur, vt lex ipſa ex Deuteronomio ſit adducta non proprie, ſed per ſimilitudinem. Diſcant hinc rectores diſciplinæ Eccleſiaſticæ non ſine veracibus teſtimonijs poteſtatem Eccleſię exercere, ne vel ipſi arguantur aliquando vanitatis, vel qui caſtigantur ex odio potius quam ex emendationis ſtudio ſeueritatem proficiſci arbitrentur.

Prædixi & prædico vt præſens cum eſſem iterum, ita & abſens nunc ſcribo ijs, qui ante peccauerunt, & reliquis omnibus, quod ſi venero rurſus non parcam.

Comminationis huius ſenſus eſt. Quemadmodum prædixi in priori epiſtola, quod etiam coram cum ſecundo apud vos eſſem denunciaui, id rurſus nunc ſcribo ijs, qui antea peccauerunt, & reliquis omnibus qui vitijs indulgent denuncio, quod vbi venero mea vtar poteſtate, ac gladium ſpiritus in eos ſtringam, qui alicuius ſceleris conuicti fuerint. Neque cuiquam parcam. Hoc ſeueritatis exemplum miniſtri verbi pie & prudenter in ædificationem imitentur.

Quandoquidem experimentum quæritis in me Chriſti loquentis, qui vobis non infirmus eſt, ſed eſt potens in vobis.

Ratio comminationis per occupationem. Nam vt ſuam potentiā Chriſti eſſe teſtatur apud eos ſatis declaratam: Ita comminatur fore cum Corinthij huius potentiæ experimentum quærere videantur, vt vbi ad ipſos venerit, ſint experturi quid quantumque valeat potentia Chriſti per ipſum. Notetur, quod vt miniſtri verbi ſunt legati Chriſti: Ita eiuſdem potentia ſunt armati cum ad puniendum, tum ad ſaluandum.

Nam etſi crucifixus fuit ex infirmitate, viuit tamen ex potentia Dei. Nam & nos infirmi ſumus cum eo, ſed viuemus cum ipſo ex potentia Dei apud vos.

Dixit CHRISTVM potentem fuiſſe in Corinthijs, nunc idem repetit, vt attexat argumentum à comparatis. Confert enim ipſum Dominum & eius miniſtros inter ſe. Chriſtus inquit, fuit crucifixus ex infirmitate, & forma ſerui aſſumta exinaniuit ſeipſum vſq; ad mortem crucis, verum potentia Dei mortem ſuperauit triumphator: Ita in miniſtris Chriſti non eſt tantum ſpectanda infirmitas, quæ externe apparet, verumetiam potentia Dei, qua Chriſtus eos armauit ad deſtruēdum quicquid ſe effert aduerſus cognitionem Dei & Euangelium IESV CHRISTI. Hinc diſcamus oculis fidei aſpicere ſublimitatem poteſtatis Eccleſiaſticæ: quæ non ex hominum infirmitate eſt æſtimanda, ſed ex potentia Dei eſt ponderanda.

Voſipſos tentate an ſitis in fide, voſipſos probate. An non cognoſcitis voſipſos, quod IESVS CHRISTVS in nobis eſt? niſi ſicubi reprobi ſitis.

Ad teſtimoniū Corinthiorum prouocat. Dixerat virtutem Chriſti in ſuo miniſterio efficacem eſſe, id nunc illorum exemplo confirmat. Concludi autem poteſt hæc ratio huiuſmodi dilemmate. Aut ſentitis Chriſtum in vobis per fidē inhabitare, Aut eſtis omnino reprobi, Eligite vtrumlibet. Si Chriſtus in vobis habitat fuit meū miniſterium efficax virtute Chriſti. Si vero non habitat in vobis profecto reprobi eſtis. Verum quia tales cenſeri non vultis, fateamini oportet meum miniſterium virtute Chriſti fuiſſe armatū. Obſeruetur hic oppoſitio immediate contrariorū, nempe fidelis & reprobi, Si enim quis fidelis eſt, reprobus iure dici nequit, & contra qui reprobus eſt, nequaquam fidelis pronunciabitur, ſine contrariorum confuſione. Sed quomodo Corinthij ſe poterant tentare & examinare an eſſent in fide? Duplex probandi regula eſt. Vna interior, Altera exterior. Interior eſt Spiritus ſanctus, qui fert teſtimoniū ſpiritui noſtro quod filij Dei ſumus. Nam dū Spiritus ſanctus fidē efficit in nobis ad prædicationem

verbi, veramque pœnitentiam operatur per agnitionem IESV CHRISTI, atq; in corde nouos motus congruentes legi DEI excitat, dicitur perhibere teſtimonium ſpiritui noſtro. Exterior regula eſt vita innocens, & pium ſanctumq; propoſitum, adeoq; bona conſcientia & perpetua quædam pœnitentia. Prior regula & interior quia latet, teſtimonio indiget exterioris. Nam qui exteriori caret, non eſt quod de interiori glorietur.

At ſpero vos cogníturos eſſe, quod nos non ſimus reprobi.

Suam innocentiam teſtatur adducto Corinthiorum teſtimonio, qui ex vita & doctrina ipſius poterant cognoſcere qualiſnam eſſet, vt enim ipſi nobis noti ſumus ex cordis affectione. Ita alijs ex operum effectione innoteſcimus.

Opto autem apud Deum, ne quid mali faciatis, non quo nos probati appareamus, ſed vt vos quod honeſtum eſt faciatis. nos vero veluti reprobi ſimus.

Quia externi honeſti mores & abſtinētia ab omni iniuria teſtantur de hominū interna pietate, Optat Paulus vt à malo abſtineant. Vt autem hoc non interpretarentur Pſeudoapoſtoli, ac ſi id ideo optaret Paulus, vt inde probaretur ipſius miniſterium quam fuerit efficax, Dicit ſe id non optare ſua gratia, ſed illorum potius ſalutis cauſſa, interea non morans ſi Pſeudoapoſtolorum iudicio reprobus videatur. Fieri enim ſolet, vt qui vere pij ſunt, à Pſeudoapoſtolis habeantur pro reprobis. Hoc Pauli exemplum imitentur verbi miniſtri.

Non enim poſſumus quicquam aduerſus veritatem, ſed pro veritate.

Ratio dicti à proprio poteſtatis Apoſtolicę. Poteſtas quam nos Apoſtoli à Chriſto habemus, non ad illuſtrandam noſtram gloriam, ſed ad veritatem Chriſti confirmandā pertinet. Nam vt ſigna apoſtolatus noſtri tantum ad Euangelij certitudinē referenda ſunt: Ita nos eius poteſtatis prędicatores ſumus, & non autores. Verum qui aduerſus veritatē Euangelij aliquid tentant, & qui ſe extollere per alienam volunt poteſtatem, non virtute Chriſti recte vtuntur, ſed ſathanæ potius auſcultant. Notetur quouſque ſe extendat poteſtas Eccleſiaſtica: Et quod non hominibus alligata ſit, ſed miniſterio, quod per homines infirmos & impotentes exercet Chriſtus.

Gaudemus enim cum nos infirmi fuerimus, vos vero potentes ſitis.

Ætiologia eſt, quod ſui apoſtolatus poteſtatem ad veritatem Dei referat, & non ad ſuam propriam virtutem declarandam. Apoſtolus gaudet de Corinthiorum potentia, quam ex cognitione Chriſti conſecuti erant, & interim agnoſcit ſuam infirmitatem. Igitur non ſe ſpectat, ſed veritatem Dei, vt ea apud Corinthios permaneat. Imitemur & hoc Pauli exemplum quilibet in ſua vocatione.

Hoc vero etiam optamus, veſtram ſcilicet integritatem.

Vno verbo hic exprimit quid quęrat in tota hac Epiſtola, nimirum vt ſint integri, hoc eſt, vt recte ſentiant: quæ ſentiunt, recte velint: & quæ volunt, recte agant. In his enim ſita eſt integritas & perfectio Chriſtiana in hac vita. Eſt autem κατάρτισις reſtitutio alicuius rei luxatæ & corruptæ in integrum, vt ſuis partibus ordine & loco ſuo collocatis res integra & incolumis ſit.

Propter hoc hæc abſens ſcribo, ne præſens ſeueritate vtar ſecundum poteſtatem quam dedit mihi Dominus in ædificationem non in deſtructionem.

Hæc comminationem pœnæ habent, niſi reſipiſcant Corinthij, quaſi diceret: non libenter vellem vti mea poteſtate vos caſtigando. Idcirco hæc ſcribo, vt vos emēdetis & reſtituamini in integrum, ne poſtquam ad vos venero, cogar vti mea ſeueritate. Obſeruetur quod iuriſdictio Eccleſiaſtica illa ſeuerior pertineat ad ædificationem cum totius corporis Eccleſiæ, tum eorum qui corripiuntur.

Quod ſupereſt fratres valete, perficiamini, conſolationem habete, idem ſenti-

Valedictio cum exhortatione & promiſsione. Exhortatio ſummatim te, in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

te, in pace agite, & Deus charitatis & pacis erit vobiſcum.

continet quicquid ſupra diſputatum eſt in tota epiſtola, nimirum vt incrementa aſſumant pietatis, mutuo ſe conſolentur quod charitatis eſt, ſint concordes in doctrina & ament pacem & tranquillitatem, quibus virtutibus regnum Chriſti conſtat in hac vita. Promiſsio eſt, Et erit Deus pacis & charitatis vobiſcum, quaſi diceret, Deus cum amet pacem & charitatem aderit iuxta ſuam promiſsionem pacificis & mutuam charitatem amantibus.

Salutate vos inuicem oſculo ſancto.

Apud multas gentes ſymbolū mutui amoris fuit oſculum. Vnde Græcis φίλημα ab amore dicitur. Sanctum opponitur impudico & proditorio. Vide quæ notauimus de oſculo ad Rom. vltimo. & in priore ad Corinthios.

Gratia Domini noſtri IESV CHRISTI, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis, AMEN.

Hæc fauſta precatio continet ſummam doctrinæ Euangelicę, & expreſſe trinitatem perſonarum agnoſcit. Deinde etiam perſonarū ſingularum actiones in ſalutis negocio monſtrat. Summa doctrinæ eſt, quod gratia Chriſti ſaluati ſimus. Opponitur enim gratia iræ Dei & damnationi. Trinitas perſonarum Pater, Filius, & Spiritus ſanctus exprimitur, qui eſt vnus in eſſentia Deus, & trinus in perſonis. Actiones perſonarum propriæ in ſalutis negocio ita diſtinguuntur. Pater amat Iohan. 3. Filius nos ſua gratia complectitur, tegens peccata noſtra, & imputans nobis ſuam obœdientiam. Hæc ampliſsima beneficia nobis communicantur & obſignantur quando ad verbi prædicationem in nobis fides formatur, & cor noua luce accenditur: Quod fit operatione Spiritus ſancti.

SPLEN-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

SPLENDORE GENERIS, PIETATE ET VIRTVTE PRÆSTANTI VIRO, DOMINO GEORGIO ROSENKRANTS SENATORI REGNI DANIÆ SAPIENTISSIMO, DOMINO DE ROSENHOLM, SVO PATRONO AC DOMINO, GRATIAM ET PACEM PRECATVR.

NICOLAVS HEMMINGIVS.

CVM PAVLVS APOSTOLVS ADHORTATVR, vt preces fiant pro regibus & alijs omnibus in eminentia conſtitutis, quo tranquillam & quietam vitam degamus in omni pietate & honeſtate, magnas ſanè res paucis verbis comprehendit. Non enim tantum docet in quem finem ordinarit Deus magiſtratum, verum etiam oſtendit quibus rebus cum magiſtratum ipſum, tum omnes pios potiſsimùm occupatos eſſe oporteat. Etſi autem tempore Pauli tot ferè erant Eccleſiæ hoſtes, quot erant magiſtratus: tamen inter ordinationem Dei & Sathanæ confuſionem permagnum eſt diſcrimen. Paulus igitur ipſum cõſilium Dei ordinantis gradus gubernatorum in mundo conſiderans, preces pro magiſtratu præcipit fieri, vt tandem veluti è graui ſopore excitatus magiſtratus cogitet ſe miniſtrum Dei eſſe, vt ea faciat quæ Deo grata ſunt & humanæ ſocietati ſalutaria. Ab hoc fine longè aberrant iſti, qui ocium, vtinam ocium tantùm, ſectantes, ſuſque deque ferunt quomodo reſpublica adminiſtretur: qui olim iuſto iudici rationem ſuæ adminiſtrationis reddent. Quare cuicunque magiſtratui pietas cordi eſt, is Paulum docentem audiat, ab eoq; diſcat in quibus occupari ipſum oporteat, modò diuinum illud munus ſibi commiſſum ritè adminiſtrare velit. Non fruſtra dictum eſt à domino: Ego dixi Dij eſtis. quibus verbis Dominus ſignificat diuinum eſſe officium quod gerit magiſtratus: in cuius rei teſtimonium illi ſuum diuinum nomen impertit. Ac ſi diceret: non veſtra potentia, non veſtra ſapientia, non veſtris conſilijs imperia conſtituuntur, retinentur, conſeruantnr, & ſunt ſalutaria generi humano: Sed à me qui Rex ſum Regum & Dominus Sebaoth, vobis traduntur, per me retinentur, & propter me conſeruantur & ſunt ſalutaria. Ego enim ſum qui conſtituo reges: ego ſum qui do ſalutem regibus: ego ſum per quem vos reges regnatis: in cuius rei euidens teſtimonium vobis meum diuinum nomen communico, vt Dij appellemini. Cùm igitur Deus ornet magiſtratum ſocietate ſui nominis, ſeueriſsimè poſtulat, vt huic ſanctiſsimo & auguſtiſsimo titulo factis reſpondeat. Non ergo Princeps aut magiſtratus vocem ATREI indigniſsimam homine imitetur, qui ait: Sanctitas, pietas, fides priuata bona ſunt, qua iuuat eant reges: Sed potius ſanctiſsimo Regi Ioſaphat obtemperet, qui ita à ſe conſtitutos gubernatores alloquitur: videte quid agatis, Non enim hominis exercetis iudicium, ſed Dei, & quodcunque iudicaueritis in vos redundabit, ſit igitur timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. Non enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas eſt, nec perſonarum ac-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rum acceptio, nec acceptio munerum. Vtinam hæc admonitio locum haberet apud omnes qui magiſtratu funguntur, & Chriſtiano nomine gaudent: certe minus eſſet tyrannidis, minus crudelitatis, nec tot miſeri homines iniquis premerentur iudicijs.

Sed quænam ſunt illa in quibus maximè pius magiſtratus occupari debet? Paulus quatuor ordine enumerat, dum iubet preces pro regibus, & ijs qui in aliqua eminentia conſtituti ſunt fieri, vt tranquillam, inquit, & quietam vitam degamus in omni pietate, & honeſtate. Primum eſt igitur tranquilla vita: Secundum, quieta vita: (nam inter tranquillam vitam & quietam diſcerno) Tertium, pietas: Quartum, honeſtas.

Prima igitur cura magiſtratus erit vt tranquillam vitam degamus. Eſt autem vita tranquilla, cum totum reipublicæ aut regni alicuius corpus pace fruitur, & non infeſtatur ab externis hoſtibus. In hunc finem Deus magiſtratum potentia & armis munit, vt ſe hoſtibus, ſi quando tranquillitatem reipublicæ labefactare volunt, opponat. Nam tum demum iuſtum erit bellum, quando ſuſcipitur religionis, legum & ſubditorum defenſionis gratia. Quare magiſtratus qui hic ſtringit gladium in hoſtem, miniſter Dei eſt & bona conſcientia hoſtem inuadere poteſt. Magiſtratus igitur qui Deum timet, ſciat ſuum officium eſſe, vt vice Dei hoſtem repellat, quo ſubditis tranquillam vitam degere liceat.

Secunda cura magiſtratus erit vt ſubditi quietam degant vitam. Eſt autem vita ἡσύχιος hoc eſt quieta, cum ſinguli ſtatus & ordines, atque ſinguli homines propria agunt, & propria curant ſine πολυπραγμοσύνῃ. Opponitur enim ἡσυχία, hoc eſt, quies curioſitati: id quod ſatis liquet ex Pauli dicto: Contendite ἡσυχάζειν, hoc eſt, quieti eſſe, ſeu vt ipſe ſe interpretatur, πράσσειν τὰ ἴδια, quod eſt res proprias agere. Agimus autem res proprias, quando ſinguli noſtrum officium facimus, & noſtrum ſtatum honeſtè tuemur ſine aliorum contemtu & detrimento. Quantus autem hic labor requiratur in magiſtratu, præſertim in tanta perturbatione omnium ſtatuum, & tanta hominum peruerſitate, non eſt difficile iudicare. Reſpublica lyræ haud diſſimilis videri poteſt, & magiſtratus tibicini. Vt enim modulatio concinna, & varia ſoni ſuauitas lyræ percipitur, cum fidicen neruis increpet, ſingulóſque aptè percurrat: Ita Harmonia concinna & ſuauis eſt reipublicæ, quando magiſtratus diuerſos hominum ordines, qui inſtar neruorum ſunt, quoſque intra ſuos limites continet, ac ita legibus temperat, vt vnicuique debitum temperamentum adhibeatur. Contrà verò ſi fidicen neglecta chordarum proportione lyram percuſſerit, ſonus editur ingratus & inſuauis: Ad eundem planè modum ſi ordines hominum diuerſi in republica ſibi permittuntur, nihil profectò eſt inſuauius, nihil perniciofius. Si igitur fidicini probro vertitur, quando parum aptè chordas in lyra reſonare facit, multò magis dedecori erit magiſtratui, ſi legibus & prudentia ſingulos ordines hominum in republica nõ moderatus fuerit: ita vt ſit debita quædam proportio: ſine qua nullus concentus, hoc eſt, concordia eſſe poteſt. Eodem pertinet illorum ſententia, qui rempublicam cantui ex multis ſonis diuerſis conſtanti, & magiſtratum muſico moderatori cantus comparant. Vt enim in cantu cùm plures ſoni & diuerſi aptis proportionibus ordinantur, harmonia auditu iucunda naſcitur: Et contrà cùm imperitus muſicus ſonorum proportiones non rectè moderatur, nihil inamœnius eſſe poteſt: Ad eundem modũ cum plures ordines hominum, vt ſenatorius, equeſter, & plebeius (hos enim Cicero numerat) mutuis officijs ſociantur, ſeruata cuiuſq; ordinis dignitate, ſuauiſſima redditur humana ſocietas. Contrà verò vbi vnus ordo hominum plus æquo euehitur, & reliqui nimium deprimuntur, fieri non poteſt vt incolumis ſit humana ſocietas: Sed metuenda eſt pernicioſa

quædam

quędam diſſonantia,quam tandem ſequetur miſera corporis totius reipublicæ dilaceratio.huc ergo magiſtratus ſua conſilia cõuertet, vt debita ordinum hominum in republica ſeruari proportio poſſit. Hoc quàm difficile ſit factu experiuntur,qui rectè imperare didicerunt. Hic enim concentus & ordinum harmonia non conſeruatur ſine ſingulari ſapientia & prudentia magiſtratus. Nam non omnes in officio retinentur vno eodemque modo. Alij enim beneficentia, alij honoribus, alij pœnis magis flectuntur. Quare veteres rectè ſenſiſſe puto, qui tribus rempublicam conſeruari dixere: δἰεργεσίᾳ, τιμῇ καὶ τιμωρίᾳ. Porrò vbi magiſtratus ſeu princeps hunc ſtatuum ſeu ordinum hominum in republica ordinauerit concentum, ad ſingulos ſe conuertet, ſtudebitq́ue vt ſinguli quieti ſint & propria agant, faciantq́ue quæ officij ratio & vocatio poſtulare videtur: idq́ue vel ex præſcripto legum, vel ex dicto magiſtratus, qui viua quædam lex eſt. Hic proinde conſtitutis ſingulorum artificiorum inſpectoribus (quos Athenienſes ἐπισκόπους appellarunt) curabit vt abſit in artificibus impoſtura, vt iuſta ſit emtionis & venditionis ratio. quod vbi non fit, paulatim reſpublica ad ruinã tendit. Nam quando permittitur auaris, vt ipſi ſuis rebus imponant precium, ſtatim æqualitas euertitur, ſine qua ſocietas humana conſeruari non poteſt. Quod de artificibus dixi, etiam intelligi volo de diuitibus, qui prouentus ſuos annuos vendunt. His ſi permittitur ſuis mercibus imponere precium, magna ſequentur incommoda. Rem vno ſaltem declarabo exemplo. Diues aliquis vino aut frumento abundans quærit emtorem, qui forte ſtatim precium ſoluere non poteſt. Hîc emtor vt fauorem diuitis redimat, aut alia commoda conſequatur, emit carius, quàm pro ratione prouentuum anni res emi poſſet. Quid hic fit? alij audientes quod iſte tanti vẽdiderit ſuum vinum aut frumentum, ſeu quicquid aliud eſſe poteſt, imitantur exemplum in totius reipublicæ certiſſimũ damnum. Hîc ſi magiſtratus non cohercet legibus tales publicos fures, quietem ſuorum ſubditorum non quærit, ſed ſinit vt alios alij iniquè opprimant. Quod ne fiat oportet in republica beneconſtituta æſtimatores conſtitui, eoſq́ue pios & iuſtos, qui non vnius ordinis hominum rationem haberent, ſed totius reipublicę & omnium partium eius æqualem curam, vt ſeruetur æqualitas.

Tertia cura magiſtratus erit religionis. Etſi autem religionis cura prima & pręcipua eſt cẽſenda: tamen ideo eam in tertium locum reiecit Paulus, quia hæc finis eſſe debet tranquillæ & quietæ vitæ, atque adeo totius ſocietatis humanæ: Sicut piè cecinit Stigelius & vir & Poëta optimus:

Vtque alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas iuſsit habere domos.

Itaq; præclarè Pythagoricus quidam dicebat, regem debere eſſe bonum στρατηγὸν, καὶ δικαστὰν, καὶ ἱερέα, hoc eſt, imperatorem, & iudicẽ, & ſacerdotem. Hanc ob cauſſam regibus Iſraël cura conſeruandæ religionis commiſſa eſt. Ita enim ait Dominus Deus: Cum autem ſederit Rex ſuper ſolium regni ſui, ſcribet ſibi Deuteronomiũ legis huius in volumine Libri, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetq́ue illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt, nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres, neque declinet in partem dextram aut ſiniſtrã, vt longo tempore regnet ipſe & filij eius ſuper Iſraël. Sed quid opus eſt multis in re manifeſta? hoc igitur ſciat magiſtratus, Si non religionis conſeruandæ & propagandæ curam habuerit, fidem abiecit & eſt infideli deterior. Nam ſi is, iuxta Pauli ſententiam, qui vnam familiam negligit, fidem abnegauit, quid dicendum eſt de illo qui tot domorum, tot prouinciarum, tot Regionum curam abiecit? Nec ſe iuſtè excuſare poteſt, qui dicit ſe corpora & facultates ſubditorum conſeruare, eaq

curare

curareque pertinent ad hanc ciuilis conſuetudinis incolumitatem. Nam hoc perinde eſſet ac ſi pater ſe ſuo functum officio diceret, Si liberorũ corpora benè ſaginaret, neglecta potiori educationis parte, quæ eſt educare liberos in timore & correptione Domini: quam partem qui negligit, à Paulo Apoſtolo Ethnico deterior pronunciatur. Si enim bonus Princeps pater patriæ cenſetur, debet profectò ſuis ſubditis paterna officia inter quæ Primum & maximum eſt Dei gloriam propagare inter ſubditos, vt non ſolum viuant, ſed vt beatè feliciterque viuant. Quod ſanè fieri non poteſt, niſi ſumma religionis cura fuerit. Hæc cura in multis ſanctis Regibus & Principibus effecit, vt & ſcholas pias erigerent, & pios Doctores alerent, qui eſſent interpretes verbi Dei & informatores eorum qui poſtea Eccleſijs paſtores præficerentur, & vt alia, quæ ſunt plurima, exempla prætereamus, domeſticis cõtenti ſimus. Chriſtiernus primus eius nominis, Daniæ, Noruegiæ & Sueciæ Rex ante annos 84. hanc Haffnienſem Academiam erexit, hoc conſilio, vt eſſet veluti officina quædam in qua formarentur ingenia & mores eorum qui poſtea in Eccleſia Dei cuſtodes doctrinæ eſſent. Et quamuis eo ſeculo vera religio Paparum ſuperſtitionibus tantum non oppreſſa fuit, tamen laudandum eſt ſtudium pij Regis qui fecit quantum in ſe fuit. Hunc ſecutus eſt filius Rex Ioannes & nepos Chriſtiernus ſecundus, qui quantum ad Academiæ noſtræ conſeruationem attinet, etiam meruerunt ſuam laudem: Etſi adhuc Papalibus tenebris omnia plena erant. Hos ſecutus eſt Fridericus Primus, qui vt pacis ſtudioſus erat: Ita etiam Patronus & defenſor fuit piorum miniſtrorum verbi. Nam hoc rege regnante latius ſparſit ſe doctrina Euangelij, quæ à tenebris vindicata Vuitebergæ ad alias quoque nationes cito tranſuolauit. Et quia difficilius fuit in principio ſuperſtitionem Papiſticam penitus abolere, fecit pius Rex quod potuit, & aduerſus iniuſtam vim defendit eos qui puræ religionis elementa in his regnis tradiderunt. Fridericum primum ſecutus eſt Chriſtiernus tertius, qui ſtatim in initio ſuæ gubernationis cogitauit de reformandis Eccleſijs, Ac omnium primum, ordinatis Epiſcopis pijs & doctis in omnibus Diœçeſibus, erexit hanc Academiam Haffnienſem ferè collapſam, & magnis ſumtibus accerſiuit homines doctos, qui religionem & alias honeſtas artes & diſciplinas docerent. Huic ſucceſsit Fridericus ſecundus ſanctiſſimi patris veſtigijs inſiſtens. Nã & huius potiſſima cura eſt, vt conſeruetur puritas doctrinæ in Scholis & Eccleſijs. Hęc pars officij magiſtratus non ſolum ad ſummum magiſtratum pertinet, ſed etiam ad ſingulos ſuo ordine, atque adeo ad patresfamilias quoque. Nam ſi cultus Dei finis eſt & conditi humani generis, & redemti, nemo non videt omnium intereſſe cultum Dei promouere pro viribus. Sed habita vocationis cuiuſque ratione.

Quarta cura magiſtratus erit honeſtatis, hanc enim Apoſtolus pietati ſubiungit. Nam à pietate vera honeſtas dependet. Vocabulum σεμνότης quo Paulus vtitur duo complectitur. Nam & omne officij genus inter homines, & honeſtam quandam morum grauitatem ſignificat. illud locum habet in mutuis hominum commercijs, ne quid turpiter aut indecorè aut flagitioſè fiat: Hæc reuerentiam ſuauitate morum hominibus conciliat. Quàm ſit autem neceſſaria vtraque virtus in humana ſocietate, ex eo patet, quod vitia cum his pugnantia humanam ſocietatem turpiſſimè commaculent. Quare rectè ſecundus finis tranquillæ & quietæ vitæ à Paulo ſtatuitur hæc honeſtas, quæ & in omni officij genere verſatur, & reuerentiam quandam in moribus & ſingularem grauitatem poſtulat. Huc ergo magiſtratus incumbet vt poſt religionis curam hanc honeſtatem tueatur. Sed quomodo hoc magiſtratus efficiet in tanta morum corruptione? Lege, exemplo, pœna. Lege prohibeat iniuſta, vt fraudes in commercijs, & turpitudinẽ in moribus, & præcipiat honeſta, vt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

candorem & morum grauitatem. Exemplo confirmet quod lege ſtatuit, hoc eſt, ipſe magiſtratus ſe ipſum ſtatuat viuum omnis probitatis exemplar: Quod ſanè multo efficacius eſt quauis lege. Veriſſimè enim dictum eſt à Poëta: Regis ad exemplar totus componitur orbis. Nam quod in regibus vident ſubditi, ſiue honeſtum ſit, ſiue turpe, imitari geſtiunt. Pœna caſtiget ex æquo honeſtatis contemtores, ex æquo caſtigationem ideo adhibendam iudico, quia ſi vni parcitur, & in alium ſæuitur, iuxta vulgo notum verſiculum, dat veniam coruis vexat cenſura columbos, vileſcunt leges, contemnitur magiſtratus autoritas, laxatur diſciplina, & mali occaſionem ſecurius peccandi inde accipiunt. Quare longè præſtaret nullas leges ferre, quàm voluntatem legum non exequi. Hæc officij magiſtratus pars etiam requirit, vt magiſtratus iuuet miniſtros Euangelij ad conſeruandam diſciplinam, & caſtigationem Eccleſiaſticam, tametſi enim diſtincta eſt pœna Eccleſiaſtica à pœna ciuili: tamen ſine magiſtratus opera conſeruari nequit diſciplinæ Eccleſiaſticæ iuſta ſeueritas. Quare magiſtratus, ſi huic rei manum non adhibet, partem officij ſui negligit, & facit opus Domini fraudulenter.

Hæc de partibus officij magiſtratus, clariſsime vir, ideo expoſui, non vt te doceam, qui pietate vera & magna eruditione excellis: Non vt te quaſi ceſſantem ſtimulis excitem, qui magnam laudem apud omnes, qui te norunt, iuſticiæ & æquitatis obtines: Sed potius, vt qui hæc lecturi ſunt, tuo exemplo excitentur ad præſtandum officium, hoc eſt, vt gubernatores rerumpublicarum ſinguli ſuo ordine cogitent ſeriò quid ſuum officium requirat, ne iuſto iudici Deo aliquando iuſtas pœnas neglecti officij ſint daturi. Nec Libertini, peſſimum hominũ genus, ſunt audiendi, qui prætextu libertatis Chriſtianæ anarchiam & omnium ſcelerum impunitatem in mundum inuehere conantur. Non enim intelligunt miſeri Chriſtianã libertatem finitam eſſe, & intra certos limites claudi. Quemadmodum Paulus in hac nobili Epiſtola ad Galatas ſcripta luculentè docet. Nam & præcipit vt ſtemus in libertate parta ſanguine Chriſti, & monet ne carni præbeamus occaſionem libertatis prætextu. Quod ſi fecerimus libertate excidimus, & denuo ſerui peccati efficimur: iuxta hoc Domini dictum, Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Porrò commentarium hunc clariſsime vir, in Epiſtolam Pauli ad Galatas, quæ continet præcipuas partes doctrinæ Eccleſiæ videlicet de iuſtificatione noſtri coram Deo, de libertate Chriſtiana, & de officijs Chriſtianorum inter ſeſe, ſub tuo nomine in lucem emittere volui, vt aliquod ſignum gratitudinis erga te meæ extaret: qui mihi olim, dum vnà in florentiſſima Schola Vuitebergenſi viximus aliquot annos, plurima beneficia contuliſti: Quorum memoria perpetuò apud me manebit.

Rogo igitur vt hoc munus qualecunque, ſignum animi mei erga te, boni conſulas, ac me ſolita beneuolentia complectaris, memor veteris noſtræ conſuetudinis & ſtudiorum communium. Vale vir clariſſime ac patrone obſeruande vna cum caſtiſſima ac pijſſima tua coniuge Dorothea Lange ex antiqua & nobili familia Langonum oriunda. Haffnia. Anno Domini 1564. Menſe Octobri.

ARGV-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM PAVLI AD GALATAS.

VT EPISTOLAE HVIVS AD GALATAS SCRIPTAE FAcilior habeatur aditus, quatuor nobis in initio repetenda, & explicanda videntur. Primum, quis quantuſque ſit huius Epiſtolæ autor: vnde autoritas ſcriptionis dependet. Secundum, quæ fuerit ſcribendi occaſio: cuius obſeruatio ad tractationis ordinem rectè intelligendum permultum facit. Tertium, quis ſit ſtatus, ſeu quæſtio principalis: ex quo & genus cauſſæ cognoſcitur, & totius orationis conatus, hoc eſt, finis & ſcopus vltimus differentis apparebit. Quartum, quæ ſit methodus, ſeu quod idem eſt, quis ſit tractationis ordo: ſine quo diſputationis neruus nequaquã deprehendi poteſt. De his igitur quatuor, eo quo propoſita ſunt ordine, dicendum eſt.

DE AVTORE HVIVS EPISTOLAE.

Electum illud Dei organum Paulus Apoſtolus, neque ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum verum Deum & verum hominem, immediatè ad Apoſtolatum vocatus (quemadmodum habet huius Epiſtolæ Epigrapha, & vocationis Paulinæ expoſitio in Actis Apoſtolicis capitibus 9. 13. 22. & 26.) autor eſt huius Epiſtolæ. Vnde haud obſcurum eſt, ſummam eſſe huius Epiſtolæ autoritatem. Non enim ſecus accipienda ſunt quæ hic promit Dei ſpiritus, per Paulum, quàm ea quæ ab ipſo Domino ſunt prodita. Quapropter omnia quæ continentur in hac Epiſtola atque in alijs Pauli ſcriptis eius eſſe autoritatis ſciamus, vt in dogmatibus confirmandis & refutandis erroribus, tantum habeant robur, quantum vox Dei patris quæ de cœlo ſonabat. Vox enim Pauli nihil aliud eſt, quam filij Dei ſonus: quem Pater cœleſtis vult totum mundum audire iuxta illud: Hunc audite. Hinc igitur eſt, quod quicquid incidit in diſputationis alicuius tractatione apud Paulum, habeat pondus & robur ex Dei ſpiritu. Ex quo fit vt tam multiplex incidentium doctrinarum obſeruatio in Paulina lectione neceſſaria ſit. Nam dum vnam aliquam quæſtionem tractat Paulus, multa per occaſionem incidunt: quæ varias doctrinas, & admonitiones diligentibus lectoribus ſuppeditant. Quam ob cauſſam diligenter obſeruandum eſt inter locos proprios, hoc eſt, eos quos ex propoſito tractat Apoſtolus, & locos incidentes: qui per occaſionem inferuntur, ne confuſio diſcentium ingenia perturbet, ac properantes remoretur. Quod de ſcriptis Pauli dixi, id etiam intellectum volo de Moyſis, Prophetarum, & Apoſtolorum concionibus. Nam & hi omnes teſtimonium diuinum habent, quod Chriſti verbum afferant.

DE OCCASIONE.

Occaſione ſcriptionis obſeruata rectius intelligetur quæſtionum ordo, & orationis œconomia. Hanc autem ſcribendi occaſionem habuiſſe Paulum, & Theodoretus teſtatur, & ipſe contextus Epiſtolæ conuincit: Cum Paulus docuiſſet Galatas & veram Euangelij doctrinam de gratuita ſalute ſola fide obtinenda, & Chriſtianam libertatem, atq; aliò docendi gratia, vrgente Apoſtolatus munere, commigraſſet, quidam ex Iudæis credentes, adhuc tamen zelo erroneo paternarum legum occupati, perſuaſerant multis iſi Galatia fidelibus, recipiendos eſſe ritus Moſaicos, circumciſionem, ſabbatha, & neomenias, & falsò docuerant Euangelium nihil prodeſſe, niſi ſimul reciperentur ritus iſti Moſaici. Obtinuerunt autem iſtud apud Galatas hoc modo: Dixerunt, non oportere Paulo tantùm credere, qui nuper prodijt vnus ex Apoſtolorum diſcipulis, ſed Petro potius, Ioanni, Iacobo &c. qui ab ipſo Chriſto triennium edocti non prohibuerunt ritus legales. Deinde addiderunt quòd ipſe Paulus ſuum Timotheum qui Græcus erat, circumcidiſſet. Tametſi autem verum fuit Apoſtolos permiſiſſe ritus Legales ad tempus, idque

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

propter infirmitatem hominum, præſertim Iudæorum qui conuerſi erant ad fidem Chriſti: tamen Pſeudoapoſtoli maligne abuſi ſunt iſta permiſsione, & miſerè ineſcabant ac faſcinabant Galatas, ac ſi iſtos ritus requirerent Apoſtoli, vt qui ad iuſticiā coram Deo conſequendam facerent, ac ſi iuſticia illa, qua coram Deo iuſtificamur, conflari deberet ex fide Chriſti, & obœdientia rituum legalium, tanquam ex cauſsis ſeu partibus.

DE STATV.

Status in hac Epiſtola principalis eſt, quod ſine Legis operibus ſola fide in Chriſtum iuſtificentur credentes. Hoc ſtatu confirmato ſtat & conſiſtit huius Epiſtolæ conatus, ſeu finis, nimirum vindicatio libertatis Chriſtianæ. Non enim aliud conſilium Paulo fuit in hac Epiſtola, quàm vt contra Pſeudoapoſtolos aſſereret Chriſtianam libertatem, ne vlla portio legis obtineret gloriam illam, quæ ſoli filio Dei competit. Sic enim ſcriptum eſt: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Deinde, eſt & alius ſtatus principali deſeruiens: vnde & adiuuans ſtatus rectè dici poteſt: videlicet quod Paulus verus Ieſu Chriſti ſit Apoſtolus. Niſi enim hic ſtatus confirmaretur, reliqua reciperentur difficulter. Hinc iam genus cauſſæ principalis intelligitur eſſe διδασκαλικὸν. vterque ſtatus, videlicet principalis & adiuuans coniecturalis eſt. Res enim à Paulo propoſita à Pſeudoapoſtolis negabatur. Paulus dicit ſe Apoſtolum Chriſti, affirmat fide iuſtificari homines ſine Lege. Vtrumque inficiabantur aduerſarij, ex qua contentione ſtatus naſcitur. Verum Paulus vtriuſque intentionis firmamenta colligit, de quibus in Exegeſi videbimus.

DE METHODO ET TRACTATIONE.

Poſtquam occaſionem, ſtatum principalem, & conatum huius Epiſtolæ vidimus, facilius erit nunc tractationis ordinē inueſtigare, & monſtrare. Quia autem valdè puerilis admonitio eſt, Epiſtolæ partes (quæ ſunt epigrapha, ſalutatio, tractatio, & valedictio) ſignare, ſatis erit hoc loco de tractationis ordine ſeu Methodo dicere.

Perpetuum dialecticorum præceptum eſt, vt cum quæſtiones aliæ ab alijs dependeant, illæ priorem in tractatione ſortiantur locum, quæ natura priores ſunt, quibuſque confirmatis, non parum iuuantur quæ ſunt ordine poſteriores. Paulus itaq; poſt Epigrapham & prooemium (in quo prooemio increpat Galatas, & eos accuſat defectionis ab Euangelio quod ab ipſo didicerant, & teſtificatur de Euangelio quod docuerat) vt conuincat ſuum Euangelium non eſſe humanum, quæſtionem de ſua vocatione tractat, Atque longa narratione ſe diuinitus vocatum ad Apoſtolatum commonſtrat. Deinde principalis quæſtio ſequitur. Confirmata enim vocatione Apoſtolatus principalem quæſtionem ſeu propoſitionem maiore cum autoritate & fide tractat, proponitque, non lege ſed fide in Chriſtum homines conſequi iuſticiam, idque facit iuſta Methodo confirmatoria, ac ſubinde, vt fieri ſolet, id quod obijcere poterant turbatores iſti de lege refellit, & vſum legis commonſtrat, principali quæſtione confirmata, infert quod potiſsimum quærebatur, vindicationem Chriſtianæ Libertatis, in qua iubet eos ſtare, & non amplius ſeruitutis iugo implicari: vnde dilabitur ad hypotheſin, & circumciſionem nequaquam recipiendam eſſe probat. Vnde rurſus redit ad libertatem, monetque ne ea abutantur Galatæ. Poſt hæc ſubiungit Parænefes varias, quas ad tria capita reuocare licebit: videlicet vt fugiant carnis opera, vt ea quæ ſpiritus ſuadet faciant, vt proximi rationem habeant, cum omni animi beneuolentia, & officio. Hinc ſequitur concluſio: in qua ſummam cauſſæ repetit Apoſtolus, cum admonitione, ne ſibi amplius ſint moleſti. Poſtremo loco, Epiſtolam voto claudit. Atque ita apparet naturalem ordinem partium ſeruari in huius Epiſtolæ œconomia.

DE IMITATIONE PAVLI
IN DOCENDO.

Paulus in omnibus ſuis ſcriptis inter docendum ſæpiſsimè dilabitur in monitiones, reprehenſiones, laudationes, minas, & conſolationes, eas nimirum quæ ſponte ex doctrina fluere videntur. Quod Pauli exemplum pij verbi præcones imitari debebunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

bunt. Non enim extraneas, vel monitiones, vel reprehenſiones, &c. adhibebunt, ſed quas doctrinæ vis & natura ſponte offert, has accommodabunt præſentibus auditoribus: quorum mores cognitos habent. Hanc docendi rationē Moyſes, Prophetę, Chriſtus, Apoſtoli (vt in ipſorum concionibus patet) ſecuti ſunt: ſine qua parum doctrina efficax erit. Tanta eſt enim humana ſegnities & tarditas, vt ad ea, quæ ad ſalutem ſpectant, niſi ſtimulis, impelli non poſsint.

DE MODO ENARRATIONIS HVIVS EPISTOLÆ.

In explicatione ſingulorum capitum huius Epiſtolæ à me hactenus vſitatū ſeruabo ordinem. Primum enim in ſummariam quandam comprehenſionem totum caput contraham. Deinde ordinem, & partes capitis oſtendam. Tertio exegeſin vna cum obſeruatione locorum propriorum & incidentium adijciam: quo vſus & Praxis rerum quæ traduntur conſpiciatur.

CAPVT I.

Summa Capitis Primi.

Ego Paulus Chriſti Apoſtolus, vos Galatas, antea quidem rectè inſtitutos, nunc vero à perturbatoribus quibuſdam ſeductos verum Euangelium docui: adeo vt maledictum pronunciare auſim quiſquis aliud docuerit Euangelium quàm ego: qui non ab hominibus illud didici, ſed per reuelationē Ieſu Chriſti, quemadmodum mea teſtatur conuerſio.

Ordo & partes Capitis Primi.

Poſt Epigrapham & ſalutationem ſequitur exordium patheticum, in quo duo ſunt: videlicet querela ob defectionem Galatarum ab Euangelio, quam querelam mox mollit translatione, & teſtificatio de Euangelio amplificata collatione & imprecatione. Poſt exordium ſequitur narratio: cuius propoſitio eſt, Euangelium à Paulo prædicatū, non eſſe humanum. Hanc propoſitionem ſequenti narratione confirmat. Nam in narratione ipſa plurima probabilia argumenta aſperguntur, quæ omnia hoc fundamēto nituntur, videlicet quod Paulus ſit verus Ieſu Chriſti Apoſtolus, quemadmodū zelus legis Moſaicæ, & paternarum traditionū, ſubita conuerſio per reuelationem Chriſti, vitæ inſtitutum poſt conuerſionem, & Elogium Eccleſiarum de Paulo. Hæc ſigna coniuncta diuinitus conuerſum eſſe Paulum, & vocatum euidenter indicant. Verum ne mentiri videatur Apoſtolus, ad Dei teſtimonium prouocat.

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS Apoſtolus (non ab hominibus, neque per hominem, ſed per IESVM CHRISTVM, & Deum Patrem, qui excitauit ipſum ex mortuis) & qui mecum ſunt omnes fratres.

In Paulinis Epigraphis hic ſeruatur ordo. Primo loco ſuum nomen ponit Apoſtolus. Deinde eos ad quos ſcribit nominat. Pleruq; magnificis Titulis ſuam vocationem extulit. Id quod à Paulo factum eſſe apparet ob tres potiſsimum cauſſas. Quarum prima eſt, vt ſuæ doctrinæ autoritatem conciliet contra Pſeudoapoſtolorum calumnias. Secunda, vt hoc pacto confiteri ſe Chriſtum, quem tū fere totus mundus perſequebatur, palā faciat. Tertia, vt ſuo exemplo eos ad quos ſcribit ad confeſsionem Chriſti inuitet. Porrò in hac Pauli Epigrapha quatuor cōiunguntur. Primo enim loco nomen ſuum propriū ponit Apoſtolus. Deinde addit nomen officij. Huic ſubiungit modū vocationis ad officium. Tum mentionem facit fratrū quos ſocios ſcriptionis agnoſcit. Nomen proprium Apoſtoli certificat Galatas de autore Epiſtolę: Signatio officij, autoritatē ſcribenti conciliat. Modus vocationis, præterquam quod autoritatem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ritatem ſcribentis commendat Galatis perſtringit aduerſarios, qui Pauli vocationem tan
quam illegitimam calumniabantur. Mentio fratrũ, non ſolùm oſtendit cõſenſum doctri-
næ, verumetiam declarat Catholicam eſſe doctrinam, quam Apoſtolus ipſis antea prædica
uerat. Ex his colligantur ſequentes loci. Primus & proprius de Apoſtolatu Pauli & mini-
ſterio Eccleſiaſtico, quod habet à Deo autoritatem. Secundus, quàm ardens ſtudiũ eſſe de-
beat in verbi miniſtris propagandæ & defendendæ veræ doctrinæ. Tertius, cõfeſsio mini-
ſterij exemplo Pauli omnibus Euangelij miniſtris commendatur. Quartus, quod vocatio
nis legitimæ ad functionem Eccleſiaſticam conſcientia in miniſtris Euangelij requiritur.
Quintus, fratris appellatio fraternũ & amicabilem affectum docentiũ & diſcentiũ in Ec-
cleſia, atq; adeo omniũ Chriſtianorum docet. Exemplũ proinde Pauli proponendum eſt
miniſtris Euangelij, quo moneantur non captandũ eſſe dominiũ in Eccleſia, ſed vt potius
ſe fratres agnoſcant illorũ quos in miniſterio ſocios habent. Porrò hoc loco tres modi vo-
cationis ad miniſteriũ Eccleſiaſticum notentur, quorũ primus fit ab hominibus: ſecundus,
per hominem: Tertius, per Ieſum Chriſtum, & Deũ patrem. Ab hominibus mittuntur in-
terdum perturbantes ad turbandas Eccleſias, ſicut tempore Apoſtolorum, à Iudæis incre-
dulis factũ eſſe dubiũ non eſt. Per hominem, vt cum Paulus ordinat Titum, & Titus oppi
datim presbyteros conſtituit: quæ vocatio legitima quidẽ eſt, & à Deo probatur, immò ab
ipſo Deo eſt: Licet per hominem, vt inſtrumentum Dei. Hanc vocationem mediatam, &
generalẽ vocant. Per Ieſum Chriſtum, & Deum patrem qui ſuſcitauit ipſum à mortuis. Hęc
vocationis forma immediata & ſpecialis dicitur, cæteris multò auguſtior, quæ maiorem e-
tiam vocatis autoritatẽ conciliat. Per Ieſum hominẽ adhuc mortalẽ, vocati ſunt duodecim
Apoſtoli: per Ieſum omni ex parte immortalem vocatus eſt Paulus. Quare non inferior eſt
vllo modo reliquis Apoſtolis. Cum igitur dicit Apoſtolus ſe vocatũ eſſe, nõ per hominem,
ſed per Ieſum Chriſtũ, non ſimpliciter negat Ieſum eſſe hominem, ſed à mortalitatis neceſ-
ſitate ipſum vindicat, vtpote ſuſcitatum iam à mortuis, & glorificatũ: cum interim alij qui
per homines vocantur, per mortales vocantur homines. Hoc annotandum duxi propter
Stenckfeldiũ, & Eutychianos, qui fingunt humanã naturam Chriſti poſt ipſius glorioſam
reſurrectionẽ eſſe conuerſam in Deitatẽ. De his tribus vocandi modis Auguſtinus hoc pa-
cto loquitur. Qui ab hominibus mittitur, mendax eſt: Qui per hominẽ mittitur, poteſt eſſe
verax, quia & Deus verax poteſt per hominem mittere. Qui ergo neq; per hominem neq;
ab hominibus ſed per Deum mittitur ab illo verax eſt qui etiam per hominem miſſos ve-
races facit: Hæc Auguſtinus.

Propter has tres formas vocationis eſt quarta, cum quis ambitioſè ſeipſum vocat, & in-
trudit in functionem Eccleſiaſticam, per iniuſta media. Verùm hæc vocatio nulli vnquam
bene ceſsit. Eccleſijs Galatiæ. Ad quos ſcribit Apoſtolus breuiter ſignat, hic multa obſerua-
tione digna occurrunt. Primum, ex eo quod Paulus ſeductas Eccleſias titulo Eccleſiarum
dignatur, diſcendũ eſt contra Anabaptiſtas & Staphylum, non negandam eſſe Eccleſiá in
eo cœtu in quo ſunt hæreſes, errores, & lapſus multiplices. Secundo, euidenter hinc colligi-
tur, atque adeo ex tota Epiſtola, quod Eccleſia rectè prius inſtituta poſsit labi in errores, &
ſeduci à falſis Prophetis. Vnde concluditur falſum eſſe illud Papale axioma, Eccleſia errare
non poteſt. Donec quidẽ verbo Dei adhæret Eccleſia, & ductũ ſpiritus Chriſti ſequitur, fa-
temur eam errare non poſſe, verum vbi exemplo Galatarum audierit vocẽ Pſeudoapoſto-
lorum, in præcipitium errorum deijcitur. Nam poſita vna falſa hypotheſi, infinitæ ex ea
cõſequuntur. Tertio, exemplum Galatarum, quos reuocat Paulus, euertit errorem Noua-
tianorum affirmantium lapſum omnem poſt agnitam gratiam eſſe peccatum irremiſsibi-
le: Nam ſi hoc verum eſſet: Spiritus ſanctus per Paulum Galatas turpiſsimè lapſos nequa-
quam ad pœnitentiam reuocaſſet. Quarto, quia Galatæ fuerunt Græci oriundi à Gallis,
vnde & Gallogræci dicti ſunt. Teſtimonium hic habemus & exemplum vocationis gen-
tium ad Euangelium.

DE SALVTATIONE.

Gratia vobis & pax à Deo patre & Do-
mino noſtro IESV CHRISTO, qui dedit
ſeipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos
de pręſenti ſeculo malo ſecundum volun-
tatem Dei & patris noſtri, cui gloria in ſecu-
la ſeculorum, Amen.

Apoſtolus ſuo more Epigraphæ ſa-
lutationem ſubiungit, quæ continet
ſummam Euangelij, quæ gratiæ & pa
cis vocabulis ſignatur. Hanc ſalutatio
nẽ amplificat à cauſsis, idq; primum
à principali efficiente, quam imperan
tem vocant, cum inquit: à Deo patre,
ab ob-

ab obſequente, cum ait à Domino noſtro Ieſu Chriſto. A materiali, quæ eſt huius Domini traditio in mortem pro peccatis noſtris, & à finali, quæ eſt liberatio à præſenti ſeculo malo, id eſt, à tyrannide diaboli, à peccati regno, atq; adeo ab omnibus peccatis & malis, quibus ob peccatum premitur humana natura. A primitiua, quæ eſt voluntas Dei noſtri, & patris adeo diligentis mundum, vt filium ſuum vnigenitũ daret. His cauſsis amplificata ſalutatio, clauditur gratiarum actione, quæ ad cauſſam finalem referenda eſt. Eſt enim diuinæ iuſticiæ & bonitatis gloria, finis ſalutis noſtræ quam offert Euangelium.

Porrò gratię & pacis vocabula apertius declaranda ſunt. gratię itaq; vocabulo ſignificatur fauor Dei, ſeu gratuita Dei erga nos beneuolentia, & eius effectus remiſsio peccatorũ, donatio Spiritus ſancti, vita æterna, atq; adeo dona alia quæ nobis ex hac beneuolentia Dei donantur. Pacis nomine ſignificatur, non ſolum reconciliatio noſtri cum Deo, ſed etiam quæ reconciliationem ſequuntur, vt ſunt gaudium ſpiritus, tranquillitas conſcientiæ, atq; adeo omnia proſpera. Verum quia hæc gratia & pax non niſi fide apprehenduntur, tacite fidem ab ipſis Galatis requirit Apoſtolus. vt enim fundamentum gratiæ & pacis eſt voluntas Dei miſerentis & approbantis: Ita fides & terminus eſt quẽ iſta reſpiciunt, & inſtrumentum, quo recipiuntur. Huc aſſcribamus doctrinas & obſeruationes, quas nobis hęc ſalutatio ſuppeditat. Quarum prima eſt, quicquid nobis contingit proſperè, hoc totum proficiſcitur à Deo per Ieſum Chriſtum. Secunda, ſummaria comprehenſio Euangelicæ doctrinę in ſalutatione continetur, in qua cauſſæ ſalutis noſtrę omnes recitantur, quæ ex alijs ſcripturæ locis illuſtrandæ ſunt. Tertia, Deus tuetur nos credentes & curam noſtri habet. eſt enim Deus noſter, & pater noſter per Chriſtum. Quarta, Chriſtianorum eſt gloriam Dei deprędicare, quoties in beneficiorum eius mentionẽ incidimus. Ex his omnibus confirmetur articulus iuſtificationis & remiſsionis peccatorum, cõfutentur gratiæ Dei hoſtes: admoneamur fidei & gratitudinis. Porrò præter ea quæ iam de Epigrapha & ſalutatione dicta ſunt, obſeruandũ eſt artificium Pauli, quo in pleriſq; ſuis Epiſtolis vſus eſt. Vt enim plerunq; in Epigraphis & ſalutationibus, ita hic ſemina quædã facit ſequentis diſputationis. Cum itaq; præcipuæ diſputationis partes ſunt quemadmodũ ſupra indicatum eſt, diſputatio de vocatione Pauli ad Apoſtolatum, & de vera iuſtificandi ratione coram DEO, Paulus in Epigrapha vocationis, in ſalutatione vero iuſtificationis argumentum & ſummam ponit: quam ſummam poſtea, vt fieri ſolet, latius fundit, exponit, & comprobat.

DE EXORDIO.

Miror quod adeo cito transferamini ab eo qui vocauit vos in gratiã Chriſti in aliud Euangelium, quod nõ eſt aliud, niſi quidam ſunt qui turbent vos & velint inuertere Euangelium Chriſti.

Propoſitio exordij ſumti ab occaſione ſcriptionis obiurgatoria. Obiurgat enim Galatas, vt ſupra admonui, ob defectionem ab Euangelio Chriſti. Eſt autem grauiſsima obiurgatio, quemadmodum ex incremento verborũ, quibus hoc loco vtitur Apoſtolus diligẽs Lector facile animaduertit. Primũ enim eos translatos ſeu trãſpoſitos miratur, quod leuitatis fuit. Nõ enim ſolidis rationibus conuicti, ſed blandis pſeudoapoſtolorũ verbis veluti ſtipulæ flatu leuis auræ translati ſunt. Hoc exaggerat à circũſtantia tẽporis, dum inquit, adeo cito. Huc acceditiniuria perſonæ facta, à qua eos translatos conqueritur. Ab eo, inquit, qui vocauit vos in gratiam Chriſti, id eſt, in regnũ Chriſti, vbi ſola Chriſti gratia dominatur. Exaggeratur & hoc, cum addit eos translatos in aliud Euangelium, ſcilicet, quam Chriſti, quod tamen non eſt aliud, niſi turbatorum quorundam malitia & conficta contra Euangelium Chriſti impoſtura. Porrò, ne ipſo obiurgationis impetu Galatas prorſus deijciat, ſed magis ad pœnitentiã excitet, obiurgationem mollit translatione partis culpæ in aduerſarios, dum inquit, quod non eſt aliud niſi quidã ſint, qui turbent vos & velint inuertere Euangeliũ Chriſti. Hinc iam extruamus doctrinas vtiles ad Eccleſiæ ædificationem. Prima, officium fidelium pręconum verbi eſt non ſolum recta & vera docere, verumetiã ceſſantes & deficientes ſerio obiurgare, ijſq; ſceleris ſui atrocitatẽ ponere ob oculos, vt, agnito errore, pœnitentia emendentur & ſalui fiant. Secunda, non ſolum culpandi ſunt qui alijs per falſa dogmata autores ſunt ruinæ, verumetiam illi qui ſe ineſcari blanditijs impoſtorum ſinunt. Tertia miſcere legem cum Euangelio, addere opera tanquam partem iuſtificationis gratiæ Chriſti, eſt inuertere ſeu vertendo immutare Euangeliũ Chriſti: quo ſane ſacrilegio nullũ maius eſſe poteſt: cuius ſacrilegij omnes ſunt rei quotquot vllam, vel

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

minimam iuſticiæ Chriſtianæ, qua iuſtificatur homo coram Deo, portionẽ legi aut vllis ex operibus aut meritis humanis attribuunt. Quarta, quanta ſit miniſterij verbi dignitas ex eo claret, quod gratia Chriſti ſit eius obiectum, ad cuius participationem per miniſterium verbi inuitamur. Quinta, conſcientijs maxima conſolatio proponitur, dum ſtatuunt concionantis vocem Chriſti vocẽ eſſe, ſicuti & ipſe Dominus ait, Qui vos audit, me audit, Qui vos ſpernit me ſpernit. Sexta, oſtenditur hic quod vocatio ad Euangelium Chriſti, ſit plane gratuita: vt quam nulla merita præcedant. Septima, Pſeudoapoſtolorum ſtudium eſt Eccleſias turbare, & inuertere Euangelium Chriſti: idq; in hunc finem vt Chriſti regno euerſo palatia Sathanæ erigantur.

Verum, etiamſi nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter id quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Vt antea diximus, & etiam nunc iterum dico: ſi quis vobis euangelizet præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

Altera pars exordij, quæ eſt Antitheſis propoſitionis obiurgatoriæ, & teſtificatio Pauli de Euangelio quod docuerat Galatas. Hanc teſtificationem, vt ſupra dixi, amplificat collatione & imprecatione, vt ſit numeroſior & vehementior oratio. Eodem pertinet conduplicationis ſchema. Repetit enim eandẽ teſtificationem eiſdẽ penè verbis. Huiuſmodi conduplicationes vehementer ſolent excitare auditorũ animos ad rei propoſitæ ſeriã cogitationem, & æſtimationem. Porrò quo nitatur fundamento hęc ſancta Pauli Parrheſia & teſtificatio videamus. Nititur autẽ, vt tota ſequens narratio oſtendit, hac ratione: Quicunq; prædicat aliud Euangelium, quàm vnicũ Euangelium Chriſti, pro Anathemate habendus eſt. Quicunq; prædicat aliud Euangeliũ quàm quod ego Paulus prædicaui, prædicat aliud Euangeliũ quam Chriſti. Ergo quicunq; prędicat aliud Euangeliũ quã quod ego Paulus docui, pro anathemate habendus eſt. Maiorem probat conſenſus verę Eccleſiæ & ſanguis piorũ Martyrum inde vſq; ab Abel. Vnicum enim Euangeliũ Chriſti catholica Eccleſia ſemper agnouit. Maiorẽ proinde vt confeſſam omittit Paulus. Minor, quæ eſt κειvόμενον, ſequenti narratione, quę de vocatione Pauli inſtituta eſt confirmatur. Nam vbi probatum fuerit Paulum à Chriſto edoctum & vocatum eſſe ad Apoſtolatum, nullus amplius dubitabit Euangelium à Paulo prædicatum eſſe Chriſti Euangelium: ſicuti copioſius ſuo loco dicemus. Hîc enim ſatis eſt teſtificationis Paulinæ fundamentũ nudè & dialecticè propoſuiſſe, quo nerui argumentationis Paulinæ, & conſiliũ Apoſtoli apertius conſpiciantur. Cæterùm doctrinæ quas hic Pauli locus ſuppeditat hæ ſunt præcipuæ. Prima, maieſtas Euangelij Chriſti adeoq; verbi Dei nobis in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis traditi tanta eſt, vt nulli dignitatis titulo, nulli naturæ cedat. Secunda: quam abominabile ſit Chriſti Euangeliũ, quod vnicũ eſt, adulterinis additamentis contaminare, indignatione Pauli, imprecationis vehementia, extremo contuitio, & eiuſdem geminatione, iudicatur. Tertia, vt immota certitudo & ardens ſtudium in præconibus verbi ad vindicandam doctrinæ autoritatẽ exemplo Pauli requiritur, ita fides inconcuſſa eiuſdẽ doctrinę in auditoribus eſſe decet: adeo vt nullis qui aliud docent ob ſanctitatis, excellentiæ aut ſucceſsionis titulũ fidem adhibeant: Sed potius pro anathemate habeant, quemadmodũ hic diſertis verbis mandat ſpiritus Chriſti in Paulo. Quarta, hinc luce clarius apparet non ſuſpiciendos eſſe veluti columnas Eccleſiæ, & ſucceſſores Apoſtolorũ eos, qui hodie iſtis titulis ſuperbiunt. Nã ſi conferas iſtos ſeductores cũ Pſeudoapoſtolis, quos hoc loco perſtringit Paulus, multis ſane modis inueniẽtur Papiſtæ peſtilẽtiores quibuſuis Pſeudoapoſtolis. Quid enim nunc faciunt Papiſtæ aliud, quam vt varijs tormentorum generibus tollant de medio eos, qui hoc à Paulo prædicatum Chriſti vnicum Euangelium docent, vt flumine ſanguineo Martyrũ curſum Euangelij intercludant. Quare nõ ſecus deteſtemur Papiſticã doctrinam, quam ipſiſsimam ſerpentis vocem, qui noſtros primos parentes in Paradiſo decepit. Vt autẽ anathematiſmus Pauli plenius intelligatur, nõ nulla de vocabulo anathematis ſubijciam. Virtute enim huius vocabuli intellecta, põdus Paulinæ teſtificationis magis elucebit. Non eſt autem ſimplex huius vocis vſus, nec Paulus eam ſine peculiari tropo ad vſum ſuum tranſtulit. Dicitur autẽ anathema ab ἀνατίθεσθαι, id eſt, à ſuſpendendo, & ſignificat proprie anathema ornamentũ ſuſpenſum ad parietes, ornatus gratia. Hinc anathematica σκεύη, dicuntur vaſa quæ ornatus cauſſa habentur: vt ſunt lebetes, vaſa argentea, ſtannea, & huiuſmodi. Homerus libro viceſimo primo Odyſſeæ per Metaphoram vſus hac voce anathematis. Ita enim ait, μόλπῃ καὶ φόρμιγγι· τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός. Hic poeta cantum & citharam conuiuiorum anathemata eſſe, hoc eſt, ornamenta ſeu oblectamenta pronunciat. Verum à prima ſignificatione translatũ eſt vocabulum ad

donaria

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

donaria promiſſa, perſoluta, & ſuſpenſa in templis idolorum: quemadmodũ eſt apud Platonem in quarto de legibus pagina 544. προσομιλεῖν δεῖ τοῖς θεοῖς καὶ εὐχαῖς καὶ ἀναθήμασι, hoc eſt, deos accedere oportet votis & anathematis. Apud Ariſtophanem in Pluto. τοῦτο ἀναθήσων ἔρχομαι πρὸς τὸν θεόν, hoc eſt, hoc anathema ſuſpenſurus veniam ad Deum. Deinde quia huiuſmodi donaria dicata idolis Deo abominabilia fuerunt, atq; ideo deſtinabantur internecioni, factũ eſt, Metalepſi Hebraica, vt nomine anathematis ſignificaretur res Deo abominabilis, diris imprecationibus deuota, & ob id deteſtanda, vt quæ adeo polluta ſit & à Deo damnata, vt niſi tollatur è medio, totæ reſpublicæ magnis calamitatibus puniantur. Vnde & Græci Hebræum חלם vertunt anathema, vt Ioſuæ ſeptimo & ſæpe alias. Hinc itaq; admoneantur contaminatores Euangelij Chriſti, quod ſint anathemata, id eſt, Deo abominabiles, & execrandi, atq; à Deo prorſus ſeparati. Admoneantur quoq; pij quanto ſtudio fugere eos deceat huiuſmodi anathemata, ne incurrant in pœnas grauiſsimas, ſi attigerint hęc anathemata, hoc eſt, ſi colluſerint cum hoſtibus Euangelij. Huc illud Iohannis pertinet: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum & aue ei ne dicatis. Nam qui dicit ei ſalue communicat operibus eius malis.

Nunc enim vtrum homines an DEVM ſuadeo? aut quæro hominibus placere? Nam ſi adhuc hominib⁹ placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.

Præoccupatio eſt, per quam diluit obiectionem aduerſariorum, qui ambitione & ſtudio captandi fauoris apud homines, Paulum in gratiam hominũ prędicare criminabantur. Senſum in hunc modum dialectica forma efferre poterimus, ita vt medius terminus ſumatur ex criminatione aduerſariorũ, obijcientiũ Paulo, quod accommodaret ſe hominibus fauoris captandi gratia, & ambitione, atq; ideo prædicaret placentia. Qui ſtudet ſe accõmodare hominibus, in gratiá hominum loquitur: & qui ſtudet ſe accommodare Deo, in gratiam Dei loquitur. Ego Paulus non ſtudeo me accommodare hominibus ſed Deo. Tanti enim facio Euangeliũ Chriſti, vt omnes pro anathemate habeam, quotquot Euangeliũ Chriſti humano fauori & doctrinis hominum poſtponunt. Quare me nequaquam in hominũ, ſed in Dei tantum gratiam loqui manifeſtum eſt. Hic eſt ſimplicisſimus verborũ Pauli ſenſus, obſcurior quidem propter ambiguitatẽ Gręci ſermonis, quem noſtra lingua reddi poſſe in hunc modum exiſtimo: Tall ieg nu menniſken till wild heller gudt? Eandem ſententiá repetit cum addit: Aut quæro hominibus placere an Deo: Prius deſtruit euidenti ſigno, vt ponat poſterius. Si, inquit, hominibus placuiſſem, id eſt, placere ſtuduiſſem, Chriſti ſeruus non eſſem, ſed potius manſiſſem in Iudaiſmo, in quo magis hominibus & pluribus etiam placere potuiſſem. His iá ſubijciamus doctrinas quas præſens locus ſuppeditat. Prima, præco diuini verbi gloriam Dei tanquam vnicum ſcopum ſibi præfixum habere debet: cum, quouis ambitioſo affectu & ſtudio gloriæ propriæ neglecto, tum fauore hominũ & approbatione mundi cõtemtis. Nam vt cogitatio gloriæ Dei puram veritatem retinere ſuadet: ita ambitioné & φιλοτιμίαν deprauatio doctrinæ comitari ſolet, fit enim plerumq;, vt ad docẽtis affectũ torqueatur doctrina, atq; ita veritas amittatur. Secunda, Nullus ambitioſus, & venator gratiæ hominum poteſt Chriſti eſſe ſeruus, hoc eſt, idoneus Euangelij prædicandi miniſter. Tertia, ne quis hoc loco Pauli abutatur, obſeruetur Regula Hieronymi qui ſic ait: Si fieri poteſt, vt pariter Deo & hominibus placeamus, placendum eſt & hominibus. Sin autem non aliter placemus hominibus, niſi Deo diſpliceamus, Deo magis quam hominibus placere debemus.

EXPOSITIO VOCATIONIS PAVLI AD APOSTOLATVM.

Notum autem vobis facio fratres quod Euangelium euangelizatum à me non eſt ſecundum hominem. Neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus ſum, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.

Propoſitio expoſitionis vocationis Pauli ad Apoſtolatum eſt: Euangelium à me prædicatum non eſt humanum. Hanc propoſitionem breuiter per ſeiunctionem & poſitionem cauſſarum confirmat. Vt enim negat ſe ab homine accepiſſe aut didiciſſe Euangelium: Quare humanum eſſe nequit, ita affirmat ſe idem per reuelationem IESV CHRISTI accepiſſe ac didiciſſe: vnde diuinum eſſe relinquitur. Hic obſeruandum primum eſt; vt Euangelium Chriſti nõ eſt ab homine profectum: Ita neq; hominum decretis

aut ar-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

aut arbitrio ſubiectum eſt: vt temeritas humana poſsit illi addere aut detrahere quicquã, nedum totũ tollere. Deinde etiam hinc firma ratione colligitur diuinitas Chriſti, quemadmodum ſupra admonuimus in Epigrapha. Si enim Paulus non accepit Euangelium ab homine ſed à Chriſto: Profecto teſtatur Paulus Chriſtum non tantum hominem eſſe, verum etiam Deum.

Audiuiſtis enim aliquando conuerſationem meam in Iudaiſmo, quod ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & eam vaſtabam, & proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coæquales in genere meo, cum vehementiore ſtudio tenerer traditionum paternarum.

Expoſitio eſt vocationis Pauli ad apoſtolatum, quæ tota eo ſpectat, vt probet κρινόμενον ſyllogiſmi, quo nititur teſtificatio Pauli: Nimirum quod verum CHRISTI Euangelium docuerit Paulus. Vt autem narrationem hanc diſtinctius intelligamus, diuidamus eã in tres partes: videlicet in acta Pauli ante conuerſionem: in vocationem cum ſuis cauſsis, & circumſtantijs: & in acta ſequentia conuerſionem. Deinde ſingulas partes quæſtioni, de qua hîc controuertitur, applicemus, vnde futurũ eſt, vt argumẽta, quæ in ipſa latent, ſe veluti in examen proferant. Prima pars narrationis cõtinet acta Pauli ante conuerſionem, quorũ ipſos Galatas teſtes appellat. Exponit enim qualis fuerit ante conuerſionem ad fidem idque per enumerationem. Primo enim loco vitæ genus exprimit, videlicet Iudaiſmum. Deinde qualem in eo vitæ genere ſe geſſerit declarat, nimirum quod zelo Iudaiſmi perſecutus ſit Eccleſiã Dei: quod profecerit in Iudaiſmo ſupra multos æquales in genere ſuo, quod tenaciter adhæſerit traditionibus maiorum ſuorum. Sed de his plura videantur in Actis Apoſtolicis capite nono & decimo, Item ad Philip. tertio. Sed quomodo hæc applicabimus quæſtioni? Cum Paulus tanto zelo Iudaiſmi fuerit concitatus, vt perſecutus ſit Eccleſiam DEI, vt ſuos coæquales in Iudaiſmo ſuperauerit, vt tenaciſsimus fuerit traditionum paternarum, profecto fieri non potuit vt adeo ſubito humano conſilio inde auelleretur. Quare id diuinitus factum eſſe dubitandum non eſt. Doctrinæ quas ſuppeditat hic locus hæ ſunt, prima προσωποχαρία Apoſtoli commendat nobis ſedulam diligentiam in noſtra vocatione, & vitæ genere præſtandam. Donec enim Paulus ſuæ vitæ genus Deo probari arbitrabatur, totus in hoc fuit. vt ſuam vocationẽ ornaret. Secunda, zelus Pauli conſtantes nos eſſe & pertinaces verbi monet, ne circumferamur quouis vento doctrinæ. Tertia, quod Iudaiſmus & Phariſaiſmus non poſsint ſtare cum Euangelio Chriſti. Idem iudicium erit de Monachiſmo & Papiſmo, qui non minus aduerſatur Euangelio Chriſti, quam olim Phariſaiſmus.

SECVNDA PARS NARRATIONIS.

Quando autem placuit Deo qui ſegregauit me ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam, reuelare filium ſuum per me, vt euangelizarem inter gentes.

Secunda pars narrationis continens vocationem Pauli ad miniſterium verbi cum ſuis cauſsis. Hanc partem retexere placet vt omnia diſtinctius recitata perpendantur exactius. Primo itaque loco εὐδοκίαν Dei, hoc eſt, approbationem & beneplacitũ Dei quo Deus ipſe deſtinauerat Paulum, vt eſſet ὄργανον electum ad prædicandum Euangelium inter gentes. Secundo loco ſegregationis meminit, qua Paulus deſtinatus erat muneri Apoſtolico antequam natus fuit. Tertio loco vocationem addit gratuitam, qua videlicet Paulus ſolenniter vocatus eſt ad Apoſtolatũ ab ipſo Filio Dei. Quarto finem vocationis ſuæ addit, nimirum vt reuelet Filium Dei. Quinto modum reuelationis filij Dei definit eſſe prædicationẽ Euangelij. Hęc ſi quæſtioni propoſitæ applicentur, eam euidentiſsime confirmãt, nimirũ quod vocatio Pauli ſit diuinitus facta. Atq; ideo doctrina ipſius non ſit humana ſed diuina, non habeat hominẽ autorẽ, ſed Deũ ipſum. Porrò præterquam quod vocatio Pauli, & doctrina his verbis cõprobetur, obſeruentur hæ doctrinæ inſigniores. Prima, immenſa miſericordia Dei obſeruanda eſt, qui adeo clemens & φιλάνθρωπος exiſtit, vt etiã ex hoſtibus ſuis maximis nõ ſolum multos ad pœnitentiã reuocet, ſed etiã nõ paucos deligat, vt ſint eximia ὄργανα in ipſius Eccleſia. Secunda, vocatio ad miniſterium Euangelij, vt eſt gratuita: ita nequaquam fortuita iudicanda eſt, ſed decreta potius à Deo antequam naſceremur. Tertia, monemur admiranda Pauli conuerſione, vt non deſperemus de hoſtibus & perſecutoribus Euangelij ante extremum halitum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tum. Quarta, monemur exemplo Pauli vt vocanti Deo per Eccleſiam nos ſubijciamus, Deumq́ue inuocemus vt nobis in vocatione noſtra aſsiſtat.

DE TERTIA PARTE NARRATIONIS.

Tertia pars narrationis ſequitur quæ continet acta Pauli ſecuta conuerſionem, quæ acta naturali ordine exponuntur prolixe vſq; ad finẽ fere ſecundi capitis, vbi principalem quæſtionem aggreditur. Verum quia hæc narrationis pars prolixior eſt, eam in certa membra diſtinguam. Ac primum eam actorum partem quæ in textu huius primi capitis continentur & clauduntur decem & ſeptem annorum ſpacio, exponam, & in quinq; partes digeram, videlicet in primum triennium, & profectionem Pauli Hieroſolymam verſus viſendi Petri gratia, in narrationis confirmationem, in profectionem Syriæ & Ciliciæ, & in teſtimonium Eccleſiæ Iudaicæ de Pauli conuerſione & doctrina. Has quinq; partes rurſus retexá in minores particulas, vt vis huius exegeticæ probationis intelligatur clarius: Quæ omnia eo ſpectabunt, vt ſingula ſeorſim, & omnia ſimul oſtendant & cõuincant Paulum Euangelium non ab homine ſed ab ipſo Ieſu Chriſto didiciſſe.

DE PRIMO TRIENNIO.

Statim non contuli cum carne & ſanguine, neque redij Hieroſolymã ad eos qui ante me fuerunt Apoſtoli, ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum.

Hic textus continet primi triennij Pauli poſt conuerſionem, in quo particulæ ſunt quatuor. Prima, quod mox vbi conuerſus ſit non contulerit cum carne & ſanguine, id eſt, non adhibuerit in conſilium carnem & ſanguinem, hoc eſt, vllos homines: ſed ſoli Chriſto vocanti obtemperauerit: quod factum clare teſtatur, Paulum Euangelium ſuũ diuinitus accepiſſe. Aliâs enim tempore opus fuiſſet ad diſcendum, & in tam arduo negocio ſuſcipiendo vltro citroq; cum amicis conferẽdum fuiſſet. Cæterum hic ſcrupulus ſuboritur explicatione dignus. Actorum nono aperte dicitur voce filij Dei ad Paulum, proſtratum in itinere ad Damaſcum: Surge & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid oporteat te facere. Deinde Ananias baptizauit Paulũ, & ſolenni ritu manus ei impoſuit. Hic autem dicitur quod non contulerit cum carne & ſanguine, & ſupra quod immediate à Deo ſit vocatus. Verum hęc minime inter ſe pugnant. Nihil enim obſtat quo minus & per ſe Chriſtus illum docuerit immediateq; ad Apoſtolatum vocauerit, & ordinandi miniſterij cauſſa hominis opera ſit vſus Chriſtus in Paulo ordinando & approbando. Vocabulum προσανατίθεσθαι, quo hic vtitur Apoſtolus, ſignificat conſultare cum aliquo de negocio ſuſcipiendo vel non, & pendere ex alicuius conſilio quod Paulus hic nequaquam ſe feciſſe affirmat (tametſi baptiſmate in Eccleſiá receptus, & impoſitione manuum Ananiæ inauguratus ſit miniſterio: ad quod diuinitus erat vocatus) ſed ſtatim prouinciam Euangelicam ſibi diuinitus demandatam ſuſcepit. Secunda particula eſt, neque, inquit, redij Hieroſolymam ad eos, qui ante me fuerant Apoſtoli. His verbis docet quod ab Apoſtolis non didicerit Euangelium: quos ne conſuluit quidem an deberet prouinciam demandatam ſuſcipere nec ne. Atque ita hæc ſecunda particula hypotheſis eſt ſuperioris atque adeo expoſitio. Tertia particula continet profectionem Pauli in Arabiam. Quarta reditum in Damaſcum propagandi Euangelij gratia. Hoc vehemens ſtudiũ Pauli, hæ difficiles profectiones, vt vocationem Pauli diuinam eſſe haud obſcure ſubindicant: Ita exemplum proponendum eſt pijs miniſtris verbi, quo incitentur ad ſimilem pro ratione vocationis ſuæ diligentiam præſtandam: Nec abſterreantur minis & perſecutionibus quas conſtat Paulum grauiſsimas ſubijſſe in iſtis primi ſui triennij profectionibus, dum apud barbaras gentes & idololatras Euangelij ſemina iecit.

DE PROFECTIONE HIEROSOLYMAM VERSVS.

Deinde poſt annos tres redij Hieroſolymam vt viderem Petrum, & manſi apud eum dies quindecim, alium aũt ex Apoſtolis non vidi niſi Iacobum fratrem Domini.

Hæc expoſitionis pars cõtinet profectionem Pauli Hieroſolymam verſus, & finem profectionis, videlicet, vt videret Petrum, & res geſtas, in ſuo miniſterio apud gentes, illi narraret.

(Hoc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

(Hoc enim proprie ὑςορῆσαι ſignificat) & id quod accidit Paulo Hieroſolymis nimirũ quod commoratus ſit apud Petrum dies quindecim, ac ex alijs Apoſtolis neminẽ viderit præter Iacobum fratrem Domini, id eſt, conſanguineũ ſecundum carnem. Prima particula indicat conſenſum Pauli cum Eccleſia Chriſti quæ erat Hieroſolymis. Secunda ſignificat quod quemadmodum non diſſenſerit Paulus à reliquis Apoſtolis: ita nihil ab eis didicerit. Non enim aſcendit ad primarium Apoſtolum Petrum diſcendi cauſſa, ſed vt ipſum inuiſeret reſque à ſe geſtas ipſi narraret. Tertia ſummam concordiam in doctrina Euangelij Paulo cum Petro fuiſſe indicat. Sed quo hæc? Indicia ſunt certiſsima Paulum non Euangelium ab vllo homine didiciſſe ſed eſſe doctum potius diuinitus. Deinde exemplum Petri & Pauli admonebit pios miniſtros verbi de mutuis officijs, vt ſe inuicem foueant, conſolentur, ament, & ſint ſuis auditoribus quaſi ſpeculum mutuæ amicitiæ & concordiæ. Huc illuſtrãdi gratia referatur Pſalmus de concordia: Ecce quam bonum & quam iucundum, &c. Et exemplum transferatur ad omnes ſtatus, Eccleſiaſticum, politicum, & œconomicum.

DE CONFIRMATIONE NARRATIONIS.

Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo non mentior.

Quia ea quæ iam expoſita ſunt clàre indicant vocationem Pauli eſſe diuinam, ſi modo à Galatis recipiantur. Ideo addit Apoſtolus eorum confirmationem à teſtimonio Dei. Deum enim ſuæ vocationis teſtem appellat. Porrò quia de loco communi iuriſiurandi in enarratione Epiſtolæ Iacobi copioſe à me dictum eſt, eo remitto lectorem.

DE PROFECTIONE PAVLI IN REGIONES SYRIAE ET CILICIAE.

Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ.

Hæc pars commendat etiam diligentiam Pauli in noua ſua functione, & eodem pertinent quo ſuperiora, videlicet, vt teſtentur vocationem Pauli ad Apoſtolatum diuinam eſſe, adeoque verum Chriſti Euangelium eſſe quod prædicat.

DE TESTIMONIO ECCLESIAE IVDAICAE.

Eram autem ignotus facie Eccleſijs Iudææ quæ erant in Chriſto, ſed ſolum audierant: qui perſequebatur nos aliquando, nunc Euangelizat fidem, quam quondam vaſtabat, & glorificabant in me Deum.

Hoc teſtimoniũ quatuor membra continet. Primum indicat quod Paulus ab Eccleſia Iudaica nihil didicerit. Quomodo enim ab eis diſceret quos non vidit. Secundum teſtatur veram eſſe ſuperiorem narrationem: videlicet quod Paulus perſecutus ſit Eccleſiam Chriſti ante conuerſionem. Tertium teſtimoniũ Eccleſiæ Iudaicæ eſt, videlicet quod Paulus conuerſus ſit diuinitus, atque adeo ipſius vocatio ſit legitima. Quartum euentum habet, videlicet quod Eccleſię Chriſti quę erant in Iudæa propter Pauli conuerſionem glorificabant Deum. Vnde conſenſus doctrinæ Pauli & catholicæ Eccleſiæ Chriſti clare cognoſcitur. Porrò loci quos præbet perſecutio & conuerſio Pauli antea notati ſunt. Nunc tantum officium piorum obſeruetur eſſe, Deum prædicare ob felicem curſum Euangelij, & ei gratias agere quoties ex hoſtibus Eccleſiæ aliquos conuerti ad fidem audiuerint.

CAPVT II.

Summa Capitis Secundi.

Vt conſenſum ſummum inter ſe & alios Apoſtolos Hieroſolymæ fuiſſe exponit Apoſtolus.

Ita An.

Ita Antiochenam inter ſe & Petrum controuerſiam narrat: Vnde dilabitur in propoſitionem principalem: videlicet quod homo fide abſq; operibus iuſtificetur. Atq; hæc propoſitio definitio eſt Euangelij Chriſti quod Paulus ſe prædicaſſe teſtatur.

Ordo & partes Capitis Secundi.

Principium huius ſecundi capitis cum fine primi ordine hiſtorico cohæret. Nam vt acta ſua ſummatim, quantum quidem ad ſuum inſtitutum facere videbatur vſq; ad finem decimiſeptimi anni à conuerſione ſua proſecutus eſt Paulus: ita hic addit ſequentia acta, & primum quid Hieroſolymis egerit: quo mandato diuino profectus eſt. Deinde quid Antiochiæ geſtum ſit, quomodo illic cum Petro de vindicanda Chriſtiana libertate concertauerit: vnde commode ſuo more dilabitur in principalem propoſitionem de iuſtificatione hominis coram Deo. Quam propoſitionẽ breuiter, ſed euidentibus argumentis vſque ad finem huius capitis confirmat: Sunt ergo tres principales partes huius capitis. Quarum prima eſt expoſitio geſtorum Pauli, poſtquam ſecundo à conuerſione ſua Hieroſolymam redijſſet. Secunda controuerſiam Petri & Pauli continet, quæ eſt generis iudicialis. Tertia definitionem Euangelij Ieſu Chriſti habet, videlicet quod Euangelium Chriſti ſit doctrina annuncians credentibus gratuitam iuſtificationem abſq; operibus legis ſola fide accipiendam. Hanc partem methodo confirmatoria tractat quæ conſtat propoſitione, confirmatione, & confutatione, & extenditur vſq; ad finem quarti capitis.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

ACTA PAVLI HIEROSOLYMÆ poſt ſecundum reditum à conuerſione.

DEINDE poſt annos quatuordecim rurſum aſcendi Hieroſolymam vnacum Barnaba aſſumto ſimul & Tito.

Hoc eſt, interiectis quatuordecim annis à deceſſu meo à Hieroſolyma in regiones Syriæ & Ciliciæ, exacto primo triennio poſt meã conuerſionem, rurſus aſcendi Hieroſolymam adiunctis ſocijs itineris Barnaba Iudæo & Tito Græco. Porrò in actis Pauli Hieroſolymæ, poſtquam eo ſecundo redijt à conuerſione, plura ſunt obſeruãda membra: quę ſingula quidem ſeorſim, & omnia coniunctim non parum momenti habent ad eam quæſtionis partem, quæ erat controuerſa, confirmandam. Primum membrum eſt quod iam attigimus, videlicet quod Paulus aſcenderit Hieroſolymã adiunctis ſibi ſocijs itineris Barnaba & Tito. Hos ſane ſibi adiunxit tanquam teſtes ſuæ doctrinæ & geſtorum in Syria & Cilicia, vt, ſi quod (inquit Ambroſius) de eo haberent ſcandalum, horũ teſtimonio tolleretur. Diſcamus ergo hinc primum miniſtrorum verbi Dei eſſe, appellare ad teſtimonia eorũ qui ſe audiuerunt, ſi quando de eorum doctrina controuerſia moueatur. Deinde miniſtri verbi atq; adeo omnes pij diſcant exemplo Pauli citra nationum & perſonarum diſcrimina omnes ex æquo complecti, qui iuxta eandem pietatis regulam viuunt, vt qui ſint eiuſdem fidei domeſtici ſub vno patrefamilias Deo, & communi mediatore Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Aſcendi autem iuxta reuelationem.

Hoc ſecundum membrũ eſt, quod vt cauſſam profectionis Pauli Hieroſolymam verſus mandatum Dei per reuelationem ſpiritualem fuiſſe indicat, ita Pauli vocationem & doctrinam nouo teſtimonio Spiritus ſancti confirmat.

Et contuli cum ipſis Euangelium quod prædico inter gentes.

Tertiũ membrum eſt, quod finem profectionis Paulinæ habet: videlicet vt conferret cum ipſis Apoſtolis de Euangelio quod prædicauit inter gentes. Hæc collatio non inſtituitur Pauli gratia, qui ſatis ſpiritu Chriſti in Euangelio edoctus fuit: ſed partim, vt Apoſtoli ſcirent vanas eſſe oblocutiones Pſeudoapoſtolorum, qui mẽtiebantur Paulum diſſentire à doctrina Apoſtolica, Partim vt factioſi homines corã conuincerentur, & vt oſtenderetur Pauli doctrina conuenire cum doctrina cęterorũ Apoſtolorum. Concordiam proinde pacem & profectum Euangelij ſpiritus Chriſti per profectionem Pauli quærit. Obſeruandum exemplũ, quod non

modo miniſtris verbi proponendum eſt, verumetiam omnibus pacis & concordiæ principem amantibus Ieſum Chriſtum.

Priuatim autem cum ijs qui erant in precio.

Quartum membrum cum quibus cõtulerit Euangelium ſuum Paulus, aperit. τοὺς δοκοῦντας vocat Apoſtolos ipſos per Antonomaſian: Quod autem non ſubterfugiat Paulus Apoſtolorum iudicium, conſenſum in doctrina coarguit. Quod exemplum monet nos vt parati ſimus ad reddendam doctrinæ noſtræ rationem, ſi quando id vlla neceſsitas poſtulauerit.

Ne quo modo in vanum currerem aut cucurriſſem.

Quintum eſt membrum neceſsitatem collationis Pauli cum Apoſtolis continens. Nec hoc intelligi debet relatione Pauli, quaſi incertus adhuc eſſet qui magnis laboribus iam decẽ & ſeptẽ annos prædicauerat Euangeliũ, ſed relatione ſimplicium & infirmorum quos conabantur Pſeudoapoſtoli auellere à doctrina Euangelij quod Paulus ipſis prædicauerat, mentientes cum ab Apoſtolis diſſentire. Exemplum hoc rurſus commonefacere debet miniſtros Euangelij, vt non ſolum recta doceant ipſi, Verumetiam vt Pſeudoapoſtolorum ora obſtruant: ne imbecillibus & infirmis ſint occaſio defectionis ab Euangelio. Deinde currẽdi vocabulũ, quo ſignificatur vſitata ſacris literis Metaphora prædicatio verbi, monet miniſtros Euangelij non vocari ad ocium & voluptates, ſed ad curſum, hoc eſt, diligentiam & induſtriam præſtandam in ſua vocatione, facit & hæc Pauli ſedula diligentia ad quæſtionis robur.

Sed neq; Titus qui mecum erat, Græcus cum eſſet coactus eſt circumcidi.

Sextum membrum eſt, argumentum euidens defenſæ doctrinæ Pauli cõtinens. ſi enim circumciſio, vt Pſeudoapoſtoli nugabantur fuiſſet neceſſaria ad iuſtificationem, nequaquam Paulus obtinuiſſet in iſto certamine Titum, qui Græcus erat, non circumcidendum fuiſſe. Sed quare Apoſtolus non patitur circumcidi Titum qui antea Timotheum circumcidi permiſit? Multæ ſunt cauſſæ. Primum enim id factũ eſt ne putaretur circumciſio neceſſaria eſſe ad ſalutem. Deinde ne Pſeudoapoſtoli hoc exemplo aduerſus Paulũ abuterentur apud gentes, in calumniam doctrinæ Pauli. Tum vt ederet exemplũ Chriſtianæ libertatis. Neq; erant Pſeudoapoſtoli parcendi, vt infirmi: ſed contemnendi, vt obſtinati. Quando autem infirmitas poſtulabat, factus eſt Paulus omnibus omnia, vt omnino aliquos ſeruaret. 1. Cor. 9. Quod igitur permiſerit Timotheum circumcidi, infirmitatis credentium inter Iudæos rationem habuit: Sed quod Titum defendit non circumcidendum eſſe, libertatis Chriſtianæ fuit quam aduerſus obſtinatos defendere oportebat. Doctrina ergo hic obſeruetur de diſcrimine infirmorum & obſtinatorum. Illis parcendum eſt, ad ædificationem: His nihil largiendum quo Chriſtiana libertas incolumis ſeruetur.

Sed propter obiter ingreſſos falſos fratres, qui ſubintroierant ad explorandum libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, quo nos in ſeruitutem adigerent, quib. ne ad horam quidem ceſſimus, per ſubiectionem, vt veritas Euangelij permaneret apud vos.

Septimum hoc membrũ eſt, continens cauſſam principalẽ collationis Pauli cum cæteris Apoſtolis. Hanc cauſſam teſtatur eſſe vindicationem Chriſtianæ libertatis, cuius rei rationem aſsignat cum ait: Vt veritas Euangelij permaneret apud vos, id eſt, vt euincerem me verum vobis prædicaſſe Euangelium. Hic primũ Pſeudoapoſtolorum ſtudia obſeruemus, quos Paulus παρεισάκτους vocat, id eſt, ſubreptitios, vt qui per dolum ſe ingerant, & callide ſe inſinuent, ventris & inanis glorię gratia: Quod ſane propriũ eſt aſſentatorum, & delatorum. Aſſentatione enim fauorem popularẽ ſibi conciliant, delatione vero aliorum famã denigrant, vt ipſi ſoli magni videantur. Additur & hic finis quem propoſuerunt ſibi Pſeudoapoſtoli, ad explorandum, inquit, libertatẽ noſtram quam habemus in CHRISTO IESV, vt nos in ſeruitutem redigant. Vtitur autem hic Paulus valde ſignificanti voce κατασκοπῆσαι. Eſt enim hoſtium, qui clam quidem quærunt quid agant aduerſarij, atq; inde modũ perdendi eos venãtur: tametſi aperte aliud prætendunt, ſimulantes amicitiam. Ad eundem modũ Pſeudoapoſtoli quærunt viã abolendi Euangelium, & vaſtandi Eccleſiam Dei: qui tamen voce ſe iactant Euangelij patronos eſſe, & pro-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

& propugnatores: quo poſsint facilius, quod volunt, hoc eſt, fideles in ſeruitutem redigere, eneruata aut prorſus ſublata Chriſtiana libertate. Proponatur pijs exemplum Pauli nihil largientis iſtis ſeductoribus, vt diligenter attendant quid agant aduerſarij, quem habeant ſcopum, cum ſua figmenta magnificis titulis commendata Eccleſiæ Chriſti obtrudere conantur.

Ab ijs autem qui videbantur eſſe aliquid.

Octauum membrum eſt per quod reſpondet calumnijs pſeudoapoſtolorum, qui Paulum tanquam vnum ex diſcipulis Apoſtolorum aſpernabantur, atque adeo ipſum longe Apoſtolis cæteris inferiorem mentiebantur, vt ita Pauli autoritas minueretur, & doctrina ipſius veniret in contemtum apud gentes. Sed Paulus contra, ſe non diſcipulum Apoſtolorum ſed Chriſti pronunciat. Affirmat enim ſe nihil ab Apoſtolis didiciſſe. Hoc exemplum Pauli non arrogantiam in pijs verbi miniſtris gignet, ſed potius monebit, vt doctrinam quam diuinitus accepit Apoſtolus ipſi diſcant, magnifaciant ac Eccleſiæ Dei proponant, non ſinentes ſe ab ea vlla Sophiſtica auelli.

(Quales aliquando fuerint nihil mea refert, perſonam hominis Deus non accipit.)

Nonum membrum eſt parentheſi includẽdum. Eſtq; anticipatio. Nam poſtquam Paulus ſe nihil ab Apoſtolis accepiſſe aut didiciſſe dixiſſet, poſſet aliquis obijcere, nihilominus Paulum inferiorẽ eſſe cęteris Apoſtolis, quos Chriſtus in tantum honoris gradum euexit. Huic obiectioni ita reſpõdet Paulus: Non moror qualeſnam ſint Apoſtoli, aut quales aliquando fuerint. Nam cum Deus ipſe in iudicio non vult perſonarum acceptionem, neq; ego in iudicio & cenſura de religione volo Apoſtolis cedere. Par enim eſt officium, par dignitas, illi à Chriſto ad Apoſtolatum vocati ſunt, ego ab eodem & vocatus & doctus ſum. Hic locus primum ſanctam quandam in præconibus verbi παῤῥησίαν cõmendat, ne videlicet, dum de religione agitur, cedant perſonarũ dignitati, ne moueantur vllis eminentiæ titulis, ſed ſint potius tenaces verbi, quod recte didicerunt, & quam nacti ſunt functionem, ne contemnant: præſertim cum ſciant ſe œconomos eſſe myſteriorum Dei, quæ inuertere homini fas non eſt. Deinde, quemadmodum hic locus fortiſſime militat contra opinionem particularitatis & indignitatis, & cõtra abuſum doctrinæ de prædeſtinatione: (Pater enim cœleſtis omnes homines amat, miſit filium quem vult ab omnibus audiri.) Ita requirit fidem & timorem ab omnibus. Huc pertinet dictum Petri, Acto. 10. In veritate comperi quod DEVS non ſit perſonarum acceptor, ſed in omni gente qui operatur Iuſticiam acceptus ſit illi. Perſonæ nomen hoc loco, vt in alijs conſimilibus metaphorice ſignificat quicquid foris patet & in oculos hominũ incurrit, ſeu perſonalem ex conditione aliqua rationem, ſiue illa ſit vilis & abiecta, ſiue illuſtris & ſuſpicienda ſine timore DEI. Vel vt clarius dicã, perſona eſt qualitas qua aliquis ab alio differt, ſiue in animo, ſiue in corpore, ſiue in rebus externis ſine vera ſanctimonia. Ita nõ docti aut rudis, nõ ſenis aut iuuenis, non ſerui aut domini, non clari aut obſcuri, non nobilis aut ignobilis, non diuitis aut pauperis, non Iudæi, aut Græci perſonæ reſpectus eſt apud Deum. Hoc igitur recte obijcit Paulus pſeudoapoſtolis qui externam prerogatiuã quandam in Apoſtolis Domini ſuſpiciebant, nulla veræ cauſſæ ratione habita. Non enim hic confert Paulus pietatis & ſanctimoniæ gradus, ſed tantum ſe cum Apoſtolis, quantum ad externam faciem attinet, comparat. In qua externa facie detenti fuerunt pſeudoapoſtoli.

Mihi enim qui videbantur eſſe aliquid nihil contulerunt.

Decimum membrum cuius ſenſus eſt hic: Apoſtoli nihil mihi contulerunt conſilijs ſuis & doctrina. Nam poſtquam expoſuiſſem Euangelium quod doceo inter gentes, viderunt quod nihil perfectius, nihil abſolutius haberent ipſi, quare ſatis teſtantur Apoſtoli & doctrinæ conſenſum & Apoſtolatus parem functionem.

Sed econtra, cum vidiſſent mihi concreditum eſſe Euangelium preputij, quemadmodum Petro circumciſionis (nam qui efficax fuit in Petro ad Apoſtolatum

Vndecimum membrum eſt, quod fœdus ſocietatis inter Paulum & Apoſtolos, primarios continet: cuius fœderis præcipua cauſſa notatur eadem officij ratio, & æqualitas: quam

circumciſionis, efficax fuit etiam in me apud gentes) cumque cognouiſſent gratiam mihi datam, Iacobus & Cephas & Iohannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras ſocietatis dederunt mihi & Barnabæ.

confirmat à pari cauſſa. Nam quemadmodum Petrus ita Paulus per ſe prorſus inutilis fuit ad tantam ſuſcipiendam prouinciam. Quare vtrunque eadem Dei virtute & efficacia æquale officium accepiſſe cõmemorat. Huc accedit gratia & donũ exercendæ demandatæ prouinciæ, quod donum in Paulo agnouerunt cæteri Apoſtoli. His igitur cauſsis moti Apoſtoli fœdus ſocietatis ineunt cum Paulo. Sed quid hæc? Validiſsime concludunt intentionem Pauli, nimirum, quod quemadmodũ ſit diuinitus vocatus ad Apoſtolatum, Sic verum Euangelium inter gentes docuerit. Habet autem hæc ratiocinatio vim ex duplici loco, videlicet à pronunciatis. Nam ipſi Apoſtoli Paulum parem ſibi in officio agnoſcunt, & à ſigno euidenti, nimirum quod Apoſtoli & Paulus fœdus ſocietatis inierint. Porrò loci qui ſe hic offerunt hi ſunt. Primus, miniſtri Euangelij vt dona Dei in ſe inuicem agnoſcere, ita propterea ſe inuicem amplecti & amare debent. Secundus, fœdus Apoſtolorum concordię ſtimulos addit miniſtris Euangelij, vt concordibus animis & doctrina regnum Chriſti promoueant.

Vt nos in gentes ipſi vero in circumciſionem.

Duodecimum membrum de partitione laboris in officio Apoſtolico. Hoc membrum vt idem quod superiora probat, ita commendat nobis ſimilem in partiendis laboribus induſtriam.

Tantum vt pauperum memores eſſemus, in quo & diligens fui vt hoc ipſum facerem.

Decimumtertium membrum eſt, euidenter conuincens Paulum nihil ab Apoſtolis didiciſſe. Nã hoc ſolum (poſtquam Paulus expoſuiſſet Apoſtolis ſuam doctrinã quam prædicauerat inter gentes & initum eſſet fœdus ſocietatis partitis laboribus) vt pauperum curam haberẽt actum eſt inter illos, ex quo ſequitur Paulum nihil didiciſſe ab Apoſtolis. Doctrina hinc ſumma neceſſaria extruatur. Exemplum enim Pauli & aliorum Apoſtolorũ monet miniſtros verbi, vt poſt curã quam habent in tradenda vera religione, ſummo ſtudio incumbant: quo pauperibus præſertim pijs proſpiciatur. Habet enim Eccleſia multos pauperes, quos Deus vult aliorum facultatibus ſubleuari.

ANTIOCHENA CONTROVERSIA.

In principio exegeſeos huius capitis diſtinxi acta Pauli quæ in hoc capite recitantur in duas partes, in res Pauli geſtas Hieroſolymę, videlicet poſt exactos decem & ſeptem annos à conuerſione, & in Antiochenam controuerſiam. Hactenus de priori parte dictũ eſt: ſequitur poſterior nimirũ Pauli cum Petro Antiochiæ habita cõtrouerſia. Controuertitur aũt hic inter Paulum & Petrum maxima de re, nimirũ de Chriſtiana libertate: ſine qua Euangelium Chriſti purum retineri nequit. Vt autem hanc controuerſiam apertius & diſtinctius intelligamus, hæc excutienda ſunt: quæ ſint huius controuerſiæ partes, quæ partium membra, quid quæſtioni conferant, & quid ſingula in ſe doctrinæ contineant. Seruat autem hic Apoſtolus iuſtæ narrationis artificium. Nam primo loco cõtractam narrationem in propoſitionis formam redigit. Deinde eandem exponit fuſius naturali circumſtantiarum ordine ſeruato, & excluſis omnibus quæ ad principalem quæſtionem nihil facere videbantur. Sunt itaq; huius narrationis duæ partes principales, propoſitio, & expoſitio.

Cum autem veniſſet Petrus Antiochiam, palam illi reſtiti, eo quod reprehenſione dignus erat.

Hæc eſt præſentis narrationis propoſitio, cuius tria ſunt membra. Primum, quod PETRVS venerit Antiochiam, qua re commendatur ipſius diligentia in propagando Euangelio, nobis in exemplum pro ratione vocationis noſtræ proponenda. Secundum, quod Paulus Petro reſtiterit, quæ res autoritatem apoſtolatus Pauli, & doctrinã nobis commendat. Niſi enim par fuiſſet autoritas, diuinus apoſtolatus, doctrina cœleſtis, nequaquã Paulus primario viro inter Domini Apoſtolos ſe oppoſuiſſet. Hinc diſcant miniſtri Euangelij nemini parcere ob dignitatis ordinem: qui vel exemplo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

vel doctrina Chriſtianam libertatem lædit. Verum interim caueant ne κενοδοξίᾳ, φιλαυτίᾳ & zelo intempeſtiuo id agant turbulẽtius, quod Chriſtiana caritas & pax Eccleſiæ, agendum ſuadet modeſtius. Tertium quod dicat Petrum reprehenſione dignum fuiſſe, quo indicat Paulus quid ſe mouerit ad reſiſtendum Petro. Tametſi autem certum eſt Petrum plenum ſpiritu Dei in doctrina minime erraſſe, tamen vt factum Petri ſcandalo fuit gentibus, ita exemplum doctrinæ non parum nocuit. Sed de hac re in expoſitione latius. Obſeruetur hoc loco quod maximi quiq; & præcipui viri in Eccleſia poſsint interdum labi & errare, quare ſeruetur Regula, quod nõ exemplis ſed verbo reuelato nitendum ſit, quoties de dogmatibus orta fuerit quæſtio.

Nam antequam veniſſent quidam à Iacobo, cum gentibus comedebat.

Expoſitio eſt quam ſecundam præſentis narrationis partem feci: Exponitur enim controuerſia Petri & Pauli: quam expoſitionem docendi cauſſa in quatuor membra diuidam. Quorum primum continet factum Petri. Secundum hypocriſin eiuſdem. Tertiũ imitationem hypocriſeos Petri. Quartum reprehenſionem Petri. Cum enim ait vna cum gentibus ſumebat cibum. Primum membrum recitatur, videlicet factum Petri. Petrus comedit cum gentibus, idq; recte fecit, vt quemadmodũ antea doctrina, ita nunc ſuo exemplo Chriſtianã libertatem confirmaret. factum proinde Petri nequaquam culpandum eſt, ſed laudandum potius, & imitandũ pijs, vt ſimili libertatis Chriſtianæ vſu alios ædificent & exemplo ſuo doctrinam confirment.

Cum autem veniſſent, ſubduxit & ſeparauit ſeipſum, metuens eos qui erant ex circumciſione.

Secundum membrum eſt, in quo duo ſpectanda ſunt. Primum genus facti, ad quod ſi reſpiciamus nihil forte caſtigatione dignum deprehendetur in Petro. Vt enim cum gentibus comedens libertatem Chriſtianam confirmauit, ita ſe ab ijſdem ſubducens infirmitati Iudæorum conſuluit. Noluit enim eos offendere exemplo, quos ſciuit infirmiores eſſe. Deinde conſiderandæ ſunt in hac ſubductione circumſtantiæ perſonarũ, & Chriſtianæ libertatis legitimus vſus, quæ duo aliud requirebant à Petro. Gentes enim, quæ iam Pauli & Petri aliorumq; concionibus doctæ erant Chriſtianam libertatem, cõfirmabantur eorum exemplo. Sed cum Petrus iam ſubduceret ſe à gentibus, poſtquã aduenißent quidem à Iacobo, Quid quæſo poterant gentes aliud ſuſpicari, quam ſe lactatas & deceptas fuiſſe? Vnde facile vel in contemtum totius doctrinę Euangelij labi poterant, vel in opinionem neceſſarij Iudaiſmi incurrere. Harum igitur gentium, vt recens plantatarum in Euangelio, & pro temporis conditioniſq; gentis ratione infirmiorũ adhuc, rationẽ haberi oportuit potius, quam Iudæorũ, qui iam plurimis annis Euangeliũ audiuerant: quiq; nunc potius pro obſtinatis quam pro infirmis habendi erant. Lapſus igitur Petri nõ ex malitia, ſed errore, & intempeſtiua συγκαταβάσει infirmitatis Iudæorũ natus, recte à Paulo reprehenditur. Exemplum etenim non parum nocuit. Atq; hoc tertium membrum eſt huius controuerſię.

Et ſimulabant vna cum eo & reliqui Iudæi, adeo vt Barnabas ſimul abduceretur in illorum ſimulationem.

Ratio reprehenſionis. Vt autem hæc rite intelligantur, & in vſum noſtrum transferantur, Obſeruanda eſt vna diſtinctio, & duæ Regulæ. Diſtinctio hæc eſt, diſcernendũ eſt inter imbecilles recte ſentientes, & imbecilles errantes. Regula prior: recte ſentientes, adhuc tamen infirmi, nequaquã ſunt offendendi prætextu infirmitatis errantium. Contra hanc Regulam deliquit Petrus, qui maiorem rationẽ habuit infirmitatis errantium Iudæorum, quam infirmitatis recte ſentiẽtium Ethnicorum. Exemplo enim deſtruxit, quod prius doctrina & exemplo ædificarat. Poſterior: ſpectandũ quid boni quidq; mali ſequatur ex vſu externo Chriſtianæ libertatis. Hanc Regulã ſi Petrus fuiſſet ſecutus, nequaquam ſubductione ſua & ſocios Iudæos, & gẽtes in ſimulationẽ abduxiſſet, maximo cum periculo Chriſtianæ libertatis. Loci qui ex hoc textu petuntur aperti ſunt. Primus, doctrina & exemplũ in miniſtris Euangelij requiritur. Secundus, cauendum ne exemplis noſtris alijs ſimus ſcandalo. Tertius, quo quiſq; in maiori dignitatis gradu conſtitutus fuerit, eo magis nocet exemplum, ſi quid delinquat. Quartus, libertas noſtra vſurpanda eſt ad ædificationem, & confirmationem eorum qui in verbo recte inſtituti ſunt.

Verum vbi vidi quod non recto pede

Quartum membrum eſt continens

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

incederent ad veritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus.

diſputationem Pauli cum Petro: in qua tria ſunt ſpectanda, Occaſio, Quęſtio, Confirmatio. Occaſio fuit quod Paulus viderit eos non recto pede incedere ad veritatem Euangelij. Eſt autem recto pede incedere ad veritatem Euangelij, & recta docere, & moribus vitaq; Euangeliũ exprimere. Non ergo recto pede incedit qui praua docet, nec recto pede incedit qui vera quidẽ docet, ſed vita & moribus ſeu exemplo à veritate Euangelij alios auocat. Ponitur aũt veritas Euangelij pro vero Euangelio, Enallage Hebræis vſitatiſsima. Recti pedis Metaphora notat & claudicationem Petri, aliorumq; in Euangelio, & indicat quis ſit conſtituendus terminus curſus miniſtrorum verbi, nimirũ veri Euangelij propagatio & defenſio. Deinde Spiritus ſanctus clare hic indicat omnes illos à vero Euangelio aberrare qui humanas traditiones Euangelicæ doctrinæ tanquam additamenta quædam adijciunt.

Quæſtio ſeu principalis ſtatus huius controuerſiæ eſt: An gentes ſint cogendæ ad Iudaiſmum nec ne. Hoc enim ſtatu probato aut confutato clarum euadet vtrum Petrus reprehenſione dignus nec ne cenſendus ſit. Nam ſi gentes non ſunt cogendæ ad Iudaiſmũ, certe dignus eſt Petrus obiurgatione, qui gentes ſua hypocriſi ad Iudaiſmum cogit. Si vero ſunt cogendæ gentes, vt recipiant Iudaiſmum, laudandus eſt profecto Petrus potius quam vituperandus, qui ſuo exemplo Iudaiſmum confirmauit. Confirmatio, qua probat Paulus gentes non eſſe cogendas ad Iudaiſmum, abſoluitur tribus validiſsimis argumentis. Sed cur Paulus non priuatim admonuit primarium Apoſtolum? An non lex caritatis ſuadet, vt fratres delinquentes clam admoneamus? Reſpondet Auguſtinus: Quod autem hoc ei corá omnibus dixit, neceſsitas coegit, vt omnes illius obiurgatione ſanarentur. Non enim vtile erat errorem, qui palam noceret in ſecreto emendare.

Si tu cum ſis Iudæus gentiliter viuis, & non Iudaicè, cur gentes cogis Iudaizare?

Hoc primum argumentũ ſumtum eſt à facto Petri, quod hoc modo abſoluitur. Si Petrus Iudæus gentiliter viuit & non Iudaicè, non debet gentes cogere ad Iudaiſmum: Sed Petrus cum ſit Iudæus gentiliter viuit & non Iudaicè. Non debet igitur Petrus gentes cogere ad Iudaiſmum. Turpe enim eſt & indignũ primario Apoſtolo aliud vita, & aliud voce docere. Totius huius argumẽtationis loco, propoſitio ſola ponitur interrogatione figurata, vt ſit acrior oratio. Porrò quid ſit Iudaizare in genere hinc collige. Nimirum opinari & ſtatuere legis ceremonias ac ritus Moſaicos neceſſarios eſſe ad Iuſtificationem, adeo vt ſine ipſis non putetur contingere iuſtificatio.

Nos natura Iudæi & non ex gentibus peccatores, ſcientes, Quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti.

Secundũ argumentum quo confirmatur accuſatio Pauli, & robur habet à tribus locis, Primo à comparatis. Secundo à communi ſententia Apoſtolorum ſeu Eccleſiæ Iudaicæ. Tertio ab axiomate ſeu principio quodam doctrinæ Euangelicæ. Nos Iudæi pronunciamus & ſcimus hominẽ non iuſtificari ex operibus legis, Ergo non ſunt gentes cogendæ ad Iudaiſmum tanquam neceſſarium ad iuſtificationem. Papiſtæ hoc loco abutentes docent iuſticiam qua conſiſtimus coram Deo & accepti ſumus conſtare ex fide & operibus. Dicunt enim hoc modo: Paulus teſtatur homines non iuſtificari operibus, niſi per fidem, id eſt, non ex operibus deſtitutis fide. ſed operibus fidem conſequentibus, ſeu coniunctis cum fide, vt illorũ ratio nitatur particula NISI: Verũ facilis eſt refutatio. Nam in ſequenti verſu manifeſte dicit: Iuſtificamur ex fide Chriſti & non ex operibus. Et in fine capitis. Si iuſticia eſt ex lege, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Deinde interpretatio illa Papiſtica pugnat apertiſsime cum ſcopo diſputationis à Paulo in hac Epiſtola ſuſceptæ: Quid ergo dicendum de particula NISI quæ exceptiua videtur? Paulus vtitur, ἐὰν μὴ, quę particulæ ſæpe pro ἀλλὰ ponuntur aduerſatiua ſeu diſcretiua particula: Quemadmodum Camerarius hoc loco recte annotauit. Præterea Linacer in Sexto de emendata ſtructura Latini ſermonis obſeruauit NISI pro ſed ſæpiſsime poni: vt in illo Terentij. Neſcio, niſi deos fuiſſe iratos mihi ſatis ſcio: qui illi auſcultauerim. Non eſt ergo quod Papiſtæ conentur expugnare gratuitam iuſtificationem particula NISI.

Et nos in Chriſtum Ieſum credimus,

Tertium argumentum eſt, ſumtum vt iu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

vt iuſtificaremur ex fide Chriſti & non ex operibus.

à cõmuni modo iuſtificationis & ſimul ab exemplo. Quotquot iuſtificãtur eodem modo iuſtificantur. Nos Apoſtoli in Chriſtũ Ieſum credẽtes iuſtificati ſumus ex fide Chriſti & nõ ex operibus legis. Ergo & gentes, quæ iuſtificantur, ex fide & nõ ex operibus Legis iuſtificari neceſſe eſt. Non igitur gentes ad Iudaiſmum tanquam adminiculum iuſtificationis cogẽdæ ſunt. Pro totó argumento ſolam minorem poſuit. Porrò præterquã quod clare euincit Paulus hac diſputatione ſuam vocationem diuinam & doctrinã verã eſſe, ad quæ duo capita ſuperius monuimus totã hanc narrationem referendam eſſe, etiam hos locos colligamus. Primus apertus eſt & proprius Euangelij, videlicet, quod fides non adiuuat opera ad iuſticiæ complementũ, nec opera fidem, ſed quod ex fide ſine operibus contingat iuſticia. Secundus, quod miniſtri verbi adeoq; omnes pij poſsint ac debeant ſibi mutuos errores oſtendere, & corrigere ſe inuicem. Tertius, quod qui iuſte corripitur ob aliquẽ lapſum bono gratoq; animo exemplo Petri correptionẽ accipiat. Quartus, quod correptio non debeat ex φιλοτιμίᾳ aut alio corrupto affectu proficiſci, ſed ex animo pio, & nitatur firmis ſolidiſq; rationibus atq; adeo tendat in ſalutem eius qui corripitur, & in aliorum ædificationem. Quintus, exemplum Petri quemadmodum recte opponitur ijs qui negant Eccleſiæ prælatos, vt vocant, errare poſſe: Ita diſcant hic pij, quando & quomodo ſanctorum exempla ſint imitãda, nimirum quatenus ipſi caput Chriſtum Dominum imitentur, iuxta regulam à Paulo traditam: Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti, &c. CÆTERVM, quia ſæpius hactenus, & ſæpiſsime in ſequenti diſputatione occurrit verbum iuſtificandi, placet hoc loco breuiter quę ſunt huius vocis ſignificationes in ſcripturis oſtendere. Duplex eſt huius verbi iuſtificandi in ſcripturis ſignificatio. Vna propria, Altera translatitia. Proprie iuſtificare ſignificat ſecundum aliquem iudicare, cauſſamq; alicuius comprobare, vt cum iudex in foro cauſſam alicuius comprobat, & ſecundũ ipſum iudicat. eſt enim forenſe vocabulũ. Deut. 25. iuſtum iuſtificent, id eſt, ſecundum iuſtum iudicent, eius cauſſam comprobent, & ſententia abſoluant. Prouerb. 17. qui iuſtificat impium, aut qui condemnat iuſtũ, vterq; eſt abominatio coram Domino. Eſaiæ 5. Qui iuſtificant impium propter munus. Translaticie tripliciter accipitur. Primũ enim à forenſi ſignificatione transfertur iuſtificandi vocabulũ ad genus, & ſignificat approbare aliquem, iuſtum agnoſcere & laudare. Vt apud Lucam iuſtificauerunt Deum, hoc eſt, iuſtum agnouerunt & confeſsi ſunt. Pſal. 51. In te ſolum peccaui, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, id eſt, iuſtus agnoſcaris. Item, illud Domini, vos iuſtificatis voſipſos coram hominibus, id eſt, iuſtos vos agnoſcitis & prædicatis. Secundo, ab hac generali ſignificatione transfertur rurſus ad ſpeciẽ aliam, vt iuſtificari ſit hominẽ à Deo propter mortem filij ſui IESV CHRISTI, condonatis peccatis & imputata Chriſti iuſticia recipi in gratiam, adoptari in Filium & deſignari hæredem vitæ æternæ Quod autem omnia hæc includantur in verbo iuſtificandi, euidentiſsime probatur hiſce Pauli verbis: Iuſtificati igitur ex fide pacem habemus cum Deo per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, per quem habemus acceſſum per fidem in gratiã iſtam in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Hac ſignificatione accipitur vocabulum iuſtificandi quotieſcunq; occurrit in hac epiſtola, & alibi in Apoſtolicis ſcriptis, quãdo diſputatur de iuſticia fidei. Tertio, transfertur à genere ad aliam ſpeciem, & ſignificat recti facti collaudationẽ atq; adeo declarationẽ iuſticiæ veræ viuæq; fidei, idq; per opera externa teſtificantia de fiducia cordis, & de iuſticia fidei, nõ ſecus atq; fructus de arbore, atq; ita accipitur in Epiſtola Iacobi.

Propterea quod non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro.

Minoris proximi argumenti probatio ſumta à genere vniuerſaliter negato, ad ſpeciem generis deſtruendam in hunc modũ: Nullus homo iuſtificatur operibus legis. Ergo nec Iudæi ipſi, & multo minus alij. Poteſt & hoc modo formari argumentum diſiunctiue. Neceſſe eſt hominẽ iuſtificari aut operibus legis aut fide Chriſti. At nemo iuſtificatur operibus legis. Ergo quicunq; iuſtificatur, fide Chriſti iuſtificatur neceſſario. Non enim ſunt aliæ viæ ad conſequendã iuſticiam. Deinde hæc Pauli ſententia (qua clauditur diſputatio inter Petrum & Paulũ atq; adeo tota illa diegetica probatio qua Paulus ſe & vocatum diuinitus & verum Euãgelium docuiſſe probat) ſequentiũ reſpectu propoſitio principalis eſt, quam quomodo tractat Apoſtolus ſupra in tractationis methodo indicatũ eſt. Teneamus igitur hãc propoſitionem firmiter, & intelligamus eam recte, vt Spiritus ſanctus eam proponit ſine Sophiſtica. Neq; enim ſentiendũ eſt cum Sophiſtis, quod hic loquatur Paulus de operibus ceremonialibus tantũ, ſed de tota potius lege & omnibus eius partibus. Nã neq; tota lex neq; vlla eius pars

iuſtificare poteſt,ſiue cum fide eam coniungas ſiue non.Sed in hac re plura in argumentorum explicatione,quibus hæc propoſitio confirmatur,ſubinde dicenda occurrunt.

Si autem quærentes iuſtificari in Chriſto, reperimur & ipſi peccatores, an non Chriſtus peccati miniſter? abſit.

Sequitur confirmatio propoſitionis, ac primo loco petitur argumentum ab abſurdo, & reſpondetur aduerſarijs. Poterant enim pſeudoapoſtoli obijcere,fatemur quidem homines fide in Chriſtum iuſtificari ex parte: Attamē vt ſit abſoluta iuſticia, legis opera addenda ſunt. Nam qui fide tantum iuſtus eſt, adhuc eſt peccator, vt qui legem non faciat. Reſpondet Paulus, ſi dum quærimus iuſtificari in Chriſto inuenimur peccatores, id eſt, nō plene iuſti coram Deo, Chriſtus profecto videtur peccati miniſter eſſe,& nō iuſticiæ,vt qui nobis occaſio ſit maioris peccati. Quia,qui ſub lege ſunt, inquit Ambroſius,ſub maledicto ſunt. Sed Chriſtus non eſt peccati miniſter, Igitur iuſtificati in Chriſto (id eſt,fide in Chriſtum)non ſunt peccatores,ſed iuſti, idq; nō ſua,ſed Chriſti perfectiſsima obœdiētia, quæ credentibus imputatur.Hic obſerua horrēdū ſcelus eorū, qui volunt opera adijcere, vt illis perficiatur iuſticia: qua corā Deo conſiſtimus. illi enim Chriſtum accuſant,vt qui ſua doctrina nō ſalutem ſed maiorem damnationem adducat.

Si enim quæ deſtruxi hæc rurſus ædifico,præuaricatorem meipſum conſtituo.

Aliud argumentum ſumtum ab effectu coniunctionis legis cum fide: Quod vt magis moueret ſeipſum exempli cauſſa propoſuit. Solent enim exempla magis incurrere in ſenſus,quam vniuerſalia pronunciata.Sed argumentū quod in exemplo latet proferamus. Quicunq; iterū ædificat ea quæ prius deſtruxit præuaricatur. i. improbat prius factum. Quicunq; iuſtificatus eſt fide,renunciata legis iuſticia, & iterum legis iuſticiā ſectari incipit,quo abſolutior reddatur fidei iuſticia,iterum ædificat quæ prius deſtruxit. Talis igitur præuaricatorem ſeipſum conſtituit, dum ſcilicet factum prius improbat & condemnat, qua ratione iterum excidit iuſticia fidei.Proinde iuſtificatus in Chriſto non debet redire ad legem, & ab ea iuſticiā quærere: quaſi adhuc peccator eſſet,& opus haberet additamētis iuſticiæ ex lege.Hæc eſt huius loci ſimpliciſsima ſententia. Exemplum huius rei habemus pulcerrimum ad Phil. 3.

Ego enim per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuam.

Anticipat obiectionem, quam aduerſarius obijcere poterat hoc modo: Lex damnat eos, qui eam non præſtant iuxta hanc legis damnatoriam ſententiam:Maledictus omnis qui non fecerit ea quę ſcripta ſunt in libro legis. Quare non videtur ſufficere fidei iuſticia ad ſalutem, Sed requiri etiam iuſticiam legis. Huic obiectioni reſpondet Paulus hoc modo. Per legē legi mortuus ſum,vt Deo viuā, id eſt,per legem,ſcilicet,mittentem me ad Chriſtum, legi ſum mortuus, quare nullum ius me damnandi habet. Hoc argumētum fuſius tractatur ad Romanos ſeptimo: vbi Apoſtolus in hunc modū loquitur.Lex dominatur homini quoad ipſe vixerit. Vbi ergo mortuus fuerit homo,non amplius obnoxius eſt legi. Verum ne quis hinc ſumat occaſionem peccandi addidit finem, cum inquit: vt Deo viuam. Quidam αὐτανάκλασιν hic eſſe putant. Vt legis vocabulum primo quidem loco ponatur pro gratia ſeu fide. Secundo vero proprie pro lege damnante,vt hic ſit ſenſus. Per legem,id eſt,per gratiam ſeu fidem, legi,ſcilicet,damnāti mortuus ſum,hoc eſt,liberatus ſum à iure legis damnantis, idq; non vt peccato indulgem,ſed vt Deo viuam,ſcilicet, in nouitate ſpiritus qua incoatur noua erga Deum obœdiētia, videlicet, vt nouus homo factus.nouam vitam viuam. Hic obſerua finē iuſticiæ fidei qui eſt,vt exemti à iure legis non peccemus, ſed potius, vt Deo viuamus. Viuere autem Deo hoc loco eſt,viuere vitam Dei: quæ vita eſt ex fide producente fructus viuos, ſalutares, Deoq; gratos.

Cum Chriſto ſum crucifixus.

Oſtendit quomodo mortuus ſit legi,nimirum quia inſertus & inſitus ſit Chriſto,qui quoniam peccata hominum in ſe recepit tanquam ipſe reus eſſet, maledictionem quoq; legis in ſe recepit,adeo vt crucifixus ſit & occiſus.Non ſolum ipſe, verumetiam in eo credentes omnes. Quare & liberi ſunt à iure legis, vt porrò non ſint ſerui legis damnantis,ſed Chriſti viuificantis, & vim legis opprimentis, per ſuam reſurrectionem. Hæc, vt admonent nos de fuga peccati,ita incitant nos ad nouam vitam degendam.Sed de hac re plura legantur ad Rom. 6.

Viuo autem non amplius ego: Sed viuit in me Chriſtus.

Dixit ſe mortuum legi vt Deo viueret, Nunc quomodo Deo viuat exprimit: Ne quis ſuſpicetur illud intelligendum eſſe de vita naturæ, quod de vita gratiæ intelligi debet: qua Chriſtus in fidelibus viuit ſua virtute, iuſticia & vita, per quem actuoſi iuſti & viui ſumus, quotquot in Chriſto ſumus per fidem. Hinc collige quam ſit auguſta iuſticia fidei præ legis iuſticia: & quam ingens decus ſit habere Chriſtum in ſe habitantem. Et contra quam indignum ſit tantũ decus vel abijcere prorſus, vel turpitudine vitæ conſpurcare. Præterea obſeruetur quod fides in Chriſtum ſit vita fidelium: vnde omnies actiones piæ animantur & viuificantur.

Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei.

Anticipatio eſt: Poterant enim aduerſarij ex dictis inferre hoc modo: Qui fieri poteſt vt cum palam viuas hominum more in carne, id eſt, vita corporali non viuas ipſe. Reſpondet, vita hæc corporalis non impedit quo minus mortuus ſim legi ſpiritualiter, & quo minus in fide viuá filij Dei. Viuere autem in fide filij Dei is dicitur, qui ſpem vitæ æternæ in ſe perficiendæ fouet, quia videlicet credit Chriſtum eſſe vitá ſuam, & vitam æternam eũ ſibi meruiſſe ſua morte.

Qui dilexit me & tradidit ſeipſum pro me.

Amplificatio eſt: in qua cauſſas vitæ, quam in Chriſto habemus exprimit: Nimirum dilectionem Chriſti, & mortem eiuſdem. Quia enim dilexit nos, mortuus eſt pro nobis, & quia mortuus eſt pro nobis ipſius morte à morte æterna liberati ſumus, modo in ipſum crediderimus. Locus obſeruandus, quod qui iuſticiam ex lege quærunt, negent Chriſtum pro ſe mortem obiiſſe, vnde ſubijcit.

Non abijcio gratiam Dei.

Aliud argumentum à conſequentibus paradigmaticos tantum notatur, vt ſuperiora: quod licet in hune modũ explicare. Si vlla ſalutis portio legi aſſcribitur, abijcitur gratia Dei, (tantum enim abijcitur de gratia Dei quantũ legi tribuitur.) Sed non eſt abijcienda gratia Dei. Igitur nulla portio ſalutis legi aſſcribenda eſt. Pro hoc toto argumento ponitur tantum minoris probatio in illuſtri exemplo. Huc pertinet præclarũ illud dictum Ambroſij: Gratia Dei aut tota ſuſcipitur aut tota reijcitur. Proinde qui partem mereri vult operibus & partem habere ex gratia, is totam gratiam abijcit. Hic primum obſeruetur quam horrẽdum ſacrilegium ſit pſeudoapoſtolorum, atque adeo omniũ qui volunt vlla ſalutis ſubſidia in vllo alio reponere quam in ſolo Chriſto. Apoſtolus noſter Romanis ſcribens teſtatur Iſraelitas fuiſſe reiectos, propterea quod voluerint iuſticiá ex operibus & fide componere, ita enim ait: ignorantes Dei iuſticiam, & propriam quærentes ſtabilire, iuſticiæ Dei non fuerunt ſubiecti. Finis enim legis Chriſtus in iuſticiam omni credẽti. Similiter ad Philip. 3. affirmat ſe Apoſtolus propriam iuſticiam æſtimaſſe, vt excrementa, vt Dei iuſticiæ quæ eſt per fidem fieret partticeps. Deinde obſeruetur hic quá abominabilis ingratitudo ſit aduerſus filium Dei, tam inæſtimabilem gratiam, qua Deus nos recipit propter mortem filij, contemnere: quod omnes ſane iſti faciunt, qui non omnibus rebus renunciatis in ſalutis negocio, Chriſtum ſolum fide amplectuntur iuſtificatorem & redemtorem.

Nam ſi per legem eſt iuſticia, ſane Chriſtus fruſtra mortuus eſt.

Confirmatur ſuperius argumentũ à deſtructo conſequente. Si per legem eſt iuſticiá (id eſt, ſi vlla bona opera lege Dei præcepta nos coram Deo iuſtos reddunt) Chriſtus eſt fruſtra mortuus (aliud enim eſt ſatisfactio quæ fit per alium, aliud noſtrũ opus aut meritum.) Sed Chriſtus non eſt fruſtra mortuus. Igitur per legem nequaquam eſt iuſticia. Chriſtus enim ideo mortuus eſt, & reſuſcitatus, vt nos credentes redimat à peccato pœnaq; peccati, vt credentes iuſtificet. Si igitur vlla portio ſalutis & iuſticiæ tribueretur legi, fruſtra pro ea cõſequenda mortuus eſſet filius Dei. Hic locus obijciatur iuſticiarijs & Papiſtis, qui non totá gratiam Chriſti recipiunt, ſed dimidiũ ſalutis operibus aſſcribunt. Confutatur enim hoc Pauli argumento ſatisfactionis commentum quo tollitur meritũ mortis Chriſti. Neq; valet quod obijciunt Papiſtę dicentes, Paulũ tantũ loqui de lege ceremoniali. Hoc enim manifeſtiſsime argumenti forma refellitur, quæ oſtendit totá legem & omnia legis opera intelligenda eſſe vocabulo legis. Vis enim conſequentiæ, & à parte legis & à tota lege eadem eſt. Siquidem ſiue per legem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

legem moralem, ſiue per legem ceremonialem, ſiue per legem iudicialem, ſiue per totam legem ſimul eſt iuſticia, Idem abſurdum ſequitur nempe Chriſtum fruſtra mortuum eſſe.

CAPVT III.

Summa Capitis Tertij.

Obiurgatis Galatis ob leuitatem ſuam, docet Apoſtolus pluribus argumentis non ex operibus, ſed ex fide tantum contingere iuſticiam: potiſſimum autem vrget exemplum Abrahæ, affirmans indignum eſſe quicquam immutare in Dei teſtamento, præſertim cum nemo audeat vel hominis teſtamentum mutare.

Ordo & partes Capitis Tertij.

Quia in fine ſuperioris capitis firmiſſimis argumentis propoſitionē de fidei iuſtificatione confirmauit, nunc more Prophetico et Apoſtolico doctrinā auditoribus accommodat, obiurgando Galatas ob defectionem ab Euangelio. Taxat igitur Apoſtolus in principio huius capitis Galatas, eò quòd à doctrina Euangelij, quam à Paulo acceperant per Pſeudoapoſtolos decepti defecerint. Obiurgationi ſubiungit noua argumenta, quibus propoſitio confirmata in ſecundo capite validius roboratur. Diluit quoque obiectiones quatuor, quas iuſticiarij contra doctrinam fidei afferre poterant. In harum dilutionum obiectionibus ſæpe aduerſariorum argumenta inuertit, eaque trahit, vt artifex ad ſuæ propoſitionis confirmationem. Atque ita in ſumma, huius capitis tres erunt partes principales; obiurgatio, confirmatio propoſitionis de gratuita iuſtificatione, & confutatio aduerſariæ ſententiæ: de quibus in Exegeſi capitis plura dicenda ſunt.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

O STVLTI Galatæ, quis vos faſcinauit, vt non crederetis veritati: ante quorum oculos Ieſus Chriſtus depictus eſt in vobis crucifixus.

Obiurgatio eſt commode, vt dixi, interpoſita: quæ abſoluitur quidem propoſitione, & ratione: acrior vero redditur, & vehemētior interrogatione, alijsq; tropis ad ἐνέργειαν lucemq; rei facientibus. Obiurgatio autem ipſa hoc Syllogiſmo clauditur. Merito ſtulticiæ accuſandi ſunt, qui ſaluatore Chriſto cognito, & fide ſemel recepto, ſinunt ſe decipi per falſos prædicatores, vt veritati non obtemperent: hoc eſt, vt deficiant à Chriſti vera iuſticia, quam habent per fidem, ad legis iuſticiam: Partē videlicet iuſticię in operibus legis collocantes. Vos Galatæ Chriſto ſaluatore cognito & fide ſemel recepto ſiuiſtis vos decipi per falſos prædicatores, vt veritati non obtemperetis. Merito igitur vos Galatę ſtulticię accuſandi eſtis. Concluſio primo loco ponitur, vt propoſitio. Deinde minor additur: ex quibus maior facile colligitur. Hæc obiurgatio grauiſsimas cōtinet admonitiones: quarū prima eſt, quod illuſio quædam Sathanica ſit, & ſpirituale faſcinum, fingere iuſticiā qua iuſtificamur coram Deo, conſtare fide & operibus ſimul, tanquā cauſsis neceſſario concurrentibus ad iuſticiam, vel, vt partibus ex quibus componatur iuſticia. Secunda, quod hoſtes veritatis ſint, & omnino infideles quotquot Chriſto prius cognito ac fide recepto, iam ad opera ſe conuertunt, tanquam adminicula perficiendæ & cōſummandæ iuſticiæ, qua iuſti corā Deo conſtituantur. Tertia, quod pij hac ſpirituali prudentia in omnibus negocijs ad ſalutem ſpectantibus prædıti eſſe debent, vt amuſsim verbi Dei, & nō ſuam carnalem ſapientiam ſequantur. Quod ſi hodie multi facerent, non ſolum ſtatus Reipub. Eccleſiaſticæ tranquillior eſſet, verumetiam hoſtibus Eccleſiæ minor calumniandi occaſio per inquieta & ſuperbia ingenia præberetur. Quarta, quod piorū miniſtrorū verbi ſit, adeoq; omnium piorum, erroribus iraſci, eoſque qui errant ſeuerius obiurgare, vt reuocentur in viam, qui quauis ratione aberrarunt. Hoc cum faciunt ſancti, nequaquam ipſorum ira culpanda eſt, vt vicium, ſed potius laudanda, vt neceſſaria virtus, præſertim ſi procedat à bono animo moderate ad bonum finem, videlicet, ad gloriam Dei & ſalutem eius qui obiurgatur. Porrò de Tropis quibus hic vſus eſt Paulus quædā adijcienda videntur. Primum hic faſcinandi ver-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

di verbum occurrit. Eſt autem faſcinare proprie vel malefico aſpectu lædere, vt in illo Virgilij: Neſcio quis teneros oculis mihi faſcinat agnos: Vel peſtifera laudatione rebus exitiũ afferre. Vnde Solinus quædam in terra Aphrica hominũ familiæ voce ac lingua effaſcinantes, quæ ſi impenſius forte laudauerint pulcras arbores, ſegetes lætiores, infantes amœniores, egregiores equos, pecudes paſtu ac cultu opimas, emoriantur repente: Vel eſt praſtigijs ſenſus ita illudere, vt non cernas ea reuera quæ ſunt ante te, ſed alia eſſe putes. Huius rei exemplum videre eſt in Vitis patrum, vbi legitur de ſancto Machario, quod oratione ſua impetrauerit tolli faſcinum à parentum oculis, qui filiam ſuam in vaccam putarunt eſſe conuerſam. Nam non niſi vaccæ forma apparebat oculis eorum. Cum tamen Macharius eam ad ſe adductam pulcram agnouerit virginem, & non vaccam. Hinc faſcinatio illuſio ſenſuum eſt: vnde fit, vt aliquis vel nõ aduertat quæ ſunt ante ipſum, vel alia eſſe exiſtimet, quam ſunt reuera. Hinc Paulus transfert vocabulum ad ſpirituale faſcinũ quod opponit veritati Euangelij, vt quæ ex aduerſo cũ faſcino illo ſpiritus pugnat. Quiſquis igitur vel recte edoctus ſeducitur, vel alioqui falſis opinionib⁹ imbuitur, ſpirituali quodá faſcino illuditur, vt faſcinum ſpirituale ſit illuſio mẽtis, qua fit, vt pro veritate errores homines amplectantur. Deinde, cum dicit Apoſtolus Chriſtum præ oculis Gallatarum depictũ & inter eos crucifixum, manifeſtus eſt tropus. Nam id non manibus Iudæorum ſed prædicatione efficaci de meritis Chriſti factũ eſſe perſpicuum eſt. Præcipue autem meminit crucis, vt materiam iuſtificationis noſtræ & λύτρον pro peccatis noſtris ſolutũ oſtẽdat eſſe victimam Ieſu Chriſti, cuius victimæ tum demũ participes efficimur, quando in Chriſtum crucifixum ſolida fide recumbimus. Hinc cõcluditur ex operibus noſtris non conſtare iuſticiam qua coram Deo conſiſtimus & iuſti habemur. Nullum enim aliud meritum eſt huius rei, id eſt, iuſticiæ conſequendæ quam vnica Chriſti victima. Deinde monentur hoc loco miniſtri Euangelij ſui officij eſſe, Chriſtum ita prædicando depingere, vt auditores vere ſibi Chriſtum crucifixum ſentiant: Quod tum demum fit, quando in conſcientijs hominum penetrant efficaci & ſincera verbi prædicatione. Contra autem qui adulterant crucis Chriſti doctrinam, diabolico faſcino ſuos illudunt auditores.

Hoc ſolum à vobis volo diſcere: ex operibus legis ſpiritum accepiſtis an ex auditu fidei?

Redit ad confirmationem propoſitionis, nimirum quod non operibus legis ſed fide Chriſti iuſtificetur homo. Argumentum autem hoc à teſtimonio Spiritus ſancti ſumtum eſt, quod in hanc formá commode includi poteſt. Illa re iuſtificamur, qua Spiritus ſanctus teſtatur nos iuſtificari: Spiritus ſanctus autem teſtatur fide iuſtificari homines, & non operibus. Ergo fides & non opera iuſtificat. Pro argumento toponitur minoris probatio ab experientia Galatarum ſumta. Galatæ enim credẽtes ſine operibus, obſignationem iuſticiæ acceperunt Spiritũ ſanctum. Quare Spiritus ſanctus euidenter teſtatur homines fide & non operibus iuſtificari. Eſt enim Spiritus ſanctus Arrhabo hæreditatis in redemtionem acquiſitæ poſſeſſionis in laudem gloriæ Dei ad Epheſ. 1.

Adeo ſtulti eſtis? cum ſpiritu inceperitis nunc carne conſumamini?

Aliud argumentum ab abſurdo, Qui à ſpiritu exorſus carne vult conſumari ſeu perfici vere amẽs & ſtultus eſt. Quid enim ſtultius quá à melioribus acceptis ad deteriora progredi? Qui fide in Chriſtum iuſtificari ſe primũ ſtatuit & nunc vult eam iuſticiam operibus perficere, ac ſi imperfecta eſſet, niſi accederet operũ iuſticia, hic à Spiritu ſancto exorſus carne vult perfici. Quicunq; igitur fide in Chriſtũ iuſtificari ſe primum ſtatuit, & nunc vult eam iuſticiam abſoluiorem per opera reddere, is vere amens & ſtultus eſt, Porrò per ſpiritum Metonymicos intelligit Apoſtolus gratiá Euangelicam, quam ſpiritus obſignat in cordibus credentium, hoc eſt, ſpiritualem Euangelij efficaciá, qua interior homo gignitur per Spiritũ ſanctum, & perficitur. Huic ſpiritui opponit Paulus carnem, id eſt, ceremonialia opera adeoque totam legẽ, ſeu merita operum. locus hic inprimis obſeruandus eſt, vt qui ſummam doctrinę Pſeudoapoſtolorũ haud obſcure nobis ob oculos ponat. Erat enim Pſeudoapoſtolorũ doctrina tribuere legi perfectionem iuſticiæ. Nam cum dicerent Chriſtum nihil prodeſſe, niſi accederet circumciſio, legem ſane Chriſto non modo conferebant, ſed etiam præferebant: cum Chriſto tantũ initium, legi perfectionæ iuſticię tribuerunt: vt qui ſalutem quærerent in iuſticia non imputata, ſeu inhærente, vt hodie Papiſtæ faciunt. Perinde igitur fecerunt Pſeudoapoſtoli tribuentes legi perfectionẽ, ac ſi quis, qui à luce cœpiſſet illuminari, ad perficiendam lucẽ tenebras accerſeret. An non talis merito amentiæ ac ſummæ ſtulticiæ accuſaretur?

Tanta

Tanta paſſi eſtis fruſtra? ſi tamen & fruſtra.

Argumentũ ab incommodo ſumtum. Qui multa paſsi ſunt pro defenſione iuſticiæ fidei, & poſtea prolabuntur ad operum iuſticiam, fruſtra & temere paſsi eſſe videntur. Vos Galatæ multa paſsi eſtis ab hoſtibus Euangelij pro defenſione gratuitæ iuſticiæ, & nunc ad operum iuſticiam prolabimini. fruſtra igitur tãta paſsi eſſe videmini. Proinde temeritatis magnę eſt, relicta fidei iuſticia, ad operum iuſticiam prolabi. Sola argumenti concluſio expreſſe ponitur, factum autem Galatarũ pro argumento ſumendum eſt. Locus hic obſeruandus eſt, quod crux iuſti, niſi quis in iuſticia perſeuerauerit, fruſtra ſit ſuſcepta. Verũ, ſi ad iuſticiã per pœnitentiam redierit, Dominus, qua eſt bonitate, priorẽm crucem abunde compenſabit. Huc pertinet correctio quã ſubijcit Apoſtolus. Si tamen & fruſtra, hac enim correctione Galatas iterum erigit, monetq; vt meliorem ſpem concipiant, modo erroris eos pœnituerit. Locus proinde hic monet obiurgationes & caſtigationes piorum paſtorum eò deſtinatas eſſe, vt non adigant lapſos ad deſperationem, ſed potius vt eos excitent ad reſipiſcentiam: quo pœnas commeritas effugere poſsint.

Qui ergo ſubminiſtrat vobis ſpiritum, & operatur in vobis virtutes ex operibus legis, an ex auditu fidei hoc facit?

Argumentum hoc à ſigno ſumtum eſt. Dona edendi miracula conſecuti eſtis per prædicationem fidei & non operum: Ergo certum indicium eſt, ex fide & non ex operibus eſſe iuſticiam, finis enim miraculorum fuit confirmatio doctrinæ: Qua confirmata, miracula quidem ceſſare debuerunt: Vſus vero nequaquam. quocirca cum nos eandem doctrinam docemus, quam Paulus & reliqui Apoſtoli docuerunt, ſciamus doctrinam noſtram miraculis ab illis editis confirmatã eſſe, adeo vt non ſit opus miraculis nouis ad doctrinam noſtram confirmandam. Quare non moremur calumniá Papiſtarum qui obijciunt nobis, quod noſtra doctrina nullis confirmetur miraculis. Proinde ſi quis quęrat, cur hodie etiã non edãtur miracula, pręter ea quę dicta ſunt, audiat Auguſtinũ, in hunc modũ reſpondentẽ. Nec miracula illa durare ad noſtra tẽpora permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quęreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit. Nec iam nobis dubiũ eſſe debet, ijs eſſe credendum, qui cum ea prædicarent quæ pauci aſſequuntur ſe tamen ſequendos populo perſuadere potuerunt.

Quemadmodũ Abraham credidit Deo, & imputatum eſt illi in iuſticiam.

Aliud argumentum eſt ab exemplo ductum: quod ideo valet, quia Abraham typus fuit iuſtificãdorum: qui omnes vno eodẽq; modo iuſtificantur: Et exemplo approbato in ſubiecto, approbatur res in genere. Vnde recte ab exemplo per locum coniugatorum concluditur. Abraham credens Deo, & non operans, eſt iuſtus reputatus apud Deũ, Ergo iuſticia quæ valet apud Deum eſt ex fide & non ex operibus. Hoc argumentum copioſe exponitur & illuſtratur, ad Roman. 4. Hic primum diligenter obſeruandum eſt, cur fides dicatur imputari ad iuſticiam. Non enim ita accipiendum eſt, ac ſi fides ipſa in ſe qua creditur Euangelio, reputetur pro iuſticia, qua ſcilicet ita iuſtus ſit aliquis, vt illi Deus propter hanc iuſticiam vitam æternam ſit daturus. Quaſi qualitas fidei tanto prȩmio digna eſſet: ſed ita potius intelligẽdum eſt, quod fides reputetur pro iuſticia, quatenus illa apprehendit iuſticiam alienam, nempe Chriſti, eamq; vt ſuam amplectitur. Eſt enim fides non cauſſa, ſed inſtrumentũ, quo oblata ꝓmiſsio ſalutis accipitur, & poſsidetur. Hoc apertiſsime ſignificatur adducto teſtimonio: Credidit Abraham Deo, ſcilicet offerenti ſibi gratiam in promiſſo ſemine. Hæc fides imputari dicitur Abraham ad iuſticiam. Proinde cum fides dicitur imputari ad iuſticiam, ad obiectum reſpicere oportet: quod intuetur fides, & materia iuſticiæ in obiecto quęrenda eſt, & non in qualitate fidei. Ita enim Paulus alibi ait: Eum qui nõ nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo. Nam vt in Adam iniuſti & rei ſumus, ita in Chriſto iuſti & abſoluti à reatu ſumus, quando in Chriſtum firma fide recumbimus. Quemadmodum enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ſic etiam per obœdientiam vnius iuſti conſtituentur multi, Rom. 5.

PORRO hic duabus calumnijs neceſſario occurrendum videtur. Quarum vna Iudaica eſt, altera Papiſtica. Iudæi accuſant Paulum malæ fidei in citando teſtimonio ex Geneſeos capite 15. Dicunt enim Iudæi haud recte torqueri ad Chriſtum & vitam æternam, quod ibi refert Moyſes de terrena promiſsione & multiplicatione ſeminis ſuper terram. Sed falluntur. perperam enim ſeparant quæ coniungenda erant. Nam fides Abrahæ primum & principali

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cipaliter reſpicit in promiſsionē Dei, qua in fœdus ſalutis, intercedente ſemine benedicto, ipſe Abraham adoptatus eſt: Deinde promiſsionem illam: Et erit ſemen tuum ſicut arena maris, includit in promiſsione adoptionis tanquam partē in toto. Quare cum Abrahā credendo oblatam gratiam amplectitur, perſpicuum eſt calumniam Iudaicā vanam eſſe. nam prouenit ex inſcitia promiſsionis principalis, in qua aliæ comprehēduntur. Altera calumnia Papiſtarum eſt, & iuſticiariorum, qui Iacobum cum Paulo committunt, vt iuſticiam ſtatuant ex fide & operibus ſimul. Proferunt enim ex Iacobo hæc verba: vis autem ſcire ô homo vane quod fides abſq; operibus mortua eſt, Abrahā pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt? offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare. vides quod fides cooperabatur operibus ipſius (id eſt efficax erat per opera ſeu obœdientiā illius) & ex operibus fides cōſummata eſt, & impleta eſt ſcriptura quæ dicit, Credidit Abraham DEO, & imputatū eſt illi ad iuſticiam, & amicus DEI appellatus eſt, videtis quod ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum: hæc Iacobus. Hoc teſtimonio Iacobi muniti Papiſtæ, opponunt ſe proterue toti Euangelio, abijciunt gratuitam iuſtificationem, & audacter reijciunt λύτρον & victimam filij Dei Domini noſtri IESV CHRISTI. Sed hallucinari Papiſtas craſsiſsime facilimum eſt oſtendere. Primum omniū obſeruandus eſt ſcopus Iacobi. Ipſe enim non diſputat in eo loco de iuſtificationis cauſſa, Sed ſtatus quæſtionis eſt, quo in loco habenda ſit fidei profeſsio, & iactatio ſine operibus, ſeu emendatione vitæ. Vnde hanc propoſitionē ſtatuit Iacobus, fides abſq; operibus mortua, hoc eſt, gloriatio ſeu iactatio fidei cui non adiuncta ſunt bona opera, vana & inanis eſt, non in corde ſed in labris reſidens. Hanc propoſitionem confirmat ab exemplo Abrahæ, deſumto ex vigeſimoſecundo capite Geneſeos: vbi manifeſte loquitur ſcriptura, non de iuſticia qua iuſtus eſt Abraham reputatus fide, ſed de declaratione potius iuſticiæ: Quam iuſticiam quindecim annis ante natum Iſaac obtinuerat Abraham, cum crederet promiſsioni gratuitæ. Cum igitur Papiſtæ, quocunque ſe vertant, non poſsint efficere vt effectus ſit prior ſua cauſſa, fruſtra omnino ex hoc loco Geneſeos contendunt iuſticiam qua iuſtificamur coram DEO in obœdientia operum conſiſtere. Verum quo nihil obſcuri ſtudioſis in hac quæſtione relinquatur, diligentius examinemus locum Geneſcos quem Iacobus in confirmationem ſuæ propoſitionis adducit.

TEXTVS EX GENESI.

Vocauit Angelus Domini Abraham de cœlo: per memetipſum iuraui, ait Dominus, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me: Benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli & veluti arenam quæ eſt in littore maris: poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obœdiſti voci meæ. Hactenus Angelus.

Hoc teſtimonio Iacobus ſuā confirmat propoſitionem, ex quo firma demonſtratione colligam, quid iuſtificari ex adducto teſtimonio poſsit in Iacobo ſignificare. Prædicatur Abraham verbis Angeli propter obœdientiam qua paratus fuit ad offerendū filium, Promittitur ſemen benedictū, promittitur copioſa poſteritas & felix, nec quicquam aliud in concione Angeli agitur. Cum igitur Iacob⁹ confirmat Abrahamum Iuſtificatū operib⁹, quia paratus legitur fuiſſe ad mactandum filium ſuum Iſaac, profecto aliud intelligere non potuit ex adducto teſtimonio, quam Abraham iuſtificatum, hoc eſt, prædicatum, laudatum, ornatum, & ampliſsima promiſsione remuneratū propter obœdientiam ex fide prȩſtitam. Vnde ſequitur iuſtificationem in Iacobo non eſſe imputationem iuſticiæ, ſed declarationem, idq; per obœdientiam ex fide profectam. Quod autē ab exemplo infert Iacobus, vides quod fides cooperatur operib⁹ illius, & operibus illius conſummata eſt, nihil aliud vult, quā ſignificare opera neceſſario fidem comitari, atq; fidē conſummari operibus, id eſt, manifeſtari hominibus ſeu demonſtrari ad homines, per obœdientiā erga Deum. Atq; ideo fidē ſine operibus eſſe inane ſpectrum, quod non meretur fidei appellationem. Quod autem addit impleta eſt ſcriptura quæ dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad iuſticiam, nihil aliud vult, quam ſignificare plenius declaratā eſſe iuſticiam fidei per obœdientiam operum. Impleri enim dicuntur, quæ plenius exhibētur, & oſtenduntur ſeu palam fiunt. Hinc iam concludit Iacobus: videtis quod ex operibus iuſtificatur homo (hoc eſt, ex fructibus agnoſcitur & approbatur eius iuſticia) & non ex fide tantum, hoc eſt, nuda & inani cognitione Dei & iactatione fidei. His ita explicatis iuxta analogiam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

logiam fidei, ex ſcopi conſideratione, & teſtimonij adducti à Iacobo vero ſenſu, breuiter colligamus firmam paralogiſmi Sophiſtarum Papalium ſolutionem. Cum igitur inferunt Papiſtæ, ex hoc loco Iacobi non iuſtificari homines coram Deo fide ſine operibꝰ, quia fides abſq; operibus mortua eſt. Reſpondeamus duplicem Paralogiſmum committi, & vtrumque peccare fallacia æquiuocationis. Primum enim fides in doctrina Pauli de iuſtificatione nō ſignificat noticiam & aſſenſum, ſed proprie fiduciam in Deum, quod vere velit nobis præſtare quod promiſit per Euangelium, ſed in Iacobo ſignificat tantum noticiam hiſtoriæ, & aſſenſum: id quod quatuor rationibus ex Iacobo deſumtis probabo.

P R I M A.

Si fidem, inquit, ſe quis dicat habere, opera autem non habeat. quid quæſo aliud poteſt Iacobus intelligere per fidem quam inanem profeſsionem, & iactationem fidei? Vera enim & iuſtificans fides eſt qua viuit iuſtus, & eſt efficax ad operandum.

S E C V N D A.

Diaboli, inquit, credunt & contremiſcunt. Iam autem certum eſt diabolos nulla fiducia præditos eſſe, cum nullam omnino ſalutis promiſsionem habeant. Quare nullam niſi hiſtoriæ, & noticiæ fidem habere poſſunt diaboli. Quod autē dicat eos Iacobus ex fide contremiſcere, ſignificat certiſsimam expectationem diabolorum, qua expectant iudicium futurum in omnes reprobos. Pugnat ergo contremiſcendi vocabulum cum proprietate fidei, quæ eſt conſolari eorum conſcientias, qui vere credunt & certam expectant liberationem ab omnibus malis, & beatam immortalitatem.

T E R T I A.

Iacobus fidem, de qua loquitur, mortuam eſſe pronunciat, eamq; confert corpori ſine ſpiritu: Iam autem ex Paulo conſtat vere credentes in fide filij Dei viuere.

Q V A R T A.

Tu, inquit, credis quoniam vnus eſt Deus. Ita autem credere eſt tantum hiſtoriæ noticiam habere, qua homines non iuſtificari haud mirum eſt.

O B I E C T I O.

Cur ergo, inquies, Iacobus ita vtitur voce fidei? an veræ fidei vim ignorat Iacobus? Reſpondeo. Iacobus loquitur ex hypotheſi hypocritarum, & per conceſsionem Rhetoricam καταχρηστικῶς vocabulo fidei vtitur, vt hac ratione confutet ſui ſeculi vanos fidei iactatores. ALTER paralogiſmus eſt in voce iuſtificandi. Paulus enim de iuſtificatione imputationis, hoc eſt, quæ eſt imputatio iuſticiæ coram Deo. Iacobus autem de iuſtificatione declarationis, hoc eſt, quæ eſt declaratio iuſticiæ coram hominibus loquitur, quemadmodum ſupra copioſius declarauimus. Cum igitur ſenſu differunt propoſitiones Pauli & Iacobi, maligne faciunt Sophiſtæ, qui fingunt Iacobum aduerſari Paulo, hoc eſt, qui mentiuntur Spiritum ſanctum ſibijpſi contrarium eſſe, cum nemo pius dubitet quin vterque ex eodem ſpiritu ſit locutus. HIS ita breuiter notatis exemplum Abrahæ altius perpendamus, & ſimul totam hiſtoriam de Abrahamo apud animum colligamus. Nam cum illi filij Abrahæ ſunt qui inſiſtunt veſtigijs Abrahæ, par eſt, vt tota ipſius hiſtoria nobis, vt norma vitæ, proponatur. Primum itaque obſeruandum eſt in exemplo Abrahæ quomodo Apoſtolus inde extruxerit gratuitam iuſtificationem de qua iam dictum eſt. Deinde circumſtantiæ iuſtificati Abrahæ expendendæ ſunt quæ non paucos locos de vita Chriſtiana continent, ex quibus præcipuos recitabo. PRIMVS, quod profeſsio vitæ Abrahæ ante iuſtificationem teſtetur ipſum nullis meritis aut præparantibus operibus à Deo receptum eſſe, ſed ſola bonitate Dei eaque gratuita. Nam antequam voce Dei de Hur Caldæorum vocatus eſt, Caldaicis erroribus imbutus fuit. SECVNDVS, quod circumciſio non neceſſario requiratur ad iuſtificationem. Eſt enim Abraham ante circumciſionem iuſtus à Deo pronunciatus, propterea quod crediderit Deo promittenti ſibi ſemen ex gratuita ſua bonitate, in quo benedicentur omnes nationes terræ. Nam cum impoſsibile ſit vt

effectus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

effectus ſit prior ſua cauſſa, fieri nequaquam poteſt vt circumciſio ſit cauſſa iuſtificationis Abrahæ, cum multis annis ante mandatam circumciſionem ſit fide iuſtificatus. Hanc circumſtantiam etiam Paulus Apoſtolus vrget ad Roman. 4. TERTIVS, quod iuſticia fidei ad omnes promiſcue pertineat. Eſt enim Abraham fide iuſtificatus antequā conſtituta eſt Iudaica Reſpublica, & antequam vllis notis diſcreti ſunt homines. Ex hac circumſtantia Prophetæ abſque dubio conciones de vocatione gentium extruxerunt. QVARTVS, quod ritus Moſaici & traditiones humanæ non requirantur à iuſtificandis. Vt enim ſine illis Abraham eſt iuſtificatus, ita qui eius exemplo iuſtificabuntur, ritus Moſaicos non requirant, & multo minus traditiones humanas. QVINTVS, quod ſine lege morali & operibus in Decalogo præceptis iuſtificemur. Nam ſi Abrahæ exemplo iuſtificamur, & is fuit iuſtificatus annis multis ante datā legem, profecto fieri non poteſt vt ex lege ſit iuſticia. Verūm ſi obijcis legem moralem fuiſſe perpetuam, ideoq; ea non caruiſſe Abrahamum, Reſpondeo nullam mercedem operibus deberi, niſi ex pacto Dei. opera enim non ſunt intrinſeca dignitate meritoria, ſed acceptione Dei, & ratione pacti. Stat ergo firma cōſequentia: Abraham iuſtificatus eſt fide promiſsionis ante editū pactum de operibus. Ergo fide & nō operibus iuſtificatus eſt. SEXTVS, Quod vera & iuſtificans fides habeat adiuncta bona opera, & obœdientiam erga Deum, quodq; nihil carius Chriſtiano eſſe debeat quā diuinæ voluntati obœdire. Nam, vt Abraham mandato Dei obœdiuit cum iuberetur mactare filium, quo nihil in mundo carius habuit. Ita pij parati eſſe debent propter mandatum Dei ad iugulandos omnes prauos affectus, atq; adeo ad componendam totam ſuam vitam iuxta normam voluntatis diuinæ. SEPTIMVS, Quod eorum, qui gloriantur de patre Abraham & non inſiſtunt veſtigijs ipſius, vana ſit gloriatio. OCTAVVS, vt Abraham eſt Typus credentium (nam eos qui iuſtificantur huius exemplo, vt dictum eſt, iuſtificari neceſſe eſt) & pater multarum gentium, ita pij vnius Abrahæ exemplo contenti ſint, nec quicquam moueantur aliorum, neſcio quorū patrum inſtitutis, parum ad regulam vitæ Abrahæ congruentibus. Nam ſolus Abraham nobis, qui ex gentibus conuertimur, typus & exemplar cum fidei tum obœdientiæ erga Deum exiſtit. Ceremoniæ quæ poſtea additæ ſunt, vt ad certum populū nempe Iudaicum pertinebant, Ita adueniente promiſſo Abrahæ ſemine ceſſare omnino debebāt, & euaneſcere nō ſecus atq; adueniente ſole tenebræ diſcutiuntur. Iam autē ſi Ceremoniæ Iudaicæ, quarum autor Deus fuit, nullum Chriſtianum obligant, multo minus hypocriticæ Monachorum regulæ, quarum plæræq; ex diametro cum verbo Dei pugnant, obligationis vim habent. Imo eos qui illis ſe ſubijciunt præcipitant in certā damnationem niſi mature reſipiſcāt. NONVS, Monet pręterea exemplū Abrahę vt in articulo ſalutis noſtræ, adeoq; in omnibus promiſsionibus Dei certi ſimus & immoti nihil plane hæſitantes. Vt enim Abraham nullis rationis aut naturæ argumentis fractus eſt, quin crederet promittenti Deo, ſtatueretq; ipſum potenter præſtare poſſe, quod clemēter promiſerat: Ita nos nihil moueamur argumentis vllis quæ in contrariū promit caro & ſanguis. Nō igitur dilatio promiſſorū, non triſtiſsima Eccleſiæ forma, non incidentes ærūnę & calamitates frangant animos noſtros, ſed πληροφορίᾳ, hoc eſt, pleniſsima fiducia exemplo Abrahæ patris noſtri perſiſtamus firmi tribuentes DEO gloriā veritatis potentiæ & miſericordiæ. DECIMVS, quod vt pij in hac vita exemplo Abrahæ poſſunt vti communibus legibus contractuū & aliarum rerum exemplo Abrahæ, Ita communibus caſibus ſunt obnoxij varijs periculis, exilio, fami, cruci, adeoq; morti ipſi, quæ pijs tranſitus eſt ab his ærumnis ad promiſſam beatitudinem. Hæc breuiter dicta ſint de hoc Abrahamico exemplo, quod ſerio per totam vitam aſpicere, meditari, operęprecium eſt omnibus ijs qui de patre Abraham iuſte & ſine hypocriſi gloriari volunt.

Cognoſcite ergo quod qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ.

Infert ex hypotheſi theſin, ſeu exemplum ſingulare ad genus trāsfert, & eſt ſenſus. Abraham pater credentium iuſtificatus eſt fide. Igitur quotquot credūt & filij Abrahæ propter imitationem fidei exiſtunt, & fide iuſtificātur, quemadmodum ipſe fide eſt iuſtificatus. Hoc pacto Paulus ad Roman. 4. accommodat exemplum Abrahæ, ita enim ait: Non eſt autem ſcriptum propter illum tantum, quod reputatum ſit illi ad iuſticiam, ſed etiā propter nos quibus reputabitur credētibus. Porrò eſſe ex fide, nihil aliud eſt, quam renunciata propria iuſticia diuinis promiſsionibus gratiæ niti, ad Rom. 4. Credenti & non operanti reputatur fides ad iuſticiam. Deinde hic obſeruemus veriſsimam & immotā definitionem filiorū Abrahæ, hoc eſt, hæredū gratuitæ iuſtificationis quæ in Abrahamiço exemplo conſpicitur. Nam hac formula qui ex fide ſunt, id eſt, vere credentes promiſsioni gratuitæ, vt Abraham fecit, tanquā cer-

ta definitione comprehendit Apoſtolus filios Abrahæ ſiue circumciſi ſunt ſiue nõ: quos ad Roma. 9. cap. filios promiſsionis nominat propter obiectum fidei qui credit promiſsioni.

Præuidens autem ſcriptura quod ex fide iuſtificet gentes Deus antè euangelizauit Abrahæ : benedicentur in te omnes gentes.

Accommodationem exempli probat teſtimonio ſcripturæ. Eſt autem Enthymematica probatio. Priori loco conſequens, poſteriori antecedens ponitur. Forma autem Dialectica hęc eſt, Omnes gentes benedicentur in te (hoc eſt, non per te, ſed quia in filijs tuis cenſebuntur omnes credẽtes, vel in te, hoc eſt, cum te ſiue tuo exemplo. Ita enim Beth præpoſitio ſæpiſsime exponi debet) Sed Abrahã eſt fide benedictus adeoq; iuſtificatus. Ergo & gentes ex fide iuſtificãtur & nõ ex operibus. Quod autem dicit Apoſtolus, Ante euangelizauit, ſignificat doctrinam gratuitæ iuſtificationis Abrahamo patefactam fuiſſe. Non eſt igitur noua doctrina Euangelium de gratuita iuſtificatione, vt calumniabantur Pſeudoapoſtoli, ſed longe ante exhibitum Chriſtum in carne fuiſſe hominibus commendatam.

Igitur qui ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli Abraham.

Illatio generalis argumẽti ducti ab exemplo Abrahæ. Primum enim accommodauit Apoſtolus exemplum Abrahæ ad genus. Deinde accommodationẽ probauit ſcripturæ teſtimonio. Iam in genere concludit credentes benedici adeoq; iuſtificari cũ fideli Abraham (ita enim Paulus hoc loco interpretatur quod ſupra dixit in te, hoc eſt, quemadmodum Abraham credens iuſtificatus eſt, Ita etiã gentes credentes iuſtificari: atq; ideo non ſimpliciter dixit benedicuntur cum Abraham, ſed cum addito, benedicuntur cum fideli Abraham, ſignificans fidẽ eſſe inſtrumentum quo oblata benedictio recipitur: quæ benedictio hoc loco non aliud eſt quã liberatio à maledictione legis, à morte æterna, fauor diuinus gratuitus, atq; adeo vita æterna. Nam Paulus diſerte maledictionem benedictioni opponit. Ex hac Pauli concluſione per locum à contrarijs concluditur, quod omnes qui per opera vel diuinæ legis præcepta ſalutem quærunt, diſcedant ab exemplo Abrahæ, & non ſint filij Abrahæ, atq; ideo maneant in ſuis peccatis, & ſub legis maledictione. Non enim conſequuntur remiſsionem peccatorum, quæ non niſi, iuxta exemplum Abrahæ, fide accipitur & non operibus, id quod clarius adhuc ſequenti argumento demonſtratur.

Quotquot enim ex operibus legis ſunt, ſub maledictione ſunt, ſcriptum enim eſt: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea.

Ratio proximi argumenti, quod diſiunctiue formari poterit hoc modo: Aut ex fide aut ex operibus eſt benedictio. Non eſt autem ex operibus, Igitur ex fide eſt benedictio adeoque iuſticia & ſalus ipſa. Quod autem nõ ſit ex operibus benedictio atq; adeo iuſticia, probat à contrarijs effectibus ſeu repugnãtibus. Quotquot ex operibus legis ſunt, ſub maledictione ſunt, atque adeo maledicti. Igitur quotquot ex operibus legis ſunt, non benedicuntur, nec iuſtificantur. Antecedens probat teſtimonio ſcripturæ, Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. Hic rurſus apertum teſtimonium habemus, quod Apoſtolus per opera legis intelligat omnia quæ lege diuina præcepta ſunt nobis, & præcipue opera decalogi. Nam niſi prorſus inſanire Sophiſtis lubet, non dicent promiſſam vitam gentibus ob Ceremonias, nec denunciatam maledictionem gentibus ob rituum Moſaicorum neglectum. Ceremoniæ enim Moſaicæ & ritus exſpirarunt adueniente Domino in carnem. Præterea, qui, ſtante Repub. Iudaica ex gentibus crediderunt, & dicebantur Religioſi, non ſeruarunt ritus Moſaicos vt Iob, Naaman Syrus, Cyrus rex Perſarum, & multi alij.

Quod autem in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuet. Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea homo viuit in eis.

Aliud argumentum ex duobus locis, nimirum à pronunciato & repugnantibus petitum. Eſt autem Epichirema Rhetoricum. Primo enim loco ponitur concluſio: Secundo loco, Maior: Tertio, minor: Quarto, minoris probatio. Redigatur autem argumentum in hanc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

in hanc formam: iuſtus ex fide viuit, Qui eſt ex lege nõ eſt ex fide. Igitur qui eſt ex lege non viuet. Si non viuet, neque iuſtificabitur. Minoris probatio eſt, qui fecerit ea homo viuet in eis. Vt autem præſens argumentum plenius intelligi poſsit, obſeruandum eſt, quod Paulus hic ſumat legem & fidem tanquã duo contraria quo ad effectum iuſtificãdi. Lex enim requirit opera, fides autem meram gratiã ſpectat. Si ergo iuſticia eſt ex fide, eſt profecto ex mera gratia. Si eſt ex mera gratia, iam non eſt ex operibus. Igitur ſi iuſticia eſt ex fide, non eſt ex operibus. Lex enim non ſpectat fidem in iuſticia, ſed opera, hoc eſt, non pronunciat Lex eos iuſtos eſſe qui crediderint ſed qui fecerint. Sunt proinde prorſus cõtrariæ duę iſtæ viæ, quia Lex in nobis quærit quod nunquã inuenit ideoq; occidit. At fides accipit ex mera gratia quod nobis deeſt, hoc eſt, iuſticiam, vt nobis videlicet imputetur, quæ in ſolo Chriſto eſt, atq; hoc reſpectu fides viuificat. Eſt igitur in hoc verſiculo fundamentũ conſecutionum ſuperiorum, quæ ex eo firmæ ſunt quod lex & fides, facere & credere, iuſticia inhærẽs & iuſticia imputata, gratia & meritũ, ſint contraria immediata, quo ad iuſtificationem: in qua requiritur perfecta & omnibus numeris abſoluta iuſticia, qualis in vno Chriſto inuenitur, cum quo per fidẽ coaleſcunt omnes ſancti, ac proinde ſaluantur. Porrò pronunciatum Abacuc explicandũ eſt. Iuſtus, inquit, ex fide viuet, hoc eſt, qui credit promiſsioni Dei, iuſtus eſt & viuet. Duo enim hic tribuit fidei Propheta, videlicet iuſtificationem, vt inſtrumento, & viuificationem, vt cauſſæ efficienti. Hoc poſterius ſæpe Metonymicos pro priori ponitur, qui enim iuſtus eſt viuet, & nemo viuet niſi qui iuſtus fuerit. Antitheſis in Prophetæ verbis obſeruetur. Ecce, inquit, extollit ſeſe is cuius anima non eſt recta in eo, iuſtus autem ex ſua fide viuet. Hic iuſtus ex fide opponitur ei qui ſe extollit, id eſt, qui de ſeipſo præſumit, & ſuis nititur viribus. is cuius anima non eſt recta in eo, id eſt, qui diffidit de DEO nec ad illum confugit. Iuſtus igitur ex fide deſperat de ſeipſo, & ſola bonitate Dei nititur: vnde & iuſticiam & vitam gratis haurit. His ita explicatis argumentum apertius conſpicitur: Fides iuſtificat, Lex non eſt fides, igitur lex non iuſtificat. Maior eſt vera quia Propheta dicit, Iuſtus ex fide viuet. Minor probatur quia Lex requirit opera, fides vero gratiam apprehendit. CONFVTATIO ſequitur, in qua diluuntur quatuor obiectiones, quæ contra ea quæ dicta ſunt de fide & lege poterant obijci. Atque ita prudenter confutationem inſtituit Paulus, vt non ſolum obiecta aduerſariorum diluat, verum etiam propoſitionem principalem fortius muniat.

Chriſtus nos redemit de maledictione legis, factus pro nobis maledictum (ſcriptũ eſt enim, maledictus omnis qui pendet in ligno) vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, vt promiſsionem ſpiritus accipiamus per fidem.

Prolepſis eſt ſeu anticipatio primæ obiectionis, quę huiuſmodi ex ſuperioribus dictis naſcitur: Si lex damnat omnes, qui eam non faciant, & nemo eam facit, an non damnationi legis obnoxij ſunt omnes? Reſpõdet Paul⁹, nos liberatos eſſe à maledictione legis. Continet autem hęc Paulina Reſpõſio quatuor circumſtantias iſtius liberationis. Quarũ prima eſt, per quẽ nã liberati ſimus. Secunda quo modo. Tertia, in quẽ finẽ. Quarta, quo medio ſiue quo inſtrumento illam liberationẽ per Chriſtum partã conſequamur. PRIMA circumſtantia per quem, exponitur hiſce verbis: Chriſtus nos redemit de maledictione legis factus pro nobis maledictũ, hoc eſt, Chriſt⁹ ſua ſatisfactione, qua Deo & legi ſatisfecit, liberauit nos à ſentẽtia damnatoria legis, adeoq; ab ipſa legis maledictione. Eſt aũt in hiſce Pauli verbis antanaclaſis figura. Priori enim loco maledictũ relatiue ſiue formaliter accipitur. Poſteriori vero ſignificat reatũ ſine fundamento, & expiationem maledictionis quæ per mortẽ Domini peracta eſt. SECVNDA circumſtantia eſt de modo, ita enim ait Apoſtolus: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Chriſtus pependit in ligno. Igitur Chriſtus eſt maledictus. Non in ſe quidẽ ſed quia ſuſtinuit perſonã noſtrã, & factus eſt hoſtia pro peccato noſtro, dũ cruci ſeu ligno affixus eſt. Nã quod impoſsibile erat legi, Deus per filiũ miſſum in mundũ pręſtitit. Fuit aũt Legi impoſsibile homines per eã iuſtificari, ac liberari à ſentẽtia damnatoria legis. Igitur Deus filiũ fecit hoſtiã pro peccato, vt per peccatũ damnaret peccatum in carne. Non ſolum vt liberaremur à maledictione legis per ſatisfactionẽ Chriſti, Verumetiã vt legis iuſticia in nobis impleretur per imputationẽ obœdientiæ Chriſti, qua ſatisfit legi, vt Chriſtus ſit conſummatio legis in iuſticiã omni credenti. Habemus paucis expreſſum fructũ paſsionis DOMINI, quæ eſt Redemtio noſtri à malodictione Legis per CHRISTI ſatisfactionem. TERTIA circumſtantia eſt finis. vt, inquit, gentibus benedictio Abrahæ contingat in Chriſto Ieſu. Benedictio autem Abrahæ eſt, quæ facta eſt Abrahæ his verbis: Bene-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dicentur in ſemine tuo omnes gẽtes. Voce benedictionis intelligitur ſynecdochicos, Remiſsio peccatorũ, iuſtificatio, adoptio in Filios Dei, donatio Spiritus ſancti, atq; adeo ſalus ipſa ac vita æterna. QVARTA circumſtantia inſtrumenti eſt quo benedictio illa ſpiritualis nobis applicatur, Vt, inquit, Promiſsionem ſpiritus accipiamus per fidẽ. fide enim benedictioné illam ſpiritualem recipimus, oblatam verbo & Sacramẽtis. Eſt & hic Synecdoche. nam vt ſupra poſuit benedictioné pro iuſtificatione & alijs donis quæ natura cum benedictione cõiuncta ſunt: Ita hic pollicitationé ſpiritus, id eſt, promiſſum ſpiritũ ponit pro peccatorũ remiſsione, iuſtificatione, & glorificatione. Nam donatio Spiritus ſancti teſtimoniũ eſt iuſtificationis cui reliquæ partes quas enumerauimus neceſſario coniunctæ ſunt. Sed quid dicemus? an Spiritus ſanctus accipitur fide? an non fidem in nobis Spiritus ſanctus creat ad prædicationem Euangelij? quo modo hæc conſiſtunt? quatenus Spiritus ſanctus in credentibus habitat & operatur in eis, fide dicitur accipi, non quod cum antea non habuerint, ſed quia nunc ſe prodit apertius, & oſtendit efficacius ſuam præſentiá, dum videlicet impellit ad ſpiritus opera ſectanda, dũ armat animatq; fideles contra carnis opera. Quatenus autem Spiritus ſanctus per verbũ & ſacramenta fidem excitat, cum verbis & Sacramentis exhibetur, & fidem in cordibus creat ordine non tempore præueniens fidem. Porrò hæc primæ obiectionis dilutio continet præcipua noſtræ Religionis capita quæ ſunt hæc. PRIMVM, quod lex damnet & obnoxios faciat maledictioni omnes homines, adeo vt nemo ſit qui non ſubijciatur maledictioni legis. Vnde colligitur nequaquá ex lege iuſticiam contingere. SECVNDVM, quod Chriſtus ſolus nos liberet à legis maledictione, adeo vt Redemtio per illum facta, nobis contingat ex gratia, & non ex vllo merito. TERTIVM, quod modus liberandi nos à maledictione legis non fuerit alius, quam Chriſti victima: quæ eſt ſufficiens λύτρον pro toto humano genere redimendo. QVARTVM, quod finis huius liberationis à maledictione legis ſit pleniſsima benedictio & ſalus credẽtium. QVINTVM, quod huius beneficij Chriſti & victimæ per fidem homines fiant participes. SEXTVM ex his omnibus propoſitionis principalis clariſsimam confirmationem colligamus. Nam ſi lex maledicit, & à legis maledictione per Chriſtum fide apprehenſum liberamur, Profecto ſequitur non operibus legis ſed fide Chriſti iuſtificari homines. Qui ergo legis ſententia maledictioni ſubiecti ſunt, Chriſti beneficio iuſtificati benedicuntur & vitę æternæ cenſentur hæredes.

Fratres ſecundum hominem dico, hominis licet teſtamentum ſi modo comprobatum ſit, nemo reijcit aut addit aliquid. Porrò Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones & ſemini eius, non dicit, & ſeminibus, tanquam de multis, ſed tanquam de vno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus: Hoc autem dico teſtamentum antea comprobatum à DEO erga Chriſtum. Lex quæ poſt annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritum, vt abroget promiſsionem. Nam ſi ex lege eſt hæreditas, iam non ex promiſsione, atqui Abrahæ per promiſsionem donauit Deus.

Anticipatio ſecundæ obiectionis, quæ huiuſmodi eſt, poſt promiſsionem factam Abrahamo data eſt lex: Ergo promiſsio aut per legem irrita facta eſt prorſus: aut non videtur ſufficere promiſsio ad iuſtificationem & benedictionem conſequendam, ſed promiſsioni addendam eſſe legem, tanquam complementũ. Summa reſponſionis hæc eſt, nihil eſt tam potens vt poſsit irritum facere pactum Dei. Pactum autem Dei eſt promiſſio facta Abrahæ & ſemini eius. (Ita enim habẽt promiſsionis verba: Ego ero Deus tuus & ſeminis tui) Ergo nihil eſt tam potens vt poſsit hanc promiſsionem violare. Itaq; nec lex data poſt quadringẽtos & triginta annos poterit hanc promiſsionem abolere. Maior probatur per locum à minore ad maius. hominis pactum confirmatũ, non reijcitur, non abrogatur nec ei additur quicquam. Ergo multo magis pactum Dei inuiolabile putádum eſt, vt nec abrogetur, nec ei aliquid adijciatur. Verum hoc fieret irritum & abrogaretur ſi ex lege eſſet hæreditas (hæreditatis nomine Synecdochicos complectitur Paulus ipſam benedictioné, adeoq; iuſtificationem & glorificationem.) Et ſi lex addenda eſſet promiſsioni, tanquam complementũ, adijceretur aliquid pacto prius à Deo confirmato. Hinc iam ex repugnantibus concludit Paulus in hunc modum confirmans ſuperius argumentũ. Nam ſi ex Lege, inquit, eſt hæreditas, iá non eſt ex promiſsione gratuita. Sed hæreditas eſt ex promiſsione. Ergo non eſt ex lege. Maior expreſſe ponitur, loco aſſumtionis confirmatio ponitur: videlicet, atqui Abrahæ per promiſsionem donauit Deus. Locus hic obſeruandus eſt cõtra eos qui pa-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

qui pactum DEI de gratuita iuſtificatione infringere conantur: quorum alij in operibus legis, alij in traditionibus humanis iuſticiá ponunt. Hi enim omnes & CHRISTO ſuum honorem detrahunt, & Deum quodammodo inconſtantiæ accuſant: Confutantur & hic Papiſtæ, qui per legem intelligunt tantum Ceremonias Moſaicas. Nam eadem eſt ratio conſecutionis. Siue enim ex lege Morali, ſiue ex quacunque alja eſt hæreditas, non eſt ex promiſsione, id eſt, ex gratia Dei per fidem. Lex enim homines reſpicit, eorumque opera. Promiſsio autem gratiá Dei & fidem in Chriſtum intuetur. Porrò hoc loco duæ calumniæ neceſſario refutandæ ſunt, quarum vna Iudaica eſt: Altera Papiſtica. Vt autem Iudaica recte diſſoluatur, obſeruanda eſt ſcripturæ conſuetudo. Sæpe enim cum de toto corpore Ecclesię agitur, Chriſtus veluti in medio collocatur, qui omnes Dei filios cõprehendit Synecdochicos. Nam non totam liberorum multitudinem qui ab Abraham orti ſunt cõprehendit ſcriptura cũ benedictionis & promiſsionis meminit, ſed tantũ eos qui inſiſtũt veſtigijs patris noſtri Abrahæ, qui ſeminis nomine cenſentur in Chriſto, qui eſt caput, reliqua in ſe mẽbra cõtinens. In Chriſto enim cõnectitur vniuerſum ſemen atq; indiſſolubili nexu cõiungitur. Quando igitur cauillantur Iudæi explicationẽ Pauli vrgentis ſingularẽ numerũ, cũ conſtet ſeminis vocabulũ in Geneſi collectiue accipi. (Quemadmodũ diſerte textus ait: Erit ſemen tuũ ſicut arena maris & ſtellæ cœli,) Reſpondendũ eſt Paulum nõ loqui de vno homine, ſed de vno genere ſeminis. Diſtinguendum eſt enim inter ſemen carnis, & ſemen promiſsionis. Paulus itaq; hic excludit ſemen carnis tantum, & in Chriſto, vt in capite, ſemen promiſsionis ad quod ſolũ pertinet promiſsio, comprehendit. Ita enim primę Cor. 12. Chriſti nomẽ tribuitur vniuerſo fideliũ cœtui vbi diſſerit de vnione, adducta ſimilitudinẽ corporis humani, quam ſimilitudinẽ accommodat his verbis: Ita & Chriſtus. Hic manifeſte Chriſti nomen tribuitur omnibus fidelibus, qui Chriſto tanquã capiti membra adhærent. Papiſtica calumnia hæc eſt, quod ex hoc loco Pauli contendant legem in tota hac diſputatione de iuſtificatione tantũ Ceremonias reſpicere & non legem moralem. Nam hãc clamitant promiſsionem factam Abrahæ præceſsiſſe, vt quæ creata vna cum homine ſit: atque ideo inferunt, aut vanã eſſe hanc Pauli argumentationẽ, aut contra ſolas Ceremonias valere. His, quemadmodũ ſuperius etiam annotatũ eſt, in hunc modum reſpondere licet. Vbi nullũ pactum interuenit, ibi nullũ acceptationis teſtimonium eſt. Sed dum facta eſt promiſsio Ahrahæ, nullum pactũ fuit de iuſticia operum. Igitur nullũ extitit acceptationis operũ teſtimonium. Non enim opera, vt ipſi Papiſtæ nobiſcum fatentur, intrinſeca dignitate meritoria ſunt, ſed acceptatione Dei & ratione pacti.

Quid igitur lex? tranſgreſſionum gratia addita fuit, donec veniret ſemen cui promiſſum erat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris, Mediator autem vnius non eſt, Deus vero vnus eſt.

Tertia obiectio eſt. Si Lex non iuſtificat, cur ergo data? Videtur ſane fruſtra data eſſe. Reſpondet Paulus, Legem non eſſe fruſtra datam ſed habere ſuum vſum. addita enim eſt propter tranſgreſsiones, non quidem tollendas ſed reuelandas: vt iſto pacto homines deueniant in agnitionem ſui peccati, & cõmeritæ damnationis: Vnde & ad promiſſum ſemen impellantur, ſine quo à Legis maledictione nemo liberari poteſt. Atq; hoc eſt, quod additur: donec veniret ſemẽ cui promiſſum fuerat, quaſi dicat, Lex ſubſeruit promiſsioni, vt homines coerceat vſq; ad aduentũ ſeminis promiſsi. Loquitur autẽ hic Paulus de tota lege & externa illa tota adminiſtratione qua vet⁹ populus regebatur vſq; ad exhibitum Meſsiam. Porrò quod nunc in Eccleſia retineatur lex Moralis plures ſunt cauſſæ, de quibus poſtea pluribus dicetur. Quod autẽ ſequitur ordinata per Angelos in manu Mediatoris, ſcilicet Moſis, ſolus Lutherus appoſitiſsime explicans digreſsiũculam eſſe dicit, in qua diſcrimen facit Paulus legis & promiſsionis ſeu Euãgelij. Eſt autem hęc ſumma diſcriminis. Lex data eſt per Angelos in manu Moſis Mediatoris Euangelium autem per Chriſtum eundemq; Mediatorem. Quare Euangelium excellere legem dubium nõ eſt. Quod autem additur, mediator autem vnius non eſt, non tantũ de Moſe, ſed in genere intelligendũ eſt. Quemadmodũ enim Moſes veteris pacti mediator fuit. Ita Chriſtus noui pacti inter Deum offenſum & hominẽ offendentem mediator exiſtit. Vnde Euangelij & promiſsionis dignitas apparet. Quod ſequitur, Deus autem vnus eſt, facit ad confirmationem ſuperiorum. Perinde ergo valet ac ſi diceret: Deus ſemper manet ſui ſimilis. Quod ergo ſemel decreuit nõ mutat. Proinde nequaquam exiſtimandum eſt, quod Lex abroget promiſsionem Abrahæ factam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Num lex igitur aduerſus promiſſa Dei? Abſit. Nam ſi data eſſet Lex quæ viuificare poſſet, vere ex lege eſſet iuſticia. Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

Quarta obiectio cum dilutione. Si lex damnat & promiſsio gratuitã offert ſalutem, promiſsio videtur eſſe contra legem & lex contra promiſsionem. Reſpondet & hic Paulus à fine legis, & oſtendit quod promiſsio reddatur illuſtrior miniſterio legis. Atq; in hunc modum argumentatur à deſtructione antecedentis ad deſtructionem conſequentis. Si Lex data eſſet quæ poſſet viuificare, hoc eſt, iuſtificare, vere ex lege eſſet iuſticia. Sed lex non data eſt quæ poteſt viuificare. Ergo ex lege non eſt iuſticia. Probatur aſſumtio à contrario effectu. Lex concluſit omnia ſub peccatum, Igitur lex non liberat à peccato nec viuificat. Sed cur ita? vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti, id eſt, ex fide in Ieſum Chriſtũ daretur credentibus, id eſt, vt credentes fide conſequerentur promiſſam Iuſticiam & remiſsionem peccatorum.

Prius autem quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex Pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, vt ex fide iuſtificaremur.

Exegeſis eſt, ſuperiorem enim ſententiam de vſu legis exponit clarius idque duplici ſimilitudine, Primũ enim legem carceri comparat, deinde Pædagogo. vtraq; aptiſsime vſum legis cõmonſtrat. Vt autem hæ ſimilitudines rectius intelligantur, quid lex, quidq; fides hoc loco ſignificet notandum eſt. Lex itaq; hoc loco neq; legem moralẽ tantum, neque Ceremonias, & iudicia, ſed totum Regimen & politiam Moſis, quæ lege Dei conſtituta fuit ſignificat: Fides autem hic ſignificat obiectum fidei, nempe Chriſtum, in quem credimus iam exhibitum & manifeſtatum in carne, ſiue tempus ipſum notat noui teſtamenti, quo clarior quædam gratiæ DEI reuelatio per prædicationem & victimã Meſsiæ contigit. His cognitis apertiores reddentur ſimilitudines propoſitæ in hunc modum. Quemadmodum carcer ſe habet ad captiuum, Ita lex Moſaica ad populũ Iſraeliticum, Sed captiuus è carcere eripitur & liberatur dato pro ipſo λύτρῳ, hoc eſt, precio capitis. Ergo & popul⁹ Dei à iure legis Moſaicæ liberatur adueniente Chriſto qui λύτρον perſoluit. Hæc prior ſimilitudo docet totius politiæ Moſaicę certum tempus fuiſſe nimirum vſq; ad Chriſtum exhibitum. Vnde iam colligitur exhibito Chriſto non debere vllos adigi ad politiam Moſaicam ſeu ritus legales ſeruandos. In hunc modum explicata ſimilitudine, ſenſus verborum Pauli clarior efficitur. Antequã, inquit, veniret fides, hoc eſt, clarior gratiæ reuelatio exhibito Chriſto, ſub lege, id eſt, ſub regimine & Politia Moſis, cuſtodiebamur in eam fidem quæ reuelanda erat, id eſt, vſq; ad tempus exhibiti Chriſti in quo fides clarior extitit. Neq; hic patribus adimitur fides, ſed tãtummodo ſignificatur clarius, coramq; repræſentari nobis, quod populo legis per Ceremonias, totiuſq; Politiæ Moſaicæ ſtatum obſcurius adumbratum fuit. Non eſt ergo diſcrimẽ inter fidem patrum & noſtram in obiecto, ſed in modo tantũ. Nam vt illi in Chriſtum exhibendũ crediderunt, ita nos in exhibitum credimus, atq; ita illuſtrior eſt noſtra fides quam illorum. Quod enim illi in figuris habuerunt, id nos reipſa poſsidemus. Altera ſimilitudo ſeu comparatio hæc eſt: Quemadmodum pædagogus ſe habet ad diſcipulos, ita ſe habet lex ad populũ Iudaicum. Sed Pædagogo certum moderationis tempus præfinitum eſt, nimirũ tempus pueritiæ. Proinde & Lex præfinito tempore ceſſare debuit. Tempus autẽ legis durabat tantũ vſq; ad Chriſtum. Igitur Chriſto exhibito lex non amplius obligat homines (intelligendũ eſt hic legis vocabulũ totam Moſaicam adminiſtrationem complecti, vt ſupra admonui) idq; ideo vt ex fide iuſtificaremur, quemadmodum Paulus hic aperte ſubiungit. Sed quomodo lex fuerit Pædagogus vſq; ad Chriſtũ, & vtrum adhuc aliquo munere fungatur, tum quomodo abrogatã eſſe legẽ intelligendum ſit, paucis explicandũ videtur. Quomodo Lex fuerit Pædagogus ad Chriſtum in partibus legis & earum finibus clare perſpici poteſt. Partes legis recitantur tres, præcepta ſeu mores, iudicia, Ceremoniæ. Præcepta itaq; cum normam veræ iuſticiæ & voluntatis Dei commonſtrabant hominibus, & cũ iniuſticiæ homines accuſabant, ſimul admonebant alibi quærẽdam eſſe iuſticiã, ſi modo maledictionis ſententiam, quã lex in omnes tranſgreſſores pronunciat, euadere vellent. Vnde, tametſi obſcurius, ad Chriſtum quærendum homines per legem impellebantur. Nam dum propria experientia teſte, legis iuſticiam aſſequi non poſſent, & Meſsiam adducturum æternam iuſticiam audirent, niſi perire mallent, cõfugerent ad quærendam Meſsiæ iuſticiam, quæ ſola fide accipienda erat. Vnde hæc confeſsio Danielis, tibi

lis, tibi Domine iuſticia, nobis autem confuſio faciei. Iudicia Moſaica minus mihi videtur ad Chriſtū impuliſſe, niſi quod cõmunia & crebra errata populi & in delinquẽtes animaduerſiones poſsint aliquo modo ad erratorū medicū impellere. Ceremoniæ efficacius Chriſtum adumbrarunt, vt circumciſio, abluſiones, ſacrificia, vt de alijs taceam. Circumciſio enim, quia fuit ſignaculū iuſticiæ fidei, ſemen Abrahæ promiſſum, hoc eſt, Chriſtum myſtice prædicauit. Abluſiones omnes admonebant Iudæos ſordium peccatorū abſtergendarum per Meſsiam. Sacrificia Typice victimam futurā adumbrarunt. Ex his facile intelligi poteſt vtrum adhuc lex Pædagogi aliquo munere fungatur an non. Nam quantū ad ceremonias & Iudicia imo quãtum ad totum attinet regimen Moſaicum, nullo nunc prorſus Pædagogi officio lex fungitur. Nam tota œconomia Moſis adueniente Domino, ſublata eſt. Verum quatenus lex moralis proponit nobis iuſticiæ normam, & arguit nos peccati atq; etiam ciuili quadam diſciplina coercet carnales, Pædagogus exiſtit & impellit nos, vt quæramus Chriſtum iuſtificatorem, niſi malimus in peccatis noſtris perire. Hinc etiā facile cõſtare poteſt quomodo lex abrogata ſit & quomodo nõ ſit abrogata. Lex moralis duas partes habet. Quarū prima eſt norma vitæ perpetua. Altera eſt de promiſsionibus & comminationibus appendix. Norma vitæ nec in hac vita nec in futura abolebitur. Deus enim perpetuā dilectionem erga ſe, & ſuam creaturam ſuo ordine requirit. Cõminationes conuerſis ſunt abolitæ, iuxta dictum Pauli, non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Item ad Galatas 3. Chriſtus pro nobis factus eſt maledictum. Promiſsiones autem ſunt pijs ratæ in Chriſto. Verum non conuerſi legi morali toti cū ſua dānatoria ſententia obnoxij ſunt, iuxta illud, Maledictus eſt omnis qui nõ fecerit omnia quę ſcripta ſunt in libro legis. Lex Ceremonialis Moſis abolita quidem eſt quo ad vſum, ſed non quo ad ſignificationem. Nam res quas figurabāt ceremonię ſunt æternæ. Lex iudicialis quo ad vſum eſt libera, poteſt enim ea magiſtratus vti vel non vti, prout viſum fuerit ſapientibus legislatoribus. At quantū ad ſignificationem attinet, perpetua eſt. Nam politia Moſis, regni Chriſti Typus erat.

Adueniente autem fide, non amplius ſub pædagogo ſumus.

Applicatio eſt poſterioris ſimilitudinis quæ ſupra ſatis declarata eſt. Per fidem intellige clariorem gratię notitiam, quæ facta eſt exhibito Chriſto, ſicuti ſupra etiam annotauimus.

Omnes enim filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu.

Confutatis obiectionibus redit Apoſtolus ad confirmationem propoſitionis, & argumentatur à cauſſarum diuerſitate ſeu differẽtia. Credentes ſunt filij Dei per fidem, quia in Chriſto Ieſu ſunt. Igitur operantes non ſunt filij Dei per legem. Proinde nec lege iuſtificantur. Locus hic obſeruandus eſt de dignitate hominum credentium Euangelio, ſunt enim adoptati in filios Dei, ac vt membra Ieſu Chriſti cenſentur coram Deo. Hæc dignitas merito monere vnumquemq; noſtrum deberet, ne quid committeremus filijs Dei indignum.

Siquidem quicunque baptizati eſtis in Chriſtum, Chriſtum induiſtis.

Quomodo filij Dei fiant credentes oſtendit, nimirum cum incorporantur, vt ita dicam Chriſto & eius membra fiunt. Cuius incorporationis efficax Symbolum eſt baptiſmus, quo promiſsionis verbū obſignatur. Symbolica ratio Baptiſmi alibi explicata eſt. Obſeruetur hic locus de vero vſu Baptiſmi, qui eſt admonere nos fidei, mortificationis, viuificationis, regenerationis & innouationis, atq; adeo quod ſimus membra Chriſti.

Non eſt Iudęus, neque Gręcus, non eſt ſeruus, neque liber, non eſt maſculus neque fœmina: omnes enim vos vnus eſtis in Chriſto Ieſu.

Oportune omnes homines exæquat in negocio ſalutis, vt etiam hoc modo iuſticiam legi adimat. Sunt autem tria potiſsimum de quibus homines gloriari ſolent, & per quæ alij alijs ſe proponunt. Quorum primum eſt natio ſeu propago. Secundum conditio, qua alij liberi, alij ſerui ſunt. Tertium ſexus. Hæc tria nullum faciunt inter homines diſcrimen, quantum quidem ad iuſtificationem attinet. Hæc non impediunt quo minus extra ſalutis negociū ſingulis pro ratione donorū & dignitate officij ſuus honos tribuatur. Locus obſeruandus eſt. continet enim vberrimam conſolationem. Clariſsime enim docet, quod nemo à Deo reijciatur vel propter nationis infamiam,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

infamiam, vel propter conditionis humilitatem, vel ob ſexus imbecillitatem: modo manſerit in Chriſto Ieſu. CONCLVDITVR etiam hinc, quod ſpes ſalutis noſtræ & gratia adoptionis, non pendeat ex lege, ſed ex miſericordia per fidem.

Si autem vos Chriſti, igitur & ſemen Abrahæ eſtis, & ſecundum promiſsionem hæredes.

Sorites eſt per quem colligit iuſticiam non eſſe ex lege ſed ex fide promiſsionis. Prima propoſitio repetenda eſt ex ſuperioribus in hunc modũ: Quotquot credunt ſunt in Chriſto Ieſu. Qui ſunt in Chriſto Ieſu ſunt ſemen Abrahæ. Semen Abrahæ ex promiſsione eſt hæres. Ergo quotquot credunt ſunt hæredes. Vnde conſequitur ex lege non eſſe hæreditatem. Quapropter neq; iuſticia ex lege eſſe poterit. Hæreditas enim & iuſticia à ſe inuicem diuelli non poſſunt. Obſeruetur hic inprimis definitio ſeminis ſeu filiorum Abrahæ. Filij enim Abrahæ non per carnalem prærogatiuam generis, ſed per imitationem fidei conſtituuntur: qui etiam filij Dei ſunt, eo quod per Chriſtum, & in Chriſto in filios adoptati ſunt iuxta dictum Iohan. 1. dedit poteſtatem filios Dei fieri ijs qui credunt in nomen eius.

CAPVT IIII.

Summa Capitis Quarti.

Vt paruulus hæres exacto tempore conſtituto à Patre liberatur à procuratoribus: Ita populus Dei, miſſo filio Dei propitiatore peccati, veluti liber hæres gaudet, legi Moſaicæ nequaquam obnoxius. Hæc res etiam olim figurata fuit in duobus filijs Abraham, Iſmaële & Iſaac, quorum ille, ex Agar ancilla: hic è matre libera natus eſt.

Ordo & partes Capitis Quarti.

Principium huius quarti capitis cohæret cum fine tertij. Nam vt in fine tertij nos liberos à lege aſfirmat per Chriſti aduentum, ita hic idem ſimilitudine declarat, & Epexergaſia Rhetorica illuſtrat. Deinde rurſus Prophetico & Apoſtolico more à doctrina delabitur in monitiones, & exhortationes: poſt quas allegorica ſimilitudine quod inſtituit de abrogatione legis claudit. Atq; ita hoc quartum caput tribus partibus abſoluitur. Quarum extremæ didacticæ ſunt, media vero parænetica.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

v. 1. DICO autem quam diu hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit Dominus omnium: Sed ſub procuratoribus eſt & œconomis vſque ad præfinitum tempus à patre: Ita & nos cum eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes.

Similitudinem ſumit à conſuetudine ciuili. Quemadmodũ hæres ſe habet ad procuratores & œconomos, ita ſe habet populus Dei ad legem. Sed hæres habet ſuæ ſubiectionis tempus certum, videlicet pueritiæ à patre præfinitum. Ergo & populus Dei non eſt perpetuo iugo legis premendus, ſed tantum ad tempus à Deo conſtitutum. Porrò ſub elementis mundi eſſe, nihil aliud eſt, quam eſſe ſub lege, quemadmodum ex ſuperioribus patet. Nam, vt rudimenta mundanæ ſcientiæ viam parant ad ſolidiorem doctrinam: Ita lex Moſaica ac regimen illud totũ, viam quandam parauit ad ſolidiorem Chriſti noticiã: quæ per ipſum reuelatũ & manifeſtatũ in carne contigit. Quare rudimentis iſtis ſuperatis iam in Chriſto conquieſcamus. Non igitur Paulus hoc loco legẽ contemnit, ſed metaphora, hoc eſt, implicita ſimilitudine tempus durationis legis expreſsit. Quę ſimilitudo prorſus idẽ docet quod duę ſuperiores de carcere & Pædagogo. Quemadmodum enim illis, ita & hac libertatem populi noui teſtamenti à lege Moſaica docet, veluti clariſsime applicatio quæ ſequitur oſtendit.

At vbi

At vbi venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem acciperemus. Quoniam autem eſtis filij, emiſit DEVS ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem, Abba pater. Itaque iam non es ſeruus amplius, ſed filius, Si autem filius, & hæres Dei per Chriſtum.

Præterquam quod accommodat Apoſtolus clarius ſimilitudinem ad populum noui teſtamenti, qui Chriſtum exhibitum fide recipit, breuiſsimo quodam ac maxime memorabili Aphoriſmo ordinem noſtræ reparationis ponit ob oculos, quando inquit: Venit plenitudo temporis, id eſt, temporis oportunitas quæ ex ſola prouidentia Dei depẽdet. Solius enim Dei fuit indicare & ſtatuere quando expediret maxime filiũ mittere. Quod quidem tempus obſcurius prædicebatur à Iacobo Patriarcha & clariſsime ab ipſo Daniele monſtratum eſt. Verum ne quis ignorantiam prætẽderet, per Eſaiam Prophetã certiſsima indicia præſentis Meſsiæ indicauit: ex quibus cognoſceretur Meſsiæ præſentia, ad quæ remittit Dominus diſcipulos Iohannis quærentes an is Meſsias eſſet, an alius expectaretur adhuc. Sequitur. Miſit Deus filiũ ſuum. Ecce initium ſalutis noſtræ caritas illa Dei ſtatuitur, qua Pater filium ſuum miſit in mundum, vt fieret victima pro peccatis mundi, vt non pereat ſed habeat vitam æternã quiſquis in eũ crediderit. Proximo loco redemtionis meminit, factæ per oblationẽ Chriſti. Ita enim ait: Factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret. Tertio noſtri adoptionem addit cum inquit: vt adoptionem acciperemus, hoc eſt, vt filij Dei fieremus. Quarto miſsionis Spiritus ſancti in corda noſtra meminit, quæ miſsio certiſsimũ pignus eſt adoptionis noſtri. Quinto loco inuocationem patris addit, quæ effectus eſt Spiritus ſancti in nobis habitantis. In hoc ordine quæ præcedunt cauſſæ ſunt ſequentium. Dilectio Dei mittit filiũ, filius miſſus liberat à peccatis. Liberati à peccatis adoptantur in filios. Filij effecti donãtur vberiori ſpiritu. Donati Spiritu ſancto per eundem, Deum patrem appellare & inuocare audent. Hæc ſit breuis rerũ huius pericopæ notatio. Nunc quid præterea ex hac pericopa colligendũ ſit videamus. Primum, cum dicit Apoſtolus, Deum emiſiſſe filium, ſignificat filium Dei antea fuiſſe quam eſt conceptus in vtero virginis, vnde concluditur ęterna eius diuinitas. Quod addit factũ ex muliere, duo innuit: Primum, quod ſine virili ſemine ex ſolo ſemine ſexus muliebris ſit natus Dominus iuxta promiſsionẽ primam & vaticiniũ Patriarchę Iacob, & Eſaię. Deinde quod is qui filius Dei, idem ſit filius hominis, ac verus homo, vna perſona in duabus naturis ſubſiſtens. Deinde obſeruemus mẽtionem hic fieri triũ diſtinctarum perſonarũ in diuinitate, Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Præterea hic textus poterit cuilibet eſſe quædam probandi norma, qua quilibet poterit de ſeipſo iudicare, atq; adeo propriam cõſcientiã examinare, incipiendo ab vltimo effectu, qui in ordine reparationis noſtri hic ponitur. Si enim quis ſerio inuocat patrem cœleſtem ex vera fide in filium Dei, inde colligat quod vere habeat Spiritũ ſanctum in ſe habitantem Arrhabonẽ hæreditatis noſtræ: quod vere ſit adoptatus à Deo in filium: Quod vere ſit liberatus à maledictione legis per victimã filij. Deniq; quod vere diligatur à patre in filio eius Ieſu Chriſto. Contra vero ſi nullus eſt inuocationis verus ardor, nullum ſtudium, indiciũ eſt minime fallax abſentis Spiritus ſancti. Si abeſt Spiritus ſanctus, ſuperiora quoq; vſq; ad primum deſiderari neceſſe eſt. Quod autẽ ſubiungitur, ex ſuperioribus facile intelligi poteſt, & ex natura relatiuorum & à iure naturæ concluditur. Credentes & inuocantes Deum patrẽ ſunt filij Dei: Ergo non ſunt ſerui, mancipia peccati. Item filij Dei ſunt hæredes Dei, Ergo & credentes, cum ſint filij, erunt hæredes, ſcilicet in Chriſto, cuius membra ſunt. Hæc admoneant nos cum dignitatis noſtræ, tum puritatis, & ſanctimoniæ vitæ. Quid enim indignius eſt, quam vt filij Dei, ſe vt porci Epicuri contaminent? Porrò in inuocationis forma quatuor ſunt obſeruanda. Primum, Clamoris vocabulum ad fiduciæ certitudinem exprimendã pertinet. Nimirũ quod credentes non dubitanter, ſed intrepide Deum patrem inuocant, freti nõ ſua, ſed mediatoris dignitate. Secundũ, Mimeſis obſeruetur. Nam cum dicit: Abba pater, imitatio eſt filij Dei, Marc. 14. ſignificatur itaq; quod omnes per Chriſtũ conſtituantur filij Dei & per ipſum exaudiantur. Tertio duplicatio per diuerſarũ linguarum voces, ſignificat per totum mundum diuulgandam eſſe gratiæ & miſericordiæ Dei prædicationem, adeo vt Deus ipſe promiſcue omnibus linguis prædicetur & inuocętur. Quarto quod proprius Chriſtianorum cultus ſit inuocatio.

Sed tũc quidẽ cũ non cognoueratis Deũ, ijs,

Altera pars huius capitis quę obiurgatiora & parenætica eſt. Nam more qui na-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

qui natura non ſunt dij, ſeruiebatis. Nunc autem cum cognoueritis Deum, imo cogniti ſitis à Deo. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſeruire vultis?

Prophetico & Apoſtolico tranſit Apoſtolus à doctrina ad obiurgationes & hortationes, vt doctrinæ veluti ſtimulos quoſdam addat. Primum itaque hic obiurgat Galatas, & obiurgationẽ exaggerat cõparatione præteriti temporis, quo in ignorantia vixerunt Galatæ ad præſentem gratiæ Dei reuelationem. Senſus autem eſt, olim ante prædicationẽ Euangelij fuiſtis Idolatræ corrupti Ethnicis ſuperſtitionibus: At nunc, poſtquam per prædicationem Euangelij verus Deus ſe vobis reuelauit, & poſtquam ex Euãgelio veram ſalutis viam didiciſtis, quæ dementia eſt rurſus verum Deum deſerere, & ad egena Elemẽta, id eſt, prauas ſuperſtitiones redire? Sed cur Paulus hic vocat Ceremonias Moſaicas egena Elementa? Reſpondeo: Ceremoniæ Moſaicæ, ſacrificia, atq; adeo tota lex conſideratur tripliciter. Extra Chriſtum, contra Chriſtum, & in Chriſto. Extra Chriſtum, cum conſuetudinis tantũ gratia ſeruantur, aut cum lucri alicuius, aut honoris ratio adhibetur. Hac ratione multi olim inter Iudæos Ceremonias defenderunt, nõ aliter quam hodie Papiſtæ ſuas ſuperſtitiones defendunt. Contra Chriſtum, cum obſeruationi iſtorum rituum aliqua iuſticię portio tribuitur, vt tempore Pauli circumciſioni, & alijs ritibus Moſaicis tribuerunt iuſticiam, quaſi nemo integre iuſtificari poſsit ſine iſtis adminiculis, quæ opinio precium ſanguinis Chriſti abolet. In Chriſto, ſed dupliciter, videlicet, ante Chriſtum exhibitum, & poſt Chriſtum manifeſtatum in carne. Ante Chriſtum exhibitum Cæremoniæ Moſaicæ nequaquam fuerunt infirma & egena elementa, ſed pia exercitia commendata hominibus diuinitus. Nam Chriſtum, quem figurabant, quodammodo in ſe continebãt. Poſt Chriſtum manifeſtatum in carne prorſus exſpirarunt Ceremoniæ Moſaicæ, ita vt non amplius ſint ſalutaria piorum exercitia. Cæremoniæ itaque Moſaicæ conſideratæ extra Chriſtum, contra Chriſtum, & poſt Chriſtum manifeſtatum in carne, prorſus ſunt infirma & egena elementa, quia vita illarum, nempe Chriſtus, ab illis abeſt. Locus hic obſeruandus eſt, qui docet quod omnes qui ad traditiones ſiue veteres Moſis, ſiue nouas hominũ quorumcunq; conuertuntur, ac in ijs aliquam iuſticiæ parrem collocant, ſint idolatræ, nihilo meliores Ethnicis qui idola ficta pro numine coluerunt.

Dies obſeruatis & menſes & tempora & annos.

Exemplum addit de obſeruatione ſuperſtitioſa temporum, idq; ideo, vt ſimile iudicium fiat de obſeruatione ciborum, lotionum, circumciſionis, & aliorum rituum Moſaicorum. Porrò quadruplex notanda eſt temporum obſeruatio, videlicet, Phyſica, Ciuilis, Eccleſiaſtica, & ſuperſtitioſa. Phyſica coniuncta eſt cum naturæ ordine fixo & perpetuo, vnde admiranda Dei ſapientia & prouidentia colligenda eſt. Hinc viciſsitudines ſunt Veris, æſtatis, autumni, hyemis &c. Huc & motus corporũ cœleſtiũ pertinent. Huius Phyſicæ obſeruationis pars quædam eſt medica obſeruatio, quę facit ad corporum humanorũ incolumitatem conſeruandã. De hac igitur obſeruatione tota cõſulenda eſt Phyſica. Ciuilis obſeruatio rebus politicis & œconomicis ſeruit. Nam ſine hac actiones forenſes & cõtractus inter homines minime ſeruari poſſunt. Eccleſiaſtica obſeruatio plane libera eſt: quæ docendi, diſcendi & precandi cauſſa à Chriſtiano populo libere ſeruatur abſq; opinione cultus, meriti, iuſticiæ, & neceſſitatis. Hæc obſeruatio etſi in Eccleſia libera eſt: tamen qui per contemtum Eccleſiæ obſeruationes vtiles, & facientes ad ædificationem violat, reus peragitur ordinis Eccleſiaſtici in Eccleſia neceſſarij, quẽ Spiritus ſanctus nobis per Apoſtolum commẽdat in hunc modum ſcribens Corinthijs. Omnia fiant ordinate & decenter. Superſtitioſa temporũ obſeruatio eſt, quando opinio cultus, meriti, iuſticiæ, & neceſsitatis accedit. Ab hac obſeruatione dependet totus Papatus qui κακοζηλίᾳ quadam, partim Ethnicas, partim Iudaicas ſuperſtitiones in Eccleſiam inuexit. Quarũ religione obſtringuntur cõſcientię & ſinceritas Euangelij tanquam impuriſsimo cœno turbantur. Atq; ideo à Paulo huiuſmodi obſeruatio iuſtiſſime damnata eſt. Eſt igitur diligenter obſeruãdum diſcrimen inter vtilem dierum obſeruationem, & pernicioſam ſeu ſuperſtitioſam. Illa enim ædificat, hæc vero deſtruit. Præterea cum Paulus teſtatur miniſtros Euangelij habere poteſtatẽ, ad ædificandum, & non ad deſtruendum, ſatis indicat, quod vt liceat ipſis vtilia tempora & feſta ordinare in Eccleſia, ita debeant ſuperſtitiones, quantum in ſe eſt, voce & autoritate abolere. Ita tamen vt nihil per tumultum, ſed vt omnia, matura deliberatione cum ijs quorum intereſt habita, gerantur.

Timeo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Timeo de vobis, ne forte erga vos fruſtra laborauerim.

Amplificat à periculo. Nam hiſce verbis ſignificat eos nullum fructum percepturos ex Euangelio, quotquot traditionibus Moſaicis aut humanis aut vlli rei, præterquam ſoli Chriſto, tribuunt vel totam vel partem iuſticiæ. Nam hic agit Apoſtolus aduerſus eos qui ritus Moſaicos tanquam complementum iuſticiæ Galatis obtrudere voluerunt. Obſeruandus igitur inprimis hic locus eſt, qui docet fruſtra laborare miniſtros Euangelij, vbi ritus Moſaici aut humanæ traditiones cultus gratia defenduntur.

Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos.

Admonet Galatas vt ſint memores mutui officij & analogi, hoc eſt, vt ſe dociles præbeant & amantes ſui: cum ipſe omnia faciat in ipſorum ſalutẽ. Locus hic obſeruandus eſt de moderanda obiurgatione, ne videlicet miniſtri Euangelij modũ excedant, & remedium in venenũ conuertant. Ita enim miniſtri Euangelij obiurgare debent lapſos, vt non in deſperationem adigant eos, quorum ſalus quærenda fuit, ſed vt in media obiurgatione ſpẽ veniæ, ſi modo obiurgati reſipiſcunt, polliceantur. Sicuti enim omnia ita etiam obiurgationem ad ædificationem referre debent ſinceri Euágelij præcones: quod tum demum rite facient, vbi paternum affectum erga Eccleſiam habuerint. Moneat proinde hoc Pauli factum miniſtros verbi, vt ſe ingenijs auditorum pie accommodent, ac conforment, quoad fieri poteſt, vt auditores intelligant ſe eſſe non ſub rigidis exactoribus ſemper ſuperbas minas æſtuantibus, ſed potius ſub amicis monitorib⁹ & ſalutis ſuæ vere amantibus: vt qui pio affectu & paterno officium facere videantur.

Fratres obſecro vos nihil mihi feciſtis iniuriæ, noſtis autem, quod per imbecillitatem carnis euangelizauerim vobis prius, & experimentum mei quod erat in carne mea, non pro nihilo habuiſtis, neq; reſpuiſtis, ſed me vt Angelum DEI, vt Chriſtum Ieſum recepiſtis.

Anticipat calumniam Pſeudoápoſtolorum, qui Paulum inimicum Galatarum & hoſtem eſſe mentiebátur: quo ipſi autoritate Pauli labefactata pluris fierent apud Galatas. Tribus autem argumentis hanc calumniam confutat Apoſtolus. Quorũ primum eſt quod nulla offenſa interceſſerit. Fratres, inquit, obſecro vos nihil me læſiſtis, id eſt, nihil mihi feciſtis iniuriæ, ob quam iniuriam in vos aſperior eſſem. A pietate enim & vera virtute alienum eſt, ſi ei perrexeris moleſtus eſſe, à quo non prior ſis læſus. Secundũ petitur à labore & diligentia in prædicando Euágelio præſtitis. Scitis, inquit, quod per imbecillitatẽ carnis Euangelizauerim vobis iam pridẽ. Vnde facile colligere poteritis meas obiurgationes eo nõ tendere, vt quæram meã gloriam. Imbecillitas enim carnis hoc loco opponitur pompę, gloriæ, ſplendori, & dignitati carnis, quibus Pſeudoapoſtoli tumebant & ſuperbiebant: Etſi voluerunt videri omniũ humilimi, qui oues foris apparẽt, cum intus ſint lupi rapaces: qui blandis verbis adulantur hominib⁹, ſed peſtifera doctrina pungunt animos. Tertium petitur ab officio Galatarum erga Apoſtolum. & tentationem, inquit, meam in carne non aſpernati eſtis neq; reſpuiſtis, ſed ſicut Angelũ Dei excepiſtis me: imo ſicut Ieſum Chriſtum. Cum igitur tanta fuerit veſtra erga me humanitas, quî fieri poteſt, vt vos tanquã inimicos & hoſtes inſecter? Eſſet enim extremæ ingratitudinis pro tanto officio maleficiũ reddere. Locus hic inprimis obſeruandus eſt. monet enim quo in loco habendi ſint ſinceri verbi Dei præcones. Debent ſiquidem non aliter à nobis excipi quam Angeli Dei ac ipſe Dominus Ieſus Chriſtus. Sunt enim vt Angeli excipiendi propter officij ſimilitudinem, idq; quantum ad affectus & reuerentiam attinet. Sunt etiam recipiẽdi, vt Chriſtus Ieſus, videlicet ratione doctrinæ, quam docent Chriſti nomine. Sic enim ipſe Dominus ait: Qui vos audit, me audit. Sicuti enim legati, propter eum qui miſit eos honorátur & audiuntur, ita miniſtri Euangelij propter Chriſtum qui eos miſit honorãdi & audiendi ſunt. Honorandi quidem non honore cultus, ſed reuerentiæ. Audiendi vero, vt vox ipſa Domini, donec quæ Domini ſunt proferunt. Nam qui alienam vocem ſonant, quam Domini, non legati Chriſti, ſed Sathanæ potius cenſendi ſunt. Quare vt Anathemata fugiendi iuxta illud in primo: Si quis aliud euangelizauerit, anathema ſit. Hinc pręterea facile intelligi poteſt in quo loco habendi ſint qui pios miniſtros verbi oderunt, traducunt, perſequuntur, iiſq; ſubtrahunt neceſſaria. Huiuſmodi enim homines ſpiritu Sathanæ impelluntur ad obruendam lucẽ Euangelij. Admoneantur quoq; hic miniſtri Euangelij maieſtatis officij ſui, & dignitatis. Quę enim maior maieſtas? quę maior dignitas? quã legatione

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Chriſti fungi, & tanquam Chriſtum ipſum recipi. Caueant igitur ſummo ſtudio, ſummaque diligentia, ne ſua ſe φιλαυτίᾳ, ne vitæ impuritate odibiles reddãt Eccleſiæ Chriſti: quod cum fit, non ſolum maculant gloriam illam Chriſti ad quam euecti ſunt, verumetiam accerſunt ſibi pœnas iuſtiſſimas cum defectionis turpis, tum ſcandali peſſimi. Non enim ſibi ſolis accerſunt iudicium, verumetiam alijs peſſimo exemplo nocent. Quare vt illi qui rite funguntur officio, duplici ſunt honore digni, ita hi duplicibus pœnis ſunt puniendi.

Vbi ergo eſt beatitudo veſtra?

Quaſi diceret totum pietatis ſtudium quod hactenus in vobis fuit & à multis prædicatũ, ſine fructu vobis peribit, niſi Iudaicis ſuperſtitionibus deſertis, redeatis ad ſinceritatẽ Euangelij, atq; in ea permaneatis. Non enim beatus eſt qui bene cœpit, niſi etiã in bene cœptis perſeuerauerit. Ita enim Dominus ait: Beatus qui perſeuerauerit vſq; ad finẽ. Nam qui à bene cœptis deficit, comparatur porco, qui, poſtquã ablutus eſt, redit ad volutabrum cœni, in quo magis ſe coinquinat. Cõmendatur ergo nobis hoc loco perſeuerantia in bono. Nã qui deficiunt à via recta, beatitudine & iuſticia excidunt, cuius antea erant participes, & vt Apocalypſis loquitur, delentur de libro vitæ. Huc illud Ezechielis: Si auertit ſe iuſt⁹ à iuſticia ſua, nunquid viuet? quaſi dicat, minime. Qui igitur ſtat, videat ne cadat.

Teſtimonium enim perhibeo vobis, quod ſi fieri potuiſſet oculos veſtros effoſſos dediſſetis mihi.

Suo teſtimonio confirmat Apoſtolus qualenam fuerit pietatis ſtudium in Galatis. Nam qui ex animo amant verbi præcones, haud dubie veræ pietatis ſtudioſi ſunt. Obſerua notã piorum auditorũ verbi, & ex antitheſi collige qualeſnam illi ſint, qui vel minima commoda ſuis paſtoribus inuident: qui vix teruntium, nedum oculos effoſſos illis darent. Vnde colligitur quod veræ pietatis ne micam quidẽ habeant.

Itaque inimicus vobis factus ſum veritatem dicens vobis?

Concluſio eſt cõfutationis calumniæ Pſeudoapoſtolorum. Ambroſius ſenſum ſic reddidit: Quia non poteſt fieri vt inimicus vobis ego ſim, quorum tanta ſenſi obſequia: Sed quia nemo ſe argui vult errantem, iccirco inimicus vobis videor, iuſte vos reprehendens: Hæc ille. Obſeruemus hic inconſtantiam vulgi, quam non ſolum Paulus, verumetiam Dominus ipſe expertus eſt. Tantiſper enim fauorem populi retines, donec quæ placent audit. Verum ſi ex officio errata ipſius in medium produxeris, hoſtem tibi & inimicum conciliaſti. Quem enim hodie laudant, amplectuntur, fouent, cras rurſus vituperant, perſequuntur, profligant, damnant. nec eſt quod pius Euangelij miniſter aliam gratitudinem à vulgo expectet.

Aemulantur vos non bene, imo excludere vos volunt, vt ipſos æmulemini.

Translatione vtitur ad moliẽdam reprehenſionem, ex parte enim Pſeudoapoſtolis defectum Galatarum à puritate Euangelij imputat. Illi enim zelum ſingularem & ſtudium intimi amoris ſimulantes, deceperunt Galatas: qui tamen reuera nihil quærebant aliud, quam vanã gloriam, quam vt eſſent in ſummo pretio apud Galatas, quam vt eorum magiſtri & doctores in vera pietate colerentur. Indoles igitur falſorum Doctorũ hic exprimitur. Nam dum zelum ſimulant, aurem popularem captant. Deinde via fallendi Pſeudoapoſtolorum hic deſcribitur. Primum enim huc omnes ſuos conatus referunt, vt animos auditorũ à veris & pijs miniſtris auertant, quæ præclara ſunt in illis extenuando, & quæ vicioſa exaggerando, poſtea, parata hac via, ſecurius agunt omnia.

Bonum eſt autem æmulari in re bona ſemper, & non ſolum cum præſens ſim apud vos.

Procatalepſis eſt, poterant enim obijcere: Nos te quoq; ęmulati ſumus dum apud nos præſens eras, Cur non etiam licebit nobis præſentes noſtros inſtructores æmulari, id eſt, vehementer amare. Reſpondit Paulus per diſtinctionem. Bonum eſt, fateor, æmulari ſed non in quauis re. Si in bona re quis æmuletur, honeſta ſane & bona eſt, æmulatio: qua non ſolum præſentes verumetiam abſentes æmulari licet. Vt enim ſemper honeſta æmulatio probanda eſt, ita perpetuo inhoneſta æmulatio improbanda eſt & damnanda.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Filioli mei quos rurſus parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.

Blandius rurſus compellat Galatas,& ſuum paternum animum erga ipſos declarat, dum eos quidem filios nominat, Se vero parturienti comparat, donec formetur Chriſtus in ipſis. Hic locus plures ſuppeditat doctrinas & admonitiones. Inter quas hæ ſunt præcipuæ. Prima, qualiſnam affectus in miniſtris Euangelij eſſe debeat erga ſuos auditores, nẽpe talis, qualis eſt matris erga tenerrimã prolem. Quemadmodũ enim illa gaudet de ſucceſſu infantis proſpero, & rurſus dolet ſi quid moleſti ei eueniat: Ita pius Euangelij miniſter affectus eſſe debet, de profectu ſuorũ gaudebit, defectũ vero deplorabit, non minus quam honeſta & pia mater morbos ſuarum proliũ & mortẽ deplorat. Qui autẽ hoc affectu non ſunt præditi, nihil minus ſunt quam paſtores. non enim ſincere officiũ faciunt, non paſcunt oues Chriſti, ſed potius ſeipſos ſaginant: cuius rei pœnas ſuo tempore luent. Secunda, dignitas miniſterij verbi, videlicet, quod deſtinatum ſit rei omnium maxime expetendæ, nimirũ regenerationi: qua nos naſcimur in Chriſto, & Chriſtus in nobis, dum ipſius membra efficimur, & eius vita viuimus. An non Dei eſt proprium ſpiritualiter gignere & parere? Reſpondeo. Verum quidem eſt, ſed miniſterio tribuitur, vt inſtrumento, quo Deus vtitur in hoc ſpirituali partu. Deus enim eſt qui gignit in filio. Verbum Dei ſemen eſt incorruptibile. Spiritus ſanctus eſt vita & vis ſeminis. Miniſterium Eccleſiæ eſt organum. Hinc prodeunt filij Dei, hoc eſt credentes. Tertia, aboletur Chriſtus & quaſi informis fœtus redditur, vbi legis & traditionum humanarũ iuſticia prędicatur. Nam qui legis iuſticiã prædicat, aut qui humanarum traditionum neceſsitatem docet, is reuera iuſticiã Chriſti negat, atq; adeo toti Chriſto renunciat. Gratia enim Dei in Chriſto aut tota ſuſcipitur aut tota reijcitur. Quarta, pugnat hic locus contra Anabaptiſtas, & alios, qui vocale verbum, & externum miniſteriũ Euangelij abolere conantur. Quod cum faciunt gratiam Dei abolẽt, viam ſalutis intercludunt, ſepeliũt beneficia Chriſti, Breuiter Chriſti nomẽ vt fideliſsima Sathanæ mancipia è medio tollunt, & regnum Sathanæ ſtabiliunt. Quinta, confutat hic locus Nouatianos & Anabaptiſtas qui lapſis reditũ ad pœnitentiã ſacrilege negarũt. Hinc enim Paulus lapſos Galatas reuocat. Tametſi autem nihil periculoſius eſt quam ſæpe relabi in peccatũ (Nam inde mẽs in multis reproba efficitur, & multi ita dedolere incipiunt, vt nullo peccatorũ ſenſu tãgantur.) Tamen veriſsima eſt doctrina Eccleſiæ, quæ docet Deum lapſos in gratiam recipere: cuius rei veluti Symbolum quoddam Dominus voluit eſſe condonationem mutuã in hac vita. Vnde interrogãti Petro quoties in ſe peccãti remittat. Reſpondet: Septuagies ſepties.

Vellem autem adeſſe apud vos modo, & mutare vocem meam quoniam inops conſilij ſum in vobis.

Concludit Apoſtolus voto obiurgationem paterna ſtorga mixtã. Cupit enim ſe Galatis adeſſe, quo præſens poſſet accõmodare ſe captui ſingulorũ, cum ſingulis conferendo & ſingulos docendo & admonendo, prout neceſsitas poſtulare videretur: id quod in generali ſcripto fieri tam commode nequaquã poteſt. Monet hic locus miniſtros Euangelij, vt recte ſecent ſermonẽ Euangelij, vtq; ſe captui & ingenio auditorũ accõmodent, quo doctrinæ & conſilio melius locus eſſe poſsit. Vt enim medicus generalibus pręceptis parum efficiet, niſi ſingulorum qui ægrotant peculiarem curã habuerit: ita miniſter Euangelij cõſcientijs ſingulorũ vix medebitur vniuerſali doctrina. Quare vtiliter in noſtris Eccleſijs inſtituta ſunt priuata colloquia ante ſumtionẽ cœnæ, in quibus doctrinæ & conſolationes ſingulis veluti ſalutaria quædam Pharmaca adhibentur.

Epist: Dom: Lætare.

Dicite mihi qui ſub lege vultis eſſe, legem non auditis? Scriptum eſt enim quod Abraham habuit duos filios, vnum ex Ancilla & alterũ ex libera. At ille quidem qui ex ancilla, ſecundum carnem fuit. Hic vero qui ex libera per promiſsionem (*ſcilicet natus eſt*) Quæ quidem per allegoriam ſunt dicta. Hæc enim (*ſcilicet matres ancilla & libera*) ſunt duo teſtamenta, vnum quidem à monte Syna in ſeruitutem generans quæ eſt Agar (nam Agar Syna mons eſt in Arabia,

Tertia pars eſt huius capitis in qua Apoſtolus docet & exornat Typica ſimilitudine idem quod ſuperi⁹ multis rationibus docuit, nimirum populum noui teſtamẽti liberum eſſe à lege Moſaica ac ritibus Iudaicis, Iuſtificari autem gratis ſola fide abſq; operibus legis. Verum vt hic Typus melius intelligatur, Primum rem totam in argumenti formam conijciam. Poſtea ſingulas partes latius perſequar. Argumentum itaq; ſumtum à Typo coniugij Abrahę in hanc formã con-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rabia, confinis eſt autem ei quæ nunc eſt Hieruſalem) ſeruit autem cum filijs ſuis. Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalem libera quæ eſt mater omnium noſtrum.

mode cogi poteſt. Quemadmodum Abraham in vna domo duas vxores Agar ſeruã & Saram liberam habet: Ita Deus habet duo teſtamenta, vetus quidẽ quod Agar, nouum vero quod Saræ reſpondet. Sed Agar genuit Iſmaelem, qui fuit Typus populi legalis in ſeruitutem nati: Sara vero genuit Iſaac Typum populi liberi. Igitur vetus teſtamentum ſeu lex generat populum ſeruitutis, nouum vero populum libertatis. Cum itaq; nos ſumus populi noui teſtamenti, non debemus amplius ſub legis ſeruitute concludi. Nã fide promiſsionis vt iuſti ſumus, ita etiam liberi: Hæc totius huius exornationis ſumma eſt, ad quam hiſtoriã ex Geneſi accommodat Paulus, cuius partes obſcuriores explanaturus, primũ colligam antitypa. Abraham typus Dei eſt. Agar figurat vetus Teſtamentum ſeu legem. Syna adumbrat terrenã Hieruſalem. Iſmael filius Agar typus fuit populi legis. Sara vxor libera nouum teſtamentum, Euangelium, Hieruſalem cœleſtem, hoc eſt, Eccleſiã myſtice ſignificat. Huius filius Iſaac nouũ populum eumq; liberũ adumbrat. His ita explicatis textus obſcurus eſſe non poteſt. Tametſi particulæ ſimilitudinis non adhibentur, quod fit Hebraica conſuetudine. Hebręi enim frequentius notas ſimilitudinum excludunt. Porrò quod in parentheſi ſcribitur, Nam Agar Syna mons eſt in Arabia, confinis eſt autem ei quæ nunc eſt Hieruſalem, paulò obſcurius eſt. Sed hoc modo declarabitur. Nam Agar Syna mons eſt in Arabia, id eſt, Agar ancilla notat typice Synam montem vnde lex prodijt. Non enim hic montem vnum & eundem vult eſſe binominem, ſed typum exprimit. In Arabia non fruſtra additur, vult enim hoc ſignificare. Quemadmodum Agar, quæ Synam montem adumbrat, quæ Syna eſt extra limites terræ ſanctæ, quæ terra Symbolũ fuit æternæ hæreditatis: Ita lex ſeu vetus teſtamentum eſt extra promiſsionis cœleſtis hæreditatẽ, adeo vt qui ex lege quærunt iuſticiam, nihil præter damnationem inueniãt. Deinde additur in eadem parentheſi, confinis eſt autem ei quæ nunc eſt Hieruſalem. Græce ſignificantius ſcribitur συςοιχεῖ, hoc eſt, coordinatus, ſeu, vt ita dicam, conſociabilis eſt: vt quæ eandem relationem & typicam ſignificationem habeat cum terrena Hieruſalem, quæ nunc eſt deſtructa, & olim ſub lege ſeruiuit. Non enim hæc ſunt Topographica, vt quidam exiſtimant, ſed typice cõferuntur, ad conſignificandam ſimilitudinem. Agar ſeu Syna & terrena Hieruſalẽ in eo ſimiles ſunt, quod vt Syna ita & Hieruſalem terrena ad ſeruitutem generet. At quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum. SVRSVM eſſe dicit, hoc eſt, cœleſtem vt quæ originem habeat de cœlo. Hieruſalem libera ſignificat Eccleſiam fideliũ, quæ eſt mater omnium, ſcilicet credentium in Chriſtum. Dicitur autem Eccleſia mater fidelium, quia DEVS per Eccleſiæ miniſterium generat ſibi filios, idq; per verum ſemen & incorruptibile quod eſt ſincerum verbum Dei. Nõ eſt igitur quod is cœtus hunc honorem ſibi ſumat. qui hoc ſemen conculcat pedibus, qui perſequitur membra Chriſti, qui generat filios diabolo & non Deo, quemadmodum Romana ſynagoga facit.

Scriptum eſt enim: Exulta ſterilis quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis: quia plures erunt liberi deſertæ quam habentis virum.

Confirmatio eſt à teſtimonio Eſaię Prophetæ ex capite quinquageſimo quarto. poſtquam autem Propheta in capite 53. vaticinatus eſſet de morte, reſurrectione, & Triumpho Chriſti, addit in 54. vaticinium de Eccleſia, quæ veluti ex latere Chriſti effluxit. hæc antequam aſſumta eſt à Chriſto, ſterili viduæ ſimilis fuit: ſed poſtea, concepto ſemine incorruptibili, multos parit liberos. Vaticinatur igitur Propheta de Eccleſia noui Teſtamenti: quæ colligenda erat ex gentibus, abiectis Iudæis ob ſuam ingratitudinem. Quod autem Eccleſiam colligendam ex gentibus comparet ſterili viduæ, ſignificat Eccleſiam non ob merita ſua, ſed propter gratiam aſſumtam eſſe: quæ gratia vt omnibus promiſcue per Euangelium offertur, ita ſola fide accipitur & poſsidetur.

Nos autem fratres ſecundum Iſaac promiſsionis filij ſumus.

Accommodat Typũ ad populum noui teſtamenti. Eſt autem huius accommodationis hic ſenſus. Quemadmodum Iſaac promiſsionem habuit, vt haberetur ſemen Abrahę, pręterito Iſmaele: Ita quicunq; credunt promiſsioni gratuitæ, promiſsionis filij habentur, & ſemẽ Abrahæ ſpirituale. Ad hos enim ſolos pertinet promiſsio, pręteritis alijs qui vel carnis pręrogatiua, vel legis operibus tument. Verum hic ſciendum eſt, quod hic tantum analogia quædam rerum terrenarum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

renarum & cœleſtium inſtituatur ad ſignificandam gratuitam electionem & iuſtificationem, ad excludendam omnem meritorum opinionem. Proinde hoc modo analogia ſeu Symbolica hæc ratio accommodabitur. Quemadmodum Iſmaelem nihil iuuit ad conſequendũ ius hæreditatis quod ab Abrahamo Patriarcha ſit natus, nulla interueniente promiſsione, ſed ſolus Iſaac ob promiſsionis verbum conſtitutus eſt hæres: Ita nihil iuuat vel prærogatiua carnis, vel legis iuſticia ad hæreditatem cœleſtẽ conſequendam. Sed ſola promiſsio hic locum habet, hoc eſt, tantum illi qui gratuitæ promiſsioni credunt efficiuntur vitæ æternæ hæredes, excluſis omnibus alijs. Hocpacto accommodat Typum etiam Iuſtinus Martyr ad Triphonem ſcribens, hiſce verbis: Νοεῖν δεῖ ἡμᾶς δύο σπέρματα ἰοῦδα καὶ δύο φύλη, ὡς δύο οἴκους ἰακὼβ, τὸν μὲν ἐξ αἵματος καὶ σαρκὸς, τὸν δὲ ἐκ πίστεως καὶ πνεύματος γεγεννημένον, &c. Proinde huc redit ſumma ſententiæ, quod qui non credit reijciatur. Qui vero credit aſſumatur, vt legitimum ſemen Abrahæ, idq; ſine diſcrimine. Omnis enim qui credit illi, non pudefiet. Nam non eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Idem Dominus diues in omnes inuocantes ſe. Huc pertinet tota illa diſputatio Pauli ad Roma. 9. 10. & 11.

Sed quemadmodum tunc, qui ſecundum carnem erat genitus, perſequebatur cum qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc.

Digreſsio eſt, ſumta enim occaſione à Typo Iſmaelis & Iſaac, alteram partẽ eius adiungit, videlicet de perſecutione. Et perſtringit hic Apoſtolus potiſsimũ Pſeudoapoſtolos qui populum Dei volebant ſeruilibus operibꝰ opprimere, & à gratuita miſericordia abducere. Complebitur autem præſens ſimilitudo hoc modo. Quemadmodum ſe habet Iſmael ad Iſaac: ſic ſe habet populus legis ad verã Eccleſiam. Sed Iſmael perſequebatur Iſaac. Ergo mirum non videri debet, ſi populus legis & Pſeudoapoſtoli perſequantur Eccleſiam. Locus de cruce & perſecutione Eccleſiæ obſeruandus eſt.

Sed quid dicit ſcriptura? eijce ancillam & filium eius: Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

Hæc ſimilitudo, qua conſolatur Apoſtolus Eccleſiam aduerſus crucis ſcandalum, illuſtrior erit in hunc modum explicata: Eadem eſt ratio Agar ancillæ cum filio ſuo Iſmaele, & Saræ liberæ cum filio ſuo Iſaac, quantum ad domum & hęreditatem attinet, quæ eſt legis cum ſuo populo, & Euangelij cum ſuo populo reſpectu Eccleſiæ & hæreditatis æternæ vitæ. Sed Agar cum ſuo Iſmaele de familia Abrahæ & hæreditate eiecta eſt: Et Sara cum Iſaac in domo Abrahæ manet & hæreditate gaudet. Igitur Lex cum ſuo populo eijcietur extra Eccleſiam, Euangelium vero cum ſuo populo manebit in Eccleſia & æternæ vitæ hæreditate fruetur. Hic tres hypotheſes colligantur. Prima, Quod qui volunt ex lege iuſtificari ſint extra Eccleſiam & ſpem hæreditatis cœleſtis. Secunda, quod regnum cœlorum non ſit ſeruorum ſtipendium ſed filiorum hæreditas. Tertia, quod in medijs ærumnis Eccleſia debeat ſe conſolari certiſsima futurę liberationis fiducia.

Igitur fratres non ancillæ filij ſumus ſed liberæ.)

Concluſio eſt adductæ ſimilitudinis cuius hic ſenſus eſt: liberi ſumus à legis ſeruitute, quia ſumus populi noui teſtamenti & filij promiſsionis. Notetur hoc loco diſcrimen inter filios ancillæ & liberę. Filij ancillæ ſunt qui ex lege & ritibus Moſaicis tanquam pro labore petunt præmiũ æternam vitam. Nam ſicut Iſmael putabat ſe hæredem fore ob prærogatiuam natiuitatis. Ita illi meritis ſuorum operum ſe recipiendos à Deo ad hæreditatẽ cœleſtem opinantur, ac propterea miſericordiam Dei & λύτρον filij impie repudiant. Non enim perpẽdunt, quantum ſcelus ſit vel minimũ adimere miſericordiæ & gratiæ Dei & victimæ filij, & ſuis aſſcribere operibus. Hic teneamus memorabile dictum Ambroſij: Vileſceret, inquit, Redemtio ſanguinis Chriſti, & miſericordia Dei humanorum operum prærogatiuæ ſuccumberet, Si iuſtificatio, quæ eſt ex gratia præcedentibus operibus tribueretur, vt nõ eſſet munus largientis ſed merces operantis. Filij vero liberæ ſunt qui in Chriſtum credentes ex gratia Dei expectant hæreditatem cœleſtem, quæ eſt donũ Dei per Ieſum Chriſtum, Habet & hæc concluſio vim exhortationis, qua videlicet Apoſtolus nos exhortatur, vt potius ſtudeamus liberæ & gratiæ filij eſſe, quam legis & operum ſerui: Vnde ſalus ſperari nequit.

CAPVT V.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Summa Capitis Quinti.

Cum igitur iam conſtat ô Galatæ vos eſſe à Lege liberatos, vtpote iuſtificatos ſola fide abſque operibus, Manete in ea libertate & nolite ritus legales recipere in veſtri perniciem. Interea cauentes ne abutamini libertate hac in occaſionem carnis, ſed potius obtemperetis ſpiritui, operibus carnis per ſpiritum profligatis.

Ordo & partes Capitis Quinti.

Confirmata principali quæſtione in ſuperioribus capitibus, in hoc quinto finem ſeu ſcopum totius diſputationis, nimirum vindicationem Chriſtianæ libertatis proponit. Ac primo loco iubet eos ſtare in libertate qua liberati ſunt per Chriſtum. Hanc ſuaſoriam propoſitionem confirmat, & ſubinde excitat Galatas, minaturque ſeductoribus aliud ſuadentibus. Secundo loco ſuadet Apoſtolus ne abutantur Galatæ hac libertate, hoc eſt, ne inde præbeant carni occaſionem peccandi, ſed ſeruiant potius ſibi inuicem per caritatem. Huic etiam parti confirmationem ſubijcit. Tertio loco hortatur Galatas ad nouitatem vitæ, videlicet vt ambulent in ſpiritu, viuantque iuxta ſpiritus Dei imperium. Confirmatur & hæc pars paucis rationibus. Quarto loco per Antitheſin addit catalogum operum ſpiritus & carnis, vt Chriſtiani ſciant quæ fugere quæque proſequi debeant. Atque ita hoc caput totum ſuaſorium eſt, & abſoluitur quatuor iam commemoratis partibus. Obſeruetur hic Methodus Apoſtolica, quod poſt doctrinam ſubijciat paræneſes ad nouitatem vitæ, quæ Methodus pijs Euangelij miniſtris diligenter obſeruanda eſt.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

IN libertate igitur, qua Chriſtus vos liberauit, ſtate, & ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini.

Infert nunc ex confirmata in quatuor ſuperioribus capitibus propoſitione, tanquam ex immoto principio finem & ſcopū totius ſcriptionis, nimirum vindicationem Chriſtianæ libertatis. Eſt autem propoſitio hæc ſuaſoria amplificata antitheſi, vt intelligamus de qua libertate hic agatur. Libertatem enim hic opponit iugo ſeruitutis, id eſt, ſeruituti legis, ad quam ſeruitutem Pſeudoapoſtoli gentes cogere videbantur. Hic locus obſeruandus de Chriſtiana libertate, de qua recte erudiri pios inprimis neceſſarium eſt. Quare huc ſummam eius doctrinæ aſſcribam. Eſt autem duplex Chriſtiana libertas, Vna perſonæ, Altera voluntatis. Illa fit per ſatisfactionem Chriſti. Hæc vero per ſpiritum eiuſdem. De libertate perſonæ ita ait Dominus: Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis. Huius libertatis gradus ſunt plures, qui ſe mutuo conſequuntur. Quorum Primus eſt liberatio à peccato, Iuxta illud Pauli, Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à peccato & morte. Secundus eſt liberatio à maledictione legis, Iuxta illud, Chriſtus redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictum. Tertius eſt donatio Spiritus ſancti, iuxta illud, Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis ad metum, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis per quem clamamus Abba pater. Hic ſpiritus adoptionis opponitur ſpiritui ſeruitutis, quare ſpiritus libertatis eſt, qua filij Dei effecti libertate filiorum Dei gaudemus. Quartus eſt liberatio à ritibus Moſaicis & traditionibus humanis, de quo gradu Paulus hic potiſſimum agit, & ad Coloſſ. Porrò finis huius libertatis eſt, vt ſeruiamus Deo veris cultibus, & prædicemus ipſum in omni æternitate, propter immenſam ſuam miſericordiam, qua voluit nos ſuos filios fieri adeoque liberos à maledictione Legis &c. His ita ordinatis, definitionem iuſtam Chriſtianæ libertatis, quantum ad perſonam attinet, colligamus hoc modo: Chriſtiana libertas eſt manumiſſio ſpiritualis parta ſanguine Chriſti, quam offert Euangelium credentibus, per quam credentes adoptantur in filios, liberantur à peccato, à maledictione legis, à ritibus Moſaicis, & humanis traditionibus in conſcientia: vt conſcientiæ piorum formidoloſæ coram Deo pacificentur, vt ſub cruce glorientur, certi quod eorū liberator Chriſtus vere ipſos ab omnibus malis ſuo tempore ſit erepturus, Vtq; amplius non ſint ſerui humanarum traditionum, ſed vt ijs vt populi liberi vtantur boni ordinis & diſciplinæ gratia, citra opinionē iuſticiæ, meriti, cultus, & neceſſitatis. In hac definitione cauſſas, modū, gradus, & fines Chriſtianę libertatis cōplexus ſum. Nec extendit ſe hæc libertas extra metas præſcriptas, hoc eſt, extra gradus enumeratos. Quemadmodum Libertini & Anabaptiſtæ male ſentiunt: Quorū hi, prætextu Chriſtianæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtianæ libertatis magiſtratum ciuilem tollere conati ſunt. Illi vero prætexunt libertatẽ Chriſtianã cuiuis carnis libidini, & quibuſuis flagitijs: quaſi ideo eſſemus libertate donati, vt iã liceat quicquid libeat. quorum errorem confutat Chriſtus hoc dicto: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Libertas igitur Chriſtiana nõ ſimpliciter eſt intelligenda, ſed κατά τι, hoc eſt, ſecundum certum libertatis modum, qui in enumeratis quatuor gradibus eſt poſitus. Hactenus de libertate perſonæ dictum ſit. LIBERTAS voluntatis in conuerſis, fit quando DEVS illuminat mentem ſuo verbo, format iudicium, immutat voluntatem, & addit vires, vt aliqua illi grata faciamus. Hæc igitur Libertas quoad actiones ſpirituales, non eſt naturæ, ſed gratiæ. Eſt enim eius autor ſpiritus Chriſti in nobis. Plura de hac libertate vide in Enchiridio, capite de Libero Arbitrio. Magiſter ſententiarũ libro ſecundo diſtinctione 26. tres modos Libertatis facit, nempe à neceſsitate, à peccato, & à miſeria. Horum primus ad libertatem voluntatis, reliqui duo ad libertatem perſonę pertinet. Vt enim credentes in hac vita abſoluuntur à peccato, ita in reſurrectione ab omni miſeria liberabũtur, & fruentur conſpectu Dei in omni æternitate: Hoc admonere volui, vt intelligatur quomodo vetus illa diſtinctio cum noſtra congruat. Porrò antitheſis, ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini, oſtendit quàm periculoſum ſit puritatẽ Euangelij vllis additamentis turbare. Significat enim libertatem in Chriſto partã amitti per huiuſmodi additamenta, qua amiſſa rurſus ſub peccato & maledictione legis captiui tenemur, vt miſerrima peccati mãcipia: quod ſane eſt premi iugo legis, cuius onus intolerabile eſt, quemadmodũ Petrus in cõſilio Apoſtolico teſtatur Actor. 15. Ante enim prædicationem Euangelij Galatæ cum omnibus gentibus legis iugo damnatorio premebantur, à quo cum per Euangelij prædicationẽ liberati ſint, quæ eſt amentia iſtud iugum iam ſponte rurſus accerſere repudiato ſuauiſsimo Chriſti iugo? Deinde vocabulum implicationis ſignificat homines ritibus Moſaicis tanquã quibuſdam pedicis reos teneri, & implicari, quo minus poſsint rectũ curſum tenere in Euangelij ſtadio. Vide quam multa incommoda ſecum afferat, vel minima rituũ Moſaicorum acceſsio. Quid igitur dicemus de Papatu, qui non ſolum ritus innumerabiles inuexit in Eccleſiam, idq; non tam diſciplinę gratia, quam iuſticiæ, meriti, & cultus opinione, Veıumetiã ipſum Chriſti Euangelium abolet, ac eos igni & gladio perſequitur, qui puritatẽ Euangelij, & libertatem filiorum Dei rurſus in Eccleſiã reuocari ſtudet. Idq; ideo facit, ne ipſius exiſtimatio apud homines periclitetur. Nam non gloriam Chriſti ſed ſuã quærunt Satellites Papæ: non pugnant iſti Centimani Briarei pro aris, ſed pro focis, etiamſi aras ſacrilegas prætendunt. Nos proinde, qui Chriſti Euangelium habemus purum & ſincerum, Deo gratias agamus, ac grati tantum beneficium prædicemus, non morantes vllorũ hominum vel ſapientiam vel potentiam, vel autoritatem, vel fictam ſucceſsionem. qui Chriſti Euangelium obſcurare ſacrilege conantur. Eſt enim opus vtraq; virtute in Eccleſia, videlicet confeſsione veræ doctrinæ, & ſeiunctione ab hoſtibus Euangelij. Hæc ſeiunctio in tribus conſpicitur. Primum, in refutatione opinionum & cultuum pugnãtium cum verbo Dei. Fieri enim non poteſt, vt is pure Euangelium prædicet, qui à refutatione falſorũ dogmatum abſtinet. Deinde, in vitandis fucoſis conciliationibus, quibus via patefit ſophiſticæ & corruptelis neceſſariorum dogmatum. Tertio, in fugiendis colluſionibus, quæ fiunt aut quęſtus, aut tranquillitatis cauſſa.

Ecce ego Paulus dico vobis, quod ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.

Ratio propoſitionis ab adiunctis ſeu ab effectu ſeruitutis legalis amplificatã præmonitione. Poteſt autem hæc ratio commode in hunc ſyllogiſmum includi. Illud abſq; dubio fugiẽdum eſt omnibus qui pietatem colunt, quod reddit Chriſtum ipſis inutilem & ocioſum. Circumciſio reddit Chriſtum hominibus eã recipientibus inutilẽ & ocioſum. Igitur Circumciſio proculdubio omnibus pietatẽ amantibus fugienda eſt. & econtra libertas acquiſita per Chriſtum eſt retinenda. Vel ſi placet retinere formã propoſitionis, hoc modo formetur argumentũ: Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit: Si Chriſtus vobis nihil proderit, libertas per illũ acquiſita amiſſa rurſus eſt. Proinde ne amittatur libertas, circũciſio abijciatur. Hanc rationẽ Paulus opponit dogmati Pſeudoapoſtolorũ, cuius forma extat Actor. 15. hiſce verbis: Niſi circumcidamini ſecundum morem Moſis, non poteſtis ſalui fieri. Verum hoc dogma primum Conciliũ Apoſtolorum refutauit, & Paulus ad Philippenſes 3. monet huius dogmatis autores tanquã canes & malos operarios fugiendos eſſe. Ita enim ait: Videte malos operarios, videte conciſionem, hoc eſt, doctores illos Phariſaicos, qui circumciſionem neceſſariam ad ſalutẽ docent, non ſine maxima iniuria filij Dei: cuius victima ſufficiẽs λύτρον eſt ad omnia omniũ homi-

num peccata expianda. Verum ne obijcerent Pſeudoapoſtoli iſta nota fauoris Dei deſtitui credentes: Paulus reſpondet, dicens: Nos ſumus circumciſio qui ſpiritu Deum colimus, & gloriamur in Chriſto, & non confidimus in carne. Quare vera circũciſio eſt amputatio fiduciæ carnis, gloriatio in Chriſto Ieſu, & ſpiritualis cultus, quo Deũ ex fide colimus.

Teſtificor autem rurſus omni homini qui circumciditur, quod debitor ſit totam legem facere.

Confirmatio proximæ rationis eſt, ſeu Ætiologia à genere negato ad ſpeciem. Chriſtus nihil prodeſt debitoribus totius legis (quia illos certa manet damnatio. non enim legi Dei ſatisfaciunt) Qui circumciduntur ſunt debitores totius Legis: Igitur Chriſtus nihil prodeſt ijs qui circumciduntur. Porrò hoc loco obſeruandũ eſt, quod Apoſtolus hic loquatur non de vero circumciſionis vſu, nõ de ipſa tanquam de re ad tempus ferẽda infirmitatis aliorum gratia, ſed de abuſu circumciſionis. De vero vſu loquitur Apoſtolus ad Rom. 4. vbi circumciſionem ſigillũ iuſticiæ fidei definit. Verum hic vſus certum tempus habuit. Debuit enim durare vſq; ad velum fractum & peractã in ara Crucis victimam Chriſti. De circumciſione, vt re ad tempus ferẽda infirmorũ gratia, ſine opinione cultus, & iuſticiæ, intelligatur circumciſio Timothei, quẽ Paulus permiſit circumcidi, nondum ſatis confirmata doctrina libertatis Chriſtianæ. Hîc autẽ Apoſtolus de abuſu circumciſionis agit, prout Pſeudoapoſtoli eam definierunt eſſe opus meritorium iuſticiæ, ſeu complementum iuſticiæ fidei, iuxta hanc vocem Pſeudoapoſtolorum: Niſi circumcidamini more Moſis, non poteſtis ſalui fieri: Quo dicto ſatis oſtendunt, quod circumciſionem partialem ſaltem quandam cauſſam ſalutis & iuſticiæ eſſe voluerint: Quod ſane non aliud eſt, quam dicere, ſolam victimam Chriſti nõ ſufficere ad ſalutem conſequendam. Proinde hic locus diligenter obſeruetur: Docet enim aperte quod Chriſti iuſticia non poſſit ſtare cum vllis meritis humanis: Gratia enim Dei aut tota recipitur aut tota reijcitur.

Euacuati eſtis à Chriſto quicunq; per Legem iuſtificamini, à gratia excidiſtis.

Rationes propoſitionis duas addit, & vtraq; à cauſſa ad effectum deſcendit. Prior autem Propoſitioni in hunc modũ applicabitur. Omnes qui ſunt euacuati à Chriſto, id eſt, omnes quibus Chriſtus factus eſt inanis, amiſerunt libertatem. Omnes qui volunt per Legẽ iuſtificari ſunt tales. Ergo omnes qui volunt per Legem iuſtificari, amiſerunt libertatem. Loco totius argumenti aſſumtionem poſuit. Poſterior ratio hæc eſt: Quicunq; à gratia exciderunt libertatẽ amiſerunt: Qui volunt iuſtificari per Legem, à gratia exciderunt: Proinde qui volunt iuſtificari per legem, amiſerunt libertatem, quæ libertas gratiæ effectus eſt. Quare cum in libertate ſtandum eſt, iuſtificatio ex lege nequaquam petenda eſt. Obſeruandus locus, quod ſi minima pars iuſticiæ operibus tribuitur, Chriſtus nobis reddatur inanis, & excidamus à gratia. Neq; hæc de Ceremonijs tantum intelligi debet, ſed de quibuſuis operibus, Quicquid enim operibus in iuſtificationis & ſalutis negocio tribuitur, id totum Chriſto adimitur. Firmiſsima enim eſt hæc Pauli collectio: Si per gratiam, nõ amplius ex operibus, alioquin gratia non amplius eſt gratia. Si autem ex operibus, non eſt amplius gratia, alioquin opus non amplius eſt opus. Ex quo fit vt iuſticiæ Dei, quæ contigit per fidem Ieſu Chriſti, ſubiectus eſſe nequeat qui ex operibus quærit iuſticiam.

Nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſticiæ expectamus.

Aliud argumentum eſt, quo probat Chriſtianos non debere rurſus iugo ſeruitutis implicari. Eſt autem hoc argumentum ſumtum à cauſſarũ differentia: Chriſtiani ſpiritu ex fide ſpem iuſticiæ expectant. Ergo iuſticia non eſt expectanda ex Lege. Proinde non debent Chriſtiani rurſus Legis iugo implicari, ſed potius in parta libertate ſtare conſtantes. Porrò Oſiander hoc loco interpretes cum veteres tũ recentes accuſat, vt qui male tranſtulerint ipſius iudicio vocem Græcam ἀπεκδεχόμεθα. nam ipſe contendit hanc vocem in præſenti Pauli loco idem ſignificare quod ACCIPIMVS, Etſi aliâs ſæpe expectandi ſignificationem habet: Nam homo acutiſsimus bene perſpexit, quod ſi hic ἀπεκδεχόμεθα reddatur EXPECTAMVS, ruat imaginatio ipſius de eſſentiali DEI iuſticia, qua homines iuſtificari, dum adhuc viuunt, magna cum offenſione Eccleſiæ docet. Verum Oſiandri calumniæ primum opponamus autoritatem omnium interpretum, qui nullo excepto hactenus tranſtulerunt hoc loco EXPECTAMVS. Deinde quod Paulus in alio ſignificato nullibi ſit vſus ἀπεκδέχεσθαι, niſi pro expectare. Ad Rom. 8. ter in hac ſignificatione reperitur. Ad Philip. 3. ita ſcribitur. Noſtra conuer-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

conuerſatio eſt in cœlis, Vnde & ſaluatorem ἀπεκδεχόμεθα, id eſt, expectamus. Deinde Textus ipſe pugnat cum ſententia Oſiandri. Spem enim iuſticiæ vocat Hebraice iuſticiam quę adhuc ſperatur. Quod autem ſperatur, nondum obtinetur, ſed expectatur. Rectius igitur multo vertis, ſpem iuſticiæ expectamus, quam, ſpem iuſticiæ accipimus. Verum hic obijcitur. An non reuera hic habemus remiſsionem peccatorum quæ eſt Chriſtianorum iuſticia. Si habetur, quomodo eandem expectamus. Nemo enim expectat quod iá reipſa poſsidet. Reſpondeo. Iuſticia quam adhuc expectamus non eſt Remiſsio peccatorum, non eſt imputatio iuſticiæ Chriſti, ſed eſt formalis & plena Legis obœdientia, qua in omni æternitate iuſti erimus, quando videlicet Deus erit omnia in omnibus, & nos viciſsim illi ſuo modo conformes erimus Iuxta illud, 1. Iohan. 3. Quoniam vbi apparuerit, ſimiles ei erimus. Legatur Reſponſum Philippi ad Lib. Oſiandri de Iuſticia Dei eſſentiali.

Nam in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium.

Procatalepſis eſt. Reſpondet enim obiectioni Pſeudoapoſtolorum, qui ritus Moſaicos voluerunt fidei adiungi, tanquã particulares iuſticiæ cauſſas. Sed Paulus anteuertit hanc obiectioné exæquans præputium & circumciſionem in cauſsis iuſticiæ. Nam vt præputio ita circumciſioni gloriam iuſticię adimit. Notandum hoc loco eſt quod Synecdochicos per circumciſionem intelligat Paulus omnes ritus Legales ſeu Moſaicos, quibus ex æquo adimit iuſticię gloriam, vt nos perſiſtamus in acquiſita libertate. Si enim iuſticiæ gloria adimitur circũciſioni, multo magis adimetur alijs ritibus, qui circumciſione longe inferiores ſunt. Notandum & hoc eſt, quod Apoſtolus diſerte dicat, in Chriſto Ieſu, id eſt, in regno ſpirituali Chriſti poſt Chriſtum mortuum & ſuſcitatum. Antea enim circumciſio externa mandatum Dei habuit in certo populo, videlicet, Iudaico, & vtile ſacramentum fuit, quemadmodum ex inſtitutione eius patet Geneſ. 17. & Paulus confirmat ad Rom. 4. vbi ita ait: Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſticiæ fidei.

Sed Fides per caritatem operans.

Anteuertit & hic obiectionem. Poterant enim obijcere Pſeudoapoſtoli, ritus Moſaicos neceſſaria quædá fidei exercitia eſſe. Sed Paulus iſtis exercitijs opponit fidé operantem & exercentem ſe pijs dilectionis officijs. Nõ tamen hic Paulus excludit Sacramenta, nec alias ceremonias decori & ordinis cauſſa inſtitutas: Sed tantũ contendit non debere onerari Chriſtianos Moſaicis illis iá antiquatis & abolitis exercitijs. Porrò hoc Pauli dicto Papiſtę ſe armant contra iuſticiam fidei gratuitam. Cum enim pij dicunt, nos ſola fide iuſtificari, iſti opponunt hunc locum, & ex eo tanquam ex immoto principio hoc pacto colligunt: Fides per caritaté efficax eſt. Ergo fides & caritas ſimul iuſtificát. Sed neganda eſt conſequentia. Non enim omnia quæ coniuncta ſunt natura, eaſdem operationes habent: id quod videre eſt in anima hominis, vbi natura cõiuncta ſunt intellectus & facultas voluntatis, quorũ tamen diuerſę operationes ſunt. Deinde Paulus, vt ſuperius abunde docuit de gratuita iuſtificatione, videlicet, quod homo ſola fide ſine operibus iuſtificetur: Ita hoc loco non de cauſsis iuſtificationis, ſed de veris Chriſtianorũ exercitijs diſputat: Quorũ omnium veluti mater exiſtit caritas ex viua fide in filium Dei manans. Deinde fatemur, & docemus cum fide ſemper coniuncta eſſe Bona Opera, quæ Paulus Philippenſibus ſcribés non cauſſas iuſticiæ, ſed fructus iuſticiæ fidei nominat. Etſi igitur fides à ſpiritu regenerationis diuelli non poteſt: tamen in cauſsis iuſtificationis prorſus excludimus opera. Non enim operibus noſtris, ſed fide Chriſti iuſticiá recipimus. Obſeruandus hic locus inprimis eſt. Docet enim quænam ſint neceſſaria Chriſtianorum exercitia, videlicet opera caritatis ex fide manantia. Vox Græca ἐνεργουμένη vim fidei exprimit. Vt enim ignis ſua natura ἐνεργεῖ, id eſt, virtute interna operatur & calorem ciet, ita fides caritatem, id eſt, caritatis officia ex ſe gignit. Hinc manifeſte patet quam fœdus error eorum ſit, qui hodie declamitant contra neceſsitatem bonorum operũ. Cum hic manifeſte doceat Paulus, bona opera manere ex vi & natura fidei, quę veluti agitatio quædam Spiritus ſancti eſt, quo ducuntur filij Dei.

Currebatis pulcre, quis vos impediuit vt veritati non obtemperetis?

Rurſus interſerit obiectionem, & accuſat Galatas defectionis à veritate, id eſt, à vero & puro Euangelio. Obiurgationē hanc exaggerat collatio. nã eo turpior eſt lapſus, quo quis firmior & inſtructior antea ad currendum fuerit. Obſeruetur Metaphora curſus, quo ſignificatur Chriſtianorum viuendi ratio: quæ curſui & ſtadio comparatur: vt ſignificetur torporem & ſegnitiem abeſſe de-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſe debere: quæ, quo minus ad metam perueniamus impediunt. Deinde miniſtri Euangelij intueantur hoc loco fortunam Apoſtoli, qui in odium Galatarum incurrit propter veritatem. Adeo verum eſt quod vulgo dicitur: Veritas odium parit.

Perſuaſio hæc non eſt ex eo qui vocat vos.

Remotio cauſſæ eſt, quaſi diceret, iſta perſuaſio qua apud vos effectum eſt, vt non amplius obtemperetis veritati, hoc eſt, vt non amplius retineatis puritatem Euangelij, ſed recipiatis cum Euangelio Moſaicos ritus tanquam neceſſarios ad iuſticiam coram Deo: Hæc inquam perſuaſio non eſt à Chriſto, aut eius Apoſtolis, qui ad Chriſti mandatum vocarunt vos ad agnitionem Euangelij: ſed potius eſt à Sathana hoſte Chriſti, & iſtius maligni organis, qui iſto pacto Chriſti regnum inuadunt: ſpoliant Chriſtum honore Mediatoris, & ſummi Pontificis: cuius ſolius victima eſt expiatrix peccati: cuius ſolius obœdientia perfecta eſt iuſticia, quæ nobis credentibus imputatur, Rom. 4. & 5.

Exiguum fermentum totam maſſam fermentat.

Procatalepſis eſt, Poterant enim obijcere Pſeudoapoſtoli, nihil aut parum nocere quoſdam retinere ritus Moſaicos, præſertim cum facere videantur ad concordiam & pacem conciliandam & fouendam inter Iudæos credentes, & Gentes conuerſas. Quemadmodum etiam politici viri noſtro ſeculo conantur perſuadere noſtris Eccleſijs, vt concordiæ & pacis cauſſa retineant vſitatas Ceremonias. Reſpondit Apoſtolus pulcerrima ſimilitudine, ſeu Allegoria, aut ſi mauis Prouerbiali figura, quæ in hunc modum accommodabitur. Quemadmodum exiguum fermentum totam maſſam facilime fermentat & ſuo Acore inficit: Ita leuiſsimus in ſpeciem error totam doctrinam Euangelij inficit: Ita vt non amplius puritatem Euangelij redoleat. Proinde ne tota doctrina Euangelij corrumpatur, leuiſsimo in ſpeciem errori mox occurrendum eſt. Obſeruandus locus quo monemur, vt ne minimum quidem errorem vel ſuſpectam opinionem admittamus pacis gratia. Sed potius retineamus tenaciter puritatem doctrinæ, etiamſi fractus totus collabatur orbis. Nam aperta vna aliqua rimula, ſerpens, vt eſt callidus, ſe facile totum inuoluet.

Ego perſuaſus ſum de vobis in Domino, quod nihil aliud ſenſuri ſitis.

Mollit obiurgationem ſpe emendationis propoſita. Solet enim non parum mouere animos bonorum diſcipulorum, ſi de ſe bene ſperari à præceptoribus animaduertunt.

Verum qui turbat vos portabit iudicium, quiſquis ſit.

Translatio & interminatio eſt. Vt enim lapſus occaſionem Pſeudoapoſtolis aſſcribit, ita eoſdem haud fore impunitos pronunciat. Iudicium hoc loco per Metalepſin pœnã ſignificat. Portandi verbo grauitatẽ pœnæ notat Apoſtolus. Significat enim iudicio Dei & pœnis ingentibus premi & obrui corruptores doctrinæ Eccleſiæ. Neq; hoc mirum eſt cum turbatores Eccleſiarum ſint veluti ſtipendiarij Sathanæ, qui primum Eccleſiam Dei peſtifera corruptela doctrinæ turbauit. Obſeruanda inprimis hæc comminatio eſt, quæ pertinet ad omnes, qui quouis modo fontes Iſrael, id eſt, puritatem Euangelij turbant, atq; ita Eccleſiæ occaſionem defectionis præbent, exemplo Sathanæ, qui primam Eccleſiam ſeduxit.

Ego autem fratres ſi circumſionem adhuc prædicem, cur adhuc perſecutionem patiar?

Anticipat & hic obiectionem Apoſtolus. Reſpondit enim calumniæ Pſeudoapoſtolorum mentientiũ Paulum circumciſionis aliquando præconem agere, quos aperto ſigno vanos eſſe oſtendit. Nulla enim alia fuit cauſſa, ob quam Paulum Pſeudoapoſtoli perſequebantur, quam quod abrogationem circumciſionis & aliorum rituum Moſaicorum docuerit.

Nempe abolitum eſt ſcandalum crucis.

Alia ratio eſt, qua confirmatur Paulum circumciſionem non prædicare. accommodabitur autem ratio hoc pacto. Si circumciſionẽ prædicarem, non amplius mea doctrina offenderentur Pſeudoapoſtoli. Cum igitur cõſtat Pſeudoapoſtolos adeo offendi

mea do-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mea doctrina, vt me de medio ſublatum velint, profecto certiſsimum indicium eſt, quod non ſim Circumciſionis prædicator: Quemadmodū illi de me nefarie mentiuntur. Scandalum crucis Metonymicos ponitur pro offenſione ortà ex pura Euangelij prædicatione. Hac enim ſola re offendebātur Iudæi, quod Apoſtolus Euangelio Chriſti circumciſionem & ritus Moſaicos non adderet.

Vtinam abſcindantur qui vos turbant.

Claudit obiurgationē voto & imprecatione. Pro eo quod reddunt interpretes. turbant in Græco eſt ἀναστατοῦντες, id eſt, dimouentes è ſtatu. Vere enim de ſtatu diſturbātur & dimouētur, qui ab Euangelij puritate ad ritus & traditiones abripiūtur. Vocabulū abſcindi opponit Apoſtolus Circumciſioni, quaſi diceret, qui vobis obtrudunt Circumciſionem, vtinam ita cedantur ipſi, vt prorſus de medio tollantur & pereant. Obſerua Paulinam & Apoſtolicam imprecationem intelligendam eſſe per comparationē. Ita enim affecti eſſe debemus omnes, qui Chriſto nomina dedimus, vt omnia potius ruere cupiamus, quā vt quicquā gloriæ Dei decidere patiamur. Sed quomodo hæc imprecatio ſtare poterit cū mandato Chriſti, quod extat Matth. 5. hiſce verbis? Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, Benedicite execrantibus vos, benefacite odientibus vos, & orate pro calumniantibus & perſequentibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt: qui Solē ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Diſcernendū eſt primum inter cauſſas & perſonas. Deinde inter perſonas ſanabiles & blaſphemas. Si cauſſa ad nos tantum pertinet, hoc eſt, ſi nobis facta eſt iniuria, quantū ad perſonam aut res noſtras attinet, mandato Domini obtemperandum eſt, & precandū pro inimicis, vt reſipiſcant. At ſi cauſſa Dei eſt, hoc eſt, ſi quis Euangelium Chriſti perſequitur: Si quis doctrinā hæreticam propagare ſtudet: ſi quis horrendis ſceleribus Eccleſiæ Dei eſt ſcādalo. Breuiter, ſi quis quouis modo gloriā Dei, ædificationem Eccleſiæ, ſalutem hominū impedire conatur. Rectiſſime huiuſmodi malis ſe pij opponunt precibus. Nā quicquid Deo diſplicet, omnibus pijs merito diſplicebit. Deinde ſi perſonę ſanabiles videntur, ex Chriſti mandato pro illis orandum eſt. At ſi blaſphemæ fuerint perſonæ, optandū eſt, vt cito de medio tollantur, ne gloriam Dei impediant ſuis blaſphemijs.

Vos enim in libertate vocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem carni ſcilicet detis.

Rationem ſuperioris ſententiæ apponit Apoſtolus, ſumtā à repugnantibus. Eſtq; ſenſus. Chriſtiani ſunt liberi. Ergo Chriſtiani non debent ſeruilia Legis opera recipere. Nam ſi hoc fecerint, rurſus ſe ſeruitutis iugo implicant. Quod autem fratres Galatas appellat, hoc partim ideo facit, vt quo ſit erga ipſos animo intelligant Galatæ, partim vt eos excitet ad attētē & benigne audiendum, quod de vero libertatis vſu ſubiungit: Nimirū ne abutantur libertate ſua, hoc eſt, ne inde præbeant carni occaſionem laſciuiendi & perpetrandi omnem turpitudinem, ſed potius ſciant libertatem ſuā eo pertinere, vt repreſſa laſciuia carnis caritatem veram colant: per quam intelligit omnia officia quæ proximis debemus. Hic locus manifeſte docet, quatenus à Lege liberi ſumus nos, qui in Chriſtū credimus. Nullo enim modo à doctrina Legis, quæ bene viuendi regula eſt (ea enim regula oſtendit Dominus, quid ſibi gratum ſit, quo cultu à nobis coli velit. Proinde doctrina Legis eo ſpectat, vt nobis viam certam & rationem firmā oſtendat, qua vita noſtra ad Dei voluntatem cōfirmari poſsit) ſed à rigore & maledictione Legis per Chriſtum liberati ſumus, qui pro nobis eſt factus maledictū, vt benedictio Abrahæ nobis fieret, & vt promiſsionem ſpiritus acciperemus per fidem. Eſt autē hic legis rigor, quod ipſa maledictionem omnibus denunciet, qui vel in vnò apice lapſi fuerint. Neq; ſalutē promittit, niſi ijs, qui omnia mādata Dei perfecte & ꝑpetuo obſeruauerint. Ab hoc rigore & maledictione, etſi liberati ſunt, qui credunt Euangelio: tamen ipſam legem, vt regulam bene viuendi ab ipſo Deo ſibi monſtratam amplectuntur. Etſi autē Legi nemo ſatisfacit: tamen placet incoata obœdientia in ijs, qui retinent fidem & bonam conſcientiam. Cuius perpetuum ſtudium eſſe debet, fidere Deo, abijcere propoſitum peccandi, exercere pietatis & caritatis opera, & ſedulo præſtare quod vocatio poſtulat.

Sed per dilectionem ſeruite vobis inuicem.

Dilectio quæ ex fide oritur, omnium officiorū cauſſa & moderatrix eſt, atque ideo eam tanquam omnium officiorum caput proponit Apoſtolus. Obſeruemus igitur præcipuum Chriſtianorū officium eſſe,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

um eſſe, ſeruire ſibi inuicem per dilectioné. Atq; hæc regula omnibus ſtatibus, & omnium ordinū hominibus applicanda eſt. Magiſtratus pius ex fide diligat ſubditos: ex dilectione iura dicat, inſontes tueatur, ſontes puniat, vt cuſtos Legis & miniſter Dei. Subditi ex fide magiſtratum diligant, ex dilectione honorem exhibeant, iuſſu magiſtratus militent. Breuiter, in omnibus tanquam Domino Chriſto obœdiant. Et perpetuo meminerint regulę, Oportet Deo magis obœdire quam hominibus. Miniſter verbi ex fide diligat auditores, ex dilectione doceat, obiurget, erigat, conſoletur. Auditores iuxta eandem regulam diligant Eccleſiæ miniſtros ex fide, & ex dilectione obœdiant Euangelio, præſtentque obœdientiam quam requirit miniſterium.

Tota enim Lex in vno ſermone impletur, videlicet, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

Rationem ſuaſoriæ propoſitioni ſubiungit Apoſtolus à Legis ſcopo ſeu ſumma ſeu præcipuo legis capite. Lex impletur dilectione proximi. Ergo proximo per dilectionem ſeruire oportet. Cum conſtet ideo hominem conditum eſſe, vt obœdiat Conditori. Sed qui fit quod totam Legem dicat impleri dilectione proximi: An non prior Tabula de vero cultu Dei, quæ pars Legis eſt, præferenda eſt ſecundæ tabulæ? Si dixeris totam Legem hic reſtringendam eſſe ad legem ſecundæ tabulæ (qui enim diligit proximum ſicut ſeipſum, quicquid ſibi factum vellet, proximo non denegat) coacta videbitur interpretatio, Quare Synecdochen eſſe dicamus. Non enim infrequens eſt hic Tropus in ſcriptura, per quem ſub nomine effectus comprehenditur etiam cauſſa, cuius cauſſæ effectus ipſe certiſſimum indicium eſt. Eſt enim caritas proximi indicium timoris Dei & veræ pietatis erga Deum. Per amorem enim Dei, vt recte ait Gregorius, amor proximi gignitur, & per amorem proximi amor Dei nutritur. Sed quid ſibi vult implendi vocabulum, cum nemo Legi ſatisfaciat? Lex impleri tum demum dicitur, cum declaratur eius obœdientia, idque reſpectu hominum, quibus pietas cordis erga Deum abſcondita eſt, donec dilectione proximi tanquam euidenti ſigno declaratur.

Si autem vos inuicem mordetis & deuoratis, videte ne à vobis inuicem conſumamini.

Alia ratio eſt de dilectione mutua, ſumta ab effectu contrarij ſeu à repugnantibus. Diſſidia & odia mutua, mutuam afferunt perniciem. Ergo vt hoc malum caueatur, dilectione mutua alter alteri ſeruiat. Malum diſcordiæ metaphoris morſus, deuorationis, & conſumtionis ſignificatur. Locus igitur hic apertus eſt, de odij & diſſidij malo: vnde non ſolum familias, ciuitates, prouincias, Verumetiam multa regna concidiſſe hiſtoriæ teſtantur.

Dico autem ſpiritu ambulate, & concupiſcentiam carnis nequaquam perfeceritis.

Iam totam Parænesin huius capitis ad duo capita reuocat, quæ ſunt ſpiritu ambulare, & carnis concupiſcentijs reluctari: Vocabula carnis, & ſpiritus explicāda ſunt: vt intelligatur quid ſit ſpiritu ambulare, & quid ſit carnis cōcupiſcentiam non perficere. Vt autem quid ſit caro & ſpiritus ſine errore intelligamus, hæc in primis obſeruanda eſt regula. Quoties caro contraria oppoſitione comparatur cum ſpiritu, vt ſpiritus nomen Metonymicos pro regenerationis gratia, cuius autor eſt Spiritus ſanctus, ponitur: Ita carnis vocabulum eodem Tropo ſignificat, quicquid nondum regeneratū eſt in nobis, videlicet carnis & peccati procliuem ad malū affectionem. Nō igitur hic ſpiritus & caro ſecundū ſubſtantias comparantur, ſed animæ qualitates inter ſe conferuntur. Nam eadē anima, quatenus ſpiritu Dei regitur, ſecum luctatur: quatenus ſpiritu Dei vacua eſt, ſuis cōcupiſcentijs indulget. Proinde ambulare ſpiritu, ſignificat iuxta motus Spiritus ſancti viuere. Contra vero carnis cōcupiſcentiā perficere, eſt excuſſo ſpiritus imperio ſe carnis illecebris dedere, ad obtemperandū carni in ſuis concupiſcentijs. Hęc exhortatio ad Rom. 6. hiſce verbis legitur. Ne igitur regnet peccatum in mortali veſtro corpore, vt obœdiatis peccato in concupiſcentijs corporis. Eſt igitur peccatum veluti tyrannus quiſpiā violētus, cuius prima adminiſtra eſt mens ipſa, ad ſuggerendos prauos motus: qui vbi cōmouerunt voluntatem alterā peccati adminiſtrā, naſcuntur ἐπιθυμίαι. Tum vero corpus ab animo impulſum, huc atq; illuc tranſuerſum rapitur tyranni imperio ſeſe ſubijciens. In hac re conſiſtit imperiū peccati, quo nihil triſtius cogitari poteſt. Quoniam igitur peccatū ipſum inhabitans, vt tyrannum domeſticū, non poſſumus prorſus expellere, hoc conandū eſt ſaltem,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ne regnet Tyrannus iſte. Regnat autẽ dum corporis obtemperamus cõcupiſcentijs. Quare qui in lucta ſuperior eſſe cupit, primis motibus ſe fortius opponere debet.

Nam Caro concupiſcit aduerſus Spiritum, & Spiritus aduerſus Carnem.

Ratio hæc ab vtriuſq;, id eſt ſpiritus & carnis ſtudio ſumitur, ac ſi diceret Apoſtolus: Cum vis gratiæ regenerationis, & carnis vitioſa natura ſemper in pijs ſibi inuicem aduerſentur, neceſſario incumbit pijs, vt excuſſo iugo carnis totos ſe ſpiritui dedant, perpetuum bellũ contra concupiſcentias prauas & motus, qui excitantur à carne aduerſus ſpiritum gerentes. Locus hic obſeruandus eſt de perpetua lucta ſpiritus & carnis in pijs. Vnde monemur Vigilantiæ, & Sobrietatis, & Orationis. Huc præceptum Domini pertinet, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Hæc autem ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunq; volueritis eadem faciatis.

Superioris ſententię aſſeueratio eſt: cui finem ſubiungit, Vt non quæ volueritis, ſcilicet ſecundũ carnem, hæc faciatis affectibus & actionibus, hoc eſt, vt non obtemperetis carni iuxta concupiſcentias corporis. Nam ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si vero ſpiritu actiones carnis mortificetis, viuetis.

Si autem ſpiritu ducimini, non eſtis ſub Lege.

Anticipat obiectionem hypocritarum, qui poterant obijcere: Chriſtus nos redemit de maledictione Legis, non poterit igitur peccatum nocere. Paulus reſpondet, & fatetur eos non eſſe ſub Lege qui ducuntur ſpiritu, cuius ductus certiſsimum fidei teſtimonium eſt. Proinde non eſt quod glorientur de abrogata maledictione Legis, qui viua fiducia Chriſti vacui ſunt. Nam vbi fides viua eſt, ibi vere ſentitur præſentia ſpiritus Chriſti, à quo excitantur in corde motus cõgruentes cum Lege & voluntate Dei. Vnde etiam maxima pugna in Sanctis oritur aduerſus peccati reliquias, quę quidẽ pugna durabit, donec hæc mortalis vitæ conditio manſerit. Hunc Pauli locum valde illuſtrat prima pars octaui cap. ad Rom. Hic tres loci obſeruentur. Primus, quod vera nota filiorum Dei ſit ſe imperio ſpiritus ſubijcere. Secundus, quod Lex nihil iuris in eos habeat, qui ſecundum ſpiritum viuunt: quantum quidem ad damnationem inferendã attinet, Sed tantum monet eos de vera vitæ inſtituendæ ratione ſecundum voluntatem Dei. Tertius, quod fruſtra glorientur de victima Chriſti, qui ſine pænitentia peccatis ſuis indormiunt, & concupiſcentijs carnis ſe dedunt.

Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt: Adulterium, Scortatio, Impuritas, Proteruia, Idolatria, Veneficium, Inimicitiæ, Lis, Aemulationes, Iræ, Contentiones, Diſsidia, Hæreſes, Inuidia, Cedes, Ebrietas, Comeſſationes & his ſimilia.

Quia de pugna carnis & ſpiritus dixerat, nunc per enumerationem vtriuſq;, ingenium cum ſpiritus tum carnis contemplandum proponit, vt ex collatione vis vtriuſq; apertius cognoſcatur. Vocat autem carnis opera quæ hic enumerat manifeſta, propterea quod de ijs conſcientia faciendis iudicare poſsit ex Lege Dei, & ſciat Deo talia opera diſplicere. Porrò decem & ſeptem carnis opera hic recitantur ab Apoſtolo: QVORVM primum eſt μοιχεῖα, adulterium, quod eſt alieni thori violatio, quantũ autem ſcelus ſit adulteriũ, oſtendunt pœnæ, & alia quæ cum facto iſto coniuncta ſunt, 1. Corinth. 5. SECVNDVM, πορνεῖα, ſcortatio, cum extra matrimonij vinculum ſolutus & ſoluta (vt vocant) rem Veneream exercent. TERTIVM, ἀκαθαρσία, immunditia ſeu impuritas ſuperiorum genus eſt. Complectitur enim omnium libidinũ genera, & nefanda illa potiſſimũ, à quibus Chriſtianorũ aures & animi abhorrere debent. Requirit ergo Paulus vt pius ſit caſtus, corde, lingua, facto geſtibus. QVARTVM, ἀσέλγεια, proteruia ſiue laſciuia, quę eſt turpiſsimarum prolium, hoc eſt, omnis libidinis mater turpiſsima. Eſt enim ἀσέλγεια laſciuia & incontinẽtia animi, nec virtutem, nec probitatem, nec Deum, nec homines, reuerentis, ſed procacitate ſe oblectantis. Significat etiam ἀσέλγεια flagitioſam exercendæ libidinis conſuetudinem. QVINTVM, εἰδωλολατρεία, id eſt, Idolorum cultus, hanc inter pœnas deſerti veri Dei ad Roman. numerat Apoſtolus. Sciamus ergo damnari non ſolum cultum idolorum, verum etiam occaſiones, & inſtrumenta, vt ſunt ſimulacra & ſtatuę: vn-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

de Varro, teſte Auguſtino, qui, inquit, populis inſtituerunt ſimulacra & metum demſerunt & errorem addiderunt. SEXTVM, φαρμακεία, Veneficium, hoc eſt, veneni inficiendi ratio, vnde ad artes magicas & incantationes refertur. Porrò contra omnes magicas ſuperſtitiones teneãtur hæ duæ regulæ. Prima, Nulli rei tribuenda eſt potentia ſine ordinatione Dei. Secunda, Pius iuxta verbum Dei ſciat, credat, ſperet, agat: Contra verbum & præter verbum nihil ſciat, nihil credat, nihil ſperet, nihil agat. Qui enim contra facit, tentat, imo abnegat Deum, & ipſum contumelia afficit, Cuius contumeliæ autor dignus eſt morte iuxta Legem: Maleficos ne patiaris viuere. SEPTIMVM, ἔχθραι, inimicitiæ, hoc eſt, animorum diſsidia: quæ oriuntur vel ex ſuſpicione, vel ex ſuperbia, vel ex aliqua iniuria, vel ex opinionũ diuerſitate. Hinc multa mala promanant, vt ex radice peſsima peſsimi fructus. Sed notandũ eſt quod hic de inimicitijs agatur, quæ ſunt carnis opera. Nã eſt & aliud inimicitiæ genus, quod eſt opus Spiritus in ſanctis, videlicet, cum ſancti & anima & corpore abhorreant ab impiorum conſortio. OCTAVVM, ἔρεις, contentiones, ſunt verborum iurgia ex animorũ diſsidijs orta: qualia ſemper ſunt inter ſuperbos: Iuxta illud Salomonis: Inter ſuperbos ſemper iurgia. NONVM, ζῆλοι, ęmulationes, Vocabulum zelus medium eſt. nam nunc in bonam, nunc in malã partem accipitur. Eſt enim duplex zelus, nempe ſpiritus & carnis. Zelus ſpiritus eſt, qui ex ſpiritu Dei bono & ex fide exiſtens, ſcientiam & moderationem habet. Zelus carnis eſt, qui naſcitur ex affectu carnis humanum ſpiritum per omnia ſapiens, de quo Paulus ad Corinth. Cum in vobis ſit zelus & contentio, factiones, nonne carnales eſtis, & ſecundum homines ambulatis? Hic zelus facit, vt doleamus alios nobis præſtare, quibus ſuperiores eſſe optamus. DECIMVM, θύμοι, iræ, cum ſubito animus mouetur. Horat. Græcanicæ vocis vim exprimens, furorem breuem appellat, cum ait. Ira furor breuis eſt &c. VNDECIMVM, ἐριθεῖαι, concertationes, hoc eſt, Ciuiles rixæ de fundis & alijs rebus: qualibus omnia prætoria plena ſunt. Huiuſmodi cõcertationes damnantur quatenus carnis opera ſunt: quæ cum ſuſcipiuntur à pijs ſine animorũ acerbitate, & odio in vitio non ſunt. nam cum Deus approbet iudicia, non improbat concertationes forenſes: modo carnis maculis non inuoluantur. Sed de his plura legantur in Enchiridio. DVODECIMVM, διχοστασίαι, id eſt, diſsidia, cum plures in vna republica factiones oriuntur. Vt apud Corinthios, alij Paulo, alij Cephæ, alij Apollo adhærebant. In Papatu infinita exempla videre eſt, vbi ſinguli fere ſuum aliquod caput iactitant, & ſequuntur, eique adhærent cum aliorum contemtu. Hoc diſsidij genus vſitate in Eccleſia vocatur ſchiſma ad verbũ ſciſſura, & eſt proprie animorum & voluntatum diſſenſio: cum alij alijs magiſtris vel externis ritibus ita ſunt addicti, vt quamuis alioquin in ipſis religionis capitibus conſentiant: tamen animis ſunt abalienati, & factiones quaſdã ineunt, vt dixi de Corinthijs, Quorũ alij Paulũ, alij Apollinẽ, alij Cepham iactabant. Hinc ſchiſmaticus huiuſmodi diſſidiorũ autor ſeu ſtudioſus. DECIMVMTERTIVM, αἱρέσεις, hæreſes. Eſt autẽ hęreſis proprie electio. Inde factũ eſt, vt pro eo accipiatur, quod Latini Sectã vocant, id eſt, vt definit Cicero pro certa quadã diſciplinæ formula factione, ſtudio, ratione vitæ. Vnde hæreticus in Eccleſia, dicitur, qui à recepta Eccleſiæ doctrina ita aberrat, vt contemto Dei & Eccleſiæ ipſius iudicio in ſententia permaneat, & diſcipulis aſſcitis Eccleſiæ cõcordiam violet. DECIMVMQVARTVM, φθόνοι, inuidiæ, cum quis vritur alieno bono. Hoc vitium vilium & abiectorum hominum eſſe docet Ariſtoteles. Quam ob cauſſam peritiores inuidiam per hydræ quandã ſpeciem ſignificari tradunt. Ea vero paluſtris fingitur, & è ſordido cœno pullulare: quod nõ niſi in abiecto viliq; animo reperiatur inuidia. Hæc etſi peſſimum vitium eſt, tamen in ſe aliquid boni habet. Nam eſt iuſtiſsima pœna, qua inuidus torquetur. Huc illud Alexandri dictum: Inuidi propria tormenta ſunt. Huc etiam pertinet pulcerrimũ illud Epigramma Græcum: ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ· τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην, Hoc eſt, Inuidia eſt res peſſima, habet tamen aliquid boni in ſe: Nam inuidorum oculos & cor tabefacit. Meminerimus igitur dicti Socratis, Malum alienũ ne feceris tuum gaudium, nec bonum alienum tuam triſticiam. DECIMVMQVINTVM, φόνοι, homicidia, hæc ex ſuperioribus haud raro oriuntur. Quantum autem ſcelus ſit homicidium, oſtendit ratio quæ additur cõminationi Geneſ. 9. Quicunq; effuderit humanũ ſanguinem, per hominem fundetur ſanguis ipſius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. DECIMVMSEXTVM, μέθαι, Ebrietates omniũ flagitiorum conſiliariæ peſsimæ. Ebrietatẽ naſci ex voluptatibus corporis nemo non intelligit. Cuius mala Ambroſius recitat hiſce verbis: Plurimos gula ſua occidit, nullũ frugalitas: Innumeris vina nocuerunt, nulli parſimonia, plęriq; inter Epulas fudere animas, & mẽſas ꝓprio repleuere ſanguine. Alijs ebrietas vocẽ ſimul rapuit & ſenſum. etſi aliquibus ebrietas noxia non fuit. His ruinã fecit ebrietas, alios in crimen egit ebrietas, etſi ipſa crimen non ſit Gobrius referente Athenęo lib. 10. ita ait de

ebrietatis

ebrietatis malo, τὸ γὰρ ἐνδελεχῶς μεθύειν, τίν' ἡδονὴν ἔχει; ἀποστεροῦντα ζῶνθ' αὑτὸν τοῦ σωφρονεῖν, ὃ μέγιστον ἡμῶν ἀγαθὸν ἔχει ἡ φύσις. Hoc eſt, aſsidue inebriari quam voluptatem habet? Cum viuens ſe temperantia priuet. Quod maximum natura noſtra bonum habet. Proinde memores ſimus præcepti Domini & Saluatoris noſtri. Cauete, ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate. DECIMVMSEPTIMVM, κῶμοι, Comeſſationes, hoc eſt nocturnæ heluationes, & petulantes ebriorũ cantiones, cum iurgijs & cõtumelijs decantatæ. Quod autem addit in fine enumerationis Apoſtolus, & his ſimilia. eo pertinet, vt ſciamus, multa plura eſſe opera carnis, quam quæ hic enumerata ſunt. Pertinet itaq; particula hæc ad genus, in quo multa plura ſunt, quam quæ breui oratione numerari poſsint.

De quibus prædico vobis, quemadmodum & prædixi, quod qui talia agunt, regnũ Dei non poſſidebunt.

Addit cõminationem grauiſsimã: idq; in hunc finem, vt qui amore honeſti & virtutis non trahantur, pœnis ſaltem perterreſiant, & tandem metu ſuppliciorum imminentium officium præſtent. Hæc ſententia cum illa congruit, quæ eſt 1. Corint. 6. An neſcitis quod iniuſti regnũ Dei hæreditate non cõſequentur? Ne erretis, neq; fornicatores, neq; idololatræ, neq; adulteri, neq; molles, neq; ἀρσενοκοῖται, neque fures, neque auari, neq; ebrioſi, neq; contumelioſi, neq; rapaces regnũ Dei hæreditate conſequentur. Hæc & huiuſmodi aliæ ſententiæ ex Lege & Euangelio interpretandæ ſunt. Iuſtiſsima legis ſententia eſt damnatio tranſgreſſorum Legis, Sed Euangeliũ habet ἐπιείκειαν dulciſsimam, Lucæ decimotertio, Niſi pœnitentiã egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Pœnitẽtibus igitur venia offertur. Atque hoc eſt quod Paulus ſubiungit ad Corint. Et hæc quidã eratis, Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini IESV, & in ſpiritu Dei noſtri. HOC confirmatur plurimis exẽplis, vt Petri, inceſti, Corinthij, Dauidis, Manaſsis, & aliorum. Quare hic Ezechielis ſententia tota tenenda eſt. Cum receſſerit inquit impius ab impietate ſua, & fecerit iudiciũ & iuſticiam, vita viuet. Debet itaq; hæc comminatio intelligi cum cõditione perſeuerantię in malo ſine pœnitentia ſubſequente. Nemini enim negatur ad gratiam reditus, modo vera fide, & non fidei ſpectro ad Deum conuerſus fuerit. OBSERVANDVS hic locus eſt, qui docet clariſsime, quod flagitioſe viuentes, nec ſint iuſti, nec fidem habeant. Si enim qui credit ſaluatur, & talibus flagitijs indulgens damnabitur, fieri nequit, vt flagitioſe viuens fidem retineat & ſpiritum ſanctum. Hæc proinde comminatio admoneat nos timoris DEI, ac maioris diligentię in vita formanda, ne carni habenas laxemus, ac ita exponamus nos periculo damnationis. Nam infiniti homines delinquentes contra cõſcientiam, iuſto DEI iudicio traditi ſunt in reprobam mentem, & in æternum perierunt. Quorum exemplo nos moniti retineamus fidem & bonam conſcientiam, caueamuſq; ne regnet peccatum in mortali noſtro corpore. Nam ſi ſpiritu, vt inquit Paulus, actiones carnis mortificaueritis, viuetis. Nõ igitur indulgeamus prauis affectibus, ſed ijs fide & ſpiritu repugnemus. Quod qui faciunt haud illos expectata ſeges vanis eludit auenis. Tales enim manent in gratia, retinent Spiritum ſanctum, ſunt templa Dei, & hęredes vitæ æternæ.

Fructus vero ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia.

Per antitheſin fructus ſpiritus recitat Apoſtolus, ſed pauciores: cum quibus tamẽ qui omittuntur natura cõiuncti ſunt. Primum hoc loco obſeruandum eſt, quod non dicit Apoſtolus opera ſpiritus, vt ſupra, opera carnis, ſed fructus ſpiritus, idque ob tres cauſſas. Harum prima eſt, quod ſumme delectent & grati ſint odore & forma nõ ſecus atq; pulcerrimi & ſuauiſsimi fructus, qui in delitijs habẽtur. Secũda, quod in primis proſint ijs qui illis delectantur. Nam animã potiſsimam hominis partẽ recreãt, confortant, conſeruant, & à venenis ſerpentis tuentur. Tertia, quia vt fructus herbarum & arborum ex ſpiratione naturæ quæ in arboribus eſt promanant: Ita hi ſuauiſsimi fructus ſpiratio quædã ſunt Spiritus ſancti, quo aguntur fideles. Quare tametſi ſæpe in hominibus non regenitis illuſtria manſuetudinis, fidei, tẽperantiæ, & liberalitatis exempla cõſpiciuntur: certum eſt tamen fallaces duntaxat eſſe laruas. Eſt præclara quædam virtus in Fabricio temperantia, in Scipione comitas & liberalitas, in Fabio tolerantia, Sed in hominum cõſpectu & ciuili tantũ æſtimatione. Apud Deum vero nihil purum, niſi ex fonte fidei & ſpiritus promanat. Porrò, priuſquã ſingulorum fructuũ ſpiritus qui hic exempli cauſſa recitãtur, declarationẽ accedã, definitionem fructus ſpiritus colligam, vt conſpiciantur cauſſæ, quæ neceſſario hic cõcurrunt. Fructus itaq; ſpiritus eſt cogitatio, vel affectus, vel opus con-

gruens cum Lege & voluntate Dei, per ſpiritũ Chriſti ex fide pullulans, ſpiransq; odorem gratiſsimum Deo, Nam in eius gloriam naſcitur, Vnde & gratia potius quam perfectione acceptus. In hac definitiõe quinq; cauſſas cuiuſuis fruct⁹ ſpiritus cõplexus ſum: quæ neceſſario requiruntur ad omnis boni operis rationem. Harũ prima eſt præceptum ſeu Lex, in qua voluntas Dei cernitur. Secunda eſt ſpiritus Chriſti. Nam qui aguntur ſpiritu Dei, hi ſunt eius. Tertia eſt fides, ſine qua nemo Deo placere poteſt. Quarta eſt finis actionis vltimus, videlicet gloria Dei. Quinta eſt gratia, qua boni conſulitur defectus, & tegitur quicquid eſt vitij in opere. IAM videamus ordine fructus ſpiritus, quos hic Apoſtolus nouem numerat, non quod non ſint plures, ſed exempli cauſſa illuſtriores quoſdam proponit.

PRIMVS, ἀγάπη, caritas, hæc, vt definit Auguſtin⁹, eſt rectiſsima animi affectio, qua diligitur Deus ꝓpter ſe, & proximus propter Deũ. Eſt itaq; duplex caritas, Vna qua Deũ proſequimur, Altera qua creaturá. Caritas qua Deũ proſequimur, eſt affectus cordis purus ex fide per ſpiritũ Chriſti creatus, qui facit, vt nihil cognitioni Dei & obœdientiæ erga ipſum anteponamus, Iuxta illud: Si quis me diligit, ſermones meos ſeruabit. Ea caritas, qua creaturas complectitur, habet plures gradus, Quorũ primus eſt, quo fratres neceſsitudine ſpiritus nobis coniunctos diligimus. Secundus, quo eos qui aliqua neceſsitudine carnali nobis deuincti ſunt proſequimur. Tertius, quo reliquos ignotos amamus. Quartus, quo inimicis benefacere laboramus, exemplo patris cœleſtis qui ſinit ſolẽ ſuum oriri ſuper bonos & malos. Hæc proximi caritas mater eſt omnium officiorum in vita. Quare Paulus 1. Cor. 13. eam nõ immerito anteponit omnibus rebus quib. excellere poſſunt homines, hoc argumento: Quæcunq; eiuſmodi ſunt, vt ſuis poſſeſſoribus nihil proſint, niſi coniunctam habeant caritaté moderatricem, merito caritati cedunt eiq; poſtponuntur. Sed huiuſmodi ſunt genera linguarum, Prophetiarum, myſteriorumq; Dei ſcientia, fides edendorũ miraculorum, facultatum erogatio in pauperes, martyriũ pro doctrinæ confeſsione ſuſceptum. Hæc igitur merito caritati cedunt, eiq; multis modis poſtponenda ſunt. Eſt proinde caritas ex fide manans, vt mater omniũ officiorũ in vita, ita vnica bonorum operum regula: vt quæ ſola recte moderetur vſum donorum Dei. Deinde vt Paulus commendatiorem nobis reddat caritatem erga proximũ, addit duo grauiſsima argumenta: Quorum prius à fructibus. Poſterius à diuturnitate ſumitur. De fructibus ita ait, caritas patiẽs eſt, benigne agit, caritas non inuidet, non agit inſolenter, non inflatur, nihil indecore agit, non quærit ſua ipſius, non prouocatur, non cogitat malum, non gaudet ob iniuſticiam, cõgaudet autem veritati, omnia fert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. De diuturnitate autẽ ſubiungit hoc modo. Caritas nunquam excidit, ſiue prophetiæ abolebuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue cognitio abolebitur. Hanc alibi Apoſtolus vinculum perfectionis nominat, eo quod ſola caritate conſeruatur omnium rerum incolumitas & integritas, cum in Eccleſia tum in Politia & œconomia. Hac enim ſublata omnium rerum iuſtam harmoniam diſſolui neceſſe eſt.

SECVNDVS, χαρὰ gaudium. Gaudium propriè eſt affectus animi oblectans ſe vel præſenti vel expectato bono: ſiue id reuera tale eſt, ſiue opinione. HVIVS genera variant iuxta diuerſitatem obiectorũ. Nam, vt ait Auguſtinus, Vnde quis gaudeat pluimum intereſt. Tale igitur eſt gaudium, quale eſt eius obiectam. Proinde rectiſsime veteres Theologi triplex gaudium ſtatuunt, Vt vnum ſit culpæ, Alterum gratiæ, Tertium gloriæ. Primum genus eſt mundi. Secundum & Tertium ſolius Eccleſiæ Chriſti, vt ſimul vnum Chriſti gaudiũ cenſeantur. Mundi gaudium impiorũ eſt, vanitatis eſt, fucatum eſt, momentaneum eſt. Contra Chriſti gaudium veritatis eſt, ſinceritatis eſt, perpetuitatis eſt. GAVDIVM mundi ſeu impiorum, quod veteres culpæ nominant, eſt veluti phreneticorum & amentium, & naſcitur vel ex alieno malo & damno, cuius ipſi autores ſunt. & dicitur hoc phreneticum gaudium Græce ἐπιχαιρεκακία, de quo Salomon ita ait: Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſsimis. Ab hoc dehortatur Seneca cum ait, Alienũ malum tuum ne feceris gaudium. Vel oritur ex præſentis boni opinione, cum reuera nihil in bonis haberi poſsit, vbi bonorum autor ſua gratia non affuerit. Quare hoc bonum fallax & fugitiuum eſt. Proinde recte de hoc genere gaudij Martialis cum ait: Gaudia non remanent, ſed fugitiua volant. GAVDIVM Chriſti ſeu piorum, quod & gratiæ dicitur, verum & perfectum gaudium eſt, quod non ſolum ex præſentis boni fruitione, verumetiã ex certiſsima futuri boni expectatione concipitur. Hoc gaudiũ ſitum eſt in fiducia remiſsionis peccatorũ, in inhabitatione totius Trinitatis, in expectatione promiſſæ beatitudinis, in meditatione legis diuinæ, in cultu diuino, in tranquillitate cõſcientię, in honeſta & ſancta vita, in cruce & in afflictione propter Euãgelium, in bonis & commodis totius Eccleſiæ. Breuiter, hoc gaudium in Deo eſt per CHRISTVM IESVM, Vnde Paulus. Gaudete in Domino. De hoc gaudij ge-

nere

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nere Bernardus in quadam Epiſtola ſic ſcribit: Magnum eſt mihi gaudium, quod te ad verum & perfectũ gaudium velle tendere comperi. Quod non eſt de terra, ſed de cœlo, id eſt, non de hac conualle plorationis, ſed de illa, quam fluminis impetus lætificat ciuitate Dei, & reuera illud verum & ſolum eſt gaudium, quod non de creatura, ſed de creatore cõcipitur. Et quod cũ poſſederis, nemo tollet à te. Cui cõparata omnis aliunde iucunditas mœror eſt. Omnis ſuauitas, dolor eſt: Omne dulce, amarum: Omne decorum, fœdum: Omne poſtremo quodcunq; aliud delectare poſsit, moleſtum. Hactenus Bernardus. AVGVSTINVS vero in hunc modum. Eſt gaudium, quod non datur impijs, ſed ijs qui te gratis colunt: Quorum gaudium tu ipſe es. & ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te. Hæc Auguſtinus. Hoc gaudium tantiſper manet, donec fides cum bona conſcientia retinetur. Conſcientia vaſtata, & excuſſa fide, hoc incomparabile bonum amittitur: Cui ſuccedit ilias dolorum, cum in hac vita, tum in futura. Porrò vbi hoc verum gaudium poſsidetur, etiam in alijs donis Dei moderate pijs gaudere licet. Vt pius maritus gaudet de honeſtate coniugis, de liberorum profectu, & quilibet pius præſentibus vitę commodis oblectari poteſt, ita tamen, vt DEVS, qui eſt autor bonorum, ſit præcipuum gaudij noſtri obiectum, in quo ſolo acquieſcimus. GAVDIVM gloriæ expectatur, quod erit omnia in omnibus qui in vera inuocatione Chriſti hinc diſcedunt, quod durabit in omnem æternitatem. Hoc gaudium vere eſt inenarrabile. 1. Petri. 1 in quo exultatis lætitia inenarrabili. Vere eſt purum ab omni dolore & gemitu, Iuxta illud Eſai. 64. Et læticiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Vere eſt plenum, vnde Dominus iubet orare: Petite, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Vere eſt infinitum Eſai. 35. Læticia ſempiterna ſuper capita eorum, & rurſus, gaudebitis & exultabitis vſq; in ſempiternum. Et Chriſtus Iohan. 16. Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Huius gaudij guſtum quendam percipimus in hac vita in regno gratiæ, vnde tendimus ad regnum gloriæ.

TERTIVS, εἰρήνη pax. Hic opus eſt accurata explicatione, vt intelligatur, quænam ſit illa pax, quam Paulus hoc loco inter fructus ſpiritus numerat. Vocabulum pacis duo in vniuerſum ſignificat. Primum res proprias & ſecundas. Deinde concordiam, in qua eſt fauor & beneuolentia. Sed hæc concordia eſt triplex. Concordiã enim habent homines aut cum Deo aut alij inter alios, aut cum ſeipſis. CONCORDIAM & pacem habemus cum Deo fide iuſtificati, & reconciliati per Chriſtum, qui inimicitiarum cauſſas ſuſtulit. De hac canunt Angeli nato Domino, Gloria in excelſis Deo, In terra pax, Hominibus bona voluntas. DE hac pace Malachias prædixit cap. 2. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis. Et Ezechielis 37. Et percutiam cum illis fœdus pacis, Pactum ſempiternũ erit eis, & erit tabernaculum meũ in eis, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus. Cum hiſce congruunt verba Apoſtoli 2. Corinth. 5. Omnia autem ex Deo, qui nos ſibi reconciliauit per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliations, quoniã Deus erat in Chriſto mundũ reconciliãs ſibi. Et ad Epheſ. 2. Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui longe eratis aliquando, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti, ipſe enim eſt pax noſtra. Hæc pax hominis cum Deo rectiſsime definitur eſſe mutuus conſenſus Dei & hominis, Dei quidẽ offerentis gratiam & recõciliationem per & propter filiũ, Hominis vero oblatã gratiam fide recipiẽtis & pollicentis Deo in poſterum fidelitatem & obſequium. IN huius pacis conſideratione plura expendenda ſunt, vt magis hæc inæſtimabilis pax dulceſcat. PRIMVM conſiderandæ ſunt partes diſsidentes, quæ ſunt Deus & homo. Deus quidem, qui ſumme felix eſt ſine homine, Homo vero, qui extreme miſer eſt ſine Deo. SECVNDO, cauſſæ diſcordiæ inter Deum & hominem veniunt ſpectandæ. In homine eſt peccatũ, quo homo Deum proditoriè deſeruit: quod peccatum æſtimabitur magnitudine, multitudine, pœna, & obiecto. In Deo eſt ſumma iuſticia, qua Deus peccato vere iraſcitur, & illud iuſtiſsimis pœnis punit. TERTIO, quia reconciliatio fieri non potuit ſine mediatore, conſiderandus eſt mediator, nempe æternus Dei filius: qui poſtquã venit plenitudo tẽporis, miſſus eſt à patre in mundũ, & aſſumſit humanã naturã: vt quemadmodũ Patri ab æterno vera diuinitate iunctus eſt, ita nobis ſocietate naturæ humanæ iungeretur: quo poſsit eſſe mediator inter Deum & hominem. Cur aũt oportuerit mediatorem eſſe verũ Deum, Cur oportuerit eſſe verum hominem, & cur oportuerit eſſe vnam perſonam, vide in hiſtoria domini ſuper 1. cap. Ioan. QVARTO, quia Deus iuſtiſsimus eſt, requiritur cõpenſatio iniuriæ illi factæ. Hæc compenſatio facta eſt per obœdiẽtiã mediatoris & victimam, vt enim hac expiat peccatũ, ita illa iuſtificat expiatos. QVINTO, facta cõpenſatione fit reconciliatio: quę eſt placatio Patris per Filiũ, & receptio hominis in gratiam Dei. SEXTO, interuenit & pactum reconciliationis. In Deo quidem liberalis & gratuita promiſsio venię, In homine vero fides qua hæc gratuita ꝓmiſsio accipitur & retinętur, fit enim promiſsio cum conditione fidei. SEPTIMO, cogitanda eſt huius

reconciliationis obſignatio: quę fit per Sacramenta, Baptiſmum, & cœnam Domini, & per Arrhabonem ſpiritus. Ita enim Paulus ait: Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſtũ, & vnxit nos Deus, qui & obſignauit nos, & dedit Arrhabonem ſpiritus in corda noſtra. Hic igitur ſpiritus in cordibus Sanctorũ motus ciens congruentes cum Lege & voluntate Dei, eſt veluti Arra quædam, qua certificamur de promiſſa hæreditate: quã in reſurrectione iuſtorum plenam occupabimus. OCTAVO, cogitanda eſt promulgatio huius pacis: quæ eſt vniuerſalis, & habet additam conditionem fidei, iuxta mandatum Chriſti: Ite in mundum vniuerſum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, Qui vero non crediderit, damnabitur. Hæc promulgatio opponatur duplici tentationi, ſcilicet particularitatis & indignitatis. Teſtatur enim mandatũ, quod nulla ſit προσωποληψία apud Deum, ſed promiſcue offerat ſalutem omnibus fide accipiendam. NONO & vltimo, dulciſsimi huius pacis fructus legantur, qui ſunt acceſſus ad Deum, ſanatio vulneratæ conſcientiæ, gaudium inenarrabilis ſpiritus, lætus diſceſſus ab hac vita, & in omni æternitate fruitio conſpectus Dei, & ſanctorũ ſpirituum, & ſocietas iucundiſsima æternum manſura cum omnibus ijs, qui hic in terris nobiſcum DEVM coluerunt. Denique celebratio DEI in omni æternitate. Hæc nouẽ membra vtiliter conſiderantur, quoties de pace inter nos & DEVM inita cogitamus. excitant enim nos ad timorem, fidem, gratiarum actionem, & ad ſtudium conſeruandæ huius pacis, qua amiſſa nihil eſt homine calamitoſius, nihil miſerius. Nam hac pace deſtitutus, erit ſocius diabolorum in ſupplicijs nunquam finiendis. Secundum pacis genus eſt, quo homines inter ſeſe mutuam colunt concordiam. Quam autem hæc pax ſit neceſſaria in omni gubernatione, ex eo patet, quod vnum ſit ex illis ſummis bonis, quæ in qualibet congregatione neceſſaria ſunt. Sunt autem in qualibet congregatione ſũma bona, vera pietas, honeſta diſciplina, & ſancta concordia, ſeu pax. Hæc tria ita conſpiraſſe videntur, vt vno eorum expulſo reliqua ſimul diſcedant. Vbi enim nõ eſt pietas vera, qualis diſciplina & pax poterit illic eſſe? Contemta diſciplina, honeſtati & paci nullus relinquitur locus. Pace turbata, pietas & diſciplina iacent. Non igitur fruſtra Paulus iubet fieri preces, vt tranquillam & quietã vitam degamus in omni pietate & honeſtate. Etſi autem hæc pax in politijs & œconomijs magnũ eſt & inæſtimabile bonum, omnium tamen maxime opus eſt Eccleſiæ conſenſu doctrinæ, & eorũ qui docent inter ſeſe beneuolentia: Vt recte Baſilius dixit, Non tam ſiniſtræ opus eſt dextra, quã Eccleſiæ concordia doctorum. De hoc doctorum conſenſu in doctrina & mutua beneuolentia dulciſsime cõcionatur Pſalm. 133. pulcerrima enim pictura bonum pacis nobis commendat, qui cum facit mentionem Balſami, quo Aaron vnctus eſt, ſignificat vnde vera cõcordia in Eccleſia principiũ capiat. Nam vt Balſamum deſtillat à vertice Aaronis in Barbam, & in oras veſtimenti, ita vna doctrina ab vno ſummo Sacerdote, & vertice Chriſto ſparſa doceatur à toto cœtu Sacerdotũ: quod cum fit, vera animi beneuolentia ſe inuicem fouent non ſecus atque mẽbra corporis vncta nobiliſsimo Balſamo recreantur & fouentur. Et addit Pſalmus maximum præmiũ ſtudij huius pacis. Quoniam, inquit, ibi promiſit Dominus benedictionem & vitam vſq; in ſeculum. PROINDE huc optime quadrat illud Saluſtij, Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur. Porrò cum Paulus Epheſ. ſcribit in hunc modum: Solliciti ſitis ſeruare vnitatem ſpiritus, cum omni humilitate & manſuetudine, cum longanimitate ſufferentes alij alios in dilectione & vinculo pacis: Duo docet, videlicet & quib. modis retineatur concordia, & quinam ſint fontes omniũ diſsidiorũ in Eccleſia. Vt enim tres ſunt veluti nutriculæ ſuauiter fouentes piam concordiã, videlicet, vera & incorrupta doctrina, humilitas, & patientia: Ita tres furiæ ex inferis emiſſæ diſtrahũt Eccleſiam, quæ ſunt corruptela veræ doctrinæ, ambitio & impatiẽtia. Aduerſus has furias nemo poteſt ſatis muniri vlla quantũuis magna præſtantia virtutis, ſine agnitione & imitatione Chriſti. In huius ergo humilitatem & patientiã vero corde intueamur, & reprimamus nos: ne aut intumeſcamus, aut cupiditate vindictæ diſcordias excitemus. Quod ſi hac ratione affectus noſtros repreſſerimus, teſtimoniũ ſpirit⁹ vtpote eius germanũ fructũ in nobis habitantis habemus. Verũ cum diabolus perpetuas excubias agit aduerſus Eccleſiã Chriſti, & ſæpe in caſtra Eccleſiæ ſuos ſpeculatores mittit, vt ſunt hypocritæ, flagitioſi, ſchiſmatici, hæretici, blaſphemi, non eſt quod ſperemus in Eccleſia diuturnã pacem. Quare hic locum habet verſiculus: Interdũ pax eſt, pacis fiducia nunquam. Quapropter nos qui ciues Eccleſiæ ſumus, & vt Dauid loquitur, Socij timentium DEVM, πανοπλίαν Chriſtianam ſumamus, & pugnemus verbo & precibus aduerſus hoſtem noſtrũ diabolum, & aduerſus eius ſatellites: Ita futurũ eſt, vt retineamus pacem cũ Deo, etiamſi bellis & tumultibus totus collabatur orbis. Cæterũ quantum bonum ſit pacis in politijs & œconomijs, ex eo patet, quod ſine ea nulla domus, nulla Reſpublica conſeruari poſsit: Quemadmodũ, proh dolor, expe-

rientia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rientia docet,non ſolum publice,verumetiam priuatim in multorum domibus. Tertium genus concordiæ eſt,cum homines cum ſeipſis pacem habent,hoc eſt,cum fruuntur animi tranquillitate,quæ Græcis ἐυθυμία dicitur. Verum hic etiam opus eſt accurata diſtinctione. Nam cum triplex ſit diſsidium in homine,neceſſe eſt ei triplicem pacem opponi. Primum diſsidium in homine eſt perturbationum & affectuũ animi aduerſus rationẽ. hoc diſsidium agnoſcit Medea apud Ouidiũ cũ ait: Laudo meliora proboq;,deteriora ſequor. Quod laudet & approbet meliora,rationis iudiciũ eſt. Quod autem ſequitur cõtraria, ex impetu fit perturbationum,opponentium ſe rationi. De hoc diſsidio multa Philoſophi ſcripſerũt. Plato dicit, in vnoquoq; noſtrum duos ingenitos eſſe conſiliarios, prorſus ſibi contrarios & amentes,videlicet voluptatem & dolorem. Hi cum modũ non ſeruant,reprimẽdi ſunt, vt idem Plato ait, φόβῳ, νόμῳ, λόγῳ, metu, lege, ratione. Ad hos affectus futurorum opiniones accedunt, ante dolorẽ quidem timor,ante voluptatem vero cõſcientia: Vnde fit quod affectus ſint in nobis veluti nerui aut funes trahentes nos retrahenteſque ad contrarias actiones: vbi virtus & vitiũ diſcreta ſunt. Ratio autem iudicat & dictat quidnam melius & quid peius. Nam hanc tractionem vnam videlicet virtutis ſequendam ſemper, neque vnquam relinquẽdam,ſed hanc præ cæteris omnibus obtinendam eſſe ſuadet. Hanc tractionem rationis Plato auream & ſacram eſſe pronunciat, cæteras vero videlicet affectuũ opponentium ſe rationi duras & ferreas eſſe,quæ non ſunt ſequendæ. Hoc diſsidium perturbationum & rationis, etſi prorſus in hac vita non ceſſat, tamen fide iuſtificati,in quib. peccatum mortificatur,guſtũ quendam eius pacis habent,quæ huic diſsidio opponitur. Dum enim cor purificatur fide, affectus mitiores & puriores redduntur: Vnde fit, vt minus ſint moleſti rectæ rationi. ad hanc purificationẽ etiam multũ facit honeſta educatio,pia cõuerſatio,fuga occaſionum, & negocia. SECVNDVM diſsidium in homine eſt tantum in renatis,quod eſt carnis aduerſus ſpiritum,& ſpiritus aduerſus carnem. Hic nulla pax ſperanda eſt. nam ἄσπονδος πόλεμος eſt inter carnem & ſpiritum. hoc eſt bellum irreconciliabile: quod impulit Apoſtolũ vt exclamaret: Miſer ego homo, quis me liberauit de corpore mortis huius? ſed gratias ago Deo meo. Hic Paulus luctam carnis aduerſus ſpiritum,& victoriam ſpiritus contra carnem deſcribit,quę caro victa non quieſcit,ſed alijs atque alijs telis victorem ſpiritũ adoritur. vnde fit vt nulla prorſus pax inter carnem ſpiritũ expectari poſsit. TERTIVM diſsidium in homine eſt terrorum conſcientiæ ſenſu iudicij diuini perculſæ, & fidei. Huic opponitur pax mundo incognita,de qua potiſsimũ hic agit Apoſtolus: quæ ſane pax eſt incredibilis illa, & conſtantiſsima mentis recreatio & tranquillitas: qua fit vt homo de beneuolentia Dei ſecurus, ſeparatis conſcientiæ terroribus, clamet cum Dauide: Dominus illuminatio mea,& ſalus mea à quo timebo? Item, In te Domino ſpero non confundar in æternum. Vna igitur fides,quæ verbo Dei credit,Chriſtum veram iuſticiam apprehendit,terrores conſcientiæ ſuperat,& hanc dulciſsimã pacem affert, quæ maxime ſentitur in ſeria inuocatione: quæ propterea fortiſsima Turris dicitur à Salomone, cũ inquit: Turris fortiſsima nomen Domini,ad hanc confugiet iuſtus & ſaluabitur.

QVARTVS, μακροθυμία longanimitas ſiue lenitas, eſt fructus ſpiritus reprimentis animum,ne ſtatim aſſurgat in iram aut vindictam: idq; ſpe emendationis eius,qui lęſit. Hæc virtus paſsim in Prophetis Deo tribuitur. Vnde Dauid aliquoties cõſolationem petit,cum ait: Bonus & clemens Dominus, tardus ad iram, id eſt, μακρόθυμος & multæ miſericordiæ. Huius cœleſtis patris exemplo lenitati ſtudendum eſt,cauendumq; ne præcipites feramur in irã,aut vindictã,victi ab importunitate carnis. Ex qua re poſtea in multos alios lapſus facilimus eſt caſus,vnde difficile pedem reuocare licet. Iuuerit proinde proponere nobis Chriſti exemplũ, & ſanctorum,qui ob hanc virtutem prædicantur. Iuuerit cogitare de noſtra imbecillitate,qua & nos alios ſæpiſsime leui de cauſſa offendimus. Iuuerit etiam meminiſſe, quod qui offenderunt, fratres ſint in Chriſto, aut fieri poſsint. Huc promiſsiones refero: Beati mites,beati pacifici.

QVINTVS, χρηστότης benignitas. Vt quartus fructus ſpiritus à vindicta & ira nos reuocat, ita quintus ad benignitatem inuitat: quæ facit vt verbis & factis proximo commodo & vſui eſſe ſtudeamus. Non enim, vt ait Auguſtinus, ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat quod bonum eſt: & parum eſt nemini nocere, niſi ſtudeas multis prodeſſe.

SEXTVS, ἀγαθωσύνη bonitas. Hæc habitus eſt animi amice complectentis & fouentis alios. Vnde, tanquam riuulus, benefaciendi ſtudium manat. Vel eſt virtus, quæ facit vt animus ſemper ad optima quæq; ſit propenſiſsimus. Huic opponitur πονηρία, quæ contrarijs malis delectatur.

SEPTIMVS, πίστις fides. Non hic loquitur Paulus de fide iuſtificante, ſed tantum de ea fide, quam Cicero docet fundamentum iuſticiæ eſſe, videlicet, cum quod dictum eſt fit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Eſt enim conſtantia & veritas in dictis & factis. Hæc fides vt eſt fructus ſpiritus, differt à fide Scipionis, efficiente cauſſa, formali, & finali. Efficiens cauſſa fidei in Dauide, eſt ratio reformata manu Dei, fiducia Mediatoris, & Spiritus ſanctus. Forma eius quod ex puro corde profecta veritatem & conſtantiam tueatur. Finis eſt principalis, vt præſtetur Deo obœdientia & cultus. At in Scipione nec fiducia Mediatoris eſt, nec Spiritus ſanctus. Deinde cor eius immundum. Poſtremò ſpectatur non Dei gloria, ſed propria vtilitas. Hæc differentia ſumta ex cauſſis etiam alijs virtutibus, quas enumerat Paulus accommodetur, Vt manifeſtum ſit diſcrimen inter vmbras virtutum, quæ ſunt in non renatis, & veras virtutes, quæ ſunt in conuerſis.

OCTAVVS, πρᾳότης manſuetudo. Vt manſuetus eſt, iuxta Chryſoſtomum ille, qui cum prouocatus fuit, nec malum cogitat facere, nec facit: ita manſuetudo virtus rariſſima, habitus eſt, quo quis læſus remittat noxã, & de vindicta non cogitet. Hanc ſuis Philippenſibus cõmendat Paulus, cum inquit: Manſuetudo veſtra nota ſit omnibus hominibus. Ad hanc hortatur & Dominus propoſito proprio exemplo, inquiens, Diſcite à me, quia manſuetus ſum, & humilis corde. Coniungit hic Dominus manſuetudinem, & humilitatem, vt oſtendat, vnde vera proficiſcatur manſuetudo. non enim aliunde prouenit, quam ex vera cordis humilitate. Hæc, vt ait Bernardus, veluti triplici ariete concutitur: verborũ iniurijs, damnis rerum, corporis læſione. In his tribus omnis exhibitio patiẽtiæ, omnis exercitatio manſuetudinis. Probata eſt illa virtus quam nihil videtur concutere potuiſſe.

NONVS, ἐγκράτεια continentia, ſiue tẽperantia. hac cupiditates frenamus, & moderamur omnes actiones, verba, geſtus, facta ad normã iuſticiæ, & præcipue voluptatibus imperamus. Bernardus hanc definit eſſe refrenationem cupiditatis aduerſus ea, quæ carnaliter delectant. Opponitur ergo hæc virtus omni intemperantiæ cibi, potus, veneris, & aliarum rerum.

Aduerſus huiuſmodi non eſt Lex.

Cũ hac ſententia cõgruit dictum Pauli prioris ad Timoth. 1. Scimus quod Lex non ſit iuſto poſita, ſed ἀνόμοις, id eſt, exlegibus ſeu cõtemtoribus legis. Hic iuſtus & contemtor Legis opponuntur. Vt ergo contemtor eſt qui mandatũ Dei pro nihilo habet, & pro ſuo furore ruit in omnes carnis concupiſcentias, vt libidini peccandi ſatisfaciat: ita iuſtus eſt, in eo loco Pauli, qui ex fide timet Deum, & petit cum Dauide: Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad auaritiã. Atq; ita ſpiritu pugnat aduerſus corporis concupiſcentias, vt aliqua ſaltem officia Deo grata faciat. Significat ergo vtrunque dictum Pauli, quod legis rigor ſeu dãnatoria ſententia nihil iuris in eos habeat, qui ſpiritu militant cõtra carnem, & habent propoſitũ pium ſancte & in nocẽter vitam ſuam inſtituendi, etiamſi ad amuſsim omnia non præſtant, quæ Lex requirit: ſed tantum aduerſus eos, qui mandata Dei contemnunt, qui flagitioſe iuxta carnis deſideria viuũt, Lex ſuum exercet imperium, coërcendo, accuſando, damnãdo & puniendo, idq; ideo, quia tales adhuc extra Chriſtum ſunt, vt qui nondum ſint fide iuſtificati, id quod carnis imperium in ipſis conuincit. Nam ſpiritus fidei, vbicunq; eſt, huiuſmodi carnis operibus ſe opponit, & perpetuo aduerſus ea militat verbo & precatione.

Qui vero Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentijs.

Anteuertit obiectionem, quã quis in hunc modũ inſtituere poterat. Vbi ergo liberatio à Lege per Chriſtum? an non ad omnes ſe extendit? Reſpondet Apoſtolus, nõ eſſe liberatos qui male viuunt. filij enim Dei carnis illecebris renunciãt, & affectus prauos imperio ſpirit⁹ domare nunquam deſinunt. Eſt autẽ crucifigere carnem, compeſcere affectus carnis, eoſq; refrenare, ne ferociãt, & ſint efficaces ad fructificandum peccato. Hanc carnem illi ſoli crucifigunt, qui ſunt Chriſti, id eſt, fide renati. Verum ſi particulam δὲ pro γὰρ accipere placet: quod non raro fit, planior erit ſententia, & pertinebit ad proximi ſuperioris dicti confirmationem. Nã cauſſam reddit, cur aduerſus huiuſmodi nõ ſit Lex, & poterit hæc ratio Dialectice in hunc modum accommodari: Qui Chriſti ſunt, à Lege ſunt liberi. Qui carnem crucifigunt cum affectibus, & concupiſcentijs, hoc eſt, qui ſecundum ſpiritum viuunt, & fructus ſpiritus edunt, ſunt liberi à Lege. Hæc fuſius explicantur ad Roman. 8. Caro quemadmodum ſupra admonui, ſignificat ipſius naturæ vicioſitatem, quæ eſt in homine. πάθημα huius naturæ vitioſæ paſſio & affectio eſt, qua ſpiritus affligitur, ac premitur tanquã cruce aliqua à carne ſibi impoſita. ἐπιθυμία concupiſcentia carnis titillatione, qua inſtigatur homo ad obtemperandũ illecebris carnalibus. Hæc proinde mater eſt omnium operum carnis, quæ ſupra Apoſtolus enumera-

enumerauit. Crucifigendi vocabulo vtitur Paulus pro genere; hoc eſt, pro verbo mortificandi, idq; ideo, vt oſtendat cauſſam mortificationis noſtræ eſſe virtutem crucis & mortis Chriſti in renatis, quemadmodũ clare docet Paulus ad Roman. 6. Porrò quia mortificatio eſt altera ſanctificationis noſtræ pars, aſſcribam definitionẽ ſanctificationis: vt ex collatione partiũ clarior euadat vtriuſq;, hoc eſt, cum mortificationis tum viuificationis ratio: Eſt itaq; ſanctificatio (vt ex 4. prioris Petri promtũ eſt colligere) Segregatio hominis à prophanitate gentiũ per mortificationem carnis, & viuificatio ſpiritus per virtutẽ Spiritus ſancti. Mortificatio carnis eſt ceſſatio à peccato, qua fit, vt homo nõ amplius iuxta cupiditates hominum ſed iuxta voluntatem Dei viuat. Huius cauſſa eſt mors Chriſti in cõuerſis, & finis, vt ſiſtamus membra noſtra hoſtiã ſanctam & placentem Deo. Viuificatio ſpiritus eſt veluti creatio & excitatio noui hominis per ſpiritum Chriſti. Huius cauſſa eſt virtus ſpiritus Chriſti excitati à mortuis in renatis. Finis, vt ſimus noua creatura ſiue noui homines, iuxta voluntatem Dei viuentes.

Si viuimus ſpiritu, ſpiritu & incedamus.

Chryſoſtomus legit ζῶμεν οὖν. Viuamus igitur in ſpiritu, & ſpiritu incedamus, vt ſit concluſio ex ſuperioribus collecta. Verum nos ſequamur vſitatam lectionem, & hic repeti propoſitionẽ exhortatoriam, dicamus vna cum implicatione argumenti à cauſſa efficiente ad effectum. Ponitur autẽ loco totius argumenti ſola propoſitio, vt plurimũ fieri ſolet in hypotheticis argumentis. Compleamus autem argumentum hoc pacto, Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & incedamus. Atqui ſpiritu viuimus qui in Chriſtum credimus: Ergo par eſt vt ſecundũ ſpiritum incedamus. Si viuimus, inquit, ſpiritu, ſcilicet Chriſti in nobis habitantis per fidẽ, & hanc fidem noſtram gubernantis, Spiritu etiã incedamus, id eſt, iuxta regulam ſpiritus viuamus. Nã qui vere credimus, donati ſumus ſpiritu viuifico Chriſti, qui nos regenerat, vt peccato mortui, Deo viuamus. Paulus enim teſtatur Chriſtũ inhabitare per fidẽ in cordibus noſtris, qui ſuo ſpiritu vere efficax eſt, iuxta illud ad Roman. 8. Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic nõ eſt eius. At ſi Chriſtus in vobis, corpus quidem mortuũ eſt propter peccatum, ſpiritus vero vita propter iuſticiam. Hinc proinde ſentiemus nos fidem habere, adeoq; Chriſti eſſe, ſi ſpiritum eius habuerimus. Spiritum autẽ eius nos habere inde percipiemus, ſi vt vna noſtra pars indies magis magiſque mortificetur, ita altera viuat. Hanc autem viuere ex ·uſticia cognoſcimus, id eſt, ex eo quod iuſticiæ viuamus, quæ eſt ſpiritus Chriſti virtus in nobis. Paulus ſeipſum exempli loco proponit ſupra cap. 2. cum ita ait, Viuo autem non amplius ego, ſed viuit in me Chriſtus, & vitam quam nunc viuo in carne, viuo per fidem filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me. Neceſſaria eſt igitur hæc Pauli conſecutio, ſi ſpiritu viuimus, ſpiritu & incedamus hoc eſt, ſi vera fide præditi ſumus, iuxta regulam verbi Dei vitam inſtituamus. Hęc enim vis eſt vocis Græcanicæ στοιχῶμεν. nam is proprie στοιχεῖν dicitur, qui ita incedit, vt certum ordinẽ teneat, & quaſi lineam non tranſiliat. Hoc verbo Apoſtolus vtitur ad Roman. 4. vbi inquit, στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι τῆς πίστεως, id eſt, incedentibus recto ordine in veſtigijs fidei Abrahæ. Monemur igitur hoc dicto ſpiritu incedamus, vt nõ alium ductum in vita ſequamur, quam ſpiritus Chriſti: qui ductus verbo Dei nobis commendatur. Huc ſerium illud mandatum Dei pertinet. In præceptis meis ambulate, & nõ in præceptis patrum veſtrorum. Cum igitur Papa aut alius quiſpiam aliam viuendi regulam nobis præſcribit, ſciamus illũ nos à recto ſpiritus ductu abducere, & in foueam errorũ præcipitare. Locus hic aduerſus eos obſeruetur, qui fidem & ſpiritum iactant: quorum tamen actiones minime reſpondent tam magnificæ iactantiæ. Quemadmodum enim opera bona teſtimonia ſunt arcanæ virtutis Chriſti in cordibus habitantis, ita mala opera vanos fidei iactatores arguunt. Hæc enim duo pugnãtia, actio, qua violat homo Legem Dei ſciens & volens, & illa fides quæ eſt fiducia miſericordiæ, non ſimul manent, quia iuſiurandum dicit, Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Et Paulus ait, eos qui vaſtant conſcientiam, naufragium fidei facere. Cum Pauli exhortatione congruit & illa, quæ eſt in primo Iohannis tertio, Filioli mei, nemo vos decipiat, qui facit iuſticiam iuſtus eſt. I ruſtra igitur clamamus, nos fidem & iuſticiam in corde geſtare, dum pedes, manus, linguam, oculos, iniquitas occupat.

Ne ſimus cupidi inanis gloriæ, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

Exemplo cõtrario propoſitionem amplificat, ac κενοδοξίαν, quæ diſſidiorum et altercationum eſt mater, è medio ſublatam cupit. Nam vbi hæc eſt, penes carnem imperium manet, oppreſſo & fugato ſpiritu

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſpiritu. Semper enim κενοδοξία aliquid mali molitur, & cũ ex ea inuidia naſcitur, fieri non poteſt, quin infinita mala ſequantur. Porrò cum Apoſtolus inanis gloriæ meminit, ſignificat gloriam aliquam veram eſſe, ac minime vanam. Proinde duplex erit gloria. Vna vera, altera vana, de vtraq; ordine pauca dicemus. VERA gloria & propria filiorum Dei duplex eſt. VNA, cuius fundamentũ eſt promiſsio gratuita, de qua filij Dei recte gloriantur, cum eam fide poſsideant, & expectent gloriam filiorum Dei. Huius ergo cauſſa non eſt noſtra actio, aut paſsio, ſed meritum Chriſti, qui nobis factus eſt à Deo ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio. Vt quemadmodũ ſcriptũ eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur. De hac gloria Bernardus pie in hunc modum ait: Gloriari in ſolo Deo, non niſi à ſolo Deo eſt. Hæc proinde gloria non facit ſuperbos, ſed humiles: non contemnit proximum, ſed diligit: non præfert ſe alijs, ſed ſubijcit in vero timore Dei & caritate. Hac inſultamus diabolo, hac nos ſub cruce erigimus, hac diſceſſuri de hac vita gloriamur aduerſus mortẽ & infernũ. ALTERA gloria filiorum Dei oritur ex fide, & iudicio bonæ conſcientiæ de noſtris actionibus & afflictionibus. de hac Paulus 2. Corinth. 1. in hunc modum ait: Hæc eſt gloriatio noſtra teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Et infra capite 6. Opus ſuum vnuſquiſq; probet, & nunc gloriam habebit apud ſeſe, & non apud alios. Hoc eſt, Vnuſquiſq; recte ex fide faciat officia vocationis ſuæ, & ferat crucẽ forti animo, quod cum facit, habebit apud ſe gloriam, id eſt, approbationem non fallentis, ſed recte iudicantis conſcientiæ. Eſt ergo huius gloriæ fundamentum conſcientia recte factorum, & bona ſub cruce conſcientia. Verũ ne hæc gloria ſuos limites tranſgrediatur, atque ita cõmaculetur, triplex cautio adhibẽda eſt. Quarum prima, eſt conſtans, & vera agnitio fontis omnis boni, videlicet, quod Deus ſolus ſit fons & origo omnis boni. Secunda, eſt vera confeſsio, non oris tantum, ſed etiam intimi cordis, quod ex eo fonte gratis habeamus ſine noſtris meritis quicquid habemus boni. Tertia, eſt minime ſimulata gratitudo, qua ad Dei gloriã omnia quæ facimus, & patimur, referimus. His ſeruatis cautionibus in omnibus Dei beneficijs pie gloriari licet. Nã huiuſmodi gloria ipſum autorem Deũ glorificat, ac ad ipſum refert omnia. Huius gloriæ vix tenuis quædã vmbra eſt, quam Cicero tribuit hominibus virtute & rebus geſtis claris. Quã quidem ille definit celebrẽ & peruagatã alicuius famam, quæ vt ſumma & perfecta ſit, ex hiſce tribus eam conſtare dicit, ſi diligit multitudo, ſi fidẽ habet, ſi cum admiratione quadam honore dignos putet. VANA gloria triplex conſtituatur. Diabolica, Hypocritica, Thraſonica. DIABOLICA κενοδοξία eſt, qua membra diaboli gloriantur cum malefecerint. De hac Dauid Pſalmo 52. in hunc modum canit: Quid gloriaris in malitia tua tu potens? cum miſericordia Dei duret omni die, prauitatẽ cogitauit lingua tua, ſicut nouacula acuta feciſti dolũ, dilexiſti malitiam ſuper bonitatem, falſitatem magis quam loqui iuſtitiam. dilexiſti omnia verba perditionis lingua doloſa. Sed huius finẽ ſpecta, de quo idem Propheta hæc ſubiungit, Propterea DEVS deſtruet te in æternum, conteret te & euellet te. Vt autem hoc hominum genus pius vitet, monet Salomon Prouerbiorum 2. Conſiliũ cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, vt eruaris ab homine qui peruerſa loquitur, qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſsimis. HYPOCRITICA κενοδοξία, eſt captatio applauſus vulgi ob pietatis & ſanctimoniæ opinionẽ. Hanc damnat Chriſtus, cum ait: Cum facis eleemoſynam, ne buccinandum cures corã te, vt faciunt Hypocritæ. Hanc obijcit Chriſtus Scribis & Phariſæis Matth. 23. Omnia, inquit, opera ſua faciunt ad hoc, vt ſpectentur ab hominibus. THRASONICA κενοδοξία eſt, cum homines, qui in ſinu fortunæ fouentur, extolluntur, & magnifieri volunt, cum tamen nullis veris virtutibus emineant. Apud hos tria hominũ genera in magno ſunt precio, videlicet adulatores ſeu aſſentatores, quorum conſuetudo Thraſonibus iucundiſsima eſt. Calumniatores ſeu delatores qui alijs virtutis decus detrahunt, vt ſui Thraſones videantur eminere κακοηθεῖς, qui aliorum dicta & facta maligne deprauant, & omnia ad ſuorum thraſonum affectus moderantur.

CAPVT VI.

Summa Capitis Sexti.

Errantes leniter in viam reuocentur à ſpiritualibus: Doctoribus Euangelij gratitudo exhibeatur. Et vt omnibus debita reddantur officia, ita caueantur circumciſionis architecti, vt qui gloriam venentur inanem: cum contra piorum ſit tantum in cruce Chriſti gloriari.

Ordo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Ordo & partes Capitis Sexti.

Duæ partes ſunt huius capitis, Prior parænetica eſt, cohærens cum fine quinti capitis. Poſterior totius Epiſtolæ eſt concluſio. Prior rurſus tripartita eſt: conſtat enim tribus ſuaſorijs propoſitionibus cum ſuis rationibus. Poſterior, vt dixi, concludit Epiſtolam. Primũ monens Galatas, vt à Pſeudapoſtolis circumciſionis architectis ſibi caueant. Illi enim occaſionem Paulo dederunt, vt hanc ſcriberet Epiſtolam. Dein de ſe exemplũ abijciendæ inanis gloriæ ſtatuit. Poſtremo imprecatione & valedictione, ſuo more, claudit Epiſtolam.

EXEGESIS SEXTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

FRATRES etiamſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtaurate huiuſmodi in ſpiritu lenitatis.

Poſtquam in ſuperiori capite parę neſes inſtituit, quibus obtemperandum ſpiritui nos hortatur, nunc exempli cauſſa quaſdam hypotheſes exhortatorias ſubijcit. Ac primũ vt imprudenter lapſos in aliquod delictum rurſus erigamus, ac veluti luxatum ex lapſu membrum in ſuum locum reponamus. Hæc enim vis Græcæ vocis eſt, qua vtitur Apoſtolus. Lapſui, vnde membrorũ fit luxatio, opponitur καταρτισμὸς, hoc eſt, Luxati membri in locum ſuum reſtitutio. Præoccupationis vox translationem culpæ videtur ſignificare. Nam culpam Apoſtolus transfert in carnẽ & in Satanam: qui varijs technis homines in peccatum pręcipitat, non ſecus atque luctator, qui ſuppoſito pede antagoniſtam euertit, atq; ideo labentes Chryſoſtomus ὑποσκελισμένους vocat. PORRO cauſſa, & modus erectionis lapſorum hić obſeruetur. Cum enim ait fratres, item ſi quis homo, item vos qui ſpirituales eſtis, cauſſam triplicem aſsignat. Nam & fratrum eſt pia ſolicitudine ſine acerbitate ſe mutuo, ſi quid delinquitur, in viam reuocare, Et hominis appellatio cõmunis infirmitatis naturæ nos admonet, (quare recte Terentianus ille ſenex ait: Homo ſum humani à me nihil alienum puto) Et ſpiritus, quo donati ſunt credentes ſanctã moderationẽ requirit in corrigendis alienis peccatis. Nihil enim ita probat ſpiritualem virum, vt ait Auguſtinus, quam peccati alieni tractatio, cum liberationẽ eius potius, quam inſultationem, potiuſq; auxilia, quam conuitia meditatur: & quantũ facultas tribuitur, ſuſcipit. Modũ exprimit cum ait: In ſpiritu lenitatis, ſeu manſuetudinis, hoc eſt, non proterue, ſed benigne, non cum irriſione, ſed cum commiſeratione, non ſeuere, ſed manſuete. Breuiter, corripientis ſermo ita moderandus eſt, ſicuti ſalus eius qui corripitur poſtulare videtur. HIC quatuor loci ſe offerunt. Primus, quod lapſis poſt conuerſionem non ſit neganda venia, non ſit intercludendus reditus ad pœnitentiam. Nam, ſi Deus vult, vt nos erigamus lapſos, & errãtes in viam reuocemus, ſatis teſtatur, quod eos extreme non abiecerit: ſed cupiat potius, vt rurſus per pœnitentiam redeant, ac viuant. Secundus, qualiſnam debeat eſſe Chriſtiana admonitio, & fratrum correctio: Debet enim, vt hic Paulus docet, ex leni ſpiritu proficiſci, & tendere ad proximi inſtaurationem, & ædificationẽ. Verum diſcernendum eſt inter præfractos, & imbecilles. Illi, vt profeſsi hoſtes Euangelij contemnendi ſunt: Hi autem minime: ſed potius omnibus modis ſubleuandi, iuxta hoc Pauli præceptũ. Tertius, quod quo quiſq; abundantiora, ſeu ampliora dona ſpiritus habeat, eo plus ſe ædificationi proximorum debere ſciat. Spirituales enim vocat Paul⁹ hoc loco comparate, eos videlicet, qui magis in ſchola Chriſti profecerunt: non quod nihil de carne habeant reliquũ, ſed qui aliorum reſpectu maiori ſunt ſpiritus gratia donati. Quartus, Metaphora lapſus & inſtaurationis admonet, quãta cũ ſollicitudine cauenda ſint delicta, nam, vt quo ſæpius corpus labitur, eo redditur imbecillius, magiſque membra luxantur, donec tandem corpus prorſus concidat: Ita animæ lapſus frequentiores, tandem ruinam perpetuam animæ afferunt.

Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.

Ratio propoſitionis aptiſsima, ſumta à communis infirmitatis periculo, ac ſi diceret: Cum humanum ſit errare, & labi, talem te lapſo exhibeto, qualem tibi illũ cuperes lapſus. Nihil enim, vt ait Auguſtinus, ad miſericordiã ſic inclinat, quam periculi cogitatio. Et Bernhardus: Qui ſemetipſum aſpicit, non quærit, quid in alijs frequenter reprehendat: ſed in ſemetipſo quid lugeat. Hic Bernhardus in quodam loco narrat, quẽdam ſenem au-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nem audiuiſſe aliquem ex fratribus grauiter deliquiſſe, quod cum audiret, vehemētiſsime flere cœpit Interroganti autem cauſſam tanti fletus, Reſpondet ſenex: Ille hodie, ego eras. Huc pertinet verſiculus: AVT ſumus aut, fuimus aut poſſumus eſſe quod hic eſt. Tentationis vox ſubindicat cauſſam lapſuum, de qua Iacobus in hunc modum: Vnuſquiſq; tētatur à ſua concupiſcentia abſtrahitur, & ineſcatur. Hic Iacobus tentationis ad male agendum cauſſam, & fontem indicat propriam cuiuſq; concupiſcentiam. Hæc enim primū hominem à bono abſtrahit, deinde ineſcat hominis affectus & incautum tandem obruit. Hic duo loci obſeruētur: Primus, eſt admonitio infirmitatis communis, quæ eo pertinet, vt diligētius ab hoſtibus ſalutis noſtræ nobis caueamus: ne ſinamus nos inſidijs diaboli, improbitate mundi, & propriæ carnis peſsimis cōſilijs vinci, hoc eſt, carnalibus deſiderijs, quibus tum demū homo permittitur, quando verbū Dei ſegnius audit. Huc illud Domini dictum in Pſal.81. Et non audiuit populus meus vocē meam, & Iſraël non voluit me, & dimiſi eos ſecundū deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. De hac horrenda pœna neglectus verbi, vide Paulum 2. Theſſal.2. Secundus, quod aliorū lapſus nos admonere debeant noſtri periculi, ne nobis fidamus atque ita cum alijs in peccata ruamus.

Alij aliorum onera portate, & ſic adimplete Legem Chriſti.

Ex ratione proxima infert repetitionem propoſitionis. Verum, quia ratio communis periculi meminit, repetitio propoſitionis amplior eſt, & plus continet quam ipſa propoſitio. Antea enim, vt, qui ſpirituales ſunt, erigant lapſos hortabatur: nunc vt communium infirmitatū rationem habeant, monet: & ad mutuam condonationē & lenitatem in corrigendo, argumento ſumpto à cōmuni infirmitate. Eſt enim infirmitatis propriæ memor, erga alios moderatior. quare cum ſinguli noſtra vitia habeamus requirit cōmunis conditio, vt alijs ſimus æquiores. Recte enim dicit Chryſoſtomus, οὐκ ἔστιν ἄνθρωπον ὄντα χωρεις ἐλαττώματος εἶ), hoc eſt, fieri non poteſt, vt aliquis ſit homo, & careat vitio. Aptiſsima metaphora infirmitatis vitia. quibus laborant homines onera appellat. Vt enim ſubleuandi ſunt, qui oneri ſuccūbunt: ita amicis & placidis correctionibus in viam reuocandi, qui errore aliquo, aut vitio, tanquā onere impoſito premuntur. Quod autem ſubiungit: Et ſic adimplete Legem Chriſti, vim argumenti habet, cum à cauſſa, quæ eſt mandatum Chriſti, tum ab ipſo Chriſti facto ſeu exemplo. Ita enim ipſe Chriſtus Iohan.15. ait: Hoc eſt mandatū meum, vt diligatis alij alios, ſicut dilexi vos. Locus obſeruandus eſt. quod fruſtra tumeāt homines inani Chriſtiani nominis titulo, niſi magiſtri CHRISTI legem & exemplum ſequantur. CÆTERVM hic tres Quæſtiones excutiendę ſunt. Quarū prima eſt de hac Chriſti lege, cur videlicet mandatum dilectionis æternum, dicatur lex Chriſti. Secunda, quæ oritur ex prima, An Euangelium ſit noua quędam Lex? Tertia, de huius legis impletione, de qua Paulus hic aperte loquitur. Et ſic implete legem Chriſti.

DE PRIMA.

Cur mandatū dilectionis, dicatur Lex Chriſti, & nouum mandatum, videlicet Chriſti manifeſtati in carne, ex 2.cap.1 Epiſtolæ Iohannis, ex 15.Ioh Et ex Ierem.33. colligetur. 1.Iohann.2. Sic ſcriptum eſt: Cariſsimi non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio. Et mox iterū, Mandatum nouū ſcribo vobis, quod verum eſt in ipſo, & in vobis, quia tenebræ tranſierunt, & verum lumen iam lucet. Iohan. decimo quinto, Mandatū, dicit Dominus, nouum do vobis, vt alij alios diligatis, ſicut dilexi vos. Ierem.33. Legem meam ipſorum cordi inſcribam. Ex horum dictorum collatione patet Primum, quod lex dilectionis non ſit noua per ſe, nec lata à Chriſto in carne manifeſtato, cū iam inde à legis initio fuit, vt teſtatur primum teſtimoniū, quod adduximus à Iohanne. Si ergo materiā Legis inſpicimus, nō peculiariter dicitur Chriſti lex, aut noua lex, ſed Dei, naturæ humanæ in creatione impreſſa, & poſtea per Moſen lata: videlicet, Diliges proximum tuū ſicut teipſum. Cur ergo hæc lex Chriſti dicitur? cur nouū mandatū appellatur? Chriſti dicitur, propter formā mutatam & dilectionis exemplū. Ita enim dicit Dominus: Diligite vos, ſicut ego dilexi vos. Hic proinde non ipſam præcepti materiam, ſed formam videmus mutatā, ſiquidem longe certior caritatis regula nobis proponitur quam antea. Deinde noua hæc eadem lex dicitur propter nouā ſcriptionis eius rationē: videlicet, quod non in Tabulis lapideis, vt antea ſub Legis tenebris, ſed in corde ſit inſcripta, (ſicuti teſtimonium, quod ex Ieremia adduximus, docet.) In corde, inquam, in quo tenebræ tranſierunt, & verū lumen iam lucet: videlicet ſol iuſticiæ Chriſtus Ieſus. Duplici igitur reſpectu manda-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mandatum dilectionis nouũ dicitur, & Chriſti lex: videlicet propter formam, & propter efficiendi virtutem, ſeu inſcriptioné huius legis in cordibus quæ eſt à Chriſto. Nemo enim dilectionis legem implere poteſt, niſi Chriſtus eam in corde ipſius ſcripſerit: quod tum demum fit, cum homo in regeneratione fit noua creatura, & donatur ſpiritu Chriſti.

DE SECVNDA.

Secunda quæſtio oritur ex prima, nam cum mandatum dilectionis dicitur lex Chriſti manifeſtati in carne, & mandatum nouum, merito quæritur, numquid Euangeliũ ſit noua quædam lex? quemadmodum Monachi ſomniant. Reſpondeo. Euangelium nequaquam eſt noua aliqua operum lex, ſed eſt prædicatio conuerſionis & remiſsionis peccatorũ in nomine Chriſti, & prædicat liberationem à lege per Chriſtum, ita vt qui in Chriſtum crediderit, ſit à legis damnatoria ſententia abſolutus, & liber, ſit iuſtus, nõ propria, ſed aliena iuſticia, nempe Chriſti. Verum poſtquam aliquis Euangelij beneficio factus eſt noua in Chriſto creatura, debet nouo mandato obœdire, & Deo præſtare obœdientiá, iuxta normam Legis: quæ obœdientia, vt fructus ſpiritus eſt, ita euidens eſt regenerationis indiciũ, & nullo pacto cauſſa ſalutis, ſeu, vt Bernardus loquitur, non eſt cauſſa regnandi, ſed via regni: & tametſi hæc obœdientia imperfecta eſt, placet tamen Deo, quia perſona eſt reconciliata. accurate proinde diſcernendum eſt inter doctrinam de beneficio Chriſti proprio, videlicet Euãgelium, & doctrinam de officio noſtro debito, quod à nobis Chriſtus requirit. item inter iuſticiam fidei gratuitam, & eius fructus quæ ſunt bona opera.

DE TERTIA.

Cum Paulus hic dicit: Et ſic implete Legem Chriſti, & ex concione Domini Ioh. 15. & ex 1. Ioh. 2. conſtat legem Chriſti eſſe ſummá legis de dilectione Dei & proximi, merito hic quęritur, nũ pij poſsint hanc Chriſti legẽ implere. Reſpondeo: Impletionis ſeu perfectionis vox duob⁹ modis accipitur in ſcriptura. Alias enim opponitur imperfectioni operis, alias ſimulationi. Cum auté opponitur impletio legis imperfectioni operis, nemo ſane legem Dei in hac vita implere poteſt, niſi vnus Ieſus Chriſtus, qui eam ob cauſſam legis conſummatio in iuſticiã omni credenti ab Apoſtolo prædicatur. Hanc ſentétiá totius ſcripturę cõſenſus confirmat, & Paulus iuſta & prolixa diſputatione (vt alia teſtimonia taceam) eam concludit ad Roman. 1. 2. 3. & ad Galatas 2. In his enim locis quadruplici demonſtratione concludit Apoſtolus, neminem in hac mortali vita legem Dei implere poſſe. Primũ enim prouocat ad experientiã omnium hominum. Deinde corruptionem naturæ in mediũ adducit. Tum clara teſtimonia ſcripturæ congerit. Poſtremo finem mortis Chriſti, qui eſt expiatio peccati, vrget. Ex quibus ſingulis & omnibus ſimul conficitur, neminem lege iuſtificari, propterea quod nemo Legem perfecte præſtet. At cum perfectio Legis opponitur ſimulationi, id eſt, mẽdacio & hypocriſi, omnes filij Dei dicuntur legẽ Chriſti implere, quia ſincere ſtudent vitã ſuam Deo approbare, & ſine ſimulatione proximũ amore proſequuntur. Etſi auté nihil difficilius, quam ſincere proximos diligere, obſtat enim amor noſtri qui plenus eſt ſimulatione, & ſuum quiſq; amorem quo alios proſequitur, proprio commodo metitur potius, quam pio cõmunicandi ſtudio: Tamen vere pij ſpiritu regenerationis carnis vitia corrigunt, & præceptum dilectionis ſincere præſtare conantur: Qui conatus cum ſit ſine ſimulatione, dicuntur legẽ Chriſti implere, id eſt, ſine ſimulatione & hypocriſi proximos diligere, qui viua Chriſti fiducia ſunt præditi. Caritas igitur ἀνυπόκριτος, id eſt, non ſimulata, ſi cõferatur cum ſimulata hypocritarum dilectione impletio legis dicitur, & hoc loco & Iacobi 2. Nam Iacobus perfectionem Legis aperte opponit hypocritarum iactantię de religione ſine vero timore Dei & fide. Similiter Iohan. primæ, ſecundo, qui dicit (ait) Noui eum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt, & in eo veritas non eſt: Qui autem ſeruat ſermonem eius, vere in eo perfecta caritas Dei eſt. Hic manifeſtiſsime ſimulatę & mendaci caritati opponitur caritas perfecta, quam Iohannes tribuit pijs & vere credentibus. Quæ caritas à Petro prioris 1. ἀνυπόκριτος vocatur, & à Paulo 1. ad Timoth. 1. dicitur finis præcepti, ita enim ait: Finis præceptionis eſt caritas ex puro corde, conſcientia bona, & fide non ſimulata. Hic Apoſtolus fidem ἀνυπόκριτον, bonæ conſcientiæ matrem facit, ex qua cõſcientiæ puritas & ſinceritas cordis fluit: Vnde manat illa caritas, quam Iohannes perfectam, hoc eſt, vt interpretatur Petrus ἀνυπόκριτον, id eſt, non ſimulatam appellat.

Nam ſi quis putat, ſe eſſe aliquid, cum nihil ſit, ſeipſum decipit.

Tollit cauſſam cõtemtus aliorum, nimirũ faſtuoſam de ſe perſuaſioné.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Hac enim ſublata homo æquior eſt alijs. Nihil hoc loco, nō negatiue, ſed priuatiue capitur. Eſt enim ſenſus: Qui putat ſe eſſe aliquid, hoc eſt, qui tribuit ſibi arrogāter quod ſit alijs præferendus, nihil eſt, id eſt, Nullam veram gloriationis in ſe materiam habet, ſed ſuū potius fallit animum, cum ſibi tribuat quod non habet. Vtitur autē hic Apoſtolus admodū ſignificanti vocabulo φρεναπατᾶν, quod eſt mentē à recta via abducere. Vnde fit vt homo faſtuoſus prorſus iudicio careat, quo ſe & ſua facta recte examinare & iudicare deberet. Sunt autem hic tres loci obſeruandi. Primus, quo quiſq; eſt apud ſe faſtuoſior, eo magis alios tantū ex alto deſpicit. Secundus, quod homo nihil habeat proprij, ob quod merito gloriari poſsit, qui extollitur, inquit Ambroſius, quaſi aliquid ſit, errat. Neſcit enim quia de humilitate naſcitur. Tertius, quod arrogantes & faſtuoſi homines ſui ipſorum ſint deceptores.

Opus autem ſuum probet vnuſquiſque, & tunc in ſeipſo ſolo gloriam habebit, & non in alio.

Tollit aliam cauſam cōtemtus proximorum, nimirum collationem noſtri cum alijs. Sunt enim qui ſe agnoſcunt quidem infirmos & peccatores, ſed tamen quando ſe cum alijs conferunt, nonnullam gloriandi materiam inde ſumunt, dū videlicet alios vident ſe infirmiores aut peccatis maioribus obnoxios. Ab hac collatione reuocat pios Apoſtolus, & iubet vt quiſq; ſuam conſcientiam excutiat, & quale ſit proprium opus penitius conſideret. Porrò gloria piorum duplex eſt. Vna qua coram Deo gloriantur. Altera qua coram hominibus. De priori Pſalm. 115. loquitur hoc modo: Gloriamini de nomine ſancto eius. Et Ieremias cap. 9. Hæc dicit Dominus, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis, Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & iudicium, & iuſticiam in terra. Et Paulus 1. Corinth. 1. Chriſtus factus eſt nobis à Deo, ſapientia, iuſticia, ſanctificatio, & redemtio. vt, quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur. De ALTERA piorum gloria Paulus hoc loco ait, quam petendam eſſe ex probatione, & examine facti cuiuſq; monet, quam petendam eſſe in teſtimonio conſcientiæ 2. Corinth. 1. docet, cum ita ait: Hæc eſt gloriatio noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Vtriuſq; gloriæ ſingularis eſt vſus, vt enim iudicio Dei nihil opponi nec poteſt, nec debet, niſi fiducia miſericordiæ propter Chriſtum, in quo ſolo vere credentes rectiſsime gloriantur: Sic iniquis hominum iudicijs hæc gloria, quæ eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, opponitur. Plura de hac re nuper diximus, & oſtendimus, quibus iactis fundamentis liceat in donis Dei gloriari.

Quilibet enim proprium onus portabit.

Ratio ſuperioris ſententiæ aptiſsima, ſumta ab æqualitate iudicij Dei, qui iudicat ſine perſonarū acceptione. Eſt autem huius rationis hic ſenſus, & applicatio: Deus vnumquemq; iudicabit iuxta rationē vitæ propriæ, abſq; collatione vlla cum alijs: Ergo non eſt quod quiſquā ſibi blandiatur propter aliorum infirmitatē, aut lapſus. Sit igitur vnuſquiſq; potius de ſeipſo approbando, quam de alijs condemnandis ſollicitus. Oneris Metaphora peccatorum naturā exprimit. Vt enim onus impoſitum, quo maius fuerit, eo magis deprimit geſtantē, & non alium: ita peccata quemq; ſua grauant, ac deprimunt maledictionis ſententia. Hoc grauiſſimū onus ſolus Chriſtus leuat, & ſoluit, quando in ipſum firma fiducia recumbimus. Cæterum hic quæſtio oritur, Num Dauidis homicidiū, & Petri abnegatio æque proferentur in lucem, in die iudicij, atq; Neronis impuritas, & Iudæ proditio? Reſpondeo: Peccatum expiatum, remiſſum, & ſolutum in obliuione æterna erit coram Deo, & non proferetur in lucem in die iudicij. Quare nec Dauidis homicidium, nec Petri abnegatio reuocabitur ad rationem. Huc illud Domini dictū apud Prophetam pertinet: Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor: Sed peccatum quod per pœnitentiā non eſt remiſſum, manifeſtabitur omnibus creaturis in die iudicij: in quo pro omni ocioſo verbo non conuerſi ad Deum rationem reddent. Quare Neronis impuritas & Iudæ proditio venient in conſpectum omnium angelorum, & hominū, & rei damnabuntur æternis pœnis. Quibus proinde peccata remiſſa ſunt, iuxta ſententiam Euangelij, ſancti & mundi habebuntur in cōſpectu Dei, angelorū, & hominum: At quibus non ſunt remiſſa, iuxta ſententiam legis damnationi æternæ ſubiacebunt. Quod autem Petrus ait: Iudicium à domo Dei incipit: intelligēdum eſt de iudicio caſtigationis in hac vita, & non de iudicio vindictæ in extremo die. Vt enim illud eſt correctio & caſtigatio paterna, ita hoc punitio iudicaria eſt cum Dei indignatione coniuncta. Etſi autem vtrunque exercetur in hac vita, tamen in extremo die vindictæ iudicium duntaxat locum habebit.

Com-

Communicet autem qui catechizatur ſermone ei, qui ſe catechizat in omnibus bonis.

Secunda præſentis capitis propoſitio, eaq; exhortatoria: Hortatur enim Apoſtolus Galatas ad gratitudinem exhibendam verbi miniſtris, quibus duplicem honorẽ debẽt auditores, quemadmodũ Paulus 1. ad Timoth. 5. docet, his verbis: Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime ij, qui laborant in ſermone & doctrina. Dicit enim ſcriptura, Boui trituranti nõ obligabis os. Et, Dignus eſt operarius mercede ſua. Indigniſsimus igitur Chriſtiano nomine cenſendus eſt, qui miniſtros Euangelij totius Eccleſiæ curã gerentes negligit. Beſtia quauis immanior eſt, qui eos odio proſequitur, proſcindit, quorũ miniſterio ad ſalutẽ & immortalitatem innitatur. Sed proh dolor, bona pars mũdi huc incumbit, vt potius aliquid adimat miniſterio, quam addat, tanta eſt peruerſitas, & ingratitudo hominum, etiam illorũ, qui ſacrilege audent gloriari de Chriſtiano nomine. Cæterum quia Paulus in hac propoſitione admodũ ſignificantibus vocibus vtitur, altius placet eas expendere, vt conſpiciatur apertius, quam ſit neceſſarium officium, bene meritis miniſtris Euãgelij vicem rependere. Primo igitur loco vtitur κοινωνείτω communicet, qua voce oſtenditur, vt ait Chryſoſtomus, ἀντίδοσις, id eſt, refundẽdi viciſsitudo, ſeu compenſatio. Proinde iuſticia ipſa efflagitat, vt erga miniſtros verbi noſtram declaremus gratitudinem compenſando, quantum id fieri poteſt, illorũ labores noſtra liberalitate, vt ſit iuſta laboris & mercedis proportio. Proinde qui nihil cõferunt ad cõſeruandum miniſterium iniuſti ſunt, adeoq; fide carent. Quod ſi ita eſt, vt eſt reuera, quid dicemus de illis, qui miniſtros Euangelij neceſſario victu ſpoliãt? quid de illis qui immoderatis exactionibus tantũ non eos interficiunt, vt multi honeſti mariti cum ſuis vxoribus & liberis cogantur quodammodo mendicare. Horũ ſane factum nihil differre arbitror à ſacrilegio, & latrocinio, cuius pœnas olim luent architecti & fabri huius mali. Deinde Apoſtolus vtitur verbo Catechumenos, id eſt, qui catechiſat. Eſt enim κατηχεῖν proprie voce & ſono doctrinã aliquã tradere. Manifeſte igitur Apoſtolus diſcernit inter laborantes in verbo, & ocioſos ventres, qui fumos auro & ampliſsimis poſſeſsionibus commutant. Illis vult iuſtam mercedem pro labore tribui, idq; ex mandato Chriſti: Hos Theſſalonicenſibus ſcribens, iubet laborare, modo mendicare non velint. Nihil ipſis Eccleſiæ debent, neq; caritatis eſt robuſtos homines de Eccleſia & Repub. nõ bene meritos propter boatus in templis impinguare, multo minus eos qui canes & ſcorta bonis Eccleſiæ alunt. Præterea Apoſtolus modum communicationis ſubiungit cum inquit, ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, in omnibus bonis, hoc eſt, qui inſtituitur in verbo, id eſt, in doctrina Euãgelij (accipitur enim hic λόγος κατ᾽ἐξοχὴν) communicet ei omnia bona, id eſt, quæuis bona pro facultatum, & neceſsitatis ratione. Neque enim Paulus vult dari omnia, ſed omnibus modis gratos eſſe diſcipulos erga ſuos magiſtros.

Ne erretis, Deus non irridetur.

Quaſi diceret, non eſt quod quiſquam quærat ſubterfugia, quibus ſe excuſet, cur minus ſit liberalis erga miniſtros Euãgelij. Oculos quidem hominum fallere poteſt, ſed Deus nõ fallitur. in cuius contemtum alia atq; alia prætexunt ingrati. Hic tres loci obſeruentur. Primus, quod victus & alia officia debeantur œconomis myſteriorum Dei ſeu Catechetis. Secundus, quod pernicioſus error ſit & non prudentia, defraudare miniſtros ſua debita mercede. Tertius, quod Spiritus ſanctus in Paulo interpretetur deriſionem maieſtatis diuinæ eſſe, negare victum & alia officia verbi doctoribus.

Quod enim ſeminauerit homo, hoc & metet.

Ratio propoſitionis allegorica, ſeu parabolica: quæ integra ſimilitudine explicabitur hoc pacto: Quemadmodum qui ſeminat (exempli gratia) zizania, zizania & metet: Et qui ſeminat triticum, triticum etiam metet: Ita qui male operatur, pœnam reportabit, & qui benefacit, beneficentiæ ſuæ fructum aliquando percipiet. Significat ergo Apoſtolus, non fruſtra conferri beneficia in miniſtros Euangelij. Nã ea ipſa redibunt aliquando maiori cum fructu. Quemadmodum enim agricola ſeminat cum ſpe maioris prouentus, ita qui liberalis eſt in præcones Euangelij, ſuum aliquando referet fructum.

Nam qui ſeminat in carnem ſuam, de carne metet corruptionem: Qui autem ſe-

Diſtributio eſt generis in ſpecies ſuo propoſito congruentes, & con-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

minat in ſpiritum, de ſpiritu metet vitam æternam.

trariorum ſeminũ contrarios fructus ſtatuit, hoc eſt, contrarijs cauſsis tribuit contrarios effectus. Qui ſeminat, inquit, in carnem ſuam, id eſt, qui ſeminat carni ſuæ (nam præpoſitio εἰς hic finẽ declarat) hoc eſt, qui opera carnis facit, vt ei obſequium præſtet, corruptionem, id eſt, mortem æternam lucrabitur. Qui vero in ſpiritum, id eſt, ſpiritui ſeminat, vt ei morem gerat, hoc eſt, qui ſpiritus opera facit, percipiet fructum ſpiritus, nempe vitam æternam. Locus hic obſeruandus eſt de pœnis & præmijs operum carnis & fructuũ ſpiritus. Hoc loco abutuntur Papiſtæ. Primum ad aſſerendam operum iuſticiam. ſed falluntur, non enim ſtatim ſequitur nos iuſtificari operibus, quia vita æterna merces operũ appellatur. Nam gratuitũ eſt, quod Deus opera eorum, qui in ſe credunt, tanto dignetur honore, quod pro ipſis etiam mercedem promittat, Etiamſi enim millies pro operibus promittatur merces: Nulla tamẽ ex pacto debetur, niſi tota Lege impleta. Quare quid mercedem appellat ſcriptura, obſeruandũ, videlicet, quod Deus mera ſua bonitate promittit ſibi obtemperantibus: nõ quod æqualis ſit proportio meriti & mercedis, ſed quod Dominꝰ filijs ſuis ex gratia donet in officiorum ſuo nomine præſtitorum compenſationem. Preterea errorem Papiſticum tota ſuperior diſputatio de iuſtificatione inſtituta euertit. Quare magna impudentia Papiſtarũ eſt, qui ita ſcripturas lacerant, non curantes contextum & ſcopum orationis. Deinde Papiſtæ dicto Pauli ad Roman. 8. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt (Quod ſane dictum cum hac ſententia Apoſtoli congruit) abutuntur ad ſtabiliendam dęmoniorum doctrinam de impuro ſacerdotum cœlibatu. Nam diſtinctione 82. inter alia argumenta hoc tanquam apertiſsimum in medium producit impius Syritius Papa. Quod apertius inquit declarauit Apoſtolus dicens: Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt, quaſi vero Apoſtolus vel illic vel hic ageret de operibus naturæ, & non potius de operibus carnis, id eſt, vitioſæ naturæ, perturbantibus & deſtruentibus ordinem diuinum in natura: qualia ſunt illa opera, quæ ſupra recitauit Apoſtolus cap. 5. Verum quia hæc prohibitio coniugij à Paulo dæmoniorum doctrina pronunciatur, Pauli autoritatem toti Pontificio regno opponamus.

Bonum autem faciendo ne defatigemur.

Tertia propoſitio eſt. hic enim hypotheſis ad Theſin reuocatur. Quemadmodum poſt enumerationem partium fieri artifices præcipiunt. Eſt autem ſenſus perſpicuus, Hortatur enim ad omnia benignitatis officia præſtanda proximis. Vocabulum ἐκκακεῖν ſignificat deteriorem ſeu minus alacrem fieri, & veluti ſegneſcere in operando.

Nam ſi non defecerimus, metemus oportuno tempore.

Ratio propoſitionis ab vtili ſumta. Mentio enim meſsis ſignificat fore, vt officiorum noſtrorũ fructus aliquando ad nos copioſius cum fœnore redeant. Tempus proprium ſeu oportunum tempus meſsis nominat. Eſt autem meſsis vitæ æternæ poſſeſsio, cum inimica nouiſsima deſtruetur mors & corruptibile hoc induet incorruptibilitatem, atque hoc eſt quod Pſalm. 156. ait: Qui ſeminat in lacrymis, in exultatione metet. Euntes eunt & flentes portant pretioſum ſemen, venientes autem venient, cum exultatione portantes manipulos ſuos. Referamus igitur mentem noſtram & oculos noſtros, non modo ad tempus ſationis, ſed multo magis ad lætiſsimum tempus, quo manipuli cum exultatione colligentur.

Dum igitur tempus habemus, benefici ſimus erga omnes, maxime autem erga domeſticos fidei.

Concluſio eſt præſentis exhortationis: In qua duo obſeruanda ſunt, videlicet temporis mentio, & gradus ſeu ordo benefaciendi. Tẽporis mentio ſignificat poſt mortem ceſſatura talia officia, & opera caritatis: qua ſententia cõfutatur Papiſtarum error de meritis mortuorum. Ordo eſt, vt maiorem habeamus rationẽ domeſticorum fidei, hoc eſt, eorum qui eandem nobiſcum fidem profitẽtur, quam aliorum, qui alieni ſunt à fide noſtra. Locus obſeruandus, quod non ſolum beneficos oporteat Chriſtianos eſſe erga charos, propinquos, & amicos: Verumetiam erga omnes, adeo vt benefaciamus hoſtibus noſtræ fidei, ſi modo id illæſa pietate fieri poſsit. Etſi autem omnibus benefaciendum eſſe monet Apoſtolus, tamen præcipuam curam vult eſſe domeſticorũ fidei, hoc eſt, eorum qui ſunt de eadem familia Dei, & nobiſcum eandẽ profitentur fidem. Cum domeſticos fidei nominat, Argumentũ videtur petere à familijs humanis, quaſi dicat, Si par eſt, vt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

eſt, vt homines qui ſunt de eadem familia, ſibi mutua officia præſtent, multo magis decet, vt qui ſunt de eadem familia Dei, ideoque Dei domeſtici dicti, ſe mutuo foueant communicatis officijs vltro citroque.

Videte quantis literis ſcripſerim vobis mea manu.

Cõcluſio totius epiſtolæ quam orditur à cõmendatione ſuæ ſolicitudinis pro Galatis. Nam, cum in epiſtolis fere omnibus ſcribendis vſus ſit Apoſtolus notarijs, & ipſis Galatis tantam Epiſtolam ſcripſerit ſua manu, idque cum in maximis periculis Romæ verſaretur, profecto magnum indicium eſt ſingularis ſolicitudinis Apoſtoli pro Galatis. Hinc duo colligamus. Primum fidelium miniſtrorum verbi officium eſſe, nullum laborem detrectare, quo vel lapſos erigant, vel alioqui ſuos auditores in officio contineant. Deinde precium huius ſanctiſsimę Epiſtolæ inde æſtimari poterit, quod eam Apoſtolus proprijs ſuis manibus, dictante Spiritu ſancto, ſcripſerit. Vnde monemur, qua cum reuerentia adeo diuinum Theſaurum amplecti, atque exoſculari debeamus.

Quicunque volunt placere iuxta faciem in carnę, Hi cogunt vos circumcidi, tantum vt non ob crucęm Chriſti perſecutionem patiantur.

Admonitio grauiſsima eſt, qua Galatas monet, vt caueant ſibi à corruptoribus ſanæ doctrinę, & exploratorib. Chriſtianæ libertatis: quales fuerunt iſti circumciſionis fabri, qui corruperant doctrinam Euágelij, quam Paulꝰ ſincere tradiderat Galatis, inuectis in Eccleſias Galatarũ ritibus Moſaicis, tanquam ad ſalutem neceſſarijs. Quam Phariſaicam opinionem nequaquá ſtare poſſe cum Chriſtiana libertatę copioſe in hac Epiſtola docuit Apoſtolus. Porrò obſeruentur hic duæ Pſeudoapoſtolorum notæ. Quarũ prior eſt εὐπροσωπῆσαι, hoc eſt, vt interpretatur Chryſoſtomus, δοκιμεῖν παρὰ ἀνθρώποις, hoc eſt, plauſibiles eſſe, quandam lætam iucundam ac feſtiuam viuendi rationem ſectantes, ambitioſeq; aucupantes hominum gratiam. Vt enim πρόσωπον opponitur veritati: Ita carnis nomine ceremoniæ Moſaicæ ſignificantur: quibus tanquam fuco quodam conabátur Pſeudoapoſtoli Galatas inficere, ne veritas Euangelij apud ipſos permaneret. Poſterior nota Pſeudoapoſtolorum eſt ſtrenue cauere, ne quid crucis aut contumeliæ ferant nomine Euangelij: quod hic Metonymicos crucem Chriſti appellat Apoſtolus. Eo enim tempore maximam perſecutionem patiebantur, qui ſincere docuerunt Euangelium, & vindicarunt Chriſtianam libertatem contra patronos rituum Moſaicorũ. Hæc Paulina admonitio inprimis nobis vtilis eſt, ne propter autoritatem hominũ & externam religionis laruam deficiamus à puritate doctrinæ, néue fucoſo religionis prętextu recipiamus ceremonias: Vnde paulatim doctrinæ puritas infici poſsit. Eſt & hic generalis doctrina obſeruanda de cruce, quæ ſemper coniuncta eſt cum doctrinæ puritate. Aliud enim fieri non poteſt, quam vt Sathan ſe Chriſto opponat, & eius miniſtris. Deinde Chriſtus vult ſuos ſibi in cruce conformes fieri. Vnde illud Pauli: Si vna patimur, vna etiam regnabimus. Sunt & in ſanctis multi pullulantes affectus vitioſi, qui cruce reprimendi ſunt. Denique Deus nullum filium recepit, quem non caſtigat.

Neque enim qui circumciduntur ipſi legem ſeruant, ſed volunt vos circumcidi, vt in carne veſtra glorientur.

Translatio cauſæ eſt. Mentiebantur Pſeudoapoſtoli ſe amore legis circumciſionem docere, quam legem ſe ſeruare gloriabantur. Verum Paulus hanc laruam illis detrahit, Nam illud non legis amore fieri, ſed mera iactantia & gloriatione carnali oſtendit. Volunt, inquit, vos circumcidi, vt in carne veſtra glorientur, id eſt, non ſolum non patiantur perſecutionem à Iudæis, qui nullo modo ferebant circumciſionem aboleri, verumetiam quod tam multos proſelytos facerent, qui circumciſione recepta Iudaiſmum profiterentur. Vt enim vnum proſelytum Iudæi faciant, mare & terram eos circumire Dominus dixit Matth. 23. Eſt & hic obſeruanda nota falſorum doctorum, qui prætextu religionis ſe inſinuant auditoribus, quemadmodum multis ſeculis Monachos feciſſe manifeſtum eſt, idque non ſolũ vt ſpecioſi appareant, & veluti religionis quædam ſpecula, verumetiam vt gloriari poſsint de ſuis auditoribus, quos ſibi ſuo ſtudio & vigilantia adiunxerunt. Monemur proinde hic, vt ad verbum & teſtimonium, iuxta Eſaiæ dictum, prouocemus, quoties de religione oritur quæſtio, nihil morantes hypocriſin Phariſæorum & πιθανολογίαν Sophiſtarum.

Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce

Antitheſis eſt. Opponit enim ſuum

Domini noſtri IESV CHRISTI.

exemplum Pſeudoapoſtolorũ inani gloriationi. Exemplũ hoc omnibus pijs miniſtris Euangelij, adeoq; omnibus Chriſtianis imitandum eſt: quorum gloriatio in ſola cruce Chriſti, hoc eſt, in victima Chriſti ac victoria (eſt enim Synecdoche) poſita eſſe debet. Ambroſius perpulcre ait: Cuius omnis ſpes in Chriſto eſt, hic gloriatur in cruce eius. Hoc loco peſsime abuſi ſunt indocti Monachi, qui crucem hic interpretantur lignum crucis ſeu patibulum, cui affixus erat Dominus. Ex quo poſtea effectum eſt, vt huius patibuli imaginem pro idolo coluerint, omnium fere ſanctiſsimo, ac præſtantiſsimo. Hinc illa eſt ſalutatio: O crux aue ſpes vnica.

Per quem mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo.

Ratio ſuperioris ſententiæ à cauſsis ſumta. Per quem mihi mundus crucifixus eſt, id eſt, ſpretus & contemtus à me. Ego viciſsim mundo ſum crucifixus, hoc eſt, ſpretus & contemtus à mundo. Quare nihil mihi reliquum eſt quod glorier, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ambroſius in hunc locum ita ſcribit: Inuicem ſibi mortui ſunt, & Apoſtolus mundo, & mundus Apoſtolo: dum nihil concupiſcit Apoſtolus mundi, & dum nihil habet mundus ſuũ, quod agnoſcat in Apoſtolo. Crucifixio mundi hoc loco Metonymia Hebraica contemtus mundi eſt, ponitur enim ſubiectum pro adiuncto. quod frequens eſt in ſcriptura. Interpretationem noſtram confirmat ſententia quæ ſequitur.

Nam in Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura.

Ætiologia eſt ſuperioris ſententiæ. Tollit enim per diſtributioné omné gloriandi materiam. Per circumciſionem ſynecdochicos intellige omnes Moſaicos ritus: ex quorũ obſeruatione materiam gloriandi petebát Iudæi. Per pręputium eadé figura intellige quicquid habuerũt gentes incircũciſæ, & quicquid humana ſapeintia ſuo acumine excogitare poteſt. Omnia enim iſta in ſalutis negocio nihil ſunt. Ná hic tantũ valet noua creatura. Dicitur auté noua creatura quoad animã, homo reformatus ſpiritu Dei: qui non amplius ſibi, & mundo viuit, ſed Chriſto, per quem regeneratus eſt in hunc ſinem, vt in nouitate vitæ ambulet, hoc eſt, vt non ſecundum carnem, ſed ſecundũ ſpiritum viuat. Quoad corpus attinet, homo tũ demũ dicetur noua creatura, quãdo in reſurrectione depoſuerit mortalitaté, & induerit immortalitatem. Atq; hoc eſt quod Paulus ait 2. Cor. 5. Si quis eſt in Chriſto, noua creatura eſt. Sed quomodo noua creatura, cum nulla noua ſubſtantia condatur? Etſi auté non ſubſtantia, ſed qualitas duntaxat immutatur, tamé placuit ita loqui Spiritui ſancto, vt intelligeremus omnia eſſe in ſolidũ gratię Dei tribuenda in regenerationis opere: nõ quod trunci & ſtipites ſimus, ſed quod Deus aſsit in verbo, & ſit efficax per vocem Euangelij, creans in nobis non reluctantibus, nouũ ſpiritum, quo & bene velimus. & poſsimus, Huc precatio Dauidica pertinet, Cor mundum crea in me Deus. Hęc nouitas ſupra in quinto fidei nomine ſignificatur, vbi ita ait Apoſtolus. Ná in Chriſto Ieſu, neq; circumciſio aliquid valet, neq; præputium, ſed fides per caritatem agens. Nouá ergo creaturam dicit vitam nouam per fidem Ieſu Chriſti. Vt recte Auguſtinus interpretatur, & Ambroſius cũ ait: Noua creatura eſt regeneratio noſtra. Porrò partes huius nouitatis enumerat Paulus ad Roman. 6. vbi agit Apoſtolus de cauſsis mortificationis & viuificationis: quæ ſunt regenerationis ſeu ſanctificationis partes. Locus hic diligenter obſeruandus eſt. docet enim, quodnam potiſsimũ Chriſtianorum ſtudium eſſe debeat: videlicet præ cruce Chriſti contemnere, quicquid eſt in mundo ſublime: ac totis viribus nouæ vitæ ſtudere. Damnatur ergo hoc loco omnis excellétia, & quicquid magnifieri ſolet ab hominib⁹. Ná ſi deſit renouatio cordis, ſi non aſsit noua creatura, fruſtra gloriaris de alijs rebus mundi.

Et quicunq; hac regula inceſſerint, pax ſuper eos erit, & miſericordia, & ſuper Iſraëlem Dei.

Promiſsione claudit pręſentem locum, atq; adeo totam ſuperiorem doctrinã de iuſtificatione, de Chriſtiana libertate, & de vita iuxta ſpiritus directioné inſtituenda. Hæc promiſsio non aliter accipienda eſt, quam ſi illã ſuo ore Dominus pronũciaſſet. Hinc ꝓinde cõſolatio haud mediocris fidis verbi miniſtris, atq; adeo omnib. pijs petenda eſt: idq; maxime cũ ab impijs damnantur vt hęretici, & ſchiſmatici: atq; adeo vt à Deo damnati & abiecti, hoc eſt, vt loquũtur, anathematizati. Si enim De⁹ promittit pacem, & miſericordiam omnibus ijs, qui ſecundum regulã à Paulo præſcriptam ambulant, hoc eſt, qui doctrinam Pauli profitentur, docent, propugnant, iuxta eã vitã dirigunt. moreſq; formant, non eſt quod metuant ſibi à fulminibus anathematũ Papæ. Verbũ enim ſαχεῖν (vt

χεῖν (vt ſupra quoque admonui) ſignificat proprie ita incedere, vt certus ordo teneatur, adeo ne linea quidem tranſcendatur. Proinde Papa qui non ſolũ hanc lineã tranſcendit, verumetiã nouas regulas comminiſcitur pugnãtes cũ regula Chriſti, quam Paulus hic nobis cõmendat, nullo modo audiendus eſt, ſed potius tanquã ſerpens, qui noſtros parentes decepit fugiendus, & execrandus eſt. Valeat igitur Papa cum ſuo Franciſco, Dominico, Antonio, & cum reliquis Ægyptiorum locuſtis, & nobis ſufficiat regula Chriſti, quã nobis in Abrahamo commendat, qui propterea pater credentiũ nominatur. Iſrael Dei Metonymicos totum fidelium cœtũ denotat, & tacite perſtringit Apoſtolus Iudæos circumciſionis propugnatores: qui nõ parũ gloriabantur de carnali propagatione à ſancto Patriarcha Iacob, qui & Iſrael dictus eſt. Acſi diceret Paulus, Glorientur iſti quantũ volunt de carnali ſuo patre, nos tamẽ certiſsime ſciamus, quod benedictionis promiſsio pertineat ad promiſsionis filios, qui ſunt credentes omnes ex quibuſcunq; tandẽ parentibus ortũ ducunt. Nã indefinita particula: Quicunq;, tollit diſcrimen nationũ, & perſonarũ. Significatq; promiſsionẽ gratiæ vniuerſalẽ eſſe. Deinde regulæ mentio applicationem gratiæ notat. Quicunq; enim iuxta Pauli regulam promiſsioni gratuitæ credit, Deo reconciliatus eſt, & factus eſt noua creatura in Chriſto Ieſu: idq; non ex ſuo merito, ſed ex mera Dei miſericordia, & bonitate. Iſrael proinde Dei eſt, cuius laus eſt à Deo, & non ab hominibus. hoc eſt, qui probatur Deo veſtigijs fidei Iſraelis Patriarchæ inſiſtens: Qui Iudæus in occulto, ad diſcrimen eorum qui in carne confidentes Chriſti, Euangelium de gratuita iuſtificatione repudiant, dicitur.

Deinceps labores mihi nemo præbeat.

Extrema admonitio eſt: cuius hic eſt ſenſus. Poſtquam iam ſatis Pſeudoapoſtolorum impoſturas aperui, & veram viuendi regulam iuxta Chriſti inſtitutũ docui, veſtrum erit nunc diligentius officium facere, cauereq; ne rurſus decepti Pſeudoapoſtolorum fraudibus, indigeatis vlteriori increpatione: quæ mihi profecto pariet non leues moleſtias. Non enim poteſt magiſter pius ſine graui moleſtia diſcipulorum ſuorum defectionem, & ſupinam negligentiam ferre.

Ego enim ſtigmata Domini IESV in corpore meo geſto.

Ratio admonitionis eſt à cruce, quã perpeſſus eſt, nomine Chriſti ſumta. Sunt autem Stigmata notæ inuſtæ, ſeu ſigna quædam reatus, quibus ſerui delinquentes olim à ſuis dominis notabantur, non ſine magna illorum infamia. Vnde & στιγματίαι & ſtigmatici dicebantur: vt qui nota aliqua aduſti ſemper apparerent ſontes. Hinc ad crucẽ & perſecutionẽ piorum, & potiſsimũ miniſtrorũ verbi, transfertur vocabulum. Vt Domini ſtigmata ſint quædam veluti notæ, quæ imprimuntur nobis, vt ſunt probra, lapidationes, colaphi, flagella, carceres, contemtus & id genus alia, quibus Dominus oues ſui gregis ſignare ſolet: non quidem in illorũ contumeliam, ſed in illorum maximam gloriam. Nam his nos reddimur conformes quadam ratione filio Dei, cum quo olim glorificabimur. Hic locus obſeruetur de cruce Eccleſię, quę eſt perpetua nota filiorum Dei. cauſſas ſupra recitauimus.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro fratres, AMEN.

Precatione & voto, vt incœpit, ita finit hanc Epiſtolam. Cum autem ait: Cum ſpiritu veſtro, optat vt in imo pectore iſtam gratiã ſentiant, & retineant. Nam tum demum obtinemus Chriſti gratiam, quando eã ſentimus in corde noſtro, viua fiducia in ipſum recumbẽtes. Non enim ſufficit nuda cognitio gratiæ, ſed requiritur etiam ſenſus in corde. Quare Apoſtolus noſter optat Philippenſibus, vt abundent in omni cognitione, & ſenſu rerũ excellentium. Cognitione quidẽ, qua intelligamus & cognoſcamus quæ oportet: Senſu vero, quo intus in animis experiamur & ſentiamus ea quæ intelligimus, & inoffenſo curſu pergamus vſq; ad diem Ieſu Chriſti. Philip. 1. Fraterna compellatio eo pertinet, vt intelligant Galatæ quo affectu Paulus hanc Epiſtolam è carcere Romano ſcripſerit: nempe fraterno, vt qui communẽ patrem cum illis agnoſcat Deum in Chriſto Ieſu Domino noſtro. AMEN, à veritate dicitur: cuius vſus in Eccleſia varius eſt. Nã in precationibus, eſt fidei obſignatio: In votis, eſt affectus cõprecantis teſtimoniũ: In approbationibus, eſt conſenſus teſtificatio: Et in aſſeuerationibus eſt confirmatio dicendorum, & eorũ qui audiunt πληροφορία, ſeu certitudo. Breuiter, exemplo Hebræorũ cõmuniter vtimur vocula Amen, vota, precationes, imprecationes & deuotiones approbantes, ac ſi dicas: Sit ratũ, fiat: pro quo Gręci interdum vſurpant γένοιτο. Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti det nobis omnib. filij ſui ſpiritũ, vt ipſius donati ac firmati gratia, ſecundum ipſius voluntatẽ in hoc mundo viuamus: & tandem reſuſcitatis corporibus per eundẽ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, æterna fruamur beatitudine. Amen.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ORNATISSIMO VIRO DOCTRINA ET PIETATE PRAESTANTI M. HENRICO BVSCHODVCENSI DE ANTIQVA FAMILIA, BRVCHOFFEN, DECANO CAPITVLI LVNDENSIS DIGNISSIMO, AC THEOLOGO EXIMIO, FRATRI SVO IN CHRISTO SALVTEM PRECATVR

NICOLAVS HEMMINGIVS.

AVDIVI, CLARISSIME VIR, ALIQVANDO EX ore optimi & ſanctiſsimi viri D. Philippi Melanchthonis, nullum præſtantius opus eſſe quam docere & diſcere verbum Dei, neque id immerito. ſine enim doctrina cœleſti verſamur in denſiſsima caligine & ignorantia: ſeu vt Pauli verbis vter, ambulamus in vanitate mentis noſtræ, cœca intelligentia aberramus, à vita Dei procul abſumus, propterea quod ignorantia noſtra & obduratio cordis noſtri facit, vt nullo ſenſu doloris ob peccata noſtra tangamur (ſine quo ſenſu nunquam dulceſcit homini vox Euangelij) ſed potius nos proſtituamus ad omnem turpitudinem perpetrandam. His autem malis ſolum verbum Dei medetur, quando ſincere docetur & fideliter diſcitur. Id quod etiam regius ille Prophera Dauid teſtatur cum inquit: in quo mundam faciet adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos, quos ſane ſermones in eodem Pſalmo & gaudium ſuum, & viros conſiliarios ſuos pronunciat. Quam ob cauſſam idem Propheta, illud ipſum verbum omnibus mundi diuitijs præfert: Diligo, inquit, mandata tua ſuper aurum & obrizum. Item: Lætabor ego ſuper eloquia tua ſicut qui inuenit ſpolia multa. Item: Melior mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti. Fatetur itaque Dauid verbum Dei precioſiſsimum theſaurum eſſe, atque adeo impuram eſſe viam noſtram, donec verbo Dei tanquam limpidiſſimo fonte purificata fuerit, quod fit quando ex auditu verbi fidem concipimus, & donamur Spiritu ſancto. Tunc enim diſpellitur caligo mentis, intelligentia illuſtratur, cor quod antea durum vt ſaxum erat, fit carneum & molle, vt iam lex Dei in illud inſcribi poſsit, vt iam tangatur ſenſu peccati, vt deteſtetur peccatum, vt porrò conſilia, non carnis, ſed ſpiritus in formanda vita ſequatur. Cum tanta bona afferat doctrina verbi Dei, non immerito optimus vir (quem nominaui) inter omnia humana opera præſtantiſsimum eſſe pronunciat, docere & diſcere verbum Dei.

Iam cum adeo precioſus theſaurus ſit verbum Dei, & tam eximium opus verbũ Dei docere & diſcere, quid dicemus de ſinceris verbi doctoribus? Quid de ijs qui verbum Dei horrendis diabolorum & hominum commentis tanquam cœno fœdiſsime obrutum vindicarunt veluti ab interitu, & expurgarunt ſana & ſincera declaratione? magnam ſane gratiam debemus ijs, qui τὰ βιωτικὰ tuentur, ſine quibus hæc caduca vita incolumis eſſe nequit. At ijs ἀντίδωρα nequaquam reddere poſsimus, qui doctrinam, quæ eſt theſaurus ſine quo ſpe æternæ vitæ excidimus, repurgarunt, & nobis eam voce & ſcriptis ſinceram & puram tradiderunt. In horum numero primum locum à Luthero tribuendum iudico Philippo Melanchthoni præceptori noſtro. Quo viro in Germania alium acutiori ingenio, acriori iudicio, exactiori intelligentia, ma-

iori cru-

iori eruditione, ſubtiliori interpretandi ſcripturam dexteritate, addo etiam ardentiore pietate vix vnquam habuit, propter quæ eximia dona non ſolum ab ijs, qui eandem religionem nobiſcum colunt: Verumetiam ab hoſtibus religionis veræ in precio habitus eſt. Cum Paulus ſuis Philippenſibus ſcribit de Epaphrodito: Excipite ipſum in Domino cum omni gaudio, & tales in precio habete: Vult profecto Spiritus ſanctus vt huiuſmodi diuina organa agnoſcamus, vult vt palam fateamur beneficia quæ nobis per tales viros contigerunt, diuina eſſe, vult vt huiuſmodi viros veneremur vt præceptores, amemus vt patres, colamus vt Eccleſiæ Dei architectos, ſuſpiciamus vt eximias templi Dei columnas. Hoc pietas poſtulat, hoc illorũ labores efflagitant. Nequaquam igitur ijs cedendum eſt, qui arte excogitant calumnias quibus tanta lumina Eccleſiæ extinguere conantur, ſed potius pia ἐπιεικείᾳ mitigemus ſi quid deliquiſſe videantur. Xenophon vere dixit: χαλεπὸν ἔστω τι ποιῆσαι ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν· χαλεπὸν δὲ καὶ ἀναμαρτήτως τι ποιήσαντας, μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν. Eſt enim magna hominum imbecillitas & multa in vita errata incidunt, quæ candide potius regenda ſunt, quam maligne exaggeranda. Eſt quoque in multis magna leuitas, quæ facit vt aſperiores ſint iudices in eos qui nihil peccarunt. Imbecillitatem noſtram deploremus, & fugiamus leuitatem ſiniſtre iudicandi de ijs quorum labores maiores ſunt, & dona excellentiora, & agamus Deo gratias qui huiuſmodi ſalutaria organa in ædificationem ſuæ Eccleſiæ ſubinde mittit.

Etſi autem maxima gratia, vt par eſt, debetur ijs qui primam viã ſternunt: tamen alij qui ſuo loco ſequuntur, & faciunt quantum poſſunt ad ædificationem Eccleſiæ, & καταρτισμὸν ſanctorum, non ſunt contemnendi, ſed ſinguli loco ſuo habendi ſunt in precio. Paulus eximium & electum Dei organum fuit, quo nullus Apoſtolorum plus laborauit nec latius ſparſit Euangelium Chriſti. Titus autem qui in Inſula Creta delituit minor Paulo cùm donis & laboribus, tum vocationis gradu fuit. Hic Paulum eximium doctorem gentium agnoſco, ac Titum ſuo loco veneror, qui à Paulo didicit quæ poſtea ſuis auditoribus tradidit. Ad eundem modum Lutherum & Philippum præcipuos doctores, quos Eccleſia Dei habuit noſtra ætate, fateor & veneror, & alios ſingulos ſuo loco complector vt ſalutaria inſtrumenta Dei in Eccleſia: quorum & labores magni facio, & gaudeo me in illorum numero eſſe qui Lutherum & Philippum præceptores agnoſcunt & colunt. Nam ex illis riuulis quos ipſi duxerũt ex fontibus Iſrael, ego fateor me hauſiſſe quæ promo, & vt miniſter Euangelij Dei iuxta vocationis meæ rationem in hac ſchola Haffnienſi doceo, nemini me prefero, neminẽ contemno, non meas cogitationes anteſero aliorum ſententijs: ſed ſubijcio me Eccleſiæ Dei Catholicæ, vt iudici: quam Eccleſiam nõ diffinio patres aut matres cõſilij Neptunij, ſed eos qui confeſsionem Auguſtanam amplectuntur, hoc eſt, omnes qui Symbola incorrupta retinẽt: vbicunq; locorum ſunt. Non damno quenquã ſi à me diſſentiat, modo fundamentum, hoc eſt Symbola, non ſubruat. Agnoſco communem imbecillitatem, quam & deploro, & rogo Deum vt ipſe manum ædificio adhibeat. Niſi enim Dominus ædificauerit domum fruſtra laborant qui ędificant eam. Probo omnium conatus qui aliquid operæ conferunt ad Eccleſiæ Dei ædificium, in quorum numero etſi minimum me eſſe fateor: tamen minam mihi à Domino traditam nequaquam occultandam iudico. Et quia non cupio præſentibus tantũ auditoribus ſeruire: verumetiã abſentibus atq; adeo toti Eccleſiæ Chriſti, nonnulla ex meis ſcriptis ſub prelum miſi & in lucem edidi, & eodem conſilio nunc publicare placet annotatones meas in Epiſtolã Pauli ad Epheſios, quas ideo, clariſsime vir, ſub tuo nomine in lucẽ prodire volo, vt aliquod

extet

extet gratitudinis meæ erga te teſtimonium: qui mihi non ſolum amicus ſincerus, toto tempore quo in hoc regno es moratus, fuiſti: verumetiam plurima in me contuliſti beneficia, vt taceam magna illa beneficia Academiæ noſtræ & ſingulis profeſſoribus à te præſtita. Nam ſcio te in eorum numero eſſe, qui benefacere, Deo contemplante, quam prædicari ab hominibus, & ab ijs gloriam popularẽ venari, malunt. Qui enim hoc faciunt, ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. Sunt enim mercenarij qui pro mercede ſeruiunt, & non filij qui patri ſpontaneum obſequium præſtant.

Vale ac boni conſule munus quod mitto, ac de ipſo iudica candide vt ſoles, ſi quid autem diſplicuerit, hoc etiam ſignificato. Tuo enim iudicio multum tribuo. Iterum vale cum vxore Anna fœmina honeſtiſsima: quam audio tuam familiam noua prole auxiſſe. Deus faxit vt hoc cedat Deo in gloriam, & tibi matrique ſit gaudio & voluptati. Vt meo nomine ſalutes M. Tyconem Epiſcopum veſtrum: M. Veſſelum Cantorem: M. Balthaſarum Archidiaconum: M. Magnum Theologum veſtrum: M. Iohannem Spandemager, qui iam vltra triginta annos ſtrenue laborauerat in vinea Domini, & alios fratres omnes etiam atque etiam rogo. Haffnia calendis Nouembribus, Anno Domini 1564.

ARGV-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ARGVMENTVM

IN EPISTOLAM BEATI PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS.

VT HVIVS SANCTISSIMÆ EPISTOLÆ, AD EPHESIOS ex carcere Romano ſcriptæ, argumentum plenius percipiamus, quatuor illa quæ ſoleo in principio enarrationum Scriptorum ſacrorum attingere, nobis excutienda ſunt. Sunt autem hæc: PRIMVM, Quis nam fuerit huius Epiſtolæ autor. Hoc enim ſcire permultum facit ad autoritatem & dignitatem huic Epiſtolæ conciliandam. SECVNDVM, Quænam fuerit ſcribendi occaſio. Nam huius obſeruatio plurimum facere videtur, cum ad œconomiam totius orationis intelligendam, tum ad quæſtionum ordinem indicandum. TERTIVM, Quis ſit ſtatus ſeu quæſtio principalis, vnde genus cauſſæ deprehenditur, & finis, ſcopuſque dicentis cognoſcitur. QVARTVM, Quis ſit tractationis ordo: quo non intellecto rerum pondera nequaquã obſeruari poſſunt. Deinde haud raro ſit methodo orationis non animaduerſa vt aliena præter ſcriptoris mentẽ coaceruentur, & multa ſæpe torqueantur ab hæreticis ad confirmanda impia dogmata, quemadmodum videre eſt in ipſorum ſcriptis, qui dialecticam normam in iudicando non adhibent, ſed ſingulas pericopas, tanquam à corpore auulſa membra tractant. DE his igitur quatuor ordine dicemus, quo nobis facilior ſit aditus ad intelligendam hanc diuinam Epiſtolam.

DE PRIMO.

Autor huius Epiſtolæ eſt Apoſtolus ille & doctor gentium: qui vt per reuelationem Ieſu Chriſti ad munus Apoſtolicum eſt vocatus, ita ab eodem Chriſto in myſterio ſalutis inſtitutus eſt. Hic Apoſtolus vt ſtrenuus Chriſti miles inſignibus militaribus, id eſt, varijs ærumnis & perſecutionibus, flagellationibus, lapidationibus, colaphis, conuitijs, annos fere triginta quinq; decoratus, in extremo actu vitæ ſuæ hanc Epiſtolam ex Romanis vinculis ad Epheſios ſcribit. Cum itaque tantus ſit huius Epiſtolæ autor, nefas eſt vel de rerum grauitate, vel de ſcriptoris autoritate dubitare. Quapropter omnia quæ in hac Epiſtola prodita ſunt, non ſecus ſuſpiciamus oportet, quam quæ Deus ſuo ore de cœlo locutus eſt. Atque ideo vt doctrina quæ in hac Epiſtola continetur vere θεόπνευσος eſt, ita ad confirmanda dogmata religionis noſtræ, & ad refutandos errores maximum pondus habet, adeo vt nemo niſi prorſus ἄθεος & Chriſti profeſſus hoſtis ſe huius ſanctiſsimæ Epiſtolæ autoritati & dignitati opponat. Plura de Apoſtolo noſtro legantur in Actis Apoſtolorum, & in Epiſtolis ad Galatas & ad Corinth.

DE SECVNDO.

Occaſionem ſcribendi hanc Epiſtolam ſcandalum crucis Apoſtolo præbuit. Nam cum Paulus, conſummato iam curſu prædicationis ſuæ, in carcerem Romæ coniectus eſſet, & paſsim pij affligerentur, non ſolum à tyrannis, verumetiam à Pſeudoapoſtolis, putauit ſui muneris eſſe ſcripto confirmare Epheſios, quos præſens docere non potuit: ne vel ob ſuam crucem, vel propter perſecutionem Eccleſiæ, quæ tum temporis maxima erat, à gratia, cuius participes per Euangelij prędicationem facti erant, deficerent. Vt ergo ſcandalum crucis ſanctiſsimum Chriſti Apoſtolum ad ſcribendum commouit: Ita finis ſcriptionis fuit, amare Epheſios, vt inuicti perſiſterent in doctrina Chriſti, quam à ſe didicerant.

DE TERTIO.

Quia potiſsima huius Epiſtolæ pars expoſitione cõſtat, minus ſe profert ſtatus quam in contentione aut concertantium oratione, qui tamen deprchendetur facile ſine ſcriptionis cognito. Ex primo igitur, ſecundo & tertio capitibus hic ſtatus principalis colli-

gitur,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

gitur, videlicet quod doctrina de gratia Dei & miſericordia per Chriſtum non ſit recens nata, nec ad vnum tantummodo genus hominum pertineat, ſed hinc vſque ante conditum mundum ita conſtitutum fuerit à Deo, vt in Chriſto ſaluentur quotquot in ipſum crediderint, non ſolum Iudæi verumetiam gentes, inter quas fuerunt Epheſij. Hic ſtatus expoſitione copioſa explicatur, & multis grauibus verbis & ſententijs exornatur, idque in tribus primis capitibus. Hinc clariſsime patet quam neceſſaria ſit doctrina quæ in hac Epiſtola traditur. In poſtremis tribus capitibus variæ texuntur paræneſes & officia cum communia omnibus, tum certis ordinibus peculiaria pijs commendantur.

DE QVARTO.

Occaſione ſcriptionis, ſtatu, fineque cognitis, facilius tractationis ordo ſeu methodus monſtrari & intelligi poteſt, præter epigrapham, ſalutationem & epiſtolarem clauſulam, duæ ſunt huius Epiſtolæ principales partes, videlicet διδασκαλία & παραίνεσις: quarum prior natura, hæc poſterior exiſtit. Eſt enim hæc perpetua Moſis, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, adeoq; omnium recte docentium Methodus quod ex doctrina quam primo loco tradunt admonitiones, exhortationes, minas, obiurgationes, conſolationes, &c. extruant. Ita enim doctrinam auditoribus applicant. Parum eſt ſiquidem recte docere, niſi ſtimulis quibuſdam ſegnes excites, trepidantes erigas, repugnantes obiurges &c. PORRO prior pars quæ eſt διδασκαλία non eſt λογιστικὴ, ſed διηγητικὴ. Continet enim expoſitionem myſterij ſalutis noſtræ: idque primum in genere erga electos omnes, indicans non eſſe nouum ſalutis myſterium, ſed ita ante creationem mundi conſtitutum eſſe ex mera bonitate patris cœleſtis, quod velit in filio ſuo dilecto ſaluare credentes. Deinde genus diſtribuit & accommodat theſin ad hypotheſes, oſtendens reconciliationis beneficium ad Iudæos & gentes (inter quas ſunt Epheſij) ex æquo pertinere. Et quemadmodum in expoſitione fieri Rhetores præcipiunt, altius cauſſas & circumſtantias inculcat. Diligentiſsime enim huius myſterij cauſſas efficientes, materiales, formales & finales aſſignat: ſubinde eadem repetens, cum vt eo maius tanti miniſterij in animis Epheſiorum deſiderium accendatur, tum ne ob vllas cauſſas à tanta gratia deficiant. Hinc eſt quod & dicat ſe Deo gratias egiſſe, quod ſuum myſterium de ſalute hominum reuelarit Epheſijs, & teſtetur ſe rogaſſe Deum pro Epheſijs, vt in huius myſterij cognitione indies magis magiſque proficiant. VT autem perſuadeat Epheſijs, quod gratuita ſalus ad ipſos quoque pertineat, exponit quomodo ſit per reuelationem Ieſu Chriſti vocatus & inſtructus, vt Euangelium, de gratuita ſalute prædicaret non ſolum Iudæis verumetiam gentibus, ſublato per aduentũ Chriſti inter Iudæos & gentes diſcrimine: adeo vt ex æquo gentibus & Iudæis ſalus offeratur gratuita, ſola fide accipienda. HACTENVS de priori Epiſtolæ parte, quam δοξολογίᾳ & gratiarum actione ſuo more claudit. HIC diligenter attendant lectores quam appoſite omnia ſcopo & fini ſcriptionis accommodentur. Si gratia adeo opulente effuſa eſt in omnes homines: Si myſterium ſalutis ante mundi conditionem propoſitum iam prædicatur: Si in filio dilecto charos habet credentes: Si ſpiritu ſuo ſalutem & gratiam obſignat: Si Apoſtolos & legatos huius myſterij gratia mittit: Si gratuitum beneficium eſt: Si in prædicatione huius beneficij laus & gloria Dei ſpectatur: Si denique ſanctitas & ſalus hominum quæritur: Quis non niſi omnino mentis inops & propriæ ſalutis contemtor, fatebitur ſumme neceſſarium eſſe perſiſtere in hac doctrina, & inuicto animo quaſuis ærumnas potius ferre, quam tanta gratia & ſalute excidere? POSTERIOR pars quæ parænetica eſt, varia eſt & multiplex. In hac enim primum hortatur Apoſtolus ad vnitatem ſpiritus in caritate, hinc ad communia officia tanquam ad ſpecies generis deſcendit. Tum à pugnantibus cum vocatione noſtra vitijs auocat, & quid facere pios oporteat per collationem oſtendit. Huc addit præcepta de domeſtica diſciplina. maritis enim & vxoribus, parentibus & liberis, dominis & ſeruis præcipit, vt τὰ ἴσα & ἀνάλογα officia ſibi inuicem reddant: quæ omnia à fidei & caritatis fonte haurit, & accommodat ſingulis quod ipſis conuenit. Poſt hæc πανοπλίαν militum Chriſtianorum componit, eaque armat ſuos Epheſios aduerſus Sathanam hoſtem ſalutis hominum. huic parti ſubiungit petitionem, vt Epheſij pro ſe orent. Poſtremo de Tychico quem ad ipſos cum Epiſtola miſit, mentionem facit, à quo ipſos cogniſcituros ſuum ſtatum admonent, atque ita tandem Epiſtolam ſuo more fauſta imprecatione claudit. Hæc ſint dicta de ordine ſeu methodo tractationis huius Epiſtolæ. IN explicatione autem ſingulorum capitum hunc ego more meo ordinem ſeruabo. Primum in ſummariam quandam comprehenſionem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſionem ſingula capita cogam & contraham. Deinde ſingulorum capitum ordinem & partes indicabo. Poſtremo exegeſin vna cum obſeruatione doctrinarum incidentium & illarum accommodationem ad vſum & πρᾶξιν adijciam. Primum facit vt quæ oratorio dicendi gènere enunciata ſunt, ad dialecticam ſummam reuocata facilius comprehendantur, ac breui orationis complexu concepta tenacius memoriæ adhæreſcant. Medium cum interpretem tum ipſos diſcentes iuuat. Interpretem quidem, ne oblitus eorum quorum potiſsima ratio habenda erat, in peregrinas ſententias, nihil ad autoris mentem facientes, perrumpat: quæ res poſtea multas corruptelas, varietatem opinionum, diſputationes inutiles, ſchiſmata & hæreſes parit: Diſcentes vero quod præter ordinis obſeruationem, qua in omni re nihil pulchrius, penitius rerum pondera & momenta perſpiciant: Vnde iudicium in diſcentibus formatur, vt in alijs ſcriptis œconomiam orationis ipſi obſeruent facilius. Poſtremum ordinem rerum expendit, obſcura illuſtrat, confuſa retexit, ac rerum quæ traduntur vſum in vita indicat, qua quidem ratione efficitur vt doctrinam, conſolationem, patientiam & ſpem, iuxta dictum Apoſtoli, ex ſcripturis hauriamus.

CAPVT I.

Summa Capitis Primi.

Deus quos iuxta ſuum beneplacitum in filio dilecto in laudem gloriæ ſuæ elegit, ijs vt myſterium ſalutis per Euangelium reuelat: Ita eoſdem ſuo ſpiritu obſignat, inter hos eſſe Epheſios Paulus teſtatur. Quare & gratias agit Deo pro illis, precaturque vt abundent magis.

Ordo & partes Capitis Primi.

Ordo capitis hic eſt. Poſt epigrapham & votum ſequitur primo loco gratiarum actio, ſumta ratione à multiplici benedictione & gratia Dei in totum genus humanum liberaliſsime effuſa. Huc additur huius gratiæ Dei erga genus humanum illuſtris expoſitio, idq; prorſus Rhetorico more. Nam primus liberalem hanc gratiã Dei erga genus humanũ deprædicat, illuſtrat & amplificat ex locis cauſſarum & effectuum. Deinde deſcendit à theſi ad hypotheſes duas, & hanc gratiæ participationem Iudæis accommodat primum, poſtea gentibus, ſed ſub nomine Epheſiorum. Præterea vt Epheſij gratiæ huius magnitudinem agnoſcãt, & de perſeuerantia cogitent, memorat ſe Deo gratias agere pro reuelato ipſis myſterio ſalutis, & orare Deum vt magis creſcant & abundent: Vnde rurſus in beneficiorum Dei prædicationem dilabitur.

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, ſanctis qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu.

Duæ ſunt huius Epigraphæ partes, quarum prior continet tria, videlicet proprium perſonæ ſcribentis nomen, officij dignitatem & functionis Apoſtolicæ autoritatem. Hinc primum colligamus quanti facienda ſit doctrina Pauli, qui per voluntatem Dei conſtitutus ſit Ieſu Chriſti Apoſtolus. Deinde hinc diſcamus in genere non ſolum quæ ſit miniſtrorum verbi afferentium doctrinam Pauli autoritas, verumetiam qualis confeſsio functionis eorũ requiratur. Ex vtroq; concludendum eſt, nullis humanis conciliabulis aut vllorum hominum autoritati cedendum eſſe, ſi quid contra hanc Apoſtolicam doctrinam præceperint aut attulerint. Non enim par eſt vt autoritas & vox Dei hominum aut diabolorum traditionibus & eminentiæ cedant. Huc illud Pauli ad Galat. Si quis aliud Euangelium euangelizauerit anathema ſit. POSTERIOR Epigraphæ pars non ſolum eos nominat, quibus Apoſtolus ſcribit, nempe Epheſios, verumetiam eoſdem maxime auguſtis titulis ornat, cum ipſos & ſanctos & fideles nominat: quæ ſane duo ita natura ſunt coniuncta, vt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

de quocunque recte dicitur vnum, alterum quoque veriſsime dicatur. Non enim à ſe inuicem ſeparari poſſunt, ſiquidem quicunque vere credit, ſanctus eſt, & rurſus ſanctus omnis credit. SANCTI autem efficimur hoc pacto: Fides Euangelij ſeparat nos à prophanitate mundi, & inducit nos in familiã Dei. hac ipſa fide purificamur & mundamur. Nam qui in Chriſtum credit, eius ſanguine & purgatur & ſanatur. Adhæc eadem hac fide ſiſtimur Deo, vt ſimus hoſtia viua placentes Deo per Ieſum Chriſtum. Quicunque ergo ſegregatur à prophanitate mundi, purificatur ſanguine Chriſti, mactatur Deo in hoſtiam viuam per Ieſum Chriſtum, vere ſanctus eſt, etſi in ſe adhuc ſentit maculas quas indies abluere conatur. HIC locus oſtendit, & quæ ſint adiuncta veræ fidei, & quod fidelis iudicio Spiritus ſancti coram Deo ſanctus cenſeatur. Perpulchre hoc loco monet Chryſoſtomus, inquiens: Ecce ſanctos vocat viros habentes pueros, vxores & familias: ſequitur enim poſtea compellatio qua compellat maritos, vxores, dominos & ſeruos, & illis commendat analoga officia. Confutatur proinde hac appellatione peſtilens Monachorum error, qui ſanctitatem ponunt in cœlibe vita & ficta virginitate. His addo & eos confutari hoc loco qui paupertatem electitiam tanquam ſanctitatis Chriſtianæ conſummationem iactant. Nam inter Epheſios fideles multi erant qui abundabant opibus, & conuerſi prædicatione Pauli non abiecerunt facultates.

Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.

– Hoc votum Apoſtoli ſeu fauſta imprecatio cõtinet ſummam beneficiorum Euangelij. Primum precatur Epheſijs ſuis gratiam: quæ cum beneuolentiã Dei gratuitam, tum quicquid donorũ nobis à Deo datur, ſignificat. Deinde precatur pacem, id eſt reconciliationem noſtri cum Deo, & ea quæ cum hac reconciliatione coniuncta ſunt, vt ſunt gaudiũ ſpiritus, tranquilla cõſcientia. VNDE autẽ veniat & per quem nobis contingat iſta gratia & pax, exponit cum addit: à Deo patre & à Domino noſtro Ieſu Chriſto. A Deo quidem patre, vt principio & fonte, à Domino vero Ieſu Chriſto, vt mediatore. Vt enim ipſe pater fons omnium gratiarũ exiſtit: ita filius gratiæ & pacis omnis, & materia & meritũ eſt. Hic igitur ſtatim velut in limine Epiſtolæ cõfodiuntur omnia humana merita & Monachorum ſomnia de ipſorũ traditionibus, de meritis congrui, digni & condigni. Quoties enim gratia prędicatur, toties humana merita euertuntur & damnantur. Nã quod ex gratia eſt quomodo ex merito eſſe poteſt? Immotum enim ſtat dictum Spiritus ſancti, Roma. 11. Si ex gratia, non amplius ex operibus, alioqui gratia non eſt gratia. Si ex operibus, non amplius eſt gratia, alioqui opus non amplius eſt opus. Hic Apoſtolus ita opponit gratiam & opus, vt vtrunq; eidem tertio nequaquam tribui poſsit, nec alterum alteri. PRÆTEREA docet hæc imprecatio nihil nos boni à Deo conſequi poſſe, niſi quod proficiſcatur à Deo per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum. Remittit itaq; nos Paulus ad fontem omnis boni, & ſimul fidem requirit, qua de fonte hauritur omne bonum. Vt enim fundamentum huius gratiæ & pacis εὐδοκία paterna in Deo miſerente: ita homo eſt terminus ad quem, fide fundamentum refertur. Eſt enim fides inſtrumentum, quo oblata hæc gratia & reconciliatio accipitur & poſsidetur.

Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Orditur Apoſtolus à gratiarum actione: quæ eo pertinet, vt nos noſtri admoneat officij. Non enim decet vt vllam gratiam Dei prætereamus abſque eius laude & prædicatione. BENEDICTIONIS vocabulum, quo hic vtitur Paulus, non habet ſimplicem ſignificationem, ſed ratione obiecti variat. Aliter enim Deus homini: aliter homo Deo: aliter rurſus homo homini benedicit. Cum Deus homini benedicere dicitur, ſenſus eſt, quod Deus homini dicendo benefaciat. Nam Dei dicere, facere eſt. Homo Deo benedicere iudicatur, cum ex fide vera Deum ob ſua beneficia laudet ac celebret per Chriſtum, idque corde & externa confeſsione. hoc ita eſſe patet ex eo, quod ſcriptura vtatur promiſcue verbis εὐχαριστεῖν & εὐλογεῖν: homo homini benedicit quando ei fauſta ac proſpera precatur. CÆTERVM ſacerdotalis benedictio non hominis cenſenda eſt ſolummodo, ſed Dei potius, in qua obſeruandum eſt mandatum & promiſsio. Mandatum extat Nume. 6. Benedicetis, ait Dominus filijs Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te, illuminet Dominus faciem ſuam ſuper te & miſereatur tui. Leuet Dominus faciem ſuam ſuper te & det tibi pacem. Promiſsio eſt: Inuocabunt ſacerdotes nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. hæc promiſsio fide accipienda eſt, & nititur CHRISTI merito: in quo omnes promiſsiones ſunt etiam & Amen.

Qui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Qui benedixit nobis in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus Chriſto.

Ratio gratiarum actionis, in qua ſingulari breuitate maximas res comprehendit. Primum enim fontem & autorem omnis benedictionis, id eſt, proſperitatis monſtrat, videlicet Deum patrem, qui ex ſua paterna beneuolentia nobis benedixit. Deinde obiectũ indicat, nempe hominem, in quem Deus ſuam benedictionem liberaliſsime effundit. Tum definit benedictionem peculiarem, de qua hic agitur, eſſe gratiam ſpiritualem qua adoptamur & efficimur hæredes vitæ æternæ. Huc addit quarto loco, hanc eximiam & peculiarem benedictionem non in mundo quærendam eſſe, ſed in cœlo: hic quidem prius inchoatá, illic conſummandam eſſe. Poſtremo materiam huius ſpiritualis benedictionis addit. Chriſtus enim materia & meritum eſt huius ſpiritualis benedictionis. VIDE quam multa & quam diuina paucisſimis verbis complexus ſit Apoſtolus. Primum & ſecundum membrum, vt Deum omnis boni fontem eſſe docent: Ita arrogantiam humaná deprimunt. Tertium beneficia Euangelij ſpiritualia eſſe docet. Quartum nos fide in cœlum mittit. Vbi theſaurus omnis benedictionis in Chriſto repoſitus eſt. Poſtremo valide humana merita euertit. Non enim in alio eſt meritum huius cœleſtis benedictionis, quam in ſolo Chriſto.

Sicut elegit nos in ipſo ante creationem mundi, vt eſſemus ſancti & irreprehenſibiles coram ipſo in dilectione.

Ætiologia eſt. Nam vt proximo verſiculo rationem poſuit cur merito à nobis bonitas Dei prædicanda ſit, videlicet quod liberaliſsime in nos effuderit benedictionem ſpiritualem, qua benedixit nobis in Chriſto: ita hic ſubiungitur rationis redditio per expoſitionem, in qua vt fundamentũ & materiam, ita tempus & finẽ proximũ cœleſtis illius gratiæ ſeu bene dictionis ſpiritualis, veluti breuiſsimo quodá aphoriſmo complectitur: quo hoc myſterium plenius nobis ob oculos ponatur. FVNDAMENTVM benedictionis ſpiritualis, ſeu gratiæ cœleſtis, ſeu ſalutis noſtræ facit electionem æternam, qua Deus elegit creditores ante conſtitutionem mundi. MATERIA eſt Chriſtus. In eo enim ſolo reſidet cœleſtis gratia, adeoq; vita & ſalus noſtra. Hic ſummopere cauendum eſt, ne electionem ſeparemus à ſua materia. Nõ eſt enim cogitanda vlla electio ſine Chriſto, non elegit nos Deus ſimpliciter, ſed in Chriſto, hoc eſt, vt Chriſti membra, Chriſto capiti coniuncta per fidem. Hanc electionem in Chriſto, ideo ante mundi conditionem factam eſſe pronunciat, ne fortuito caſu, vt doctrinam recens natam Euangelium de ſalute per Chriſtum conſequenda prædicari ab Apoſtolo putarent Epheſij, ſed vt ſcirent potius æternum Dei conſiliũ fuiſſe ſalutem impartiri omnibus in Chriſtum credentibus. FINIS benedictionis cœleſtis proximus additur, vt ſimus ſancti & irreprehenſibiles corá ipſo in dilectione, quæ fons aliorum officiorũ eſt. Requirit proinde vocatio hæc auguſta ſanctitatem & innocentiam vitę, tanquá proximũ finem ſeu effectum ſpiritualis benedictionis. HACTENVS ſententiam Apoſtoli expoſuimus, iam quid doctrinę & conſolationis inde hauriendum ſit videamus. PRIMVM itaq; ex eo quod dicat nos electos in Chriſto ante mundi creationem, tanquam ex principio immoto has concludamus hypotheſes, videlicet, quod gratuita ſit electio, quod ſit extra nos: quod electio non ſit quærenda in materia hominis: quod electio ſit firma & rata: quod ſalus noſtra fundetur in ſolo Chriſto: quod omne humanum meritũ excludatur: quod electi dicãtur qui in Chriſto ſunt per fidem. Firmum enim ſtat ſalutis noſtræ principium: Qui credit in filiũ non peribit, ſed habebit vitam æternam. Per fidem enim fit tranſitus ab æterna electione ad futuram glorificationem. QVIDAM ex hoc loco ſic ratiocinantur: Deus elegit quoſdam in Chriſto ante creationem mundi. ergo Deus ordinauit lapſum hominis ante mundũ cõditum. Nam ex ijs qui lapſi erant, quidam eliguntur ad vitam, quidá iuſtæ damnationi reſeruantur. Iam cum neceſſe ſit ante lapſum ſtetiſſe homines, ſequitur quod Deus ordinauerit creationem hominis in iuſticia & ſanctitate vnde caderet per peccatũ. Sunt igitur à Deo ordinata creatio hominis, corruptio hominis, electio ſimiliter & reprobatio. AD hoc argumentum reſpondeo: quod aliud ſit ordinare & efficere, aliud præſcire in ſuo æterno. Deus ordinauit creationem hominis ad imaginem ſuam, vt eſſet iuſtus & ſanctus: & fuit Dei voluntas paterna, vt ſua creatura talis permaneret. Præſciuit quod eſſet caſurus homo, deceptus à Satana, non tamen ordinauit caſum, Imo caſus iſte fuit contra ordinem diuinũ, alioqui lethalis nequaquam homini fuiſſet. Verum cum præſciret morbũ, ordinauit remedium, nempe electionem lapſi hominis in Chriſto Ieſu. NON eſt ergo præſcientia Dei cauſſa lapſus, ſed contra lapſus futurus fuit præſcientiæ cauſſa. Non enim pendet res à ſcientia ſed ſcientia à re. Deinde ſciendum eſt quod electio Dei ſit æterna, omni tépore ſuperior, vt téporis ratione nec prius quicquam,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nec poſterius in illa habeatur. Paulus itaq; cum dicat Deum nos elegiſſe ante conſtitutionem mundi, loquitur noſtri reſpectu, qui tum demum electi dicimur æterno Dei decreto, quādo in Chriſtū credimus & ſanctitati innocentięq; ſtudemus. HINC ſequitur execrandas eſſe blaſphemas quorundam voces, qui dicunt: Si electus ſum, non damnabit me mea iniquitas, Dei conſiliū immutabile eſt: Si non ſum electus, nec mihi proderit nec fides, nec virtutis ſtudiū. Has voces blaſphemas refutat electionis modus, qui eſt conditionalis. Electi ſumus in Chriſto, ergo hac conditione electi ſumus ſi in Chriſto fuerimus: hoc eſt, ſi in Chriſtū crediderimus. Quare qui damnatur, ſua damnatur culpa, pręterea quod lapſus noluerit apprehendere dexteram Dei volentis ſe erigere. Hoc probatur fine miniſterij verbi. Nam Deus ideo emiſit Apoſtolos & eorum ſucceſſores, vt prædicent Euangeliū & credentes habeant vitam æternam. Eſt proinde reuera conditionalis noſtra ſalus, ſicut etiam hæc Pauli dicta teſtantur. Ad Coloſſenſes 1. Si modo in fide permaneatis fundati. Ad Hebr. 3. Participes facti ſumus Chriſti, ſi modo principium fiduciæ vſq; ad finem firmū teneamus. 1. Timoth. 2. Mulier ſaluabitur ſi manſerit in fide. 2. Corinth. 5. Si tamen veſtiti & non nudi reperiamur. Chriſtus ſimiliter hanc conditionem inculcat. Qui crediderit ſaluabitur, qui non crediderit damnabitur, Lucæ 13. Niſi pœnitentiam egeritis ſimiliter omnes peribitis, Ioh. 13: Si manſeritis in me & verba mea in vobis manſerint. Apud hanc verbi Dei ſimplicitatem cōſtanter maneamus: nec ſinamus nos ab ea vlla Sophiſtica abduci: tribuamus Deo laudem veritatis, & vere ſtatuamus ipſum id reuera velle, quod verbo ſuo ſe velle teſtatur. Verum ſi non poterimus reſpondere ad omnes Sophiſtarum argutias qui varie ſcripturam torquēt, vt ſua fatalia decreta communiant, fateamur nos infantes eſſe in ſchola Chriſti, & elementa pietatis quæ hauſimus ſumma fide retineamus, nec ſinamus nobis eripi hæc dulciſsima dicta: Fidelis ſermo & omni approbatione dignus, quod Chriſtus venit in hunc mundum ad ſaluandum peccatores. Item, hoc honeſtum & acceptandū eſt coram ſaluatore noſtro Deo, qui omnes vult ſaluare & ad cognitionē veritatis venire, vnᵒ enim Deus, vnus etiā mediator Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus, qui dedit ſemetipſum ἀντίλυτρον pro omnibus. Dominus ipſe ait: Non veni in mundum ad vocandum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiā. Et rurſus. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego refocillabo vos. Et Petrus in tertio, ſecundæ, Deus eſt longanimis erga vos non volēs vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere. Rom. 10. Omnis qui credit in eum non pudefiet, non eſt enim diſtinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus diues in omnes inuocantes eum. Et ad Titum 2. Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis deſiderijs, modeſte, iuſte, & pie viuamus in hoc ſeculo, expectantes ad beatam ſpem & apparitionē glorioſam magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Huiuſmodi dicta conſtanter opponamus omni Sophiſticæ, nihil morantes ſi Sophiſtę nos interim ſtultos, rudes, bardos, ἀσυλλογίστους, aſinos, & quicquid iſtorum libidini placet, appellitent: Chriſtus ſolus ſit noſtra ſapientia, quem certo ſcimus omnem ſophiſticam odiſſe.

Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ſeipſum, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ & gratiæ ipſius, qua nos gratos reddidit in dilecto, in quo habemus redemtionem per ſanguinem eius, remiſsionem peccatorū iuxta diuitias gratiæ ipſius.

Expoſitio ſeu Ætiologiæ proximæ ἐπεξεργασία eſt, hoc eſt, illuſtris quædam expolitaque cum maiori rerum verborumq; pondere ac circumſtantiarum notatione repetitio. hic enim Apoſtolus altius repetit & inculcat quod antea dixerat, cumulans quæ ad ἐνέργειαν & euidentiam facere videbantur. Nos autem vt theſaurum in hac pericopa contentum commodius eruamus, & nobis applicemus, ἀνάλυσιν inſtituamus, ſingula membra ſeorſim conſideremus, perpendamuſque exactius.

SVNT AVTEM HVIVS PERICOPAE OCTO MEMBRA.

Primo loco, repetit ipſum fundamentum ſeu primā cauſſam benedictionis noſtræ ſpiritualis, hoc eſt, ſalutis noſtræ, nimirum ipſam prædeſtinationem, qua Deus ante mundi cōſtitutionem præſciuit ſalutem eorum qui erant credituri in Chriſtum. Vt enim electionis, ita & prędeſtinationis materia eſt vnicus Ieſus Chriſtus Dominus noſter. SECVNDO loco, prædeſtinationis formā ponit, nēpe υἱοθεσίαν, id eſt, adoptionē, qua adoptamur in filios Dei, qui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Dei, qui antea propter peccatũ eramus filij iræ. Hæc prædeſtinata adoptio nobis per fidem accõmodatur iuxta illud: Poteſtatem dedit credentibus in ipſum, vt ſint filij Dei. Iam cum Deus inuitat omnes per prædicationẽ Euangelij ad fidem, non eſt dubitandũ quin Deus reuera velit omnium ſalutem. abſit enim à pijs mentibus procul, ſentire cor miſerentis diſcrepare à voce vocantis. TERTIO loco, quia peccato primorum parentum & noſtro proprio vitio effectum eſt, vt ſimus à Deo abalienati, & procul veluti repulſi à familia Dei, Apoſtolus medium oſtendit quo rurſus Deo iungimur, recipimur in familiam Dei, ac adoptamur in filios. Hoc remedium eſt Ieſus Chriſtus vnicus mediator Dei & hominũ fide apprehenſus ad prædicationẽ Euangelij, in qua Spiritus ſanctus eſt efficax. Hic manifeſte omnia humana merita, quantũ quidem ad ſalutem noſtrã attinet, euertuntur & corruunt, & omnis prærogatiua carnis & gloriatio confunditur, vt qui gloriatur in Domino glorietur: in quo & electi & prædeſtinati ſumus. QVARTO loco, cauſſam impulſiuam huius excellentis gratię & adoptionis exprimit, nempe εὐδοκίαν Dei patris, hoc eſt, beneuolam, gratuitam & paternam affectionem, ſeu στοργὴν patris cœleſtis erga genus humanum. Hanc εὐδοκίαν angeli prædicãt nato Chriſto, cum inquiunt: Gloria in excelſis Deo, & in terris pax, & erga homines εὐδοκία. Hoc ipſum pater cœleſtis teſtatus eſt de cœlo, inquiens: Hic eſt filius meus dilectus, ἐν ᾧ εὐδόκησα, hoc eſt, in quo beneuolo factus ſum animo & propenſo ad genus humanum ſaluandum. Caueamus ergo ne beneplacitũ Dei erga nos quæramus alibi, quam in ſolo Ieſu Chriſto, quod in ipſo abſq; omni dubio inueniemus per fidem. QVINTO loco, adoptionis noſtræ vltimus finis additur, qui ter in hoc capite repetitur: videlicet, vt laudetur gloria gratiæ ipſius. Sicut enim à Deo eſt adoptio noſtri, ita in Deum tendat oportet, vt ipſius bonitas prædicetur ac celebretur per Chriſtum Ieſum. Hic finis nequaquam ſeparandus eſt ab adoptionis gratia: ex quo manifeſte patet quam ſit neceſſaria noua obœdientia in renatis per fidem. Nam noua obœdientia in eo ſita eſt, vt Deum celebremus, mente, corde, voce, operibus, adeoque tota vita noſtra. Pudeat ergo eos ſuæ ſtultitiæ, qui bona Chriſtianorũ opera non ſolũ non neceſſaria eſſe, verumetiã officere hominib. docent. SEXTO loco vnde & ex quo fonte profluat illa εὐδοκία paterna & gratia Dei erga nos aperit, cũ inquit, Qua nos charos habuit in dilecto, hic dilectus Ieſus Chriſtus fons ille eſt, ex quo illa immẽſa Dei gratia in nos deriuat. Vnde efficitur quod ſupra annotauimus, neminem huius gratiæ fore participem niſi qui hunc Dei dilectũ filium fide apprehenderit. SEPTIMO loco, additur de redẽtione, videlicet, quod dilectus ille Dei nos ſuo ſanguine redemerit, ac peccata noſtra expiauerit, vt quotquot in ipſum firma recũbimus fide, iuſti in cõſpectu Dei appareamus. OCTAVO loco, redemtionis noſtri per Chriſtum factæ principalis ſignatur cauſſa cũ dicitur: Iuxta diuitias gratiæ ſuæ, id eſt, iuxta inexhauſtã & ineffabilem gratiã Dei qua voluit filiũ ſuum dilectum victimam fieri expiatricem peccati hominum, vt ita & ſatisfieret iuſticiæ Dei, & locus eſſet miſericordię. Diuitię gratię idiotiſmo hebraico immenſam & inexhauſtã gratiam, vt dixi, ſignificant, nec ſine ſingulari conſilio hac forma loquendi vſus eſt Apoſtolus. Nos proinde non ſolum cogitemus quantum ſit preciũ ſanguinis Chriſti in cõſpectu Dei, Verumetiã quanta ſit redundantia gratiæ Dei inde manantis: ne quis exiſtimet hanc Dei gratiã ad paucos quoſdam ſe extendere, aut iam totam tot ſeculis effuſam eſſe, vt noſtris etiã peccatis qui in finem ſeculi incidimus expiandis nõ ſufficiat. VIDE quam diues maximarum earumq; diuiniſſimarum rerum ſit hæc breuis pericopa. Quare diligenter diſcatur, & eius ſingula verba perpendantur. Nullibi enim nec breuius nec magis appoſite ſalutis noſtræ myſterium deſcribitur.

Quam vbertim effudit in nos, in omni ſapientia & prudentia, cognitum nobis faciendo myſterium voluntatis ſuæ iuxta beneplacitum eius, quod propoſuerat in ſeipſo in diſpenſationem plenitudinis temporum recolligere omnia in Chriſto, & quæ ſunt in cœlis, & quæ ſunt in terra in ipſo.

Obſeruetur pulcerrima orationis Paulinæ œconomia. Hactenus mire & verborum & rerum pondere cauſſas benedictionis & ſalutis expoſuit. Iam ad inſtrumentum quo nobis ſpiritualis gratia illa reuelatur, offertur, & communicatur, deſcendit: nempe ad ipſum verbi miniſterium, de quo miniſterio non vulgaribus verbis loquitur, ſed grandi orationis genere vtitur, idq; in hunc finem, vt nobis maiorem huius cœleſtis gratiæ zelum accendat. Summa proinde huius pericopæ eſt, quod Apoſtolus doceat ſalutarem illam Dei gratiã per Euangelium in nos copioſiſſime effundi, iuxta beneplacitũ Dei, vt omnia tãdem in Chriſto recolligantur. Iam verba ſingula perpendamus exactius. Primo loco vtitur Apoſtolus verbo,

περισσεύειν, quo diuitiæ illæ gratiæ DEI ſignificantur, de quibus dixerat, vt ſciamus gratiam Dei ſufficere omnib. hominibus ſaluandis. Nunquá enim ita exhauritur fons gratiæ, quin inde haurire quilibet poſsit qui eum fide acceſſerit, nec peccata hominũ tam multa & tam magna eſſe poſſunt, quin huius effuſæ gratiæ veluti diluuio quodá obrui & ſubmergi poſſint, modo in arcam Noë, id eſt, in familiam Dei per fidem Chriſti ſe homines receperint. Nemo ergo ob peccatorũ ſuorum magnitudinem & multitudinem deſperet. ſed dum tempus adhuc gratiæ eſt, mature reſipiſcat ac cõfugiat ad ipſum, qui ſe clamat veniſſe in mundum, vt peccatores ſaluos faciat & pœnitentes in gratiam recipiat. EFFECTVM Euangelij in auditoribus addit, nimirum quod per illud inſtituantur in omni ſapientia & prudentia. Ita enim rectiſsime vertunt, vetus interpres, & Eraſmus. Diſcernuntur autem hæ voces rectiſsime, ſi ſapientiam ad γνῶσιν, prudentiam vero ad πρᾶξιν referamus. Illa enim duo nos ex prædicatione Euangelij haurire oportet. Sapientia ergo ſignificat cognitioné Euangelij, id eſt, noticiam Dei eorumq; omnium, quæ ad ſalutem conſequendam cognitu neceſſaria ſunt. Prudentia vt conſiliorum & actionum moderatrix, eam noticiam vitæ formandæ & actionibus accommodat, vt non ſolum in cognitione, verumetiá in ſenſu, vt loquitur Apoſtolus Philip.1. abundemus. Ex hoc effectu Euangelij colligãtur ſequẽtes hypotheſes. PRIMA, prædicationem Euangelij eſſe reuelationé gratiæ Dei erga genus humanum, adeoq; electionis qua Deus homines in Chriſto elegit. SECVNDA, ſapientiam plenam & prudentiam filiorum Dei in Euangelio contineri, quantum quidem ad ſalutem conſequendam ſatis eſt. TERTIA, quæ ex ſuperioribus concluditur, intrepide licere filijs Dei omnes doctrinas hominum & angelorum Euangelio aduerſantes aſpernari, imo execrari, iuxra illud: Anathema ſit qui aliud Euangelium prędicauerit. PORRO cui mox addit Apoſtolus: Cognitum faciendo vobis myſterium voluntatis ſuæ iuxta beneplacitum ſuum. iterũ commendat nobis Euangeliũ, in qua cõmendatione tria ſunt præcipue obſeruanda. PRIMVM, quod Euangeliũ myſterium nominet, id eſt, arcanum, ex quo ſequitur quod nõ ſit ſapientia rationis humanę, ſed ſupercœleſtis gratiæ. Nam ſi ratione deprehendi potuiſſet, non illud Paulus vocaſſet myſterium. apellationis huius rationé exponit Roma. vltimo hiſce verbis: Iuxta Euangelium meum & præconium Ieſu Chriſti ſecundũ reuelationem myſterij, quod à temporib. æternis tacitum fuit, nunc vero factum eſt manifeſtũ & per ſcripturas Propheticas ex imperio æterni Dei, in obœdientiam omnibus gentib. reuelatum eſt. SECVNDVM, quod Euangelium ſit myſterium voluntatis Dei iuxta beneplacitum ipſius, ſed quænam eſt illa voluntas beneplaciti in Deo? vt gentes omnes credant Euangelio & obediant. Ita enim paulo ante verbis Apoſtoli docuimus. QVOD autem euentus non voluntati beneplaciti Dei reſpondeat, culpa fit hominum, qui oblatam ſalutem maligne reſpuunt in propriá perniciem. Eſt proinde prædicatio gratiæ, ſi conſilium Dei & beneplacitum reſpicis, vniuerſalis. At ſi euentũ cõſideras, particularis videtur, quod ſane fit proprio hominis vitio nõ Dei creátis & dantis filiũ deſtinatione. Ipſe enim reuera vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitioné veritatis venire, ſicut ſupra copioſius oſtendimus, vbi electionem cõditionatam eſſe docuimus. TERTIVM, quod Apoſtolus eandem patefactionis myſterij cauſſam facit, quam ſupra æternæ electionis & prædeſtinationis fecerat, nempe εὐδοκίαν Dei patris. Vnde monemur de electione & prædeſtinatione iudicandũ ex vocatione, quæ vocatio cum & ſit vniuerſalis, iuxta illud: Ite in mundũ vniuerſum & prædicate Euangeliũ omni creaturæ (Dum omnem creaturam nominat, tollit perſonarum & nationũ diſcrimina.) Et habeat annexam conditionem fidei iuxta illud: Qui crediderit ſaluus erit: Erit etiam electio & prædeſtinatio cõditionata, vt quæ à Chriſto ſua materia non ſit ſeparanda. SEQVITVR huius beneplaciti Dei duplex πρόθεσις, prior de tempore patefactionis myſterij Euangelij, poſterior de fine patefactionis. Cum enim dicit, in diſpenſationem plenitudinis temporũ, ſignificat tum demum beneplacitũ Dei patefactum fuiſſe, quando tempus quod conſtituerat apud ſe Deus impletum fuit. hoc auté tempus, vt ſigno à Iacobo Patriarcha eſt notatum: Ita à Daniele termino certo ſignatum eſt. Iacob ait: Non auferetur ſceptrum de Iuda donec veniat Silo, hoc eſt, Semen mulieris promiſſum primis paréribus. Daniel ſeptuaginta hebdomadas annorũ à captiuitate Babylonica vſq; ad Chriſtum Dominũ numerat. de hoc tempore loquitur Paulus ad Galat. cum inquit: Quando venit plenitudo temporis emiſit Deus filiũ ſuum natum ex muliere, factũ ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. VOCABVLVM diſpenſationis, quo hic Paulus vſus eſt, Græce οἰκονομία eſt. huius vocis vſus eſt duplex. Alias enim, idq; iuxta ἔτυμον, notat curam & adminiſtrationé rei domeſticæ. Alias ſed metaphorice, ſignificat ordinem rerum gerendarum & certum adminiſtrationis & tractationis rerũ ordinem. Poſterior πρόθεσις eſt de fine patefactionis beneplaciti Dei, qui eſt recolligere omnia ſummatim in Chriſto. Vox Græca

qua Pau-

qua Paulus vſus eſt, ἀνακεφαλαιώσασθαι, ſignificat quæ diſsita & diſperſa fuerunt in vnũ veluti corpus coniungere, ac vni capiti ſubiungere. Eſt enim κεφάλαιον (vnde græcum verbum deductum eſt) veluti ſummaria quędam rerum ſubductio, & tãquam quędam partium in vnũ collectio. ſignificat ergo Apoſtolus creaturas diſperſas in vnum colligi per Chriſtum, vt iam collectæ ſint ſub vno capite. Diuiſio quæ ſequitur totam Eccleſiam comprehendit. Quæ ſunt, inquit, in cœlis, id eſt, beati angeli, & credentes qui mortui ſunt ante aſſumtam humanam naturam à filio Dei, & quæ in terris, hoc eſt, omnes qui exhibito Chriſto credũt & credituri ſunt, ſint ſub vno capite tanquam corpus vnum multis & varijs cõſtans membris. Hinc monemur & fidei qua coniungimur capiti Chriſto, & charitatis qua inter nos cõſociamur. Hanc ſocietatem nobis etiam commendant ſacramenta Eccleſiæ: Baptiſmus teſtatur nos baptizari in vnum corpus, Cœna Domini communionem noſtri cũ Chriſto docet, & in ternos ſpiritualis ſocietatis eſt teſtificatio & efficax quoddam ſymbolum.

In quo etiam in ſortem aſciti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis eius, vt ſimus in laudem gloriæ ipſius nos qui ante ſperauimus in Chriſto.

Hactenus in genere de omnibus in Chriſto electis locutus eſt: Iam per diſtributionem theſin duabus hypotheſibus accommodat, ac primum de Iudæis agit, quos gratiæ cœleſtis participes eſſe factos commonſtrat. Ponit autem ordine tres cauſſas huius cœleſtis gratiæ nimirũ efficientem, finalem, & inſtrumentalem. EFFICIENTEM exprimit, cum inquit, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius. De hac cauſſa vide ea quæ ſupra annotauimus. FINALEM addit. Vt ſimus in laudem gloriæ eius, hoc eſt, vt laudetur ipſe Deus ob gratiæ & miſericordiæ exhibitæ magnitudinem. INSTRVMENTVM apponit cum inquit, Qui ante ſperauimus in Chriſto. Spei enim nomine hic etiam fidem comprehendit: Quod autem de fide interpretor, quod hic ſpei tribuitur nihil habet obſcuri. Vt enim ſæpe fides pro ſpe: ita ſpes pro fide propter mutuam conſecutionem ponitur. Nam quod fides in præſenti amplectitur. id ſpes futurum expectat: has tres gratiæ cauſſas hic ponit Apoſtolus, quam gratiam vt ſupra benedictionem υἱοθεσίαν appellauit: Ita hic Sortis nomine deſignet, idque vt intelligatur plane gratuita eſſe. Sors enim non eſt hominis electio ſed voluntas Dei qui omnibus gratuitam offert ſalutem. Quod autem addit: Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, duplicem doctrinam nobis ſuppeditat. Primam quod Deus nõ ſit iuxta fatum Stoicũ cauſsis ſecundis alligatus, ſed liberrimũ agens. Qui enim ex conſilio agit & libere nulla omnino neceſsitate cõpulſus agit: neceſſaria enim nec conſilio reguntur nec voluntate imperantur. Secundã, quod Deus omnia ſalutaria & bona in Eccleſia operetur. non autem mala & peccata, quemadmodũ quidam ex hoc loco perperam concludunt: Dicunt enim: Qui omnia dicit nihil excludit, ſed illorum ratio refellitur verbis Apoſtoli. Nam ſi ex conſilio voluntatis ſuæ omnia operatur Deus. Et voluntas Dei ſanctiſsima & optima eſt, quæ nihil omnino vult mali, quemadmodum clare pronunciat Pſalmiſta: Non volens iniquitatem tu es. profecto fieri non poteſt, vt ipſe Deus ſit autor peccati aut alicuius mali culpæ. Deinde loci circumſtantia reſtringit vniuerſalẽ particulam ad certum actionum genus. Ita enim ait textus, operatur omnia vt ſimus in laudem gloriæ ipſius, hoc eſt, facit vt velimus & faciamus quæ Deo in laudem cedunt. Loquitur ergo manifeſte de actionibus ſalutaribus Dei in Eccleſia. Ipſe enim mouet voluntatem noſtram, vt velimus, & vires addit ne fruſtra velimus.

In quo & vos audito ſermone veritatis Euangelio ſalutis veſtræ, in quo etiam credentes obſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ, in redemtionem in laudem gloriæ eius.

Alterum diſtributionis membrum eſt, in quo gentibus ſub Epheſiorum nomine gratiæ cœleſtis, benedictiõis ſpiritualis, adoptionis & ſortis ſanctorum participationem accommodat, ſumto argumento ab effectu prædicati Euangelij apud Epheſios. Verum quoniã hæc pericopa pleniſsima eſt doctrinæ ſpiritualis, eam in ſua quaſi mẽbra retexam, quo apertius doctrina cõſpiciatur, & ad vſum noſtrum transferatur. PRIMO loco mentio fit prædicationis Euangelij, quo Deus mundo ſuam voluntatem de gratuita ſalute reuelat, eamq; promiſcue omnibus offert, iuxta illud: Ite in mundum vniuerſum & prædicate Euangelium omni creaturæ. SECVNDO loco ſequitur fides quæ ex prædicato Euangelio, operante ſpiritu ſancto concepta, ſalutem quam offert Euangeliũ apprehendit, tribu-

ens Deo laudem veritatis. TVM accedit obſignatio ſpiritus ſancti,quo tum demum obſignari dicimur, quando ex fide Ieſu Chriſti veros fidei fructus edimus, hunc ſpiritum ſanctum,ſpiritum promiſsionnis vocat Apoſtolus,cum quia promiſſa bona obſignat,tũ quia ex promiſsione datur. QVARTO loco additur vſus collati ſpiritus ſancti, nimirum vt ſit arrabo hęreditatis noſtræ:quam nondum integram obtinemus,ſed expectamus futurum: Vt enim arra eſt cum de precio datur aliquid,quod non eſt auferendum ſed complendum: Ita donatio ſpiritus ſancti pars quædam eſt hæreditatis noſtræ collata ad nos certificandos de hæreditate integra, quæ eſt æterna vita, quæ ideo hæreditas dicitur, quia nobis gratis ex paterna bonitate ſine noſtris meritis contingit, qui ſumus effecti membra Chriſti filij Dei naturalis,ad quem omnia quæ patris ſunt, pertinent. QVINTO additur temporis circũſtantia,In redemtionem,inquit,acquiſitionis, hoc eſt, vſq; ad diem iudicij, in quo nos qui acquiſiti ſumus per redemtionem quæ eſt in Chriſti ſanguine,plenam obtinebimus hæreditatem. In redemtionem ergo,id eſt,in diem redemtionis,acquiſitionis,id eſt,noſtri,qui acquiſiti ſumus per Redemtionem illam.

Hactenus retexuimus præſentem pericopam in ſua mẽbra,in qua pulcherrime Apoſtolus modũ & ordinem reparationis noſtri deſcribit, orditur enim à prædicatione Euãgelij: huic fidem adhibendam eſſe monet:quod cum fit,ſentitur in corde obſignatio ſpiritus,qui promiſſæ hæreditatis tanquam arra quędam eſt.horum omniũ finis vltimus,eſt gloria Dei ex miſericordia ſanantis & ſaluantis omnes credẽtes. Vt enim medici (inquit Ambroſius) laus eſt ſi multos curet: Ita laus glorię Dei exiſtit quando multi acquiruntur ad fidẽ. Deinde obſeruandũ eſt quod duplici titulo Euangelium Chriſti ornat.Primum enim per antonomaſian Euangelium vocat ſermonẽ veritatis , qui titulus à materia rei Euangelio ſubiectæ ſumitur.Continet enim Euangeliũ æternam veritatem Dei,& infallibile de ſalute per Chriſtum conſequenda teſtimoniũ. Alter titulus eſt,quod appelletur Euangelium ſalutis, qui titulus à fine Euangelij ſumitur.deſtinatur enim Euangeliũ ſaluti noſtræ. Nam vt lex dum requirit iuſticiam, promittit ſimul ſalutem & vitã facientibus eam, & cõtra minatur damnationẽ omnibus legis tranſgreſſoribus:quia non habent iuſticiã,quam requirit,mõſtrat Chriſtũ qui finis eſt legis in iuſticiam omni credenti. Ac ita iuſticiam adeoq; ſalutem quam faciendo non potuimus conſequi, credendo cõſequimur, dũ Chriſti iuſticia, expiato peccato per victimam ipſius, nobis imputata, iuſti, adeoq; ſalutis participes reddimur. Neq; hoc prætereundũ eſt:quod quemadmodũ ſupra electionis & prædeſtinationis,deinde etiã vocationis finẽ fecit laudem gloriæ Dei : ita hic quoq; ſanctificationis eundẽ finem cõſtituit:ex quo ſequitur omnem ſalutis gloriã omni creaturę & merito humano adimendam eſſe,ac ſoli Deo per Ieſum Chriſtum aſſcribendam. Quare vt in omnibus bonis rebus: Ita hic maxime locum habet Nazianzeni verſiculus, ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν.

Propter hoc & ego audita fide veſtra in Domino Ieſu, & caritate in omnes ſanctos, non ceſſo gratias agere pro vobis, mentionem veſtri faciens in orationibus meis.

Enumeratis beneficijs Dei collatis generi humano , exponit Apoſtolus quid iſtorum beneficiorũ cogitatio in ſe effecerit , videlicet quod commouerit & excitauerit ipſum ad agendas Deo gratias tantorum bonorum fonti,& autori. Hoc Apoſtoli factum vt ſit nobis veluti regula in tota vita obſeruanda pareſt, videlicet vt memoria & cõmemoratio beneficiorũ Dei nos excitet ad gratiarũ actionem. Qui enim vel cogitat vel audit cõmemorari Dei beneficia, & non cordis ſaltem affectu in gratiarum actionẽ prorumpit, is profecto vt ingratus eſt Deo, ideoq; iniuſtus, ita meretur ſua ingratitudine vt Dei gratijs ſpolietur ipſe. Nam vt poſſeſsione rerum requiritur cũ ius poſſeſsionis, tũ vſus legitimus: Ita in Chriſtiano requiritur , vt gratijs quas merito Chriſti, ideoq; iure poſsidet,cum gratiarum actione in gloriam conferentis,vtatur. Deinde hic locus docet quod iuſtiſsimus ordo hic ſit, vt pro acceptis beneficijs gratiarum actio præcedat, atq; eam mox ſequatur petitio, qua & cõſeruationem acceptorum beneficiorũ precemur, & alia dona ſalutaria petamus. Præterea docet hic locus beneficiũ Dei merum fuiſſe,profectum hominũ in pietate. Nam dum Paulus Deo gratias agit, quod Epheſij in ſpe & charitate proficiãt,agnoſcit profecto Deum huius boni autorẽ eſſe.hic enim gratuita ſua bonitate & excitat bonos Rerũpub. rectores, & mittit ſinceros Euãgelij miniſtros,& in auditorib. ad prædicationem & meditationẽ verbi ſuo ſpiritu eſt efficax,faciens vt auditores & credant & diligant. Ad hæc docet hic locus quæ ſint præcipua Chriſtianorũ officia,quæ ad duo capita reuocat,nimirum ad fidẽ Ieſu Chriſti & charitatem erga ſanctos. Hęc tamen ita intelligi debent,vt ſimul cum his intelligantur omnia quę natura cum illis cõiuncta ſunt, vide-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

videlicet eorum neceſſaria effecta ſeu fructus. FIDES ergo cum habeat adiunctam ſpem, inuocationem, timorem Dei, dilectionem, patientiam,&c. non dedit illis ſuis fructibus ſpoliari. SIMILITER charitas officia charitatis erga omnes homines complectitur.

Vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis in agnitione ipſius, & illuminatos oculos mentis veſtræ.

Quid precibus ſuis optat Epheſijs exponit Apoſtolus, nempe ſpiritum ſapientię & reuelationis in agnitione Ieſu Chriſti, hoc eſt veram myſterij Euangelij noticiam, quam reuelat ſpiritus, quãdo in cordibus audientium & meditantium Euangeliũ eſt efficax. Nam cum Euangelium in agnitionem Chriſti, qui nobis à Deo datus eſt ſapientia, nos ducit, ſpiritu ſapientiæ donamur, quo illuminantur oculi mentis noſtræ ad intelligendum myſterium Euangelij. Iam videamus circumſtantias precationis Apoſtoli, Prima eſt quod ipſum Deum, qui vt ſolus omnium bonorum eſt autor: Ita ſolus eſt inuocandus, precetur. Secunda per quem petit, hanc exprimit cum inquit Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac ſi diceret: Non meis meritis nitor, ſed Chriſti interceſſione fretus Deum inuoco. Eſt enim is ſolus mediator Dei & hominũ, Quare & ipſe dixit, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Athanaſius in parentheſi ponit hæc verba, Domini noſtri Ieſu Chriſti pater, vt gloria nõ patris ſed Dei epitheton ſit, quod nimis coactum videtur. Potius igitur ita ordinemus Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & pater gloriæ. Reſpicere enim videtur Apoſtolus ad verba Domini excitati à mortuis, & in hunc modum dicentis: Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. Ideo Chriſtus natus eſt homo, vt non ſolum patrem verumetiam Deum nobiſcum haberet communem. vnde ſumma conſolatio piorũ petitur. Ita enim fides concludit Pater & Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, etiã noſter Pater & Deus eſt. Igitur omniũ bonorũ cœleſtium cum Chriſto facti ſumus participes. Ergo nobis & bene vult, & nouit, & poteſt dare ſalutaria. SED qui hoc conuenit? An nõ patri æqualis eſt filius? Eſt ſane patri vt ὁμοούσιος, ita & coæqualis, ſed filius exinaniuit ſeipſum forma ſerui aſſumta. Et tametſi proprie humanæ naturæ conuenit Chriſtũ Deo patri ſubijci: tamen ad ipſam perſonam vnitatis perſonalis reſpectu refertur, quia idem & homo & Deus eſt. Pater præterea gloriæ Deus à Paulo nominatur. Primum quia eius gloria omnia plena ſunt. Deinde quia omnis gloria ipſi ſoli debetur. Tum quia omnis gloriæ fons & autor exiſtit.

Cur autem hoc loco Paulus Deo tribuat hoc Epitheton hæc eſt ratio. Rogat Deum, vt det Epheſijs ſpiritum ſapientiæ, &c. Quod ſane donum cum in gloriam Dei vergit, tum facit vt ipſi Epheſij gloriæ cœleſtis reddantur participes. Eſt enim vſitatum ſcripturis, Deo epitheta tribuere ratione materiæ de qua agitur. Ex quo fit quod nunc pater miſericordiarum, nunc Deus omnis cõſolationis, Deus ſalutis, Deus pacis & dilectionis dicatur. Multa exẽpla huius generis in Pſalmis Dauidicis offerũtur, vt cũ dicitur: Dominus fortitudo mea & cornu ſalutis meæ. Item, Dominus rupes mea. Item, Deus refugium & virtus. Item, Deus vltionũ Dominus, & Deus iudicij Dominus. HVNC morem & nos ſequi in noſtris precibus vtile fuerit, permultum enim facit ad excitandos animos noſtros inter precandum.

Tertia quod Paulus Epheſijs fidelibus in Chriſto ſalutaria precetur, videlicet ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, & illuminationem oculorum mentis. vt Chriſtum agnoſcant. Hæc circumſtantia miniſtros verbi admonere ſui officij debet, videlicet quod non ſolũ eos oporteat ſalutaria ſuos docere auditores, verumetiam ijſdem ſalutaria precari.

Vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ipſius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis ipſius in ſanctis, & quæ ſuperexcellens magnitudo potentiæ eius erga nos, qui credimus iuxta efficaciam potentiæ roboris ipſius quam operatus eſt in Chriſto.

Quo ſpectet ſpiritus ſapientiæ & reuelationis quem Epheſijs precatur Apoſtolus, exponitur, nimirum eo vt quantus ſit theſaurus ille cœleſtiũ bonorum, quem in Chriſto obtinẽt, intelligant. Vtitur autem hic Apoſtolus expolitione Rhetorica, cum exaggerandi gratia, tum vt eo melius quantum fieri poteſt, precium theſauri & dignitas æſtimetur. Primo loco optat vt ſciant Epheſij, quæ ſit ſpes vocationis ipſius, hoc eſt vt intelligant quam eximia & præclara ſint illa cœleſtia bona quæ Chriſtus in ſuo Euãgelio proponit & ad quæ vocantur credentes. Eſt autem metonymia in vocabulo ſpei. Nã ſpes hoc loco pro eius obiecto, hoc eſt, re ſperata ponitur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nitur. Sic ad Galatas ſpem iuſticiæ vocat ſperatã iuſticiam, qua videlicet erimus conformes Deo in omni æternitate, qui hinc in vera fide & vocatione diſceſſerimus. Spes igitur vocationis, eſt felicitas illa ad quam per Euangelium vocamur. Hanc ſpem interpretatur Apoſtolus cum ait: Et quæ ſint diuitiæ gloriæ hæreditatis ipſius, hoc eſt, vt ſciatis quã magnifica ſit inæſtimabilis glorioſa illa hæreditas filiorum Dei, hoc eſt, credentium Euangelio.

Huc additur amplificatio à cauſa. Et quæ ſit, inquit, ſuperexcellens magnitudo potentiæ eius erga nos qui credimus, quaſi diceret: nos theſaurũ illum cœleſtium bonorum nequaquam cõſequimur noſtris viribus aut meritis, ſed potentiã Dei. Nec ocioſe prætereundum eſt quod inquit, Erga nos qui credimus, Significat enim ſola fide hunc theſaurum & accipi & obtineri, cuius quædam certiſsima arra eſt ſpiritus ſanctus, ſicuti ſupra oſtenſum eſt.

Quod autem addit. Secundum efficaciam potentiæ roboris ipſius. Vehementiæ gratia factum eſt, vt nos excitemur ad ſerio cogitandum quæ ſit cauſſa, à quo proficiſcitur tantus ſalutis theſaurus: nec torpore aliquo aut diffidentia deficientes ſegnius in cœpto curſu progrediamur. Vocabula igitur roboris, potentiæ, & efficaciæ nihil aliud volunt, quam docere inſuperabilem eſſe potentiam Dei, qua vt poteſt ipſe omnia quæ vult: Ita etiam theſaurum promiſſum in Chriſto, ſuo tempore credentibus tradet: cuius rei argumentũ ſubijcit, cum inquit: Quam operatus eſt in Chriſto, hoc eſt, quam potentiam Deus in Chriſto declarauit, ac ſi dicat: Deus ſuæ potentiæ non obſcurum exhibuit ſpecimen in Chriſto capite veſtro, cuius cum membra ſitis, vos qui creditis ſimili potentia eſt glorificaturus.

Vocabula roboris, potentiæ & efficaciæ hoc pacto diſtinguuntur, ἰσχὺς, id eſt, robur, naturæ eſt & abſolute ſignificat. κράτος, id eſt, potentia, reuelationẽ habet ad obiecta. ἐνέργεια, id eſt, efficacia, vtriuſq; effectus eſt. Quidam ſic diſtinguunt, vt robur ſit veluti radix, cuius arbor ſit potentia, & fructus efficacia. Ex hoc loco Apoſtoli diſcamus opponere potentiam Dei, cum diffidentiæ carnali, tum omnibus rationis ſtultæ argumentis, quibus homines dementati à diabolo, volunt nos abducere à ſpe vocationis noſtrę, quã habemus in Chriſto Ieſu.

Dum illum excitauit à mortuis, & ſedere fecit in dextera ipſius in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in ſeculo hoc, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnia Eccleſiæ, quæ eſt corpus eius, & complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.

Qualis fuerit efficacia potentię roboris Dei, quam dixit Deum operatum fuiſſe in Chriſto, pulcherrima diſtributione exponit, in qua gloria triumphãtis Chriſti veluti ob oculos ponitur, & præcipui articuli fidei noſtræ de Chriſto Domino recitantur, quorum explicatio longior petenda eſt ex alijs ſcripturæ locis. Nos autem vt ſingula fidei noſtræ cõfirmandæ & excitandæ accõmodemus efficacius, analyſin inſtituemus, & hanc pericopam in ſeptem diſpartiemur mẽbra, Et quid fides noſtra ex ſingulis colligere debeat, breuiter indicabo.

Primum membrũ hiſce verbis enunciatur: Dum illum excitauit à mortuis: hoc eſt, Deus excitando Filium ſuum à mortuis: efficacia potentiæ roboris ſui declarauit. Huius primi membri tres ſunt articuli. Primus, de morte Domini. Secundus, de reſurrectione eiuſdem. Tertius, de virtute qua excitatus ſit Dominus. de his tribus articulis breuiſsimam ſubijciamus admonitionem. Hiſtoria mortis Domini ex ſcriptis Propheticis ex Apoſtolicis & ex ſymbolis nota eſt. Sed eius efficacia & virtus diligenter diſtinguenda eſt à paſsionibus & mortibus aliorum ſanctorum. Nam aliorum ſanctorum paſsiones & mortes, aut fuerunt martyria aut explorationes fidei & cõfeſsionis, aut, vt in latrone, certorum peccatorũ ſupplicia. Verum mors & paſsio Chriſti longe aliter conſideranda eſt, quam Chriſtus ipſe Ioh. capite 17. definit ſanctificationem, id eſt, oblationem ſui pro multis. Et, Matth. 20. eandem definit λύτρον, pro multis, ita enim ait: Filius hominis non venit, vt miniſtretur ei, ſed vt miniſtret & det animam ſuam λύτρον, pro multis. EST autem λύτρον, non redemtio, vt vetus interpres reddidit, ſed preciũ redemtionis. Nam Græcis λύτρον, ſignificat quicquid ſoluitur ad eos redimendos qui captiui tenentur, quod Homerus Iliad. ἄποινον vocat. EST proinde paſsio & mors Chriſti λύτρον, id eſt, preciũ ſolutum in redemtionem hominum, qui captiui ſub diaboli imperio detinebantur. Quod quidem preciũ Deo, cuius iuſta ſententia captiui eramus, ſolutũ eſt. hoc precium ſuam æſtimationem habet infinitam ab illa admiranda vnione diuinæ & humanæ naturæ in vna perſona, vnde Paulus Act. 20. nõ dubitat pronunciare Eccleſiam ſanguine Dei acquiſitam eſſe. HVC pleniorem definitionem declarandi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

gratia aſſcribamus. Paſsio & mors Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei & hominis, eſt ſacrificium propitiatorium, in quo æternus Filius æterni Dei, homo factus, ſeipſum per æternum ſpiritum obtulit patri, vt iſta ſua victima & obœdientia, & expiaret pe ccata mundi, & placaret iram Dei, quo omnes credentes per eundem ſanctificentur ad vitam æternam. Vt ex hac definitione mens noſtra & iudicium recte inform atur de paſsione & morte Domini: Ita fides noſtra excitari debet, & firmiter ſtatuere peccatum morte Chriſti expiatum eſſe, adeo vt non ſit amplius in memoria apud Deum. Præterea & animi perpetua gratitudine & innocentia vitæ hoc ingens beneficium prædicabit.

Secũdus articulus huius primi membri eſt de reſurrectione Domini, de qua quid ſit pie ſentiẽdum breuiter explicabimus. Primum tenenda ſunt teſtimonia reſurrectionis, quorũ tria genera facere ſoleo, de quibus conſulatur Catechiſmus & enarratio Euangelij de reſurrectione Domini. Definitio reſurrectionis Domini teneatur, videlicet, quod reſurrectio Chriſti à mortuis ſit victoria Chriſti & triũphus ſuper peccato, morte, inferno, atq; adeo ſuper toto regno Satanæ. Reſurrectione enim ſua Chriſtus compleuit promiſsionem: Semen mulieris cõteret caput ſerpẽtis, hoc eſt, vt Iohannes Apoſtolus Domini interpretatur, Chriſtus apparuit vt deſtruat opera diaboli. Eſt proinde Chriſtus reſurgens victor Satanæ, qui Satanas victus & conculcatus iacet ſub pedibus Chriſti victoris, vt amplius nõ poſsit fidelibus, id eſt, Chriſti membris interitũ & mortem inferre, etſi imperium ſuũ in reprobos & contumaces habet, & magnis & varijs technis vtitur, vt fideles rurſus impellat, vt fructum vetitũ guſtent, atq; ita rurſus de Paradyſo Domini eijciantur. hoc eſt, conatur fideles praua doctrina & malis moribus inficere, vt expellatur ab eis ſpiritus ſanctus, atq; amiſſa fide excludantur è familia Dei & pereant. Tertio loco, colligendi ſunt fructus reſurrectionis Domini, quos pij ſoli percipiunt. horũ Primus eſt remiſsio peccatorum, 1. Corinth. 15. Si Chriſtus non reſurrexit, adhuc eſtis in peccatis veſtris. Huc illud Danielis: Auferetur tranſgreſsio, cõtegentur peccata, expiabitur iniquitas. tametſi autẽ iniquitatis expiatio propriiſsime tribuitur paſsioni & morti Domini, ſicut ſupra dictũ eſt, tamen rectiſsime etiã reſurrectioni tribuitur, quia hæc omniũ beneficiorũ Chriſti complementũ eſt. Secundus eſt iuſtificatio noſtri, Reſurrexit enim propter iuſtificationem noſtri. Rom. 4. Et Daniel inquit, Adducetur iuſticia ſempiterna. An non Paulus definit Chriſti obœdientiam eſſe noſtram iuſticiam? Vtrumq; verũ eſt. Quæ enim vni actionũ Chriſti tribuuntur, recte quoq; alijs accommodantur, propter deſtinationem omnium operum & actionũ Chriſti cõmunem. Tertius, donatio Spiritus ſancti. Niſi, inquit, abiero paracletus non veniet. Et Paulus ad Gal. Emiſit ſpiritũ filij ſui in corda veſtra clamantẽ, abba pater. Quartus, Confirmatio fœderis gratiæ, ſeu ſtipulatio bonæ cõſcientiæ apud Deũ. Ita enim ait Petrus, 1. Pet. 3 Cui reſpõdens exemplar baptiſmi nos quoq; ſeruat, non quo carnis ſordes abijciuntur, ſed quo ſit ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti. Quintus, Innouatio noſtri, eaque duplex, animarum videlicet & corporum. Animarum quidem, iuxta illud, Rom. 6. Reſurrexit vt nos in nouitate vitæ ambulemus. Corporum vero, iuxta illud, 1. Cor. 15. Chriſtus reſurrexit primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominẽ mors, & per hominem reſurrectio mo rtuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur. Ita in Chriſto omnes viuificabuntur. Sextus, vinculũ fraternitatis mutuę. Ita enim Domin⁹ reſurgens mulieres alloquitur: Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. Si igitur Deum habemus communem, ſi patrem habemus communem Deum, ſi omnes fratres in Chriſto, par eſt, vt tanquam fratres conſentiamus & nos inuicem fraternis affectibus complectamur. Septimus, Remedium Catholicum aduerſus omnes calamitates, aduerſus omnia vulnera animæ, corporis, & famæ. Huc illud Pauli ad Timotheum: Memento Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, quaſi diceret, in iſto tuo miniſterio ſenties magnas difficultates, experieris varias tentationes à diabolo & hominibus, ſed in omnibus iſtis tanquam ad ſalutare antidotũ confugito ad meditationem reſurrectionis Dominicæ, quæ vt in Domino ipſo erat omnium tentationum & afflictionum victoria: ita & in nobis erit, vbi virtute reſurrectionis Chriſti & nos à mortuis excitabimur. Octauus, Iudicium ſtatus gloriæ & immortalitatis. Regenuit nos, inquit Petrus, in ſpem viuam & immarceſsibilem per reſurrectionem Ieſu Chriſti.

Tertius articulus huius primi membri eſt de virtute, qua Dominus excitatus eſt ex mortuis, Chriſtus inquit, poteſtatem habeo ponendi animam meam & rurſus eam aſſumendi. Hic autem pater dicitur eum excitaſſe. In his verbis nulla eſt ἀντιλογία, Chriſtus quidem ſeipſum excitauit, vt Deus, hoc eſt, diuina natura in Chriſto humanã naturã excitauit: Pater vero Chriſtum excitauit, vt hominem: Breuiter. Quia eadem eſt patris & filij & ſpiritus ſancti eſſentia, quantum ad diuinitatẽ attinet, indiuiſa ſunt opera Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſancti. Hæc ſint breuiter de primo membro huius Pericopæ, cuius duplex eſt in vniuerſum vſus, videlicet, vt confirmemur in cognitione mortis & reſurrectionis Domini, & in nobis viuum ſenſum mortis & reſurrectionis Domini experiamur. De quo ſenſu Paulus ad Romanos 6. Vbi virtuti mortis & reſurrectionis Domini mortificationem & viuificationem, hoc eſt, nouitatem attribuit.

Secundum membrũ, de quo ait: Et ſedere fecit eum in dextera ipſius in cœleſtibus, hoc membrũ duos articulos fidei noſtræ continet, vnũ de aſcenſione Domini in cœlos, alterum de ſeſsione eiuſdem ad dexteram Dei. Nam ſeſsionem præceſsit aſcenſio, hæc autem aſcenſio Domini facta eſt viſibiliter, Corporali enim & naturali modo è cõſpectu diſcipulorum ſubuectus eſt in cœlũ. Ita enim dicitur, Act. 1. Cernentibus ipſis ſublatus eſt, & nubes ipſum ſuſcepit ab oculis eorum. Et inde ſubuectus eſt ſuper omnes cœlos, & collocatus in cœleſtibus ad dexteram Dei patris, quemadmodũ hic Paulus loquitur, & infra in quarto capite repetit. Debet ergo articulus aſcenſionis Domini intelligi de vero Chriſti corpore, & de corporali ipſius locatione in cœlis, ne exiſtimemus vel humanã naturã in Chriſto à diuinitate abſorptã eſſe cum Stenckfeldio, vel diffuſam eſſe in totum vniuerſum cum diuinitate cum veteri hæretico Eutyche. Vtrunque enim veritatem humanæ naturæ tollit. Tenendum eſt proinde dictum Cypriani qui ita ait: Aſcendit in cœlos, non vbi verbum Deus antea non fuerat, ſed vbi verbum caro factũ antea non ſedebat, ſcilicet corporali locatione. Seſsio ad dexteram Dei patris ad regnandi poteſtatem pertinet, quia filius patri ęqualis, ęquale cum ipſo ſortitur imperium. Nam dextera patris diuinam potentiam, maieſtatẽ & imperium notat. Quare ad dexteram patris ſedere, eſt æqualem eſſe patri diuina potentia, maieſtate & imperio. Et quia hic Apoſtolus meminit dexteræ patris in cœleſtibus, ſignificatur etiam per dexterã patris, locus beatitudinis & felicitatis, atq; adeo æternæ & beatæ iſtius requiei quæ promiſſa eſt credentibus, vbi iam corpus Chriſti collocatum eſt. VERVM hoc non pugnat cum Chriſti dicto: Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi, nec tollit veritatem carnis & ſanguinis Domini in cœna. Eſt enim Chriſtus totus vbicunq; vult eſſe, plura de hac re eaque eruditiſsima & pijſsima vide in cõmentarijs Philippi ſuper 3. cap. ad Coloſſ. Porrò fructus vtriuſque articuli, videlicet aſcenſionis Domini, & ſeſsionis eiuſdem ad dexteram patris infra in 4. cap. copioſe explicatur, vbi Apoſtolus dictum Pſalmi interpretatur: Aſcendit in altum, captiuam duxit captiuitatem & dedit dona hominibus.

Tertium membrum, ſecundi expoſitio eſt. Super omnem, inquit, Principatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non tantum in ſeculo hoc, ſed etiam in futuro. Pulcerrime enim his verbis definit quid ſit Chriſtum ſedere ad dexteram patris in cœleſtibus. Nam nihil aliud vult Apoſtolus hac ratione, quam ſignificare Chriſti imperium, quod ſignificatur ſymbolo ſeſsionis ad dexteram patris ſummum eſſe, vt quod nullum habeat ſuperius, nec in hoc ſeculo, nec in futuro. Quod autem Dionyſius ex his Apoſtoli verbis extruat, neſcio quos angelorum ordines, infirmum eſt, neq; refert ſcire quæ ſint angelorum ordines & dignitatũ gradus in cœlo, cum illud nobis verbum Dei nõ reuelauit, ſed hoc ſufficit intelligere quod angeli ſunt miniſtri, & vt epiſtola ad Hebræos loquitur, adminiſtratorij ſpiritus, miniſtri Eccleſiarum, politiarum & familiarum in mundo. QVANTVM autem ad verba Pauli attinet hoc ſciendum eſt, quod pulcerrime hiſce quatuor vocibus diſtinguat gradus eminentiæ.

Ἀρχὴ, principatus ſignificat ordinẽ ſuperioris ad inferiorem qui ſuperiori parere debet. Cum ergo dicit Apoſtolus, Chriſtũ ſedere ſupra omnem principatum, ſignificat quod Chriſtus ſit Domin⁹ & princeps ἀνυπεύθυνος, vt qui nemini ſit obnoxius ad reddendã ſuæ adminiſtrationis rationem. Non enim habet ſupra ſe principem, cui vt ſubditus parere cogitur. Vt enim eiuſdem naturæ eſt cum patre ſecundum diuinitatem: Ita æquale cum ipſo habet imperium. Hinc fidelis ſe conſoletur aduerſus hoſtes Chriſti, atque adeo aduerſus principatus omnes mundi & inferni, ſtatuatq; fore aliquãdo vt quicquid ſublime videtur, Chriſti imperio, velit, nolit, ſubijciatur. Nemo ergo cui pietas cordi eſt, ſubijciat ſe vllis hominib. aut diabolis, ſi quid imperent, quod pugnet cum principis noſtri Ieſu Chriſti legibus.

Ἐξουσία poteſtas, ius imperij notat. hoc ius duplici nomine Chriſtus obtinet. Primũ ratione diuinæ naturæ, qua vna cũ patre & ſpiritu ſancto idem Deus eſt, cui iure omnia ſubijciuntur. Deinde ratione victoriæ iuſtæ, qua hoſtem diabolum vicit. vtroque imperij iure eminet Chriſtus ſupra omnia.

Δύναμις virtus, facultatem imperij notat, adeo vt nullæ vires eius imperium labefactare poſsint. Vnde fides in tentationibus & in mortis articulo ſe animet aduerſus inſultus diaboli. Nam ſi δύναμις Chriſti eſt ſupra omnem δύναμιν, non eſt quod fidelis homo portas inferorum timeat.

Κυριότης

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Κυριότης, dominatio, relationem habet ad omnes creaturas, bonas & corruptas, quas ſuo dominio Chriſtus cohibere poteſt, quæ velint, nolint, Chriſtum victorem agnoſcere coguntur. Vnde ad Romanos ſcriptum eſt, quod omne genu cœleſtium & terreſtrium & infernorum ſe flectat Chriſto agnoſcens ipſius dominium, huc iam addit Paulus genus, & ſupra omne inquit nomen quod nominatur, id eſt, ſupra omne quod quouis modo emineat. Diſtributio quæ ſequitur, Non ſolum in ſeculo hoc, ſed etiam in futuro, ad ſuperiora quatuor membra refertur. ſignificat enim Chriſtum eminere ſupra omnia, non ſolum in ſeculo hoc perituro, verumetiam in futuro, id eſt, in æternum duraturo. Eminentia ergo Chriſti ſupra omnem principatum, poteſtatem, virtutem, dominationem, non eſt temporanea ſed æterna, vt quæ etiam futurum ſeculum comprehendat. Non eſt ergo quod fideles metuant, ne Chriſto aliquando ab imperio depoſito hoſtium iniurijs & tyrannidi obijciantur, aut noui alicuius Domini imperio iniurioſius premantur.

Quintum membrum, amplitudinem imperij Chriſti continet. Et omnia, inquit, ſubiecit pedibus eius. Vt enim antea factus eſt ſeruus omnium, vt hominem perditum ſaluaret: ita nunc victor factus omnia ſibi habet ſubiecta, ita vt omnia ipſius imperio cedere cogantur. Neque hæc ſubiectio tantum eſt amicorum & domeſticorum, verumetiam hoſtium, omnium diabolorum & hominum impiorum, adeo vt ipſi diaboli ſub Chriſti imperio contremiſcant. HINC fides habet quo ſe confirmet aduerſus omnes inferorum portas, potentiorem enim Chriſtum ſtatuet, quam vt quiſquam ipſum ſpoliare poſsit, & ei aliquid inuito eripere.

Sextum membrum, ſingularem quandam imperij Chriſti formam continet, qua videlicet is Eccleſiæ Dei dominatur. Et ipſum, inquit, poſuit caput ſuper omnia Eccleſiæ. Quod autem Chriſtus hic dicitur poni à patre caput Eccleſiæ, non derogat quicquam maieſtati Chriſti, qua iuxta ſuam diuinam naturam in omnia imperium vna cum patre habet. Chriſtus enim, vt inquit Gregorius Nicenus, dicitur accipere, vt homo, quod naturaliter habet vt Deus. CAPITIS appellatione ſignificatur & ſupremum Chriſti dominium, quod ſolus in Eccleſiam habet, & gloriæ Eccleſiæ. Nam ſi Chriſtus eſt caput, & Eccleſia corpus, ſumma profecto eſt Eccleſiæ gloria. Vbi enim caput, illic & corpus. Nam nullo loco intermedio caput à corpore ſeparatur. Quicunque ergo præter vnum Ieſum Chriſtum hunc honorem ſibi aſſumit, & vult agnoſci Eccleſiæ caput, verus Antichriſtus eſt, vt qui Chriſtum ſacrilege ſuo ſpoliet honore. Neq; quicquam eſt quod afferant Papæ defenſores qui fingunt Eccleſiam bicipitem eſſe, vt quæ vnum caput ἀρχικὸν, alterum autem διακονικὸν habeat. Miniſtri enim Eccleſiæ Dei etſi alij alium dignitatis locum in Eccleſia propter politiam Eccleſiaſticam ſeruandam habent, tamen omnes miniſtri ſunt, nec alter alterius eſt caput, ſed conſeruus in Domino. Ita Paulus inferiores ſe miniſtros conſeruos vocat, & cõmilitones & cooperarios Dei & fratres.

Porro Chriſtus Eccleſiæ caput dicitur, quatuor modis. Primum, efficacia. Vt enim ex capite hominis in totũ corpus vires per neruos diffunduntur, ita à Chriſto quidquid habẽt fideles viriũ accipiunt. Nam quod fideles mortificantur carne & viuificantur ſpiritu, id ex virtute mortis & reſurrectionis Chriſti capitis habent, ſiquidem vis mortis Chriſti in credentibus carnem reprimit, & efficacia vitę Chriſti ſpiritus nouus in homine generatur, vnde fit, vt in nouitate vitæ ambulet. Secundo, Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ perfectione. Is enim ſolus in Eccleſia perfectionis laudem meretur. Nam omnes virtutes in eo ſunt perfectiſsimæ, à quo tanquam à ſole radij quidam in fideles immittuntur. Tertio, caput dicitur merito. Is enim ſolus in Eccleſia merita habet, quibus nobis cœleſtem hæreditatẽ meruit. Quarto caput eſt dignitate ſeu ordine & autoritate. Nam is ſolus Eccleſiæ Monarcha eſt ἀνυπεύθυνος. Verum ne quis putet Paulum loqui de Chriſto tantum, vt de principe Eccleſiæ, addit ſeptimum membrum, Eccleſiæ, inquit, quæ eſt corpus eius. Eſt proinde Chriſtus caput, Eccleſia vero corpus, in quod omnis vis & efficacia à capite fluit. Hic obſeruetur pulcherrima Eccleſiæ definitio, qua definitur eſſe corpus Chriſti, nõ quidem naturale ſed myſticum. Huius corporis duplicia ſunt membra, videlicet mortua & viua. Mortua membra ſunt, qui in externo cœtu Eccleſiæ nobiſcũ profitentur articulos fidei, ſed ſpiritu fidei deſtituuntur, vt ſunt hæretici, hypocritæ, & qui concupiſcentijs carnis indulgent. Viua mẽbra ſunt qui viua fiducia Chriſti præditi non ambulant ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum quo aguntur. breuiter quicunque ſincere meditantur Chriſtianiſmum, viua Chriſti membra ſunt. Turci autem, increduli Iudæi & aliæ profanæ gentes nec viua nec mortua Eccleſiæ membra cenſeri debent.

Porro cum ſubiungit Apoſtolus. Et complementum eius qui omnia in omnibus adimplet, exponit cur Eccleſiã corpus Chriſti vocet, & ſimul oſtendit quantus ſit Chriſti amor

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

erga Eccleſiam ſuam: quam ſui complementum ſiue ſupplementum appellat. Is enim eſt Chriſti erga Eccleſiam amor, vt cum omnia ſalutaria in omnibus præſtet, tamen ſeſe veluti mancum & membris mutilum exiſtimet caput, niſi Eccleſiã habeat ſibi inſtar corporis adiunctam. Hinc eſt quod Chriſtus non raro collectiue pro tota Eccleſia capiti ſuo adiuncta accipiatur, vt cum dicitur, 1. Corinth. 12. Sicut enim corpus vnũ eſt, & membra habet multa, omnia vero membra corporis vnius multa cum ſint, vnum ſunt corpus: Ita & Chriſtus. Etenim per vnum ſpiritum nos omnes in vnum corpus baptizati ſumus, hoc eſt, vt cum Chriſto vnum corpus fieremus, atq; adeo vt in vnum Chriſti corpus coaleſceremus, vt Eccleſia tota nihil aliud ſit quam vnus Chriſtus, cuius coagmentationis efficacia ſigna ſunt baptiſmus & cœna Domini. Huc & illud Galat. 3. Abrahę dictæ ſunt promiſsiones & ſemini eius, nõ dicit, & ſeminibus, vt de multis, ſed vt de vno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus. Hic Chriſtum vocat Apoſtolus totũ corpus collectum, cuius caput & vita eſt Chriſtus, membra autem ſunt fideles, partim ex Iudæis, partim ex gentibus. hoc in fine capitis apertius concludit hiſce verbis: Omnes vos vnus eſtis in Chriſto Ieſu. Hinc manarunt illæ loquẽdi formulæ, vnum cum Chriſto fieri, cum Chriſto eſſe, & Chriſtum in nobis eſſe, ſpiritu Chriſti agi, in Chriſto eligi, vocari, iuſtificari, viuere, cum Chriſto mori, crucifigi, ſepeliri, reſurgere. huc illud pertinet quod ſequitur cap. 3. gentibus patefactum eſſe Euangelium, vt fiant cohæredes, concorpores & conſortes promiſsionis in Chriſto. Hinc eſt quod Paulus ad Gal. 2. dicat, ſe in Chriſto & Chriſtum in ſe viuere. hinc & illa Chriſti vox, Saule, Saule, quid me perſequeris? QVID hinc fides colliget? vt omnem ſpem ſuam & conſolationem in hoc ponat, quod ſtatuat Chriſtum non poſſe perire, cuius membrũ eſt per fidem. Hinc in vita, in morte, & quouis periculo ſe ſuſtentet fidelis, quod certiſsimo ſciat, fore vt Chriſtus aliquando cum toto ſuo corpore glorificetur, vtut eius membra in hiſce mundi ærumnis contemta iaceant. Verum vt ſciamus Chriſtum per ſe non indigere hoc ſupplemento, addit Apoſtolus: Qui omnia in omnibus adimplet. Si enim reuera omnia in omnibus adimpleat Chriſtus, & perficiat, nequaquam indiget ſuppleri à quoquam, niſi quatenus pro immenſa ſua bonitate Eccleſiam dignatur ſibi inſtar corporis adiungere. Habet & hic locus luculentum teſtimonium de Chriſti diuinitate. Nam cum propriũ diuinæ naturæ ſit implere omnia: Et Chriſto hic ea tribuatur facultas, quod omnia in omnib⁹ adimpleat, ſequitur Chriſtum verum Deum eſſe, atque adeo infinitam & æternam perſonam.

Recte igitur in Eccleſia dicitur: Chriſtus eſt vbiq; totus, Chriſtus omnia complet, filius virginis eſt Deus. Nam hæc rectiſsime perſonæ tribuuntur, ratione diuinæ naturæ, non humanæ quæ ſuas peculiares proprietates habet, quas ſi ſuſtuleris, veritatem humanæ naturę in Chriſto tollis, & ſpem reſurrectionis noſtri ſubuertis. Quare firmiter tenẽdum eſt, quod Paulus ad Philip. 3. noſtra corpora contemta fore aliquando conformia Chriſti glorioſo corpori. Iam ſi natura humana Chriſti conuerſa eſſet (vt olim impie Eutychiani, & hodie ſacrilege Stenckfeldius docet) in diuinam naturã, nulla prorſus nobis ſpes reſurrectionis remaneret. Hæc ſint dicta de hac pericopa in qua Paulus præcipuos articulos fidei noſtræ de Chriſto proponit, & ſimul eorum fructum nobis breuiſsime commendat.

DE PRAEDESTINATIONE.

Quoniam autem prædeſtinationis & electionis ad vitam æternam ſæpius in hoc cap. facta eſt mentio, viſum eſt mihi non inutile aſſertiones quaſdam huc aſſcribere, quæ ſummã doctrinæ de prędeſtinatione continebunt, idq; hoc cõſilio, vt hæc doctrina quæ eſt baſis ſalutis noſtræ, illuſtretur conſideratis circumſtantijs, & pio lectori magis dulceſcat eius cogitatio.

I.

De æterna Dei prædeſtinatione & electione hominum ad vitam beatam, & immortalem recte erudiri Eccleſiam ſummopere neceſſariũ eſt. Nam vt nulla doctrina vberiorem conſolationem pijs cõſcientijs afferre poteſt, quam doctrina prædeſtinationis recte explicata: Ita nihil periculoſius eſt, quam à vera prædeſtinationis ratione aberrare.

II.

Quare ne à modo prædeſtinationis & electionis, quem nobis commendat ſcriptura aberremus, ſummo ſtudio cauendum eſt. Nam qui à vero modo deflectit, in præcipitium fertur, vnde ſe recipere non poteſt, niſi diuinitus ei ſuccurratur.

III.

Sunt quidã, qui cum audiunt, noſtram ſalutem in Dei electione & propoſito ſitã eſſe, & mo-

& modum verum haud obſeruant, ſomnia Stoica & tabulas Parcarum fingunt: quibus & ſeipſos miſere implicant, & alios periculoſe ſeducunt.

IIII.

Nam fieri aliud nequaquam poteſt, quam vt is qui fatales libros de ſaluandis & perdendis imaginatur, vel hypocriſi vana turgeat, vel deſperatione pernicioſa tabeſcat.

V.

Quidam enim carnalis cuiuſdá ſecuritatis anſam arripientes, in quæuis ſcelera licentioſe ruunt: ſibi quidem ipſis in certam perniciem, alijs vero in graue ſcandalum.

VI.

Nonnulli in contrarium malum feruntur: qui cum contra verbum Dei particularem gratiæ promiſsionem ſomniant, in deſperationis baratrum demerguntur: in quo eos in æternum perire, niſi mature dextera Dei erecti reſipiſcant, neceſſe eſt.

VII.

Quapropter, cum audimus verbo Dei nobis prædeſtinationis myſterium commendari, ſimul in verbo Dei prædeſtinationis modum cum ſua vera cauſſa quæramus: quem ſi recte tenuerimus, ſummam conſolationem prędeſtinationis doctrina nobis afferet: & erit non ſolum veluti calcar quoddam ad omnia pietatis exercitia: verumetiam vt ſacra quædam ancora in mortis articulo.

VIII.

Modus autem prædeſtinationis veriſsimus eſt, quem Paulus nobis commõſtrat cum ad Epheſios ita ſcribit: Elegit nos in CHRISTO ante cõſtitutionem mundi, vt ſimus nos ſancti & inculpati coram ipſo in dilectione. Item, prædeſtinauit nos in adoptionem per Chriſtum Ieſum. Item: Gratos nos fecit in dilecto: in quo habemus redemtionem per ſanguinem eius. Item, propoſuit recolligere omnia in Chriſto. Item, In quo in ſortem aſciti ſumus, prędeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, vt nos ſimus in laudem gloriæ eius, qui ante ſperauimus in Chriſto. Item, In Quo & credentes obſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ.

IX.

Hic Paulus clariſsime modum prædeſtinationis definit, dum pronunciat Deum prędeſtinaſſe nos ſaluti per CHRISTVM & in CHRISTO. Per CHRISTVM quidem vt mediatorem & λυτρωτήν. In CHRISTO vero vt in capite & cum capite: cuius membra efficimur per fidem, quam Euangelium promiſcue omnibus prædicat.

X.

Prædeſtinauit igitur nos Deus, non exarando fatales libros cum Zenonis familia, ſed ſtatuendo iuxta conſilium voluntatis ſuæ modum ſalutis conſequendæ per CHRISTVM & in CHRISTO.

XI.

In hoc modo conditio fidei includitur. Nam cum fide inſerimur CHRISTO, eius membra efficimur, atque ideo electi dicimur, quia membra Chriſti ſumus.

XII.

Quam autem hæc conditio ſit neceſſaria, ex ordinatione diuina, plurima ſane declarant teſtimonia. Paulus Rom. 9. Vbi de prædeſtinatione diſputat hanc conditioné inculcat inquiens: Quid igitur dicemus? gentes, quæ non ſectabantur iuſticiá apprehenderunt iuſticiam, iuſticiam inquam, quæ eſt ex fide. Iſrael vero ſectans legem iuſticiæ, ad legé iuſticiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, ſed ex operibus legis. Hanc conditionem repetit Apoſtolus in decimo capite & ſæpe alias eam vrget, Coloſſ. 1. Si modo in fide permaneatis fundati. Heb. 3. Participes facti ſumus Chriſti, ſi modo incoatam fiduciam vſque ad finem firmam teneamus. 1. Timoth. 2, Mulier ſaluabitur ſi permanſerit in fide.

XIII.

Neceſsitaté huius conditionis Apoſtolus ipſe de ſe loquens oſtendit: Væ mihi ſi non Euangelizem. Item, Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prędicauero, ipſe reprobus efficiar. Si igitur Paulus electũ Dei organum ex fide obœdientiam erga Deum non præſtitiſſet, fide excuſſa, gratia excidiſſet, reprobus ſua culpa effectus. Ieremias idẽ verbis Domini inculcat. Si, inquit, pœnitentiá egerit gens illa à malo quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ago pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui, vt faceré ei. Si

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

fecerit malum in oculis meis, vt non audiant vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono quod locutus ſum, vt facerem ei.

XIIII.

Hinc manifeſte apparet, prædeſtinationem diuinam per CHRISTVM, & in CHRISTO ratam eſſe, & requirere à nobis conditionem fidei qua Chriſto inſerimur, atq; ideo electi cenſemur.

XV.

Ex his quę hactenus diximus hanc prędeſtinationis extruamus definitionem. Prædeſtinatio eſt ordinatio Dei, qua ipſe ante conſtitutionem mundi, ſecundum beneplacitũ & cõſilium voluntatis ſuæ per CHRISTVM & in CHRISTO deſtinauit vitæ æternæ OMNES in Chriſtum redemtorem credituros, vt ſint ſancti & inculpati coram ipſo, vtq; laudem glorię gratiæ ipſius prędicent in omni æternitate. Huic opponitur reprobatio, qua reijciuntur & arcentur ab æterna vita, & mancipantur æternis pœnis, quotquot in Chriſtum credere recuſant, & quicunque in fide Chriſti ad finem vſque vitæ non perſeuerant. Huius reprobationis cauſſa eſt peccatum hominum, & iuſticia Dei iuſte punientis tranſgreſſores: qui ad propitiatorium hominibus à Deo propoſitum, non confugiunt.

XVI.

Porro cum conditionem fidei requirimus, ſimul Phariſaicum taxamus errorem de dignitate perſonarum, de prærogatiua carnis, de meritis humanorum operum. Vnde & hoc ſequitur, quod nec ex ratione, nec ex lege de hoc myſterio iudicandum ſit. Nam, vt ratio dignitatem & prærogatiuam carnis: Ita lex merita operum Hypocritis electionis cauſſam falſo ſtatuere videtur.

XVII.

Non eſt itaq; cauſſa prędeſtinationis in nobis, vt falſo opinantur Monachi, ſed in Deo: quam cauſſam Paulus εὐδοκίαν voluntatis Dei vocat: Auguſtinus miſericordiſsimam Dei voluntatem. De hac voluntate Dei erga homines vbi certo conſtiterit, prædeſtinationis noſtri fundamentum habemus immotum. Nam Deus omnia, vt Paulus teſtatur, ſecundum conſilium huius ſuæ voluntatis operatur.

XVIII.

Hæc Dei voluntas miſericordiſsima, non eſt nobis incognita aut tecta, ſed tradita eſt, & reuelata nobis voce Euangelij. Et in quatuor potiſsimum cernitur: In miſsione Filij, in promiſsione, in mandato, & in obſignatione gratiæ.

XIX.

Miſsio Filij locupletiſsimum teſtimonium paternæ voluntatis Dei erga nos eſt: iuxta hanc vocem Filij: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternã, Roman. 5. Commendat Deus charitatem ſuam erga nos, quod cum adhuc eſſemus peccatores Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Huius itaque λύτρον ſufficiens eſt ſatisfactio & expiatio peccatorum totius mundi. Per hunc enim pater fatetur ſe placatum eſſe, & iubet ſerio vt ipſum audiamus.

XX.

Neque eſt quod quiſquam exiſtimet miſſum eſſe filium in mundum, vt quoſdam ſelectos tantũ de genere humano redimeret, ſed potius, vt totius mundi peccata tolleret, iuxta illud: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Nam vt communẽ noſtram naturã aſſumſit, ita cum natura noſtram cauſſam in ſe recepit: Ita enim palam de ſe ipſe ait: Filius hominis venit ſaluare quod perierat. Iam autem non pauci aliquot perierãt de genere humano, ſed totum genus humanum. Quemadmodũ igitur in Adamo omnes lapſi ſumus: Ita cum Adamo datur omnibus promiſsio ſeminis cõtrituri caput ſerpentis. Hinc Iohannes: Chriſtus apparuit, vt deſtruat opera diaboli. Quapropter fidelis ſermo, vt Paulꝰ ait, & omni approbatione dignus eſt, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundũ peccatores ſaluos facere.

XXI.

Quod autem euentus (proh dolor) non reſpondeat voluntati patris mittẽtis filium, & deſiderio filij deriuantis in ſe pœnam peccati, id fit propria hominum malitia, qui à patre clementiſsimo ad nuptias filij inuitati venire recuſant: quemadmodum Chriſtus ipſe conqueritur, cum ait: Multi ſunt vocati, pauci vero electi, hoc eſt, pauci credunt & fructus pœnitentiæ edunt, atque ideo expelluntur de domo nuptiarum, vt qui veſtem nuptialem non habeant.

XXII.

Promiſ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Promiſsio gratiæ, quæ vere vniuerſalis eſt, ſimiliter voluntaté miſericordiſsimá patris cœleſtis nobis commendat. Huc pertinent plurima dicta: inter quæ ſunt hæc: Hæc eſt voluntas patris mei, qui miſit me, vt omnis quí videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Matth.18. Sic non eſt voluntas ante patrem meum qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis. 1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. 2. Pet. 3. Deus longanimis eſt erga vos, non volens vllos perire ſed omnes ad pœnitentiam recipere. Huc & illud propheticum pertinet: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Hinc Diuus Bernardus: Prodit in lucem ad miſeri conſolationem magnum cóſilium, quod ab æterno latuerat in ſinu æternitatis, quod nolit videlicet Deus mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat.

XXIII.

Hæc promiſsio gratiæ, vt eſt vniuerſalis, ita etiam eſt gratuita, ſola fide accipienda. Vtrunque perſpicue docet Paulus ad Roman. 9. 10. 11. vbi excludit aperte omnem prærogatiuam carnis & operum merita, & concludit omnem qui credit non pudefieri. Non eſt enim (ait) diſtinctio Iudæi & Græci. Idem enim Dominus omnium diues in omnes quí inuocant ipſum.

XXIIII.

Huc faciunt pulcherrimi illi Typi, quos idem Apoſtolus proponit, cum filios Abrahæ Iſmaelem & Iſaac, & filios Iſaac Iacobum & Eſau in medium adducit: qui typi in hunc modum accommodandi ſunt. In commodis certis ad hanc vitam ſpectantibus, non omnes qui nati ſunt ex ſemine Abrahæ & Iſaac habentur illorum filij. Multo minus in rebus ſpiritualibus cenſebuntur filij, qui ab iſtis ſanctis patribus ortum ducunt. Quocirca quemadmodum in commodis ad hanc vitam ſpectantibus, tantum illi reputantur filij, de quibus ſancti Patriarchæ habebant promiſsiones: Vt Abraham de Iſaaco, & non de Iſmaele, Iſaac de Iacobo & nó de Eſau: ita in rebus ſpiritualibus ſolum illi ſunt Abrahæ filij cenſendi, qui promiſsioni gratuitæ credunt, & non illi qui prærogatiua carnis tument.

XXV.

Neque aliud vult concluſio Apoſtoli: Non eſt igitur volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Nam huius concluſionis hic ſenſus abſque dubio eſt veriſsimus. Non eſt volentis neque currentis, videlicet ſecundum carnem, quia voluntas carnis & curſus carnis nituntur prærogatiua carnis & meritis operum. Atq; ideo aduerſantur miſericordiæ Dei, & merito Chriſti. Sed eſt volentis & currentis ſecundum promiſsionem: hoc eſt, credentis. Siquidem omnia poſsibilia ſunt credenti. Nam hæc voluntas & hic curſus commendant miſericordiam Dei, adeoque ſola miſericordia in Chriſto promiſſa nituntur. Quid hinc iam efficitur? Illud quod propoſitum erat ab Apoſtolo, non filios carnis, ſed filios promiſsionis eſſe hæredes.

XXVI.

Sunt autem filij promiſsionis, omnes qui credunt promiſsioni, vt Abraham credidit. Nam Apoſtolus Rom. 4. definit filios promiſsionis eſſe eos, qui inſiſtunt veſtigijs fidei Abraham, Et ad Gal. 3. Scitote, inquit, quod qui credunt, hi ſunt filij Abrahæ. Si filij ſunt, & hæredes ſecundum promiſsionem.

XXVII.

Qui hanc vniuerſalem gratiam negant (quantum quidem ad voluntatem Dei paternam attinet) præterquam quod Paulo, adeoque conſenſui totius ſcripturæ ſe opponunt, grauiſsime impingunt. Primum enim tribuunt Deo προσωποληψίαν. Deinde fingút in Deo contradictorias voluntates.

XXVIII.

Sed quod apud Deum non ſit προσωποληψία, multa dicta teſtantur. Deus enim ſemper bonam cauſſam comprobat, & ſemper malam condemnat, iuxta hanc regulam: Fideles cuſtodit Dominus, & retribuet abundanter facienti ſuperbiam. Nihil proinde certius eſt, quam quod Deus omnes pœnitentes recipiat in gratiam, & contra impœnitentes omnes reijciat abſque omni perſonarum reſpectu.

XXIX.

Quod autem Deus Lazarum mendicare voluit, & Ioſephú principem Aegypti fecit, hoc non conſtituit in Deo προσωποληψίαν. Nam perſonarum acceptio in iudicijs locum habet, vbi æqualibus inæqualia, aut inæqualibus æqualia tribuuntur. Nunc auté cú Deus ſibi hanc iudiciariam regulam ſtatuit, quod velit in Chriſto omnes credentes ſaluare, & quod

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

velit omnes contemnentes filium, & perſeuerantes in delictis pœnis punire æternis, nequaquam perſonarum acceptor eſt.

XXX.

Præterea quod non ſint in Deo contradictoriæ voluntates, ex eo manifeſtū eſt, quod, vt ipſe veraciſsimus, imo ipſa veritas eſt: ita duplex cor damnet. Cum igitur ſcriptum eſt: Deus vult omnes homines ſaluos fieri: Item, Deus non vult vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere: nequaquam ſunt harum propoſitionum contradictoriæ admittendæ, quæ ſunt, Deus non omnes vult ſaluos fieri, Deus vult aliquos perire, & non omnes ad pœnitentiam recipere.

XXXI.

Quomodo ergo (inquies) damnantur multi cū omnes ſaluos fieri Deos velit? Si conſilium creationis & miſsi filij in mundū reſpicimus, vere voluntas Dei eſt vt nullus pereat. Verum ſi euentum conſideramus, voluntas Dei eſt, vt contumaces & impœnitentes pereant. Pater terrenus vult omnes ſuos filios hæreditate gaudere. Hæc eſt enim paterna ſtorga in bono patre. Verum ſi aliquis filiorum perrexerit eſſe contumax, vt nec verbis, nec flagellis emendari velit, hunc pater hæreditate priuat, & inter filios amplius non numerat.

XXXII.

Huius rei typus in Deuteronomio proponitur. Si genuerit (ait Dominus) homo filium rebellem & proteruum, qui non audierit patris & matris imperium, & coercitus obœdire contemſerit, apprehendent eum pater eius & mater eius, & ducent eū ad ſeniores ciuitatis & ad portam iudicij, dicentq; ad eos: Filius noſter iſte proteruus & rebellis eſt, monita noſtra audire contemnit, Lurco & potator eſt, lapidib. eum obruet populus ciuitatis & morietur. Nonne hic pater vult filiū obrui lapidibus, quem naturali ſtorga chariſsimū habeat? Ad eundē plane modum Deus ex ſua paterna bonitate vult omnes homines hæredes fieri vitæ æternæ: verum contumaces nihilominus & rebelles perpetuis pœnis vult obrui.

XXXIII.

Diſcernendum eſt igitur accurate inter voluntatem Dei paternam, quam Theologi antecedentem vocant, & eam quæ ſequitur hominum contumaciam. Quare & conſequens dicitur.

XXXIIII.

Mandatum (hoc enim eſt tertium, in quo ſupra propoſuimus voluntatē Dei erga homines conſpici) ſimiliter nobis voluntatem Dei vere paternam erga omnes commendat. Fieri enim nō poteſt vt voluntas Dei cum mandato ipſius pugnet. Quapropter cum iubet, vt totus mundus filium ſuum audiat, vult profecto, vt omnes illū audiāt: vult vt ex auditu fidem concipiant. Prædicatio enim Euangelij requirit fidem. Vult denique vt credentes ſaluentur. Deinde filius, qui eſt ſapientia patris, amandat diſcipulos ſuos in omnē terram cum hoc mandato: Ite in mundum vniuerſum, & proclamate Euangeliū omni creaturæ, Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Qui vero nō crediderit cōdemnabitur. Hoc mandatum cum ſit vniuerſale, clare teſtatur Deum velle omnium hominum ſalutem, ſed cum conditione fidei, vt indicat promiſsio mandato addita, Matth. 11. Clamat Dominus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hic vtrumque, hoc eſt, mandatum & promiſsio teſtantur voluntatem Dei paternā eſſe, vt omnes veniant ad Chriſtum vocantem, & omnes in eo conſequantur ſalutem.

XXXV.

Firmiſsime itaq; & ſine hæſitatione ſtatuēdum eſt, mandatum Dei æternū & vniuerſale eſſe teſtimoniū infallibile voluntatis ipſius erga homines. Cum igitur mandat omnibus, vt audiant filiū & credant, vult reuera, vt omnes audiant, credant, iuſtificentur, ſanctificentur, ſaluentur. abſit procul à Chriſtiano pectore cogitare Deum foris offerre omnibus veniam, ſed intus aliam voluntatem incluſam habere.

XXXVI.

Sed obijciet forte aliquis: fides donū Dei eſt, & opus ſpiritus ſancti. Ergo nemo credere poteſt niſi qui diuinitus fidem acceperit. Item, nemo venit ad filium, niſi quem pater traxerit. Hoc veriſsimum eſſe fateor. Verum cum Paulus inquit: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei, ſignificat ordinarium ad conſequendam fidem inſtrumētum eſſe prædicationē Euangelij: in qua Deus iuxta ſuas promiſsiones vult eſſe efficax, vult trahere verbo & ſpiritu ad filium. Sed multi trahenti patri repugnant, cui poterant obœdire. Hoc clare comprobatur querela Chriſti in hunc modū peruicaciam Iudæorum deflentis: Quoties vo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ties volui te congregare, vt gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti? Similem contumaciam Stephanus ſuis Iudæis obijcit, Duri, inquit, ceruice & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis. Et Dominus apud Eſaiam: Tota die expandi manus meas ad populum contumacem & contradicentem. Hoc ipſo teſtimonio & Paulus rebellionem Iudæorum oſtendit, quam rebellionem cauſſam reiectionis eorum fuiſſe concludit. Etſi autẽ animus noſter dum illuminatur, præparatur. immutatur, & diſponitur, paſſiue ſe habet: tamen quoad aſſenſum voluntas docta verbo, & roborata per ſpiritum ſanctum actiue etiam concurrit.

XXXVII.

Huc etiam facit exemplum quod Auguſtinus de Nabuchodonoſor & Pharaone proponit hiſce verbis: Quantum ad naturam ambo homines erant: Quantum ad dignitatem ambo reges: Quantum ad cauſſam, ambo populum Dei captiuum poſsidebant: Quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit diuerſos? niſi quod vnus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra miſericordiam Dei voluntatem pugnauit arbitrio.

XXXVIII.

Verum hic imprimis cauendũ eſt ne quis peccandi petulantia & longa conſuetudine, abuſus benignitate Dei inuitantis ſe ad pœnitentiam, accerſat ſibi ipſi iudicium, vt à Deo irato derelinquatur, atq; à Deo permittatur ruere in reprobam mentem. Hoc cum fit, homo ad verbum Dei obſurdeſcit, & ſibijpſi eam peccandi neceſsitatem imponit propria voluntate, vt iam aliud quam peccare non poſsit. Perinde enim illi accidit, ac ſi quis ſeipſum de cacumine montis præcipitem daret, vnde poſtea caſum reuocare non valeret.

XXXIX.

Mature igitur vocanti Deo obtemperare oportet & reſipiſcere ſolliciteq; ambulare (vt Propheta monet) coram Deo ſuo. Nam qui vocantem Deum per ſuos miniſtros audire recuſat, in contumaciæ pœnam incurrit. Vnde fit, vt magis magiſque vinculis peccati conſtrictus donec tandem dedoleat, ſuſque deque ferat omnia ſalutis media. Hic proinde locum habet vulgo notus verſiculus, Qui non es hodie cras minus aptus eris.

XL.

Obſignatio gratiæ (huic enim quartum locũ tribui inter ea indicia, quæ nobis ob oculos ponunt, quam ſit paterna voluntas Dei erga omnes homines) clariſsime nobis paternam voluntatem Dei commendat. Nam dum iubet baptizari omnes gentes, vult veriſsime omnibus gentibus ſuam obſignari gratiam, & miſericordiſsimã voluntatẽ. Nunquam enim gentes omnes inuitaret ad baptiſmum niſi omnibus gentibus ſalutem, quam obſignat baptiſmo, impartiri vellet. Eſt enim immota hæc conſecutio: Deus omnibus offert ſalutem: ergo vult omnium ſalutem.

XLI.

Quod autem in multis baptiſmus eſt tantũ literalis, hoc non fit Dei conſilio & voluntate, qui vere ſuam gratiam baptiſmo offert & obſignat: ſed hominum culpa, qui à pacto cum Deo in baptiſmo inito turpiter diſcedunt.

XLII.

Nam vt Deus promittit, & promiſſum obſignat baptiſmo: ita par eſt, vt homo ab altera parte fide reſpondeat. Siquidem in omni pacto vtraq; pars pacti conditiones & leges ſeruabit. Atque eam ob cauſſam Petrus baptiſmum definit ſtipulationem bonæ conſcientiæ cum Deo. Deus enim baptiſmum offerens promittit gratiam, conſcientia vero fide reſpondens in pacto acquieſcit freta reſurrectione Ieſu Chriſti.

XLIII.

Cum itaque ex his demonſtrationibus euidentiſsime nobis conſtat de voluntate Dei paterna erga nos, quæ voluntas eſt cauſſa & baſis prædeſtinationis & electionis noſtri, firmam teneamus fiduciam ſalutis noſtræ, & ad voluntatem Dei paternam in Miſsione filij, in promiſsione, in mandato, & in obſignatione gratiæ expreſſam, tanquam ad arcem munitiſsimam nos recipiamus: nihil morãtes decreta Stoica, quantumuis magnos patronos & ſapientes habeant.

XLIIII.

Porrò fines prædeſtinationis & electionis noſtri ad ſalutẽ duos Paulus cõſtituit, Epheſijs ſcribens: quorũ proximus eſt, vt ſimus ſancti & irreprehenſibiles coram ipſo, hoc eſt, vt

ſtudeamus ſanctitati & innocentiæ, habeamuſq; ſemper bonum propoſitum: Vltimus vt laudetur gloria ipſius à nobis in omni æternitate.

XLV.

Reſtat nunc, vt nonnihil dicamus de vſu huius dulciſsimæ doctrinę prædeſtinationis & electionis, qui duplex ex Pauli Epiſtolis ad Rom. & Epheſios colligi poteſt. Ad Romanos ideo ſcribit Paulus de prædeſtinatione, vt ex cauſa, modo, & conditione prædeſtinationis concludat pręrogatiuam carnis & humana merita nequaquam eſſe cauſſam ſalutis. Euertit igitur Apoſtolus prærogatiuam carnis, & omnia humana merita tollit quo ſit locus miſericordiæ Dei in Chriſto Ieſu, & via pateat ſalutis omnibus qui in Chriſtum credere non recuſauerint. Ad Epheſios de hoc ipſo myſterio agit, vt oſtendat Euangeliũ Chriſti non eſſe nouam doctrinam ab Apoſtolis excogitatam, ſed ante mundum cõditum in pectore Dei fuiſſe reconditam, & ſuo tempore mundo patefactam.

XLVI.

Præter hunc duplicem vſum, quorum prior ad confirmationem gratuitæ iuſticiæ & vniuerſalis gratiæ pertinet, poſterior ad commendationé antiquitatis Euangelij refertur: Erit & hic vſus (quem Paulus attingit ad Rom. 8.) vt ſtatuant pij nullam crucem, nullam calamitatem, nullam denique rem aliam poſſe impedire ſalutem credentium, quæ decreto Dei æterno nititur.

XLVII.

Hinc conſolatio ingens oritur in agone mortis, & ſumma & inenarrabilis lætitia naſcitur, adeo vt iam moriturus quaſi ouans dicat: in Domino confidit anima mea, nõ timebo, Chriſtus meus victor mortis eſt, in hoc ego triumphabo.

XLVIII.

Huc pertinet illud Dauidicum: Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum omnes qui ſperatis in Dominum. Cuſtodit enim Dominus omnes diligentes ſe.

XLIX.

Cæterum hic vſus confirmans nos in cruce & conſolãs in agone mortis tum demum locum habet, vbi nos ipſos in Chriſto eſſe ſenſerimus, & Chriſtum in nobis.

L.

Quare iuxta cõſilium Pauli inſtituenda eſt probatio noſtri qui in hunc modum ſcribit Corinthijs: Vos ipſos tentate an ſitis in fide, vos ipſos probate, an non cognoſcitis vos ipſos, quod Ieſus Chriſtus ſit in vobis?

LI.

Hæc Pauli verba certiſsimum probandi modum nobis præſcribunt, qui eſt tentare & explorare, an quis ſit in fide, an Chriſtus in ſe habitet: quæ ſane probatio aliunde proficiſci non poteſt quam ex effectibus ſpiritus Chriſti. Nam qui ſpiritu Chriſti ducuntur, hi ſunt eius. Qui autem ducuntur ſpiritu Chriſti cogitant, amant, proſequuntur quæ ſunt Chriſti, & nihil antiquiùs habent quam totam ſuam vitam Deo approbare. Hinc eſt in ſanctis pugna ſpiritus aduerſus carnem.

LII.

Huc & illud Pauli pertinet: Milita honeſtam militiam retinens fidem & bonã conſcientiam. Nam hæc certiſsima ſunt inhabitantis Chriſti teſtimonia. Vbi enim fides eſt, illic conſcientia purgata eſt à mortuis operibus. Quare & bona conſcientia & pium propoſitum fidei ſinceræ teſtimonia ſunt. Contra autem vbi contaminata eſt conſcientia, & vbi eſt propoſitum peccandi, ibi nulla prorſus fides eſt, niſi forte hypocritica quædam de fide gloriatio, quam vaniſsimam eſſe opera ipſa declarant, & Diuus Iacobus commonſtrat.

CAPVT II.

Summa Capitis Secundi.

DEVS non ſolum Iudæos mortuos peccatis ac filios iræ ex gratia per fidem, verumetiam gentes, quæ antea quidem erant extra familiam Dei, omni diſcrimine inter Iudæos & gentes ſublato, paceque facta inter vtroſque, cum Chriſto viuificauit, vt oſtenderet omnibus ſeculis inexhauſtam ſuam gratiam

erga

erga fideles, qui ſuper fundamento Apoſtolorum & Prophetarum extructi ſunt lapide angulari Chriſto. breuius autem ſic: Gentes & Iudæos peccatores recipit Deus in gratiam propter filium.

Ordo Capitis Secundi.

Principium huius capitis aptiſſime cum fine præcedentis cohæret. Siquidem accommodat Apoſtolus hic doctrinam vniuerſalem ad gentes & Iudæos, id eſt, transfert theſin ad hypotheſes. Repetit enim in hoc capite particulariter quod generatim in primo traditum eſt: alia tamen orationis forma illuſtrandi & exaggerandi cauſſa Inſtituit autem comparationem duplicis ſtatus hominis. Prioris, videlicet, ante gratiam, & poſteriorũ ſub gratia. Ante gratiam homines mortui ſunt in delictis & peccatis. Sub gratia viuificantur cum Chriſto per fidem. Hanc comparationem primum, vt in propoſitione vtriſq; accommodat. Deinde ſeorſim eam cum Iudæis tum Epheſijs applicat: ſubiungens breuem quendam Aphoriſmum in quo ſummam ſalutis exponit. Tum latius gentibus eandem comparationem ſub nomine Epheſiorum accommodat: exponens quomodo gentiles, qui antea erant extra Rempub. Dei, nunc ſint conciues ſanctorum & domeſtici Dei, idq; per crucem Chriſti, cuius virtus per prædicationem Euangelij hominibus innoteſcit. His tandem concluſionem ſubijcit cum amplificatione. Hæc omnia eo pertinent, vt Epheſij pro dignitate reputent gratiam Euangelij, cuius ſunt facti participes, ne ab ea temere deficiant rurſus.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

ET vos cum eratis mortui delictis & peccatis, in quibus ambulaſtis ſecundum ſeculum mũdi huius, ſecundum principem poteſtatis aëris ſpiritus, qui nunc operatur in filijs incredulitatis.

Tametſi conſtructio huius orationis hyperbatis turbata eſt: Rerum tamen nulla eſt confuſio. Vt autem oratio ſit plena ſubiectũ cum ſuo verbo ex ſequentibus petendum eſt hoc modo: Et vos, ſcilicet, Deus pater, vna viuificauit, cum Chriſto, cum eratis mortui delictis. Iam ſententiam expendamus. In fine ſuperioris capitis Chriſtum caput Eccleſiæ affirmat Apoſtolus, hic autem Epheſios Chriſto capiti ſubijcit, vt vere æſtiment ad quantam dignitatem & gloriam ſint per Euangeliũ vocati. Vt autem magis dulceſcat ipſis Epheſijs hoc ingens beneficium, collationem duplicis ſtatus Iudæis & Epheſijs, id eſt, gentibus communis proponit. Prior ſtatus eſt vtrorumq; ante conuerſionem: Poſterior poſt conuerſionem. Ante cõuerſionem pronunciat Paulus vtroſque fuiſſe mortuos delictis & peccatis. Poſt cõuerſionem autem à peccatorum reatu abſolutos eſſe & viuificatos cum Chriſto. Per delicta peccatorum quaſi primordia, per peccata peccandi conſuetudinem intellige. Quod autem mortui fuerint Epheſij delictis & peccatis ante conuerſionem, confirmat duobus argumentis. Remittit enim ipſos cum ad experientiam, tum ad cauſſam & principem omnis mali. Experientia ipſi ignorare haud potuerunt quam fuerint contaminati, more totius mundi, demerſi in peccatorum abyſſum. Nam per ſeculum mundi huius ſignificat morem & imitationem mundi, qui non niſi peccatis delectatur.

Mortui delictis & peccatis non dicuntur hoc loco quibus peccatum extinctum eſt, ſed quos peccatum mortificauit & occidit, vt reos coram tribunali Dei. Loquitur autem Apoſtolus de ſpirituali morte, quæ eſt ſeparatio ſpiritus Dei & gratiæ ab homine. Vnde & mors illa quam primam vocant, videlicet, migrationem animę de corpore, & ſecunda quæ æterna mors dicitur, venit. Iam quid doctrinæ miniſtret nobis hic locus videamus. Primum itaq; hinc diſcimus homines extra gratiam cõſtitutos nihil quam peccare poſſe in omnib. actionibus ſuis. Deinde Satanam plenum obtinere imperium in filijs diffidentiæ, id eſt, in non credentibus Euangelio. Tum vitam eſſe teſtimonium, cuius ſpiritu agatur homo, Dei ne an Satanæ. Præterea, credentes in Chriſtum liberari à tyrannide Diaboli, vt non poſſit eos pro ſua libidine quæuis flagitia impellere. Cauſæ peccatorum duæ hic notantur, ſeculum mundi & princeps aëris, ſed de his paulo poſt dicam, vbi & alias cauſſas ex Pauli verbis adiungam, vt omnes peccatorum cauſas in incredulis vno loco habeamus notatas, quo diligentius caueri poſſint.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Inter quos & nos omnes conuerſati ſumus aliquando in concupiſcentijs carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ ſicut & cæteri.

Communicatio eſt, quæ eo pertinet, vt Epheſij exemplum intuentes Iudæorum bene ſperent. Nam cum Apoſtolus pronunciat Iudæos non minus fuiſſe addictos cōcupiſcentijs carnis,& feciſſe voluntates cogitationum prauarum, vnde filij iræ conſimili naturæ vitioſitate qua reliqui fuerunt, quam Epheſios aut alios gentes,& tamen affirmat eos in gratiam receptos eſſe, ſpem bonam Epheſijs facit, vt & ipſi bonitate Dei in gratiam recipiantur & ſaluentur. HINC diſcamus vſum exemplorum, quæ nobis ſcriptura commendat. Hæc enim, vt breuiter dicam, præter doctrinam, nobis iudicium Dei & miſericordiam proponunt, vt nos de vtroque exemplis propoſitis erudiamur.

Concupiſcentia carnis, eſt, quæ oritur ex vicioſitate carnis, hoc eſt, peccati originis. Nam hic carnis nomen totum hominem non renatum ſignificat. Huic carni ineſt cōcupiſcentia, qua homo impellitur ad ea facienda, quæ carni & prauis cogitationibus libent. Videtur autē Apoſtolus hic duas partes vitioſæ & corruptæ naturæ facere, nempe, carnem & τὴν διάνοιαν. Illa ſignificatur ea animi pars, quam Philoſophi ἄλογον nominant. Hac quam illi λογικὸν vocāt. Ex quo fit, quod homo totus ante regenerationis gratiam ſit natura, hoc eſt, non conſuetudine & imitatione, ſed naſcendi neceſsitate poſt lapſum primorū parentum, filius iræ, hoc eſt, irati Dei iudicio reus æternæ mortis. Accipitur enim paſsiue filius iræ, non actiue. Non enim filius iræ hic dicitur qui iraſcitur, ſed qui irā patitur & pœnæ deſtinatur. Supra autem filius contumaciæ actiue capitur, ſignificat enim contumacē & reluctantem verbo & voluntati Dei. Quare notandum eſt, quod vocabulum filius cum genitiuis appellatiuorū nunc ſignificet actiue, hoc eſt, hominem addictum ei rei, quæ caſu genitiuo exprimitur. Nunc paſsiue, hoc eſt, hominem deuotum atq; obnoxiū, quaſi ad eam rem quæ genitiuo caſu exprimitur effictum. Hoc loco primū obſeruemus, quam ſit miſera noſtra conditio ſine Chriſto. Nam pro libidine carnis in quoduis flagitium ferimur, & rei peragimur coram tribunali Dei, vt digni ira & æterna morte. Hæc cogitatio noſtræ conditionis admoneat nos, quam ſit ſuauis Dominus & dulce eloquiū eius, qui ex gratia ſua nos ex iſtis malis liberat, & in ſuum glorioſum regnū transfert. Deinde ex hac & ſuperiori pericopa peccatorum in mundo graſſantium cauſſas colligamus, ſeruantes ordinem conſecutionis earum. Sunt autem hæ ſex cauſſæ graſſantium in mundo ſcelerum, à Paulo ſignatæ.

PRIMA eſt caro ipſa. Sumitur autem carnis vocabulum varie in ſcripturis. Interdum enim proprie, interdū figurate capitur. Cum proprie accipitur ſignificat ſubſtantiā carneām præcipue animalium, vt cum Paulus dicit.1.Cor.15. Non omnis caro eadem caro, ſed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piſcium. Figurate autem, nunc per ſynecdochen, & hominē totū ſignificat, vt in illo Pauli, vt nō glorietur omnis caro, id eſt, homo & animal quoduis, vt in illo Gen.6. finis vniuerſæ carnis venit coram me: Nunc per Metaphoram, vt enim caro proprie ſignificat rem ſenſu perceptibilem & oculis ſubiectam: Ita metaphorice ſignificat externam rerum ſpeciem ſeu apparentiā, vt in illo: Vos iudicatis ſecundum carnem: Nunc per metalepſin. Nā quia caro eſt mollis, interdum pro molli ponitur & opponitur duriciæ, vt in illo: Auferam cor lapidis de carne eorū, & dabo illis cor carnis, id eſt, molle non repugnans Deo, ſed credens verbo Dei: Nunc per metonymiam pro adiuncto hominis ponitur, idq; varie, interdū pro iudicio rationis accipitur, vt in illo: Caro & ſanguis tibi non reuelauit, hoc eſt, iudicio rationis non intelligis me filiū Dei eſſe, & verum Meſsiam, Interdum pro corruptæ naturæ vitio, id eſt, pro peccato originis, vt paſsim apud Paulum φρόνημα carnis mors eſt. Item, ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Et in illo Domini dicto: Quód natum eſt ex carne, caro eſt. Atq; hac demum ſignificatione accipitur carnis vocabulum, quando eam primam cauſſam graſſantiū inter homines peccatorum facimus. Huic opponitur ſpiritus renatorum, hoc eſt, motus quem excitat Spiritus ſanctus in cordibus credentium, qui eſt prima cauſſa piarum actionum in hominibus.

SECVNDA cauſſa peccatorum graſſantium eſt concupiſcentia carnis, qua videlicet caro ſeu peccatū originis efficax eſt ad producendos peſsimos fructus, huius concupiſcentiæ vim omnes mortales in ſe experiuntur. Huic opponitur ex aduerſo concupiſcentia ſpiritus, qui in pijs tantum & conuerſis locum habet, & eſt ſecunda cauſſa piarum actionum in ſanctis.

TERTIA cauſſa peccatorū & delictorum eſt, cogitatio, ſeu vt Paulus loquitur διάνοια, videlicet, cum cogitatio excitata à concupiſcentia ratiocinari & diſputare incipit, de rebus illis ad quas concupiſcentia mouet. Huic opponitur διάνοια ſpiritus.

Quarta

QVARTA cauſſa, ſcelerum & flagitiorum eſt, voluntas carnis & cogitationum, vt Paulus loquitur. Etſi autem voluntas interdum carnis ratiocinationi reclamat, tamen in non renatis ſæpiſsime impetu quodam carnis abripitur, nõ ſecus atq; nauicula ab aduerſis vndis renitente nauta ꝓpellitur. Huc illud Medeę: Laudo meliora proboq;, deteriora ſequor. Huic voluntati carnis & cogitationum opponitur voluntas ſpiritus, quæ imperat cõtraria carni, atque hæc quarta cauſſa eſt piarum actionum in conuerſis.

QVINTA cauſſa peccatorum eſt, vt Paulus loquitur, αἰῶν τοῦ κόσμου τούτου, ſeculum mundi huius, id eſt, mundi peruerſi mores, infinita ſcandala & omnium ſcelerum innumerabilia exempla. Hæc mala mundi conſuetudo, iniquitatis quoddam pabulum eſt, quo multi etiam inter eos qui decreuerunt Deũ timere, veluti ſaginati ferociunt & contra Deũ feruntur. Hinc peſsimi parentũ mores, peſsima natorũ educatio. Nam dum homines multitudinem peccantiũ intuentur, excuſant ſe exemplo, ſicuti illi fecerũt, qui cõtemto ſancto Noë tandẽ in diluuio iuſtas ſuæ inobœdientiæ pœnas luerunt. Huic peruerſo mundo opponantur cum caſtiſsimorũ ſpirituum in cœlo, tum ſanctorũ exempla qui nihil duxerunt in vita iucundius, nihil antiquius, & nihil melius, quam ex fide Deo obœdientiam præſtare.

SEXTA cauſſa graſſantium in mundo ſcelerum, eſt Princeps aëris, hoc eſt, Diabolus. Hic enim vt habet hiſtoria de Iuda, intrat in corda hominum, atq; eos ad varia flagitia impellit ne ſaluentur. Huic opponatur ex aduerſo princeps Eccleſiæ Ieſus Chriſtus, qui petentibus dat ſpiritum ſanctum ſuum. Atq; hic primus autor & cauſſa cauſſarum omnium piarum actionum in conuerſis, exiſtit.

Hactenus quæ ſint peccatorũ & ſcelerum graſſantium cauſſæ expoſuimus, contra quas vnum & Catholicon remedium eſt fides in IESVM CHRISTVM. Hæc eſt victoria quæ vincit mudũ fides veſtra, hac continentur cauſſæ bonarum actionum quas enumeraui: hac poſsidetur Chriſtus victor regni tenebrarũ: hac regeneramur in nouos homines: hac obtinemus ſpiritũ nouum quo reſiſtimus carni: hac deniq; totũ peccati corpus mortificamus.

Deus autem qui diues eſt miſericordia, propter multam dilectionem ſuam qua nos dilexit etiam cum eſſemus mortui delictis, vna cum Chriſto viuificauit (gratia eſtis ſaluati) & ſimul ſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu, vt demonſtraret in ſeculis ſuperuenientibus exuberantes diuitias gratiæ ſuæ, in benignitate erga nos in Chriſto Ieſu.

Amplificatio eſt & antitheſis ſuperioris ſententiæ, qua exponitur ſtatus communis Iudæorum & gentiliũ ſub gratia. Antea quidẽ ſeorſim de vtriſque eſt locutus Apoſtolus, nũc vtroſque complectitur, vt oſtendat vtrorumque conditionem æqualem eſſe. Summa ſententiæ eſt: Deus vt Iudæos ita & gentiles ex mera gratia gloriæ cœleſtis fecit participes. Verum vt Apoſtolus orationem copioſiorem redderet, eam ſuo more ex loco cauſſarũ & effectuum amplificauit & exornauit, repetens eadem, quæ de hoc myſterio in primo capite expoſuit. Primo enim loco principale προηγούμενον, ſeu primitiuam reparationis noſtri cauſſam, videlicet ipſam Dei miſericordiam qua nos ipſe in Chriſto dilexit, ponit. Deinde triplicis fructus huius miſericordiæ meminit, nempe, vitæ, reſurrectionis & gloriæ cœleſtis in Chriſto. Chriſti enim vita, reſurrectio & ſeſsio in cœleſtibus, certum argumentũ, pignus & meritum eſt noſtræ vitæ, reſurrectionis & cœleſtis gloriæ. Nam cum ſumus Chriſti membra, eiuſdem felicitatis & gloriæ cum capite erimus participes. Et vt medium, per quod hęc tanta beneficia in nos deriuãtur facit Chriſtum Ieſum: ita finem horum beneficiorũ nobis exhibitorum ſtatuit demonſtrationem gratiæ Dei erga homines. Neq; hæc temporalis eſt bonitatis Dei declaratio, ſed perpetui fauoris Dei ineffabile iudiciũ. Nam quod ſemel per Chriſtum factum eſt, id perpetuo manet bonitatis Dei erga nos argumentum. Quod autem in parentheſi interpoſitum eſt (Gratia eſtis ſaluati) breuiſsima quidem oratio eſt, ſed beneficij totius nobis per Chriſtum collati & ſummam & cauſſam continet: beneficium ipſum eſt ſalus, cauſſa eſt gratia, hoc eſt, fauor Dei qui in Chriſto fundatur & in nos deriuatur tanquam à capite in membra.

Hic rurſus commendatur nobis Catholica doctrina Eccleſiæ Dei, videlicet quod ſoli Deo propter Chriſtum aſſcribenda ſit noſtri redemtio: qua doctrina refellitur illorum vanitas, qui ſalutis noſtræ beneficium humanis aſſcribunt meritis & operibus, ſiue antecedentibus ſiue conſequentibus iuſtificationem, ſiue coniunctis cum iuſtificatione. Verum hæc doctrina in ſequenti pericopa copioſius traditur, & à cauſis proprijs, reiectis alienis amplificatur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Gratia ſaluati eſtis per fidem (& hoc non ex vobis, Dei donum eſt) non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in ijs ambularemus.

Hic Apoſtolus rem totam, de qua hactenus diſputatum eſt, veluti in vnum Aphoriſmum cogit, quo ſit in conſpectu, vtque circumſtantiæ, cauſſæq; vno loco comprehenſæ habeantur. Primo igitur loco ponit gratiam, qua nos ex mera miſericordia ꝓpter Chriſtū qui eſt ſalutis noſtræ materia, recipit. Huius effectum, ſalutem, hoc eſt, iuſtificationem & glorificationem noſtri facit. Inſtrumentum addit recipiens, videlicet fidem. Fide enim promiſsioné ſalutis, quam offert Euangelium, accipimus: Verum quia Pſeudoapoſtoli hoſtes gratię magna ex parte tribuerunt operibus hominū beneficium ſalutis, eos refutat ſumto argumento à contraria cauſa. Salus, inquit, eſt donum Dei, ergo non ex operibus. Repugnant enim hæc duo, habere aliquid gratuito dono, & illud ipſum obtinere operū meritis. hoc in Romanis aſſeritur hiſce verbis: Si ex gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia non eſt gratia, Si ex operibus iam non ex gratia, alioqui opera non ſunt opera. Quotieſcunque igitur ſalus noſtra dicitur, vel donum Dei eſſe, vel eſſe ex gratia, vel obtineri fide, vel contingere ſine operibus, euertitur omne meritū in ſalutis noſtræ negocio. CVR auté ſalus non ſit ex operibus rationem reddit hiſce verbis: Ne quis glorietur: Huc illud ad Romanos: Vbi ergo gloriatio? excluſa eſt. Per quam legem? operum? non, ſed per legem fidei. Quod enim fide obtinetur omnino gratuitum eſt, & iccirco excludit omnem gloriationem. contrà quod conſequimur noſtra induſtria & operibus materia gloriationis eſt. PORRO quia carnales audientes beneficiū ſalutis eſſe gratuitū, & contingere ſine operibus, id eſt, ſine merito operū, hoc arripiunt & inde ſumunt peccandi licentiam, Apoſtolus oportune illis occurtit, & finé ſalutis proximum quem ſubinde in primo capite inculcauit, apponit, qui eſt, ſanctificatio noſtri. Ipſius enim, ſumus factura creati in Chriſto Ieſu ad opera bona quæ præparauit Deus, vt in ijs ambularemus. Particula, enim, ſæpe in anthypophora adhibetur ita, vt cauſſalis quidem ſit, ſed ſuperioris tamen orationis cauſſam non reddat, verum potius reſponſionis tacitæ ad obiectioné aduerſariorum. Nam cum Paulus dicat ſalutem ſine operibus contingere, poſſit aliquis obijcere: Si ſine bonis operibus ſalutem conſequimur, ergo bona opera non ſunt facienda. Reſpondit Apoſtolus id nequaquam ſequi. Nam creati ſumus in Chriſto Ieſu ad bona opera. Atq; ita particula, enim, rationem habet refutationis aduerſariorum, quorum obiectioni hoc loco occurrit Apoſtolus. Hæc obſeruatio vſus particulæ, enim, in anthypophoris vtilis eſt, vt rectè intelligatur quorſum cauſſalis particula pertineat.

Hactenus de ſententia huius aphoriſmi, iam hypotheſes quæ in eo ſunt ordine recenſeamus. Prima, Sola gratuita bonitas Dei cauſſa eſt ſalutis noſtræ. Secunda, Sola fide ſalutis gratuitæ reddimur participes. Tertia, Opera humana nec cauſſæ, nec merita, nec pars ſalutis noſtræ ſunt. Quarta, bona opera coniuncta ſunt cum fide, vt neceſſarium & inſeparabile accidens. Quinta, Omnis humana gloriatio in negocio ſalutis excluditur. Sexta, Regeneratio in Chriſto cauſſa eſt bonorum operum. Hæ ſex hypotheſes in verbis ſunt huius breuis pericopæ, quę continent præcipua capita Chriſtianæ doctrinæ, & confutant multos tetros errores. Primum enim hic refutantur qui iuſticiam & ſaluté fide & operibus ſimul ſtare tanquam ex partibus, volunt. Nam hic Paulus manifeſte excludit opera, & ponit fidem non vt partem, ſeu cauſſam ſalutis, ſed vt inſtrumentum tantum. Deinde & illi hoc Pauli dicto refelluntur, qui dum fide ſola nobiſcū fatentur homines iuſtificari, excludunt opera, nō tantum vt cauſſas & merita, ſed etiam tanquá neceſſaria conſequentia, ac ſi bona opera in iuſtificatis & ſaluté gratis adeptis neceſſario non requirerentur. Contra quos Paulus hic aperte docet, qui requirit opera tanquam neceſſarium conſequens ſalutis, & vt neceſſarium & inſeparabile regenerationis accidens. Nō ſunt ergo bona opera cauſſa regnandi (vt inquit Bernardus) ſed via regni. Euertuntur præterea hoc Pauli dicto opera præparantia, vt vocant, ad iuſtificationem. Nam ſi opera noſtra requirerentur, vt pręparamenta, nequaquam Paulus dixiſſet, abſque operibus. Teneamus igitur conſtanter hoc Apoſtoli dictum quo & erudimur de vera ſalute, & munimur aduerſus errores Papiſticos & Pharisaicos, & monemur officij noſtri, qui gratis ſalutem per Chriſtum adepti ſumus.

Quamobrem memores eſtote quod vos aliquando gentes in carne qui dicebamini præputium ab ea quæ vocatur circum

Altera collationis pars, videlicet ſtatus gentilium ante gratiam & ſub gratia, quæ collationis pars nō reuera, ſed modo tantum à priori differt,

cisio

ciſio in carne manu facta, eo quod illo tempore eratis abſque Chriſto, alienati à Republica Iſraëlis, & hoſpites teſtamentorum promiſsionis, ſpem non habentes, & ſine Deo in mundo. Nunc autem in Chriſto Ieſu qui quondam eratis procul, facti eſtis prope in ſanguine Chriſto.

qui modus in circumſtantijs eſt ſitus. Dicit autem duabus circumſtantijs à populo Dei gentes diſcrepaſſe, Primum ſigno: Deinde gratia. Signo quidem, quod vt gentes erant præputiatæ in teſtimonium ſuæ pollutionis: Ita Iudæi circumciſionem promiſsionis habebant. Gratia vero, quod vt gentes erant ſine Chriſto (qui vnica ſalutis via eſt) errant extra Rempub. Iſraëlis (id eſt, populi Dei) erant hoſpites teſtimoniorum promiſsionis, (hoc eſt, erant ſine teſtamentis, quibus Deus ſe populo ſuo obſtrinxerat.) Erant abſq; ſpe & ἄθεοι (hoc eſt, plane ſine cultu Dei homines in mundo) Ita Iudæi hæc omnia ex gratia habuerunt. habebant enim promiſsionem Meſsiæ, erant in Republica Iſraelis, erant teſtamentorum promiſsionis hæredes, habebant ſalutis ſpem & Deum agnouerunt. HVC addit antitheſin, docens quod gentiles iam per ſanguinem Chriſti ſint reconciliati Deo & aſciti in Rempub. & familiā Dei per Ieſum Chriſtum. Vos, inquit, qui quondam eratis procul, ſcilicet à gratia, Iam eſtis prope, ſcilicet, mediante ſanguine Chriſti. Hæc omnia eo pertinent, vt deprimat ſupercilium Epheſiorum, vtq; eos excitet in tanti theſauri admirationem ne ingrati Deo relabantur in priſtinam ſuperſtitionem, hoc eſt, ne obliti beneficiorum Chriſti ab Euangelio deficiant, decepti Satanæ & mundi præſtigijs. Atque hæc rerum ſumma eſt. Nunc particulatim circumſtantias textus quæ explicatione & admonitione indigent, videamus. Primū iubet Epheſios eſſe memores, idq; ideo, quia facile prioris ſtatus obliuiſcuntur homines à gradu inferiori ad ſuperiorem euecti. Vult igitur Paulus hac admonitione humiliare Epheſios, & admonere eos cum conſtantiæ & perſeuerantiæ, tum gratiarum actionis, vt Deo debitam pro tantis ſibi gratuita bonitate collatis beneficijs gratitudinem præſtent.

Hinc & nos hodie admoneamur, vt qui à tenebris Papiſticis ad claram Euangelij lucem mera bonitate Dei euocati ſimus, digne tāta viuamus gratia, & ne noſtris ſceleribus prouocemus iram Dei, vt iuſte à nobis ingratis auferat, quod ex gratia indignis donauit. Peſsima ingratitudo eſt qua homines hominibus pro beneficijs non reddunt gratiam. Sed infinite peior & abominabilior eſt, qua ingrati ſumus Deo, qui filiū ſuum pro nobis mori voluit, vt nos viueremus. Deinde cum dicit Apoſtolus gentes in carne appellatas præputium à circumciſione manu facta, duo ſignificat: Primum quod gētes probroſo nomine præputium dicebantur à Iudæis, qui de externa illa nota in cute plus iuſto gloriabātur, huius gloriationis exemplū habetur Gen. 34. Non poſſumus (dicunt filij Iacob) ſororem noſtram dare viro qui habet præputium, 1. Regum 17. Dauid plenus ſpiritu Dei in hunc modum de Goliath loquitur, Et quid iſte Philiſtæus incircumciſus, qui contumelijs afficit aciem Dei viuentis. Tertio Paulus hoc loco duplices Iudæos & duplices gentes facit. Nam Iudæorum quidam erant carne & ſpiritu circumciſi, vt Moſes, Aaron, Ioſue, Phinees, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Dauid, Ioſias, Daniel, Simeon, Nathanael &c. breuiter omnes qui carnis externam circumciſionem habebant cum cordis fiducia in Meſsiam promiſſum. Quidam carne tantum erant circumciſi, videlicet, qui externam notam habebant ſine ſpiritu, quales fuerunt plerique Iudæorum, præſertim tempore aduentus Domini. illi filij promiſsionis, hi carnis nominantur ab Apoſtolo. Ad eundem modum duplices gentiles facit Apoſtolus. Quidam erant tantum in carne gentiles, habentes præputiū, notam gentiliſmi: Sed ſpiritu circumciſi fuerunt, videlicet, qui præputium carnis habuerunt cum viua fiducia in gratuitam ſalutis promiſsionem. In horum numero fuerunt, Iob, Melchiſedech, Iethro, Magi & omnes qui in Meſsiā vere credebant. Quidam & carne & ſpiritu erant gentiles, videlicet, qui carnis nota cordis præputium & pollutionem declarabant.

Cæterum quod addit. Eratis ſine Chriſto, eratis abalienati à Repub. Iſraelis, & extranei à teſtamentis promiſsionis, per comparationem intelligendum eſt. Nam gentes dicuntur ſine Chriſto reſpectu populi Iſraelitici & certi temporis. Fuiſſe autem ſine Chriſto, ſignificat gentes non habuiſſe Chriſti noticiam, tam clarum atq; Iudæi habuerunt, & abalienatas à Repub. Iſraelis & hoſpites, id eſt, extraneos à teſtamentis promiſsionis fuiſſe, ſignificat Iſraelitas habuiſſe ſuam Rempub. diſtinctam à gentibus, ſicut familia vna ab altera diſtincta eſt. Habebant enim Iudæi ſua teſtaméta, conſtitutiones, oracula, promiſsiones, regnum & ſacerdotium, de quibus Paulus ad. 9. De hoc diſcrimine loquitur etiam Pſalmus 147. Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſticias & iudicia Iſrael. non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua manifeſtauit illis.

Quæ ſequuntur: ſpem non habentes, & ἄθεοι in mundo, ex ſuperioribus concluduntur. Qui enim eſt ſine Chriſto, quomodo ſpem habere poteſt? qui Chriſto caret vere ἄθεος eſt. Omnis enim qui non manet in doctrina Chriſti Deum non habet. Contra ſolus is Deum habere dicitur, qui in Chriſto eſt per fidem. Huc illud Iohannis ex ſecunda Epiſtola: Omnis qui tranſgreditur & non manet in doctrina Chriſti, Deum non habet, qui manet in doctrina Chriſti, hic & patrem & filium habet.

Collatio quæ ſequitur: qui quondam eratis procul, prope facti eſtis in ſanguine Chriſti, ſignificat Epheſios, qui antea erant extra Eccleſiam, nunc per gratiam in Eccleſiam introductos eſſe, reconciliatos Deo per ſanguinem Ieſu Chriſti. Hæc omnia eo pertinent, ſicuti ſupra admonui, vt tantū beneficium gratiæ cœleſtis recolentes, in timore Dei ambulemus, memores quod hic noſter ſtatus requirat nouos mores, & nouā vitā, videlicet, vt iuſte, honeſte & pie viuamus in hoc mundo expectantes beatam illam ſpem & aduentū gloriȩ magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem, ſectatorem bonorū operum.

Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & interſtitium maceriæ ſoluens, inimicitiam in carne ſua legem mandatorū in decretis abolens, vt duos conderet in ſeipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliaret ambos in vno corpore per crucem inimicitiam in ipſa interimens.

Dictum eſt, gentiles qui quondam erant extra familiam Dei, iam in eam aſcitos eſſe per Chriſti ſanguinem: Nunc autem additur expolitio inſignis, qua quod ſummatim dictum erat, fuſius & luculentius exponitur. Declaratur enim modus reconciliationis vtriuſque populi, videlicet Iudæorum & gentium. Ac primum fundamentum reconciliationis ſtatuitur Chriſtus, cum inquit Apoſtolus: Ipſe eſt pax noſtra, hoc eſt, autor reconciliationis, qua ex gentibus & Iudæis vnus efficitur populus, hoc eſt, vna Eccleſia, quæ Dei familia peculiaris eſt. Deinde modus indicatur primum ſimilitudine. Deinde perſpicuis verbis. Similitudo eſt cum dicit, interſtitium maceriæ, hoc eſt, interpoſitum ſeptum dirutum eſſe. Hæc ſimilitudo in hunc modū explicanda eſt. Quemadmodū qui ex familijs duabus intergerino pariete diſtinctis vnā vult facere, is interſtitiū ſeu intergerinum parietem diruit, quo familiæ à ſe inuicem diſtinguebantur, vt vna fiat familia: Sic Deus ex populis, Iudæis & gentibus, volens vnum populum ſeu vnam Eccleſiam, ſeu vnā familiam facere, ſuſtulit maceriā, qua Iudæi à gentibus diſtinguebantur. Quodnam autem fuerit interſtitium ſeu medius paries inter Iudæos & gentes, hiſce perſpicuis verbis explicat: Inimicitiam in carne ſua legem mādatorum ſitā in decretis abolēs. Hic inimicitiam appellat per metonymiam cauſſam diſtinctionis Iudæorū & gētium, quam cauſſam definit legem mandatorum in decretis. Cum autem hanc cauſſam legē facit, intelligit non legem moralem, quæ perpetua eſt, ſed ceremonialem tantū, quæ futurorum vmbra fuit. Atque hoc eſt, quod dicit Apoſtolus, aboleuit inimicitiā, videlicet legem mandatorum, quæ in decretis, id eſt, ritibus poſita eſt. In carne, id eſt, carnis ſuæ victima. Huius abolitionis ſymbolū fuit, velum tēpli ſciſſum expirante Domino in ara crucis. Abolitionis huius finem addit cum inquit: Vt duos conderet in vnum hominē. Duos homines vocat metonymicos, duas nationes hominū, veluti diuerſas familias. Vnum hominē appellat Eccleſiam Chriſti, quæ eſt veluti vna familia, imo veluti vnus homo, cuius caput eſt Chriſtus: hunc hominem nouū appellat, reſpiciens ad morem mundi, quo noui homines dici ſolent, qui ex obſcuris nati nobilitate donātur. Nam nos ab Adam propagati obſcuro patre, dum in Chriſtum credimus, noui homines efficimur, & adoptamur in filios Dei, vt non amplius obſcuri patris Adam, ſed Dei filij cenſeamur & dicamur. Finem hunc repetit expreſſius, cum ait: Vt reconciliaret ambos in vno corpore Deo per crucem, id eſt, per victimam peractam in cruce. Crucis enim voce exprimitur modus peractæ victimæ, qua facta eſt reconciliatio duplex. Vna hominum cum Deo. Altera hominum, hoc eſt, Iudæorum & gentium inter ſe.

Hactenus de ſententia verborū Pauli. Iam hypotheſes quas hic locus ſuppeditat, videamus. PRIMA, Nullum inter Iudæos & gentes quantum ad gratiæ communionem attinet, diſcrimen eſt. Quare nemo ſuperbiat quia Iudæus eſt. Et nemo deſperet quia gentilis. Nulla enim amplius nationum prærogatiua apud Deum eſt. Non eſt Deus acceptor perſonarum, ſed in omni populo acceptus eſt illi qui timet ipſum, & operatur iuſticiam. Gratia communis omnib. eſt & offertur ſingulis. SECVNDA. Lex Moſaica abrogata eſt, quod adri-

ad ritus externos attinet, vt nemo cogatur illam recipere, imo qui illã recipit negat Chriſtum,& crucis Chriſti virtutem contemnit. TERTIA. Mors Chriſti eſt reconciliatio hominis cum Deo, in qua reconciliatione noui naſcimur homines, atque adeo corpori Chriſti, vt membra inſerimur. QVARTA. Sine cruce Chriſti nulla nobis pax cum Deo conſtare poteſt. QVINTA. Vt in Chriſto pacem habemus cum Deo: ita in eodem par eſt, vt & nos conueniamus paci mutuæ ſtudentes, quod ſane fieri nequit ſine ſpiritu Chriſti & fide in ipſum. Nam per fidem corpori Chriſti inſerimur, vt omnes qui in Chriſtum credimus Chriſti ſimus membra. Quare par eſt, vt nos mutuo foueamus, tanquam eiuſdem corporis membra.

Et veniens Euangelizauit pacem vobis qui eratis procul & ijs qui prope erant. Quoniam per ipſum habemus acceſſum vtrique in vno ſpiritu ad patrem.

Materia reconciliationis Iudæorum & gẽtium explicata, cauſſam inſtrumentalẽ aggreditur, quæ eſt Euangelij prædicatio. Deus enim ſuum Euangelium non ſolum organum ſalutis, verumetiam ſuæ beneuolentiæ teſtimonium eſſe vult. Ex quo fit, quod Euangeliũ ſit nobis certiſsimus pacis inter nos & Deum nuncius. quam ob cauſſam Euangeliũ, 2. Corinth. cap. 5. Sermo reconciliationis dicitur. Diſtributio ſequens, qua dicitur Chriſtus veniſſe & prædicaſſe remotis & propinquis, id eſt, Iudęis & gentibus, ſignificat Chriſtum ſuos Apoſtolos miſiſſe ad prædicandũ promiſcue omnibus Euangeliũ pacis, iuxta illud: Ite in mundum vniuerſum & prædicate Euangelium omni creaturæ. Additur, Pacis cum Deo initæ fructus, qui eſt quod vtrique, id eſt, gentes & Iudæi acceſſum habent ad patrem per Chriſtũ, idq; in vno ſpiritu, id eſt, per eundem Chriſti ſpiritum per quem clamamus, abba pater. Eſt igitur Chriſtus inſtar ianuæ per quem ad patrem reconciliatum accedimus cum fiducia. Spiritus autẽ ſanctus eſt dux noſter, per quem coniuncti & vniti in Chriſto vtrique ad ianuam progreſsi, ingredimur: Huc illud Iohan. 10. Amen amen dico vobis, qui non ingreditur per ianuam in ſtabulũ ouium, ſed aliunde aſcendit, ille fur eſt & latro. Et paulo poſt. Ego ſum ianua ouium.

Obſeruentur præterea hic duo loci. Vnus, quo in loco habendi ſint miniſtri Euangelij, qui cum ſonant vocem Euangelij Chriſtus ipſe dicitur Euangelizare. Quare non aliter accipienda eſt illorũ vox, quam ſi Chriſtum ipſum audiremus loquentem. Huc pertinet illud Pauli, 2. Corinth. 5. Nomine Chriſti legatione fungimur, velut Deo exhortãte per nos oramus Chriſti nomine, reconciliemini Deo. Alter eſt de fructu Euangelij, videlicet quod credentes Euangelio ſint Deo reconciliati per Chriſtũ, per quem acceſſum habent ad Deum, Roma. 5. Iuſtificati fide pacem habemus cum Deo per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, per quem acceſſum habemus. Contra autem, qui Chriſtum non habet, hoc eſt, qui in Chriſtum non credit adhuc expers eſt fructus Euangelij. Quare impius & hoſtis Dei cenſendus.

Ergo non amplius eſtis hoſpites & aduenę, ſed conciues factorum & domeſtici Dei, ſuperædificati in fundamẽto Apoſtolorum & Prophetarum, cuius ſummus lapis angularis eſt ipſe Ieſus Chriſtus.

Totius capitis generalis concluſio eſt, in qua repetit potiſsima membra. Primum enim quales ante regenerationis gratiá fuerint Epheſij, adeoq; reliqui gentiles omnes, indicat. Deinde quid ex gratia adepti ſint, oſtẽdit. Antea quidem erant hoſpites & aduenæ, id eſt extra familiam Dei, ſicuti ſupra declaratum eſt. Nunc vero per gratiam donati communi ciuitate cum omnib. ſanctis Dei in familiam Dei recepti, propterea quod ſint ſuperædificati ſuper ſundamento Prophetarum & Apoſtolorum, hoc eſt, quod ſint recepti in gratiam fide, qua in Chriſtum tanquam vnicum fundamentum incumbunt. Nemo enim aliud fundamentum poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt. quod eſt Ieſus Chriſtus.

Dicitur autem Ieſus Chriſtus fundamentũ, tum quia promiſsio ſalutis per ipſum facta eſt, tũ quia ſolus Chriſtus Eccleſiæ ſalus eſt, in quem ipſa recumbit. Sine enim Chriſto concidit & corruit ædificiũ Eccleſiæ, imo ne inchoari poteſt. Apoſtolorum & Prophetarum dicitur fundamentum, nõ ſolum quia Apoſtoli eo fundamento nixi ſalutem adepti ſunt, verumetiam, idq; multo magis doctrinæ reſpectu, Nam Apoſtoli Eccleſiá in hoc fundamẽto ædificarunt. PORRO cum addit Apoſtolus: cuius ſummus lapis angularis eſt ipſe Chriſtus: docet qua vi quaq; virtute ædificium Eccleſiæ ex duobus populis Iudæis & gentibus collectæ, cohæreat, nempe ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto. Quemadmodũ enim angularis lapis parietes coniungit & totum ædificiũ geſtat & cõſeruat: ita Chriſtus Domi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nus doctrina fidei, & efficacia ſpiritus gentes & Iudæos, in vnitatem fidei & pacis coniungit, atq; adeo hanc ſpiritualem ſtructuram ipſe geſtat & conſeruat. Hæc ſimilitudo deſumta eſt ex 28. Iſaiæ, cuius verba hæc ſunt: Ecce ego ponam in Syon lapidem, lapidem probationis, angulum precioſum, fundamentum ſolidum, qui credit non feſtinabit, ſcilicet ad ſua conſilia, ſed expectet Dei conſilium, quod ſi fecerit nequaquam pudefiet. Hanc propheticam ſententiam Petrus paululum mutatis verbis recitat. Ita enim ait: Ecce ponam in Syon lapidem angularem, electum, precioſum, qui credit in ipſo non pudefiet. Fit & mentio huius lapidis in Pſalmo 118. hiſce verbis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Cæterum ex verbis Pauli has colligamus hypotheſes.

PRIMA. Ex gentibus & Iudæis vna Chriſti Eccleſia colligitur, ſicut iam aliquoties dictum eſt. SECVNDA. Solus Chriſtus fundamentum Eccleſiæ eſt. TERTIA. Qui extra Chriſtum eſt, eſt etiam extra Eccleſiam. QVARTA. Apoſtolica & Prophetica doctrina ſola in Eccleſia Dei autoritatem habere debet, & ſola nota eſt veræ Eccleſiæ. QVINTA. Solus Chriſtus Eccleſiam & geſtat, & continet & conſeruat. SEXTA. Eccleſia non eſt extra miniſterium illud, quod prædicat hunc lapidem angularem, quem Paulus nobis cōmendat. Hæ hypotheſes euertunt plurimos Papiſtarum errores, & præſertim eorum qui volunt homines niti humanis præſidijs & meritis, & qui in locum Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ ſubſtituunt humanas traditiones. Sit ergo Papatus omnibus pijs anathema, quod fugere omnes pios oportet, ne & ipſi polluantur & polluti abijciantur rurſus à Deo.

In quo totum ædificium congruenter coagmentatū creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos vna ædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu.

Amplificat Apoſtolus concluſionem trāſlatione hypotheſis ad theſin & exhortatione. Dixerat Epheſios ſuperſtructos in fundamento Apoſtolorum & Prophetarum, iam hoc in genere omnib. fidelibus accommodat.

Teſtatur enim totum ædificium, hoc eſt, totam Eccleſiam catholicam, adeoq; omnia eius membra in hoc vno angulari lapide extructa creſcere in templū ſanctum, hoc eſt, vt totum ędificiū ſit vnum ſanctum templum, idq; in Domino, vt vnico huius templi fundamento.

Vtitur autem Paulus hoc loco voce admodum ſignificante, nempe συναρμολογουμένη, qua voce ſignificatur quod ædificiū Eccleſiæ ita conſtructum ſit, vt apta proportione iuſta harmonia & debitis iuncturis partes ſingulæ inter ſe coagmentatæ ita ſint, vt firmiter cohæreant ſuis iuncturis, vt membra corporis iungūtur. Fit autem hæc iuncturarū copulatio hoc modo. Primū omnes fideles Chriſto capiti fide adhærent, & eo tanquam vnico fundamento nituntur. Deinde inter ſe quoq; cohæreſcunt, pro menſura fidei cuiuſq;, pro donorum varietate, vt vnum corpus conſtituant & vnum templum Dei ſanctum efficiant, cuius templi ſinguli fideles lapides viui ſunt, ſumma inter ſe concinnitate compoſiti, ita vt nulla in mundo hominum ſocietas maiore vel beneuolentia vel charitate ſit inter ſe deuincta.

Porro cum ſiue Eccleſiam totam, ſiue ſingula eius membra templum Dei ſanctū vocari audimus, hæc ordine cogitemus. Primum quod Eccleſia ſit ædificium Dei. Deinde quod Deus in templo ſuo habitet, quod gloriæ ipſius deſtinatum eſt. Tertio quod vt maximum ſcelus ſit hoc templū vlla impuritate contaminare: ita deceat pios omnes modis omnib. in hoc incūbere, vt ſanctitati & innocentiæ vitæ ſtudeant, ne ſua culpa cōmittant, vt Architectus ipſos tanquam putridos lapides & inutiles abijciat. Vtinā hæc cogitarent ſerio qui vel priuatis flagitijs ſe contaminant, vel Eccleſiæ vnionē d[illegible]ertationibus inutilibus ſcindunt. Hic ratio obſeruetur cur nunc tota Eccleſia Dei vnum templum dicatur, & cur ſinguli credentes etiā templa Dei viua appellentur. Tota Eccleſia ideo dicitur templū Dei, cum quia ſuper vno fundamēto extructa eſt, tū quia vnitate fidei & charitate coniuncti ſunt omnes fideles Deum in ſe habitantem habent, quem colunt. Singuli Chriſtiani ideo dicuntur templa Dei, cum quia ſinguli ſunt ædificati ſuper fundamento vnico, quod eſt Ieſus Chriſtus Dominus, tum quia in ſingulis habitat Deus ab omnibus & ſingulis prædicandus.

Exhortatio Apoſtoli ſequitur: In quo, inquit, & vos vna ædificamini in habitaculū Dei per Spiritum. In quo, ſcilicet lapide angulari, & vos ædificamini, ſcilicet, fide Chriſti & charitate inter vos mutua renunciantes omni prophanitati & immundiciei. Ad hunc etiam modum Apoſtolus 1. Corinth. 6. Exhortationē inſtituit ſumto argumento à dignitate templi Dei. Ita enim ait: An non ſcitis quod corpus veſtrum templum ſpiritus ſit, qui in vobis eſt ſancti, quem habetis à Deo?

CAPVT III.

Summa Capitis Tertij.

EGO Paulus vinctus Ieſu Chriſti, pro vobis gentibus legatione fungor, vt myſterium ſalutis vobis patefaciam. Quare poſtulo, vt perſeueretis conſtantes in doctrina quam accepiſtis, ad quod vt pater Domini noſtri Ieſu Chriſti robur vobis largiatur flecto genua. cui ſit gloria in ſecula.

Ordo & partes Capitis Tertij.

Huius Capitis quatuor ſunt partes. Prima, Confirmatio vocationis gentium, de qua diſſeruerat in proximo capite. Sumitur autem hæc confirmatio ab Apoſtolatu Pauli ſiue à deſtinato ad finem, cuius ſumma hæc eſt: Ego Paulus à Deo ordinatus ſum Apoſtolus gentium. Reuera igitur Euangelium ad gentes pertinet. Habet hæc pars amplificationes, quibus & Euangelium extollitur & Apoſtolatus Pauli commendatur. Secunda pars exhortatoria eſt ad conſtantiam & perſeuerantiam, quæ totius ſcriptionis finis eſt, quemadmodum ſupra in argumenti explicatione admonui. Tertia, eſt ſignificatio orationis Pauli pro Epheſijs, vt Deus ipſis robur & abſolutam Chriſtī cognitionem largiatur. Quarta, eſt gratiarum actio. Harum partium prima eſt didaſcalica à qua reliquæ fluunt, quibus doctrina accommodatur Epheſijs.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

HVIVS rei gratia ego Paulus ſum captiuus ille Ieſu Chriſti pro vobis gentibus.

PRIMA pars capitis eſt, videlicet, confirmatio vocationis gentium. Eſt autem horũ verborum ſenſus: quod Euágelium ad gentes pertineat, ſatis arguit meus Apoſtolatus, quo fungor inter gentes, cuiuſq; nomine nunc captiuus teneor. Vinctus ſiue captiuus Chriſti, paſsiue accipitur. Nam Paulus pro Chriſti gloria inter gẽtes aſſerta captiuus tenebatur. Cum Eraſmo addidi particulam ſum, ad explendam ſentẽtiam, vt captiuus ſit prædicatũ, quod ideo recte adiunctũ habet articulũ, quia κατ' ἐξοχὴν accipitur, vt in illo Iohannis, οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς. Et in illo, ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός. Ita hic ego ſum, ὁ δέσμιος, id eſt, captiuus ille Ieſu Chriſti, qui paſsim dicor is eſſe, qui velim gentes cũ Iudæis exæquare, cuius rei gratia nunc Romam abductus ſum & captiuus teneor. Loci tres hic ſe offerunt. Primus, Quod prædicatio Euangelij deſtinetur ædificationi Eccleſiæ. Secundus, quod à mundo nihil quam crucem expectare debeant pij verbi præcones. Tertius, quod prædicatio Euangelij certiſsimum fauoris Dei argumentum ſit.

Siquidem audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ad vos, quod, ſcilicet, Deus iuxta reuelationem mihi notum fecerit Euangelium (ſicuti ante ſcripſi vobis, vnde poteſtis legentes intelligere cognitionem meam in myſterio Chriſti.)

Ætiologia eſt ſuperioris rationis à cauſſa efficiente ſumta, quam Epheſiis haud ignotam eſſe admonet. Primum, dicit ſe diuinitus vocatum ad Apoſtolatum. Deinde modum exprimit vocationis. Tum diuinitus ſe didiciſſe Euangelium affirmat, de qua re ſe antea Epheſijs ſcripſiſſe indicat, vt legentes cognoſcant ſuæ doctrinæ & vocationis certitudinem. Hæc omnia eo pertinent, vt ſciamus Paulum vere eſſe Apoſtolum gentium ex ordinatione & mandato Dei, vt de certitudine vocationis ipſius nequaquam dubitemus. Teſtimonia de vocatione Pauli legantur, Act. 8. 9. 22. 26. ad Galatas primo, ad Philip. 3. HIC obſeruetur. Primum, quam ſit neceſſaria certitudo vocationis eorum qui in Eccleſia docent. Deinde Euangelium eſſe myſterium ignotum rationi, contra impuriſsimũ nebulonẽ, qui gloriatur ſe naturalibus rationibus inueniſſe Euangelij neceſſitatem & Meſsiæ miſsionem in mundum ſine Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis. Præterea

immotam eſſe & infallibilem certitudinem doctrinæ Apoſtolicæ.

Quod alijs ſeculis non fuit cognitum filijs hominum, quemadmodum nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis & prophetis per Spiritum, gentes eſſe cohæredes & concorpores, & conſortes promiſsionis eius in Chriſto per Euangelium.

Amplificatio per collationem, in qua ratio redditur cur Euangelium de vocatione gentium appelletur myſterium, videlicet quod ignotum fuerit mundo, donec cœleſti reuelatione patefactum ſit, quod non promiſcue omnibus gentibus innotuerit, quod minus illuſtris fuerit huius myſterij cognitio veteribus Prophetis quam Apoſtolis. Nam tametſi Prophetæ veteres multũ vaticinati ſunt de vocatione gentiũ ad Euangelium: Tamen tempus & modus illis nõ ita nota erant ſicuti Apoſtolis. Quale autem ſit myſteriũ Euangelij de quo agit, exponit, cum ait, gentes eſſe cohæredes & concorpores & cõſortes promiſsionis in Chriſto per Euangeliũ. Eſt ergo Euangelij myſteriũ quod Iudæi & gentes ſimul ſint cohæredes cœleſtis hæreditatis, quod vnũ corpus in Chriſto conſtituant, & quod promiſsio gratiæ quæ offertur per Euangelium ad vtroſque ex æquo pertineat. Hæc exæquatio Iudæorum & gentium euertit prærogatiuam Iudæorum: Nam ſalus mere eſt gratuita, quæ etiã gratis offertur indigniſsimis gẽtibus & idololatris, & ſola fide accipitur. Nam cum inquit: Promiſsionis in Chriſto, & cum exæquat Iudæos & gentes, dignitatem meritorum excludit & fidem promiſsionis poſtulat. Hypotheſes huius loci ſunt. PRIMA. Quod Euangelium ſit myſterium cuius humana ratio per ſe nequaquam capax eſt. SECVNDA. Quod myſterium Euangelij per Spiritum ſanctum in prædicatione vocali reueletur. Parum enim efficax eſt externa prædicatio, niſi intus affuerit doctor ſpiritus, qui in verbo & per verbum vult eſſe efficax. TERTIA. Quod omnes Chriſti fideles eiuſdem hæreditatis ſint hæredes, eiuſdẽ corporis ſint membra, & eiuſdem ſalutis ſint conſortes per vnum & eundem Chriſtum. QVARTA. Quod miniſterij Euangelij ſit maxima dignitas & ſumma neceſsitas. Per illud enim promiſsio ſalutis in Chriſto omnibus offertur fide ſola accipienda.

Cuius factus ſum miniſter, ſecundum donum gratiæ Dei datum mihi, ſecundum efficaciam potentiæ eius.

Occurrit Paulus ijs qui arrogantiam interpretari poterant, quod vſque adeo ſuum prædicet miniſterium, & tranſlatione vtitur. Non enim ſuo merito aut virtuti, ſed diuinæ gratiæ tribuit, quod ſit Apoſtolus factus, ſed efficaciæ potentiæ Dei aſcribit quod ſuo apoſtolatu Eccleſiam ædificet Deus enim cum poſsit facere, vt ea quæ non ſunt, ſint, cur non è perſecutore Apoſtolum? cur non ex rudi ſapientem, ex impotenti fortem faceret?

Hoc Pauli exemplũ proponat ſibi quiſque, qui aliquid ſibi videtur eſſe in domo Dei, agnoſcat cum Paulo donũ Dei eſſe, ſi quem locum habet digniorem in Eccleſia, agnoſcat virtute Dei fieri ſi quid ſingulare præſtet, abijciat inanem arrogantiam, humiliet ſe coram Deo, ſciat ſibi maiora dona eſſe collata, vt magis ad ſeruiendum alijs obnoxius ſit, non ſumat ſibi temere ius cenſorium in alios, ſed potius ſingulos ſuo loco & gradu honoret.

Athanaſius hoc loco monet in miniſtris verbi tria eſſe neceſſaria. Primum, inuictus animus, qui nullo diſcrimine propoſito frangitur, vt hic Paulus è carcere ſcribit & prædicat Chriſtum intrepide. Secundum, ſapientia & prudentia, ſine quibus hoc arduo miniſterio recte perfungi nemo poterit. Tertium, vitæ integritas. Nam non minus vita quam voce præire ſuum gregem oportet paſtorem. Hæc tria vbi relucent in miniſtris Dei, labor ipſorum copioſiſsimum fructum affert. Verum contra vbi metu tyrannorum percelluntur animi miniſtrorum, vbi doctrinæ fundamenta non ſunt fideliter iacta, vbi vita parum reſpondet vocationis dignitati, miſere cum Eccleſia Dei agitur. Quid enim fiet de ouibus quando paſtor vel à lupo deuoratur, vel lupum fugit inermis?

Mihi minimo omnium ſanctorum data eſt gratia hæc inter gentes Euangelizandi imperueſtigabiles diuitias Chriſti, & omnibus conſpicuum faciendi, quæ ſit communio myſterij huius, quod abſconditum à ſeculis in Deo, qui omnia condidit per

Quod breuius dixerat Apoſtolus, copioſe illuſtrat, videlicet, quod diuinitus ſit vocatus, vt ſit Apoſtolus gentium. Atque hæc eſt ſumma huius longæ periodi. Verum, vt nos inde maiorem fructum percipiamus, ſigillatim omnes hui⁹ amplificationis partes ex-

Chriſtum, vt nunc notum fiat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei ſecundum propoſitum æternum, quod ſtatuit in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

tes excutiam, ac noſtro vſui accõmodabo. Primo itaque loco cum ait: Mihi minimo omnium ſanctorum data eſt gratia, &c. non ſuum officium extenuat, ſed ſuæ perſonæ conditionem agnoſcit, idq; ideo, vt magnitudo gratiæ Dei erga ipſum magis emineat. Quid hinc diſcemus nos? magnificare officium noſtrum cum gratiarum actione ad quod vocati ſumus, & nihil nobis ipſis arroganter tribuere. Si quid igitur recte fecerimus, id totum gratiæ Dei tribuamus non nobis, qui ſine Dei gratia inutilia prorſus organa ſumus. Paſtor proinde pius non patiatur contemni officium ſuum, etiamſi ſe ipſe parum idoneum ad tantam functionem agnoſcat. Deinde etiam alios cooperarios non contemnat tanquam ſe inferiores, ſed omnes àgnoſcat œconomos myſteriorum Dei.

Secundo cum addit Apoſtolus: vt Euangelizem inter gentes imperueſtigabiles diuitias Chriſti, finem ſui Apoſtolatus exprimit. Nam ideo dicit ſe Apoſtolum factum, non vt iſto titulo glorietur in ocio, ſed vt prædicet imperueſtigabiles diuitias Chriſti, quas (vt ait Ambroſius) gentib. iam deſperatis dignatus eſt, vt ſine opere ſaluarentur per fidem. Vocat autem diuitias Chriſti imperueſtigabiles, nõ tantum quia per rationem inueſtigari non poſſunt, verumetiam quia plene in hoc mũdo à ſanctis percipi non poſſunt, ſed tantum guſtus ſolummodo præbetur, qui ad ſalutem percipiendam ſatis ſit. Hoc ergo Apoſtoli dicto non ſolum arrogantia illorum taxatur, qui putant ſe exhauſiſſe quicquid in ſacro Dei verbo proditum eſt: verumetiam commendatur nobis ſingularis diligentia, vt in ſchola Chriſti ſemper proficere cõtendamus, implorantes ſpiritum ſanctum doctorem, ſine cuius afflatu in hac ſpirituali ſapientia conſequenda laboramus fruſtra. Deinde hic etiam conuincuntur fruſtra gloriari ſe eſſe Pauli ſucceſſores, qui cum Paulo imperueſtigabiles diuitias Chriſti de remiſſione gratuita peccatorum non prædicant, ſed vel in ocio viuunt, vel doctrinam afferunt pugnantem cum Euangelio Chriſti.

Tertio cum additur: & omnibus conſpicuum faciendi quæ ſit communio myſterij huius, interpretatur Apoſtolus ſuperius membrum. Quod enim ſupra vocat imperueſtigabiles diuitias Chriſti, hoc nunc interpretatur communem quandam participationem beneficiorum Chriſti, quæ offert Euangeliũ, videlicet quod gentes & Iudæi eiuſdem redemtionis in Chriſto ſint participes. Hinc igitur diſcamus ſublatam eſſe nationum, perſonarũ, dignitatum differentias quantum quidem ad regnum Chriſti attinet. Idem enim Chriſt• diues eſt in omnes, qui ſe inuocant.

Quarto loco cum ſubiungitur: quod abſconditũ fuit à ſeculis in Deo, qui omnia creauit per Ieſum Chriſtũ, anteuertit eorum obiectionem, qui Euangeliũ vt doctrinam recens natam aſpernabantur, quemadmodũ multi tempore Apoſtolorum fecerunt. Hinc conſolemur nos aduerſus Euangelij hoſtes, qui nos nouæ cuiuſdã doctrinæ architectos mentiuntur. Cõmunem enim cauſſam habemus cum ſanctis Apoſtolis Dei. Nec fruſtra additũ eſt: qui creauit omnia per Chriſtum Ieſum. Nam illud in teſtimoniũ & iudiciciũ noſtræ nouæ creationis addit. Conſentaneum enim eſt, nos per eundem de nouo creari, per quem primum creati ſumus. Quemadmodum igitur olim Deus mundum per Ieſum Chriſtum condidit, ita d• nde per eundem reſtituit mundum in integrum, ac de nouo creauit. Ex hoc loco etiam colligitur, non ſolum æternitas filij (ſi enim Deus per filium omnia creauit, ipſe profecto filius non eſt creatus, vt qui ſit ante omnem creaturã, quare & Deus) verumetiam vnio duarũ naturarum diuinæ videlicet & humanæ talis, vt cõmunicentur idiomata propter perſonæ vnitatem, non tamen confundantur proprietates. Recte igitur Paulus hic dicit: Deum condidiſſe omnia per Ieſum Chriſtum, quia hic Ieſus eſt verus Deus. Et tametſi recte dicitur: Ieſus Mariȩ filius condidit omnia, tamen falſum eſt dicere, humanam Chriſti naturam omnia condidiſſe. Nam humana Chriſti natura reuera creatura eſt, & non creatrix. Alternatio enim proprietatum, qua quod vni naturæ proprium eſt, alteri propter cõmunionem earũ in eadem perſona tribuitur, nequaquã admittenda eſt in nominibus naturæ, ſiue vt loquuntur in abſtracto, quia neq; diuinitati attribuenda ſunt ea, quæ humanitatis ſunt propria, vt eſſe creatam, paſſibilem, temporalem, circumſcriptã, &c. Neq; humanitati aſcribẽda ſunt ea prædicata, quæ ſolius ſunt diuinitatis, vt eſſe increatam, impaſſibilem, æternam, incircumſcriptam: ſed nominibus concretis, ſiue naturalibus, ſiue perſonalibus, ſiue alteram exprimentibus naturam, ſiue vtranq;, accommodate fit huiuſmodi alternata proprietatũ attributio propter identitatem ὑποστάσεως, id eſt, perſonæ, & conſequentiam quandã, vt ipſi Deo & filio Dei attribuantur ea, quæ ſunt hominis propria. Cum dici-

tur: Dominus gloriæ crucifixus eſt, nempe, filius hominis crucifixus eſt. Idem autẽ eſt filius hominis & Dominus gloriæ. Igitur & Dominus gloriæ crucifixus, quod ſtatim per expoſitionem ſyllogiſmumque expoſitorium euadit conſpicuum. Ita Deus factus eſt in nouiſsimis diebus puer paruulus, de quo Eſaias cap. 9. ita ait: Puer natus eſt nobis, & paruulus datus eſt nobis, & principatus eius ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis, &c.

Quinto loco cum ait: vt nunc innoteſcat principatibus & poteſtatib⁹ in cœleſtibus (hoc eſt, ſanctis Dei angelis) per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſupra omnem creaturarum ſapientiam, extollit abſolutam cognitionem myſteriorum Dei de ſalute gentium per fidem, vt Epheſios magis detineat in huius myſterij admiratione. Cui enim non eſſet mirabile ex contrarijs contraria fieri? Nam per mortem vita comparata eſt, per infirmitatem potentia eſt acquiſita, per ignominiam gloria eſt parta. Breuiter, Salus & vita damnatis, & mortuis per maledictionem & mortem donata ſunt. Atq; hinc eſt quod angeli 1. Pet. 1. dicantur παρακύψαι, quaſi inclinando ſe attente intueri & proſpicere ea, quæ prædicabantur per Apoſtolos. Hoc tamen non ita accipiendum eſt, ac ſi angeli per prædicationem Eccleſiæ proficiant, ſed quod in Eccleſia collecta ex Iudęis & gentibus, tanquam in ſpeculo hanc Dei ſapientiam contemplentur, & veluti obſtupeſcant ad hoc nouum ſpectaculum, quod Chriſtus Dominus mundum perditũ dignatus ſit tandem tanta gloria, vt credentes omnes æternum cum illo victuri ſint beati.

Sexto cum ſubijcitur: ſecundum propoſitum æternum, quod ſtatuit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, reuocat nos cum ad primam ſalutis noſtræ cauſſam, videlicet propoſitũ Dei, quo ab æterno decreuerat ſaluare genus humanũ, tum ad materiam huius ſalutis, nempe, Ieſum Chriſtum. Verum de hiſce cauſsis copioſe ſupra dictum eſt in primo capite.

In quo habemus audaciam & acceſſum in fiducia per fidem eius.

Attexit ſummam beneficiorũ myſterij reuelati, hoc eſt, Euangelij, & modum apponit, quo ea beneficia ab hominibus accipiuntur. Eſt autem ſumma beneficiorũ, quod pacem habeamus cum Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Nam qui Deum audacter accedere non veretur, ſtatuit eum procul dubio ſibi reconciliatũ eſſe propitium, audet ipſum in omni neceſsitate inuocare, Breuiter, omnia bona & ſalutaria ab ipſo expectat. Modus quo à nobis iſta beneficia accipiuntur, exprimitur cum inquit: per fidem eius, id eſt, in ipſum.

Obſeruandus hic locus eſt contra Papiſtas qui dicunt, fidem eſſe noticiam tantum & aſſenſum hiſtoriæ. Nam Paulus hic diſerte cum fide coniungit fiduciam, quæ eſt fidei iuſtificantis forma. Deinde gradus fidei tres hic ponuntur. Primus eſt credere promiſsionibus Euangelij & aſſentiri. Secundus, fiducia expetitæ miſericordię in Chriſto. Tertius eſt audacia adeundi Deum, ipſumq; inuocandi. Deinde hic locus docet, quod inuocatio fieri non poſsit citra fiduciam in Chriſtum. Vt enim in fiducia acceſſus nobis patet ad Deum: ita citra fiduciam hanc nemini ad Deum acceſſus patet.

v. 13. Quare poſtulo ne deficiatis in afflictionibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra.

Secunda pars capitis eſt exhortatoria. Hortatur enim Apoſtolus Epheſios ne deficiant ab Euangelio propter perſecutiones ſui doctoris. Infertur autem hæc propoſitio ex ſuperioribus hoc modo: Quia tam auguſtum eſt myſterium, quod Deus nobis patefecit de ſalute gratuita conſequenda per me diuinitus vocatum, vt ſim veſter Apoſtolus, nolite ſegneſcere aut animo concidere ob crucem qua ego premor. Huic propoſitioni geminam attexit rationem: quarum prior à cauſſa efficiente, poſterior à fine perſecutionis & à fructu conſtantiæ ſumitur. Pro vobis, inquit, id eſt, ideo quod prædicauerim vobis Euangelium, inuidi Iudæi tradiderũt me vinctum in manus Romanorum. Nõ ergo ob meum aliquod maleficium, ſed propter fideliter præſtitum miniſterium mihi diuinitus demandatum vinculis cõſtrictus iaceo. Deinde cum ait: quæ eſt gloria veſtra. ſignificat finem perſecutionis ſuæ non eſſe ignominiam Epheſiorũ, ſed gloriam potius, cum videant ſe tale doctrinæ genus amplecti, pro quo extrema pati ipſorum doctor haud veretur. Vnde & par eſt, vt ipſi cõſtantiam tuendi doctrinam & animum fortem aduerſus perſecutionum procellas concipiant. Hactenus ſententiam verborum Pauli expoſuimus, iam quaſdam in noſtrum vſum colligamus hypotheſes.

PRIMA, pij cognita dignitate & excellentia Euangelij cauebunt, ne vel blanditijs, vel perſecutionibus ſinant ſe ab Euangelio auelli.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

SECVNDA, cauebunt pij ne iudicio & conſuetudine mundi fallantur. Solet enim mundus facile contemnere quæ à magnæ autoritatis hominibus ſpreta iacent. Et quocunque fortuna ſe inclinare videtur, eodem & gratia hominum plerumq; ſe inclinat. Omnibus enim grata eſt præſens felicitas. Hic maximus mundi error & periculoſus pijs fugiendus eſt. Nequaquam enim pietas æſtimanda eſt ab externa facie, ſed rei potius natura ſpectanda & iuxta promiſsionem Dei infallibilem patienter expectanda eſt liberatio.

TERTIA, exemplo Pauli diſcant miniſtri Euangelij ſolicitudinem ſanctam pro ſuo grege habere, vt conſeruetur in ſinceritaee doctrinæ. Nequaquam enim ſatis eſt recte docuiſſe, niſi ſimul totis viribus caueas ne doctrinæ puritas vlla occaſione inficiatur.

QVARTA, conſtantia miniſtrorum verbi in perferenda cruce Euangelium illuſtrius reddit, & veluti ſignaculo quodam ſanguine ſanctorum obfirmatur.

QVINTA, conſolatio aduerſus ſcandalum crucis tenenda hæc eſt, quod crux piorum non ſit coram Deo ignominioſa, ſed glorioſa potius, idq; potiſsimum cum quis pro confeſsione veræ doctrinæ patitur. Sicut & Petrus 1. Pet. 4. magnam gloriam Chriſtianorum eſſe docet pati Chriſti nomine. Conſilium enim Dei in hac re ſpectandum eſt, cui viſum eſt ſimiles reddere ſuo filio in hoc mundo quos olim ſtatuit cum ipſo glorificare.

SEXTA, peculiariter hinc diſcant miniſtri Euangelij non ſolum cum recte valeant, & in tuto ſint omnia, gnauiter officium facere, verumetiam magnanimes ſe & inuictos exhibere cum crucis onere fortius premantur. Facile, inquit ille, cum valemus ægrotis conſilia recta damus, facile eſt cõſtanter docere Euangelium, vbi omnia in tuto eſſe videntur, vbi nulla pericula apparent. Verum hoc demum heroici pectoris eſt in medijs periculis, in medijs flammis exemplo Pauli & aliorum ſanctorum, eos qui adhuc expertes crucis ſunt, animoſe contra ingruentia mala confortare.

Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini noſtri IESV CHRISTI, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, potentia roborari per ſpiritum ſuum in interiorem hominem, vt habitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris, vt ſitis in charitate radicati & fundati, vt valeatis comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo & longitudo & profunditas & altitudo, cognoſcereq; ſupereminentem cognitionis charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.

Tertia huius capitis pars eſt, continens teſtificationem orationis Pauli pro Epheſijs, quæ oratio tres circumſtantias habet, quarum prima eſt de Deo, quem Paulus inuocat, qui eſt pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Secunda rationem habet cúr nam ſolus Deus ſit inuocandus, nimirum quia ab illo ſolo omnis paterna rerum adminiſtratio & gubernatio eſt, cum in cœlis tum in terra. Paternitatis vox hic vſurpatur pro paterna rerum adminiſtratione & gubernatione, iam autem cum is ſolus ſit inuocandus, penes quem omnium rerũ adminiſtratio eſt, ſequitur ſolum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti inuocandum eſſe. Neq; hac ratione excluditur filius & Spiritus ſanctus, quia Patris, Filij, & Spiritus ſancti eadem eſt eſſentia diuina, potentia, & gloria. Tertia, enumerationem eorum habet, quæ Paulus precatur Epheſijs, videlicet, vt Epheſij in cœleſtiũ rerum participatione ſint quam opulentiſsimi, verũ Apoſtolus primũ enumeratione vtitur, ac poſtea in fine generatim omnia complectitur. CÆTERVM quia multa ſunt in hac pericopa, analyſin inſtituam, quo diſtinctius omnia conſiderentur, atque facilius ad noſtrum vſum accommodentur.

Prima itaque Paulinæ orationis pars eſt, Vt det, inquit, vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ potentia roborari per Spiritum in interiorem hominem. Hic Paulus ſpirituale robur precatur Epheſijs, ac fontem monſtrat, vnde omne bonũ in creaturas manat, videlicet diuitias gloriæ ipſius, id eſt, inexhauſtã Dei miſericordiam. Non ergo precaturi noſtra merita nominabimus, ſed inexhauſta Dei clementia freti, fide Chriſti precabimur. Sic Dauid precatur cum inquit, Miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundũ multitudinem miſerationum tuarum. Apponit cauſſam efficientem internam, videlicet Spiritum ſanctũ qui nos roborat, & quale robur precatur, interpretatur, videlicet, vt interior homo ſit robuſtus in Domino. Eſt autem interior homo anima noſtra, quatenus Spiritu Dei formata eſt in obſequium Deo præſtandũ, cuiuſmodi anima ea ſpectat, quæ interna ſunt et non externa, ſpectat æterna & cæleſtia & non tẽporaria & terrena. Diuerſa ſtudia ſunt exterioris hominis. Is enim neglectis internis & cœleſtibus, in externis, tẽporarijs & terrenis occupatur.

Secunda circumſtantia his verbis exponitur: & habitet Chriſtus per fidẽ in cordibus veſtris. Hæc circumſtantia vnde ſit Chriſtianorũ robur clarius exponit, definit enim robur noſtrũ eſſe Chriſtum ipſum, ſed quomodo? habitando in nobis. Quæ habitandi ratio? per fidem. Vbi ſeu in qua parte noſtri? in cordibus noſtris. Nõ enim ſufficit in mente aliqualis Chriſti cognitio, ſed cordis affectum adeſſe oportet, qui eſt firma in Chriſtũ fiducia, qua fiducia inuicti perſiſtimus aduerſus portas inferorũ, iuxta illud Iohan. Hæc eſt victoria quæ vicit mundum, fides veſtra. Hic locus inprimis obſeruatione dignus eſt. Docet enim non ſolum Chriſtum habitare in credentibus per fidem: Verumeriam refutat Papiſtas, qui definiunt fidem eſſe quandam noticiam & aſſenſum hiſtoriæ ſine fiducia cordis.

Tertia circũſtantia, Vt ſitis in charitate radicati & fundati, docet quæ ſit vis fidei, quantum quidem ad proximum attinet. poſtquam enim fidei meminit, mox eius effectum germanum amorem proximi appoſuit: cum vt veram fidei indolem oſtenderet, tum vt doceret, in qua re perfectio Chriſtianorum conſiſtat. ſed qualem fides requirit charitatem? fundatam & radicatam, hoc eſt, ſolidam & firmam, quæ non leui de cauſſa mouetur & euaneſcit. Hinc diſcamus, quod quo magis in ſchola Chriſti proficimus, eo magis in charitatis operibus creſcamus, ac veluti radicemur. Non enim fieri poteſt, vt vacuus ſit charitate, qui vere Chriſtum per fidem poſsidet.

Quarta circumſtantia, vt valeatis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo & profunditas & altitudo, ſcilicet myſterij gratiæ Dei & dilectionis Chriſti erga nos, ita enim ſe exponit Apoſtolus, vt cognoſcatis charitatẽ Chriſti immenſam erga vos. Quemadmodum enim patris miſericordia excedit omnia opera eius iuxta Dauidis ſententiam: ita omnem menſuram ſuperat amor filij Dei. Nam ſi latitudinẽ eius ſpectas, nullis limitibus clauditur: ſi longitudinem cõſideras, ad omnes fines orbis terrarum ſe extendit: ſi profunditatẽ attendis, humilima & abiectiſsima in mundo complectitur: ſi altitudinem reſpicis, ſuperat cœlos. Hic ſenſus huius loci ſimplex & verus eſt, nugas de lignea cruce Domini & ſphęrica figura relinquamus. Hic locus vberrimam conſolationem ſuppeditat aduerſus omnia obſtacula, quæ noſtram ſalutem impedire videntur. Si enim Chriſtus adeo impenſe nos diligit, fieri nequaquam poteſt, modo in illo per fidem manſerimus vſque ad finem, vt vlla creatura noſtram ſalutem interrumpat.

Quinta circumſtantia, vt impleamini in omnẽ plenitudinem Dei, ſummatim omnia complectitur, quæ ad perfectionem & plenitudinem, quam Deus à nobis expoſcit, pertinent. Eſt autem plenitudo Dei, perfectio Chriſtiana, qua plene, id eſt, ſine fuco & hypocriſi nos Deo ſubijcimus, huiuſmodi ſunt omnes qui retinent fidem & bonam conſcientiam. HINC diſcimus, quibus in rebus oporteat Chriſtianos potiſsimum occupatos eſſe, nimirum vt ad perfectionem magis ac magis tendant. Nemo enim tantum profecit in ſchola Chriſti, quin opus habeat incremento. Hic igitur eorum oſcitantia taxatur qui vix tenuiſſimo quodam guſtu rerum diuinarum percepto putant ſe ſpiritualiſsimos eſſe, nihil amplius de profectu cogitantes.

Ei autem qui poteſt quam cumulatiſsime ſuper omnia facere quæ petimus aut intelligimus, ſecundum potentiam agentem in nobis, ipſi gloria in Eccleſia in Chriſto Ieſu in omnes generationes ſeculi ſeculorum, Amen.

Quarta pars huius capitis, videlicet, δοξολογία, in quam ex commemoratione beneficiorum Dei deſcendit. Pertinet enim totum redemtionis beneficium eo, vt gloria Deo reddatur. Quare rectiſsime primam Epiſtolæ partem clauſit Apoſtolus gratiarum actione. PORRO quia plures ſunt huius loci circumſtantiæ, eas ſigillatim perpendamus. Prima eſt mentio potentiæ Dei qua Deus poteſt omnia quæ vult, qui vult quidem omnia quæ promiſit. Hæc potentia Dei primum confirmet ſpem noſtram de promiſsis diuinis. Deinde opponatur Satanæ, inferno, morti, argumentis carnis, quibus ſępe fides infirmorum cõcutitur. Tum excitet nos ad timorem Dei. Poteſt enim ſua potentia Deus contumaces punire. Poſtremo obijciatur errori eorum qui gloriam diuinam tribuunt ſanctis aut idolis. Secũda eſt mentio liberalitatis Dei, qui longe maiora cõfert beneficia quam vel petimus vel intelligimus ipſi, Id quod non ſolum nos excitabit ad gratiarum actionem: verumetiam fidem maiorẽ ac ardentiorem in nobis accendet. Tertia, vnde proueniat in nobis precandi ſtudium, nempe ex eo quod potẽtia Dei ſit in nobis efficax, quæ ſane potentia nõ eſt carnis aut ſanguinis, ſed ſpiritus Dei & fidei. Quarta, indicatio eſt loci in quo vera gloria Deo tribui poteſt, qui eſt ipſa Eccleſia ſanctorum. Eſt enim Eccleſia theatrum quoddam in mundo in quo Deus ſuã glo

riam

riam conſpicuam vult eſſe, iuxta illud Dauidis: Laus eius in Eccleſia ſanctorum. Quinta, modi expreſſio per quem Deo præſtari gloria debet. In Chriſto, inquit, IESV. Nemo enim gloriam Deo reddere poteſt, niſi ſit in Chriſto per fidem. Ideo inquit Ambroſius: per Chriſtum Deo reddenda gratia, quia per ipſum omnia præſtat nobis pater. Sexta duratio gloriæ Deo reddendæ. In omnes generationes, inquit, ſeculi ſeculorum, amen. Hæc perpetua duratio gloriæ Dei, de duabus rebus nos admonet. Primum, vt nos qui Chriſti membra ſumus, perpetuo gloriam Dei in Chriſto prædicemus exemplo Dauidis in hunc modum canentis: Septies in die laudem tibi dixi ſuper iudicia iuſticiæ tuæ. Deinde vt ſciamus perpetuo manſuram Eccleſiam Dei. Nam ſi perpetuo Deo tribuenda eſt gloria, & id fieri nõ poteſt niſi in Eccleſia, ſequitur Eccleſiam non abolitum iri. Proinde & hic in mundo vſq; ad iudicium cõſeruabitur, & deinde poſt reſurrectionem manebit in omni æternitate Deum celebrans.

CAPVT IIII.

Summa Capitis Quarti.

CVM vos Epheſij ad tantam gratiam vocati ſitis, par eſt vt tam ſanctæ vocationi innocentia vitæ reſpondeatis. Quare vos hortor vt renunciato Ethniciſmo ſanctimoniæ vitæ ſtudeatis.

Ordo Capitis Quarti.

Poſt doctrinam more Prophetico & Apoſtolico parænеſes ſubijcit Apoſtolus, ac primo loco generalem propoſitionem collocat, videlicet, vt Epheſij vocatione ſua digne ambulent, & vt artifex à cauſſis paulatim progreditur & colligit in quo ſumma conſiſtit, nimirũ in mutua dilectione, cui rationes apponit. at ne quis donorum excellentia abutatur in proximorũ contemtum, finem donorum, quibus Chriſtus ſuam Eccleſiam ornat, exponit. Huc multas hypotheſes addit, quæ in generali propoſitione, vt in theſi cõtinentur, admiſcens collationes virtutum, & vitiorum. Prioris ſtatus ſub Ethniciſmo, quo agnita turpitudine ſcelerũ ſanctimoniæ vitæ ſtudeant, ac vitijs renuncient Epheſij, atq; ita vt ſuperior pars Epiſtolæ didaſcalica eſt, & continet doctrinam gratuitæ ſalutis. Ita hæc poſterior parænetica eſt, & vitam Chriſtianam informat.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

HORTOR itaque vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum tolerantia ſufferentes vos inuicem in dilectione, ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.

Propoſitio ſuaſoria eſt. Hortatur enim Paulus Epheſios ad vitam dignam Euangelio degendam. In hac propoſitione multa ſunt obſeruanda. PRIMVM meminit Apoſtolus ſuorum vinculorum, idq; non ſolum, vt ſuum erga Epheſios affectum declaret, qui etſi propter Euangelium in carcerem coniectus fuit, tamen non ceſſauit eos ad ſalutaria exhortari: verumetiam vt ſibi apud eos autoritatem conciliet, quorum cauſſa non eſt veritus vel extrema adire pericula. Hoc ergo loco admoneãtur miniſtri Euangelij de cõmuni ſorte & cruce quam ipſi ſuſtinere ab ingrato mundo coguntur. Et exemplo Pauli ſint conſtantes, ne propter vſitatam ingratitudinem abijciant confeſſionem, & deſerãt ſtationẽ in qua Deus ipſos collocauit. Nequaquam enim ignominioſum eſt pro confeſſione veræ doctrinæ pati, ſed ſumma potius gloria. Nam æquo animo pericula adire pro Euangelio, veluti quoddam doctrinæ ſigillum eſt.

DEINDE cum ait: Hortor, vt digne ambuletis vocatione veſtra ad quam vocati eſtis. ſummatim complectitur quid deceat Chriſtianos qui ad gratiæ cœleſtis participationẽ vocati ſunt. Vocatio autem hoc loco generalis illa omnium Chriſtianorum intelligenda eſt, qua videlicet, ex tenebris ad lucem, à peccatis ad iuſticiã, à maledictione ad benedictionẽ,

à morte

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

à morte ad vitam, à damnatione ad iuſtificationē & ſalutem, ab inferno ad cœlū. breuiter, à regno Diaboli, omnibus omnis generis miſerijs pleno, ad regnū Chriſti glorioſum vocamur. Hæc mirabilis & ſtupenda conditionis noſtrę permutatio meritiſsime nos ad gratitudinem excitare debet. Nam ſi in mundo qui præclare aliquo munere fungitur, in locum ſublimiorem euectus, putat turpe eſſe ſuum honoris gradum aliquo flagitio contaminare: & cōtra inprimis ornare: ſolet ſuū locum quiſquis virtute & egregie factis antecedit: quid dicemus de ijs qui hanc dignitatem adepti ſunt, vt non ſolū ſancti Prophetæ, reges aut ſacerdotes ſpirituales habeantur: verumetiam filij Dei cenſeātur. Eſt proinde hæc neceſsitas mutatæ conditionis prioris ſtatus in meliorem diligenter perpendenda, vt nos ad vitam tam auguſta vocatione dignā degendam incitet in omni modeſtia, iuſticia, & pietate. Sumus enim vt Paulus alibi ait, non ad fœditatem, ſed ad ſanctificationem vocati. Huc pertinet illud Pauli ad Titū 2. Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & mundanas concupiſcentias, modeſte, & iuſte & pie viuamus in præſenti ſeculo, expectantes beatam illam ſpem & apparitionem glorioſam magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſeipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate & purgaret ſibi populum peculiarem zelo quodam ſectantem bona opera.

Tertio loco, quia Paulus exhortaturus eſt ad vnitatem ſpiritus, id eſt, ad concordiam, eius rei fundamēta iacet, dum humilitatem, manſuetudinem, tolerantiā & mutuam per dilectionem condonationem requirit. De his Chriſtianis virtutibus nonnulla adijciam, quo earū differentiæ & proprietates melius conſpiciantur. Humilitas græce ταπεινοφροσύνη, eſt virtus animi quę pium hominem ita moderatur, vt nec de ſe, nec de ſuis donis arroganter ſentiat, ſed potius in timore Dei ſe omnibus ſubijciat, omnem gloriā Deo tribuens. Hęc virtus pœnitentiæ veræ proximus fructus eſt, quæ indies noua incrementa ſumit modo germana fuerit. Augetur autē & creſcit hæc ſancta humilitas quatuor rebus, videlicet agnitione propriæ, vt ita dicam οὐθενίας & infirmitatis.: cogitatione finis donorū quæ Deus nobis contulit: ſunt enim nobis alia atq; alia dona collata, vt in ea in commune bonum conferamus, hoc eſt, ad mutuam ædificationē in corpore Chriſti. Obligatione ad ſeruiendum alijs iuxta parabolam Euangelicam. Nam qui plus habet, plus requiretur ab eo. Et conſideratione conſilij Dei qui ſæpe facit, vt qui minora dona habere videntur, plus operæ collocent in ædificatione Eccleſiæ Dei, quam qui varietate donorum antecellunt.

Huic humilitati commode ſubijcit Apoſtolus manſuetudinem, quæ veræ humilitatis veluti proles quædam exiſtit. Eſt autem manſuetudo quæ græce πραότης dicitur, tranquillitas quædam animi, qua vt quis ſe ab ira temperat, ita ſe comem & affabilem alijs exhibet. Huic aduerſatur ferocia, furor, proteruia, contumacia, moroſitas & alia id genus vitia, quæ tranquillum animi ſtatum perturbant. Tolerantia græce μακροθυμία, ad verbum longanimitas, manſuetudinis comes eſt. Eſtq; animi quædam lenitas, iniuriæ cedens, atq; à ſuo iure pacis & tranquillitatis gratia diſcedēs. Ita enim Paulus hanc virtutem definire videtur, cum ſubiungit: ſufferentes vos inuicem in dilectione, ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus, hoc eſt, concordiam animorum in vinculo pacis. Nam nos inuicem concordia tanquam vinculo quodam nectit, non ſecus atq; membra corporis communi quodā nexu colligata, eodem reguntur ſpiritu. Vbi itaq; cor reformatū ſpiritu Dei eſt, & vera humilitate, manſuetudine & tolerantia ſubactum fuerit, haud difficulter alios feremus, lapſos emendabimus. Breuiter, nos inuicem vera dilectione iuxta mandatum Domini proſequemur.

Hic locus Apoſtoli diligenter obſeruandus eſt. Monſtrat enim vnde inchoanda ſit vera animorum cōcordia in ſanctis, nempe ab extirpatione vitiorū quæ concordiæ peſtes ſunt, vt ſunt arrogantia, furor, proteruia, impatiētia, moroſitas, &c. Huc pertinet illud Salomonis Prouerb. 13. Inter ſuperbos ſemper iurgia. Et Chriſt9 dicit: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Quib. verbis Chriſtus præcipit duos affectus frenari, videlicet cupiditatē vindictæ & ſuperbiam. Nam vt humilitas cordis opponitur ſuperbiæ, ita manſuetudo cupiditati vindictæ aduerſatur. Hos effectus frenare Chriſtus pronunciat ſuum iugum eſſe. Nam qui in Chriſto inuenit requiem, & refocillationē à laboribus & onere legis damnantis, non debet inde licentiā peccandi arripere, ſed potius Chriſti gratia erectus, iugū Chriſti ſuſcipere, ac carnis prauos affectus conſtringere. Hoc Chriſti iugum tum demum nobis moleſtum non erit, ſed facile potius & leue, vbi Chriſti exemplo ad manſuetudinem & humilitatem aſſuefacti fuerimus, vera fiducia ipſius ſuſtentati. Contra autem qui Chriſti iugū ferre recuſant, merito ſubijciuntur Diaboli imperio, & calcantur ſub eius pedibus. Fieri enim aliter non poteſt, quam vt quilibet homo aut Chriſti aut aduerſarij iugum ſuſtineat.

Vnum corpus & vnus Spiritus quem-

Propoſitionis eſt confirmatio, in qua

admodum etiam vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.

qua congeries argumentorum proponitur, quæ omnia ex hoc principio dependent: quod vnum eſt, diſsidijs diſsidere à ſeipſo minime debet. Ex hoc principio aſſumitur hoc modo. Eccleſia vna eſt, hinc concluſio, igitur Eccleſia diſsidijs à ſeipſa minime diſſidere debet. Aſſumtio quia κρινόμενον eſt, congerie argumentorum confirmatur. Verum vt omnia plenius cognoſci poſsint, ſingula ſeorſim cõſiderabimus, idq; breuiſsime. Primum ergo dicit vnum corpus & vnus ſpiritus, hoc eſt, Quemadmodum Chriſtiani vnius & eiuſdem corporis membra ſunt: ita par eſt, vt vno eodemq; ſpiritu viuificati ſanctam animorum colant concordiam. Nam vt omnia membra vnius & eiuſdem corporis vna & eadem anima viuificátur & reguntur: ita oportet Chriſtianos erga ſe inuicem eſſe affectos, vt vno quaſi animo agitari videantur, cum ſint vnum in Chriſto corpus. 1. Corinth. 12. Quicunque igitur ab vnitate diſcedit, eum à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, diſcedere neceſſe eſt. Ex quo ſequitur fruſtra gloriari de Eccleſiæ titulo, qui cõſtanter in ſe ſanctam concordiã non tuentur. Ne autem ſinamus nos falſo vnitatis prætextu à vera Eccleſia auelli, obſeruanda eſt ratio vnitatis quæ ſequitur. Quemadmodum, inquit, vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, hoc eſt, ſic volo vos vnum eſſe quemadmodum vocati eſtis ad vnam eandemq; hæreditatem, quam modo ſpe poſsidetis iuxta vocationis verbum. Non vult igitur nos Apoſtolus à vocationis verbo, hoc eſt, à pura Euangelij doctrina diſcedere, vnde fundamẽtum vnitatis petendum eſt. Qui enim diſcedit ab Euangelio per quod Deus vocat, ab Eccleſiæ vnitate diſcedit, à qua cum quis auulſus fuerit, fieri non poteſt, vt eius ſpiritu gubernetur, non ſecus atq; membrum, abſciſſum à corpore, nequaquam amplius ab anima quæ eſt in corpore regitur. Hinc congeries ſequitur. Vnus Dominus, ſcilicet, vniuerſæ Eccleſiæ, nempe Chriſtus, cui merito ſeruire debent fideles vnitate ſpiritus & concordibus animis. Nam ſi turpe & probroſum eſt, ſeruos mundanos qui vnum & eundem Dominum agnoſcunt terrenum, à ſe inuicem diſsidere, & non potius coniunctis animis imperata facere: quid quæſo turpius & magis probroſum erit, quam Chriſtianos qui habent eundem cœleſtem Dominum Ieſum Chriſtum à ſe inuicem diſcordare? præſertim cum vna fides ſit omnium in ipſum, qua, videlicet, in illum vnum communem Dominum, vt redemtorem vnicum recumbunt: quæ ſane fides cum vna ſit, hoc eſt vnius & eiuſdem promiſsionis, par eſt, vt qui hac vna fide donati ſunt, vnitatem inter ſe colant.

Huc pertinet etiam quod ſequitur. Vnum baptiſma, ſcilicet, commune omnibus, quo ſcilicet corpori Chriſti inſerimur ac veluti incorporamur. Vnus Deus & pater omnium qui ſuper omnia & per omnia & in omnibus vobis, hoc eſt, qui cunctis pręſidet, & omnia prouidentia & moderatione adminiſtrat in omnibus pijs per fidem inhabitans. Etſi autem hæc verba, ſuper omnia & per omnia, ad vniuerſalem rerum gubernationẽ referri poſſunt: tamen περίστασις loci conuincit, vt ad Eccleſiam accommodentur, præſertim hoc loco, Vt ſuper omnia, deſignet vnius Dei in totam Eccleſiam imperium ſummum. Per omnia, notet prouidentiam per omnia Eccleſiæ membra diffuſam. In omnibus, ſignificet noſtram cum Deo coniunctionem in Chriſto. Hæc tria non agnoſcit quiſquis fraternam concordiam violat. His vnitatis argumentis quicunque non mouetur ad concordiæ ſtudium, ne micam quidem fidei habere cenſendus eſt.

Verum vnicuique noſtrum data eſt gratia, iuxta modum doni Chriſti.

Prolepſis eſt qua hanc obiectionem anteuertit. Si omnia quæ hic enumerantur cõmunia ſunt Chriſtianis, qui ergo fit quod non pares ſimus quo ad dona attinet in Eccleſia? cur hic maius, ille minus donum habet? Siquidem huiuſmodi non æqua partitio, inuidiæ atq; diſcordiæ ſeminarium eſt, quemadmodum in Corinthijs & pluribus alijs videre licet. Reſpondet Apoſtolus vnicuiq; datam eſſe gratiã prout viſum eſt Chriſto, qui ſua dona confert, non in priuatos tantum vſus ſingulorum, ſed in totius corporis vtilitatem & conſeruationem, videlicet, vt alij alios ſuis donis in corpore Chriſti ædificent. Monſtrato igitur autore & donatore variarum gratiarum in Eccleſia, præſcidit omnem gloriandi materiam & anſam contemnendi alios, qui minorá dona adepti eſſe videantur. Si hoc multi recte perpenderent, minus ſua turgerent ſapientia, & magis per dilectionem alijs ſeruirent ſuis quiſque donis. Diſcamus proinde hinc cum noſtra ſorte & donis contentos eſſe, tum ad ædificationẽ mutuam referre quicquid nobis donorum diuinitus eſt collatum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quapropter dicit cum aſcendiſſet in altum, captiuam duxit captiuitatem & dedit dona hominibus.

Dauidis teſtimonio cõfirmat Chriſtum autorem eſſe donorum quæ habent ſingula membra in Eccleſia. Eſt autem hoc teſtimonium in primis obſeruandum, quia continet prophetiam de triumpho Chriſti aſcendentis in cœlum, quem triumphum Dauid in ſpiritu vidit mille annis antequam cõtigit. Sumtum eſt autem hoc teſtimonium ex 68. Pſalmo, qui eſt ἐπινίκιον triumphantis Chriſti, quem Dauid aperte Iehoua, hoc eſt, verum Deum fatetur.

Porro verſus ab Apoſtolo adductus duo continet. Primum vaticinium de aſcenſione Chriſti in cœlum. Deinde geminum fructum iſtius glorioſæ aſcenſionis, quorum primus eſt triumphus ſuper morte, peccato, inferno. Breuiter, ſuper regno Diaboli, quod nomine captiuitatis intelligitur. Hic triumphus quemadmodũ cœpit in capite noſtro Chriſto, ita etiã in reliquo corpore, quod eſt Eccleſia perficietur, quando ad iuſſum Chriſti omnes reſurrexerimus: Tunc enim omnes pij deuictis omnibus hoſtib⁹ ſuis, perpetua in cœlo cum Chriſto fruentur victoria. Huius futuri triumphi noſtri cogitatio merito nos cruce preſſos conſolari debet. Leuius enim malum fert præſens qui de liberatione glorioſa eſt certus. Poſterior fructus aſcenſionis Domini eſt, quẽ hic Paulus attingit, cum inquit: Et dedit dona hominibus. Chriſtus enim ideo aſcendit, vt Eccleſiæ ſuæ dona diſtribuat, quibus ædificari & conſeruari in hac vita poſsit. Nam vt ipſo die Pentecoſtes ſpiritum ſanctũ miſit viſibili forma apparentẽ, & ſimul robur dedit reſiſtendi Diabolo atq; eius membris: ita hodie idem Dominus varijs donis ſuam ornat Eccleſiam, eamq; ſolus cõſeruat, nec eam vnquam deſerturus eſt. Hinc itaque nos ſub cruce conſtituti petamus conſolationem. Nam etiamſi diabolus varijs machinis adoritur Eccleſiã, & in ſingula eius mẽbra ſubinde ex inſidijs impetum facit, non tamen eam opprimet. Eſt enim Chriſtus triumphator, qui ad dexteram Dei ſedens Eccleſiam ſuam tuetur, & ſuo ſancto ſpiritu ſingula Eccleſiæ membra cõfortat.

(Cæterum illud aſcendit quid eſt, niſi quod etiam deſcenderat prius in inferiores partes terræ, qui deſcendit ipſe etiam eſt qui aſcendit ſupra omnes cœlos, vt impleret omnia.)

Hæc in parentheſi legẽda ſunt. Ex citato enim Pſalmi teſtimonio duo colligit per digreſsionis ſchema. Vnum de Chriſti humiliatione: Alterum de eiuſdem glorificatione. Ex eo enim quod aſcenderit ſignificat præceſsiſſe deſcenſum, hoc eſt, humiliationem, quod factum eſt per aſſumtionem humanę naturæ, per paſsionem & mortem. Hoc argumentum firmum omnino non eſſet, niſi Apoſtolus intelligeret, æternum λόγον humiliaſſe ſe, forma ſerui aſſumta, in qua etiã factus eſt obœdiens vſque ad mortem crucis. Deinde ex eo quod aſcenderit, rurſus colligit Paulus glorificationem Chriſti & potentiam, qua nunc omuia quæ ad integritatem corporis Eccleſiæ faciunt, complet. PORRO qui ex hoc loco deſcenſum Chriſti ad inferos & locũ damnatorum, concludunt, parum firmo nituntur fundamento. Non enim hic comparationem inſtituit Apoſtolus vnius partis terræ ad aliam, ſed totam terram cum cœlo confert, ac ſi diceret: Aeternus λόγος dignatus eſt è ſua cœleſti gloria ad nos miſeros homines, qui hic in terra verſamur, deſcendere, vt fieret homo & victima pro genere humano. PRÆTERRA, quia hic dicitur Dominus aſcendiſſe ſuper omnes cœlos, ſunt qui inde colligunt Chriſti corpus eſſe ἀπερίγραπτον, Nam, vt aiunt, ſupra cœlos nullus eſt locus. Hanc ſubtilitatem Sophiſtis relinquamus, & nos conſtanter retineamus articulos fidei noſtræ, in quibus confitemur, Chriſtum verum hominem fuiſſe, nec eſſe deſijſſe. Ac proinde verum corpus finitum & veram animam finitam habere, cum quibus venturus eſt iudicatum viuos & mortuos. Non enim aſcendit, vt in diuinam naturam commutaret humanam ſuam naturam, ſed ſicut Apoſtolus loquitur, vt omnia impleret, idq; ſua diuina maieſtate & potentia, qua nobis aderit vſque ad conſummationem ſeculi, iuxta ſuam promiſsionem. Hoc teſtatur nobiſcum catholica Chriſti Eccleſia. Auguſtinus ait: Sed quoniam verum eſt quod ait: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi, & abijt & hic eſt & redijt & nos non deſeruit. Corpus enim ſuum iutulit cœlo, maieſtatem non abſtulit mundo. Plura de hac re vide in hiſtoria Chriſti, quam ſcripſimus in capite 1. Iohan. Item, 1. ad Heb. PORRO hic locus Pauli eo pertinet, vt nos exemplo Chriſti humiliemur, & nobis inuicem per charitatem inſeruiamus, expectantes communionem gloriæ Chriſti, qui hic in terris Chriſti exemplo alios fouemus, & varijs officijs in corpore Chriſti ædificamus.

Et ipſe dedit alios quidem Apoſtolos, alios autem Prophetas, alios vero Euange-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Euangeliſtas, alios paſtores & doctores ad inſtaurationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, vſq; dum occurramus omnes in vnitatem fidei & cognitionem filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

Enumeratio donorum quib. Chriſtus potiſsimum ornat Eccleſiam, & ſignificatio finis cui iſta dona deſtinantur. Dona ſunt, Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ, Paſtores & Doctores. Horũ tametſi finis vltimus idem eſt, videlicet, ædificatio corporis Chriſti, tamen officiorum ratio eſt diuerſa, quemadmodum deſcriptionibus oſtendemus. APOSTOLI fuerunt perſonæ immediate à Chriſto electæ, inſtitutæ & ordinatæ ad docendum Euangelium, idque non in certo loco, ſed paſsim per vniuerſum orbem, iuxta hoc Chriſti mandatum: Ite in mundum vniuerſum, proclamate Euangelium omni creaturæ, &c. Tales fuerunt duodecim illi, qui etiam peculiariter Apoſtoli ſunt nominati. His poſtea adiunctus eſt Paulus, qui potiſsimum deſtinatus fuit gentibus, vt inter illas portaret nomen Chriſti. VERVM quia hic ordo conſtitutus fuit, vt per orbem terrarum conſtitueret Eccleſias, neceſſario conſtitutis Eccleſijs ſublatus eſt. Quare vox impia eſt eorum qui ſe Apoſtolos agnoſci & ſalutari volunt.

Prophetarum duos ordines conſtituamus, quorum vnus in veteri teſtamẽto fuit, alter in nouo. Prophetæ veteris teſtamenti fuerunt, qui ſingulari reuelatione diuina edocti prędixerunt futura, quæ cum euenirent, confirmabant auditores de veritate doctrinæ Propheticæ. Fuerunt itaque euentus Prophetiarum, veluti ſigilla quædam diuinæ doctrinæ quam Eccleſiæ tradiderunt Prophetæ. Prophetæ in nouo teſtamento fuerunt ſingulari ſapientia præditi viri, quorum munus fuit non ſolum interpretari ſcripturam, verumetiam adminiſtrare Eccleſias, quas Apoſtoli conſtituerant, idq; nunc in vno, nunc in alio loco, vt Apoſtolis viſum fuit. Fuit itaque & hic ordo temporarius.

Euangeliſtæ comites fuerunt Apoſtolorum. Hos enim Apoſtoli ſibi adiunxerũt, leuandi laboris cauſſa. Etſi autem & hi prædicarunt Euangelium vt Apoſtoli, tamen inferioris gradus fuerunt quam Prophetæ. Tales fuerunt Titus, Syluanus, Apollo, Marcus, Lucas & Timotheus, quem Paulus hortatur, vt faciat opus Euangeliſtę, quod opus ex 2. Timoth. 4. apparet fuiſſe Apoſtolis operam locando in prædicando paſsim Euangelium Chriſti. Non ergo erant immediate à Chriſto miſsi, vt Apoſtoli. Nõ adminiſtrabant Eccleſias, nunc has, nunc illas ab Apoſtolis conſtitutas, vt Prophetæ, ſed vt comites tantum fuerunt Apoſtolorum, quibus vtebantur in fungendo ſuo munere. Et tametſi vox Euangeliſtæ in genere ſignificat quemuis pręconem Euangelij, tamen hic pro certa functione ſicut expoſuimus accipitur. Interdum quoque Euangeliſtæ dicuntur illi quatuor, qui hiſtoriã Domini pertexuerunt, quorum duo Apoſtoli quoque fuerunt Matthæus & Iohannes, duo comites Apoſtolorum Marcus & Lucas.

Paſtores fuerunt quos hodie Parochos appellamus. Hi certis Eccleſijs præficiebantur, vt eas concionando, adminiſtrando Sacramenta, & ſancta quadam diſciplina regerent. Hi non temporarij ſunt, ſed vſque ad iudicium horum munus eſt in Eccleſia neceſſarium.

Doctores ſunt quos Eccleſia olim vocauit κατηχητὰς, quorum munus fuit formam doctrinæ præſcribere, & tradere fundamenta doctrinę, quæ poſtea paſtores imitarentur: quales hodie ſunt, qui in ſcholis iuuentutem religionem docent, hi hoc ſpectant, vt vera interpretatio & iuſtus docendi modus in Eccleſia retineatur.

Cæterũ tametſi tempore Apoſtoli nondũ receptus fuit promouendi ritus, qualis nunc in vſu eſt, ſciendum tamen eſt pios Eccleſiarũ & ſcholarum gubernatores bono & vtili conſilio inſtituiſſe promotionum gradus, cum vt arrogantes nõ vſurparent ſibi hunc honoris titulũ ſine Eccleſiæ iudicio, tum vt idonei ex teſtimonio publico agnoſcerentur ac in precio haberentur. Neq; hoc eſt contra Hierarchiæ Eccleſiaſticæ dignitatem, quæ nobis à Spiritu ſancto commendatur. Nam cum Spiritus ſanctus ordinem & decorum cõmendat Eccleſiæ, ius ipſi reliquit ordinandi ritus, qui ad ordinem & εὐσχημονίαν facere videntur. Quare non eſt quod moremur ſuperborum ſpirituum voces, cõtemnentium hoſce Eccleſiaſticos gradus, modo illi quibus tales collati ſunt gradus, meminerint eos nõ contemtus aliorum aut arrogantis ſupereminentiæ ſymbola eſſe, ſed potius publica teſtimonia officij, quod Eccleſię debent, & ad quod tanquam publico ſacramento obſtringuntur. Sed obijciunt forte aduerſarij, Eccleſia Chriſti neſciat Pompã, habeat fidei & ſanctimonię probationẽ, preces & manuũ impoſitionem? Reſpondeo. minime indignum eſſe Chriſtianis, pijs & eruditis viris teſtimonia doctrinę & honeſtatis conferre: vt ſciat Eccleſia, quibus poſsit tuto gubernationem & curã doctrinæ commendare. Nec obſtat quod huiuſmodi promotiones iam

longo tempore in abuſu fuerint, modo ſordibus abſterſis, res vtiles Eccleſijs & ſcholis retineamus. RVRSVS excipiunt ac dicunt Dominum prohibuiſſe appellari Rabbi & magiſtros ſuper terram, eo quod vnus ſit magiſter. Reſpondeo, idem Dominus dicit non appellandum eſſe patrem ſuper terram, qui tamen in lege ſua parentes honorari præcipit. Quare non de appellatione, ſed de alia re interdictum intelligendũ eſt. Deinde περίστασις loci ſatis cõuincit, quis ſit huius interdicti ſenſus. Addit enim, Qui maximus eſt veſtrũ erit miniſter veſter. Itẽ: Qui ſe exaltauerit humiliabitur. Nõ vult ergo Dominus ſuo interdicto ſublatam eſſe appellationẽ patris aut magiſtri ſiue doctoris, ſed arrogantem fiduciam. Non vult vt nobiſipſis placeamus, ſi videmur aliquib. donis excellere. Non vult vt noſipſos alijs arroganter anteponamus, ſed potius vt qui maximus eſt omnibus miniſtrum ſe exhibeat, non vult vt nouam doctrinam excogitemus, ſed vt vnicũ noſtrum magiſtrum Ieſum Chriſtum in negocijs ſalutis ſequamur. QVOD autem Iacobi Apoſtoli dictum vrgeant, qui dicit: Ne ſitis multi magiſtri fratres mei, ſcientes quod maius iudicium accipiemus, facile refellitur. Nam Iacobus interdicto ſuo hanc ſubijcit rationem: In multis enim labimur omnes. Senſus ergo erit interdicti huius, ne duri morum aliorum cenſores eſſe velimus.

Nunc redeamus ad textus explicationem, vbi finem donorum, quibus Chriſtus ornat ſuã Eccleſiam, apponit Apoſtolus, Ad inſtaurationem, inquit, Sanctorũ, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Ad hunc finem pertinet vniuerſa donorum Chriſti collatio. Inſtauratio ſanctorum græcè καταρτισμὸς eſt proprie conſtitutio ſeu reparatio, qua membra prius diſsipata & laxata, in ſuũ locum reponuntur, vt ſtatus corporis ſit integer & bene compoſitus. Hinc Paulus, qui Eccleſiam corpori comparat, vocabulum ad ſtatum Eccleſiæ transfert bene ordinatum & compoſitum. Proinde varietas donorũ, quibus Chriſtus ſuam Eccleſiam ornat, pertinet ad ſtatum Eccleſiæ bene ordinandum & componendum. Huic enim rei tanquam proprio fini deſtinantur iſta dona. Subiungitur: In opus miniſterij, vt ſciamus quo Deus velit vti inſtrumẽto ad illã ſanctorum inſtaurationem, nimirum miniſterio verbi. Deinde inſtaurationem ſanctorum interpretatur ædificationẽ corporis Chriſti, de quo ſupra in ſecundo capite dictum eſt. Sequitur amplificatio à circumſtantia temporis & modo ædificationis corporis Chriſti ſumta, vſque dum, inquit, occurramus omnes in vnitatem fidei, & cognitionis filij Dei, hoc eſt, donec vniti fuerimus in fide & cognitione Chriſti. Neq; fruſtra, inquit, vſque dum occurramus. Nam ſignificat vno die fieri non poſſe, vt abſoluti & perfecti in Chriſto reddamur, ſed indies pergendum eſſe, vt tandem ad vnitatem corporis Chriſti veniamus: cuius vnitatis cauſſa eſt fides. Hæc cognitio non tantum eſt noticia mentis de Chriſto, ſed etiam fiducia cordis, Non enim ſatis eſt ſcire Chriſtum eſſe Deum, eſſe hominem, eſſe vnam perſonam, eſſe regem, Prophetam & ſacerdotem: niſi certa fiducia in eum recumbas.

Obſeruentur hic vnitatis gradus, quorũ primus eſt cognitio Chriſti: Vnde fides naſcitur, hac fide inſerimur Chriſto, & ei veluti incorporamur. Huic inſerti & incorporati tanquam membra eiuſdem corporis communi ſaluti per charitatẽ ſtudere debemus, qui inter nos ſpiritu Chriſti prius cõiuncti ſumus. Ex his proinde colligitur vnitatem Eccleſię non in traditionibus humanis, nõ in ceremonijs, ſed in veræ doctrinę & fidei conſenſu, vnde & amor mutuus naſcitur, conſiſtere. PORRO cum additur, In virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, eleganti metaphora incremẽtum ſanctorum exprimitur. Quemadmodũ enim ætatis ſunt gradus diuerſi, infantia, pueritia, ętas perfecta ſeu firmata &c. ita Chriſtianos paulatim creſcere oportet in fide & cognitione Chriſti, non perſtandũ eſt in infimo gradu: ſed tendendum perpetuo ad perfectionem: quam tamen non plenam conſequentur priuſquam exuti veterem hominem, in beata vita corporibus & animis noſtris cum Chriſto glorificabimur. Non ergo hæc Pauli verba ad molẽ corporis, ſed ad mentis lumen & cordis affectum referenda ſunt: nimirum vt vere Chriſtum cognoſcamus, ac viua fiducia in illum recumbamus, ne ſimus inconſtantes vt pueri, qui per ætatẽ nondum firmarunt iudicium: ſed vt viri perfecti, qui iudicio firmato conſtanter veritatem tuentur. Nam quæ hic de corpore & menſura ætatis dicuntur, transferenda ſunt ad ſpiritum eiusq; incrementum. Quemadmodum enim ipſe Dominus creuit corpore, donec perfectus vir eſt effectus, & iuſtam menſuram adultæ ætatis eſt nactus: ita nos in Chriſti cognitione & fide tantiſper creſcere oportet, donec ad perfectionem venerimus. Hunc eſſe germanum verborum Pauli ſenſum teſtantur etiam ea quæ ſequuntur. Nequaquam enim hic Paulus diſputat de mole corporum qua reſurgemus, quemadmodum quidam hic perperam colligunt. Nam id nihil ad præſentis diſputationis ſcopum, facit.

Ne amplius ſimus pueri qui fluctuemus & circumferamur quouis vento doctri-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

doctrinæ per aſtum hominum, per verſutiam ad inſidias ſeductionis.

Fructum ſolidæ agnitionis Chriſti & fidei exprimit. Solida enim Chriſti cognitio & firma fides muniunt animos hominum aduerſus tempeſtates quas excitant ſatellites Satanæ contra Eccleſiam Chriſti. Nam qui ſolida cognitione Chriſti & fide non ſunt præditi, facile vacillant, & perinde vt nauicula ſine rectore impellitur huc illuc, & vt arundo pro venti inconſtantia agitatur, ita illi quoque ab impoſtoribus & hæreticis à vera doctrina abducuntur. Commendatur igitur nobis, hoc loco verbum, & ſerium verbi ſtudium, vt in eo ita confirmemur, ne ab eo vlla aſtutia aut verſutia nos abduci patiamur. PORRO bina arma quibus impoſtores vtuntur contra Eccleſiam nominat. Non quod non ſint plura, ſed quia hæc ſunt præcipua: quorum prius quidem κυβεία proprie ludum aleæ ſignificat, vnde transfert Paulus vocabulum ad Sophiſticam ſeu technas illudendi ſcripturam, & fraudes quibus imperiti facile capiuntur. Poſterius vero πανουργία, qua ſignificatur verſutia ſeu ſubdola quædam vafricia, qua quis toto niſu incumbit vt alios fraudulenter circumueniat & fallat. Hoc epexegeſi exponit cum addit: ad inſidias ſeductionis, id eſt, quo aſtu, quaq; aſtutia adoriuntur homines, vt eos à veritate ſeducant. Hæc nos admoneant cum periculi à falſis doctoribus, qui à vera Chriſti cognitione & fide adeo maligne homines auertere conantur, tum diligentiæ & ſtudij, vt in vera doctrina confirmati, & nos ipſos munire aduerſus inſidias ſeductorum, & os obſtruere talibus impoſtoribus queamus.

Sed veritatem ſectantes in charitate, adoleſcamus in eum per omnia qui eſt caput nempe Chriſtus.

Antitheſis eſt ſuperioris membri. Quemadmodum enim ibi cauēdum eſſe à falſa doctrina, & inſidijs quæ fiunt doctrinę ab impoſtoribus meminit: Ita hic iubet ſectari veritatem, hoc eſt, perſiſtere in vera doctrina & fide. (Eſt enim ſynecdoche qua ſub vocabulo veritatis comprehenditur etiam affectus ſequēs more ſcripturæ) & in charitate mutua, vnde fiet vt adoleſcamus in ipſum Chriſtum, τὰ πάντα, id eſt, omnimode, qui eſt caput noſtrum. Quo enim magis in cognitione Chriſti, in fide & charitate creſcimus, eo magis adoleſcimus in Chriſto. Vt igitur pueri paulatim creſcunt, donec ad adultam ætatē peruenerint: ita oportet Chriſtianos perpetuo in cognitione Chriſti, in fide & charitate creſcere & perpetuo ad perfectionem tendere. Hæc omnia eo pertinent, vt nos ſubijciamus capiti Chriſto, ac vnitatem inter nos alamus, vt qui eodem Chriſti ſpiritu regamur. PORRO Chriſtus caput Eccleſiæ dicitur efficacia, perfectione, merito & ordine. Efficacia, quia Eccleſiam ſuo ſpiritu viuificat, ſuſtentat & ſeruat. Perfectione, quia antecellit omnibus angelis & hominibus ſapientia & iuſticia. Merito, quia obœdientia crucis expiauit peccata, & obœdientia legis ſatisfecit iuſticiæ Dei, vt quotquot in ipſum crediderint, Chriſti iuſticia habeantur iuſti: Ordine, quia eſt Eccleſiæ monarcha.

Ex quo totum corpus compoſitum & compactum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum efficaciam in menſura vniuſcuiuſque partis incrementum corporis facit in ædificationem ſuijpſius per charitatem.

Rationem reddit cur Chriſtum caput Eccleſiæ, curq; Eccleſiam corpus Chriſti appellet. Hic locus tametſi valde obſcurus apparet prima fronte, tamen explicatis vocabulis & ſimilitudine quam hic non explicat, facillimus erit ſenſus. Eccleſiam corpus vocat non quoduis, ſed compoſitum, ſeu, vt ſignificantius Paulus loquitur, συμβιβαζόμενον, hoc eſt, ita compoſitum, vt apte capiti ſubijciatur, non ſecus atq; ædificium ad normam, ſeu amuſsim architecti ſuper fundamento extructum. Significatur ergo hac voce relatio corporis ad caput, hoc eſt, Eccleſiæ ad Chriſtum. Deinde dicit Eccleſiam eſſe corpus compactum, græce συναρμολογούμενον, hoc eſt, ita conſtructū, vt aptis proportionibus membra ſibi mutuo cohæreant, & apte reſpondeant. Atq; ita hac voce ſignificatur mutua membrorum inter ſe relatio & proportio. Hoc corpꝰ pronunciat compactū eſſe per iuncturas ſubminiſtrationis, hoc eſt, per iuncturas per quas vnum membrum alteri communicat vitalem ſpiritum, qui à capite per omnia membra corporis, beneficio iuncturarum quibus membra cohærēt, diffunditur, idq; efficaciter pro modo cuiuſq; partis, hoc eſt, membri. Alia enim membra plus alijs de ſpiritu ex capite deſcendente percipiunt, vnde totū corpus incrementū ſumit. Iam facilior intellectu erit ſimilitudo. Quemadmodū ſe habet corpus hominis ad caput: ita ſe habet Eccleſia Chriſti

a.l Chriſtum ſuum caput. Sed corpus hominis capiti annexum, iuſtaq; proportione mem
bris per iuncturá compactum, omnem vitam ducit ex capite. Igitur Eccleſia Chriſti, capiti
Chriſto per fidé annexa, & inter ſeſe varijs charitatis officijs veluti membris coaptata, om-
nem vigorem ac vitam ducit à ſuo capite nempe Chriſto. Aut ſi mauis ſimilitudiné in hunc
modum formato. Quemadmodú ſpiritus per neruos à cerebro deſcendens ſenſum omni-
bus membris pro cuiuſque proportione cómunicat: Sic Chriſtus nobis qui ipſius membra
ſumus ſua dona ſuppeditat, idq; non fortuito aut temere, ſed pro menſura cuiuſque mem-
bri, hoc eſt, vt quodq; membrum capere poteſt, atque hunc in modum coædificari ſibi vni-
uerſum corpus & coaleſcere facit. Hæc pericopa Pauli multiplicé doctrinam nobis ſuppe-
ditat. Primum enim hinc colligitur, extra Eccleſiam eſſe omnes quotquot Chriſto ſe non
ſubijciunt in vera agnitione Chriſti & fide, & qui charitate abiecta ſe mutuo odio proſe-
quuntur. Deinde vera & perſpicua Eccleſiæ deſcriptio hinc ſumi poteſt, nimirum quod ſit
cœtus credentium Euangelio, qui ipſi Chriſto capiti ſic adhærent, atque ita inuicem ſunt
coniuncti & coagmentati, pro cuiuſque fidei menſura, pro donorum ſpiritus ſancti varie-
tate, pro vocationum conditione, vt vnum corpus conſtituant, vt eodem omnes ſpiritu vi
uant & agantur, vt denique mutua beneuolétia ſe foueant & tueantur. Præterea hic locus
oſtendit quá ſit concinnus Eccleſiæ Chriſti ordo. Talis enim eſt ordo Eccleſiæ, qualis mem
brorum eiuſdem corporis ſub vno capite. Adhæc locus præſens docet qualiſnam debeat eſſe
συμπάθεια & conſenſio Chriſtianorũ inter ſeſe. Vt enim in eodem corpore cum vnú mem-
brum patiatur, reliqua omnia compatiuntur: Ita Chriſtiani qui ſunt corporis eiuſdé mem-
bra, affecti erga ſe inuicem eſſe debent, vt cum aduerſis tum proſperis mutuo afficiantur.
Huc illud Pauli præceptum: Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Poſtremo
loco obſeruetur quod Apoſtolus in charitate potiſsimum collocet ædificationem corporis
Chriſti. Per hanc enim Chriſti cognitio & fides efficaces ſunt, & redduntur illuſtriores. Vbi
enim charitas nõ eſt, ibi cognitio quidem Chriſti exigua, fides vero nulla exiſtit. Nam pro
fidei modo creſcit & decreſcit charitas.

Hoc itaque dico & teſtificor in Domi-
no, ne vos amplius ambuletis ſicut & reli-
quæ gentes ambulant in vanitate mentis
ſuæ, excœcati intelligenria, alienati à vita
Dei, propter ignorantiam quæ eſt in ipſis,
propter obdurationem cordis eorum, qui
poſteaquam dolere deſierunt, ſeipſos tradi-
derunt laſciuiæ ad perpetrandam omnem
impuritatem, cum auiditate.

Extructurus Apoſtolus ex genera-
li ſententia particulares paræneſes:
Primum in genere monet à qualibus
moribus ſit abſtinendum, nimirum
à gentium, id quod à contrarijs cauſ-
ſis cõfirmat, ac primum de principijs
actionum ſeu cauſsis, Deinde de ipſo-
rum effectibus agit. Principia actio-
num in prophanis gentibus tria facit,
videlicet, mentis vanitatem, intelli-
gentiæ obſcuritatem ſeu cœcitatem,
& obdurationem cordis. Mens eſt quæ τὸ ἡγεμονικὸν dicitur à Philoſophis, videlicet, cum ho
mo lumine rationis cernit & iudicat honeſta & inhoneſta, ſed hãc vanam eſſe pronunciat
Apoſtolus. Intelligentia διάνοια, facultas illa eſt, per quam meditamur, recordamur ac ra-
tiocinamur & colligimus aliquid ex ijs quæ mẽs ſine ratiocinatione quiete cernit, ſed huic
cœcitatem tribuit, vnde fit quod gentes vt ignaræ Dei alienatæ ſint à vita Dei. Eſt autem
vita Dei hoc loco, qua Deus intus in corde viuit, & à qua omnis efficiendi boni alicuius vis
dependet & voluntas. Cordis nomine appetitiones intelligit, cui tribuit obdurationem,
qua fit, vt homines non afficiantur vllo timore Dei, ſed potius ruant quo praui affectus im
pellunt. Hæc ſunt principia & cauſſæ actionum moralium (quantum ad religionem atti-
net) in gentibus quæ nondum ſunt conuerſæ ad Deum. Verũ vt hæc paulo charius à nobis
percipiantur, ea exemplis illuſtremus. Mens hominis cernit Deum eſſe, eumq; colendú iu-
dicat: quod iudicium tametſi verũ eſt, vanitatis tamen à Paulo arguitur, idq; rectiſsime, eo
quod in nihilum euaneſcat, & naturæ prauitate ſuffocetur, priuſquam ad actionem deuen
tum fuerit. Nam cum ex hoc principio intelligentia ratiocinatur, & à vero Deo, & à recta
colendi Deum ratione aberrat. mens quidem cernit Deum eſſe & eſſe colendũ, ſed intelli-
gentia in Babylonijs Belum, in Aegyptijs Apim, in alijs alia idola colenda eſſe ratiocinatur,
idq; nunc per humanas victimas, nunc per alios ab hominibus excogitatos ritus. Atq; hoc
eſt, quod Paulus Roman. 1 dicit, gentes tranſmutaſſe veritaté Dei in mendacium ac coluiſ-
ſe creaturam ſuper creatorem. Porrò his cauſsis dignos profecto fructus ſubijcit, qui ſunt
ignorantia Dei, alienatio à vita Dei, obduratio, ſtupor ſeu indolentia, qua nõ ſentiunt gen
tes ſui peccati magnitudinem & grauitatem, ſed prorſus ob peccatũ dolere deſinunt. Hunc
ſtuporem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtuporem ſequitur ad omnem petulantiam inclinatio quædá,imo effrenis quædá peccandi libido,quam laſciuiæ nomine hic deſignat. Hæc libido prorumpit in omnis generis flagitia,quæ hic vocabulo immunditiæ notantur: quæ omnia auget auiditas,quæ omni moderationi aduerſatur, donec hominem in barathrũ damnationis præcipitauerit. Eſt enim πλεονεξία immodica quędam cupiditas habẽdi acquirendiq;. HIC primum obſeruandum eſt, qualiſnam ſit homo citra regenerationis gratiam,poſt lapſum primorum parentũ, videlicet.vanus mente,cœcus intelligentia,& induratus corde:vnde facile æſtimare eſt,qualenam ſit liberũ arbitrium,quod Sophiſtę adeo mirantur & prædicant etiam in non renatis.Si ergo, iuxta doctriná Pauli & progreſsio & conatus ſunt in vitio. Quid quæſo ſani reliquum erit? Etſi autem Apoſtolus nõ adimit homini naturales facultates, tamen eas poſt lapſum corruptas eſſe teſtatur. CÆTERVM obſeruandum eſt Paulum hic non loqui de actionibus naturalibus aut ciuilibus,quæ reguntur corporis motu & geſtu. In his enim aliqua libertas remanet in non renatis,ſed tantum de actionibus cultus diuini:quarum tres ſunt cauſſæ. Prima, Verbum quo mens eruditur, & iudicium formatur. Secunda,ſpiritus ſanctus qui in verbo eſt efficax ad illuminandam mentem, & flectendá voluntatẽ. Tertia, eſt voluntas hominis acquieſcẽs in verbo & cedẽs Spiritui ſancto, à quo docta & mota eſt.

Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, ſiquidem ipſum audiuiſtis & in ipſo eſtis edocti,quemadmodum eſt veritas in Ieſu.

Reddit cauſſam, cur non debeant Epheſij, vt aliæ prophanæ gentes Euangelij Chriſti ignaræ viuere, videlicet,quod didicerint Chriſtum. Quemadmodum enim paulo antea cauſſas ſcelerum in gentibus recenſuit,vanitatem mentis, cœcitatem intelligẽtiæ, obdurationem cordis: Ita hoc loco ſolam Chriſti noticiam iſtis omnibꝰ opponit,eamq; cauſſam affirmat eſſe vitæ piæ & ſanctæ tranſigendæ. Hæc itaque noticia Chriſti aliam in nobis gignere debet viuendi rationem, quam eſt gentium, quæ nondum per prædicationem Euangelij ad Deum ſunt conuerſæ. Hæc enim Chriſti noticia efficax mentẽ reformat,intelligentiá illuminat,cor mollius reddit. Breuiter: Hominẽ regenerat Spiritu Dei, vt nunc vitam Dei viuere incipiat. Atque hoc eſt quod dicit Apoſtolus: quemadmodum eſt veritas in Ieſu, hoc eſt,vera viuendi ratio in illuſtri exemplo propoſita. In Chriſto enim nullũ veteris hominis veſtigium apparebat. Nam & patris ipſiſsimam imaginem referebat,& ſpiritu Dei plenus, patri per omnia obtemperabat. Vocabulum itaq; veritatis, nõ veritatis aſſenſum tantum, ſed etiam actionem ſequentem aſſenſum ſynecdoche vſitata Hebræis ſignificat. OBSERVANDVS diligenter hic locus eſt, qui docet vanam eſſe de Chriſto ſeu Euangelio noticiam, niſi cõiunctos habeamus mores Chriſto & Euangelio dignos. Noticia enim Euangelij nõ conſiſtit in nuda contemplatione rerũ, nõ in ocioſis diſputationibus: ſed in ſimplici Chriſti cognitione,fide & innocentia vitæ,ſeu vt Paulus alibi loquitur ἐν γνώσει καὶ αἰσθήσει.

Deponere vos ſecundun priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum concupiſcentias erroris. Renouari vero ſpiritu mentis veſtræ, & induere nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſticia & ſanctitate veritatis.

Quid ſit vere didiciſſe Chriſtum, quę ſit in Chriſto veritas,qualiſq; vita Chriſtiana eſſe debeat, breui quidem ſed plena enumeratione exponit Apoſtolus. Enumerationis huius tres partes ſunt, videlicet, deponere veterem hominem,renouari ſpiritu, & induere nouum hominem.

Prima ergo pars eſt depoſitio veteris hominis. Vetus homo non ſubſtantiam,ſed qualitatem,nimirum vitium & corruptionem,adeoq; omnem peccandi conſuetudinem ſecundum priſtinam conuerſationẽ ſignificat. Hanc peccandi conſuetudinem Paulus vult Chriſtianos deponere,vt plenũ ſit ſpiritꝰ imperium,cuius rei cauſſam addit. Qui corrumpitur ſecundũ concupiſcentias erroris. hoc eſt,qui deceptricibus concupiſcentijs corrumpitur, dum hominem in corruptionẽ & exitium trahit. Qui igitur exitium & extremam internecionem euadere cupit,veterem hunc hominem deponat. Deponi autem tum demum vetus ille homo dicitur, cum eneruatur corpus peccati,vt non amplius ſeruiamus peccato. Ita enim ſe interpretatur ad Roman. 6. cum inquit:Hoc ſcientes quod vetus noſter homo cum illo crucifixus eſt,vt aboleatur corpus peccati, vt non amplius ſeruiamus peccato. In hoc Pauli dicto obſeruandum eſt crucifigendi vocabulum. Eo enim ſignificat efficaciá crucis & mortis Chriſti in nobis ad crucifigendum & mortificandum veterẽ hominem. Huc pertinet illa Apoſtoli exhortatio. Ne

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

igitur regnet peccatum in mortali veſtro corpore ad obœdiendum illi in concupiſcentijs eius: neq; ſiſtite membra veſtra arma iniuſticiæ peccato, ſed ſiſtite vos ipſos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſticiæ Deo. Hoc etiam congruit cum dicto Domini, ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur me.

Secunda pars regulæ propoſitæ, eſt renouari ſpiritu mentis, hoc eſt, mentem noua luce ita perfundi, vt vanitate mentis & cœcitate intelligentiæ expulſis, quæ ſpiritus ſunt, homo ſapiat, intelligat, cupiat, meditetur, ratiocinetur. Nam cum animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, talem ſpiritus renouationem fieri oportet, per quam homo ſe ſpiritus imperio ſubijcere poteſt.

Tertia pars regulæ, eſt induere nouum hominem, qui ſecundũ Deum creatus eſt in iuſticia & ſanctitate vera. Huius partis tria ſunt membra. Primum eſt induere nouũ hominem abolitis vitijs & renouato ſpiritu mentis. Alterũ eſt qualitas noui illius hominis, videlicet, quod ſecundum Deum creatus ſit, hoc eſt, ad imaginem Dei. Tertium, cõtinet res in quibus conſiſtit illa nouitas ſeu imago Dei, videlicet, iuſticiam & ſanctitatem veram, quorum illa hominibus ſeruimus iuxta ſecundã tabulam, hac Deum pure colimus. Veritatis vocabulum epitheti vicem obtinet more Hebraico, quo ſignificatur requiri à nobis non fucatam iuſticiam, non ſanctitatem externam tantum, ſed puram iuſticiam & cordis ſanctimoniam ad normam mentis diuinæ compoſitam. Diligenter hic Pauli locus eſt obſeruandus, non ſolũ quia breuiter & pulcherrima diſtributione partes Chriſtianæ vitæ continet: verum etiam quia claram & perſpicuam definitionẽ imaginis Dei in homine ſuppeditat, Hinc enim intelligitur imago Dei eſſe cõformitas hominis cum Deo in iuſticia & ſanctitate vera. Hinc eſt quod vetuſtas definit Chriſtianiſmum eſſe imitationem diuinæ naturę.

Quare depoſito mendacio loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quia ſumus viciſsim inter nos membra.

Nunc hypotheſes colligit, quas extruit ex theſi ſeu ex generali regula de deponendo veteri homine & induendo nouo, & membra quædam vtriuſque hominis recitat exempli gratia. Eſt autem prima hypotheſis de veritate ſeu ſimplicitate ſectanda, & de mendacio, id eſt, quouis fuco fugiendo. Hanc hypotheſin ita colligit: Exuendus eſt vetus homo & induendus eſt nouus homo, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſticia & ſanctitate vera. Igitur veritas vt membrum noui hominis ſectanda eſt: Mendacium autem vt membrum veteris hominis abſcindendum eſt, vt cum proximis noſtris ſincere & ſimpliciter agamus. Huic hypotheſi ſubijcit aliam rationem à connexis ſumtam. Sumus, inquit, viciſsim inter nos membra. Ergo decet, vt veritate & candore abſque omni fuco nos inuicem foueamus. Ad hunc modum ſequentes etiam hypotheſes extruendæ ſunt, quæ omnes vſque ad finem capitis per antitheſin efferuntur.

Iraſcimini & ne peccetis, ſol ne occidat ſuper iracundiam veſtram, & ne detis locum Diabolo.

Ne iraſcamur præcipit. Verũ quia ſæpe contingit pios commoueri indignitate rerũ & imbecillitate naturæ, fit, vt ab ira non poſsint prorſus alieni eſſe. Quare primum modum iraſcendi præſcribit. Deinde dat conſilium: Tum rationem conſilij ſubijcit. Modus iræ eſt ne iraſcendo peccemus, quod fit quoties vel noſtris vitijs vel aliorũ iraſcimur. Solum enim hoc iracundiæ genus laudabile eſt, quod vitijs vel proprijs, vel aliorum corrigendis zelo glorię Dei adhibetur cum iuſto moderamine. Verum quia vix ab ira, quin aliquo vitio noſtro conſpurcetur, abſtineri contingit, dat conſilium Apoſtolus ne ſinamus ſolem occidere ſuper iracundiam, hoc eſt, ne ſinamus diu iracundiæ vitium apud nos reſiſtere, ſed vt ira cum die orta, cum die etiam concidat. Hoc vult etiam Pythagoricum illud Symbolum, Ollæ veſtigium cinere turbato. Nam ſi diuturior fuerit ira, futurum eſt, vt Satanas cor hominis poſsideat, atque ita hominem paulatim in exitium præcipitet. Atque hoc eſt, quod Paulus ſubijcit: Et ne detis locum Diabolo. Diligenter obſeruandus eſt hic locus qui teſtatur per iracundiam & odium Diabolo in corde hominis locũ parari ad inhabitandum. Quare non ſecus atque laqueum Satanæ indignationem & iracundiam fugiamus.

Qui furabatur non amplius furetur, magis autem laboret, operando

quod

quod bonum eſt manibus, vt habeat vnde tribuat neceſsitatem patienti.

Omnem fallendi viam furti nomine ſynecdochicῶς intelligit. Vt autem hoc furtum tanquã veteris hominis membrum abſcindendum ſuadet: Ita diligentem laborem & ſummam induſtriam, vt noui hominis membrum in cuiuſque honeſta vocatione requirit. Præcepti finem addit, nimirum vt quiſq; habeat quo alios indigentes iuuet, eos videlicet, qui vel morbo, vel ſenio impediti ſibijpſis victum ſuis manibus acquirere non poſſunt. Hic locus contra fures obſeruandus eſt, qui ocioſe viuunt & alia deuorant.

Omnis ſermo putris ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem neceſsitatis, vt det gratiam audientibus, & ne contriſtetis ſpiritum ſanctum Dei quo obſignati eſtis in diem redemtionis.

Vt turpiloquium vnum ex fœdiſsimis membris veteris hominis abſcindendum hortatur: Ita ſermonem bonum ad neceſſariam ędificationem vt noui hominis membrum, inter nos ſectandũ ſuadet, vt videlicet, det gratiam, id eſt, proſit & commodus ſit audientibus. Gratiæ enim nomine quiduis commodi & vtilitatis genus hoc loco ſignificatur. PORRO exhortationi grauiſſimam rationem ſubiungit, inquiens: Et ne contriſtetis ſpiritum Dei, ſcilicet, ſpurco ſermone veſtro. Eſt autem hic duplex ſchema obſeruandum. Primum, ἀνθρωποπαθεία, quo ſchemate Deo tribuuntur humani affectus & geſtus. Deinde eſt Metonymia, nam triſtare ſpiritum eſt illum ita offendere, vt hominem in quo veluti hoſpitiũ habuit, deſerat. Quemadmodum enim hoſpes violenter eiectus de hoſpitio, triſtatur, Ita ſpiritus ſanctus dicitur triſtari, quando ob flagitia, cor hominis in quo habitauit prius per fidem, deſerit. Hęc Pauli exhortatio ſi apud omnes qui Chriſti nomen profitentur locum haberet, minus profectò ſcandalorum eſſet & plus tranquillitatis in vita, ſed conſuetudo praua, malitia hominum, inſidiæ Diaboli & carnis nequitia, pleroſque pro dolor, in contrarium rapiunt, idque non ſine maximo Eccleſiæ ſcandalo & multorũ certiſsimo exitio. Quare contra conſuetudinem inueteratam, contra malitiam hominum, contra inſidias Diaboli, & contra nequitiam carnis fide & precatione pugnare oportet. Quod autem addit: quo ſpiritu obſignati eſtis, in diem redemtionis, maximum pondus exhortationi addit. Eſt enim ſpiritus ſanctus certa nota, qua pij à reprobis diſcernuntur, vſque ad diem redemtionis noſtræ qua plene liberabimur ab omnibus miſerijs.

Omnis amarulentia, & indignatio & ira, & clamor, & blaſphemia remoueatur à vobis cum omni malitia, ſitis autem mutuo miſericordes, condonantes vobis inter vos, quemadmodum & Deus vobis in Chriſto condonauit.

Supra iracundiam abſcindendam ſuaſit tanquã fœdiſsimum quoddam veteris hominis membrum. Nunc adiuncta & partes tanquam articulos iſtius membri tolli præcipit, & iubet vt in eorum locum virtutes enumeratis vitijs contrariæ ſubſtituantur. Cæterum quia vocabula vitiorũ quæ numerat Apoſtolus ſunt affinia in ſignificatione diſcernẽda ſunt. Amarulentia græce πικεία, iracundiæ & furoris eſt radix. hæc indignationem græce θυμὸν, hoc eſt, furorem quendam animi ad vindictam parit. Indignatio iram quæ in actũ prodit, generat. Hæc clamoris, id eſt, contentionis verborum mater eſt. Clamor profert blaſphemiam qua alter alterius famam inuadit & obſcurare conatur. Hæc omnia vult Apoſtolus ſublata cum omni malitia, quibus veluti armantur homines ad nocendum proximo. PORRO his membris veteris hominis ex aduerſo opponit Apoſtolus noui hominis membra, videlicet, comitatem, miſericordiam & mutuam condonationem. Vt autem perſuadeat hoc ſuis Epheſijs Paulus, ſummum omnium exemplorum adducit, nempè Dei patris, qui nobis in Chriſto condonauit. Huius exemplum imitari decet omnes quotquot de tanto patre gloriari cupiunt. Turpe enim eſt liberos patris ſui virtutes, quoad licet, non imitari. Huc & Domini præceptum pertinet, Lucę 6. Eſtote miſericordes, vt ſimiles ſitis patris veſtri qui in cœlis eſt. Ambroſius ſic format argumentum Apoſtoli: Si Deus per Filium ſuum ſeruorum miſertus eſt, quanto magis ſerui ipſi inuicem ſibi debent miſereri & donare, ſi alter in alterum peccet.

CAPVT V.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Summa Capitis quinti.

Vt pater cœleſtis imitandus eſt in omni ſanctimonia & puritate: ita mutua exemplo Chriſti fouenda eſt charitas: quo omni turpitudine expulſa, pie & honeſte viuere liceat. Præterea ſubiectos ſibi mutuo eſſe pios oportet, ac vt mulieres decet ſuis proprijs maritis eſſe morigeras: Ita viciſſim maritorum eſt, exemplo Chriſti diligentis ac fouentis ſponſam ſuam Eccleſiam, ſuas diligere vxores.

Ordo & partes Capitis quinti.

Principium huius quinti Capitis ex vltimo verſu quarti Capitis concluditur. Nam vt illic argumentum mutuæ beneuolentiæ & condonationis, ab exemplo patris cœleſtis ſumit: Ita hic in principio Capitis quinti exemplum eiuſdem patris imitandum in genere proponit, ac illud ſtatuit ſequentium hypotheſium tanquam primarium quoddam axioma. Huic exemplo annectit exhortationem ad mutuam dilectionem argumento ab exemplo Chriſti ſumto. vnde, hoc eſt, ab exemplo Patris & Chriſti, rurſus in comparatas per antitheſin hypotheſes fertur, & enumerat non pauca Chriſtianorum officia, interſerens argumenta à diuerſitate ſtatus duplicis, videlicet, ante Chriſti lucem agnitam & ſub gratia. Deinde rurſus generalem exhortationem ingreditur ad mutuam ſubiectionem, quam mox in plures hypotheſes diuidit, ac duas in hoc capite copioſius tractat: quarum prior quidem eſt de ſubiectione qua vxores ſuis maritis ſubiectæ eſſe debent. Poſterior de officio maritorum, vt exemplo Chriſti diligentis Eccleſiam ſuas vxores diligant.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SITIS igitur imitatores Dei tanquam filij dilecti, & ambulate in dilectione, quemadmodum & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem bonæ fragrantiæ.

Exemplum Dei in parte ad imitandum propoſitum in fine quarti capitis, transfert ad genus, nimirum vt omnibus actionibus & tota vita, Dei imitatores ſimus quemadmodum filij dilecti. Hæc imitatio ſita eſt in vera ſanctitate, qua ſpiritus integer & anima & corpus ſine querela ſeruatur, hoc eſt, componitur ad regulam mentis diuinæ lege Dei expreſſam. Huc illud, 1. Theſſ. 5. Ipſe Deus pacis ſanctificet vos totos, vt integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Hanc imitationem Deus requirit, cum inquit: Sancti eſtote quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos à cæteris populis, vt eſſetis ſancti. Ad eundem modum & Chriſtus, Matth. 5. nobis patris exemplum imitandum proponit, cum inquit: Eſtote vos perfecti, ſicut pater veſter, qui in cœlis eſt perfectus eſt. Hic Dominus nõ requirit æqualem perfectionem, ſed ſimilem pro noſtro modo dum ad perfectioné tendimus, id quod ſignificatur imitationis voce. HIC locus diligẽtur obſeruandus eſt. Docet enim quod quicunque in filiorũ Dei numero eſſe volunt, debeant patris cœleſtis exemplũ in omni ſanctitate & puritate imitari. Hoc qui non faciunt falſo ſibi filiorũ nomen attribuunt, cũ ſint potius ſpurij quam legitimi filij. Huc annectit exemplum filij quo ad mutuã dilectioné nos hortatur, & vt exemplũ præſens plus ponderis habeat, breuiter ab effectu declarat quanta filij Dei dilectio erga nos fuerit, nimirum quod ſe tradiderit Deo pro nobis oblationem & hoſtiam, id eſt, victimã ſatisfactoriam pro peccatis noſtris in odorem bonæ fragrantiæ, id eſt, in victimam, qua victima vnice delectatus eſt Deus. Eſt autem hic duplex figura obſeruanda. Primũ ἀνθρωποπαθεία. Nam Paulus hic exemplo Moſis Deum humana perſona induit, vt ſe ad captum noſtrum accommodet. Ita enim loquitur Moſes, Geneſ. 8. Odoratus eſt odorem ſuauitatis. Deinde eſt Metalepſis vſitata Hebræis. Nam ex odore bonæ fragrantiæ intelligitur victima Deo grata. Autor Epiſtolæ ad Hebr. cap. 13. proprio ſermone vſus, quo Moyſis phraſin interpretatur: Talibus, inquit, hoſtijs εὐαρεστεῖται, hoc eſt, vnice delectatur Deus ſeu beneplacetur Deo. Hoc argumentum dilectionis Chriſti erga nos tria continet: Primum quod Chriſti mors vnicum ſit precium noſtræ redemtionis. Secundum, quod

Chriſtus

Chriſtus hæc omnia præſtiterit immeritis ex mera ſua bonitate & dilectione. Tertiũ, quod cogitatio huius ingentis dilectionis Chriſti debeat nos iuſtiſsime admonere mutuæ inter nos dilectionis. Quare ſi participes Chriſti eſſe volumus mutuæ dilectioni ſtudebimus, præſertim cum ipſe dixerit, in hoc cognoſcent homines quod mei diſcipuli ſitis, ſi vos mutuo dilexeritis, ſicut ego dilexi vos.

Scortatio vero & omnis immundicia aut auaritia ne nominetur quidem inter vos ſicut decet ſanctos.

Pugnantia cum vera imitatione patris cœleſtis, hoc eſt, cum ſanctitate qua ſuos ornatos vult Dominus, enumerare incipit, & hic tria ponit, ſcortationem, id eſt, vagam libidinem, immundiciem, hoc eſt, omnis generis libidinem, qua corpus & anima contaminantur, auaritiam qua fiducia in Deum extinguitur, & fiducia in pecuniam tanquam idolum fouetur. Hæc vitia adeo vult Apoſtolus ſublata, vt ne nominẽtur quidem inter Chriſtianos, ne dum in vſu ſint. Paulus videtur reſpexiſſe ad locum qui eſt Deut. 23. Non ſit meretrix neque ſcortator de filijs Iſrael. Verum hic vulnera Eccleſiæ merito deploranda ſunt. Nam iſtæ fœdiſsimę peſtes non ſolum nominantur petulanter, verumetiam perpetrantur impune apud eos qui iudicium Dei ſe exercere gloriantur. Sed piorum eſt cauere, ne multitudine errantium & horrendis ſcandalis incidant in laqueum Satanæ, vt vel blaſphement verbum Dei propter mores corruptos eorum qui in Eccleſia Dei non poſtremi eſſe volunt, vel inuitentur exemplo ad imitationem, quod admodum procliue eſt. Multo enim citius homines vitium vnius imitantur, quam multorum virtutes. Cur autem hæc nominari nolit Apoſtolus, probat à repugnantibus: Chriſtiani ſancti eſſe debent. Ergo nihil illis commune erit cum fœdis & abominandis criminibus.

Et turpitudo, ſtultiloquium, ſcurrilitas, quæ non conueniunt, ſed magis gratiarum actio.

Rurſus connectit tria quæ ſimiliter cum imitatione Dei & vera ſanctitate pugnant, quibus opponit virtutem εὐχαριστίαν, quæ non ſolum ſignificat orationem qua gratias agimus Deo, atq; illum prædicamus: Verumetiam ſermonem gratia & ſuauitate conditum notat Non enim amat Deus Stoicá & ſuperciliofam in loquendo aſperitatem, qua homines abſterrentur à conuictu noſtro, ſed vt vult nos comes & ſuaues in conuictu: ita ſermonem requirit pia ſuauitate conditum. Porrò quod interſerit Apoſtolus: quæ non conueniunt, argumentum eſt à repugnantibus. Pugnat enim cum piorum officio omnis turpitudo & obſcœnitas.

Hoc enim noſtis, quod omnis ſcortator, aut immundus, aut auarus, aut qui eſt idolatra, non obtinebit hæreditatem in regno Chriſti & Dei.

Comminationem grauiſsimam ſuperioribus addit, ſeu argumentum à ſupplicio quod imminet ſcortatoribus, im mũdis & auaris ſubijcit, nimirum quod excludantur ab hæreditate Chriſti & Dei. Nec mirum eſt, quoniam cum his peſtibus fides iuſtificans nequaquã ſtare poteſt. Non tamen hac cõminatione lapſis præcluditur ſpes veniæ, ſed tantum ſignificatur ſupplicium huiuſmodi peccatis dignũ, vt fœditate peccati agnita, & magnitudine reatus ex pœnis intellecta, agamus pœnitentiã ac talem fœditatem deteſtemur. Nã de pœnitentibus regula Ezech. 33. tenenda eſt. Cum receſſerit impius ab impietate ſua feceritq; iudicium & iuſticiam, viuet in eis. Item, Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Sed ſummopere cauendũ eſt, ne hac regula in contumeliam Dei & in noſtram perniciem abutamur. Caueamus igitur ne conſuetudine peccandi in reprobam mentem incurramus, & dolere tandem de impijs noſtris factis deſinamus. Nam ſi ſpiritus ſancti clamores, quibus nos in prædicatione Euangelij ad pœnitentiam inuitat, contemſerimus, metuendum eſt ne iuſto Dei iudicio abijciamur, & tanquam mortui & pœnis æternis deſtinati coram Deo habeamur. Quod ſane ſupplicium digniſsimum eſt, quo Deus hominum peruicacem pertinaciam puniat.

Nemo vos decipiat inanib⁹ ſermonibus, propter hæc enim venit ira Dei in filios contumaciæ. Nolite ergo effici participes eorum.

Prolepſis eſt qua anteuertit obiectionem & excuſationem eorum, qui flagitia, quæ recenſuit, extenuant, aſſerentes ea eſſe humanæ fragilitatis errata: Deum non eſſe adeo crudelem,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

lem, quod velit homines ob talia in perpetuum abijcere: fuiſſe alios omnibus temporibus etiam ex ſanctiſsimis patribus in ſimilia prolapſos: gratiam ita abundare, vt abſorbeat totius mundi peccatum: ſatis eſſe ſi quis vel in extremo halitu peccatorum commiſſorum ducatur pœnitudine. Huiuſmodi argumentis multi ſe miſere decipiunt, donec præcipites ruant in perpetuum exitium. Verum Apoſtolus noſter admonet hic pios, ne ſinant ſe huiuſmodi vanis ſermonibus veluti ineſcari, quo tanquam hamo Satanę pertrahantur in infernum. Nullum pernicioſius venenum eſt, quam ſunt illæ excuſationes, quæ nos in peccatis detinent & confirmant. Quicunq; enim huiuſmodi inanibus ſermonibus indulget, prorſus timore Dei vacat. Nam timoris Dei proprium eſt, vt loquitur Syracides, expellere peccatum. Proinde non dico tanquam Syrenũ cantus, ſed veluti exitiales Satanæ morſus fugiamus voces hominum prophanorum, qui iudicium Dei & peccatorum reprehenſiones in facetias vertunt, & moueamur exemplis totius mundi, qui expertus eſt propter talia flagitia venire iram, hoc eſt, vindictam Dei in filios inobœdientiæ, id eſt, in homines contumaces. Hoc teſtatur diluuium, excidiũ Zodomæ, plurimæ clades & Rerumpub. ac familiarum euerſiones & horrendæ mutationes. Hoc ipſum in extremo die teſtabuntur pœnæ, quibus Deus hanc contumaciam puniet.

Obtemperemus igitur Spiritui ſancto hortanti & præcipienti, ne ſimus conſortes illorum, & ſerio, matureq; agamus pœnitentiam vitæ prioris, ne nos Dominus in furore ſuo iuſtiſsime abijciat & tradat in reprobam mentem, donec prorſus dedoleamus. Non moueat nos multitudo peccantium, non fallat nos impunitas. Nequaquam aufertur pœna, ſed tantum differtur. Ne igitur cõtemnamus lenitatem Dei ad pœnitentiã nos inuocantis.

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino tanquam filij lucis ambulate.

Exhortationis argumentum petit à collatione duplicis ſtatus Epheſiorum, videlicet eius, in quo ante conuerſionem fuerunt, & huius, in quo iam conuerſi collocati ſunt. Par enim eſt, vt quilibet dignitati & loco in quo eſt, vita & moribus reſpondeat, caueatq; ne qua labe contaminet ſuum ſtatum, atq; ita propria culpa excidat gradu, in quem euectus fuerat, cum in propriam ignominiam, tum in aliorum ruinam, qui exemplo deteriores fiunt. Tenebras hoc loco Apoſtolus vocat homines cæcos & flagitioſe viuentes, quales ſunt omnes non conuerſi per Euangeliũ. Habet autem hæc Metonymia magnã Emphaſim, vt cum ſcelus pro ſceleſto dicimus. Senſus ergo eſt. Ante conuerſionem fuiſtis homines ex meris tenebris ignorantiæ & malitiæ conflati, adeo vt nihil veræ & ſalutaris lucis in vobis fuerit reliquum. Nunc autẽ lux eſtis. Quare vt filij lucis ambulate. Nomen lucis tribuitur fidelibus, tum quia vera luce illuſtrãtur in ſeſe, tũ vero quod alijs etiam præluceant, adeo vt ſceleratorum vitam etiam coarguant, hoc eſt, magis manifeſtã faciant. HIC locus inprimis obſeruandus eſt, qui monet, quod cogitatio dignitatis Chriſtianorum debeat eos excitare ad ſancte & inculpate viuendum, cum vt Deo debitam præſtemus obœdientiam, tum vt alios ad pietatem noſtro exemplo inuitemus. Deinde docet hic locus, quod qui profitentes Chriſtianiſmũ flagitioſe viuunt ſeipſos fallant, & ſe maiori damnationis periculo exponant. Non enim filij lucis ſunt, hoc eſt, non vera luce ſunt illuminati, niſi qui opera tenebrarum deteſtantur & abijciunt.

(Fructus enim ſpiritus eſt in omni bonitate, iuſticia & veritate.)

Argumentum hoc ſumitur à cauſſa efficiente. Nos qui credimus, ſpiritu Chriſti regeniti & donati ſumus. Huius autem ſpiritus fructus eſt, bonitas, iuſticia, & veritas. Ergo his ſtudendũ eſt contra malitiam, iniuſticiam & mendacium. Legantur autem hæc in parentheſi, vt quæ ſequuntur cohęreant cum ſententia ſuperiori.

Probantes quid ſit beneplacitum Domino, & nolite communicare operibus infructuoſis, ſed magis etiam redarguite.

Quid ſit ambulare vt filij lucis, exponit, & filiorum lucis ſtudia ad tria veluti capita reuocat. Primum enim vult vt exploremus ac approbemus quiquid Deo acceptum eſt, hoc eſt, quod ipſius verbo mandatum & expreſſum eſt. Vt enim ex ſolo verbo cõſtat quid placeat, quidque diſpliceat Deo: ita ſolum verbum pijs vitæ norma eſſe debet. Deinde requirit, ne communicemus operibus infructuoſis, hoc eſt, inutilibus & noxijs, tenebrarum, hoc eſt, quæ proficiſcuntur ab ignorantia Euangelij & Chriſti, quæq; ipſam ingenitã concupiſcentiam

tiam cauſſam habent, qualia ſunt prophana & horrenda flagitia quibus ignari Euangelij ſe contaminãt. Communicare autem tum dicimur flagitioſis & iniquis facinoribus, cum vel illa nobis placere quoquo modo ſignificamus, vel ſilentio præterimus, idque maximè ſi vocatio noſtra patiatur, vt ea nobis diſplicere palam profiteamur. Tertium eſt, vt redarguamus opera tenebrarum, idque tum ſancta & honeſta noſtra vita, tum voce ex zelo quodam gloriæ Dei proficiſcente, atque hoc maximè ſi conditionis noſtræ ratio id ferat. Verũ ſi id verbis præſtare non liceat, oſtendendum tamen eſt quomodocunque, iſta facinora nobis nequaquam placere. LOCVS hic obſeruandus eſt. Non enim tantum filiorum lucis, id eſt, Chriſtianorum officia breui aphoriſmo complectitur: Verumetiam refellit eorum vanitatem, qui ſe ſuo rite functos officio autumant, ſi ipſi non peccent per ſe, nihil ſolliciti de alijs. Deinde & eos errare docet hic locus qui in Papatu cùm viuunt, exiſtimant ſatis eſſe mente abhorrere ab impietate & ſuperſtitione Papiſtica, nihil nocere arbitrantes intereſſe prophanationibus abominandis & ſacrilegis Papicularum, pacis & tranquillitatis externæ gratia. Nam qui vel præſentia ſua videntur iſta approbare, tametſi mente improbent, ſceleſtæ tamen participationis laqueis ſe induunt. Nec intelligunt ſuperſtitione id, an callida ſimulatione faciant, ad rem non pertinere, quando vtroque pariter malo, & ſacram Dei religionem ludibrio habẽt inter homines, & exemplo ſuo partim rudium inſcitiam ad obſtinatiorem peruicaciam confirmant, partim imbecillium dubias hæſitantesque conſcientias labefactant. Nec Naaman Syriæ præfectus illis patrocinatur, qui cùm rem vnam ſibi à Domino ignoſci petijſſet, ſi cum Rege ſuo in templum Rhemnon ingreſſus adoraret, cum pace à Propheta dimiſſus eſt. Nam illa adoratio non fuit procumbere ad idola: ſed fuit tantum incuruatio quædam corporis, qua ſe ad Regis inclinationem quem fulciebat ipſe & ſuſtentabat, accommodarit, vt apertè teſtatur hiſtoria 4. Reg. 5.

Quæ enim clam fiunt, ab illis turpe eſt etiam dicere, omnia autem dum coarguuntur à luce manifeſtantur. Omne enim quod manifeſtat lux eſt. Quamobrem dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.

Exaggerat ſcelera prophanarum gentium, ac ſimul oſtendit fructum coargutionis & reprehẽſionis, qua videlicet pij honeſta & ſancta vita impuritatem impiorũ coarguant. Nam ex huiuſmodi reprehẽſione ſcelerati homines in ſui cognitionem veniũt, & cum mores piorum intuẽtur ſuam turpitudinem agnoſcunt, ac ita tandem incipit eos pudere fœditatis ſuorum flagitiorum. Atque hic quidem ſenſus eſt præſentis pericopæ. Verum quoniam verba Apoſtoli explicatione indigent, nonnihil adijciemus, vt pondus verborum Apoſtoli obſeruetur. Primùm enim cum dicit: quæ clam fiunt ab illis turpe eſt vel dicere, exaggeratio eſt à comparatis. Minùs eſt loqui de flagitijs quam ea perpetrare, iam autem ſi turpe eſt ea quæ perpetrant vel dicere, erit profectò maximè deteſtanda operis fœda perpetratio. Deinde cùm inquit: Omnia dum coarguuntur à luce manifeſtantur, fructum exprimit fraternæ obiurgationis. Eſt autem horum verborum ſenſus, vt eum explicat Ambroſius, tum demum videntur & apparent dum obiurgantur ſcelerati. Quia qui peccat quam diu non corripitur, minimè ſibi peccare videtur. A luce autem manifeſtantur, quia filij Dei, qui lucis filij dicuntur, ea coarguunt, vita, doctrina, ſaniſque admonitionibus. Huius dicti probationem ſubiungit à natura lucis. Omne, inquit, quod manifeſtat, lux eſt. Vt enim tenebræ obſcurant & tegunt occulta. Ita lux in diem producit quod tenebris obuolutum erat. Huc addit & aliam comparationem à pronunciatis. Surge, inquit, qui dormis, hoc eſt, qui in peccatis ſtertis, deſere peccata, & exurge è mortuis, hoc eſt, à peccatis mortem inferentibus, abſtineto. Et illuceſcet tibi Chriſtus, hoc eſt, ſenties conſolationem per ſpiritum Chriſti. Quo enim magis tenebras peccatorum fugimus, eo magis Sol iuſticiæ Chriſtus in cordibus noſtris lucet. Hieronymus negat hoc dictum vſquam in ſcripturis extare. ſunt qui exiſtimãt Apoſtolum reſpicere ad locum qui eſt Eſa. 60. cap. Surge illuminare quia venit lux tua, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Alij ad 9. cap. Eſaiæ, hoc teſtimonium referunt, vbi habetur. Populus qui ambulat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in vmbra terræ mortis lux ſplenduit ſuper eos. Alij exiſtimant μιμητικῶς hoc dictum eſſe. Omnes enim Prophetæ & ſynceri verbi præcones dum homines à peccato reuocare moliuntur, horum verborum ſententia vtuntur. Primùm enim, vt par eſt inuitant ad pœnitentiam, ſeu conuerſionem. Deinde promiſsionis verbum addunt, & conſolationem quibus eriguntur reſipiſcentes. Quapropter & nos ſciamus vnicuique noſtrum à ſpiritu Chriſti dici, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Videte igitur quomodo accuratè ambuletis, non vt inſipientes, ſed vt ſapientes, redimentes occaſionẽ, quia dies mali ſunt, propterea nolite eſſe imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Domini.

Quod antea lucis & tenebrarum nomine Metaphoricè dixit, id iam propria locutione exprimit: Videte, inquit, quomodo accuratè ambuletis non tanquam inſipientes, hoc eſt, ignari Chriſti & Euangelij, ſed tanquam ſapientes, hoc eſt, edocti veritatem Dei,&conſcij voluntatis diuinę.Huius exhortationis rationem ſubijcit à temporis circumſtantia ſumptam. Redimentes,inquit,occaſionem,quoniam dies mali ſunt. Quid autem ſit redimere tempus ex collatione contrariorũ intelligimus hoc modo: ſinere tempus elabi nobis aliud agendo, & redimere tempus contraria ſunt. Vt igitur illud hominis eſt negligentis & diſſoluti: ita hoc frugi & ſapientis, qui non modo non abutitur occaſione,ſed mille voluptatibus redimit.Metaphora ſumpta eſt à mercatoribus,qui curioſè merces conſiderant & delitijs omnibus facile vel lucellum aliquod anteponunt,idq́ue potiſſimum quando tempora ſunt plena difficultatum. Veluti cùm fames, vel penuria ingruit, vel quando cum aſtutis hominibus eſt agẽdum,vel cum mercatura dubiæ & ancipitis fortunæ videtur. Tum enim ſolent mercatores omnia circumſpecte agere in quamuis oportunitatem intenti.Proinde demum tempus redimẽre dicimur, quando vel diſpendio omnium rerum quas charas habemus in hoc mundo,captemus veram parandæ ſalutis oportunitatem per Euangelium oblatam.Nam is demum precium redemptionis erit ſi illecebris & omnibus impedimentis,quæ nos à regno Chriſti auocare poſſent,renunciemus,ac omnibus modis intenti ſimus occaſioni reparandę ſalutis,idq́ue ideo:quia dies mali ſunt: non quidem,quantum ad ſpacia horarum & curſum Solis,ſed quantũ ad corruptos mundi mores attinet.Eſt enim Metonymia qua ſubiectum pro adiuncto ponitur.Ex his infert quod propoſuit,ſed alijs verbis:Propterea,inquit,nolite fieri imprudentes,ſed intelligẽtes quæ ſit voluntas Domini,quaſi diceret:quandoquidem tantum periculum ex omni parte circumſtat pios à malitia & corruptis mũdi moribus, cauẽdum eſt,ne per inſcitiam ſinatis vos à vera via abduci:ſed ſpectandum eſt potius, vt ſemper ſit vobis in conſpectu voluntas Domini,quæ vobis perpetua vitæ regula eſſe debet in tota vita veſtra, ac in omnibus actionibus.Quoſnam vocet imprudentes exponit antitheſi Apoſtolus.Nam eis opponit intelligentes quæ ſit voluntas Domini.Quare imprudentes erũt hoc loco qui ſecure viuunt parum cogitantes de vita iuxta voluntatem Domini componenda.PORRO hic Pauli locus dignus eſt, quem ſemper in cõſpectu habeamus.Nam admonet ne ſinamus nos multitudinis exemplo præcipitari in flagitia, à quibus, ſi vere pij eſſe volumus, abſtinendum eſt omnino, ac voluntati Dei ſtudendum, etiamſi omnibus quæ carni placẽt renunciandum eſſet. Hic vnuſquiſque noſtrum ſe examinet, videatque ne hanc Spiritus ſancti exhortationem pertinaciter contemnat, illecebris carnis & alijs quæ mentem à veræ pietatis ſtudio auocare poſſunt, indulgens.

Et ne inebriemini vino, in quo ineſt laſciuia, ſed potius impleamini ſpiritu, vobiſipſis loquentes Pſalmis & hymnis & odis ſpiritualibus, canentes, & pſallentes in corde veſtro Domino,gratias agentes ſemper de omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Generali exhortationi exempli cauſſa ſpecies quaſdam ſeu hypotheſes ſubijcit, ac primo loco cõmendat nobis ſpiritualẽ læticiam, dehortans à læticia carnali. Vt enim ſpiritualis læticia quædam ſpiritualis ſapientia eſt: ita carnalis ebrietas inſipientiæ quoddam genus exiſtit. Quare vt ab hac dehortatur, ita ad illam adhortatur annexo argumento ab vtriuſque effectu,idque per προσαπόδειξιν.Nam vtrique ordine ſua adijcitur ratio quemadmodum in multis ſuperioribus etiam factum eſt. Ne, inquit, inebriemini vino, id eſt, ne captetis ex immodico potu exhilarandi occaſionem. quare? Quia in eo eſt ἀσωτία, hoc eſt, omnis generis laſciuia & intemperantia. Facit enim ebrietas,vt in omne genus ſcelerum ruas præceps:iuxta notos verſiculos:

Quid non ebrietas deſignat, operta recludit.
Spes iubet eſſe ratas,ad prælia trudit inermem.

Quinam ἄσωτοι dicantur Cicero libro 2. de finibus,hiſce verbis indicat: Noli mihi fingere aſotos,vt ſoletis,qui in menſam vomant,& de conuiuijs auferantur,crudiq; poſtea rurſus ſeſe ingurgitent. Hæc igitur non ſolũ Deũ grauiſſime offendit & extinguit Spiritus ſancti lucem in corde,verumetiam mentem alienat,occultum reuelat,libidinẽ accendit,corpus eneruat,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

eneruat, plurimos animi & corporis morbos gignit, cuius rei teſtis eſſe poterit ferè vniuerſus orbis. Huic Paulus opponit plenitudinem ſpiritus, hoc eſt, gaudium in Spiritu ſancto, vnde erūpimus in pia colloquia de Deo ac rebus diuinis, in Pſalmos, hymnos, odas & gratiarum actiones pro omnib⁹ in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, reddēdas Deo omnipotenti & patri benefico qui omnia ſuis abundè largitur. Ideo enim hic coniungit Deum & patrem, non quod ſint diuerſi, ſed vnus Deus: cuius quidem potētia Dei, voluntas verò patris nomine deſignatur. PORRO diſcrimen inter Pſalmos, hymnos & odas, hoc eſt, Pſalmi ſunt in quibus Muſici cum aliquo inſtrumento adhibentur præter linguā. Hymni laudis cantica ſunt, ſiue ſola lingua, ſiue alia ratione fiant. Odæ vocis ſunt cātica, quæ non ſunt laudis tantum ſed aliarum quoque rerum, vt Prophetiarum, doctrinarū, exhortationum, &c. Hæc autem omnia Paulus vult eſſe ſpiritualia, hoc eſt, non inepta & laſciua, ſed ad ſpiritualem ædificationem compoſita. Nam Epitheton ſpiritualis ad argumentum & finem referri debet. Nec his repugnant verba Pauli, dicentis: Loquentes vobis ipſis. Item, Pſallentes in corde veſtro. Nam phraſis ſcripturæ eſt loqui vobis ipſis, id eſt, inter vos ipſos. Canere in corde, id eſt, ex corde. Non vult Apoſtolus petulantes cātilenas, & inanes organorum mugitus, quibus non ædificatur conſcientia, Sed magis vaſtatur conſcientia, piæ meditationes impediuntur & orandi ardor extinguitur: ſed tantū ea requirit cantica quæ ex pio corde proficiſcentia ſpiritualem læticiam pijs pectoribus afferunt. DOCET itaque hic Pauli locus, in quibus rebus piorum læticia cōſiſtat, nimirum in mutuis colloquijs de Deo ac rebus diuinis, in pijs cātilenis, quibus corda noſtra ad maiorē fiduciam excitātur. Porrò tametſi ebrietas tanquam fœdiſsima peſtis eſt deteſtanda, honeſta tamen & ſobria piorum conuiuia nequaquam damnanda ſunt. Nam & hæc pietatis quædam & mutuæ charitatis incitamenta eſſe poſſunt, vnde pij non abhorrebunt à tali conuiuandi ratione, modo intemperantiam & ebrietatem deteſtentur: ſed de hac vide Paſtorem meum.

Subditi eſtote inuicem in timore Chriſti.

Hactenus de communibus Chriſtianorum officijs diſſeruit Apoſtol⁹, nunc perſonalia officia commendaturus Epheſijs, Primum proponit generalem theſin de mutua ſubiectione, ex qua poſtea gradus quoſdam & hypotheſes extruit. Porrò in hac theſi duo ſunt obſeruanda diligenter, videlicet præceptum & regula, ſeu ratio præcepti. Præceptum eſt: Eſtote inuicem ſubditi, hoc ſanè præceptum ad omnes omnium hominū ſtatus pertinet. Nemo enim eſt, qui non debeat ex officio charitatis alijs ſeruire, ſic Reges & Principes ſuis ſeruiunt ſubditis. Nam vbicunque veritas mētem occupat, ibi prompta quoq; voluntas ad præſtāda officia adeſt. Regula autem mutuæ ſubiectionis eſt timor Chriſti. Hic autē timor nihil aliud eſt, quam cultus fidei & ſubiectionis. Hic timor tollit omnē arrogantiam, qua homines ſe inuicem tanquā ex alto deſpiciant. Hic timor facit, vt nos ipſos abnegātes renūnciemus omnibus, quæ Chriſtus in ſuis ferre non poteſt. Denique hic timor efficit, vt exemplo Chriſti omnibus ſeruiamus, idque vt noſtra obedientia glorificetur Deus, & inter nos mutuo charitatis officijs iungamur. Hæc igitur ſubiectionis regula in intimum cordis noſtri reponatur. Nam qui hanc regulam in mutuis officijs præſtādis non ſequitur, Chriſti quidem nomen ſacrilege ſibi vſurpare poteſt, ſed ſpiritus Chriſti imperium peruicaciter excutit.

Vxores proprijs maritis ſubditi eſtote, tanquam Domino, quia vir eſt caput vxoris, quemadmodum & Chriſtus caput Eccleſiæ, & ipſe eſt ſeruator corporis, ſed veluti Eccleſia ſubijcitur Chriſto, ſic & vxores proprijs maritis in omni.

Propoſuit generalem theſin de ſubiectione mutua, iam ab œconomico ſtatu exempla petit, & ordine, vxorum & maritorum, liberorum & parētum, ſeruorum & dominorum officia mutua explicat, ac primo loco de vxorum officijs erga maritos agit, propoſitionem per comparationem confirmat ac modum ſubiectionis oſtendit. Propoſitio comparata eſt: Vos vxores eſtote ſubditæ proprijs maritis tanquā Domino. Hęc ſubiectionis lex imponitur mulieri Gen. 3. Propterea quod mulier ſe à ſerpente ſeduci paſſa ſit. Et quanquam in ſtatu hominis primo vxor erat marito ſubiecta, tamen diuerſa fuit illa ſubiectio ab ea, quæ poſtea mulieri impoſita eſt. Prior enim ſubiectio fuit liberalis & minimè dura, poſterior vt peccati pœna grauiori iugo premit. Verū hoc iugum cum Domini voluntatē intuētur piæ fœminæ, propter quem debent ſuis maritis ſubiectionem, fit iucundum potius quam triſte. Rationem propoſitioni ſubijcit ab ordinatione Dei & ab vtili, Quia, inquit, vir eſt caput vxoris, hoc eſt,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

non ſolum ſuperior vt caput in corpore, verumetiam quemadmodum caput ſubminiſtrat corpori vim & efficaciam vnde corporis incolumitas conſeruatur, ita maritus vxoris incolumitatem intueri debet. Hoc voluiſſe Paulum capitis vocabulo indicat ſequens collatio, Quemadmodũ, inquit, Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & ipſe eſt ſeruator corporis. Eſt autem Chriſtus caput Eccleſiæ, tum quia ſolus illi præeſt, tum quia quicquid habet boni Eccleſia, hoc ex Chriſto capite fluat, quemadmodum in cap. 2. declarauimus. SEQVITVR modus ſubiectionis: ſed veluti Eccleſia ſubijcitur Chriſto: ſic & vxores ꝓprijs maritis in omni. Debet igitur ſubiectio hæc eſſe liberalis, ſpontanea, alacris, officioſa, iucunda, caſta, honeſta, pia. Etſi autem pari autoritate minimè pollent Chriſtus & maritus, tamen exemplo Chriſti, viri vxoribus dominantur, & referunt quãdam imaginem Domini Chriſti in Eccleſia. HINC multæ doctrinæ colligi poſſunt. PRIMA, quod mulieres Chriſto obœdire nequeunt, imo Sathanæ laqueis ſe inuoluunt, quæ maritis ſunt immorigeræ. SECVNDA, quod mulieres ex obœdientia & ſubiectione pia maximum fructum percipiant, non ſecus atque corpus quod capiti adhæret, ex eo vim viuificam mutuatur. TERTIA, quod mulieres proprijs maritis contentæ eſſe debeant, quibus etiam in omni officio pio & honeſto placere ſtudeant. QVARTA, quod mulierum ſubiectio non ſolum ſit probanda propter cõmoditatem domeſticam, verumetiam quia eſt cultus Deo placens, quando ex fide & vera charitate proficiſcitur. QVINTA, quod confutetur hic error veterum hæreticorum qui coniugium tanquam rem prophanam & Chriſtianis quodámodo indigná iudicarũt. Nam longe aliter hic Spiritus ſanctus iudicat conferens honeſtũ coniugium copulæ Chriſti & Eccleſiæ. Hic notetur memorabile dictum Epiſtolæ ad Hebræos: Honorabile inter omnes cõiugium & cubile impollutum: Scortatores autem & adulteros damnabit Deus.

Viri diligite vxores veſtras, quemadmodum & Chriſtus dilexit Eccleſiã, & ſeipſum tradidit pro ea.

Secundum exemplum ſeu hypotheſis propoſitæ theſeos, & continet tria, præceptum, cauſſam & modum dilectionis. Præceptum eſt. Viri diligite vxores veſtras. Ratio ſeu cauſſa ab exemplo Chriſti ſumitur. Chriſtus dilexit Eccleſiam. Ergo & mariti proprias vxores diligere debent. Modus exemplo exprimitur. Et tradidit ſemetipſum pro ea. Hinc apparet magnitudo dilectionis Chriſti. Quare ſi mariti dominari volunt vxoribus Chriſti exẽplo, ſciant quod eodem exemplo moneãtur, facto ſi res poſtulat ſuam dilectionem declarare, quemadmodum Chriſtus fecit dum propria morte Eccleſiæ vitam ac ſalutem acquiſiuit.

Vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt ſiſteret eã ſibijpſi glorioſam Eccleſiam non habẽtem maculam aut rugam, aut quicquam tale, ſed vt eſſet ſancta & irreprehenſibilis.

Occaſione ab exemplo Chriſti diligentis ſuam Eccleſiam & tradẽtis ſe pro ipſa arrepta, commode digreditur Apoſtolus in commendationem gratiæ Chriſti erga ſuam Eccleſiam, cuius gratiæ gradus eleganter hic diſtribuũtur, iuxta ordinem beneficiorũ, quæ Chriſtus ſuæ Eccleſiæ ex gratia cõtulit. Primum enim dilexit Eccleſiam. Deinde ex dilectione tradidit ſeipſum pro ea. Tertio, ſanctificat Eccleſiam, id eſt, ſeparat eam ſibi, ac ipſam Deo cõſecrat per remiſsionem peccatorum ac regenerationem ſpiritus. Quarto, modum apponit Apoſtolus per quem Chriſtus ſuam Eccleſiã ſanctificat, Mũdans, inquit, eam lauacro aquæ verbo. Quinto loco finis adijcitur ſanctificationis Eccleſiæ, nimirum vt Eccleſia ſit pulchra & decora ſine macula & ruga, vera ſanctitate & innocentia ornata. CÆTERVM quartus & quintus gradus fuſiori explicatione indigent. Variã enim & multiplicem doctrinam continent. Cùm igitur inquit: Mundans eam lauacro aquæ in verbo, vim ſacramenti baptiſmi eleganter exprimit. Nam hæc ſi retexueris, quinq; perpendenda ſe offerent in baptiſmo. Primum Chriſtus mundans. Soli enim Chriſto hic honor cõpetit, qui apparuit vt deſtruat opera Diaboli & aboleat peccatum. Huc pertinet illud Ioan. Sanguis Ieſu Chriſti filij eius purgat nos ab omni peccato. Secũdo, lauacrũ aquę ponitur, quod eſt externũ ſymbolum gratiæ ac interioris purgationis ſigillum. Tertio loco veritas ſigno reſpõdens cogitanda eſt, quæ eſt occulta mundatio animæ, ac interior purgatio à peccato. Quarto loco additur, in verbo, vt intelligatur baptiſmi vis & efficacia eſſe ex promiſsionis verbo. Quinto loco indicatur analogia ſigni ad veritatẽ, quæ analogia in omni ſacramẽto diligenter eſt conſideranda. Signum eſt lauacrum aquæ. Analogia ſigni ad rem eſt hæc. Quemadmodum aqua foris purgat corpus; ita ſanguis Chriſti intus animã à peccatorum ſordi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſordibus abluit. Hanc analogiá mundandi verbo ſignificauit, his rite perpenſis facile intelligi poteſt quo in loco ſacramenta Eccleſiæ habēda ſint. Sunt enim ſymbola & ſigilla quibus Deus offert ſuam gratiam, & teſtatur ſe vere exhibiturum quod ipſa ſymbola figurant. Nam ſemper ſacramentis coniuncta eſt veritas rei, & exhibitio, quæ peragitur arcano quodam Spiritus ſancti opere, Nō quod Spiritus ſanctus per ſeſe indigeat externo adminiculo; ſed noſtræ imbecillitatis ratio habetur. Ex his colligere facile eſt, ſacramentum in nouo teſtamēto recte definiri ſignum viſibile ſeu ſenſibile, inſtitutum à Chriſto, vt obſignet verbum gratiæ & promiſsionis diuinæ fide accipiendæ. Tametſi autē impij neque abluuntur baptiſmo, neque nutriuntur cœna Domini, nihilominus tamen vim ſuá ſacramenta, quo ad Deū attinet, obtinent, quia vtcunque Dei gratiam reſpuant ingrati, illis tamē offertur.

PORRO deſcriptio Eccleſiæ quæ ſequitur non ad externam formam, ſed ad cordis puritatem pertinet, quod dextre intelligendum eſt, propter eos qui negant Eccleſiam eſſe, vbi ferantur vlli qualicunque labe aſperſi, & in ſui erroris patrocinium hunc Pauli locum detorquent. Si, inquiunt, Eccleſia nullam maculam, nullam rugam habet, Si Eccleſia eſt ſancta & irreprehenſibilis, non erit iſte cœtus Eccleſia in quo ſunt vlli ſcelerati. Hunc errorem formula precādi quá nobis Dominus præſcripſit, refellit. Ita enim iuſsi ſumus orare, Remitte nobis debita noſtra, &c. Et in Pſal. dicitur: Pro iniquitate remittenda orabit ad te omnis ſanctus. Si igitur omnes ſancti opus habēt, vt quotidie precentur remiſsionē peccatorum, non erunt omnino im̄unes ab omni labe. Et Iohan. dicit. Si dixerimus quod peccata non habeamus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & iuſtus vt remittat nobis peccata, & purget nos ab ob omni iniuſticia. Non ſignificat igitur Paulus Eccleſiam omnino iam mundatam & omni næuo vacuam eſſe, ſed potius adoleſcere indies & proficere, eoque tendere quo nunquá in hoc ſeculo poterit peruenire. Nam tantiſper manet Eccleſia in hoc mundo, duobus modis contaminata eſt. Primum enim nullum ipſius membrum adeo purum eſt & perfectū, vt nullis omnino vicijs circumſeptum ſit. Fideles igitur omnes quamdiu hic verſantur ſemper immundiciem aliquam habent, quæ in eorum carne reſidet, ſicuti aperte cōprobatur ſanctorum experiētia, Rom. 7. Deinde bonis & pijs in Eccleſia ſemper admixti ſunt hypocritæ & ſcelerati qui ſuis ſordibus totum cœtum quodammodo inficiunt, quemadmodum aperte docet Paulus, ſcribens Corinthijs. Corinthios enim Eccleſiæ titulo ornat, ſed tamen inter eos multos arrogantes, multos contaminatos edulijs idolorum, nonnullos crimine incœſtus infames, plurimos irreuerenter ſacra cœna vtentes, non paucos, qui reſurrectionem mortuorum in dubium reuocarūt, fuiſſe manifeſtum eſt. Hoc etiam ipſe Dominus propoſita parabola de zizanijs aperte conuincit. Quo igitur ſpectat magnificum illud pręconium Apoſtoli definientis Eccleſiam eſſe ſponſam Chriſti, carentem omni macula & ruga, ſanctam & irreprehenſibilem? Reſpōdeo. Eccleſiam cōſiderari dupliciter, videlicet, in ſe, & in Chriſto: Quatenus in ſe conſideratur, multas omnino habet maculas quibus inuoluitur, quę tamē non imputantur ipſi donec ſuperior manſerit ſpiritus in ipſis. Verum quatenus cōſideratur in Chriſto, non ſolū ſine macula eſt, ſed infinito decoro exornata, ſcilicet iuſticia Chriſti, quá per gratuitam condonationem eſt conſecuta. Auguſtinus diſtinguit inter ſtatum Eccleſię in hac vita & in futura. In præſenti vita habet Eccleſia ſuas maculas. In futura erit ſine omni macula, vere pura ſancta & irreprehenſibilis. HIC locus Apoſtoli docet, conſolatur & cōfutat. Docet, in quem finē abluimur ſacro baptiſmate, nimirum vt puritati ſtudeamus. Cōſolatur eos qui hic peccatis inuoluti, ingemiſcūt, quod adeo grauiter peccati mole grauentur. Futura eſt enim aliquando plena mundatio. Huc pertinet querela & conſolatio Apoſtoli, Rom. cap. 7. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? gratias ago Deo per IESVM CHRISTVM Dominū noſtrum. Confutat eos qui gloriantur de baptiſmate & interim impuram ducunt vitam, pugnantē cum baptiſmi analogia. quæ perpetuæ pœnitentiæ nos admonet. Hic obijci poteſt, quod Paulus ſuis Iudæis obiecit. Rom. 3. Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem feceris, at ſi legis tranſgreſſor fueris, circumciſio tua in præputium conuerſa eſt. Ad eundem modum recte obieceris ijs qui nomine tantum Chriſtiani ſunt. Baptiſmus quidem prodeſt, ſi legem baptiſmi feceris, hoc eſt, ſi fœdus baptiſmi ſeruauerit. At ſi tranſgreſſor fueris: baptiſmus tuus tibi nihil proderit.

Sic debent viri diligere ſuas vxores tanquam propria corpora.

Modum diligendi vxores clarius adhuc oſtendit, ad primum coniugium Adæ & Euæ reſpiciens. Adam adducta ad ſe vxore dixit: Hoc nunc os de oſsibus meis, & caro de carne mea. Atque ideo de coſta Adæ Dominus formauit mulierē, vt præfiguraret Chriſtum & Eccleſiam. & oſtēde-

ret quo animo mariti & vxores in ſacro cōiugio erga ſe mutuo eſſe debent. Perinde enim ſunt maritus & vxor, atque vna eademque caro, id eſt, corpus, vnde hoc argumentum Paulus extruit. Nemo eſt qui proprium corpus non diligit, Vxor autem eſt vnum corpus cum marito. Igitur mariti proprias vxores, vt propria corpora diligere debent.

Qui diligit vxorem ſuam, ſeipſum diligit. Nullus enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, ac fouet eam, quemadmodum & Dominus Eccleſiam, quia membra ſumus corporis eius, ex carne eius, & ex oſſibus eius. Huius rei cauſſa relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt hi duo in vnam carnem.

Confirmat diligendas eſſe vxores, ac primo loco, duo axiomata, ſeu principia ponit, quæ ſunt propoſitiones duorum ſyllogiſmorum. Deinde alia duo arguméta ſubijcit: Quorum prius ab exemplo Chriſti, poſterius ab ordinatione Dei petitur. Hæc poſteriora argumenta confirmandis prioribus adhibentur. Primus ſyllogiſmus, ex primo axiomate huiuſmodi eſt: Qui diligit vxorem ſuam, ſeipſum diligit, Sed quilibet maritus ſeipſum diligit. Ergo etiam ſuam vxorem diligere debet. Secundus ſyllogiſmus, ex ſecundo axiomate, hic eſt: Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit ac fouet eam, vxor eſt caro proprij mariti, Ergo maritus nō debet vxorem odiſſe, ſed potius nutrire & fouere. Huc iam attexit argumentum ab exemplo. Chriſtus nutrit & fouet Eccleſiam, quia eſt caro ex carne eius, & os ex oſsibus eius. Atque hoc confirmat adducto teſtimonio ex 2. cap. Geneſ. Huius cauſſa relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam, quaſi diceret, potius relinquédi parentes, quibus lege naturæ obſtrictus eſt homo, quam vt vxorem deſerat, cum qua vna caro eſt, donec ſcilicet ſubſtantia matrimonij manſerit ſalua. Nam ſi adulterium interuenerit, rea perſona abſcinditur ab illa carnis vnitate, quam in honeſto matrimonio requirit Dominus. Dicuntur autem maritus & vxor vna caro non ſubſtantia ſed affectu. Perinde enim maritus diliget & fouebit ſuam vxorem ac propriam carnem. Similiter & vxor maritum amabit vt propriam carnem. Sunt proinde maritus & vxor veluti vnus homo, ex qua vnione Chriſtus reſponſum petit ad quæſtionem de diuortijs.

Myſterium hoc magnum eſt, at ego dico in Chriſtum & in Eccleſiam.

Admonitio eſt. Non enim ſatis potuit Apoſtolus verbis eloqui, quam admiranda copulæ Chriſti & Eccleſiæ imago ſit coniugium à Deo in Paradyſo inſtitutum. Tametſi autem coniugium res externa eſt, tamen Apoſtolus illud fuiſſe typum quendam ſponſi Chriſti & eius ſponſæ Eccleſiæ affirmat. Quemadmodum enim mulier ex viri dormientis latere deſumitur: ita Eccleſia per efficaciam mortis Chriſti naſcitur. vt relictis parentibus honeſta vxor ſuo adhæret marito, eoque ſolo contenta eſt: ita Eccleſia relicta idolatrica fornicatione, vnico Chriſto ſponſo adhærebit, & potius parentes dulciſsimos deſeret, quam vt à Chriſto ſponſo diſcedat. Præterea ſicut ex latere, id eſt, de medio corpore ædificatur Eua: ita Eccleſia ex carne Chriſti & ex oſsibus eius progignitur, quod quidem myſtice intelligendum eſt. Eſt enim quædam rei viſibilis ad rem ſpiritualem ἀναγωγία, vnde & à Paulo myſterium, hoc eſt, Sacramentum dicitur. Ducit namque coniugium nos quodammodo per rem viſibilem ad intimam copulam Chriſti & Eccleſiæ (quam primum matrimonium figurauit) cogitandam. Atque hoc eſt quod Paulus vult, cum inquit, At ego dico in Chriſtum & Eccleſiam, ac ſi diceret: Coniugium maſculi & fœminæ à Deo in Paradyſo inſtitutum eſt, non ſolum propter mutuum adiutorium & prolis procreationem: verumetiam, vt ſit quidam typus ſpiritualis copulæ Chriſti & Eccleſiæ, ita vt ſub viſibilibus rebus res ſpiritualis quaſi in imagine repræſentetur. Quare non inepte myſterij definitio vſitata Græcis huc accommodari poteſt. Definiunt enim Græci Theologi myſterium eſſe actionem viſibilem habentem annexam ſibi ſpiritualem quandam contemplationem. Quanquam autem hæc definitio Sacramentis Eccleſiæ Chriſti in genere competit, tamen longe alia ratio eſt Sacramentorum, quæ ita κατ' ἐξοχὴν appellamus. Nam illa tantum ſunt ordinata & inſtituta à Chriſto, vt ſint cæremoniæ ac ſymbola quædam inuiſibilis gratiæ quam offert Euangelium. Cuiuſmodi duo tantum ſunt in nouo teſtamento, videlicet Baptiſmus & Cœna Domini. PORRO vt Papiſtæ male detorſerunt hunc locum ad infirmandum quod coniugium inter noui Teſtamenti Sacramenta ſit numerandum, ita debili fundamento nitūtur, qui Papiſtas refutari ſatis arbitrātur, ex eo quod Græcis ſcribatur μυστήριον

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

&non Sacramentũ, cum illæ duæ voces nõ magis ſignificatione generali differunt quam λευκὸν & cãdidum. Nam quod Græci Theologi appellarunt μυστήριον, hoc Latini ſua lingua Sacramentum dicunt. Quare vt coniugium Sacramẽtum ſiue myſterium recte appellari à Paulo veteres ſentiunt, Ita eos errare non dubitandum eſt, qui coniugium inter noui teſtamenti ſymbola numerant. Quia nec cæremonia eſt noui teſtamenti propria, nec promiſsio gratiæ Euangelicæ per ſe confirmat, nec ſolius Eccleſiæ ſymbolum eſt, ſed eſt ſtatus toti generi humano communis. Verum ſi quis penitius inſpiciat hunc locum, deprehẽdet hãc eſſe ipſius veram ſententiam: myſterium hoc, videlicet, quod ſumus membra corporis Chriſti de carne eius & oſsib⁹ eius, eſt magnum. Nam quia aliquid interpoſitum fuit inter hæc verba (Membra ſumus corporis eius de carne eius & oſsibus eius) addit interpretationem, at ego dico in Chriſtum & in Eccleſiam. Hoc eſt, magnum myſterium voco copulam Chriſti & Eccleſiæ: cuius typus fuit primum cõiugium in Paradyſo inſtitutum. Atque ita myſterium hic ſignificat arcanũ quiddam ad quod nec ſenſus nec ratio pertingere poteſt.

Cæterum vos quoque ſinguli vxorem ſuam quiſque ſic diligat vt ſeipſum, mulier autem vt timeat maritum.

Ne quis ſymbolum tantum putaret coniugium ſacrum, ac ideo ad primorum parentum cõiugium ſolummodo referenda eſſe, quę de collatione Chriſti cũ Eccleſia dicta ſunt, breuiter anteuertens accommodat exemplum in genere ad omnes, & paucis concludit, quæ de mutuis coniugium officijs diſſeruit. Vt autem officia mariti erga vxorem ad vnum dilectionis caput reuocat Apoſtolus, ita vxoris munus eſſe affirmat, vt metuat & revereatur virum vt caput ſuum. Hac voce reliqua officia mulieris continentur. Maritus qui haud ſimulate diligit vxorem, is intimo cordis affectu tanquam propriam coſtam eam cõplectitur, hoc eſt, vt hic Paulus loquitur, ſicut ſeipſum, id eſt, vt propriam carnẽ. Hunc enim modum dilectionis præſcribit Apoſtolus. candide igitur de ea ſentit, benigne loquitur, conſilio & opera adeſt, Denique præſtat illi omnia humanitatis officia, quæ ipſi debet iuxta legem Dei & naturæ præſcriptum. Officium quod huic dilectioni ex aduerſo reſpondebit, timoris vocabulo continetur, quo cultus reuerentię intelligitur, quo vxor vt inferior, ſuperiorem colit, & reddit omnia debita ſubiectionis officia, non obmurmurat marito, nõ inſurgit aduerſus ipſum, nõ dominium quærit aut primatum in familia, ſed ex charitate, ex pia ſtorga omnia præſtat officia. Hęc ſubiectio cum ex fide & timore Dei proficiſcitur, pulcherrimum eſt honeſtæ fœminæ ornamẽtum. Docet propterea hic locus δημοκρατίαν, quodammodo contra naturam eſſe. Nam domeſticum imperium mariti in vxorem formam optimi & iuſtiſsimi imperij commonſtrat. Fieri enim non poteſt, vt pax ſit & concordia diuturna, vbicunque eſt ἰσονομία, quæ facit, vt nemo alteri cedere velit.

CAPVT VI.

Summa Capitis Sexti.

LIBERI & parentes, ſerui ac domini debita ſibi inuicem præſtent officia, omnes aduerſus regnum Satanæ ſpirituali Panoplia ſe arment, orent pro omnibus, & pro me, cuius ſtatum vt cognoſcatis, mitto Tychicum.

Ordo & partes Capitis Sexti.

VT in fine Capitis quinti de mutuis coniugum officijs diſſeruit, ita in huius ſexti principio liberorum & parentum, ſeruorum ac dominorum officia deſcribit. Deinde redit Apoſtolus ad generalem exhortationem, hortatur Epheſios, vt ſpirituali Panoplia ſe muniant aduerſus ſpirituales hoſtes, quorum breuem deſcriptionem adiungit, & panopliæ ſpiritualis partes per diſtributionem attexit. Præterea, vt pro ſe orent poſtulat Apoſtolus, monetque ſe ad illos miſiſſe Tychicum, vt ipſos conſolaretur. Poſtremo ſuo more totam epiſtolam fauſta imprecatione & voto claudit.

EXEGESIS SEXTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

FILII obœdite parentibus veſtris in Domino.

Tertia hypotheſis, videlicet de obœdientia liberorum erga parentes, in qua duo ſunt obſeruanda. Vnū quod obœdientiæ nomine vſitata ſynecdoche cōplectatur ſcriptura honorem, cuius obœdientia certiſsimum indicium eſt. Hic honor in duobus conſiſtit, in affectu nimirum & in effectu. In affectu conſiſtens honor eſt, vera pietas erga parentes, vera dilectio & ardēs ſtorga, qua parentes eo quod parentes ſint complectimur. Effectus honoris parentibus debiti, eſt mente ſtatuere eorum ſtatum vere ordinem diuinum eſſe, ideoque in honore habendum, libenter ſe poteſtati parentum ſubijcere, obœdire in omnibus honeſtis & licitis, gratitudinem & beneficentiam exhibere, & errata maiorum ἐπιεικείᾳ tegere, vel prudenter diſsimulare. Alterum quod hic obſeruandū dixi, eſt, quod hæc obœdiētia in Domino fieri debeat, id quod de duabus rebus maximis liberos admonere debet. Primum, vt obœdiāt propter Dominum, ſeu propter mandatum Domini, idque ex fide. Huc illud Siracidæ: Qui timet Deum honoret parentes. Deinde vt ſciant ſibi obœdientiæ modum hic præſcribi, ne in rebus pugnantibus contra voluntatem Domini parentibus obtemperent. Nam ſi quid tale tentarint parentes, liberi ſuperioris Domini mandato ſciant ſe à parentum lege exemtos eſſe. Si igitur parentes quid præceperint, vel aduerſus religionem, vel contra honeſtatem, vel in damnum patriæ communis nullam debent liberi parentibus obœdientiam, imo ſe potius totos parentibus opponant, ita tamen ne tranſgrediantur pietatis limites. Huc pertinet illud præclarum Auſonij dictum: Parentibus ſuis tum demum aliquis obtemperat, cum ſponte facit, quæ ipſi recte iuſſerint. Cum his congruit dictum Domini. Si quis vult venire ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Amandus eſt ergo pater ſed præponendus eſt creator. Et Ambroſius ait: ſi officium parentibus exhibendum eſt, quanto magis autori parentum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes. Et idem ait: Vt paſcendos ſcriptura parentes præcipit: ita propter Deum relinquendos iubet, ſi impediant deuotæ mentis affectum. Odium igitur quo Chriſtus docet, vt parentes proſequamur, diſsimulationis eſt, qua ſurdi Syrenum cantus præterimus, hoc eſt, parentes nos huius mundi illecebris immergere contendentes non agnoſcimus, non eis auſcultamus. Proinde odium hoc, eſt diſsimulationis nō perſecutionis, vitationis non ſuppreſsionis, pietatis non crudelitatis. Tunc enim eos tanquam odio habere, præterire, fugereque debemus, quando eos vna cum Deo colere non poſſumus. Si vero vtrumque debite fieri poterit, tum & Deo & parentibus debitus cultus exhibendus eſt.

Hoc enim iuſtum eſt. Honora patrem & matrem tuam (quod eſt mandatum primum in promiſsione) vt bene tibi ſit, & ſis longæuus in terra.

Ratio propoſitæ parænéſeos. Eſt autem tripartita, nimirū ab honeſto, cauſſa imperante, & vtili. Honeſtum eſt ac iuſtum benemeritis gratiā reddere, ac potiſsimum parentibus qui nos genuerunt & educarunt. Cauſſa imperans, eſt lex Dei quæ præcipit vt liberi parentes honorent: Vtilitas eſt felix in vita ſucceſſus & longæua vita. VERVM hic quæſtiones nonnullæ excutiendæ ſunt, quarum prima hæc eſt. An non ſæpe contingit pios filios pręmatura morte ſuccumbere? quomodo igitur hæc promiſsio longæuæ vitæ ſuper terram conſtans manebit? An non ſæpe peſsimi filij longo viuunt tempore? Reſpondeo. In primis conſiderandum eſt, quod quicquid nobis terreſtrium bonorū benigniſsimus pater cœleſtis promittat, ſub hac conditione accipiendum ſit, quatenus in bonū animæ noſtræ ſalutemq; expediat. Quamobrē haud raro fit, vt quo quis magis à Deo diligitur, tanto citius tollatur ex hac vita, iuxta illud: Ablatus eſt iuſtus ante diem, ne malicia ſenſus eius immutaret. QVOD autem mali & nequam filij interdum longo viuant tempore, in cauſſa eſt lenitas & bonitas Dei inuitantis eos ad pœnitentiā. quam ſi cōtemſerint, reponunt ſibi theſaurū in diem iræ, vt tandem ob ſuam contumaciam æternis pœnis crucientur. CVR hoc præceptum ab Apoſtolo primum vocatur in promiſsione, cum ſit quartum in ordine, & primū præceptū habeat ſubiectam promiſsionem fauoris & miſericordiæ Dei? Reſpondeo. Duplex obſeruanda eſt promiſsio in lege Dei. Vna generalis, peculiaris altera. Generalis eſt illa quam primum præceptū annexam habet, quæ ſane promiſsio eſt vniuerſalis obœdientiæ legis, hoc eſt, non proprie pertinet ad primum præceptum, ſed ad omnia pręcepta ſeu vniuerſalem legis obœdientiam. Peculiaris promiſsio eſt, quæ peculiariter & ſeorſim alicui præcepto annectitur, vt cum quarto præcepto longæua vita præmium obœdientiæ erga parentes promittitur. PRÆTERBA quæſtio de fatalis termini vitæ cuiuſque neceſsitate ex hoc loco ſoluitur. Nā hæc Apoſtoli verba

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

verba manifeſtiſsime refellunt eos, qui affirmant terminum vitæ nec culpa anteuerti, nec obedientia prolongari poſſe. Quod ſi verũ eſſet, nequaquã Spiritus ſanctus hoc loco polliceretur felicem ſucceſſum, lõgæuam vitam ijs qui ſuos venerantur parentes, id quod ſane perabſurdum eſſet, ſi obœdientia hæc nihil faceret, vel ad proſperum rerum ſucceſſum, vel ad prolõgationem vitæ. Tenenda ſunt igitur firmiſsima teſtimonia aduerſus iſtã Stoicam & falſam imaginationem, quæ nõ ſolum vehementer moribus nocet, verumetiã pietatis exercitia prorſus extinguit. Sũt autem tria potiſsimum teſtimoniorum genera, quæ iſtam Stoicam de immoto vitę termino neceſsitatẽ euertunt, vt ſunt, promiſsiones obœdientię, comminationes contumaciæ, & exempla vtrorumque. TESTIMONIA promiſsionum ex multis hæc pauca aſcribere libuit, Exod. 10. Deut. 5. Honora patrẽ tuum & matrem tuã, vt bene ſit tibi & longo viuas tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus eſt. Prouerb. 9. Per me multiplicabũtur dies tui & addẽtur tibi omni vitæ. Prouerb. 10. Iuſticia liberabit à morte. Ibidem. Timor Domini apponit dies. HARVM promiſsionum exempla ſunt multa, Deut. cap. 9. cum Deus minaretur ſe populum contumacem perditurum eſſe, intercedit Moſes, & iuxta promiſsionem parcitur pœnitentibus. Niniuitis interitus voce Dei conſtitutus erat quadrageſimo die poſt incœptam concionem Ionæ, ſed pœnitentibus iuxta promiſsionem parcitur. 3. Reg. 14. Dauid ſupplicat Deo, erecto altari, vt ceſſet interfectio & impetrat quod petit. Taceo exemplum Ezechiæ Regis, cui quindecim anni additi ſunt pœnitenti. TESTIMONIA comminationum contumaciæ ſunt plurima, qualia ſunt hæc. Prouerb. 20. Qui maledicit patri & matri ſuæ, extinguetur lumen eius in medijs tenebris. Prouerb. 10. Anni impiorũ abbreuiabũtur. & Pſal. 54. Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos, &c. Leuit. 20. minatur Dominus flagitioſis exterminationem de populo ſuo, quæ ſane exterminatio nihil aliud eſſe poteſt quam abruptio vitæ propter perpetrata ſcelera. HARVM cõminationum exempla plurima occurrunt, Geneſ. 38. Her filius Iudæ quia fuit nequam in conſpectu Domini, dicitur à Domino occiſus. Ibidem. Onan effundens ſemen in terram, ne ſuſcitaret fratri ſemen, occiditur à Domino. Achan propter ſpolium de anathemate, voce Dei iubetur lapidari, Iudic. 7. HÆ promiſsiones & cõminationes, eorumq; exempla ſatis manifeſte euertũt opinionẽ Stoicam de fatali vitæ termino. NEC cum his rationibus pugnat dictum Iob, quod illi ad ſtabiliendum ſuum dogma detorquent. Iob enim ſub conditione loquitur, ex qua nihil certi poſſe cõcludi manifeſtum eſt. Et ſi quis omnino ex verbis Iob terminum vitæ certum definiri contendat, is ſciat dictũ Iob de vitæ termino definito, nõ ad fatales cauſſas, ſed ad obœdientiã & inobœdientiã mandati Dei referendũ eſſe. HVC & quæſtio de vanitate genethliacorum, hoc eſt, eorũ qui ex horoſcopis fortunas hominum & ſucceſſus diuinãt, pertinet. Etſi aũt fatendũ eſt omnia terrena & inferiora corpora, cũ aſtrorum curſu cognationem quandam habere, atq; inde qualitatem aliquam ducere, tamen inde nequaquam cõcludi poteſt, quæ ſit morum cuiuſque & valetudinis conſtitutio, quid cuiq; euenturũ ſit, & quid quiſq; in vita, aut acturus ſit, aut paſſurus, quando præterea & quomodo quiſq; ſit moriturus. Hæc fere ſunt quæ Chaldæi iſti ſe diuinare poſſe profitentur. Nam vt nobiliſsimæ illi arti quam aſtrologiam naturalẽ nominant recte ordinis naturalis & motuum corporum cœleſtium cognitionẽ tribuimus: ita merito ſuperſtitionẽ damnamus eorum, qui aſtrologiam iudiciariam (hoc enim auguſto titulo ſuam ornant ſuperſtitionem) profitẽtes, ex natali cuiuſque hora fortunam eius metiuntur. Nam quantum quidem ad morum cuiuſque & valetudinis cõſtitutionem attinet, affirmo ex aſtris nequaquam concludi quicquã certi poſſe. Etſi autem aliquis concentus eſt aſtrorum cum inferioribus, quo concẽtu habitudines informantur, quę ſunt proprie corporũ, nonnunquã & affectuum in hominibus, qui magna ex parte ex tẽperamentis pendent, tamen errant genethliaci cũ ex naſcendi tẽpore iudicium faciunt. Nam cũ fatentur ex naſcendi tempore recurrendum eſſe ad generandi tempus, ſuam produnt vanitatem. Nequaquam enim fieri poteſt, vt certo conſtet genethliaco conceptionis tempus. Nam cum nõ ſolum naſcẽdi tempus anteuertitur ſæpe: verumetiã ſæpiſsime longius protrahitur parientium infirmitate. Quî quæſo fieri poteſt, vt certum punctum generationis deprehendas? præſertim ſi vel per pauca horæ momẽta aberres, maxima fieri ſolet cœli & ſtellarum inclinatio. Qui ergo certo aliquid vult prædicere ex generandi tempore, eum neceſſe eſt manu aſtrolabium tenere cum generationi detur opera. Nam horologijs credere in tãta re parum tutum fuerit. DEINDE cum multi vno eodẽque tẽporis puncto editi, natura & moribus ſunt diſsimiles, quis cõpos mentis mores hominum ex aſtris pendere credet? Præterea multo maior vis eſt ſeminis vnde fœtus naſcitur quam aſtrorum, quantum quidem ad informationẽ morum attinet. Videmus enim multos parentum naturam & mores exprimere. NEQVE vllum locum habet hic ſpiritualis generatio, qua mo

res

res ſanctorũ informãtur, quæ ſanè regeneratio nõ ex aſtris, ſed ex Dei voluntate depẽdet.
Quantum aũt ad valetudinem corporum attinet, etſi nonnulla ex parte pendere ex aſtris
iudico, tamẽ à Genethliacis eã definiri poſſe nego, propter puncti generationis incertitu-
dinem. Eodem fundamento nititur eorũ diuinatio qui ex natalitio cuiuſque ſidere quid
cuique ſit euenturũ in vita, diuinare ſe poſſe profitentur. Nã vt incertum eſt generationis
tẽpus ſicut oſtenſum ẽſt: ita euentuũ in vita cauſſæ aliunde profluunt, Firmum eſt dictum
Domini: Honora parentes, vt benè ſit tibi. Hoc augurium certiſsimo certius eſt, quod ſanè
nullũ Genethliacorum decretũ, nullus horoſcopus abolere poteſt. Quod autem de mortis
genere & tempore dicunt, eiuſdem eſt vanitatis vaticinium. Conſtat enim vno aliquando
prælio, vnaque hora cecidiſſe hominũ ſexaginta millia, qui abſque omni dubio diuerſiſsi
mos habuere horoſcopos. Conſtat quoque eodẽ momento infantes in lucẽ editos diuer-
ſiſsimis tẽporibus obijſſe diem. Ex his concludo vaniſsimam eſſe ſuperſtitionem eorum,
qui ſuæ Aſtrologicæ iuriſdictioni hominum caſus & fortunas ſubijcere volunt. Dicãt con
tra quicquid velint, nobis autem hæ rationes ſufficiant ad euitandas illorum præſtigias.
Horoſcopus hominis aut pendet ex tẽpore cõceptionis, aut ex tẽpore partus, ſed vtrũque
incertum eſt ijs qui non aſtant generantibus & pariẽtibus, tenentes Aſtrolabiũ in manu.
Deinde ſi euentus pẽdet ex aſtris, ſimile omnium erit fatum, quorũ idem eſt Horoſcopus,
ſed hoc falſiſsimum eſſe fatebitur omnis ſanæ mentis compos. Si proſper rerum ſucceſſus
pendet ex aſtris, profectò ex ijſdem pendebit obedientia erga Deum. Nã hic illius propria
eſt cauſſa. Præterea ſi mortis genus, aut quæuis infortunia ex aſtris pendent, pendebunt
& peccata ex aſtris, quod ſanè horrendum dictu eſt. Hæc cùm ita ſint, volo ſtudioſos ad-
monitos, vt ſicuti verã & naturalem Aſtrologiam ſummopere in vita vtilẽ, magnifacere,
vt donum Dei eximium & præclarum par eſt: ita fugiant impoſtores, præſtigiatores & pla
nos iſtos, qui ex Horoſcopis ſe diuinare poſſe certo profitẽtur, quid boni aut mali homini
euenturũ ſit in hac vita, præſertim cum illa ſuperſtitio vehementer bonis moribus noceat,
pugnet cum honeſtis legibus, & ſit contumelioſa aduerſus Deum. qui vt res proſperas obe
dientiæ præmia: ita infortunia & quæuis incommoda peccati pœnas eſſe teſtatur. ILLVD
autem quod quidam afferunt mitigare conantes iſtorũ Phrenitidem, videlicet, Aſtrorum
decreta non eſſe Prætorea. Item, aſtra inclinare & nõ cogere: recipio quidem, modo iſtam
inclinationem ad corpora tantùm & corporum temperamenta referri patiantur, & nõ ad
animos & voluntates hominum, in quibus eſt προαίρεσις, quæ eſt facultas ſanè libera, qua
pluribus propoſitis, voluntas poteſt alia præ alijs eligere, virtutẽ ſectari, & vitia fugere ciui
liter ſaltem, Verũ iſtud parũ congruit tã magnificis Chaldæorum noſtrorum pollicitatio-
nibus, qui ſuam artem adeo immotam eſſe volunt, vt nihil niſi ad eius præſcriptũ fieri glo-
rientur. Nã inclinatio non eſt neceſſaria vllius rei cauſſa, præſertim in hominibus qui iudi
cio mentis regi poſſunt, contra inclinationẽ ſi mala eſt. Vt interim taceã nihil ineptius eſſe
quam certo effectum concludere ex partiali cauſſa, eaque infimi ordinis ſeu minimæ effi-
caciæ ad producendum effectum. QVOD autem Mathematici prædicere poſſunt Eclipſes
& aëris temperiem, hoc fit ideo, quia illæ pendent ex certis cauſsis quæ ex ordinatione Dei
aliter nũquam agunt. Hæc autem videlicet temperies aëris ex inclinatione aſtrorum, quæ
in rebus inanimis plerunque non fallit, dependet. Quare vt Eclipſis demonſtratione, ita
temperies aëris coniectura nititur, longè aliter ſe res habet in potentijs rationalibus, præ-
ſertim in voluntatibus hominum, quę promiſcuè ſe habent ad contraria, ſicuti dictum eſt.

Et vos patres nolite prouocare ad iram filios veſtros, ſed educate eos in diſciplina & admonitione Domini.

Hæc quarta eſt hypotheſis ſuperio-
ri reſpondẽs, vt enim illa à liberis obe
dientiam: ita hęc analogum officium
parentum erga liberos requirit: ac pri
mo loco quid parentes cauere, Dein-
de quid liberis ſuis præſtare debent, præſcribit Apoſtolus. Cauendã monet nimis ſeueram
& aſperam tractationem, nulla lenitate conditam. Durior enim tractatio, in qua relucet
paterna Storga, plurima incõmoda ſibi coniuncta habet. Primũ enim liberos reddit puſil-
lanimes & ſtupidos. Deinde paulatim odium inſtillat teneris mentibus aduerſus parẽtes.
Tandem contumacia ac rebellio accedit ex odio accepta, vt vbi tandem velis lenior eſſe,
fruſtra labores. At vbi paternum imperium exercetur rectè, ibi autoritas quidẽ in timore
& obſequẽti ſtudio, ἀστοργία verò in amore & alacritate placendi parẽtibus pueros retinet.
Vt igitur blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos, Ita prudens educatio & iuſtũ im-
perium liberos frugi efficit. QVID autem pueris ſuis parentes præſtare debeant breuiter
ſubiungit, cùm ait: Sed educate illos in diſciplina & admonitione Domini: Hic tria requi-
rit Apo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rit Apoſtolus à pijs parentibus,videlicet,educationem quam ex lege naturæ liberis ſuis parentes debent: Diſciplinam, qua vt inſtituantur nati in rerum piarum & honeſtarũ cognitione.ita humani ac comes reddantur, quo ipſorum prudens cõuerſatio & parẽtibus ipſis ſit honori ac Reipub.vtilis. παιδεία enim Græcis facultas quædam animi eſt,qua homo & ſibi æquior,& alijs humanior efficitur. Quod ſane nequaquam fieri poteſt ſine liberali inſtitutione.Ex quo fit quod παιδεία interdum Metonymicῶs ipſam inſtructionẽ ſignificet. Deinde quia inſtructionis ſcopus eſt humanitas,ſignificat interdum παιδεία, per Metalepſin humanitatem,hoc eſt,manſuetudinẽ in moribus & facilitatem in tota vita.Et admonitionẽ Domini,pro qua vetus interpres male poſuit correptionẽ.Nam Gręca vox νουθεσία in genere talem admonitionẽ notat, qua alicui veluti in animum ponas ac ingeras quid factu opus ſit.Genitiuus Domini loco epitheti appoſitus eſt. Vult enim Apoſtolus, vt illa teneris mentibus aſsiduis monitionibus inſtillentur,quæ Domini ſunt,hoc eſt,quæ ad veram pietatem & timorem Domini faciant. Deinde etiã vt adhibeantur artibus diſcendis, ad quas natura videantur maxime idonei. Nazianzenus Eudoxio Rhetori ſcribens dicit antiquam legem Athenienſiũ fuiſſe,eamque optimam,qua pręcipiebantur,vt poſtquam nati ad pubertatẽ perueniſſent,artibus diſcendis adhiberentur,idque hoc modo. Publice proponebantur cuiuſque artis inſtrumenta,ad quæ adducebantur puberes.Cuiuſcunque aũt artis inſtrumento quilibet delectabatur maxime,eam artem,vt diſceret natura monſtrante iubebatur.Huc illud Poëtæ:Tu nihil inuita dices facieſue Minerua.Parentũ igitur munus erit diligenter explorare ad quas artes liberi ipſorum maxime idonei videantur. HINC itaque diſcant, primum parentes ipſi, quod Deus ab ipſis ſerio requirat, vt in vera religione ſua voce ac admonitione inſtituant liberos.Nemo igitur exiſtimet parochorum tantum eſſe,& præceptorum teneros puerorũ animos pietatis doctrina imbuere. Verumetiam idque multo magis parẽtum, quorum intereſt vna cum lacte in teneros puerorum animos ſemina pietatis iacere,modo cõtumaces erga Deum haberi nolint. Deinde diſcãt & liberi ſuum eſſe officium non ſolum parentibus pietatem tradentibus obedire, verumetiam iuxta pietatis normam mores ſtudioſe componere. Proinde qui vel frigide de pietatis ſtudijs ipſi ſentiunt,vel alijs autores ſunt,vt à teneris vnguiculis(vt aiunt)quam diligentiſsime in religione ſuos inſtitui negligant,videant quid velint olim Chriſto Domino reſpondere, qui per os ſacrum Pauli etiam pueris commendat ſacrarũ literarum ſtudium.

Serui obedite dominis ſecundum carnem cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, tanquam Chriſto, non ad oculum ſeruientes, tanquam hominibus placentes, ſed quaſi ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum beneuolentia ſeruientes Domino & non hominibus.

Vt ſuprà liberis & patribusfamilias analoga officia commẽdauit, ita hic ſeruis præſcribit ſuum officium erga carnales dominos. Etſi autem apud nos rarior eſt talis ſeruitus qualis fuit Pauli tempore apud multos, tamen ad noſtros quoque ſeruos & ancillas pertinet hoc Pauli præceptũ. Verum huius præcepti circumſtantiæ diligẽter perpendendę ſunt. Primum enim requirit à ſeruis obœdientiam cum timore,hoc eſt, cum ſollicita reuerẽtia coniunctam. Deinde hanc obœdientiam vult proficiſci ex ſimplicitate cordis,quæ excludit proteruiam & latens odium. Vult enim vt cor non diſcrepat ab obœdientia externa. Tertio,cauſſam & modum præſcribit,cùm inquit:tanquam Domino. Hoc enim dicto monet Apoſtolus, vt in omni opere ſuo ad voluntatem & mandatum Dei reſpiciant ſerui. Vt igitur propter mandatum Dei ſerui ſuis dominis obœdientiam debent:ita propter idem mandatum caueant ne quid in gratiam carnalium dominorum contra mandatũ Dei faciant. Quarto, quia ſerui plerunque ad oculum magis ſeruire ſolẽt quam ex animo, ideo Paulus præcipit Chriſtianis ſeruis,vt abſque ὀφθαλμοδουλίᾳ & adulatoria in præſentia Domini diligentia,faciant officium cogitantes hoc Dominum à ſe requirere,vt ex animo & cum beneuolentia ſeruiant. PORRO hic locus Pauli apertiſsime refellit Anabaptiſtarum & Libertinorum errorem, qui inter Chriſtianos quandam barbaricam ἀναρχίαν eſſe volunt,in qua nullus alicui obœdiat.Falſo enim definiunt Chriſtianam libertatem eſſe manumiſsionem quandam ab omni ſeruitute cum ciuili, tum ſpirituali, nõ intelligẽtes Chriſtianam libertatem in ſpiritu & non in carne poſitam eſſe. Deinde hic locus docet & conſolatur pios ſeruos, docet quidem vitæ ſtatum in quo viuunt placere Deo, modo iuxta normam à Paulo præſcriptam ſe gerant:Cõſolatur vero eos qui grauiori ſeruitute preſsi ſunt,dũ hoc dicto Pauli eruditi cogitant ſe non ſolum voluntati Dei ſubiectos eſſe,verũetiam certo ſtatuunt quod

Deus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Deus ſibi factum iudicet, quicquid ex ſimplicitate cordis præſtetur dominis carnalibus. Quare nemo ſeruorum iugum excutiat, niſi id legitime fieri poſsit.

Scientes quod vnuſquiſque quicquid boni fecerit, recipiet à Domino, ſiue ſeruus ſit, ſiue liber.

Addit cõfirmationem à notiſsimo ſcripturæ pronunciato deſumptam. Deus enim in ſcripturis paſsim hanc promiſsionem inculcat, quod velit operis ac laboris noſtri meminiſſe, promittens liberalem mercedem omnibus ſuæ voci obtemperantibus. Debent igitur ſerui ad hanc promiſsionem in ſuis laboribus reſpicere, & certo ſtatuere, Deum veracem eſſe in ſuis promiſsionibus, atque à Deo expectare remunerationem obœdientiæ promiſſam. Verùm quia Papiſtæ huiuſmodi ſententijs de præmijs bonorum operum ad obruendam veritatem Dei de gratuita iuſtificatione abutuntur, breuiter quomodo iuxta analogiam fidei huiuſmodi ſententiæ intelligendæ ſint exponam. PRINCIPIO ſciendum eſt, quod huiuſmodi generales promiſsiones omnibus quidem hominibus applicandæ ſint, ſed non eodem modo. Sunt enim duo hominum genera, pro quorũ varietate applicationem fieri neceſſe eſt. Alij enim pij ſunt, id eſt, renati, & filij Dei. Alij impij ſunt & non renati, filij iræ. Poſteriori generi ſi ſententias de promiſsionibus præmiorum & mercedis applicare velis, nihil aliud inde cõficies, quam filios iræ manere ſub ira. Nihil enim præſtare poſſunt, quod Deo placere poteſt, etiamſi externa ſpecies operum videatur ſanctiſsima. Immotum eſt enim hoc oraculum ſpiritus ſancti. Impoſsibile eſt placere Deo ſine fide. Donec igitur homines fide vacui ſunt, veluti putridæ ſunt arbores, quæ nullum bonum fructum edere poſſunt. Ex his igitur concluditur firmiſsima demonſtratione, Deum redditurum impijs infernum & damnationem, quando iuxta opera eorum eis mercedem largietur.

At ſi ſuperiori generi hominũ, hoc eſt, filijs Dei promiſsiones mercedis applicare velis, hæc puncta ordine apud animum cogitanda ſunt, vt ſine errore iuxta analogiam applicatio fiat. Primum omnium ſtatues pios à rigore legis liberatos eſſe per Chriſtum, quemadmodum Paulus inquit: Chriſtus redemit nos ab execratione legis, factus pro nobis execratio. Non igitur poteſt damnatoria legis ſententia filios Dei, id eſt, credentes ferire. Secundo loco cogitabimus, quod perſona credens placeat Deo propter fidem, & ſit hæres vitæ æternæ. Tertio, cogitabimus quod Deus non ſolum à credente perſona requirat obedientiam nouam, ſed etiam promittat mercedem, idque non ex debito propter dignitatem operis, ſed ex gratia propter paternam promiſsionem. Quarto cogitabimus, quod opera ex fide facta ſint teſtimonia fidei & effectus certiſsima ſuæ cauſſæ indicia. Atque hac de cauſſa Deus dicitur reddere ſuis mercedem ſecundùm opera, quia videlicet opera ſunt vera indicia fidei & timoris Domini. Hæc ſolutio pulchrè illuſtrari poterit, collatione facta inter patrem terrenum & patrem cœleſtem. Nam ſicut pater terrenus ſuis liberis interdum promittit amplam hæreditatem, mercedem laboris, ſi obedientiam præſtiterint, tametſi prius natura hæredes ſunt: ad eundem modum Deus pater cœleſtis ſuis quos habet in Chriſto dilectos filijs, promittit vitam æternam mercedem obedientiæ ex fide præſtitæ. In hunc modum accommodatæ promiſsiones mercedis excitãt in pijs ſtudium obedientiæ, ac impiæ doctrinæ Papiſtarum nihil patrocinantur.

Et vos Domini eadem facite erga illos, remittentes minas, ſcientes quod & veſter ipſorum Dominus eſt in cœlis, & perſonæ acceptio non eſt apud eum.

Poſtrema eſt de perſonalibus officijs parænεſis reſpondens proximè præcedenti. Requirit autem Apoſtolus duo à dominis. Primùm, vt eadem faciant ſeruis, hoc eſt, vt ex æquo iure analogo, mutuam officij beneuolentiam ſeruis præſtent. Non enim ſimiles operas requirit in ſpecie, nec ſimilẽ ſubiectionem, ſed pro ſuo modo reſpondens officium. Seruus igitur laboret fideliter, Dominus viciſsim grato animo debita mercede ſeruum laborantem complectatur ac foueat in Dño. Hoc enim vult Apoſtolus, cũ inquit: τὰ ἀυτὰ. vt ſeruetur officij inter dominũ & ſeruũ iuſta proportio. Deinde requirit à dominis vt remittãt minas. Quo dicto ſublatã vult omnem duriorem ſeruorum tractationem. Huic parænεſi rationem ſubiungit à connexis. Sciẽtes, inquit, quod & veſter ipſorũ Dominus eſt in cœlis, ac ſi diceret: nõ eſt quod ob dominium in ſeruos veſtros efferamini. Nam & vos quoq; habetis dominũ, qui æqualia vobis reddere poterit, nulla habita ratione vel dominij veſtri vel paupertatis ſeruorum. Nullus enim perſonæ reſpectus eſt apud illum, qualis apud iniquos iudices eſſe ſolet, ſed iuxta cauſſæ

rationem

rationem & veritatem iudicat. Dominus enim, inquit Ambroſius, iuſtus iudex, cauſſas diſcernit, non perſonas. Perſonæ vocabulum hoc loco non ſubſtantiam ſignificat ſed qualitatem, hoc eſt, quicquid præter cauſſæ veritatem reſpicitur in iudicando. Non igitur debet hoc dictum de perſonarum acceptione torqueri in alienũ ſenſum. Nam in hoc dicto ſubeſt collatio inter Deum & homines. Hi plerunq; ex ijs quę foris patent & in oculos incurrunt iudicant, mouentur genere, diuitijs, cognatione & amicitia, & contra interdum odio & alijs affectibus, vnde fit, vt veritate cauſſæ omiſſa perperam iudicent. Deus vero cuius rectum eſt iudicium & ſecundum veritatem, non mutat iudicium iuſtum propter domini aut ſerui perſonam, ſed iudicat iuxta cauſſæ veritatem, nõ habita perſonarum vlla ratione. Perpetuo enim ſequitur hanc immotã iuſticiæ ſuæ regulam, pœnitentes enim in gratiã recipit, & omnes impœnitentes & contumaces abijcit. HINC pij domini ſe humiliare corã Deo quem habent communem cum ſeruis dominũ diſcant, & ipſius exemplo admoneantur non contemnere ſeruos propter externam perſonam, hoc eſt, vilem conditionem, ſed magis complecti eos, quia tametſi hic in terra conditio eſt diuerſa, tamen in cœlo communem Dominum habent, quem vt conſerui vtrique colere debent.

Quod reliquum eſt fratres mei: confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite vniuerſam armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.

Redit Apoſtolus ad generalem exhortationem, in qua poſt doctrinam gratiæ, poſt exhortationes ad virtutes Euangelio dignas, & poſt propria certorum quorundam ſtatuũ officia, cõpellat ſub nomine Epheſiorum omnes pios, eoſq; ad animi fortitudinem hortatur, ſumta armatura aduerſus inſidias Diaboli, potẽtiſsimi quidẽ hoſtis, ſi ipſius technas multiplices & inſidiãdi vias, & ſi noſtras vires intuebimur, ſed proſtrati tamen & victi ſi eum reſpicimus, in quo ineſt totum noſtrũ robur. Nam cũ in hunc firma fiducia recumbimus, fit, vt Diabolus quantus quantus eſt, qui tẽpeſtatem ſeruis Dei commouet, ipſe naufragium faciat. IN verbis Apoſtoli inprimis obſeruanda eſt exhortationis forma. Cõfortamini, inquit, in Domino & in potẽtia virtutis eius. Hac forma primũ ſignificatur quod extra Dominũ & ſine ipſius potenti robore nihil plane valeamus aduerſus tam potentem hoſtẽ Diabolum. Deinde quod ipſius Domini effecti membra, robore ipſius robuſti reddamur aduerſus Satanã & eius ignita tela. Huius autem roboris efficimur participes quando in Chriſtum Dominũ viua fiducia recumbimus, efficimur filij Dei, atq; adeo membra Chriſti, quod ex his Iohannis Apoſtoli verbis liquet: Hæc eſt victoria quæ vicit mundum fides noſtra. Proinde non naturæ ſed gratiæ eſt robur illud quo Satanæ & carni reſiſtere poſſumus. Atq; illud robur eſt Chriſtus ipſe quem fide apprehendimus. Huc illud ad Timotheum: Milita honeſtã militiam, retinens fidem & bonã conſcientiam, quam poſtquam quidam repulerunt, circa fidem naufragium fecerunt.

Etſi autẽ hoc robur à Domino eſt, imo ipſe Dominus eſt, tamen cum Apoſtolus nos hortatur, vt corroboremur & ſumamus totam armaturam Dei, requirit noſtrũ ſtudium & noſtram induſtriam. Quare neceſſe eſt noſtram voluntatem actiue cõcurrere, & non tantum paſsiue. Nam vt volentes poſſumus excutere fidem & reſiſtere ſpiritui ſancto: Ita conuerſi poſſumus ex gratia fidem retinere, & ſpiritum ſanctum ac donum Dei, vt Paulus loquitur, in nobis exuſcitare. Eſt enim donum Dei veluti viua quædam flamma in cordibus credentium, quam nobis ſecure torpentibus Caro & Satan ſuffocare poſſunt. Quare Paulus ſuum Timotheum non fruſtra monet, ne ſinat iſtud donum ſuffocari. Suggero tibi, inquit, vt exuſcites Dei donum quod in te eſt. Huc illud, 1. Theſſ. 5. Spiritum ne extinguatis. Eſt proinde Chriſtiani hominis ſollicite ambulare coram Deo ſuo, ac perpetuo cauere ne donum, quod ex gratia acceperat, ſua amittat ignauia. Huc pertinent omnia pietatis exercitia, omnes exhortationes piorũ paſtorum, & vniuerſæ Eccleſiæ diſciplina. Sunt enim hæc veluti flabella quædã, quibus flamma diuinitus in nobis accenſa exuſcitatur. Præterea hic locus Pauli docet omnes pios in grauiſsima ac difficilima expeditione eſſe cõſtitutos: in qua non eſt quod vllas expectent inducias. Nam aduerſarius noſter nunquã non eſt in armis. Et reuera ſicut Petrus ait: ſemper circuit, vt leo rugiens, ademtis catulis, & quęrit quem deuoret, idq; facit nunc aperto marte, nunc ex inſidijs. Nam cum doctrinã Dei abijcere ſuadet, cum mores turpiſsimos cõtra legis Dei normã inducit, cum omnia ſcandalis & cædibus replet, aperto adoritur nos marte, & ſe palam hoſtẽ Chriſti profitetur. Verum cum ſe in angelum lucis transfigurat, & vitia virtutũ laruis induit, & doctrinam ſanctitatis fuco præuertit, ex inſidijs agit. Atq; ideo magis formidabilis ijs qui vniuerſa armatura Dei nõ ſunt inſtructi. QVID nos hinc colligemus? Cum Chriſtiana vita ſit in hoc mundo quædã ſpiritualis mi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

litia, idq; aduerſus tam potentem hoſtem, par eſt profecto vt fortes imitemur milites, qui luxu aut inertia non torpent, ſed ſemper in acie aduerſus hoſtem ſunt parati, ne opprimantur incauti. Hoc ſi fecerimus nullum erit periculum. Nam cum Apoſtolus addit vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli, ſignificat nos victores fore, modo arma à Domino nobis porrecta & donata tenentes, fiducia Chriſti ſub vexillo ipſius ſtrenue pugnauerimus. RECTISSIMA vincendi hunc inuiſibilem hoſtem ratio eſt, ſi incœperis ab interno & domeſtico hoſte domando, qui caro dicitur, contra quem ſpiritus pugnat. Non enim tentat in nobis, niſi quod in nobis carnale dominatur, & illuc maxime impellit quo per ſeipſos inclinari homines perſpicit, Atq; ita infirmitatem noſtram ad arma ſuæ nequitiæ conuertit, & carnis noſtræ morbo aduerſus nos vtitur, hoc eſt, noſtris affectibus quaſi armis nos oppugnat. CÆTERVM ſi quis quærat cur Deus permittat Diabolo humanum genus ita proſequi & oppugnare: Athanaſius quæſtione vndecima ad Antiochum his verbis reſpondet: Vt diligentes, inquit, Deum manifeſti fiant, & dediti voluptatibus reprobentur. Nullo enim ſe oppugnante aduerſario non probabuntur Regis ingenui milites. Diligentibus igitur Deum fit Diabolus cauſſa victoriæ, coronæ atq; præmiorum. Hæc Athanaſius. At ego vno verbo reſpondeo decretum Dei eſſe, quod Deus velit conformes filio ſuo in cruce & perſecutione fieri, quos olim ſtatuit cum filio glorificare.

vs. 12. Quoniam non eſt nobis lucta aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus rectores mundi tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituales nequitias in cœleſtibus.

Exhortationis ratio à periculi magnitudine ſumta. Propoſita enim hoſtis formidabili potẽtia excitat Epheſios ad maiorem vigilantiã, ne à tam verſuto & potẽti hoſte ſe ſinant incautius opprimi. In hunc enim finem vires hoſtiũ explicat & patefacit, vt nos paratiores ad pugnam reddat. Cum autem Apoſtolus ait: Non eſt nobis lucta aduerſus ſanguinem & carnem, non negat nobis aduerſus homines & propriam carnẽ certandum eſſe, ſed cõparatiue loquitur, quaſi diceret: Si reſpicimus hoſtes ſpirituales quos habemus, nulla plane pugna iudicabitur ea cõflictatio quæ nobis eſt cũ carne & ſanguine. Significatur igitur hac loquendi formula periculi magnitudo, belli genus, & hoſtiũ qualitas. Hoſtes noſtri non ſunt caro & ſanguis. Ergo ſunt ſpirituales, ſpirituale eſt difficile bellũ, Quare etiam ad illud ſpiritualia arma requiruntur, ſicuti Paulus etiã monet, 2. Cor. 10. Vbi ſic ait: non ſunt carnalia arma militiæ noſtræ ſed ſpiritualia. CVM autem hoſtes noſtros vocat principatus, poteſtates &c. Non diuerſos dæmonũ ordines enumerat, ſed potentiam eorundẽ hoſtium varijs appellationibus deſcribit. Cũ enim ἀρχὰς, id eſt principatus & imperia vocat Diabolos, non ſolũ monet haud contemnendos tanquã nullis pollentes viribus hoſtes: Verumetiam poſtulat vt iugum ipſorũ excutiamus, quod fit cũ ex fiducia Chriſti illis renũciamus. Nullis enim imperant, niſi qui ſponte iugo ipſorũ colla ſubijciunt. Nã principatus & ſubiectio correlatiua ſunt. Deinde cũ ἐξουσίας eoſdẽ hoſtes nominat, ſignificat ius imperij, quod Diaboli in homines propter peccatũ exercent, idq; iuſto Dei iudicio. Hac ergo appellatione monemur, vt à peccato per Chriſtũ liberati, peccatũ omne fugiamus, ne rurſus Diabolus ius imperij in nos obtineat. Vox quę ſequitur κοσμοκράτορες, id eſt mundi rectores, ſignificat Diabolos tantũ præeſſe malis facinoribus, ac eos ſolos ſubiectos ſibi habere, qui mundanis deſiderijs inuoluuntur, & ineſcantur. Non enim hoc loco mundus ſignificat hanc rerum machinã à Deo conditã, quã ſolus Deus ſua bonitate condidit, ſed homines ſignificat mundanos peccato indormiẽtes, atq; adeo ipſa peccata, quemadmodũ aperte ſignificatur interpretatione ſequenti, cum mundũ huius ſeculi tenebras definiat. Quod autẽ tenebrarum voce Dei ignorantia & quoduis peccatũ ſignificetur notiſsimũ eſt. Sicut igitur eos qui lux ſunt, Chriſtus gubernat & regit: Sic eos qui tenebræ ſunt, ad omne malũ Diabolus pręcipitat & inſtigat. POSTREMO loco cũ ſubijcit: aduerſus ſpirituales nequitias in cœleſtibus, naturam hoſtium notat. Sunt enim ſpirituales hoſtes. Ex quo & agilitas eorum, & quod ſint inuiſibiles, indicatur. Illo admonemur de periculi magnitudine, hoc de inſidijs occultis. Nam cũ inuiſibiles ſunt, quo minime creditur, moliuntur nos obruere. Quare cautos nos eſſe oportet, ne opinione citius opprimamur. Huc pertinet vocabulum Nequitiæ, quo vt ſtudiũ & fallẽdi ratio Diabolorũ ſignificatur: Ita monẽtur pij, vt perpetuo excubent aduerſus tam nequioſum & malignũ hoſtẽ, qui nullas fœderis cõditiones recipit, niſi nos imperio ipſius ſubijciamus, renunciata fide Chriſti. Quod additur: in cœleſtib. varie exponitur: Ambroſius per cœleſtia intelligit firmamentũ mundi: quidã hunc caliginoſum aerẽ: nonnulli res cœleſtes, de quibus certatur. Præliũ enim hoc non de mundi regnis, ſed de cœ-

leſtibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

leſtibus rebus ſuſcipitur. Etſi autem res ſe ita reuera habet, tamen ſimplicior videtur ſenſus, videlicet, quod locus vnde hoſtes nos impugnent, deſignetur. Nam ex ſublimi nos aggrediuntur, & noſtris ceruicibus imminent, vt nunquam ad momentum oculi ceſſent nos impugnare. Hoc igitur eo pertinet, vt cogitemus quam graue & difficile prelium ſit, prodire in certamen cum eo hoſte, qui vel ex loci natura poterit nos facilius adoriri & opprimere.

Propterea accipite totam armaturam Dei, vt poſsitis reſiſtere in die malo, & omnibus peractis ſtare.

Concluſio eſt & repetitio propoſitionis, quæ infertur hoc modo: Hoſtes Eccleſiæ ſunt potẽtes & maligni. Ergo par eſt, vt Chriſtiani vniuerſa armatura Dei inſtructi hoſti ſe opponant, quo poſsint tã potenti hoſti reſiſtere, præſertim hoc tempore quo omnia difficultatũ & periculorum ſunt plena. Diem enim malum vocat Apoſtolus totum præliandi tempus, quod ſane natura nequaquam malum eſt, ſed malum dicitur periculorũ & difficultatum reſpectu. Ratio propoſitionis repetitæ pleniſsima eſt conſolationis. Nam certã pollicetur victoriam fore apud filios Dei, modo vſq; ad finem cõſtantes ſub vexillo Chriſti militauerint. Nam cum inquit, vt poſsitis omnibus peractis ſtare, requirit indefeſſũ præliandi laborem & perpetuam conſtantiam ad finem vſque prelij, hoc eſt, ad finem huius caducæ vitæ, quem triumphus glorioſus ſuper hoſtibus ſequetur. Ex hoc loco Pauli veteres ſumſiſſe videntur diſtinctionem Eccleſiæ, qua alia militans, alia triumphans appellatur, non quod ſint duæ diuerſæ Eccleſiæ, ſed propter conditionem ciuium Eccleſiæ eiuſdem. Nam donec in hac vita ſumus, tota noſtra vita militia quædam eſt aduerſus carnem, Mundum & Satanam. Huc pertinet illud dictum Iob: Militia eſt vita noſtra ſuper terram, ſed vbi ex hac vita migrauerimus, participes erimus triumphi Chriſti; ita vt nullum ſit nobis amplius à ſagittis Satanæ periculum.

State igitur ſuccincti lumbos veritate.

Nunc ſequitur armaturæ Dei explicatio, qua Paulus vult nos indutos aduerſus inſidias Diaboli, in qua per hypotypoſin & metaphoram ab armatura militũ mundi deſumtam, deſcribit animorum ſpiritualem armaturam. Ac primo loco vult lumbos noſtros veritate ſuccinctos eſſe: hoc quid velit explicata Metaphora apparebit. Vt enim lumbi in quibus potiſsimæ corporis vires ſunt cingulo firmantur, ne inter pugnandum miles labatur: Ita animus veritate Dei firmandus eſt, ne Diabolus nos dubitantes ac hæſitãtes facilius proſternat ac trucidet. Primum itaq; omnium in hoc grauiſsimo prælio mens militis Chriſtiani perſuaſa ſit de veritate Dei. Huc illud Domini dictum Lucæ 12. Sint veſtri lumbi circumcincti veritate, & veſtræ lucernæ ardentes. Hoc dictum Domini cum conſtantiam in doctrina, tum innocentiam in moribus poſtulat. Et Petrus, in prioris primo. Præcincti lumbis mentis veſtræ, ſobrij, perfecte ſperate in eam gratiam, quæ nobis allata eſt per reuelationem Ieſu Chriſti.

Induti thoracem iuſticiæ.

Hic pectus munitur. Vt enim militis mundani pectus munit thorax: Ita innocentia vitæ ſeu iuſticia hominis animum conſeruat, ne tela Diaboli cor penetrent ac religionem extinguant.

Calceati pedes præparatione Euangelij pacis.

Quemadmodum milites ſuos pedes muniunt ituri prælium quo tuti ſint: Ita Chriſtianos milites Euangelio oportet eſſe calceatos, quo illæſi in hoc bello perſiſtant, pro præparatione in græco eſt ἑτοιμασία, qua ſignificatur promtitudo quædam & alacritas, qua fideles Euangelium pacis amplectuntur. Genitiuus pacis locum epitheti ſupplet, & pacis nomine Euangelij fructus ſignificatur. Eſt enim Euangelium præconium noſtræ cum Deo reconciliationis.

Super omnia aſſumentes ſcutum fidei, quo poſsitis omnia maligni tela ignita extinguere.

Vt toti corpori ſcutum obtenditur, quo illud à telis tutum redditur, Sic fides ardentior & indubitata animũ vndequaq; cuſtodit & protegit. Et vt ſcutum aduerſariorum telis obijcitur: Sic vera fides omni tentationũ generi opponi debet. Cuius rei exempla plurima cap. 11. ad Hebræos recitantur. Ignita tela vocat letalia per Metalepſin. Alludit enim ad morem bellatorum, qui olim tela veneno infecerunt, vt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

vulneratorum corpora inflammarentur, quo ſanari rurſus non poſſent. Prætereaignita dicuntur quia vicia alia ab alijs veluti incenduntur, nam qui locum dat vni vicio, id eſt, telo diaboli, mox magna caterua comitatur.

Et galeam ſalutis accipite.

Quemadmodum caput galea munitum tutũ eſt. Ita omni Diaboli inſultui ſpes futurę ſalutis opponenda eſt, vnde conſolatio in omnibus aduerſis manat vberrima. Dicitur autem galea ſalutis per Metonymiam, videlicet, quia ſalutaris eſt. Hanc ſalutis galeam, Paulus 1. Theſſal. 5. ſpem nominat.

Et gladium ſpiritus qui eſt verbum Dei.

Hactenus Apoſtolus armauit Chriſtianum militem ijs armis, quibus tutus eſſe poterit aduerſus inſultus Diaboli, nunc autem gladium in manus tradit, quo hoſtẽ ipſe adoriri poſsit, eumq; à ſe repellere. Et quoniam hoſtis ſpiritualis eſt, conuenit etiam, vt gladius quo repellatur ſit ſpiritualis, idem omnino quo ipſe Dominus Diabolũ, Matth. 4. inuaſit, eumq; à ſe repulit. Hic gladius eſt oris Domini, quo ipſe interfecit impium. Ná quoties Diabolum verbo Domini repellimus, gladio oris Domini proſternitur. VERVM hic cauendum eſt, ne errore Papiſtico implicemur, atq; literam pro ſpiritu amplectamur. Nequaquá enim verba Apoſtoli intelligẽda ſunt de magica verborum recitatione, aut virtute exorciſmi, qui ad verba præſcripta recitatur, ac ſi in ſono verborum eſſet aliqua efficacitas, pręter eam quam habet verbum ex ordinatione Dei: nec de verborum ſcriptione & ſuſpenſione ad collum, quemadmodum principium Euangelij Iohannis in membrana ſcriptum & ſuſpenſum ad collum, putabant gladium eſſe illum de quo Paulus hic loquitur. Nam tum demum verbum Dei gladius ſpiritualis eſt, quando in nobis per fidem eſt efficax, ac ſpiritu Dei in cordibus noſtris ſcriptum eſt. Tum enim idoneus eſt hic gladius ad reprimendum vel conficiendum aduerſarium noſtrum Diabolum. HINC apparet quam crudelis tyrannus ſit Antichriſtus Romanus, qui hunc gladium ſpiritus populo Dei conatur eripere, non ſolum corrumpendo ſcripturam & detorquendo in alienum ſenſum, verumetiá legibus cauendo, ne vulgari lingua verbum Dei Eccleſiæ proponatur, vt ab omnibus legi & intelligi poſsit.

Per omnem precationem & orationem, omni tempore precantes in ſpiritu & in hoc ipſum vigilantes cum omni aſsiduitate & deprecatione pro omnibus ſanctis & pro me.

Militem Chriſtianum duplici armorũ genere munitũ, inſtructumq; ad Imperatorem adducit, vt ſub ipſius vexillo ſtrenue militet, & in periculoſiori pugna ad ipſum confugiat, ne à potentiſsimo hoſte proſternatur. Per orationem enim ad Chriſtum imperatorẽ acceditur, modo oratio non fuerit tam oris ſtrepitus, quam cordis ex fide eleuatio ad Deum fiducia Chriſti mediatoris. QVID autem ſit ſpiritu orare, explicat Ambroſius eleganti antitheſi his verbis: hoc eſt ergo in ſpiritu ſemper orare, munda conſciẽtia & fide integra preces ad Deum dirigere. In carne enim orat qui polluta mente precatur, hæc Ambroſius. QVOD autem additur: Pro omnibus ſanctis & pro me, eo pertinet, vt nobis commendatum ſit mutuum iuuandi nos inuicem ſtudium in hac ſpirituali militia. Nam his duabus rebus, gladio ſpiritus, & oratione non tantum vtemur in noſtri defenſionem, verumetiá in aliorum commodum quibus ſuccurrendum eſt, potiſsimum cum eos periclitari videmus. Et quanquam pro omnibus orandum eſt, tamen præcipua cura ſanctorum erit, hoc eſt, eorũ qui fide & charitate nobis coniuncti ſunt, vt qui eiuſdem myſtici corporis membra nobiſcum exiſtent. CVM autem ſubiungit Apoſtolus: & pro me, monet piorum officium eſſe, aſsidue pro miniſtris verbi precari, & pro conſeruatione miniſterij.

Vt mihi detur ſermo in apertione oris mei cum fiducia, vt patefaciam myſterium Euangelij pro quo legatione fungor in catena, vt confidenter me geram in eo quemadmodum oportet me loqui.

Cur cupiat Epheſios pro ſe orare Apoſtolus exponit & ordine tres cauſas enumerat, quarum prima, vt detur ipſi ſermo in apertione oris cum fiducia, hoc eſt, vt detur ei animus conſtans, quo intrepide coram toto mundo doctrinam Euangelij confiteatur. Apertionem enim oris vocat liberam doctrinæ cõfeſsionem claram & perſpicuá ſine fuco

& cauillatione, ſine metu qui ſæpe multorũ ora ita occludit, vt non meminerint ſe legatos Ieſu Chriſti agere. HIC monentur omnes pij, & præcipue miniſtri verbi, qualis confeſsionis fiducia in ipſis eſſe debeat, nimirum, vt nullo mœrore, nullis minis, nulla perſecutione frangantur, quin intrepide doceant Euangelium. SECVNDA, vt patefaciam myſterium Euangelij: Hoc enim peculiare Pauli & miniſtrorum verbi eſt, vt per prædicationem vocalem patefaciant myſterium Euangelij. Pugnat itaque hic locus contra Anabaptiſtas qui contemto vocali verbo, reuelationes & Enthuſiaſmos expectant. Sed quid eſt quod additur: Pro quo legatione fungor? Paulus legatus Dei erat ad homines miſſus, vt ipſis nunciaret Euangelium, id eſt, patris cœleſtis voluntatem de gratuita ſalute obtinenda fiducia filij. Verum tanta fuit ingratitudo eorum ad quos mittebatur Apoſtolus, quod ipſum catenis vinctum in carcerem miſerint. Similem fortunam expectent quotquot ſincere verbum Dei docent. TERTIA, vt confidenter mé geram in eo quemadmodum oportet me loqui, hoc eſt, vt non ſolum patefaciam Euangelium, verumetiam, vt ita me geram atque dignum eſt tam auguſta vocatione. HINC diſcant miniſtri Euangelij quanta cum reuerentia, quanto cum ſtudio verbum Dei tractandum ſit, non quidem vt fabulæ vetularum, ſed tanquam omnipotentis Regis cœlorum legatio, cui aliquid addere aut adimere præter legantis Dei voluntatem nefas eſt.

Vt autem ſciatis & vos, quæ circa me ſunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus dilectus frater & fidelis miniſter in Domino, quẽ miſi ad vos in hoc ipſum, vt cognoſceretis ſtatum noſtrum, & conſolaretur corda veſtra.

Hactenus de doctrina & moribus Chriſtianorum, nunc admonet Apoſtolus de ſuo ſtatu, quem vt certo cognoſcant Epheſij Tychicum ſe miſiſſe teſtatur, quem à religione & fide in officio commendat, vt ei narranti fides habeatur. Duas autem cauſſas cur Tychicum mittat, aſsignat, quarum Prior eſt de qua nunc diximus, vt certo cognoſcant Epheſij quid de ſe Romæ agatur. Poſterior vt conſoletur Epheſios ne frangantur animo propter vincula ſui doctoris. QVOD autem Tychicum multo ſe, donis, gradu dignitatis & laboribus inferiorem, vocat fratrem, cohibere deberet Papiſticos ſpiritus qui ſuperbam dominationem in Eccleſiam Dei ſibi vendicant. Donorum quidem eſt fateor diuerſitas magna & vocationum diſpar ratio: Sed ſuperbum dominium ignorauit Paulus, ignorauit vera & purior Eccleſia.

Pax fratribus & dilectio cum fide à Deo patre & Domino Ieſu Chriſto.

Fauſta precatione ſuo more claudit Epiſtolam. Pacis nomine hic concordiam intelligit, quæ eſt mutuæ dilectionis effectus, vtraque ex fide manat.

Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in ſinceritate.

Optat fauorem Dei omnibus Chriſtianis quos propria deſignauit nota. Illi enim Chriſtiani ſunt qui ſincere diligunt Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, quæ dilectio in fide & obœdientia verbi ipſius relucet, Amen.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ORNATISSIMO VIRO, DOCTRINA, PIETATE ET VIRTVTE PRAESTANTI, M. PAVLO NOVIOMAGO, OLIM CONCIONATORI ILLVSTRISS. REGIS DANIÆ, &c. CHRISTIERNI TERTII, GRAVISSIMO ET CONSTANTISSIMO SVO VETERI AMICO AC FRATRI IN CHRISTO DILECTO, SALVTEM PRECATVR

NICOLAVS HEMMINGIVS.

VETERES VICISSITVDINEM RERVM HVMAnarum aptiſsime circuli volubilitati compararunt. Nihil enim in rerum natura mutabilitati præcipiti & vſitatiſsimæ rerum viciſsitudini magis ſimile reperitur, quam circuli rotæue motus. Siquidem vt circulus vna eademque linea circumagitur, hoc eſt, abit & redit, aſcendit atque deſcendit, eodemque motus impetu, quod primum erat, vltimum efficitur, & quod vltimum, primum euadit: Ita in rebus humanis ſumma imis, & ima ſummis, triſtia lætis, & lætis triſtia ſibi inuicem ſuccedunt, & veluti commiſcentur. Id quod omnium hominum certiſsima experientia luculentiſsime teſtatur. Quis enim, obſecro, hominum vnquam fuit qui ſemper in eodem ſtatu permanſit? Cuius valetudo vnquam morbis non eſt interturbata? Cuius gloria non aliquando aliqua nubecula obſcurata eſt? tempore pacis quam non viciſsitudinem rerum patresfamilias & gubernatores rerumpublicarum experiuntur? Cum ſæuus Mars regnat, quæ eſt fortunæ conſtantia? An non veriſsimum eſt illud Homericum: ξυνὸς ἐνυάλιος καὶ τὸν κτανέοντα κατέκτα; vſque adeo verum eſt quod dicit Nazianzenus Sophronio ſcribens, ὡς αὔραις μᾶλλον πιστεύειν, καὶ γράμμασι τοῖς καθ' ὕδατος, ἢ ἀνθρώπων εὐημερίᾳ. Ob hanc volubilitatem non immerito τύχη φερέπολις à Pindaro nuncupatur, & ὁ βίος τροχὸς à Phocylide dicitur. Hanc inconſtantiam rerum humanarum cum viderent Pompeius & Dauid, non eodem modo vterque affectus eſt. Pompeius hanc viciſsitudinem cogitans, diſputat an ſit prouidentia, an Deus curam rerum humanarum habeat. Cum enim diſsipato exercitu Mitylenæ diuertiſſet in hortum Cratippi Philoſophi, magna contentione concludit, nullam prouidentiam eſſe, cum ipſe olim in deteriori cauſſa felix fuerit, & nunc in cauſſa meliori victus ſit. Dauid autem exutus regno, perſequente ſe filio Abſolone, non diſputat an ſit prouidentia, ſed confirmatur magis de prouidentia. Nã non ſolum iuſtum Dei prouidentis iudicium agnoſcit, & ſe dignas pœnas luere fatetur, verumetiam euentum non fortunæ, ſed Deo conſtantiſsime tribuit. Vt ex his verbis ad Zadoch Sacerdotem apparet, Reporta (inquit) arcam Dei in vrbem: Si inuenero gratiam in oculis Domini reducet me, & oſtendet mihi eam & tabernaculum ſuum: Si autem dixerit mihi, non places, præſto ſum, faciat quod bonum eſt in oculis ſuis. Hæc oratio non eſt diſputantis an ſit prouidentia, Sed eſt anhelantis ad miſericordiam Dei: qui, vt punit peccatores, ita in gratiam recipit confugientes ad miſericordiam. Cato cum ob bonã cauſſam pateretur exilium, turbata mente, de prouidentia Dei

dubitat,

dubitat, ac tandem ſibi ipſe manus cruentas affert. Contra vero Ioſeph iniuſtiſſime à fratribus venditus, in exilio conſcientia recti ſe ſuſtentat, non fremit aduerſus Deum, Sed potius acquieſcit in Deo, intuetur Dei promiſsiones, nec dubitat de prouidentia Dei, ſed certo ſtatuit Deum ſibi adeſſe, & aliquando liberaturum ſe à triſtiſſima ſeruitute in qua fuit. Breuiter, vt omnes ignari Dei viciſsitudinis rerum cogitatione decepti, perturbantur, & de prouidentia dubitant, idque potiſsimum cum aliqua ſubita calamitate inuoluuntur: Ita Theodidacti ac pij cum vident tantam rerum viciſsitudinem, Dei conſilium adorant, & ipſi preſsi cruce ad tutiſsimum aſylum nomen Domini confugiunt, & ex euentu, quem expectant lætiſsimum, mitigationem doloris petunt. Ignaris Dei adiungo ſecuros, qui cum verbis ſe ſanctos & fideles oſtentant, & gloriantur de Euangelio, factis ſe Nerones & Heliogabalos exhibent. Quantum autem hic vacillant, ſæpe voce oſtendunt. Nam cum vident euentus ſuis ſapientibus conſilijs minime reſpondere, aut Deum tacite accuſant, aut caſu ferri omnia apud ſe cogitant, etſi lingua aliud loquantur.

Sed quæ huius rei cauſſa eſt? Ieremias eam clariſsime aſsignat cum ait: Confuſi ſunt ſapientes, præteriti & capti ſunt. Verbum enim Domini proiecerunt, & quid proderit eis ſapientia? Iere. 8.

Sed qui fit quod Pompeius deſperat in exilio ſuo, & Dauid inuicto animo perſiſtit? Pompeius nec cauſſam nec finem viciſsitudinis rerum humanarum intelligit. Dauid autem & cauſſam & finem recte æſtimat. Sed quænam cauſſa illa eſt? triplex eſt cauſſa quare optimus pater noſter cœleſtis nunc nos exaltat, nunc humiliat, nunc morbis premit, nunc valetudine bona erigit, videlicet, Iudicium iuſtum, miſericordia gratuita, & δοκιμασία neceſſaria. Iuſto iudicio ſuo Dauidem exilio punit: Gratuita miſericordia eundem ad regni faſtigium euehit. Exploratione neceſſaria eundem nunc lætis, nunc triſtibus tentat, an ſe vere timeat, nec ne. Sic Abraham aliquando proſpera, aliquando triſti fortuna vſus eſt. In proſpera miſericordiam agnouit, in triſti iudicium faſſus eſt. In vtraque conſtanter in Deo acquieuit. Quod autem vocetur in peregrinam terram, quod cum fame luctetur, quod periclitetur vxoris pudicitia, quod iubeatur ipſe mactare filium, quod tandem chariſsima coniuge priuetur, explorationis argumenta fuerunt. Similia videmus in multis alijs ſanctis.

QVIS FINIS EST HVIVS VICISSITVDINIS ET INCONSTANTIÆ RERVM?

Duplex finis aſsignatur à Nazianzeno hiſce verbis: ἵνα τὸ ἐν τούτοις ἄστατον καὶ ἀνώμαλον θεωροῦντες μᾶλλόν τι προσέρχωμεν τῷ θεῷ, καὶ τῷ μέλλοντι, hoc eſt, vt cum in hiſce mundi rebus videamus tantam inconſtantiam & varietatem, accurramus ad Deum ipſum, & anhelemus ad futuram vitam. Ad Deum quidem accurrimus non pedibus, ſed affectibus, videlicet cum in aduerſis ipſum ex fide inuocamus ardenter, cum ob benefacta ipſum vere prædicamus, cum in tentationibus in eius verbo acquieſcimus conſtantes. Anhelamus vero ad futuram vitam, quando neglectis omnibus commodis & incommodis πολίτευμα noſtrum in cœlo eſſe ſtatuimus, vnde expectamus ſaluatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui noſtra humilia & abiecta transfigurabit corpora, vt ſint conformia ſuo glorioſo corpori, idque ea potentia qua poteſt ſibi omnia ſubijcere. Quod vbi factum fuerit, nulla amplius pertimeſcenda eſt rerum viciſsitudo.

Sed cur, inquies, mihi hæc? quorſum hæc tendunt? Superiori anno, Clariſsime

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

riſſime vir, vna fuimus, & multum congratulati ſumus nobis inuicem, quod
non ſolum in his regnis tranquilla eſſent Eccleſiæ hoſpitia, & ſumma eſſet in
religione docentium conſenſio: verumetiam quod tranquilla & quieta eſſet
reſpublica ſub optimo & clementiſſimo Rege noſtro D. Friderico Secundo.
Deinde etiam non parum gaudij attulit vtrique noſtrum amicorum & neceſ-
ſariorum honeſta conſuetudo. Quid amplius quæſo optare potuimus? Sed
proh polor, experimur rerum viciſſitudinem permagnam.

Etſi autem religio, ſit Deo gratia, ſalua eſt: Etſi eandem optimi regis
clementiam experimur: tamen videmus magnam viciſſitudinem rerum, vi-
demus multas domos deſertas quæ ſuperiori anno habitabantur quiete. Non
pauci hodie miſere mendicant panem, qui ante paucos dies abundabant om-
nibus neceſſarijs. Vſque adeo ſæuo Martis imperio ſuſque deq; feruntur om-
nia, & vt taceam de alijs, vterq; noſtrum non parum hoc anno viciſſitudinem
rerum experti ſumus, qui, quos habuimus chariſsimos, hoc anno amiſimus.
Vt enim ego matrem chariſſimam: Ita tu filiā dilectiſsimam mœſtus deſide-
ras. Quid hic nobis faciendum? intuentes publicam calamitatem agnoſca-
mus iudicium Dei punientis multa occulta & graſſantia peccata, & præſertim
impunitatem ſcelerum in hoc regno: tangamur vero ſenſu doloris ob iniqui-
tatem noſtram: & confugiamus ad eum qui diues eſt miſericordia, eumque
precibus noſtris, vt benigne mitiget pœnas quas iuſte meruimus, ſolicitemus.
In neceſſariorum amiſſione, cogitemus conſilium Dei, cui iſto pacto explo-
rare fidem noſtram & patientiam placuit.

Sed dices forte, grauius eſſe filiam iuuenculam amittere, quam matrem
octogenariam. Etſi non magnopere inficias eo, tamen negari non poteſt
quin matris obitus homini pio acerbiſſimus ſit. Et tametſi fateor dolorem
meum ex eo non parum mitigari, quod mater mea honeſte multos annos in
coniugio vixerit, & deinde vidua 28. annos caſtiſſime vitam tranſegerit, &
tandem ætate confecta, pie animam Deo commendauerit: tamen affirmo te
non minorem conſolationis materiam habere in morte filiæ, quam ego in
obitu matris chariſſimæ. Nam quod imperitis hominibus ſummum dolorem
afferre ſolet, hoc tibi viro ſapienti debere eſſe maximo ſolatio ſtatuo.

Quid, inquies, hoc eſt? dicam. Pie & ſancte ab ineunte ætate fuit educa-
ta filia tua, artes honeſtas muliebri Sexui conuenientes perbelle nouit: Pie a-
pud parentes vixit, iuſte foris cum alijs conuerſata eſt, nupta optimo & doctiſ-
ſimo viro M. Paulo Ripenſi Epiſcopo, veteri amico meo ſanctiſsime & hone-
ſtiſsime vixit, ac tandem caſtiſsimum ſpiritum Deo qui ipſum dedit, in inuo-
catione nominis Dei tradidit. Quid vltra requiris? immatura morte occubu-
it. Quaſi immatura eſſet cenſenda, quam Deus longiorem eſſe noluit. quaſi
breuis eſſet vita, quæ pie & ſancte tranſacta eſt. Seneca grauiſsime ait: Sicut fa-
bula, ſic & vita, non quam diu, ſed quam bene acta ſit refert. Age quæſo cur fi-
liæ tuæ Dorotheæ nomen in baptiſmo tribuiſti? An non ideo quia eam agno-
uiſti δῶρον τοῦ θεοῦ eſſe, hinc enim eſt Dorotheæ appellatio. Si donum Dei agno-
ſcis filiam, cur ægre fers quod Deus quod ſuum eſt repetit, vt auertat ab ea peri-
cula, quibus obnoxij ſumus nos qui ſuperſtites adhuc in hac lachrymarum
valle oberramus mille caſibus expoſiti?

Sed dices: non Stoicus ſum, non exui ſtorgam diuinitus hominibus im-
preſſam, Natura eſt dolere ob charorum amiſsionem: fateor id quidem, ſed
vt natura eſt dolere amiſsione charorum: ita pietatis eſt ſe Deo ſubijcere, &
ex voluntate Dei & promiſsionibus diuinis conſolationem petere: mixtus
ſit igitur tuus dolor conſolatione & obœdientia erga Deum. Hæc cogita cha-
riſsime frater, quoties memoria dilectiſsimæ filiæ tua paterna viſcera commo-
uet. Cogitatione iudicij & miſericordiæ Dei te ſuſtenta, meditatione æter-

na con-

næ conſuetudinis cum filia & omnibus ſanctis in æterna vita te ſolare, viciſsitudinem lęticiæ & doloris in hac vita recole, cogita læticiam & dolorem in hoc mundo ſibi inuicem ita cedere, vt maior ſit dolor & ſępius recurrat.

Vt autem & ego inter alios tuos amicos quos ſumma doctrina, magna pietate & ſingulari virtute tibi comparaſti, nonnihil afferam ad mitigandum tuum iſtum dolorem ob amiſſam filiam, mitto tibi annotationes meas in Epiſtolam Pauli ad Philippenſes, quas ſub tuo nomine in lucem prodire volui, vt teſtarer de noſtra inter nos amicitia, cuius teſtimonium volo haſce annotatiunculas eſſe, & rogo vt quoties has annotationes videris, reuoces in mentem verba Pauli, quæ ſunt in huius Epiſtolæ tertio capite. πολίτευμα noſtrum eſt in cœlo, vnde expectamus ſaluatorem & reparatorem noſtrorũ corporum, vt fiant σύμμορφα glorioſo corpori ipſius. Crede mihi quod nullum ſit præſentis doloris remedium, quam fides horum verborum & pia reſurrectionis meditatio. Vale cum vxore tua Anna caſtiſsima & liberis. Haffnia, Calendis Nouembribus, Anno Domini 1564.

ARGV-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ARGVMENTVM EPISTOLAE PAVLI AD PHILIPPENSES.

OCCASIO EPISTOLÆ AD PHILIPPENSES SCRIPTÆ, VT ex quarto capite apparet, hæc fuit: Miſerant Philippenſes Paulo, cum Romæ in carcere ageret, neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem per ſuum, vt apparet, Parochum Epaphroditum: & paſsim Pſeudoapoſtoli ſinceram Chriſti doctrinam corrumpere cœperant, idque prætextu Legis & Circumciſionis: ſed Philippenſes nihilominus in doctrina Pauli perſtiterunt conſtantes: Quare Paulus, cum vt futuro periculo occurrat, tum vt ſuam erga Philippenſes animi gratitudinem declaret, hanc ſcribit Epiſtolam: quæ ſane varia & multiplex eſt, vt non poſsit ad vnum certum cauſſæ genus referri, vt pleræque aliæ.

Vt autem eo clarius & diſtinctius tractatio ipſa intelligatur, & orationis methodus cognoſcatur, diuidam hanc Epiſtolam in ſeptem partes, ſed excluſis epigrapha & valedictionis clauſula.

PRIMA itaque PARS eſt exordium ipſum, in quo gratias agit Apoſtolus Deo pro Philippenſium conſtantia, videlicet quod perſtiterint in ſana doctrina, cum multi alij hęreticorum erroribus fuerint implicati.

SECVNDA PARS expoſitio ſeu narratio eſt: in qua quid ſecum actum ſit Romæ, exponit: videlicet quod in carcerem ſit coniectus, propter defenſionem Euangelij: quæ res ceſsit in magnum Euangelij profectum, idque contra expectationem aduerſariorum.

TERTIA PARS continet parænesés προτρεπτικὰς, ad vitæ morumque integritatem & conſtantiam facientes.

QVARTA PARS demonſtratiua eſt. Continet enim laudes & commendationes Timothei & Epaphroditi, vt Philippenſes ſciant quanti facere debeant, non ſolum ipſos, verumetiam omnes alios qui in promouenda Euangelij doctrina verſantur & occupantur.

QVINTA PARS parænesés ἀποτρεπτικὰς continet, videlicet, vt Philippenſes falſos doctores & doctrinæ corruptelas caueant, additis grauiſsimis rationibus, quibus Iudaicos errores de Circumciſione & Lege & Iuſticia, qua coram Deo conſiſtimus, egregie confutat & euertit.

SEXTA PARS, priuatas ad quoſdam, & generales ad omnes exhortationes continet.

POSTREMA PARS habet approbationem beneuolentiæ Philippenſium & liberalitatis eorum erga ſe, videlicet, quod ſui rationem habuerint, & per Epaphroditum parochum neceſſaria quædam ad vitæ ipſis ſuſtentationem miſerint.

Hiſce ſeptem partibus admiſcentur per occaſionem, vt fieri ſolet, doctrinæ variæ & multiplices, quarum explicatio ſumme neceſſaria eſt, vt de duabus naturis in Chriſto, de glorioſa humanitate Chriſti, de eiuſdem glorificatione, de vera iuſtificandi ratione. De glorioſa corporum noſtrorum conformatione ad ſimilitudinem corporis Chriſti. De abrogatione circumciſionis & legis Moſaicæ. Sed de his copioſius in enarratione.

CAPVT I.

Summa Capitis Primi.

GRATIIS Deo actis ob conſtantiam Philippenſium in fide Euangelij, & indicato ſuo pro ipſorum ſalute ſtudio, exponit Apoſtolus quod carcer ſuus Romæ ceſſerit in maiorem Euangelij profectum, ſpeque facta de ſuo ad ipſos reditu hortatur eos ad vitam Euangelio dignam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Ordo & partes Primi Capitis.

QVINQVE ſunt huius Capitis membra, Epigrapha, Salutatio, Exordium gratulatorium ob profectum Philippenſium in fide Euangelij, Narratio Profectus Euangelij Romæ ex occaſione ſui carceris, & exhortatio ad vitam Euangelio dignam.

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS & Timotheus ſerui IESV CHRISTI.

Communem profeſsionis titulum ponit ſine mentione Apoſtolatus, idque propterea quod ijs ſcribat, qui de ſuo officio & vocatione dubitare non poterant. Quod autem Timotheum ſibi adiungit, Chriſtianæ humilitatis indicium eſt. Non contemnit Timotheum vt inferiorem donis & vocatione, ſed eum ſibi adiungit in Euangelio ſocium, vt ſuo exemplo miniſtros Euangelij humilitatem doceat. Hoc proinde exemplum miniſtris verbi, adeoq; omnibus pijs ſit norma veræ humilitatis & coniunctionis mutuæ.

Omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu qui ſunt Philippis.

Id eſt, fidelibus omnibus qui ſunt in Chriſto, cuius ſanctitatis, dum credunt, participes fiunt, & donati ſpiritu Chriſti, & regenerati per gratiam eiuſdem ſpiritus, piam & ſanctam vitam meditantur, expectantes plenam & perfectam ſanctificationem. Sancti ſunt igitur fideles duplici modo, videlicet imputatione & incoatione. nam qui credunt in Chriſtum, vt iuſticiæ Chriſti, ita & ſanctitatis eius ſunt participes, & quia ſpiritũ Chriſti habent, ſanctitati ſtudent, hoc eſt, ſe à prophanitate mundi ſeiungunt, accommodant ſe Deo, cui ſe offerunt in hoſtiam placentem Deo per Ieſum Chriſtum. in æterna vita ſancti erimus perfectione & gradibus. Philippenſes, quibus ſcribit Apoſtolus, fuerunt populi Philipporum, quę vrbs eſt Macedoniæ apud Stridonem fluuium, in finibus Thracię, à conditore Philippo, Græciæ domitore patre Alexandri Magni ſic appellata. IN hac vrbe Paulum fundaſſe Eccleſiam teſtantur Acta Apoſtolica cap. 16. vbi & flagra & pœnas paſſus eſt propter pytonicũ ſpiritum, quem de puella expulit: propter quam etiam cauſſam Philippis diſcedere coactus eſt, vbi tamen iactum verbi Dei ſemen indies magis magiſq; radices egit, adeo vt iam pluribus Epiſcopis & Diaconis indigeret Eccleſia: quæ indies in ſincera Pauli doctrina, & vitę innocentia creuit, nullam Pſeudoapoſtolorum corruptelam admittens.

Cum Epiſcopis & Diaconis.

Epiſcopi nomen Athenienſibus in vſu fuit, & ſignificabat magiſtratum, qui mittebatur ad ius dicendũ in ea oppida, quæ ſub ditione & imperio erant Athenienſium. Horum munus erat, videre quid in quaq; regione fieret, vt cognita ad reges referrent. Horum pręfectura ſeu adminiſtratio ἐπισκοπὴ dicebatur. Homerus vltimo ἰλιάδ. Hectorem Epiſcopum vrbis Troiæ, hoc eſt, defenſorem & præſidem nominat. Platoni Epiſcopus in genere ſignificat inſpectorem & curatorem rerũ agendarum. Ex hac generali ſignificatione translatũ eſt nomen ab Apoſtolis ad certam ſpeciem, vt Epiſcopus ſit pręco Euangelij, qui diligenti cura & ſedulo ſtudio in hoc totus incũbit, vt & ipſe recte doceat Euangelium ſibi concreditum, & vt alij iuxta Euangelij vocem pie & honeſte viuant. Nam ἐπὶ in hanc compoſitione ſedulitatem quandam & intentionem actionis ſignificat. PROINDE, Epiſcopi Paulo fuerunt, quos hodie parochos, & in genere miniſtros verbi appellamus, id quod non ſolum ex præſenti loco patet (plures enim vnius ciuitatis Philipporũ Epiſcopos hic agnoſcit Apoſtolus) verumetiam ex 20. capite Actorum manifeſtũ eſt, vbi Paulus miniſtros verbi Eccleſiæ Epheſinæ, cum Presbyteros tum Epiſcopos vocat. Ad Timotheum quoq; & ad Titum Presbyter & Epiſcopus idem ſunt. Verum quod nunc vnus qui alijs miniſtris verbi præficitur, vt eorum actiones inſpiciat, Epiſcopus dicitur, id non ſcripturæ, ſed hominum decreto factum eſt. Eſt fateor vtiliſsimum ad conſeruandam doctrinæ ſinceritatem, & ad regendam diſciplinam Eccleſiæ vtile, vnum aliquem in ſingulis diœceſibus ſiue prouincijs præficere, qui ſit inſpector rerum gerendarum in Eccleſia, curetque vt omnia in Eccleſia, iuxta Pauli conſilium, ordinate & decenter fiant. Hunc ſiue Epiſcopum græca

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

voce, ſiue Inſpectorem, ſiue Superattendentem vocaueris, proinde eſt. PORRO Diaconi nomen bifariam in ſcripturis ſumitur. Alias enim generaliter pro quouis miniſtro accipitur, qua ratione Magiſtratus ad Roman.13. diaconus Dei dicitur. Et Paulus ipſe ſe Euangelij Diaconum ad Epheſ.3. appellat, qui & Chriſtum Dominum diaconum circumciſionis ad Roman.15. vocat. Hac igitur ratione Diaconus ab Epiſcopo, vt genus à ſpecie differt. Alias ſpecialiter accipitur Diaconus, pro adminiſtratore eleemoſynarū Eccleſiæ, qui accipiendis & diſtribuendis eleemoſynis præficitur. Tales illi ſeptem fuerunt, de quibus in Actis Apoſtolicis capite 6. Hos quoq; morum cenſores in primitiua Eccleſia fuiſſe nonnulli exiſtimant, quos Paulus etiam ad Timotheum Presbyteros vocat. Hinc διακονεῖν pro erogatione eleemoſynarum ponitur, 2. Cor.8. & 9. Et pro adminiſtratione ad Roman.12. interdum etiam generaliter pro quouis miniſterio ponitur. Verum Diaconatus, quem poſtea finxerunt Pontifices Romani, nullum habet ex verbo Dei firmamentum.

Gratia vobis & Pax à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.

Familiaris Paulo ſalutandi hic modus eſt, à proprio Euangelij fructu ſeu effectu deſumtus. Gratiæ nomine fauor Dei gratuitus ſignificatur, quemadmodum ex 1. capite ad Epheſ. apparet. Pacis appellatione fructus ſeu effectus gratiæ notatur, & complectitur quicquid ex fauore Dei nobis donatur. vt reconciliatio noſtri cum Deo, ſalus ipſa, adeoque omnia proſpera & bona.

PRIMA PARS.

Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri.

Orditur à gratiarum actione, quæ ſane non ſolum affectus Pauli ad Philippenſes ſignum euidens eſt, verum etiam ſtimulus quidam ad perſeuerantiā. virtus enim laudata creſcit, hinc tria colligamus. PRIMVM, quod exemplo Pauli oporteat pios Deo pro beneficijs & ſibi & alijs collatis gratias agere. SECVNDVM, vt nactis beneficia Dei precemur incrementū. TERTIVM, vt cum Paulo Eccleſiæ totius, & non tantum præſentium membrorum ſummam curam habeamus. Deum ſuum vocat, vt oſtendat quod ſoli credētes de Deo vere gloriari poſſint. In omni memoria veſtri, id eſt, cum ſumma memoria veſtri. Eſt enim hebraiſmus, ἐν enim pro Beth, id eſt, cum, ponitur, & ϖάσῃ pro plena, ſeu perfecta ſeu ſumma. Significat ergo Apoſtolus ſe perpetuo memorem eſſe Philippenſium. HVC lubet nonnulla adijcere de gratiarum actione, quæ Deo fit vere & recte. GRATIARVM actio quæ Deo fit ipſiq; placet, eſt agnitio & confeſſio beneficiorum acceptorum cum ſumma gratitudine mentis & prædicatione bonitatis Dei. Vt autem hæc gratiarum actio ſit perfecta, requiruntur duo: quorum vnum eſt συζυγία virtutum, quæ neceſſario adeſſe debent. Alterum legitimus modus agendi gratias. συζυγία virtutum eſt & veritatis & iuſticiæ copulatio, Veritas vt candide & aperte agnoſcit benefactorem Deum, ita excludit hypocriſin & mendacium. Hypocriſin quidem, vt non voce & verbis tantū, ſed etiam ex animo ſincero gratias agas: Mendacium vero, vt non Deo aſcribas ſucceſſum in rebus malis. vt ſi latro agat gratias pro optimo ſpolio, aut adulter pro exoptata venere. Iuſticia admonebit te gratitudinis, humilitatis, & inuocationis. Legitimus modus agendi gratias ſępe à Paulo indicatur quum ait, Gratias ago per Ieſum Chriſtum. Nam cum dicit, per Ieſum Chriſtum, modum exponit verę gratiarum actionis, in quo modo hæc ordine inſunt. Primum, fides in Chriſtum, ſine qua nulla poteſt fieri vera gratiarum actio, nihil enim placet ſine fide. Deinde confeſſio, qua confiteris te Chriſto Mediatore diuina percepiſſe beneficia. Tum fiducia, qua ſtatuas tuam gratiarum actionem placere propter Chriſtum. Poſtremo votum, quo ad Dei gloriam profecturum exoptes quicquid acceperis.

(Semper in omni precatione mea pro omnibus vobis cum Gaudio precationem faciens.)

Hæc parentheſi claudantur. Pertinent autem hæc verba eo, vt Philippenſes ſummum Paulo pro ſua ſalute ſtudium fuiſſe, intelligant. Referenda ſunt igitur ad locum beneuolentiæ. Cum autem dicit, cum gaudio precationem faciens, reſpicit & ad præteritū tempus & ad futurum. Nam cum dicit ſe gaudere, intuetur fauſtum incœptum Philippenſium. Cum autem ſe precationem facere pro ipſis addit, monet ne ab exhibita gratia deficiant, ſed potius vna precentur, vt indies magis abundent. Vt ergo ob exhibita bona pijs lætandū eſt, Ita pro futuris impetrandis precandum. Iam ſi precandum eſt pro

eſt pro bonis impetrandis, ſequitur, Stoicum deliriũ deteſtandum eſſe, quo ſtatuitur quod omnia eueniant neceſsitate fatali, adeo, vt quicquid fiat, neceſſario fiat, & ita tollatur contingentia. Quod ſi verum eſſet, fruſtraneæ eſſent omnes Sanctorum preces, quibus à Deo petunt ſalutaria, petunt regi conſilia & actiones.

Super communione veſtri in Euangelio à primo die vſque in hunc diem.

Ratio propoſitionis à vocatione Philippẽſium ad gratiam Euangelij, & ab eorum in eadem gratia perſeuerantia. Inſignis locus, qui docet non fortuito aut caſu nunc huic nunc illi genti prædicari Euangeliũ, ſed hoc fieri ex diſpenſatione diuina. Cum enim Paulus Deo gratias agit, quod Philippenſes facti ſint participes Euangelij, & in eo perſeuerent, ipſum Deum autorem cum participationis iſtius, tum perſeuerantiæ agnoſcit.

Hoc ipſum perſuaſus, quod qui incœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Ieſu Chriſti.

Amplificat rationem à fiducia perſeuerantiæ, quæ à conſtantia autoris Dei petitur. Is enim cum non temerario iudicio cœpit opus, certa fiducia eſt, vt idem quod ex gratia incœpit, per gratiam abſoluat. OBSERVANDVS ſane locus hic eſt, quo conſcientiæ piorum aduerſus tentationem prædeſtinationis Stoicæ de perſeuerantia in bono confirmantur. Eſt enim Deus in ſuis operibus conſtans, nec deſerit opus ſuum quod incoauit. Cum ergo in Philippenſibus incœpit opus bonum, ſcilicet prædicationem Euangelij, quo corda hominum formantur, flectuntur & diriguntur in iuſticiam, perficiet ſcilicet ad perſeuerationem eos confirmando, idq; vſq; in diem Ieſu Chriſti, hoc eſt, ad horam mortis cuiuſque credentium, ſeu, vt nonnulli interpretantur, vſque ad extremum diem, quando veniet Dominus ad iudicandum viuos & mortuos.

Sicuti iuſtum eſt mihi hoc ipſum ſentire de vobis,

Ratio fiduciæ de perſeuerantia Philippenſiũ ſumta ab honeſto. piorum eſt enim ſemper de bene cœptis optime ſperare.

Propterea quod in corde teneam vos cum in vinculis meis, tum in defenſione & confirmatione Euangelij, vos inquam omnes vna mecum fuiſſe gratiæ meæ participes.

Hæc ſententia Syntheſi turbata in hunc modum conſtruenda eſt. Propterea quod habeam vos in corde (id eſt, intimo cordis affectu vos reputem) Eſſe conſortes gratiæ meæ (id eſt, crucis quæ mihi ex fauore Dei impoſita eſt, ideoque eam inter gratias Dei numero. Eſt enim mihi inprimis honorifica) cum in vinculis meis, tum in defenſione & confirmatione Euangelij. Interpretatio eſt & diſtributio Gratiæ. Nam ideo ſibi crucem reputat honorificam, quia facit ad defenſionem & confirmationem Euangelij. Hoc paradoxon obſeruandum eſt contra opinionem hominum, qui crucem & carceres ad accuſandum & damnandum Euangelium facere arbitrantur. Obſeruetur itaq; inprimis hic locus de perſecutione Eccleſiæ & piorum miniſtrorum, videlicet quod Spiritus ſanctus eã inter gratias Dei numeret, tantum abeſt vt probroſa alicui videatur. Huc facit illud Domini dictum: Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos mentientes, propter me.

Teſtis enim mihi Deus eſt, quam propenſe amem vos omnes in viſceribus Ieſu Chriſti.

Iuramento confirmat ſe vero amore Philippenſes complecti, idq; non affectu carnis, ſed in viſceribus Ieſu Chriſti, id eſt, pio affectu qui manat ex Chriſti miſerentis gratia: Viſcerum nomine intimus amor ſignificatur, qualis tenerrimus ac veluti maternus eſſe ſolet. Quod autẽ addit Ieſu Chriſti, Diſcernit inter viſcera naturalia, & ea, quæ ſunt à Chriſti gratia, quæ magis ardent amore, eoq; ſinceriore. Obſeruandus qualis affectus eſſe debeat piorum miniſtrorum erga ſuos auditores, vnde proficiſcatur, & quo tendat.

Et illud oro, vt caritas veſtra adhuc ma-

Oſtendit Apoſtolus ſe de conſtan-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

gis & magis redundet in cognitione, & omni ſenſu.

tia Philippenſium gauiſum eſſe:nunc porrò orat pro perſeuerantia, & capita ſumma vitæ Chriſtianæ attingit:

Finis enim precationis Pauli pręcipua Chriſtianæ vitæ capita cõtinet. Nam orat vt Philippenſes redundent, id eſt, magis magiſq; promoueant in cognitione & omni ſenſu, hoc eſt, vt indies proficiant cum in ſcientia ſalutis tum in ſenſu omni, id eſt, experientia, qua vis doctrinæ plene in corde ſentitur. Euãgeliũ enim nõ tantum requirit noticiã ſui, verumetiam ſenſum in corde, in affectibus, adeoq; in omnibus viribus interiorib⁹ & exterioribus. Vbi autem cognitioni Euangelij nõ reſpondet hic viuus ſenſus, fruſtra gloriatur homo de fide Euangelij. Paulus ergo requirit cum incremento cognitionis omnem ſenſum, id eſt, pleniſsimum, quo cor pleniſsime afficiatur. Nam particula Omnis nõ ſemper vniuerſitatem generis ſignificat, ſed interdum ex Hebręorum idiotiſmo rei cui adiũgitur, perfectionem quandam, vt in illo: Si omnem fidem habeam, id eſt, cõſummatiſsimam fidẽ ſcilicet eden- di miracula. Sed de hac phraſi ſupra quædam diximus. PORRO non videtur mihi inutile fore auditoribus, ſi quædam huc aſcripſero de modo parandi γνῶσιν, hoc eſt, cognitionem rerum in ſcriptura. Nam niſi iuſtũ modum ſciuerit interpres, fruſtra ſudat, & inutiliter aures diſcentiũ fatigat. Ad γνῶσιν igitur parandam poſt inuocationem Dei, tria requiruntur, linguarũ & phraſeon cognitio, theoria ac paradoſis. SINE linguarum & phraſeon cognitione nõ diſcerni poſſunt locutiones figuratæ à proprijs, nec propriæ à figuratis. quare opus eſt diligenti conſideratione, ne phraſeon & linguarũ inſcitia impediat γνῶσιν. Proinde Grammatica diligenter diſcenda eſt ab ijs, qui feliciter interpretari ſcripturã volunt. DEINDE theoria eſt neceſſaria. hac enim ſententiæ ſimiles & quæ videntur contrarię inter ſe conferuntur: hac coniunguntur late in ſcripturis ſparſa, vt vnum veluti Syſtema conſtituant: hac, capita rerum ordinantur: hac eruuntur definitiones, inſtituũtur diuiſiones, conciliantur antilogiæ: hac conferuntur obſcura clarioribus, typi antitypis: hac exempla regulis, & regulæ exemplis accommodãtur: hac particularia ad vniuerſalia, & vniuerſalia ad particularia reuocantur. Hac antecedentia, adiuncta, & cõſequentia perpenduntur. hac conſilium ſcriptorum, ſcopus, & periſtaſes conferuntur. Breuiter, Theoria normam Dialecticam reb. ſacris tractandis tanquam menſurã adhibet. ſingulariq; ſtudio in hoc incumbit, vt interpretatio ſit fidei analoga. PARADOSIS, hoc eſt, traditio, tum demum locum habet, quando vel orationis genus ignoramus, vel theoria non poſſumus aſſequi dicti ſententiam. tunc enim vox Eccleſiæ quærenda eſt, eaq; audienda, modo analoga fidei ſit, & loco congruat. De hac re plura volente Deo, in priore ad Timotheum dicemus.

Vt probetis quæ ſint præſtantiora.

Vſus ſeu finis cognitionis, videlicet, vt Philippenſes recte iudicẽt, explorent & approbent ea quæ ſunt præſtantiora, atque ita expetenda iudicio verbi eligant, & contraria vitent. Hæc enim eſt vis verbi δοκιμάζειν.

Vt ſitis ſinceri ac ſine offenſa in diem Ieſu Chriſti, pleni fructibus iuſticiæ per Ieſum Chriſtum ad gloriam & laudem Dei.

Senſum quo Philippenſes cupit abundare, ad tria capita refert, nempe ad ſinceritatem (quæ eſt bona conſcientia coram Deo) Innocentiam vitæ, (videlicet, ne ſimus vlli offendiculo.) Et plenitudinem fructuum iuſticiæ, qui proficiſcuntur ex gratia Ieſu Chriſti, & tendunt in laudem & gloriam Dei. Atque ita hoc loco vera viuendi ratio Chriſtianis præſcribitur, & ſimul fons omnium bonorum operum oſtenditur, nimirum quod ex gratia Chriſti & fide in ipſum promanẽt ad finem proprium, qui eſt laus & gloria Dei. Opera igitur quæ aliunde veniunt, aut etiam aliorſum tendunt, nequaquam bona cenſenda ſunt, qualiſcunque ſit externa ſpecies. Deinde & hoc obſeruandum eſt, quod bona opera à Paulo non definiantur eſſe iuſticia, ſed fructus iuſticiæ: Quo dicto ſignificatur neceſſaria conſecutio bonorum operum ad gratuitam iuſticiæ imputationem. Debet igitur iuſticia Chriſtiana perpetuo, vt palma florere.

SECVNDA PARS.

Scire vos volo fratres, quod quæ mihi acciderunt, magis ad profectum Euangelij euenerunt.

Propoſitio expoſitionis, cuius ſenſus hic eſt. Meus carcer & perſecutio quam hic Romæ patior hactenus ceſ- ſit in

ſit in profectum Euangelij, hoc eſt, Meus carcer fuit occaſio vt latius in mundo ſpargeretur Euangelium, & feliciores ſucceſſus habuerit: Significat enim προκοπὴ felicem promotionem & ſucceſſum.

Ita vt mea vincula manifeſta ſint in Chriſto, in toto prætorio, & reliquis omnibus.

Expoſitio continens rationē propoſitionis, cuius hic ſenſus eſt: Euangelium occaſione carceris mei innotuit aulæ Neronis, adeoque omnibus Romanis reliquis. Sciunt enim me propter Chriſti negocium in carcerem coniectum eſſe. Eſt itaque hic non exiguus Martyrij ſanctorum fructus, quod inde magis magiſq; pateſiat, & innoteſcat Euangelium Chriſti. Dicitur autem crux miniſtrorum verbi & piorum afflictio μαρτύριον, quia eſt reſtimonium doctrinæ, & veluti quædam Euangelij obſignatio. Nam cum homines vident ſanctos non propter crucem abijcere confeſsionem, cogitant eos certis niti fundamentis.

Et pleriq; ex fratribus in Domino freti vinculis meis, magis audeant impauide ſermonem loqui.

Alius fructus vinculorum Pauli, quod non pauci qui antea timidiores erant, Pauli inuicta fortitudine animentur ad prædicandum ſine timore Euangelium. Sæpe enim vnius conſtantia multos animare ſolet. Huc igitur pertinent ſanctorum martyria, vt non ſolum miniſtris verbi animū addant, ad quiduis nomine Euangelij ferendúm: Verumetiam vt auditoribus conſtantiæ argumentum & liberæ confeſsionis calcaria eſſe debeant, ob has duas cauſſas in primitiua Eccleſia memoria Martyrum celebrabatur pie, & vtiliter, quæ in Papatu fœdis abominationibus eſt contaminata.

Ac nonnulli quidem per inuidiam & contentionem, nonnulli vero etiam propenſa voluntate Chriſtum prædicant.

Diſtributio eſt, qua oſtēdit & hunc fructum prouenire ex ſuo carcere, videlicet, quod non ſolum boni & fideles, verumetiam mali & infideles Euangelium prædicauerint. Mali quidem inuidia & contentionis ſtudio incitabantur, Nam quo plures docebant Euangelium, eo magis cauſſa Pauli grauabatur, vt qui iſtius ſectę autor haberetur: Boni vero & fideles animati exemplo Pauli, ſtudebant vt Chriſti Euangelium magis innoteſceret, & ſpargeretur per totum orbem in plurimorum ſalutem.

Illi quidem per contentionē Chriſtum annunciant, non pure, exiſtimantes ſeſe afflictionem addere vinculis meis: Hi vero ex caritate, ſcientes quod ad defenſionem Euangelij ſim conſtitutus.

Confert vtrumq; genus in cauſsis efficientibus, & finalibus maioris declarationis gratia. Prius membrum eſt: qui per contentionem Chriſtum annunciant, id faciunt non pure, id eſt, non puro affectu, nec ob verum finem, ſed vt afferant afflictionem vinculis meis. hoc eſt, vt magis grauent cauſſam meam, qui propter Euangelium in carcerem coniectus ſum. Nam cum Paulus teneretur in carcere, multi prędicabant Chriſtum, vt Neronem magis inflammarent aduerſus Paulum. Fuerunt autē iſti abſq; dubio Iudæi, qui ad quiduis patrandum parati erāt, vt Paulus è medio tolleretur. Poſterius membrū eſt, quod quidam, videlicet pij verò amore Chriſti & Euangelij moti annunciarunt Euangelium, atq; ideo ſe Paulo adiunxerunt, moti exemplo conſtantiæ ipſius, qui in ipſo carcere nō deſtitit à propaganda Euangelij doctrina. Exemplum miniſtris verbi, adeoq; omnibus pijs imitandum, videlicet, vt laborantibus Eccleſiæ membris, quantum in ſe eſt, opem ferant.

Quid igitur? Attamen quouis modo, ſiue prætextu ſiue veritate annunciatur Chriſtus, de hoc quoque gaudeo, atque etiam gaudebo.

Quia abſurdum alicui videri poterat, quod dixerat per malos quoque Euangelium annunciari, anticipat eam obiectionem, & affirmat ſe ideo gaudere, quod iſta occaſione Euangelij fama ad plures perueniat. Vtitur enim Deus ſæpe malis inſtrumentis ad boni operis effectionem. Sic etſi Scribę & Pharſæi mali erant, nihilominus tamen illorum doctrinam ea parte, qua ſincera apud eos remanſerat, non paucis profuit. PRÆTEXTVS & veritas

hic opponuntur, per prætextum, ſtudium nocendi intellige: per veritatem, ſinceritatem ſeu verum animi ſtudium ad propagandum Euangelium.

Noui enim quod hoc mihi cedat in ſalutem per veſtram deprecationem, & ſubminiſtrationem ſpiritus Ieſu Chriſti.

Cur ſe gaudere dicat, ex eo quod Chriſtus quouis modo prædicetur, oſtendit. Senſus autem verborũ Pauli hic eſt. Vtut iſti inuidi & contentioſi omnia in meam perniciem machinantur, tamẽ Chriſtus per me glorificabitur ſparſo eius Euangelio late per orbem: qua ſane gloria nulla maior in hac vita mihi contingere poteſt. Obſeruetur autem inprimis, quod Apoſtolus hoc non dicat fretus ſuis viribus, ſed deprecatione Philippenſium & ſubminiſtratione ſpiritus Chriſti, qui in cruce & vires addit, & conſolatur. Hic rurſus neceſsitatem Stoicam euerſam videmus.

Secundum expectationem & ſpem meam, quod nulla in re pudefiam, ſed cum omni libertate, vt ſemper, ita nunc quoque magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam ſiue per mortem.

Vt certam & immotam ſpem ſe habere doceat, duabus vocibus idem in genere ſignificantibus vtitur. Prior eſt ἀποκαραδοκία, quam interpres expectationem vertit, & componitur ab ἀπὸ, id eſt, à, κάρα, id eſt, caput, & δοκεῖν, annuere. Perinde ac ſi caput totum vergat, & inclinet in id, quod firmiter & certo ſperatur. Quaſi dicat Apoſtolus, Spero equidem certo & ſine omni hæſitatione, vt quemadmodum hactenus, ſic & poſthac per me Chriſtus glorificetur. Monemur hoc loco, nõ omnia alienis precibus eſſe relinquenda, quin etiam ſperandum per nos erit quod cupimus, & ardentibus votis depoſcendum. Sic enim ſcriptum eſt: Fiat miſericordia tua ſuper nos, quemadmodũ ſperauimus in te. Vehemẽter igitur iſti errant, qui publicas pro ſe preces fieri mandant, ac interim ipſi viuunt ſine pœnitentia ſecuri, omnibus libidinibus & furoribus indulgentes, qua ratione ſibi & ſuis maius exitium accerſunt.

Mihi enim viuere Chriſtus & mori lucrum eſt.

Probat proximum dictum, nimirum quod Chriſtus magnificabitur in ſuo corpore, ſiue per mortem ſiue per vitam. Eſt autem huius probationis ſenſus. Siue viuam, ſiue moriar, Chriſtus meum eſt lucrum, quo fretus ſecurus ſum & in vita & in morte. Nã viuere & mori hic ponuntur nominaliter, quod articulus pręfixus τὸ indicat, & ſubintelligitur κατὰ præpoſitio, vt ſit ſenſus. Quando viuo, Chriſtus eſt meũ lucrum, & quando morior, idem Chriſtus eſt meũ lucrum. Quare mihi perinde eſt, ſiue viuam diutius, ſiue moriar. Quid lucrũ appellet Apoſtolus, ex præcedentibus notum eſt, nempe gloriam Chriſti, quæ cum Apoſtoli commodo eſt cõiuncta. Hic locus docet, qualiſnam fiducia piorũ eſſe debeat, cum in vita tum in morte. Non enim frangi metu mortis poteſt is, qui ſerio & viua fiducia Chriſtum victorem mortis, ſuum lucrum eſſe ſtatuit, eumq; ſolum omnibus & lucris & damnis anteponit.

An autem viuere in carne hoc mihi fructus operis ſit, & quid eligam ignorò.

Deliberationẽ inſtituit per digreſſionem. Vtrúmne viuere aut mori ſit vtilius. vtrumque enim vtile & honeſtũ in Domino. Cauſſa huius deliberationis eſt. Quod maior fructus ex vita Pauli, quam ex morte ipſius prouenire videatur. Nam dum viuit, inter homines ſe propagare Euangelium Chriſti (quod vberrimum fructum ſuæ vitæ, indicat) videt. En, pij pectoris ingenium. εἰ per an reddidi. Ita enim ſolet in ſubiectionibus accipi. In carne viuere hoc loco, eſt in hoc caduco corpore vitam degere. τοῦτο, id eſt, hoc, abundat ex idiotiſmo Hebræorum, qui ſæpiſsime antecedens repetunt. Fructus operis, id eſt, opereprecium, nempe res vtilis & fructuoſa, digna in qua aliquis operam ponat.

Coarctor autem ex his duobus, deſiderium habens, migrare & eſſe cum Chriſto.

Vtriuſq; partis deliberationis cauſſis ſe moueri dicit Apoſtolus. Mori quidem optandũ iudicat, propterea quod mors piorum ſit acceſſus ad fruitionem gloriæ Chriſti. Viuere vero optandum iudicat, propter ſalutem Eccleſiæ promouendam ſua prædicatione: Vocabulum ἀναλῦσαι, quod migrare reddidi, à nautis ſumtum eſt qui profecturi ſoluere dicuntur. Sic etiam accipitur hoc vocabulum Luc. 12. Et in ſpecie ſignificat redire eo vnde quis venerat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sed permanere in carne magis neceſſarium eſt propter vos.

Alterius partis deliberationis ratio ab vtili, ac ſi dicat: Si vos reſpicio, & veſtrum in Euangelio profectum, ſatius eſt me in carne manere, hoc eſt, in hoc caduco corpore vitam aliquandiu degere. Ex vtroq; deliberationis membro hæc diſcamus. PRIMVM, quod mors ſit non interitus piorum, ſed migratio animæ à corpore ad tempus. DEINDE, quod animæ piorum non dormiant, ſed Chriſti conſpectu in cœlis fruantur. TERTIO, quod tota noſtra vita debeat ſibi proponere Chriſti gloriam, ac ædificationem Eccleſiæ Chriſti. QVARTO, quod Chriſtiani non debeant mortem expaueſcere, ſed in Chriſto ſtatuere mortem eſſe aditum ad meliorem ſtatum, quam ſit hic præſens.

Et hoc confiſus noui quod manſurus ſim & vna permanſurus cum vobis omnibus ad veſtrum profectum & gaudium fidei, vt gloriatio veſtra abundet in Chriſto Ieſu de me, mea rurſus apud vos præſentia.

Finem ſui voti addit Apoſtolus, nimirum profectum Philippenſium & gaudium fidei, quod ex prædicatione Euangelij percipiant fideles. Obſeruetur fructus profectus in cognitione Euangelij, videlicet quod quo magis proficimus in fide ex prædicatione Euangelij, eo maius reddatur gaudium piorum, quod ex fide proficiſcitur, & abundantior fiat gloriatio in Chriſto. Hic ſane fructus vberrimus & dulciſsimus, merito nos excitare ad audiendum, legendum, meditandum verbum deberet.

TERTIA PARS.

Tantum digne Euangelio Chriſti conuerſamini, vt ſiue venero & videro vos, ſiue abſens fuero, audiam de rebus veſtris, quod ſtetis in vno ſpiritu, vno pariter animo decertantes per fidem Euangelij.

Propoſitio ſuaſoria, eaq; generalis, quã mox in duo capita diſtribuit Apoſtolus: quorum Prius eſt, vt Philippenſes in negotio Euangelij fortiter ſe gerant, vt ſpirituales athletas decet. Poſterius continet mutua officia piorum, vt mores reſpondeant Euangelio. Prius caput perſequitur vſq; ad finẽ præſentis capitis. Poſterius aggreditur in principio ſecundi, quod copioſa enumeratione proſequitur. EST autem digne Euangelio viuere, reſpõdere dignitati Euangelij, fidei puritate & morũ innocentia, Seu, Eſt Euangelicã doctrinam firmo corde complecti, ac deinde ſibijpſi renunciare, ſublataq; cruce Chriſti eũ ſequi in pietate, patientia, modeſtia, iuſticia & alijs virtutibus. Ex quo manifeſte ſequitur, eos omnes Euangelium contumelia afficere, qui ſecus viuunt, quam Euangelij dignitas requirit, vt qui fidẽ iactãt ſine viuo cordis ſenſu, ſine pœnitẽtia & pietatis exercitijs, propter quos nomen Dei apud hoſtes Euangelij male audit. Stare in vno ſpiritu, eſt perſiſtere in ſinceritate doctrinæ cõcordes, cuius rei autor eſt Spiritus ſanctus. Eſt ergo Metonymia. Standi etenim verbũ athletis conuenit, à quibus ſumta eſt translatio. VT igitur hoc loco perſtringuntur nouatores, qui ſemper aliquid comminiſcuntur, nõ tam ad ædificationem quam ad inanem iactantiam, rixas & diſceptationes: Ita vere pijs commendatur conſtantia, ne quouis vento doctrinæ fluctuent, & inſtar arundinis facile huc illuc impellantur. Vno pariter animo decertare per fidem Euangelij: eſt fide tanquam tutiſsimo ſcuto munitos, pariter in aciem prodire, hoſtiq; ſe opponere. HIC duo obſeruãda ſunt: Primum, quinam ſint hoſtes Euangelij, qualeſq; eorum artes quibus Euangeliũ oppugnant. Deinde, quomodo ſe hoſtibus opponant fideles & in qua re poſita ſit victoria. Hoſtes ſunt Satan, Caro, Mundus. Satan nunc doctrinæ, nunc vitæ piorum inſidiatur, idq; partim ſophiſtica, partim tyrannide, partim hypocriſi. Caro nũc acumine rationis ſe Euãgelio opponit, nunc blanditijs ineſcare incautos conatur. Mundus nunc blanditur, nunc minatur, nunc exemplis peſſimis veluti inuadit caſtra Eccleſiæ ad obruendum Euangelium. Contra hos hoſtes pij ſtabunt in acie, armis ſpiritualibus armati, & ſcuto fidei omnium hoſtium tela excipient. Plura de hac pugna & panoplia fidelium vide ad Epheſ. 6. & 1. Theſ. 5.

Nec in vlla re terreamini ab ijs qui ſe opponunt.

Vult Apoſtolus contemni pericula & minas hoſtium vel potẽtiſsimorũ, quod ſane nemo facere poteſt, niſi qui vera fide munitus fuerit. huc illud Iohan. Hæc eſt victoria quę vincit mundũ, fides veſtra.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quod illis quidem eſt exitij indicium, vobis vero ſalutis, idque à Deo.

Ratio cur terreri aut conſternari animis non debeant pij in lucta aduerſus hoſtes ſuos, ſumta ab euentu. Nã vt rabies aduerſariorum contra Euangelium eſt ipſis indicium futuræ damnationis & exitij: Ita pijs & fidelibus apertum & planum eſt ſalutis teſtimonium, quod fortiter pro Euangelio contra eius aduerſarios militent. SED vnde hoc? à Deo, reſpondet Apoſtolus. Reuocat autem Apoſtolus victoriam ad Deum autorē, duabus de cauſsis: videlicet ne animo concidant fideles, ſi quid ferendum ſit pro Euangelio, & ne inſoleſcant aut efferantur, ac ſi aliquid propria virtute efficere poſſent. Verſio vetus, Papiſtis occaſionem erroris præbuit, qui afflictiones Sanctorum merita ſalutis faciunt. Quia enim in veteri translatione vocabulum cauſſæ ponitur, vbi in Græco eſt ἔνδειξις, id eſt, ad verbum indicatio, ſeu indicium vel demonſtratio, arripiunt hoc Pauli dictum, vt eo oppugnent gratuitam ſalutem, cum tamen Paulus non de cauſſa ſalutis loquatur, ſed de indicio tantum. Nam vt ſignificat rabiem aduerſariorum magnum argumentum eſſe futuræ damnationis illorum: Ita conſtantiam piorum & luctam aduerſus hoſtes, futuræ eorum ſalutis demonſtrationem ſeu indicium prænunciat.

Quoniam vobis donatum eſt, quantum ad Chriſtum attinet, non ſolum in ipſum credere, ſed etiam pro ipſo pati.

Expolitio rationis præcedentis per diſtributionem. Refert enim inter gratias Dei, & credere in Chriſtum, & pati pro Euangelio. Nam vt animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: Ita nec credere nec pati vera & inuicta animi fortitudine pro Euangelio poteſt. Obſeruetur hic locus contra Papiſtas, qui fingunt liberi arbitrij eſſe, credere & non credere, pati pro Euangelio & non pati. Sed de hac re plura in capite Secundo dicemus.

Idem certamen habentes, quale vidiſtis in me, & nunc auditis in me.

Proponit ſe exemplũ & ſpeculum fortitudinis, qua obſiſtere pios aduerſarios decet, ne videlicet cruce fragantur, & abijciant confeſsionem propter acerbitatē afflictionum. Locus obſeruetur de miniſtris verbi, quorum munus eſt exempla doctrinæ moribus exprimere, vt quemadmodum ex ore ipſorum veritatem diſcunt auditores, Ita ex moribus recte viuendi regulam ſumant. Nam cum perfectiſsimus modus docendi cōſtet regula & exemplo, (quod enim regula menti offertur, id exemplo ſenſibus repręſentatur) is paſtor optime ſuo fungitur officio, qui quod ore doceat, moribus exprimit.

CAPVT II.

Summa Capitis Secundi.

Multis argumentis hortatur Philippenſes ad concordiam, humilitatem & conſtantiam, promittit Apoſtolus ſe miſſurum Timotheum & Epaphroditum, quos illis ſingulariter commendat.

Ordo & partes Capitis Secundi.

Partes huius capitis duæ ſunt præcipuæ. Prior Parænetica eſt, in qua hortatur Philippenſes ad virtutes Chriſtiana profeßione dignas. In huius loci confirmatione explicat copioſe locum de humiliatione & glorificatione Chriſti. Poſterior eſt commendatio, in qua Philippenſibus commendat Timotheum & Epaphroditum.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Si qua igitur exhortatio in Chriſto, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua communio ſpiritus, ſi qua viſcera

Ad mutua inter Chriſtianos officia exhortaturus Philippenſes, omnium primum ad concordiam horta-

ſcera & miſerationes, implete gaudium meum.

tur, quæ fons eſt reliquorum officiorum & virtutum. Inſinuat autem hac vehementi & Pathetica obſecratione inter Philippenſes cœpiſſe diſsidia & contentiones, proculdubio per inſidias Pſeudoapoſtolorum, quod ex tertio capite colligi poteſt, vbi ita ait: Cauete canes, cauete conciſionem. Si qua, inquit, exhortatio in Chriſto, id eſt, ſi qua exhortatio nomine Chriſti facta apud vos locum habeat. Si quod ſolatium caritatis, hoc eſt, ſi caritas communis aliquid ſolatij afferat. Si qua communio ſpiritus, id eſt, ſi eiuſdem ſpiritus Chriſti participes ſitis. Si qua viſcera & miſerationes, id eſt, ſi tangamini vllo miſericordiæ, cum erga vos inuicem & Eccleſiam Chriſti, tum etiá erga me affectu. Ex hiſce quatuor infert propoſitionem, Implete gaudium meum. Hic omnium primum obſeruemus ex antitheſi, eos omnes ſpernere exhortationes nomine Chriſti factas, caritatem fraternam cõtemnere, Spiritum ſanctum abijcere, adeoque omnem affectum erga pios deponere, qui mutuæ in Eccleſia concordię, quæ eſt miniſtrorum verbi haud minimum gaudium, non ſtudent. De concordia copioſe diximus in commentarijs noſtris in Epiſtolam ad Galatas.

Vt idem ſentiatis.

Expoſitio ſeu definitio eſt gaudij Apoſtoli. In Græco eſt φρονεῖτε, quod verbum generale eſt, continens ſub ſe omnes ani morũ actiones. Vult igitur Paulus, vt eodem ſint Philippenſes erga ſe inuicem animo & ſtudio, vt idem in ędificationem cogitent, ſapiant, meditentur, ſtudeant, ament &c. Notetur quodnam potiſsimum miniſtrorum verbi atq; adeo omnium piorum gaudium eſſe debeat, nimirum pia in pijs & honeſtis rebus conſenſio, & animorum coniunctio: vnde poſtea plurimi & vberrimi in tota vita fructus ſequuntur. Moueat ergo nos magis hæc Spiritus ſancti ſeria exhortatio, quam vicioſæ carnis & cœcæ rationis peruerſum iudicium.

Eandem dilectionem habentes.

Propoſitionis diſtributio eſt, qua quid per verbum φρονεῖν intelligat, exponit, ac primum, idque merito dilectionem collocat, quam vult eſſe eandem, id eſt, parem modo dilectionis.

Vnanimes.

Caritatis effectus eſt vnanimitas, qua conſentientibus animis & ſententijs, coniunctiſque viribus nos inuicem fouemus ac ædificamus in bono.

Vnum ſentientes.

Effectus eſt vnanimitatis. Vbi.n. vnus animus, ibi quoq; vnum ſtudium exiſtit. Cum igitur vno animo (non quidem ſubſtantia, ſed voluntate & affectu) coniunctos eſſe deceat Chriſtianos, par eſt, vt non ſolum mutuis officijs ex caritate manantibus ſe inuicem foueant, verum etiam vt in doctrina religionis ſummum tueantur conſenſum. Huc Pſalmus pertinet, Ecce quam bonũ & quá iucundum, habitare fratres in vnum.

Nihil ex contentione aut inani gloria.

Amplificat per Antitheſin, & ſublatá vult diſcordiæ originem & concordiæ peſtem, quæ eſt contentionis ſtudium: quod ex inani ambitione naſcitur. Obſeruetur verum inanis gloriæ indicium & cõcordiæ peſtem eſſe rixandi libidinem. Quare ſummopere pijs contentiones ſunt vitandæ, modo ne cum pietatis & veræ doctrinæ ſinceræq; iniuria fiat. Tum enim cum Paulo licebit dicere: Qui aliud Euangelium prædicauerit, quam ego, anathema ſit.

Sed per humilitatem alijs alios exiſtimate præſtantiores.

Cauſſam proximam mutuæ concordiæ facit veram humilitatem, qua quis vilis in oculis ſuis apparens, nihil altum de ſe cogitat: ſed alios præ ſe honorandos iudicat, vt excellentiores. Quod quidem non ad ſtatum œconomicum & politicum, & officiorum diſcrimina referẽdum eſt, ſed ad animi & conſcientiæ forum, vbi quilibet proſtratus coram Deo agnoſcit propriam infirmitatem & vilitatem, agnoſcit magnitudinem peccati ſui. Hæc cognitio facile efficiet, vt neminem non meliorem ſe iudicet is cui pietas eſt cordi.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

DE HVMILITATE CHRISTIANA.

Quos Paulus humiles,hos Chriſtus pauperes ſpiritu nominat. Sunt proinde vere humiles corā Deo,qui omni proprię virtutis,ſapientię & iuſticię fiducia exinaniti,quicquid boni eſt,in ſolo Deo quærunt. Quare humilitas Chriſtiana corā Deo eſt virtus,qua ex veriſsima noſtri cognitione nobis ipſi vileſcimus,omniq; ꝓpriæ virtutis,ſapientię & iuſticię fiducia exinaniti,nos coram Deo proſternimus,ac in eo ſolo omnia bona per Chriſtum quærimus. Ex hac humilitate coram Deo naſcitur humilitas coram hominibus, quæ in vera dilectione fundatur. Hæc facit vt nos nemini præferamus ſuperbe,ſed omnibus ſincere nos accommodemus. Quoniam autem hæc Humilitas qua nos vel coram Deo proſternimus, vel nos proximo ſubijcimus, non naſcitur in carne noſtra, quærenda eſt ipſius vera ſcaturigo, quæ eſt regeneratio noſtri per fidem & Spiritũ ſanctum. priuſquam enim renaſcimur, φιλαυτία in nobis regnat,& inanis glorię cupiditas. Verum in renatis inchoatur vera humilitas,quæ cognitione harum rerũ creſcit & perficitur tandem. PRIMVM,cogitabimus mandatum Dei eſſe, vt ſimus humiles.huc primum præceptum facit,& mandatũ de dilectione proximi.qui contra hæc præcepta ſuperbit, Deum offendit,excutit Spiritũ ſanctum,& incurrit in pœnas. DEINDE,proponemus nobis exemplum Chriſti,ad quod Paulus hic nos reuocat, cum dicit, Chriſtum cum poſſet ſe in maieſtate glorioſa vt Deum exhibere, ſe puſillum hominẽ in omni humilitate exhibuiſſe. ad hoc ſuum exemplũ inuitat Chriſtus ſuos diſcipulos cum inquit: Diſcite à me,quia mitis ſum,& humilis corde. Quis, inquit Bernhardus,ſanæ mentis contemnit humiliari propter tam humiliatum pro nobis? TERTIO loco conſiderabimus nos ipſos penitus quid fuerimus ante ortũ,quid ab ortu ad occaſum, quid erimus poſt hanc vitā. Fuimus ſemen & ſanguis in vtero. Iam in deſerto miſeriarum huius vitæ ſumus peccatis multis contaminati. Erimus aliquando eſca vermiũ & puluis,vt Abraham ſe puluerem agnoſcit. Huc pulcre quadrant verſus iſti:

Heu cur vſque adeo viliſsima terra ſuperbit,
Cuius fœda breui corrodent viſcera vermes.

QVARTO cogitabimus, Si quæ bona habemus, non noſtra eſſe, ſed Dei, in aliorum commodũ nobis collata, vt illa tanquā Oeconomi Dei diſpenſemus. QVINTO cogitabimus,Deum qui dedit,poſſe etiam auferre quæ dedit, ſi ijs abutamur. SEXTO veniet etiam nobis in mentem,quod alij qui minora dona videntur habere, quam nos,ſæpe plus operæ præſtent,& vtiliores ſunt Eccleſiæ. SEPTIMO accedat quotidiana in exercitijs pietatis aſſuefactio, vnde non ſolum humilitas, verumetiam aliæ virtutes creſcunt, & veluti adoleſcunt. OCTAVO de multiplici veræ humilitatis fructu cogitabimus. nam ſiue Deum reſpicimus, ſiue nos ad homines conuertimus, ſiue nos ipſos conſideramus, mirabiles humilitatis fructus eſt videre. nam ſi Deum reſpicimus, præparat humilitas Deo hoſpitiũ, iuxta hanc Propheticam ſententiam, In ſancto habitat, & cum contrito & humili ſpiritu. Item, Ad quem reſpiciam,niſi ad contritũ ſpiritu & trementem ad ſermones meos? HVNC enim iuxta Chriſti dictũ exaltat Deus, cum interea ſuperbis ἀντιτάσσεται, vt Petrus loquitur. Si ad homines nos conuertimus, honoratur humilis, cum contra contemnitur ſuperbus. nam nemo non odit ſuperbum tanquam mancipium Satanę & hoſtem Dei,& contemtorem hominum. Si nos ipſos conſideramus, dulciſsimos humilitatis fructus percipiemus. Primum enim humilitas vera eſt mater pudicitiæ & patientiæ. Deinde ad ſapientiam parandam viam ſternit,iuxta illud Salomonis, Vbi eſt humilitas,ibi & ſapientia. Ad hæc humilitas pia eſt cuſtos fidei & timoris Dei. Eſt quoq; inuocationis cauſſa quædam,& veluti quædam exauditionis conciliatrix in Domino, vt in Pſalmo habetur, Reſpexit Dominus ad orationem humilium. præterea verā humilitatem comitatur gloriā. Matth.5. Beati pauperes ſpiritu,quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Et 24. Qui ſe humiliauerit,exaltabitur. Huc illud Auguſtini, Sicuti arbor vt ſurſum creſcat,profundas ſubtus radices agere debet: ita quiſquis in humilitate fixum animum non habeat, in ruinam ſuam extollitur. Inſuper humilitas illa,de qua nobis eſt ſermo, eſt ornatus animę pulcerrimus, vnde Petrus in prioris quinto; ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, hoc eſt, induite tanquam veſtem, ſeu humilitate intus ornati ſitis. Hæc ſint dicta de humilitate contra ſuperbiam, quam & vetus Poëta damnat, cum ait, μὴ γαυροῦ σοφίῃ μήτ' ἀλκῇ μήτ' ἐνὶ πλούτῳ.

Non conſideretis quiſq; quod ſuum eſt, ſed vnuſquiſq; etiam quæ ſunt aliorum.

Id eſt, quilibet conſulat commodis proximi ſui in ædificationẽ. Quod vbi fit, nec contentio, nec inanis gloria locum

ria locum habere poteſt. Hic cauendum eſt, ne hanc vtiliſsimam virtutem cum turpiſsimo πολυπραγμοσύνης ſtudio confundamus. Illa enim ſancta quædam cura eſt, qua quiſque proximi ſtudijs perinde atque ſuis ſtudet. Hæc profana temeritas eſt, qua quis nunc aliena munera inuadit, nunc alios calumniandi ſtudio obſeruat. De hac recte dicitur, τῆς πολυπραγμοσύνης οὐδὲν χερειότερον ἄλλο.

Hoc enim ſentiatur in vobis quod & in Chriſto Ieſu.

Maximum exemplum imitandum proponit, nempe Ieſu Chriſti. Eſt autem hic verborum ſenſus, vt inter ſe eum affectum ſeruent Philippenſes, quo fuit præditus Ieſus Chriſtus. Sentiatur, imperatiuum eſt verbum, quod in nomen reſolui poteſt, hoc modo, Hæc ſit veſtra ſententia, quæ Chriſti ſententia fuit. Seu, Hic ſit affectus in vobis, qui fuit in Chriſto Ieſu, nempe ſumma humilitas.

Qui cum eſſet in forma Dei, non duxit rapinā parem eſſe cum Deo, ſed ipſe ſe inaniuit forma ſerui ſumta, in ſimilitudine hominum factus, & habitu compertus vt homo, humiliauit ſeipſum, factus obœdiens vſq; ad mortem, mortem autē crucis. Quapropter etiam Deus ipſum exaltauit, & donauit ei nomen quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine IESV omne genu ſe flectat, cœleſtium, terreſtriū, & infernorum, omniſque lingua confiteatur quod Dominus ſit Chriſtus Ieſus ad gloriam Dei patris.

Exponit Apoſtolus & definit qualis fuerit affectus in Chriſto, vnde occaſionem nactus, copioſam doctrinam tradit de Chriſti diuinitate, potentia, humanitate, perſona, beneficijs, morte, reſurrectione, glorificatione ac regio honore. Hæ doctrinæ partes cum ſint Chriſtianiſmi præcipua capita, volo eas breuiter in enarratione attingere, Ac primum quidem dicit.

Qui cum eſſet in forma Dei.

Hæc diuinitatis Chriſti aſſertio eſt. Eſſe autem in forma Dei, eſt maieſtate & gloria ſe Deum verum declarare, id quod fecit Dominus etiam ante aſſumtam formam ſerui, vt hic Paulus manifeſte loquitur. Nam diſcernit inter tempus maieſtatis & inanitionis ſeu humiliationis, quo formam ſerui aſſumſit. Ideo autem & formæ Dei & formæ ſerui meminit, vt Chriſti affectus expreſſus proponatur, qui neglecta maieſtatis gloria ſe ita ſubmiſit, vt noſter fieret ſeruus, humana natura aſſumta in vnionem hypoſtaticam. OBSERVETVR igitur hoc loco teſtimonium de diuinitate Chriſti. Firma eſt enim à maieſtatis & gloriæ declaratione ad eſſentiam conſequentia. Ita enim Dominus per Prophetam ait: Gloriam meam alteri non dabo. & verbum ὑπάρχειν ſignificat cum diuinitatis declaratione ſimul adeſſe eſſentiam. Recte igitur Auguſtinus, in Formæ nomine naturalis plenitudo debet intelligi. ſequitur:

Non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualem Deo.

Homines ſuperbi, atque adeo Diabolus ipſe, interdum ſibi aſſumunt diuinos honores, cum tamen ſciant ſe nequaquam Deos eſſe. At Ieſus Chriſtus certo ſciuit, quod eſſet æqualis Deo, & quod diuinum honorem vendicaret ſibi ſine iniuria Dei. Rapina res aliena eſt, quæ per iniuriam poſsidetur. Significat Apoſtolus hac voce, Chriſtum non ſumſiſſe aliunde diuinitatis gloriam, ſed vere & ſubſtantialiter Deum eſſe. Non rapina fuit, inquit Auguſtinus, illa filij cum patre diuinitatis æqualitas, ſed natura. Non enim potuit eſſe rapina, vbi æqualis erat natura. hæc itaque Chriſti humiliatio homines arrogantes humiliet, qui cum ipſi nihil ſint, ſuperbe tamen ſibi arrogant honores, ac ſi alijs meliores eſſent: quod quidem rapinæ genus eſt. Porrò quia æqualitas in vnam perſonam non cadit, ſignificat Apoſtolus hac voce Ieſum Chriſtum æternum Deum eſſe, diſtinctam tamen à patre perſonam, ὁμοούσιον patri & Spiritui ſancto. Vt igitur æqualitas perſonarum diſtinctionem oſtendit: Ita quoque Arianos cōfutat, qui hunc Ieſum Chriſtum ſecundum naturam diuinam patre minorem, hoc eſt, inæqualem eſſe iudicarunt.

Sed inaniuit ſemetipſum forma ſerui ſumta.

Humiliatio Ieſu Chriſti voluntaria hiſce verbis deſcribitur. Nam cum dicitur,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dicitur, inaniuit ſeipſum, ſignificatur ſpontanea ſubmiſsio. Qualis autem ſit hæc inanitio ſeu humiliatio filij, in ſequenti textu exponitur per diſtributionem. Forma ſerui eſt filius Dei reuera ſeruilem conditionem in ſe recepit cum natura humana. Nam nō ſolum patris cœleſtis, ſed etiam hominum factus eſt ſeruus, non quidem coactione, vt dictum eſt, ſed ſpontanea voluntate. Etſi autem omnes credentes ſerui ſunt Dei, vt qui ea conditione adoptentur, vt ſe & totam vitam Deo in obſequium addicant: Chriſtus tamen peculiari modo, ſeruus Dei dicitur, videlicet, quod Deus pater ipſum emiſerit ad opus eximium quoddā, quod cum cæteris commune non habet. OBSERVETVR hoc loco Antitheſis in verbis Pauli, ſupra dixit, in forma Dei exiſtens, hic vero formam ſerui aſſumens, qua antitheſi ſignificatur, quod forma Dei ipſi per naturam & eſſentiam competat, & quod forma ſerui tantum ſit aſſumta ab illo in vnionem perſonalem, atque ita qui Rex Regum, & Dominus Dominantium natura eſt, ſeruilem conditionem ſuſcepit, aſſumta natura humana, vt ſua ſeruitute genus humanum à perpetua peccati ſeruitute & miſeria redimeret.

In ſimilitudine hominum factus.

Hoc eſt, ſimilis factus alijs hominibus, vt qui veram naturam humanam aſſumſerit.

Et habitu compertus vt homo.

Interpretatio eſt à ſigno. Confirmat enim Chriſtum vere aſſumſiſſe humanam naturam, idq; à proprietatibus humanæ naturæ, quæ ab ea ſeparari nō poſſunt. In omnibus enim, exemto peccato, ſe geſsit vt verus & naturalis homo; creuit, comedit, bibit, dormiuit, fatigatus eſt, fleuit, triſtatus eſt. Breuiter, Humanæ naturæ proprietatibus ſe verum hominem declarauit. Hoc loco perperam abuſi ſunt Marcioniſtæ, qui hinc colligebant, corpus Chriſti eſſe ſpectrum, ſeu phantaſma, & non verum corpus, ſed facile iſtud delirium refutatur. Nam Paulus hic ſimilitudinē non ſeparat à natura, nec particula, vt, improprietatis nota eſt, ſed potius veræ & ſolidæ approbationis, ſicuti ſæpe alias. Præterea ſcop⁹ Apoſtoli hic eſt, vt doceat qualiter ſe geſſerit Chriſtus humana natura aſſumta. Oſtendit enim ipſum cum poſſet ſe in maieſtate glorioſa vt Deum exhibere, ſe hominé in omni humilitate exhibuiſſe. Nam Philippenſes hoc loco ad humilitatē hortatur Apoſtolus, cuius rei gratia, vt dictum eſt, Chriſti exemplum adducit, affirmās ipſum, cum in forma Dei eſſet, exinaniuiſſe ſeipſum, forma ſerui aſſumta, id eſt, humana natura cum omnibus ſuis naturalibus proprietatibus, ſed ſine peccato: quod non eſt à natura, ſed aliunde, nempe ab inobœdientia primorum parentum, pro qua vt ſatisfaceret, ſubijt crucem, vt ſequitur.

Humiliauit ſemetipſum, factus obœdiens vſq; ad mortem, mortem autē crucis.

Hoc eſt, in humanitate ſeu ſecundum humanam naturam vſq; adeo ſe humiliauit, quod deteſtandi patibuli (quod ſontibus tantū & maleficis debeatur) ſupplicia ſubire voluerit, vt genus humanum repararet. Vis itaq; argumenti præſentis hæc eſt: Cum Chriſtus Dominus ita ſe humiliaret propter nos, vt crucis horrendum ſuppliciū ſubiret, decet profecto nos humiliari, qui natura miſeri & caduci ſumus: Decet vt nobis inuicē in omni humilitate ſeruiamus. Quanquā autē iuxta diuinam naturā pati non potuit Chriſtus, tamen humiliatio ipſa & crux perſonæ fuit quę eſt Deus & homo. Quare merito Philippenſib⁹ atq; adeo omnibus Chriſtianis hoc ſummum humilitatis exemplum ab Apoſtolo proponitur: quæ ſane humiliatio nō eſt perpetua, ſed habet felicem exitum, vt etiam in Chriſto videmus, quemadmodū ſequitur.

Quapropter etiam Deus ipſum exaltauit, & dedit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen.

Hoc addit, vt propoſito præmio Philippenſes ad humilitatem inuitet. Si etenim ipſum in vera humilitate fuerimus imitati, poterimus euidem merito ſperare, vt cum ipſo exaltemur, iuxta illud Pauli ad Romanos: Compatimur cum illo, vt etiam glorificemur. Et illud Chriſti, Qui ſe humiliat, exaltabitur. QVANQVAM autē ſecundum diuinitatē nec exaltari, aut maiorem dignitatē conſequi potuit filius Dei, ſemper patri æqualis, quam eā, quam ſemper cum patre habet: Nec ſecundū humanitatem diuina gloria illi competit. Scriptum eſt enim, Gloriam meā alteri nō dabo: tamē ratione exinanitionis & humiliationis, quæ fuit perſonæ, hæc recte dicuntur. Porrò quod additur:

Vt in nomine IESV omne genu ſe flectat.

Periphraſis

Periphraſis eſt, qua diuina maieſtas, dignitas & gloria circumſcribitur, Senſus ergo eſt: Vt omnia creata Chriſtum vt Dominum venerentur, ac ſeſe illi ſubmittant, diuinam ipſius agnoſcentia maieſtatem. Huc pertinet diſtributio quæ ſequitur:

Cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Nihil enim vult aliud Apoſtolus hac diſtributione, quam nullam creaturam excipi, quæ non Chriſtum ſuperiorem agnoſcat. Verũ cum Papiſtę ex tertio diſtributionis membro purgatorium fabricant, valde debili fundamento nituntur. Ex hoc enim loco in hunc modũ colligunt: inferi flectunt genua Chriſto, quod de diabolo dici non poteſt. Igitur ſunt animæ in purgatorio, quæ Chriſto hunc cultum præſtant apud inferos. Reſpondeo. Paulus hic loquitur non de cultu ſimpliciter, ſed de ſubiectione in genere, & agnitione maieſtatis Chriſti & gloriæ, à qua agnitione nequaquã eximuntur damnati. Imo ipſi Diaboli Chriſtum agnoſcunt, vt vel ad nomen Ieſu contremiſcant. geniculatio igitur hæc non cultus, ſed ſubiectionis eſt. ſignificatur enim ſiſtio diabolorum ad tribunal Chriſti cum trepidatione, vt Paulus hanc geniculationẽ interpretatur. Roman. 14. Omnes ſiſtemur ad tribunal Chriſti, ſcriptum eſt enim. Viuo ego mihi flectitur omne genu: Male igitur architecti purgatorij hunc locũ ad ſuam fabricationem torquent, vt interim taceam nihil ſani eſſe in doctrina de purgatorio, quemadmodum duabus firmiſsimis demonſtrationibus oſtendam. Definiunt Monachi purgatorium eſſe ſatisfactionem, quæ poſt mortem à defunctorum animabus pro peccatis penditur in igne purgatorij. Hac cum definitione pugnat victima Chriſti qua ſola expiatur peccatum. Ita enim ait Iohannes: Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. Proinde cum ſatisfactio ſolius Chriſti ſit, ſequitur ſententiam Papiſtarũ contumelioſam erga filium Dei eſſe, qui alium ſatisfaciendi modum quærunt quã Chriſti ſanguinem: quo intelligitur crucis obœdiẽtia. deinde obijcio Papiſtis hoc dilemma: Omnes homines vel in fide diſcedunt vel ſine fide. Si in fide, de morte corporum tranſeunt ad vitam animę. Iohan. 5. Qui credit illi qui me miſit, in iudicium non veniet: Sed tranſiuit de morte ad vitam. eſt enim finis fidei ſalus animarum, 1. Pet. 1. Reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum. Si ſine fide diſcedunt ex hac vita, ira Dei manet ſuper eos. Iohan. 3. Cum igitur nec fidelis nec infidelis purgatur igni infernali, friuolum eſt commentũ Papiſtarum de Purgatorio, cuius tamen prætextu multorum poſſeſsiones ad ſe fraudulenter tranſtulerunt. Hanc interpretationem confirmant etiam ea quæ ſequuntur.

Confiteaturque omnis lingua, quod Dominus ſit Ieſus Chriſtus, idque in gloriam patris.

Id eſt, finis imperij Chriſti gloria Dei patris eſt, qui ex hoc glorificabitur quod ſuis æternam vitã per Chriſtum dederit, & hoſtes per eundem vicerit & damnauerit.

Proinde dilecti mei ſicut ſemper obœdiſtis, non vt in præſentia mea tantum, ſed nunc multo magis in abſentia mea cum timore & tremore, veſtram ipſorum ſalutem operamini.

Conſequentis illatio. Concludit enim à Chriſti exemplo non ſolum veræ humilitati ſtudendum eſſe, verum etiam omni virtutum generi incumbendum, atque hęc concluſionis ſumma eſt. Cęterum amplificatio huius concluſionis tria habet. Primum collationem temporis præteriti cum futuro, Sæpe enim ex præterito coniectura de futuro ſumitur. Hactenus, inquit, obœdiſtis ſemper: Quare ſpero vt in poſterum quoq; vos obſequentes præbeatis. Secundum modum conuerſationis in hac vita. Cum timore, inquit & tremore, id eſt cũ vera animi humilitate, pura conſcientia, ſynceraq; religione, ſeu ſollicito tremore quo non dubitatio alitur, ſed quo neglectus Dei, falſa colendi Deũ ratio, ſecuritas carnalis, ignauia & ſuperbia excutiuntur. Tertium vſum, cum inquit, Veſtram ipſorum ſalutem operamini, id eſt, veſtrũ ſalutis curſum cõficite, hoc eſt, dum in hac mortali vita manendum eſt vobis, cum timore, & tremore viuite. NON eſt autem ſalutem operari, operibus mereri ſalutẽ aut cõſequi, ſed in ſalutis ſtadio feliciter progredi. Operari igitur ſalutem dicitur, qui in ſanctitatis ſtadio currit. Quamuis enim gratis in vno Chriſto per fidẽ apprehenſi ſeruemur, per viam tamen iuſticiæ & innocentiæ ad ſalutem cõtendere nos oportet. Quoniam filij Dei eius ſpiritu ducantur, per quem ſunt iuſtificati, vt in bonis operibus ambulent. Hæc conſentiunt cum dicto Apoſtoli ad Epheſ. 2. Gratia ſaluati eſtis per fidem (& hoc non

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hoc non ex vobis, Dei donum eſt) & non ex operibus ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus
factura, creati in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit Deus vt in ijs ambulemus: Et
cum diſputatione Pauli ad Roman. Poſtquam enim Apoſtolus illic de gratuita iuſtificati-
one diſputauerat, mox addit doctrinam de bonorum operum neceſsitate.

Nam Deus eſt qui agit in vobis & velle & efficere pro beneplacito.

Ratio exhortationis ſeu compro-
batio à facili ſeu cauſſa efficiente: De
us eſt qui operatur omnia ſalutaria in
vobis. igitur cum timore Dei in recto curſu pergite apprehenſa manu Dei. Operatur auté
Deus velle in nobis dum ex mala voluntate boná facit: Operatur efficere quando ſuo ſpi-
ritu nos iuuat & addit vires. Sed qua re motus? hoc agit εὐδοκία, id eſt, beneuoléntia pater-
na quia nos complectitur, & amat in dilecto filio ſuo, ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto. Epheſ.
1. Obſeruetur hoc loco teſtimonium euidentiſsimũ cõtra liberi arbitrij aſſertores. Si enim
naturaliũ virium eſſet velle & efficere ſalutaria, non hoc Paulus tribueret peculiari actioni
Dei in iuſtificatis. Verum poſtquam Deus ſuo verbo credentem illuminauit ſuo ſpiritu, ex
voluntate mala boná fecit, & vires ſubſequente gratia adiuuat, non ſumus iam ſtipites aut
ſaxa, vt inuiti trahamur, ſed quod recte volumus efficere iuxta vires ex beneuolentia Dei
collatas, poterimus. Sicut ergo extra gratiá nulla eſt libertas volũtatis ad ſpirituales actio-
nes, Ita gratia collata libertas aliqua voluntatis redditur, quæ actionũ ſpiritualiũ quædam
cauſſa eſt. recte proinde numerantur cauſſæ conuerſionis & bonarum actionum, verbum,
Spiritus ſanctus & voluntas, Sed docta verbo, mota & roborata à Spiritu ſancto. Voluntas
enim ſic docta mota & roborata à Spiritu ſancto, poteſt vel aſſentiri, vel nõ aſſentiri, poteſt
Spiritui ſancto obœdire, vel reſiſtere, id quod ex concione Stephani, Act. 7. manifeſte colli-
gitur. Phariſæi audientes Chriſtum à Deo trahebantur verbo & Spiritu ſancto, voluntas
eorũ mouebatur à Spiritu ſancto ad aſſentiendũ, Sed nihilominus cõtumaces manſerunt
aduerſum Spiritũ ſanctũ, ex quo fit quod Chriſtus tribuat illis peccatũ in Spiritũ ſanctum.

Omnia facite ſine murmurationibus & diſceptationibus.

Pergit Apoſtolus in concordiæ
præceptis. Per murmurationes, clan-
cularias oblocutiones intelligit, quæ
viam ſternunt ad apertas diſcordias. Diſceptationes ſunt verborum pugnæ, vnde fit vt alij
alijs cedere nolint, ex quo poſtea ſcaturiunt ſeditiones, ſchiſmata, conuicia, bella, atq; adeo
Diabolo aperitur ianua ad capiendos & perdendos homines.

Vt ſitis irreprehenſibiles & ſinceri.

Hoc eſt, vt ſitis tales, vt nemo de vo
bis conqueri poſsit, vtq; neminé lęda-
tis aut vlla iniuria afficiatis dicto vel facto. ἄμεμπτοι enim grçce ſunt, qui ita vitá inſtituunt,
vt ſine omni querela viuere videantur, ἀκέραιοι dicuntur innocui, ſinceri, ſeu placidi, & à lę-
dendi ſtudio alieni. Metaphora ſumta eſt ab animantibus, quę vel cornibus omnino carét,
vel ita natura mitia ſunt, vt cornibus neminem petere tentent. Coniungit itaq; Apoſtolus
cauſſam & effectum: Sed effectũ priori loco ponit. Obſeruetur hoc dictum contra eos, qui
tametſi boni & Chriſtiani iudicari velint, ſemper tamen pungunt abſentes, & ſæpe cõmen
dationis prætextu famá innocentũ denigrant, commendationi admiſcentes quandam va
frá & diabolicá (quá tamen ſtudiũ erga abſentes interpretantur) oblocutionis libidinem.

Filij Dei inculpati in medio nationis prauæ & tortuoſæ.

Collatio eſt qua confert filios Dei
cum hominibus nõdum regeneratis,
vt oſtendat longe diuerſiſsima eſſe de
bere illorum ſtudia. Filiorum enim Dei eſt imitari patrem cœleſtem, inſtituẽdo vitá iuxta
ipſius mandatum, & prout ipſum habeant vitæ exemplar, ſicuti ipſe dicit: Sancti eſtote ſi-
cut ego ſanctus ſum. Contra autem non regenerati ſuam prauam & diſtortam ſequuntur
originem. Vocat auté nationem prauam & peruerſam quę ordine peruerſo, & cõtra quam
decet omnia facit, diſtorquendo vt ex rectis obliqua fiant. Quod ſane fit dum in rebus di-
uinis à principijs adhuc reliquis in natura deflectunt ad omnem impietaté & iniuſticiam.
PRIMVM obſeruetur hoc loco, qualenam ſit ingenium omniũ hominum, qui nondum
per regenerationis gratiá facti ſunt noua creatura in Chriſto Ieſu, videlicet prauũ & tortu-
oſum, prauum quidem, hoc eſt, malignum, ſcilicet habitu, tortuoſum vero, hoc eſt, flexuo-
ſum, videlicet, ſtudio, vt quod ea quæ recta ſunt torqueat & incuruet vt minime recta eſſe
videantur. DEINDE obſerua, cuius rei nos admoneat auguſtus ille titulus, quod nos qui
credimus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

credimus in Ieſum Chriſtum filij Dei céſeamur,ſegregati à praua & diſtorta natione,videlicet,vt ſummo ſtudio caueamus,ne quid maculæ contrahamus ex improborum cõſuetudine:vnde hic auguſtus titulus,& adoptio diuina maculari poteſt.Quare diligenter cauendum eſt,cum verſamur in tanto periculo ne gratia adoptionis noſtra culpa excidamus.

Inter quos lucete tanquam luminaria in mundo.

Alludit Paulus ad dictum Domini: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt Pater veſter cœleſtis glorificetur.Significat hac Metaphora reliquum mundũ totum denſiſsimis ignorantiæ & malitiæ tenebris occupari. Vt igitur faces in tenebris ſplendent,ſic pij inter obliquos & tortuoſos homines, qui meræ tenebræ ſunt lucere debent: idque puritate doctrinæ,confeſsione, & conuerſatione,ſeu vitã:vt alios ſua luce illuminent,quo tandem è tenebris emerſi ad lucem Dei veniant. PORRO quid lucis vocabulum in ſcripturis ſignificet,ex Antitheſi lucis & tenebrarum pulchre colligi poteſt.tenebrę in ſcripturis accipiuntur dupliciter,proprie, & figurate: quibus ex aduerſo reſpondet lucis ſeu luminis vox. tenebræ proprie acceptæ, ſunt lucis (quæ eſt qualitas lucida) priuatio. Vt Geneſ.1. tenebræ erant ſuper terram & fiat lux.Figurate tenebræ primum ſignificãt erroneam doctrinam quibus opponitur lux quæ eſt verbum Dei. Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis. Pſalm.119. Secundo, notant tenebræ effectum erroneæ doctrinæ, videlicet cœcitatem & ignorãtiam in mente,quibus lux mentis,id eſt,clara noticia Dei in mente aduerſatur. Tertio,tenebræ ſignificant mores malos qui cœcitatem mentis comitantur, quibus lux morum, hoc eſt, ſancta vita opponitur. Sic, inquit Chriſtus, luceat lux veſtra coram hominibus, vt homines videant veſtra bona opera. Quarto, tenebræ homines cœcos & flagitioſe viuentes notant,vt in illo & tenebræ eam non apprehenderunt: quibus lux opponitur, vtpote Chriſtus ipſe qui vera lux eſt, & omnes pij qui lux dicuntur à Paulo. Quinto, tenebræ regnum diaboli ſignificat,vnde Satan princeps tenebrarum dicitur:quibus opponitur lux quo regnum Chriſti ſignificatur. Hic facile eſt videre,variare ſignificata nunc per Metaphoram, nunc per Metonymiam, nunc per Metalepſin.

Sermonem vitæ adhibentes.

Ratio cur Apoſtolus pios luminaria appellauit in mundo, nimirum: quia verbum lucis ſiue vitæ habẽt, quod tanquam lucernam admouere ſeu adhibere vitæ formandæ debent. Dicitur autem Euangelium verbum vitæ hoc loco,propterea quod vitam noſtrã dirigere debeat,ne à recto curſu deflectamus, atque ita in tenebras mortis præcipitemur.Reſpicit autem Paulus hoc loco ad dictum Dauidis: Lucerna pedibus meis verbum tuum.Solum enim verbum Dei iuſtam ac veram viuendi rationem hominibus præſcribit,quod tanquam lucernam adhibere debemus, ne in tenebras ruamus. Quid? an nõ lex norma vitæ eſt? cur ergo Euangelio tribuis quod eſt legis? tenẽdum eſt diſcrimen legis & Euangelij quantum ad opera attinet, nam vtraque doctrina obœdiẽtiam erga Deum, & dilectionem proximi requirit.Sed in hoc diſcrimen eſt.Lex,quas actiones interiores & exteriores Deus requirat,oſtendit,& ſimul indicat nihil placere Deo niſi ſatisfiat toti legi. Euangelium autem docet quomodo inchoari poſsit obœdientia, & quomodo placeat. Vt enim obœdiẽtia inchoatur per ſpiritum fidei, ſine quo ψυχικοὶ homines ſumus, qui nihil diuinarum rerum percipere poſſumus:ita placet propter Chriſtum etiamſi normæ legis non ſatisfiat, atque adeo hæc obœdientia à Paulo fructus iuſticiæ fidei appellatur,quia niſi prius obtinuerimus iuſticiam per fidem,nihil boni operis quod valet coram Deo præſtare poſſumus.Quare Paulus recte iubet adhibere ſermonem vitæ,hoc eſt,Euangelium.

In gloriam mihi, in diem Chriſti, quod non fruſtra cucurrerim, nec in vanum laborauerim.

Addit peculiarem finem. In gloriam,inquit,mihi,id eſt, vt gloriari poſſim in die Chriſti, quod vobis non fruſtra prædicauerim Euangelium. Verbo currendi, ſignificat Apoſtolus ſuam in miniſterio Euangelij ſedulitatem, & induſtriam: qua voce illorum oſcitantia & pigritia taxatur, qui hoc diuino & auguſto officio ſegniter funguntur: Ex quo fit vt nullum ſui laboris ſeu ocij potius fructum percipiant, cum interim ſeduli miniſtri benedictionem Domini ſentiant, dum vident miniſterium ſuum multis prodeſſe ad ſalutem,vnde ſpem etiam concipiunt,vt cum Paulo in die Chriſti gloriari poſsint.Quod autem addit,In diem Chriſti,eo pertinet,vt Philippẽſes adeoque & nos excitet,ad perſeuerantiam in pietatis curſu per totam vitam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quinetiam ſi immolor ſuper hoſtia ſacrificioq; fidei veſtræ, gaudeo & congaudebo omnibus vobis ob id ipſum & vos gaudete & congratulamini mihi.

Quia dubius erat exitus vinculorum Pauli, hic attexit ſe libenter mortem obiturum pro defenſione & confirmatione Euangelij, fideque Philippenſium, qua re magis Philippenſes ſtimulat, vt iuxta eam doctrinā, pro qua ipſe iam erat paratus mori, vitam inſtituant. Si morior, inquit, immolor ſuper hoſtia & ſacrificio fidei veſtræ, hoc eſt, cum antea vos in hoſtiam & ſacrificium Deo obtulerim, & fideles in ea prædicatione effecerim, nequaquam moriturus mœrore conficior, ſed lætor potius, ac vna vobiſcum gaudeo. Gaudeo quidem quia offeror tanquam libamen additum vobis veluti hoſtiæ. Gratulor verò quia vos Euangelio à me prædicato credentes, non ſecus atque ſacrificium aliquod Deo gratiſsimum obtulerim. RESPICIT autem hic Apoſtolus ad veterem ſacrificandi ritum, qui Symbolum fuit non ſolum ſacrificij Chriſti, verumetiam ſpiritualis ſanctorū hoſtiæ. Vt enim illic erat libamen, hoſtia, ſacerdos offerens. Ita & hic Paulus ſe quidem σπονδὴν, hoc eſt, libamentum facit, & ſacerdotem qui offerat: Philippenſes vero hoſtiam. Nam eos gladio verbi Dei mactatos Deo adducit in ſacrificiū. OBSERVETVR igitur hic: Primum, quanta ſit dignitas miniſtrorum verbi, qui ſacerdotes ſunt coram Deo ad offerendas illi hoſtias, non quales ſacrificuli in Papatu offerunt, nec quales Aaronici ſacerdotes in veteri lege, ſed homines mactatos ſpirituali gladio, quos in viuentem hoſtiam offerunt. Cæterum offerendi ratio in fide conſiſtit, qua mortificati conſecramur Deo per Ieſum Chriſtum. Monentur præterea hic miniſtri verbi, quo affectu eſſe debeant in ſuo miniſterio, nimirum vt vitæ, fortunis, vxoribus, liberis, amicis, adeoque omnibus in mundo rebus chariſsimis ac dulciſsimis miniſterium ſuum anteponant, ac ſi mortis periculum eis adire contingat, vt ſtatuant mortem ſuam veluti dulciſsimam quandam σπονδὴν & Deo gratiſsimam eſſe. Eſt enim inprimis obſeruandum quod Paulus mortem quam pro defenſione Euangelij obit, definit σπονδὴν libamen ſeu ſacrificium: quo delectatur Deus. Hinc eſt quod Dauid dicit: precioſa in cōſpectu Domini mors ſanctorum eius: Hinc haud dubie martyres olim in medijs ſupplicijs ſe conſolabantur. Verum hoc ſciendum eſt quod mors per ſe non placeat Deo: Sed propter obœdientiam, & patientiam in morte, quibus addo euentum, videlicet, quod mors ſit martyrium & teſtimonium fidei & confeſsionis, vnde alij animantur ad confeſsionem & confirmantur in fide.

QVARTA PARS.

Spero autem in Domino Ieſu Chriſto, me breui Timotheum miſſurum ad vos, vt & ego tranquillo ſim animo, cognito ſtatu veſtro.

Alteram partem huius capitis aggreditur Apoſtolus, quam ſupra totius Epiſtolæ quartam fecimus. Eſt autem hæc pars συστατικὴ, ſeu demonſtratiua, quæ abſoluitur laudibus Timothei & Epaphroditi. Hæc commendatio tota eo pertinet, vt Philippenſes, hos duos miniſtros Dei, adeoque omnes ſinceros miniſtros verbi in honore habeant, contempta Pſeudoapoſtolorum vana iactantia. Paraſceue huius commendationis eſt, quod dicat Apoſtolus ſe ſperare breui miſſurum Timotheum ad ipſos, vt ab eo reuerſo cognoſcat ſtatum Philippenſium, quo cognito tranquilliori ſit animo. OBSERVA itaque hoc loco ingenium vere Apoſtolicum eſſe profectū auditorum ſuorum, etiam in medijs ærumnis, reddi animoſiorē & alacriorem. Quod ſane miniſtris omnibus verbi in exemplum proponendum eſt.

Neminem enim habeo pari animo præditum, qui adeo ſincere pro vobis ſollicitus ſit.

Ratio cur Timotheum promittit ſe miſſurum ab affectu Timothei erga Philippenſes ſumta: Et ſimul propoſitionis commendatoriæ inſinuatio vna cum ratione à collatione Timothei & aliorum comminiſtrorum verbi petita. Eſt autem hæc maxima Timothei commendatio quod reliquis omnibus præferatur, quantum quidem ad ſollicitudinem ſanctam pro Philippenſibus attinet. Hic ergo Timotheus nobis in exemplum proponatur, vt quemadmodum ipſe fuit: Ita & nos ſimus ſolliciti pro Eccleſijs Chriſti vel remotiſsime à nobis diſsitis.

Nam omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Ætiologia eſt ex collatione, qua præfert Timotheum pleriſque ſuorum cõmilitonum, qui propriam quietem ſectantes hunc habent ſcopum, vt in tuto ſint ac rebus neceſſarijs abundantes in pace viuant. HIC primum hyperbole in propoſitione vniuerſali obſeruanda eſt. Solemus enim vniuerſaliter (preſertim cum oratio querelam de moribus continet) ea exprimere, quæ vt plurimum ita ſe habent: Vt nuſquam tuta fides: Omnes ſtudent auaritiæ, &c. Etſi autem plus dicit hyperbole quam res eſt, tamen eius verus vſus in ſacra ſcriptura eſt, vt inde veritas intelligatur cum querela mixta. Deinde obſeruandum eſt, quod quæ Chriſti ſunt quærere, & quærere quæ ſua ſunt, hic ita opponantur, vt ſimul ſtare non poſsint. DICITVR autem is, quæ Chriſti ſunt quærere, qui totum ſuum conatum eo confert, vt Chriſti gloriam illuſtret, ſalutem animarum quærat, non impeditus vlla priuati commodi aut incommodi ratione. Contra, ſua quęrere, is dicitur, qui quidem forte Chriſtum ſincere docet, ſed maiorem rationem habet ſui commodi & ſuæ quietis quam Euangelij, gloriæ Chriſti, & ſalutis animarum. Si itaque Chriſtus ſummus ſcopus fuerit, nihil prohibet etiam ſua commoda quærere, modo non negligentior quis ad quærendam Chriſti gloriam reddatur. Sic pia eſt cura coniugum & liberorum, modo primum & ſummum locum occupet cura gloriæ Chriſti, & pietatis veræ conſeruandæ ſtudium.

Experimentum autem eius noſtis, quod vt filius cum patre mecum ſeruiuit in Euangelio.

Commendatio ab anteactis amplificata comparatione. Obſerua Paulum tantum Apoſtolum non appellare Timotheum iuuenem adhuc, quem ipſe in Euangelio inſtruxerat, ſeruum aut famulum, ſed ipſum filij honore dignatur: Neſcit enim ſuperbum Dominum Eccleſia Chriſti. Deinde appellatione filij indicat Apoſtolus quo affectu miniſtri ſuperioris vocationis eſſe debeāt erga ſuos comminiſtros, vtut fuerint gradu vocationis diſpares.

Hunc igitur ſpero me miſſurum ſimul atque videro rerum mearum ſtatum.

Commendationis concluſio eſt cum admonitione de tempore, quo ipſum Timotheum mittere decreuerat, nempe cognito rerum ſuarum ſtatu, qui adhuc incertus erat.

Confido autem in Domino, quod & ipſe cito venturus ſim.

Clauſula hac de ſuo ad ipſos reditu eos bene ſperare monet, quod eo ſpectat, vt eo ſanctius vitā ſuam cõponant, quo inueniat eos abūdare in cognitione & omni ſenſu, id quod ſupra ipſis optauit.

Neceſſarium autem putaui Epaphroditum fratrem & cooperarium & cõmilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum & miniſtrū neceſſitatis meæ mittere ad vos.

Secunda propoſitio huius partis, cui maxima Epaphroditi commendatio aſpergitur. Primum enim Fratrem ipſum nominat, qua appellatione non tantum affectum ſuum erga ipſum declarat: Verūetiam ſeipſum in ordinem redigit, & Epaphroditum paſtorem Philippēſium ſibi parem facit, quod quidem non tollit gradus Apoſtolatus & paſtoratus, ſed magis coniungit ſuperiores & inferiores: vt coniunctis viribus gloriam Chriſti per prædicationem Euangelij promoueant. Deinde ipſum Cooperarium, id eſt, collegam fatetur, quantum quidem ad commune miniſterium propagandi regni Chriſti attinet. Tertio agnoſcit ipſum Cõmilitonem ſuum, quo nomine plus quiddam ſignificat, nimirum quod forti & inuicto animo militauerit ſecum pro Chriſti regno dilatando, idque contra Pſeudoapoſtolos & mundi rabiem Euangelium perſequentis. Quarto pronunciat illum Apoſtolum Philippēſium, hoc eſt, Parochum ſeu miniſtrum Euangelij apud Philippenſes, Tranſtulit enim nomen ſpeciei ad genus, maioris commendationis ergo. Quinto Miniſtrum neceſsitatis ſuæ ipſum appellat, vt qui ſibi ſubminiſtrarit quibus opus erat, perferens ad ipſum quæ Philippenſes miſerant. Vnde commendatur ab affectu & officio erga Paulum. Sit igitur hic Epaphroditus miniſtris Euangelij propoſitus, tanquam ſpeculum formandæ vitæ in ſuo miniſterio.

Quandoquidem deſiderabat vos omnes videre & anxius erat, propterea quod

Hæc commendatio ſumitur ab affectu Epaphroditi erga ſuos Philippen

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

audiſſetis eum ægrotaſſe, & certo ægrotauit proxime mortem.

ſes, pro quibus, cum ægrotaret, magis erat quam pro ſeipſo ſollicitus: ne videlicet ægritudo ipſius Philippenſibus mœrorem afferret. EXEMPLVM hoc proponatur cum ipſis miniſtris Euangelij, tum etiam auditoribus, vt hinc etiam admoneantur, quam ſolliciti eſſe debeat pro ſeinuicem.

Sed Deus miſertus eſt eius, nec eius ſolum, ſed & mei, ne dolorem haberem ſuper dolorem.

Hic multæ quæſtiones ſe offerunt quarũ explicatio in primis vtilis eſt. PRIMA quæſtio eſt de dogmate Manicheorum, qui hanc præſentem vitam, vt malum per ſe, damnarunt: quorum error hoc Pauli teſtimonio confutatur. Nam prorogationem vitæ Epaphroditi inter miſericordias Dei deputat: Quod profecto perabſurdum fuiſſet ſi hæc præſens vita per ſe mala eſſet. Taceo promiſsionem quarto præcepto additam, qua promittitur longæua vita ijs qui maioribus ſuis debitum præſtiterint honorem. QVÆSTIO ſecunda eſt de ἀπαθείᾳ Stoicorum quam etiam hic Paulus ſuo exemplo & teſtimonio euertit. Nam ipſe Apoſtolus qui ſpiritum Dei habuit, quo regebatur, nunc lætatur, nunc triſtatur. Huc accedit quod nulla omnino laus eſſet patientiæ Chriſtianorũ, ſi omni ſenſu doloris prorſus carerent, ſed edocti verbo Dei dolorem mitigant, cumq; ſuperant per Spiritum ſanctum qui ipſis inter precandum vberem conſolationem affert. TERTIA quæſtio eſt quam Ambroſius hoc loco mouet hiſce verbis. Quid ergo eſt vt præſente Apoſtolo qui mortuos exuſcitabat hic Epaphroditus infirmatur vſque ad mortem? Sed ſigna infidelium cauſſa fiunt. Nam huic non ad detrimentum contigit ægritudo ſed ad augmentum. Probationes enim diuerſę ſunt credẽtium. Alius enim per ęgritudinem, Alius amiſsione charorum, Alius per damnum pecunię, Alius per tribulationes probatur, ſi in neceſsitate ſtabilis inueniatur, auxilium à diuerſa parte non quærens. Non ergo contemta eſt poſtulatio Apoſtoli, ſed melius prouiſum ei pro quo petebat. QVARTA quæſtio naſcitur ex duobus locis Pauli in ſpeciem pugnantibus. 1. ad Theſſ. 4. ſic ait Apoſtolus. Videte ne contriſtemini pro dormientibus. Hic autem ſe mœrore affici eo quod Epaphroditus morti fuerit vicinus, teſtatur, & quod Deus ſui ſit miſertus, illum ſanitati reſtituens. Verum iſtæ ſententiæ nequaquam pugnant. Illic enim immoderatum dolorem adeoque Ethnicum omni ſpe vacantem prohibet: hic autẽ de dolore conſolatione mixto loquitur: Qualis omnis Chriſtianorum dolor eſſe debet. Nam vt naturale eſt dolere amiſsione charorum: Ita pietatis eſt ſe Deo ſubijcere & ex voluntate Dei ac promiſsionibus diuinis conſolationem petere. Mixtus itaque ſit piorũ dolor conſolatione & obœdientia erga Deum, quæ eos ad patientiã erudiat, cuius patientiæ mater eſt ſpes beatæ immortalitatis. QVINTA quæſtio, ex dictis Pauli ſuperioribus & ex præſenti loco naſcitur. Supra enim dixerat melius eſſe pijs migrare & eſſe cum Chriſto, quam hic varijs ærumnis confici. Hic vero veluti mutata ſententia, mœroris materiam ſumit à morbo pij hominis, quem non dubitauit è miſerijs præſentibus per mortem migraturum in regnum Chriſti, ſed Paulus hic Eccleſiæ ædificationem ſpectauit, cui perutilem miniſtrum fuiſſe Epaphroditum minime ignorauit: Quare & pijs merito dolẽdum eſt, quãdo è medio pij & ſinceri miniſtri tollũtur. SEXTA quæſtio: Si Deus mortis horam vnicuiq; præſignauit, an non Deo reſiſtere videtur is qui triſtatur ob alicuius mortem? Nam voluntas ipſius voluntati Dei repugnare videtur. Facilis eſt Solutio. Aliud eſt enim dolere & frenare dolorem noſtrum, vt ſubijciamus nos voluntati Dei. Aliud eſt fremere aduerſus Deum, & indignari & ex doloris magnitudine prorumpere in contumeliam Dei. SEPTIMA quæſtio oritur ex Antilogia huius loci & eius qui eſt Iob. 14. Conſtituiſti terminos hominis qui præteriri non poterunt. Verum huius quæſtionis ſolutio legatur in Enchiridio noſtro in expoſitione quarti præcepti.

Studioſius igitur miſi ipſum, vt cum videritis ipſum rurſus, gaudeatis, & ego magis vacem dolore.

Cõcluſio amplificata à finibus miſsi Epaphroditi ad Philippenſes. Eſt autem hic verborum ſenſus. Maiori cura Epaphroditum miſi vt cum primum eum videritis reuerſum (quem vos nunquam viſuros putabatis) lætemini.

Excipite igitur ipſum in Domino cum omni gaudio, & tales in precio habete.

Illatio exhortationis, vt Philippenſes Epaphroditum excipiãt in domino, id eſt, tanquam Domini legatum & nuncium, & in precio habeant nõ ſolum ipſum, verumetiã alios, qui ſimili diligentiã in negocio

negocio Euangelij verſentur. Obſeruemus quo in loco habendi ſunt ſinceri Euangelij miniſtri ab auditoribus. Nam ſi legati principum huius mundi, ſacroſancti cẽſentur, vt quos ſine inexpiabili ſcelere violare nemini prorſus liceat. Si ſcelus ſempiternum putatur eſſe inſidiari legatis ab hominibus miſsis, Quid dicemus de ijs qui violant legatos Dei? quibus pœnis expiabitur tantum ſcelus? præſertim cum iſti Dei legati annuncient bona, prædicent pacem, inuitent verbis Dei ad perpetuum fœdus feriendum cum Domino dominantium, rege regum, cuius fœderis fructus vberrimus ad nos redit, videlicet, immortalitatis gloria & æternæ vitæ fruitio. Hæc tanta dignitas etiam miniſtros commonefacere deberet, ne ſe ipſos malis moribus, & ſcurrilitate odibiles reddant.

Quia propter opus Domini vſque ad mortem appropinquauit, non habita ratione vitæ, vt ſuppleret defectum veſtri erga me officij.

Cauſſam morbi Epaphroditi inſinuat fuiſſe longam illam profectionem, quam ſuſceperat à Philippis Romam verſus, vt Paulo in vinculis miniſtraret. Hic obſerua quod opus Chriſti vocat, Chriſtum in perſona Pauli vinctum & egentem inuiſere & coram ſubleuare. Huc illuc, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Qui igitur opem ferunt laborantibus ſeruis Domini, ſciant ſe Deo gratiſsimum opus facere, adeoq; ipſi Chriſto ſeruire. Cõtra vero qui miniſtros Dei premunt, & iniuria afficiunt, quique manus auxiliatrices indigentibus ſubtrahunt, opus diaboli faciant, adeoq; ipſi diabolo ſeruiant. QVOD conuerti cum Eraſmo. Non habita ratione vitæ, Græce legitur παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ. Nam παραβολεύεσθαι ſignificat perperã conſulere, vti faciunt qui ſe in apertum vitæ periculum conijciunt, ſed hoc tamen facere in loco pro Chriſto non eſt ſtultitiæ aut imprudentiæ, ſed veræ cœleſtis ſapientiæ, quã in Epaphrodito commendat Apoſtolus: qui vitæ periculum adijt, vt defectum Philippenſium ſuppleret erga Paulum. Hoc igitur permultum ad commendationem Epaphroditi facit, vt qui tantum laborem ſubire voluerit, quo Philippenſium vice fungeretur in miniſtrando Paulo. Admoneantur & hic auditores verbi officij ſui erga laborantes miniſtros. Si enim liberi debent parentibus obſequia neceſſaria, profecto pij agnoſcent ſe non parum ſinceris verbi miniſtris debere, per quorum prædicationem regeniti ſunt & adoptati in filios Dei.

CAPVT III.

Summa Capitis tertij.

Vt Philippenſes caueant ſibi à Pſeudoapoſtolorum inſidijs & fiducia carnis, monet Apoſtolus, ſe ſtatuens viuum iuſticiæ veræ & pietatis exemplar, quod vt imitentur Philippenſes hortatur.

Ordo & partes Capitis tertij.

Huius tertij capitis tres partes ſunt, Harum prima eſt ἀποτρεπτική. *Monet enim vt Philippenſes ſibi caueant à corruptoribus veræ doctrinæ, præſertim ab ijs qui Iudaiſmum ſapientes circumciſioni & legali iuſticiæ non parum tribuebant.* SECVNDA *pars eſt demonſtratio. Nam Apoſtolus ſeipſum in medium proponit, & ſuo exemplo docet ad perfectionem nihil extra Chriſtum quærendum eſſe.* TERTIA *pars eſt exhortatio. Nam poſtquam ſe iuſticiæ & veræ pietatis exemplar propoſuit, Philippenſes ad veram pietatem hortatur. In harum partium explicatione multi inſignes loci aſperguntur, vt de vero piorum gaudio. De circumciſione legali. De diſcrimine iuſticiæ legis & Euangelij. De efficacia mortis & reſurrectionis Chriſti. De perfectione Chriſtiana. De aduentu Chriſti ad iudicium. De glorificatione corporum poſt reſurrectionem.*

EXEGESIS CAPITIS TERTII CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVOD reliquum eſt fratres mei gaudete in Domino.

Altiſsimum ſequentis exhortationis fundamentum iacit Apoſtolus,

cum iubet gaudere in Domino. Qui enim in Domino vere gaudent, facile contemnunt falſos doctores, atque adeo omnem gloriam carnis negligunt. Eſt autem ingenium falſorum doctorum vanam mundi gloriam quærere, vt homines ſe ſuſpiciant, ac tanquam de patribus ac doctoribus de ipſis gaudeant: parum admodum aut nihil de gloria Chriſti & ſalute animarum ſollicici. Quare Paulus Philippenſes ad Dominum reuocat, in quo ſolo gaudendum & gloriandum eſſe monet. Dicitur autem is recte in Domino gaudere, qui illum ſalutis ſuæ autorem agnoſcit retinens fidem & bonam conſcientiam.

Eadem ſcribere vobis me quidem haud piget, vobis autem tutum eſt.

Interponuntur hæc per prolepſin, poterant enim obijcere Philippenſes, Sæpius tu Paule hæc præſens nobis inculcaſti. Quare nec eadem iterando fatigandus es, nec nos eadem audiendo grauandi ſumus. Reſpondet Apoſtolus, nequaquam ſibi moleſtum eſſe eadem ſæpius inculcare, nec illis inutile fore eadem ſæpius audire. Hinc diſcant miniſtri Euangelij vtiles doctrinas & exhortationes ſubinde repetere, atque ſuis auditoribus inculcare. Diſcant & auditores ſibi perutile eſſe eadem ſæpenumero audire, quo altiores radices in cordibus eorum doctrina & eius accommodatio agat.

QVINTA PARS.

Cauete canes, cauete malos operarios, cauete conciſionem.

Propoſitio exhortationis, cuius hic eſt ſenſus: Cauete omnem veræ doctrinæ corruptelam & omnes falſos doctores. Vtitur autem hic Apoſtolus tribus vocabulis, quibus falſorum doctorum ingenium graphice depingit. Primum enim vocat eos canes, hoc eſt mordaces, veritatis luci obſtrepentes, & impudentius oblatrantes: curam ventris potius quam mentis, inanis gloriæ potius quam Chriſti, gerentes. Deinde vocat eos operarios, ſed malos, indicans duo operariorum genera eſſe in vinea Domini: quorũ quidam mali ſunt, quos ocioſos eſſe præſtaret, deſtruunt enim vineam Domini. Quidam boni qui doctrina ſincera & vitæ innocentia ædificant. Cõciſionem vocat Iudæos, qui cum circumciſionem mordicus tanquam neceſſariam ad ſalutem retinuerunt, veram Eccleſiam Dei dilacerarunt. Vtitur autem abſtractis pro concretis propter circumciſionis & conciſionis προσονομασίαν. Eſt autem conciſio κατατομὴ ſectio nocens & deſtruens (Danice vonſkårelſe) κατὰ enim in hac compoſitione deſtructionem ſignificat. Euertitur hoc Pauli dicto Papiſticum dogma, quo adimitur laicis, vt vocant, iudicium de doctrina, quod iudicium Spiritus ſanctus nõ ſolum permittit, ſed etiam committit & commendat omnibus pijs, & nota eſt Chriſti ſententia, Cauete à falſis doctoribus.

Nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu Deum colimus, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carnem fiduciam habentes.

Ratio propoſitionis à definitione veræ circumciſionis quæ coram Deo valet, ſumpta. ac ſi diceret: Iſti iactant circumciſionem carnalem, quæ Chriſti aduentu abrogata eſt: ſed nos circumciſionem ſpiritus habemus. Dum ergo illi vmbris detinentur, nos veritate fruimur. OBSERVANDA eſt hoc loco definitio ſpiritualis cĩcũciſionis, quod ſit amputatio fiduciæ carnis & gloriatio in Chriſto, per quẽ Deo ſpiritualem cultũ reddimus. Gloriari in Chriſto eſt totius ſalutis fiduciam in vno Chriſto collocare. fiduciam in carne habere, eſt in aliam quamlibet rem collocare fiduciam, quã in vnum Chriſtum. Caro enim hic ſignificat quicquid extra Chriſtũ eſt, adeoq; ipſam circumciſionem carnalem, quæ Chriſto exhibito abolita eſt. OBSERVANDA quoque hic eſt Antitheſis, quod qui ſpiritu Deum nõ colunt, nequaquam gloriari poſſint in Chriſto: & quod quicunq; habẽt fiduciã in carne, deflectant à vera ſalutis via in damnationis præcipitium.

Quanquam & ego habeam fiduciam in carne, ſi quiſquam alius videtur fiduciam habere in carne, ego magis habeo.

Vt retundat conciſionis arrogantiam collationem addit: & ſe confert cum illis qui gloriabantur de prærogatiuis gentis Iudaicæ, ac ſi diceret non minorem gloriationis materiam habeo, quam iſti. Imo in multis illis ſuperior ſum. loquitur autem hic Paulus de materia gloriationis coram hominibus, non de effectu, quemadmodum mox declarabitur.

Circum-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Circumciſus octauo die.

Scilicet iuxta legem: qua ratione ſe præfert proſelytis.

Ex genere Iſraël.

Id eſt, ex ſemine Iacob Patriarchæ: cuius tota poſteritas populus Dei habebatur.

E tribu Beniamin.

Tribus meminit maioris certitudinis cauſſa.

Hebræus ex Hebræis.

Hoc dicto ſignificat ſe non defeciſſe à ſuo populo ad gentiliſmum, vt multi fecerunt ortis perſecutionibus à vicinis populis.

Secundum legem Phariſæus.

Iam de vitæ genere & ſtudio agit. fuerunt autem Phariſæi præcipui inter alios ſectarios. Scripturæ enim interpretes fuere, quam ſuis corruptelis deprauarunt. iuxta legem, inquit, hoc eſt, iuxta præſcriptum ſeu ordinatum à Phariſæis religionis inſtitutum, ſeu iuxta ordinem & regulam Phariſæorum. Reſpicit enim Paulus ad vocabulum Thora, quod interdum ordinationem & conſtitutionem notat. Nam lex Dei nihil omnino præcipit de Phariſæorum ſecta, quæ ſub Pontificatu Ionathæ primum incœpit.

Iuxta zelum perſequens Eccleſiam.

Hoc additur vt oſtendat quanto ſtudio & ardore ſuum Phariſaiſmum propagare ſtuduerit. Nam cum videret Eccleſiam Dei penitus abhorrere à Phariſaiſmo, eumque omnino damnare, nihil non periculi adijt, vt Eccleſiæ nomen aboleret, atque ita ſuus Phariſaiſmus magis propagaretur.

Secundum iuſticiam quæ eſt in lege, factus irreprehenſibilis.

Hoc reſpectu hominum intelligendum eſt: quorum iudicio ſatisfacit externa diſciplina. Eſt profecto magna laus, quod ita vitam totam inſtituerit Apoſtolus, vt nihil querelæ dignum admiſerit. Non autem hic loquitur de iudicio Dei, cui mortalium nullus ita ſatisfacere poteſt, vt propter ſuam obœdientiam perfectam & plenam, habeatur coram Deo perfecte iuſtus ſeu irreprehenſibilis. Obſeruetur ergo hoc loco quod iuſticia legis ſit duplex. Spiritualis vna, altera literalis. Spiritualis eſt perfectus amor Dei & proximi. Hæc nunquam in vllius vita extitit, excipio vnum Chriſtum. Literalis eſt quæ in hominum conſpectu apparet, cum interim hypocriſis regnet in corde, & coram Deo nihil ſit quam iniquitas. Proinde qui ex hoc loco Pauli concludit legem Dei ab homine impleri poſſe, cœlum terræ miſcet, & non ſatis perpendit in quem finem hæc à Paulo dicantur.

Verum quæ erant mihi lucra, ea exiſtimaui propter Chriſtum iacturam eſſe.

Omnia quæ ſequuntur ad finem capitis in hunc Syllogiſmum conijci poſſunt: Boni diſcipuli magiſtrum ſuum imitari debent. Ego magiſter veſter omni carnis fiducia abiecta in ſolo Chriſto acquieſco. igitur & vos fiduciam carnis abijcite, ac in ſolo Chriſto acquieſcite, cauentes ſacræ doctrinæ corruptelas. Minorem per collationem ponit. Confert enim totam carnis fiduciam cum Chriſto: quem adeo præfert vniuerſæ gloriæ carnis, vt pro iactura habeat, quicquid ſit extra Chriſtum. Quæ erant, inquit, mihi, ſcilicet ante cognitionem Chriſti, lucra, hoc eſt, quæ in me fiduciam carnis & propriæ iuſticiæ alebant, ea, cognito Chriſto pro iactura habui, quia me à Chriſto remorabantur. Donec enim homo quicquam ſibi, ſuiſque dotibus aut operibus tribuit, Chriſti particeps eſſe nequit. Oportet enim nos nudos tanquam è naufragio enatantes ad ipſum venire. Hic ergo deſtruitur opinio Papiſtarum de operibus præparantibus, & de merito congrui.

Quin etiam omnia exiſtimo iacturam eſſe propter eminentiam Chriſti Domini mei.

Etſi eandem ſententiam repetit, ſingularis tamē Emphaſis in duabus vocibus conſideranda eſt, Nam, cum hic dicit in præſenti quod ſupra dixit in pręterito, ſignificat ſe conſtantē manere in ſuo ꝓpoſito, & ex animo omnis carnis fidu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ciam poſtponere Chriſto. Deſtruitur igitur & euertitur hoc dicto dogma iuſticiariorum de operibus conſumantibus ſeu perficientibus iuſticiam. Quod autem addit, propter emi nentiam Ieſu Chriſti, ſignificat neminem vere Chriſtum poſſe cognoſcere donec propria iuſticia fuerit inflatus. EST autem cognitio Chriſti ſita in duabus, videlicet, in noticia & fiducia. Noticia, perſonæ vnitatem, naturarum diuinæ & humanæ admirãdam vnionem, & officium redemptionis complectitur. Fiducia autem beneficia oblata apprehẽdit, ac in Chriſti gratia acquieſcit. Proinde cognitionis voce ſolida fides Chriſti ex concepta noticia intelligitur. Domini mei, dicit, quia ſoli credentes in Chriſto Domino gloriari poſſunt.

Propter quem omnium iacturam feci, & exiſtimo reiectamenta eſſe vt Chriſtum lucrifaciam.

Tertio repetit eandem ſententiam non ſine ſingulari Emphaſi. Dicit enim ſe non ſolum omnium iacturam feciſſe propter Chriſtũ, verumetiam omnem carnis fiduciam tanquam rem abominãdam abieciſſe, vt Chriſtum lucrifaceret, hoc eſt, vt Chriſtum ſolum iuſtificatorem & ſaluatorem obtineret. Rurſum igitur monemur omnem carnis adeoque iuſticiæ propriæ fiduciam abijciendam eſſe, tanquam rem indignam oculis, modo Chriſti participes eſſe velimus, veriſsime enim ab Ambroſio dictum eſt: Gratia Dei aut tota recipitur, aut tota abijcitur. Et Auguſtinus: Gratia eſt nullo modo quæ non eſt gratuita omni modo. Vocabulum σκύβαλα vſurpauit Apoſtolus, quo nihil potuit contemtius ſignificari. Eſt enim σκύβαλον res fœda indigna oculis hominum, ſed canibus proijcienda potius. Hinc apparet quæ ſit laus bonorum operum coram Deo ante iuſtificationem gratuitam, præſertim cum homines fiduciam in illis collocant. Quare nequaquam dictum Apoſtoli vult, vt virtutes quas requirit lex, abijciamus, ſed tantum cõtra fiduciam carnis inſurgit, quæ impedit quo minus ad Chriſtum peruenire poſsimus.

Et reperiar in ipſo, non habens meam iuſticiam quæ eſt ex lege, ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti, iuſticiam quæ eſt ex Deo per fidem.

Exponit quis ſit efficacis cognitionis Chriſti fructus, nempe iuſticia noua, quæ eſt, ex fide Ieſu Chriſti, hoc eſt, quæ imputatur credenti in Chriſtum. HIC primum obſeruetur antitheſis duplicis iuſticiæ. quędam enim hominis propria dicitur, quæ eſt ex lege: Quædam Dei iuſticia quæ fide obtinetur. Hanc cum illã ſimul ſtatui non poſſe clariſsime euincit hic Pauli locus. Qui enim nititur iuſticia propria, iuſticię fidei expers eſt. & qui nititur iuſticia fidei, agnoſcit ſe nullam propriã iuſticiam qua conſiſtere poteſt coram Deo, habere. Quare diligenter cauendum eſt, ne has iuſticiæ formas confundamus: quarum confuſio ſemper maximas in Eccleſia turbas & diſſidia mouit. Quidam enim cum audiunt ſimul ſtare non poſſe has duas iuſticiæ formas, mox exiſtimant licentiam datam carni, vt ſe proſtituat libere ad omnẽ turpitudinem, gloriantur de Chriſto, clamãt ablatam eſſe maledictionẽ legis, iactant fidem, cumulant plurima teſtimonia ſcripturæ, quibus ad ſeipſos ineſcandos abutuntur, vt liberius in omni flagitiorũ genere volutentur, non obſeruantes Paulum hic & in ſimilibus locis nequaquam ſubſtãtiam, ſed fiduciã operũ & proprij meriti oppugnare: quo ſolius Dei gloria emineat. Nõ vult ergo Apoſtolus vt honeſtatis, iuſticiæ, caſtitatis, beneficẽtiæ, cæterorũq; fructuum ſpiritus & fidei ſtudium abijciamus, ſed vt fiduciam ſeu qualitatem quã operibus ſophiſtæ attribuunt, procul à conſpectu remoueamus. RVRSVS ſunt qui ex vtraq; iuſticia, nempe operum & fidei vnam cõponunt iuſticiam, qua homines corã Deo iuſtificari contendunt. Horum error nõ ſolum hoc Pauli teſtimonio refellitur, Verumetiam multis alijs ſcripturæ teſtimonijs refutatur, adeo vt hanc connexionem ruinæ & reiectionis Iudæorum cauſſam Apoſtolus ſtatuat, cũ ita inquit ad Rom. 10. Ignorantes Dei iuſticiã, & propriam iuſticiam quærentes ſtatuere, iuſticiæ Dei non fuerunt ſubiecti. Quiſquis ergo fidit propriæ iuſticiæ, iuſticia Dei quæ eſt ex fide excidit. Quare diligenter diſcernamus inter legalem & Euangelicam iuſticiã. PRIMVM itaque differunt cauſsis efficiẽtibus. Illa enim hominis propria, vt quæ in operum legis obœdientia conſiſtit: hæc autem Dei dicitur. Nam ipſe & eam pro iuſticia imputat credenti, & eandem approbat. SECVNDO differunt genere. Nam legis iuſticia eſt formalis obœdientia hominis erga legẽ. Fidei vero imputatiua dicitur. vt enim fundamentum iuſticiæ hominis opus eſt iuxta rationẽ legis factum, Ita obœdiẽtia Chriſti formalis nobis aſcribitur, Dũ in ipſum credimus. nõ enim aliter nos iuſti ſumus quã Chriſtus fuit peccator. Hic autem vt nõ fuit peccator qualitate, ſed imputatione noſtri peccati reus fuit: ita nos nõ ſumus iuſti qualitate ſed imputatiõe iuſticię Chriſti accepti ſumus. definitur

finitur itaque recte iuſticia Chriſtiana eſſe credẽtis perſonæ abſolutio à peccato, imputatio iuſticiæ Chriſti, & acceptatio ad vitam æternam gratis propter Chriſtum. pro noſtro enim reatu cui debebatur pœna ſatisfactum eſt per victimam expiatricem Chriſti: noſtrum defectum ſupplet perfectio Chriſti, hoc eſt, legis perfecta obœdientia in Chriſto quæ nobis credentibus imputatur: vt ita expiato peccato & imputata nobis Chriſti obœdientia iuſti ſimus & acceptemur à Deo per Ieſum Chriſtum mediatorem ad vitam æternam. Hanc iuſticiam tantiſper poſsidet homo, donec retinet fidem & bonam conſcientiã. vt enim fides accipit iuſticiam per Euangelium oblatam, ita bona cõſcientia fidei cuſtos eſt: qua amiſſa naufragium fidei committitur. ex quo apparet quam neceſſaria ſit noua obœdientia in conuerſis. TERTIO, iuſticia legalis homini in hac vita plane eſt impoſsibilis: vt quæ hominis conatum requirit, quo ſatisfiat legi Dei. Iuſticia Euangelij donum eſt quod Deus largitur ex mera gratia omnibus credentibus. QVARTO, Iuſticię legalis fiducia parit hypocriſin & carnalem confidentiam, At fiducia iuſticiæ Euangelij parit humilitatem veram & multiplices fructus internos & externos producit. QVINTO, Iuſticia legalis homini vano, at iuſtitia fidei ſoli Deo gloriam tribuit per Ieſum Chriſtum. SEXTO, fiducia iuſticiæ legis hominem damnationi ſubijcit, vt quæ reiectionis eius cauſſa exiſtat, Sed fidei iuſticia à damnatione hominem reddit ſecurum. nulla enim eſt condemnatio ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum, Rom. 8.

Vt cognoſcam eum, & potentiam reſurrectionis & communionem afflictionum eius.

Qualis ſit fidei natura explicat, tria ei attribuens, videlicet cognitionem Chriſti, cum qua coniuncta eſt fiducia: cognitionẽ potentiæ reſurrectionis eius, fide enim in Chriſtum vim reſurrectionis ipſius in nobis ſentimus, idque non ſolum quod ipſius efficacia in nouam vitam reformamur ac veluti reſurgimus, verumetiam quod certo expectamus nos per eandem reſurrecturos: & cognitionem communionis afflictionum eius, qua ſcilicet nos reddimur participes afflictionum Chriſti, quemadmodum enim ille, ita & nos in hoc mundo varias experiamur afflictiones. Obſeruemus igitur hoc loco quales piorum meditationes & ſtudia eſſe debeant. Huc illud Pauli ad Timotheum: Memento Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis.

Conformis factus morti eius, ſi quomodo pertingam ad reſurrectionẽ mortuorum.

Quo pertineant præſentes Eccleſiæ afflictiones oſtendit: nimirum, vt Chriſtum ſequamur in cruce donec pertingamus ad reſurrectionem mortuorum. vt enim à morte ad reſurrectionẽ Chriſtus Dominus peruenit: Ita nos quoque ex varijs afflictionibus tandem ad gloriam immortalitatis perueniemus. Conformitas mortis Chriſti conſiſtit in mortificatione carnis & externi hominis, hoc eſt, in vera contritione & tolerantia crucis. Quod autem addit, Si quomodo, non eſt dubitantis ſed anhelantis ad metam. Significat igitur Apoſtolus difficultatem ſequendi Chriſtum, vt in Philippenſibus ſtudium acrius excitet. Nemo enim coronatur, niſi qui legitime certauerit.

Non quod iam apprehenderim aut perfectus ſim, ſed ſector ſi etiam apprehẽdam, quatenus & apprehẽſus ſum à Ieſu Chriſto.

Vt ad perſeuerantiam & ſerium ſtudium pergendi in pietatis ſtadio excitet Philippenſes, ſe adhuc in curſu eſſe indicat. Dixerat ſe fide eo tendere, vt cognoſcat Chriſtum, vt vim reſurrectionis & cõmunionem paſsionum eius percipiat, in eodem curſu ſe adhuc eſſe fatetur, & anhelare vt aliquando ad ſcopum perueniat. Quod aũt addit quatenus apprehẽſus ſum, eo pertinet vt totum ſalutis beneficium gratiæ tribuatur. Vult igitur Apoſtolus eos qui huius gratiæ Chriſti facti ſunt participes, nõ ocio torpere, ſed toto niſu incumbere, vt apprehenſo Chriſto pergant, donec ad metam perueniant. Hic locus obſeruandus eſt contra ſanctulos quoſdam, qui cum vix micam fidei habeant, ſe tamen iam ad dexteram Chriſti in cœleſtibus ſedere gloriantur. De perfectione paulò poſt dicemus. Fratres ego meipſum nondum arbitror aſſecutum eſſe. Attentio eſt cum repetitione eiuſdem ſententiæ, & monet ſuo exemplo Philippenſes, vt in principio curſus non torpeant, ſed perpetuo progrediantur, donec ad metam peruenerint.

Vnum autem (*ago*) ea quidem quæ à

Quod ſimpliciter dixit, nunc alle-

tergo ſunt obliuiſcens, ad ea vero quæ à fronte ſunt enitens, ſecundum ſcopum ſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei per Ieſum Chriſtum.

gorice repetit. Eſt autem hic ſenſus: Quemadmodum curſores qui in ſtadio currunt, non reſpectant à tergo, ſed feruntur pleno impetu: Ita ego propoſita palma ſupernæ vocationis, id eſt, cœleſtis beatitudinis, non ſino me vllis mundanis auocamentis retrahi à curſu, ſed recta pergo donec ad præfixũ ſcopum perueniam. Hoc Apoſtoli exemplum omnibus pijs merito proponendum eſt, vt cogitent non torpore, non ſegnicie, non voluptatibus, non iactantia inanis fidei, ſed ſtrenuo in pietate curſu properandum eſſe ad præfixum beatitudinis ſcopum. Etſi autem gloria cœleſtis gratuitum eſt Dei donum, tamen ad eam fidei veris exercitijs perpetuo contẽdendum eſt. Atque ideo adiecit, Per Ieſum Chriſtum, vt in ipſum ſolum in toto curſu recumbamus.

Quotquot igitur perfecti ſumus hoc ſentiamus.

Transfert hypotheſin ad theſin ſeu ſuum exemplum ad catholicam doctrinam. Quod enim de ſe dixit, ad omnes pios accommodat, nimirum vt omnes excluſa carnis fiducia, & fide iuſtificati cognoſcant Chriſtum, ſentiant vim reſurrectionis ac communionis afflictionum eius, atque ita in curſu pergant indefeſſe, donec ad metam perueniant per Ieſum Chriſtum. Poteſt autem ex collatione huius dicti & ſuperioris colligi definitio perfectionis Chriſtianę, videlicet, quod ſit fiducia in Chriſtum & viua cognitio & ſenſus mortis & reſurrectionis Domini, cum firmo propoſito in pietatis ſtadio indefeſſe currẽdi, donec ad metam vſque peruentum fuerit. Seu vt clarius dicam. Perfectio Chriſtiana eſt ex fide Chriſti obœdientiam erga Deũ omnibus rebus alijs anteferre, hoc eſt, vt iuſtificati fide puro colendi Deum affectu ducamur, vt ſimplici integritate præditi teſtari poſsimus, nos hoc præcipue in votis habere, vt omnem noſtram vitam Deo approbemus ſani fide dilectione & patientia. Hæc perfectio non gradibus conſumatur in hoc mundo, ſed ſubſtantiæ tantum reſpectu dicitur perfectio perficienda gradibus in futura vita. Hinc iam facile conciliatur ſuperius dictum, & hæc ſententia, ſupra dixit, non quod perfectus ſim, hic autem, quotquot perfecti ſumus. Paulus enim perfectus eſt ſubſtantia, non perfectus ſi gradus ſpectes.

Et ſi quid aliter ſentitis & hoc Deus vobis reuelabit.

Hoc eſt, ſi qui inter vos ſecus perſuaſi ſunt à Pſeudoapoſtolis qui ad perfectionem Chriſtianam requirũt etiam vmbras Moſaicas, vt circumciſionem & alios ritus, Deus aliquando & illos in viam reuocabit, vt agnito errore idem nobiſcum ſentiãt. Monet igitur Paulus hoc loco quomodo agendum ſit cum ijs, quibus nondum ſatis illuxit Euangelij puritas: qui docendi quidem ſunt, ſed interim locus eſt dandus reuelationi diuinæ, qua Deus per verbum & ſuum ſanctum Spiritum, corda hominum in rectam viam flectit, perſuadendo efficaciter ijs de veritate verbi ſui. Vt enim omnia habent incrementa ſua, ſuumque tempus: Ita & Dei cognitio incrementum ſumit in nobis indies, modo ipſi non fuerimus in culpa, reſiſtendo Spiritui ſancto, qui iuxta ordinationẽ Dei in verbo prædicato & cogitato vult eſſe efficax.

Veruntamen in eo ad quod peruenimus eadem incedamus regula, idem ſentiamus.

Exhortatio eſt, vt vnanimes in doctrinæ & vitæ puritate pergamus, etiamſi non omnes æque multum promouiſſe in curſu videamur. Diligenter obſeruãdus eſt hic locus qui monet, ne vel ipſi deſpondeamus animum ſi nondum ad ſummum peruenimus, vel alios qui tardiores & imperfectiores eſſe videntur, præ nobis contemnamus. Deinde obſeruanda eſt metaphora ſumpta ab ordine militari. Nam στοιχεῖν dicuntur milites, cum in acie ſinguli vt ordinati ſunt, manent, & recta ſerie progrediuntur, nec in dextrum nec in ſiniſtrum declinantes, ſed locum fortiter defendentes. Vt igitur illi ſuam militarem regulam habent, quam turbare turpe eſt, ita & Chriſtianos decet, vt ſtrenuorum militum exemplo ſub vexillis Chriſti fortiter ſuum quiſque locum tueantur, & iuxta regulam eandem, quam omnibus ſuis communem præſcripſit Dominus in fide, dilectione & patientia cæteriſque virtutibus progrediantur, donec lætam per Chriſtum reportauerint victoriam. Non vult igitur Apoſtolus, vt nouum doctrinæ genus, aut nouas viuendi regulas excogitemus, ſed vt regulam fidei & vitæ quam præſcribit nobis Euangelium ſequamur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Eſtote pariter imitatores mei fratres, & conſiderate eos qui ſic ambulant, quemadmodum habetis nos typum.

Hortatur Apoſtolus, vt ſe exemplum ſibi proponant Philippenſes. Eſt enim hoc vere doctorem Eccleſiæ agere, alijs doctrinæ puritate & vitæ innocentia prçire, vt ſit typus iuxta quem auditores tuto ſuam vitam & mores componere poſsint. HIC tria genera miniſtrorum verbi impingunt. Primum, eorum qui recte quidem docent, ſed parum honeſtis præditi ſunt moribus. Hi quod verbis ædificant, moribus deſtruunt. Secundum eorum eſt, qui vitam quidem coram oculis hominum innocentem degunt, ſed doctrina eſt erronea & corrupta malis opinionibus. hi quod vita extruere videntur, doctrina euertunt. Tertium eorum eſt, qui non ſolum falſa & erronea docent, verumetiam ſcelerate viuunt, hi vaſtant Eccleſiam vtroque modo, & manifeſta ſunt Satanæ mancipia, ad perdendas hominum animas conducta. Caueamus ergo ne in iſtis miniſtrorum tribus generibus reperiamur, ſed potius ſtudeamus exemplo Pauli illorum aſcribi numero, qui recte & ſincere docent, moribus, dictis, factis, adeoque tota vita doctrinam exprimentes. hos vult Apoſtolus, vt Philippenſes conſiderent, ac eorum veſtigijs inſiſtant.

Multi enim ambulant, quos ſæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter, & gloria in dedecore ipſorum qui terrena ſapiunt.

Ratio eſt cur velit Philippenſes ſe imitari, à contrario exemplo ſumta, & à ſalutis periculo. Interponit autẽ Pſeudoapoſtolorum ſui tẽporis breuem deſcriptionem, vt & agnoſci & melius caueri poſsint. Primum enim vocat eos inimicos crucis Chriſti, cũ quia puritatem Euãgelij & beneficia redemtionis, hoc eſt, crucis Chriſti obſcurabãt, Imo abolebant, eo quod circumciſionem & ritus legis Moſaicæ tanquam neceſſarios ad ſalutẽ falſo prædicabant, tum quia crucem & perſecutionem pro Chriſti Euangelio pure prædicando refugiebant, ſui priuati commodi gratia. Proinde, inimici crucis Chriſti, ſunt non ſolum qui vnico Chriſto atque eius λύτρῳ, non tribuunt plenũ (concepta in ipſum fiducia) redemtionis honorem, verumetiam qui affectibus hominum ſe accommodantes crucem refugiunt, ſuique ventris proprięque quietis curam habent, potius quã ſalutis animarum, atq; ea de cauſſa addit, Quorum Deus venter eſt. Dicuntur autem Deum habere ventrem, quicunq; hunc ſcopum habent ſuarum actionum, quod ſuis cõmoditatibus, videlicet, vt tranquille viuant, cõſulant potius ſuæ quam Chriſti gloriæ, nihil de exitu cogitãtes, quem hic Paulus apponit, inquiens, Quorũ finis eſt perditio. Hoc ideo adiecit Apoſtolus, vt propoſito hoc periculo Philippẽſes ab iſtorũ vanitate abſterreat, & animet eos ad gnauiter faciendum officium in timore Domini. PRÆTERBA ſubiũgit Apoſtolus, Et gloria eorum cum dedecore, (ſeu cõfuſione, vt habet vetus interpres.) Hoc etiam ad pœnam ſpectat eorum, qui hic gloriam ſuam & non Dei quærunt. Quicunq; ergo in carne cõfidunt vanam gloriæ mundanæ vmbram ſectantes, tandem iuſtiſsimam mercedem, ignominiã & confuſionẽ reportabunt, idq; in cõſcientia primũ, Deinde in extremo die quando pudefient omnes qui Chriſto ſuũ integrum honorẽ nõ tribuerũt, quique propter fauorẽ hominum & inanem gloriolam orationem ſuam flexerũt ad affectus hominum, horum gloria tum vertetur in ſempiternã confuſionem. Poſtremo Apoſtolus vna voce qualeſnã ſint inimici iſti crucis exprimit. Qui inquit, terrena ſapiũt, hoc eſt, qui nihil ſapiunt rerum cœleſtium, ſed ſolũmodo in rebus carnalibus occupantur. Atque ita hic graphice depingit Apoſtolus eos quos ſupra canes, malos operarios, cõciſionem, & fiduciam in carne habẽtes, vocauit.

At noſtra conuerſatio eſt in cœlis, vnde Saluatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum.

Antitheſis eſt, qua diſcernit inter falſos doctores & veros: inter falſos Chriſtianos & ſinceros. Illi terrena ſapiunt, terrenam tranquillitatem ſibi tanquam metam ante oculos habentes. Hi autem tametſi corporibus in terris viuunt, affectibus tamẽ in politia cœleſti verſantur, leuatis animis ad Chriſtum Dominum ſedentem ad dexteram patris, vnde & expectant ipſum Saluatorem. Etſi autem vbique eſt Ieſus Chriſtus Saluator noſter per id quod Deus eſt (vt inquit Auguſtinus) tamẽ in cœlo eſt per id quod homo, quemadmodum articulus de Aſcenſione Domini, & aduentu eiuſdem ad Iudicium aperte docet. Vult ergo Paulus, vt ſemper cordibus noſtris aſcẽdamus in cœlum, & fide contemplemur noſtrum Saluatorem Ieſum Chriſtum, ad quem animabus migrare omni hora cupiamus, exemplo Pauli dicentis, Cupio migrare & eſſe cum Chriſto.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Qui transformabit corpus noſtræ humilitatis, vt ipſum ſit conforme corpori gloriæ eius, ſecundum efficaciam, qua poteſt ipſe etiam ſibi ſubijcere omnia.

Quidnam faciet Saluator vbi aduenerit, oſtendit, Transformabit, inquit, corpus noſtræ humilitatis, id eſt, hoc noſtrum humile & vile corpus, vt ſit cōforme corpori ipſius glorioſo, idque ſecundum eam efficaciam, qua poteſt ſibi ſubijcere omnia. HIC quatuor obſeruentur. Primum, de transformatione corporum. Secundum, quod eorundem corporum quæ hic habemus, ſit futura transformatio. Tertium, de modo transformationis. Quartum, de huius transformationis cauſſa & virtute. TRANSFORMATIO conſiſtit in eo, vt corpus hoc corruptibile fiat incorruptibile: mortale, fiat immortale: infirmum, fiat ſanum, & integrum: humile & contemtibile, fiat glorioſum: animale, fiat ſpirituale, ſicut Paulus docet 1. Corinh. 15. DEINDE eorundem corporum erit transformatio, non aliorum: quemadmodum Iob teſtatur, & ſe in medijs ęrumnis, cum ipſius corpus ſcatebat vermibus, ſpe huius transformationis conſolatur. Ita enim ait: Scio quod Redemtor meus viuit, & in extremo die reſurrecturus ſum. Nam vt Chriſtus eodem corpore ſurrexit, quod habuit dum inter homines vt homo verſaretur, Ita nos ijſdem corporibus reſurgemus, vt eadem corpora, quæ hic cum Chriſto crucifixa ſunt, vna cum Chriſto in cœleſti beatitudine glorificentur. PORRO hæc transformatio huiuſmodi erit, vt corpus noſtrum reddatur σύμμορφον, id eſt, conforme glorioſo corpori Chriſti, hoc eſt, vt æquale corpus Chriſti iam eſt poſt reſurrectionem ipſius, talia quoque noſtra ſint futura in æterna vita. CÆTERVM quia ratio noſtra hoc myſterium capere nequit, videlicet, quomodo mortuorum corpora, quorum quædam igni conſumpta ſunt, alia ſubmerſa, alia à beſtijs comeſta, alia alio modo corrupta ac perdita, poſsint reſurgere, remittit nos Paulus ad potentiam Chriſti, qua poteſt ſibi omnia ſubijcere. Si enim potuit ex nihilo omnia condere, cur non ad iuſſum ipſius redirent corpora, & ſtarent coram ipſo perfecta? Huius reſurrectionis cogitatio merito nos mouere deberet, ne noſtra corpora vlla turpitudine contaminaremus, quæ olim ſi à capite noſtra ipſorum culpa non fuerint abſciſſa, tanta gloria in cœlo donabuntur, vt ſint conformia glorioſo Chriſti corpori, quæ ſane gloria nulla lingua ſatis explicari poteſt. DEINDE ex hoc loco diſcamus, in negocio ſalutis noſtram rationem ligare & captiuare, ne ſe intempeſtiue ingerat aduerſus Deum & Chriſti potentiam, qua poteſt omnia quæ vult, Vult autem omnia quæ decreuit, & verbo ſuo promiſit. Articuli enim fidei noſtræ rationis acumine nequaquam cerni poſſunt. Quare hic ſolo fidei lumine contenti eſſe debemus.

Quapropter fratres mei dilecti & exoptati, gaudium & corona mea, ſic ſtate in Domino dilecti.

Concluſio eſt generalis, cuius hic ſenſus eſt. Cū igitur ita ſe res habeat, quod vana ſit omnis carnis fiducia, quod ſola fidei iuſticia accepta ſit Deo, qua cognoſcitur Chriſtus & potētia reſurrectionis, & communio afflictionum eius, in quibus tanquam in ſtadio, donec in hac vita ſumus, & ad metam veniamus, verſari decet, hortor vos, vt relictis ſanæ doctrinæ corruptoribus, ſtetis in Domino, à quo ſolo ſalus expectanda eſt. Stare enim in Domino, eſt permanere & perſeuerare conſtanter ſine titubatione & claudicatione. In via Domini, hoc eſt, in puritate doctrinæ & morum innocentia, quam doctrina requirit. QVOD autem eos appellet Apoſtolus, Fratres dilectos, deſideratos, gaudium & coronam ſuam, ad affectum ipſius declarandum erga Philippenſes pertinet. Significat enim ſe vehementer gaudere ex eorum in pietate profectu. Cum Coronæ meminit, reſpicit ad eos, quibus in ſtadio currentibus brabium eſt propoſitum. Talis vtique affectus ſincerorum miniſtrorum verbi erga ſuos auditores eſſe debet, vt de illorum profectu in Domino veluti triumphent.

CAPVT IIII.

Summa Capitis quarti.

Vt priuatos quoſdam ad concordiam & ad opem ſibi inuicem ferendam hortatur Apoſtolus: Ita omnes monet, vt in Domino gaudeant, & abiectis curis mundanis ad preces confugiant, ſeque tanquam exemplo imitentur, Deinde liberalitatem eorum erga ſe acceptans, optat vt Deus ipſis officium rependat.

ORDO

Ordo & partes Capitis quarti.

Quemadmodum in epilogis fieri ſolet, plura hic ab Apoſtolo congeruntur, ac Primum quædam quæ priuatas perſonas concernunt, attingit. Deinde omnes compellat, ac eos gaudere in Domino, iuſſos ad modeſtiam & preces, depoſita prophana cura, vtque ſe omnis virtutis exemplar imitentur, hortatur. Ad hæc liberalitatem Philippenſium erga ſe laudat, cum ſignifiatione remunerationis ab ipſo Domino expectandæ. Poſtremo ſuo more claudit Epiſtolam ſalutationibus & fauſta imprecatione.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SEXTA PARS.

EVODIAM & Syntychen adhortor idem ſentire in Domino.

Mulieres has inſignes fuiſſe apparet, quas ſeorſim ad concordiam ſanctam hortatur, & addit concordiæ vinculum, cum inquit, in Domino. Omnis enim cõcordia extra Dominum facilime rumpitur. OBSERVA officium pij Paſtoris eſſe, non ſolum totius gregis curam habere, verum etiam ſingularum ouium ſalutem quærere. Non enim ſatisfacit officio qui publice tantum docet, hortatur, comminatur, niſi priuatim quoq; commonefaciat ſingulos, vbi & quando hoc neceſſarium animaduerterit.

Et rogo te compar germane: (ſeu ſocie ſincere) adiuua illas quæ in Euangelio mecum concertarunt, vna cum Clemente & cæteris operarijs meis.

Inſignem aliquem commilitonem alloquitur, cum quo ſe idem iugum geſtare, id eſt, idem onus ſuſtinere in negocio Euangelij fatetur. Hunc hortatur, vt iuuet honeſtas illas Matronas, quo in concordiam reducantur. Huius rei cauſſam ſubiungit, quod concertarint cum ipſo in Euangelio, illud defendendo & propagando. INSIGNIS hic locus eſt, qui docet non ſolum virorum, verumetiam mulierum eſſe, concertare pro Euangelio defendendo & propagando. SVNT qui ex hoc loco Paulum habuiſſe vxorem falſo colligunt, Ideoq; vertunt in fœminino, Compar germana, verum iſta opinio facile refellitur. Primum verba ipſa Apoſtoli in maſculino efferuntur, σύζυγε γνήσιε. At ſi obijcis, Atticiſmum eſſe, quo adiectiuum ſub maſculina terminatione vtriuſq; eſt generis maſculini & fœminini. Reſpondeo, Paulũ non Atticũ eſſe, nec ſæpe ſolere vti Atticis figuris. Deinde 1. Corinth. 7. de ſeipſo Paulus in hunc modum loquitur, Dico autem non nuptis & viduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint ſicut ego. Hic aperte fatetur Apoſtolus ſe vxorem non habuiſſe. Præterea circumſtantiæ temporis profectionis labores, carceres, flagella & vndiq; circumſtantia vitæ pericula, ſatis conuincunt Apoſtolum poſtea non duxiſſe vxorem. Vnuſquiſque enim facile videt, quod minime aptum fuerit nuptijs totum iſtud prædicationis Pauli tempus.

Quorum nomina in libro vitæ ſunt.

Liber vitæ catalogus eſt electorum, in quo omnes ſunt qui credunt, & vſque ad finem perſeuerant. Seu liber vitæ eſt propoſitum Dei & æternum conſilium in pectore Dei definitum, quo vt omnes homines credentes in hoc libro inſcripti, ita iniuſti de eodem deleti eſſe perhibentur. Hæc loquendi ratio ab humana conſuetudine deſumta eſt, qua ſignificatur certitudo ſalutis eorum qui in Chriſtum crediderint.

Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.

Generalis exhortatio eſt, ad omnes Chriſtianos promiſcue pertinẽs, qua hortatur ad gaudium ſpirituale in Domino. Opponit autẽ Apoſtolus gaudium in Domino, cum fiduciæ carnis, tum gloriationi Pſeudoapoſtolorum. Quid autem ſit in Domino gaudere patet ex ſuperioribus, videlicet, quod ſit in eo omnem ſalutis fiduciam collocare, ex eo ſolo pendere. Huius gaudij materia eſt diuina ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio, quæ in ſolo Domino noſtro

Ieſu Chriſto inueniuntur, iuxta illud: Ieſus Chriſtus eſt factus nobis à Deo ſapiētia, iuſticia, ſanctificatio, & redemtio. Quare non immerito Apoſtolus iubet, vt pij in Domino gaudeant. Iteratio facit ad exhortationis vehementiam. QVID? An non Chriſtus dicit, Beati qui lugent: Luctus & gaudiū in Chriſtianis ſimul ſunt, ſed non habent eoſdem fontes. Luctus enim ex ſenſu iudicij Dei. Gaudiū ex communicata miſericordia promanat. atq; ideo non ſimpliciter dicit, gaudete, ſed cū addito, in Domino. Qui enim in Domino per fidem manet, etiamſi caro eius premitur varijs ærumnis, vt mortificetur corpus peccati, vnde nō exiguus luctus in pijs naſcitur: tamen gaudiū ſpiritus facit, vt quæuis incommoda æquiori feramus animo. Deinde cum Dominus beatos pronunciat lugētes, hoc ipſum animi gaudium commendat. Ita enim addit in eadem concione: Exultate & gaudete, Quoniā merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Pſalmus ſecundus ad eundem modum coniungit timorē & lætitiā, cum inquit, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. quod eleganter expreſsit Apollinarius, δείδιτε, δουλοσύνης δ' κεράσατε χάρμασι δεῖμα. Vult enim Dauid timorem miſceri gaudio. vt enim timor opponendus eſt ſecuritati cōtemnentium iudicium Dei, ita fides conſolationē & gaudiū pariens, victrix erit deſperationis & dubitationis.

Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.

Alia exhortatio, nempe ad modeſtiam: quam ideo cupit notam omnibus eſſe, vt exemplo ipſorum alij ad modeſtiam & moderationem inuitentur. Eſt autem, τὸ ἐπιεικὲς virtus, quæ τὸ εἰκὸς, hoc eſt, modum & quod decet in omnibus rebus ſeruat, cum videlicet quiſpiam adeo benignis moribus ſit præditus, vt omnes facile ſibi conciliet morum probitate ac patientia iniuriæ.

Dominus prope.

Ratio proxime præcedentium exhortationum à præſentia ſeu prouidentia Dei ſumta. ac ſi diceret: veram cum gaudij tum moderationis materiam habetis, nempe præſentiam Domini, qui curam gerit pro ſuis, eſtq; paratus ſemper ad opem ferendam laborantibus & inuocantibus. Iuxta illud, Inuoca me in die tribulationis. Et, Tecum ſum in tribulatione: Debet igitur ſumma conſolatio piorum ſub cruce eſſe, quod habeant Dominum præſentem, qui nō deſtituit ſuos, ſed vel in media morte gaudio ſpirituali erigit, vt non dubitent inſultare Diabolo & omnibus eius membris. Sciunt enim crucem veluti aditum quendam eſſe ad gloriam, iuxta illud Pauli: Si cum illo patiemur, ſimul cum illo glorificabimur, Rom. 8.

Nihil ſolliciti ſitis.

Alia exhortatio eſt, ad deponendam vanam & impiā ſollicitudinem. Vt autem intelligi poſsit quęnam ſollicitudo prohibeatur, notandū eſt triplicem ſollicitudinem eſſe. Quædā enim neceſſaria eſt. Quædā prophana quæ verbo Domini prohibetur. Quædā ex vtroq; genere mixta eſt. NECESSARIA ſollicitudo eſt pars officij Chriſtiani hominis, quæ nobis & mandato Dei, & multis illuſtribus exemplis commendatur. Paulus ad Roman. 12. ait: Qui præeſt, in ſollicitudine ſcilicet præſit. 1. Timoth. 5. Si quis ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidē abnegauit, & eſt infideli deterior. Micheas dicit: Hoc requiri à Domino, vt ſollicite ambulemus coram ipſo. HANC ſanctā curam plurima nobis exempla in ſcriptura commendant, vt ſanctorū Regum, Patriarcharū, Patrum familias, Prophetarum & aliorum. Paulus 2. Corinth. 11. Item, Coloſſ. 2. 1. Theſſ. 2. ſuam pro Eccleſia ſollicitudinem teſtatur. Sic Dauid in multis Pſalmis. BREVITER, Vera pietas conſiſtere nequit, niſi hæc ſancta cura aſsit, cum in communi piorū omnium, tum in ſingularum perſonarum vocatione. Pius proinde Rex pro ſuo regno. Pius paterfamilias pro ſua domo. Pius Euāgelij Miniſter pro ſuis auditoribus, & quilibet hominū pro ſeipſo ſanctam ſollicitudinem habere debet. VT autem clarius intelligi poſsit qualiſnam hæc ſancta cura eſſe debeat, quatuor in ea conſideranda ſunt. Mandatum, Fides, Finis & Modus. MANDATVM Dei eſt, quo præcipitur hæc ſancta cura, de quo nonnulla ſupra dicta ſunt. Hoc mandatū Dei iubet, vt Deum, proximum & teipſum intueare. Vult enim Deus vt coram ſe ſollicite ambules, vult vt proximi curam ſollicite geras, vult vt tuæ ſalutis & vocationis rationem diligentem habeas. FIDES propterea requiritur, quia nihil quicquā ſine fide recte fieri aut placere poteſt. Deinde fides eſt veluti regula huius ſanctæ curæ, nam niſi ad hanc regulam moderemur curā noſtram, ſancta eſſe non poteſt. FINIS principalis debet eſſe gloria Dei, cui alij plures ſubordinati ſunt, ſtatus cuiuſq; incolumitas, cōſeruatio Oeconomiarum & Politiarum, Eccleſiæ ædificatio. Hi omnes fines gloriæ Dei deſtinentur.

ſtinentur. MODVS ſanctæ curæ hic eſſe debet, vt pius in omnibus actionibus ſe voluntati Dei ſubijciat, à quo non ſolum ſucceſſus petendus eſt: verum etiamſi parum labor noſter votis reſponderit, ipſius tamen beneplacito nos ſubmittamus. QVOD autem Deus non ſemper ſinat, vt votis noſtris omnia reſpondeant, (ſępe enim fruſtra videmur vel ſummam curam adhibere, ſæpe preces noſtræ videntur contemni) in cauſſa eſt dilectio Dei erga nos. Ea enim eſt noſtra imbecillitas, vt in rebus proſperis facile vincamur à vana gloria, partem ſaltem noſtræ proſperitatis nobiſipſis aſſcribentes, ſicut ſcribitur de Ioſia, qui cum roboratus eſſet, cor ipſius in interitum eleuatum eſt. Ezechias in afflictione iuſtus perſeuerauit, in proſperitate à vana gloria victus eſt. Epiſcopi Romani in paupertate & perſecutione ſanctiſsimi fuere, At ſucceſſores in diuitijs, ſplendore, ac proſpero rerum ſucceſſu obliti ſunt Dei, & ex paſtoribus verſi ſunt in lupos. Eccleſia ſub Tyrannis ſancta erat, Poſtea ex fauore Imperatorum facta eſt remiſsior. Quare ſingulari arte opus eſt, ne rerum proſperitate abutamur in noſtri perniciem, atque ob eam cauſſam Deus paterno conſilio & ſingulari dilectione facit, vt nos interdum aſperioribus flagellis refrenet, ne ferociores facti, iugum obœdientiæ abijciamus. Huc pertinent elegantiſsimi Poëtæ verſus:

Neſcia mens hominum fati fortiſque futuræ,
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Mala & prophana ſollicitudo quæ & Ethnica dicitur, & Matth. 13. ſuffocãs ſollicitudo, (inquit) ſeculi huius & ſeductio diuitiarum ſuffocat ſermonem, vt non ferat fructum, naſcitur ex diffidentia & ignorantia prouidẽtiæ diuinæ, & prohibetur paſsim in ſcriptura, vt Mathæi 6. Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. 1. Petri 5. Omnem curam proijcientes in illum. Hæc cura prophana in cauſſa, in fine, in modo errat. In cauſſa, quia oritur ex diffidentia. In fine, quia præſentis vitæ ſecuritatem tantum & tranquillitatem ſpectat, & alia quæ carni ſunt grata. In modo, dum iuſtum modum tranſgreditur, mundana cœleſtibus, peritura æternis, ſaluti animæ tranquillitatem corporis præponens. Non enim ſe ſubijcit voluntati Dei, ſed potius fremit aduerſus Deum, iraſcitur Deo, quando omnia ex voto non ſuccedunt. Non igitur immerito toties verbo Dei damnatur. MIXTA ſollicitudo eſt, qua curamus quidem quæ officij noſtri ſunt, ſed modum non ſeruamus. Sæpe enim propter innatam in nobis intemperantiam in officium Dei ſacrilegè irrumpimus. vt cum paterfamilias rectè quidem ſecundum mandatum Dei inſtituit familiam, liberos curat, quærit victum &c. ſed non rectè laborem & curam partitur. labor quidem cum ſancta cura in vocatione requiritur, ſed euentus Deo commendandus eſt, cauendumque ne trepidatio aut nimia anxietas ad impatientiam & prophanitatem impellat: quod quomodo vitari poſſit, mox docet Paulus cum nos ad precationem ſeriam remittit, polliceaturque pacem Dei inuocantibus. HVIVS proinde loci ſcopus eſt, vt abiecta omni vana ſollicitudine, pax nobis interne conſtet, & erga homines modeſtiores ſeu manſuetiores reddamur.

Sed in omni re per precationem & obſecrationem, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

Optimum remedium aduerſus ſollicitudinis tentationẽ præſcribit, nimirum vt in omni re, id eſt, in omni negocio, omni ſollicitudinis tentatione ad Deum noſtris petitionibus confugiamus, petendo bona, deprecando mala, gratias agendo pro collatis bonis, vt ita noſtræ poſtulationes, id eſt, deſideria ac vota innoteſcant Deo. Sic enim Deo placet cordium ſcrutatori, vt noſtra vota ipſi oratione proponamus. OBSERVEMVS itaque ſalutare aſylum eſſe in omni neceſsitate in ſolum Deum per fidem & inuocationem recumbere.

Et pax Dei exuperans omnem mentem, cuſtodiet corda veſtra, & cogitationes noſtras in Chriſto Ieſu.

Orationis exprimitur effectus, qui eſt conſeruatio cordium, id eſt, affectuum, voluntatũ & cogitationum, (id eſt, intelligentiæ) per pacem Dei exuperantem omnem mentem. EST autem pax hæc quæ alias εὐδοκία Dei dicitur, qua videlicet Deus pater complectitur credentes in dilecto, & conſeruat illorũ affectus & intelligentiam, ne à ſe deficiant, ſed in Chriſto per veram fidem permaneant. Hunc locũ diligenter obſeruet, cuicunq; pietas ſaluſq; curæ eſt. Inſidiæ Diaboli magnæ ſunt. At tu preces opponito, & eris tutus. Mũdus te premit, at tu precibus onus excute. Variæ & multiplices in Oeconomia, in Politia & Eccleſiaſtica gubernatione offerũtur offenſiones & difficultates, At tu ad Deum precibus tanquam ad tutiſsimum aſylum cõfugito, & eris tutus, vel aduerſus in-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ius inferorum portas. Huc illud Salomonis, Turris fortiſsima nomen Domini, ad hanc confugiet iuſtus & ſaluabitur.

Quod reliquum eſt fratres, quæcunque ſint vera, quæcunque honeſta, quæcunque iuſta, quæcunque pura, quæcunque amicabilia, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate.

Congeriem communium officiorum facit. Conſtructio autem hęc eſt. Quod reliquum eſt fratres, cogitate ea quæcunque ſunt vera, quæcunque honeſta &c. Requirit hic Apoſtolus duo in Chriſtianis, videlicet cogitationem & opus, hoc enim ab illa proficiſcitur. In enumeratione operum, Primo loco requirit veritatem, quæ aduerſatur omni hypocriſi & mendacio. Deinde honeſtatem, id eſt, ſanctã quandam grauitatem morum, nimirum vt morum integritas conſentiat cum doctrina & confeſsione. Tertio, iuſticiam quæ moderatur contractus, monetque, vt alijs reddamus quæcunque illis vel naturali vel ciuili obligatione debemus. Quarto, puritatem, hoc eſt, caſtitatem animi ac ſinceritatem. Quinto, amicabilitatem, qua pij ſtudent ijs rebus, quæ ad amicitiã faciunt, quantum quidem per pietatem liceat. Sexto, requirit bonum nomen, videlicet, vt pij ſint ſtudioſi integræ famæ. Septimo & octauo genera ponit loco ſpecierum, quas non omnes recenſuit, nimirum vt pij virtuti ac rebus laude dignis ſtudeant.

Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiuiſtis, & vidiſtis in me, hæc inquam facite.

Hæc verborum Synonymia ad ſtudium excitandum in Philippenſibus facit. Obſeruetur quod Paulus ſuos diſcipulos reuocet ad doctrinam & vitam ſuã, ſignificans ſe quod voce docuit, vita & moribus expreſsiſſe. debet enim Paſtoris vita doctrinæ ſpeculum eſſe.

Et Deus pacis erit vobiſcum.

Fructus innocẽtiæ & pietatis additur, nempe præſentia Dei, qui nobis pacem & omnia proſpera largitur. Et pertinet hæc adiectio ad locum facilitatis. Si enim Deus adeſt opitulator, nihil erit adeo difficile, quin per ipſum fiat facile.

SEPTIMA PARS.

Cæterũ gauiſus ſum in Domino valde, quod iam tandem reuiruiſtis in veſtra pro me cura.

Hæc pars approbatio eſt liberalitatis Philippenſium erga ſe, qui per Epaphroditum miſerant ſubſidia neceſſaria. Ac primum quidem ſignificat ſe gaudio affectum eſſe, non tam ipſo munere, quam Philippenſium erga ſe ſtudio, & ſimul excuſat eos quod antea id nõ fecerant. Deinde ſe contentum eſſe præſentibus oſtendit. Tum approbato illorum facto, collatione extollit officium Philippenſium, vt qui ſoli ſæpius ſuam erga ſe liberalitatem declararint, & vt vitet ſuſpicionem, dicit ſe non tam donum quam fructum requirere. Mox ſubiungit, quod plurimum miſſo dono ſit recreatus, ac tandẽ promiſsione & voto hanc partem claudit. PROPOSITIO huius partis eſt hæc, Gaudeo vos Philippenſes animum erga me declaraſſe veſtrum, miſſo per Epaphroditum dono. Quod autem eos dicit reuiruiſſe ſeu refloruiſſe, tacitã habet reprehenſionem ſed fraternam. Significat enim eos aliquanto tempore ſe neglexiſſe, ac quodammodo ſui oblitos fuiſſe. Metaphora admodum venuſta eſt, ſumta ab arboribus, quæ hieme quidem areſcere videntur, ſed verno rurſus tempore vigorem ſeu virorem recipiunt ad fructum edendum. Pius igitur qui ſuum nomen tueri vult, debet eſſe inſtar arboris frugiferę, quæ fructus ſuos producit tempore oportuno,

De quo tamen ſolliciti eratis, ſed deſtituebamini oportunitate.

Prolepſis eſt. Nam ex dictis poterant Philippenſes ſuſpicari, Paulum oblique ſe taxare, quod ſerius miſiſſent ſubſidia, Sed Paulus translatione vtitur, & tempori imputat dilationem.

Non ſecundum penuriam loquor.

Alia eſt prolepſis, qua anteuertit ſuſpicionem Philippenſium, ne videlicet

licet ſuſpicarentur Apoſtolum fuiſſe deiecto animo priuſquam hoc donum ab illis accepiſſet. Hoc eo tendit, vt Domino ſubijciamur cum in copia tum in inopia.

Ego enim didici, in quibus ſum, contentus eſſe.

Ratio anticipationis ab animi fortitudine, & eſt ſenſus: Didici præſentibus contentus eſſe. Exemplum ſane omnibus pijs miniſtris Euangelij, atque adeo omnibus Chriſtianis imitandum.

Noui & humilis eſſe & abundare.

Cõfirmatio eſt per diſtinctionem. Is autem nouit humilis eſſe, qui paupertate, contemtu, ærumnis preſſus non frangitur animo, ſed ſubmittit ſe voluntati Dei, & conſtanter perfert aduerſæ fortunæ ſæuitiam. Contra nouit abundare, qui in felici rerum ſucceſſu minime ſuperbit, ſed in timore Dei cum gratiarum actione præſentibus bonis vtitur, Longe maxima ars hæc eſt. quotuſquiſque non aduerſis frangitur? Quis non effertur animo, cum omnia ſibi ex ſententia eueniunt: vnde hæc ſcientia Apoſtolo? Duo ſunt huius ſcientiæ principia, videlicet viua fides, & verus timor Dei. Fides enim facit, ne in aduerſis ſuccumbamus. Timor Dei nos reprimit, ne in proſperis efferamur, vtrumq; principium inuocatione Dei fulcitur & conſeruatur.

Vbique & in omnibus inſtitutus ſum & ſaturari & eſurire, & abundare & penuriam pati.

Eandem ſententiam repetit, ſed magis eam ſpecificat. Is ſciat ſe multum in ſchola Chriſti promouiſſe, qui hoc Pauli exemplum vere imitari poteſt, ad quod non tam doctrina quam pietatis exercitijs opus eſt. SCIAMVS proinde eo cõtendendum eſſe, vt nos qui ſacris Chriſti initiati ſumus, fortiter feramus cum blandum fortunæ aſpectum, ne videlicet efferamur, tum triſtem eiuſdem vultum, ne deijciamur. Hoc ſane ſi facerent plerique miniſtri Euangelij, melius caueretur, ne inexplebiles à vulgo iudicarentur. Quare pijs miniſtris danda eſt opera, vt Pauli exemplum, quantum fieri poteſt, imitari ſtudeant, ne malicioſi homines habeant occaſionem calumniandi doctrinam Euangelij propter miniſtrorum auaritiam.

Omnia poſſum in Chriſto qui me confortat.

Anticipatio eſt, qua occurrit ijs, qui arrogantiæ Pauli tribuere potuiſſent, quod glorietur adeo de ſua fortitudine, qua poſsit & in rebus aduerſis & in rebus proſperis animum ſeruare infractum. dicit ergo non eſſe carnis & ſuæ fortitudinis proprium opus, quod poſsit æquo animo & infracto rebus aduerſis & proſperis vti: Sed Chriſti donum eſſe, qui ſe confortat. Rogandus igitur eſt idem Chriſtus, vt nos quoque ſuo confortet ſpiritu, quo valeamus ea præſtare ex gratia, quæ per naturam non poſſumus.

Cæterum bene feciſtis communicando neceſsitati meæ.

Rurſus anticipat, ne videretur cõtemſiſſe donum à Philippenſibus miſſum, & ſimul collaudat ipſorum factum. Obſerua quod Apoſtolus liberalitatẽ erga miniſtros verbi definiat eſſe opus bonum, ex quo ſequitur, eos male facere, qui nihil conferunt ad conſeruandum miniſterium.

Scitis autem & vos Philippenſes, quod initio Euangelij, cum proficiſcerer è Macedonia, quod nulla Eccleſia mihi communicauerit, in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli.

Simpliciter hactenus commendauit Philippenſium erga ſe liberalitatẽ, Nunc idem agit per comparationem exaggerandi officij gratia, Alij quibus non minus, quam vobis prædicaui Euangeliũ nihil contulerunt (En ingratitudinem) vos ſoli Philippenſes ſæpius meam neceſsitatem veſtris bonis ſubleuaſtis. Cum autẽ addit, in ratione dati & accepti, alludit ad rationes pecuniarias, vbi dati ſeu expenſi & accepti habentur tabulę ſeu codicilli. Vult igitur Apoſtolus proportionem quãdam eſſe, vt qui dedit, tantum recipiat, Qui igitur miniſtris victualia largiuntur, recipere eos ſpiritualia iuſtum eſt. Et qui verbum prædicant, dignum eſt vt iuſtũ conſequantur ſtipendium. Sed vt ante monui, ante omnia fugiẽda eſt auaritiæ ſuſpicio, quæ plurimum Euangelio Chriſti nocet, eiuſq; curſum impedit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dit. TESTIMONIA de ſtipendijs miniſtrorum Euangelij plurima in ſcripturis extant, ex quibus pauca quædam referam. Matth. 10. 1. Timoth. 5. Dignus eſt operarius mercede ſua. Non alligabis os boui trituranti. 1. Corinth. 9. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauerimus. Num magnum eſt, ſi nos veſtra carnalia meſſuerimus? Ad Galatas 6. Qui catechiſatur, cum eo qui ſe catechiſat communicet in omnibus bonis. Et Paulus rurſus: Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt, hoc eſt, victu & reuerentia.

Nam cum eſſem in Theſſalonica, ſemel & iterum quod opus erat mihi, miſiſtis.

Exponit clarius quod dixerat, addita circumſtantia temporis, ſi contuliſſent Philippenſes Paulo neceſſaria dum Philippis apud ſe ageret, laudanda fuiſſet ipſorum liberalitas. Quid iam dicendum cum liberales ſunt in abſentem & laborantem alijs?

Non quod requiram munus, ſed requiro fructum abundantem in rationem veſtram.

Valde oportuna anticipatio eſt, qua anteuertit obiectionem illorum, qui Paulum quæ ſua ſunt quærere ſiniſtre opinabantur, & qui ægre fortaſsis ferebant tantum de publico deſumi. Nam ſemper inter bonos multi ſunt admixti mali. Et ſimul oſtendit, non perire quod datur pijs miniſtris, ſed in rationem dati referri, vnde expectare poſſunt, vt non pœnitendum fructum recipiant. Vtinam hoc affectu præditi ſint omnes, ita haud dubie fieret, vt & ipſi miniſtri Euangelij minus conquererentur, & fructus laboris ad ipſos rediret vberior.

Accepi autem omnia & abundo, expletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ à vobis miſſa fuerunt.

Laudat rurſus Philippenſes ob liberalitatem ipſorum erga ſe. Et ſimul ſibi gratum fuiſſe quod miſerant, oſtendit, adeo vt nihil ſibi ad ſubſidia externa deeſſe fateatur, ac ſimul fidelitatem Epaphroditi ipſis commendat.

In odorem bonæ fragrantiæ hoſtiam acceptam, gratamque Deo.

Hæc longe maxima eſt commendatio doni miſsi à Philippenſibus, quod ipſum appellet Apoſtolus odoré bonæ fragrantiæ, hoc eſt, vt ipſe interpretatur hoſtiam acceptam & gratam Deo. Placet igitur in primis Deo liberalitas piorum erga ſcholas, doctores, diſcentes & miniſtros verbi omnes. Vnde merito ingratitudo eorum deteſtanda eſt, qui nihil peius collocatum arbitrantur, quam quod ad miniſterium Euangelij conſeruandum datur. Obſeruanda eſt hoc loco anthropopathia. Deus enim ſe huiuſmodi locutionibus ad rudis populi captum accommodat. vt enim homini bonus odor eſt gratus & fœtor diſplicet, ita obœdientia quæuis ex fide præſtita dicitur hoſtia accepta & odor ſuauitatis Deo, contra vero quicquid non eſt ex fide, fœtor eſt & diſplicet Deo. eſt igitur hæc figura metalepſis.

Deus meus implebit omnem neceſsitatem veſtram, iuxta diuitias ſuas in gloriam in Chriſto Ieſu.

Promiſsionem apponit de remuneratione liberalitatis Philippenſium erga ſe alioſque miniſtros Euangelij. Hæc promiſsio firmiſsimo fundamẽto nititur. Nam Dominus apud Matthæum capite 10. ſic inquit. Quicunq; dederit vni ex minimis his poculum aquæ frigidæ, ſolũ in nomine diſcipuli, Amen dico vobis, nequaquá perdet mercedem ſuam. Cum dicit Apoſtolus, Deus meus, duo videtur velle. Primum, quod ſoli illi de Deo vere gloriari poſsint, qui in ipſum credũnt, & iuxta ipſius voluntatem viuunt. Nec poteſt vllus eſſe tutior portus in procellis perſecutionũ, quam Deum firma fiducia ſuum ſtatuere, ac in ipſo ſolo gloriari, vnde Paulus in carcere ſummam cõſolationis materiam ſumſiſſe videtur. Alterum quod, cum ſe ſeruũ Dei facit, admoneat Philippenſes, quod quicquid in ſeſe conferunt, id in Deum conferri, cuius legatione fungitur. Implendi verbum ſignificat liberalitaté Dei, qua ipſe abunde compenſabit quicquid ſuis legatis fecerimus, idq; iuxta diuitias ſuas, id eſt, iuxta inexhauſtã bonitatem, qua liberalis eſt in omnes ſuos. In gloria, id eſt, magnifice & glorioſe, Et vt agnoſcamus fontem liberalitatis Dei erga nos, addit, In Chriſto Ieſũ, hoc ideo adiectũ eſt, ne quis ſuis meritis liberalitatem Dei erga ſe niti exiſtimet. Nam ſolus Chriſtus, vt reconciliator noſtri cum Deo eſt: Ita omnium

bonorum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

bonorum quæ à benigno Patre percepimus, fons & autor exiſtit. Cum enim in ſe noſtra opera ſint indigna, quę in conſpectum Dei prodeant, per hunc ſolum fiunt accepta hoſtia, in quo Pater nos charos habet, adeo vt propter eundem, noſtram qualemcunque obœdientiam paterno complectatur fauore.

Deo autem & Patri noſtro gloria in ſecula ſeculorum, AMEN.

Hiſce verbis claudit totam Epiſtolam, vnde colligendum quo omnia referenda ſint, nimirum ad gloriam Dei patris noſtri per Ieſum Chriſtum. Hoc Apoſtolicum exemplum & nos imitemur, ac Deo cum in aduerſis tum in proſperis agamus gratias, agnoſcamusque Chriſtum fontem eſſe omnis liberalitatis Dei erga nos.

Salutate omnem ſanctum in Chriſto Ieſu.

Epiſtolaris terminus ſeu finis eſt. Solemus enim in finibus literarũ notos ac beneuolos ſalutare. Nec hæc ſalutandi conſuetudo inutilis iudicanda eſt, quæ præterquam quod affectum ſcribentis erga abſentes amicos declarat, amicitiam prius conciliatam auget, fouetque. Præterea etiam vicem piæ precationis obtinet, quæ nequaquam irrita & inefficax iudicanda eſt. Quis ſanctus dicatur, ſæpius ſupra dictum eſt, videlicet qui fide purificatus, ac Deo dedicatus in ſanctimonia vitæ viuit. Vnde admonemur, ſi modo hunc titulum rite tueri velimus, vt perpetuæ ſanctitati ac innocentiæ ſtudeamus.

Salutant vos, qui mecum ſunt, fratres.

Commilitones ſuos intelligit, qui pro defenſione Euangelij ſecum laborauerunt, hos Fratres vocat duplici nomine, Cum quia in Chriſto ſaluatore communem Patrem Deum habent credentes, tum propter affectum quem inter ſe fraternum fouebant, qui Chriſtianum titulum vſurparunt.

Salutant vos omnes ſancti, maxime vero qui ſunt ex Cæſaris domo.

Quod inuẽti ſint Chriſtiani & ſancti in nefandiſsimi & turpiſsimi tyranni Neronis familia imprimis admirandum eſt. Solent enim vt plurimũ tyrannorum miniſtri ſuorum Dominorum mores imitari. Deinde & hoc obſeruandum, quod in aulis Principum etiam ſit locus pietati. Neq; enim illud vitæ genus per ſe cum pietate pugnat, vnde ſequitur hyperbolice dictum quod vulgo fertur,

Nulla fides, pietaſque viris qui caſtra ſequuntur.

Nam ſi in Neronis familia fuerunt ſancti viri, quod hic Paulus teſtatur, cur non multo magis in piorum regum & ſanctorum Principum aulis inuenirentur?

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum vobis omnibus, AMEN.

Vſitata eſt Paulo hæc imprecatio in omnibus ſuis Epiſtolis. Gratiæ nomine intelligit & cauſſam & effectũ. Cauſſam quidem fauorem Dei, quo Deus nos complectitur in filio. Effectum vero, quicquid ſalutare & proſperum eſt, & præcipue quod facit ad ſalutem æternam partam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Hoc Pauli exemplum & nos imitemur, precemurque omnibus fauſta, & præcipue domeſticis fidei.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ORNATISSIMO VIRO, PRVDENTIA, PIETATE ET VIRTVTE PRÆSTANTI CANVTO PETRI SVENBVRGIO, PRIMARIO REGIAE MAIESTATIS SCRIBÆ IN ARCE HAFNIENSI, PRÆFECTO TELONII IN SCANIA, AC CANONICO ROSCHILDENSI DIGNISSIMO, VETERI AMICO SVO GRATIAM ET PACEM PRECATVR

NICOLAVS HEMMINGIVS.

FERVNT XENOPHONTEM ADHVC RVDEM literarum occurriſſe Socrati ſummo Philoſopho, optimoque morum magiſtro. Hic cum videret puerum ingenuum, virtutis ſingularem indolem præ ſe ferre, interrogat ipſum hiſce verbis: Πȣ̃ καλοὶ κ᾽ ἀγαθοὶ γίγνονται ἄνθρωποι; hoc eſt, Vbi honeſti & boni fiunt homines? Cum autem Xenophon verecundus puer dubitaret, dixit Socrates: Sequere igitur me & diſce. & deinde factus eſt Xenophon diſcipulus Socratis. Hoc Socratis ſapientiſſimi factum ſatis indicat, non ſufficere naturam, vt quis bonus & honeſtus euadat, ſed requiri præterea doctrinã & aſſuefactionem. Id quod cum Lycurgus Lacedęmoniorum legislator ſuis Lacedęmonijs perſuadere vellet, duos ſibi catulos ex ijſdem procreatos parentibus educãdos ſumſit. quorum alter quidem ſibi videlicet relictus, gulæ & luxus ſtudioſus: alter vero arte venatoria inſtitutus, venationi aptus & idoneus effectus eſt. Congregatis igitur quodam tempore Lacedæmonijs: magnum, inquit Lycurgus, momentum ad virtutem obtinent, vitæ ratio, educatio, præcepta & aſſuefactiones: quam rem illico vobis palam faciam. Cum hoc dixiſſet, catulos adductos in medio poſuit. & in conſpectu eorum ollam & leporem collocauit. catulos autem cum ſoluiſſet, alter quidem generoſior diſciplina factus, celeri curſu ad leporem contendit: alter vero ignauus ſe ad ollam proripit. Cum autem Lacedæmonij conijcere nequibant, quid ſibi hoc ſpectaculo vellet Lycurgus, ac quam ob rem catulos iſtos in publico exhibuiſſet. Sunt ambo, reſpondit Lycurgus, iſti ex ijſdem parentibus orti: verum quia diuerſam nacti ſunt educationem, hic quidem guloſus, ille autem venaticus euaſit. tantum poteſt educatio. Huc facit & reſponſum Ariſtippi, qui, cum interrogaretur à quodam, quantam mercedem pro filij inſtitutione poſtularet, illeque reſpondiſſet, mille drachmas. cui ille, mille drachmis mancipium comparare poſſum. reſpondit, emito ſane, atque ita duo habebis mancipia, filium, & quem emeris ſeruum. Hoc ipſum Cratetis ſapientiſsimo teſtimonio comprobatur, qui conſcenſa vrbis editiſsima parte exclamandum cenſuit: Quo quo ferimini ciues? Num conuenit in opibus parandis maxime occupari, ac de liberis, quorum cauſſa quæruntur opes, minime eſſe ſollicitos? Credite mihi, non poteſt melior hæreditas liberis à parentibus relinqui, quam ſi bene educati, atque ad virtutem recte ab ineunte ætate ſint inſtituti. Hoc enim eis perpetuum manet patrimonium, neque à fortunæ procellis labefactari poteſt. Hæc

ſapientum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſapientum dicta & exempla de informanda ad virtutem iuuentute à primis veluti vnguiculis cõfirmat omnium temporum certiſſima teſtis experientia. Vnde manifeſtum eſt, quam bene conſulant ſuis liberis, qui magnam operam impendunt bene & cum virtute educandis liberis. & contra, quam crudeles ſint in liberos ſuos, qui eos permittunt viuere pro arbitrio. Nam quadruplici malo ſe miſere inuoluunt. Primum enim mandatum Dei, qui mandat parentibus, vt pie & honeſte ſuos liberos inſtituant, pro ludibrio habent. quo ſcelere quid quæſo poteſt eſſe grauius? Deinde liberis ipſis intolerabilem iniuriam faciunt: quibus, natura dictante, debent honeſtam & piam educationem. Tum ſibi ipſis in ſenectute moleſtias grauiſsimas accerſunt. Quid enim moleſtius eſſe poteſt? quam videre liberos ſuos male educatos ferri præcipites in omnia flagitia, conſumere parentum facultates in lupanaribus cum ſcortis, potatoribus & luſoribus? Poſtremo, ſunt etiam in rempublicam iniqui. Nam reipublicæ debent parentes ſuos liberos, quos ſi male educauerint, pernicioſos ciues relinquent reipublicæ, in multorum hominũ ruinam. Nam & exemplo euertunt multos, & ignauia ſua nihil conferunt ad incolumitatem reipublicæ. Omitto pœnas & parentum, qui negligunt ſuos liberos, & liberorum temporaneas & æternas, quas nobis contemplandas exhibebit dies iudicij, in quo fiet examen recte & male factorum.

Iam bonæ & legitimæ inſtructionis partes videamus. Docti teſtantur tria oportere concurrere ad cuiuſuis artis abſolutionem, videlicet φύσιν, λόγον & ἔθος: quæ tria ad virtutis & pietatis conſecutionem recte accommodari poſſunt. φύσις eſt natura ipſa: in qua quidem virtutum ſemina deliteſcunt, etſi magna caligine inuoluuntur in hac corruptione naturæ. λόγος, hoc eſt, ratio, eſt diſciplina diſcendiq; modus, qui præceptis & inſtitutis conſtat. ἔθος eſt ipſa aſſuefactio, ſine qua præcepta virtutum nihil aut parum efficiunt. Hæc ergo tria vt coniungantur laborandum eſt. Nam ex iſtis tribus conſummatio virtutis perfectioque cõſtat. quorum ſi vnum abfuerit, virtus vt claudicet mancaque ſit, neceſſario ſequitur. Eſt enim φύσις, ſi diſciplina & ſtudium non accedat, cœcum quiddam, quemadmodum & λόγος ſine naturę adminiculo, per ſe minime ſufficit, atque ἔθος ſine ambobus imperfectum quid. Perinde igitur ſe res habet, vt in agricolatione, in qua omnium primum ſolum bonum expetitur, tum agricola peritus, poſtea ſemen idoneum & minime fatuum. Solo perſimilis eſt natura hominis ſeu ingeniũ. Agricolæ præceptor reſpondet. Præceptiones ſeminis rationem habent. Sicut ergo ſolum per ſe bonũ, neglectum corrumpitur & ſterileſcit, & contra plus æquo aſperum & horridum, ſi excolatur, emendatur & fertile efficitur: Ita natura bona, ſi non accedit bona inſtitutio, corrumpitur & paulatim fit deterior, mala vero per diſciplinã corrigitur, & quotidianis exercitijs melior euadit. Vt ergo naturæ præſtantiam corrumpit ſocordia: ita ſtupiditatem & vitia emendat & corrigit inſtitutio & diſciplina. Hanc ob cauſſam verbum Dei toties inculcat diſciplinæ encomia. Salomon ait: Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Tene diſciplinam, & ne dimittas eam, cuſtodi eam, quia ipſa eſt mater tua. Qui cuſtodierit diſciplinam, inueniet vitam.

Hæc diſciplina in inſtructione & correctione poſita eſt. Inſtructio præceptis & regulis continetur, quarum menſura eſt recta ratio, vox Dei aliaque ſapientum dicta, quæ cum recta ratione & voce Dei congruunt, qualia ſunt dicta ſeptem Sapientum, & gnomæ multorum Poëtarum latinorum & græcorum, quorum lectio mirabiliter facit ad rectam inſtitutionem. Correctione emendantur errata incidentia in moribus. Hæc fit vel verborum caſtigatione, vel pœna: vt prudens morum magiſter iudicauerit. Porrò, inſtru-

ctio hæc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ctio hæc duplex eſt, vna interna, altera externa. vtraq; ab altera quodam modo dependet. Recte enim formatum animum mores externi honeſti comitantur: & honeſtis moribus reſpōdet animus virtute excultus. Prior illa mentem virtutum & pietatis præceptis informat, affectus frenat, cupiditates caſtigat, idque meditatione legis diuinæ, inuocatione Dei, & alijs pijs exercitijs. Ex quo facile intelligi poteſt, quod interna hæc diſciplina fons & mater ſit omnis felicitatis. Poſterior cernitur in verbis, geſtibus, veſtibus, factis, adeoque in externa conuerſatione, quæ ad regulas & præcepta virtutum componitur. Vtraq; hæc diſciplina & inſtructio coniuncta facit, vt homo ſit εἰλικρινὴς κ' ἀπρόσκοπος in diem Chriſti. Ita enim Paulus ait Philip. 1. Oro vt caritas veſtra adhuc magis magiſque abundet in cognitione & pleno ſenſu, vt iudicetis ac probetis præſtantiora, vt ſitis εἰλικρινεῖς κ' ἀπρόσκοποι ad diem vſque Ieſu Chriſti. Hic pulcre coniungit Apoſtolus cognitionem, quæ præceptis paratur, & ſenſum, hoc eſt, cognitionis effectum, cum interiorem videlicet animi rectitudinem, vnde homines efficiūtur εἰλικρινεῖς, tum exteriorem, quo homines euadunt ἀπρόσκοποι, vt inoffenſus ſit curſus illorum in tota vita, cum videlicet appareant, vt idem Apoſtolus in eodem loco ſubiungit, pleni fructibus iuſticiæ, qui fiunt per Ieſum Chriſtum, ad gloriam & laudem Dei.

Hæc de educatione & diſciplina iuuentutis ad te ſcribo, vir ornatiſsime ac collega cariſſime, vt cum cogites ſerio quanti momenti res ſit, pia & ſancta educatio puerorum, quam grata ſit Deo, quamq; dulces fructus proferat, in tuo ſanctiſſimo propoſito confirmeris magis.

Neque te abſterrere debebit à ſanctiſſimo propoſito, quod nuper filiola tua dulciſsima Margareta, annos plus minus quatuordecim nata, hanc vitam ærumnoſam meliori commutarit. Debet enim tibi maximum ſolatium eſſe, quod pie educata & recte inſtituta, ſit ab hiſce ærumnis euocata ad cœtū multarum caſtiſſimarum virginum, quæ dulciſſimo conſpectu ſponſi Chriſti lætæ aſfruuntur. Tu igitur perge præclare, vt cœpiſti, ad pietatem & honeſtatem conſuefacere quos habes adhuc ſuperſtites liberos. Laudandum eſt profecto filium tuum, qui nullis ſumtibus parcis in rectores morum & ſtudiorum tuorum liberorum, quos non ſolum domi pie, verum etiam foris apud homines pios & probos curas ad virtutem & pietatem inſtitui, recte perpendens illud Platonis, quod parentes ideo generent & inſtituant liberos, vt in ſuum locum Deo relinquant in hac vita cultores, vbi ipſi morte vitam commutauerint. Quod ſane fieri non poteſt, niſi diligens & pia fuerit liberorum educatio, in admonitione & correptione Domini, vt Paulus loquitur. Quæ admonitio optime petitur à theſauris ſapientiæ & cognitionis, quos affirmat Paulus in Chriſto abſconditos eſſe, in hac Epiſtola ad Coloſſenſes ſcripta. In quam ideo ſub tuo nomine has annotationes in lucē edo, vt aliquod teſtimonium mei erga te amoris extet, qui olim συμφοιτηταὶ eramus, ſub optimo morum magiſtro M. Nicolao Blach, moderatore ſcholæ Roſchildenſis fideliſſimo, quem nunc multi dolent amiſſum. Rogo autem vt hanc qualemcunque teſtificationem animi mei erga te boni conſulas. Vale cum honeſtiſsima vxore tua Anna, & cum liberis, quos ſicut cœpiſti pie, ita pergito ad virtutem & pietatem educare. Hafniæ primo Auguſti, anno Domini 1566.

ARGV-

ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM PAVLI
AD COLOSSENSES.

OCCASIO HVIVS EPISTOLÆ AD COLOSSENSES SCRIPTÆ duplex fuiſſe Paulo videtur. Prior. Epaphras miniſter Euangelij apud Coloſſenſes, poſtquam Euangelium Chriſti ſincere docuiſſet Coloſsis, profectus eſt Romam, gratia colloquendi cum Paulo iam incarcerato: qui cum cognouiſſet ſtatum Eccleſiæ Coloſſenſis ab Epaphra, videlicet, quod in vera Chriſti doctrina eſſet inſtituta, vt doctor, ac debitor gentium, eis, etſi antea à ſe non viſis aut à ſe doctis, ſcribit tamen Apoſtolico affectu, vt doctrinam, quam ex Epaphra didicerant, firmam, veram ac minime adulterinam eſſe ipſis perſuadeant. Poſterior, cum Epaphras in ſana doctrina fundaſſet vtcunque Eccleſiam Coloſſenſium, ſubintrarunt (vt fit) Pſeudoapoſtoli, qui in agrum Domini, iuxta parabolam Euangelicam, iacere zizania tentabant, inani Philoſophia, ritibus Moſaicis, ſuperſtitione hominum, cultu angelorum &c. turbantes Eccleſiam. (& hæc videtur præcipua cauſſa, cur Epaphras ſe Romam contulerit ad Paulum.) His igitur ne locum dent Coloſſenſes, grauiter contra Pſeudoapoſtolos diſputat Paulus, ac conuincit ceremonias Moſaicas abolitas eſſe, ac omnem ἐθελοθρησκείαν vanam oſtendit. Conſilium itaque Pauli in hac Epiſtola apparet eſſe, vt confirmet Euangelicam doctrinam, quam acceperant per Epaphram, ac impediat Pſeudoapoſtolorum conatus, qui verum Euangelium Chriſti, traditionibus Moſaicis ac humanis corrumpere ſtuduerunt. Sed parum profuiſſe hanc Pauli catecheſin, pœna, quam poſtea luerunt Coloſſenſes, declarat. Nam tempore Neronis, non multo poſtquam hanc Epiſtolam Paulus ſcripſiſſet, tres vicinæ ciuitates Aſiæ, Coloſſæ, Laodicea & Hierapolis, terræmotu (vt teſtes ſunt Horoſius & Euſebius) conciderunt & abſorptæ ſunt. Horrendum ſane iudicij Dei in ingratos teſtimonium. Quæ res merito nos admonere deberet, quibus hodie affulſit ex gratia Dei lux verbi cœleſtis, ne noſtra ingratitudine & Euangelij contemtu accerſamus & nobis & alijs luctuoſum exitium. Deus enim, quo clariorem ſuæ lucis ſplendorem præbet mortalibus, eo atrocioribus ſupplicijs in contumaces animaduertit, iuxta Domini noſtri dictum: Seruus ſciens voluntatem domini & non faciens, vapulabit plagis multis.

Expergiſcamur igitur admoniti hoc horrendo iudicij Dei exemplo, ac Deo pro accenſa ſua luce gratias agamus, honeſte, pie ac iuſte viuendo, cauentes ne rurſus impoſturis Papiſticis, aut alijs phanaticis opinionibus inuoluamur. PORRO, præter inſcriptionem & valedictionem, quatuor huius Epiſtolæ partes ſtatui poſſunt. Harum prima eſt exordium ipſum. Altera, expoſitio continens deſcriptionem Chriſti Domini, ac commemorationem beneficiorum ipſius. Tertia, eſt diſputatio contra ritus Moſaicos, traditiones humanas. Breuiter, contra omnia ſomnia humana & excogitatos præter & contra verbum Dei cultus. Poſtrema pars eſt parænetica, quæ ad mores hortatur Euangelio dignos. TRACTATIONIS ordo in hac Epiſtola hic eſt. Orditur ſuo more ab Epigrapha & fauſta imprecatione. Deinde ſubiungit primam Epiſtolæ partem, nimirum exordium gratulatorium, in quo, vt gratias agit Deo pro fructu Euangelij apud Coloſſenſes: ita orat vt iſta felicitas ſit diuturna futura. Ab exordio dilabitur molliſsime in ſecundam partem, hoc eſt, in expoſitionem omnium longe pulcerrimam, in qua ſummam Euangelij repetens, docet de beneficijs, potentia, natura & victima Chriſti, in quo ſolo omnem ſalutis fiduciam collocandam eſſe demonſtrat. Hanc doctrinam Coloſſenſibus ſalutarem fore monet, modo in fide perſtiterint. Hinc dilabitur in commendationem ſui miniſterij & dignitatis Euangelij, admonens eo pertinere Euangelium, vt omnis homo reddatur perfectus in Chriſto Ieſu. Hoc fundamento iacto, ac ita confirmata doctrina Epaphræ Apoſtoli Coloſſenſium, accedit commode ad tertiam partem, additque quod ex dictis neceſſario ſequitur, cauendum eſſe ab omni fallacia Pſeudoapoſtolorum, & hortatur, ne fallaci Philoſophia & aptis ad perſuadendum orationibus ſinant ſe à

veritate

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

veritate abduci: Sed vt maneant in ſolo Chriſto, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi, nihil morantes ἐθελοθρησκείας hominum, ſuperſtitiones Iudaicas, aut vllas humanas traditiones. Huc iam Apoſtolico more attexit paræneſes (atque hæc quarta pars eſt Epiſtolæ) cum generales, quas ad Chriſtianam vitam in vniuerſum recte inſtituendam iudicauit neceſſarias, tum ſpeciales, quibus parentibus, liberis, vxoribus, dominis, ſeruis ſua propria officia præſcribuntur. vnde rurſus redit ad communia officia commendanda. Poſtremo, ſuo more ſalutationibus & fauſta imprecatione claudit Epiſtolam. Atque hæc de occaſione & conſilio Pauli, de partibus huius Epiſtolæ, & de tractationis ordine ſint dicta.

CAPVT I.

Summa Capitis Primi.

Gratijs actis Deo ob participationem Coloſſenſium in Euangelio, Chriſti naturam, potentiam & beneficia deſcribit: quorum omnium Coloſſenſes participes eſſe factos pronunciat per prædicationem Euangelij: cuius ſe miniſtrum agnoſcit, in hunc finem, vt ſiſtat omnem hominem perfectum in Chriſto.

Ordo & partes Capitis Primi.

Tres ſunt partes huius capitis præcipuæ, PRIMA *eſt gratulatoria ob Euangelij fructum in Coloſſenſibus.* SECVNDA *eſt exegetica. Exponit enim, quæ ſit Chriſti natura, potentia & beneficia.* TERTIA *eſt accommodatio beneficiorum Chriſti ad Philippenſes, per prædicationem Euangelij.*

EXEGESIS CAPITIS PRIMI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei, & Timotheus frater, ijs, qui ſunt Coloſſis, ſanctis & fidelibus fratribus in Chriſto.

Epigrapha more vſitato nominat eum, qui ſcribit, & eos, quibus ſcribitur hæc Epiſtola. De eo, qui ſcribit, quatuor memorat. Primum, quis ſcribat, nempe Paulus. Deinde, quæ conditio ſcribentis, nimirum quod ſit Apoſtolus Ieſu Chriſti: vnde quicquid ſcribit, tanquam oraculum Dei accipiendum eſt. Tertio addit quomodo ad hanc dignitatem, hoc eſt, Apoſtolatum peruenerit, videlicet, per voluntatem Dei, qui eum ſegregauit ad munus Apoſtolicum. Quarto, adiungit ſibi Timotheum, quem fratrem, cum propter religionem communem, tum propter fraternum erga ipſum animum appellat. Deinde Coloſſenſes quibus ſcribit, nominat, eoſque ornat triplici titulo. Vocat enim ipſos ſanctos, fideles, ac fratres in Chriſto: vt oſtendat extra Chriſtum nullam eſſe ſanctitatem, nullam ſalutem, nullam fidem, nullam denique veram fraternitatem. Sanctitatis nomen admonebit nos ſtudij ſanctimoniæ vitæ, ac cultus vnius æterni Dei. Fides eſt inſtrumentum, per quod ſanctitatis Chriſti reddimur participes: vnde in alios homines ſequitur fraternus animus & affectus, qui vbi non eſt, ibi nec fides eſt. vbi hæc deeſt, nihil niſi prophana fœditas, contaminatio & abominabilis impuritas reliqua eſt. Plura de epigraphis Paulinis dicta ſunt in enarratione Epiſtolæ ad Romanos.

Gratia vobis & pax à Deo patre & Domino IESV CHRISTO.

Summam ſuę legationis ſeu Euangelij ſemper in ſalutationibus ſuis proponit Paulus, vt eos, ad quos ſcribit, excitet ad amorem Euangelij. GRATIA fauorem Dei ſignificat, & quicquid Deus nobis ex iſto fauore largitur. PAX autem omnia ſalutaria & proſpera, quę nobis bonitate Dei contingunt, notat. Hanc gratiam & pacem optat à Deo patre, & filio ipſius Ieſu Chriſto, vt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſto, vt ſciamus nos non noſtris meritis eam conſequi, ſed à patre cœleſti nobis donari propter Chriſtum. Admonet præterea hæc ſalutandi forma Coloſſenſes fidei. Nam fide accipitur, poſsidetur ac retinetur hæc gratia & pax.

PRIMA EPISTOLAE PARS.

EXORDIVM.

Gratias agimus Deo & patri Domini noſtri IESV CHRISTI.

Propoſitio gratulatoria. Solet enim Paulus loco gratulationis gratiarum actione vti, qua re duo docet. PRIMVM, quod omne bonum opus à Deo ſit. Deinde, quod quotieſcunq; incidimus in mentionem donorum Dei, erumpere oporteat in laudes Dei & gratiarum actionem. Deo & patri, hoc eſt, Deo, qui eſt pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vt enim olim patres inuocauerunt Deum Abraham, Iſaac & Iacob, qui eduxit populum de terra Ægypti: Ita poſt exhibitum Chriſtum Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti inuocandus eſt, eiq; gratię agendę. Nam quicunq; Deum inuocat, non nominato filio Dei ex vera fide, dupliciter impingit. Primum enim cum Turcis, Iudæis & Ethnicis à vero Deo aberrat. Deinde, fruſtra preces fundit. Quicquid petieritis (inquit filius) à patre in nomine meo, id eſt, me nominato mediatore, dabit vobis. Fruſtra ergo petit, qui vel alium quam ſolum Chriſtum nominat, vel ipſum Chriſtum à precibus ſuis excludit.

Semper pro vobis orantes.

Id eſt, quotieſcunq; pro vobis oro. Obſerua ſemper coniungendas eſſe exemplo Pauli gratiarum actionem & precationem. Debet enim gratiarum actio aditus quidam eſſe ad orationem. Exemplum ſequamur & nos, gratias quidem agentes Deo, pro Euangelij incremento & fructu, precantes vero, vt hoc bonum ſit diuturnum.

Poſtquam audiuimus fidem veſtram, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & dilectionem, quæ eſt in omnes ſanctos.

Quid gratuletur Coloſſenſibus, nominat, nimirum fidem in Chriſtum, & caritatē erga ſanctos. Hic primum obſerua, recte ad duo capita reuocari Chriſtianæ religionis ſummam: nimirum ad fidem (quæ in ſe continet verum timorem Dei) & caritatem, quæ ex fide proficiſcitur. Quanquam autem omnes homines caritate complecti oportet: Tamen in primo gradu diligendi ſunt ſancti, qui nobiſcum vnum Deum colunt, ac eandem hæreditatis gloriam expectant. Deinde, obſerua ordinē verborum Pauli. Priori enim loco fidem ponit poſteriori caritatem, qua re indicat, à fide incoandum eſſe, ſine qua nulla caritas ſincera eſſe poteſt. Neq; enim poteſt arbor mala niſi fructus malos proferre. Præterea obſerua proprium obiectum fidei eſſe Ieſum Chriſtum, ex cuius ſpiritu vim viuificam concipit ad edendos fructus filijs Dei dignos.

Propter ſpem repoſitam vobis in cœlis.

Fidei & caritatis incitamentū ponit. Gloria enim cœleſtis, quam ſpiritu ex fide expectamus, nos ad perſeuerandum conſtanter in fide & dilectione incitat. Metonymice ponitur hic ſpes pro re ſperata, quæ in theſauris cœleſtibus repoſita eſt, qua tempore oportuno fruemur. Vbi ergo nulla apparent fidei indicia, vbi nulla charitatis teſtimonia extant, ibi neq; ſpem vllam eſſe cœleſtis hæreditatis, ex hoc loco Pauli concluditur. Papiſtæ hic contra ἀναλογίαν fidei impingunt, dum inſulſe ex hoc loco colligunt operum merita. Non enim hic de merito bonorū operum loquitur Apoſtolus, ſed tantū τὸ προηγμένον, id eſt, cauſſam incitantem ad fidem & dilectionem ponit. Poteſt etiam ita conſtrui, Poſtquam audiuimus fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem erga omnes ſanctos, gratias agimus Deo propter ſpem repoſitam vobis in cœlis, id eſt, propter gloriam immortalitatis, quam eſtis adepturi, atq; hæc poſterior interpretatio Athanaſij eſt.

De qua audiuiſtis prius, per ſermonem veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos.

Quia extra captum humanum poſitum eſt, quicquid pij ſperant, ideo addit cauſſam inſtrumentalem, qua illa nobis ſpes allata eſt, nimirū prædicationē Euangelij, quam per excellentiā ſermonem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

veritatis nominat, vt Coloſſenſes perſtent conſtantes in Euangelio, quod didicerant.

Quemadmodum & in toto mundo etiam fructificat & creſcit: ſicut & in vobis, ex eo die, quo audiſtis & cognouiſtis gratiam Dei in veritate.

Aliorum exemplo eos animat ad perſtandum in doctrina, & ſimul eos laudat, quod non fruſtra Euãgelium audierint, ſed cum fructu & quotidiano incremento. Hic duo obſeruemus. Primum, quodnã ſit obiectum Euangelij, nimirum, gratia Dei, id eſt, fauor, quo genus humanũ complectitur pater cœleſtis propter filium. Hac igitur differentia à doctrina Legis ſeparatur Euangeliũ. Lex enim iram Dei: Euangeliũ gratiam prædicat. Deinde obſeruemus gradus, quos hic Paulus ponit, qui ſunt prædicare, audire, cognoſcere, creſcere & fructificare. Ideo enim prædicatur vt audiatur, ideo auditur vt cognoſcatur, ideo cognoſcitur vt creſcat & fructificet. Non debet ergo Euangeliũ nobis eſſe veluti theorematum ſpeculabilium κατάληψις quædam, ſeu noticia ocioſa, ſed cognitũ fructificare debet, coram Deo quidem vero cultu & timore, coram hominibus vero dilectione ſincera. Qui enim Euangeliũ audiunt, legunt, cognoſcũt ſine fructu, id eſt, ſine timore Dei & dilectione, ſibi maius iudiciũ accerſunt. Imitemur itaque nos Coloſſenſium exemplũ, ac ne ſinamus nos optimo fructu tam incomparabilis theſauri diſtitui, ſed potius abũdemus indies magis magiſq; in omni cognitione & ſenſu. Cũ addit: A quo die audiuiſtis, laudat Coloſſenſes à ſtudio, vt excitet ad diligentiam maiorem. Porrò, quod veterem interpretem ſecutus, fructificat & creſcit, coniunxi, ideo feci, quia in peruetuſtis exemplaribus additur vox αὐξανόμενον, quam creſcens, interpretari licet.

Quemadmodum & didiciſtis ab Epaphra, dilecto conſeruo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti.

Nunc Apoſtolum Coloſſenſium nominat, quem commendat, breuiter quidem ſi verba ſpectes, copioſiſſime vero, ſi quid ſub iſtis paucis verbis lateat, euoluas. Primum enim vocat ipſum dilectum conſeruum, quo titulo ſignificat, eum non eſſe vnũ aliquem ex turba eorum, qui tum temporis quauis occaſione currebant & prædicabant, Sed eximium quendam conſeruum & commilitonem, eumq; dilectũ, vt qui vera animi ſinceritate & caritate ſecum in propagando Euangelio laboret. Deinde vocat ipſum fidelẽ pro ipſis miniſtrũ Chriſti. Hoc enim, vt alibi dicit, in miniſtris requiritur, vt fidelis aliquis inueniatur. Non enim ſatis eſt miniſtrũ eſſe, niſi rectũ & fidele ſit miniſterium. Nec ſufficit, ſi quis paſtor vocetur, niſi fideliter in officio ſe gerat, qui vocatus eſt, neq; quicunq; vera docet, protinus eſt fidelis, ſed qui Domino ſeruire, Chriſtiq; regnũ promouere pia doctrina ac honeſta vita ex animo ſtudet. Vt enim vitã ornare docendo: ſic doctrinã ornare viuendo decet. Hic locus aperte militat contra Pſeudoapoſtolos Papæ, qui ſatis eſſe putant titulũ habere, & ſucceſsionis prærogatiuam. Cum interim parum ſolliciti ſint de fide in officio præſtanda. Deinde & illos (qui tamen de ſincero Euangelio gloriantur) coarguit, qui aliud propoſitũ habent, quam Chriſti gloriam & Eccleſiæ ædificationẽ. Non enim pauci ſunt, qui redituũ maiorem, quam animarũ curam gerunt. Sint igitur miniſtri Euangelij huius Epaphræ imitatores, ac ſe fideles in ſancto ſuo miniſterio præbeant.

Qui & ſignificauit nobis veſtram dilectionem in ſpiritu.

His fauorem & gratiam Epaphræ conciliat apud Coloſſenſes. Solemus enim eos magis amplecti, quos ſcim' erga nos ſincere affectos eſſe, ac de nobis abſentibus honeſte loqui. Dilectionem in ſpiritu vocat eam, quę per ſpiritum generatur in hominibus fidelibus, ſeu quę proficiſcitur à corde ſpiritu Dei reformato. Eſt enim hoc diſcrimen inter ſanctorum & non regeneratorum dilectionem. Sanctotum dilectio proficiſcitur (vt dixi) à corde ſpiritu renouato, quo purificantur affectus. Ideoq; hæc dilectio eſt pura & ſancta, etiamſi non ſit perfecta. Aeſtimatur enim à ſua cauſſa & ſubiecto. Non regeneratorum dilectio ex carne eſt, quæ eſt impura & contaminata. Ideo quicquid ab ea naſcitur, impurũ eſt & cõtaminatum. Et tametſi στοργαὶ φυσικαὶ etiam in Ethnicis ſunt per ſe laudabiles: tamen carnis vicioſitate contaminantur, & impuræ redduntur, cum contra virtute ſpiritus Chriſti in pijs ſanctificantur.

Propterea & nos, ex quo die audiuimus, non deſinimus pro vobis orare & pete

Quantum gauiſus ſit Coloſſenſium profectu in Euangelio, certiſsimo

re, vt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

re, vt impleamini agnitione eius.

indicio oſtendit. Nimirum, quod aſſiduis precibus oret, vt Deum plenius cognoſcant. Cum hac cognitione creſcit fides & pietas. Id quod declarat, cum finem addit, nimirum, vt digne Domino ambulent.

In omni ſapiẽtia & prudentia ſpirituali.

In qua re conſiſtat cognitio voluntatis Dei docet, nimirum vt recte mẽtes inſtructæ ſint in Dei cognitione, & poſtea prudenter exequamur ea, quæ docti ſumus. Sapientia enim ad noticiam, Prudentia ad actionem ſeu πρᾶξιν refertur. Non enim ſatis eſt ſeruum nouiſſe voluntatem heri ſui, niſi etiam iuxta voluntatem eius faciat. Non ergo ocioſam contemplationem rerum profitetur Theologia, ſed efficacem noticiam voluntatis Dei requirit, vt mente, corde, lingua, adeoq; totis viribus incumbamus in hoc, vt iuxta verbum cognitum viuamus, vnde ſcriptum eſt: Per hoc ſcimus, quod agnouimus eum, ſi iuſſa illius obſeruamus, qui dicit, Noui eum, & præcepta eius non ſeruat, mendax eſt. Dicuntur autem Iohanni ſeruare mandata Dei: qui pro humanæ fragilitatis captu, vitam ſuam ſtudent formare ad obſequium Dei. Tametſi enim non poteſt quiſquam mortalium ad plenum ſeruare mandata Dei: tamen hoc principium firmiter tenendum eſt, quod vera cognitio Dei ſit efficax, placeatq; Deo conatus noſter, qui ex cognitione hac proficiſcitur. Porrò, grammatica hic obſeruanda eſt, cum dicit: In omni ſapientia. Omnis enim particula hoc loco, vt ſæpe alias, non vniuerſalitatem generis alicuius, ſed rei cui adiungitur, perfectionem ſignificat. Sic 1. Corinth. 13. accipitur, Si habuero omnem fidem, id eſt, conſummatiſsimam fidem edendi miracula.

Vt digne ambuletis Domino, vt per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in cognitione Dei.

Multis verbis vtitur, quo magis ſtudium in Coloſſenſibus excitet. Ambulare digne Domino, placere Domino, in omni bono opere fructificare, creſcere in agnitione Dei. Hæc omnia neceſſario cohærent, vt proprij effectus veræ cognitionis Dei. Qui enim voluntatem Dei doctus eſt, in omni ſapientia & prudentia ſpirituali, is digne Domino ambulare ſtudet: (ambulat autem digne Domino, qui ipſius voluntati ſtudet per omnia ſatisfacere) Qui ambulat digne Domino, is haud dubie Domino placet: Qui Domino placet, ſuo opere fructificat magis: Qui fructificat, is hunc fructum reportat, quod creſcat in cognitione Dei magis, donetur ſpirituali robore, tolerantia, patientia, gaudio, ideo ſequitur:

Omni robore roborati, iuxta potentiam gloriæ ipſius, in omni tolerantia & patientia cum gaudio.

Quia vires noſtræ adeo diminutæ ſunt & debilitatæ, vt nobis relicti nihil dignum Domino faciamus, nec poſsimus fructificare, niſi quæ ſunt mortis. Fructus enim radicẽ ſapit. Ideo nunc addit de facultate fructificãdi, quæ nobis ſuppeditatur à Domino, qui ſecundũ glorioſam ſuam potentiam nos robuſtos & validos reddit, ad ea præſtanda, quæ & ipſi grata ſunt & nobis ſalutaria, ad omnem tolerantiã & patientiam cum gaudio. Tolerantia eſt, qua ferunt pij præſentes ærumnas. Patientia eſt, qua patienter expectant liberationem. Μακροθυμία enim ad verbũ longanimitas eſt. Cum gaudio, ſcilicet ſpirituali, quod concipitur ex fiducia in Chriſtum, & ex ſpe liberationis. Huc pertinet promiſsio Domini Matth. 5. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſticiã, quoniam ipſorum eſt regnũ cœlorum. Qui igitur patitur, etſi gemit ſub cruce, tamen gaudet intuens liberationem promiſſam, & eſt beatus propter euentum. PORRO, hæc periocha graphice depingit, qualenam debeat eſſe piorum ſtudium, nimirum vt ex verbo diſcãt voluntatem Dei, petant robur præſtandi ea, quę imperantur, ac ita fructificent, creſcantq;, donec ſuum curſum abſoluerint, & ad metam peruenerint.

SECVNDA EPISTOLAE PARS.

VT ſibi viam ſternat Apoſtolus ad ſequentem catagraphen, redit ad gratiarũ actionem. Nam hac ratione dilabitur in ſecundã Epiſtolæ partem, quam exegeticam eſſe dixi. Continet autem plenam deſcriptionem Chriſti, & commemorationem beneficiorũ ipſius, vt ita non ſolum confirmet doctrinã Epaphræ parochi Coloſſenſium, verum etiam plenam Ca-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

techeſin tradat de Chriſto eiuſq; beneficijs, aduerſus omnes corruptelas Iudaicas & alias, quæ tum contra perſonam, tùm contra officium Chriſti eo tempore ſpargebantur ad obruendam lucem Euangelij. Porrò, huius deſcriptionis hic eſt ordo. Primum gratiam patris cœleſtis erga nos deſcribit. Deinde beneficia Chriſti commemorat, deſcribitq; Chriſti perſonam. Tum accommodat ad ὑπόθεσιν Chriſti beneficia cōmunicata Coloſſenſibus, oſtendendo ea ad omnes, qui Chriſtū fide recipiunt, pertinere. Venit enim Chriſtus ad ſeruandum, quod perierat. Hinc dilabitur in cōmendationem miniſterij verbi, per quod illa beneficia nobis offeruntur.

Gratias agentes Deo & patri.

Ita habent emendatiora exemplaria græca. Quoties has duas voces cōiungit ſcriptura, ex priore, nēpe Dei appellatione, diſcamus maieſtatē Dei intueri, eius præſentiam & omnipotentiā cogitare, vnde in cordibus noſtris timor Dei cōcipiendus eſt, ne tantam maieſtatem offendamus: Ex poſteriori, nēpe patris appellatiōe, diſcamus affectū Dei paternum erga nos, vnde in mentem primum nobis veniat, quod per vnigenitum Dei filium in hunc dignitatis gradum ſimus euecti, quod Deum habeamus patrem, ac ipſius cenſeamur filij. Deinde ex hoc paterno affectu accendatur in cordibus noſtris vera erga clementiſsimum patrem fiducia. Sic enim decet, vt noticiæ reſpondeat affectus & actio: vnde fit, vt doctrina non ſit ocioſa contemplatio, ſed corda penetret, ibiq; varios motus pro doctrinæ diuerſitate excitet.

Qui idoneos nos reddidit, in partem ſortis ſanctorum in lumine.

Cauſſa gratiarum actionis eſt à beneficijs patris cœleſtis, qui nos reddidit idoneos ad participandam ſanctorum hæreditatem in lumine, id eſt, in regno Chriſti. Hic primum obſerua, quod noſtræ ſalutis principium ſit paterna patris cœleſtis gratia. Deinde, quod ex nobis ipſis minime ſumus idonei ad tantam & tam glorioſam hæreditatis participationem, qui natura ſumus filij iræ, & in tenebrarum regno propter peccatum conſtituti. Humiliemur igitur ac ſeponamus omnem arrogantiam, proſtrati nudi coram patre cœleſti, & certa fiducia expectantes à Deo, quod adeo paterne promittit.

Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.

Expoſitio eſt præcedentis ſententiæ. Apertius enim & clarius, quomodo nos Deus idoneos reddiderit, vt eſſemus conſortes ſanctorum in lumine exponit. Obſerua ἀντίθεσιν duorum regnorum, quorum ALTERVM eſt tenebrarum, id eſt, ignorantiæ Dei, luctus, exitij, perditionis, cuius princeps eſt Satan, in quod regnū propter peccatum totus mundus demerſus eſt. Hoc regnū, vt vitijs munitur, ambitur flagitijs, turres habet crimina & arma quarumcūq; turpitudinum molimina: Ita ipſius poteſtas in mortem damnationemq; eorum qui ſub Satana principe militant, tendit. ALTERVM regnum eſt regnum lucis, id eſt, noticiæ Dei, gaudij, liberationis & ſalutis, cuius princeps eſt Chriſtus, in quod regnū ex ſola Dei gratia trāsferimur. Atq; ideo addit Paulus, in regnum filij dilectionis ſuæ. In Chriſto enim filio vnigenito & coæterno, caros nos habet, in hoc elegit, in hoc vocauit, credentes adoptauit & iuſtificauit, in ſui nominis gloriā. PORRO cum dicit: Filij dilectionis ſuæ, plus credo Paulum voluiſſe inſinuare, quam ſi dixiſſet, filij dilecti. Nam & filium de ſubſtantia patris, & eundem cauſſam eſſe, cur Deus nos diligat, hoc Epitheto haud dubie ſignificat. Nos enim ſumus dilecti in ipſo. ipſe vero patris dilectio eſt, vt vnigenitus filius, de ſubſtantia patris ab æterno natus.

In quo habemus redemtionem, per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum.

Modus translationis noſtri in regnum Chriſti exprimitur. Autor eſt filius Dei Ieſus Chriſtus patri obtemperans. Meritū eſt ſanguis Chriſti, hoc eſt, hoſtia propiciatoria, qua omnia peccata mundi expiantur, iuxta illud: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item, Sanguis Chriſti emundat nos ab omni ἀνομίᾳ. Cum hoc precio pugnat vniuerſa doctrina Papæ, de ſatisfactionibus, meritis & indulgentijs &c. Redemtio huius ſatisfactoriæ hoſtiæ & fructus, eſt remiſsio peccatorum, hoc eſt, abſolutio ſeu iuſtificatio à peccatis, quam oportet fide accipere. Hic rurſus ruit, quicquid homines de ſalute conſequenda comminiſcuntur, extra Chriſtum. Ad huius loci vberiorē declarationem referatur tertium caput ad Romanos, ab hoc loco, Nunc autem ſine lege iuſticia Dei &c. vſque ad finem capitis.

Qui eſt imago Dei inuiſibilis.

Summam beneficiorũ Chriſti proxime præcedente ſentẽtia complexus eſt, iam perſonæ deſcriptionem iuſtam aggreditur, ac Primum oſtendit, quæ ſit natura filij Dei. Deinde, quanta potentia ſit ipſius. Tertio, quale ſit regnum eius peculiare. Vt autem naturam filij Dei oſtendat, vocat eum imaginem Dei, idq; non ſimpliciter, ſed Dei inuiſibilis. Hoc vt dextre intelligamus, ordine hæc excutienda ſunt. Primum, quid ſit imago in genere. Deinde, quid, quotuplexq; ſit imago Dei. Tum, quomodo Chriſtus ſit imago Dei, & quomodo in Chriſto imagine Dei, Deus inuiſibilis, reddatur quodãmodo viſibilis. Poſtremo, quid fides cum doctrinæ tum cõſolationis & exhortationis hinc capiat. IMAGO quid ſit, non eſt obſcurum. Eſt enim rei alicuius expreſsio ſeu repræſentatio, idq; cũ in anima hominis, tũ extra animã. Cum enim mẽs humana cogitat aliquid, imaginẽ quandam rei veluti pingit & delineat, vt quoties cogitat aliquis hominẽ notũ abſentem, mente quaſi delineat corporis figurã, quam intuetur de abſente cogitans. Ad eundem modum pictor manu exprimit delineamẽta corporis, cuius imaginẽ pingit, vt abſentis formã, quantum fieri poteſt, referat & repræſentet picta imago. Hanc eſſe propriã ſignificationem imaginis manifeſtũ eſt. quam appellationem verbum Dei accõmodat filio Dei, vt aliquo modo vmbras quaſdã tenues tantæ rei conſideremus, ac vocat imaginẽ Dei, quæ ipſum Deum repræſentat & refert. Sed hęc duplex eſt naturalis nimirũ, & gratuita. Naturalis Dei imago in ſolo Chriſto eſt, & eſt duplex. Eſſentialis, et per gloriam virtutis. Eſſentialis eſt eiuſdem eſſentiæ cum patre, coæterna & coęqualis. Vt enim in nobis cogitatio format imagines rerũ, de quibus cogitamus: Ita pater æternus ſeſe ab æterno intuens & cogitans, gignit imaginem ſui. Sed nos non transfundimus ſubſtantiam in imagines illas in mente formatas, quæ re ipſa ſunt ſubitæ & euaneſcentes actiones. At pater æternus ab æterno gignit imaginẽ, communicata ipſi eſſentia. Hanc eſſentialem Dei imaginem, hoc eſt, Chriſtum dominũ, Epiſtola ad Hebræos vocat characterem ſubſtantiæ patris, hoc eſt, imaginem ſubſtantialem, qua filius eſt ὁμοούσιος cum perſona patris. vocatur & λόγος eadem ratione. Vt enim in nobis imago concepta eſt λόγος, id eſt, verbũ mentale: ita filius Dei λόγος eſt æterni patris, ineffabili ratione communicata eſſentia ab æterno. Imago Dei per gloriam virtutis (quam Epiſtola ad Hebræos ἀπαύγασμα gloriæ vocat) eſt, quæ refulget in Chriſto per operum diuinorum virtutẽ, in qua & patris cœleſtis potentia glorioſa, & voluntas paterna conſpicitur. Ita enim ſe totũ in Chriſto patefecit Deus, vt in ipſo immenſam ſuam bonitatem, ſapientiam, virtutem ac φιλανθρωπίαν erga genus humanum, in ſolidũ declarauerit. De hac imagine loquitur Dominus Iohan. 14. Philippe, qui videt me, videt & patrem. Et quoniam virtutis ſimilitudo (vt inquit Hilarius) nõ poteſt eſſe diſsimilis naturę, recte ex virtutis ſimilitudine eſſentię ſimilitudo cõcluditur. Virtus enim Chriſti pręſentis diuinitatis viſibilis eſt imago, qua Deus nobis, per ſe inuiſibilis, quodammodo redditur viſibilis. Nec poteſt hæc virtutis gloria Prophetis aut Apoſtolis tribui, qui diuina opera ediderunt. Non enim propria, ſed Chriſti virtute & inuocatione id fecerunt, ad confirmandã Chriſti gloriam. Atq; ita Chriſtus eſt imago ęterna æterni patris, primũ per eſſentiam, deinde per virtutis gloriam. PORRO, imago Dei per gratiã ea eſt, ſecundum quam primus homo factus & formatus fuit, iuxta illud Geneſ. 1. Faciamus hominẽ in imagine noſtra, & ſecundũ ſimilitudinẽ noſtram. Hæc imago per lapſum Adæ abolita eſt, & à Chriſto rurſus per regenerationis gratiã reparatur. Quare ex reparatione iudicandum eſt, quid qualiſq; fuerit illa imago. Paulus ad Epheſ. 4. in hunc modũ ſcribit: Deponite iuxta priorem conuerſationem veterẽ hominem, qui corrumpitur iuxta cõcupiſcentias erroris. Renouamini vero ſpiritu mẽtis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſticia & ſanctitate veritatis. Et ad Coloſſ. 3. Exuentes veterem hominẽ cum actibus ſuis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitione Dei, ſecundũ imaginem eius, qui creauit illum. Ex his duobus Pauli teſtimonijs perſpicue intelligi poteſt, quid qualiſque ſit imago illa, iuxta quam conditus fuit primus homo, quæ eadem reparatur in homine per Chriſtum. Primum itaq; hic conſideretur ἀντίθεσις noui & veteris hominis. Deinde quid ſingulis tribuatur, ex quibus clara concluditur imaginis definitio. Vetus homo extra dubium eſt vicioſitas omnis, quæ irrepſit in hominẽ per lapſum Adæ. Nouus homo eſt, qui per regenerationis gratiam naſcitur. Veteri homini tribuuntur error, concupiſcentia, prauæ actiones. Nouo tribuuntur agnitio Dei, mentis renouatio, ſanctitas, iuſticia &c. Cũ ergo nouus homo ab imagine Dei dicatur, & nouus homo ſit, qui ex regenerationis gratia naſcitur: ſequitur imaginis huius reparationẽ eſſe ſpiritualẽ regenerationem, qua mens agnoſcit Deum, voluntas Deo obtẽperat, & affectus omnes Deo in obſequiũ addicuntur. Proinde imago Dei eſt ſumma integritas mentis agnoſcentis Deum, cordis obœdientis Deo, & affectuum Deo ſubiectorum. Aut (ſi placet)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cet) breuius,in hunc modū: Imago Dei eſt vera mētis lux ſeu noticia de Deo, voluntatis & cordis conuerſio ad Deum, ac libertas voluntatis, qua Deo libere obtemperamus. Et debet hæc imago dupliciter conſiderari. Primum in Chriſto homine, idq; κατ' ἐξοχὴν, & eſt ſumma integritas mentis,cordis, affectuum, atq; adeo omniū virium in Chriſto homine, qua Deo cōformis eſt. Deinde in alijs hominib. cōſideratur imago Dei, quæ in regeneratis quidem fit indies illuſtrior, poſt vero reſurrectionem perficietur,quando non ſolum mente,corde & affectibus,verū etiam corporibus Chriſto conformes erimus,quemadmodum Paulus 1. Corinth.15. & ad Philip.3.docet. Porrò,quod Paulus 1. Corinth.11.virum imaginem & gloriam Dei dicat, id alio fit ſenſu. Non enim pertinet ad ſanctitatē & puritatem cordis,ſed ad externam ordinationē Dei, qua vir mulierem antecellit, In qua re gloria ſeu imago Dei quodammodo conſpicitur,quemadmodum in omni principatu. IAM doctrinæ colligantur neceſſariæ,cum ad nos cōfirmandos,tum ad confutandos aduerſarios. Primum igitur ex eo,quod Chriſtus dicatur imago Dei,qui eſt inuiſibilis,colligantur duę doctrinæ. Prior,quod Chriſtus ſit natura Deus. Eſt enim naturalis & ſubſtantialis imago Dei. Deinde,quod Chriſtus ſit alia à perſona à Deo patre. Neq; enim ipſe ſibi (inquit Hilarius) imago eſt quiſquam,ſed eum,cuius imago eſt,neceſſe eſt vt imago demonſtret. Imago etenim eſt rei ad rē coæquandæ imaginata & indiſcreta ſimilitudo. Eſt ergo pater,eſt & filius, quia imago patris eſt filius. Et qui imago eſt, vt vere imago ſit, ſpeciē neceſſe eſt & naturam & eſſentiam,ſecundum quod imago eſt,in ſe habeat autoris. Hæc Hilarius. Præterea, vt hic locus cōfirmat articulum noſtræ fidei de filio Dei: Ita refutat Arianos & alios hæreticos,qui de Chriſti natura & perſona peruerſe docuerunt. Conſolatur & pios hic locus,fiduciam in ipſis auget,quod vere ſint recepturi amiſſam per peccatum imaginem Dei. Monetq; vt indies ſtudeamus, quo hæc imago magis magiſq; in nobis refulgeat, quod fit quando innocentiæ,iuſticiæ,ſanctitati,reliquiſq; virtutibus Chriſtum induti,ſtudebimus.

Primogenitus omnis creaturæ.

Vt natiuitatem Chriſti æternam à creaturæ factura ſecernat, ante omnem creaturā eum genitū teſtatur. Dicitur enim primogenitus omnis creaturæ, quia ante omnē creaturā genitus. Vnde intelligitur & æterna eius à patre genitura,& quod minime inter creaturas ſit numerãdus, ex quo eius vera diuinitas cōcluditur. Quicquid enim rerū exiſtit, vel in creaturis ponendū eſt, vel extra omnē creaturam. Si eſt extra creaturam omnem, fuiſſe neceſſe eſt ante omnem creaturam,quod ſoli æterno Deo conuenit,qui eſt pater,& λόγος & Spiritus ſanctus. Quare,cum filius Dei hic primogenitus omnis creaturę dicatur, Sequitur eū minime in creaturarū album cogendū eſſe, vt qui veluti primogenitus: ita & vnigenitus ſit filius Dei,ſolus ab eſſentia patris ab æterno genitus. Hic igitur obſeruemus diſcrimen inter Chriſtum & creaturas. Item inter Chriſtum filiū Dei vnigenitum, & alios non natura, ſed adoptione filios,qui naſcuntur quidem à Deo,nō tamen à ſubſtantia Dei,ſed per regenerationis gratiá,cum in Deum credunt,Iohan.1. Dedit poteſtatem vt filij Dei fierent qui credunt in nomen eius. Hi ergo incipiunt eſſe filij,qui antea non erant. Ille primogenitus ac vnigenitus Dei filius ab æterno eſt æternus filius per naturam.

Quoniam in ipſo creata ſunt omnia.

Ratio proxime præcedentis propoſitionis ab ordine cauſſarum & effectuum. Omnia per ipſum creata ſunt. Ergo ipſe eſt ante omnia. Neq; enim fieri poteſt, vt cauſſa ſuus effectus ſit prior. Præpoſito ἐν, hic pro διὰ ponitur, mox enim eandem ſententiam repetens δι᾽ αὐτοῦ dicit, vt ad cauſſam efficientem referatur ſeu medium, per quod omnes res ſunt conditæ.

Quæ in cœlis & quæ in terra.

Amplificat rationem diuiſione generis, quæ diuiſio ab applicitis ſeu locis rerum creaturarum ſumta eſt. Nam cœlum & terra receptacula ſunt creaturarum.

Viſibilia & inuiſibilia.

Subdiuiſio à rerū qualitate. Quicquid rerum eſt cum viſibilium, tum inuiſibilium in cœlis & in terra, per Chriſtum conditum eſſe.

Siue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates.

Omiſſa priori rerum, nempe viſibilium ſpecie, alteram, quæ eſt rerum inuiſibilium ſubdiuidit, ne quis exi-

meret

meret angelos, aut alias creaturas eximias Dei inuiſibiles. Ponit autem hic quatuor voces, quarum Primum ſignificata aſsignabo. Deinde, quid Paulus ex his concludi velit, oſtendā. Θρόνος proprie ſignificat ſellā ſeu ſedile, deinde κατ' ἐξοχὴν ſolium iudiciariū, ſeu palatium regale, vnde metonymice ipſam regiam dignitatē ſignificat. Pſal. 44. Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi. Interdum per thronos, maieſtatis diuinæ nuncios, nimirum, angelos intelligunt, quemadmodum hunc præſentem locum veteres interpretantur. Reliquæ tres voces ſunt, dominationes, principatus, poteſtates, quarū Prima ſignificatur relatio ſuperiorum ad inferiores, qua domini ſubditis dominātur & imperant. Altera ſignificatur principatus ipſe ſeu eminentiæ dignitas. Tertia, ius imperij notatur. His appellationibus non diſtinguuntur angelorum ordines, ſed potētia & gloria Dei indicatur, qui per angelos agit. Hi ideo poteſtates, dominationes & principatus dicuntur, quia exercent poteſtatem ſibi à Deo datam per Chriſtum, per quem creati ſunt. Sed quo hæc ſpectant? Paulus hac diſtributione omnes creaturas in ordinem cogit, & ſubijcit ei, per quem omnes creaturæ ſunt conditæ, idq; vt emineat diuina Chriſti gloria, qui eſt primogenitus omnis creaturæ.

Omnia per ipſum & in ipſum creata ſunt, & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſiſtunt.

Poſt diſtributionem, ad genus addito vniuerſali ſigno, redit, ne quis vllam creaturam ab imperio Chriſti exciperet, & ſimul eſt congeries attributorum quorundam, quibus diuinitas & gloria Chriſti aſſeritur, & quatuor Chriſti tribuuntur. Primum, quod omnia ſunt per ipſum: vnde ipſius diuina potentia aſtruitur. Deinde, quod omnia ſunt in ipſum, id eſt, in ipſius gloriam & laudem, ſeu in eum finem, vt ipſum glorificent & celebrent: vnde & gloria Chriſti diuina, & finis rerum conditarum concluditur. Tertio, quod ſit ante omnia: vnde rurſus æterna eius diuinitas colligitur. Quarto, quod omnia in ipſo conſiſtant: vnde ipſius æterna prouidentia, qua omnes res, quaſq; in ſuo ſtatu conſeruat, commendatur. Hęc omnia iudicium noſtrum de filio Dei formare, ac fiduciam in ipſum alere debent, vt cogitemus nos ortum noſtrū per Chriſtum habere, & eo conditos eſſe, vt ipſe à nobis glorificetur. Hunc noſtræ conditionis finem Diabolus impedire conatus, hominem in peccatum pertraxit, vnde rurſus liberamur credentes per eundem, per quem primum creati ſumus. Quare, Chriſto non ſolum primam creationem, verum etiam παλιγγενεσίαν, qua efficimur filij Dei, debemus.

Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.

Oſtendit, quæ ſit natura filij Dei, quanta potentia & gloria, nunc quale ſit eius regnū peculiare in Eccleſia, declarat. Ac primum vocat ipſum caput corporis Eccleſiæ, qua appellatione quatuor nobis expēdenda inſinuantur. Primū, qualiſnā ſit myſtica illa coniunctio Chriſti cum Eccleſia. Secundum, quanta Eccleſiæ beneficia à Chriſto capite conferantur. Tertium, imperium Chriſti in Eccleſia. Quartum, qualiſnam ſit vnio membrorum, ſeu quomodo in corpus Eccleſiæ reponamur, coaleſcamus ac creſcamus. QVANTVM quidem ad primum attinet, hoc tenendum eſt. Quemadmodum caput naturale certis iuncturis, cum ſuo corpore coniungitur, Ita Chriſtus Deus & homo, arcano quodā vinculo, corpori ſuo myſtico, quod eſt Eccleſia, iunctus eſt. Vnde fides geminum fructum percipit. Nam inde & affectum Chriſti erga Eccleſiam diſcit. Quemadmodum enim caput corpori prouidet: Ita Chriſtus ſui corporis curam gerit, & conſolationem ſub cruce petit. Vt enim ipſe ab omnibus calamitatibusglorioſe liberatus eſt: Ita & nos aliquando cum capite liberamur & glorificabimur. Neque enim fieri poteſt, vt caput glorificatum, ſua membra in perpetuis ærumnis relinquat. QVANTA igitur ſint beneficia, quę Chriſtus ſuæ Eccleſię prębſtat, quodāmodo hic ſimilitudine, quamuis implicita, inſinuatur. Vt enim corpus omnem ſuam vitam ac vigorem ducit à capite: Ita Eccleſia ſalutē omnem ac vigorem & vitam capiti Chriſto acceptam ferat, neceſſe eſt. Seu quemadmodū ſpiritus per neruos à cerebro ipſo deſcendens, ſenſum omnib. mēbris alioqui inefficacibus, pro cuiuſq; proportione communicat: ſic Chriſtus nos ſua mēbra alioqui mortua, ſuo ſpiritu viuificat, vt iam viui facti fructus ſpiritus edere valeamus. Hinc vt fides ſalutē omnem ac vitam in ſolo Chriſto reſidere: Ita in ſolum illum omnem fiduciam collocare diſcit. IMPERIVM Chriſti in Eccleſia eſt veluti capitis in corpus. In Eccleſia enim ſeu in regno ſpirituali præſidet hic monarcha Ieſus Chriſtus, qui ſolus in regno ſuo αὐτοκράτωρ eſt. Ex quo fides non ſolū colligit falli omnes, qui Eccleſiæ aliud eſſe caput quam Ieſum Chriſtum ſentiunt, verum etiā moneri, vt ſubijciat ſe huic Monarchæ, eiq; ſeruiat in iuſticia & ſanctitate omnib. diebus vitæ ſuæ. CORPORIS igitur metaphora ſignificatur, qualisnam ſit vnio Eccleſiæ, & quo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

modo in corpus Eccleſiæ aptemur, coaleſcamus & creſcamus. Hanc vnionem, hanc mutuam connexionem & incrementum Paulus ad Epheſ.4. his verbis deſcribit: Adoleſcamus in eum per omnia, qui eſt caput, nempe Chriſtus, ex quo totum corpus compoſitũ & compactum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundũ efficaciam in menſurã vniuſcuiuſq; partis, incrementum corporis facit, in ædificationem ſui in caritate. Hic Paulus vocat Eccleſiam corpus, non quoduis, ſed compoſitum, ſeu vt ſignificantius Apoſtolus loquitur, συναρμολογόμενον, hoc eſt, ita conſtructum, vt apta proportione membra ſibi mutuo cohæreant, cõcinneq; reſpondeant. Significatur igitur hac voce membrorum inter ſe relatio quædam, & proportio debita in corpore Chriſti, hoc eſt, Eccleſia. Deinde, idem corpus cõpactum eſſe dicit, græce συμβιβαζόμενον, id eſt, ita connexum, vt apte capiti ſubijciatur per iuncturam ſubminiſtrationis, hoc eſt, per iuncturas, quibus mediantibus, vnũ membrum alteri communicat & ſubminiſtrat vitalem ſpiritum, qui à capite per omnia membra corporis beneficio iuncturarũ (quibus membra cohærent) diffunditur, idq; efficaciter pro modo cuiuſq; membri. Vt enim alia membra plus quam alia de ſpiritu ex capite deſcendente percipiunt: Sic membra myſtici corporis Chriſti, ex ſpiritu Chriſti percipiunt, prout ſingulis commodum eſt & vtile ad totius corporis incrementum. Quod quidem corpus tum creſcere dicitur, cum in noticia Chriſti & pietatis exercitijs maiora incremẽta ſumunt ſinguli Chriſtiani. Ex his iam patere exiſtimo, quantam doctrinã contineat in ſe breuis hæc Pauli propoſitio: Chriſtus eſt caput corporis Eccleſiæ. vnde in genere cõfirmatur articulus fidei noſtræ de Eccleſia, Et admonemur, vt Chriſto capiti adhæreamus, ac mutuis dilectionis officijs inter nos coaleſcamus.

Ipſe eſt principium, primogenitus ex mortuis.

Hanc propoſitionem in hunc modum reſoluit Athanaſius: Principium reſurrectionis eſt ille, quia primus omniũ reſurrexit, & quia dolores mortis diſſoluit, merito primogenitus dicitur. Vocabulum ἀρχὴ poteſt accipi pro primitijs, vt ſit alluſio ad frugum primitias, quæ Domino offerebantur in veteri teſtamento. Ac tunc poteſt reſolui propoſitio in hunc ſenſum: vt manipulo aliquo primitiarum oblato, reliquę meſſi benedicebatur: ita vno Domino reſurgente tanquam patri cœleſti oblato, vis viuifica reſurrectionis Chriſti ad nos omnes diffunditur. Vt veluti is nunc reſurrexit: ita & nos ſuo tempore reſurgamus. Duabus igitur de cauſſis dicitur principium, ſeu primitiæ, ſeu primogenitus mortuorum. Primum, quia ipſe primus reſurrexit, non amplius moriturus. Deinde, quia virtus noſtræ reſurrectionis in Chriſti reſurrectione includitur. Vnde firma eſt conſequentia Pauli 1.Corinth.15. Si Chriſtus reſurrexit, mortuorum erit reſurrectio. Eſt enim ipſe mortuorum primitiæ. Hinc Primum diſcamus, quod quemadmodũ Chriſtus eſt creator rerum omnium: ita quoq; reparator eſt generis humani. Deinde confirmetur hinc articulus reſurrectionis mortuorum, de qua dum cogitamus, reſpicere oportet ad verbum promiſsionis de reſurrectione, ad potentiam Dei ad primitias reſurrectionis, in quib. primitijs & noſtra reſurrectio ſanctificata eſt. Horum primum fidem reſurrectionis docet: Medium cœcæ rationis abſurda argumenta euertit. Poſtremum demonſtratio euidens eſt promiſſæ reſurrectionis & exemplum. Præterea ſit hic locus auxiliare pharmacum contra omnes ærumnas præſentis vitæ, quod fit dum recte meditamur hanc ſalutarem reſurrectionem, per totam vitam noſtram, reſurgendo quidem à peccato, viuendo vero in nouitate vitæ, & anhelando ad immortalitatis gloriam. Eſt enim ſpiritualis regeneratio, meditatio futuræ reſurrectionis & æternæ beatitudinis credentium, quæ reſurrectionem ſequetur. Contra moneantur impœnitentes de æternis upplicijs, quæ ſine fine luent, niſi hic per pœnitentiam ad Deum fuerint conuerſi.

Vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens.

Quo pertineant ea, quæ dixerat, oſtendit, & colligit Chriſtum, dominum & principem eſſe vniuerſorum, vt qui ante omnia natus ex Deo, cuncta creauerit, qui accepta carne, de virgine natus ſit, deinde & mortuus, vt Eccleſiæ caput eſſet, qui reſurrexit, vt quæ primum creauerat, iterum recrearet & reformaret, vt ſemper ſit in omnibus primus ac princeps agnoſcendus & colendus. In Chriſti igitur honorem ſacrilege perrumpunt, qui creaturis hanc Chriſti gloriam tribuunt.

Quoniam in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare.

Ratio primatus Chriſti in Eccleſia. Placuit Deo patri omnem plenitudinem, id eſt, ipſum fontem omnium bonorum,

bonorum,ſapientiæ,iuſticię,ſanctitatis & ſalutis habitare in Chriſto.Igitur iure primatum in Eccleſia ſibi vendicat.Hæc confirmant doctrinam Eccleſiæ contra iuſticiarios,qui aliunde petunt iuſticiam & ſalutem,quam ex plenitudine hac,quæ in Chriſto inhabitat.Nam ſi omnis plenitudo habitat in filio,vt omnes ex eo ſumamus,ſequitur non ſolum ipſum vnicum ſalutis autorem in ſe credentium eſſe, verum etiam quod gloriæ & honori Chriſti detrahant, quotquot aliunde vel minimam ſalutis particulam quærendam docent. Si enim vlla bonorũ aut ſalutis pars eſſet extra Chriſtum quærenda,perperam Paulus omnem plenitudinem Chriſto tribuendam prædicaret. Quare,in hunc ſolum firma fiducia recumbamus,& hauriamus omnia bona ab hoc omnis bonitatis fonte.

Et per ipſum omnia reconciliare ſibi.

Quid fructus ex plenitudine omnium bonorum in Chriſto habitante ad Eccleſiam perueniat, hac propoſitione docet. Plenitudo enim illa eo pertinet, vt per Chriſtum pater cœleſtis offenſus, reconcilietur cum homine. Eſt ergo hic honos reconciliationis ſoli Chriſto tribuendus. Quare errant omnes,qui Deum placari putant alia quauis re,quam per vnicum filium.

Pacificans per ſanguinem crucis eius per ipſum.

Modum recõciliationis exprimit. Per ſanguinem crucis, ipſam Chriſti victimam & obœdientiam intelligit, quæ eſt λύτρον & preciũ redemtionis ſeu reconciliationis noſtri cum Deo.Hinc canunt Angeli nato Chriſto. GLORIA in excelſis Deo, in terra Pax. Hæc pax eſt mutuus conſenſus Dei & hominis:Dei quidem,remittentis offenſam,propter victimam et interpellationem mediatoris Ieſu Chriſti:Hominis vero accipientis fide oblatam remiſsionem offenſæ. Vnde ad Deum acceſſum nactus homo,huius pacis fructum expectat vitam æternam.

Siue quæ in terra, ſiue quæ in cœlis ſunt.

Quouſq; ſe pacificatio per Chriſtũ facta extendat,diſtributione hac indicat, nimirum quod ad homines & angelos pertineat,ſed diuerſimode. Vt enim angelos mutationi & defectioni obnoxios confirmat,quo perpetuum ſuum ſtatum extra defectionis periculum retineant:Ita homines cum à perditione commerita liberantur, tum beatitudine æterna donantur, vt ita in cœlis & terra firma ſtet pax & concordia,per Chriſtum pacificatorem,parta.

Et vos,qui aliquando eratis abalienati & inimici ſenſu in operibus malis,nunc reconciliauit,in corpore carnis ſuæ per mortem.

Accommodat doctrinam generalem ad ὑπόθεσιν.Ipſis enim Coloſſenſibus applicat beneficia Chriſti, quæ recenſuit. Et vt diligentius perpendant Coloſſenſes quanta bona per Chriſtum conſecuti ſint,collationem duplicis ſtatus ſeu conditionis eorum adhibet. Ante quidem pacificationem peractam per Chriſtum,ſibiq; per prædicationem communicatam, fuerunt vt reliqui,abalienati & inimici Dei, idque ſenſu ſeu cogitatione & voluntate, id quod ſatis ipſorum praua opera docebant,quæ non niſi ex prauo ſenſu & voluntate à Deo auerſa proficiſci potuerũt. Pacificatione vero facta,ac communicata ipſis per Euangelium, reconciliati ſunt, hoc eſt, ad Deum conuerſi, atque adeo ipſius amici facti ſunt, per corpus Chriſti humanum in mortem traditum,ad expianda hominum peccata. SINE itaq; Chriſti victima abalienati ſunt homines à Deo, eiuſq; inimici cenſentur.Contra vero per victimam Chriſti, dum in ipſum creditur,amici imo filij Dei efficiuntur homines. Admoneat igitur hic locus nos cum noſtræ miſeriæ, tum felicitatis. Miſeriæ quidem,dum extra Chriſtum erramus,hoſtes & inimici Dei,deſtinati pœnis æternis.Felicitatis vero, dum Chriſtum reconciliatorem firma fide apprehendimus,per quem æternæ beatitudinis efficimur conſortes.

Vt exhiberet vos ſanctos & immaculatos & irreprehenſibiles coram ſe.

Ad quid reconciliemur Deo per Chriſtum docet,nimirum vt ſiſtamur coram Deo ſancti, immaculati & irreprehenſibiles. Quibus verbis breuiſsime deſcribit, qualiſnam Chriſtiana vita eſſe debeat, Primum requiritur ſanctitas, qua Deo approbamur, dum purificati fide Deo verũ cultum præſtamus, relictis Ethnicis & prophanis erroribus.Deinde,vt ſimus ἄμωμοι,id eſt,immaculati,dũ videlicet bonam conſcientiam apud nos ipſos retinemus,exuto corpore peccati.

Tum,

Tum,vt ſimus irreprehenſibiles,græce ἀνέγκλητοι, id eſt, tales in quos nemo iure vllum crimen poſsit impingere,ſeu qui nihil admiſerunt,cuius ob cauſſam in ius vocari debeãt.Has tres vitæ Chriſtianæ partes ad Titum 2. Modeſtiæ,iuſticię & pietatis appellationib.intelligit. Hinc primũ diſcamus,cum reconciliationis beneficio coniunctam eſſe gratiá regenerationis ſpiritualis. Nam vt Chriſtus eſt nobis à Deo natus iuſticia:ita etiam ſanctificatio, quæ in vitæ nouitate relucet. Non igitur cõſequimur remiſsionem peccatorũ,vt poſtea veluti laxatis frenis ruamus præcipites in quæuis flagitia, ſed ſimul donamur Spiritu ſancto, per quẽ regeneramur indies magis magiſq;.Proinde hęc duo obſeruemus. Vnum,quod ſine reconciliatione nemo ad innocentiã peruenire vere poſsit.Alterum, quod vitæ nouitas ſeu regeneratio,vt perpetuo cum recõciliatione coniuncta eſt:ita firmiſsimum reconciliationis factę indiciũ exiſtit. Vbi enim iuxta carnem viuitur,ibi ſpiritus dominium nullũ eſt.

Siquidem permanetis in fide fundati & firmi, & non dimouemini à ſpe Euangelij, quod audiſtis, & quod prædicatum eſt apud vniuerſam creaturam,quæ ſub cœlo eſt, cuius factus ſum ego Paulus miniſter.

Quomodo rata ſit futura reconciliatio, & quomodo ſanctitati & innocentiæ ſtudere poſsint Coloſſenſes, his verbis docetur. Requiritur enim ad vtrumq; fidei ſtabilitas & perſeuerantia in doctrina Euangelij , vnde ſpes ſalutis concipitur. Obſeruãdum hic Primum,quod vt fidem facit inſtrumentum,quo reconciliatio recipitur & poſsidetur: ita eandem omnis ſanctitatis& innocentiæ fundamentũ conſtituit,cum qua fide coniuncta eſt ſpes Euangelij, id eſt, ſpes ſalutis, quam Euangelium prædicat. Deinde obſeruetur cõtra Stoicas imaginationes de prædeſtinatione,quod in fide fundati & iuſtificati poſsint relabi in priſtinã impietatem,& ita ſalute excidere,Roman.11. Vnde monemur, vt qui primitias fidei percepimus,ſtrenue pergamus,ac vſque ad finem conſtanter adhæreamus doctrinæ Euangelij, vnde fides, operante Spiritu ſancto, concipitur, alitur & augetur,modo ipſi maligne non reſiſtamus ſpiritui Dei. Præterea dum inquit: Quod prædicatum eſt apud omnem creaturam, illud Euãgelium commendat,quod ab Epaphra acceperant, ad quod prędicandum ipſi Chriſti Apoſtoli in vniuerſum orbem miſsi ſunt,cuius miniſtrũ ipſe Paulus ſe eſſe fatetur. Quod eo pertinet, vt Coloſſenſes permaneant in accepta per Epaphram doctrina,nec ſinant ſe Pſeudoapoſtolorum impoſturis à vero Euangelio abduci, tanquam aliud Paulus cæteriq; Apoſtoli, aliud Epaphras docuiſſet.Eſt enim valde vtile audire diuerſarum Eccleſiarum miniſtros in doctrina conſentire. Non enim parum confirmat Eccleſias videre conſenſum docentium.

Nunc gaudeo in paſsionibus meis pro vobis.

Prolepſi quadam anticipat obiectionem , quæ ex cruce Pauli extrui poterat, ad extenuandam miniſterij ipſius autoritatẽ.Solent enim homines res ex præſenti euentu æſtimare. Dicit igitur ſe gaudere in paſsionibus, quas perfert pro Coloſſenſibus erudiendis, fouendis ac confirmandis in ſana doctrina. Quod quidem exemplum miniſtris verbi duo commendat. Vnum, vt nullum periculum detrectent ſubire pro ædificanda Eccleſia. Alterum, vt gaudeant cõtra carnis ſenſum,quoties crucem Euangelij promouendi gratia ferre coguntur.

Et adimpleo ea, quæ deſunt afflictionibus Chriſti,in carne mea.

Ratio eſt propoſitionis à paſsionis ſuæ communione. Se enim conformem ac ſocium Chriſti,dum patitur, ſtatuit,quæ ſane maxima eſt gloria. Quare merito gaudet Paulus, quod ꝑ ſuas afflictiones reddatur conformis imaginis filij Dei.Diſcant hinc primum miniſtri verbi,deinde omnes pij,ſummam gloriam apud Deum reputari, ſi quis pro Euangelio ac pietate patiatur. Hoc enim pacto conformes imaginis filij Dei efficiuntur.Quod ſane certum argumentũ eſt,fore,vt aliquando cum Chriſto percipiant læta, qui hic vt membra ipſius patiuntur aduerſa. Porrò,ne contra ἀναλογίαν fidei, cum Sophiſtis hic impingamus,cauendũ eſt. Illi enim vrgentes τὸ ῥητὸν, ex hoc loco inferunt & concludunt ſanctorum martyria (quæ theſaurum Eccleſiæ vocant) eſſe propitiatoria, vt quæ peccata hominum ſuo merito expient. Sed eos peccare contra fidei noſtræ analogiam manifeſtũ eſt.Paulus implet ὑστερήματα afflictionum Chriſti in carne ſua,dum vt membrũ Chriſti patitur. Hic enim Chriſti nomine totus Chriſtus,cum ſuo corpore myſtico,intelligendus eſt. Vt 1.ad Corinth.12.cum dicit,rem in Chriſto ſe habere,vt in humano corpore. Vbi manifeſtũ eſt Chriſti nomine intelligi,non ſolum

ipſum

ipſum caput,ſed etiam corpus totum myſticum,hoc eſt, Eccleſiam. Tantiſper igitur deeſt aliquid afflictionibus Chriſti,donec aliquis ſanctorum ſuperfuerit in mundo,qui vt membrum corporis cũ capite feret ærumnas,donec vna cum capite glorificetur. Senſus, quem his verbis aſſuunt Sophiſtæ, claris ſcripturæ dictis refutatur. Si enim Chriſtus eſt agnus tollens peccata mundi: Si ſanguis ipſius purgat nos ab omni iniquitate: Si in ipſo habitat omnis plenitudo:Si vnica oblatione perfectos efficit in perpetuum eos,qui ſanctificantur. Sequitur paſsiones Pauli & aliorum martyrum nequaquam eſſe expiatorias. Illorum enim afflictiones ſingulares fuere,non pro alijs meritoriæ.

Pro corpore eius,quod eſt Eccleſia.

Cauſſam præſentis ſuæ afflictionis exprimit. Dicit enim ſe pati pro corpore Chriſti,non quidem redimendo, ſed ædificando per ſuum miniſterium,vnde ſubdit:

Cuius factus ſum miniſter, ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi erga vos.

In græco relatiuum fœmininum eſt, Cuius, ſubaudi Eccleſiæ miniſter ſum. Et eſt ratio, cur pro Eccleſia patiatur, nimirum quia miniſter eſt Eccleſiæ, ex Dei diſpenſatione. Proinde non expiationis, ſed miniſterij gratia patitur Paulus.

Ad implendum ſermonem Dei.

Finis miniſterij Paulini,continens argumentum commendationis Euangelij ab autore. Implendi verbo ſignificat Paulus prædicationis diligentiam & induſtriam miniſtris verbi imitandum.

Myſterium reconditum à ſeculis & à generationibus.

Ne quis Euangelium vt nouum doctrinæ genus contemneret, ab antiquitate illud commendat,item à dignitate ſeu excellentia. Cur autem Euágelium myſterium dicatur, pluribus in Epiſtolam ad Epheſ.1.explicatum eſt.Sed tota res huc redit,quod Euangelium ideo myſterium dicatur,quia ſi vniuerſum orbem in ſe reſpicis,plane ignarus eſt huius doctrinæ. Non enim humanis aut phyſicis rationibus hæc doctrina inuenta eſt,ſed ex ſinu æterni patris allata miniſterio Spiritus ſancti docetur.Deinde ſi confers tempus ante Chriſtũ exhibitum cũ tempore manifeſtati Chriſti, haud immerito relatione prioris tẽporis myſteriũ appellatur Euangelium. Ante enim Chriſtum exhibitũ ſub obſcuris verborũ & ceremoniarum inuolucris ſignificabatur,Sed Chriſto exhibito plena claritate hęc cœleſtis doctrina affulſit ac nũc per prædicationem in ſaluté credentiũ,ſuos radios in vniuerſum orbem tranſmittit. Hinc moneamur cum gratitudinis erga Deum, qui hoc ſuum arcanũ nobis reuelauit in ſalutem noſtram,qui orandus eſt,vt ſuam cœleſtem doctriná in ſcholis & in templis inuiolatá conſeruet,tum reuerentiæ erga hanc cœleſtem doctriná,vt ad ipſius lectioné & meditationem afferamus mentem puram,& rebus quæ traduntur attentam.

Nunc autem patefactum eſt ſanctis illius, quibus voluit Deus notum facere, quæ ſint diuitiæ glorioſi huius myſterij inter gentes.

Ne quis humanis meritis aſcribat reuelationem huius myſterij,cauſſam reuelationis addit voluntatem ſeu beneplacitum Dei. Vnde nos diſcamus non ad caſum, non ad hominum induſtriam referre, quando in his aut alijs regnis audimus Euangelij verbũ ſonare. Vtitur qudé Dominus ad Euángelij ſui manifeſtationem miniſterio hominum, vt piorũ regum & miniſtrorũ Euangelij, ſed res tota ex beneplacito Dei dependet. Vnde deſinamus mirari,cur nobis hodie & non alijs multis inclytis regnis tanta Euangelij claritas affulgeat, Et gratias Deo pro hac ſua luce agamus, ſimuſq; grati, ne hunc theſaurum à nobis propter noſtram ingratitudinem auferat, cuius rei (proh dolor) plurima exempla hiſtoriæ omnium temporum continent.

Qui eſt Chriſtus in vobis.

Interpretatio eſt. Nam vno verbo exprimit quodná ſit illud myſterium glorioſum,nimirum Chriſtus, qui poſsidetur fide. Porrò,cum Chriſtum nominat,duo intelligit.Primum,ſalutarem eius noticiám. Deinde,fiduciam ex noticia manantem. Noticia in tribus conſiſtit.In naturarum diuinæ & humanæ intelligentia: In perſonæ vnitate,& in offi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

in officij perſonæ cognitione. Fiducia talem eum ſibi perſuadet, qualis per Euangelium prædicatur, iuxta illud Iohan. 3. Hoc eſt præceptum eius, vt credatis nomini filij eius Ieſu Chriiti, vnde naſcitur fructus interior & exterior, qui timoris Dei ſeu cultus diuini nomine ſignificatur.

Spes gloriæ. Cum Chriſtum ſpem gloriæ dicit, Primum ſignificat in illo ſolo gloriandum eſſe, vt in eo, per quem olim gloriam æternam conſequemur, vnde omnia humana merita, omnes prærogatiuæ carnis conticeſcant oportet, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Deinde colligitur ex his verbis, quod in hoc mundo non plene hæc gloria poſsideatur, ſed expectetur. Ex quo rurſus monemur, vt hac ſpe contenti, totis viribus contendamus in ſalutis curſu, vt propoſitam in Chriſto gloriam tandem conſequamur. Tametſi autem hic fide poſsidetur Chriſtus: tamẽ nondum apparuit qualesnam futuri ſimus, quam glorioſi, vbi ille apparuerit. Poſsidemus quidẽ Chriſtum gloriam noſtram, dum in ipſum credimus, etſi imperfectius, quiá ſub cruce in carnis infirmitate, ſed peracta reſurrectione mortuorum, ſolida Chriſti gloria nobis fulgebit.

Quem nos prædicamus. Obiectum igitur Euangelij ſolus Chriſtus eſt, hunc prædicare oportet, quod fit dum ipſius verbum ſincere citra corruptelas hominum annunciatur.

Admonentes omnem hominem, & docentes omnẽ hominem, in omni ſapientia. Modum prædicationis Apoſtolicæ attexit, cuius duas partes facit, Admonitionem & Doctrinam. Admonitio ad audiendum verbum inuitat, conſolatur, obiurgat, inſtigat & excitat auditorem, & eo pertinet, vt doctrina ipſa radices agat in cordibus hominum, quo ſiſtatur omnis homo perfectus coram Deo. Doctrina autem eſt Legis & Euangelij, Item aliorum locorum, qui ad Legis & Euangelij vim explicandam pertinent. In omni ſapientia, id eſt, plena & abſoluta ſapientia de ſalute per Chriſtum conſequenda. Sic enim Paulus ſæpe Hebræorum more vtitur voce omnis, id quod ſupra aliquoties admonui. Obſeruandus inprimis hic locus eſt. Confirmat enim & confutat. Confirmat pios, qui ex verbo Dei ſolo petunt ſalutis ſcientiam. Confutat aduerſarios, qui Eccleſiæ Dei humana placita obtrudunt, oppreſſa Euangelij puritate.

Vt ſiſtamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. Finis prædicationis, & effectus veræ ſapientiæ, quam ex prædicatione conſequimur. Vt enim finis prædicationis eſt, vt ſapientia hæc ſolida ac cœleſtis, omnibus hominibus prædicetur, quod mandato Chriſti etiam cõfirmatur, dicentis: Ite in mundũ &c. Ita effectus huius ſapientiæ eſt, omnem hominem ſiſti perfectũ coram Deo in Chriſto Ieſu. In ſolo enim Chriſto ſita eſt Chriſtianorum perfectio, in quo tum demũ perfecti ſumus (quantum quidẽ ad perfectionem attinet, quæ in hac vita cõtingere poteſt,) dum agnita noſtra in nobis ipſis imperfectione, Chriſti perfectionem fide poſsidemus, dumq; puro colendi Deum affectu ducimur, ita vt ſimplici integritate pręditi, teſtari poſsimus nos hoc præcipue in votis habere, vt Deo placeamus, non ſinentes nos ab obœdientia Dei vllis terrenis reb. aut impedimentis auocari. Aeſtimanda eſt igitur hæc perfectio non tam à noſtra qualitate, quam ab imputatione diuina. Hic Primum colligamus prædicationem verbi deſtinatam eſſe omnibus, ex quo conſequitur, Deum omnium velle ſalutem. Deinde, quia non omnes ſaluantur, id fieri hominum culpa, qui hanc cœleſtem ſapientiam contemnunt. Præterea, quæ ſit ſumma Chriſtianorum ſapientia, nempe ſiſti perfectum in Chriſto Ieſu, vnde confutatur error omnium hominum, qui in alijs rebus extra Chriſtum perfectionem collocant.

In quod etiam laboro, decertans iuxta efficaciam eius, operantẽ per me potenter. Suam diligentiá & efficacem Dei in ſe operationem in ſuo miniſterio ideo commendat, vt & alios ſuo exemplo excitet, & omnem gloriam vni Deo vendicet. Laborare dicit ſe decertando contra aduerſarios ſanæ doctrinæ, idq; cum fructu, per virtutẽ eius, qui in ſe potenter agit. Admoneantur igitur hinc miniſtri Euangelij, cum quod ocio & ignauia nihil promoueatur (labor enim magnus requiritur) tum quod irritus ſit omnis labor futurus, niſi ſuá efficaciam largiatur Dominus perpetuo implorandus, vt virtutem euangelizantibus largiatur,

CAPVT

CAPVT II.

TERTIA PARS EPISTOLAE.

Summa Capitis ſecundi.

Hortatur Paulus Coloſſenſes, ne vllis impoſturis ſinant ſe abduci à fide in Chriſtum, præſertim cum in eo ſolo omnis plenitudo ſcientiæ ſalutaris reperiatur.

Ordo & partes Capitis ſecundi.

In hoc ſecundo capite tertiam Epiſtolæ partem aggreditur Apoſtolus, quæ (vt ſupra dixi) continet diſputationem contra inſidias veræ doctrinæ per abuſum Philoſophiæ, contra Moſaicos ritus & humanas traditiones. Breuiter, contra omnes veræ doctrinæ corruptelas. Et hæc pars toto hoc ſecundo capite abſoluitur. Verum vt ordo capitis & œconomia diſputationis illuſtrior habeatur, obſeruetur inprimis occaſio, quæſtio principalis, finis ſeu ſcopus, & tractationis ordo. Occaſionem in principio oſtendi dediſſe falſos doctores, qui ſua in agro Domini cœperant zizania ſpargere, videlicet Philoſophicas fraudes & corruptelas ex cacozelia veteris legis de cibo, potu, feſtis, &c. Quæſtio proinde principalis eſt, num Coloſſenſes; qui recte didicerant Chriſtum, nunc debeant quoque humanas traditiones & cultus legales recipere, nec ne. Paulus negatiuam quæſtionis theſin aſſumit probandam, videlicet quod non debeant Chriſtiani traditiones humanas aut legales recipere, idque propter has cauſſas: Vt pura maneat doctrina Euangelij abſque fermento humanarum traditionum. Vt honos ſuus Chriſto ſeruetur integer, vtque certa ſit animarum ſalus, quæ per vnum Chriſtum contingit. Porrò, tractationis ordo naturalis eſt. Nam quatuor partibus præſens diſputatio abſoluitur, Exordio, Propoſitione, Confirmatione, Concluſione. Quæ partes ita prorſus ordinantur & explicantur, vt iuſta methodus & docendi ratio requirit.

EXEGESIS CAPITIS SECVNDI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

VOLO autem vos ſcire, quantum certamen ſuſtineam pro vobis, & ijs, qui ſunt Laodiceæ, & quotquot non viderunt faciem meam in carne.

Propoſitio exordij eſt, in quo captat beneuolentiam ab effectu ſuo & ſtudio erga Coloſſenſes, pro quibus certamen ſuſtinet contra falſos doctores, qui volunt humana ſapientia & legalibus ritibus ſinceritatem doctrinæ turbare. Admoneantur hoc exemplo miniſtri Euangelij, vt ſe fortiter opponant corruptoribus ſanæ doctrinæ.

Vt conſolentur corda ipſorum compactorum in caritate.

Ratio propoſitionis exordij à finibus ſuſcepti certaminis pro Coloſſenſibus. Eſt enim fructus primus ſinceræ doctrinæ, conſolatio cordium eorum hominum, qui in caritate coniuncti inter ſeſe, ac veluti connexi ſunt mutuis caritatis officijs, non ſecus atque membra eiuſdem corporis iuncturis ſibi inuicem alligata, vna fouentur & recreantur.

Et in omnem opulentiam certæ perſuaſionis intelligentiæ, in agnitione myſterij Dei & patris & Chriſti.

Alter finis ſuſcepti certaminis, cuius ſenſus ità reſolui poteſt. Hoc ingens certamen etiam ſuſtineo, vt adeo plena & opulenta abundent perſuaſione in ſinceræ doctrinæ intelligentia, vt perfecte perſuaſi, myſterium Dei & patris & Chriſti, hoc eſt, ipſum Euangelium ſolide percipiant. Huc igitur piorum miniſtrorum conatus tendant, vt ſolide doceant, quo auditores plenam Chriſti intelligentiam conſequantur. Quod cum fit, non facile patebit aditus malis doctoribus ad euertendam doctrinam. Contra, vbi ſegniter traditur

doctrina,relinquitur populus dubius & inſtabilis,vnde fit,vt facile quouis doctrinæ vento cōcutiatur. Porrò, myſterium Dei & patris & Chriſti ideo Euangelium nominat, quia in Euangelio reuelatur maieſtas Dei & affectus eius paternus erga nos per Chriſtum, vnde tria colligamus. Primum, Deum per Euangelium innoteſcere. Deinde, illum ipſum paternum animum erga nos gerere. Tertio, nos in Chriſto, cum eum fide poſsidemus, patrem agnoſcere. Qui, inquit, videt me, videt & patrem.

In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi.

Abſolutam ſapientiam & plenam, quæ ſane ad ſalutem conſequendam ſufficit, in Chriſto abſconditam monet, cum vt dignitatem Euangelij commendet, tum vt animos noſtros auocet ab omnibus rebus, quæ ſunt extra Chriſtum, quoties ſalutis conſequendæ ratio quæritur. Si enim in illo ſunt theſauri omnis ſapiētiæ & cognitionis, deſipiunt profectò, qui extra hunc theſaurum ſcientiam ſalutis quærunt. Porrò, ſapientiæ & cognitionis vocabula diſtinguo, vt prius ad mentis rectam de ſalutis negocio inſtructionem: poſterius ad ſcienter ſeu prudenter vitam informandam iuxta verbum referatur.

Hoc autem dico, ne quis vos decipiat ſermone perſuaſibili.

Vſum ſuperioris dicti egregie monſtrat, nimirum vt ſolo Chriſto contenti, ſubtiles ſapientum mundi ratiocinationes contemnamus, non morantes ſermonis ſuauitatem, & leporem eorum, qui à Chriſto nos abducere conantur. Hic locus diligenter obſeruandus eſt. Monet enim, vt ſimplicem doctrinam Chriſti retineamus. Monet vt extra Chriſtum in ſalutis negocio nihil quæramus. Monet cauendas orationis inſidias. Monet non ſuſpicere eloquentiam hominum, ſed veritatis ſimplicitatem amplecti & amare.

Etſi enim carne abſum, ſpiritu tamen vobiſcum ſum.

Occupatio eſt. Nam poterant admirari Coloſſenſes, cur ſibi adeo à ſe remotis, & antea non viſis, admonitionem ſcriberet. At Paulus hanc obiectionem diluit per diſtinctionem. Sum quidem remotus à vobis corpore, ſed & corde & animo, quo vos in Chriſto cōplector, vobis aſſum. Hoc vere Apoſtolicum eſt, non ſolum præſentium auditorum, verum etiam abſentium & remotorum curam gerere.

Gaudens ac videns veſtrum ordinem & ſtabilitatem veſtræ in Chriſtum fidei.

Commendatio Eccleſiæ Coloſſenſium cum captatione beneuolentiæ, ab animi ſui affectu erga illos. Cum enim commendat Eccleſiæ Coloſſenſium ſtatum præſentē, non ſolum bene conſtitutum ſignificat, verum etiam tacite monet, vt in eodem ſtatu permaneant. Porrò, in Eccleſiaſtico ſtatu duo laudat, nimirum ordinem & ſtabilitatem fidei in Chriſtum. Ordo quidē non regni formam, ſed docentium & diſcentium rationem habet, & morum diſciplinam continet, de quo ordine plura ad Epheſios dicta ſunt. Stabilitas fidei, fundamentum retinet, nempe ipſum Chriſtum, ſine quo Eccleſia ſtare non poteſt. Fugiamus ergo omnes, qui Enthuſiaſmo concitati, ἀταξίαν barbaricam Eccleſiæ Chriſti obtrudere conantur, vt qui omnes nerhihil rectum ducunt, niſi quod ipſi ſomniarunt. Damnemus & Papiſtas, qui omnes neruos eo intendunt, vt ſepulta fide in Chriſtum, ex humanis traditionibus pendeamus.

Sicut ergo accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate, radicati & ædificati in ipſo, & cōfirmati in fide, quemadmodum edocti eſtis, abundantes in ea per gratiarum actionem.

Illatio exhortatoria eſt ad conſtantiam in vera doctrina, quam ab Epaphra didicerant. Hic locus triplicem doctrinam continet. Primum enim quomodo Chriſto adhærendum ſit. Deinde, quid præſtet fides. Poſtremo quomodo fides incrementa ſumat, docet. Quomodo autem Chriſto adhærendum ſit, triplici ſimilitudine docet. Primo enim loco cōfert Chriſtum viæ, nos viatoribus. Quare, niſi errare libet, hæc via ſola tenenda eſt, quod fit, dum in ipſius doctrina conſtanter permanemus. Deinde confert Chriſtum radici, nos vero arbori ſeu ramis. Si ergo fructificare volumus, in radice manendum eſt, ex radicis ſucco viuendum, & creſcendum eſt. Præterea confert Chriſtum fundamento, nos ædificio.

dificio. Niſi igitur collabi placet, fundamentum innitendum eſt. Sed quid præſtat fides? Confirmati, inquit, fide. Quare fides hoc præſtat, vt & in via ſine errore curras, & in radice cum fructu permaneas, & ſuper fundamento fixus & immotus perſtes. In hac fide tum demum creſcimus & abundamus, quando accedit frequens gratiarum actio. Hac enim, quemadmodum verbo & ſacramentis, alitur & augetur fides.

Videte ne quis ſit, qui vos deprædetur per Philoſophiam & inanem deceptionẽ, iuxta traditionem hominum, iuxta elemẽta mundi & non ſecundum Chriſtum.

Propoſitio eſt tertiæ partis Epiſtolæ, attentiõis particula figurata ac expoſitione amplificata. Videte, inquit, ne quis ſit, qui vos deprædetur. ac ſi diceret: Per ſanam Chriſti doctrinam in ouile Chriſti, in quo pabulum æternæ vitæ eſt, perducti eſtis, videte igitur, ne Pſeudopropheta, qui lupi & prædones peſsimi ſunt, vos prædam abigant, dum ſepta ouilis Chriſti, id eſt, ſanam doctrinam interrumpunt per Philoſophiam, eam videlicet, quæ ſic quidem vocatur, & tamen nihil aliud eſt, quam inanis deceptio, vt quæ ex hominum traditione elemẽta mundi, hoc eſt, ceremonias ſeu res, quæ potius à Chriſto abducunt, quam ad ipſum quẽquam adducunt, vobis obtrudit. Hic eſt ſimplex propoſitionis ſenſus. PORRO, quemadmodum perperam faciunt, qui hoc loco abutuntur ad damnãdam vniuerſam Philoſophiam, quæ reuera excellens donũ Dei eſt: Ita damnantur hoc dicto Pauli, qui ex corrupta Philoſophia Eccleſiæ Chriſti vllum dogma obtrudere tẽtant, tanquam in negocio ſalutis neceſſarium. Vna eſt doctrina ſalutaris de cœlo allata, quæ continet oẽs theſauros ſapiẽtiæ & cognitionis ſalutaris. Verum quemadmodũ olim populus Iſraëliticus ad extructionem tabernaculi vſus eſt opibus Ægyptijs: ita nos quoque ſciamus vſurpandas eſſe Philoſophię veræ partes, non ad deſtruendam Eccleſiam, ſed ad ei ſeruiendũ. Etſi igitur ſolum verbum Dei ſalutare eſt hominibus, interea tamen non ſunt contemnenda alia Dei dona, quæ nõ parum ſuo quodam modo ad ædificationẽ Eccleſiæ faciunt. Quis quæſo phraſes ſcripturæ intelligat ſine Grammatica? quis partes longioris orationis? quis diſputationum ſeriem? quis argumentorum virtutes percipiat, artis Dialecticæ rudis? An nõ Paulus in Epiſcopo requirit, vt ſit aptus ad docendum, vt poſsit recte ſecare verbum Dei? quod fieri non poſſe ſine Dialectica nemo non videt? An non pulcherrima ex Rhetorica lumina paſsim in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum conſpiciuntur, quę ſine Rhetorica & Schematũ cognitione minime explicari poſſunt? Quam multa dicta ſunt in Prophetis, Pſalmis & ſcriptis Apoſtolicis, quæ ſine rerum naturalium doctrina intelligi nequeunt? An non vera Ethica pars legis diuinæ eſt? Vnde œconomicæ & politicæ leges, quas Deus non vult cõtemni, extructæ ſunt? In mathematis excelluiſſe veteres Patriarchas non eſt dubium, in quibus Paulum quoq; fuiſſe liberaliter inſtitutum, vel ex eo apparet, quod contra Græcos ipſos Arati aſtrologi teſtimonio ſit vſus. Qui Moſen legit, Arithmeticã & Geographiã agnoſcet ſũme neceſſarias eſſe ad multorum locorũ explicationem. Dauid, Iob, Ieremias ac multi alij ſancti viri Muſica delectati ſunt. Cum igitur omnes partes Philoſophiæ ſint vtiles, & eximia Dei dona, ſacrilegij genus eſt, Philoſophiam in vniuerſum damnare, qua vt vtiliter vti poſſimus, ſeruemus ſequẽtes regulas. PRIMA, ſit verbum Dei Lydius lapis, ad quem examinentur, probentur, improbentur Philoſophorum dicta. Ariſtoteles docet mundum ab æterno fuiſſe, ſed hoc dictum ad ſcripturam examinatum, falſum eſſe cõuincitur. Quare, nõ verę Philoſophiæ axioma, ſed philoſophantis error iudicetur. Idẽ, vnam omniũ rerum primam cauſſam, nempe Deum ipſum rationibus Phyſicis demonſtrauit, quę demonſtratio, quia cõgruit cum verbo Dei, approbanda eſt & amplectenda. Iuxta hanc regulam, ſanctus Iuſtinus Philoſophus & martyr multas ſententias examinat, probat, improbat, potiſsimũ in libro, cui titulus eſt ἀνατροπὴ, id eſt, euerſio quorũdam Ariſtotelicorũ dogmatum, Item in libro ad Triphonem Iudæum, Item in libro contra Græcos Philoſophos. SECVNDA, adhibeatur Philoſophia rerum ſacrarum explicationi, non vt domina, ſed vt miniſtra, quę autoritati verbi cedat. Sic Gramatica, Dialectica, Rhetorica cæteręq; diſciplinæ ſuo fungãtur miniſterio. TERTIA, quoties verbum Dei aliquid, quod abſurdum in Philoſophia videtur, cõmemorat, Philoſophia ſę humiliet, agnoſcat ſuam cœcitatem, corrigatur cœleſtis Philoſophiæ admonitione, & nõ quaſi obtorto collo in ſuam ſententiam verbum cœleſte trahat. Recte enim Orpheus, vt citat Iuſtinus martyr, omnibꝰ mortalibus mortales palpebręin oculis imbecilles, ad videnda ea, quæ ad omniũ rerũ curatorẽ pertinent. QVARTA, Omnia Philoſophorum dicta, quæ cum verbo Dei pugnant, vtut plauſibilia rationi videntur, reijciantur ac damnentur, tanquam cœleſtis Philoſophiæ præſentiſsimum venenum. Rectiſsime enim monuit Hilarius, ſenſum ſcripturis nõ eſſe inferendũ, ſed è ſcripturis pe-

Vu 2 tendum,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tendum. QVINTA, Decreta Philoſophorum, quæ non pugnant cum verbo, ſi demonſtra-
tiones aut probabiles rationes habent, recipiantur ac amentur, idq; maxime, ſi ad rerum
conſeruationem, aut ad mores formandos faciunt. SEXTA, Exemplis & dictis Philoſo-
phicis vtatur Theologus prudenter. hoc enim interdum fieri poteſt valde vtiliter, quia ex-
empla & dicta congruentia cum verbo ſæpe vehemẽtiores ſtimulos habent. Sic Salomon
pigrum ad formicam mittit, vt ab ea diſcat ſapientiam. Dñs nos ad ſerpentes & columbas,
vt ab illis prudentiam, ab his ſimplicitatem diſcamus, amãdat. Thireſias parochus Theba-
nus, tametſi Ethnicus, tyranno minanti ſibi exitium, eo quod vera quidẽ ſed nõ placentia
diceret, reſpondit: Veritatem te ô Tyranne fortiorẽ alo. Hoc exemplum nõ incõmode ad-
duci poſſet ad animandos miniſtros Chriſti, vt conſtantes ſint in docenda & defendenda
veritate. Simili modo Phyſica exempla Ciconiarum, Halcyonũ, &c. ſumi poſſunt in com-
mendationẽ pietatis erga parẽtes, & bene meritos. In reprehenſionẽ exemplũ viperarum
Iohannes & Chriſtus obiecerunt Iudæis. Ad eundẽ modum axiomata Philoſophorum vti-
liter adhiberi poſſunt, quale eſt illud Platonis, Deus omniũ bonorum αἴτιος, & malorum
omnium ἀναίτιος eſt. Sicut Paulus interdum Philoſophorũ dicta aſpergit, vt ad Tit. 1. Epi-
menidis. 1. Corinth. 15. Menandri. Act. 17. Arati teſtimonia adducit. Licet enim vndiq; mu-
tuari, quicquid à Deo profectũ eſt. Has regulas ſecutus Theologus, ſentiet ſibi non inutilẽ
fore Philoſophiam veram. Quare Philoſophię ſtudiũ ab omnibus bonis amãdum cenſeo,
ac neceſſarium iudico inprimis ijs, qui in maioribus facultatibus, in Medicina, Iuriſprudẽ-
tia & Theologia cum fructu verſari cupiunt. Verum id ſobrie fieri velim. Nam, qui vitam
omnem in Ethnicis ſcriptis cõſumunt, gentiles ad poſtremũ euadunt, nec ferunt ſe poſtea
verbo Dei corrigi, Imo contemnunt verbum, ac ſe cæteris ſapientiores impudenter prædi-
cant, adeo vt à conuitijs, quoties occaſio datur, abſtinere nõ poſsint. Non igitur patrocina-
tur hic Pauli locus Philoſophiæ cõtemtoribus, ſed ijs tantũ, qui eam intra ſuos terminos,
& quaſi intra ſuum circulum manere non ſinunt. Non enim proprie hic accipitur Philoſo-
phiæ nomen, ſed pro acumine hominum, qui fallaciter illa ad decipiendum abutebantur,
id quod ſatis conuincit pręſentis loci periſtaſis. Quod enim ſupra per πιθανολογίαν, idem hic
per Philoſophiam & inanem fraudem iuxta traditionem hominũ, quę abducit à Chriſto,
intelligit. Retineatur igitur Philoſophia & ametur. Caueãtur inſidiæ ex Philoſophia falla.
obturentur aures ad blaſphemas voces eorum, qui maiorem certitudinem cœcæ Philoſo-
phiæ, quam clariſsimo verbo Dei tribuunt. Tribuatur Deo ſuus honos, & collocetur ſupra
omnem angelorum & hominum ſapientiam, nec moueant nos iſtorum ineptiæ, qui Sa-
tanico ſpiritu inflati, infra omnem ſcientiam, ſacratiſsimam Theologiam reijciunt.

Quoniam in ipſo habitat omnis pleni-
tudo Deitatis corporaliter.

Prima propoſitionis ratio ab ex-
cellentia Chriſti ſumta. In Chriſto eſt
omnis plenitudo Deitatis corporali-
ter. Igitur extra Chriſtum nulla plenitudinis pars quærenda eſt. Quare non audiendi ſunt
Philoſophantes, qui ſuis ſpeculationibus Deum alibi, quam in Chriſto quærunt, in quo ſe
totum Deus exhibet. Qui igitur Chriſtum habet, Deum habet. qui Deum habet, ei nihil
deeſſe poteſt. At Chriſtus in Euãgelio exhibetur totus, quare nõ alibi quærendus eſt Deus,
quam in ipſius verbo. Ex hac ratione Pauli apparet fuiſſe quoſdam Coloſsis, qui ſubtilius
de Deo philoſophati ſunt, quam ſecundum regulam Euangelij, quos cauendos monet.
Sed quid eſt, quod dicat plenitudinem Deitatis corporaliter habitare in Chriſto? Num
Deus corpus habet, vt anthropomorphitæ ſomniarunt? Nullo modo. Deus enim ſpiritus
eſt, veritate teſte. Quare hic corporis vocabulum vſitate accipi non poteſt. Senſum igitur
ſic reſoluito per collationẽ. In alijs Deus habitat ſuo ſpiritu & ſeparabiliter, nouos motus
& nouã lucẽ accendens, Sed in Chriſto habitat nõ ſolũ ſpiritu, ſed etiã ita, vt perſonali vni-
one humanæ naturæ diuina vnita ſit. Nã σωματικῶς ſignificat hic ſubſtantialiter ſeu perſona-
liter. Vt enim nũc perſonã dicimus: Ita veteres Græci σῶμα dixerunt, vt in illo epigramate:
Σώματα πόλλα τρέφειν καὶ δώματα πολλ' ἀναγείρειν,
ἐστιν ἑτοιμοτάτη πρὸς πενίην ἀτραπός. Hoc eſt, Multa corpora, id eſt, perſonas multas alere,
& multas domos ædificare, promtiſsima ad inopiam via eſt.

Et eſtis in illo completi.

Secunda propoſitionis ratio à per-
fectione noſtri in Chriſto ſumta. Ple-
ne omnia habemus in Chriſto. Igitur extra Chriſtum nihil ad conſũmationem quærendũ
eſt. Proinde qui ex Philoſophia augmentum aut additamentum perfectionis Chriſtianæ
petendum docent, nullo ſunt pacto audiendi. Sed quid eſt, eſſe completum in Chriſto? Eſt
omnia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

omnia obtinere per fidem Chriſti, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Ex hoc apparet Philoſophos quoſdã Chriſtianos fuiſſe, qui ex ſua Philoſophia addere aliquid Euãgelio voluerũt, quos fugiendos monet, tanquam corruptores puritatis Euangelij, & deprædatores ouilis Chriſti.

Qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.

Tertia ratio à proprio Chriſti officio ſumta. Chriſtus eſt ſupra omnem poteſtatem & principatum. Igitur Philoſophantes ac Iudaizantes, qui angelos ſupra Chriſtum collocant, fugiendi ſunt. Fuerunt enim apud Coloſſenſes, qui angelis eum honorem attribuerunt, quod per ipſos hominibus ad Deum pateret acceſſus, non ſecus atque hodie Papiſtæ ſanctorum interceſsiones prædicant, in contumeliam vnius mediatoris Ieſu Chriſti.

In quo etiam circumciſi eſtis, circumciſione non manufacta, in depoſitione corporis peccatorum carnis, in circumciſione Chriſti, conſepulti cum eo in baptiſmo, in quo etiam reſurrexiſtis per fidem efficaciæ Dei, qui excitauit ipſum ex mortuis.

Quarta ratio eſt contra Iudæos Chriſtianos, qui Euangelio circumciſionem adijcere voluerunt, & probat nos veritatem ſacramenti circumciſionis habere in Chriſto, & ideo nequaquam requiri circumciſionem veterem ſeu manufactam. At ne quis obijceret externum ſignum eſſe ſpiritualis circumciſionis teſtimonium neceſſarium, præuertit obiectioné, & dicit Baptiſmum ſpiritualis circumciſionis ſigillum eſſe. Porrò, obſeruetur hic collatio duplicis circumciſionis, vt, quibus in rebus ſita ſit vtraque, videatur. Indicatur autem hic duplex circumciſio. Manufacta vna, altera nõ manufacta. Illa externa eſt, & in carne peragitur. Hæc ſpiritualis cordis eſt circũciſio. Manufacta ſacramentum veteris populi fuit, primũ Abrahamo mandata, deinde toti populo Iudaico, duratura vſq; ad Chriſtum exhibitũ & crucifixũ, quãdo velum templi ſciſſum eſt, quo ſignificabatur omniũ rituum Moſaicorum abolitio & finis. Hanc circumciſionem Paulus ad Rom. 4. definit ſignaculũ iuſticiæ fidei. Quia obſignabat iuſticiam, quam Abraham per fidem cõſecutus erat, & figurabat hæc externa circumciſio circumciſionem ſpiritualem. Vt enim præputij caro circumcidebatur in ſignum abolendi veteris hominis, & creandi noui hominis: Ita corpus peccati abſcindendum eſt, per fidẽ in Chriſtum, qui peccatum ſuſtulit, vt iam ſimus non vetus ſed nouus homo. Hanc circũciſionem ſpiritualem Chriſtus in nobis peragit, non quidẽ mediante veteri illa circumciſione, ſed baptiſmo. Nam vt rei exhibendæ ſignum fuit circũciſio: ita iam exhibitæ teſtimonium eſt baptiſmus, noſtræ ablutionis per ſanguinẽ Chriſti obſignatio. Ex hoc loco Pauli colligimus ſpiritualis circumciſionis definitionẽ, quæ eſt depoſitio corporis peccatorum carnis, per circumciſionẽ Chriſti, dum Chriſtus circumcidit nos ſecum in baptiſmo, cõſepultos & excitatos per fidem, qua Deus in nobis efficax eſt. Proinde vere circumciſi ſunt, qui renunciato peccato, ſpiritu Deo ſeruiunt, & gloriantur in Chriſto Ieſu, & non carne. Philip. 3.

Et vos, cum mortui eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum eo.

Quinta ratio eſt propoſitionis. Mortui delictis & præputio carnis noſtræ (id eſt, impuritate vicioſæ naturæ) vitam à Deo cum Chriſto ſumus cõſecuti. Igitur in Chriſto ſunt omnia, & nihil ex humanis traditionibus, aut Philoſophia tanquam ad vitam neceſſariam petendum eſt. Quare, cauẽda potius eſt talis fraus, quæ à Chriſti vita auocat. Obſerua hoc loco vitam & mortem in ſuis cauſsis conferri. Mortem quidem & damnationem acceptam feramus nobis ipſis, vitam vero Dei donum per Ieſum Chriſtum agnoſcamus.

Condonans vobis omnia peccata.

Signum vitæ reſtitutæ eſt peccatorum condonatio. Vt enim ſine peccato nulla eſt mors: Ita ſublata morte, vita reſtituitur.

Delens, quod aduerſum nos erat, chirographum in decretis, quod erat cõtrarium nobis.

Sexta ratio eſt potiſsimum contra Iudæos, qui obtrudere Coloſſenſibus ceremonias Iudaicas voluerunt. Eſt autẽ hæc ratio ſumta à remotione rei ad remotionem ſigni. Debitum totum eſt cõdonatum. Igitur chirographum nõ amplius valet. Quare nõ amplius vt teſtimonium debiti reſeruandum eſt. Fuerunt aũt ceremoniæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Moſaicæ veluti chirographum, quo confitebantur Iudæi debitum ſuum, vt quotidianæ illæ ablutiones fuerunt impuritatis cōfeſsio, & quaſi chirographū ſeu αὐταποχὴ: Sic victimæ & ſacrificia iterata peccatum remanere teſtabantur. Neque enim dubium eſſe poteſt, quin per decreta hoc loco intelligat Paulus ceremonias ipſas Moſaicas, quæ veluti chirographū quoddam erant confeſsionis debiti. At ſi obijcitur remanere peccatum in natura. Igitur retinendum eſſe chirographum, hoc eſt, retinendas eſſe ceremonias Moſaicas. Reſpōdeo, peccatum quidem, quantum ad efficaciam mortis Chriſti attinet, deletum eſſe, quam deletionem figurabant ſacrificia vetera, quæ ideo iam ceſſare debent, quia quod figurabant futurum, nunc exhibitum eſt. Proinde mortem Chriſti expiatoriam negant, quotquot ceremonias Moſaicas vrgent ac docent. Nam laceratum chirographum ſarcire volunt.

Et ipſum ſuſtulit de medio, affigens illud cruci.

Amplificat à modo deletionis chirographi nimirum, quod Chriſtus cruci affixus finem impoſuerit ceremonijs Moſaicis, id quod miraculo paſſo Chriſto confirmatum eſt. Nam ſciſsio veli ſignificabat abrogationem omnium ceremoniarum veterum.

Expolians principatus & poteſtates traduxit palam, triumphans de ipſis in illa.

Amplificat Chriſti victoris gloriam pulcerrima imagine. Chriſtus Dominus victor eſt, & triumphator, crux Chriſti trophæum & veluti currus triumphalis, hoſtes victi Diaboli ipſi, quos hic principatus & poteſtates vocat propter imperium, quod exercebant in genus humanum. Quemadmodum itaque victor aliquis arma victorum in trophæum, vbi in fugam hoſtes verſi ſunt & victi, ſuſpendit, in teſtimonium victoriæ: Ita Chriſtus ſuperatis Diabolis peccato & morte triumphum, erecto crucis trophæo egit. Vt enim per mortem ſuam conflixit cum hoſte in patibulo crucis, eumque ſuperauit: Ita ſuo glorioſo deſcenſu ad inferos, reſurrectione & aſcenſu in cœlum, triumphum egit, (ad Epheſ.4.) monumento victoriæ ſeu trophæo crucis erecto. Meminerimus igitur Chriſti trophæum eſſe crucem, id eſt, mortem & paſsionem, & triumphum, deuicto Satana, morte & peccato, vt amplius Chriſto ac membris eius, tenebrarum poteſtas nocere non poſsit.

Nemo ergo vos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti.

Concluſio eſt, in qua quidam ritus recitantur, quos Iudaizantes Chriſtiani volebant imponere Coloſſenſibus, tanquam neceſſarios ad ſalutem ac complemētum Euangelij. Nemo, inquit, vos iudicet. Nolite vllius hominis pertimeſcere iudicium, quo vos reos peragere volunt, tanquam decretorum Dei violatores. Quod enim ſupra decreta vocauit, iam quadam diſtributione rituū Moſaicorū exponit, nō quidem abſoluta & plena, ſed paucis generibus nominatis cætera intelligēda relinquit. Nam de omnibus idem iudicium eademq; ratio eſt. An nō verbum Dei delectū ciborum, feſtorum, &c. commendat Dei populo? Commendat quidem, ſed ad tempus, vt eſſent vmbræ futurorū, id eſt, obſcuræ quædam repræſentationes abſentis Chriſti. At poſtquam corpus aduenit in Chriſto Ieſu, non decet vt vmbras ſectemur. Proinde obſeruetur hic vindicatio libertatis Chriſtianæ à ritibus Moſaicis atque alijs humanis traditionibus. Verum de feſtis Chriſtianorū hæ ſeruandę ſunt regulæ. PRIMA, Omnium Chriſtianorum feſta libera eſſe debent, doctrinæ, ordinis, exercendæq; pietatis cauſſa inſtituta. Neq; enim Chriſtianis illud iugum, quod olim Iudæis diſciplinæ ſeu pædagogiæ gratia impoſitū erat, ferendum eſt. Hæc regula confirmatur Rom.14. Gal.4. & præſenti loco. SECVNDA, Feſta Chriſtianorum talia eſſe debent, vt aliqua in illis doctrinæ pars explicetur, idque hoc ordine, vt Primum Hiſtoria feſti pure tradatur. Deinde, clare beneficium Dei, cuius meminit feſtum, illuſtretur. Tertio, vt vſus & fructus oſtendatur. Hoc obſeruaſſe veteres, oſtendunt Hymni in feſtis diebus decantati. TERTIA, Tametſi Chriſtianis tempus aliquod neceſſarium eſt, quo conueniant ad audiendum verbum Dei, ad precandum, ad percipienda ſacramenta: tamen circumſtantijs tēporis Chriſtianus minime eſt affixus. Illum autem dico circumſtantijs temporis affixū eſſe, qui à conſtituta die nulla neq; neceſsitate, neq; proximi amore auelli poteſt. Nam ſi ſabbatum propter hominem eſt factū, & nō homo propter ſabbatum, debet profecto ſabbatum, atq; adeo omne feſtum neceſsitati hominis cedere. Ob hanc cauſſam pij in primitiua Eccleſia ſabbatum transtulerunt in diem Dominicum,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ne cum Iudæis viderentur affixi eſſe circumſtantijs temporum. QVARTA, Sabbatum Iudaicum typus & figura ſabbati ſpiritualis Chriſtianorum fuit, quod quidẽ perpetuum eſſe debet, docente hoc Eſaia cap. 66. Quod ſane ſabbatũ nihil aliud eſt, quam perpetuum à peccatis ocium, ſingulis diebus peragendũ. QVINTA, Caueat Chriſtianus, ne prætextu Chriſtianæ libertatis contumaciter Chriſtianorum feſta contemnat. Hoc enim qui facit, & ordinem Eccleſiæ vtilem turpiter violat, & alios exemplo malitioſe lædit. SEXTA, Feſtorum prophanatio in Dei cõtumeliam, eſt ocium, ſpacium, facultatem & occaſionem ſumere quæuis ſcelera impudentius & cumulatius, quam vllo alio tempore patrandi. Hinc lex piorum Imperatorum de feſtis diebus: dies feſtos, dies maieſtati altiſsimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari. SEPTIMA, Imperator Conſtantinus hanc regulam de die Dominico ſtatuit. Ruri poſiti agrorum culturæ libere licenterque inſeruiant, quoniam frequenter euenit, vt non aptius alio die frumenta ſulcis, aut vites ſcrobibus cõmendentur, ne occaſione momenti pereat commoditas, cœleſti prouiſione cõceſſa. Hanc regulam eatenus ſeruandam cenſeo, quatenus miniſterium verbi non contemnatur, & quatenus cũ quinta regula ſupra poſita ſtare poſsit. Has regulas de feſtiuitatibus Chriſtianorum qui ſeruat, nec in Iudaicam ſuperſtitionem facile ruet, neque Chriſtianæ libertatis ignarus laqueum ſibi imponi permittet, ſed libere ordinatione libera in Dei honorem, Eccleſiæ ædificationem, & propriam vtilitatem vti poterit.

Nemo vobis palmam interuertat, ſibi placens in humilitate & cultu angelorum.

Addit aliud genus falſi dogmatis, nimirum cultum angelorũ. Fuerunt enim quidam Chriſtiani tum temporis, inſtituti in Philoſophia Platonica, qui angelos tutelares, quos Plato Dæmonas vocat, inuocandos prædicarunt. A quo errore, vt ſibi caueant Coloſſenſes, monet Apoſtolus, Ne quis vobis, inquit, palmam inuertat, hoc eſt, cauete ne quiſquam vobis palmam eripiat, quam obtinetis per Chriſtum triumphatorem, modo in eo currẽtes ſeu decertantes manſeritis. Nam ſunt, quibus vnice placet vos & fraudando & tentando aggredi. Hi ſeductores indignum eſſe dicunt vnigeniti maieſtate, vt vos miſeri ac in terris degentes homines, ductu eius ad patrem accedatis. Hac humilitate ficta ſibi placent, fingẽtes angelos hoc deducẽdi munere fungi, Atque ita non ſatis firmatos à Chriſto victore abducunt, eiſque palmam fraudulenter eripiunt. Locus obſeruandus: fugiendum omne dogma, quod non diſerte fundatur in ſcriptura. Deinde cauendas eſſe inſidias, quæ ſtruuntur infirmis per fictã humilitatẽ ac ſuperſtitionẽ, tum eos oẽs palmam amittere, qui à ſolo Chriſto non pẽdent.

In his, quæ non vidit, faſtuoſe incedens, fruſtra inflatus à mente carnis ſuæ.

Ratio proximæ exhortationis à deſcriptione Pſeudoapoſtolorũ ſumta, quæ deſcriptio ideo hic interponitur à Paulo, quo ipſorum vana arrogãtia agnita caueãt ſibi Coloſſenſes ab illorum fraudibus. Primum faſtuoſe incedunt, iactantes doctrinæ ſublimitatem, de qua tamen nihil explorati habent, atque eo impelluntur perſuaſi acumine ingenij & perſpicacia rationis. Mentem enim carnis vocat hic Paulus humani ingenij perſpicaciam, qua nihil, vbi de rebus ſalutis agitur, vanius. Quicquid enim ex carne natum eſt, caro eſt, nec capit animalis homo, quæ ſunt ſpiritus Dei. Nihil proinde ſolidum eſt, niſi in verbo Dei fundetur, & ſpiritus magiſterio geratur. Diſcamus igitur hinc omnes diſputationes, quas gignit humanum cerebrum, fugiendas eſſe, modo à Chriſto abduci noluerimus.

Non tenens caput, ex quo totum corpus per iuncturas & connexiones ſubminiſtratum & compactum, augeſcit augmento Dei.

Vanitatem Pſeudoapoſtolorum confirmat ex eo, quod à capite alieni ſint, cui qui non adhæret, fruſtra ſe corporis membrum iactitat, & rationem ſubijcit, quia totũ corpus, hoc eſt, Eccleſia à capite dependet per iuncturas, quibus capiti corpus annectitur. & per connexiones, quibus mẽbra corporis inter ſeſe cohærent. Hoc corpus ſubminiſtratum & compactum creſcit augmento Dei. Vt enim vitalis ſpiritus à cerebro reliquum corpus per neruos diffunditur, & à capite ipſo ſenſus omnis & motus deriuatur: Sic & Eccleſiæ corpus à Chriſto ſubminiſtratur, hoc eſt, ab eo & vitã accipit & ſpiritus incremẽtum. Quod vtique fit, dum ſpiritus illi innexus eſt & impactus. Is nãque per nexum quẽdam & iuncturas incremẽta ſuppeditat corpori. Itaque ſi nõ vinciretur corpus cum capite, nec illi quidẽ congruere ſeu reſpondere valeret, nec ſpiritus

vitalis illi ſuppeditaretur, nec illi incremētum in fide vera ac dilectione accederet. Ex hoc loco primum concluditur, non ſolum ſuperſtitioſum eſſe cultum angelorū & ſanctorum, ſed eos prorſus caput amittere, & ex corpore Eccleſiæ abſcindi, quicunq; aliam, quam quæ verbo Dei præſcripta eſt, rationem colendi Deum ſequuntur. Deinde eos ſolos eſſe in Chriſti corpore, & Eccleſię membra, qui ſoli Chriſto adhærent, ipſiuſque doctrina ſola contenti ſunt. Præterea notandum, quod quemadmodum Eccleſia à Chriſto initium habet: Ita etiam creſcit ſolo Dei incremento, non humanis traditionibus, quæ potius deformia mēbra & monſtroſa faciunt, Imo in nihilum tandem redigunt Eccleſiæ corpus.

Itaque, ſi mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid, tanquam viuentes in mundo, decretis tenemini?

Aliud argumentum à remotione cauſſæ, cuius ſenſus hic eſt. Decreta ſunt abrogata per mortem Chriſti. Igitur non amplius decretis obnoxij eſſe debetis. Nam hæc ratio: Mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, tantundem valet, ac ſi diceret, Mors Chriſti aboleuit decreta. Vos eſtis cum Chriſto mortui. Igitur decreta ſunt vobis abolita ſiue abrogata. Hæc decreta ideo vocat elementa mundi, quia fuerunt res externæ & pædagogicæ, duraturæ tantum vſque ad aduentum Chriſti.

Ne eſitaueris, ne guſtaueris, ne attigeris.

Mimeſis eſt. Verba enim Pſeudoapoſtolorum refert, quibus illi ſuperſtitioſe decreta cumularunt. Quia autem ſequentes rationes, quibus hæc decreta ſubuertit Paulus, ad cibum tantummodo referri poſſunt, pro eo quod reddi ſolet, Ne attigeris, verti cum quibuſdam, ne eſitaueris. Nam vox ἅπτεσθαι vtramque ſignificationem habet, quarum poſterior præſenti loco magis congruit. Pſeudoapoſtolorum enim progreſſus Paulus hoc loco deſcribere voluit. Initium à ſuperſtitione eſt, quod non tantum edere, ſed tenuiter eſitare vetant. Vbi hoc obtinuerunt, iam guſtare etiam prohibent. Poſtquam hoc quoque illis conceſſum eſt, ne digito quidem contrectare fas eſſe dicunt. Qui retinent vſitatam verſionem, ſic abſoluunt ſententiam: Ne tetigeris hoc corpus. Eſt enim impurum. Ne guſtaueris hunc cibum. Eſt enim prohibitus: Ne contrectaueris hanc rem. Nam ſacra eſt. Sed prior explicatio accommodatior videtur præſenti loco, id quod ſequentes rationes, adeoque ipſa præſentis loci periſtaſis conuincunt.

Quæ ſunt omnia in corruptionem ipſo abuſu.

Confirmatio ab ipſo rerum vſu, ſeu à deſtinato ad finem, cuius hic ſenſus eſt. Cibi omnes, quos guſtare vetant Iudaizantes, eo deſtinati ſunt, vt vtendo pereant, alioqui nullus eorum vſus eſſet, & ſine vſu perirent. Atque ita Deus aliquid inutile cōdidiſſet, quod prophanum & impium eſt cogitare de Deo ſapientiſſimo, qui nihil fruſtra condidit. Porrò, abuti hoc loco ſignificat vtendo conſumere.

Iuxta præcepta & doctrinas hominum.

Aliud argumentum à cauſſa ſumptum. Credentes non ſunt aſtricti præceptis & doctrinis hominum. Sed prohibitiones ciborum ſunt præcepta & doctrinæ hominum. Igitur Chriſtiani prohibitionibus ciborum non obligantur. Obſeruandus inprimis hic locus eſt. Nam diſerte docet, quod nullum humanum inuentum debeat conſcientiam Chriſtiani hominis ligare. Quare, quicquid proponitur ſine mandato Dei & expreſſo verbo, fugiendum eſt non ſecus atque puritatis Euangelij corruptela.

Quæ ſpeciem quidem habent ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate, & neglectu corporis.

Interponit rationem, cur vſque adeo arrideant humanæ traditiones, ac tres cauſſas recitat, quarum Prima eſt, ἐθελοθρησκεία, id eſt, voluntarius cultus, bona (vt aiunt) intentione ſuſceptus. Altera eſt humilitas, qua ſe præpoſitis ſuis & maioribus ſubijciunt, atq; ſuo exemplo alios ad præſtandam obœdientiā ſuperioribus inhortantur. Tertia cauſſa eſt neglectus corporis. Nam dicunt iſtam certorum ciborum abſtinentiam ſeruire corporis mortificationi. Verū has cauſſas quaſi fulmine quodā proſternit Paulus, cum pronunciet eas habere ſpeciem ſapientiæ tantū, vnde relinquitur, quod quicquid ſapiant homines in negocio ſalutis extra verbū, id mera ſit ſtulticia, ex ſtulto cerebro hominum profecta. Sit igitur nobis verbū ſapiēdi regula, vnde alibi Paulus: Nemo ſapiat

vltra

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

vltra id, quod oporteat ſapere. Porrò, quia ſtulticia cumulandi cultus, prætextum habet bonæ intentionis, pij hominis eſt cogitare, quod quadrupliciter peccent, qui bona (vt vocant) intentione ſine verbo Dei inſtituunt cultus. Primum rei fiunt defectionis. Nam ſtulte deficiunt à regula cultus, quæ eſt verbum Dei. Deinde in temeritatis vicium incurrunt. Quid enim quæſo magis temerarium eſt, quam quod puluis & cinis velit Deo normam præſcribere, iuxta quam ab homine coli debeat, velit nolit? Tertio, ſuperbia peccát. Quarto, nocent exemplo.

Non in honore aliquo ad expletionem carnis. Reprehenſio eſt Pſeudoapoſtolorum, & oſtenſio veri vſus ciborum. Reprehendit quidem Pſeudoapoſtolos, eo quod omnem corporis curam abijciẽdam docuerũt, quod cum fit, redditur corpus ad ſuas functiones inutile. Eſt aũt duplex carnis cura: Vna prohibita, nempe quæ ad concupiſcentias carnis explẽdas facit. Altera præcepta, quæ eo pertinet, vt corpus robur ſuum ad præſtanda debita officia habeat. Vſus porrò ciborum ad expletionẽ, id eſt, ſaturitatem, qualem naturæ neceſſitas requirit, pertinet. Vt enim honor hic debitam curam ſignificat: Ita expletio eam ſatietatẽ denotat, qua natura vt ſit incolumis, nequaquam carere poteſt.

CAPVT III.

QVARTA PARS EPISTOLAE.

Summa Capitis tertij.

Mortis & reſurrectionis Chriſti participes veteri homini cum actionibus ſuis renuncient, ac nouum induant omnium virtutum genere ornati, profligatis vicijs. Coniuges, parentes & liberi, domini & ſerui debita ſibi mutuo præſtent officia.

Ordo & partes Capitis tertij.

Apoſtolico more & Prophetico doctrinæ parænеſes ſubijcit in hoc capite, ac primo loco eas, quæ ex doctrina immediate fluunt. Deinde generales per diſtributionem & contrariorum collationem. Officia enim Chriſtiani hominis, cõferendo ea cũ vicijs oppoſitis recenſet. Tum deſcendit ad perſonalia officia coniugum, parentum, liberorum, dominorum, ſeruorum. Vnde in quarto capite ad generalem redit parænеſin, quæ ſane exhortandi ratio, vt maxime eſt perſpicua: ita iuxta artificum præcepta omnino inſtituta videtur.

EXEGESIS CAPITIS TERTII CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SI ſurrexiſtis igitur cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite. Illatio eſt exhortatoria, & ponitur præpoſitio maior loco totius argumenti, quemadmodum in hypotheticis vt plurimum fieri ſolet. Eſtque argumentum à connexis. Si ſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite. Sed reſurrexiſtis cum Chriſto. Igitur quæ ſurſum ſunt quærite, id eſt, rebus cœleſtibus ſtudere. Atque hæc eſt prima propoſitio inſtitutæ exhortationis, quæ per locum à contrarijs extruitur, ex doctrina præcedente.

Vbi Chriſtus eſt, in dextra Dei ſedens. Propoſitionis ratio eſt. Chriſtus, cuius membra eſtis, quærendus eſt. Sed is in cœlo eſt, in dextra Dei ſedens, Igitur ibi eſt quærendus, nempe fide, inuocatione, affectu & meditatione vitæ cœleſtis. Hæc Pauli verba nequaquam tollunt præſentiã Chriſti à nobis. Nam iuxta promiſſionẽ ſuam Chriſtus nobis vere adeſt. Ego, inquit, ero vobiſcum vſq; conſummationem ſeculi. Diſtinctio ergo Auguſtini huc facit: Vbique eſt, per id quod Deus eſt, in cœlo autẽ per id, quod homo eſt, videlicet vbi Chriſtus eſt in dextra Dei,

vt hic

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

vt hic Apoſtolus loquitur. Eſt enim hic dextra Dei abſque omni dubio locus beatitudinis & felicitatis, in quo loco corpus Chriſti collocatum eſt. Nam hic diſerte opponitur dextra Dei locis & rebus terrenis. Neque cum his pugnat aſſertio de præſentia vera corporis Chriſti in cœna. Eſt enim in cœlo corpus Chriſti naturali præſentia, in cœna vero ſupernaturali, quemadmodum ipſe Lutherus fatetur.

Quæ ſurſum ſunt cogitate, & non quæ ſunt ſuper terram.

Repeticio eſt propoſitionis amplificatæ Antitheſi, quaſi dicat: Ceremoniæ vos in terris detinent, ſed veſtra meditatio debet eſſe cœleſtis, vbi Chriſtus eſt. Igitur iſta terrena ne amplius ſectemini. Hic enim terrena vocat ceremonias illas & ritus, contra quos diſſeruit in ſuperiori capite. Auocant enim à vera meditatione vitæ cœleſtis. Quo igitur magis cumulátur ceremoniæ, eo minus eſt veræ ſanctimoniæ, eoque magis ignoratur Chriſtus, occupatis hominum animis in ceremonijs.

Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

Ratio ab adiunctis duplex. Mortui eſtis mundo, Igitur quæ mundi ſunt nolite meditari. Viuificati eſtis cum Chriſto in Deo. Igitur iſtius vitæ ratio habenda eſt. Cum addit, Cum Chriſto in Deo, duas cauſſas futuræ noſtræ glorioſæ vitæ indicat, Materiam, & efficientem. Chriſtus eſt materia vitæ noſtræ. Ipſius enim vita noſtra eſt, vt ipſius mors noſtra eſt. Efficiens cauſſa eſt ipſe Deus, qui hanc noſtram abſconditam vitam olim in lucem producet.

Vbi autem Chriſtus apparuerit vita noſtra, tũc & vos cum eo apparebitis in gloria.

Conſolatio eſt, qua animat Coloſſenſes contra præſentes ærumnas, vt boni conſulant moram apparitionis promiſſæ vitæ in gloria beatitudinis. Vt enim latet margarita, quam diu coclea occultatur, illaque refracta proprium virtutis emittit fulgorem: Sic & nos donec in hac mortali carne fuerimus, noſtra vita latet abſcondita, ſed diſſoluta hac carne, vita noſtra glorioſa apparebit. Hic locus opponatur omnibus huius mundi ærumnis, hac vita nos conſolemur, quoties ſæuior perſecutionum tempeſtas ſuboritur. Quam enim certo Chriſtus glorificatus eſt, tam certo nos, qui hic in eum confidimus, ſuo tempore glorificabimur.

Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.

Infert generalem exhortationem, quá orditur à prima pœnitentiæ parte, quæ eſt carnis mortificatio. Ac primum in genere hortatur ad mortificanda membra, quæ ſunt ſupra terram, cui mox ſubiungit quandam diſtributionem membrorum. Porrò peccata & affectus peccatorum, vitata in ſcripturis metaphora, qua & tota peccati maſſa appellatione corporis deſignatur, vocat membra terreſtria, quaſi corporis totius partes & mẽbra quædam veteris hominis, hoc eſt, corruptę naturę. Docet proinde hic locus, qualeſnam noſtra natura ſimus, quemq; fructum, ſi nobis relinquamur, ꝓducere valeamus. Porrò, mortificationis deſcriptionem colligamus hoc pacto: Mortificatio eſt verus timor Dei, quo reſiſtimus, adiuti Spiritu ſancto, concupiſcentijs carnis, abſterremur metu iudicij Dei à peccando, quadamq; diligentia ac diſciplina cauemus in peccata lapſus, quo toti ſpiritu & corpore Deo obſequium ex fide præſtemus, in nouitate vitæ ambulantes. Huic ex aduerſo reſpõdet viuificatio, quæ eſt, cum conſolatio ex fide percepta, tum nouæ vitæ incoatio, in omni pietatis exercitio. His duabus partibus, mortificatione & viuificatione, conſtat ſpiritualis regeneratio.

Fornicationem.

Id eſt, illicitum concubitum cum muliere ſibi matrimonio non iuncta.

Immunditiem.

Hac notat omnem illicitam venerem, quæcunque nominari poſſit. Verecunde enim pro multis libidinum generibus poſuit vocem, omnibus venereis actionibus communem.

Libidinem.

Eraſmus molliciem vertit, quæ eſt omnis libidinis incitamétum, verum

Græce

Græce πάθος eſt, id eſt, affectio turbulẽtior, ſeu rabies quædam corporis, qua veluti furioſi ruunt homines in quæuis libidinum genera, vnde tales homines dicuntur Græcis κυπρομανεῖς, id eſt, ex venere inſani ſeu furioſi. Hæc (vt inquit Athanaſius) non ſecus habet, quam vulnus in corpore, aut febris, aut alius quiuis iſtiuſmodi morbus, cui mederi ſingularis curæ eſt, & plane diuinæ. Verum ne quis hac rabie vincatur, donatum eſt remedium, nempe ſanctum matrimonium, quod amplectatur, qui iſto morbo ſe turbari ſenſerit.

Concupiſcentiam malam.

Hæc omnis mali fons eſt. Sed cum malam nominat, concupiſcentiam aliquam bonam eſſe ſubindicat. Illa carnis eſt, & ad carnalia ſollicitat: Hæc ſpiritus eſt, qua quæ Dei ſunt & virtutis, concupiſcuntur & exoptantur. Gal. 5.

Et auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum cultus.

Cur auaritiam fugiendam & amputandam, tanquam veteris hominis membrum, cupiat, rationem reddit, nimirum quod ſit ſimulacrorum cultus. Si igitur Chriſtiani veri Dei cultores eſſe debent, & fugere omnem Idololatriam, profecto ab auaritia abſtinebunt, quam ſi ſectantur, à vero Dei cultu aberrant. Ratio autem, cur auaritia dicatur Idololatria, hæc eſt, quod vt Idololatria vero Deo ſpreto, colit idolum loco veri Dei: ita auarus rebus ſuis confiſus, fiduciam in ſolum Deum abijcit. Ideoque recte Idololatria à Paulo dicitur.

Propter quæ venit ira Dei in filios inobœdientiæ.

Meminit iudicij Dei in inobœdiẽtes, hoc eſt, eos qui ſpiritus imperio excuſſo, carni indulgent ad omnia nefanda ſcelera perpetranda. Ex hoc loco conuincitur, flagitioſe viuentes, nihil prorſus fidei habere. Nam omnis qui credit, ab ira Dei vindicatus ſanguine Chriſti eſt. Hæc proinde ſit vna ex notis externis filiorum Dei & filiorum Satanæ. Illi ex ſpiritu fidei mortificandæ carni ſtudent, Hi laxant frena carnalibus deſiderijs.

In quibus & vos aliquando ambulaſtis, cum viueretis in eis.

Ambiguus eſt hic locus. Nam incertum eſt vtrum, in quibus, ad filios inobœdientiæ, aut ad vitia, quæ recenſuit referatur. Si ad homines, hic erit ſenſus. In quibus, id eſt, inter quos (vt vertit Eraſmus) vos aliquando ambulabatis, dum viueretis in eis, ſcilicet ſceleribus, quemadmodum illi fecerunt. Ac ita admonet Coloſſenſes prioris vitæ, vt iam ſint cautiores, poſtquam ad Chriſtianam religionem conuerſi ſunt. At ſi ad vitia referre malis, hic erit ſenſus. In quibus, ſcilicet vicijs vos aliquando ambulabatis, id eſt, cõuerſabamini, cum adhuc viueretis in eis, quaſi dicat: Iam per mortem Chriſti, carni adeoque eius operibus mortui eſtis. Non igitur decet, vt in vicijs amplius viuatis, atque ita erit argumentum à priuatione cauſſæ ad priuationem effectus. Monet hic locus, quod Chriſtiana religio & profeſsio requirat vitam & mores religioni congruentes.

Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpiloquium ex ore veſtro, ne mentiamini alij alijs.

Pergit in hortando Coloſſenſes ad deponenda membra veteris hominis, quorum nonnulla ſubiungit, nempe iram, excandeſcentiam, malitiam, blaſphemiam, turpiloquium & mendacium. IRA & excandeſcentia facilius apud Græcos diſtinguuntur, quibus ira, hoc eſt, ὀργὴ, appetitum vindictæ ſignificat, ab ὀρέγω, quod eſt appeto. Excandeſcentia, Græcis θυμὸς, perturbationem illam notat, quando ſanguis circa cor incipit ebullire, vnde in vultu & in oculis erumpunt quaſi ſcintillulæ quædam ignis ardẽtis. & dicitur παρὰ τὸ θύειν, hoc eſt, ab inflamando & excitando. PORRO, ne omnẽ irã temere dãnemus, notandũ eſt quod duplex ſit Ira, vna laudabilis, altera vicioſa. LAVDABILIS ira ex bona cauſſa procedit, & tendit moderate ad aliquẽ bonum finem. Pater iraſcitur filio contumaci. Cauſſa eſt, ςοργὴ φυσικὴ in bono patre. Finis eſt, vt filius caſtigatus emẽdetur. Iudex iraſcitur latroni. Cauſſa eſt amor iuſticiæ & incolumitatis reipub. Finis eſt, vt latro affectꝰ ſupplicio alijs ſit terrori, ne & ipſi latrocinia exerceãt. Hic non proprie perſonæ iraſcitur, ſed vicio, & perſonam punit, ne vitium magis graſſetur inter homines. VICIOSA ira eſt, quæ ex mala cauſſa procedit, & tendit in malũ aliquem finem.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

finem. Hæc inter opera carnis numeratur Gal. 5. & à Chriſto damnatur Matth. 5. MALI-
CIA, Græce κακία, hanc Cicero opponit virtuti, & ſignificat habitum vicioſum virtuti om-
nino contrarium. Hinc pro quouis maleficio accipitur. BLASPHEMIA proprie conui-
cium, quo alicuius fama & nomen læditur, vt εὐφημία eſt acclamatio, qua alicuius fama &
nomen extollitur & celebratur. TVRPILOQVIVM αἰσχρολογία, verborum obſcœnita-
tem notat, quam cum audiunt verecundi, nō ſolum pudore, verum etiam dolore afficiun-
tur, adeo vt indignentur etiam. MENDACIVM proprie eſt dictum nocēdi ſtudio prola-
tum, contrarium veritati cognitæ, quam dici oportuit. Improprie mendacium eſt, cum o-
ratio cum re non omnino congruit, ſed abeſt tamen nocendi ſtudium, immo ſæpe gloria
Dei quæritur, & ſalus hominis. Hoc in vicio non eſt, quia à cauſſa bona procedit, & tendit
in bonum finem. Philippus χρῆμα λόγου appellat.

Exuti veterem hominem cum actioni-
bus ſuis, & induti nouum, qui renouatur in
agnitionem ſecundum imaginem eius, qui
creauit illum.

Iam cauſſas fugiendorum pecca-
torum & ſectandarum virtutum po-
nit. Vt enim vetus homo eſt ipſa na-
turæ vicioſitas, & eius actiones ſunt
inde pullulantia vicia, tanquā mem-
bra quædam: Ita nouus homo repa-
ratio naturæ eſt per regenerationis gratiam, & eius fructus ſunt veluti eius membra, qui-
bus ſuas actiones exequitur. Notetur ergo hic ſcopus, quo tendere oportet pios per totam
vitam, nimirum vt indies magis magisque (nō enim vno die perficitur, ſed toto vitæ tem-
pore incrementa ſumere debet hæc reparatio) tendamus ad perfectionem, quo in nobis
imago Dei clarius refulgeat. Vide ſupra locum in 1. capite, Qui eſt imago Dei inuiſibilis.

Vbi non eſt Græcus & Iudæus, circumci-
ciſio & præputium, Barbarus, Scyta, ſer-
uus, liber.

Hac enumeratione tollit omnem
cum prærogatiuam tum externarum
rerum obſeruationem, quæ omnia
nullum locum habent, ſeu nullam
prærogatiuā in regno Chriſti, quod regnū, quia ſpirituale eſt, adminiſtratur per Euāgeliū.
A fide incipit, pietate ac innocentia ad perfectionē tendit. Obſeruandus locus, quod Deus
nō ſit perſonarum acceptor, ſed vt Petrus inquit, Omnis, qui ipſum timet, acceptus eſt illi.

Sed omnia & in omnibus Chriſtus.

Quo tendant, quæ dixit de Græco,
Iudæo, &c. explicat, nimirum quod
nihil extra Chriſtum quærendum ſit, in quo Chriſto ſalutis totius complementum eſt,
quem qui fide poſsidet, nihil eſt, quod requirat amplius. Faceſſant igitur omnes, quot-
quot ad perfectionem Chriſtianam aliquid extra Chriſtum quærunt. Moneamur quo-
que, vt in illo indies adoleſcamus, quemadmodum Apoſtolus monet ad Epheſ. 1.

Induite igitur tanquam electi Dei, ſancti
& dilecti, viſcera miſerationum, benigni-
tatem, humilitatem, manſuetudinem, to-
lerantiam.

Antitheſis eſt. Vt enim ſupra reci-
tauit veteris hominis membra, quæ
deponenda ſuaſit: Ita nunc membra
noui hominis recenſet Epitheta, quę
in principio ponit, cauſſas continent
ſiue argumenta ab honeſto. Electi,
quia in Chriſtū credunt. Hi enim electi dicuntur reſpectu prophanorum hominū, qui Eu-
angelium cōtemnunt. Sancti, ꝓpter regenerationis gratiam, & quod deſtinati ſint cultui
diuino. Dilecti in dilecto ad Epheſ. 1. Cū igitur tales ſitis, par eſt, vt vita & mores veſtri tan-
tis honoribus reſpondeant. VISCERA miſerationum ſignificanter dictum eſt, qua locu-
tione ſignificat Apoſtolus, non ſatis eſſe cōdolere proximo laboranti, niſi ex ardēti cordis
affectu (qui viſcerum nomine ſignificatur) manū ei porrigas, iuueſq; in quacunq; neceſsi-
tate conſtitutum. Porrò, miſericordia & miſeratio differunt vt cauſſa & effectus, Miſericor
dia enim affectus quidā cordis eſt, quo tangimur aliena calamitate. Miſeratio vero eſt, cū
ex miſericordia moti, ſuccurrimus miſeris & afflictis, Hæc virtus cōmendatur Chriſtianis
voce & exemplo Chriſti, à qua qui alienus eſt, fruſtra de Chriſto gloriatur. BENIGNI-
TAS Græce χρηστότης, quam quidam modeſtiam vertunt, ſed benignitatem (vt habet vetus
verſio) retinere melius eſt. Nam χρηστότης relationem ad alios habet, & eſt affectus, quo alijs
vtilitati & cōmodo eſſe ſtudemus, & manat hic affectus ex miſerationum viſceribus. HV-
MILITAS, Græce ταπεινοφροσύνη, eſt ea animi humilitas, qua quis nihil altū de ſe ſentiens,
ſeipſum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſeipſum demittit,inanem gloriam cõtemnendo. ταπεινὸς enim humilẽ ſignificat,& φρονεῖν ſapere,meditari,cogitare. Huic opponitur μεγαλοφροσύνη, quæ eſt animi magnitudo & arrogãtia,qua ſuperbe de nobis ſentimus. MANSVETVDO,Græce πραότης,morũ eſt quædã ſuauitas,qua alijs & affabiles & comes ſumus, eſtq; veræ humilitatis effectus. TOLERANTIA, μακροθυμία,ad verbum, longanimitatem notat,qua tardi ad offenſionẽ ſumus.

Sufferentes vos inuicem, & condonantes vobis mutuo, ſi quis aduerſus aliquem habuerit querelam.

Quid per tolerantiam velit, explicat,nimirum vt mutua patientia nos inuicem toleremus, memores communis fragilitatis. quia facilis lapſus eſt in offenſionem proximi.

Quemadmodum Chriſtus donauit vobis: Ita & vos.

Exemplo Chriſti nos vrget. Chriſtus enim non tantum nobis eſt donum,verum etiam exemplum, vnde recte & pie dicitur:Omnis Chriſti actio,noſtra eſt inſtructio.Sed triplices Chriſti actiones ſunt obſeruandæ.Morales,quibus legi morali ſatisfecit,hæ noſtram vitam & mores ad dilectionem Dei & proximi excitabunt.Miraculoſæ,hæ mentem noſtram de veritate doctrinæ ipſius confirmabunt. Peculiares, quæ ſunt ipſius officij propriæ, hæ vt expiatoriæ peccati noſtri fuerunt: ita ſalutis fiduciam in nobis alent & confirmabunt. Atque ita omnis Chriſti actio,noſtra eſt inſtructio, ſed diuerſimode,vt ex dictis patet.

Super omnia autem hæc dilectionem, quæ eſt vinculum perfectionis.

Enumeratis aliquot noui hominis membris, ſubiungit commune præceptum de dilectione mutua, quam ideo vinculum perfectionis vocat,quia ſola caritate cõſeruatur omniũ rerum incolumitas & integritas, cum in politia, tũ in Eccleſia & Oeconomia, & quod ea ſublata omniũ rerũ iuſta harmonia & compago diſſoluitur.Perfectio igitur hæc nõ Deũ,ſed homines reſpicit. Vnde apparet hallucinari Papiſtas, qui hoc loco abutũtur ad ſtabiliendã operũ iuſticiam.

Et pax Dei palmam obtineat in cordibus veſtris, ad quam etiam vocati eſtis in vno corpore, & grati eſtote.

Prolepſis eſt,qua ànticipat omnia, quæ ad diſſidia & odia pertrahere poſſent, quibus omnibus opponendam pacem Dei ſuadet; quam vult palmam obtinere, ne diſſidijs, odijs,ſimultatibus vincamur. Vocat autẽ pacem Dei concordiam,quam Deus vult nos fouere, propterea quod eiuſdem corporis ſumus membra, & ad hanc fouendam mutuo vocati ſumus. Ideo enim Deo patri per Chriſtum recõciliati ſumus,vt inter nos colamus concordiam, qua mutuo coaleſcamus. Huius pacis fructum addit:Et grati, Græce εὐχάριστοι,id eſt,gratioſi, amabiles & comes inter vos mutuo eſtote.

Sermo Chriſti habitet in vobis abunde, in omni ſapientia.

Cõmendat Coloſſenſibus ſtudium Euangelij, vt in eo indies proficiant, quo plenam ſapientiam ſalutis conſequantur. Hæc pugnant cum Papiſtarum decretis, quibus ipſi conantur homines arcere à lectione ſacræ ſcripturæ, tanquam re pernicioſa. Sed Paulus hic non tantum doctores Eccleſiæ Coloſſenſiũ,ſed oẽs promiſcue ad ſtudium doctrinæ Chriſti hortatur.& obſeruandum eſt verbũ habitãdi,quo notat fidẽ Euãgelij debere eſſe in nobis firmam & radicatam.

Docentes & admonentes vos inuicem Pſalmis & Hymnis & odis ſpiritualibus, cũ gratia canentes in corde veſtro Domino.

Vſus ſermonis Chriſti exprimitur, vt non ſolum ipſi, quod rectum eſt, ſciamus, verum etiam vt nos mutuo doceamus,& admoneamus Pſalmis, Hymnis & odis de rebus ſpiritualibus cõpoſitis.Obſeruandus inprimis hic locus eſt cõtra phanaticos ſpiritus, qui miniſterium verbi abolere conantur. Quorum delirium hic locus Pauli aperte cõfutat. Porrò canere in corde Domino,eſt ex fide canere in Dei laudẽ,vt nos inuicẽ ædificemus in Domino.Diſcrimen inter Pſalmum,Hymnũ & odam in Epiſtola ad Epheſ.declaratum eſt cap.5.PORRO hic locus monet,vt nonnihil dicamus de Hymnis & Pſalmis,qui in templis cani ſolent,ne Monachi & ſacrificuli ſuum boatum hic cõmendari exiſtiment,qui fumum cum auro cõmutant,ſibi & ſuis emtoribus in exitium,niſi mature

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

reſipiſcant. OMNIS actio ratione operis licita vel præcepta, laudabilis fit, modo regatur à vera & bona cauſſa, & reſpiciat bonum & legitimum finem. Contra verò in vitio eſt, ſi vel vera cauſſa deſtituatur, vel aberret à legitimo fine. Eleemoſynã dare licita in ſe actio, imo præcepta eſt, & fit laudabilis, quando vera cauſſa regitur, videlicet mandato Dei, & fide in Chriſtum, & reſpicit gloriam Dei & ſubleuationem egentis proximi. Cõtra vero, Si hypocriſi regitur & tendit ad ſanctimoniæ laudẽ quęrendã inter homines, in maximo eſt vicio, & apud Deum res ſum̃e abominabilis. Atque ita in alijs cauſſa & finis qualitatẽ actionum mutant. SI quis in choro canit Pſalmos, Hymnos & odas pietate vera adductus, ſpectans gloriam Dei, & mutuam ędificationem in Domino, laudabilis & pia eſt cantio, quę nobis hic à Paulo commendatur. Verum ſi auaritia impellitur quis, aut ſuperſtitione, & non ſpectat gloriam Dei & mutuam ædificationem, ſed lucrum potius, quo fraudaretur, ſi non in choro caneret, & meritum, quod ex operæ operato, vt vocant captat, & opus ſupererogationis, quod alijs applicat. Huius cantio impia eſt, & in Deum contumelioſa, ſecunda lege Decalogi ſeuere interdicta. Huiuſmodi eſt cantio Monachorum & ſacrificulorum, qui traditiones humanas anteponunt præceptis Dei. E x his non eſt difficile iudicare de choradia, quæ apud noſtros Canonicos in vſu eſt. Afferant pium pectus, & cor fide purificatum. Spectent gloriam Dei, & mutuam ædificationem in Domino. Attendant non tam clamori, quam ſpiritui verborum. Sint verba duces animorum ad Deum. Locum faciant concionibus publicis, & illis tribuant priores partes, vt quæ pluribus ſeruiant. Adhibeantur iſtis pſalmodijs, quorũ ætas & valetudo non eſt apta alijs muneribus in Eccleſia & republica. Nam rempub. & Eccleſiam negligere, & totum tempus vitæ cantibus conſumere in templis non laudo. Optarem ſane iſtud munus tantum committi illis, qui iam confecti ætate, & exhauſti laboribus in Eccleſia & Republica, ocium iuſte petunt. Siquidem alios ſeruire ſingulos ſuo loco Reipublicæ & Eccleſiæ par eſſe iudico. Qui autem prorſus ignaui ſunt & imperiti, vt illorũ opera non videatur vtilis Eccleſiæ & Reipublicæ, viuant aliunde & non ex bonis Eccleſiaſticis, vt fuci in alueario. His commẽdatum volo verſiculum Phocylidis, εἰ δέ τις οὐ δεδάηκε τέχνην, σκάπτοιτο δικέλλῃ. Si intra hos limites manſerint choradi noſtri, non improbandum eſt eorum ſtudium. At ſi Monachorum & ſacrificulorum ſectantur ſuperſtitionem & impietatem, dico eos contra ſecundam Decalogi legẽ grauiſsime impingere.

Et quicquid egeritis ſermone aut facto, omnia in nomine Domini Ieſu facite.

Regulam generalem omnibus dictis & factis noſtris præſcribit, Nimirum vt in nomine Domini Ieſu faciamus omnia. quam regulam tum demum obſeruabimus, ſi ab inuocatione nominis ipſius incipies, omnia ipſius laudi & gloriæ deſtinamus.

Gratias agentes Deo & patri per illum.

Hac gratiarum actione primum ſignificat nullum laboribus noſtris fore ſucceſſum proſperum, niſi diuinitus iuuemur. Deinde monet, tum demum placere gratiarum actionem, vbi per Chriſtum fiat, hoc eſt, quãdo ipſo mediante agnoſcimus Deum nobis benefacere. Præterea, vt vox Dei maieſtatis diuinæ: Ita patris vocabulum paterni fauoris nos admonebit. Vnde facultatem Deo adiuuandum, & voluntatem promtam eſſe colligamus.

Vxores ſubditæ eſtote proprijs maritis.

Hic Oeconomiam perſonalibus ſeu particularibus præceptis inſtruit, de qua re plura petantur ad Epheſ.5.6. 1.Pet.2.& 3.& ad Tit.2. Incipit autem à primo œconomiæ iugo, nempe à coniugum mutuis officijs.

Vt decet in Domino.

Argumentum ab honeſto, & ſimul regulam obœdientiæ præſcribit. In Domino, hoc eſt, iuxta ordinationem Dei. Nihil enim contra Deum in vllius gratiam faciendum eſt. Subiectio ergo piæ fœminæ gratus Deo cultus fit, quando ipſa mandatum Dei de ſubiectione ſui meditatur, & ex fide in gloriam Dei, & in obſequium mariti officium facit. Hinc & conſolationem petet, ſi quando à duriori marito indignius tractetur.

Mariti, diligite vxores, & ne ſitis amari erga illas.

Requirit à maritis dilectionem & humanitatem, & prohibet duram conuerſationem & aſperam tractationem.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

onem. Debet enim pius maritus cogitare, quod mulier ſit ſibi à Deo data, non vt ſit ſcabellum pedum ipſius, ſed potius βοηθὸς γενέσεως, καὶ οἰκυρίας, vt Clemens loquitur.

Liberi obœdite parentibus in omnibus.

Obœdientia liberorum erga parentes & promtitudinẽ animi, & alacritatem in exequendis iuſsis parentũ cõplectitur, & eſt pars honoris, quẽ poſtulat quartum præceptum, quo honore omne genus pietatis filiorum erga parentes intelligitur. Porrò, cũ Apoſtolus addit, In omnibus, intelligendum eſt de licitis tantũ, vt particula Omnis diſtribuat nõ totum genus, ſed vnam tantum ſpeciẽ, quaſi dicat, in omnibus licitis filij parentibus obtẽperent, vtut dura eſſe videantur, quæ parentes imperant. Nam ſi liberi parentibus obœdientiam debent propter mandatum Dei, profectò obœdiendum nõ eſt, ſi quid cõtra Dominum impij parentes imperauerint. Verum laudandi ſunt potius pij, qui recuſant obœdire parẽtibus in rebus impijs. Pie igitur & ſanctè fecit Catharina martyr, quæ potius ceruicem carnifici præbuit, quam ad iuſſum impij patris Chriſtum negare voluit. Sit ergo liberorum obœdientia erga parentes limitata, & nõ pugnet cum obœdientia Deo debita.

Hoc enim placet Deo.

Argumentum ab honeſto. Turpiter enim faciunt, qui præteritis & neglectis parentibus, alicui vitæ generi ſe dedunt, aut negocia aggrediuntur. Non enim quales, ſed quod parentes ſint, ſpectandum eſt.

Patres, ne prouocetis liberos veſtros, vt non puſillo animo fiant.

Liberalem tractationem liberorum à parẽtibus requirit. Plurimum enim valet ingenua educatio, cum contra aſpera, dura & moroſa ſæpiſsime facit, vt ingenui alioqui pueri animos magis demittant, & quaſi languidiores & ſocordes reddantur.

Serui, obœdite per omnia dominis carnalibus, non obſequijs ad oculum exhibitis, tanquam hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timẽtes Deum, & quicquid feceritis, ex animo facite, tãquam Domino, non hominibus.

Prolixius Chriſtianos ſeruos inſtruit Apoſtolus, vt ſciant ſuum miniſterium, modo rite fiat, Chriſto gratiſſimum cultum eſſe. Habet autem hęc inſtructio plures partes. PRIMO loco requirit obœdientiam erga terrenos dominos, videlicet vt in omnibus, ſcilicet licitis per legem Dei & naturæ obœdiant carnalibus dominis. SECVNDO, vult abeſſe ὀφθαλμοδουλείαν, hoc eſt, obſequium ad oculum exhibitum, hoc eſt, vult Chriſtianos ſeruos vſitata ſeruorum vitia fugere. Solent enim abſentibus dominis negligẽtiores eſſe. Vnde nata ſunt hæc dicta, Prodigium ſeruus grande fidelis erit. Oculus Domini paſcit equum. εἷς ἐστὶ δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης. TERTIO, requirit ſimplicitatem cordis, qua nequitia, panurgia ſeruilis, contumax rebellio, & reſponſatrix audacia expellitur. QVARTO, poſtulat timorem Dei. Hic enim facit, vt ſerui non tam ad dominos carnales reſpiciant, quam ad Deum ipſum, qui obœdiẽtiam ſeruorum erga dominos ſuo mandato requirit, & minatur pœnam contumaciter ſe ſuis dominis opponentibus. Breuiter, Timor Dei omnis boni operis effector eſt. Loquor autẽ de timore, qui ex fide naſcitur. QVINTO, regulam obœdientiæ præſcribit ſeruis, nimirum, vt ſerui ſuis dominis obtemperent, tanquam Chriſto, hoc eſt, ſerui ſtatuant ſe Chriſto obœdire, quando ſuis dominis obœdiunt, iuxta mandatum Dei. Sunt ergo ſeruilia ſeruorum opera cultus ſpiritualis, Deo per Chriſtum gratiſsimus, modo fides prælucet. Hinc conſolationem pij ſerui, quando indignius à ſuis dominis tractentur, petant.

Scientes quod à Domino reçipietis retributionem hæreditatis.

Sicut omnis obœdientia ex fide præſtita, habet promiſsionem mercedis: Ita & obœdientia erga dominos carnales. Quare rurſus erigit ſeruos grauiori preſſos ſeruitute.

Domino enim Chriſto ſeruitis.

Ratio, cur mercede dignatur Dominus obœdientiam homini præſtitam. Chriſtus enim Dominus inde glorificatur, Ideoque ſibi præſtari obœdientiam affirmat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Nam qui iniuſte egerit, mercedem reportabit ſuæ iniquitatis. Prolepſis eſt, qua anteuertit ſermorum obiectionem de iniuſto domino, an non tum liceat detrectare imperium, aut etiam ſe vlciſci, cum Domini ipſi iniquius agant cum famulis ſuis. Reſpondet Domino vindictam relinquendam eſſe.

Et non eſt perſonarum acceptio. Hoc eſt, Deus non conſiderat faciem hominis externam, nec conditione perſonali flectitur, ſed ſecundum cor, vt qui cor inſpicit & renes ſcrutatur, iudicat. Nam homo videt ea, quæ patent, Deus autem ſolus cordium ſcrutator eſt.

Domini, quod iuſtum eſt & æquum, ſeruis præſtate, ſcientes quod & vos Dominum habetis in cœlis. Analogum officium dominorum erga ſeruos requirit. Iuſtum enim eſt, vt officium officio ex æquo reſpondeat, id quod iuſticia diſtributiua requirit. Verum, quia interdum domini limites ſuæ poteſtatis in ſeruos tranſiliunt, admonet eos, vt meminerint ſe Dominum in cœlis habere, qui & ſeruos reſpicit, & poteſt punire eos, qui duriores ſe ſeruis ſuis exhibent.

CAPVT IIII.

Summa Capitis quarti.

Orandum ſemper cum gratiarum actione, caute ambulandum & prudenter loquendum.

Ordo & partes Capitis quarti.

Primo loco generalia præcepta tradit de precatione, conuerſione & ſermone. Deinde monet de ſuo ſtatu, quem cognoſcent ex Tychico, quem commendat. Tum ſequuntur ſalutationes & commendationes quorundam miniſtrorum Euangelij.

EXEGESIS CAPITIS QVARTI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

ORATIONI inſtate vigilantes in ea, cum gratiarum actione. Redit ad generales parænefes, ac primum commendat Coloſſenſibus orationem, præcipuum fidei exercitium. In hac autem duo requirit, perſeuerantiam ſeu inſtantiam, & vigilantiam cum gratiarum actione. vnde monemur primum indigentiæ noſtræ. Si enim perpetuo orandum eſt, ſemper nobis aliquid deeſt, quod eſt petendum, ſemperque nos aliquid premit, quod eſt deprecandum. Deinde admonemur de præſentia Dei, qui paratus eſt ad iuuandum. Nam pro acceptis beneficijs perpetua gratiarum actio eſt reddenda. Huc pertinet admonitio Domini: Vigilate & orate. Proinde neque aſtris, neque horoſcopis, neque chiromantijs aut alijs vanis vaticinijs nitamur, ſed ſit oratio pia baculus noſter in Domino, qui nō ſolum iuſsit orare & petere ſalutaria, ſed etiam promiſit ſe inuocantes exauditurum.

Orantes ſimul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ianuam ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti (cuius etiam cauſſa vinctus ſum) vt manifeſtem illud, quemadmodum oportet me loqui. Petit pro ſe quoque preces fieri, vnde duo colligenda ſunt. Primum, neminem ita donis ornatū eſſe ad ſunctionem Euāgelij, quin piorum precibus indigeat. Nam ſi Paulus ab ipſo Chriſto immediate doct⁹, & vocatus ad Euangelij munus, in precibus piorum ſitum felicem Euangelij curſum exiſtimat, quanto magis nos precibus piorū indigemus? Deinde monentur auditores Euángelij, ſui officij eſſe pro fidelibus miniſtris orare, quo fructum ferat verbi diuini prædicatio. Porrò, Ianuam ſermonis vocat παῤῥησίαν, libere &

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

re & audacter prædicandi Euangelium, quod myſterium definit, propterea quod rationi incognitum, diuinitus per Chriſtum manifeſtum eſt in ſalutem credentium.

Sapienter ambulate erga extraneos.

Hæc ὑπόθεσις monet non contemnendos eſſe eos, qui nondum fidem Chriſtianam amplexi ſunt. Hos enim extraneos, vtpote alienos adhuc à regno Chriſti & familia Dei, appellat. Sapienter ambulare eſt, non ſolum cauere, ne conuerſatione ponamus ijs offendiculum, quo minus ad Chriſtũ veniant, ſed etiam operam dare, ne ipſorum ſceleribus infecti, impuros eorum mores imitemur.

Tempus redimentes.

Tempus redimere metalepſi hebraica eſt magnifacere tempus & cauere ne perdatur, aut pereat nobis inutiliter, hoc eſt, toto tẽpore bene vti, nec vllam recte agendi occaſionem prætermittere. Ratio metalepſios hæc eſt: Quæ emimus dato precio, cariora nobis eſſe ſolent, Ideoq; damus operam, vt ea diligentius ſeruentur, & ne nobis abuſu pereant. Proinde tempus redimere eſt illud in precio habere, ne qua illius portio male collocetur Monemur itaque, ne ſinamus nos corrumpi per corruptiſsimũ ſeculum, in quo agimus, ſed probemus potius omni tẽporis momento, quid Deo gratum, nobiſq; ſit ſalutare.

Sermo veſter ſemper in gratia ſit ſale conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere.

Iam ſermonem format, in quo gratiam & ſalem requirit. Gratiam quidem, ne dicacitate aut ineptijs auditoribus ſimus moleſti. Salem verò, quo prudenter & ſapienter ea perferamus, quæ ad ædificationem faciunt. Nam omnis ſermo inſulſus eſt habẽdus, qui ad ædificationem nihil facit. Eſt autem metaphora ſumta ab vſu ſalis. vt enim in omnibus cibis Sal vice condimenti adhibetur, vt auiditatem inuitet: Ita ſermonis quædã ſuauitas eſt adhibenda, quo gratior fiat auditoribus, auidius audiatur, atq; etiam maiori fructu percipiatur. Qui autem huiuſmodi ſermoni ſtuduerit, conſequetur & hunc fructum, quod interrogatus ab alijs, prudenter & cum diſcretione reſpondeat.

Res meas omnes patefaciet vobis Tychicus, dilectus frater & fidus miniſter & conſeruus in Domino.

Iam more ſua familiaria quædam ſubijcit, ac primum per Tychicum eos cognoſcituros ſuum ſtatum admonet. Huius commendationem à religionis profeſsione, à fide in officio præſtita, & à communis officij dignitate interſerit, cum vt ei narranti fidem adhibeant, tum vt ipſum Tychicum ſimileſque in precio habeãt Coloſſenſes. Præterea monet hoc Pauli factum, vt verbi diuini præcones ſibi inuicem honores deferant, & reddant ſe mutuo commendabiles alijs, modo puritas doctrinæ vitæ innocentiam habeat adiunctam.

Quem miſi ad vos in hoc ipſum, vt cognoſcat ſtatum veſtrum, & conſoletur corda veſtra, vna cum Oneſimo fido & dilecto fratre, qui eſt ex vobis, de omnibus vobis exponens, quæ hic agantur.

Finis legationis Tychici duplex, vt cognoſcat ſtatum Coloſſenſium, vtque Coloſſenſes conſoletur per ſanam doctrinam, ne turbentur cruce & perſecutione ſui doctoris. Verum hic duplex lectio eſt apud Græcos, Vt ἵνα γνῷ τὰ περὶ ὑμῶν. id eſt, vt cognoſcat ſtatum veſtrum. Altera, ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν, id eſt, vt cognoſcatis noſtrum ſtatũ. Hanc poſteriorem lectionem Robertus Stephanus annotauit eſſe vndecimi exemplaris inter illa 16. quæ habuit. dum impreſsit nouum Teſtamentum.

Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata, ſi venerit ad vos, excipite eum: & IESVS, qui vocatur iuſtus, qui ſunt ex Circumciſione, hi ſoli ſunt cooperarij ad regnum Dei, qui fuere mihi ſolatio.

Suo more ſalutationibus claudit Epiſtolam, & paucos ex Iudæis fideles in miniſterio recitat, vnde apparet quantis perſecutionum procellis fuerit Paulus iactatus Romę, quod ab eo plerique deficerent fracti perſecutionibus, quod exemplum nos quoque admonet conſtantiæ & perſeuerantiæ in

tiæ in doctrina. Eſt enim laude dignum potius paucos imitari bonos, quam multorum malorum ſectari malitiam. Porrò, cooperarij in regnum Dei dicuntur præcones verbi, quia ſunt miniſtri noui Teſtamenti, per quod in regnum Dei primum quidem gratiæ, deinde etiam gloriæ intratur.

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt ſeruus Chriſti, ſemper anxie laborans pro vobis in precationibus, vt ſtetis perfecti in omni voluntate Dei.

Hic duo obſeruemus. Primum, paſtoris officium eſſe, non ſolum præſentes auditores erudire, verum etiam abſentes ſuis ardentiſsimis votis & precibus Deo commendare, vt ipſe det virtutem Euangelizantibus & audientibus. Deinde quæ ſit perfectio Chriſtiana, nimirum eſſe completum in omni voluntate Dei. Dicitur autem eſſe completus in voluntate Dei, cui hoc vnicum ſtudium eſt, vt Deo placeat, ſuamque vitam totam ad ipſius voluntatem formet. Sed de hac ſupra plura dicta ſunt.

Teſtimonium enim illi perhibeo, quod habeat multum ſtudij pro vobis, & his, qui ſunt Laodiceæ, & his qui Hierapoli.

Confirmat Epaphræ ſtudium & zelum pium erga Coloſſenſes, Idque non fruſtra, ſed vt animos Coloſſenſium & Epaphræ arctius coniungat. Niſi enim miniſtri Euangelij & auditores ſe mutuo honeſto ac pio zelo complexi fuerint, parum profuerit docentium labor. Dent igitur operam pij verbi miniſtri, vt ſine hypocriſi, ac doctrinæ corruptione ſibi animos auditorum concilient veris officijs. Quamuis autem pijs miniſtris verbi perpetuum erit certamen cum ſceleratis nebulonibus, qui potius excrementorum loco habendi ſunt, quam pro membris Chriſti: Tamen bonos & pios ſibi exemplo Pauli ac Epaphræ conciliare ſtudebunt.

Salutat vos Lucas medicus dilectus.

Ex hoc loco apparet Lucam non Iudæum, ſed potius Græcum fuiſſe. nam ſupra tres tantum de circumciſione cooperarios in regnum Dei ſibi affuiſſe memorat. Eſtque hic Lucas medicus, qui ſcripſit Euangelicam hiſtoriam & Acta Apoſtolica. Hic perpetuus comes Pauli fuit, medicis omnibus relinquens exemplum, vt cum doctrina humanæ incolumitati ſalutari, coniungant verbi cœleſtis amorem, ac miniſtros Euangelij non contemnant, ſed cum Luca in precio habeant, ne à vera profeſsione religionis, fracti perſecutionibus deficiant.

Et Demas.

Hic Demas, vt habetur 2. ad Tim. 4. defecit à Paulo, amans præſens ſeculum. Vnde collige, amorem præſentis ſeculi non poſſe ſtare cum miniſterio Euangelico.

Salutate fratres, qui ſunt Laodiceæ & Nympham, & quæ eſt in domo ipſius Eccleſiam.

Ab hoc Nympha diſcant patresfamilias, Eccleſias particulares in ſuis familijs erigere, in quibus puritas & honeſtas Eccleſia Chriſti catholica digna inueniantur. Eſt autem hic Nymphas ſeu Nympha viri nomen, non mulieris, quod conuincit relatiuum maſculinum ἀυτοῦ.

Et cum lecta fuerit apud vos Epiſtola, facite vt etiam in Laodicenſium Eccleſia recitetur.

Hic Paulus oſtendit, ſe non tantum voluiſſe, vt ſuæ Epiſtolæ ſeruirent ijs, quibus ſunt primum ſcriptæ, verum etiam vt alijs eſſent vſui. Vnde quoties Pauli aut aliorum ſanctorum virorum ſcripta legimus, meminerimus ea nobis quoque deſtinata eſſe, vt inde ſalutis doctrinam communem, & ſalutares admonitiones hauriamus.

Et eam, quæ ex Laodicea, vt vos quoque legatis.

Nec veteres nec recentiores hic inter ſe interpretes conueniunt. Quidá enim exiſtimant Epiſtolam, cuius hic meminit Paulus, Laodicenis à Paulo fuiſſe ſcriptam, quorum opinio parum firma eſſe videtur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

videtur. Alij putant à quodam paſtore Laodicenorum eſſe ſcriptam ad Paulum, quæ quidem opinio veriſimilior eſt quam prior. Alij de Epiſtola priore ad Timotheum ſcripta intelligunt, quæ fuit ex Laodicea, non quidem illa cuius hic meminit, ſed ex alia ciuitate eiuſdem nominis ad Timotheum ſcripta, hæc poſtrema opinio Theophilacti eſt.

Et dicite Archippo, vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, vt illud compleas.

Publice admoneri vult quendam ex Euangelij miniſtris, forte ceſſantem in officio. Vnde diſcimus, quod Eccleſia habeat autoritatem admonendi parochos ſeu paſtores, quoties admonitio neceſſario requiri videatur.

Salutatio mea manu Pauli.

Chirographo ſuo hanc Epiſtolam à ſe ſcriptam teſtatur, ne de autore dubitent.

Mementote vinculorum meorum.

Hoc duabus de cauſſis adiectum videtur. Primum, vt ipſius exemplo Coloſſenſes animarentur ad perſecutiones ferendas. Deinde, vt ſuis precibus ipſum Deo commendarent, quo perſecutionum finis fieret magis glorioſus.

Gratia vobiſcum, AMEN.

Finis principio reſpondet. Vt enim à voto incepit Apoſtolus: ita voto claudit Epiſtolam, vt omnia gratiæ & gratuitæ miſericordiæ accepta feramus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

REVERENDO

VIRO, PIETATE, DOCTRINA ET VIRTVTE PRAESTANTI, MAGISTRO NICOLAO CASPARO VVIBERGIO, DIOECESIOS OTHONIENSIS EPISCOPO VIGILANTISSIMO, FRATRI SVO IN CHRISTO CARISSIMO, GRATIAM ET PACEM PRECATVR

NICOLAVS HEMMINGIVS.

CVM HOMO SIT CONDITVS AD SOCIETATEM, & nulla ſocietas ſine mutuis officijs incolumis eſſe queat, ipſa natura duce, homines intelligunt gratitudinem, qua rependuntur beneficia, maximam virtutem eſſe. Hac enim ſublata, ipſam omnium virtutum reginam iuſticiam è medio tolli neceſſe eſt. Etſi autem, natura magiſtra, lex gratitudinis omnes ex æquo obligat: Tamen, proh dolor, in hac omnium rerum confuſione perpauci ſunt, qui honeſtiſsimæ & ſanctiſsimæ de reddenda gratia legi obtemperant. Quare non immeritò Pindarus ſua ætate conqueritur, Παλαιὰ δ᾽ εὕδει χάρις ἀμνάμονες ϗ βροτοί. acceptæ vel leuiſsimæ iniuriæ nemo non memor exiſtit, ſed beneficij vel maximi percepti memoria aut nulla aut pertenuis in diem durat, præſertim apud eos, qui ſpiritu Chriſti non ducuntur. Siquidem hi ſuo carnali iudicio & corrupto feruntur ſemper in deterius. Hoc cum animaduerterent Philoſophi, nihil non fecerunt, vt homines ad gratitudinis legem reuocarent. alias enim apologos propoſuerunt, alias animalium hiſtorias de gratitudine commendarunt, alias pœnas ſtatutas in ingratos exaggerarunt. Breuiter, veris & fictis rationibus conati ſunt homines ad gratitudinis amorem inuitare.

Xenophon ſcribit, in ſecundo memorabilium dictorum & factorum Socratis de Ariſtarcho, qui cum contemneretur à familia ſua tanquam ocioſus, & accuſaretur, quod nihil laboris videretur facere ſolus, iubetur à Socrate vt apologum canis familiæ narret, in hunc modum: Ferunt, inquit, quando animalia fari poterant, ouem quandam ad herum ſuum dixiſſe: admiratione ô here dignum eſt quod facis. nam nobis quæ & lanam tibi, & agnos, & caſeum præbemus, nihil donas, niſi quod ipſæ de terra decerpimus: at canem iſtum, à quo tibi nihil huiuſmodi commodi eſt, participem facis cibi de quo ipſe edis. Hanc querelam cum canis audiſſet, reſpõdit, per Iouem, ego enim ſum qui & vos ipſas ſeruo, vt neque ab hominibus furtim abducamini, neque à lupis rapiamini. Quandoquidem vos, niſi ego vobis cuſtos adeſſem, ne quidem pabulari poſſetis, metuentes interitum. Hoc reſponſum cum audiſſent oues, placatæ ſunt, & permiſerunt canem ſibi in honore præferri. Et tu, inquit Socrates, familiæ tuæ dicito, quod loco canis ſis ipſi cuſtos & curator, & quod propter te ſecure & ſuauiter in ſuo labore viuat, adeo vt expers ſit omnis iniuriæ. Hoc apologo, vt obliuio benefactorum, & ingratitudo erga benemeritos taxatur: Ita commendatur hominibus pietas, vt acceptorum beneficiorum ſint memores, & grati erga eos, quorum experti ſunt beneficia.

Steſichorus poëta (vt refert Iohannes Pierius) hiſtoriam de gratitudine a-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quilæ, carmine proſecutus eſt in hanc ſententiam: cum decem & ſex meſſores quendam è ſocijs aquatum miſiſſent, reperit is apud fontem ſerpentem, qui complexus aquilam arctiſſimis eam ſpiris implicitam ſuffocabat, ille vt falce meſſoria armatus erat, audacter progreſſus, ferro ſerpentem diſſecuit, aquilam autem liberam abire permiſit. Cumque hauſta in vrnam aqua rediſſet, ſocijs ſingulis poculum miniſtrauit. Mox cum & ipſe quoque bibere vellet, præſto affuit aquila, quæ poculum ab ore diſpulit procul. dumque meſſor factum miratur, & aquilam quam probe nouerat, increpat, eamque apud ſocios ingrati animi ream agere meditatur, videt eos & hic & illic concidentes vitam exhalare, vnde ſimul & aquam, quam illi biberant veneno infectam, & ſe periculo ſubductum intellexit, beneficiumque in volucrem optime collocatum manifeſtiſſime cognouit. quem non iure moueret huius aquilæ factum? Beſtia rationis expers beneficij memoriam retinet, & homo rationis particeps pro beneficio ſæpe reddit maleficium. Quid quæſo indignius eſt, quam vt homo nobilis illa creatura infra beſtiarum conditionem ſe turpiter abijciat?

Fabulantur poëtæ de pœna Ixionis, qui propter ingratitudinem in Iouem, à quo abſolutus erat à parricidij pœna, manibus ac pedibus alligatus rotæ, quæ perpetuo & maximo impetu circumagitur, cogitur exclamare (vt ait Pindarus) τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι, hoc eſt, Benefactori grata vice compenſationem faciendam eſſe ab ijs qui beneficia acceperunt. Hiſce modis, apologis, hiſtorijs, pœnis, fictis ac veris rationibus Philoſophi & Poetæ veteres hominibus voluerunt gratitudinem commendare, & eos ab ingratitudinis vicio reuocare, quo humana ſocietas tranquillior eſſet, atque ita vltro citroque datis & acceptis beneficijs, homines in amicitia retinerentur. Sed nos qui Chriſtiani ſumus, & edocti verbo Dei, præter has iuſtiſſimas cauſſas habemus verbum Dei, quod vt nobis gratitudinem commendat, & addit ingentes promiſſiones, ita ingratitudinem damnat, & comminatur ingratis pœnas æternas & temporarias. Lex dilectionis, vt iuſticiæ, ita & gratitudinis legem in ſe continet. Eſt enim gratitudo iuſticiæ pars, quæ non magis à dilectione ſincera ſeparari poteſt, quam calor ab igne, aut lumen à ſole. Nam ſi iuſticiæ proprium munus eſt reddere vnicuique quod debet, profecto iniuſtus eſt, qui beneficium acceptum non compenſat, ſaltem animo, ſi rerum facultas aliud non permittit. Si eſt iniuſtus, legem dilectionis violat, & autorem legis Deum contemnit. Non ergo abſque re dictum eſt à Salomone: Qui reddit malum pro bono, non recedet malum de domo eius. Item, Ingrati ſpes tanquam pruina hyberna colliqueſcet, & ſicut aqua inutilis diffluet. Sed quid opus eſt multis? natura dictante ſcimus gratiam reddendam eſſe benefactoribus: Lege Dei idem omnibus notum eſt. Qui ergo fit, quod tanta ſit multorum ingratitudo? Non hic rei ignoratio in cauſſa eſt, ſed voluntas, quæ non diſcitur. verum vbi manu Dei reformata fuerit & adiuta, tum demum doctrinæ obtemperare poteſt & fieri bona, & grata per gratiam, quæ eſt mala & ingrata ex naturæ vicioſitate. Proinde cum nos non ſatis tãgimur beneficiorum memoria, cogitemus ſpiritum ſuccumbere carni, qui fide, meditatione verbi Dei, & inuocatione erigendus & excitandus eſt: quo excitato ſentiemus etiam voluntatem impelli, vt ſe conformet ad legem & voluntatem Dei. Vt autem hæc de gratitudine ad te, vir clariſſime & amice ſingularis, ſcriberem, fecerunt tua erga me beneficia, quibus reſpondere animo ſaltem aliquo modo cupio. Taceo ſingularem tuum candorem erga me, qui mihi vltra 24. annos fuerat perſpectiſſimus. Taceo amicam conuerſationem, dum apud nos primum ſtudioſus, & deinde Paſtor fuiſti.

Taceo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Taceo honeſta tua abſentis teſtimonia de tuo Nicolao. Omnia hæc, etſi maxima ſunt, excedit tamen iſta tua ſingularis pietas, qua matrem meam ante annum proſecutus es, decrepitam & ægrotam. Hanc enim non ſolum re iuuiſti, quod magnum iudico: non ſolum verbis conſolatus es, quod pietatis tuæ teſtimonium fuit: verumetiam miniſterio quodammodo ſeruili refocillaſti, leuando ægrotam de curru & in currum, & poſtea conuiuio à te exceptæ miniſtrando: id quod non ſolum agnoſco humanum beneficium, verumetiam diuinum prædico. niſi enim diuino ſpiritu fuiſſes permotus, nequaquam afflictæ, decrepitæ & ægrotæ aniculæ nihil de te benemeritæ, tantum honorem tribuiſſes. pro quo tuo beneficio fateor, me tibi plurimum debere. Et quoniam hoc tempore non poſſum vt vellem animum meum erga te declarare, facio quod poſſum, & hos commentarios in vtramque Epiſtolam Pauli ad Theſſalonicenſes ſub tuo nomine in lucem mitto, vt aliquod ſaltem grati mei erga te animi teſtimonium extet. Rogo autem, vt hoc munus qualecunque ſit, boni conſulaš, atque illud habeas tanquam perpetuum gratitudinis meæ erga te μνημόσυνον. Vale cum vxore tua Anna, fœmina honeſtiſſima, ac cum tota familia. Cupio fratres omnes conſeruos noſtros in miniſterio Euangelij in tota diœceſi Othonienſi, & in patria mea Lolandia, per te meo nomine ſalutari: quos omnes veneror vt dominos: & vt fratres meos cariſſimos complector. Haffnia, primo die Maij, Anno Domini 1565.

ARGV.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM PAVLI PRIOREM AD THESSALONICENSES.

QVONIAM DE DIVO PAVLO HVIVS EPISTOLAE AVTORE ſæpius eſt à me dictum, ipſius præconio omiſſo, hic dicam. Primum de occaſione ſcribendi: vnde non ſolum tractationis ordo melius intelligetur, ſed etiam conſilium autoris & ſcopus orationis deprehendetur. Deinde de quæſtionibus principalibus, vt genus cauſſæ perſpiciatur. Tertio de ordine tractationis, quo non obſeruato, non ſolum docentis, ſed diſcentium quoque labor erit fruſtraneus.

OCCASIO.

In 17. capite Actor. commemorat Lucas quomodo & quanta cum difficultate Apoſtolus apud Theſſalonicenſes breui admodum tempore, Eccleſiæ quædam ſemina iecerit. Vnde pij quibus ſalus fuit cordi admoniti ſcripturas ſcrutati ſunt, an iſta ita ſe haberent, quemadmodum à Paulo erant edocti. Sed quia Paulus, turba excitata per Iudæos quoſdam, coactus eſt nocte diſcedere Beroeam, & inde Athenas (vnde hanc Epiſtolam ſcripſit) reliquit illic Timotheum, quem cum ad ſe Athenas vocaſſet, didicit ab eo ſtatum Eccleſiæ Theſſalonicenſis, nimirum quod conſtans in medio perſecutionum ſuorum ciuium perſiſteret. Quod cum audiret Paulus, haud parum gauiſus eſt, quare & ipſis ſcribit, cum vt laudet hanc illorum conſtantiam, Tum vt animet eos exemplo aliarum Eccleſiarum ad patientiam, ex quo conſilium Pauli & ſcopus totius Epiſtolæ eſſe colligitur, vt Theſſalonicenſes in fide, patientia, & pietate confirmet.

QVAESTIONES PRINCIPALES.

Quia hic non inſtituitur diſputatio, difficilius eſt quæſtiones ſeu propoſitiones principales eruere, quę tamen neceſſariæ ſunt cognitu, modo velimus altius hanc Epiſtolam introſpicere. Reuocemus itaque totam Epiſtolam ad has hypotheſes. De conſtantia fidei, & laude Theſſalonicenſium in perferenda perſecutione. De Pauli affectu erga illos: De gaudio ob conſtantiam: de cura pro ipſis, ne relabantur in priſtinos errores perſecutionibus fracti: De oratione ac voto Pauli ad Deum, vt veniat ad ipſos, vtque ipſi creſcant & confirmentur vſque ad aduentum Chriſti: De exhortatione ad virtutes Chriſtianas: De mitigando dolore ſuper mortuis: De aduentu Chriſti: De oratione pro ſanctificatione ſpiritus animi & corporis. Has propoſitiones tractat in hac Epiſtola, quæ ſunt veluti capita, ad quæ cætera omnia referenda ſunt. Hinc iam intelligi poteſt, quod hæc Epiſtola ſit mixti generis. partim enim eſt Demonſtratiui, partim Suaſorij, partim Didaſcalici generis. Nam habuit Paulus hic rationem, non ſolum eorum, qui in fide erant radicati, verumetiam infirmorum, rudium, & eorum qui adhuc veterem hominem ſequebantur in vicijs familiaribus & conſuetis.

ORDO TRACTATIONIS.

Orditur ſuo more ab Epigrapha & ſalutatione cum gratiarum actione, quod Theſſalonicenſes in fide ſint ſtabiles, nec dimoueantur à confeſsione fidei propter perſecutiones præſentes. Atque hæc eſt prima pars, quæ abſoluitur in primo capite. Deinde in ſecundo capite ingreditur narrationem fundatæ per ſe Eccleſiæ apud Theſſalonicenſes. Vnde rurſus in laudes eorum excurrit, quod imitentur alias Eccleſias Dei, in patienter ferenda cruce. Hinc in tertio capite ſubiungit expoſitionem legationis Timothei ad ipſos: cui votum de ſuo aduentu addit. His pertractatis, addit in quarto & quinto capitibus paræneſes de varijs rebus, vbi doctrinam reſurrectionis, & aduentus Chriſti per occaſionem attingit: Tandem precatione ac voto claudit Epiſtolam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

CAPVT I.

Summa primi Capitis.

Laudantur à Paulo Theſſalonicenſes, quod ad ipſius prædicationem conuerſi, in medio perſecutionum firmi in fide perſtiterint. Adeo quod alijs credentibus exemplum ſint fidei, perſeuerantiæ, & tolerantiæ.

Ordo & partes primi Capitis.

Epigrapha, ſalutatio, propoſitio gratiarum actionis, per expoſitionem confirmatio, & declaratio, vnde prima propoſitio ſuperius indicata colligitur.

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS, Syluanus & Timotheus. Prior Epigraphæ pars. Cur autem ſuppreſſerit hic Paulus dignitatis & functionis ſuæ titulum, ex contrario eſt colligendum. vt enim Apoſtolatum ſuum interdum extollit, vindicandę ſuę autoritatis cauſſa: Ita hic ſupprimendo Apoſtolatus titulum, ſignificat ſe agnitum fuiſſe à Theſſalonicenſibus verum Chriſti Apoſtolum, vt non fuerit opus, id quod ab ijs citra controuerſiam receptum erat, referre. Sed cur ſibi adiungit Syluanum & Timotheum? vt tanquam communibus Epiſtolæ autoribus, eis autoritatem apud Theſſalonicenſes conciliet. vnde monentur ſuperiores Euangelij miniſtri non deprimere, ſed extollere potius inferiores ſymmyſtas: non ſuam tantum, ſed aliorum quoque rationem habentes.

Eccleſiæ Theſſalonicenſium. Theſſalonica à victis Theſſalis dicta eſt. Et eſt ciuitas Macedoniæ, quā non ſolum hæc Epiſtola Pauli, verumetiam Magni Theodoſij præceps & implacabilis ira famoſam reddidit. Indignatus enim ob cæſos in ea iudices alioqui clementiſsimus Imperator, vniuerſum vrbis populum trucidari mandauit, vbi 11000. hominum cęſa traduntur. Hoc facinus tam immane non ferens incorreptum Diuus Ambroſius Mediolanenſium Epiſcopus, Imperatorem ab ingreſſu Eccleſiæ prohibitum ad pœnitentiam compulit. Nec maximus Princeps paſtoris ſubire iudicium recuſauit. vide librum 9. Tripartitæ hiſtoriæ. Hodie Theſſalonica cum tota Macedonia Turcorum imperio ſubiecta eſt. vnde admoneamur viciſsitudinis rerum humanarum, vt Deum timentes, nos ab eo regi contra inſidias Diaboli ardentibus precibus exoptemus.

In Deo patre, & Domino Ieſu Chriſto. Hæc amplificatio à cauſſa ſumpta, docet eam eſſe veram Eccleſiam, quæ in Deo eſt fundata, & in qua Chriſtus ſuo verbo & ſpiritu regnat.

Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Loco ſalutationis imprecatur ſuo more Theſſalonicenſibus gratiam & pacem, quæ propria Euangelij bona ſunt. Eſt autem gratia fauor Dei cum remiſsione peccatorum, & alijs bonis quæ cum illa coniuncta ſunt. Quæ dona ideo gratia dicuntur, quia gratuito donantur. Pax eſt reconciliatio noſtri cum Deo: Cui tranquillitas conſcientiæ cohæret, & omnia proſpera. adeoque ſalus ipſa. vt autē doceat hæc non aliunde proficiſci quam à Deo per Ieſum Chriſtum, vtq; diſcernat eadē ab euanida mundi gratia & pace, addit à Deo patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto. Nam vt Deus pater ſuum filium cōplexus eſt ſummo fauore: Ita propter eiuſdem victimam nobis quoque fauet, & eſt recōciliatus, ſed fide iuſtificatis, Rom. 5. Iuſtificati fide pacē habemus cum Deo patre, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem etiam acceſſum obtinemus fide in gratiā hanc in qua ſtamus. Quapropter quoties Paulus aliquibus gratiā & pacē imprecatur, ſimul requirit fidē: ſine qua nemini contingunt. Hanc præcedit

cedit prædicatio verbi, cui coniuncta eſt virtus Spiritus ſancti. Meminerimus ergo prędicationě Euangelij ſumma bona ſecũ afferre, quæ qui non habet, ſub ira & dãnatione manet.

Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, mentionem facientes in precibus noſtris.

Propoſitio eſt gratiarum actionis ob profectum Theſſalonicenſium in pietate. Vnde & nos diſcamus gratias Deo agere pro ſuis beneficijs, & maxime pro propagatione Euangelij. Et ſimul admoneamur, quod propagatio Euangelij diuinum ſit opus. Exemplum Pauli nos etiam inuitet ad orandum pro Eccleſia, quoties ad Deum preces fundimus, & miniſtros verbi officij ſui commonefaciat.

Indeſinenter memores veſtri propter opus fidei, & laborem caritatis, & patientiam ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti coram Deo & patre noſtro.

Ratio eſt propoſitionis, ac totius expoſitionis ſequentis ſumma, Sed omnia ſunt nobis diſtinctius excutienda. Cum dicit, Indeſinenter memores veſtri, monet ſummum gaudiũ Chriſtianorum eſſe debere, mutuũ in pietate profectum, nec vllum debere eſſe arctius vinculum inter homines pietate vera. Deinde breui Aphoriſmo complectitur ſummam vitæ Chriſtianæ, quæ ſita eſt in fide, caritate & ſpe, atq; horum effectibus ſeu fructibus. Fides, ſpes & caritas reſident in corde, ſed eorum fructus palam teſtantur, vbi vere & non ſimulate aſſunt. Fides proinde non eſt ocioſa, ſed operatur, producit ſuos fructus, inuocationem, gratiarum actionem, conſtantiam in confeſſione, & c. Caritas laborat: id eſt, fert moleſtias in præſtandis officijs & leuandis fratrum oneribus. Spes tolerat patienter quæuis incommoda, bona promiſſa in fluctibus perſecutionum expectando. Sed ne quis hac ſpe fruſtratum iri ſuſpicetur, eam fundatam eſſe in Domino noſtro Ieſu Chriſto aſſerit, Idq; in conſpectu Dei, qui coram intuetur omnia, & habet curam ſuorum, iuxta illud: Nouit dominus viam iuſtorum. Colligamus igitur ex hoc loco veram Chriſtianiſmi rationem, quæ eſt firma fidei conſtantia cum caritate & ſpe quæ ſalutares fructus per totam vitam in ædificationem edunt.

Scientes fratres dilecti à Deo eſſe electionem veſtram.

Singulæ expoſitionis partes vim confirmationis habent. Reuocat autem hic Paulus ad cauſſam primam, profectum Theſſalonicenſium in Euangelio, nimirum quod ſint à Deo electi. Quotquot enim vere in Chriſtum credunt, à Deo electi eſſe dicuntur. Nam electi dicuntur reſpectu impiorum, qui viles & abominabiles habentur in conſpectu Dei. Cum contra fideles preciosi, immo filij Dei cenſentur adeoque electi. De modo, cauſſa & fundamento electionis credentium abunde diximus in primo capite ad Epheſ.

Quia Euangelium noſtrum non fuit erga vos in ſermone ſolum, ſed etiam in potentia, & Spiritu ſancto, & in certitudine multa.

Hæc expoſitionis pars confirmat præcedentem rationem, & ſimul narrat quomodo Euangeliũ apud Theſſalonicenſes fuerit efficax, quomodoque ſit diuinitus confirmata prædicatio per potentiam, hoc eſt, miracula, per Spiritum ſanctũ intus confirmantem auditorũ corda, & excitantem fidem, & per πληροφορίαν multã, qua ſcilicet ita ſtabiles ſunt facti Theſſalonicenſes, vt nullis obſtaculis perſecutionum rectus illorum curſus in Euangelij fide & confeſſione ſit impeditus. Porrò tametſi miraculorũ tempus ceſſauit: Tamen nos ſciamus cum prædicatione externa vere adeſſe Spiritum ſanctum, & excitare arcana vi auditores ad aſſentiendum verbo, & ad fidem.

Quemadmodum ſcitis quales fuerimus inter vos propter vos.

Quod dixit de prædicatione verbi & efficacia ſpiritus, Id proprio Theſſalonicenſium teſtimonio confirmat, qui erant ſpectatores totius negotij, in quibus Spiritus ſanctus efficax erat ad prædicationem Pauli. Hinc diſcant miniſtri verbi ita docere, vitamque inſtituere, vt poſsint ſecure ad auditorum teſtimonium prouocare.

Et vos imitatores noſtri facti eſtis & do-

Repetit quod initio dixit, ſed per-

mini, amplexi verbum in tribulatione mul ta cum gaudio Spiritus ſancti.

collationem exempli. Exempla enim optimorum imitari non exigua laus eſt. Sed quomodo imitatores Domi ni ſunt facti? Quia vt ille plurima mala tolerans, à proprio populo, gaudebat tamē ſpiritu: Ita Theſſalonicenſes à proprijs ciuibus tribulationes ferēdo, gaudio conſcientiarū in Spiritu ſancto ſe erigebant, & conſolabantur. Hinc nos quoq; in medio perſecutionū ad Dominum, adeoq; ad alios pios reſpiciamus, ac preſsi cruce nihilominus ſpiritu exultemus.

Ita vt fueritis vos typi omnibus credentibus in Macedonia & Achaia.

Euidēti ſigno Theſſalonicenſium fidem & confeſsionem confirmat, nempe ex eo quod vicinæ regiones & ciuitates de illorum pietate audiuerint, & exemplum eorum ſint imitatæ. Monentur hic ſinguli, vt alijs quoq; ſint exemplo ſua pia confeſsione & vita. Non enim ſatis eſt apud te credere, niſi palam teſteris, cuius Reipublicæ ciuis ſis. Nam corde creditur ad iuſticiam, & ore fit confeſsio ad ſalutem.

A vobis enim perſonuit ſermo Domini, non ſolum in Macedonia & Achaia, ſed in omni loco fides veſtra erga Deum manauit, ita vt non opus habeamus quicquam loqui.

Quomodo alijs fuerint Typi expo nit, nimirum quod illorum confeſsio ad alios dimanauerit, adeo vt nihil ſit opus apud alios fidē prædicare Theſſalonicenſium, quæ alioqui nunc ſatis innotuerit. Chriſtianis Rebuſpublicis exemplum hoc proponatur, vt quo dignitatis loco ſunt eminentiores, eo magis in pietate & honeſtate alijs præluceant. Hoc enim plurimum facere ad ędificationem, Paulus Theſſalonicenſium exemplo docet, & experientia ipſa teſtatur.

Ipſi enim de nobis annunciant, qualem introitum habuerimus ad vos, & quomodo conuerſi eſtis ad Deum à ſimulacris ad ſeruiendum Deo viuo & vero, & ad expectandum filium eius de cœlis (quem ſuſcitauit ex mortuis) IESVM, qui liberabit vos ab ira ventura.

Dixit adeo perſonuiſſe famam fidei Theſſalonicenſium apud alios, vt non opus habuerit Paulus de ea quicquam loqui. nunc id confirmat ab effectu: nimirum quod alij annuncient ſibi inuicem, quomodo id factum ſit. Porrò hic obſeruemus ordinem adminiſtrandæ Reipublicæ Chriſtianæ. Primum locum obtinet prædicatio verbi. Hanc ſequitur conuerſio ad Deum, & deſertio Idolorum. nemo enim ſimul Idolis & vero Deo ſeruire poteſt. Tertio loco finis conuerſionis attendendus eſt, qui eſt ſeruire viuo & vero Deo, cum expectatione filij eius de cœlo, qui plene nos ab omnibus malis eripiet. Qui igitur Deo non ſeruit, ſed viuit adhuc in ſordibus carnis ſuę, Is nondum conuerſus eſt, immo potius totus à Deo auerſus.

CAPVT II.

Summa ſecundi Capitis.

Paulus multa paſſus propter Euangelium Theſſalonicenſibus prædicatum, apud quos inculpate viuens ſincere eos inſtituit, qui & edocti recte imitatores aliarum Eccleſiarum Dei facti ſunt in ferenda cruce, iam ſe videndi eos deſiderio teneri oſtendit.

Ordo & partes Capitis ſecundi.

Tres ſunt huius capitis partes. PRIMA *eſt longa expoſitio conuerſationis Puali apud Theſſalonicenſes.* SECVNDA *continet narrationem fructus prædicati Euangelij apud eoſdem, Nimirum quod facti ſint imitatores Eccleſiarum Dei in ferendis afflictionibus ob Euangelij confeſsionem.* TERTIA *eſt ſignificatio promtitudinis animi Pauli ad inuiſendos Theſſalonicenſes.*

EXEGE-

EXEGESIS CAPITIS SECVNDI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

IPSI enim ſcitis fratres, quod ingreſſus noſter ad vos non fuerit inanis.

Propoſitio præſentis expoſitionis eſt. Appellatione fratrum beneuolentiam captat. oſtendit enim affectum ſuum erga ipſos.

Sed & antea paſſi, & contumelijs affecti (quemadmodum ſcitis) Philippis fiduciam ſumſimus in Deo noſtro loquendi apud vos Euangelium Dei in multo certamine.

Preſſuram quam hic commemorat, paſſus eſt propter ſpiritum Pythonicum, quem à puella eiecerat Actor. 16. Ibi enim virgis cæſus conijcitur in carcerem, cuius cuſtodem ad fidem conuertit. Deinde certamen, quod ſuſtinuit apud Theſſalonicenſes, deſcribitur Actor. 17. Nam Iudæi increduli excitarunt totam ciuitatẽ aduerſus Paulum, adeo vt coactus ſit, quemadmodum ſupra admonui, fuga ſibi conſulere, Sed prius iacto Euangelij fundamento. Hæc nobis proponuntur in exemplum, ne propter perſecutionem abijciamus officium, ſed potius cum Paulo incitemur magis ad præſtandum officium.

Nam exhortatio noſtra non ex impoſtura, neq; ex impuritate, neq; in dolo.

Iam ſuæ doctrinæ modum exponit. Exhortationis verbum accipit pro toto miniſterio ſuo, ſeu doctrina tota, quæ auditoribus accommodari nequit, ſine exhortationibus. Primum autem ſe alienũ fuiſſe oſtendit ab ijs vicijs, quæ doctrinam corrumpere ſolent. impoſtura ſignificat fallendi artem. Immunditia ad affectum animi pertinet. Dolus ad modum agendi. Significatigitur per ἀντίθεσιν, quod docendo ſincere ex pio cordis affectu, laborauerit ſtrenue in propagando Euangelio, id quod ſequentibus verbis clarius exprimit.

Sed quemadmodum probati fuimus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ſic loquimur, non tanquam hominibus placentes, ſed Deo probanti corda noſtra.

Autorẽ ſui Apoſtolatus citat, Idque eo conſilio, vt Theſſalonicenſes ſtatuant ſe vere iuxta Dei conſilium vocatos eſſe in agnitionem Euangelij, vtq; cõſtantius perſtent in cõfeſsione eius doctrinæ, quam à Deo eſſe norũt. Deinde, qualis miniſter Euangelij eſſe debeat, oſtendit. Nimirum vt ſe conformet ad voluntatem Dei, cuius eſt miniſter, ne ob hominum fauorem, vel doctrinam viciet, vel confeſſionem abijciat, quemadmodum illi ſolent, qui omnia ambitioſe agunt in hominum gratiam.

Neq; enim vnquam in ſermone adulationis fuimus, quemadmodum noſtis, neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis.

Proximam ſententiam enumeratione confirmat. Recitat enim vicia, quibus obnoxij eſſe ſolent, qui hominibus placere ſtudent, impuris affectibus præditi. ac primum amouet à ſe ſuſpicionem adulationis, idque illorum proprio teſtimonio. Deinde auaritiæ quoque ſuſpicionem amouet, prouocando ad Dei teſtimonium, qui ſolus de affectibus iudicare poteſt. Sint igitur miniſtri Euangelij alieni ab adulatione & auaritia.

Neq; quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs.

Se à gloriæ inanis ſtudio alienum fuiſſe monet. Vbi enim ambitio, faſtus, & applauſus populares regnant, ibi cum vicioſo affectu peruerſum agendi ſtudiũ adeſſe neceſſe eſt. Nam cũ ambitio ſanam mentem adimit, nulla fides (quæ eſt directrix operum) eſſe poteſt. vnde Dominus Iohan. 5. Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam mutuo à vobis accipitis, & gloriam quæ eſt à ſolo Deo non quæritis? Sed quis quærit gloriã ab hominibus, & quis à ſolo Deo? Is ab hominibus gloriam quęrere dicitur, qui ambitioſe applauſum hominum ob ſua facta quęrit. Contra, à ſolo Deo quærit gloriam, qui pudore ſui confuſus, ad gratuitã Dei miſericordiam confugit, nec quicquam ſibi eſſe reliquum ſtatuit, in quo glorietur, præter Chriſti grati-

am. Proinde, vt huius gloriæ ſtudium ſemper cum humilitate coniunctum eſt: Ita illius ex arrogátia & ignoratione ſui manat. Stet igitur hoc fixum: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Sed quomodo cum his conuenit dictum Pauli 2. ad Corinth. 2. Hæc eſt gloriatio noſtra, teſtimonium conſcientię noſtræ. Et ad Galat. 6. Opus ſuum probet vnuſquiſq;, & tunc gloriam habebit apud ſeſe. An non Paulus his verbis fatetur, recte facientem officia vocationis ſuæ, poſſe gloriari? Reſpondeo, Qui teſtimonium conſcientiæ bonæ habet in ſuis factis, poteſt vtiq; gloriari, ſed non extra Dominum. Quare has exceptiones conſtituamus. Primum, acceptum feramus Deo quicquid habemus boni, nobis nihil arrogantes. Deinde retineamus illud fundamétum, in ſola Dei miſericordia ſitam eſſe nobis ſalutis fiduciam. Poſtremo in ſolo bonorum omnium autore acquieſcamus. His ſic apud nos cõſtitutis, pia erit in omni bonorũ genere gloriatio, immo neceſſaria, & expetenda. Nam nihil aliud eſt vera gloria, quam approbatio conſcientiæ recte iudicantis, & aliorum recte iudicantium. Vbi igitur conſcientia bona eſt, coram Deo & hominibus, ibi vera gloriatio, vnde Paulus Actor. 23. Ego omni bona conſcientia verſatus ſum ante Deum in hunc vſq; diem.

Cum poſſemus in onere eſſe, tanquam Chriſti Apoſtoli, facti tamen ſumus placidi in medio veſtri, perinde ac ſi nutrix foueat filios ſuos.

Certiſsimo ſigno confirmat, ſe non quæſiuiſſe gloriam ab hominibus, cũ inquit: Poſſemus eſſe in onere, hoc eſt, vſurpare autoritatem Apoſtolicam, vt cæteri Apoſtoli, Tamen huic iuri ceſsimus mites, placidi, & lenes effecti, Perinde atq; nutrix, quæ ſuos tenellos pueros calefacit, fouet, ac tenerrime tractat. Hoc Pauli exemplũ ſequantur pij Euángelij præcones, ne abutentes autoritate ſua plus deſtruant, quam ædificent: Quod quidem illis vſu venire ſolet, qui intempeſtiuo zelo iuriſdictionem Eccleſiaſticam vſurpant, ſine maturo Eccleſiæ iudicio. Porrò hic locus, & qui eſt 1. Corinth. 9. videtur nonnullis patrocinari operibus ſupererogationis, quæ definiunt eſſe opera indebita, vt quæ fiunt vltra id, quod quis debeat. Verum priuſquã reſpondeã ad argumentũ Papiſticum, firma demonſtratione oſtendam, quam vanũ ſit illorũ figmentum. Quæcunq; opera ſub lege comprehenduntur, falſo vocantur ſupererogationis opera. Sic enim Dominus inquit: Cum omnia feceritis, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Inutiles ſerui ſumus, quæ debuimus facere, fecimus. Præterea nullum opus agnoſcendũ eſt bonum opus eſſe, aut Deo acceptum, quod lege Dei comprehenſum non ſit, quemadmodũ ex diſtinctione operum conuincitur. Nam tantum duo ordines ſunt bonorum operum: Aut enim ad Dei cultum, aut ad caritatẽ proximi referuntur. Et vt nullum ad Dei cultũ pertinet, quod non contineatur ſub hoc capite: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde &c. Ita nullum officiũ eſt caritatis, quod non requiratur illo præcepto: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Ex his axiomatis firmiſsimis ſequitur, nullum opus bonũ ſupererogationis dici poſſe. HOC iacto fundamento, ad obiectionem Papiſtarum reſpondeo: Paulus (dicunt) officio ſatisfeciſſet, Euangeliũ prædicando, addit nunc vltra aliquid ad cumulum, non vtitur autoritate ſua, qua vti potuiſſet, non ſumit mercedem operis, qua dignum operariũ Dominus pronunciat. Igitur ſupererogat aliquid, quod non debet. Reſpondeo, Paulum vltra quidem progreſſum fuiſſe, quam requirit ordinaria vocatio Apoſtolorum, ſeu paſtorũ, qui à ſtipẽdio abſtinuerit, quod Dominus permittit paſtoribus ſumere. Verum cũ eſſet ex eius officio pro circumſtantijs temporis, & perſonarũ, quæcunq; offendicula prouidebat, illis obuiare, Cerneret autem Euangelij curſum impeditũ iri, ſi facultate ſua vteretur, Tametſi illud erat extraordinarium, Dico tamen nihil Deo præſtitiſſe plus, quam deberet. Eſt enim boni paſtoris, offendicula, quantũ in ſe eſt, tollere. Non eſt igitur, quod eum aliquid indebitum Deo cõtuliſſe fingant, Cum nihil aliud præſtiterit, quam quod officij neceſsitas, gloria Dei, & caritas proximi flagitabat. Cuius exemplũ ſi ſequerentur hodie multi miniſtri verbi, minus eſſet turbarum, minus ſcandalorũ in Eccleſia Chriſti, propter inſatiabilẽ multorũ ingluuiem, qui eo omnes ſuos conatus deſtinãt, vt diuitias per fas & nefas corradant.

Ita erga vos affecti, libenter voluiſſemus diſtribuere vobis non ſolum Euangelium Dei, ſed noſtras ipſorum animas, propterea quod cari nobis facti eſtis.

Suum affectum ab effectu probat, nimirum, quod non ſolum libentianimo prędicauerit ipſis Euangelium, quod muneris eſt Apoſtolici, verumetiam quod paratus fuerit pro ipſis vitam dare, quod intime amantis indicium eſt. Diſcant hinc miniſtri verbi pluris facere ſalutẽ Eccleſiæ, quam propriã vitam:

Diſcant alacri & promto animo, vel in medio perſecutionum Euangelij negocium promouere: Diſcant renunciare ſuis commodis & voluptatibus, vt ſoli gloriæ Dei ac ſaluti animarum ſeruire poſsint.

Meminiſtis enim fratres laboris noſtri ac fatigationis.

Confirmat ſuperiorem ſententiam ab experientia Theſſalonicenſium, qui experti erant quantum laboris exhauſerat Paulus apud ipſos. Porrò græcanicæ voces κόπος & μόχθος nõ multum differunt. κόπος ſignificat laborem cum ſumma cura & ſolicitudine coniunctum. μόχθος ſignificat laborem quo quis fatigatur preſſus laboris mole ac difficultate. vnde colligitur arduum eſſe munus ac difficile, fidum ac ſincerum miniſtrum verbi Dei agere.

Nocte enim & die laborantes, ne quem veſtrum grauaremus, prædicauimus apud vos Euangelium Dei.

Confirmationis expoſitio ſeu declaratio eſt. Duplicis enim laboris meminit, Nocturni, quo potiſsimum manuum labore ſibi victum parauit. Diurni, quo præcipue in prædicando Euangelio occupatus erat. Cur autem labore manuum ſibi victum parauerit, cauſſam reddit, quod noluerit cuiquam illorũ oneri eſſe. Apud Corinthios ſimiliter, & apud Epheſios ſibi victum manuum labore acquiſiuit, haud dubie ob hanc cauſſam, vt illis omnem calumniandi & ſiniſtre de ſe ſuſpicandi occaſionem amputaret. Eſt enim miniſtrorum verbi officium cauere, ne ſua culpa, aut etiam abuſu ſui iuris, curſum Euangelij impediant. Sed de hac re paulo ſupra plura ſunt dicta, contra eos qui ex ſimilibus exemplis opera ſupererogationis extruunt.

Vos teſtes, & Deus, quam ſancte & iuſte & inculpate cum vobis credentibus verſati ſumus.

Prouocat rurſus ad teſtimonium Theſſalonicenſium & Dei. Theſſalonicenſium quidem, qui de externis factis ſolummodo iudicare poterant, Dei vero, qui cor intuetur, ideoque ſolus καρδιογνώστης in ſcriptura dicitur. Porrò viuendi rationem, ſeu integritatem Chriſtiani hominis ad tria reuocat. Ad ſanctitatem, qua homo in vero timore & fide viuit: Ad iuſticiam coram hominibus, quæ nõ ſolum nemini nocet, ſed potius omnibus prodeſt. Sunt enim huius iuſticiæ duæ partes, nimirum, abſtinentia ab iniuria proximi, & beneficentia. Ad innocentiam, qua nemini præbet occaſionem de ſe male loquendi. Quia autem hoc poſtremum difficillimum eſt, reſtringitur ad credentes, qui ſoli candide iudicare de aliorum factis didicerunt per ſpiritum fidei. Hic nos quoque diſcamus, quo noſtra viuendi ratio vniuerſa referenda ſit.

Quemadmodũ ſcitis quomodo vnumquemque veſtrum tanquam pater liberos ſuos (complexi ſumus) obſecrantes & conſolantes & teſtificantes, vt ambularetis digne Deo, qui vocauit vos in ſuum regnum & gloriam.

Supra nutrici, hic patri ſe comparat Paulus, ſuumq; paternũ affectum tum Theſſalonicenſium teſtimonio, tum effectu probat, vt qui officium veri paſtoris faciat, recte inſtituendo, hoc eſt, obſecrando, conſolando, ac docendo vnumquemque illorum, vt ambulent digne Deo, qui vocauit eos in ſuum regnum & gloriam. Hinc multiplex doctrina peti poteſt. Primũ enim docemur exemplo Pauli, quomodo amplecti debeant ſuos auditores miniſtri Euangelij, Nimirum, nõ ſecus quam bonus & blandus pater ſuos liberos. Deinde quod eorum officium ſit, non tantum publice docere omnes ſimul, verumetiam ſingulorum curá habere, & prout cuiq; opus eſt ſermoné accommodare, nempe, vt exhortentur ceſſantes, conſolentur mœſtos & puſillanimes ſeu afflictos, & teſtificentur, Hoc eſt, doceant rudes vt verbo Domini ac ſana doctrina conuincantur de veritate Dei. Teſtificandi enim verbum ad doctrinam refertur. Non eſt igitur perfunctus paſtoris munere, qui publice docet tantum. Sunt enim quibus opus eſt peculiaris inſtitutio. Paulus Act. 20. dicit, ſe mundũ a ſanguine omniũ, quia publice omnes & priuatim ſingulos admonere non ceſſauerit. Quare non poteſt ſe mundum à ſanguine profiteri, qui priuatam inſtructionem negligit. Tertio, vocationis finis obſeruandus eſt, videlicet, quod ideo vocemur per Euangelium, vt conſortes regni Dei & gloriæ cœleſtis æternum viuamus beati. Hunc finem, qui ſibi ob oculos vere ponit, feruentius cõtra mundum & vicia pugnare, ac integritatem ſectari per totam vitá conabitur, quo iuxta nu

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tum & voluntatem Dei patris viuere (quod quidem eſt digne Deo ambulare) poſsit. Non igitur res leuis, ſed regnum Dei ac ſalus animarum agitur. Quæ ſane bona quantiſcunque periculis ac laboribus præponenda ſunt. Quarto, hinc admoneantur miniſtri verbi non ſolum fidei & iuſtificationis doctrinam vrgere, verumetiam ſerio legis doctrinam, quę regulam vitæ Chriſtianæ præſcribit, proponere. Nam vt fide in regnum Chriſti ingredimur, Ita pijs operibus & filijs Dei dignis in regno Chriſti nos eſſe declaramus. Sicuti contra mala opera ciues Satanæ monſtrant & coarguunt.

Propter hoc & nos gratias agimus Deo indeſinenter, quod vos amplexi ſermonem Dei prædicatum à nobis recepiſtis, non ſermonem hominum, ſed (quemadmodum eſt vere) ſermonem Dei, qui & efficax eſt in vobis credentibus.

Hactenus de ſuo miniſterio & diligentia, nunc de fructu agit (Eſtque hæc ſecunda pars capitis) Gratiarum hæc actio non ſolum miniſtrorum eſſe monet, gaudere de profectu ſui miniſterij, quod fortunat Deus, verumetiam Pauli prędicationem receptam fuiſſe à Theſſalonicenſibus, & fructificaſſe (quod in illorum commendationem vergit) indicat. Porrò hic de multis rebus monemur, Primum, vnde ſit Euágelij autoritas, nempe ab autore Deo. Ipſe enim ſonat ſuum verbum per miniſtros. Deinde, quod miniſtri verbi cauere debeát à Doctrinis hominum, vt vere poſsint gloriari cum Paulo, ſe ſermoné Dei, non hominum, prædicare. Quod ſi facerent Romaniſtæ, minus eſſet in Eccleſia turbarũ, latiuſq; ſe extenderét pomeria Eccleſiæ Chriſti. Præterea, quod huic verbo homines propter reuerentiam Dei fidem habere debeant exemplo Theſſalonicenſium. Poſtremo, quis ſit effectus Euangelij in ijs, qui illud vere recipiunt. Nam Deus in illis eſt efficax ſuo ſpiritu, Reformat mentem hominis ſua manu, conuertit voluntatem, purificat cor, excitat fidem, dat alacritaté ad præſtandum Deo cultum ſuum. Cum contra contemtores Euangelij ſpiritu Satanæ, & carnis ſenſu ferantur. Quam diu igitur aliquis membra ſua iniuſticiæ arma ſentit, ſciat ſe fruſtra verbũ audiuiſſe, temereque ſe Chriſtianum iactare. Hic enim ordo, qui hoc loco indicatur à Paulo, neceſſario obſeruandus eſt. Prædicatio, receptio doctrinæ, fides iuſtificationis, & efficacia Dei in credentibus. Prædicatio eſſe poteſt ſine ſequentibus tribus, Sed nullum horum trium ſine cæteris. Vbi enim recipitur doctrina, prædicatio ſane præceſsit, fides concipitur, Deiq; virtus ſe exerit. Proinde nemo de verbo glorietur, niſi qui ſentiat in ſe virtutem Dei.

Vos enim imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu, quod hæc paſſi eſtis & vos à proprijs contribulibus, quemadmodum ipſi à Iudæis.

Propoſitionis proximæ ratio ita accommodanda. Quod vere amplexi ſitis ſermonem Dei, vere credatis, Deuſque ſit in vobis efficax, oſtendit haud obſcure veſtra conſtantia, qua grauiſsima quæq; pro Euangelio patimini: ac vt ipſos conſoletur, dicit eos exemplum Eccleſiæ Dei, quæ eſt in Iudæa, imitari. Vtque diſcernat veram Eccleſiam Dei ab ea, quæ falſo ſibi hunc titulum vendicat, addit, In Chriſto Ieſu. Huius enim corpus eſt Eccleſia vera, in illo collecta, & compacta. Porrò hoc exemplum amplificat à ſimili. Sicuti Iudaica Eccleſia à ſuis contribulibus, hoc eſt, à Iudæis patitur: ſic & vos patimini à proprijs ciuibus. Atque ita hoc exemplo ad patientiam & conſtantiam hortatur Theſſalonicenſes. Hinc nos quoque admoneamur Sanctorum exempla imitari, vt ab ijs diſcamus conſtantiam & patientiam in ferenda cruce, tempore perſecutionis, ne fracti impatientia confeſsionem abijciamus. Deo enim ita viſum eſt, vt crux ſit veluti quoddam examen fidei, quo probetur eius ſinceritas.

Qui & Dominum occiderunt IESVM, & proprios Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, prohibent nos gentibus loqui, vt ſaluentur, vt expleant peccata ſua ſemper, peruenit enim in eos ira in finem.

Amplificatio eſt qua exaggerat malitiam Iudęorum per diſtributionem, & ſimul pœnam impietatis eorúdem notat: cum vt occurrat ſcandalo crucis, tum vt conſoletur cruce preſſos. Id quod facit triplici argumento, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, ſalute promiſſa pijs, & ira Dei, hoc eſt, damnatione

natione ſuper impios & perſecutores Eccleſiæ. Et prodeſt ſane in hæc tria tempore perſecutionis reſpicere, ne multitudine impiorum, & perſecutionum fluctibus ſuperati fidem abijciamus. ex his enim tribus ingentem conſolationem hauſiſſe ſanctos Martyres non eſt dubium. Præterea obſeruentur hic tres loci: Primus, de rabie perſecutorum Eccleſiæ, qui in tantam feritatem deferuntur præcipites à Satana, vt nunquá expleri poſsit ſanctorum ſanguine. Secundus, de impletione ſcelerum eorum, qui male agendo pergunt, nam menſuram hoc modo ſui iudicij implent. differtur enim pœna, donec iniquitas illorū ad ſummum peruenerit. Quare ſedulo nobis cauendum, ne peccata peccatis addendo, reponamus nobis iram in die iudicij. Tertius, de ira, quam in illos perueniſſe dicit vſq; in finem. Quo admonemur de reiectione gentis Iudaicę propter eius contumaciam, & nefanda ſcelera. In hoc exemplum & ſimilia intueri nos oportet: vt admoniti illorum malo, viuamus ſolicite magis in timore Dei, ne in ſimilem Dei iram ob noſtra peccata incurramus. Nam hæc ira ſeu damnatio, & reiectio, vt ad totum populum Iudaicum non pertinet: Ita nec ad ſolum. Eſaias enim & Paulus docent, quod reliquiæ ſaluæ fiant. Deinde eadem damnatio cōmunis erit omnium, qui vel perſequuntur Euangelium, vel alioqui Epicureorum more illud negligunt, vel deficiunt à cognita veritate. nam immota ſententia eſt, Qui non credit in filium, ira Dei manet ſuper eum.

Nos autem fratres orbati vobis ad ſpacium horæ, facie non corde, vehementius ſtuduimus faciem veſtrā videre cum multo deſiderio.

Tertia eſt huius capitis pars, in qua ſe excuſat, cur ad ipſos non venerit in tanto illorum periculo. Nunquam enim magis optanda eſt fidelis Doctoris præſentia, quam cum propter doctrinam grauior ſuboriatur perſecutio. Primū igitur ſignificat promtitudinē animi ſui ad inuiſendū Theſſalonicenſes. Deinde, cur non venerit, exponit. Verū hæc vt magis conſpiciantur, ἀναλυτικῶς ea retexam. Primum itaq; ſe orbatū illis dicit. vnde ſignificat affectū ſuum ergā ipſos vere paternum, qualis in fidis verbi miniſtris requiritur. Deinde hunc affectum collatione exaggerat, cum inquit, Ad ſpacium horæ, quaſi dicat, Moleſtum eſt mihi & durum ſane abeſſe à vobis ad ſpacium horæ nedū tanto tempore. Tertio, vt eos nonnihil conſoletur, correctionem addit, Facie nō corde inquiens, ac ſi dicat. Tametſi facie à vobis ſubductus ſum, & corporali præſentia: Tamen corde & animo apud vos maneo. Non enim quemadmodum corpora, Ita animos interuallum loci ſeparat: Quod quidem non ad ſubſtantiam, ſed ad animorum affectum, & deſideriū referendum eſſe manifeſtum eſt. Quarto admonet eo ſe maiori ſtudio quo diutius abfuit, contendiſſe, vt ipſos inuiſeret, idq; multo deſiderio: Quemadmodum parentes qui longo tempore aſpectu liberorum priuati, feruentius eos videre geſtiunt.

Itaque voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus & ſemel, & iterum) ſed impediuit nos Satanas.

Prolepſis eſt. poterant enim impatientiores moræ obijcere, Cur ergo non venis? Reſpondet, voluntas quidem non defuit nobis, ſed facultas & occaſio. Conatus ſum quidem ad vos proficiſci ſemel atq; iterum, ſed Satanas nos impediuit per Iudæorum inſidias, qui meę vitæ inſidiantur. Hic enim impedimentum Satanæ vocat malignorū ſtudia, & inſidias, quib. impediebatur, quo minus ad ipſos venire potuerit. Verum hic quæſtio oritur: nunquid Satanas poſsit alicuius ſancti propoſitū impedire? Ad quam quæſtionem Baſilius reſpondet in hunc modum: Eorum quæ in domino ſunt recte ctorū, alia ſola voluntate ac deliberatione animi efficiūtur, Alia ad hoc vt efficiantur, indigent etiá opera corporis adhibendi vel ſtudio, vel tolerantia. ac quæcunq; ſunt eius generis quæ in ſola animi voluntate poſita ſunt, hæc nullo modo impedire Satanas poteſt. quæ vero ſunt ad quæ cōſequenda neceſſaria eſt opera corporis, in his plerumq; Deus naſci impedimēta permittit, vel probandi vel detegendi cauſſa illius, qui impediatur. Hinc præter à diſcēdum exemplo Pauli quod liceat ſanctis aperta pericula fugere, modo id fiat ſalua pietate. Neq; enim debet quis ſe temere in manifeſtum periculum conijcere.

Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriationis? nonne & vos coram Domino noſtro Ieſu Chriſto in ipſius aduentu? vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium.

Ratio cur ad eos venire voluerit. Nemo non libenter apud eos eſt, ex quibus gaudet, de quibus quam optime ſperat, à quibus gloriam habiturum ſe confidit. Quare & ego in-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

primis inuiſerē vos, qui eſtis mea ſpes, gaudium, & corona gloriationis, idq; in aduentu Ieſu Chriſti. Sed quid eſt, quod vocet Theſſalonicenſes ſuam ſpem, gaudium & coronam? An non Chriſtus ſolus ſpes, gaudium, & corona eſt credentium? eſt profecto Chriſtus ſpes, gaudium, & corona credentium, adeo quod extra illum nihil ſpei, gaudij, aut gloriationis ſit reliquum. Reſpondeo igitur vt ſupra primo capite in illū locū. Neq; quærentes ab hominibus gloriam. Quicunque teſtimonium bonæ conſcientiæ habet in ſuis factis, poteſt gloriari, ſed non extra Chriſtum. Vide Regulam ſupra loco notato. Deinde duo obſeruentur hoc loco. Primum quod liceat miniſtris verbi pie gloriari ob felicem ſuorum laborū ſucceſſum, modo caueant, ne quid ſuæ induſtriæ aſcribant, ſed bonitati Dei qui illorum labores fortunat. Deinde quod quo quiſq; miniſtrorum verbi plures in regnum Chriſti adduxerit, eo in aduentu Chriſti maiorem gloriam, ac veluti triumphum habiturus ſit. Vnde 2. Timot. 4. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in die illo iuſtus iudex. Verum hoc recte intelligendum eſt, ne ad cauſſarum iuſtificationis ordinem referatur. Nam tum demum ſanctis redditur illa corona & gloria, vbi fidem ſeruarunt, certamina decertarunt, & curſum perfecerunt. Hæc corona repoſita quidem eſt, ſed gratia Dei & merito Chriſti, non meritis proprijs. Qua tamen corona & gloria compenſantur labores & certamina. Huc Danielis refero dictum: Doctores fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſticiam erudiunt multos in perpetuas æternitates. Quare nequaquam cum hac compenſatione laboris & diligentiæ in miniſterio verbi pugnat gratuita imputatio. Hanc enim præcedere neceſſe eſt. Nam niſi gratuita imputatio iuſticiæ præcedit, nulla operum remuneratio ſperari poteſt. Placere enim non poſſunt opera ſine fide prælucente. Habet igitur fides duplex obiectum, promiſſionem remiſſionis peccatorum ſeu iuſticiæ, & remunerationem bonorum operum. Quatenus quærenda eſt remiſſio peccatorum ſeu iuſticia gratuita, fides in ſolam miſericordiam Dei propter Chriſtum recumbit, ſed extra iuſtificationis cauſſam etiam remunerationis reſpectum habet, quemadmodum de Moſe legimus, Hebræ. 11.

CAPVT III.

Summa Capitis Tertij.

Memorat ſe Paulus miſiſſe Timotheum ad Theſſalonicenſes, vt eos confirmaret, à quo reuerſo Athenas, cum ſtatum eorum didiciſſet, gratias agit, optatque vt & ipſe ad eos venire poſſit, & illi magis magisque confirmati in pietate, perſtent.

Ordo & Partes Capitis Tertij.

Tres ſunt huius capitis partes. PRIMA *continet cauſſam miſſi Timothei, & eiuſdem breuem commendationem.* SECVNDA *exponit, quomodo Timotheus reuerſus fidem ac dilectionem Theſſalonicenſium nunciauerit, vnde & gratias ſe Deo agere teſtatur Paulus.* TERTIA *eſt votum, quo & ipſe ad Theſſalonicenſes venire, ac ipſorum interea corda in vera ſanctitate confirmari cupiat.*

EXEGESIS CAPITIS TERTII CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVARE non amplius tolerantes viſum eſt nobis, vt Athenis relinqueremur ſoli, & miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei, & cooperarium noſtrum in Euangelio Chriſti.

Quia in fine ſuperioris capitis dixerat Paulus ſe impeditum à Satana, quo minus ad ipſos Theſſalonicenſes venire potuerit, hic ſe miſiſſe Timotheum ſuo nomine refert, ne prorſus viderentur à ſe derelicti. Hic duo obſeruentur. Primum quod Paulus ex paterno affectu erga ipſos Theſſalonicenſes ſolus potius voluerit in tantis perſecutionū turbis relinqui, quam vt eos fineret diutius cōſolatione deſtitui. Vnde diſcant miniſtri Euangelij nō tam propriæ ſalutis, quā ſuorum auditorum rationē habere. Deinde obſeruetur commendatio Timothei, quæ eo pertinet, vt

tinet, vt cõciliet Timotheo autoritatẽ apud Theſſalonicenſes, quo pluris faciant ipſius legationẽ, magiſq; ipſius cõſolatione erigantur. Vnde diſcant miniſtri verbi ſe mutuo veris cõmendationibus ornare, quo ipſorum autoritas maneat illæſa. Nam vbi autoritas ſemel amiſſa eſt, parum admodũ proficiet docentis labor, contemnentur conſilia, atq; adeo quicquid facit. Porrò Timotheum ornat magnis præconijs. Primum enim cum fratrem eum appellando, cum ſuum affectũ erga ipſum, tum cuius ſit profeſsionis ac religionis declarat. Nam tum temporis Chriſtiani ſe fratres mutuo appellarunt. Deinde eum miniſtrum Dei vocat, vt qui ſeruierit Deo veris cultibus. Poſtremo quo miniſterij genere Deo ſeruiat, oſtendit cum addit, Cooperarium in Euangelio Chriſti. Tales igitur ſe mutuo agnoſcant pij miniſtri, atq; alius alium propter dignitatis gradum tanquam ex alto ne deſpiciat.

Vt confirmaret vos & conſolaretur vos de fide noſtra, ne quiſquam commoueatur in afflictionibus his.

Finis miſsi Timothei oſtenditur duplex. Prior confirmatio & conſolatio Theſſalonicenſium, petenda ex fide Pauli, & conſtantia in ferendis afflictionibus. Multum enim doctoris fides & cõſtantia in periculis adeundis auditorum animos confirmat & conſolatur: contra autem fractus aduerſis docentis animus, haud raro auditorum fidem extinguit. Alter finis eſt (cui ſubordinatur prior) ne quiſquam in Pauli adeoq; Eccleſiæ periculis commoueatur, à diabolo, & mundo quietem & ocium blande ſuggerentibus deceptus, ac ita deficiat ab Eccleſia. Eſt enim σαίνεσθαι, qua voce Paulus hic vtitur, cum quis blanditijs & illecebris motus, mutat ſententiam, Metaphora à canibus ſumta, qui caudæ motu blandiuntur.

Ipſi enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus.

Ratio à communi piorum conditione ſumta, quam dicit eos nõ ignorare. In hoc, inquit, poſiti ſumus, id eſt, Hæc eſt piorum conditio, vt perpetuo in hoc mundo cum varijs afflictionibus ſit ipſis certamen. Quod enim præceſsit in capite Chriſto, ſequetur & in membris, quemadmodum ſuis prædixit Dominus dicens: Si quis vult me ſequi, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Vnde Paulus. Quotquot volunt pie viuere in Chriſto, perſecutionem patientur.

Etenim cum apud vos eſſemus, prædiximus vobis, quod eſſemus paſſuri afflictiones, quemadmodum & accidit & ſcitis.

Eos præſciuiſſe probat ex eo quod à ſe antea præmoniti erant de futuris afflictionibus. Hæc præmonitio non parum fecit ad roborandam fidem ipſorum, qui hæc à Paulo tanquam certiſsimo vate acceperant. Nam prædictiones, cum euentus reſpondet, ſpiritum diuinum coarguunt.

Propter hoc & ego non amplius ſuſtinens, miſi vt cognoſcerem fidem veſtram, ne forte tentauerit vos is qui tentat, & in vanam fiat labor noſter.

Repetit quod in principio propoſuit de legatione Timothei, & addit cauſſam legationis impulſiuam, nimirum vt cognoſceret fidem illorum, an per crucem & Satanæ tentationem eſſet labefactata. Quod ſuperius dixit, ne quiſquam commoueatur, Hoc idem nunc repetit, ſed alia verborum forma, nempe, ne forte tentauerit vos is qui tentat, ſcilicet propoſitis quiete, ſecuritate & in vita felici ſucceſſu, quæ cum homines quærunt, à Satana tentari dicuntur. Cuius tentationibus ſi ſuccumbunt, totus docentium labor fit inanis. Monemur itaq; hoc loco perpetuo excubandum eſſe, ne nos incautos opprimat diabolus. Non enim fruſtra præcipit dominus, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Nuper autem cum veniſſet Timotheus ad nos à vobis, & annunciaſſet nobis fidem & dilectionem veſtram, & quod habetis memoriam noſtri bonam, ſemper deſiderantes nos videre, quemadmodum & nos vos.

Secunda pars præſentis capitis eſt. vt autem in prima parte de legatione Timothei ad Theſſalonicenſes egit: Ita hic de ipſius ad ſe reditu tractat: à quo tria de Theſſalonicenſibus percepit, Nimirum fidem, charitatem, &

affectum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

affectum pium erga ſuum doctorem: quæ ſane tria præcipua ſunt religionis capita. Fidei nomine etiam confeſsionem & cultum Dei, qui neceſſario cum fide coniunctus eſt, intelligo. Charitas neceſſarius eſt fidei fructus, quę cum friget, fidem extinctam eſſe neceſſe eſt. Ex affectu pio & deſiderio videndi Paulum, cum eorum gratitudo, tum verbi diuini amor colligitur. Hos Theſſalonicenſes imitari omnes decet, quib. ſua curæ eſt ſalus. Porrò quod addit quemadmodum & nos, non ſolum ſuum affectum erga ipſos indicat, verumetiam exemplo docet, qualis coniunctio animorum mutua debeat eſſe inter docentes & auditores, modo fructus miniſterij aliquis conſequetur. Vbi enim parum inter ipſos conuenit, & odij & maleuolentiæ ſunt ſuſpiciones, vbi calumniæ & obtrectationes, Ibi ſpiritus Satanæ ſemen verbi cœleſtis ſuffocat, quo minus ſuum fructum edere poſsit.

Ideo conſolati ſumus fratres in vobis, in omni afflictione & neceſſitate noſtra, per veſtram fidem.

Quantum ſolatij perceperit Paulus ex eo quod Theſſalonicenſes fidem & dilectionem ſeruauerint, oſtendit, videlicet, quod in medijs afflictionibus, quibus quodammodo obrueretur, conſolationem, audita ipſorũ fide, admiſerit. Quæ ſane res non ſolum ſummum affectum Apoſtoli erga Theſſalonicenſes declarat, verumetiam multo magis ardens ſtudium gloriæ Chriſti per Euangelium illuſtrandæ coarguit. Quod ſane exemplũ pijs Euangelij miniſtris proponitur, vt quaſi ſui obliti, vnice ad Chriſti gloriam & ſalutem Eccleſiæ ſpectent.

Quoniam nunc viuimus ſi vos ſtatis in domino.

Ratio conſolationis. Nunc viuimus, hoc eſt, quam optime res noſtræ ſe habent, et rectiſsime valemus, ſi vos ſtatis in Domino. Stare autem in Domino, nihil aliud eſt quam credere, & ex fide ſincere diligere, nihilq; magis optare, quam in cultu vnius Dei ad finem vſq; perſeuerare. hinc colligere, quod veluti mors quædam pijs miniſtris ſit, ſi ſui auditores à fide deficiunt.

Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo reddere pro vobis ſuper omni gaudio, quod gaudemus propter vos corã Deo noſtro, nocte & die abundantius precantes, vt videamus veſtram faciem & ſuppleamus quæ deſint fidei veſtræ?

Præterquam quod ſuum affectum Paulus erga Theſſalonicenſes fuſius aperit, quatuor loci inſignes ſeſe offerunt. Primus, quod ſoli Deo aſcribendus ſit profectus verbi. Etſi enim Paulus magnis certaminibus iecerit ſemẽ verbi cœleſtis Theſſalonicæ: Tamen hic vni Deo acceptum fert, quod ſuus labor non fuerit inanis. Secundus, quod non ſolum ſit miniſtrorum verbi ſincere docere, verumetiam ſerio agere Domino gratias, lætariq; quoties fructum aliquem miniſterij cõſpiciunt. Tertius, quod quo magis creſcit Chriſti cognitio, eo magis ſit orandum, ne inimicus homo iactis zizanijs in agrum Domini, ſemen bonum ſuffocet. Quartus, quod fides nunquam ita in hoc mũdo abſolui poſsit, quin ſuis incrementis perpetuo indigeat. Quare perpetuo annitendum eſt, vt indies magis magiſq; per auditum verbi, aliaq; pietatis exercitia in Domino grandeſcat.

Ipſe enim Deus & pater & Dominus noſter Ieſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos.

Tertia huius capitis pars eſt, continens precationem Pauli, cum pro aduentu ſuo ad ipſos Theſſalonicenſes, tum pro incrèmento & confirmatione eorundem in vera ſanctitate, vſq; ad aduentum Chriſti, atq; ita habet hæc pars duo membra. prioris membri circuſtantiæ diligenter perpenſæ multas doctrinas afferunt. Primum enim cum dirigat Paulus orationẽ ad Chriſtum, agnoſcit ipſius diuinã potentiam, qua patri æqualis ſit. Deinde cum ſeparatim dicit, Deus, & pater, de duabus rebus nos admonet. Vt enim Dei mentio maieſtatem & omnipotentiam declarat: Ita patris appellatio fauorem Dei erga homines credentes exprimit. Is igitur, quem inuocamus, non tantum vt verus Deus ęſtimandus, verumetiam vt benigniſsimus pater eſt agnoſcendus, ac amandus, à quo omnia optima (cum ſit & omnipotens & paterno erga nos animo) ſperare liceat per Ieſum Chriſtum. Præterea commendatur hic nobis prouidentia Dei peculiaris in adminiſtranda Eccleſia. Non enim tam Pauli induſtriæ quam prouidentiæ Dei fuit, ad Theſſalonicenſes venire aut non venire.

Vos autem Dominus impleat, & abundare faciat charitatem mutuam inter vos & erga omnes, quemadmodum & nos erga vos.

Poſterius membrum precationis Pauli, in quo precatur, vt in mutua charitate & beneuolentia creſcant. Vbi primum gradus, deinde exemplum nobis commendatur. Gradus quidem, dum inquit inter vos & erga omnes. Charitas enim quæ à fide proficiſcitur, primum ad fideles ſe extendit. Deinde ad alios quoq;. Nam Charitas ſecundũ Deum, non hunc vel illum, ſed omnes complectitur: Ita vt ſe in omnes effundat, principio facto à domeſticis fidei. Exemplum vero cum inquit. Quemadmodum nos erga vos. Hic Paulus Theſſalonicenſes ſuo exemplo ſtimulat ad mutuum amorem, & profecto nihil pulchrius eſt quam in doctoris vita eandem eſſe pietatem & innocentiam quam vox docet. Exemplum ſane imitatione inprimis dignum.

Vt confirmet corda veſtra irreprehenſibilia, in ſanctitate corã Deo & patre noſtro, in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus ſanctis ſuis.

Quid charitati vera ex fide manananti coniunctum ſit oſtendit. Nam vt ſine charitate nihil eſt irreprehenſibile & purum coram Deo: Ita vbi charitas adeſt, ſincera corda, irreprehenſibilia in vera ſanctitate, idque coram Deo & patre, exiſtunt. Non quod illa innocentia & ſanctitas ſint effectus charitatis. (Fide enim corda purificantur.) Sed quia mutua charitas veræ ſanctimoniæ indicium eſt. Hoc cum reuelatũ iri monet in aduentu Domini cum ſuis ſanctis, fortius eos ſtimulat ad mutuæ dilectionis ſtudium. Hic rurſus monemur, quibus in rebus potiſsimum occupari debeant Chriſtiani: nimirũ in mutua ex fide dilectione, ſtudioq; innocentiæ, adeoq; omnium virtutum. Hic enim ſanctitatem omnibus quæ cum fide & charitate vera pugnant, opponit. Præterea obſeruandum eſt, quod monet Ambroſius, à Deo eſſe principium & profectum, conſummationemque virtutum.

CAPVT IIII.

Summa quarti Capitis.

Relicta immundicia & iniuria proximi, ſanctificationi mutuæq; dilectioni magis magiſque incumbendum eſt propria agendo. Nec nimio dolori indulgendum eſt ob mortem neceſſariorum, quos Dominus aliquando reuocabit ad vitam perpetuam, qua ſpe ſe pij mutuo conſolari debent.

Ordo & partes Capitis quarti.

Priora tria capita partim laudibus Theſſalonicenſium ob conſtantiam in fide & cruce, partim ſtudio Pauli erga ipſos abſoluuntur. Sequentia duo parænеſes fere continent ad vitam Chriſtianis dignam. Perpetuus enim mos Pauli eſt doctrinæ addere parænеſes protrepticas & apotrepticas. Porrò hoc quartum caput duabus partibus, nempe parænеſi & conſolatione abſoluitur. Parænеſis partim protreptica eſt, qua ad virtutes varias ſtimulat, partim apotreptica qua dehortatur à vicijs, vtramq; ex firmis principijs extruit. Conſolatio eſt ſuper morte amicorum, ne nimio dolore, more Ethnico ob mortem neceſſariorum afficiantur. Cui admixta eſt expoſitio de modo & ordine reſurrectionis.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVOD reliquum eſt igitur fratres rogamus vos, & adhortamur in Domino IESV, quemadmodum accepiſtis à nobis,

Propoſitio eſt inſtitutæ parænеſeos, cuius ſenſus eſt, vt dignam profeſsione vitam degant Theſſalonicenſes, quo Deo placere poſsint, atque quomo-

quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, vt abundetis magis.

adeo in dies magis proficiant. Hæc propoſitio monet, vt qui Chriſto ſemel nomina dederunt, eo tota vita contendant, vt Deo placeant. Quod fit, dum ad normam ipſius voluntatis noſtram vitam conformamus. Cum autem addit: Quemadmodum oportet, neceſsitatem indicat. fides enim incolumis eſſe nequit, quæ hoc ex veris fructibus non palam faciat.

Noſtis enim quæ præcepta dederimus vobis per dominum Ieſum.

Autoritatem ſuæ exhortationi cõciliat cum dicit, præcepta à ſe præſcripta autorem habere Dominũ Ieſum, Cui obœdire omnes, qui ab eo ſalutem expectant, iure debent: vt ſerui Domino, & redemti ſuo liberatori. Hinc cum docentes, tum diſcentes moneantur. Docentes quidem, ne quid aliud Eccleſiæ Chriſti præſumant proponere, quam cuius autor eſt Dominus. Diſcentes vero, ne prius acquieſcant, quam ſciuerint vocem Domini eſſe quam ſonant pręcones verbi. Hinc Moſes ſubinde ingerit populo Dei, & locutus eſt Dominus Deus. & Prophetę: Hęc dicit Dominus. Humanæ enim doctrinæ, vtut neceſſariæ ſunt in præſenti vita: Tamen Eccleſia Chriſti, cum de culu Dei recteque formanda vita agitur, ſola voce Domini contenta eſſe debet.

Hæc enim eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.

Ratio propoſitionis de noua vita ſeu obœdientia fidelium ſumta à primo & ſummo axiomate omnium actionum Chriſtianarum. In quo axiomate duo ſpectanda ſunt, Regula vitæ Chriſtianæ & forma eiuſdem. Regula eſt ſola voluntas Dei, quæ petenda eſt ex ſolo verbo Dei, vnde Dauid, Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et Chriſtus ex Eſaia, fruſtra me colunt docentes præcepta doctrinas hominum. Proinde hæc regula euertit & damnat omnem ἐθελοθρησκείαν omnium hominũ, Ethnicorum, Iudæorum & Papiſtarum, qui alias regulas viuendi præter verbum Dei excogitant, quod ſolum voluntatem Dei nobis reuelat. Nec iuuat eos quod bonam intentionem prætendant. Nam Dominus Deut.12. aperte dicit. Non facient ſinguli quod ſibi rectũ videtur. Huius rei cauſſam exprimit Eſaias cap.55. hiſce verbis: Neque enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neq; viæ meæ, viæ veſtræ dicit Dominus, quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt vię meę à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Sit igitur nobis immota regula viæ voluntas Dei, quã nobis ſuo ſacroſancto verbo reuelauit. Forma vitæ eſt ſanctificatio ſecundum regulam. Hæc ſanctificatio deſcribitur infra 5.cap. his verbis: Ipſe autem Deus pater ſanctificet vos totos & integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſine reprehenſione in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiatur. Eſt igitur ſanctificatio plena cum ipſe homo ſpiritu, anima & corpore integer vel purus & impollutus ſeruatur vſq; ad diẽ Chriſti. Purus autẽ is eſt totus, qui nihil mente cogitat, nihil corde appetit, nihil corpore exequitur, niſi quod probatur Deo. Hinc patet veram ſanctificationem in regeneratione conſiſtere, quæ mortificatione & viuificatione abſoluitur. Mortificatione renunciamus mundo & carnis deſiderijs ac inquinamentis. Viuificatione quæ fit per fidem in Chriſtum, ſubijcimus nos imperio ſpiritus, vt iam cum ſincero corde in certitudine fidei aſperſi cordibus à conſcientia mala, vt loquitur Epiſtola ad Hebræos, audeamus Deum accedere & offerre illi hoſtiã viuentem corpora noſtra (Rom.12.) Obœdiendo in omnibus ipſius ſanctiſsimæ voluntati. Forma igitur Chriſtianæ vitæ ſanctificationis voce exprimitur, qua exuitur iniquitas & induitur innocentia, & integritas ſpiritus, animi & corporis, vt totus homo ſe Deo in obſequium addicat.

Vt abſtineatis à ſcortatione, & ſciat vnuſquiſq; veſtrum poſſidere ſuum vas in ſanctificatione & honore, non cum affectu concupiſcentiæ, quemadmodnm & gentes quę non nouerunt Deum.

Sanctificationem ſectandam eſſe iuxta voluntatem Dei ſuaſit. Nunc quaſdam eius partes per collationem contrariorum recitat. Nam cum ſanctificatio immundiciæ opponitur, ſingulæ ſanctificationis partes opponuntur ſingulis immundicię mẽbris. Atq; hanc hoc loco caſtitatem fornicationi opponit, quo illam & ſanctam & honeſtã ſectemur, hanc vero & turpem, fœdamq; deteſtemur fugiamuſque. Significat enim hoc loco vas, ipſum corpus vniuſcuiuſq;. qua appellatione notatur fragilitas humana, hoc poſsideri vult cum ſanctificatione & honore, hoc eſt ſanctum, purũ & honeſtũ conſeruari vera mentis & corporis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

poris caſtitate. Fornicationis nomine intelligit per Synecdochen omnẽ turpẽ Venerem, quam ablegandá monet ad gentes quæ non nouerunt Deũ. Quod ſane inprimis obſeruandum eſt. Significat enim parũ, imo nihil in ſchola Chriſti profeciſſe eos, qui varijs libidinis generibus ſuccũbunt. Sit igitur omnib. pijs cordi hæc admonitio Pauli, cogitentq; ſe tantiſperà Chriſto alienos eſſe, donec fœdis libidinibus & cõcupiſcentijs carnis ſe inuoluunt. Nonnulli vas pro vxore exponunt, ſed prior interpretatio magis accõmoda eſt pręſenti loco. Nam vas vſu Hebraico eſt quælibet res certo vſui deſtinata, vt corpus noſtrum non eſcæ & Veneri, ſed Domino deſtinatum eſt, 1. Corinth. 6. Præterea obſeruentur gradus peccatorum. Vt enim hic tres rei venereæ gradus facit, Concupiſcentiam, Affectum, & fœdum libidinis actũ, quem fornicationis nomine deſignat. Concupiſcentia innata ęſtuat. Affectus perturbat rationem, ac voluntatem plerumq; captiuat, vt fœde corpore perpetretur, quod turpiter affectus imperat. Sic & aliorũ peccatorum tres gradus ſunt, Concupiſcentia, Affectus, quo dominatur peccatũ, & perpetratio. Hi gradus diſerte ponuntur ad Roman 7. his verbis. Ne igitur regnet peccatum in mortali corpore veſtro ad obœdiendum ei in concupiſcentijs ſuis. Quare primis initijs & motibus, vigilijs & precibus iuxta cõſilium Domini reſiſtendum eſt, ne mente victa affectus voluntatem trahat ad patrandum peccatum.

Ne quis opprimat aut fraudet in negocio fratrem ſuum.

Sanctificationis & im̃undicię alias quaſdam partes attingit. Quemadmodum enim immundiciæ ſubijcit violentam oppreſsionem, & aſtutá fraudem, Ita per ἀντίθεσιν ſanctitatis partes intelligit humanitatem, quæ violentiæ, & iuſticiam in contractibus, quæ fraudi opponitur. Ponit autem hic duas partes iniuriæ proximi. Oppreſsionem violentam (qualis Tyrannorũ & potentiũ eſt qui inferiores iniuſtis exactionibus aut alijs illicitis modis premunt) Et fraudem qualis eorum eſt, quacunq; ratione plus à proximo accipiunt quam iuſtũ eſt. Nam græca vox πλεονεκτεῖν ſignificat cupiditatem & ſtudium, plus quam æquum eſt habendi. Quare hac voce omnis auaritia, dolus, vſura & quicquid vergit in proximi damnum notatur.

Propterea quod vltor eſt dominus de omnibus his, quemadmodum & antea diximus vobis, & teſtati ſumus.

Addit minas vt qui turpitudine rei à malo non abſtinet, abſterreatur. ſaltem pœnis, & qui rei dignitate & pulchritudine non mouetur, pręmijs ſaltem inuitetut. Quemadmodum enim turpibus factis ſupplicia, Ita honeſtis factis ſi modo ex fide fiant, præmia ſunt propoſita.

Non enim vocauit nos Deus ad immundiciem, ſed ad ſanctificationem.

Ratio eſt à fine vocationis ſumta, amplificata collatione cõtrariorum, ac ſi diceret: Antequam vocati ſumus per Euangelium, in regno tenebrarum ſordibus peccatorum inuoluebamur, Nunc autem vocati ſumus per Euangelium, vt renunciatis peccatis, quæ mortis & damnationis cauſſa fuere, iuſticiæ & innocentiæ ſtudeamus. Huc locus Pauli ad Tit. 2. pertinet. Apparuit enim gratia Dei ſalutaris omnib. hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis concupiſcentijs, modeſte, iuſte & pie viuamus in præſenti ſeculo. Proinde quicunq; peccatis indulget, immemorem ſuæ vocationis ſe declarat, & ſe adhuc in regno tenebrarum ſub vexillo Sathanæ militare oſtendit.

Quapropter qui reijcit, non hominem reijcit, ſed Deum, qui & dedit ſpiritũ ſuum ſanctum in vos.

Vt magis eos vrgeat, autoritatem Dei allegat, & ſimul ſceleris magnitudinem notat. Qui enim reijcit ſalutares admonitiones à quocunq; propoſitas, non reijcit hominem tantum, quod per ſe graue ſcelus eſt: ſed Deum ipſum aſpernatur, et ſuam ingratitudinẽ oſtendit, non obtemperando Spiritui ſancto, in hoc à Deo dato, vt excitet corda hominum ad obœdientiá. Obſeruetur emphaſis in verbo ἀθετεῖν, quod ita rem aliquam aſpernari ſignificat, vt nullo in loco ponatur, nullaq; eius rei ratio habeatur. Vnde tria collige ꝑpetuo ob oculos ſtatuenda. Primũ quod contẽtores Dei ſunt quotquot eius ſalutaribus monitis per miniſtros verbi aut alios propoſitis nõ auſcultãt. Quemadmodum enim qui magiſtratus iuſſa detrectat, eius contemnit autoritatẽ, Ita Deo non obtemperans, diuinam mentẽ aſpernatur, quo ſcelere nihil eſt immanius. Nam inde prolabũtur homines in reprobá mentem, vt peccare non erubeſcant, iuxta illud Prouerbiorum 18. Im-

pius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Deinde significatur, quod tales contemtores Dei à Deo quoque reijciantur, iuxta illud: Qui me contemnit, erit ignobilis, seu ignominia afficietur. Proinde cum non honoratur Dominus, ac timetur ab ijs qui præceptis ipſius non obœdiunt, eos viciſſim abijcit, & ſinit cumulare peccata, donec menſuram peccatorum ſuorum compleuerint. Tertio, admoneantur tales iudicij Dei, cuius vltrices manus effugere nequeunt contemtores Dei. Quapropter dum manet tempus pœnitentiæ expergiſcamur, Deumque rogemus, vt nos conuertat, & ſuo ſpiritu regat, quo vere conuerti poſſimus, conuerſionemque noſtram vero fidei fructu teſtemur. Conſolatur & hic locus pios Euangelij miniſtros, qui cum à mundo contemnuntur & reijciuntur, quod non tam ipſi, quam Deus ipſe, cuius legatione funguntur, reijciatur.

De fraterna autem Charitate non opus habetis vt ſcribam vobis. Ipſi enim vos à Deo docti eſtis, vt diligatis vos inuicem. Etenim hoc facitis erga fratres omnes, qui ſunt in tota Macedonia.

Per occupationem addit Antitheſin proximæ præcedentis ſententiæ de violenta oppreſſione & fraude vitandis: Idque cum duplici ratione. Non opus eſt vt ſcribam vobis de fraterna charitate (quæ in locum violentæ oppreſſionis & fraudis ſuccedere debet.) Quia & ipſi diuinitus docti, ſcitis, quod mutua requiratur à vobis dilectio, & effectus ipſe ſeu fructus veſtram erga Fratres dilectionem declarat. Nam in tota Macedonia eam experti ſunt fratres. Porrò θεοδίδακτοι, hoc eſt, à Deo docti, illi dicuntur, quorum cor viuo ſenſu verbum prædicatum, per gratiam Spiritus ſancti penetrat, ſeu qui quod didicerunt per verbi prædicationem, opere complere ſatagunt. Eſt enim certiſſimum indicium quod à Deo didiceris, ſi id quod didiciſti facias. Qui autem nouit quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem, non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum literam. Admoneamur itaque hoc loco à nobis non requiri ocioſas ſpeculationes de Deo & rebus diuinis, ſed fidem per dilectionem efficacem.

At rogamus vos fratres abundare magis & eniti.

Correctio eſt, quaſi dicat: Tametſi veſtra erga fratres charitas magna eſt, Tamen perpetuis incrementis indiget. Nemo enim diligere iuxta rationem præcepti ſatis poteſt. Quare perpetuo progrediẽdum, enitendumque vt vnuſquiſque ſe ipſum diligendo proximum ſuperet. φιλοτιμεῖσθαι enim ſignificat magno ſtudio conari quippiam efficere. Quare Ambroſium ſequutus ſum, qui hoc loco φιλοτιμεῖσθαι eniti reddidit. Vnde colligemus non frigidum quendam amoris affectum à Chriſtianis requiri, ſed viuidum & feruentem, quo proximi commodis non minus quam noſtris ſtudebimus.

Quieſcere & agere propria, operari proprijs manibus, quemadmodum vobis præcepimus.

Plures ſanctificationis partes recitat, quæ ſimiliter per antitheſin ſunt exponendæ. Nam vt ſanctificationis partes præcipiuntur, Ita prohibentur immundiciæ quæ cum illis pugnant. atq; hoc loco tria cõiungit, quæ fere eundem ſenſum habent, Quieſcere, agere propria, & operari proprijs manibus. Quorum primum nimirum quieſcere, curioſitati opponitur. Nam ἡσυχάζειν & πολυπραγμονεῖν opponuntur, vt apud Iſocratem in oratione de pace, vbi dicit ἡσυχίαν vtiliorẽ ac commodiorem eſſe τῆς πολυπραγμοσύνης. Vt igitur hic commendatur Chriſtianis modeſta quies, Ita è contrario damnatur maligna curioſitas. Deinde hortatur vt propria agant, hoc eſt, vt quilibet in ſua vocatione ſit ſedulus & fidelis, & per ἀντίθεσιν damnat ocioſos homines, qui quid ſua vocatio efflagitet minime cogitant. Eodem pertinet quod addit, operari proprijs manibus, per quod intelligit ſynecdochice diligentiam ſedulam in omni vocationis genere. Neq; enim omnes manuum labore fatigari vult Paulus, ſed vt quæ ſui ſunt muneris, vnuſquiſque fideliter præſtet in communem & mutuam ædificationem.

Vt ambuletis decenter erga extraneos, & nulla re indigeatis.

Proximæ adhortationi duplicem rationem ſubiungit. Quarum prior à publica honeſtate, altera à propria vtilitate ſumta eſt. Publica honeſtas eſt ornans profeſſionẽ fidei, honeſto ac iuſto labore victum ſibi parare: Cum contra turpe & indecorum ſit ocio torpere, alieniſq; bonis inhiare.

propria vtilitas eſt, vt ipſe ſine mendicitate honeſto labore viuas, alijſque egentibus opem feras.

Cæterum nolo vos ignorare fratres de his qui obdormiuerunt, ne doleatis quemadmodum & cæteri non habentes ſpem.

Altera huius Capitis pars eſt, in qua conſolatur Theſſalonicenſes, qui ob mortem amicorum nimium triſtabantur. Vbi primum obſeruãdum eſt, quod mortuos ideo dormientes vocat, quia ſicut illi qui dormiunt, ſuo tempore excitantur, ita mortui in extremo die excitabuntur ad vitam immortalem. Quod autem de dormitione dicitur, non ad totum hominem, ſed ad partem, duntaxat nempe ad corpus referendum eſt. Anima enim à corpore ſeparata viuit immortalis. Id quod plurima teſtimonia veteris & noui teſtamenti conuincunt. Deinde diſcrimen inter dolorem piorum & impiorum conſideretur. Illorum enim moderatus eſt, vt qui conſolatione eſt mixtus, Hic immoderatus ſine omni ſpe & conſolatione. Vt autem moderatus ille permittitur: Ita prophanus & Ethnicus dolor damnatur.

Si enim credimus quod IESVS mortuus eſt & reſurrexit, ſic & Deus eos qui obdormierunt per Chriſtum adducet cũ ipſo.

Ratio conſolationis in morte amicorum, à cauſſa communis reſurrectionis. Quoties itaq; aliquis amicorum morte triſtatur, mortis Chriſti ac reſurrectionis meminiſſe oportet. Nã vt mors Chriſti, noſtræ mortis eſt victrix, Ita eiuſdem reſurrectio vitæ nobis cauſſa exiſtit. Eſt autem Pauli argumentum validum, non ab exemplo, non a particulari, ſed à cauſſa ſufficiente, & neceſſaria ad ſuum effectum neceſſarium & proprium. Vnde Paulus, 1. ad Corinth. 15. reſurrectionem mortuorum tanquam ex firmiſsimo principio probat, cum inquit: Si reſurrectio mortuorum nõ eſt, ne Chriſtus quidem reſurrexit. Hic à deſtructione conſequentis concludit antecedentis negationem hoc pacto: At Chriſtus reſurrexit, Igitur eſt reſurrectio mortuorum. Sic enim paulò poſt addit. Nunc autem Chriſtus reſurrexit ex mortuis, primitiæ eorum qui dormierunt. Subiungit ibidem collationem cauſſarum mortis & vitæ. Quemadmodum (inquit) moriuntur omnes per Adam, Ita & per Chriſtum omnes viuificabuntur. Hic vtitur contrarijs cauſsis ad probandos contrarios effectus. Vt enim Adam mortis cauſſa fuit ſua inobœdiẽtia, Ita Chriſtus vitæ autor eſt ſua iuſticia. Nam Chriſtus venit, vt inſtauraret omnia per Adam amiſſa. Vis itaq; conſequentiæ in eo eſt, quod Chriſtus nõ ſibi tantũ reſurrexerit, ſed nobis. Quemadmodum enim primitiæ non conſecrabantur vt ſolæ eſſent ſanctæ, ſed etiam vt reliquus anni prouentus ſanctificaretur. Ita & Chriſtus non ſolus reſurrexit, ſed nobis ipſius reſurrectio cauſſa, pignus & obſignatio quædam noſtræ futuræ reſurrectionis exiſtit. Verum hic quæſtio ex Pauli verbis oritur. Videtur enim in ſpeciem, quod tantummodo aſtruat Paulus piorum reſurrectionem, cum inquit, Qui obdormierunt in Chriſto, id eſt, qui morientes per fidẽ Domino IESV cõiuncti erant. Verum ſciendum eſt, quod Paulus duntaxat hic tractet ea, quæ ad præſentẽ conſolationẽ facere videbantur. Quare tantũ hoc loco de fideliũ glorioſa reſurrectione diſſerit, in qua abunde conſolationem conſequuntur pij in quauis afflictione. Quod autem omnes cum pij tum impij reſurgent, Illi quidem ad gloriam perpetuam: Hi vero ad æternos cruciatus, multa ſcripturæ teſtimonia conuincunt, inter quæ præcipua ſunt quæ habentur, Danie. 12. & Matth. 25. Iohan. 5.

Hoc enim vobis dicimus in ſermone Domini.

Vt fidem reſurrectionis aſtruat, verbũ Domini allegat, qui cum eam prædixit fore, procul omni dubio futura eſt. Quicunque igitur in dubium reuocat reſurrectionem mortuorum, Dominum ipſum mendacij coarguit, eiuſque omnipotentiæ derogat. Proinde hic ratio cœca captiuetur, & detur gloria Deo, apud quem nulla res eſt impoſsibilis. Cœlum (inquit) & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

Quod nos qui viuemus & reliqui erimus in aduentum Domini, nequaquam præueniemus eos qui dormiunt.

Eodem temporis momento omnium hominum erit reſurrectio communis. Adam primus homo non præueniet vltimum eorum qui morietur, ſed vna excitati omnes ſiſtentur coram iudice Chriſto, Quare nihil refert quocunque tempore moriatur aliquis, modo in Domino.

Quoniam ipſe Dominus cum hortatu & voce Archangeli ac tuba Dei deſcendet de cœlo.

Quis ſit reſurrectionis autor, & quis modus oſtenditur. Ipſe enim Dominus Chriſtus excitabit mortuos, Cui nihil difficile eſt. Si enim ex nihilo quicquid eſt rerum creare potuit, cur non poterit mortuos reuocare ad vitam? Modus quoque deſcribitur, quod cum hortatu & voce Archangeli, & tuba Dei deſcendet. Eadem fere Matthæus refert ex ore Domini cap. 24. Videbunt filium hominis venientẽ cum virtute & gloria magna, & mittet Angelos ſuos cum tubæ voce magna, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis & ſummis cœlorum vſque ad terminos eorundem.

Et mortui in Chriſto reſurgent primum, deinde & nos qui viuemus qui reliqui erimus, ſimul cum ipſis rapiemur in nubibus, in occurſum Domini in aërem.

Ordo reſurgentium deſcribitur, Nimirum vt antea mortui, & tunc viuentes, qui tamen in momento commutabuntur, ſimul rapientur in occurſum Domini. Nihil autem hic de impijs dicit, qui tum ſeram & inutilem pœnitentiam agent. Nam hæc tantum in conſolationem piorum dicuntur.

Et ſic ſemper cum Domino erimus.

Effectus reſurrectionis piorum lætiſsimus, nimirum æterna manſio apud Dominum in æterna beatitudinis gloria, vbi Deus erit omnia in omnibus. Vbi perfecta erit electorum iuſticia & innocentia.

Proinde conſolemini vos mutuo hiſce ſermonibus.

Concluſio conſolationis eſt, in qua vſus fidei reſurrectionis oſtenditur. Nimirum vt inde petamus conſolationem in omni afflictionum genere. Nam ipſa mortuorum reſurrectio, vt pijs finem omnium malorum affert, Ita eoſdem introducit in quietem, in qua compenſabuntur afflictiones præſentis vitæ.

CAPVT V.

Summa quinti Capitis.

Extremus dies repente incautos obruet. Quare vos pie & ſancte iuxta voluntatem Dei viuite, vt integer ſit ſpiritus, & anima & corpus ſine querela in aduentum Domini ſeruetur.

Ordo Capitis quinti.

In fine quarti de modo reſurrectionis admonuit, hic quæſtionem de tempore attingit. Deinde varias exhortationes inde extruit, vt parati ſimus in aduentum Domini. Tandem petit pro ſe orari, & fauſta imprecatione claudit Epiſtolam.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PORRO de temporibus & articulis temporum fratres nõ opus eſt vt vobis ſcribatur.

Occupatio eſt, qua anteuertit furioſas quæſtiones eorum, qui nimis anxie de rebus occultis, & præcipue de extremo die quæſiuerunt, ac ſi diceret: Non opus eſt articulum temporis aduentus Domini ſolicite quærere, ſatis eſt certo ſcire, quod vere venturus ſit.

Ipſi enim exacte ſcitis, quod dies Do-

Ratio occupationis & modus ad-

mini tanquam fur in nocte ſic veniet.

uentus Domini. Confert enim eum furis inexpectato aduentui. Quemad modum enim fur non præmonet, ſed alte dormientes inuadit, Ita Dominus ſubito, dum hoc minime expectant homines, adueniet. Quæ res maxime deberet nos excitare ad vitæ innocentiam ſeruandam, ne nos opprimat ille dies incautos. Debet enim ignoratio hæc ad ſtudium & vigilantiam excitare iuxta Domini præceptum, Matth. 25. Vigilate, inquit, & orate, quia neſcitis diem neque horam in qua filius hominis venturus eſt. Vult itaque Dominus nos ſimiles eſſe prudentibus virginibus, quæ oleo in vaſis ſuis accepto, expectarunt aduentum ſponſi. Porrò per diem Domini, & communem omnibus finem, & priuatum cuiuſque intelligi monet Theophylactus.

Quando enim dixerint, pax & ſecuritas, tunc repentinus ſuperueniet eis interitus.

Proximæ ſimilitudinis declaratio eſt. Explicat enim Paulus cur dies Domini furi ſit ſimilis, nimirum propter inexpectatum aduentum. Porrò duo hic obſerua. Securitatem præſentem impiorum, & ſuperuenientem interitũ, cum omnia ſibi tuta pollicétur impij, ſubito ira Dei obruet eos, qui in tenebris ignorantiæ Dei & contemtus ſecure ſtertunt, ebrij huius mundi illecebris.

Quaſi dolor partus mulieri prægnanti, & nequaquam effugient.

Subitum interitum impiorum ſimilitudine pulcherrima pingit: in qua tres ſunt partes. Quemadmodũ prægnans mulier intra ſe doloris materiam circumfert, Ita impij contemtũ Dei & alia ſcelera materiam æterni cruciatus in pectore gerunt. Deinde vt mulieris prægnantis dolores ſubito eam inuadunt: Ita pœna commerita opinione citius ſuperueniet impijs. Poſtremo vt nulla prægnãtium euadere poteſt, quin partus dolores experiatur, ad eundem modum nec impij ſua ſupplicia euaſuri ſunt.

At vos fratres non eſtis in tenebris, vt dies ille vos tanquam fur opprimat.

Conſolatur pios qui in die, hoc eſt, in clara Dei noticia pie ex fide viuũt. Vt enim per tenebras ſignificatur ignorantia Dei, oſcitantia, & ſecuritas: Ita per lucem Dei noticiam ac fructus fidei intelligit. Neque Paulus hic dicit diem illum aduentus Domini pijs notum eſſe, ſed eos tantum tutos fore monet, vt qui clara die vigilantes in vero timore illum excipiant. Vigilantibus enim & in luce verſantibus, ſi prædo aliquis aditum nactus de improuiſo incumbat, nihil poterit quod eorum eſt deuaſtare. At ſi in tenebris dormitantes deprehendat, relatis ſpolijs abſcedet imprimis.

Omnes vos filij lucis eſtis & filij diei, non ſumus noctis neque tenebrarum, proinde ne dormiamus ſicut & cęteri, ſed vigilemus & ſobrij ſimus.

Piorum communia officia exponit. Idq; primum in genere pulcherrima ſimilitudine. Cuius ſenſus hic eſt. Quemadmodum dies laboribus & vigilijs, non ſomno aut torpori deſtinatus eſt, Ita vocati ad lucem Euangelij per prædicationem verbi à tenebrarum regno, debent nũc vt in die clara vigilare, & ſua tam auguſta vocatione digna præſtare opera, quæ omnia ad vigilantiam & ſobrietatem reuocat. Vigilantia quidem eſt, dum abiecta ſecuritate carnali, certa ſpe in Dominum reſpicimus. Huic opponitur dormitio, quæ eſt ſupina ſuæ ſalutis negligentia. Sobrietas vero eſt qua cauetur, ne illecebris huius mundi ebrij, in ſomnum ſecuritatis incidamus, ſed potius vt alacres ſimus ad præſtandum officium. Obſeruetur proinde hoc diſcrimen inter pios & impios. Illi iuxta lucem Euangelij ambulant, hi mundi negocijs inuoluuntur, cura ſalutis ſuæ abiecta.

Qui enim dormiunt noctu dormiunt, & qui ebrij ſunt noctu ebrij ſunt.

Argumentum eſt à ſimili. Quemadmodum homines noctu dormiunt & interdiu vigilant. noctu ſunt ebrij, & interdiu ſobrij: Ita nos decet qui iam noctem ignorantiæ ſuperauimus, vigilijs & ſobrietati ſtudere. Id quod lux Euangelij requirit, ne mente grauata ſomno ignorantiæ, & corde intemperãtia & crapula defatigato, fœde nos in tam clara Euangelij luce geramus. Similis eſt exhortatio ad Eph. 5. Ne ſitis conſortes illorum, eratis enim aliquando tenebræ, Nunc autem lux in Domino, tanquam filij lucis ambulate.

Nos autem qui ſumus diei, ſobrij ſimus.

Accommodatio eſt ſimilitudinis. Nos qui ſumus diei, id eſt, qui noctè ſuperata ignorantiæ, verſamur in Euangelij luce, ſimus ſobrij.

Induti thorace fidei & charitatis, & galea ſpe ſalutis.

Quo ſpectent vigiliæ & ſobrietas Chriſtianorum, nunc oſtendit, nimirum vt in armis excubent perpetuo aduerſus hoſtem. Deſcribit autem πανοπλίαν Chriſtiani militis paucisſimis verbis, quam ſuſius deſcribit ad Epheſ. 6. Hic tres Chriſtianorum virtutes, fidem, charitatẽ & ſpem ponit, quas armorum titulo ornat. Nam vt ſcutum, thorax, & galea muniũt corpus militis mundani: Ita animum pij hominis aduerſus tela diaboli munit fides, qua totus Chriſtus induitur, charitas, qua fides lucet, Spes, quæ omni inſultui diaboli opponitur infracta, quaq; ſalus ipſa certisſima expectatur.

Quia non conſtituit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Amplificat ab obiecto ſpei, quod eſt liberatio à damnatione, & acquiſitio ſalutis, & ne quis hoc ſibi aſſcribat, addit cauſſam, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Porrò cum iram & ſalutem nominat, ſignificat vtramq; exercendam eſſe in aduentu Domini. Iram quidem aduerſus reprobos: Salutẽ vero erga eos, quos fide, charitate & ſpe armatos inuenerit. Idq; non ex ipſorum ſed Chriſti ſolius merito. Obſeruetur & ἀντίθεσις, quod ſalus acquiri non posſit, niſi per hunc Dominum Ieſum.

Qui mortuus eſt pro nobis, vt ſiue vigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum ipſo viuamus.

Ætiologia eſt proximæ rationis à fine mortis Chriſti ſumta. Cum autem mortem nominat, per Synecdochẽ intelligit omnia redemtionis beneficia, quorum finis eſt, vt credentes per ipſum æternum beati in cœlo viuant. Quocirca ſpes noſtra non nititur debili fundamento, ſed firmo & duraturo. Quæ ſpes cum talis ſit, nequaquam cõfundit ſperantes. Habent enim teſtimonium ſpiritus, quod hic præbet ſpiritui noſtro de paterno erga nos fauore in Chriſto Ieſu Domino noſtro, Roman. 5.

Quare confortamini vos inuicem, & ædificate ſinguli ſingulos, ſicut & facitis.

Poſtquam non pauca Chriſtianorum officia recenſuit, oſtendit omnium commune officium eſſe incumbere doctrinę, & exhortationi mutuæ, vt vſus doctrinæ in vita conſpiciatur. Hic tria obſeruentur, primum (quod iam dictum eſt) commune officium eſſe piorum ſe mutuo exhortari ac ædificare in pietate. Deinde errare eos, qui hoc ad ſolos publicos verbi miniſtros reijciunt. Tametſi enim in publicum miniſterium non eſt temere perrumpendum: Tamen omnibus ex æquo incumbit ſe mutuo exhortari & ædificare, ſeruato tamen Eccleſiæ ordine. Poſtremo damnari Enthuſiaſtas qui verbi miniſterium labefactare conantur, cum hic Paulus aperte requirat mutuam exhortationem & ædificationem.

Rogamus autem vos fratres vt cognoſcatis eos qui laborant inter vos, & qui præſunt vobis in domino & admonent vos, vtque habeatis illos in ſummo precio per charitatem propter opus illorum.

Quid ſinguli ſingulis debeant dictum eſt, Nunc addit valde neceſſariam exhortationem, qua Theſſalonicenſes hortatur, vt verbi miniſtris debitum honorem exhibeant. Huius exhortationis tres ſunt partes. Periphraſis ſeu deſcriptio miniſtrorũ verbi, officium ipſis præſtandum, & cauſſæ officij præſtandi. Periphraſis ſiue deſcriptio qualeſnam ſint veri miniſtri verbi docet: vtpote qui laborant, præſunt & admonent. Labor primum requiritur, nimirum vt in vinea domini ſtrenue faciant officiũ, docendo fideliter populum. Reijciuntur ergo à numero miniſtrorum Euãgelij, qui ocium captant, delicias ſectãtur, & quærunt victũ fraudulenter tituli ſacerdotalis prætextu. Nihil enim minus ſunt, quam paſtores, qui non præſunt laborando, & in verbo propagando. Deinde requiritur, vt præſint in domino, ſed vt œconomi, nõ vt domini, & patresfamilias. Sunt enim œconomi myſteriorum Dei. Quare qui non diſpenſant Euangelium, fruſtra de prælatura in Eccleſia gloriantur. Tertio requiritur, vt admoneant. nã crebris admonitionibus, publicis &

priuatis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

priuatis opus eſt, vt doctrina auditoribus accommodari póſsit. Adeo enim ſumus propter peccatum in ſalutis negocijs negligentes, vt perpetuis ſtimulis indigeamus. Officium ipſis debitum eſt, vt auditores eos habeant in ſummo precio & honore per charitatẽ. hoc enim Paulus Primum indicat obſcure metalepſi, dum inquit, Rogamus vt agnoſcatis eos &c. Deinde clare inquiens, vt habeatis eos in ſummo precio ſeu honore. porrò hic honor conſiſtit in quinq;: primum enim agnoſces illorũ miniſterium opus eſſe diuinum. Quare vt legatos Dei eos complecti decet. 2. exhibebis reuerẽtiam debitam propter miniſterij dignitatem. 3. præſtabis obœdientiam in his quæ ad miniſterium pertinent, id eſt, vbi verbum Dei poſtulat obœdientiam. verum ſi quid præcipiunt contra verbũ, ſequamur regulã Pauli, Si quis aliud Euangelium prædicauerit, Anathema ſit. 4. Gratitudinem debebis, vt non ſolum animo ſis gratus erga ipſos, Verumetiã opere, id eſt, vt conferas pro tuis facultatibus Euangelij miniſtris victum & ſtipendiũ. Dignus eſt enim, teſte Chriſto, operarius mercede ſua. Item, Rom. 15. Etenim ſi ſpiritualia ſua communicauerunt gentibus, debebant & de carnalibus miniſtrare illis. Item 1. Cor. 9. Qui Euangelium annunciant, ex Euangelio viuant. Et ibidem, Quis militat ſuis ſtipendijs? 1. Tim. 3. Non alligabis os boui trituranti. Admoneantur igitur pij, quod iure diuino Eccleſię miniſtris debeant ſtipendia. verum ne quid hic negligatur cum damno miniſterij, pertinet hæc cura ad ſuperiores, Sicut monet ſententia Eſaiæ. 4. Reges erunt nutritores tui, & reginæ nutrices. Si igitur Reges ſunt nutritores Eccleſiæ, poſſunt & debent iure diuino miniſtris Eccleſiæ ſtipẽdia ordinare, exemplo pijſsimi Ezechiæ regis, vt poſsint vacare legi Dominĩ, 2. Para. 23. Quinto, adhibebis ἐπιείκειαν in iudicandis moribus, & tegẽdis erratis, quatenus fieri poteſt ſine iniuria doctrinæ. Nam ſi in doctrina delinquunt, nullo modo parcendi ſunt, ſed vt lupi arcendi ab ouili, donec reſipiſcant. Cauſſa cur hic honor præſtandus ſit miniſtris Euangelij additur, cum inquit: propter opus illorum, vnde ſequitur nihil eis honoris deberi, qui officium iactant ſine labore. Quale autem ſit opus illorum ſupra dictum eſt, nimirum vt laborent in verbo, præſint in domino, & ſedulo admoneant quos docent.

Pacem habete inter vos.

Quia diſſenſio multa generat mala, hortatur vt concordiæ & paci ſtudeãt. Nulla enim re magis turbatur Eccleſiæ incolumitas, quam diſſenſionibus, vnde non ſolum factiones & ſeditiones, verumetiam plurima cum in doctrina, tũ in moribus ſcandala oriuntur. Quare merito hic ad pacem hortatur Paulus, qua incolumitas Eccleſiæ conſeruatur. Alij hic vertunt, pacẽ habete cum ipſis. Nam græcum ἐν αὐτοῖς eſt ambiguum. ſed ego Ambroſium ſequi malui. Tametſi parum referre videatur, niſi quod generalior ſit ſententia iuxta Ambroſij verſionem quæ huc optime quadrat, huc accedit quod Paulus nuſquam ἐν ἑαυτοῖς pro ἐν αὐτοῖς poſuit. neque enim ſolet atticiſmos affectare.

v. 14. Obſecramus vos fratres, monete inordinatos, cõſolamini puſillanimes, ſubleuate infirmos, longanimes eſtote erga omnes.

Quia non omnibus æqualia ſunt fidei incrementa, monet quomodo ſit cum ſingulis agendum. Inordinati, id eſt, flagitioſe viuentes redigendi ſunt in ordinem ſalutaribus monitionibus: puſillanimes, quorum fides videtur vacillare, conſolationibus ſtabiliendi ſunt. Breuiter de omnibus bene ſperandum. Quare non importune turbandi ſunt, ſed expectanda eſt per tolerantiam illorum pœnitentia.

Videte ne quis malum pro malo cuipiam reddat, ſed ſemper quod bonum eſt, ſectemini, tum erga vos inuicem, tum erga omnes.

Ne retaliemus iniurias nobís illatas monet, ſiue fratres ſunt qui offendunt, ſiue extranei noſtræ religionis hoſtes. Verum quia talis affectus eſt perdifficilis, addit particulam attentionis: Videte, ac ſi dicat: Scio difficile ac durum eſſe carni & ſanguini illatas iniurias condonare. Quare eo acriori ſtudio annitendum eſt, vt ſitis abſq; vindictæ cupiditate. Neque tamen hac exhortatione legitimam vindictã, & magiſtratus officium abrogat, ſed qualis affectus & ſtudium Chriſtianorũ eſſe debeat, oſtendit. Verum quia talis affectus raro inuenitur, neceſſaria eſt legitima vindicta, quam magiſtratus vice Dei exercet in contumaces.

Semper gaudete, indeſinenter orate, in omni gratias agite.

Hæc quoq; Chriſtianorum officia eſſe (vt fidei germani ſunt fructus) manife-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

manifeſtum eſt. Gaudium, de quo hic loquitur, eſt tranquillitas conſcientiæ, quæ in fide remiſsionis peccatorum fundatur, & in ſpe promiſsionis acquieſcit. Hoc gaudiū vel in medijs perſecutionibus manet, modo Chriſtum victorem mundi non amittas.

Hæc enim eſt voluntas Dei in Chriſto Ieſu erga vos.

Confirmatio proximæ ſententiæ à voluntate Dei ſumta, quæ noſtrarum actionum regula eſſe debet, vt ſupra dictum eſt.

Spiritum ne extinguatis, prophetias ne aſpernemini.

Hæc duo dicta ita differunt. prius generale eſt, poſterius ſpeciale. Spiritū ne extinguatis, id eſt, nolite facem Spiritus ſancti, qua accenduntur corda veſtra ad verum Dei timorem & ſanctitatem, veſtra negligentia & incuria extinguere, ſed date operam vt accendatur magis. Obſtruendæ ſunt igitur feneſtræ, ne ſopor ſpiritus nos inuadat, quo fax illa Spiritus ſancti extingui ſolet. Prophetias ne aſpernemini, hoc ad donum interpretandi ſcripturas referendum eſt. Quod donum vt non eſt alligatum certis hominibus propter ſucceſsionem, quemadmodum Papiſtæ volunt, Ita datur quibuſdam ad ædificationem Eccleſiæ, quo qui pollent, nō ſunt contemnendi, Imo potius in ſummo precio habendi, tanquā ſpiritus Dei interpretes.

Omnia probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete.

Prolepſis eſt, occurrit enim ijs, qui propter Prophetarum quorundā ineptas prophetias interpretādi munus ſimpliciter aſpernabantur. Et hic tria dat præcepta. Primum probandam eſſe prophetiam omnem, id eſt, examinandam ad regulam fidei, quemadmodum ad Rom. 12. monet, Siue prophetiam iuxta ἀναλογίαν fidei, ſcilicet eam inſtituat. Secundum præcedēte examine tenendum eſſe quod bonum fuerit, id eſt conſentaneum fidei, & quod ad ædificationem faciat. Tertium, Non ſolum malum ac falſum, verumetiam quod tale in ſpeciē apparet reijciendū eſſe. Facile enim quod tale eſt, ab hæreticis in malam conſequentiā trahitur. Quare in Eccleſia nihil niſi ſolidum, verum, ac bonum recipiendū eſſe: vt quod ad ædificationem faciat. Hāc interpretationē pręſentis loci requirit cōtextus, alij generalius interpretantur.

Deus autem pacis ſanctificet vos per omnia perfectos.

Quia longum fuit Chriſtanorum officia omnia particulatim recenſere, poſt longam enumerationem præcipuorum officiorū, vt artifex genus poſuit, nimirum vt ſanctæ perfectioni ſtudeant, & quia hoc non eſt humanarum virium. Deum huius ſanctificationis authorem facit, vt ſciamus ab eo aſsiduis precibus petenda eſſe, quæ ad veram perfectionem pertinent.

Et integer veſter ſpiritus & anima, & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.

Definitio eſt veræ ſanctitatis, & perfectionis Chriſtianorum, de qua ſupra cap. 4. in illum locum. Hæc eſt voluntas DEI ſanctificatio veſtra. Summa eſt vt recte omnia cogitent, recte velint, ac membra ſua exhibeant arma iuſticiæ.

Fidelis eſt qui vocauit vos, qui & efficiet.

Confirmat quod dixit, à conſtantia voluntatis Dei. Deus vos vocauit per gratiam. Igitur ſerio vult veſtram ſalutem, eamque vere exhibebit, modo vobis ipſis non defueritis. Similis eſt locus 1. Cor. 1. & ad Phil. 1. vnde pij bene ſperare diſcant de voluntate Dei, & de finali perſeuerantia, ne cum Papiſtis impiam dubitationem foueant.

Fratres orate pro nobis, ſalutate fratres omnes in oſculo ſancto.

Suo more petit pro ſe orari. Mutuis enim precibus fulcitur Eccleſia. Et iubet ſalutari totam Eccleſiam Theſſalonicenſium. per oſculum ſanctum, tanquam per ſymbolum externum, purum animi affectum intelligit. Sanctum enim epitheton impudico & fallaci oſculo opponitur.

Adiuro vos per Dominum, vt legatur

Ne ſupprimatur Epiſtola, & pau Epiſtola

Epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus.

cis quibuſdam legatur, veretur. Quare eos obteſtatur per Dominum, vt omnibus legatur. Hinc diſcamus verbum Dei non celandum vllos, quantumuis rudes & ruſticos. Nam vt fides verbi ab omnibus, Ita & eius cognitio requiritur.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum, AMEN.

Vſitata Paulo eſt hæc clauſula ſeu fauſta imprecatio in omnibus Epiſtolis, Quæ continet ſummam Euangelij, & fructum fidei, quemadmodum ſupra ſæpius dictum eſt.

ARGVMENTVM
IN POSTERIOREM EPISTOLAM PAVLI AD THESSALONICENSES.

QVIA SATIS CONSTAT QVALIS QVANTVSQVE SIT HVIUS Epiſtolæ author, omiſſo eius encomio. Tantum ea hoc loco dicam, quæ ad huius Epiſtolæ claram intelligentiam facere videbuntur, vt ſunt, Occaſio ſcriptionis, principalis quæſtio ſeu ſtatus Epiſtolæ, & tractationis ordo ſeu methodus.

DE OCCASIONE.

Occaſio præcipua huius Epiſtolæ hæc fuit. Admonuerat Paulus in priori Epiſtola cap. 5. de aduentu Domini ad iudicium, quem minime cogitantibus hominibus, omniaque proſpera ſibi promittentibus impijs, affuturum prædixit. Hinc quidam doctrinæ Pauli corruptores ſumſerunt occaſionem, vt propediem diem Domini affuturum, affirmarent. Vnde redditi ſunt non pauci, vt ex 3. cap. apparet, negligentiores, adeo quod multi inordinate, neglecto vocationis labore, vixerint. Hos vt ab errore reuocet Paulus, ſcribit hanc Epiſtolam.

DE QVÆSTIONE PRINCIPALI.

Principalis quæſtio eſt de tempore aduentus Domini ad iudicium, quem alij quidem iamiam inſtare, Paulus vero ſigna quædam præceſſura, nempe defectionis à fide, & reuelationem Antichriſti pronunciat. Vnde confutatur eorum error, qui aliter ſenſerunt. Eſt igitur hæc Epiſtola, quantum ad principalem quæſtionem attinet, Generis Iudicialis, & ſtatus coniecturalis. Tametſi alia quoque genera, & quæſtiones, vt fieri ſolet, incidunt. Nam totum primum caput generis eſt demonſtratiui: poſtremum ſuaſorij.

DE TRACTATIONIS ORDINE SEV METHODO.

Poſt vſitatam Epigrapham, exordium ſequitur, quod eſt gratulatorium. Gratias enim Deo agit pro Theſſalonicenſium fide, dilectione, & tolerantia. Propterea quod ipſis quidem in bonum afflictio, affligentibus vero ipſos in pœnam cedat. Huc addit votum de ipſorum perfectione in gloriam Chriſti: atque his primum caput abſoluitur. In ſecundo accedit ad principalem quæſtionem, præmiſſa exhortatione, ne ſinant ſe decipi ab illis, qui diem Domini iamiam inſtare prædicebant. Deinde ſigna præceſſura extremum diem, atque adeo ipſum Antichriſtum graphice depingit, addens cauſſas cœcitatis hominum, qui Antichriſti erroribus inuoluentur. Huc addit gratiarum actionem pro fide Theſſalonicenſium, & hortatur ad conſtantiam. In tertio capite varias paræneſes addit, hor-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dit, hortatur pro ſe fieri preces: optat ipſis Theſſalonicenſibus incrementum dilectionis Dei & patientiæ: Suadet caueri inordinatos, hortatur ad laborem: Monſtrat quomodo agendum ſit cum contumacibus. Tandem precatus ipſis pacem, fauſta imprecatione claudit Epiſtolam.

CAPVT I.

Summa Primi Capitis.

Gratias agit pro Theſſalonicenſium fide, & dilectione, & tolerantia, in perſecutionibus, quos ſolatur futura gloria, & compenſatione afflictionum, & ſimul precatur ipſis conſtantiam, vt per Chriſtum tandem plene ſanctificentur.

Ordo & partes Capitis Primi.

Primo loco ponitur Epigrapha. Hanc ſequitur exordium gratulatorium, quod ipſorum fides, dilectio, tolerantia creſcat, vnde ſe quoque gloriari teſtatur. Deinde vt eos animet, & ad perſeuerantiam inſtiget, meminit cum præmij pietatis, tum ſuppliciorum impietatis in aduentu Domini. Huc addit, quod pro ipſis precari ſoleat, vt Deus eos dignos faciat vocatione, vtque ſanctificentur magis.

EXEGESIS CAPITIS PRIMI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS & Syluanus & Timotheus Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.

Hæc Epigrapha ſupra in priori ad Theſſalonicenſes explicata eſt, & cõtinet duo. Nomen authoris Epiſtolæ & ſociorum, & eos ad quos ſcribitur.

Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.

Salutatio breuiſsime propria Euangelij beneficia continet. Gratia enim fauor Dei eſt cum remiſsione peccatorum. Pax eſt reconciliatio, cui tranquillitas conſcientiæ omniaque proſpera coniuncta ſunt.

Gratias agere debemus Deo, ſemper pro vobis fratres.

Propoſitio exordij eſt, vbi ex verbo Debere, collige officium piorum eſſe, ſemper Deo gratias agere, non ſolum quando nobis, verumetiam quando alijs læta contingunt.

Quemadmodum dignum eſt.

Cum dicit dignum eſſe, indicat non ſolum præconis verbi, verumetiam omniũ eſſe debitum officium Deo gratiarum actionem reddere, pro Eccleſiæ felici ſtatu & proſpero Euangelij curſu.

Quia creſcit valde fides veſtra, & exuperat dilectio vniuſcuiuſque omnium veſtrum erga vos mutuo.

Ratio propoſitionis eſt, ab incremento fidei & dilectionis Theſſalonicenſium. Sed vnde nouit incrementum fidei? ex incremento dilectionis. Ex effectu enim cauſſa dignoſcitur. Vbi igitur exigua charitas eſt, Ibi exiguæ quoque ſcintillæ fidei: quæ fides, quo magis arſerit, eo maiores charitatis flammas emittit. Admoneamur itaque exemplo Theſſalonicenſium, vt maiora fidei & charitatis incrementa à Deo petamus.

Adeo vt nos ipſi de vobis gloriemur in

A ſigno maximos illorum in fide Eccle-

Eccleſijs Dei, ſuper tolerantia veſtra, & fide in omnibus perſecutionibus & afflictionibus quas ſuſtinetis.

& charitate progreſſus fuiſſe oſtendit. Neceſſe eſt enim non exiguos fuiſſe progreſſus, de quibus gloriatur Apoſtolus, proponendo ipſos alijs in exemplum fidei & charitatis & patientiæ in perſecutionibus. Cum inquit, Super tolerantia veſtra & fide, coniungit effectum & cauſſam, & ex effectu cauſſam demonſtrat. Eſt enim tolerantia ſub cruce euidens fidei argumentum. Neq; enim poteſt caro & ſanguis in afflictionibus ſuperare, niſi ſpiritus fidei robur ſuppeditauerit. Nam quorum fides non altas radices egit in corde, illi tempore perſecutionis iuxta parabolam dominicam ſcandalizantur, ac in priſtinas tenebras relabuntur.

In oſtenſionem iuſti iudicij Dei.

Hoc pertinet ad conſolandos Theſſalonicenſes in afflictionibus. Eſt enim ſenſus: quod vos patimini & miſere affligimini in hoc mundo, contra quod vos affligentes ſecure & in pace degunt, euidens documentum eſt futuri iudicij. Num cum Deus iuſtus ſit index, Iuſtum exerceat iudicium, neceſſe eſt. Quare cum in hoc mundo pij affliguntur, & impijs bene eſt, Sequitur vt aliquando poſt mortem ſequatur iudicium, in quo iuſtus iudex pijs præmia & impijs ſupplicia reddet. Ex hoc argumento etiam Philoſophi ratiocinabantur immortalitatem animarum.

Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.

Collatio eſt futuræ gloriæ cum præſenti afflictione. Vult enim Paulus, vt in omnibus afflictionibus aſpiciamus ad futuram gloriam, quam conſequemur in regno Dei glorioſo. Neque enim hic de merito & cauſſa regni Dei loquitur, ſed qualeſnam ſint & eſſe debeant regni cœleſtis hęredes oſtendit. Crux enim non facit dignos regno Dei, ſed declarat dignos, dignos inquam non propria dignitate, ſed dignitate aç merito filij Dei, cuius ſolius crux vnica nos dignos reddit æterna gloria.

Siquidem iuſtum eſt apud Deum reddere his, qui vos affligunt, afflictionem, & vobis qui affligimini relaxationem.

Apertius declarat quod dixit (in oſtenſionem iuſti iudicij Dei) Idque ab effectu iudicij Dei. Eſtque tale argumentum: Iuſtum eſt iudicium Dei, Igitur vobis qui ob pietatem hic affligimini, relaxationem, & affligentibus vos pœnam reddet iuſtus iudex.

Cum manifeſtabitur Dominus Ieſus de cœlo.

Amplificat à tempore, & ſimul indicat non eſſe pijs ſperandam in hoc mundo requiem & ſecuritatem firmam. Nam tum demum ſalus noſtra apparebit, quando filius hominis venerit ad iudiciũ.

Cum Angelis potentiæ ſuæ in igni flammæ.

Qualiſnam ſit iudicis aduentus futurus indicat, quo terrorem incutiat impijs, & ad fortitudinem animet pios. Angelos potentiæ vocat, per quos Deus ſuam potentiam exequetur. Ignis flammæ afferet ardorem & incendium impijs, pijs vero fulgorem & lucem, vt in hunc locum ſcribit Athanaſius. Plura de hoc igni vide 2. Petri. 3.

Qui vltionem infligit ijs, qui non nouerunt Deum, & non obœdiunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnam dabunt, interitum æternum, à facie Domini & gloria potentiæ ipſius.

Finis aduentus ad iudicium, quo ad impios attinet, nempe vt eos Dominus æternis ſupplicijs ſubijciat puniendos. Non noſſe Deum, & non obœdire Euangelio, pro eodem ponuntur. Verba enim noticiæ vſu ſcripturæ per Synecdochen etiam conſequentes effectus denotant. Eſt igitur noſſe Deum ſcire quod ſit, ſcire quæ ſit eius voluntas, eique iuxta verbum fidere. quod ſane nihil aliud eſt, quam obœdire Euangelio. A facie Domini, & à gloria potentiæ eius, eſt quando Dominus aduenıet iudicaturus, ſuamque virtutem declaraturus. Alludit autem Paulus ad dictum Pſalmi 67. Sicut tabeſcit cera à facie ignis, Sic impij pereant à facie Dei.

Cum

Cum venerit vt glorificetur in ſanctis ſuis, & admirabilis reddatur in omnibus credentibus, quod fides habita ſit teſtimonio noſtro erga vos in die illo.

Finis aduentus Domini adiudicium, quoad pios attinet, quales ſunt credentes, hoc eſt, qui teſtimonio Apoſtolorum de Chriſto fidem adhibent, conuertendo ſe vera pœnitentia ad Dominum. In his glorificabitur Dominus, id eſt ſancti ipſum glorificabũt & agnoſcent ſuæ ſanctificationis authorem, qui mirabiliter hunc præſentem miſeriæ ſtatum æterna commutabit gloria, Ideoque admirabilis ſeu admirandus merito habebitur.

Ad quod etiam oramus ſemper pro vobis, vt vos dignos habeat iſta vocatione Deus noſter, & impleat omne beneplacitum bonitatis & opus fidei in potentia.

Nunc preces addit Paulus, vt Theſſalonicenſes perſeuerent in vocatione: quod fit cum Deus implet ſuam paternam beneuolentiam, qua in vocatis opus fidei potenter abſoluit. Vt enim ſua mera bonitate nos vocat Deus, ita & fidem infundit, eique incrementa largitur ſua potentia. Opus autem fidei vocat reſpectu Dei, fidem in nobis efficientis. Admoneatur ergo hic vnuſquiſque noſtrum, ne ſacrilege opus Dei in ſe inchoatam deſtruat, & ſua ingratitudine ſibi accerſat iram Dei.

Vt glorificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in vobis, & vos in eo, iuxta gratiam Dei noſtri & Domini Ieſu Chriſti.

Finem duplicem perſeuerantiæ in fide & vocatione addit. Vnum quidem, vt nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti glorificetur in credentibus. Alterum vero, vt ipſi credentes in ipſo Chriſto glorificentur, Idque iuxta gratiam Dei & Domini Ieſu Chriſti, ne quis hoc ſuis aſſcribat viribus, ſed ſoli potius bonitati Dei, & merito Chriſti attribuat. Porrò vt Chriſtus dicitur in ijs glorificari, qui eius gloriam, fide, confeſsione, tolerantia ac innocentia vitæ illuſtrant, Sic in Chriſto glorificantur, quos Chriſtus poſt multas hic exantlatas ærumnas æternitatis gloria donabit. Admoneamur igitur hoc loco, quo vitæ noſtræ omnes actiones & ſtudia referri oporteat.

CAPVT II.

Summa Secundi Capitis.

Hortatur Theſſalonicenſes, ne ſinant ſe decipi ab ijs qui extremum diem iam in foribus eſſe prædixerunt. Nam Chriſtus non adueniet priuſquam mundus in defectionem prolapſus fuerit, & Antichriſtus regnum palam obtinuerit, idq; propter ingratitudinem hominum, qui noluerunt veritati credere.

Ordo & partes Capitis Secundi.

Poterit hoc caput in quinque partes diſtribui: quarum prima, eſt exhortatoria propoſitio ad conſtantiam, ne ſinant ſe Theſſalonicenſes ſeduci ab ijs qui extremum diem iam ceruicibus imminere clamabant. Secunda eſt ratio propoſitionis à vaticinio apoſtaſiæ & regni Antichriſti ſumta. Tertia conſolatoria eſt, ne frangantur Theſſalonicenſes ob tantam rerum confuſionem. Quarta exhortatio eſt ad perſeuerantiam. Poſtrema votum & orationem pro Theſſalonicenſibus continet.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

ROGAMVS autem vos fratres, ſuper aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & aggregationem no-

Exhortatoria propoſitio. Hortatur enim Theſſalonicenſes ad conſtantiam, vt perſtent firmi in fidei doctri-

ſtri in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtri in illum, ne cito dimoueamini à mente, neq; turbemini vel per ſpiritum vel per ſermonem vel per Epiſtolam tanquã per nos, quaſi inſtet dies Domini.

na, quam didicerant. Mens enim hic ſignificat certam de veritate Dei perſuaſionem mente conceptam. Solet enim ſæpe ſubiectum pro adiuncto Metonymicos poni. Porrò hic quatuor obſeruẽtur. PRIMVM, ipſa obteſtatio Pauli, Deinde obteſtandi modus, Tum duplex metaphora, poſtremo fallendi vię, quas vult Theſſalonicenſes cauere. Obteſtatio non ſolum conſtantiam auditoribus verbi cõmendat, verumetiam indicat quam ſolicitus præco verbi diuini pro ſuorũ auditorum ſalute eſſe debeat: ne quo modo per errores & phanaticos homines puritas doctrinæ turbetur. Hoc enim Sathan quærit, vt cum curſum doctrinę impedire non poſsit, admiſceat ſordes ſuas, ad turbandum doctrinæ fontem, ne cultus Dei purus maneat. Quare initijs occurrendũ eſt, nec quicquam tanquam leue cõtemnendum, vnde poſsit expectari periculum, vel in ſpeciem minimum. Obteſtandi modus, quod ipſos obteſtetur per aduentũ Domini & noſtri aggregationẽ in ipſum. Solemus enim in obteſtationibus non ſolum res charas, verumetiam quæ ad præſens negociũ facere videntur, proponere. Hoc enim pacto affectus magis mouẽtur ad ſeriã de rebus propoſitis cogitationẽ. Eſt igitur ſenſus præſentis obteſtationis: Si vobis animo charus eſt aduẽtus Domini. Si deſiderabile eſt vobis ad ipſum Dominum colligi, vt æternũ beati cum illo viuatis, perſiſtite firmi in doctrinæ ſinceritate. Metaphora prior eſt in verbo dimoueamini, græce σαλευθῆναι, eſtque ſumta à maris iactatione, quod pro ventorũ ratione nunc huc, nunc illuc fluctuat. Vult igitur Paulus, ne Chriſtiani ſint adeo inconſtantes, vt ad omnia quæ dicũtur, ferantur & propellantur, nunc in hanc, nunc in illam opinionem. Diſcatur igitur ſolide verbũ Dei, ne phanaticis opinionibus ſit locus, obfirmato corde veritate Dei. Metaphora poſterior, in verbo turbemini, græce θροεῖσθαι, eſtq; ſumta à rumorum inconſtantia, quibus qui fidẽ pro ſua leuitate adhibent, θροεῖσθαι, hoc eſt turbari rumoribus, dicuntur. Quare Paulus hac metaphora monet, ne ſimiles ſimus leuibus hominibus, qui ad quemuis rumorẽ trepidant. Fallendi vias hic tres ponit, ſpiritum, ſermonem, & Epiſtolam ſuppoſititiam. ſpiritus nomine prophetias fictas intelligit, quibus ideo ſpiritus nomen dederunt, vt facilius fallerent. Sic hodie Papiſtæ Spiritui ſancto aſſcribunt ſuas impoſturas, vt eo citius eas tanquã oracula diuina recipiãt homines. Quare ſequendũ conſilium Iohannis: Probate ſpiritus, num à Deo ſint. Sermo hoc loco diſputationẽ ſignificat deceptoriã. Sic enim ſæpe λόγος græcis accipitur. Siue mauis per ſermonẽ garrulitatem futilem ad fallendũ idoneam, intelligere. Epiſtola ſuppoſititia fraudes Satanicas indicat, quib. ille hanc ad fallendũ technam inuenit, vt ſub nominibus Apoſtolorũ mendacia obtruderentur Eccleſię: Perinde atq; hodie Papiſtæ ſuos errores ſanctorum patrum titulis ornant. Moneamur itaq; hoc loco vt caueamus omnes præſtigias Satanę, vtq; lucernam verbi Dei ſolam in ſalutis negocio ſequamur, memores regulæ Ambroſianæ, quæ lib. 1. officiorum in hunc modum legitur: Nos noua omnia, quę Chriſtus non docuit, iure damnamus, quia fidelibus via Chriſtus eſt. Si igitur Chriſtus non docuit, quod docemus, etiam nos id deteſtabile iudicamus.

Ne quis vos decipiat vllo modo.

Repetitio eſt propoſitionis cum aſſeueratione, quæ enim tenacius hominum mentibus hærere cupimus, ſæpius inculcamus.

Quia niſi venerit ἀποστασία prius.

Ratio propoſitionis à vaticinio defectionis præceſſuræ aduentum Domini. Eſt autem defectiua oratio. Nam ſubaudiendũ eſt, Non veniet dies Domini. Sic ergo ordina, quia nõ veniet dies Domini, niſi prius venerit ἀποστασία. & eſt ꝓpoſitio hypothetici ſyllogiſmi loco integri argumenti à poſitione antecedentis ad poſitionem cõſequentis in hunc modum: Si non venit ἀποστασία, nondum veniet dies Domini. Atqui non venit ἀποστασία, igitur nondum veniet dies Domini. Deſcribit autem hic defectionem, quæ per totam Eccleſiam graſſabitur, vt ſit veluti quoddã vniuerſale impietatis diluuium (quo enim propior eſt aduentus Domini, eo magis omnia miſcet Satan, turbãdæ Eccleſiæ cauſſa) mox caput tantæ defectionis conſtituens aduerſariũ Chriſti ſeu Antichriſtum, qui in tẽplo Dei ſedens diuinos honores ſibi vſurpabit. Porrò qualiſnã futura eſſet hæc ἀποστασία, obſcurũ videtur, pleriq; ad Romanã monarchiã referunt, ac ita exponũt: quando Romana monarchia finem fecerit, & Antichriſtus in locũ eius ſucceſſerit, aderit in foribus dies Domini. Verum hęc expoſitio nimis videtur coacta. alij inſiſtẽtes vocabuli ꝓprię ſignificationi, ἀποστασίαν intelligunt perfidã mundi à fide Chriſti defectionẽ, vnde apoſtatæ dicuntur religionis deſertores:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tores. Cum itaq; prędicitur hic vniuerſalis quædam mundi defectio à fide, indicatur ſimul prius prædicandum eſſe verbum fidei per vniuerſum orbem. Nemo enim à Chriſto deficere poteſt, niſi qui prius per Euangelij prædicationem Chriſti imperio erat ſubiectus. Hunc eſſe genuinum huius loci ſenſum non dubito. Præſertim cum Paulus prioris Timothei 4. hanc apoſtaſiam ad fidem referat his verbis: Spiritus clare dicit, quod in extremis temporibus ἀποστήσονται, hoc eſt, apoſtatæ fient, ſeu deficient quidam à fide, attendentes ſpiritibus ſeductoribus & doctrinis dæmoniorum. Hic quia Paulus verbo vtitur à quo nomen ἀποστασία deſcendit, non dubito quin vtroq; loco de eadem defectione, nimirum à fide loquatur. Huc accedit quod Paulus videatur ad duo Chriſti dicta reſpexiſſe, quorum alterum eſt Matth. 24. & prædicabitur hoc Euangelium regni in toto mundo in teſtimoniũ omnibus gentibus. Alterũ eſt Lucæ 18. veruntamen filius hominis cum venerit nũ inueniet fidẽ ſuper terrã? Hic Chriſtus aperte loquitur de defectione vniuerſali mundi à fide. firmiter igitur ſtatuamus Paulum de defectione à fide loqui, quæ Euangelium per vniuerſum prædicatum orbem ſequetur, id quod euentus etiam (proh dolor) comprobat. Nam Aſia, & Africa, & magna pars Europæ à fide Chriſti defecerat, & pleriq; eorum, qui de fide gloriantur, factis eam negant, & declarant ſe turpiter à fide defeciſſe. Sed quid hinc fidelis colliget? Primum, hoc vaticinium obijciet ſcandalo defectionis & confuſionis tot regnorum ac populorum à fide Chriſti, in qua iram Dei aduerſus ingratitudinem hominũ conſideret. Deinde huius defectionis cogitatione excitetur pius ad ſerium timorem Dei & gratitudinem erga Deum, ne ingratus ipſe quoq; aliquando abijciatur.

Et reuelatus fuerit homo peccati. Iam de capite defectionis agit. Texitur autem hic deſcriptio Antichriſti eiuſq; regni. Hic tametſi vnus reuera non eſt, vnius tamen perſonæ nomine deſcribitur, cũ propter regnum, quod contra Chriſtum erigit, Tum propter ſpiritũ Satanæ, quo aguntur omnes qui Chriſto ſe opponunt. vnus igitur ratione regni Antichriſtiani dicitur. Deinde & vnus dicitur κατ' ἐξοχὴν, qui per ſucceſsionem tamen ſupremum locum in regno Chriſto aduerſario tenet. Quare cum regnum Papę prætextu religionis Chriſtianæ, cum Chriſti regno ex diametro pugnat, & Papa in eo tanquã ſummus Monarcha præſidet, ne dubitaueris ipſum Papam hoc modo Antichriſtũ recte dici. Dicuntur autem multi Antichriſti, ſed diuerſimode. primum in genere, quotquot Chriſto quocunq; modo aduerſantur. Quales ſunt Iudæi, Turcæ, prophanæ gentes, & alij qui vel profeſsione, vel doctrina, vel moribus Chriſto ſe opponunt. Deinde dicuntur à Iohanne Antichriſti, quotquot ſpiritu Satanę acti ſub Chriſtiano nomine ſe Chriſto opponunt, per doctrinã, qui nunc Pſeudoprophetæ, nũc hæretici dicuntur, non autẽ Pſeudochriſti. Nam hi fuerũt qui pro ſaluatoribus Iudaico populo ante deuaſtationem Hieruſalem ſe vẽditarunt, quales fuerunt Teudas Magus, Iudas Galilæus, Simon Magus & Ægyptius quidam, multiq; alij de quib. Ioſephus varijs in locis. Cæterũ ne odio Papatus videamur Papam Antichriſtiani regni caput conſtituere, primum cõſtituamus definitionẽ Antichriſti, eãq; ſtabiliamus verbo Dei. Deinde videamus in explicatione deſcriptionis Paulinæ, cõueniátne data definitio Papæ eiuſq; regno an non. Sit itaq; hęc definitio. Antichriſtus, latine aduerſarius Chriſti, ſeductor eſt qui religionis Chriſtianæ prætextu in templo Dei ſedẽs, diuinos ſibi honores vſurpat, quiq; negãdo Ieſum eſſe Chriſtũ, ſibi alijsq; multis eſt exitio, homines à Chriſto ad ſpiritus ſeductores, & doctrinas dęmoniorũ ſignis abducẽdo, quo ingrati erga veritatẽ Dei, pœnas ſuę ingratitudinis erroribus mortiferis obſequẽtes luant. Hęc definitio ex varijs ſcripturę locis eſt collecta. Quod Antichriſtũ aduerſariũ Chriſti dicã, ratio nominis eſt, hunc ipſum ſeductorẽ & negatorem Chriſti cũ Iohan. 1. 2. & 4. voco. Reliqua partim ex prędenti loco Pauli, partim ex 4. cap. prioris Epiſtolæ Pauli ad Timotheum ſumta ſunt. Verum quia vnũ ex mẽbris definitionis datę non videtur prima facie cõuenire Papæ, quod tamẽ Iohannes diſerte ponit cũ definit Antichriſtum videlicet qui negat Chriſtũ eſſe Ieſum, opus eſt huius membri dilucida explicatione. Negatio itaque Chriſti duplex eſt, Totalis & partialis. Totalis negatio eſt Iudaica & Mahometica ſeu Turcica, qua negatur filius Marię eſſe promiſſus ille Meſsias, hoc eſt Chriſtus ſaluator in ſe credentium. De hac negatione ſi Iohannes loquitur, Antichriſti vocabulum latius accipit quam Paulus. Nam Paulus Antichriſtum in templo Dei collocatum iri prædicit, vt qui voce quidẽ & confeſsione agnoſcet Mariæ filium eſſe Chriſtũ, nec de ipſius perſona cum ipſis Iudæis dubitet. Relinquitur ergo Antichriſtum, de quo Paulus loquitur, non in totum Chriſtum abnegare. Alia eſt negatio Chriſti partialis ſeu hæretica, qua quæ Chriſtus habet ꝓpria, illi detrahuntur. Hac negatur alias diuinitas, cui ſe Cerinthus & Ebion tẽpore Iohannis Apoſtoli oppoſuerunt, & poſtea Arrius & multi alij. Alias humanitas

quam

quam oppugnabat Martion, Valentinus, Secundus & alij multi. Alias perſona, cuius diſtinctionem à patre rabioſe negauit Sabellius, Paulus Samoſatenus, Praxeas, & noſtro tempore Michaël Seruetus Hiſpanus. Alias officium, ſed officij negatio duplex eſt. Quædam enim in doctrina & moribus ſita eſt, qualis eſt Pelagij & papaliũ omniũ, qui voce & vita negant Ieſum eſſe Chriſtum, id eſt, non tribuunt ipſi hunc honorem, quod ſolus ſit vita & ſalus credentium iuxta ſcripturas: ſed partem ſalutis aſſcribunt operibus, ijſq; ab hominibus excogitatis, præter & contra verbum Dei. Quædam in moribus tantum eſt poſita, eaq; eſt interna & externa. Interna quidem, cum iuxta verbum vera Chriſti fiducia nõ ſumus præditi. Externa vero, quoties factis negamus impijs, quem ore confitemur. Quanquam itaq; Papa nec diuinitatem, nec humanitatem, nec perſonæ fidem impugnat, Tamẽ Chriſti negator eſt, quatenus ipſius officium proprium alijs rebus quam ſoli Chriſto tribuát. Et quoniam Chriſtus officij ſui cauſſa venit in hunc mundum, atque hoc officium negat Papa, relinquitur Papam turpiter Chriſtum abnegare, atq; adeo hoc nomine Deo patri & filio aduerſari. Quomodo autem reliqua definitionis membra Papæ competant, in textus enarratione videbimus. REVELATVS FVERIT. Reuelari hic opponitur occultis inſidijs, vt ſit reuelari aperte occupare regnum & exercere Tyrannidem in Eccleſia, quod nemo non videt Papam feciſſe, vltra nongentos annos, inde vſque à tempore Phocæ imperatoris, à quo primatum in Eccleſia obtinuit Papa. HOMO PECCATI. Quædam græca exemplaria non ἁμαρτίας ſed ἀνομίας habent, hoc eſt, iniquitatis, quemadmodum & vetus interpres legiſſe videtur. Hoc Epitheto ſignificatur quod legis diuinæ contemtor ſit ac tranſgreſſor. Vt qui & ſe & alios iniquitate conſtrictos inuoluat. Hoc qui non fatetur Papæ conuenire, plane cœcus eſt. Totam enim rationem cultus Dei peruertit, & loco legis diuinæ, ſuas traditiones iam multos annos obtruſerat Eccleſiæ.

Filius perditionis. Hoc eſt, vt ipſe eſt perditus: ita perditionis author eſt alijs. Hic ſane titulus vt optime Papæ congruit: Ita omnes monet vt ipſum tanquam peſtem ac perditionis magiſtrum fugiant. Paulus pronunciat anathema eſſe, qui inuertit Chriſti Euangelium, & Chriſtus vocat Iudam filiũ perditionis, qui Chriſtũ oſculo perdidit, qui fieret vt Papa non recte diceretur filius perditionis, qui pluſquam proditorio oſculo Chriſtũ prodit, eius Euangelium inuertendo, & ſanguinem ipſius ſacroſanctum pedibus conculcando?

Qui eſt aduerſarius. Græce ὁ ἀντικείμενος. vbi articulus emphaſin habet, vt ſignificetur caput Antichriſtiani regni, qui ſe Chriſti officio opponit, ſibiq; tribuit quod Chriſti eſt propriũ, quod ſane in papam quadrare probatum eſt antea, & mox clarius oſtendetur.

Et efferens ſe aduerſus omne, quod dicitur Deus aut numen, adeo vt ipſe ſedeat in templo Dei, tanquam Deus, oſtentans ſeipſum quaſi ſit Deus. His tribus attributis, quæ eodem pertinent, arrogantia Antichriſti deſcribitur, qua vult ſuas leges æternis Dei decretis præferri. His notis ſignificatur, quod Antichriſtus non ſit aliquis proprie extra viſibilem Eccleſiam, ſed quod ſit arrogans quiſpiam gloriás de Eccleſiæ titulo atq; efferens ſe vſq; adeo, vt ſe oſtentet quaſi ſit Deus. Id quod ſane non ad naturam diuinam, ſed ad poteſtatem in Eccleſia referendũ eſt, qua poteſtate ſibi ſumit ius condendi leges vitę et mortis in Eccleſia. Iacobi 4. dicitur, Vnus eſt legislator qui poteſt ſeruare & perdere. Loquitur autẽ hic Apoſtolus nõ de externa politia, ſed de ſpirituali regimine. Quare cũ coniungitur ſeruandi perdendiq; poteſtas cũ legislatoris Dei officio, ſignificat Apoſtolus eos omnes totam maieſtatem diuinam ad ſe rapere, qui ſibi ius ferendæ legis vẽdicant. An non hoc veriſsime in Papá quadrat? An nõ iſte perditus ſuas leges diuinis legibus præfert? An non atrocius ſcelus eſt Papiſtis veſci carnibus die veneris, quam toto anno ſcortari? Illum enim igne expiant, huic leuem & ridiculam ſatisfactionẽ in contumeliá ſanguinis Chriſti imponunt crudeles Pſychotyranni. An non capitalius cenſetur crimen ſi vxorẽ duxerit ſacerdos pius, quá ſi centies impurus nebulo in adulterio fuerit deprehenſus? Cum tamen Paulus vtrumq;, hoc eſt interdictũ ciborum, & prohibitionem coniugij doctrinas dæmoniorũ pronunciat. An non facilius ignoſcunt, ſi quis perpetuis potationibus ſe obruat, quam ſi miſſarũ prophanationi ſæpius non interſit? Atq; adeo legem Dei violare, Papæ cum ſuis leue & venia dignum peccatum iudicatur: ac decretum Papæ violare ſcelus eſt inexpiabile. An non hoc eſt efferre ſe contra Deum ac omnem religionem? An non eſt ven-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dicare ſibi imperium in Eccleſiam? Quare nemo dubitet quin Roma ſit ſuprema ſedes Antichriſtiani regni, & meretrix illa Babylonica, quam Iohãnes vidit, ac angelus interpretatur ciuitatem magnam habentem poteſtatem ſuper reges terræ, Et quod Papa ſit eius ſummus adminiſtrator, adeoq; ipſe Antichriſtus.

An non meminiſtis quod cum adhuc apud vos eſſem, hæc dixerim vobis?

Paterna obiurgatiuncula eſt, qua taxat illorũ obliuionem, & ſimul eis in memoriá reuocat, quæ apud ipſos coram & de aduentu Domini & reuelatione Antichriſti diſſeruerat.

Et nunc quid detineat ſcitis, donec reueletur ipſe ſuo tempore.

Repetit cauſſam moræ aduentus Domini, quam eos minime ignorare dicit, & quanquam hoc loco in ſententia reddenda variant interpretes, tamen nõ dubito mentem Pauli hanc fuiſſe. Et nunc τὸ κατέχον id eſt quid detineat ſeu moram & impedimentum (quo minus aderit dies Domini, adeo cito, veluti quidam apud vos dicunt) ſcitis hoc eſſe, quod oporteat antea reuelari Antichriſtum, idq; ſuo tempore, ſcilicet poſt prædicatum Euangelium paſsim per orbem, & repudiatam gratiam, atque ita nihil hic noui dicit Paulus, ſed tantum repetit cum aſſeueratione quod antea dixerat.

(Myſterium enim iam operatur iniquitatis, ſolum tenens modo donec è medio fiat)

Hæc recte à veteri interprete in parentheſin includuntur. Eſtq; prolepſis valde neceſſaria, cui additur conſolatio. Prolepſi occurrit obiectioni huic: An non hodie multi Antichriſti ſunt? Sicuti Iohannes dicit. Multos iam Antichriſtos veniſſe. Quare vaticinio cõpleto dies Domini haud dubie ceruicibus imminet. Reſpõdet Paulus, Antichriſtus operatur iam myſterium iniquitatis, hoc eſt, arcanum ſuæ iniquitatis clam orditur, ſed nondũ iniquitatis regnũ plene occupat, quod ſane futurũ eſt antequam veniat Dominus. Nec aliud Iohannes vult quam ſpeciales tum ſectas emerſiſſe, quæ eſſent futuræ diſsipationis & regni Antichriſti præludia. Cerinthus enim, Baſilides, Martion: Valentinus: Ebion: Arrius & reliqui eius regni membra erant, quod regnum diabolus poſtea aduerſus Chriſtum erexit. atq; hæc de prolepſi. Conſolatio autem eſt in verbis ſequẽtibus: Solum tenens modo donec è medio fiat ſeu tollatur. atque ita hæc interpoſuit Paulus ac ſi diceret, Antichriſtus qui modo tenet, id eſt occulte molitur regnum introducendo varias ſectas, non perpetuo in Eccleſiam ſæuiet. Nam limitata eſt eius poteſtas. Fiet enim aliquando, vt è medio tollatur. Atq; ita hæc interpoſuit Paulus in conſolationem eorum, qui ſub Antichriſti iugo premuntur. Hæc itaq; Pauli mens eſt. Tametſi duplex verborum ordinatio adhiberi poteſt. Prior vt myſterium ſit nominatiui caſus, hoc modo: myſterium iniquitatis iam operatur, id eſt efficax eſt, ſcilicet per Antichriſti præcurſores, quod ita tamen reſolui debet. Antichriſtus occulte ſuam iniquitatem modo exercet, ſcilicet per ſua membra ſeu præcurſores hæreticos ſicuti ſupra expoſitum eſt. Poſterior ordinatio (ſed prius deletis vſitatis diſtinctionibus) hæc eſt, qui obtinet modo donec è medio tollatur, tantum operatur nunc myſteriũ iniquitatis, Hoc eſt, Antichriſtus qui nunc per falſos doctores obtinere imperium videtur, non tamen plenum imperiũ adhuc nactus eſt, ſed tantum occulte iniquitatis regnum molitur. Sed eandem habet ſententiam vtraq; ordinatio.

Et tunc reuelabitur iniquus ille.

Hæc verba nõ ad parentheſin (Irenæus lib. 3. cap. 7.) ſed ad ea quæ præceſſerunt referenda ſunt. Eſtque repetitio præcedentium, quo aptius ſequentia attexi poſſint. Proinde ſic conſtrue, & tunc (id eſt ſuo tempore ſcilicet poſt prædicatum Euangelium paſsim per orbem, & poſt repudiatam gratiam) Ille iniquus (hoc eſt, Antichriſtus) Reuelabitur (id eſt imperium obtinebit ac palam in Eccleſia viſibili regnabit) hunc genuinum verborum ſenſum eſſe conuincit textus periſtaſis.

Quem Dominus deſtruet ſpiritu oris ſui, & abolebit illuſtratione aduentus ſui.

Dixit Antichriſtũ è medio tollendum, Nunc quomodo id fiat exponit, nimirum per ſpiritum oris Chriſti & illuſtrem ſeu glorioſum aduentũ Domini. Eſt autem ſpiritus Chriſti, ipſa Euangelij prædicatio, per quam regnũ Antichriſti conquaſſabitur, & paulatim conſumetur, in totũ autem

non ab-

nõ abrogabitur, antequam Dominus ad iudicium venerit. Porrò tametſi omnibus ſeculis fuerunt pij quidá viri, qui improbarunt Papæ Tyrannidem: Tamen integrũ ſuũ regnum obtinuit vſq; ad annum Domini 1517. quo Lutherus cœpit ſpiritu oris Domini Papatum inuadere, à quo tempore adeo ſparſum eſt Euangelium per pios Euágelij miniſtros, quod tantum non vniuerſo orbi Antichriſti, hoc eſt Papæ, impoſtura innotuerit, atq; ita deſtructio regni Antichriſti non ſubito fiet, ſed paulatim, donec ipſe Dominus ſuo aduentu extremam manũ appoſuerit. Id quod haud dubie multo citius futurũ eſt, quá noſtra oſcitantia ſomniat. Euentus vaticiniorum omniũ Dominum in foribus eſſe clamat, ipſa rerũ natura languida & effœta & quaſi eneruata idem oſtédit & teſtatur. Sed quo hæc pertinent? vt vigilemus & oremus, neſciétes quando Dominus noſter venturus ſit, ſero an medio noctis, in gallicinio, an diluculo, ne ſi venerit repente offendat nos dormientes. Sicut enim erant dies Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Paulus 1. Theſſal. 3. ſumto argumento ab inopinato aduentu Domini, hortatur ad vigilantiam & ſobrietatem, cui ſi non obtemperauerimus, futurum eſt, vt audiamus cum fatuis virginibus, Amen dico vobis, neſcio vos.

Cuius aduentus eſt ſecundum operationem Satanæ in omnipotentia & ſignis & prodigijs mendacibus & in omni deceptione iniuſticiæ.

Hyſterologia eſt. Deſcripſit enim regnum Antichriſti & eius deſtructionem. Nunc eius aduentum & regni adminiſtrationem attingit. Virtute enim Satanæ omnia agit, & vt poſſit regnũ occupare, ſignis & prodigijs mendacibus clarebit, varijſq; fallẽdi artibus, quo ſuam Tyrannidem ſtabiliat, inſtructus erit. Quis non videt hoc in Papatum optime quadrare? Quot ſigna & miracula edebantur in Papatu ad cõfirmandam Idolatriá & inuocationem ſanctorum, imo adorationem ſtatuarum? An non totus Papatus vſq; ad ortam Euangelij lucem per beatum Lutherum huiuſmodi ſcatebat ſignis? Quænam quæſo maior deceptio iniuſticiæ eſſe potuit, quam miſſarum prophanatio? de purgatorio figmentum? atque innumerabilium fraudum excogitatio? Quare admoniti ne ſinamus nos talibus impoſturis abduci à Chriſto, ſed potius eas veriſsimas Antichriſti notas agnoſcamus ac deteſtemur. Porro hic locus poſtulat, vt aliquid de miraculis dicatur, quo inter vera & fallacia diſcernere poſsimus. Signa itaq; vera & miracula ſunt, quaſi quædam ſolennis ſubſcriptio, qua Deus ſuum verbum approbat. Fallacia itaque omnia ſunt, quæ à Chriſti Euangelio homines abducunt. Verum vt hic mens pia magis confirmetur, ſigna illa & miracula meditanda ſunt, quibus Deus non ſolum ſuum verbum confirmauit, ſed etiam quibus regnum Satanæ inuaſit, ac ſe mundo declarauit Satana ſuperioré. Huiuſmodi ſunt plurima inde vſq; à condito mundo edita, donec extrema obſignatio Euangelij in die Pentecoſtes acceſsit, dato ſpiritu ſancto Apoſtolis viſibili ſpecie. præcipua autem ſunt miracula noui teſtamenti per Chriſtum Dominum edita, quę Satanas nulla arte imitari potuit. His ſignis contentiſsimus, quibus veritas Euangelij confirmata eſt, reliqua relinquamus ijs, qui impoſturas Papiſtarum & Satanæ admirantur & ſuſpiciunt.

In ijs qui pereunt.

In conſolationem piorum potentiam Antichriſti reſtringit ad certum hominum genus, nimirum ad eos, qui pereunt ſua culpa & ingratitudine. Stat enim firma & immota ſententia: Deus vult omnes homines ſaluos fieri, ſed per medium ordinarium, id eſt per fidem in Chriſtum. qui hoc medium abijciunt, ſua culpa pereunt.

Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt in hoc, vt ſalui fierent, & propter hoc mittet eis Deus efficaciam ſeductionis, in hoc vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed oblectati ſunt in iniuſticia.

Dixit in quibus ſit efficax futura impoſtura Antichriſti, nimirum in pereuntibus, Nunc cauſſam perditionis in ipſos transfert, nimirum quod noluerint recipere, quam dilexiſſe oportuit, veritatem, hoc eſt, verbum Dei verum de ſalute generis humani conſequenda per Chriſtum vnicum ſaluatorem. Deinde ingratitudinis pœnam addit, nimirũ quod Deus huiuſmodi ingratis hominibus mittat iuſto ſuo iudicio efficacem illuſioné, permittendo ſcilicet diabolũ mendacibus ſignis, falſam doctriná confirmantibus, homines in errores præcipitare, quo damnentur ob ſuam infidelitatem & ingratitudinem. Atq; hic aperte notatur cauſſa, cur totus fere mundus prolapſus ſit in tá tetros errores. Ad hanc cauſſam vertamus oculos quoties in regnis & prouincijs Euangelij curſum impediri audimus. Hinc & nos admoneamur, ne

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſimili ingratitudine, rurſus erroribus, aſtu Satanæ inuoluamur. De hiſce cauſsis reiectionis & approbationis copioſius Paulus agit ad Rom. 1. 2. 3. 8. 9. 10. 11. Summa huc redit. Vt hominum peruerſitas & iuſtum Dei iudicium cauſſæ ſunt damnationis pereuntium: Ita miſericordia Dei & in eandem firma fiducia cauſſæ ſunt ſalutis eorũ qui ſaluantur. Nam hoc æternum Dei decretum eſt conſilium, quod credentes in Chriſtum ſalute vitaq; ęterna donare velit. In hoc enim ſolo dilecto charos nos habet cœleſtis pater, ad Ephe. 1.

PVGNAE INTER CHRISTVM ET EIVS HOSTEM, PAPAM ANTICHRISTVM, DESCRIPTIO.

Etſi pij omnes norunt Papam ſub titulo ſerui ſeruorum Dei, opponere ſe Chriſto Domino noſtro, vnico Saluatori credentium: Tamen vtile eſt non tantum in genere hoc ſcire, verumetiam diſtincte & ſpeciatim errores Papiſticos & multiplices corruptelas videre, vt eo magis abominemur, ac tanquam anathema fugiamus Papam, atque eius Tyrranidem in Eccleſiam Dei deteſtemur. QVI prima elementa veræ religionis deguſtarunt, facile vident formam regni Chriſti longe aliam eſſe, quam eſt forma regni Antichriſtiani. Quare & adminiſtrationem vtriuſq; diuerſiſsimam eſſe neceſſe eſt. Chriſtus interrogatus à Pilato de regno, reſpondet: regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, hoc eſt, non eſſe mundanum imperium, quo ipſe ſuis imperet. Idem diſcipulis de primatu concertantibus, manifeſte diſtinguit inter ſuum regnum & regna mundi. Ita enim ait: principes gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. Quid quæſo hac diſtinctione manifeſtius? Quid hac prohibitione clarius? Contra hanc prohibitionem Papa regna mundi ſibi ſubiecit, & multo crudelius imperatoribus optimis & regibus imperauit, quam vlli Nerones. Finxit ſibi duos gladios datos eſſe, vnum ſecularem, quo mundi imperia adminiſtret: Alterum ſpiritualem, quo Eccleſiam regat. Quis vſquam adeo cœcus eſt, vt non videat Papam ſe Chriſto hic opponere? Turca ſe Chriſto opponit, ſed manifeſte. Papa vero non tam manifeſte, nam Chriſti ſe ſeruum fingit, Chriſti authoritatem prætendit, Sed exemplo Iudæ qui proditorio oſculo Dominum ſuum prodidit. Tu es Petrus, inquit Chriſtus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hoc dictum arripit Papa, ac de ſe dictum interpretatur. Quis non hic videt Sycophantam eſſe Papam, qui ſuo impuro ore ad ſe transfert, quod à ſe alieniſsimum eſt? Petrus dixerat, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Quod reſponſum Chriſtus approbans ait: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauerunt tibi, ſed pater meus cœleſtis, & ego tibi dico, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hic promiſsio & confeſsio coniunguntur. ex quo liquido conſtat, quod promiſsio non ſimpliciter ſit accipienda, ſed cum confeſsionis conditione. Qui ergo confitetur Chriſtum filium Dei eſſe & vnicum mundi ſaluatorẽ, petra illa eſt de qua Chriſtus hic loquitur, non quidem perſonæ dignitate, aut ſuceſsionis ratione, ſed cõfeſsionis reſpectu: Quæ confeſsio habet promiſsionem clauium, quibus aperitur & clauditur regnum cœlorum. Vbi ergo hæc confeſsio non eſt, ibi nec claues ſunt. Iam autẽ experientia docet hanc confeſsionẽ non eſſe in Papa Romano, de quo dubitare nõ poteſt, qui vitas Paparũ nouit, inter quos ne vnus quidẽ inuenitur qui Chriſtũ docuit & ſincere confeſſus eſt. Taceo multos exritiſſe qui falſe omnem religionem deriſerunt, & gauiſi ſunt in ſinu, quod ſub religionis prætextu ſibi tantas delicias acquiſiuerint. Hinc patet quam iniuſte, quam ſacrilege, quam mendaciter Papa ſibi dictum Domini, tu es Petrus &c. accõmodat, & contra Chriſtum, ſuum regnum mẽdaci interpretatione verborum ſtabilire conatur. Hoc regnũ Antichriſtianũ fraude & mendacio partum, Tyrannide, gladio, igni, omniũ ſuppliciorũ genere tuetur & adminiſtrat, non Chriſti legibus, ſed ſuis iniquiſsimis decretis & traditionibus in ſuum & multorum certiſsimum exitium. ETSI autem hæc pijs nota ſunt in genere de regno Antichriſtiano, (cui vt monarcha & toparcha Satanę prędet Papa) & de eius tyrannica & cruenta adminiſtratione: tamen operæprecium eſt, vt magis eius inſidię caueantur, diſtinctius oſtendere quibus in partibus Papa manifeſte ſe Chriſto opponat, de qua re modo dicemus nõ quidẽ plene ſed tantũ indicãdo potiſsima τῆς ἀντιμαχήσεως capita. OMNIBVS pijs notũ eſt Eccleſiã Dei, quæ eſt ſponſa Ieſu Chriſti, colligi, ædificari, conſeruari, fulciri, & cõſiſtere his quatuor, doctrina diuinitus patefacta, Sacramẽtis diuinis, cæremonijs, & diſciplina. hęc quatuor vbi ad regulã congruunt, non dubium eſt ibi verã & catholicam eſſe Eccleſiam Ieſu Chriſti. Contra vbi non ſunt integra, illic vel Eccleſiã nullam eſſe, vel ciues Eccleſiæ tanquã in Babylonico quodã carcere captiuos eſſe. Quemadmodũ enim olim Babylone exulabat Eccleſia, ita hodie in regno Papæ non pauci pij deliteſcunt. Videamus ergo quomodo in his quatuor conueniat Babylonicæ meretrici cum ſponſa Chriſti, quæ eſt Eccleſia. DOCTRINA ſponſæ Chriſti triplex eſt, videlicet legis, Euangelij, & cultus Dei.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Dei. Etſi autem hæc tertia pars legis eſt, ſi eius materiam reſpicis, & Euangelij, ſi modũ præſtandi ſpectas: Tamen diſtinctam facio, quia non ex lege ſeorſum, nec ex ſolo Euangelio, ſed ex vtraque doctrina manat. QVANTVM autem ad legem Dei, hoc eſt, decalogum attinet, Sponſa Chriſti æſtimat legem ex eius authore Deo, & ex eiuſdem perfectione. Nam qui eam fecerit viuet in ea iuſtus & charus Deo, qui legis author eſt ſapientiſsimus, & ſolus habet poteſtatem condendi leges vitæ & mortis. Hæc planiora ſunt quam vt vlla interpretatione egeant. Nam & ipſe Deus ſe authorem legis pronunciat, & idẽ dicit ſe in lege proponere vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, & Paulus eandem ideo ſpiritualem vocat, quia & ſpiritualem obœdientiam requirat, & ſit perfecta recte viuendi norma. Etſi autẽ Eccleſia Chriſti fatetur hæc de lege Dei: Tamen dũ ſe reſpicit Eccleſia, agnoſcit ſe cum Paulo nequaquam poſſe legi perfectam obœdientiam præſtare, Imo ne cultum Dei inchoare poſſe ex ſola lege. Hac confeſsione Eccleſia non accuſat legem Dei ſanctam, puram & perfectam, ſed ſuas maculas deplorat: quibus inuoluitur, adeo vt puram obœdientiam præſtare non poſsit. Quod & Paulus cõfirmat, prouocans ad teſtimonia corruptiſsimæ noſtræ naturæ, adducens in medium vniuerſalem omnium hominum experiẽtiam, proponens iuſtum Dei iudicium in omnes, proferens oracula Dei quæ idem teſtantur, cõmendans nobis finem mortis Chriſti qui eſt iuſticia credentium & ſalus. Nam ſi (inquit) ex lege eſt iuſticia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. HACTENVS diximus breuiſsime in quo loco lex Dei ſit apud ſponſam Chriſti, Nunc videamus quid Antichriſtus Papa ſentiat.

PAPA omniũ primum & legis authorem Deum, & legem ipſam ſumma & nefaria iniuria afficit. Sed quomodo hoc probas? Papa manifeſte ſuas leges legi diuinæ anteponit. ex quo ſequitur quod ſe ſuperbe extollat ſupra Deũ ipſum. Nam qui ſuis legibus alterius leges opprimit, manifeſte ſe anteponit illi cuius leges cõtemnit. Atq; hoc eſt quod Paulus dicit, Et efferens ſe aduerſus omne quod dicitur Deus aut cultus. Quod autem Papa ſuas leges diuinis legibus anteponat, in pœnis cernitur. Multo grauius punit Papa tranſgreſſores legum ſuarũ, quam violatores legis diuinæ. Mœcho, ſcortatori ridiculam ſatisfactionem imponit, vt forte ieiunet vnum aut alterum diem, aut vt numeret ſacrificulo certã pecuniam pro miſſa murmuranda. Nam egregie norunt Satellites Papæ variare ſatisfactionũ modos pro hominum conditione, diuitũ & pauperum. Vt enim diuites pecunia, ita pauperes preculis & ieiunijs expiare ſolent. At ſi quis forte carnes ederit die Veneris contra interdictum Papæ, aut verbulũ dixerit contra idolatriam Romanam, Hic non preces, nõ pecunia, non ieiunia ſatisfaciunt, ſed atrociſsimæ pœnæ excogitantur, quib. vel minima decreti Papalis violatio punietur, non quidẽ vt pœna illa crudeliſsima ſit ſatisfactoria pro admiſſo delicto contra legem Papæ, Sed vt punitus tradatur diabolo æternis pœnis expiandus. Quam vera ſint quæ dico, teſtantur infinita exempla eorũ, qui ab immaniſsimo Pſychotyranno Papa crudeliſsimis pœnis propter violatas leges Papales affecti ſunt. An nõ hoc eſt decreta miſeri hominis anteponere ſapientiæ Dei? An non hoc eſt Deum de throno maieſtatis ſuæ detrudere, & ſe ſupra Deũ ſuperbe efferre? Qui ergo ſe Papę ſubijcit, à Deo proditorie deficit, & cũ Papa ſe Chriſto ſuperbe opponit, non ſine ſuo certo interitu, niſi mature per gratiã Dei reſipiſcat. HVC accedit & alia iniuria, qua Papa diuinã legem afficit. Nam & eã externa tantum præcipere, & prohibere, & imperfectã eſſe nepharie conuiciatur, contra manifeſtam Chriſti interpretationem, & teſtimoniũ. Papa dicit legẽ Dei cohibere manum tantum, at Chriſtus eã requirere intimos affectus teſtatur. Papa ſomniat legi ſatisfieri externa diſciplina, at ſeruus Chriſti Paulus clamat legem Dei ſpiritualẽ eſſe, ſe vero carnalem vẽditum ſub peccatum, adeo vt non poſsit legi perfectam obœdientiam præſtare. Chriſtus dicit ſi vis ad vitã ingredi, ſerua mandata, vnde perfectio legis cõcluditur. Sed Papa collocat perfectionẽ in obœdientia humanarum traditionũ, in ficta paupertate, & Sodomitica virginitate. Ex his vel cœcis clarum eſſe poteſt, quod Papa ſe Deo & Chriſto eius opponat, in prima doctrinæ Eccleſiæ parte videlicet in lege diuina, cui nõ ſolũ ſuas præfert, & ſe Deo anteponit, verumetiam eam maligne contra mentem Dei interpretatur, ac vt imperfectam ſubijcit ſuis traditionibus, quibus perfectionis laudem tribuit, quam ſacrilege ſapientiæ Dei adimit. Nunc accedamus ad ſecundam partem doctrinæ Eccleſiæ, quæ eſt Euangelium.

SPONSA Chriſti quæ eſt Eccleſia non aliud Euangeliũ, quã quod ſuus ſponſus tradidit, quod habet teſtimonium à lege & Prophetis, agnoſcit. De quo Paulus ait: Si quis aliud Euangelium euangelizauerit, quã nos, anathema ſit. Hoc Euangeliũ Chriſtus vt artifex ſummus Lucæ 24. his verbis definit: Sic ſcriptũ eſt & ſic oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius cõuerſionem & remiſsionẽ peccatorũ omnibus gentibus. Proinde Euangeliũ eſt vniuerſalis prædicatio conuerſionis & remiſsionis peccatorũ in nomine Chriſti paſsi & reſuſcitati à mortuis. In hac definitone multi ſunt the-

ſauri cœleſtis ſapientiæ, quos ſola Eccleſiá Chriſti recte nouit explicare, & in vſus ſuos prudenter transferre. Vt autem appareat quantum aduerſetur Chriſto Antichriſtus Romanus, explicabo hanc definitionem, & ſcripturis diuinis illuſtrabo. PRIMO ergo loco obſeruádum eſt quod Euangeliũ ſit vniuerſalis prædicatio. Particula vniuerſalis expreſſe ponitur, cum dicitur à Domino, quod oporteat prædicari omnibus gẽtibus. Nam ita Hebraiſmum explico in omnes gentes. Huc facit & mandatum vniuerſale Matth. 28. Ite & docete omnes. Et Mar. 16. Euntes in mundum vniuerſum, & prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Ex his liquido conſtat, quod Euangeliũ non ad hanc vel illam nationẽ pertineat excluſis cæteris, ſed ad omnes nationes ſub ſole, & ad omnes homines in omnibus nationibus. Apparuit (inquit Apoſtolus Chriſti) gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus. & alibi: Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionẽ veritatis venire. Quid cõſolationis hinc hauriat ſponſa Chriſti, quando luctatur cum cõſcientia peccati, nemo verbis explicare poteſt, Sed quilibet hoc intra ſe ſentit facilius, quam de eo loqui poſsit. DEINDE hæc definitio habet, qualis ſit prædicatio Euangelium, videlicet cõuerſionis, & remiſsionis peccatorum in nomine Chriſti. PRIMVM dicitur Euangelium prædicatio conuerſionis. Fit autẽ hęc conuerſio, cum renunciamus Satanæ & peccato, & confugimus ad miſericordiá Dei, certa fiducia in Chriſtum paſſum pro nobis & reſuſcitatũ, recumbentes. Euangeliſta ſignificante voce vtitur cum propheticam appellationẽ videlicet conuerſionem transfert μετάνοιαν: qua voce ſignificatur non ſimpliciter quæuis conuerſio, ſed certa quædá cõuerſionis forma videlicet animi, idque iuxta regulam Euangelij. Vulgo redditur μετάνοια pœnitentia: quæ appellatio non à forma conuerſionis ſumitur, ſed à parte antecedente ſeu à conuerſionis initio. Sunt enim tres conuerſionis partes, videlicet contritio, cui proprie conuenit pœnitentiæ appellatio, fides, & bonũ propoſitũ, ſeu noua obœdientia. Cõtritione dolemus nos peccaſſe, & pœnitet nos facti. Fide conuertimur ad miſericordiá, quam offert Euangelium in Chriſto mediatore & reconciliatore noſtro. Cum hac fide neceſſario cõiunctum eſt bonũ propoſitum, ſeu noua obœdientia. Antecedens proinde pars conuerſionis eſt contritio. forma conuerſionis eſt ipſa fiducia in Chriſtum. conſequens pars eſt noua obœdientia ſeu bonũ propoſitum. Hoc cernitur clare in omniũ hominũ conuerſione, Id quod paucis exemplis oſtendá. DAVID primũ tangitur ſenſu peccati, obiurgatus à Propheta. Deinde erigit ſe fide promiſsionis, quam concepit ex concione Prophetæ. tum ſe gratum Deo oſtẽdit omni genere obœdientiæ. Acto. 2. dum arguuntur Iudæi à Petro, veniunt primum in cognitionem peccati, & iuſti iudicij Dei ob peccatũ, vnde compunguntur corde, & dolent ſe Deũ offendiſſe. Deinde in hoc ingenti dolore dicunt ad Petrũ, & reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres? quibus Petrus reſpondit: μετανοεῖτε, hoc eſt conuertimini, ſcilicet ad Deũ fiducia mediatoris Ieſu Chriſti. Et baptizetur vnuſquiſq; veſtrũ in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionẽ peccatorũ veſtrorũ, & accipietis donũ Spiritus ſancti. Hoc exemplũ facile oſtendit quid ſit proprie conuerſio, quam vt neceſſario pręcedit noticia peccati & dolor ob peccatũ, Ita neceſſario ſequitur noua obœdientia, quę eſt actio Spiritus ſancti in credẽtib.

HACTENVS quid requirat Euangelium ab homine dictũ eſt, videlicet conuerſionem. Nunc ſequitur quid conuerſis offerat. Ita .n. habet definitio: Euangeliũ eſt prædicatio cõuerſionis & remiſsionis peccatorũ. Offert ergo Euangeliũ omnibus hominibus, qui cõuertuntur ſeu credunt, remiſsionem peccatorũ. Hæc remiſsio nihil aliud eſt quá obligationis ad æterná mortem & damnationem ſolutio, & pœnæ debitæ condonatio. Fit autẽ hæc remiſsio, vt dictũ eſt, quando in conuerſione credimus nobis Deum eſſe propitium, propter mortẽ & reſurrectionẽ Chriſti. Huius remiſsionis pulcherrima imago proponitur Matth. 18. in debitore, qui debuit ſuo creditori decem millia talentorum. Qui cũ non habuit quod ſolueret, remiſſum & condonatũ eſt ei totum debitum ex mera miſericordia. PORRO in fide remiſsionis peccatorum plura coniuncta ſunt. Videlicet expiatio peccati, per ſolũ ſanguinem Chriſti, imputatio iuſticiæ, & acceptatio hominis ad vitam æterná gratis propter Chriſtum, & hæc tria iuſtificationis nomine ſæpe intelliguntur, & eius quidẽ partes cẽſentur. De his beneficijs ita Paulus ſcribit: Iuſticia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes qui credunt. Nõ eſt enim diſtinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Iuſtificantur aũt gratis per gratiam ipſius per redemtionẽ, quæ facta eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationẽ per fidẽ in ſanguine ipſius, ad oſtenſionẽ iuſticiæ ſuæ propter remiſsionem peccatorum præcedentium, quæ Deus tolerauit, ad oſtentationẽ iuſticiæ eius in præſenti tempore, vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificás eũ qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Vbi ergo gloriatio? excluſa eſt, per quam legem? operum? non. ſed per legem fidei. Arbitramur igitur iuſtificari hominem fide ſine operibus legis. Hactenus Paulus, ex cuius verbis facile apparet cõiungi hęc tria in iuſtificatione hominis, videlicet expiationẽ peccati, imputationẽ iuſticię &

& acce-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

&acceptationem gratuitam ad vitam æternam. De quibus tribus nunc explicatius dicemus, vt manifeſtum fiat quam inſigni contumelia Papa, qui hanc totam doctrinam obruit, filium Dei afficiat.

PRIMO ergo loco in remiſsione peccatorum eſt expiatio peccati: quæ fit, vt Paulus docet, per ſanguinem Chriſti. Dum videlicet Chriſtum per fidem induimus, & Chriſti membra efficimur. Huc pertinent multa dicta ſcripturæ. Iohannes ait: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mũdi. 1. Iohan. 1. Sanguis Ieſu filij eius emundat nos ab omni peccato. 1. Iohan. 2. Si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Hæc teſtimonia & multa alia teſtantur nulla alia re expiari, purgari, & tolli peccata omnia, quam ſolo ſanguine Chriſti. Qui mortuus eſt, vt Paulus ait, propter peccata noſtra ſcilicet expianda, purganda, & tollenda.

SECVNDO in remiſsione peccatorum eſt imputatio iuſticię. Nam vt omnis qui credit habet expiationem peccatorum: Ita etiã habet imputationem iuſticiæ: Vt lex ipſum damnare non poſsit, cum habeat quod illa requirit. Quod autẽ hæc iuſticia ſit iuſticiæ imputatio, teſtatur Paulus Rom. 4. his verbis: credidit Abraham Deo & imputatum eſt illi ad iuſticiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundũ gratiam, ſed ex debito datur: ei vero qui nõ operatur. credit autẽ in eum qui iuſtificat impiũ, imputatur fides eius in iuſticiam. Sicut & Dauid definit beatitudinẽ hominis, cui Deus imputat iuſticiã ſine operibus, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata. Hæc iuſticia Dei dicitur, quia non eſt hominis propria, ſed eſt ex fide Ieſu Chriſti, ideoq; Deo accepta & grata. Ita enim Paulus Philippen. 3. ſeipſum ſtatuens exemplũ, hanc iuſticiã ab hominis propria quæ eſt ex lege diſtinguit. ſunt autem hæc verba Pauli: Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiã Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omniũ iacturam feci, & arbitror eſſe reiectamẽta, vt Chriſtum lucrifaciam, vt & inueniar in illo, nõ habens meam iuſticiam, quæ ex lege eſt: Sed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu, quæ ex Deo eſt, iuſticiam in fide &c. Quid quæſo clarius dici potuit? Paulus hic primũ prodit nudus in conſpectum Dei: exuit omnem opinionẽ iuſticiæ propriæ, quæ eſt ex lege, vt poſsit fieri capax iuſticię Dei, quæ eſt ex fide Ieſu Chriſti. Proinde iuſticia qua conſiſtimus coram Deo, non eſt hominis, non eſt legis, non eſt vllorum operum, ſed eſt Dei, eſt fidei, eſt Ieſu Chriſti, quem induit omnis qui credit in illũ, adeo vt Chriſti iuſticia illi imputetur, vt ea cenſeatur iuſtus corã Deo, ac ſi ipſius propria eſſet. hęc Chriſti iuſticia, quæ nobis imputatur definitur Rom. 5. obœdientia Chriſti: vbi collatione facta inter Adam & Chriſtũ in hunc modũ loquitur Apoſtolus: Quemadmodum per inobœdientiam vnius hominis peccatores cõſtituti ſunt multi: Sic etiam per obœdientiã vnius iuſti conſtituentur multi. 2. Corinth. 5. Eum qui nõ nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo. Ex his concluditur, quod iuſticia Chriſtiana, qua conſiſtimus corã Deo, ſit obœdientia Chriſti credenti imputata. nam vt obœdientia crucis Chriſti, eſt expiatio à peccato, ita obœdientia legis in Chriſto, eſt iuſticia noſtra. quæ obœdientia ideo omnibus ſufficit, quia eſt obœdientia hominis qui eſt Deus. Nã ex illa admirãda & adoranda vnione diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto, eſt preciũ & æſtimatio infinita omniũ operum in humana natura Chriſti. CVM ergo homo hac obœdientia ſeu iuſticia Chriſti ornatus prodit in conſpectũ Dei, iuſtus cenſetur, ita vt legi Dei ſit omnino ſatisfactum. Nam habet quod lex requirit, nempe iuſticiam: non quidem formalem in ſe, ſed in Chriſto, quæ credenti imputatur. Vnde Paulus Roma. 10. finis legis Chriſtus in iuſticiam omni credenti. Hoc eſt, omnis qui credit in Chriſtũ, habet finem legis: id eſt, quod lex vt ſummũ requirit, nempe iuſticiã, & cum iuſticia vitam. Hinc facile patet, quid Chriſtus voluerit, cum interroganti cuidã quid faceret, vt haberet vitam beatam, reſponderit: Si vis ad vitã ingredi, ſerua mandata. Nam qui ſeruat mandata habet quod lex requirit, nempe iuſticiam, cui beata vita debetur. Ita rectiſsimam viam monſtrat Chriſtus, dum ad obœdientiã mandatorum mittit. verum ſi hic adoleſcens in ſe deſcendiſſet, agnouiſſet ſuas maculas, deploraſſet ſuum peccatũ, & nudum ſe cum Paulo corã Chriſto proſtrauiſſet, monſtraſſet ſane illi alium modũ conſequendi finem legis, iuſsiſſet illum in ſe credere, vt in ſe inueniret quod ipſe non haberet, nempe iuſticiam quam lex requirit.

TERTIO loco in remiſsione peccatorum eſt acceptatio gratuita credentis hominis ad vitam æternã. Hæc cum remiſsione peccatorũ & iuſticia imputata cohæret, vt quæ ab illis dependeat. Hæc acceptatio in dilectione, qua nos in dilecto charos habet pater, fundata eſt. Porrò duplex acceptatio hominis eſt coram Deo, vna fidei eſt, videlicet cum gratis propter Chriſtum acceptamur: altera obœdientiæ eſt, videlicet cum credens perſona propter ſuam obœdientiam accepta eſt, adeo vt etiam præmium obœdientæ recipiat. Sed de priori acce-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ri acceptationis genere hic agitur. HACTENVS ſimpliciter & perſpicue, vt ſpero, pro-
poſui doctrinam ſponſæ Chriſti de Euangelio: nunc quomodo huic doctrinæ ſe opponit
aduerſarius Chriſti Papa breuiter expediemus.

EVANGELIVM Papiſtis noua lex eſt, quæ eadem præcipiat, & prohibeat quæ Deca-
logus, Sed plenius. Lombardus libro tertio diſtinct. 40. exemplũ ſumit de nõ mœchando,
cui præcepto dicit ſuperadditionem factã in Euangelio, in quo omnis cõcupiſcentia mœ-
chandi prohibetur. breuiter illis lex vetus comprimit manũ, lex noua ſeu Euangeliũ com-
primit animum. Quid hic dicemus? an non intolerabilis iniuria eſt, qua Chriſtũ afficiunt,
quem nouũ legislatorem conſtituunt? Chriſtus còrrigit errorem Phariſaicum de lege Dei,
& mentem legis exponit. Hoc Papiſtæ putant eſſe nouũ legislatorẽ fieri. Sed toto cœlo er-
rant, & ſatis confutantur ſententia Eccleſiæ, quam ſupra expoſui. Nam ſi Euangeliũ eſt do-
ctrina cõuerſionis, & remiſsionis peccatorũ in nomine Chriſti, ſicuti ipſe Chriſtus definit,
falſiſsima profecto erit Papiſtarũ aſſertio, quæ Euangeliũ definit nouam legem moralium
præceptorũ decalogi eſſe. Proinde vtrumq; falſum eſt, videlicet & quod dicunt Euangeli-
um nouam legem eſſe, & quod affirment plenius cõtineri præcepta in Euangelio. Vt enim
prius barbarico cœno obruit lucem Euangelij: Ita poſterius contumelioſum eſt in Deum
authorem legis. Si Euangelium eſt prædicari conuerſionem, & remiſsionem peccatorum
in nomine Chriſti, ſeu vt Paulus loquitur, Euangelium eſt hominem gratis iuſtificari fide
abſque operibus legis: profecto anathema eſt dicere Euangelium eſſe operum doctrinam,
quibus homines coram Deo iuſtificentur. Præterea ſi plenius cõtinentur moralia in Eu-
angelio quã in Decalogo, lex Dei profecto eſt imperfecta, nec vita & mors in ea propoſita
ſunt, nec recte à Moſe dictũ eſt: Qui fecerit ea, viuet in eis. Imo Chriſtus ipſe male pronun-
ciat de lege morali, ſi vis ad vitã ingredi ſerua mandata. Cuicunq; ergo pietas cordi eſt, fu-
giat definitionẽ illam Papalem non ſecus atq; anathema. Ita enim Paulus iubet, Si quis a-
liud Euangelium docuerit, quam nos, ſit anathema. Ex hoc veluti fundamento extruunt
Papiſtæ omnes ſuos errores contra gratuitã iuſtificationem, & abolent fidem remiſsionis
peccatorum. SVPRA oſtendimus in fide remiſsionis peccatorum plura ſpectanda eſſe, vi-
delicet expiationem peccati per ſolum ſanguinẽ Chriſti, imputationem iuſticiæ Chriſti, &
acceptationẽ gratuitam hominis ad vitam æternam. Hæc omnia Papa abolere conatur, in
maximam cõtumeliam filij Dei, & in certiſsimum interitum omnium eorũ qui à Papa ſe-
ducuntur, niſi ante mortẽ reſipiſcant. Sed age videamus, quib. ſordibus has iuſtificationis
noſtræ partes obruat Papa, quo nobis ſit magis abominabilis impoſtura Papæ.

SPONSA Chriſti edocta verbo Dei, agnoſcit, & credit ſolo ſanguine Chriſti expiari,
purgari, & aboleri peccata omnia. Sed Papa longe aliter docet. Nam quædã peccata dicit
ablui ſuo anabaptiſmo, ſeu luſtrali aqua, vtpote minora peccata: quædã dicit purgari igni
purgatorio. Vt qui nõ purgatus eſt hic ſatis in vita, purgetur in igni purgatorio, donec Pa-
pę viſum fuerit. Quædã dicit redimi ęleemoſynis: Quædã peregrinationibus: Quædam in-
dulgentijs à Papa auro & pecunia comparatis. Nam dicit ſe habere theſaurũ Eccleſiæ, hoc
eſt, merita ſanctorũ quæ vendit quib. vult: quædã mentitur merito miſſarũ tegi: quædam
clamat preculis & ieiunijs, & inuocatione ſanctorũ expiari. Quid dicam de thure & cande-
lis conſecratis & accenſis coram imaginibus? Hæc omnia tanquam fulmine quodam pro-
ſternuntur, hac vna ſententia, 1. Iohan. 1. Sanguis Ieſu Chriſti purgat nos ab omni anomia,
hoc eſt, ab omni peccato, quo lex Dei violata eſt. Nam ἀνομία eſt quicquid non cõgruit cum
lege Dei, ſiue actio ſiue paſsio, ſiue defectus, ſiue qualitas ſit, ſiue à nobis fiat, ſiue in nobis
fit. Quæ oratio, obſecro, ſufficiet ad deteſtandam iſtam contumeliam Papæ aduerſum ſan-
guinem filij Dei? Quis non exhorreſcit cogitans de potentia Diaboli, qui in tam execrabilẽ
blaſphemiam hominem pertrahere potuit? Quis quæſo niſi prorſus ſuæ ſalutis immemor,
hic ſuſtinet imperium Papæ? Iudas filium Dei oſculo prodidit, & crepuit medius. Sed Papa
multo iniquius, crudelius, & immanius facit, qui precioſum ſanguinem Dei pedibus con-
culcat, & cœno fœdiſsimo obruit. Quod ſane facit quãdo ſuis ſtercoribus, hoc eſt, fictis pur-
gationibus tribuit eam virtutem, quę eſt ſolius ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Oran-
dus eſt igitur Deus, vt hunc hoſtem filij ſui Papam conficiat potenter gladio oris ſui & pro-
ſternat iſtam immanem beluam, quæ vineam Domini tam miſere vaſtat, quæ Eccleſiam
Dei prætextu ſanctimoniæ horrendis modis lacerat, quæ ſanguine ſanctorũ conatur impe-
dire curſum Euangelij, & nihil magis in votis habet, quam vt in Eccleſiam dominiũ habe-
at, agnoſcatur caput & monarcha Eccleſiæ, ſucceſſor Petri, cum reuera ſit peſtis Eccleſiæ,
Toparcha Satanæ, & ſucceſſor Iudæ, Imo non Iudæ ſolius, ſed Iuliani quoque & Neronis,
quos omnes ſolus Papa ſuperat crudelitate & ſæuitia in membra Chriſti, idq; non ob ali-
am cauſſam, quã quod fateantur ſe nõ alijs ablutionibus & purgationibus indigere, quam
ſolo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſolo ſanguine Chriſti, qui ſufficit ad omnia mundi peccata purganda & abolenda. DIXIMVS quomodo obruat Papa primam partem Euangelij de remiſsione peccatorum, nunc quomodo iuſticiam quam prædicat Euangelium, tollat videbimus.

SPONSA Chriſti, in ſchola Spiritus ſancti erudita, nouit iuſticiā Euangelij eſſe, quam tota ſcriptura commendat, videlicet, obœdientiam filij DEI credenti imputatam. de qua ſupra ſententiā catholicæ Eccleſiæ Chriſti expoſuimus, & confirmauimus. ſed Papa Chriſti iuſticiam eſſe noſtrā plane negat, & in locum iuſticię fidei ſubſtituit iuſticiam operū & merita humana. Etſi autē iam tandē Papiſtę in iuſtificationis doctrina fidei meminerunt: Tamen intelligunt fidem hiſtoricā: cui addunt ſpem & charitatem. Has enim iuſticiæ partes faciunt, vt fides ſit initium, charitas autē conſūmatio iuſticiæ. Hæc erronea doctrina de iuſticia Chriſtiana euertitur paſsim in ſcripturis. Præcipue autē in Epiſtolis Pauli, Rom. 3. 4. 10. Ephe. 2. Galat. 2. 3. 4. Philip. 3. breuiter cum perpetuo ſcripturæ conſenſu pugnat, & eſt blaſphema in filium Dei, non minus quam illa de expiatione peccati. Sophiſmata Papiſtarum à multis doctiſsimis viris in noſtris Eccleſijs, publicis ſcriptis refutata ſunt.

SPONSA Chriſti vt gratuitā remiſsionem peccatorum, & iuſticiam: ita etiā gratuitam agnoſcit acceptationem, quemadmodū ſupra declarauimus. Sed Papa meritum triplex in locū gratuitæ acceptationis ſubſtituit. Eſt enim Papiſtis aliud meritū congrui, aliud digni, aliud condigni. Meritum cōgrui vocant, quo peccator dicitur gratiam ſibi mereri, dum ad gratiam ſe diſponit, hoc eſt, vt iſti interpretantur, cum facit quod in ſe eſt, & tribuunt hoc meritū non renatis, & inimicis Dei. Meritū digni definiunt, in quo vir iuſtus orat pro alio, & meretur exaudiri. Meritum condigni eſt meritū, pro quo exigitur præmium ex debito. Hoc meritum, inquiunt, exigit in operante vt ſit amicus, in opere, vt reſpiciat ad debitum præmiū, in præmiante vt acceptet opus, & hominē propter opus. Breuiter quoduis horum meritorū eſt merentis aliquid ſuo labore, & debitū dicitur quod datur merenti aliquid ſuo labore. Hæc ſumma eſt doctrinæ Papiſticæ de merito, & eius generibus. Verū huic doctrinæ opponit ſe Chriſti Eccleſia freta verbo ipſius, & gratia. Verbum Lucæ 17. cum omnia feceritis quæcunq; præcepta ſunt vobis, dicite inutiles ſerui ſumus. Gratia data eſt per Ieſum Chriſtum, Iohan. 1. Si Gratia eſt qua accipimus, profecto non eſt in nobis meritū operum, alioqui gratia non eſt gratia. Præterea ſi Deus gratuito dat, certe non eſt debitor, hoc eſt, vt det quia debet, & tu accipias quia mereris. Meriti enim natura eſt, vt inter id quod datur, & id quod accipitur ſit iuſta proportio. Atq; hoc ſit dictum breuiter contra meritum in genere, quod cum nullum ſit, non eſt quod multum diſputemus contra ſubiectas partes, quæ ſunt meritum congrui, meritum digni, & meritum ex condigno.

MERITVM congrui euertitur his rationibus. PRIMA, ante iuſtificationem, quæ eſt omnino gratuita, vt oſtenſum eſt, omnis homo eſt filius iræ. Quid ergo mereretur miſer? SECVNDA, homo ante regenerationem viuit ſecundum carnem. Cuius φρόνημα, hoc eſt, cogitatio, iudicium, affectus, voluntas, & ſenſus eſt inimicitia coram Deo. Quomodo ergo congruit, vt qui talis eſt, aliquid ſuo mereatur opere? TERTIA, Chriſtus dicit, mala arbor facit malum fructum. Cum ergo omnis non renatus ſit mala arbor, qualis fructus expectandus niſi malus? QVARTA, quicquid non eſt ex fide, eſt peccatum. Si peccatum, quomodo placebit? Si non placebit, quomodo merebitur?

MERITVM digni habet aliquam ſpeciem, ſed tamen reuera nullum eſt dignitatis meritum. quicquid enim accipimus pro præſtito officio, id ex gratia accipimus propter bonitatem largientis, & non propter dignitatem operantis. Vir iuſtus orat pro alio & exauditur, non quia meretur, vt exaudiatur, ſed quia promiſit ex gratia Deus.

MERITVM cōdigni ſimiliter multis teſtimonijs ſcripturæ euertitur. Si quis merebitur ex cōdigno, id fiet, vel quia patitur aliquid, vel quia facit aliquid. Iam, vt Paulus dicit: non ſunt cōdignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam. Ita Chriſtus ait: Cum feceritis omnia quæcūq; præcepta ſunt vobis, dicite, inutiles ſerui ſumus. Breuiter cū nulla ſit in homine dignitas, quomodo quæſo in eo reperietur meritū condigni? HACTENVS oſtendimus pugnantiam Eccleſiæ Chriſti & Eccleſiæ Papiſticæ in doctrina legis & Euangelij, nūc accedamus ad tertiam partem doctrinæ Eccleſiæ quæ eſt de vero cultu Dei.

ECCLESIA Chriſti edocta ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, definit cultum Dei eſſe quodlibet opꝰ mandatū à Deo, factū ex fide, principaliter vt glorificetur Deus. nō eſt enim ſatis opus eſſe mandatū, vt fiat iuxta rationem legis, ſed requiritur etiā fides Euangelij, ſine qua opus factū non habet rationem cultus. Præterea vt fides cauſſa eſt cultus, ita gloria Dei finis operis erit. Cōcurrere ergo tria debēt in quolibet opere, vt ſit cultus Dei, materia, cauſſa, finis. Materia eſt opus mandatum à Deo in ipſius lege & verbo. cauſſa eſt fides, quæ cum non aſsit, opus mortuum eſt. Finis eſt gloria Dei quem operans reſpicit. quod autem hæc

neceſſario

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

neceſſario cõiungenda ſint in cultu Dei nunc mõſtrabimus. QVOD oporteat opus cultus
eſſe mandatum, his manifeſtũ redditur rationibus. PRIMA, Iere. In præceptis meis ambu-
late & non in præceptis parum veſtrorum. SECVNDA, fruſtra colunt me docentes doctri-
nas mandata hominũ. TERTIA, omnis ἐθελοθρησκεία Coloſ. 2. damnatur. Ex his rationib.
firmiſsimam colligamus regulam de opere cultus, videlicet, quod nihil probetur Deo, niſi
quod ipſe inſtituit. Quare neceſſe eſt opus, ꝙ erit cultus, mandatũ Dei habere. DEINDE
fidẽ neceſſario in cultus ratione requiri, ex ſubiectis rationib. patebit. Paulus Rom. 14. ca-
pite ait: Quicquid non eſt ex fide peccatũ eſt. hoc eſt, nullum opus eſt Deo acceptum, niſi fi-
des præluceat. Perſona enim placet propter fidem, & opus in credente perſona acceptũ eſt.
Hebr. 11. Impoſsibile eſt placere Deo ſine fide. Etſi aũt Ethnicorũ politica facta acceperunt
remuneratioñe, Tamen non placuerunt, vt cultus: nec placuerunt per ſe, ſed propter aliud.

CVLTVM præterea reſpicere gloriã Dei principaliter, ex Eſaiæ dicto probatur. Ita enim
ait Propheta in perſona Dei: Omnem qui inuocat nomen meũ, in gloriam meam forma-
ui eum, creaui eum, & feci eum. Si ergo finis creationis eſt gloria Dei, profecto eundem fi-
nem omnis humana actio reſpiciat. Paulus omnem Eccleſiæ Dei profectũ ad gloriam Dei
refert, ſemperq; gratias Deo agit ob felicem ſucceſſum in Eccleſia. Quare nõn dubium eſt,
quin velit finem omnis actionis gloriam Dei eſſe. Poſtremo ſi Deus fons eſt omnis boni &
author, decet profecto vt omnia ad illum, vt finem vltimũ referantur, iuxta illud, ex illo &
per illũ & in illum omnia, ipſi gloria in ſecula. Etſi autem Deus, ſiue gloria Dei finis princi-
palis eſſe debet omniũ operum piorum: Tamẽ minus principales plures poſſunt eſſe fines,
vt ordinati ad vltimũ. Pius pater ſuos liberos inſtituit, caſtigat, in officio retinet, vt ſint mo-
deſti, tractabiles & honeſtũ nomen tueantur. Verum hæc omnia ſcopum habent gloriam
Dei. Pius dat Eleemoſynam, vt ſubleuetur penuria laborans. Sed gloriã Dei, cuius manda-
to obtemperat ex fide, reſpicit principaliter. Atq; in hunc modum pij plures ſuarũ actio-
num fines habere poſſunt, qui omnes deſtinantur gloriæ Dei vt fini vltimo. Hæc ſumma
ſententiæ Eccleſiæ Chriſti eſt, de vero cultu Dei, & eius partibus. Iam videamus quomodo
his ſe opponat Romanus Pontifex. Primum in hoc errat Papa, quod iuſticiã Chriſtianam
cũ cultu Dei confundat, hoc eſt, cauſſam cũ ſuo effectu. Eſt enim iuſticia fidei cauſſa cultus,
hoc eſt, obœdiẽtiæ erga Deum, quem Paulus vocat fructũ iuſticiæ fidei, & Baptiſta fructus
pœnitentiæ, hoc eſt, conuerſionis. Hæc confuſio horrendos errores inuexit in Eccleſiam.
Nam inde factũ eſt, quod cauſſas iuſtificationis & effecta non potuerint diſcernere, Sed ex
effectis cauſſas fecerint, & ex cauſsis effecta. quod quantũ ſit vicium nemo non videt, qui
ſenſu communi præditus ſit. DEINDE in partibus cultus diuini aberrarunt fœde, quem-
admodum nunc breuiter declarabimus. MATERIAM cultus diuini non ſtatuerunt ſola
illa opera quæ Deus nobis mãdauit, ſed priorem locũ dederunt ſuis traditionibus, vt olim
Phariſæi fecerunt, quos ſeueriſsime Chriſtus reprehendit, adducẽs in mediũ omnium Pro-
phetarum conſentientia ſuffragia: Fruſtra inquit, colunt me præceptis hominum. HINC
enim eſt, quod inuocationem ſanctorũ tanquam præcipuam cultus Dei partem vrgent, &
puniunt eos qui ſuo impio decreto non obtemperant. Scriptura dicit, Dominũ Deum tu-
um adorabis, & illum ſolũ coles. Papa autem cõtra, inuocabis ſanctos, vt te protegant, tue-
antur & cõſeruent, vt ſint tui aduocati, & tibi ſuffragentur, &c. Hæc blaſphemia non eſt vt
parua prætereunda. Nam honorem Chriſto debitũ ſacrilege ei detrahit, & ſanctis eum at-
tribuit, contra mandatum Dei, ſine promiſsionibus diuinis, & abſque piorum exemplis,
qui vnquam in Eccleſia Dei extiterunt: ſeducti partim ſpectris, partim alijs illuſionibus
diabolicis, partim quoq; exemplis Ethnicorumi qui infinitos Deos inuocarunt, & ſingu-
los ſuis quibuſdam officijs pręfecerunt. Hic ergo ne Chriſtiani in hac parte viderentur pro-
phanis Ethnicis inferiores, Papa ſanctorum cultus inſtituit, erexit templa, altaria, ſtatuas,
vt ſancti illic colerentur miſsis, ſuffragijs, genuflectione, thure & alijs modis, ſicuti adhuc
fit in Papatu, & quædam veſtigia apud nos adhuc apparent.

ALTERVM locum in cultu diuino apud Papiſtas vota obtinent, quæ non ſunt vnius
generis. Nã apud eos ſunt vota virginitatis, cælibatus, pauperatis, monachatus, ieiuniorũ,
peregrinationũ, certi numeri precularum, miſſarũ &c. quæ omnia ideo ſtulta ſunt, quia &
verbo Dei deſtituuntur, & commune votum omniũ Chriſtianorum abolent, & cultus gra-
tia nuncupantur. Anne maxima ſtulticia eſt ꝙ monachi ſuum votũ baptiſmo præferant?
eſtne pluſquam ſacrilegũ, quod votis ſuis dirimant coniugia de quib. dictũ eſt, quod Deus
cõiunxit, homo ne ſeparet? Cum igitur tanta ſit impietas in ſtultis votis Papiſtarũ, quis nõ
videt ea ex diametro pugnare cũ doctrina Chriſti? pij proinde cõtenti ſint voto cõmuni, &
ſi quando vouere cõtingit, nõ cultus cauſſa hoc faciãt, ſed pietatis exercendę gratia. Nec ſe
in perpetuum obligent, ſed ad tempus tantum caueant: præterea ne quid voueant, quod
in ip-

in ipſorum manu minime eſt poſitũ. Et ſi quid aliquando vouerunt temere, ſapienter mutent, quod ſtulte decreuerunt iuxta regulam: In malis promiſsis reſcinde fidem, & in turpi voto muta decretũ. Nam nullum eſt vinculum, vbi quod homo confirmat, Deus abrogat. Præterea nullum votum obligat, quod in voto communi, vt in genere non includitur. Id quod ex ſuperioribus ſatis liquet, ſed quid opus eſt lõga refutatione in tanta Euãgelij luce?

CONTVLIMVS hactenus doctrinam Eccleſiæ Chriſti de lege & Euãgelio, & de vero cultu Dei cum doctrina Papæ, & oſtẽdimus Papã ſe manifeſte Chriſto opponere, in omnibus doctrinę partibus. Vnde concludimus quod propoſuimus, Papã aduerſari Deo, & vere Antichriſtũ eſſe. Nunc aũt accedemus ad ſecundam partẽ, videlicet de ſacramẽtis diuinis: quæ ſunt quædam aſpectabiles conciones Euangelij, ac primum ſummam ſententiæ veræ Eccleſiæ proponemus. Deinde etiam quãtum in hac re peccet Papa hoſtis Dei aperiemus. ECCLESIA Chriſti nullum agnoſcit ſacramentum quod diuinitus in nouo teſtamento inſtitutum non ſit. Nam de veteribus ſacramentis in politia Moſaica, nõ opus eſt vt hic aliquid dicamus. QVONIAM igitur Baptiſmus & cœna Domini, & non plura in nouo teſtamento diuinitus nobis ſacramẽta ſunt cõmendata, Eccleſia Chriſti Baptiſmum & cœnam ſacramenta agnoſcit ſola & nõ plura. DEFINIT enim Eccleſia ex verbo Dei ſacramẽtum ceremoniam diuinitus inſtitutam per res externas, continentem promiſsionem gratiæ & requirentẽ promiſsionis fidẽ, ſine qua ſacramenta inania ſunt, vt verbũ ſine fide auditum. Requiruntur proinde quatuor ad integrã rationẽ ſacramenti, videlicet, inſtitutio diuina, res externa, verbum promiſsionis, & fides in verbum promiſsionis reſpiciens. Vt, in baptiſmo eſt inſtitutio diuina. Nã & Ioannes ex mandato Dei baptizare cepit, & Chriſtus amandans diſcipulos in vniuerſum mundũ, iuſsit vt doctrinæ baptiſmum adiungerent. Deinde in baptiſmo eſt res externa, aqua, cum im̃erſione hominis, & pronunciatione verborũ. Præterea eſt promiſsio, nã baptizatis promittitur vita & ſalus propter Chriſtũ. Poſtremo quia omnis diuina promiſsio requirit fidẽ, neceſſe eſt etiã, vt hæc fides promiſsioni reſpondeat. Ideo dictum eſt: qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Qui vero nõ crediderit condemnabitur. Abſente igitur fide externum baptiſma non eſt efficax. De pueris hic non loquimur qui habẽt promiſsionẽ, quæ eſt in eis efficax, tametſi de ipſorum fide quomodo in eis exiſtat, nihil certi ſtatuere poſſumus. Sed fidem illis quoque tribuit Chriſtus, Matth. 18. Cum inquit: Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui IN ME CREDVNT, &c. Ad eundem modum in cœna Domini eſt verbum mandati. Vnde Paulus: quod accepi à Dño, hoc & vobis tradidi, &c. & Chriſtus, hoc facite in mei cõmemorationem. Deinde res externa, eſt panis & vinum, præterea totũ ſpectaculum eſt promiſsionis quædã ſignificatio, quæ etiam diſerte exprimitur in cœnæ inſtitutione. De pane enim dicit, hoc eſt corpus meum, quod dabitur pro vobis, & de vino, hic eſt ſanguis noui Teſtamẽti qui effunditur ꝓ vobis, & pro multis in remiſsionem peccatorum. Poſtremo hæc promiſsio requirit fidem Euangelij, hoc eſt promiſsionis additę in ipſa cœna. Hanc fidem qui nõ affert, impuro ſuo roſtro corpus & ſanguinem Domini contaminat ſibi in certum iudicium, niſi reſipiſcat. Hæc ita ſe habere facile intelligit, qui ſacramenta conciones Euangelij eſſe nouit. Nã vt Baptiſmus concionatur de ablutione noſtri per ſanguinẽ Chriſti, ita cœna cõcionatur quod Chriſtus ſit credẽtibus cibus & potus, quo cibo & quo potu anima alitur & recreatur ad vitam æternã. Hoc pulcherrime ſymbolis ſignificatur. Habent enim ſigna ſacramentalia ſemper cõparationem quandam ad res quæ ſacramentis exhibentur. Auguſtinus enim dicit: Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum ſacramenta ſunt non haberẽt, omnino ſacramenta nõ eſſent. Hanc ob rẽ ſigna ſacramẽtalia ſymbola nõ inepte dicũtur. Eſt enim quædam analogia rei externæ ſeu ſigni ad rem ſignatam, propter quã analogiam Symboli nomen ſacramentis attribuitur. Symbolum enim παρὰ τὸ συμβάλλειν, id eſt, à cõferendo ſeu cõparando dicitur. Eccleſia igitur in hunc modum analogiam ſignorum ſacramentalium ex Euangelio explicat. Sicut aqua foris adhibita abluit ſordes corporis, Ita ſanguis Chriſti intus abluit conſcientiam à peccatis mortuis. & ſicut panis externum hominẽ paſcit, & vinum reficit & exhilarat: ita corpus Chriſti interiorem hominem alit, & ſanguis Chriſti eundem reficit & exhilarat, modo fides vere ſentiatur. Quod igitur in Eccleſiam recipimur per baptiſmum, ac Chriſto inſerimur in eoque regeneramur & à peccatis emũdamur, non niſi corporis Chriſti beneficio conſequimur, quo induimur, & ſanguinis quo abluimur. Quod vero per baptiſmũ inſiti in eodẽ alimur, fouemur, & ſuſtentamur, id denuo nullo cõſequimur alio beneficio, quam corporis & ſanguinis Chriſti. Quod ergo nobis in baptiſmo tegumẽtũ eſt, & emũdatio, in cœna cibus eſt & potus, atq; vt aliud eſt gigni atq; renaſci, aliud ali & educari, Ita aliud eſt in nouã vitam renaſci, & aliud in eadẽ ſuſtentari & creſcere. Præcedit enim natiuitas, ſequitur educatio, id quod pulcherrime ſymbolis ſacra-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mentalibus ſignificatur. Nihil proinde aliud docent ſacramenta Euágelij, quam verbum Euangelij, niſi quod modus diuerſus ſit in noſtrum bonũ, vt vtroq; verbo, hoc eſt, externa voce Euangelij, & eiuſdem ſacramento in ſchola Chriſti erudiamur, alamur & creſcamus.

DE præſentia Chriſti in vtroque ſacramento nullus piorum vnquam dubitauit. Nam & Paulus dicit, quotquot baptizati ſunt Chriſtum induerunt, & Chriſtus porrigens panem dicit, hoc eſt corpus meũ, porrigens calicẽ dicit, hic eſt ſanguis meus. Quomodo aũt vtrobiq; ſit corpus Chriſti non ignorat, qui & verbis & factis Chriſti credit. Quia igitur verbo Domini credit Eccleſia, ſtatuit vere adeſſe corpus & ſanguinẽ Chriſti in cœna. ſic enim promiſit qui mẽtiri nequit. Præterea quia factis Chriſti credit Eccleſia, ſtatuit præſentiæ modũ non naturalem eſſe, ſed ſupernaturalem, vt Lutherus Chriſti ſeruus loquitur. Naturaliter enim ſedebat ad menſam, quãdo manibus porrexit diſcipulis corpus ſuum & ſanguinem ſuũ. Verbis igitur docet Chriſtus præſentiã corporis & ſanguinis ſui, factis vero præſentiæ modum. Cum hac cõfeſsione cõgruit dictum Ambroſij tom. 4. pag. 367. in illo ſacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti. Nõ ergo corporalis eſt eſca, ſed ſpiritualis eſt. Cum hac ſententia cõgruit & dictum Bernhardi. Cibus iſte nõ eſt ventris, ſed mentis, nõ eſt enim datus ad ruinas huius vitæ, quæ vapor eſt ad modicũ apparens, ſed ad æternam vitam animæ conferendã. Hæc de præſentiæ modo dicta ſint, quę cupio à fratribus ſine ſophiſtica accipi. Deum enim teſtor quod nihil φιλονεικίᾳ agam, nihil in fauorẽ hominũ faciã, ſed ſimplicẽ veritatẽ quæram, & perpetuum cõſenſum veræ Eccleſiæ filij Dei anteferã maleuolorũ quorundam clamoribus, qui mihi inſidiantur. Hac conſcientia contentus, feram volente Deo quicqd vel occupati alia ſentẽtia, vel maligni aduerſus me moliãtur. Veritas tandẽ vincet.

DE conſecratione præſertim cœnæ Dominicæ ſic etiam ex verbo Dei pij ſentiunt. Cõſecratio panis & vini non fit aliter, quã conſecratio aquæ baptiſmi. Nã vt hæc conſecrata dicitur cum ſeparatur à cõmuni vſu, & vſui baptiſmi applicatur. Ita panis & vinum ſeparata à cõmuni vſu, & deſtinata cœnæ Domini cõſecrata habentur, idq; virtute ſummi ſacerdotis Dei & hominis Ieſu Chriſti, qui baptiſmũ & cœnã inſtituit. Nihil enim aliud cõſecrare eſt, quã rẽ cõmunem vſui ſacro dedicare. Proinde hæc conſecratio fit obœdientia erga Chriſtũ cœnæ inſtitutorem, per prædicationem beneficiorum Chriſti, per preces & gratiarũ actionem & per pium vſum huius ſacratiſsimæ cœnæ. nec aliud vult Auguſtinus cum dicit, accedat verbum ad elementum & fit ſacramentum. Nam Auguſtinus nõ intelligit verbum cre ſuperſtitione magica prolatum, ſed verbum Dei inſtituentis & promittẽtis, & verbum cũ fructu ditum, &c. vt ipſe Auguſtinus ſe interpretatur. DE probatione eius qui hac cœna cũ fructu vti velit hoc ſentit Eccleſia. Qui reuerenter in timore Dei, vera fiducia & cum pio propoſito accedit hanc ſacram cœnam, probatus & dignus cenſendus eſt. Nam hic & gratias agit Deo pro filio exhibito, & intelligit ſacramento iſto accommodari ſibi beneficia Chriſti.

HACTENVS breuiter de ſacramentis Eccleſiæ Chriſti diximus, nunc monſtrandum eſt, quid in hac parte peccetur à Papiſtis. An papa hic Chriſto & eius ſponſæ Eccleſiæ aduerſetur necne. ETSI autem magiſter ſententiarum ex Auguſtino nonnulla de ſacramentis haud ἀπροσδιόνυσα dicit: Tamen poſtea in numero ſacramentorum & in ſingulorum explicatione multum aberrat. Deinde poſt illum ſecuti commentatores, plerique quæſtionum quidem numerum augent, ſed rem ipſam magis peruertunt, & ſacramentorum veram rationem inutilibus diſputationibus euertunt, omniaque miſere confundunt.

NVMERANT ſacramẽta, ſecundũ magiſtrũ ſuũ, ſeptẽ, quæ ſunt baptiſmus, cõfirmatio, panis benedictio, id eſt, Euchariſtia, pœnitentia, vnctio extrema, ordo, coniugium. Ex his ſeptẽ, primũ & tertiũ, hoc eſt, baptiſmus & cœna Domini plenã ſacramentorũ rationẽ obtinent, (de ordine quid ſit ſentiendũ ſuo loco dicã.) Nam hæc duo habẽt mandatũ Dei, res ſunt aſpectabiles, habent ꝓmiſsionem gratiæ noui teſtamẽti: quæ ꝓmiſsio fidem requirit, ſicuti ſupra demõſtratũ eſt. Quæ aũt his adduntur, ſacramenta nõ ſunt ſicuti mox patebit.

BAPTISMVS, vt initiale ſacramentum, etſi recte primo loco ponitur à Papiſtis, tamen poſtea indigniſsime votis monaſticis inferior iudicatur. quod aũt dicunt baptiſmum conferre gratiam, recipi poteſt, modo interpretatio nõ pugnet cum principio. Principium eſt imotum: quod ſolus Deus ſit Deus gratiæ & pacis in Chriſto Ieſu. Si ergo in hunc modum accipiamus dictum: Baptiſmus confert gratiam, hoc eſt, Deus per diſpenſationẽ baptiſmi offert, & obſignat gratiam, recipio dictum. Verbo enim offertur tantum gratia, Sacramento vero & offertur & obſignatur, modo fides in vtente ſacramento non defuerit. De infantibus ſingulare eſt Priuilegium. Verum ſi hoc modo acceperis dictum. Baptiſmus confert gratiam: hoc eſt, ſua virtute facit homines gratiæ participes, ſeu vt interpretantur Papiſtæ, ſanctificat per ſe, interpretatio cum principio pugnat, atque ideo falſa & erronea eſt iudicanda. Iam porrò videamus an Papa ſe Chriſto opponat in diſpenſatione huius ſacramẽti.

CHRISTVS amandat diſcipulos, vt voce & baptiſmo doceant Euangelium, Ideoque iubet baptizare oẽs gentes. Quare non lingua peregrina, & ijs ignota quos docerent, fieri debuit. Quis enim doceri poteſt ea lingua quam non intelligit? Sed quid hic Papa? Euangelium voce non docet, ſicuti ſupra ſatis oſtenſum eſt, ſed partem tantum legis, & ſua decreta quæ in locum Euangelij ſubſtituit. Deinde, vt concio Euangelij quæ peragitur Baptiſmo, minus efficax ſit, baptiſmum peregrina, hoc eſt, latina lingua mandat peragi, etiã in ijs nationibus quibus latina lingua prorſus barbara eſt. Et eos qui impio ſuo decreto nõ obtemperant, grauiſsimis pœnis, tanquam hæreticos punit. An non hoc eſt ſe Christo opponere? An nõ hoc eſt partem Euangelij, imo ipſum Euangelium totum alto ſilentio obruere, ne homines illud diſcant ac ſalui fiant? AQVAM baptiſmi exorciſant in contumeliam Chriſti, qui, cum baptizaretur ipſe, omnes aquas ita cõſecrauit, vt ſint idoneæ baptiſmo peragendo. ADDVNT præterea multas ineptias. Sacrificulus impuro habitu, & ſaliua ſæpe infantes inficit. Fiunt inuocationes ſanctorum, recitantur exorciſmi magici ſalis, vngitur vertex baptizandi oleo ſacro, quæ omnia contaminant non parum baptiſmum, & Chriſti institutionem quodammodo fœdant: Qui vult nos contentos eſſe ſuo ſimplici mandato ſine additamentis humanis. QVVM docet baptiſmum abolere peccatum originale tantum, & nõ reliqua, dupliciter peccant. Primum enim tribuunt baptiſmo, quod eſt ſolius ſanguinis Chriſti. Sanguis enim Chriſti emundat nos ab omni peccato. Cuius emundationis baptiſmus efficax ſymbolum eſt. Deinde cum dicunt actualia peccata non aboleri baptiſmo, reuera hoc volunt, quod ſanguine Chriſti non aboleantur niſi originale peccatum, reliqua reſeruentur ſatisfactionibus fictitijs. Quid quæſo hoc aliud eſt, quam Chriſtum rurſus ſepelire? quam verum vſum baptiſmi abolere? quam Euangelium turpiſſimo cœno fœdare? An hæc pijs ferenda eſt iniuria? retinet Papa baptiſmum, ſed ſuis additamentis fœdatum. Baptiſmum fatetur ſacramentum, ſed eius verum vſum abolet: Dum Chriſto perfide detrahit, quod baptiſmus ei tribuendum manifeſto ſigno declarat.

SECVNDVM locum inter Sacramenta Papæ obtinet confirmatio, quæ ſi rite perageretur, vt tempore Apoſtolorum, & deinde multis annis, non tam Sacramentum eſſet, quam pars diſciplinæ vtilis in Eccleſia. Nam vetus cõfirmatio nihil aliud fuit, quam examinatio eorum, qui infantes receperunt baptiſmum, vt iam adulti facti redderent rationem fidei ſuæ, & teſtarentur propria voce ſe Chriſto dediſſe nomina, quemadmodũ Eccleſia illorum nomine olim promiſerat, dum baptiſmus eis conferretur. Hac confeſsione edita & facta promiſsione de perſeuerantia in Chriſti fide, Epiſcopus eos cõfirmabat, docendo, admonendo, conſolando, exhortando. Hic ritus fuit vtilis diſciplina, in cuius locum apud nos ſucceſsit examen Catecheſios ante ſumtionẽ cœnæ Dominicæ, ſicuti infra dicendum erit. SED quid hic Papa? veterẽ ritum qui vtiliſsimus fuit abolet, & nomẽ tantum eius retinet. Deinde facit ex confirmatione ſua ſacramentũ Eccleſię, quod impudenter dicunt plenius eſſe baptiſmo. Nam hæc ſunt verba Lõbardi Coryphæi Papiſtarum: Oẽs fideles per manus impoſitionẽ Epiſcoporum poſt baptiſmum accipere debent Spiritum ſanctum, vt pleni Chriſtiani inueniantur. En blaſphemiam, baptiſmo adimunt Spiritum ſanctum, quem Epiſcopus in ſua manu habet, vt det cui vult. Plenum Chriſtianiſmi ſignum adimunt baptiſmo, & tribuunt ſuo fictitio ſacramẽto. SED age videamus quale ſit Papiſtis ſacramentum confirmatio. De quo quatuor potiſsimum docent. Primum à quo hoc ſacramentum conferri poſsit. Deinde quod ſit eius elementum. Tertio, quæ forma. Poſtremo, quæ virtus & efficacia. QVANTVM ad eum qui conferre poſsit hoc ſacramentum, cõſtanter dicunt, quod non poſsit conferri, niſi à ſummo ſacerdote. Nam ſi aliter (ait Lombardus) præſumtum fuerit, irritum habetur & vacuũ, nec inter Eccleſiaſtica reputabitur ſacramenta. Quid quæſo hoc decretum ſibi vult? Baptiſmus poteſt apud Papiſtas à quouis cõferri ſacrificulo, modo tantum latine poſsit pronunciare exorciſmos, & verba baptiſmi, etiamſi ea non intelligat. Verum hoc auguſtum, ſi dijs placet, Papæ ſacramẽtum nemo adminiſtrare poteſt, niſi ſummus ſacerdos, hoc eſt, mitratus aliquis apoſtaticus, (Apoſtolicus volebam dicere) hoc eſt Epiſcopus. Vide quæſo quanta cõtumelia hic fit Chriſto, ac ipſius ſacro baptiſmati. Chriſti ſacramentum tam contemtibile habetur, vt poſsit à quouis conferri, contra vero Papæ ſacramentum in tanto precio & honore habetur, vt nephas ſit illud adminiſtrari niſi à ſummo Pontifice? An non hoc eſt baptiſmum cœno obruere, & pigmentum Papæ in cœlum tollere? An non hoc eſt manifeſte baptiſmum abolere? An nõ hoc eſt Chriſtum in ordinem redigere, vt ipſe cum ſuo ſacramento infra ſcabellũ pedum Papæ abiectus iaceat? Quis hæc cogitans nõ exhorreſcit? Papa, tanquam victoria parta in Eccleſiam, imperium Chriſto adimit, & ſibi ſacrilege aſſumit autoritatẽ ordinandi ſacramenta in Eccleſia Dei, quæ anteponit ſacramentis Chriſti. SECVNDO loco elementi confirmationis memine-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

runt Papiſtę, quod dicunt eſſe Chriſma, hoc eſt, vnguentum ſeu oleum. Hoc autē Chriſma, vt non eſſet commune, à Papa vel Archiepiſcopo conſecrari debuit, & magno precio haberi propter Spiritum ſanctum, quem in ſe incluſum per adiurationem conſecrantis haberet. Vide quanta temeritas. Puluis & cinis audet Eccleſiæ noua ſacramentalia ſigna obtrudere. Audet ſuo pigmento ſacramenti titulum tribuere. Qua hoc autoritate facit Papa? niſi quod filius iſte perditiōis aduerſarius Chriſti, velit facto declarare ſe eſſe ſupra Deum, & omnem religionem, vt in templo Dei ſedeat oſtentans ſe quod ſit Deus. Hoc diuus Paulus longe antea præuidit, monuitque vt ab ipſius impoſturis nobis caueamus.

FORMA ſequitur Papalis ſacramenti confirmationis. De qua forma Lombardus in hunc modum: Forma aperte eſt, ſcilicet, verba quæ dicit Epiſcopus, cū baptizatos in frontibus ſacro ſignat Chriſmate. Quid hac forma deformius? deformat enim baptiſma Chriſti, & verum vnguentum, quo vncti ſunt baptizati, hoc eſt Spiritum ſanctum, ſua fœda amurca cōtaminat, in qua ſe incluſum habere Spiritum ſanctum ſtulte exiſtimat. Nam Spiritus ſanctus non eſt alligatus ordinationibus humanis, quæ diuino ordini aduerſantur, ſed potius ſpiritus Satanæ, cuius inſtinctu Pontificij ſe Chriſto & eius ordinationibus opponunt. Sed quid opus eſt multis? Cum pijs omnibus cōſtet ſatanicam illuſionem eſſe formam iſtam confirmationis, vt quæ veram, vtilem & ſalutarem confirmationem aboleat.

QVARTO loco virtutem huius ſacramenti docent. Ita enim aiunt: Virtus huius ſacramenti eſt donatio Spiritus ſancti ad robur. Hoc quam vanum ſit ex eo apparet, quod Spiritus ſanctus emittatur à Deo in corda credētium, iuxta Pauli doctrinam. Qui ergo credit, Spiritum ſanctum habet, qui ſuam pręſentiam teſtatur, dum excitat motus in hominibus cōgruentes cum lege & voluntate Dei, dum impellit ad orandū, & ad pietatis & charitatis officia. Qui confirmat nos, ait Paulus, in Chriſto, & qui vnxit nos Deus eſt, & qui ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Hoc ſigno, hoc vnguento, hoc ſignaculo, & pignore, contenta eſt Eccleſia Chriſti. Non quærit robur à mortuo vnguento, quo ſuos inungit Antichriſtus, ſed vt ſponſa Chriſti ſui ſponſi balſamo lætatur & exhilaratur.

TERTIVM ſacramentum Papiſtis eſt benedictio panis, de quo ſacramento quid Eccleſia Chriſti ſentiat ſupra dictum eſt, hic aperiemus quomodo Papa ſe Chriſto opponat in huius ſacramenti diſpenſatione. Quo autem hoc fiat commodius, primum dicemus de miſſa. Nam hoc nomen cœnæ tribuerunt, Deinde de abuſu conſecrati panis extra miſſam.

INTEREST profecto omnium piorum toto pectore execrari ſacræ cœnæ prophanationes, quæ in iſta cernuntur miſſa: Quæ abominabilius idolum eſt, quá vllum Ethnicum idolum vnquam fuit. vt autem diſtinctius appareat abominatio Dei Maoſim, ordine cauſas recitabo, cur iſtud idolum merito fugiendum ſit.

PRIMA, miſſa Papiſtica eſt ad turpem quæſtum & abominationem proſtituta, & tanquam turpiſsima χαμαιτύπη vndecunque quæſtum occipit, non tantum regibus mundi & principibus ſuccumbit, verum etiam ſuibus & canibus, qui eius abominabili cōplexu oblectantur, adeo dulce lucrū eſt iſti meretrici vt nullius amplexus defugiat. Virgo ſi vult nubere, ad hanc cōfugit pronubam. Matrona cupiēs parere feliciter, hanc Luciná implorat. Si cui porcus ægrotat, ab hac petit opem. Si nauigandum, hæc prima nauem conſcendet. Breuiter huius meretricis pręſidio, ſed pecunia ꝓſtitutori ſacrificulo numerata, nemo non tutum ſe in regno Antichriſti arbitratur. Quid eſt prophanare ſacram cœnam, ſi hoc non eſt? Prætexant quicquid velint miſſatici patroni, & laudent quantum poſsint, qui iſtá meretricem extrudere volunt: Tamen reuera omni abominatione turpior eſt Miſſatica meretrix.

SECVNDA, cœna quam inſtituit Dominus & ſanxit ſuo perpetuo mandato, ſacrilege mutilata eſt. Chriſtus cuius mandato obtemperant Angeli, hic prorſus excluditur. Nam quod ipſe inſtituit in perpetuum ſuum teſtimonium, impie ſuffurati ſunt, arcentes laicos à participatione calicis. An non hoc eſt teſtamentum Chriſti violare, & reuocare? Is vult omnes de calice bibere, quod Papa ſacrilege prohibet, manifeſte teſtamentum filij Dei pedibus conculcans, & ſuum idolum in locum teſtamenti Chriſti ſubſtituens.

TERTIA, Miſſa Papalis cœnam Dominicam manifeſte in alienam formam conuertit. Nam in ea vnus ſeorſum ſuum habet epulum, abolita communicatione, & ordinatione Chriſti, & eius Apoſtoli Pauli. Quod ſane perinde eſt, ac ſi vnus ſubinde ſeipſum ſacro Baptiſmate ablueret. Age quid poteſt abſurdius cogitari? quid poteſt magis contumelioſum eſſe aduerſus cœnæ inſtitutorem?

QVARTA, in Miſſa Papali nulla fit myſterij expoſitio, ſed murmur incantationi magicæ, & nefandis gentium ſacris potius quam Domini inſtituto cōueniens. Iuſtinus martyr refert ritum ſimilem ſeruatum fuiſſe olim in ſacris Solis, (quem μίθραν ſacerdotes ipſius vocarunt.) in his Solis ſacris vſus panis & aquæ fuit, ſed nulla vox à ſpectatoribus audiebatur

niſi hæc,

niſi hæc, ἢ ἐπίστασθε ἢ μαθεῖν δύνασθε. Hoc eſt, aut noſtis aut diſcere poteſtis. Ab his ſacrificulis Solis ſuum miſſandi ritum, & nõ à Chriſto accepiſſe Papiſtas ſole ipſo clarius eſt. In Miſsis quando cantus adhibetur, ſatis boatur, ſed vbi ventum eſt ad cœnæ myſterium, ſolus ſacrificulus muſsitat, & cauet ne ab vllis audiatur niſi vnica ſyllaba NO, quod tamẽ fit poſt incantationẽ panis & vini, & poſt eleuationem, & hiſtrionicam panis circa calicẽ agitationem.

QVINTA, habet Miſſa Papiſtica multas ceremonias ineptiarum hiſtrionicarum & ſuperſtitionis plenas, quibus manifeſte fœdari ſacram cœnã vel pueris pie educatis notũ eſt.

SEXTA, Miſſa iſta culinaria ad miſeros homines carnali fiducia inebriandos aptatur, & tanquam expiatio Deo opponitur: Nam eo vſque res tandem deuenit, quod homines poculo meretricis Babylonicæ inebriati, auditu Miſſæ ſeu potius inſpectione Hiſtrionica ſaltationis armari ſe putant, & aduerſus Deum, tanquam tuto præſidio muniti, multo licentius peccare audent, & obſtinatiores redduntur.

SEPTIMA, cœna inſtituta fuit vt ſit ſacramentum, quod cum adminiſtratur fiant gratiarum actiones, verum Papa inde ſacrificium facit meritorum pro viuis & mortuis, & vt ſacrificij forma conſpiceretur, panem magico ritu conſecratum, (nam vt referrent magicã ſuperſtitionem addita vna vocula enim, ter ſufflando crucem in panem dixerunt, hoc eſt enim corpus meum.) primum leuat ſacrificulus ſupra caput, vt reſponderet ſacrificio Leuitico therumali (quod à leuando nomen habet) deinde agitat panem ſupra calicem in quatuor angulos, vt iſto modo cõpararetur ſacrificio veteri thenupha, cui nomen ab agitando ſeu mouẽdo inditum fuit. Quam ſit hæc κακοζηλία leuitica impia ſatis manifeſtum eſt. nam caret mandato Dei, plena eſt idolatriæ, & ſuperſtitionis, irritum facit teſtamẽtum Chriſti, abducit homines à morte Chriſti, quæ vnica eſt hoſtia pro peccatis, qua cõſumati ſunt ſancti in perpetuum, breuiter in locum ſalutaris remedij animorum reponit triſtiſsimum venenum, quod cedit in certiſsimum interitum, omnibus ijs qui iſtud idolum Papæ adorãt.

OCTAVA, impius canõ ille, quem vt diuinum myſterium venerantur ſacrificuli, totus eſt conflatus ex impietate. nam in eo multiplex idolatria cõſpicitur. Merita ſanctorum ibi Chriſti merito quodamõdo præferuntur, obruuntur beneficia Chriſti, Victima Chriſti Abelis ſacrificio cõfertur, panis adoratur, fit oblatio panis, inuocantur ſancti. Breuiter, nihil eſt ſuperſtitionis & impietatis quod in miſſa illa theatrica non conſpicitur. Et videtur arte quadam ſatanica inuentã, ad obruenda beneficia CHRISTI, ad tollẽdam virtutem victimæ vnici ſacerdotis noſtri Chriſti. An non hoc eſt ſe Chriſto opponere? Qui ergo ſapis fuge Deum iſtum Maoſim, & apud ſimplicem inſtitutionem Chriſti maneto cõſtans. nam qui Chriſti verbo contentus eſt, à via ſalutis errare non poteſt. Ipſe enim ſolus eſt via, veritas, & vita. Qui ergo in ea manet non aberrat, non fallitur, non moritur. PORRO abuſus conſecrati panis extra miſſam, plenus eſt idolomania. Reponunt panem in monſtrantiam, vt vocant, accendunt candelas, procumbunt coram pane, circumgeſtant panem Ethnico more. Breuiter vt Deum colunt mucidum panem & à vermibus ſæpe corroſum. Hæc impietas cum tanta ſit, vt omnibus pijs merito ſit fugienda, tanquam idolum plane diabolicum, fruſtra confugiunt Papiſtæ ad miracula quibus ſuam idolomaniam cõfirmari putãt. Perinde enim eſt iſtum panem adorare, atque Apin Ægyptiacam, aut ſerpentes & feles.

SACRAMENTVM pœnitentiæ quartum locum inter Papalia ſacramenta occupat. verum ſi Petro Apoſtolo credimus baptiſmus ſacramentũ eſt pœnitentiæ. Nam cõpunctis corde præcipit vt pœnitentiam agant, ſiue conuertantur & baptizentur in remiſsionẽ peccatorum, ſignificans baptiſmũ eſſe ſacramẽtum, quo Deus obſignet remiſsionẽ peccatorũ pœnitẽtibus, Papiſtæ forte intelligunt ſuam pœnitentiã, (quam ſacramentũ volunt) de ea quæ fit poſt cõuerſionem, & ſuſceptum baptiſmũ, videlicet cum homo baptizatus labitur in peccatum, tunc enim pœnitentiam requirunt, quam propter manuũ impoſitionẽ & abſolutionis formam ſacramentũ nominant. Neq; hoc pacto pœnitentia ipſa ſacramentum erit, ſed ad ipſum baptiſma recurrendum eſt, nõ vt quis rebaptizetur, ſed vt pactũ Dei cum homine in baptiſmo peractum recolat. Qui baptiſmus eſt teſtimonium ablutionis eius à peccato qui crediderit, & vera pœnitentia ad fontem miſericordiæ confugerit. Iuxta illud: ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrẽ Ieſum Chriſtum iuſtũ, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Non ergo nouo ſacramento indigemus, qui vnico Chriſto propitiatore contenti ſumus, ſed perpetua pœnitentia peccatorum, quæ nititur propitiatione Chriſti, & confirmatur cogitatione baptiſmi noſtri, qui eſt perpetuũ ablutionis noſtri per ſanguinem Chriſti teſtimonium & ſacramentum. SED quibus fundamentis nituntur Papiſtæ, qui nobis ſacramentum pœnitentiã obtrudunt? Multa & inextricabilia confarciunt ex patribus de pœnitentia, ſed tandẽ vbi cõcludendum eſt de hoc ſacramento, ipſi ſe cõfodiunt dum ſignum huius ſacramenti quærunt. Ex Auguſtino didicerunt ſacramẽtum eſſe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſignum gratiæ, hic alius aliud ſignū ſtatuit, & ſatis ineptos ſe eſſe declarant, dum ſacramētum docent eſſe pœnitentiam, & tandē elementū huius ſacramenti ſe ignorare ſuis multis coniecturis atteſtantur. HIC locus poſtularet, vt de carnificina illa conſcientiarū, quæ ſub iſto Papali ſacramento latet dicerem. Requirunt enumerationem peccatorum cum omnibus ſuis circumſtantijs: requirunt contritionem ſufficientē, quæ ſuo merito poſsit abolere peccatum: requirunt ſatisfactionem operis: quibus nihil aliud efficiunt, quam quod inijciant laqueos conſcientijs, & obruant Euangelium Ieſu Chriſti ſuis ſatisfactionibus, abſolutionibus, & abſolutionum mitigationibus per indulgentias, quibus non magis cōuenit cum Euangelio, quam Chriſto cum Belial, & luci cum tenebris. Nam cum fidē excludunt à pœnitentia, nonne aperte Chriſtum excludunt? cum mittunt nos ad ſatisfactionem pro peccatis, an non ſanguinem Chriſti cōculcant pedibus? dum meritis Sanctorū remittunt peccata, an non meritum Ieſu Chriſti impie & nepharie repudiant? Dum indulgentias habent venales quibus redimantur ſatisfactiones, an nō ſatis produnt quo ſpiritu ducantur?

QVINTVM Sacramentum Papale eſt vnctio infirmorum, de quo cum producunt teſtimonium ſancti Iacobi, putant ſe ſatis muniuiſſe ſuum pigmentū. Iacobi verba ſunt hæc: Infirmatur quis in vobis, accerſat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit dimittentur ei. Hæc ſunt Iacobi verba: quibus refertur ritus Eccleſiæ, dū adhuc miraculis locus fuit, quæ cum nūc ceſſarunt, ſtulte retinetur ſine miraculis ceremonia. Illi enim vngebant, vt miraculis ad preces presbyterorum ſanaretur ægrotus: noſtri vero vngunt, non niſi eos, quos vident in agone mortis eſſe. Nam ſi Chriſtus vnctionē iſtam voluiſſet perpetuum Eccleſiæ ſuæ ſacramentum eſſe, ſerio commendaſſet Apoſtolis eius diſpenſationem. QVID referam de contumelia quæ Chriſti ſanguini fit hac vnctione? Nam quicquid illicito viſu delictum, quicquid delectione vocis admiſſum, quicquid odore ſuperfluo cōtractum, quicquid ocioſa locutione peccatū, quicquid illicito opere peractum, quicquid ſuperbo inceſſu commiſſum fuit, hoc totum per vnctionem ſuam expiari voluerunt, Quæ quæſo inſania hæc eſt? tribuunt rancido oleo eam virtutem quæ eſt ſolius ſanguinis Ieſu Chriſti. Tribuunt creaturæ quod eſt creatoris: Tribuunt ſuo pigmento, quod eſt vnici mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti. An hoc eſt vicariū Chriſti agere in terris? An non potius Satanæ eſt, qui voluit ſupra Chriſtum eſſe, & ab eo adorari? Certe qui hic non agnoſcit Antichriſti characterem, plane cœcus eſt.

SEXTVM Papale ſacramentum eſt ordo, de quo quid ſentiat Eccleſia Chriſti breuiter explicādum eſt. Ordinem vocamus vocationem & ordinationem ad miniſterium Eccleſiaſticum. In perſonis quę vocātur, requiritur honeſtas vitæ, morum grauitas, cognitio doctrinæ Eccleſiæ, Donum docendi, & ætas tanto miniſterio conueniens. Vocatio relinquitur libera Eccleſiæ, ita tamen vt Paſtores & Epiſcopi quilibet ſuo loco examinandi & explorandi poteſtatem habeant. Vocatus & examinatus ordinatur Apoſtolico more. Primum fiunt preces pro ordinando, deinde recitantur lectiones ſacræ de miniſterio verbi, requiritur ab ordinando vt promittat fidelitatem in miniſterio. Quo facto imponit preſbyter ordinando manus cum inuocatione nominis Dei ſuper ipſum, tandem commendatur Deo, atque ita ablegatur ad Eccleſiam cuius miniſter eſſe debet. HAC ſimplicitate fuere contenti Apoſtoli Chriſti, & eorum proximi ſucceſſores. Verum Papa pompam quęrit & maiorem ſplendorem, qui incurrat in oculos hominum. Atque ideo non ſolum plures gradus officiorum ſacrorum excogitauit, Verumetiam plurimas adiecit ceremonias, eaſque ineptiores, quam vt eas referre libeat. Quæ cum ſatis oſtēdunt Papam à Chriſto defeciſſe, Nolo longiori oratione iſtas nugas perſequi.

SEPTIMVM Papalium ſacramentorum eſt coniugium. Etſi autem Eccleſia Chriſti agnoſcit coniugium eſſe ordinationē Dei, & cum Paulo fatetur coniugium eſſe honorabile in omnibus, hoc eſt, thorū caſtū & cōiugalē cōceſſum eſſe omnibus ordinibus hominum: Tamē nō exiſtimat cōiugium ſacramentū noui Teſtamēti eſſe, quia nō habet ꝓmiſsionē gratiæ noui teſtamēti annexā: neq; præterea ſacramentū eſt, quia iuxta Paulū eſt myſteriū arcanæ copulæ Chriſti & eius Eccleſiæ. Nam ſi omnia, quæ arcanas ſignificationes habent, eſſent ſacramēta, infinita profecto forēt ſacramēta. Sol hic aſpectabilis eſt ſignū quoddam arcanū & veluti myſteriū Solis inuiſibilis Ieſu Chriſti, ſicut ex Pſalmo quodā patet. Radij ſolares ſignant efficaciā virtutis Chriſti. Hic ignis viſibilis figurat Spiritus ſancti efficaciam in cordibus credentiū. Sabbatū ſacramentum eſt quietis Domini in ſepulchro, & perpetuę quietis beatorum in æterna vita. Ad eundē modum multa numerari poſſunt ſacramenta, quæ tametſi ſacramenta dici poſſunt: Tamen ſacramentorum noui Teſtamēti rationem non habent. Nam peculiare mandatum ceremoniæ non eſt expreſſum Dei verbo, Nō an-

nexa

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nexa eſt ꝓmiſsio noui Teſtamenti, ex quo & quartū ſequitur, quod fides promiſsionis nō hic requiratur. Cū ergo ea quæ requirit ratio ſacramenti noui Teſtamēti hic nō inueniantur, non poteſt coniugium inter ſacramenta Eccleſiæ numerari. SED qui fit quod Papa nolit iſtud ſuum ſacramentum eſſe commune toti Eccleſię? ſi eſt iuxta illum ſacramentum Eccleſiæ cōiugium, cur interdicit ſacerdotibus coniugiū? Spiritus ſanctus pronunciat coniugium honorabile eſſe inter omnes, Papa autē, vt ſe manifeſtum hoſtem Chriſti declaret, ſuis interdicit cōiugium, & vt nō videatur ſcripturæ teſtimonio deſtitui, adducit ſuo more dictum Pauli Rom. 8. qui in carne ſunt, Deo placere nō poſſunt. quaſi Apoſtolus hic ageret de operibus naturæ ſimpliciter, & nō potius de operibus carnis, hoc eſt, vicioſę & corruptæ naturæ, perturbantibus & deſtruentibus ordinem diuinū in natura, qualia ſunt illa opera quæ Paulus enumerat Gala. 5. opponamus igitur Papę ordinationem Dei quam omnibus liberam eſſe vult. opponamus & illi Paulum, qui prohibitionē cōiugij definit doctrinam eſſe dæmoniorum. HABENT & aliud Papiſtæ refugium, volunt ſacerdotes in perfectiori & digniori vitæ ſtatu viuere. Iam autē pro confeſſo habent virginitatis & cœlibatus ſtatum meliorem eſſe, & digniorem ſtatu coniugali. Vnde ſuū decretum de cœlibatu ſacerdotum concludunt. Si tam facile eſſet donum continentiæ dare, quā cōcludere, videretur aliquid habere momenti eorum concluſio. Sed orationibus aiunt impetranda eſt caſtitas. Age vbi eſt promiſsio quod Deus velit iſtam largiri? promittere perpetuū cœlibatum, & nō habere rationem humanę fragilitatis, & inſidiarū diaboli, ſumma eſt amentia. Omnes pij norunt ea quæ ad hanc vitam ſpectant petenda eſſe cum cōditione. Quare nemo certus eſſe poteſt de impetrāda perpetua caſtitate, proinde ſtultus eſt, & qui eam requirit & qui eam vouet.

IAM videamus principium ſeu fundamentū, quo Papiſtæ nituntur. Cœlibatus inquiūt ſtatus eſt melior & dignior coniugali ſtatu. à quo magiſtro hoc didicerunt? certe nō à Deo qui matrimonium in Paradyſo ſanxit. Paulus (inquiunt) 1. Corinh. 7. præfert virginitatem & cœlibatum cōiugio: inter alia enim ita ait: Qui non iungit melius facit. Reſpondeo, cœlibatum non eſſe meliorem coniugio ἁπλῶς ſed κατά τι. Hoc eſt, nō bonitate operis, ſed vſu, idque non ſemper, nec in omnibus, quemadmodum Paulus aperte docet. Qui abſtinet à coniugio ſine caſtitatis dono, quomodo ſolicitus ſit facere ea quæ ſunt Domini, vt placeat Deo, apparet in vita Sodomitica monachorum, & monialium: apparet in turpiſsimis moribus ſacrificulorum, qui omni genere libidinum ſe fœdiſsime polluunt. Faceſſant igitur Papiſtæ cum ſuo impuro cœlibatu, & tum demum imponant ſacerdotibus cœlibatū vbi à Deo fuerint certiores facti, quod velit omnibus raſis & vnctis donum conferre caſtitatis.

HACTENVS oſtendimus quomodo Papa Chriſto aduerſetur in diuinis ſacramentis: peruertit veram ſacramētorum rationem: auget ſua temeritate ſacramētorum numerum, deprauat vera ſacramenta, & à vero fine & vſu ſacramentorum aberrat. nunc de tertio, in quo propoſuimus Chriſto Papam aduerſari, hoc eſt, de ritibus humanis agendum eſt.

RITVS humanos qui faciunt ad ordinē & εὐσχημονίαν piam in Eccleſia non improbant pij, ſed eis ſuum locum tribuunt, infra opera tamen cultus & ſacramenta, atque eos retinendos iudicant decori, & ordinis cauſſa. Decori quidem, vt excitemur ad pietatem iſtis adminiculis, vt modeſtia & grauitas in pietatis exercitijs eluceat: ordinis vero, vt præſidentes habeant certā agendi regulā, vt auditores aſſueſiant ad obœdientiam & diſciplinam, vt bene cōpoſito Eccleſiæ ſtatu paci & tranquillitati conſulatur. Huiuſmodi ritus ordinare poteſt Eccleſia, & mutare ſi quando viſum fuerit. Nam Eccleſia habet poteſtatem in ædificationem, & habet mandatum in genere, 1. Corinth. 14. omnia fiant ordine, & decenter.

QVID in hac re Papa peccat? peccat tyrannide, multitudine, κακοζηλίᾳ, vanitate, opinione.

TYRANNVS eſt, quod Papa ſumat ſibi authoritatem in Eccleſiam Chriſti, cui audet præſcribere leges quas vult, quæ vna ex notis Antichriſti eſt.

MVLTITVDINE peccat, cum congerit in infinitum ceremonias, nec vllum finem facit, imo magis onerat Eccleſiam Chriſti ritibus, quam vnquam Iudaicus populus fuit grauatus, contra manifeſtum interdictum Petri, cuius ſe ſucceſſorem gloriatur. Ita enim Petrus ait: Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus.

Κακοζηλία eſt quod ad imitationem prophanarum gentium, & ad ſimilitudinem Moſaicorum rituum multa ſunt inuecta in Eccleſiam per Papam. Iam autem gentium ſuperſtitio deteſtanda eſt, & Moſaici ritus exhibito Chriſto ceſſare debuere. Quare iſta Papalis κακοζηλία indigna eſt, quæ locum vllum habeat in Eccleſia Chriſti.

VANITAS eſt, quod multi ritus Papiſtici ſunt ἄσημοι, tantum ſunt hiſtrionicæ quædam geſticulationes, nihil ad ordinem & decorem facientes.

OPINIO damnanda accedit videlicet neceſsitatis, quæ pugnat cū libertate Chriſtia-

na:meriti,quæ pugnat cum Chriſti victima:iuſticiæ,quæ pugnat cum fide gratuitæ remiſſionis: & cultus,quæ pugnat cum dicto Chriſti,fruſtra me colunt mandatis hominum.

RESTAT vltimum quod propoſuimus videlicet diſciplina, de qua quid vera Eccleſiā ſentiat ex verbo Dei,& quid Papa contra audeat, dicendum eſt. DISCIPLINA in Eccleſia Chriſti nihil aliud eſt,quam aſſuefactio quædam cum interior tum exterior, qua pij aſſuefiunt ad pietatem,iuſticiam,modeſtiam,& alias virtutes,quaque in officio debito retinentur,ne excuſſo iugo Chriſti ferantur effrenes in quæuis flagitia. PARTES huius ſunt inſtructio & correctio. inſtructio abſoluitur pręceptis,quorum alia mentem inſtruunt,affectus frenant,& voluntates regunt. alia linguam geſtus & facta gubernant. Correctio eſt caſtigatio quæ fit per gubernatores diſciplinæ, hoc eſt, per parochos & alios graues viros, quibus hæc cura commiſſa eſt. Mitior caſtigatio fit verbis tantum: grauior excluſione ab Eccleſiā per excōmunicationem: grauiſsima fit excluſione per anathematiſmum, qui exercetur tantum in pertinaces hæreticos. Hęc fere ſumma eſt diſciplinę Eccleſiæ Chriſti: à qua quantum aberret Papa facile eſt videre in moribus Papalium,& abuſu excōmunicationis; & fulmine anathematis, de quibus omnia referre, quibus illorum libri referti ſunt, nolo. Quid enim valet diſciplina vbi fundamentum non eſt bonum. CASTIGATIO quæ verbis fit apud eos eo pertinet,vt Papa ſuos ſub imperio retineat. EXCOMMVNICATIO exercetur non in facinoroſos legitime iuxta mandatum Chriſti admonitos, ſed in pauperes,qui forte non ſunt ſoluendo ea, quæ Papalis dignitas ſibi deberi autumat. Scortatores leui ſatisfactione reconciliantur. qui obulum ſacrificulo debet,& nō ſoluit ad nutum, excommunicatione feritur,non ſine graui,ſi dijs placet,ceremonia, è ſuggeſtu declamitat in miſerum hominem, infamat inſontem,candelas mittit, pulſat campanula, horrēda voce debitorem excludit ab Eccleſia, imō non ſolum ab Eccleſia, verumetiam adimit omnem ſpem veniæ. Sub tamen tacita cōditione,niſi reus pecunia fulmen extinxerit. ANATHEMATISMVS exercetur non in hæreticos,ſed in eos qui Prophetica & Apoſtolica ſcriptura ſe cōtentos eſſe dicunt: in eos qui ſolo ſanguine Chriſti fatentur peccata expiari: in eos qui dicunt Chriſtum vnicam ſuam ſpem eſſe: in eos qui non inuocant ſanctos: in eos qui non omnia Papæ nugamenta recipiunt. Breuiter in eos qui Papam loco Dei nō adorant. illam enim formam qua vſi ſunt ſancti patres, imō Apoſtolus Paulus in corruptores Euangelij, transfert Romanus tyrannus ad ſtabiliendum ſuum regnum, quod ſophiſtica partum, hypocriſi & tyrannide defenditur. Non ſunt ergo magis metuendi anathematiſmi Papales, quā ſi amator aliquis turpis omnes ſuas veteres amicas anathemate ferire vellet, quæ iam contemto meretricio amore honeſtis oblectarentur nuptijs. Nam cum Papæ ſuccubuimus viliſsimis ſcortis turpiores eramus, nunc autem poſtquam Chriſto nupſimus, ſponſæ honeſtiſsimæ coronam gerimus. Quo ſolo marito contenti, amatorē veterem Papam execramur cum omnibus ſuis philtris & incantationibus. HÆC placuit interſerere de collatiōe Papæ Antichriſti,& Ieſu Mariæ filij veri noſtri Chriſti: ſingula perſequi nolui, ſed capita tantum attingere. Nam timendum eſt ne noſtra ſecuritas aliquid magni mali nobis afferat. Deus faxit ne nonnulli qui hactenus conſtantiæ laudem meruere, turpiter arma abijciant, & Turco aut Papæ ſe ſubijciant. Talia enim minari videtur noſtra ingratitudo.

Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Domino.

Hæc tertia pars eſt præſentis capitis, eaque conſolatoria, ne videlicet frangantur animis Theſſalonicenſes, ob tantam cōfuſionem & plurimorum ruinam. Nam cum gratias agit pro ipſis, collationem facit inter Theſſalonicenſes, ac illos, qui aſtu Sathanæ abducebantur ab Euangelio, vt qui certus ſit de eorum conſtantia ac perſeuerantia in fide. Huius fiduciæ rationem addit, cum ait: dilecti à Domino. Hæc enim dilectio ſola facit eos & ſtabiles ac ſecuros. Huc igitur vult Paulus vt reſpiciamus, quoties ſolicitudo occupat animum: hæc ſola gloriatio noſtra eſt, quod Deus pater nos in dilecto diligat.

Quia elegit vos Deus ab initio in ſalutem.

Ratio propoſitionis ab ęterno Dei conſilio de ſalute electorum ſumta. Fieri enim non poteſt, quin ſalutem conſequantur, quos ſaluandos elegit. Elegit autem in Chriſtum credentes, quales ſe dilectione, patientia atq; adeo vitæ innocentia declararunt Theſſalonicenſes. habent autem credētes triplex ius adeundi vitam æternam: Electionis, quia vnigeniti filij membra ſunt: Redemtionis, quia mortis & victimæ filij ſunt participes: & promiſsionis, quia Deus qui mentiri nequit, omnibus in Chriſtum credētibus promiſerat ſalutē. Ita enim ſcriptum eſt:

Sic

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Porrò credentes de vita æterna ſecuros faciunt tria: Charitas adoptionis, de qua Rom.3.& 8.& Iohan.3. Veritas promiſsionis. Sunt enim omnes promiſsiones Dei ratæ ac firmæ in Chriſto Ieſu. Et facultas reddendi promiſſum. Eſt enim Deus omnipotens qui omnia quæ vult in cœlo & in terra facit. Præterea tria ſunt quibus pij ab impijs diſcernuntur. Electio apud Deum, quæ in Chriſto fundatur, extra quem de electione ne quidem cogitandum eſt. Dilectio vitæque innocentia apud homines. Eſt enim hæc germanus fidei fructus. Fides vnumquemque apud ſe. Eſt enim fides donum & teſtimonium Spiritus ſancti, quod hic reddit ſpiritui noſtro, vt indubitanter Euangelio aſſentiamur, & ex hoc credamus nobis peccata propter Chriſtum condonari, & vitam æternam donari.

In ſanctificatione ſpiritus & fide veritatis.

Coniungit cum electione ſanctificationem ſpiritus & fidem veritatis. & quia veritatis fides (hoc eſt ſolida & ſincera) non niſi ex ſanctimonia vitæ nobis innoteſcit, priori loco ſanctificationem ſpiritus, hoc eſt ſpiritualem, quam Spiritus ſanctus per regenerationis gratiam in credentibus operatur, ponit, vt ex proprio effectu tanquam certiſsimo indicio fidem oſtendat. Hinc igitur diſcamus ſanctificationem ſpiritus non ſeparandam eſſe ab electione, ſed neceſſario ex fide manare.

Quo vocauit vos per Euangeliũ noſtrum in poſſeſſionem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Ratio cur ſanctimonia vitæ veræ fidei adeſſe debeat. eo enim vocamur per Euangelium, vt vitæ innocentia profeſsioni reſpondeat. Addit pręterea finem ſanctimoniæ. cum inquit: in poſſeſsionem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vt alludere videatur ad Pſalm.2. poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Cum igitur pij ſint regis Chriſti glorioſa poſſeſsio, ſecuri ſint aduerſus portas inferorum. Deinde haud decet vt ſe cõtaminent flagitijs, addicentes ſe imperio peccati. Nõ enim iam ſunt ſui iuris, ſed eius cuius ſunt poſſeſsio, precioſo eius ſanguine acquiſita. Poterit & actiue exponi, vt ſit ſenſus: Vt poſsideatis gloriam cõmunem cum Domio noſto Ieſu Chriſto. Huius cõmunis gloriæ cogitatio, vt in omnibus afflictionibus nos conſolari debet, ita quoq; admonere, cũ fidei, tum ſanctimoniæ: ſine quibus ad tantæ gloriæ faſtigium nemo cõſcendere valet. Iam colligamus ea quæ Paulus in præſenti conſolatione coniungit, vt nobis quoque eadem accomodemus, ſed conſecutionis non collocationis ordine ſeruato. Primo loco ponit dilectionẽ Dei, quæ eſt prima noſtrę ſalutis cauſſa. Deinde addit electionem, qua dilectos ordinat, ſed ſciendum eſt vtramque, hoc eſt dilectionem Dei & electionem fundari in Chriſto Ieſu. ne vel de dilectione, vel de electione extra hoc fundamentum cogitemus. Nam qui id facit, nihil præter deſperationem haurire poterit ex prædeſtinationis doctrina. Tertio loco ponit vocationem per Euangelium, quæ eſt electionis diuinæ euidens teſtimonium. Quarto, fidem qua iuſtificamur collocat, Fides enim ex auditu eſt. Quinto, ſanctificationem ſpiritus ponit. Simul enim cum fide datur gratia regenerationis. Sexto, finem addit, nempe, vt ſimus glorioſa poſſeſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu vt vna glorificemur cum Chriſto. Hæc paulo aliter, ſed in eundem ſenſum referuntur ad Roman.8. ſed quo hæc ſpectant? Primum hæc nos excitent ad gratiarum actionem Deo reddendam exemplo Pauli, quod Deus adeo nos in dilecto dilexerit. Deinde ad amorem verbi Dei, quod eſt organum quo Deus ſuam dilectionem nobis communicat. Tum commendent hæc nobis fidem, innocentiam vitæ, & patientiam in præſentibus ærumnis. In omnibus enim malis huius mundi reſpiciamus ad ſcopũ, & nos ſuſtentemus fiducia futuræ gloriæ per Ieſum Chriſtum: de electione plena inſtructio legatur in annotationibus noſtris in Epiſtolam ad Epheſios cap.1.

Proinde fratres ſtate.

Exhortatio eſt ad conſtantiam. ſolent enim Prophetæ & Apoſtoli admiſcere doctrinæ conſolationes & exhortationes, item minas & querelas: vt doctrinam auditoribus, ſeu lectoribus accommodent. State, id eſt, firmi eſtote & ſtabiles, ne dimoueamini à doctrina veritatis, fide & conſtantia vllis perſecutionibus, aut hoſtium inſultibus.

Tenete traditiones quas didiciſtis vel per ſermonem, vel per Epiſtolam noſtram.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Commendat Theſſalonicenſibus doctrinam, quam antea à ſe didicerant, cum per prę-dicationē præſentis, tum per Epiſtolam abſentis. Papiſtę ex hoc loco ſuarum traditionum patrocinium petunt, ſed fruſtra. Perperam enim definiunt traditionis vocabulū, dum hac voce ſolummodo ſignificari leges putant, quas Epiſcopi & prælati Eccleſiæ Dei præter verbum Dei obtrudunt. Verū Apoſtolis & ſanctis patribus alius eſt huius vocis vſus. Illi enim generalius hoc vocabulum accipiūt, vt Dei, & hominum doctrinam cōplectatur. Paulus 1. Corinth. 15. Tradidi vobis in primis, quod & accepi, quod Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas. Et 1. Corinth. 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quod Ieſus Chriſtus in ea nocte qua traditus eſt, accepit panē, &c. Matth. 15. Cur diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Ex hiſce tribus teſtimonijs triplicem traditionē eſſe cōcludo. Primam doctrinæ, mediam diuinarum cæremoniarum, vltimam rituum humanorum. Traditio doctrinę eſt legis & Euangelij, & aliorū locorum, qui cum illis cōiuncti ſunt. Traditio cæremoniarum diuinarum, eſt baptiſmi & cœnæ dominicæ in nouo Teſtamento. Traditiones enim veteris populi abolitæ ſunt. Traditio rituū humanorum cōtinet canones varios, cum de cæremonijs, tum de diſciplina cleri & populi. Irenæus lib. 3. ſæpe traditionis vocabulo vtitur pro doctrina, quam Apoſtoli acceptam à Domino tradiderant auditoribus ſuis, adeo vt ipſum Apoſtolicū Symbolum ab illo autore dicatur traditio Apoſtolorum. poterit & alia traditionum diuiſio dari, vt alia ſit diuina, alia humana, & vtraq; duplex, nempe doctrinæ & rituum. Sed diligenter cauendum eſt, ne traditionibus diuinis admiſceamus humanas. Eſt enim maximum inter eas diſcrimen. Diuinæ enim traditiones nos obligant autoritate Dei ad perpetuam obœdientiam. Humanæ autē libertati Chriſtianæ cedūt. Præterea nō eſt eadem ratio humanarum traditionū. Quædam enim aperte pugnant cum verbo Dei, & abducunt à Chriſto. Vt ſunt inuocatio Sanctorū, Miſſarum prophanatio, idolorum immolatio, nugamentum purgatorij, indulgentiarum abominatio, & multarum cæremoniarum inepta congeries. Huiuſmodi omnibus pijs fugiendæ & deteſtandæ ſunt, iuxta præceptum Domini, Cauete à falſis Prophetis. Itē, cauete à fermento Phariſæorum. Quædam ſunt piæ & honeſtæ, in hoc à ſenatu Eccleſiæ inſtitutæ, vt nihil fiat inordinate & tumultuarie, ſed pie ac prudenter, tanquam in conſpectu Dei & Angelorum: vt ordo & decorum, iuxta cōſilium Pauli, ſeruetur. Ordinis quidem eſt, vt præſidentes habeant ſuæ adminiſtrationis regulam, vt auditores aſſuefiant ad obœdiētiam & diſciplinam, vt bene cōpoſito Eccleſiæ ſtatu, paci ac tranquillitati conſulatur. Decori vero eſt, vt excitemur ad pietatē illis adminiculis, vt modeſtia & grauitas in pietatis tractatiōe eluceant. Verū in his diligenter caueantur tria. Primum, ne ad ſalutē credantur neceſſariæ. Secundum, ne conſcientiæ inijciantur laquei. Tertium, ne pro cultu Dei habeantur. Porrò quia integra tractatio de traditionibus humanis in Locis Philippi habetur, nō opus eſt hic plura de traditionibus adijcere. ſed tantum vnum argumentum aduerſariorum attingam. Apoſtoli Actor. 15. pręcipiunt gentibus vt abſtineant ab idolothytis, ſuffocato & ſanguine. Hinc Romanenſes duo concludunt. Primum quod ipſis & Apoſtolorum ſucceſſoribus liceat traditiones cōdere. Alterum quod populus ipſis obœdientiam in traditionibus debeat. Verum illud Apoſtolorum concilium nequaquam patrocinatur Papiſtis. Huius enim concilij primum caput fuit, relinquendam eſſe gentibus ſuam libertatem. Deinde ſequitur æterna lex Dei, de non violanda charitate. Quare admonent gentes ne ſua libertate abutantur in offenſionem infirmorum fratrum, atque hæc quoque lex æterna eſt. Hanc nunc accommodant Apoſtoli ad præſentia tēpora, & homines in hanc ſententiam. Præceptum Domini eſt, ne fratres infirmos lædatis. ſed fratres infirmi læduntur, ſi idolothytis & ſuffocato & ſanguine veſcamini. edicimus igitur vobis in verbo Domini, ne cum ſcandalo manducetis. Ex his puto intelligi non ſolum quid de traditionibus ſentiendum ſit: Verumetiam quomodo importunis aduerſariorum obiectamentis ſit obuiandum.

Ipſe autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus & Deus & pater noſter qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, conſoletur corda veſtra, & confirmet vos in omni ſermone & opere bono.

Hæc poſtrema huius capitis pars eſt. quæ vt ſupra in indicatione ordinis admonui, continet votum & precationem pro Theſſalonicēſibus, Nimirum vt Deus ipſos conſoletur ac confirmet in omni ſermone & opere bono. Hoc eſt, vt pleno verbi Dei intellectu inſtructi, fructum edant cogniti verbi in omni opere bono. Cæterum diligenter obſeruetur ordo verborum Pauli. Primo loco Chriſtum ponit, per quem ad patrem habemus acceſſum. Rom. 5. & Epheſ. 3.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Qui enim ſine Chriſto mediatore in conſpectum maieſtatis prodeunt, ſuæ temeritatis pœnas luent. Et vt fidei admoneat nos, vocat ipſum noſtrum Dominum, vt quem fide poſsideamus victorem Satanæ ac donatorem vitæ æternæ. Deinde addit, & Deus, qua voce nos admonet maieſtatis diuinæ, & omnipotentiæ: vnde fides ſolatium accipiet aduerſus omnium hoſtium potentiam & conſilia. Præterea ſubdit, & pater, vt non ſolum omnipotentia diuina, verumetiam affectus paternus veniat nobis in mentem. Quare hæc tria ſimul cogitemus, acceſſum nobis patere ad Deum per Chriſtum fide: potentiam Dei, qua poteſt nos liberare: & affectum paternum, quo nos vt filios in dilecto complectitur. Deinde à priori beneficio confirmationem petit, inquiens: Qui dilexit nos & dedit conſolationem æternam per verbum Euangelij, continuando, ſcilicet, ſua erga nos beneficia, & ſpē bonam in gratia, id eſt, gratuitam, nullo noſtro labore partam, nimirum de ęterna gloria poſsidenda per Chriſtum, modo in eum firma fiducia recubuerimus. Hæc inchoatio beneficiorum Dei euidens teſtimonium eſt miſericordiæ. Vult igitur inchoatum beneficium perficere, vnde ſequitur quod renati poſsint retinere dona, cum ſe petunt iuuari iuxta dictum, Lucæ cap. 11. Quanto magis pater cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus. Obſeruetur quoque hic teſtimonium de diuinitate Chriſti, & quod ſit diſtincta perſona à patre, æqualiſq; potentiæ, & maieſtatis cum patre. Nam cum Paulus Chriſtum inuocat, ſtatuit eum vbiq; præſentem & exaudientem inuocantes, quod ſanè proprium eſt diuinæ naturæ. Et cum diſtincte ponit Chriſtum & patrem, perſonarum diſtinctionem agnoſcit. præterea quia hic filij nomen priori loco, & patris perſona poſteriori, & alias in ſcriptura vt in verbis baptiſmi, patris perſona præcedit, intelligatur potentiæ & maieſtatis æqualitas.

CAPVT III.

Summa tertij Capitis.

Pro curſu Euangelij & pro ſe orari petit conſolans Theſſalonicenſes & orans pro ipſis, præcipit vt fugiant ordinis deſertores, vt ipſi ſuum exemplum imitando quæ decent agant. vtque placide tanquam fratres admoneant delinquentes, quo in viam redeant.

Ordo & partes Capitis tertij.

Hoc caput paræneticum eſt, & continet varias & vtiles admonitiones, quod in ſex partes licet diſtinguere. Primum enim hortatur pro curſu Euangelij & pro ſe fieri preces, Deinde conſolatur eos, erigit aduerſus defectionis periculum. Tertio loco precatur pro ipſis. Quarto, hortatur ne commiſceantur cum inordinate ambulantibus, ſed ſe potius exemplum vitæ imitentur. Quinto, hortatur ad laborem & alia officia. Sexto, Quomodo cum delinquentibus agendum ſit monet. Poſt hæc ſuo more claudit Epiſtolam.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVOD reliquum eſt orate fratres pro nobis, vt ſermo Domini currat & glorificetur, quemadmodum & apud vos, & vt liberemur ab importunis & malignis hominibus.

Hæc prima huius capitis pars eſt, continens hortationem, in qua Paulus hortatur Theſſalonicenſes, vt pro ſe orent, & addit huius ſuæ exhortationis duas cauſſas. Vnam quidem vt ſermo Dei currat (hoc eſt propagetur & ſpargatur paſsim per orbē) & glorificetur (hoc eſt fructum ferat in auditoribus, vt Deum ex fide glorificent.) Poſteriorem vero, vt ipſe Paulus liberetur ab importunitate & malicia hominum, cum Iudæorum Iudaiſmum miſcentiū cum Euangelio, tum aliorū prophanorum hominum, qui omnia in quæſtioné vocarunt, vt hac ratione doctrinam Euangelij vel perturbarét vel malicioſe extinguerent. Ex hoc loco tria diſcamus. Primum, neminē eo progreſſum eſſe in pietate, qui non opus habeat cōmunibus Eccleſiæ precibus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

precibus. Quare admoniti exemplo Pauli magnifaciamus Eccleſiæ preces, eaſque pro nobis fieri exoptemus. Deinde, commune piorum officium eſſe precari, vt Euangelium late ſpargatur, ac fructum ferat: Idque cum vt Deus glorificetur, tum vt multi nobiſcum cœleſtis hæreditatis, deſtructo regno diaboli fiant participes. Tertium, cauendos eſſe homines importunos & malignos, ne illorum intempeſtiuis quæſtionibus illaqueati, à recto veritatis curſu deflectamus. Eſt enim humanum cor, vt inquit Nazianzenus, veluti arida ſtipula, quæ ſcintillis errorum facile inflammatur, ſed difficile rurſus extinguitur.

Non enim omnium eſt fides.

Ratio per querelam, quaſi dicat, multi ſunt quidem qui fidem iactát, & de fide importune diſputant, ſed pauci ſunt, qui vere credunt. Explicat igitur hiſce verbis Paulus quoſnam ſupra importunos & malignos vocat, nempe eos, qui fidem ſimulát, & interim fidei hoſtes ſe vita & curioſis quæſtionibus declarant. Oratio mutata in concretum clarior eſt. Non omnium eſt fides, id eſt, non omnes ſunt fideles. Haud enim raro abſtracta Hebraica conſuetudine pro concretis ponuntur.

Fidelis autem eſt Dominus, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à malo.

Hæc conſolatio eſt ſecunda huius capitis pars, qua erigit Theſſalonicenſes aduerſus defectionis periculum, quod tum videbatur imminere ab ijs qui importune & maligne quæſtiones inutiles mouebant. Obſerua autem hic argumentum Pauli ſumtum à fide Dei: quod in hunc modum complere licebit. Deus ſtat promiſsis. eſt enim fidelis. Deus vocauit vos per gratiam, & adoptauit in filios. Igitur vobis, vt ſuis filijs, aderit confirmaturus vos, ne malignus ille ſuis technis vos ſubruat. Cæterum nobis vigilandum & orandum eſt, ne noſtra oſcitantia & iniuria accerſamus nobis periculum, atque hoc eſt quod ſubiungit his verbis.

Confidimus autem in Domino de vobis, quod quæ præcepimus vobis & facitis, & facietis.

Quaſi dicat, non dubito quin extra omne periculum ſitis futuri, modo ijs quæ per prædicationem Euangelij didiciſtis adhæſeritis, veram pietatem per omnem vitam meditantes. Hic videmus, quod in ſalute hominis comparanda voluntas humana nō ſit mere paſsiua, vt ſtatua, ſed quod ſimul requiratur voluntas noſtra adiuta à Spiritu ſancto: quæ ſi Spiritui ſancto ſe oppoſuerit, fidem abijcit & certam damnationē ſibi accerſit. Vera eſt enim ſententia Nazianzeni, θεὸς γὰρ οὐκ ἄκοντα σαώσει βίᾳ, id eſt, Deus non inuitum violenter ſaluabit. Relinquamus igitur phantaſias ſtoicas, ac pietatis exercitijs, aſsidue pugnando aduerſus carnem, inuigilemus.

Ipſe enim Dominus dirigat veſtra corda in dilectionem Dei, & in expectationem Chriſti.

Hic tertio loco precatur pro Theſſalonicenſibus, ac ſimul duo docet. primum quod Dominus ipſe dum inuocatur à nobis, manum adhibere, & noſtræ infirmitati ſuccurrere velit, dato ſuo Spiritu ſancto, quo dirigantur corda noſtra recte in ſalutis curſu. Deinde docet quonā omnia noſtra ſtudia & omnes conatus noſtros referre nos oporteat, nimirum ad dilectionem Dei, qua ea quæ illi placita ſunt in hac vita facere ſtudeamus, & ad expectationem Chriſti, qui adueniet iudicaturus orbem. Quemadmodum autem dilectio Dei facit, vt in hac vita ſtudeamus DEO per omnia placere: Ita expectatio Chriſti nos in omnibus afflictionibus conſolabitur, ne fracti impatientia confeſsionem abijciamus. In tota igitur vita ad dilectionem Dei actiones noſtras referamus: in cruce ac aduerſitatibus expectatione Chriſti liberatoris nos ſuſtentemus.

Porrò præcipimus vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubducatis vos ab omni fratre inordinate ambulante & non ſecundum traditionem, quam accepit à nobis.

Hæc quarta præſentis capitis pars eſt, quæ eo pertinet, vt fugiamus occaſiones peccati. Nihil enim magis procliue eſt, quā malo ſodalitio corrumpi, iuxta dictum: Corrumpunt bonos mores ὁμιλίαι κακαὶ, id eſt, ſodalitia & colloquia praua. Item, qui tetigerit picem inquinabitur ab ea. Huc pertinet etiam gnomicum Theognidis dictum,

ἐσθλῶν

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι ἢν, ἢ κακοῖσι συμμιχθῇς, ἀπολεῖς τὸν δὲ παρόντα νόον. Ita hic Paulus vult, vt fugiamus inordinatos fratres: Nõ ita ſane, quin eos moneamus ſui officij, & obiurgemus ex dilectione, quo redeant in viam, ſed ne conuerſemur cum illis familiariter, vnde aliqua labes in nos quoq; aſpergi poſsit. Sed quos vocat inordinatos? Hos ipſe Paulus definit eſſe, qui iuxta traditionẽ à ſe acceptam nõ viuunt. Traditio autem Pauli doctrinæ fidei & morum eſt. hos ergo vult caueri vt inordinate ambulantes, qui vel contra doctrinã inutiles mouent quæſtiones, vel qui fidei vani potius iactatores ſunt, quã ſinceri amatores, vel qui morũ improbitate alijs ſunt ſcandalo. Qui enim tales ſunt, fratres & Chriſtiani dici quidẽ volunt, ſed quia Deum factis negant, abominabiles ſunt, iuxta dictũ Pauli ad Titum 1. Deum inquit cõfitentur ſe ſcire, at operibus negant, cum ſint abominabiles & contumaces ad omne opus bonum reprobi. Hoc loco abutuntur Phanatici quidam, qui non putant in vllo cœtu veram eſſe Eccleſiam, veramq; ſacramentorum adminiſtrationem, in quo aliqui ſunt impij & prophani homines. Vnde ſequitur magna abſurditas, nẽpe quod in familia Adã non fuerit vera Eccleſia, Quia ibi Cain impius delituit. Nec in familia Noë, quia impium Cham ſecum in arca habuit: Imo nec in Chriſti ſocietate & in extrema cœna in qua Iudas proditor cõuiua aderat. Breuiter nullus eſt cœtus in mũdo, nec fuit, in quo aliqui nõ ſunt admixti mali. Proinde iſtos phanaticos fugiamus qui fingunt nobis Eccleſiã, quemadmodum Plato perfectã politiam, quæ apud Ideas ipſius adhuc deliteſcit, nec vnquam in lucem prodibit. Deinde & in hoc errant, quod exiſtiment Paulum hoc loco de excõmunicatione agere. tantũ enim de ea ſegregatione ſeu ſubductione loquitur, quæ in noſtra manu & arbitrio poſita eſt. Eſt enim hoc in noſtra manu ſubducere nos à familiari improborũ conuictu & conuerſatione. At nõ liberum eſt nobis, modo veri Chriſtiani eſſe velimus, à publico cœtu Eccleſiæ nos ſubducere. Eſt enim æternũ Dei mandatũ, vt oues Chriſti vocem ſui paſtoris audiant, ac miniſterio verbi debitã præſtent obœdientiam. Proinde ſciant infirmi abſtinendum eſſe à flagitioſis & inordinatis, quantum ad priuatã conuerſationem attinet, non quantum ad Eccleſiæ communicationẽ, niſi cenſura Eccleſiæ fuerint excommunicati. Quocirca conſilium Auguſtini ſequamur (qui inquit) miſericorditer corripiet homo quod poteſt, quod autẽ non poteſt patienter ferat, & cũ dilectione gemat ac lugeat.

Ipſi enim ſcitis quomodo oporteat imitari nos, quod non inordinate viximus inter vos, neque gratis panem comedimus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione nocte ac die laborantes, ne grauaremus aliquem veſtrum.

Loco rationis ſuum exemplũ proponit, docet enim, vt bonus doctor, non ſolum præcepta vitæ, ac normam morum verbis præſcribit diſcipulis & auditoribus, verumetiã ſe ipſum exẽplar ſtatuit, quo præceptis & exẽplis ſimul erudiantur diſcipuli. Qui enim pie docent & male viuunt, non ſolum moribus deſtruunt quod doctrina ædificant, verumetiã ſibijpſis & alijs duces ſunt ad exitium. Quapropter Menandrum recte dixiſſe exiſtimo cum inquit: Mores dicentis, non ſermones perſuadent. Diſcant igitur ex hoc loco docentes cum in ſcholis, tum in templis ſe ſpeculum doctrinæ exhibere diſcipulis, ſuiſq; moribus quod docent exprimere. Sed quomodo vult Paulus Theſſalonicenſes ſe imitari? Non inordinate viuendo, & quia potiſsimum hæc admonitio pertinet ad fucos ocij amatores & laboris vocationis deſertores, Argumẽtum proponit à maiore ad minus hoc pacto: Ego Paulus qui veſter doctor ſum, non comedo panem alicuius gratis, imo laboro manibus pro victu, tametſi iure poſsim à vobis laboris mercedem petere. Multo minus alij deberent ex alieno viuere & ocium ſectari. Sed quid dicemus? Num Paulus hic miniſtris verbi & alijs Chriſtianis generalem regulam præſcribit? An non iuxta dictum Domini dignus eſt mercenarius mercede ſua? Ob eruanda eſt temporis circumſtãtia. Paulus prædicauerat Euangelium Theſſalonicenſibus, quos primus Chriſto adduxit. Iam ſi quod permiſſum à Domino eſt ſtipẽdium laboris petijſſet, non defuiſſent Sycophantæ, qui dixiſſent Paulum ventris curam habere potius quam ſalutis hominum. Quare prudenter & pie abſtinet à ſuo iure, ne quid impiorũ calumniæ noceant ſuo miniſterio. Quod ſane exemplũ omnibus pijs miniſtris eſt imitãdum, nimirum vt ante omnia gloriam Dei & ſalutem animarum quærant, ſuis commodis ſæpe neglectis.

Non quod habeamus poteſtatem, ſed vt nos ipſos Typum daremus vobis vt imitaremini nos.

Hæc valde neceſſaria eſt præoccupatio qua anteuertit eorum obiectionem, qui ab exemplo Pauli regulam generalem erant facturi: Nimirum

vt omnes verbi miniſtri gratis docerent, ac de ſuo proprio labore viuerent exemplo Pauli. Sed Paulus diſtinguit inter ius & factum. Ius ſe habuiſſe dicit accipiendi ſtipendiũ & mercedem pro ſuo labore. Quemadmodum copioſius docet 1. Corinth. 9. Et ego ſupra pluribus oſtendi, 1. ad Theſſal. 2. ſed à facto ſe abſtinuiſſe tantum dicit, idq; ideo, vt malignis hominibus omnem calumniandi, & ſiniſtre de ſe ſuſpicandi occaſionem amputaret: Attamen Paulus dicit ſe hoc feciſſe quo alijs daret exemplum, quod imitaretur. Fateor id quidem. omnes enim miniſtros verbi decet factum Pauli imitari, quantum quidem ad genus facti attinet, videlicet, ne impediant curſum Euangelij importuna ſui iuris vſurpatione, neue vllam quãtum in ſe eſt malignis hominibus occaſionem calumniæ præbeant. Caueant igitur pro viribus pij verbi miniſtri, ne quid faciant, quod doctrinæ Euangelicæ inuidiam cõciliare poſsit, diſcantq; omnia ferre, ne quod ſcandalum dent Euangelio Chriſti.

Etenim quando eramus apud vos hoc pręcipiebamus vobis, quod ſi quis non vult operari, neque edat.

Iuſtiſsima ſane regula: Sed cuius charitas ἐπιείκειαν & moderationem nouit. Neque enim hac regula excuſaueris te, ſi indigẽtem proximũ in ſua neceſsitate nõ ſubleuaueris. Quare recte iuxta præſentis loci periſtaſin intelligenda eſt, hoc pacto: Si quis non laborat, id eſt, ſi validus & fortis ocium ſectatur, vt ex alieno viuat, prætextu religionis, is non edat, hoc eſt, Sinẽdus eſt tantiſper donec fame coactus laborare pro victu incipiat. Vult igitur hæc Pauli regula, vt inter validos & infirmos diſcernam⁹. Illi enim compellendi ſunt vel duriſsimo telo fame, vt honeſto labore ſibi victum quærant: Hi iuuandi & fouendi ſunt, vt Chriſti membra & cohæredes vitæ æternæ. Porrò ſi quis ex hoc Pauli loco contendere velit manuariũ laborẽ omnibus præcipi, περίστασις textus eum confutat. Loquitur enim hic Paulus, vt antea admonui, de ocioſis hominibus qui nihil boni in cõmune contulerunt, ſed ex alieno iners ſectantes ociũ vixerunt. At Geneſ. 3. dicitur. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Reſpondeo, non eſſe præceptum ſed irrogationem pœnæ, quam more ſcripturæ notat ſpeciei vocabulo. Per laborem enim omnes ærumnas & calamitates impoſitas generi humano ꝓpter peccatũ intelligit: quæ ſane calamitates, tametſi cõmunes ſunt toti generi humano, non tamen æqua menſura ſingulis mẽbris imponuntur, ſed ſingulis partitur Dominus certã menſuram, & mitigat in ijs, qui ſe ex fide inuocãt.

Audiuimus enim quoſdam ambulantes inordinate, nihil operis facientes ſed curioſe agentes.

Iam proximæ præcedentis exhortationis occaſionem attingit. Audiuerat enim quoſdam ociũ ſectari, & religionis prætextu ex alieno viuere. hos contra ordinem facere aſſerit, vt qui non ſolum ocium captent nihil agendo, verũ etiam ex ocio agere male diſcant, iuxta vulgare dictum: Homines nihil agendo, male agere diſcunt.

Huiuſmodi præcipimus & hortamur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt cum quiete operantes ſuum panem comedant.

Conatur reuocare in viam inordinate ambulantes. diligenter autem obſeruanda eſt obteſtationis formula, qua eos obteſtatur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quo initium ſecundi capitis ad Philippenſes referatur. Si qua igitur cõſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatiũ dilectionis, ſi qua communio ſpiritus, ſi qua viſcera & miſerationes, implete meum gaudiũ, &c. QVIBS cuius hic meminit, curioſitati malignæ opponitur, Quemadmodum oſtendi ſupra capite quarto prioris Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes. Vult igitur Paulus, vt ocioſi curioſitatem & inertiam fugiant, ac ſe honeſto ſuſtentent labore. Proinde vt cõmendatur hic omnibus Chriſtianis modeſta quies cum proprio labore: Ita econtra prohibetur maligna curioſitas. Quod hic ſine addito operantes dicitur, in priori Epiſtola exponitur, cum additur propria: vt quilibet Chriſtianus in ſua vocatione ſit ſedulus ac fidelis. Nempe vt ſuum panem comedat honeſto labore partum. Idem vult Dominus cum præcipit orare: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Vult enim vt noſtro labore viuamus, ita tamen, vt benedictionem omnem à Domino eſſe agnoſcamus.

Vos autem fratres ne defatigemini facientes bene.

Inordinatos admonuit, nunc autẽ pios hortatur, vt in curſu ſine defatigatione contendant. Verbũ græcum ἐκκακῶντ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ἐκκακήσητε ſignificantius eſt. Nam ſignificat proprie in aliqua re ſeu actione reddi remiſsiorem, ſeu deteriorem, vt ſi quis certas actiones ſibi quotidie obeundas præſcriberet, & in eis paulatim deficeret quaſi pertæſus laboris. Vnde vetus interpres & Ambroſius reddiderũt, nolite deficere benefaciendo. Athanaſius putat prolepſin eſſe, qua occurrit Paulus ijs quæ ex ſuperiori dicto (panem ſuum comedant) ſumerent occaſionem, nihil in vſum proximorum indigentium conferendi, quos dicit Paulum reuocare ad commune officium, nimirum quod non inde debeant ſumere occaſionem defatigationis in prçſtandis proximo officijs ex charitate. Verum Paulus videtur generalius loqui. Nempe de omnibus pietatis exercitijs, vt hoc membrum opponatur inordinationi in genere, quam reprehendit.

At ſi quis non obtemperat ſermoni noſtro, per Epiſtolã hunc indicate, vt ne commercium habeatis cum illo, vt pudore ſuffundatur, neque velut inimicum habeatis, ſed admonete vt fratrem.

Hæc ſexta huius capitis pars eſt, in qua docet quomodo agendũ ſit cum inordinate ambulantibus, & pertinet hæc pars ad diſciplinam ſeu iuriſdictionem Eccleſiaſticam. vt autẽ hæc Pauli præceptio vtiliſsima Eccleſiæ intelligatur, apertius analyſin inſtituam, ac in certas partes hanc pericopam diſtribuam, vnde apparebit quomodo ſit cum delinquentibus agendum. Prima igitur particula eſt vt doceantur homines, quid facto ſit opus quidque deceat. Secunda, vt aberrantes ab ordine, à fratribus, quibus ea res innotuit, admoneantur. Tertia, vt admoniti ſed præfracti miniſtris Euangelij declarentur, quo ipſorum proteruia illorum authoritate caſtigetur. Quarta, vt qui miniſtrorum authoritati non cedunt, vitentur ab alijs, & excludantur à cœtu Eccleſiæ. Quinta particula eſt de fine excommunicationis: Nimirum vt lapſus pudore ſuffuſus reſipiſcat tandem, ac reconcilietur Eccleſiæ. Sexta particula eſt de affectu piorum erga fratres errantes & excommunicatos. Nimirum vt non perſequamur illos tanquam hoſtes, ſed vt admoneamus tanquam fratres, quo eos Chriſto lucrifaciamus.

Ipſe autem Dominus pacis det vobis pacem ſemper omni modo, Dominus cum omnibus vobis. Salutatio mea manu Pauli, quod eſt in omni Epiſtola, ita ſcribo: gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis, AMEN.

Iam claudit Epiſtolam ſuo more, idque fauſta imprecatione, optans Theſſalonicenſibus pacem, hoc eſt omnia proſpera ac ſalutaria ac præcipue gratiam Dei, hoc eſt, fauorem quo Deus nos complectitur credentes propter filium.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

REVERENDO VIRO, SAPIENTIA, DOCTRINA, AC PIETATE PRÆSTANTI, MAGISTRO NICOLAO NICOLAI CANONICO ROSCHILDENSI DIGNISSIMO, AC CONCIONATORI D. FRIDERICI II. REGIS DANIÆ, &c. FIDELISSIMO, FRATRI SVO GRATIAM ET PACEM PRECATVR

NICOLAVS HEMMINGIVS.

QVANTVM ONVS, VIR ORNATISSIME, QVAM difficile, quamque periculis plenum, ſit miniſterium verbi, & docendi munus in Eccleſia, multi prorſus ignorant: pauci, vt par eſt, minime perpendunt: paucißimi, & recte norunt, & pie iudicant. Multi enim ſunt, qui huius mundi illecebris ineſcati, & cupiditatibus abrepti, omnē prorſus religionis curam abiecerunt: ex quo fit, vt de ſanctiſſimo docendi munere in Eccleſia non ſecus iudicare poſsint, quam cœci de coloribus. in horum numero ſunt non ſolum manifeſti hoſtes Eccleſiæ, verum etiam Eccleſiæ membra quædam ſed mortua: vt ſunt Hypocritæ, Epicuræi, & Sycophantæ, Alaſtores. Pauci tametſi aliquo religionis ſtudio tenentur, & exiguas quaſdam ſpiritus primitias habere videntur: dignitatem tamen miniſterij & oneris grauitatem haud ita vt deberent æſtimant. Satis enim eſſe putant, ſi ſunt qui præſunt ceremonijs ſacris: Si ſunt qui publicas demagorias habeant: Si ſunt qui canant in templis: De alijs ad hoc arduum officium ſpectantibus, nihil aut parum ſoliciti. Paucißimi vtpote vere pij, cum Deum miniſterij verbi autorem agnoſcunt, cum ſcopum & finem recte perpendunt, cum neceſsitatem conſiderant, cum exempla Prophetarum, Apoſtolorum, & multorum Sanctorum intuentur, cum inſidias Diaboli cogitant, cum imbecillitatem hominum, & multiplicem infirmitatem experiuntur, digne de munere docendi in Eccleſia iudicare incipiunt. Hoc cum faciunt, facile animaduertunt nullum in mundo munus vel maius vel difficilius, vel periculoſius eſſe, quam ſuſtinere vicem filij Dei in Eccleſia, atque eam regere doctrina, & graui, vt decet, diſciplina.

Magnitudo muneris docendi in Eccleſia in duobus cernitur, videlicet in deſtructione, & in ædificatione. Vt enim deſtruendum eſt regnum Satanæ, ita ædificandum eſt regnum Dei & Chriſti eius. Quantum autem opus ſit vtrumque, ex his verbis Pauli intelligi poteſt. In carne, inquit, incedentes, ſecundum carnem bella non gerimus. Arma enim militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed Dei poteſtate valida, ad ſubuerſionem munitionum, dum ratiocinationes euertimus, omnemque ſublimitatem, quæ extollitur aduerſus cognitionem DEI, captiuam ducimus omnem cogitationem ad obœdiendum Chriſto. His verbis Apoſtolus ſatis oſtendit, quantæ molis ſit Chriſtianam condere gentem, hoc eſt, deſtruere regnum Satanæ, ac Chriſti regnum ædificare. Quanquam autem facile videtur hoc efficere, ſi ducem belli reſpicimus, & arma, quæ Apoſtolus dicit poteſtate Dei valida eſſe: Tamen nihil

magis

magis arduum eſſe poteſt, quando noſtras conſideramus vires, quibus deſtruendi regni Satanæ & ædificandi regni Chriſti cura demandata eſt. Facile quidem fateor Chriſto duci eſſet, vel vno fulmine regnum Satanæ proſternere, ſi ſua diuina potentia ad hoc vti vellet: Sed quia omnia ordinata creauit, vult etiam ſuam Eccleſiam ordine colligi. Non igitur ſua potentia inuincibili cogit homines, vt à Satana deficiant, ac ſe regem agnoſcant, ſed rem vult agi verbo, in quo Spiritus ſanctus eſt efficax, & miniſterio hominum, quibus demandârat, vt & regnum Satanę verbo inuadant demoliantur què, & regnum ſuum verbo extruant in eorum ſalutem, qui per fidem in illud recipiuntur. Hinc apparet quantus ſit labor vtrumque: hoc eſt, & regnum Satanæ deſtruere, & Chriſti regnum rurſus erigere.

Porrò vbi partem regni Satanæ miniſter Euangelij demolitus fuerit, & regnum Chriſti vtcunque extruxerit, non eſt ſtatim defunctus architecti munere. Nam & Satan perpetuo vt recuperet ſua, ſatagit, ideoque occultas inſidias ſtruit, & ſæpe exploratores, qui fingunt defectionem, in caſtra Chriſti mittit, vt clanculum multorum animos lethalibus ſuis telis vulnerent, ac tandem proſtratos à Chriſto abducant. Tales exploratores ſunt multi, qui Chriſto militare ſe falſo gloriantur: quales ſunt illi, qui vel hæretica doctrina, vel hypocriſi, vel ſycophantijs, vel flagitijs concutiunt regnum Chriſti, & haud paucos furtim trucidant & interimunt. qui has inſidias Satanæ cogitat, qui has proditiones occultas perpendit, facile cogitat magnum ab architecto regni Chriſti requiri laborem & perpetuas excubias, vt internas proditiones deprehendat, & mature ſe machinationibus occultis opponat: ne quod ipſe die extruit, hoc aſtu aduerſarij noctu deſtruatur. Hinc apparet quod hanc diuinam architectonicam nemo feliciter exercere poſſit, niſi qui in ſchola Chriſti diu eſt verſatus, & longa experientia didicit, quibus technis ac cuniculis Eccleſiam Chriſti ſoleat Satan ſubruere. Minus periculi eſſet ſi Satan, qualis eſt, recta ferretur in hoſtem, ſed iam vt eſt verſutiſſimus, interdum ex inſidijs adoritur hoſtem, interdum palam prodit, ſed laruatus. nam Angeli perſonam induit, quo prætextu ſanctitatis multos in ſua caſtra alliciat. Hinc in Eccleſia tot hæreſes emerſerunt, tot luſtra monachorum prodiere, tot votorum genera nata ſunt, tot ſuperſtitiones & ἐθελοθρησκείαι omnibus temporibus extitere. Hinc miſſæ, hinc inuocationes Sanctorum, hinc purgatorium, breuiter infinitæ inſidiæ, prætextu ſanctimoniæ Eccleſiæ Chriſti ſtruuntur: quibus omnibus ſe opponet ſpeculator Eccleſiæ Chriſti, & verbo Dei in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis nobis commendato, tanquam acutiſſimo gladio vtrinque ſecante ſpectra iſta Diabolica inuadet: cauebitque ne Satan ficto ſplendore oculos ſibi faſcinet. Interdum alia via aggreditur & obijcit Eccleſiæ ignominiam crucis, obijcit ſcandala, obijcit pompam ſui regni, obijcit maculas veræ Eccleſiæ. Hic niſi vt miles peritus & fortis ſe oppoſuerit miniſter Euangelij, magnam ruinam Eccleſiæ videbit. Hic proinde opus eſt armis ſpiritualibus, quibus repelli poſſit à caſtris Chriſti Diabolus, qui πόλεμον ἄσπονδον cum Eccleſia gerit. Hic ſi ſpeculator Eccleſiæ ſtertit, Quid eſt ſperandum? imo quid potius non eſt metuendum? Quid ſi vino quotidie madet? Quid ſi ipſius exemplo ciues Eccleſiæ ad omnem intemperantiam & turpitudinem inuitantur? O quam miſera eſt Eccleſia Chriſti, cui talis contingit ſpeculator. Quid quæſo aliud fieri poteſt, quam quod ſcribit Virgilius de Troia capta, inuadunt (inquit) vrbem vino ſomnoque ſepultam? Stant, inquies, muri, quid periculi eſt? muri Eccleſiæ non ſunt lapideæ ſtructuræ, ſed mores ſancti, quales requirit tam ſancta profeſſio. Nam quod Scipio præclare de republica dixit, tunc eſſe rempublicam, hoc eſt, rem populi, cùm bene ac iuſte geritur: Hoc rectiſſime ad Eccleſiam refero, & tum demum eſſe Eccleſiam ſtatuo, cum pijs

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

& ſanctis moribus viuitur, cum ab omnibus alijs, tum præcipue ab ipſis ſpeculatoribus qui Eccleſiæ præſunt, vt eam deſtructo Satanæ regno ædificent, fulciant, conſeruent, tueantur aduerſus velitationes, incurſiones, & oppugnationes Satanæ, qui omnium primum inſidias ponit ſpeculatoribus, vt ipſis captis, reliquos facilius deprędari poſſit. Hinc eſt quod & doctrinam peruertere, & mores corrumpere miniſtrorum Euangelij perpetuo ſtudeat. Alterutrum horum vbi effecerit, viam ſibi fecit & aditum in Eccleſiam. Ex his manifeſtum eſt, eſſe & arduum opus, & difficile, Eccleſiam Chriſti ædificare, & conſeruare. Iam de periculo dicam, quo plane nullum maius eſſe poteſt. Nam ſi quis officium, vt decet, fecerit, corpori & fortunis ipſius metuendum eſt. Sin autem pactum leui violauerit & in officio infidelis fuerit, animæ iacturam faciet. Prophetæ Dei, Apoſtoli & multi ſancti viri acerbiſsima paſsi ſunt ſupplicia. Quare? Quia officio ſuo rite perfuncti ſunt. Contra vero qui difficiliorem officij partem prætererunt, ſecure & in magna gratia hominum vixerunt. Prophetæ Dei non ſunt affecti ſupplicio, quia Moſen enarrarunt, & ad pietatem hortati ſunt homines: nec quia peccata promiſcue taxarunt, ſed quia tenebras condemnarunt, & improbos mores hominum vituperarunt, idque non tantum in vniuerſum, quod ſine periculo fieri potuit, ſed etiam ſingillatim, oſtendendo ſingulis ſua crimina, ac comminando ipſis iram Dei & damnationem. Iohannes fuit in precio apud Herodem aliquandiu. Non oſtendebat tyrannum hac concione, Pœnitentiam agite, appropinquat regnum cœlorum. Sed cum diceret, tu habes vxorem fratris tui, quod tibi non licet, mox in carcerem coniectus eſt, & paulo poſt ad petitionem puellæ obtruncatus capite, atque ita corporis quidem iacturam fecit, ſed animam ſuam ſeruauit. Verum multi proh dolor rationem cum habeant corporis, & aliorum commodorum præſentis vitæ, vt fauoris, diuitiarum, honoris, quietis, & voluptatum, &c. iacturam animæ faciunt ſuæ. Nam ſua ingratiſsima proditione in æternas incurrunt pœnas. Quod ſane mirum non eſt. nam non ſolum fraudulenter faciunt opus Domini, quam ob cauſſam maledictioni iuſte obnoxij ſunt: Verum etiam caſtra Chriſti turpiter hoſtibus aperiunt: tollunt perfide præſidia: recipiunt proditorie hoſtem: accendunt crudeliter ædificia: produnt impie ducem: ſtipendium ſcelerate à Chriſto petunt, cum interea Satanæ maligne militant: à quo tandem ſua militia digna reportabunt opſonia, mortem æternam, & perpetuos cruciatus: atque tum demum ſero intelligent ſe corporalia ſpiritualibus, temporaria æternis, vſuram huius vitæ ſaluti animæ, perperam prætuliſſe. Habemus pericula, quæ miniſtris Euangelij ſunt propoſita, ab vna parte corpus & fortunæ periclitantur: ab altera ſalus animæ agitur. qui vitam amittit propter ſedulo ex fide prȩſtitum officium, eam recipiet. Qui animam perdit, perditus eſt & corpore & anima. Quid igitur faciendum? Miniſter Euangelij pius vtatur hoc mundo tanquam non vtens: poſſideat facultates huius mundi, tanquam non poſſidens: gaudeat ſub pijs & bonis gubernatoribus, tanquam non gaudens: hoc eſt, ſit paratus ad vtrunque. Donec licet pace & quiete, alijſque commodis huius vitæ frui, agat gratias Deo. Verum ſi propter officium pie & fideliter præſtitum fuerit vel fortunis exutus, vel in exilium miſſus, vel morte mulctatus, ſimiliter agat gratias Deo, ferat æquo animo, exemplis ſanctorum, Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum ſe conſolans: ac vitam ſuam deponat apud illum, qui habet poteſtatem vitæ & mortis, & qui poteſt ſaluare & perdere. Hoc præceptum Dominus ſuis Apoſtolis dedit, cum eos emitteret ad oues perditas domus Iſraëlis: Ne timueritis vobis ab his qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare: ſed timete potius eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna. Porrò cum miniſter Euangelij ita affectus eſt, quod velit præ-

ferre

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ferre obœdientiam erga Chriſtum omnibus commodis huius vitæ, quo poſſit ſuo auguſto officio in gloriam Dei, & ſalutē hominum rite perfungi, opus habet certis officij ſui regulis, iuxta quas cum omnia in miniſterio ſuo oportet agere. Has regulas ſuppeditabit lectio Epiſtolarum Pauli ad Timotheum & ad Titum: Siquidem in hiſce Epiſtolis Paulus duplici ratione informat verbi præconem. Nam & regulis, quid fieri oporteat, præſcribit: & in ſuo exemplo, quaſi in tabula, eaſdem regulas pingit: qua profecto ratione docēdi nulla cōmodior, nulla certior eſſe poteſt. Vt autē & ipſe lectorem pium meo labore nonnihil iuuē, miniſtrisq; verbi animū addam, vt faciāt animoſius officium, in deſtructionem quidem regni Satanæ, in ædificationem vero regni Chriſti, commentarios in Epiſtolas Pauli, quas nominaui, & in Epiſtolam eiuſdem autoris ad Philemonem ſcriptam ſub prelum miſi. Hos commentarios ſub tuo nomine ornatiſsime vir, ideo prodire volui, vt & extaret animi mei erga te teſtimonium, & alij tua autoritate inuitarentur ad lectionem harum perbreuium commentationum. Rogo itaque, vt boni æquique hanc qualemcunque animi mei ſignificationem erga te conſulas. Quod ſi feceris, nihil, mihi crede, tuo Nicolao erit gratius. Cupio ſalutari & meo & familiæ noſtræ nomine tuam honeſtiſsimam coniugem Annam, à familia laudatiſsima apud Ripenſes oriundam, vna cum tota familia. Vale in Chriſto frater cariſsime, integer ſpiritu, anima, & corpore. Haffniæ, primo Iunij, Anno Domini 1565.

ARGVMENTVM IN PRIOREM EPISTOLAM PAVLI AD TIMOTHEVM.

HÆC PAVLI EPISTOLA, ET VARIA EST, ET REFERTISſima ſaluberrimis præceptis ad recte conſtituendam rempublicam Chriſtianam ſumme neceſſarijs. Quare non ſolum futuris diuini verbi miniſtris, iiſque qui nunc in officio, ſumme neceſſaria, verumetiam omnibus Eccleſiæ Chriſti ciuibus vtiliſsima cenſenda eſt. PORRO argumenti loco de duabus rebus dicam. Primum, quæ fuerit ſcribendi occaſio. Deinde, quam materiam Paulus potiſsimum tractet: vt ita, & argumentum perſpiciatur facilius, & nobis faciliorem aditum ad explicationem faciamus.

DE OCCASIONE.

Occaſio hæc fuit. Epheſi fuerunt quidam conuerſi ad Chriſtum, ſed doctrinam Euangelij zelo legis Moſaicæ corrumpere additamentis quibuſdam ex lege cœperunt: vnde variæ quæſtiones inter Chriſtianos ortæ, puritatem Euangelij non parum obſcurabant. Vt autem occurrat huic malo Apoſtolus, ſcribit hanc Epiſtolam Timotheo, quem, proficiſcens in Macedoniam, Epheſi reliquit: vt eius Eccleſiæ curam haberet. Tendit proinde Pauli conſilium eo, vt hac inſtructione admoniti, non ſolum Timotheus, verumetiam alij puritatem Euangelij, reiectis omnibus curioſis & inutilibus quæſtionibus, amplectantur. Atque hæc de occaſione & conſilio Pauli.

DE MATERIA.

Materia autem huius Epiſtolæ varia eſt. Nam plurimos Eccleſiaſticos canones ad diſciplinam facientes hic colligit Paulus: quos commendat Timotheo, vt iuxta eos Eccleſiam ſibi commiſſam gubernet. Atque hi canones omnes oriuntur, & extruuntur ex fidei & caritatis præceptis: Et tendunt ad incolumitatem & diſciplinam cum cleri, tum totius populi. Omnium autem primum, præcipuum Epiſcopi munus Timotheo commendat: nempe, vt puram doctrinam conſeruet, eoſque qui aliter docent coarguat. Deinde colligit canones de oratione, quomodo, vbi, & pro quibus orandum ſit: De ſilentio mulierum in publico cœtu, ne ſibi autoritatem docendi ſumant: De Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, de viduis iunioribus, quas vult nubere potius, quam turpiter viuere: de caſtigatione delinquentium: de diuitibus, & vſu diuitiarum. His canonibus aſpergit, vt fieri ſolet, doctrinas, admonitiones, conſolationes &c. vt hoc pacto regulæ auditoribus accommodentur. PORRO, vt & hoc adijciam, videtur Paulus non propter ſolum Timotheum informandum hanc Epiſtolam ſcripſiſſe, ſed etiam propter alios, quibus voluit Paulus hos canones commendatiores eſſe, tanquam à ſe profectos. Atque ita apparet hanc Epiſtolam omnibus pijs vtiliſsimam eſſe, vt quæ non ſolum animum erga Deum, verumetiam mores in Eccleſia componat.

CAPVT I.

Summa Primi Capitis.

Monet quod Timotheum Epheſi reliquerit propter falſos doctores coarguendos: quod vt ſedulo faciat, hortatur: & fine pietatis propoſito, vſum rectum legis oſtendit. & vt extollat miniſterium Euangelij docendi munus, ac ſimul in conſolationem Timothei, gratias agit Deo propter commiſſum ſibi Euangelij finem aduentus Chriſti in carnem monſtrat. Tandem, rurſus gratijs Deo actis, Timotheo officium commendat.

Ordo

Ordo & partes Capitis Primi.

Præter Epigrapham, ſeptem ſunt huius capitis partes, quæ ſibi inuicem aptiſſimo nexu copulantur. Prima pars eſt monitoria, nempe vt Timotheus præcipiat, ne quis aliter doceat, quam ipſe antea docuerat. Secundo, ne alienis & ocioſis quæſtionibus occupentur, oſtendit ſcopum, quo omnia referenda ſunt, nempe ad ipſum præcepti finem, qui eſt dilectio. Tertio, vſum legis per occupationem monſtrat. Quarto, Gratiarum actio additur, quod ſibi miniſterium Euangelij demandatum ſit. Quinto, addit doctrinam Catholicam de cauſſa aduentus Domini in mundum. Sexto, adiungit gratiarum actionem. Septimo, Repetit propoſitionem commendans Timotheo officium.

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti, iuxta delegationem Dei ſaluatoris noſtri, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſpei noſtræ.

Prima Epigraphæ pars eſt, continens autorem Epiſtolæ: in qua parte, & Apoſtolatum ſuum Paulus commendat, & vberrimã conſolationem ipſi Timotheo, adeoque omnibus Euangelium recipientibus, ex proprijs Euangelij beneficijs proponit. Commendatio Apoſtolatus eo pertinet, vt ſciamus non humana eſſe, quæ ab illo afferuntur, ſed diuina. Qui enim legatum, id eſt, Apoſtolum agit, non propria, ſed eius qui ſe miſit, verba proponere ſolet. Quare quæ à Paulo dicuntur, tanquam vox Dei de cœlo ſonans accipienda ſunt. Declarandi gratia addit, Iuxta delegationem Dei, vt intelligatur quod immediate à Deo ad Apoſtolatum ſit vocatus: quemadmodum in Actis Apoſtolicis narratur, & ipſe de ſe teſtis eſt, ad Galat. 1. & 2. Ad conſolationem faciunt Dei & Chriſti Epitheta. Cum Deum patrem & ſaluatorem, Chriſtum Dominum ac ſpem noſtram appellat. Atque ita ſtatim in Epigrapha erigit mentem Timothei, occurrens difficultati vocationis. Ac ſi dicat, Multa quidem dura ferenda ſunt, ſed Chriſtus certa ſpes adeſt. Periclitamur, & inſidijs petimur, ſed habemus ſeruatorem, non hominem, ſed Deum ipſum. Non itaque ſaluator imbecillis eſt, quia eſt Deus. Spes non confundet, quia Chriſtus eſt. Hac conſolatione & nos ſuſtentemus in quocunque tandem periculo.

Timotheo germano filio in fide.

Secunda Epigraphæ pars, in qua nomen eius exponit, ad quem ſcribit. Hunc Timotheum vocat germanum filium in fide. Eſt enim vſitatum in ſacra ſcriptura ex imitatione, & ſimilitudine filios appellare: idq; cum in malam, tum in bonam partem. In malam quidem, vt Ezechielis 16. Pater tuus Amorræus, & Mater tua Hitthæa. Et Iohan. 8. Vos ex patre Diabolo eſtis, & opera patris veſtri facitis. In bonam vero partem, vt hoc loco, & ſæpe alias. Sic gentiles filij Abrahæ dicuntur, cum fidem Abrahæ & innocentiã imitantur. Colligamus hinc duo: Prius, qualiſnam affectus præceptoris erga diſcipulum eſſe debeat. Poſterius, quod boni diſcipuli ſit ſui præceptoris virtutes imitari: Idque non fucate & ſimulate, ſed γνησίως, id eſt, vere ac ſincere.

Gratia, miſericordia, pax à Deo patre noſtro, & Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Salutatio eſt, à proprio Euangelij fructu ſumta: quæ eo pertinet, vt Timotheum conſoletur, ac confirmet. Gratia in ſcriptura ſignificat proprie gratuitam beneuolẽtiam ſeu fauorem, quo Deus nos complectitur propter filiũ. Deinde vſitata ſcripturæ metonymia, quicquid Deus nobis ex gratuito fauore ſeu beneuolentia donat, Gratia dicitur, vt gratuita remiſſio peccatorũ, donatio Spiritus ſancti, & virtutes donatæ, quæcunq; tandem illæ fuerint. Miſericordiæ vocabulum magis affectum Dei erga nos exprimit, & cauſſam fauoris Dei indicat. Pax, proprie in ſcripturis eſt mutuus cõſenſus Dei remittẽtis peccata, acceptantiſq; nos propter filiũ, & fidei hominis accipientis remiſſionẽ peccatorum, ſtatuentiſq; quod Deus non velit damnare nos, ſed propter Chriſtum Mediatorem recipere, vt porrò acceſſum habeamus ad patrem fide. Deinde Metonymικῶς ponitur pro tranquillitate conſcientiæ, adeoq; pro omnibus proſperis, vnde Hebræi ſe mutuo pacis vocabulo ſalutare conſueuerunt: & quærẽtes de incolumitate amicorum abſentium, Num pax illis eſſet, interrogarunt. Cũ addit, à Deo patre

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

patre noſtro,& Ieſu Chriſto Domino noſtro, excludit non ſolum merita humana, verumetiam conſolatur nos, & admonet nos fidei. Si enim Deus pater eſt noſter, certe curam noſtri gerit. Si Chriſtus Dominus, certe in tuto ſumus, qui vera fide illi adhæremus, eumque colimus. Quærit Chryſoſtomus cur in nullis Epiſtolis Pauli additur in ſalutatione vocabulum Miſericordiæ, niſi in ijs, quas ad diſcipulos Timotheũ & Titum ſcripſerat? Ad hanc quæſtionem reſpondet, quod id fiat tùm propter immenſam philoſtorgiam Pauli erga illos, quos in Chriſto genuerat, tum propterea quod qui alijs præſunt in miniſterio verbi propter difficultatem & moleſtias in officio, pluribus egeant conſolationibus. Quare miſericordiæ mentionem facit in conſolationem, vt diſcipuli quoties grauior afflictionum tempeſtas ingruat, ſe promiſsione miſericordiæ Dei conſolentur.

Quemadmodum rogaui te vt remaneres Epheſi, cum proficiſcerer in Macedoniam.

Ecliptica eſt oratio, quæ plena erit, ſi adieceris, Ita facito. Obſerua hic quod Paulus plurimum abſit à faſtuoſo Papæ ſpiritu: qui fulmine anathematis addito, imperioſe Imperatoribus & regibus mundi mandat. Deinde, vt Paulus pietate & virtute conſpicuos blande & paterne monet, Sic præfractos & contumaces ſeuere caſtigat: Ita tamen, vt caſtigatio minime ab amore eius qui caſtigatur, ſeparetur.

Vt denuncies quibuſdam, ne diuerſam ſequantur doctrinam, nec attendant fabulis, & genealogijs, nunquam finiendis, quæ quæſtiones magis præbent, quam ædificationem Dei in fide.

Primus canon hic eſt, vt Epiſcopus inſpiciat, ne diuerſa doctrina à puritate Euangelij doceatur in Eccleſia. Cuius ratio additur à duplici fructu, ſanæ videlicet, & diuerſæ doctrinæ, in hunc modum: Quicquid magis quæſtiones præbet quam ædificat, eſt fugiendum. diuerſa doctrina, & diſcedens à ſolido religionis fundamento, magis quæſtiones præbet quam ædificat. Talis igitur doctrina cauenda eſt. Sit igitur hic canon omnibus Epiſcopis & miniſtris verbi commẽdatus, ne ſinant peregrina doctrina, aut etiam forma docendi inuſitata, corrumpi puritatem Euangelij. Sed quam vocat hic doctrinam diuerſam? Doctrinam diuerſam vocat (quemadmodum ſe ipſe explicat) quæ in fabulis & genealogijs infinitis occupatur. Fabulæ ſunt Paulo garrulitas, & inanis oſtentatio in quærẽdis genealogijs, quas ideo vocat infinitas, quia qui talibus quæſtionibus, nihil ad ædificationẽ facientibus, oblectantur, ex vna in alias incidũt, ſine modo, ac interim omittuntur ea, quæ ad ædificationem neceſſaria ſunt. Vult igitur Paulus hoc canone cautum, ne intempeſtiua & ad pietatem inutilia ſectemur, ſed magis quæ ad ædificationem faciũt. Ex his etiam fere quæſtio ſoluta eſt. diſcernendum eſt enim inter quæſtiones vtiles & inutiles. Quærendæ ſunt tantiſper res vtiles, donec veritas inueniatur, in qua acquieſcendum eſt. Ocioſæ vero quæſtiones prorſus fugiendæ ſunt.

Finis autem præcepti eſt caritas ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ſimulata.

Oſtendit ſcopum, quo omnia Chriſtianorum ſtudia ſunt referenda: ad quem, cum collimant pij, non facile ocioſis & inutilibus quæſtionibus locum dabunt, vnde variæ in doctrina opiniones gignuntur, & hæreſes. Obliuio enim mutuæ caritatis peperit omnes hæreſes. Nam qui fratrem non diligit, eius bonæ exiſtimationi inuidet: qui fratris exiſtimationi inuidet, ſibijpſi gloriam & nomen quærit. Hæc gloriæ cupiditas omnium hæreſium mater eſt. Quare appoſite Paulus canoni de fugienda diuerſa doctrina ſubiungit, caritatẽ, qua quæritur proximi honor, in totius corporis Eccleſiæ ædificationem. Cum itaq; dicit Paulus: Finis præcepti eſt caritas, perinde eſt, ac ſi diceret: Scopus totius Legis, quo omnes noſtræ actiones referendæ ſunt, eſt caritas. vnde recte dicitur: Habe caritatem, & fac quicquid vis. Sed qualis debet illa eſſe caritas? quæ proficiſcitur ex corde puro, cõſcientia bona, (hoc eſt, ſtatuente remiſſum eſſe peccatum, & abijciente propoſitum peccandi) & fide non ſimulata, hoc eſt, ſincera, qua iuxta dictum Petri, præſtamus virtutem, vt non langueſcat fides noſtra, ſed ardeat deſiderio totam vitam Deo approbandi. Sed cur fidem poſtremo loco ponit? Ab effectibus ad cauſſam facit progreſſum. nam ſincera fides conſcientiam bonam parit. Hæc vbi adeſt, cor purum eſſe, minimeque ocioſis affectibus deditum declaratur. Sciamus igitur huc tanquam ad ſcopum noſtra omnia referenda eſſa ſtudia, vt ex fide & timore Dei bonam conſcientiam nacti, ſtudeamus Deo totam vitam noſtram approbare, proximoque ex vera dilectione ſeruire.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

A quibus dum aberrarunt quidam, deflexerunt ad vaniloquium, volentes eſſe legis doctores non intelligentes quid dicunt, neque de quibus confirmant.

Quid damni ſequatur, ex neglecto Legis Dei ſcopo oſtendit: à quo dum aberrant homines, ad vaniloquium, hoc eſt, vt ſupra dixit, ad fabulas & inutiles quæſtiones, ſeu vanas diſputationes, nihil ad ædificationem facientes, deflectunt: Qui dũ ſe Legis doctores eſſe gloriantur, fit, vt nec ipſi quicquã intelligant recte, nec alios quæ certa ſunt docere valeant. Primum hic obſeruemus metaphorã in verbo aberrandi, quæ ſumta eſt à collimantibus ad certum ſcopũ, ſed ab eo aberrantibus inſcitia artis iaculandi. ἀϛοχεῖν enim proprie eſt ſcopum non attingere iaculo ad eum directo. Hinc duo colligamus: vnum, quod deſertũ pietatis ſcopum, ſequatur vaniloquiũ: hoc eſt, excipiat φιλαρχία, quam opinionum varietas comitatur, vt nihil tandem certi relinquatur. Huius rei argumentum clariſsimũ præbet Papatus: in quo, omiſſo ſcopo pietatis, infinita cõmentariorũ moles vaniſsimis nugis referta ſequuta eſt. Vnde nos admoneamur, ne ſcopo deſerto cũ illis ſuperbe impingamus, deflectentes ad inutiles diſputationes. Alterum eſt, vt artem, qua opus ſit ad ſcopum ſine errore petendum, diſcamus: ne aliena pro veris cũ illis, quos hic Paulus arguit, amplectamur ipſi, alijſq; obtrudamus. PETRVS 2. Pet. 1. prophetiam, hoc eſt, ſcripturã à Spiritu ſancto profectam docet, quem eiuſdem optimum quoq; interpretẽ eſſe monet. Hoc quanquam veriſsimum eſt, Tamen quædam ſunt præcepta neceſſaria, quæ interpretis cogitationes dirigent, ne per incuriam à ſcopo veritatis aberret, imprudenterq; ſuam inſcitiam Spiritui ſancto imputet. COLLIGAM itaq; pauca interpretandi præcepta hoc loco, quæ ſpero ſacratiſsimæ Theologię ſtudioſis profutura: ſiue ipſi interpretari, ſiue aliorum interpretationes legere velint. Et quia extra controuerſiam eſt, artiũ dicendi præceptis inſtructũ debere eſſe interpretem, de alijs dicam. PRIMVM igitur ſit præceptum, vt interpres piũ pectus afferat ad ſacrum Dei verbum: quo fiat, vt gloriam Dei, & non ſui ingenij laudem precibus & labore quærat interpres. SECVNDVM præceptum ſit, quod interpreti Rom. 12. commendat Paulus, nimirum vt interpretatio ſit analoga fidei: hoc eſt, vt congruat cum primis religionis axiomatis, & non diſcedat à fundamento, hoc eſt, ab articulis fidei. TERTIVM ſit, quod Petrus tradit 2. Petri 1. vt non ſit priuati impetus, aut ingenij interpretatio, ſed Spiritus ſancti. Vnde monetur interpres, vt non aliunde, quam ex Spiritus ſancti oraculis ſcripturæ clarioribus, petat interpretationem, nec flectat interpretationem ad rationẽ humanã, ſed ſcripturis & oraculis Spiritus ſancti rationem ſubijciat. QVARTVM præceptum ſit de methodo obſcura illuſtrãdi. Poſtquam enim ſuperiora tria pręcepta animo infixa fuerint, obſeruanda eſt Methodus, per quã quæ obſcura ſunt, certa ratione illuſtrari, tanquam lumine aliunde allato poſsint. Tametſi autẽ in methodi diligenti obſeruatione præcipua ſubſidia interpretis poſita eſſe videntur: Tamen illuſtratione obſcuriorũ aliqua diſtinctione peculiari opus eſt, qua communia præcepta ad vſum applicentur. Teneatur igitur hęc prima obſcuritatis diſtinctio: quod aut in verbis aut in rebus ſita ſit omnis obſcuritas. At quæ eſt in verbis obſcuritas? Aut in ſingulis verbis, vt cum de eorũ ſignificatione ambigitur, Aut in compoſitis, hoc eſt, in intellectu ſeu phraſi, exiſtit. Si in verbis ſingulis eſt obſcuritas, illud contingit, aut propter rerum penuriam, vt animalium multa vocabula in Leuitico, aut propter formæ rerum mutationem: vt in veſtibus, ponderibus menſuris, metõa, &c. Aut propter vocis amplitudinem, qua vna vox interdum ex æquo plura ſignificat. Interdum per aliquem tropum, ad ſignificationem impropriam deflectitur. Hic quid faciẽdum eſt? Obſcuritas in primo & ſecundo genere mutuabitur lucem ex antiquitatibus & hiſtorijs rerum deſcriptiones continentibus. In tertio autem genere tria adhibenda ſunt. Periſtaſis loci examinanda eſt, collatio aliorum dictorum clariorum cum præſenti loco inſtituenda. Ratio ex fundamento doctrinæ petenda.

HVIVS methodi exempla vide in loco de Iuſtificatione in Locis Philippi. Vbi quid fides, quid gratia, quid iuſtificatio, exponit. SIN autem obſcuritas eſt in rebus compoſitis phraſis linguæ obſeruanda eſt, & Grammatica conſulenda eius linguæ, qua vel vſus eſt ſcriptor, vel quam imitatus eſt. CÆTERVM ſi in rebus obſcuritas eſt, tria facienda ſunt. Primum analogia fidei, iuxta conſiliũ Pauli, ante oculos habenda eſt: à qua nullo modo ſinat ſe auelli interpres. Hæc enim facit, ne cum fundamento pugnet interpretatio. Deinde textus periſtaſis, & ſcopus orationis ſpectentur, iuxta Hebræorũ regulam: Qui non animaduertit qđ ſupra & infra in ſcripturis ſcribitur, Is peruertit verba Dei viuentis. Tũ accedat collatio, qua textus, cuius ſenſus quæritur, cũ alijs locis cõferatur. Hæc enim collatio plurimũ iuuat interpretem. Atq; hæc de Methodo obſcura explanandi, cui Eccleſiæ purioris teſtimoniũ, ac peritorum Theologorũ accedat exegeſis: in qua tamẽ ſummopere cauendũ eſt, ne quid

propter

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

propter autorum famam aut autoritatem cum fundamento aut fidei regula pugnans, recipiamus.

Scimus autem quod lex bona ſit, Si quis ea legitime vtatur.

Tertia pars præſentis capitis de vſu Legis. Eſtq; prolepſis: qua anteuertit obiectionem illorum, qui legis doctores eſſe voluerunt. Poterant enim iſti ſic obijcere Paulo. An non Lex ab optimo Deo data eſt? Si data à Deo, cur non docenda? Cum non poſsit non eſſe bona Lex, quæ Deum autorē habeat. Sed Paulus reſpondet per cōceſsionem, pronuncians Legem ſimpliciter eſſe bonam, vt quæ ab optimo Deo profecta ſit, ſed vitium eſſe nō in Lege, ſed in ijs, qui Lege perperam vtuntur. Et ſumit argumentum à coniugatis, Nempe quod cum Lex ſit, oporteat ea legitime vti. Diſcernit igitur Paulus inter legem ipſam, & vſum legis. Legem in ſe bonam fatetur, ac eius legitimū vſum approbat, ſignificās legis doctores, omiſſo legis legitimo vſu, eam ad abuſum tranſtuliſſe. Sed quis Lege legitime vtitur, & quis ea abutitur? Reſpondeo: Quia certum eſt omnes leges in vtilitatem eorum proponi, quibus feruntur, Is legitime vti lege dicēdus eſt, qui ea in ſuam vtilitatem ſine errore vtitur. Contra vero ea pernitioſe abutitur, qui inde certum damnum accipit. Proinde is legitime Lege vtitur, Primum qui per eius ducatum, ad Chriſtum venit Legis finem & impletorem. Nam cum Lex arguit peccatum, & requirit puram, perfectam & perpetuam obœdientiam, adeoq; iuſticiam omnibus ſuis numeris abſolutam, & id propter carnis imbecillitatem præſtare non poteſt, mittit ad Chriſtum, qui finis Legis eſt, in iuſticiam omni credenti. Contra autem illegitime Lege vtitur, qui in ea ita hęret, vt ad eius ſcopū nunquā pertingat, in lege fruſtra iuſticiam quærēs. Deinde & is recte Lege vtitur, qui ea, quæ ad tempus data erant, ab his, quæ perpetua ſunt, diſcernit. Circumciſio, ſacrificia, purificationes variæ, adeoq; ceremoniæ omnes & iudicialia data fuerunt, ſed vt cum Republica Moſis finem haberent. Quare Legis doctores iſti, quos hic Paulus taxat, circumciſionem & quædam alia Legis vrgentes & obtrudentes gentibus, quæ fidē acceperant, Lege abuſi ſunt, partim propria inſcitia, partim quoq; malicia, & dominandi libidine. At moralia data ſunt, vt ſint perpetua, ita tamen vt inter doctrinā Legis, & rigorem eiuſdem diſcernatur. Doctrina quidem perpetua eſt viuendi regula, ſed rigor Legis impijs & non pœnitentibus manet, pijs autem & iuſtificatis fide abolitus eſt, iuxta illud Galat. 3. Chriſtus redemit nos à maledictione Legis, fact⁹ pro nobis maledictū. Item, Non eſtis ſub Lege, ſed ſub Gratia. Vbi legis vocabulo non doctrina & obœdientia, ſed rigor ſeu maledictio intelligitur, quod ex antitheſi clare animaduerti poteſt.

Sciens hoc quod iuſto non eſt Lex poſita, ſed iniquis.

Hoc exempli cauſſa addit, vt oſtendat ſe Legis legitimum vſum approbare, docet autem non eundem, ſed longe diuerſiſsimū vſum & vim legis eſſe in iuſtis, & in iniuſtis. Et quanquā toti humano generi lex Dei proponitur, vt oſtēdat quid Deus ab homine requirat: Tamē iuſtis, hoc eſt, fide, accepta remiſsione peccatorū, iuſtificatis aliter quā impijs legem proponi, hac ſententia Paulus cōmonſtrat. Verum, quia Antinomi hoc loco abutuntur, ad tollendam prædicationem Decalogi ab Eccleſia, conabor breuiter Pauli ſententiam ex verbis ipſis, ex periſtaſi loci & antitheſi colligere. Ex verbis hoc modo: Lex iuſto non eſt poſita, in Gręco κεῖται emphaſis eſt, ac ſi dicat Paulus, Lex non premit ſuo iugo, non obruit iuſtum, illi inſtar oneris incumbens, non ſuo rigore condemnat, & pœnis ſubijcit iuſtū. Quod ſane ſpiritualiter & politice intelligendū eſt. Spiritualiter quidem, quia Chriſtus, vt credentes ſua iuſticia à reatu abſoluit & iuſtificat: Ita eoſdem à maledictione Legis liberat, quemadmodum paulo ſuperius oſtenſum eſt: Politice vero, quia Lex non ſtringit gladium, niſi in manifeſtos legis tranſgreſſores, & violatores tranquillitatis politicæ, quales nō ſunt qui fide iuſtificati ſunt, vt qui ſpiritus fructus ſuauiſsimos edant, quos Paulus ad Gal. 5. enumerat, & addit aduerſum huiuſmodi non eſſe legem. Proinde iuſtis Lex non eſt poſita, nec quantum ad iuſtificationem attinet, quia fide iuſtificati ſunt: nec quantum ad maledictionem, quia Chriſti merito à legis maledictione ſunt redemti: nec quantum ad damnationem in foro ciuili, quia diſciplinam non violant, nec humanā ſocietatē turpibus factis perturbant. Cæterum quia ęterna & imōta eſt voluntas Dei, qua requirit dilectionē erga ſe & erga proximum noſtrū, manet lex moralis etiā iuſtis quoad doctrinā attinet, nō tamē premit & obruit iuſtos, quia iuſti Lege oblectantur, conanturq; ad eius præſcriptum mores formare, ſcientes maledictionē legis ſublatam eſſe. Periſtaſis loci hanc noſtram explicationem confirmat. Non enim hic in genere de toto Legis officio loquitur, ſed tantum de diſciplina & carcere, quo

Lex

Lex conſtrictos tenet homines,qui nõdum fide iuſtificati ſunt. Idem adhuc clarius ex collatione patet,cum inquit:Iuſto non eſt Lex poſita,ſed iniquis & inobſequentibus &c. Potiſsimum coarguens craſſos illos legis violatores,qui ſine timore Dei ex vno in aliud ruunt flagitium:His lex poſita eſt,vt quę premat & obruat eos ſuo rigore,ſpiritualiter & politice. Spiritualiter quidem eos maledictioni & æternis pœnis ſubijciendo. Politice vero,cũ gladio magiſtratus & ſupplicijs commeritis eos tradat. Summa igitur huc redit:quod vt lex iniquos ſuo iugo premit,damnatione & pœnis obruit:Ita iuſtos ſuo ductu ad ea præſtanda officia,quæ iam ſpiritus directione præſtare conantur,ducit. Quemadmodum itaq; (vt ſimilitudine Chryſoſtomi vtar) equus ferociens & indomitus freno conſtringitur & cohercetur,iuxta illud,in camo & freno maxillas eorum conſtringito,qui non approximant ad te,ſed domitus equus eodem dirigitur, vt in via iuxta ſeſſoris arbitrium retineatur: Ita impius lege premitur & cohercetur,pius vero inde petit,quæ Dominus à ſe officia requirit.

Sed iniquis, & inobſequentibus, impijs & peccatoribus, irreuerentibus & prophanis, patricidis, & matricidis, homicidis, ſcortatoribus, maſculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris, & ſi quid aliud eſt, quod ſanæ doctrinæ aduerſetur.

Iniuſtorum quædá genera enumerat, vt in quos Lex plenum ius habeat,oſtendat. Non autem ſeruat in his recitandis exactum ordinem, ſed vt occurrebãt ea poſuit, ſignificans forte turpiſsimum eſſe ſcelerum confuſionem,in quib.Legis Dei contemtores, nec ordinem nec modum ſeruãt, ſed ex vno in aliud præcipites feruntur.

Secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod concreditum eſt mihi.

Pugnare legis præuaricatores cum glorioſo Dei Euangelio, quod ſibi commiſſum eſt, meminit, vt oſtẽdat, & ſe Legis doctrinam legitime prædicare, & glorioſum beati Dei Euangelium non pertinere ad eos, qui impuritate vitæ illud dehoneſtant: quod ſane cum gloria Euangelij, & beatitudine Dei pugnat aperte, diſcedat igitur ab iniuſticia quiſquis nominat Ieſum Chriſtum, & de glorioſo eius Euangelio gloriatur.

Et gratiam habeo ei qui potentem me fecit, Chriſto Ieſu Domino noſtro, quod me fidelẽ duxerit, ponens me in miniſteriũ.

Hæc quarta huius capitis pars eſt, in qua, quia paulo antea dixerat ſibi concreditum Euangelium Chriſti, gratias agit Chriſto, qui ſe potentem & idoneum reddidit ad miniſterium adeo ſublime & auguſtum. Hinc duo nos diſcamus: vnum, quod ſemper beneficiorum Dei memores, erumpere nos oporteat in gratiarũ actionem, qua & agnoſcimus, vnde ſit beneficium acceptũ, & gratitudinem noſtram teſtamur erga Deum, qui in nos adeo eſt liberalis ex mera ſua bonitate: Alterum, quod miniſterium verbi vt auguſtiſsimum, ita magis arduum exiſtit, quam vt ad id debite peragendũ vlla ſufficiat humana induſtria, niſi Deus quoq; manum adhibeat. Quare miniſtri verbi, & pietatis doctores vires cum Paulo ab eo petant, qui ſolus nos idoneos & potẽtes reddere poteſt.

Qui prius eram blaſphemus, & perſecutor, & violentus, ſed miſericordiam cõſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.

Vt extollat miſericordiam ac philanthropiam Dei erga ſe, reddatque rationem gratiarum actionis, deſcriptionem ſuæ perſonæ addit, atq; tribus vocibus, ſuam crudelitatem, quam exercuit aduerſus Eccleſiam Chriſti, exprimit. Primum dicit ſe blaſphemum fuiſſe: cuius ſceleris cauſſa iure æternis pœnis erat mancipãdus. Deinde agnoſcit ſe perſecutorem fuiſſe, nempe Eccleſiæ, de qua re Galat. 1. & in Actis cap. 9. copioſe ſcribitur. Tertio ſe violentum fuiſſe fatetur, vt qui ſumma Tyrannide & injuria Chriſtianos oppreſſerit. Hæc merita ſunt Pauli, non cœlo, ſed inferno digna. Sed miſericordiá eſt conſecutus, qua condonata eſt culpa, & donata gratia eſt. Illuſtre ſane miſericordiæ Dei exemplum, quod omnibus ideo proponendum eſt, quia apud Deũ non eſt acceptatio perſonarum. Porrò, quod addit Paulus, Quia ex ignorantia feci, quæſtionem habet adiunctam valde difficilem, nimirum an ſi ſciens feciſſet, non fuiſſet miſericordiá conſecutus. Vt hanc quæſtioné recte ſoluamus, omnium primũ animaduertenda eſt facti Pauli qualitas. Deinde diſtinguenda peccata ſunt, Ná haud obſcure ſignificat Paulus, ſe miſericordiá non fuiſſe conſecutum, ſi vt volens ita ſciens quoq; Euangeliũ Chriſti fuiſſet perſequutus. Pec-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

catum itaq; Pauli non fuit directe contra ſecundā tabulam,ſed contra primam.Chriſtum enim ipſum perſequebatur,quemadmodū in Actis Dominus illi obijcit,dicēs: Saule Saule cur perſequeris me? Proinde peccatū Pauli eſt furor quidam,quo ipſum Chriſtum perſequitur,eiuſq; regnum rabioſe inuadit. Atq; huiuſmodi furor duplex eſt. Aut enim à ſciente,& de veritate conuicto proficiſcitur, qualis fuit Phariſæorum,qui ſe Chriſto oppoſuerūt mera malitia. aut ab ignorante, & nondum de veritate Dei conuicto procedit, qualis eorum eſt,qui zelo quodam præpoſtero, perſequuntur veritatem,quam tamen veritatem eſſe minime norunt,Imo potius mendaciū & blaſphemiā arbitrātur. Tali zelo Paulus perſequitur Eccleſiā Chriſti, quo aboleat & extinguat (vt ipſe quidē putabat) doctrinā Chriſti, quę cum Moſe & lege haud ſtare poſſe videbatur.Hinc ergo ſumamus diſcrimen peccati in primam tabulam.Nam ſi cognita veritate Dei,aliquis ſe Deo opponit ad expugnandā veritatem , peccatū committit in Spiritum ſanctum:ſed ſecus eſt ſi cœco zelo,prætextu pietatis veritatem nondū agnitam perſequitur,quod Paulus ſe feciſſe hic meminit. Simili furore haud dubie multi Papiſtæ hodie Euangeliū oderunt , falſo illud putantes Catholicæ Eccleſiæ contrariū eſſe dogma , tales ex inconſiderato zelo bonum ſimpliciter non reijciunt, ſed quia malū eſſe putant.Huiuſmodi ignorantia nequaquā in totum excuſat, ſed ex parte tantum.Iuxta dictum Domini:Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens,vapulabit plagis multis.Item,Si cœci eſſetis,peccatum non haberetis.

Superabundauit autem gratia Domini noſtri , cum fide & dilectione , quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Amplificat beneficiū à cauſſa, quæ eſt gratia ſuperabundans , & diligenter obſeruandum eſt vocabulum, Superabundauit. Non ſatis viſum eſt dicere abundauit,conſiderans ſuam torpedinem,& excellentiam gratiæ Dei,ſed ſuperabundauit , ſignificans gratiam Dei omnē menſuram excedere. Non enim ſolum remiſit Deus Paulo blaſphemiam , furorem perſequendi Euāgeliū,& violentiam,qua Eccleſiam opprimere videbatur:verum etiam iuſtificauit,adoptauit in filium,hæredem Dei,& cohęredem Chriſti.Quæ quidē beneficia Dei gratuita omnibus pijs cōmunia ſunt.Peculiare vero fuit, quod in Apoſtolum elegerit adeo blaſphemū perſecutorem. Ad huius loci vberiorem explicationem plurimū iuuerit quintum caput Epiſtolæ ad Romanos.In quo collatio peccati & gratiæ inſtituitur. Porrò cum ait,hanc gratiam ſuperabundauiſſe cum fide & dilectione,quę fundantur in Ieſu Chriſto,efficaciam gratiæ exprimit,quæ eſt fides , qua poſsidetur Chriſtus, & dilectio , quæ nouæ vitæ indicium eſt. Refertur enim tota Chriſtianorum vita ad hæc duo capita, vnde innumeræ virtutes, veluti riuuli ex fonte viuo manant. Obſerua igitur fruſtra eum gloriari de gratia,qui fide veraci,ac dilectione vacuus eſt.

Fidelis ſermo & omni approbatione dignus , quod Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere.

Quinta huius capitis pars,de cauſſa aduentus Chriſti in mundum. Et quia beneficium aduentus Chriſti, omnem ſuperat humanam expectationem & ſpem , præfatione vtitur , qua commendat omnibus huius rei magnitudinē & certitudinem : quaque excitat omnes, vt attentæ conſiderent quantum bonorum cœleſtium theſaurum hęc ſententia contineat:Quod Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum,peccatores ſaluos facere. Cæterum in hoc capite noſtræ religionis præcipue pij nouem circumſtantias conſiderent, quæ ſunt:Prima,cauſſa impulſiua aduentus Domini. Secunda,quis quantuſq, ſit qui venit. Tertia,vnde venit. Quarta,quomodo venit. Quinta,quo venit. Sexta, finis aduentus.Septima,ſalutis peractæ per Chriſtum ratio & modus. Octaua,quibuſnam ea ſalus deſtinetur. Nona, ſalutis applicatio. Harum circumſtantiarum explicatio in hoc ſalutis myſterio eſt neceſſaria , nec incognita ſtudioſis eſſe poteſt. Quare eas tantum recenſere , & in certum numerum redigere volui, vt admoneamur,quam varias & multiplices quæſtiones hoc caput in ſe contineat.

Quorum primus ego ſum.

Dixit Chriſtum veniſſe in mundū, ad ſaluandos peccatores, Iam id ſuo exemplo declarat , nec hoc ex humilitate , ſed ex vero peccati ſenſu à Paulo dictum eſſe exiſtimemus. Vnde nos quoq; diſcamus , non extenuare peccata noſtra ex aliorum collatione, ſed potius noſtram fœditatem ſummam vere agnoſcamus,ac confugiamus cum Paulo ad eum,qui ſanguine ſuo peccatores ab omni iniquitate emundat,1.Iohan.1.

Verum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Verum ideo miſericordiam conſequutus ſum, vt in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs, qui credituri eſſent in ipſo in vitam æternam.

Rurſus hypotheſin ad theſin tranſfert, accommodans ſalutem (quam ipſe adeptus eſt ex gratia) omnibus. Obſeruandus in primis hic locus eſt de vſu exemplorum. Vt enim doctrina nobis voluntatem Dei erga homines reuelat: Ita exempla ſanctorum quædam quaſi doctrinæ obſignacula ſunt, Si modo pœnitentiam, fidem & patientiam ſanctorum fuerimus imitati.

Regi autem ſeculorum incorruptibili, inuiſibili, ſoli ſapienti Deo, honor, & gloria in ſecula ſeculorum, AMEN.

Suo more poſt mentionem beneficiorum Dei, erumpit in gratiarum actionem, quo oſtendat pios ſeu conuerſos ad Deum, oportere perpetuo eſſe memores beneficiorum præſtitorum, debereque beneficia Dei prædicare. Præterea his verbis anteuertit curioſitatem humanam, quæ in abyſſum ſapiẽtiæ Dei temere perrumpit, quoties audit Deum recipere in gratiam blaſphemos, & enormibus ſceleribus conſpurcatos, cum alij qui minus videntur peccaſſe, imo qui iuſti ſibi videntur, relinquatur ſuæ cœcitati. Sed Paulus ad ſapientiam Dei, qui ſolus ſapit, nos remittit, & vult vt ſuo exemplo ad Dominum cõuertamur, eique conuerſi gratias agamus. PORRO hoc loco abuſi ſunt Libertini ad tollendam animarum humanarum immortalitatem, vrgent verba Pauli, qui Deum ſolum immortalem, & inuiſibilem, & ſapientem prædicat. Primum illis libenter largior, quod excluſiua particula, ſoli, poſsit iſtis omnibus epithetis recte addi, ſed perpetam tamen eos affirmo deceptos fallacia æquiuocationis, inferentes animas hominum non eſſe immortales. Nam Paulus Deum ſolum ex ſeipſo & propria natura hoc priuilegium habere, vt ſit immortalitatis origo. Verum quod ipſe ex ſe habet, id nobis, ad imaginem ſuam formatis, per gratiam communicat.

Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, iuxta prophetias, quæ de te præceſſerunt, vt milites in ijs militiam bonam.

Septima pars huius capitis, in quã repetit propoſitionem, & commendat Timotheo officium, vt reſpondeat prophetijs, quæ de ipſo, ante delegatum ipſi officium, præceſſerunt. Nam ſancti, vt apparet, viri prophetico ſpiritu de Timotheo ediderant vaticinia, quibus tanquam ſtimulis quibuſdam vult Paulus Timotheum incitari ad præſtandum officium: quod quia arduum eſt, in eoque requiritur acre certamen, comparat illud militiæ honeſtę, in qua ſub vexillis Chriſti ſtrenue pugnandum monet.

Habens fidem & bonam cõſcientiam.

Bonæ militiæ regulam tradit, vt longe vtiliſsimam, ita quoque tutiſsimam, quam qui negligit, vt ignauus, & inermis miles, à duce ſuo relictus, ab aduerſario captiuus & ſuperatus abducitur. Huius regulæ duas partes facit, Fidem & Bonam conſcientiam. Fides eſt, cum firma perſuaſio de omni veritate Dei ſeu verbo Dei, tum fiducia Chriſti, vnde ſpiritualis Dei cultus prodit, Inuocatio, gratiarum actio, timor, patientia &c. Bona conſcientia quatuor veluti fulcris nititur. Primum, fiducia Chriſti, qua ſtatuitur remiſſum eſſe peccatum. Secundo, propoſito peccandi abiecto. Tertio, deſiderio & voto vitam Deo approbandi in poſterum. Quarto, fide & diligentia in officio. Primum ex eo probatur, quod vbi non regnat fides in Chriſtum, ibi peccatum dominium in conſcientiam exercet. Vt igitur fide purificatur conſcientia: Ita eadem veluti fulcro quodam fulcitur ac ſuſtinetur. Secundum ex eo confirmatur, quod qui non abiecit propoſitum peccandi, ſpiritum Chriſti non habeat, qui eſt pignus & arrabo noſtræ hæreditatis. Idem confirmatur Pſalm. 39. Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit ad vanitates & inſanias falſas. Tertium confirmat Paulus inquiens: Qui ſpiritu Dei ducuntur, hi ſunt filij. Item, Si ſpiritu ducemini, non eſtis ſub lege. Poſtremum hac ſententia confirmatur: Si quis ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Fide enim abnegata, conſcientia polluitur, & vaſtatur, atque frena cupiditatibus prauis laxantur. Sit igitur nobis huius ſanctæ militiæ regula cõmendata, ſtudeamuſq; ſinguli, vt noſtram vitam iuxta illam formemus in gloriam Dei, noſtram ipſorum ſalutem, & ædificationem domus Dei, quæ eſt Eccleſia.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quam quidam poſtquam repulerunt, circa fidem naufragium fecerunt.

Amplificat à pœna, in quam incurrunt, qui conſcientiam polluunt, & pulcerrima metaphora pollutæ conſcientiæ malum depingit. Confert enim ciues Eccleſiæ nauigantibus in turbulento ac ſæuo mari, quibus tamen nihil eſt periculi, donec in naui manſerit ſalua. Sic qui ſunt in Eccleſia, donec retinent fidem & bonam cõſcientiam, in ea manent ſecuri, quantumuis turbulentum mare ſæuiat. Verum vbi cõſcientia peccati locum obtinuerit, è naui, hoc eſt, Eccleſia eijciuntur. Faciunt igitur naufragium circa fidem, qui bona conſcientia excidunt, qui polluta conſcientia ſe totos prauitati mancipant, ac ſua negligentia promerentur, vt non ſolum non contineantur in pura Dei noticia, verum etiam vt cœcitate, erroribus, & falſis opinionibus obruantur in pœnam ſuæ ingratitudinis. Obſeruemus itaque hoc loco, quod conſcientia ſit quaſi arca quædam, cui tanquam fidæ cuſtodiæ theſaurus Euangelij conſeruandus traditur. Vnde nihil mirum eſt, ſi fluctuent opinionibus, & nihil firmi habeant, qui inter varias procellas voluptatum agitantur. Cum itaque videmus maximam mundi partem Euangelium aſpernari, ſciamus eſſe fructum malæ conſcientiæ & ſpretæ fidei, veritatiſque Dei.

In quorum numero eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.

Exemplum pœnæ pollutæ conſcientiæ addit, vt ſimus cautiores bonæ conſcientiæ cuſtodes. Huius Hymenæi meminit in ſequenti Epiſtola cap. 2. qui reſurrectionem iam eſſe factam garriebat. Nam qui circa fidem fecerunt naufragium, abſurdis opinionibus fingendis, idonei ſunt architecti. Porrò quis fuerit Alexander is, cuius hic meminit, non ſatis conſtat. De Alexandro fabro ærario ſummo aduerſario Pauli hoc intelligi non poteſt, cum hoc intelligendum ſit de aliquo, qui fidem antea receperat, & poſtea circa eandem naufragium fecerat. Quare videtur hic locus intelligendus eſſe de Alexandro, cuius meminit Lucas in Actibus cap. 9. Qui futuræ ſuæ defectionis aptum ſpecimen edidit: Cum ficta & prophana oratione tumultum populi ſedaret. Hos dicit ſe tradidiſſe Satanæ, hoc eſt, excluſiſſe è familia Chriſti, extra quam Satanas efficax eſt in filijs contumaciæ. Finem addit, vt diſcant non blaſphemare, hoc eſt, vt ex pœna inflicta vel ſuum errorem agnoſcant, & reſipiſcant, vel ſi redire per pœnitentiam noluerint, iuſte pereant.

CAPVT II.

Summa Secundi Capitis.

Hortatur Paulus ad preces pro omnibus hominibus: quod & vtile, & Deo acceptum monet, cum ſit & vnus omnium Deus, & vnus omnium mediator Chriſtus. Dat præcepta mulieribus, vt cum ſilentio, & ſubiectione diſcant: & non doceant ipſæ in cœtu.

Ordo Secundi Capitis.

Duæ ſunt principales huius capitis propoſitiones ſeu partes, totidem canones Eccleſiaſticos nobis commendantes. Vna de oratione pro omnibus habenda: quæ validis confirmatur argumentis. Altera de doctoribus in Eccleſia, quos vult iuſtos viros eſſe, & non mulieres. Munit & hanc propoſitionem iuſta confirmatione. In prioris partis declaratione delabitur in tres locos ſcripturæ præcipuos, quorum Primus eſt, de voluntate Dei, volentis omnes ſaluare, & ad agnitionem veritatis venire. Secundus de Vnitate eſſentiæ diuinæ. Tertius de Mediatore Chriſto. In poſterioris partis explicatione, attingit lapſum primorum Parentum, reparationem, matronarum officium in educandis liberis.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

ADHORTOR itaq; primum omnium vt fiant deprecationes.

Prima huius capitis propoſitio ſeu pars, quam ſuperioribus illatiua particula

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ticula ideo adiungit, quia ſupra meminerat naufragij circa fidem, quod patiuntur illi, qui conſcientiam polluunt. Hic itaq; monſtrat modum cōſeruandæ conſcientiæ bonæ, ac tria indicat: Primum, quod noſtrarum virium nō ſit, nos immunes & inculpatos ſeruare, quin polluamus ſubinde conſcientiam. Deinde oſtendit vnde, & quomodo ſit impetrandum auxilium, quo conſcientia conſeruari poſsit illæſa, & polluta, nempe à Deo per ſerias preces. Tertium, cum, primum omniū, addit, vult vt quotidiana exercitia pietatis, à precibus & gratiarum actione ordiamur. Nam, primum omnium, ad cultum Dei quotidianum referendum eſt.

Deprecationes, petitiones, interceſſiones, gratiarum actiones.

Orationis formas enumerat quatuor, quæ ita diſtingui poſſunt. Deprecatio eſt, qua deprecamur mala tum à nobis tum ab alijs. Petitio eſt, qua præſidium aduerſus Eccleſiæ hoſtes imploramus. Interceſsio eſt, qua petimus ſalutaria alijs. Gratiarum actio eſt & profeſsio, qua palam teſtamur, vnde acceptum eſt beneficium, & gratæ mentis pro accepto beneficio teſtatio. Horum prius veritatis, poſterius iuſticiæ eſt proprium. Tametſi autem gratiarum actionem poſtremo loco collocauit, in quotidianis tamen exercitijs reliquas præcedere debet. Par enim eſt, vt accepta beneficia agnoſcamus, priuſquam petamus noua.

Pro omnibus hominibus.

Non vult pios pro ſe tantum eſſe ſollicitos, verum etiam pro alijs, ijſq; non ſolum notis & familiaribus, & eiuſdem religionis, verum etiam pro omnibus promiſcue: quod quidem caritatis lex, præceptum Domini, cōmunis neceſsitas, & plurima probata exempla requiruntur. Oratio autem quæ fiet pro omnibus, niti debet Chriſti ſacerdotio, & promiſsione. Nam vt per Chriſtum noſtræ preces exaudiuntur, ita ipſius promiſsio fidem exauditionis facit. Nec diſtributiua particula ad mortuos ſe extendit, id quod ex rationibus additis manifeſtum eſt. Quare cum oratio pro mortuis nec mandatum, nec promiſsionem, nec probata exempla habeat, impia cenſenda eſt, vt quæ fide deſtituta humanis ſomnijs nitatur.

Pro regibus & omnibus in eminentia conſtitutis.

Tantum vnam ſpeciem ſubijcit generi. nam pij poterant alias excipere hanc ſpeciem: propterea quod tum temporis omnes mundi reges aduerſabantur Euangelio. Verum Paulus exceptionē præoccupat, ſignificans poteſtates eſſe ordinationes Dei, quæ precibus ſanctorum tanquam ſuſtentaculis indigent. Huius exhortationis Paulinæ præceptum, & exemplum habemus. Præceptum eſt, Diligite inimicos veſtros. Et orate pro his, qui vos diris execrantur. Vnde ſequitur, multo ardentius orandum eſſe pro pijs, & gloriæ Dei ſtudentibus, non ſolum regibus, verum etiam omnibus alijs. Exemplum. Moſes Deum ſollicitat pro Ægyptijs, & exauditur. Magnum ſane noſtri officij exemplum, vt nos quoq; ſupplicemus pro his, qui diuerſam conſectantur doctrinam, verum hic diſtinguendum eſt inter perſonas, ordinatione Dei, & peccata, quibus contaminantur ſæpe qui Magiſtratu funguntur. Pro perſonis orandum eſt, vt conuertantur ad Deum, vt conſeruentur, vt regantur à Deo, verum ſi conuerti non velint, vt Deus eos compeſcat, ne ſæuiant in ipſius Eccleſiam. Pro ordinationib. diuinis, vt ſtatus diuinitus conſtituti ſint incolumes. Contra peccata orandum eſt, vt non creſcant, in contumeliam Dei & Eccleſiæ deſtructionem. Cum itaq; oramus cōtra Papam, non perſonæ ipſius malæ cupimus, quam vellemus, ſi modo pij ſumus, potius emendari & conuerti ad Dominum, vt vna nobiſcum æternum Deum celebraret, ſed contra tyrannidem, ſophiſticam, & hypocriſin eius, quibus Chriſti Eccleſiam crudeliter inuadit. Cum addit, Pro omnibus in eminentia coſtitutis, genus pro ſpecierum enumeratione ponit, vult enim, vt pro omnibus ijs, qui aliqua legitimi officij dignitate eminent, (vt ſunt Duces, Comites, Principes, Præfecti, Conſules, Doctores, Præceptores, Patroni,) precemur Deum, quo in ſingulis ſtatibus & ordinibus omnia rite & legitime fiant.

Vt placidā & quietam vitam degamus, in omni pietate & honeſtate.

Confirmat propoſitionē argumento à quadruplici vtilitate ſumto, & ſimul indicat nō fore irritas preces, quę pro magiſtratu & alijs fiunt. Primus fructus eſt, placida vita, id eſt, non turbata bellicis tumultibus ab externis hoſtibus. Secundus eſt, quieta vita ſeu quies, quæ πολυπραγμοσύνῃ opponitur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ponitur, quemadmodum oſtendi in priore Epiſtola ad Theſſ.cap.4. hac quiete ſuo officio rite fungi quilibet contendit, in ſuum & aliorum commodum. Tertius fructus eſt pietas. Nam cum bellis omnia turbantur, negliguntur ſtudia literarum, negligitur iuuétus, vt in pietate inſtitui non poſsit. Quartus fructus eſt, honeſtas vitæ. Eſt enim σεμνότης ſanctimonia, & honeſta morum ſeueritas, qua innocentiæ vitæ & grauitati ſtudeant homines. Obſeruemus itaq; hoc loco, quod per preces piorum Reſpublicæ tranquillitate & pace fruantur. Deinde, quod huius tranquillitatis ſeu pacis publicæ tres ſint fines. Primus, quies in agendo propria, abſq; curioſitate. Secundus, pietas erga Deum. Tertius, vitæ honeſtas ſeu grauitas. Pace igitur & tranquillitate publica, diuinitus cõceſsis ad preces piorũ, impie abutuntur, quotquot tyrannidis, luxus, gulæ & aliorum vitiorum occaſionem inde petunt, ingentes cum ſibi tum alijs calamitates accerſentes. Iram enim Dei ſuis ſceleribus prouocant, quemadmodum populus Iſraëliticus ſubinde fecit, donec de ipſo grauiſsimũ ſupplicium ſumtum ſit: quale iam haud dubie propter inundationem omniũ ſcelerum in mundo timendum eſt.

Hoc enim bonum & acceptum coram ſaluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Alia ratio propoſitionis, ab honeſto ſumta: cui additur confirmatio ab affectu Dei erga homines. Cum enim dicit, bonum et acceptum coram Deo eſſe, ſignificat, & quod pijs gratiſsimũ eſſe debeat, & quod in omni actione primum quęrendũ ſit, Deóne accepta ſit actio an non. Creaturæ enim iure ſufficere debet hæc ratio: Hoc factum eſt rectum: ac Deo probatum, Igitur faciendum. Debet enim creatura iure creationis, obœdientiam ſuo creatori. Confirmatio ſequitur. Quia omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire. Hic eſt affectus Dei erga omnes homines. Obſeruemus hic duo. Primum vniuerſale dictum, videlicet, quod Deus velit omnes ſaluos fieri, in quod dictum & nos includamur. Deinde conſequendæ ſalutis ratio, nempe quod velit omnes ad cognitionem veritatis venire. Eſt enim hæc cognitio (quæ Synecdochicos etiam fidem complectitur) ordinariũ inſtrumentum, quo velit nos Deus oblatã ſalutem recipere. Requirit itaq; hæc Dei voluntas conditionem fidei, ſeu cõuerſionis, ſine quibus Deus non vult quenquam ſaluari, iuxta illud: Qui non credit, ira Dei manet ſuper eum. Breuiter proinde hic ſenſus eſt. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, modo fide oblatã ſalutem recipere non recuſauerint. Quidã vniuerſalem particulam ad ordines hominum referunt, quia hic de regibus fit mẽtio, quos probat non excluſos eſſe à ſalutis promiſsione. Sed illud ex verbis Pauli ſequi dico. Nam cũ dicit, Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Sequitur, quod reges & alij conſtituti in eminentia, qui in hominum numero ſunt, ad hanc ſalutem, modo crediderint, admittantur. Hanc eſſe veram & genuinam horum verborũ ſententiam, confirmant ætiologiæ, quæ ſequuntur.

Vnus enim Deus.

Deum velle omnes homines ſaluos fieri, probat à connexis. vt enim vnus eſt mundus, qui totus opus eſt Dei, cũ hominibus qui in eo ſunt: Ita vnus eſt Deus natura & eſſentia. Non enim hic de perſonis, ſed tantum de eſſentia diuina agit, quare perperam faciunt, qui hoc loco abutuntur ad euertendam perſonarum trinitatem. Hoc ipſo argumento vtitur Paulus ad Rom.3. ad probandã iuſtificationẽ gratuitam pertinere ad omnes, qui eam apprehendere volent. An (inquiens) Iudæorũ Deus tantũ? an non & Gẽtium? quãdoquidem vnus Deus, qui iuſtificabit circumciſionem ex fide, & præputiũ per fidem.

Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.

Ab vnitate Mediatoris, & coniunctione eius nobiſcum, probat Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire. Hic Mediator, humana natura aſſumta, omnibus humanitate (id eſt, humana natura) coniunctus eſt Nam omnibus in humanitatis natura communicat. Quare ipſum hominum ſalutem velle, dubium eſſe non poteſt: ſed vt pater, nempe per ordinarium inſtrumentum, quod eſt fiducia in hunc Mediatorem. Porrò cum intelligebat Paulus nos nunquã adduci poſſe, vt ad Deũ confugeremus, niſi prius eſſemus perſuaſi, nobis Mediatorem proximum eſſe, noſq; attingere, oſtendit vbi ſita eſt, & quieſcit fiducia noſtra, vt adhæreamus Chriſto, eumq; pro Mediatore quæramus, videlicet, quod nobiſcum coniunctus ſit, vt eiuſdem naturæ particeps. Id quoq; intelligit Eſaias Propheta, cum nominat ipſum Emanuelem, id eſt, nobiſcum Deum. Hoc enim ſine vera ſimilitudine, &

naturæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

naturæ vnione fieri non potuit. Verus igitur Deus, & verus homo in vnitate perſonæ eſt noſter Mediator Ieſus Chriſtus. Quam autem neceſſarium fuerit, eum qui mediator noſter futurus eſſet, verum Deum & hominem verum eſſe, conſtat ex officio Mediatoris, quod in eo conſiſtit, vt homines cum Deo cõciliet, & inimicitias capitales aboleat, quæ prius intercedebant. nulla autem ſpes erat, id futurum, niſi Dei maieſtas ad nos deſcendiſſet, ſeq; cum naturæ noſtræ infirmitate coniunxiſſet. Similiter officium Mediatoris erat, nos filios Deĩ atq; hæredes regni Dei efficere, cum antea mortis & damnationis hæredes eſſemus. Hoc arrabone fiducia noſtra cõfirmatur, quod ſumus filij Dei, quia filius eius naturalis corpus à corpore noſtro, & carnem è carne noſtra aſſumſit. Præterea id omnino ad redemtionem noſtram neceſſarium erat, vt inobœdientia commiſſa in carne, in eadem ſarciretur. Ideo venit Dominus noſter reuera homo, veluti perſonam ipſius Adam referens, cuius etiam nomẽ ſumſit, vt pœnam peccati in cárne, in qua admiſſum fuerat, perſolueret. Huc dictum Irenæi ex libro 3. referendũ eſt. Oportebat, inquit, Mediatorem Dei & hominum, propter ſuam ad vtroſq; domeſticitatem, in amicitiam & concordiam vtroſq; reducere, & facere, vt Deus reciperet hominem, & homo reſtitueretur Deo. PORRO ſunt, inter quos conuenit Chriſtum Mediatorem eſſe, qui tamen de modo non conſentiunt. Quidam enim ad naturam diuinam ſolam, vt Oſiander. Quidam vt Stancarus ad humanitatem ſolam. Eccleſia vera ad totam perſonam redemtionis officium refert. Quarę breuiter, quid ſit de hac re ſentiendum, quibuſdam regulis oſtendam.

PRIMA regula. Diſcernendæ ſunt appellationes, quæ naturarum proprietates ſignificant, ab officij appellationibus. Vt Deus, omnipotens, creator, ſunt appellationes ad diuinam naturam referẽdæ. Homo, paſſus, vulneratus, mortuus, Sunt appellationes ad humanam naturam referendæ.

SECVNDA regula, Nomina officij, toti perſonæ, nõ alterutri ſeorſim, cõpetunt, vt ſunt hæc, Mediator, redemtor, rex, ſacerdos paſtor &c. Nam hæc per ſe, & ſeorſim, nec humanæ naturæ, neq; diuinæ conueniunt, ſed toti perſonæ. Quod ex eo probari poteſt, quod officiũ redemtionis interdum tribuatur Meſſiæ ſub appellatione humanæ naturæ, interdum ſub appellatione diuinæ naturæ. Et rurſus ſæpiſſime ſub appellatione totius perſonæ. Moſes dicit, Semen Mulieris contriturum caput ſerpentis. Et Ieremias affirmat ipſum Iehoua eſſe iuſtificatorẽ noſtrum. Et Epiſtola ad Hebræos, Habentes Pontificem magnum, egreſſum cœlos, Ieſum, filium Dei. Hoc teſtimonium pontificatum tribuit toti perſonæ. Hic diuerſis licet vocibus, idem tribuitur Semini mulieris, & Iehoua ſeu λόγῳ Dei patris coæterno, & Ieſu filio Dei. Verum hoc non conuenit alicui naturarum ſeorſim. Nam vt diuina natura pati non potuit: Ita humana ſuſtinere irã Patris minime valebat. Quare iſtę locutiones, prima & ſecunda, non per communionem idiomatum intelligi poſſunt, Sed per tertiã explicandæ ſunt. Hæc enim aperte cõuincit ſuperiores per Synecdochen intelligendas eſſe, hoc modo: Iehoua eſt iuſtificator noſter, id eſt, illa perſona, quæ eſt Deus, aſſumta humana natura. Semen mulieris conteret caput ſerpentis, id eſt, illa perſona, quæ eſt Semen mulieris, ſeu homo, vt officium redemtionis ſit perſonæ totius. Cum igitur Paulus dicit, Vnus eſt Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus. Senſus eſt hic: Homo Ieſus qui eſt Chriſtus, eſt Mediator. Non itaq; Paulus excludit naturam diuinam, quia perſonæ appellationem adiecit, ſed ideo humanitatis peculiariter meminit, quia hoc magis argumenti vis, vt ſupra declaratum eſt, requirebat. Præterea & hunc locum maligne contaminant Papiſtæ, qui honorem mediatoris Chriſto detrahentes, ſanctis attribuunt: Idq; non ſolum contra verbũ Dei, verumetiam in contumeliam Ieſu Chriſti. Primum enim ex hoc quod dicitur, vnus Mediator, ridicule vrgent voculam vnus, & dicunt ſe fateri nobiſcum, Chriſtum quidem vnum eſſe Mediatorem, ſed eum ſolum eſſe pernegant. Tametſi aperte periſtaſis loci contra illos militat. Nam eadem ſignificatione, qua dixerat, vnus Deus, vt qui communis ſit omnibus hominibus in mundo: ita mox addit, Vnus Mediator ſignificans cum ſimiliter omnibus communem. Vnde ſicut aperte falſum eſſe conuincitur, Deum non ſolum eſſe Deum, quia vnus dicatur, Ita etiam mera calumnia eſt dicere, Chriſtum non ſolum eſſe Mediatorem, quia vnus hic à Paulo dicatur: Cum tamẽ Paulus hunc vnum cõmunem ſtatuit omnibus hominibus, ex eo quod dederit ſeipſum precium redemtionis pro omnibus. Sunt qui cum hanc apertam calumniam excuſare non audeant, ad diſtinctionem cõfugiunt. dicunt enim Chriſtũ Mediatorẽ eſſe, ſed expiationis, ſanctos vèro eſſe mediatores intercesſionis, quia iubentur Chriſtiani pro ſe inuicem orare. Specioſa quidẽ hæc oratio, ſed in ea plus veneni, quã mellis ineſt. Reſpondeo igitur, verũ eſſe quod iubeantur Chriſtianĩ pro ſe inuicẽ orare. Sed inde ſequi nego, interceſſores aut patronos eſſe demortuos ſanctos pro viuis & defunctis. Nam dum interceſſores nominant Papiſtæ, intelligunt patronos,

qui ſua dignitate & meritis, nobis patris cœleſtis gratiá mereantur. Quod aperte cum vni-
ci Mediatoris honore pugnat. Nam triplex impietas in iſto errore Papiſtico ſe profert. Pri-
mum enim, quod mortuos viuorum interceſſores ſtatuant, ſine teſtimonio verbi Dei. De-
inde, quod docent nitendum eſſe illorum meritis. Poſtremo, quod tales fictitios patronos
colendos & inuocandos ſtatuant. Cæterum quod ſancti in mundo viuentes, orent pro ſe
inuicem in hoc mũdo, id quidem faciunt non ſua dignitate, ſed patrocinio vnici mediato
ris Chriſti freti, cuius vnius dignitate & interceſsione ſe exaudiri ſtatuunt, iuxta promiſ-
ſionem: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Qui dedit ſeipſum precium redemtionis pro omnibus.

Ab effectu tanquam euidentiſsi-
mo iudicio, confirmat Chriſtum vni-
cum noſtrum Mediatorem eſſe, qui
iram Patris placauit, ſe ipſum in hoſtiam pro peccatis offerens. Cum igitur hic honor pla-
candi patrem ſoli Chriſto competat, & nulli alij, recte ex eo Paulus, Chriſto ſoli hunc inter-
ceſsionis honorem vendicat. Obſeruemus & hic vniuerſalem (pro omnibus) quæ profecto
non ad omnes ordines tantum, verum etiam ad omnes ordinum homines quibus creden
tibus applicatur meritum Chriſti, referri debet.

Teſtimonium temporibus ſuis.

Chryſoſtomus ipſam Domini paſ-
ſionem teſtimoniũ vocat, certo tem-
pore exhibitum. Tametſi autem ſuo tempore (hoc eſt, à patre præfinito) hoc teſtimonium
edidit, tamen omnium temporum, & hominum ſufficiens ἀντίλυτρον eſt, hoc eſt, redmtio-
nis precium. Atq; hoc teſtimonium per prædicationem Euangelij reuelatur mundo, vt cre
dentes inde ſalutem hauriant. proinde propter prædicationis diſpenſationem, teſtimoni-
um dicitur ſalutis credentium, ruinæ vero & damnationis credere recuſantium.

In quod poſitus ſum ego, preco & Apoſto lus (veritatem dico in Chriſto, non menti- or) doctor Gentium in fide & veritate.

Quia Iudæi promiſsionem ſalutis
ad ſe tantum pertinere rati, moroſe
clamitabant, excluſas eſſe gentes à ſpe
ſalutis, anticipat, & à deſtinatis pro-
bat ſalutem ad gentes quoque pertinere. Nam ſi Paulus diuinitus deſtinatus eſt Apoſtolus
gentibus, & functio Apoſtolatus ſalutis eorum annunciatio eſt, ad quos Apoſtolus mitti-
tur, certe gentes extra ſalutis ſpem eſſe non poſſunt, quibus diuinitus eſt deſtinatus Apoſto
lus. Iuramentum interpoſuit, quo maiorem haberet autoritatem & fidem aſſeueratio. Iam
ſi ad gentes quoq;, vt ad Iudæos ſalutis ſpes extenditur, profecto par eſt pro omnibus pre-
cari, vt oblatam gratiam fide recipiant omnes.

Volo igitur viros orare.

Concluſio eſt, ſed diſtributione ac
circumſtantijs quibuſdam amplifica-
ta. Nam ſimul virorum & mulierum mores & geſtus, inter orandum exprimit.

In omni loco.

Cum ſemper orandum eſſe alias
docuit, iam locum orationi omnem
aptum docet. Nam vbicunq; pius eſt, circumfert ſecum templum Dei: in quo cultum Deo
præſtare conuenit. Nec pugnat hic locus cum dicto Chriſti, qui iubet, vt oraturi intrent in
co nclaue. Nam hoc dictum ſolam hypocriſin excludit.

Suſtollentes manus puras.

Manuum puritate ſinceros affe-
ctus, & bonam conſcientiam intelli-
git. Nam vt contaminatæ manus quicquid attingunt, polluunt: Ita cor impurum ſeu con-
ſcientia mala, orationem inquinat & conſpurcat.

Sine ira & diſceptatione.

Neceſſaria orationis adiuncta po-
nit duo. Primum, vt fiat oratio ſine
ira. Hic ſynecdochice omnem vitioſum affectum vult ab oratione abeſſe. Vult nos nemi-
nem odiſſe, ſed amice omnes complecti. Deinde, ſine diſceptatione, hoc eſt, ſine diſputa-
tione & hæſitatione de accipiẽdis petitis, Iuxta illud, Quicquid petieritis credentes accipi-
etis, Sed cum hac conditione, modo in gloriam Dei & vere in noſtram ſalutem cedant pe-
tita. Puritas enim manuum & fides nos monent, vt aliud nihil oremus. Et Chriſtus vult,
vt patris voluntati noſtras preces ſubijciamus.

Simili-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Similiter & mulieres in amictu modeſto cum verecundia, & modeſtia ornare ſeſe, non cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel veſtitu precioſo, ſed (quod decet mulieres pietatem ſpondentes) operibus bonis.

Alterum diſtributionis membrum eſt de mulieribus, quas vult ſimiliter orare, leuatis puris manibus, in omni loco. Sed commendat illis amictũ, qui teſtari poterit de illarum verecundia, & temperantia, & corrigit vitia matronarum, quæ fuerunt Epheſi, quæ nimium luxu defluxerunt, ſumto argumento à pietatis profeſsione, quam profeſsionem ornare bonis moribus, modeſtia, verecundia & temperantia atque alijs pietatis exercitijs, decet.

Mulier in quiete diſcat, in omni ſubiectione. Mulieri autem docere non permitto, nec autoritatem vſurpare in virum, ſed eſſe in quiete.

Secunda huius capitis propoſitio, continens canonem Eccleſiaſticum de diſciplina & moribus mulierum. Hoc canone duo præcipiuntur mulieribus, & duo prohibentur. Primum præcipitur, vt quiete ſine tumultu diſcant, vt eas decet, quæ ſubiectionis legi obnoxię ſunt. Deinde, vt ſint in quiete, ac ſua agant, tractentq; ea, quæ ad mulieres pertinent, non ingerentes ſe in virorum negocia. Prohibetur primum, ne publice doceant mulieres. Deinde, ne autoritatem in viros ſibi vſurpent. Hæc eo pertinẽt, vt in Eccleſia ſit ordo & ἀταξία, non vt inde ſumamus argumentũ contemnendi ſexus muliebris, nec ita iubentur ſilere, quin eis ſalutaria conſilia dare maritis liceat, ſi quando id res poſtulare videtur, id quod hiſtoria Iudith, Deboræ, Annæ, & aliarum oſtendit. Imo Abraham iubetur à Domino, vt vxoris conſilio obtemperet, de eijcienda ancilla Agar. Præterea piarum Matronarum eſt, vt domi familiam voce, Ita & diſciplina domeſtica, pietatem docere: imo & maritos ceſſantes, & ignauos ſui admonere officij poſſunt. Paulus enim hic de diſciplina communi agit, quæ non excludit neceſſaria conſilia, & deliberationes mulierum honeſtarum.

Adam enim primus formatus eſt, deinde Eua.

Rationes propoſitionis petit ex attributis perſonarum, ſeu connexis, Argumentum hoc eſt. Adam prior formatus eſt, deinde Eua. Igitur vir debet habere autoritatem in mulierem, atque illa viro ſubiecta eſſe debet. An igitur, qui prior eſt tempore, prior eſt etiam autoritate? an non creationis ſeries indicat, reliqua omnia ante Adamum creata eſſe, & tamen ei ſubiecta eſſe? Proinde argumenti συνέχον videtur debile. Verum hic tempus & cauſſam ſimul reſpicere oportet. Adam eſt quidem formatus ante mulierem, ſed non propter mulerem. Mulier contra poſt virum formata eſt, ſed propter virum, vt eius adiutoriũ eſſet, ei ſubiecta. Quapropter cauſſa ipſa formatæ mulieris argumenti Synechon eſt, atque ita hac ratione rectiſſime adimit Paulus mulieribus in viros dominium.

Et Adam non ſeductus eſt, mulier autem ſeducta in tranſgreſsione fuit.

Hac ratione docendi munus adimit mulieribus. Mulier eſt ſeducta, non Adam. Igitur muliebris ſexus eſt aptior ſeductioni quam virilis ſexus. Proinde cum male ceſsit docendi munus quod ſibi vſurpauit Eua, reliquæ mulieres à docendi munere abſtineant: ſed cum exceptione, de qua paulo antea admonui. Sed quid eſt, quod neget Adam deceptum? an non porrectum ab Eua pomum contra interdictum Domini guſtauit? Reſpondeo. Chryſoſtomus fatetur vtrumque deceptum eſſe, Adam nimirum & Euam, ſed comparatione diſtingui deceptionis modum. Nam ſi ad dolos & ſophiſticam Satanæ, qua is mentem mulieris peruertit, reſpexeris, Adam profecto iſto modo minime eſt deceptus. Verum ſi ad mulierem reſpexeris, caritate vxoris in pernicioſum obſequium pertractus eſt Adam. Atq; ita priori reſpectu non eſt deceptus, Sed poſteriore tantum pertractus eſt in errorem, & ex errore in ruinam, in quam totam poſteritatem coniecit ſecum. Hęc Chryſoſtomi eſt diſtinctio. Poteſt autem & alia declaratio ſumi à priori membro, vt quemadmodum ſupra dixit, Adam prior formatus eſt, deinde Eua: Ita Eua prior decepta eſt, & deinde Adam. Vnde facilis mulierum lapſus in errorem, & ex errore in ruinam, in quam totam poſteritatem coniecit ſecum. Quare minime conſultum eſt, vt docendi munus committatur mulieribus.

Saluabitur autem per filiorum genera-

Hoc, & in conſolationem, & in

tionem,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tionem, ſi manſerit in fide & dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate.

inſtructionem mulierum adiectum eſt. Etſi enim mulier ſeducta eſt, tamen gratiæ Dei non minus quam vir particeps fieri poteſt, modo Chriſti gratiam fide amplexa fuerit. Papiſtæ quidam hoc loco fœde errarunt, qui in hanc ſententiam præſentem locũ explicant: Saluabitur mulier per filiorum generationem, modo filij in fide & dilectione &c. manſerint. Ex priori membro iuſticiam operum extruunt. Ex poſteriori, in contumeliam ſancti coniugij perruperunt. Nam ſi tum demum ſaluabitur mulier, ſi filij in fide manſerint, certe extreme periculoſus erit ſtatus coniugalis. In hor errore & diuus Hieronymus fuit. verum hic duplex error committitur, Prior, quod Paulum de cauſsis iuſtificationis agere putant, cum de vita iuſtificatarum mulierum agat. Cuius ſane vita hic præſcribitur. Primum enim proprium mulierum opus ponit, nimirum liberorum generationem. Deinde, commendat eis reliqua pietatis exercitia, ſine quibus profecto fides retineri nequit. Nam, qui facit iuſticiam, iuſtus eſt. Et Salomon, Qui ambulat in integritate, iuſtus eſt. Deinde & in hoc errãt, quod manſerint, ad filios referunt, non attendentes nomen Græcum, quo ſignificatur generatio liberorum, ſingulare eſſe. Proinde ſenſus eſt, Saluabitur per propagationem, ſi manſerint ſcilicet mulieres. Eſt enim Syntheſis, qua non tam verborum quam ſenſus ratio habetur. Hic locus in genere nos admonet, de officio ex fide & bona conſcientia præſtando: quod vbi non fit, in naufragium fidei incurritur. Ideoq; non mirum eſt, mulieres ſaluari per officia debita. Quia ſunt fidei teſtimonia, & effectus, non cauſſa & merita ſalutis.

CAPVT III.

Summa Tertij Capitis.

Epiſcopi, Diaconi, eorumque vxores, inculpatis ſint moribus, recteque conuerſentur in domo Dei, quæ eſt Eccleſia.

Ordo Tertij Capitis.

Primum exponit virtutes, quibus præditus eſſe debeat futurus Epiſcopus, ſeu miniſter Euangelij, & ſimul vitia haud ferenda attingit, Deinde mores Diaconis & illorum vxoribus præſcribit. Tum commendat Timotheo hæc præcepta ab honeſto ſeu dignitate domus Dei, in qua conuerſari oporteat Epiſcopum. Vnde in commendationem miniſterij Euangelij delabitur.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

FIDELIS ſermo.

Hoc Chryſoſtomus aptat ſuperiori capiti, vt ſit clauſula, continens aſſeuerationem eorum, quæ ibi diſputata ſunt, Alij volunt, vt ſit exordium huius tertij capitis, quo attentum reddit Timotheum, vtque cogitet, illos ſolos eſſe idoneos ad officium Epiſcopale, in quibus virtutes enumeratæ inueniuntur, ſciatque tales à ſe ordinandos in Epiſcopos ſeu Paſtores.

Si quis Epiſcopatum appetit, bonum opus deſiderat.

Hæc propoſitio eſt ſequentis expoſitionis, cõtinens fundamentum, vnde virtutes Epiſcopi extruit. Commendat autem Epiſcopale munus ab honeſto, cui vt plurimum arduum coniunctum eſt, iuxta prouerbium: Quæ pulcra eadẽ & difficilia. Quatuor ex verbis Pauli colligamus. Primum, quod non ſit reprehendendũ, ſi quis Eccleſiæ indigenti modeſte, ſine ambitione ſuam operam ſeu miniſterium offerat. Nam, ſi per ambitionẽ quis appetat, non Dei, ſed Satanæ ſpiritu impelli putandus eſt. Secundũ, quod Epiſcopalis functio ſit honeſta, teſtimonio Spiritus ſancti, quo pij confirmari debent, aduerſus prophanorum hominum iudicia & calumnias. Tertium, quod Epiſcopi functio non in titulo aut dignitate tantum, verum multo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

multo magis in arduo ac difficili labore ſita ſit, id quod Epiſcopi nomen arguit. Epiſcopus enim ab inſpiciendo nomen habet. Nam eſt inſpector, qui, vt Eccleſiam, cui præeſt inſpicit, ita curat, quæ ad Eccleſiæ incolumitaté pertinere videntur. Hoc itaq; nomine Paulus eos intelligit, qui in certa ſede certum populum docuerunt, hodie Paſtores & Parochi dicuntur. Quartum, quod officij dignitas requirat morum grauitatem officio reſpondentem. Vt enim hic Paulus propoſita eminentia officij infert morum deſcriptioné reſpõdentium tanto muneri: Ita in alijs quoq; functionibus ex officij eminentia, vitæ regula petenda eſt.

Oportet igitur Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. Iam infert deſcriptioné virtutum Epiſcopi, eſtq; hoc argumentum: Epiſcopatus eſt præclarũ & honeſtum opus, igitur oportet eum, qui futurus eſt Epiſcopus, irreprehenſibilem eſſe. Ex eodem antecedente, reliqua quæ ſequuntur, extruuntur, quod hoc loco dixiſſe, ſatis ſit. Sed quid eſt irreprehenſibilem eſſe? Eſt eſſe ſine crimine, vt ad Titum ipſe Apoſtolus exponit. Talis enim eſt, qui reprehenſioni hominum iuſte, & criminali infamiæ non eſt obnoxius. Proinde hic loquitur de foro hominum, non de foro Dei, in quo nullus eſt innocens.

Vnius vxoris virum. Tempore Pauli fuerunt ex gentibus conuerſi, qui ſimul plures vxores habuerunt, tales arcet Paulus ab Epiſcopali functione, non prohibet Paulus, quin alteram poſt priorem defunctam ducere poſsit Epiſcopus. Præterea, vt hac ſententia non prohibetur, quin Epiſcopus poſsit eſſe, qui vxorem non habeat. Non enim hic legem præſcribit neceſsitatis ſed prohibet tantum plures ſimul habere vxores, id quod teſtimonium eſt incontinentiæ, ideoque reprehenſione minime caret: ita contra ſpiritum Dei, & violenter, contra Euangelicam conſtitutionem faciunt Pontificij, qui ſacerdotibus coniugio interdicunt. Interpretatio Papiſtica huius loci ineptior eſt, quam vt confutatione indigeat. Non enim hic loquitur Paulus allegorice, ſed proprie mores futuri Epiſcopi deſcribit.

Vigilantem. Vox Græca latius patet. Nam νηφάλιος & vigilantem & ſobrium ſignificat, ſed hic pro priori ſignificato, vt Eraſmus vertit, ponitur, quia poſtea de ſobrietate ſequitur. dicitur autem vigilans, qui omne ſtudium & vigilantiam rei gerendæ adhibet, quique vigilanter ab omni parte prouidet, ne quid, quod ſui officij eſt, negligat.

Temperantem. Græce, σώφρονα: qua voce ſignificatur harmonia quædam & concentus omnium virium animæ cum recta ratione: vt nec ira quicquam præter imperium rationis agat, nec affectus alius rationis moderamen excutiat. Hinc pulcerrime Plato σωφροσύνην harmoniam vocat διαπασῶν, in qua à ratione ira διαπέντε aſcendẽdo diſtat, & concupiſcentia ab ira aſcendendo διατεσσάρων. vide Timeum Platonicum, & commentarium Procli.

Modeſtum. Græce κόσμιον, qua voce ſignificatur proprie modeſtia & moderatio quædam: qua ordo, ratio & æquitas in rebus omnibus adhibetur, vnde κόσμιος interdum etiam eum, qui moribus compoſitus eſt, ſignificat.

Hoſpitalem. Græce φιλόξενον, hoc eſt, amantem peregrinorum. ſignificat enim hæc vox habitum, benigne ac amanter complectendi peregrinos, quod ſane nemini denegatum eſt, etiamſi tenuiſsima fuerit fortuna.

Aptum ad docendum. Græca voce ſignificatur habilitas, ſeu aptitudo quædam ab docendum, ad quam rem requiritur non ſolum liberalis doctrina, & exercitatio: verum etiam ſingularis prudentia: nimirum, vt quis recte ſecet verbum Dei. hoc eſt, vt pro conditione hominum recte doctrinam accommodet. vt impuro ac ſcelerato nebuloni, non Euangelij gratia, ſed ira Dei & maledictio Legis proponenda eſt: ita turbatæ conſcientiæ, gratiæ diuinæ theſaurus explicandus eſt, vt inde vulneris conſcientiæ medela deſumatur.

Non

Non vinolentum.

Vox græca πάροινος tum vino deditum, tum ex nimia vini petulantia, in aliquem contumelioſum eſſe ſignificat, vnde Chryſoſtomus contumelioſum & præfractum interpretatur.

Non percuſſorem.

Πλήκτης cum percuſſor, tum conuiciator dicitur. vtrumque fœdum in miniſtro Euangelij vicium eſt. Obiurgandi ſunt ſæpe contumaces & inobœdientes à miniſtris Euangelij, ſed paterne, non tyrannice & furioſe.

Non turpiter lucri cupidum.

Ad verbum, non turpilucrem. Debet igitur nec cauponarium, nec fœnus, nec alias turpis lucri vias ſectari, ſed ſuum officium auguſtius iudicare, quam vt illud prophanis rebus contaminet.

Sed æquum ſeu moderatum.

Voce græca ſignificatur is, qui non ex rigore legis, ſed ex æquo & bono de rebus ſtatuit. Sæpe enim ſummum ius ſumma eſt iniuria. Et Ariſtoteles: Qui nimium legem exacte & rigide intuentur, fit Sycophanta.

Alienũ à pugnis, alienum ab auaritia.

Hæc ſuperioribus coniuncta ſunt, vt eorum effectus.

Qui ſuæ domui bene præſit, qui liberos habeat in ſubiectione, cũ omni reuerentia.

Vult nõ ſolum Epiſcopum ex propria domo afferre honeſtorũ morum exempla: verum etiam ex gubernatione domeſtica, coniecturam vult peti de adminiſtratione Eccleſiaſtica, ideo ſubiungit.

Si quis propriæ domui præeſſe non nouit, quomodo Eccleſiæ curam habebit?

Argumentum à minori eſt. Fieri enim minime poteſt, vt qui in exigua adminiſtratione torpet, in maiori ſit futurus vigilans & induſtrius.

Non nouitium, ne inflatus incidat in iudicium Diaboli.

Hoc non ad ætatem, ſed ad inaugurationem, qua quis Chriſto inauguratus eſt, referendum eſt. Vnde Chryſoſtomus νεόφυτον interpretatur νεοκατήχητον, id eſt recens in religionis doctrina inſtructum. Eſtque pulcerrima metaphora in voce græca. νεόφυτος enim ſignificat plantam recẽs plantatam, quæ nondum altas radices egit. Cuiuſmodi plantæ perſimiles iudicat Paulus eos, qui recens ad Chriſtianiſmum cõuerſi ſunt. Vt enim plantata planta æſtu ſolis feruentiori ſuccumbit facile, & areſcit, cum contra, quæ radices egit, aduerſus ardores ſolis inuicta manet: Ita recens imbutus in doctrina fidei, perſecutione ingruente, facile frangitur, fidem abijcit, redit ad priſtinos mores, atque ita in Diaboli iudicium incidit. At qui diutius eſt in doctrina educatus, tanquam miles iam expertus, non ita facile cedit perſecutioni, & ſcãdalis. Additur ratio à grauitate pœnæ: ne videlicet inflatus, ſcilicet honore nouo, magnifice de ſe ſentiat, ac in Diaboli iudicium incidat, hoc eſt, in ſimilem condemnationem cum Diabolo ruat, qui ob ſuam ſuperbam contumaciam, cõdemnationis reus eſt factus. Theodoretus ex hoc loco colligit ſuperbiam cauſſam fuiſſe diabolo vt caderet. Alij de homine calumniatore interpretantur, vt in iudicium calumniatoris incidere, ſit præbere calumniatori maledicendi occaſionem. Sed prior interpretatio, quæ eſt Chryſoſtomi, accommodatior eſt præſenti loco, vt quæ grauius argumentum contineat.

Oportet autem illum & bonum teſtimonium habere ab extraneis, ne in probrum & laqueum Diaboli incidat.

Adeo inculpatam vitam requirit ab Epiſcopo, vt non ſolum bene audiat ab amicis, verumetiam ab hoſtibus, ne poſſint quicquam ei criminis obijcere iuſte. Extraneos vocat alienos à religione Chriſtiana, eiuſq; hoſtes. Sed quomodo hoc fieri poteſt, vt hoſtes religionis ferant honeſtum teſtimoniũ preconibus Euangelij? an non Paulum erronem & ſpermologũ vocarunt Græci? Diſtinguendũ eſt inter doctrinam,

& vitam,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

& vitam. Vita talis eſſe debet, vt iure nihil poſsint aduerſarij in eo reprehendere. Doctrina ipſa ferat ſuam fortunam in hoc mundo. Habet enim ſatis magnum à Deo teſtimonium, nec indiget vllius hominis precario ſuffragio. Huc dictum Dñi referendum eſt: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videãt veſtra bona opera. Porrò huius attributi geminam rationẽ ſubijcit: quarum poſterior ex priori manat. qui enim in probrũ incidit, hoc eſt, qui infamis factus eſt, nullo peccãdi pudore retinetur, ſed laxat turpitudini frena, ac ſe totum Diaboli laqueis proſtituit. Eſt autem peccandi impudens conſuetudo, laqueus ille, quo captiuos tenet homines Satan. Quare nihil periculoſius homini eſſe ſciamus, quam peccatis indulgere. Nam hoc nõ peccanti ſolum nocet, verum etiam alijs peccandi feneſtrã aperit.

Diaconos ſimiliter graues, non bilingues, non multo vino deditos, non turpiter lucri cupidos.

Tranſit ad mores Diaconorum deſcribendos, in quibus eadem propemodum (paululùm mutatis verbis) quæ ſupra in Epiſcopis, requirit. Etſi autem Diaconorum nomen generale eſt, Hic tamẽ pro certa miniſtrorum ſpecie ſumitur. Sunt autem hoc loco Diaconi miniſtri, qui externæ Eccleſiæ gubernationi in externis bonis præfuerunt: Quales ſeptem illi fuerunt, de quibus in Actis cap. 6. Hi collatas ab alijs eleemoſynas, & à ſe receptas pro neceſsitate fratrum & ſororum diſtribuerunt. In quo officio; qui ſe probe geſſerunt, poſtea in Epiſcopos ſeu Parochos eligebantur. Cæterum, de gradibus miniſtrorum Eccleſiæ in enarratione Epiſtolæ ad Epheſ. dictum eſt. Nos hinc colligamus quantam deceat eſſe innocentiam in Oeconomis myſteriorum Dei, cum adeo inculpatos eleemoſynarum Eccleſiæ collectores & diſtributores requirat Apoſtolus.

Habẽtes myſteriũ fidei in pura cõſciẽtia.

Poſt enumerationem hoc veluti genus ſubijcit, ad quod, ſi quid in enumeratione prætermiſſum eſt, referri oportebit. Hoc ſuperius his verbis expreſsit: Habens fidem & bonam cõſcientiam. Hic pro fide myſteriũ fidei poſuit. Vnde tria colligamus: Primum, quod fidei doctrina ſupra oẽm humanam ſapiẽtiam poſita ſit. Deinde, fidei indoles declaratur, quæ hic verbo Dei nitens & contenta, certo expectat, quæ nondum apparent. Præterea quanta ſit piorum dignitas & gloria, vt quibus myſteriũ fidei ſit concreditũ. Quibus ἀδύτια ſacra erant cõcredita, dignitas & gloria magna eſſe videbatur, non putabant iſtorum ſacrorũ ſymmyſtæ fas eſſe, vt hanc gloriã, hanc dignitatem vllis maculis conſpurcarent, quid illis facere par eſt, quibus fidei & cœleſtis regni myſteria cõmiſſa ſunt? atq; ita argumentum προτρεπτικὸν cõtinet hęc oratio: Habentes myſteriũ fidei in conſcientia bona.

Et hi probentur primum, deinde miniſtrent, ſi fuerint irreprehenſibiles.

Expoſuit quales mores requirat in Diaconis: nunc canonem ſubijcit de probatione eorũdem. Vt enim ſupra neophytum, quantumuis bene moratum in Epiſcopum eligi nõ voluit: Ita hic Diaconos non recens ad fidem conuerſos, ſed aliquanto tempore probatos, recipiendos præcipit, ſi fuerint irreprehenſibiles. Si enim famulo non prius probato, nemo adminiſtrationem domeſticam cõmittit, profecto indignum eſt, ei adminiſtrationem œconomicam Eccleſiæ committere, cuius mores antea non fuerint nobis explorati. Iam ſi probandi ſunt miniſtri eleemoſynarum, multo iuſtius eſt probari eos, quibus myſteriorũ Dei œconomia demandatur.

Mulieres ſimiliter graues, non calumniatrices, ſobrias, fideles in omnibus.

Incertum eſt de quibus mulieribus loquatur. Alij enim ad vxores Epiſcoporũ & Diaconorum hæc referunt. Chryſoſtomus, cui hoc parum cõtexui quadrare videtur, ad mulieres Diaconorum refert. Verum quia non dubium eſt, quin Paulus velit & has & illas probas eſſe, ego in genere accipiendum exiſtimo.

Diaconi ſint vnius vxoris mariti, qui honeſte præſint filijs & domibus ſuis.

Sicuti ſupra in Epiſcopo requirit, vt ſit vnius vxoris maritus, beneque adminiſtret rem familiarem: Ita in hoc loco à Diaconis requirit. Bonũ enim indicium eſt felicis adminiſtrationis bonorum Eccleſiæ, ſi quis rem familiarem propriam prudenter & pie adminiſtrat.

Qui enim bene miniſtrauerint, gradum ſibiipſis bonum acquirũt, & multam libertatem in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Deſcriptioni Diaconorum ſubijcit argumẽtum à duplici fructu diligenter præſtiti officij, externo nimirum, & interno. Externus fruct⁹ eſt, quod

qui in inferiori dignitatis gradu ſuo munere fideliter perfunguntur, ſuperiorẽ gradũ, Deo ſic ordinante, cõſequuntur. Aut qui diligenter obit cõmiſſum munus, ſucceſſum habebit felicem, Deo laborẽ proſperãte. Internus fructus eſt, multa libertas ſeu fiducia in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hæc libertas nihil aliud eſt, quam quoddam ſpirituale gaudiũ, ac πληροφορία ſpiritus, qua in Chriſto acquieſcamus, quaque in cognitione Chriſti indies creſcẽtes, omnia dura, quæ in vocatione ſolent incidere, infracto toleremus animo. Hæc ſi ad genus tranſferas, doctrinã & conſolationẽ vberrimam inde hauries. Doctrinã quidẽ, quod Deus bona opera & diligentiam in quauis vocatione præſtitam, compẽſare velit, externis & internis bonis & beneficijs, iuxta parabolam de talẽtis, Matth. 26. Cõſolationem vero, quod Deus vires & animum augere velit in te, vbi tu pro viribus præſentibus facis officium.

Hæc tibi ſcribo, ſperans breui ad te venire, quod ſi tardauero, vt ſcias, quomodo oporteat in domo Dei verſari.

Hic finis eſt ſuperiorum canonum, nimirum, vt domus Dei recte adminiſtretur, omniaq; in ea rite fiant. Eſt autem tacita collatio inter domũ Dei & priuatã cuiuſq;. Nã ſi hominis mortalis domũ recte & fideliter adminiſtrare virtus eſt, profecto multo maior gloria erit, domũ Dei im̃ortalis fideliter adminiſtrare. Ecce quãtum incũbit miniſtris verbi onus. Rurſus cogitetur illorum gloria, qui in officio cõmiſſo ſe, vt decet, gerant, & cõtra illorũ ignominia, qui in domo Dei adminiſtranda torpeant negligentiores. Deniq; oẽs per baptiſmũ Chriſto inaugurati, & in familiã Dei recepti admoneãtur, quã deceat in domo Dei verſari ſancte & inculpate, ne vel domũ Dei ſuo ſcelere maculẽt, vel ibi quicquam agant negligẽtius. Porrò cum dicit, Sperans breui ad te venire, cõſolatur Timotheum promiſsione ſui aduentus, excitatq; ipſum ad ſedulo præſtandum officium.

Quæ eſt Eccleſia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis.

Hæc domus Dei deſcriptio, argumẽtum habet exhortatorium, ab honeſto ſumtum, vnde ad maiorem diligentiã in domo Dei adhibẽdam, merito excitatur Timotheus. Sed quid eſt Eccleſia Dei viuentis? Eſt cœtus eorũ, qui credunt Euãgelio, & in quibus Deus ſpiritu ſuo viuit, & eſt efficax, cuius notam proprijſsimam addit, nimirũ, quod ſit columna & firmamẽtum veritatis, hoc eſt, (vt Chryſoſtomus exponit) veritas, hoc eſt, prædicatio veritatis eſt columna & fundamẽtum Eccleſiæ. Tolle veri Euangelij prædicationem, Eccleſia mox collabetur. Fruſtra igitur iactant Romanẽſes ſuam Eccleſiam, in qua veritati Dei humanæ traditiones, & decreta aperte pugnantia cum veritate Dei, ſucceſſerunt. Proinde firmiſsima demõſtratio veræ & falſæ Eccleſiæ ſumi ex hoc loco poteſt. Sed vt ſit euidẽtior, ei addamus dictum Dñi, Ioan. 10. Oues meæ vocẽ meam audiunt. Et illud Pauli Epheſ. 2. ſuperædificati ſuper fundamento Apoſtolorum & Prophetarũ. Iam ſi ſtatuere velis, quænam ſit vera Eccleſia, & quæ falſa, valeat regula Chriſti, valeat Pauli definitio, valeat fundamentum Apoſtolorũ & Prophetarum. Proinde vera Eccleſia erit, quæ Chriſtum loquentem audit, quæ ædificata eſt ſuper doctrina Apoſtolorum. Contra falſa, quę Chriſti doctrinam perſequitur, corrumpit & adulterat, qualis hodie eſt Papiſtica, & fuit iam multis ſeculis. Teneamus igitur, non dico pedibus & manibus, ſed tota mẽte, quod ſicut columna & fundamentũ veritatis ideo dicatur Eccleſia, quod doctrinã illam, nõ quã ſibijpſa cõpoſuerit, vt Romana Synagoga fecit, ſed Apoſtolorum & Prophetarum fideliter cuſtodit: Ita non aliam debeamus pro Eccleſia agnoſcere, niſi in qua doctrinam illam reperimus, non morantes Romanenſium fumos.

Et citra controuerſiam, magnum eſt myſterium pietatis.

Epiphonema grauiſsimum: in quo commendat pietatis myſterium, & eius præcipua capita (ad quæ omnia, quæ illis natura coniuncta ſunt, referri oportet) recitat. In commendatione obſerua incrementum, myſterium, magnum myſterium, pietatis myſterium, & omnium confeſsione myſterium. vnde nos colligamus cœcam eſſe humanam rationem, cum in doctrina Eccleſiæ, donec verbo Dei & Spiritu ſancto illuminetur, tum in cultu præſtando, iuxta voluntatem Dei. Quid enim de peccato? quid de fide & iuſtificatione? quid de hoſtia Chriſti pro peccato? quid de vnione hypoſtatica duarum naturarum in vna perſona? quid de reſurrectione à mortuis? quid de futura gloria electorum? quid denique de toto ſalutis myſterio percipit humana ratio? Gratias igitur agamus Deo, qui hoc veritatis, pietatis & ſalutis myſterium ex mera ſua bonitate reuelauit mundo. Porrò capita præcipua huius myſterij ſex ponuntur in textu, quæ breuiter explicanda ſunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Deus manifeſtatus eſt in carne. Hoc eſt, Deus eſt vere homo fact⁹, manens quidem quod erat, factus vero quod non erat. Hoc quia remotum eſt ab omni hominum perſpicientia, recte myſterium dicitur. Quare deſinat ratio præter verbum hoc myſterium ſcrutari. Imo cogitet potius magnitudinem ſui peccati, quod ſine Deo homine facto aboleri non potuit, miſericordiam Dei immenſam, qua adeo dilexerit nos, quod voluerit filium ſuum hominem factum, pro nobis hoſtiam fieri, ac amorem filij, quo voluit cõſors noſtræ naturæ factus, fieri pro peccato noſtro hoſtia: vnde concipiamus pœnitentiam & fiduciam, & gratias agamus Deo pro hoc inenarrabili ſalutis noſtræ myſterio.

SECVNDVM.

Iuſtificatus eſt in ſpiritu. Hoc eſt, Spiritus ſancti teſtimonio iuſtus agnitus eſt, & declaratus eſt eſſe verus Meſſias. Huc referto omnia teſtimonia cum doctrinam Chriſti confirmantia in genere, tum præcipue oſtendentia Chriſtum verum Meſſiam eſſe.

TERTIVM.

Viſus eſt Angelis. Hoc eſt, Angeli ſunt teſtes, ſpectatores & præcones huius myſterij, Lucæ 2. Matth. 4. Marci 1. Huc referto etiam teſtimonium patris de ipſo Matth. 3. & 13. Nonnulla Græca exemplaria ſic habent ὤφθη ἀνθρώποις, id eſt, viſus eſt hominibus. Huc referto dictum Iohannis 1. Inhabitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, &c. Item 1. Ioan. 1. Quod erat ab initio, quod vidimus oculis noſtris, &c.

QVARTVM.

Prædicatus eſt inter gentes. Scilicet per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores: quorum prædicatio eo pertinet, vt Chriſto æternam colligant Eccleſiam.

QVINTVM.

Creditus eſt in mundo. Hoc eſt, multi in mundo eius teſtes fuerunt, multique in ipſum crediderunt, & credunt. Hic nota, Si credere in Chriſtum, myſterium eſt, noli mirari, quod ſapientes & potentes in mundo fidem perſequantur, quam æſtimant ex humano iudicio. Et tu contra gratias agito Deo, quod tanti myſterij conſors ſis factus.

SEXTVM.

Aſſumtus eſt in gloriam. Hoc eſt, glorioſe peracto triumpho ſuper morte & inferno, per ſuam glorioſam reſurrectionem, & aſcendit in cœlum, & mittit inde dona, quibus ſuam Eccleſiam ædificat, conſeruat & ornat. HÆC capita myſterij pietatis notauit Paulus, & in breuem aphoriſmum coëgit, vt in eorum meditatione occupemur, noſque confirmemus aduerſus omnia cum ſcandala, tum machinamenta Satanæ, quibus obſcurare & peruertere hoc noſtræ ſalutis myſterium nititur, vtque maneamus in hac Eccleſia, quæ eſt columna & fundamentum veritatis: vbi hoc myſterium per miniſtros Euangelij ſonat.

CAPVT IIII.

Summa quarti Capitis.

Nouiſsimis temporibus defectio erit à fide, variæque orientur ſectæ. Quare pij erit Epiſcopi, erudire populum in ſana doctrina, & fugere prophanas fabulas. Incumbit enim Epiſcopo, vt & ipſe ſe in pietate exerceat, & alios diligenter erudiat, quo ad maiorem amorem veræ doctrinæ, etiam exemplo excitetur populus.

Ordo quarti Capitis.

Quam operæprecium ſit, non quoſuis eligere ad miniſterium verbi, oſtendit à periculo imminente. Quare in principio huius capitis texitur vaticinium de defectione à fide, & de ſeductoribus ſpiritibus, quos breuiter deſcribit & errorum ponit quædam exempla, de prohibitione coniugij, & ciborum. Vnde dilabitur in locum vtiliſsimum de vero & legitimo creaturarum vſu. Deinde ex dictis extruit paræneſes, & monet Timotheum, vt hæc proponat fratribus, ſit ipſe pius, ſit aliorum exemplum, faciatque officium ſedulus. Atque ita tres ſunt partes huius capitis, Prima, prædictio defectionis & ſectarum. Secunda, confutatio prohibitionis ciborum. Tertia, paræneſis ad Timotheum.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SPIRITVS autem clare dicit.

Prima pars capitis eſt, continens vaticinium de defectione à fide, &c. Vt autem hoc vaticinium fiat manifeſtius, illud in quatuor particulas retexam. Quarum prima eſt præfatio. Secunda, vaticinium ipſum. Tertia, nota ſeductorum. Quarta, exemplorum quorundam aſsignatio.

Spiritus autem clare dicit.

Prima vaticinij particula, nempe præfatio, in qua ab autore ſpiritu Dei, certitudinem vaticinij commendat Timotheo. Neque hoc obſcure ſub inuolucris ſignificat ſpiritus Dei, quod euenturum eſt, Sed ῥητῶς, hoc eſt manifeſte, clare, aperte & diſertis verbis, vt nullus relinquatur dubitandi locus. Hæc præfatio nos quoque admoneat, quo modo accipienda ſint dicta Pauli. Non enim dubium eſt, quin quicquid dicat Paulus ex eodem Dei ſpiritu proficiſcatur. Quare doctrinam Pauli, tanquam vocem de cœlo ſonantem, amplectamur & veneremur.

Quod in poſterioribus temporibus deficient quidã à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus, & doctrinis dæmoniorum.

Secunda pars, ipſum vaticinium continens, quatuor circumſtantijs abſoluitur. Quarum prima eſt, temporis notatio. Secunda, defectio à fide. Tertia, de doctoribus ſeductoribus. Quarta, de doctrina hæretica, quæ Dæmonijs aſſcribitur. Tempus admonet nos periculi. Neq; enim eſt dubium, quo propior ſit dies Domini, eo magis ſæuire Satanam, & excitare hæreſes, quo Eccleſiam ipſam labefactet. Nos igitur ſedula precatione ad Deum ardenter confugiamus, vt ipſe nos in ſana doctrina cuſtodiat, ne naufragio circa fidem facto, cũ impijs ruamus in exitium. Secunda circumſtantia eſt, à fide defectio, quam hodie paſsim per totum orbem videre licet. Nam multi prorſus Euangelium contemnunt, multi perſequuntur, qui videntur amare Euangelium, magna ex parte ebrij huius mundi voluptatibus ſcelerate viuunt. Ex quo fit, vt mores huius ſeculi reſpondeant moribus illorum, quos cataclyſmus abſorpſit. Atque adeo hoc vaticiniũ congruit cum prædictione Chriſti, Matth.24. Quemadmodum erant dies Noê: Sic erit etiam aduentus filij hominis, Quod ſane non ſolum ad ſubitum aduentum Domini referendum eſt, verum etiam ad præmonitionem factam per verbum Dei ad Noê, ex mandato Dei, ad mores hominum corruptiſsimos, qui à fide defecerunt, contemto verbi prçcone Noê, ad impiorum ſubitam euerſionẽ, & ad paucorum, qui pij inuenti fuerint, liberationem. Hinc primum admoneamur, vt caute & ſollicite ambulemus coram Domino in vero timore. Deinde, vt rogemus Deum, quo ipſe dirigat noſtra corda (conſeruando nos in vera fide) in expectationem filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tertia circũſtantia eſt, de ſeductoribus ſpiritibus, qui defectionis organa ſunt. Vt autem hęreticorum fraudes oſtendat, metonymia vſus eſt, cauſſam pro effectu ponens. Nam ſpiritus impoſtores eos vocat, qui ſpiritu Satanæ agitati, autores ſunt hæreſium, quibus à fide abſtrahuntur illi, qui eis attendunt & fidem adhibent. Quis putaret tantum periculi hominibus ab hominibus impẽdere? Quare ſignificat hac metonymia non tam homines huius defectionis cauſſam eſſe quam Satanæ ſpiritum, quo agitati homines, omnia in Eccleſia turbare conantur. Quarta circumſtantia eſt effectus tertię. nempe doctrina ipſa dæmoniorum. Hanc vocat non à Cerintho, non ab Ario, non ab Ebione, &c. ſed à primo autore, nempe Satana, quo ſane nomine, quãtum periculi ſit Eccleſiæ à doctrina hæretica, oſtendit. Vult enim nos cogitare quantam ruinam ſecum traxerit, quod primi homines doctori Satanæ obtemperauerint. Quemadmodum enim tunc mundum recens conditum, adeoque ipſam Eccleſiam ſua peſtifera doctrina euertit: Ita in his extremis temporibus potiſsimum Eccleſiam hæretica doctrina ſubuertere conatur, quo eam in exitium ſecum trahat. Hinc nos diſcamus, quæ ſit vera & quæ ſit falſa Eccleſia. Si enim vera, eſt columna & ſedes veritatis. Falſa vtique erit, quæ doctrinis Dæmoniorum auſcultat. Præterea diſcamus eam doctrinam habere ſuſpectam, quæ non clare & diſerte in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis fundatur. Admoneamur ſemper habere in conſpectu analogiam fidei, ad quam omnem interpretationem probemus, iuxta conſilium Pauli, Militemus honeſtam militiam, retinentes fidem & bonam conſcientiam. Non frangamur animis infinitis ſcandalis, quæ paritura eſt ſectarum diuerſitas. Porrò cauſſa, cur Deus permittat varias oriri hæreſes, expreſſa eſt, poſterioris ad Theſſal.2. his verbis: Propterea quod noluerunt credere veritati, dedit illis efficacem illuſionem, vt crederent mendacio.

In hypocriſi falſiloquorum cauteriatam habentium conſcientiam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Hæc nota eſt ſeductorum, eaque duplex. ex quarum priori hominibus, ex poſteriori ſibijpſis noti eſſe poſſunt falſi doctores. Prior nota eſt loqui falſa in hypocriſi, hoc eſt, hæreticam doctrinam, quam propagare ſtudent hypocriſi, & falſo religionis prætextu confirmare, dum mentita religionis ſpecie incautos in ſuam naſſam pertrahunt. Hic non dubiũ eſt notari Monachos & alios, ne religionis ſimulatione ſinamus nos à fonte aquæ viuæ, ad ciſternas putridas hypocritarum, abduci. Poſterior nota ipſis ſeductoribus notior eſt, habere cauterio notatam conſcientiam, hoc eſt, malam, & vix ſanabilem, ſeu vt Ambroſius exponit, ſimulatione corruptam, Quia ſicut (vt idem Ambroſius inquit) cauteriũ corium corrumpit & notam infligit: ita fallacia conſcientiam, quæ dolo maleuolentiæ aliud ſcit aliud profitetur, denotat ad perditionem. Obſeruandum hoc loco, quod qui vel impuritati vitæ diutius indulgent, vel ſcientes falſæ doctrinæ patrocinantur, conſcientiã vaſtant, & quaſi cauterio quodam inurunt, vt difficulter in viam reuocari poſsint.

Prohibentium contrahere matrimonium, & iubentium abſtinere à cibis.

Exempla hæc ſunt doctrinæ Dæmoniorum. Ponit autem has duas ſpecies, vt ex ipſis genus vniuerſum æſtimemus. In his ſpeciebus duo obſeruentur. Primo, quod pugnent cum ordinatione Dei. Deinde, quod ſint res externæ, quibus opinionem cultus affingunt. Inde genus eſſe relinquitur traditionem humanam, & rem externam cultus gratia hypocritice inſtitutã. Quare nominatis hiſce duabus ſpeciebus, totum genus improbat Paulus, nempe in externis rebus cultum Dei collocare, & doctrinam aliquam obtrudere, de quo nihil in verbo Dei expreſſum eſt.

Quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & qui cognouerunt veritatem.

Hæc ſecunda pars capitis eſt, nempe confutatio. Vt enim in priori parte prędixit orituras eſſe hæreſes, & earum duo exempla, vt genus oſtenderet, attexuit: Ita nunc poſterioris exempli de prohibitione ciborum, confutationem inſtituit, & ſumit argumenta à cauſsis efficiẽtibus & finalibus. Primum enim cibos bonos eſſe ſua natura à cauſſa ſeu creatore, oſtendit. Deinde, finem creationis addit, qui eſt, vt pij cum gratiarum actione benigni patris donis vtantur. Vnde colligamus, Primum, quod res conditæ potiſsimum pijs ſeruire deberent. Deinde, quod quicunque præſumũt creaturis vllis ſine gratiarum actione vti, ſint ſacrilegi & fures, vt qui in rem ſacram & alienam manus violenter inijciant. Igitur grati Deo ſimus, ac in vſu rerum Deo, à quo omnia habemus, agamus gratias.

Quod omnis creatura bona ſit, & nihil reijciendum cum gratiarum actione acceptum.

Ratio ſecunda ab vſu rerum conditarum ſumta. Si enim omnis creatura bona, profecto nulla vt inutilis & impura reijciẽda, ſed potius cum gratiarum actione accipiẽda eſt. Sed quomodo hoc cum prohibitione illa in Leuitico cap. 11. congruit? Illa prohibitio non naturas rerum aut bonitatem extenuat, ſed diſciplinæ cauſſa propter ſignificationem addita fuit. Nam erat illa prohibitio ſymbolica quædam morũ doctrina. Exempli cauſſa, Prohibetur eſus porcorum, vt ſit ſymbolum, populum Dei non debere ſe polluere in peccatorum cœno & volutabro. Item aquilæ & vulturis eſus prohibebatur, vt ſignificaret, non alte ſapiendum, neque ex præda viuendum eſſe. At poſtquam Politia Moſis ceſſauit, nihil in quẽquam iuris habet illa ceremonialis prohibitio, Tametſi res ſignificata retinenda eſt. At quædam ſunt feræ venenatæ, quarum eſus exitium afferret, ſed de illis hic non diſputat Paulus, ſed tantũ de cibis vtilibus & ſalubribus, quos ſuperſtitionis gratia prohibituri eſſent hæretici. Præterea hoc ſciendum eſt, omnes creaturas in peculiarem quendam finem creatas eſſe, cuius finis reſpectu ſingulę aliquam puritatem ac vtilitatem habent, iuxta illud: Viditque Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona.

Sanctificatur enim per verbum Dei, & precationem.

Ratio tertia eſt, quod ſanctum eſt, non eſt reijciendum. Omnis creatura Dei ſancta fit inuocantibus Deum. Proinde nulla creatura Dei reijcienda, vt prophana. Obſerua hic modum conſecrandi res quibus vtimur. Nõ enim id fieri debet exorciſmis ſacrificulorũ, quaſi incantationibus quibuſdam, ſed per verbum Dei, cũ videlicet Deum iuxta verbum ex fide inuocamus, petentes

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tes ab eo neceſſaria, cum in gloriam ipſius tum in noſtrum vſum. At vbi ſine inuocatione in cōtumeliam Dei, & in luxum abuteris creaturis Dei, tuo impio abuſu, facis rem bonam tibi prophanam. Nam tuo contactu polluis rem bonam per ſe, & ſanctam, atque ita graue ſacrilegium committis. Sanctificari autem per verbum, eſt vſum rei fieri licitum, ita vt iam cultui Dei deſtinata res eſſe videatur. Hic enm finis creaturarum eſt, vt cum pijs ſeruiant, in laudem creatoris cedant.

Hæc proponens fratribus, bonus eris Ieſu Chriſti miniſter, enutriens eos ſermonibus fidei & bonæ doctrinæ, quam ſequutus es.

Quo ſpectent ea, quæ hactenus diſſeruit, aperit, nimirum, vt ea fratribus proponat Timotheus, cui rei rationē addit ab officio boni Ieſu Chriſti miniſtri, hoc eſt, Epiſcopi, quod eſt enutrire fratres ſermonibus fidei, quos bonam, id eſt, vtilem & ſalutarem doctrinam definit. Et vt ſtimulos ſponte currenti addat, amplificat ab anteactis, inquiés, Quam ſequutus es, ac ſi diceret, Tu hactenus ſequutus es doctrinam, id nunc maxime facere oportet, cum miniſter Chriſti ad ipſius regnum propagandum per ſanam doctrinam ſis electus, Poteſt etiam participium ἐντρεφόμενος paſsiue reddi, hoc pacto, enutritus ſermonibus fidei, &c. vt ad Timotheum referatur, atque ita ſignificat miniſtri Euāgelij eſſe, in doctrina fidei perpetuo occupari, vt eam veluti verſans ſæpe ac quaſi ruminans, ſalutem ſibi & alijs inde hauriat. Atque hæc expoſitio eſt Chryſoſtomi. prior tamen interpretatio contexui magis quadrare videtur. Ex hoc loco primum colligamus munus fidelis Euangelij miniſtri eſſe, enutrire Eccleſiam, non traditionibus humanis, non ficta religione, ſed ſermonibus fidei & bonæ doctrinæ. Et cōtra infidelem & malum eſſe Chriſti miniſtrum, qui abiecta doctrina Chriſti, humana ſomnia inculcat auditoribus, quemadmodum in Papatu fit. præterea epitheto, bonæ, ſignificat minime eſſe bonam doctrinam, quæ verbo Dei & fide non nititur.

Prophanas autem & aniles fabulas deuita.

Quemadmodum, quid docendum ſit, Epiſcopo præſcripſit: ita quam doctrinam vitare debeat, admonet. Vocat autem prophanas & aniles fabulas, quæ nec in verbo Dei fundantur, nec quid vtilitatis habeant ad ædificationem, ſed tantum imperitum auditorem ἀμορφίᾳ verborum deliniant. Obſeruemus hic iudicium Spiritus ſancti, de doctrina hominum, quæ ſane in Eccleſia Chriſti nihil niſi vanitatem profiteri poteſt, imo turbat aquam fontis viuentis, vnde haurire vult Deus omnes, qui ſalutem ſitiunt.

Cæterum, exerce teipſum ad pietatem.

Tertia pars huius capitis eſt, continens parænesin, qua Timotheum hortatur ad pietatem, ac alia cum pietate coniuncta officia, vt quæ vocationem eius attingant. Ac primum hortatur, vt exerceat ſe ad pietatem, & vſus eſt verbo à palæſtra ſumto. quo ſignificat, non ocio indulgendum, ſed totis viribus connitendum, vt in ipſa pietate creſcat ac proficiat. Eſt autem pietas, ſpiritualis Dei cultus. quo Deo nos totos iuxta eius verbum approbare ſtudemus. Huius partes duas facit Chryſoſtomus, nēpe fidem puram, & rectam vitam, qua & Deo & proximo & nobiſipſis reddimus quæ debemus, proinde recta vita conſiſtit in iuſticia bonæ conſcientiæ.

Corporalis enim exercitatio ad parum vtilis, at pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſiones habens vitæ præſentis & futuræ.

Proximæ paræneſeos ratio à comparatis ſumta. Confert enim hic pietatem & corporalem exercitationē, (quæ in auſtera viuendi ratione ſita eſt) idq; in vtriuſq; effectibus. Corporalis exercitatio ſponte accerſita, modo abſit ſuperſtitio, ad parum vtilis eſt: ſed pietas, id eſt, verus Dei cultus ad omnia eſt vtilis. Nam vt promiſsiones temporalium & æternorum bonorum additæ ſunt obœdientiæ Deo ex fide præſtitæ: Ita corporalis exercitatio, ſi quid commodi affert, id fit propter internam animi pietatem, neque enim inedia ſpontanea, neque longæ vigiliæ, neq; cubationes aſperiores per ſe quicquam valent, Sed interdum nonnihil ſine ſuperſtitione adhibitæ prodeſſe vidētur, idque parum admodum, ſi conferantur cum vero Dei cultu. Finis etenim exercitiorū corporalium ad corpus pertinet domandum & refrenādum, ſed pietas per ſe animum nutrit, & plurima bona corporalia & ſpiritualia, tēporalia & æterna affert. Hic obſeruemus teſtimonium

monium de remuneratione pietatis, id eſt, obœdientiæ cultuſque Dei ſpiritualis ex fide facti. Hanc remunerationem, quia Deus eam promittit, fide amplecti debemus & certo expectare. Præterea notetur diſcrimen inter verum Dei cultum, & corporalia exercitia.

Fidelis ſermo, & omni approbatione dignus.

Aſſeueratio epiphonematica eſt dictorum, eo pertinens, vt hac aſſeueratione magis ad obſeruandum diſcrimen pietatis & corporalis exercitij excitetur Timotheus.

In hoc enim & laboramus & probris afficimur, quia ſperamus in Deo viuente, qui eſt Saluator omnium hominum, maxime fidelium.

Hortari cœpit Timotheum ad pietatem, nunc id confirmat ſuo adeoq; totius Eccleſiæ teſtimonio. Hic tria ſimul obſerua. Primum, Eccleſiæ externam ſpeciem, quæ eſt, ſub cruce laborare & probris affici. Secundo, cauſſam, quia ſperat Eccleſia in Deo viuente. Vult enim Deus Eccleſiam cruci ſubijci, vt aliquo modo agnoſcat peccatum, creſcat pœnitentia & inuocatio. Tertio, euentum lætum præſentium calamitatum, à quibus viuens Deus ſuos liberabit. Sed quid vult hæc diſtributio, qua dicit, Deum ſaluatorem omnium, & maxime fidelium? Eſt igitur ſaluator infidelium? Cum dicit, omnium hominum, ad propoſitum volũtatis reſpexit, vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. At cum addit, maxime fidelium, illos pronunciauit ac diſtinxit, qui fide oblatam gratiam recipiunt, alios ſua culpa perire ſignificans. Nos igitur, ſi oblatæ gratiæ participes eſſe volumus, eam verbo & ſacramentis oblatam fide amplectamur. Sunt qui generalius verbum, ſaluandi, accipiunt, pro tueri & conſeruare, & argumentum texunt à minore, hoc modo, Deus eſt totius naturæ adeoque omnium hominum ſaluator, multo magis pios ſaluabit, quorum pręcipuam curam habet. Sed prior explicatio magis contextui quadrare videtur.

Præcipe hæc & doce.

Repetitio admonitionis, qua monentur Epiſcopi diligentiæ & ſedulitatis in officio.

Nemo iuuentutem tuam contemnat.

Hoc cum ad auditores, tum ad Timotheum ipſum referri poteſt. Ad auditores quidem, vt reuereantur Epiſcopum ſuum, non eum propter iuuentutem aſpernantes. Ad Timotheum vero, vt iuuenilem ætatem ſenili grauitate ornet, quo alijs ſpeculum grauitatis & honeſtorum morum eſſe poſsit. Diſcant hinc auditores magnifacere Euangelij miniſtros, diſcant & miniſtri morum dexteritate & grauitate ſibi animos hominum conciliare.

Sed eſto typus fidelium in ſermone, in conuerſatione, in caritate, in ſpiritu, in fide, in caſtitate.

Modum & rationem, qua minime contemtui exponatur iuuentus Timothei, exponit, nimirũ vt ſe typum omnium virtutum ſtatuat. Eſt enim hoc doctoris munus, vt non tantum verbis, verum etiam moribus doceat. Porrò, enumerationem ſpecierum pro genere ponit. Vult enim vt Paſtor in omnibus rebus honeſtatis ſpeculum ſit ſui gregis. Spiritus vocabulo lenitatem in corrigendis moribus intelligit. Cętera vocabula notæ ſignificationis ſunt.

Donec venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.

Tria hic commendat Timotheo, atque adeo omnibus Euangelij miniſtris, nempe lectionem, exhortationem, doctrinam, de quibus pauca quædam præcepta colligam.

DE LECTIONE.

Quia lectio ſcripturæ eo pertinet, vt inde aquam de fontibus ſaluatoris hauriamus, ante omnia pium pectus ad lectionem ſcripturæ afferri oportet. Deinde liberalem in artibus & linguis (quãtum id conceditur) doctrinam. Hiſce rebus inſtructus Theologiæ ſtudioſus in lectione ſcripturæ obſeruet tria, Hiſtoriam, doctrinam, modum diſcendi quæ legit. In Hiſtoria ſex ſunt obſeruanda. Primum, ſeries temporum: cuius obſeruatio ad intelligendum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſcripturā plurimum conducit. Secundum, propagatio doctrinæ. Tertium, miraculorum varietas, quibus veritas doctrinæ ſtabilitur. Quartum, Crux & externæ Eccleſiæ forma. Quintum, Liberatio Eccleſiæ à varijs periculis. Sextum, Exempla pœnarum, lapſuum, pœnitentiæ, fidei, patientiæ, confeſsionis & aliarum virtutum. Hæc obſeruata, accommodabit diligens lector ad præſentis Eccleſiæ ſtatum, vt inde doctrinæ, admonitiones, conſolationes petantur, cum ad fidem piorum confirmandam, tum ad metum & terrorem impijs incutiendum.

DE EXHORTATIONE.

Exhortatione accommodatur doctrina ad vſum auditorum. Sunt enim alij ſegnes, alij puſillanimes, alij contumaces, alij infirmi. Quare ſubinde opus eſt ſtimulis, exhortationibus, obiurgationibus & conſolationibus, quibus doctrina auditoribus accommodabitur. Exempla multa extant in Moſe, in Prophetis, in concionibus Chriſti, & in ſcriptis Apoſtolicis. Verum in hac re opus eſt prudentia, ne aliena ingeras, neue intempeſtiue, non habita doctrinæ & auditorum ratione, excurras in anilem loquacitatem, vnde fit, vt reprehenſionis ſtudio magis emendationis deſiderio laborare videaris.

DE DOCTRINA.

In doctrina quatuor potiſsimum obſeruentur. Primum, doctrinæ præcipua capita, ſeu loci. Secundum, docentium varietas & conuenientia. Tertium, interpretandi ratio. Quartum, doctrinæ ad vſum accommodatio. Locus doctrinæ ſeu capita præcipua ad quatuor ordines refero. Vt primus de ſpirituali Chriſti regno ſit. Secundus, de generali viuendi regula. Tertius, de Eccleſia & eius gubernatione. Quartus, de rebus politicis & œconomicis. Philippus tres ordines facit. Vt primi ordinis loci ſint πνευματικοί. Secundi, παραδόσεις, id eſt, traditiones. Tertij politici & œconomici. His tribus ordinibus ſubiecit XXIIII. locos, videlicet, de Deo, de peccato, &c. Poſſunt & duo capita ſtatui, vt primum ſit de Lege, Alterum de Euangelio, ſed ita, vt illorum appendices, ſub illis intelligantur. Tametſi autem vniuerſa ſcriptura ad Deum tanquam vnicum fontem referenda eſt, vtile tamen eſt doctorum diſcrimina obſeruare, idque propter docendi modum. Locum primum Moſes occupat. Secundum Prophetæ. Tertium Chriſtus & Apoſtoli. Quartum ſancti Patres ſequuti Apoſtolos, occupant. In quibus omnibus idem Chriſtus per ſuum ſpiritum eſt locutus. Hi omnes, quia eodem Dei ſpiritu locuti ſunt, cōueniunt, eandem enim doctrinam omnes, nempe Legis, Euangelij & veri cultus Dei profitentur, qui tamen in modo docendi nonnihil variant. Moſes omnium, ob breuitatem, obſcuriſsimus eſt. Prophetæ huius ſunt clariores interpretes. nam hi integris concionibus explicuerunt, quæ veluti breuibus aphoriſmis ſignauerat Moſes. Chriſtus & Apoſtoli, qui prophetiarum complemētum viderunt, omnia adhuc apertius tradiderunt, quibus ſancti adeoque omnes interpretes lucem interpretando afferre conati ſunt. Tertio loco de interpretationis ratione propoſui, de qua quia in Methodo mea dictum eſt, & quotidie idem manifeſtatur exemplis docentium, nolo de ea plura hic dicere, nec de accommodandi ratione ad vſum aliquid dicam, niſi hoc tantum, quod vniuerſalia dicta accommodanda ſint ad hypotheſes, & indiuidua & particularia dicta ad vniuerſalia reuocanda ſint. Reſtat modus diſcendi, qui tametſi ex ijs, quæ dicta ſunt, dependere videtur, quinque tamen communia præcepta obſeruatione digna, hoc loco exiſtimo, quorum primum eſt, vt obſeruentur doctrinæ præcipua capita ſeu loci communes incomplexi. Secundum, vt eorum definitiones teneantur, ex verbo Dei extructæ. Qui enim rei alicuius definitionem recte nouit, is ad omnem diſputationem & orationem de ea re fundamentum iecit. Tertium, diuiſiones rerum multiplicium ſignentur. Sine enim diuiſionibus recte formatis, nihil plene intelligi à nobis, nec alijs recte tradi poteſt. Quartum, eligantur inter legendum axiomata, hoc eſt, generales ſententiæ, ex quibus plurimæ concluſiones extrui poſſunt, idque de ſingulis capitibus præcipuis. Horum enim axiomatum ſuppellex parata, in omni doctrinarum genere & diſputandi & dicendi copioſam ſyluam ſuppeditat. Quintum & poſtremum, vt eorum, quæ diſcere inſtituiſti, ordo diligens ſeruetur. Vt enim confuſio ordinis, memoriam turbat: Ita nulla re magis iuuatur diſcentis ſtudium, quam diligenti ordinis obſeruatione.

Ne negligas quod eſt in te donum, quod datum eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij.

Repe-

Repetitio eſt ſuperioris per abnegationem contrarij. Eſt autem negligere donum, ſegniter facere officium, cuius officij cauſſa donum collatum eſt. Hinc diſcat quiſque recte ſibi tradito talento vti in ædificationem Eccleſiæ, ne ingratus Deo, qui talentum contulit, eſſe videatur. Diſcat etiam qui donis ornatus eſt, nihil arroganter ſibi tribuere, quaſi à ſe haberet, quæ habet, & non aliunde. Hinc Paulus: Quid habes quod non accepiſti? Quid gloriaris, quaſi non acceperis? Meo, inquies, ſtudio & diligentia hoc ſum conſecutus. At niſi Dominus ædificat, fruſtra laborem ſumit ædificator. Cum donũ dicit datum per prophetiam, ſignificat teſtimonium ſpiritus de Timotheo præceſsiſſe, quo teſtatus eſt ſpiritus, Timotheum idoneum Eccleſiæ miniſtrum fore. Huc addit ritum ordinationis per impoſitionẽ manuum Presbyterij, hoc eſt, ſenatus Eccleſiæ ſiue aliorum miniſtrorum Euangelij, qui impoſitione manuum illum deſignarũt Epiſcopum. Nec hic ritus eſt inane ſpectaculum, ſed, cum precatio accedit, impetratur Spiritus ſanctus ordinando, niſi ipſe ſit impius Hypocrita. Obſerua igitur præter mores, quos ſupra præſcripſit, duo in Epiſcopo requiri, donum & ordinationem, quam legitima vocatio præcedere debet.

Hæc cura, in his eſto, vt tuus profectus in omnibus manifeſtatus fiat.

Idem vrget, nimirum, vt Timotheus diligenter faciat officium, & ſimul addit argumentum à fructu diligentiæ, vt tuus, inquit, profectus manifeſtatus fiat in omnibus, hoc eſt, in fide, vita & docendi dexteritate. Hoc ſupra de Diaconis loquens, alijs verbis expreſsit, Qui bene miniſtrauerit, gradum ſibi acquirit, & multam libertatem, &c. Nam diligentia in vocatione ornatur cumulatiori benedictione. Hinc ergo ad diligentiam ſinguli excitemur.

Attende tibijpſi & doctrinæ, permane in his.

Idem repetit per Iſodynamiam, ſed in duo quaſi capita diſtinguit omnia, quorum primum eſt, vt ſibi attendat, hoc eſt, vt ſe ſyncerum & purum cuſtodiat. Secundum, vt inuigilet officio. Hac crebra admonitione videtur quaſi procul proſpexiſſe incuriam Epiſcoporum, qui ad Eccleſiæ gubernationem aliquando adhiberentur.

Hoc enim faciens, & teipſum ſeruabis, & eos, qui te audiunt.

Argumentum à duplici fructu diligenter præſtiti officij, nimirum perſonæ proprię, & auditorum. Sed quomodo ſeruat Timotheus iſto ſuo facto? & quomodo alios ſaluare poteſt? An non ſoli Deo ſalus ferenda? Supra de mulieribus dictum eſt, quod ſaluentur per liberorum generationem, non quidem vt per meritum, ſed vt per debitum officium, quod qui negligit, fidem abijcit: Ita quoque hoc loco Timotheus ſe ſaluare dicitur, dum in ſalute parta manet, diligenter præſtando officium. Alios autẽ miniſter Euangelij ſeruat, vt organum ſalutis. Nam per miniſterium verbi, homines ad ſalutem inuitantur. Duos proinde locos hic obſeruemus. Priorem, de fructu fideliter præſtiti officij in miniſterio. Poſteriorem, de ſcelere non præſtantium officium. Qui enim non facit officium, reus eſt ſanguinis eorum, quibus erudiendis in pietate præficitur. Vnde Ezechielis 3. capite, Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, & non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt cõuertatur à via ſua impia & viuat, ipſe impius in impietate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.

CAPVT V.

Summa quinti Capitis.

Quemque pro conditione ſui ſtatus & ordinis admoneat Epiſcopus: Commendet ſingulis ac præcipue viduis debita officia: Sit præterea Epiſcopus circumſpectus in corripiendis vitijs, quæ nota ſunt. Nam vt quorundam peccata manifeſta ſunt, ac in iudicium damnationis tendunt: Ita quorundam benefacta ſimiliter ſunt manifeſta, & quæ ſecus ſe habent, occultari non poſſunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Ordo quinti Capitis.

Quemadmodum fieri ſolet in exhortationibus, ita in hoc capite varias ingerit paræneſes, ſed vt aliquis ordo à diſcentibus teneatur, in quinque partes hoc caput diſtribuatur. Prima, eſt admonitio de leni peccantium correptione pro ſtatus & perſonarum conditione. Secunda, canon de viduarum ætate, moribus & miniſterio. Tertia, aſſertio de Presbyterorum honore & victu. Quarta, congeries quædam paræneſeon, de cauta manuum impoſitione, de caſtitate, de modico vini vſu, &c. Quinta, notatio diſcriminis cum peccatorum, tum bonorum operum, quorum illa ad damnationem tendere, vt quæ occultari non poßint, aſſerit. Hæc autem nunc manifeſta eſſe. proinde nullum opus latere poteſt, ſiue ſit bonum ſiue malum.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SENIOREM ne obiurges ſæuius, ſed hortare vt patrem, iuniores, vt fratres, mulieres natu maiores, vt matres: iuniores, vt ſorores, cum omni caſtitate.

Prima huius capitis pars, de modo reuocandi errantes in viam. Vult enim vt tria perpẽdat Timotheus. Primum, vicium caſtigatione emendandum. Secundum, conditionem eorum, quos emẽdabit. Tertium, ſuam quoque perſonam. Vicia in nullo ferenda ſunt, Sed modus caſtigandi petetur ex noſtra, & illorum quos caſtigabimus, collatione. In noſtra perſona non tantum officium, verum etiam ætatem, autoritatem & alias conditiones ſpectare oportet, quo cauſſam non reddamus deteriorem, noſtræ conditionis obliti. Vult ergo, vt Timotheus, qui iuuenis erat adhuc, induat filialem affectum erga grandiores natu, vt æquales ætate, tanquam fratres & ſorores complectatur, cum omni caſtitate, hoc eſt, vt nemini præbeatur occaſio obloquendi, propter intemperantiam, & nimiam ſæueritatem, ſiue tyrannidem in officij executione. Caſtitatis enim vocabulum ad morum caſtam grauitatem referendum eſt, & non pertinet tantum ad extremam huius exhortationis clauſulam, ſed eam totam, & omnes eius partes quaſi determinat. Sit ergo hic locus omnibus Euangelij miniſtris caſtigationis legitimæ regulà generalis. Præterea moneantur Epiſcopi ex hoc loco, reprehendere vitia, non tantum ſui officij eſſe, publice & in genere, verum etiam priuatim, prout commodum viſum fuerit ſingulos corripere.

Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt.

Secunda capitis pars eſt de viduis, has vt honoret Timotheus, præcipit. Honoris vocabulum reuerentiam & curam complectitur. Solebant enim tum temporis honeſtæ viduæ eligi ac ali ex publico. Sed quas vocat vere viduas? Non tam eas intelligit vere viduas, quæ poſt ſolenne nuptiarum fœdus, morte interueniente, à viris ſuis relictæ ſunt, quam quæ omnino deſtitutæ ſunt omni auxilio, vt quæ nec liberos aut nepotes habeant, qui ſe iam effœtas alere poſſunt. Nam vidua Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ χηρεῦσαι, id eſt, deſtitui, ac omni auxilio priuari, ad hanc etymologiam hic Paulum reſpexiſſe videtur.

Porrò, ſi qua vidua liberos aut nepotes habuerit, diſcant primum propriam domum pie tractare, & vicem mutuam reddere progenitoribus.

Conſilium proponit de viduis habentibus liberos aut nepotes, nimirum, vt viduæ pie inſtituant ſuos liberos, quo & ipſi rem familiarem pie adminiſtrare & benemeritis progenitoribus vicem, cum id opus poſtulat, reddere poſsint, quod vbi fit, minus grauatur Eccleſia in alendis viduis. Nam pueri & nepotes pie inſtituti curam earum in ſe recipiunt, nec ſinunt eas egere. Contra vbi negligenter inſtituuntur liberi, progenitoribus duplicant moleſtiam, vt qui nec ſibi, nec alijs vtiles eſſe poſsint.

Hoc enim honeſtum & acceptum coram Deo eſt.

Hæc ratio ab honeſto ſumta, gratitudinem Deo acceptam docet. Vnde ex contrario, Deum ingratitudinem odiſſe colligitur. Proinde nõ mirum eſt plurimos propter ingratitudinẽ diuinitus puniri.

Quæ

Quæ autem vere vidua eſt, ac deſolata, ſperat in Deo, & perſeuerat in orationibus & obſecrationibus nocte & die.

Epexergaſia eſt, ſeu interpretatio. Nam quæ vere vidua ſit explicat, ac quatuor ei addit conditiones. Prima, quod ſit relicta, mortuo marito. Secunda, quod ſit ſola ſine liberorum ac nepotum cura. Tertia, quod ſit pia, vt quæ humano auxilio deſtituta, ſpem in Deum collocet. Quarta, quod ſit perſeuerans in obſecrationibus nocte & die. Quamuis autem multæ ſunt viduæ, tamē eas ſolas vult ſumtibus Eccleſiæ ali, in quibus hæc quatuor inueniuntur.

Quæ autem in delitijs verſatur, viuens mortua eſt.

Antitheſis eſt veræ viduæ. vt enim vera vidua ſperat in Deo, renunciatis carnalibus deſiderijs: Ita in delitijs ſubmerſa anima, mortua eſt, vtut corpore in delitijs viuat. Agnoſcamus igitur quid incōmodi afferant oblectamenta carnalia, tunc enim plane vera mors eſt, quando homo, anima præmoriente, deteriore parte hominis ſit ſuperſtes. Cum autem hoc mali à delitijs carnis naſcatur, non immerito à Platone dictum eſt, voluptatem eſcam malorum eſſe.

Et hæc præcipe, vt irreprehēſibiles ſint.

Vult veras viduarum conditiones ipſis viduis proponi, vt ſciant ipſæ, in quibus rebus ipſarum potiſsima cura ſita eſſe debeat.

Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior.

Ab vniuerſali principio ducit argumentum cuius hæc vis eſt: Quicunq; curam non habet ſuorum, ſuæque familiæ propriæ, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior, viduæ igitur ne in hoc malum incurrant, inſtituant bene proprios liberos & nepotes. Sed quomodo infideli deterior talis exiſtit? Ideo deterior eſt, quia legem Dei & naturæ violat, & negligit, quod prophanus homo ſollicite facit, qui certe ſi alios nō curat, ſuorum tamen curam non abijcit. Locus inprimis obſeruandus, de vera fidei nota externa: nimirum, quod fides in ocioſis ac negligentibus ſuum officium, eſſe non poſsit. Non igitur fides negligentes, ſed in omni officiorum genere alacriores nos reddere debet. Nam cum officium negligitur, polluitur conſcientia, & cum polluta conſcientia fides vera conſiſtere nequit.

Vidua deligatur.

Supra in genere conditiones viduarum ad quatuor reuocauit capita. Nunc quaſdam alias circumſtantias addit, & peculiares conditiones earum, quas publicis ſumtibus in miniſterio Eccleſiæ ali vult, recenſet.

Non minor annis ſexaginta.

Hoc tempus ideo præſcribit Paulus, quia quæ ea ſunt ætate, iam effœtę exiſtunt, & ineptæ ad matrimonium, neque enim ſolent, quæ ſuperiori ætate honeſte vixērunt, incidere in incontinentiæ malum, quod iunioribus facile contingit.

Quæ fuerit vnius mariti vxor.

Sicut ſuperior circumſtantia non ad dignitatem perſonæ, ſed ad indicium futuræ continentiæ pertinet: Ita & hæc eodem referenda eſt. Nam quæ vno marito per priorem ætatem contenta fuit, magnum præbet futuræ continentiæ argumentum, ne ſexagenaria iam nouas quærat nuptias, quas eis concedit, quæ matrimonio opus habent. Non enim vult Paulus neceſsitatem cœlibatus vlli imponere.

In operibus bonis teſtimonium habēs.

Hoc generale ſignum eſt deligendæ viduę operum bonorum teſtimonio comprobari, ſed quæ ſint illa opera, diſtributione ſequenti explicat.

Si liberos educauit, ſi fuit hoſpitalis, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi afflictis ſubuenit, ſi in omni opere bono fuit aſsidua.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Hoc præcipuum opus eſt honeſtarum viduarum, & nota, quod Spiritus ſancti teſtimonio bonum prædicetur opus, liberos educare. Quare & coniugium & thorus coniugalis nequaquam in vitijs numeranda ſunt. Sed quid, ſi aliqua ſit ſterilis? An illa vt indigna eſt reijcienda? nequaquam, ſed hoc veluti proprium opus matronarum propoſuit, vt exemplum bonorum operum. Quare cum conditione intelligendum eſt, ſi liberorum mater ſit aliqua, vt tum declaret ſuam pietatem in educandis liberis. Quæ ſequuntur conditiones, ſeu ſpecies bonorum operum notæ ſunt. Lotione pedum per Synecdochen intelligit officia, ſanctis, id eſt, pijs aduenis præſtita. & quia non omnia enumerat, in fine genus ponit; Si in omni opere bono fuit aſsidua.

At iuniores viduas deuita.

Iam addit admonitiones de iunioribus viduis, ac primum eas deuitandas monet, quo dicto nequaquam damnat viduas iuniores, ſed tantum vult Timotheum cauere, ne eas alendas Eccleſiæ ſumtibus recipiat, neue eis curam aliquam in Eccleſia committat, vt ut ſe caſtas fore & cœlibes in poſterum receperint. Nam periculum eſſe magnum à lubrica ætate inſinuat.

Cum enim laſciuire cœperunt aduerſus Chriſtum, nubere volunt.

Ratio eſt proximæ propoſitionis, quam in hanc formam licet concludere. Viduæ laſciuiæ periculo obnoxiæ, volenteſque nubere, non ſunt ſumtibus Eccleſiæ alendæ: hoc autem de iunioribus viduis eſt timendum. Igitur viduæ iuniores non ſunt recipiendæ, vt Eccleſiæ ſumtibus alantur. Porrò laſciuire aduerſus Chriſtum dicitur, quicunque ſolutiorem vitam agit, quam decet eum, qui Chriſto nomen dedit. Eſtque metaphora ſumta ab equis exuentibus frena ſeu habenas, vt poſsint intemperantius ferocire & laſciuire.

Habentes condemnationem, quod primam fidem reiecerint.

Amplificat periculum. Viduæ vouentes perpetuam continentiam, vt commodius ſeruiant Eccleſię, cum in laſciuiam ſoluuntur, habẽt damnationem, Hoc eſt, æternæ pœnæ reæ ſunt, propterea quod primam fidem Chriſto in Baptiſmo datam reiecerunt. vbi enim laſciuia regnat, ibi fides exulat: vbi fides exulat, ibi certa adeſt damnatio. Quid ſi hic prima fides dicatur reſpectu ſecundæ fidei nempe coniugalis? vt prima fides ſit officij ſeu voti qua mulier vidua promittit Eccleſiæ perpetuum miniſterium libera ab impedimentis coniugalibus, & ſecunda fides ſit quæ datur viro cui nubet. quæ ſecunda fides primam nempe officij perpetuandi irritam facit. quia mulier matrimonij vinculis impedita non amplius promiſſum officium præſtare poteſt. Hoc loco perperam abutuntur Papiſtæ ad ſua temeraria vota ſtabilienda. nam Papiſtarum vota nihil habent commune cum votis viduarum veteris Eccleſiæ. His enim erat politicus finis, illis verò ſuperſtitioſus propoſitus. Præterea in votis Papiſticis duplex eſt impietas. Prior, quod votum cœlibatus ſit illis cultus meritorius coram Deo. Poſterior, quod vouendi temeritate multas animas in exitium præcipitent. Quare in iſtis temerarijs votis ſequamur regulam: In malis promiſsis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum. præterea hic locus admonere debet Papiſtas, ne adeo crudeles eſſent in iuuenculas, quas in Monaſteria includunt, vbi nihil præter certam damnationem inueniunt.

Simul & ocioſæ diſcunt circuire domos, nec ſolum ocioſæ, verum etiam garrulæ & curioſæ, loquentes quæ non oportet.

Aliud argumentum ab adiunctis ſumtum. Solent enim iuuenculæ viduæ, his tribus vitijs, otio, curioſitati & garrulitati obnoxiæ eſſe: Quales non decet eas eſſe, quæ rebus Eccleſiæ ſunt perficiendæ, non igitur tales recipiendæ ſunt.

Volo igitur iuniores nubere, liberos gignere, domum adminiſtrare.

Prolepſis eſt. Anteuertit enim obiectionem eorum, qui ex dictis poterant ſumere argumentum cotemtus viduarum iuniorum, quas Paulus minime vult contemni, ſed vult vt ſanctum coniugium rurſus amplectantur, quo ſuæ conſulant infirmitati & periculo. Hic clare vides temere ſecundas nuptias reprehendi. liberos gignere, domum adminiſtrare, ſunt propria matronarum officia, quæ officia vere Deo placent, & in ijs fides exercetur.

Nullam.

Nullam occaſionem dare aduerſario, vt habeat maledicendi cauſſam.

Hęcratio à communi Chriſtianorum officio ſumta eſt, quod eſt cauere ne præbeant hoſtibus religionis maledicendi cauſſam. Neq; enim poteſt iuuencula vidua adeo inculpatam vitam agere, quin hoſtes aliquam calumniandi rimulam inueniant. Hic locus monet, vt non ſolum ipſi bonam conſcientiam apud nos habeamus, verumetiam vt præcidamus alijs, quantum in nobis eſt, oblatrandi occaſionem.

Nonnullæ enim iam deflexerunt poſt Satanam.

Rationem ab exemplo addit, ac ſi dicat, experiẽtia me docet, quantum periculum ſit iuniores viduas recipere. nam nonnullæ ob vitæ laſciuiam à fide defecerunt, ſed coniunctum poſuit, vt exaggeraret periculum, & malum laſciuiæ, qui enim à Chriſto deficit, mancipium Satanæ ſtatim euadit. Obſeruandus locus, quod à Chriſto deficere, ſit Satanam ducem ſequi.

Quod ſi quis fidelis, aut ſi qua fidelis habet viduas, ſuppeditet illis, & non oneretur Eccleſia, vt ijs, quæ vere viduæ ſunt, ſuppetat.

Prolepſi anteuertit obiectionem, iuniores viduæ interdum æque indigent, atque grandiores, cur non igitur recipiendæ ſunt? Paulus reſpondet, quod viduarum iuniorum parentes, cognati & affines eis neceſſaria ſuppeditent. Huius propoſitionis duplicem rationem apponit, Priorem, ne ſumtibus oneretur Eccleſia, Poſteriorem, vt ſit vnde vere viduæ ſuſtententur.

Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborãt in ſermone & doctrina.

Tertia huius capitis pars eſt, de Presbyterorum honore & victu, & videtur Paulus duo genera Presbyterorum notare: Vnum eorum, qui nõ docendo, ſed alia ratione Eccleſiæ ſeruierunt, Nimirum in cauſsis cognoſcẽdis & iudicandis inter fratres: Alterum eorum, qui miniſterio verbi fungebantur. Vtroſq; vult quidem honorari, ſed magis eos, qui in doctrina & ſermone laborant, vt Parochi & Epiſcopi, & Catechetæ, quos hodie Doctores vocant. Duo igitur hic obſeruentur. Primum, quod ſit auditorum Euangelij officium, ſuôs honorare Paſtores, quibus & victum debeant iure diuino, vt vacare poſsint legi Dei. Alterum, quod Paſtorum ſit bene præeſſe, hoc eſt, ita vt omnia poſtponant, vitã & fortunas; diligentiæ in officio, & laborare in doctrina & ſermone, quo ædificetur Eccleſia illorum miniſterio, atque ita ſibi mutuo iûs analogum debent doctores & auditores. Præterea hoc dicto confutantur Anabaptiſtæ, & Libertini, qui verbo contemto, (in quo Paulus vult laborare miniſtros Euangelij) quęrunt reuelationes nouas extra & contra verbum Dei.

Dicit enim ſcriptura, Boui trituranti nõ obligabis os.

Ratio à pronunciatis ac ſimul ab exemplo allegorico. Locus eſt Deut. 26. vbi Dominus ita iuxta Hebraicã veritatem dicit. Non ligabis os boui in tritura ſua. Quo ſane dicto nihil aliud vult, quam vnumquemque dignum eſſe præmio, pro ſuo labore fideliter præſtito. Triturantis enim bouis allegoria arduum & difficilem, atque adeo ſerium laborem requirit ab Epiſcopo: Non vult ita honorari porcos, qui tantum ſuo abdomino & ventri ſeruiunt.

Et dignus eſt operarius mercede ſua.

Alia ratio à genere ſumta, & videtur fuiſſe vulgare dictũ apud Iudæos, vſurpatum etiam à Domino Matth. 10. & Luc. 10. Nota rurſus, quod operarium dicat dignum mercede. Quare qui ocioſus delitijs ſtudet, mercede indignus ſignificatur. Porrò copioſiorem huius loci explanationem habes 1. Corinth. 9. Matth. 10. & Luc. 10.

Aduerſus Presbyterum accuſationem non admittas, niſi ſub duôbus aut tribus teſtibus.

Hoc quoque ád honorem Presbyterorum referri poteſt, ne calumniatoribus vitæ ac famæ eorum præbeat aurem Epiſcopus, niſi prius legitimis teſtibus fuerint conuicti. Nam ſi delatoribus auſcultare velit, ſine cauſſæ euidenti cogni-

tione, fieri non poteſt, quin ſæpe præcipitet iudicium, ac in innocentes temere inuehatur. Chryſoſtomus hoc præceptum non ad dignitatem ſeu ordinem, ſed ad ætatem in genere refert. Porrò quod addit, de duobus aut tribus teſtibus, ex lege ſumtum eſt, quod quia non tantum iudiciale eſt, verum etiam naturalis æquitas id poſtulat, nos quoque obligat.

Peccantes coram omnibus argue, vt & reliqui timorem habeant.

Hoc præceptum niſi intelligatur de manifeſtis peccatis, cum mandato Domini iubentis arguere fratrem inter te & ipſum ſolum, ſtare non poteſt. Quare non dubium eſt, quin de emendatione & correptione publicorum delictorum intelligendum ſit hoc Pauli præceptum. nam publice traducere delictum fratris, tibi forte & paucisſimis alijs notum, cum caritate Chriſtiana pugnat. Præterea nihil ædificat talis correptio, imo potius plurimum ad deſtructionem facit, non ſolum eorum qui inde ſcandalizantur, verum etiam eius, qui arguitur. Intempeſtiua enim & publica caſtigatione correptus, ſæpe pudore omni depoſito in peccandi licentiam prolabitur: qui amica & priuata caſtigatione emendari poterat, quam ſi contemneret, iuxta regulam à Domino præſcriptam Matth.18. agendum eſſet.

Conteſtor coram Deo & Domino Ieſu Chriſto, & electis Angelis, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

Hæc conteſtatio, qua veluti ſacramento obſtringit Timotheum Paulus, quam arduum ſit Epiſcopi munus oſtendit, Et cōtinet valde ſeriam admonitionem, ne in conſpectu tantorum teſtium, Dei patris, Chriſti & electorum Angelorum (hos electos ad diſcrimen reproborum vocat) quicquam faciat eorum, quæ ad Epiſcopi munus pertinent, ex priuatis affectibus, ſed vt omnia legitime & rite in gloriā Dei & Eccleſiæ ædificationem, iuxta præſcriptos canones, neminē cuiquam priuatas ob cauſſas præferēdo agat. Vbi verſio vulgata habet, nihil faciens in alter partē declinando, Græci codices multi habēt κατὰ πρόσκλισιν (à προσκλίνω, id eſt, inclino) id eſt, iuxta inclinationē, hoc eſt, prout animus huic vel illi fauet, nō tam cauſſæ quam perſonæ habita ratione. Hanc lectionem Græcam ſequutus Eraſmus, reddidit προσφασικῶς, iuxta propenſionem animi. Alij codices (quemadmodum & Chryſoſtomus legit) habent κατὰ πρόσκλησιν à προσκαλέω, id eſt, aduoco, hoc eſt, ſi verbum verbo reddere velis, iuxta aduocationem, hoc eſt, non propterea cauſſæ alicuius fauebis, quia eius aduocatus es, & rogatus, vt ipſum in ſua cauſſa adiuues, ſed rectum iudica iudicium, ſepoſita omni perſonarum ratione, vnde quidam Latini ſic habent: Nihil faciens per aduocationem, id eſt, ſi aduocatum alicuius agis, in alteram partem declinando. Hæ omnes lectiones, tametſi in verbis diſcrepant, eandem tamen ſententiam offerunt, nimirum vt Epiſcopus iuxta canones à Paulo præſcriptos, omnia agat ac iudicet, veritatem cauſſæ pluris faciendo, quam perſonæ conditionem, quod ſane omnibus iudicibus in commune commendatur Exod.18.

Manus cito nemini imponas.

Aliud conſilium ſeu alium canonem de ordinandis ad officia Eccleſiaſtica addit, ne cui niſi ſatis idoneo & probato, manus imponat, hoc eſt, ne quem ordinet ad functionem Eccleſiaſticam. Eſt enim per metonymiam, ſignum pro re ſignata, poſitum. Hic cordatum requirit Epiſcopum, qui non ſtatim quemlibet ad munus Eccleſiaſticum admittat, ſed tantum probatos, iuxta ſuperiores canones,

Neque communices peccatis alienis.

Ratio eſt ſuperioris canonis ſeu conſilij, quemque pium decet cauere, ne alienis peccatis communicet, hoc eſt, ne fiat reus alienorum peccatorum, quod illi accidit Epiſcopo, qui eum miniſterio Eccleſiæ præfecit, cuius doctrinam & vitam adeo auguſta functione dignam non iudicat. Locus obſeruandus, quod alieno reatu obſtringuntur, quotquot ſua negligentia, aut affectibus priuatis faciunt, vt indigni & idonei rebus in Eccleſia gerendis præficiantur.

Teipſum purum cuſtodi.

Vniuerſale præceptum eſt, vt in omnibus actionibus adhibeat hanc diligentiam, ne vel in priuata vita, aut publico officio quid agat, vnde contaminari poſſit, neue accerſat ſibi reatum alieni peccati.

Ne poſt-

Ne poſthac bibas aquam,ſed paulo vino vtere,propter ſtomachum tuum,& crebras tuas infirmitates.

Conſilium interſerit de tuenda valetudine. Vt enim intemperantia fugienda eſt Epiſcopo: Ita valetudinis ratio non eſt negligenda, ne nimia abſtinentia lædatur valetudo. Vterque enim reus eſt coram Deo, cum qui intemperanter viuit,tum qui valetudinis ratione neglecta,nimium corpus macerat,vnde inutilis rebus, quas requirit vocatio, redditur.

Quorundam hominum peccata, ante manifeſta ſunt, præcidentia ad iudicium, quoſdam vero ſubſequuntur.

Hic in ordinis aſsignatione quintam huius capitis conſtituit partem; quæ quorundam iudicio cõſolatoria eſt,qua aduerſus hypocritas ſuſtentat Timotheum, ne fractus illorum fraudibus, qui aſtute ſe inſinuant in Eccleſiaſtica officia, animum deſpondeat, futurũ eſſe prædicens, vt tales aliquando protrahantur in medium, & coarguantur illorum malefacta,vtut ad tempus lateant. Verũ cum rem diligentius examino,alius ſenſus, ac verior ſe huius loci offert. dixerat ſupra, nemini cito man⁹ imponas. Hic eius cõſilij rationem reddit in hanc ſententiam: Nemini cito manus imponas,ne admittantur improbi. Improborum autem quorundam peccata manifeſta ſunt,antequam veniatur ad iudicium,id eſt,examẽ doctrinæ & morum,de his facile eſt iudicium: Nempe quod non ſint admittendi ad munus Eccleſiaſticum. Contra autem quorundam improbitas occulta eſt,ita vt appareant probi & idonei,qui Eccleſiæ CHRISTI præficiantur,ſed illorum ſcelera tandem ſe produnt ſuo tempore. De his quia difficilius eſt iudicium,differenda eſt ordinatio eorum, & longiori tempore faciendum eſt periculum, relabentur ne an non in priora ſcelera. Nam de his loquitur Paulus qui ex Ethniciſmo conuerſi receperant doctrinam Euangelij,inter quos fuerunt plurimi hypocritæ, veluti inter eos,qui hodie Monaſticæ vitæ aut Papiſticæ renunciantes,Euangelium ſe amplecti dicunt.

Similiter & bona opera ante manifeſta ſunt,& quæ ſecus ſe habent occultari non poſſunt.

Antitheſis eſt ſuperioris ſententiæ, huius ſimiliter duplicem afferamus interpretationem, quarum prior eſt, quod ſit cõſolatio, qua probos & innocentes erigit,quorum interdum innocentia & integritas nota eſt,& in precio apud homines habetur.Interdum ſecus ſe habet,id eſt,nõ eſt nota,nec eſt in precio apud homines, quæ tamen occultari non poterit,quin in medium ſuo tempore proferatur. Poſterior interpretatio eſt de admittendis ad functionem Eccleſiaſticam, qui etiam in duplici ſunt diſcrimine. Nam quorundam bona opera manfeſta ſunt ante iudicium, id eſt, examen doctrinę,ita vt abeſſe videatur omnis hypocriſis,& tales admittendi ſunt.Rurſus quorundam benefacta,non ita ſunt manifeſta, ſed latent. Hos probari ad tempus oportet,donec ſe ipſorum integritas manifeſte prodit, atq; ita demum eis manus tuto imponere licebit. Quanquam autem vterque ſenſus vtriuſque membri collationis præſentis eſt analogus fidei,tamẽ poſterior præſenti loco accommodatior eſt, quem & periſtaſis loci, & verborum ordinatio requirere videtur.

CAPVT VI.

Summa ſexti Capitis.

Serui fideliter præſtent dominis ſuis honorem debitum. Qui diuerſam doctrinam contentioſe ſequuntur,caueantur. Quilibet ſit contentus victu & amictu. Epiſcopus in omni virtutum genere emineat,monſtretque diuitibus ſuum officium.

Ordo ſexti Capitis.

Huius capitis quatuor ſunt præcipuæ partes, quarum Prima eſt, de ſeruorum obœdientiâ. Secunda, de falſis doctoribus & lucri cupidis. Tertia, de Epiſcopi innocentiâ & virtutum ſtudio perpetuo. Poſtrema,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

de diuitum inſtructione, & vero & legitimo diuitiarum vſu. His ſubiungit admonitiunculam de ſeruando depoſito. Tandem totam Epiſtolam fauſta imprecatione claudit.

EXEGESIS SEXTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVICVNQVE ſub iugo ſerui ſunt, ſuos Dominos omni honore dignos ducant, ne nomen Dei & doctrina blaſphemetur. Qui vero fideles habent dominos, ne eos deſpiciant, quod fratres ſint, ſed potius inſeruiant, quod fideles ſint, ac dilecti, qui beneficij participes ſunt.

Prima huius capitis pars de obœdientia ſeruorũ, quorum domini aut ſunt adhuc extra regnum Chriſti, aut Chriſto nomina dederunt. Illis vult ſeruos obœdire, ne nomen Dei & doctrina male audiat. His vero, quia fideles ſunt & participes eiuſdem gratiæ. neque ſunt contemnendi, id eſt, minus honorandi, quia fratres ſunt. Hic primum obſerua, Euangelium non tollere diſtinctionem & gradus perſonarum. Tametſi autem æquale ius eſt omnium filiorum Dei, quantum ad ſalutem & regnum Chriſti attinet: Tamen in ciuili vita diſcrimina perſonarum & ordinationes Dei amplecti oportet. Deinde obſerua eorum mores prauos, qui Chriſto dederunt nomina, dedecori eſſe Euangelio. nam impij doctrinam æſtimant ex moribus eorum, qui eam videntur amplecti. Porrò de ſeruis, vide plura Eccleſiaſtici 33. ad Epheſ. 6. ad Coloſ. 3. & 1. Petri 1.

Hæc doce & exhortare.

Hæc duo ideo coniungit, quia non ſolum docendi homines ſunt quæ recta ſunt, verum etiam propter ignauiam carnis exhortationibus, vt ſtimulis incitandi ſunt.

Si quis aliter docet, nec acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Secunda huius capitis pars, de fugiendis falſis doctoribus & oſtentatoribus, qui doctrinam adulterant, nunc fallacijs, nunc orationis illecebris. Simplex enim cum ſit veritas, ſimplicem orationem & minime ad oſtentationem compoſitam requirit. Sanos ſermones vocat metonymικῶς, quia ad ſanitatem animæ conferunt. Debet igitur non ad oſtentationem, ſed ad ædificationem formari oratio.

Et ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ.

Interpretatio eſt, nam qui non ſint ſani ſermones, à fine & materia declarat. nam ea demum eſt ſana doctrina, quæ & pietatis præcepta continet, & ordinatur ad pietatem concipiendam, fouendam & augendam.

Inflatus eſt.

Deſcriptio eſt vani doctoris, ac primum omnium cauſſam ponit, nimirum inanis gloriæ cupiditatem, qua eloquentiæ & doctrinæ captatur laus. Quicunque igitur vtiliter docere cupit Eccleſiam Chriſti, inanem iactationem deponat oportet, & in timore Dei, quæ ad ædificationem faciant, ſimpliciter proponat.

Nihil ſciens.

Hoc ad effectum pertinet, qui arrogantia inflatur, nihil ſcire Spiritui ſancto dicitur, Cum quia illi ipſi, quæ nouit inutilia ſunt, tum quia alios non ædificat.

Sed languens circa quæſtiones & pugnas verborum.

Hic inanis oſtentationis effectus eſt. qui enim captant doctrinæ laudem, quæſtionibus & verbis inſiſtũt, quo argutiores alijs eſſe videantur, quales ſunt hodie Sorbonici & alij, qui hac ratione nomen ſibi quærunt, & doctrinæ laudem. Sed Paulus tale ſtudium, languorem ſeu morbum appellat, qui interitum veræ doctrinæ in animis hominum præcedit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Ex quibus oriuntur inuidia, contentio, blaſphemię, ſuſpiciones malæ, ſuperuacuę conflictationes.

Ocioſarum quæſtionum & arrogantiæ fructus enumerat, quantum quidem ad ipſos oſtentatores attinet. iſti enim ſibi mutuo inuident, dum vnus veretur, ne alter ſibi palmam gloriæ præripiat. Hinc contentiones, ex quibus maledicentiæ, quæ ſuſpiciones malas pariunt. Hinc diſputationum multitudo, & perplexitas: vnde fit vt nimium altercando veritas amittatur.

Hominum corruptorum mente, & quibus ademta eſt veritas, qui quæſtui habent veritatem.

Triplici nota eoſdem deſcribit oſtentatores. Primum enim eos dicit corruptos mente, id eſt, iudicio & intelligentia. Deinde, priuatos veritate, qua pœna nulla poteſt maior eſſe, tum dicit, eos exiſtimare pietatem eſſe quæſtum. Tales enim omnia lucro metiuntur. Hac proinde nota, quo talium oſtentatorum ſtudia pertinent, indicat, nimirum, vt ſuæ auaritiæ ſatisfaciant.

Seiungere à talibus.

Præcipit Timotheo, vt inemendabiles huiuſmodi thraſones & quæſtionarios fugiat, ne ipſe quoque quæſtionum labyrinthis inuoluatur.

Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia.

Vt eos coarguit, qui ex doctrina pietatis quæſtũ corporalem ſibi quærunt: Ita iam ſpiritualem quæſtum in pietate ſitum cõmendat, eumque magnum eſſe admonet, affert enim abſolutam ſuis cultoribus beatitudinem, cum addit, cũ ſufficientia. Alludere videtur ad promiſsioné Chriſti: Quærite primum regnum Dei, & iuſticiá eius, & hæc omnia adijcientur vobis. En pietatis quæſtum, regnum & iuſticiá Dei, cui promiſsio accedit rerum ad hanc vitá neceſſariarum.

Nihil enim intulimus in mundum, certum eſt quod neque efferre quicquam poſſumus.

Ratio eſt proximæ propoſitionis à contingentibus. Vt enim nihil intulimus nobiſcum in mundum: Ita nihil efferre poterimus. Quare ſufficientia, qui pietatem colit, ſit contentus.

Habentes autem alimenta & tegumenta, his contenti erimus.

Modum ſufficientiæ explicat, verum ſi quid in honeſta vocatione ex labore noſtro per benedictionem Domini acceſſerit, cum gratitudine animi accipiendum eſt, ac poſsidendum iuxta conſilium Pauli: Qui poſsidet ſit quaſi non poſsideat, hoc eſt, paratus ſit ad abijciendas facultates, ſi id neceſsitas vocationis aut pietatis poſtulauerit.

Nam qui volunt diteſcere incidunt in tentationem & laqueum, & concupiſcentias multas, ſtultas & noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum.

Iam ex effectu cõtrariæ cauſſæ hortatur, vt quilibet victu & amictu ſit contentus. Id enim omnino pijs fugiendum eſt, quod trahit in exitium. Cupiditas diuitiarum id facit, quare pijs habendi cupiditas fugienda eſt. Proinde pij eſt, vt ſit ſufficientia illa, quæ cum pietate ſtare poteſt, contentus. Porrò dicuntur illi velle diteſcere, qui ſtudium pecuniæ omnibus alijs rebus anteponunt.

Radix enim omnium malorum eſt auaritia.

Ætiologia eſt ab effectu auaritiæ, quę omnium mater exiſtit malorum. vnde Salomon: Conturbat domum ſuam, qui ſectatur auaritiam. Et Auguſtinus: Cum auaritia alicui dominatur, ſubiectus omnibus malis demonſtratur. Phocylides: ἡ φιλοχρημοσύνη ματὴρ κακότητος ἁπάσης.

Cui addicti quidam aberrarunt à fide, & ſeipſos implicuerunt doloribus multis.

Exemplo declarat quod dixit, Auari enim fidem deſerunt. Nam fides ſolo Deo nititur, Auaritia vero Dei

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

loco pecuniam veneratur & colit. Præterea vbi auaritia animum occupauerit, dolorum finis nullus exiſtit. Aut enim quæ non habet auarus, anxie cupit: aut quæ habet, metuit ne amittat. Atque ita doloris nulla in auaris remiſsio eſt.

Tu autem, ô homo Dei, fuge hæc.

Quod in genere fugiendum monuit, nunc apoſtrophæ forma Timotheo accommodat. Nec fruſtra eum hominem Dei vocat. Tametſi enim omnes homines Dei ſunt ratione creationis: Tamen iuſti ſeu renati peculiariter homines Dei dicuntur, quorum & Deus curam peculiarem habet, & qui hoc titulo honorario admonentur, vt ea ſtudioſe quærant, quæ ad Deum pertinent celebrandum.

Sectare vero iuſticiam, pietatem, fidem, dilectionem, patientiam, manſuetudinem.

In quibus rebus oporteat potius occupari, quam in lucro captando, in hac tertia huius capitis parte monet. Porrò, cum quædam virtutum genera recitat, veluti exempla quædam proponit virtutum, ad quas toto vitæ curſu connitendum eſt.

Certa bonum certamen fidei.

Quo virtutum illarum, quas recitauit, enumeratio pertineat, oſtẽdit, nempe, vt ſint fidei certantis inſtrumenta. Vnde tria colligamus. Primum, piorum vitam non eſſe deſtinatam ocio, ſed acri certamini. Deinde, quod illud certamen fidei augendæ & retinendæ deſtinetur. Nam ſi virtutum ſtudium abieceris, fides extinguitur, adeoque ſuccumbit. Poſtremo, euentum certaminis felicem fore pollicetur, dum bonum certamen nominat. Huc pertinet quod ſupra dixit, Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam.

Apprehende vitam æternam, ad quam etiam vocatus es, confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.

Scopum certaminis exprimit, vitam æternam, cuius incomparabilis æſtimatio, merito nos ad certamen excitare deberet. Huc addit duo argumenta, prius ab occaſione ſumtum, poſterius ab anteacta vita Timothei. Vtrumq; ad locũ honeſtatis referendum eſt, ac ſi diceret: Habes pietatis tuæ, per quam ad vitam æternam, quo vocatus es, cõtendis, præclaros teſtes. Perſta igitur inuictus, donec eam apprehendas.

Denuncio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu, qui teſtificatus eſt bonam confeſſionem coram Põtio Pilato, vt ſerues mandatum immaculatus & irreprehenſibilis, vſque ad reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Vt vehemẽtius vrgeat Timotheũ, addit obteſtationem, quæ Timotheũ admonebit, quam ſerio requiratur ab Epiſcopo in officio, atque adeo in tota vita, ſumma diligentia. Nam hic mãdatum pro officio, quod ſuſtinuit Timotheus, ponit. Immaculatus, ad puritatem conſcientiæ, Irreprehenſibilis, ad famam coram hominibus referetur. Hanc exhortationem confirmat duobus argumentis, quorum prius ſumtum eſt, à præſentia DEI viuificantis omnia, vnde etiam renatos ſua gratia iuuare non deſinit. Poſterius ab exemplo Chriſti, qui bonam confeſsionẽ teſtificatus eſt coram Pontio Pilato, dum vſque ad mortem pro veritate certauit.

Quam ſuis temporibus manifeſtabit beatus & ſolus princeps.

Ne mora aduentus Chriſti tardiorem reddat, addit de eius certa & indubitata apparitione, cui⁹ cogitatio ſtimulus ad officia pietatis omnia eſſe debet pijs. Cum Deum beatum & ſolum principem vocat, ſignificat ab ipſo ſolo beatitudinem expectandam, nec eſſe niſi meram laruam felicitatem mundi ſine benedictione Dei.

Rex regnantiũ, & Dominus dominorũ.

Cur Deum ſolum principem vocat exponit, nimirum, quia ipſe natura ſua dominus & princeps eſt, à quo mundi principes ſuam habent eminentiam. Vnde admoneri nos oportet, vt huic præ alijs omnibus obœdientiam & cultum præſtemus.

Qui

Qui ſolus habet immortalitatem.

Si ille ſolus habet immortalitatem, ab eo ſane omnis vita & felicitas pendet. Quare non in caducis mũdi rebus, ſed in eo ſolo ſpes omnis figenda eſt. Ab ipſo enim qui ſua natura ſolus viuit & eſt immortalis, nos vitã & immortalitatẽ ex gratia accipimus.

Qui lumen habitat inacceſſum.

Magnum exhortationis pondus habet hæc oratio. Si enim Deus ſolus habitat lumen inacceſſum, vbi refulget eius gloria & maieſtas, & in cuius fruitione ſola felicitas ſita eſt, ſequitur neminem ſuo proprio marte poſſe ad illud lumen accedere, imo eo magis diſcedere, quo magis in mundi tenebris & rebus caducis inuoluitur. Quare conſultum eſt, vt in pietatis ſtudio anhelemus ad ipſum, vt aliquando perfecte fruamur Deo, quem hic tantum ex parte, & veluti in ænigmate cognoſcimus.

Quem vidit nullus hominum, neque videre poteſt.

Quia nos renouari oportet, vt ſimus Deo ſimiles, priuſquam eum videre poſsimus (in hac enim mortali natura non videtur, niſi oculis fidei) hic nobis pietatis ſtudium commendat, & ſanctificationem, ſine qua nemo Deum videbit vnquam.

Cui honor & potentia æterna, Amen.

Hac clauſula monet, quo omnia noſtra ſtudia referenda ſunt, nimirũ, vt Dei laudibus perpetuo ſtudeamus: quod cum fit, minus auaritiæ & rebus mundi caducis ſtudebimus.

Diuitibus in hoc ſeculo præcipe.

Quarta huius capitis pars eſt, valde commode ſuperioribus addita. Nam cum ſupra cõtentos vult eſſe pios victu & amictu, quæſtio oriri poterat de diuitibus, an ipſi abijciant diuitias. Et ſi nõ abijciant, quis earum ſit legitimus vſus. Vtramque quæſtionem expedit. Primum enim nequaquam temere abijciendas eſſe diuitias præcipit. Deinde animum diuitum informat, & vſum diuitiarum monſtrat.

Ne elato ſint animo, neue ſperent in incertis diuitijs, ſed in Deo viuente, qui præbet nobis abunde omnia ad fruẽdum.

Hæc ad animum diuitum recte formandum pertinent. Primum, ſit animus humilis, nihil ſibi arrogans, non contemnens pauperiores, quod mundo vſitatum eſt. Deinde ſpes in diuitijs ponenda non eſt. Idque confirmat ab earum incertitudine. Sunt enim diuitiæ adeo incertæ, vt qui hodie Crœſum, cras forte Codrum referat. Tertio, vt diuites in Deo viuente ſperent, cuius duæ ſint rationes: Prior, quod diuitiæ, nec in ſe vitam habent, nec vitam cuique conferre poſſunt. Contra, Deus & in ſe vitam habet, & vitam omnibus confert. Quare in ipſo vt vitæ fonte ſperandum eſt. Altera ratio eſt à cauſſa bonorum. Deus eſt omnium bonorum dator. Ergo in ipſo, & non in incertis diuitijs ſpes fixa eſſe debet.

Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, libẽter communicare, theſaurizare ſibi fundamẽtum bonum in futurum, vt apprehẽdant vitam æternam.

Nunc de vſu diuitiarum præcipit, in quo duo ſpectentur. Primum, de modo vtendi diuitijs. Alterum, de remuneratione & ſcopo, qui omni actioni præfixus eſſe debet. Modus vtendi eſt, vt bene agant diuites, præluceant alijs in bonis operibus, vt qui maiorem occaſionem habeant quam tenues, vt ſint liberales erga egenos. Ratio additur à remuneratione, quæ eſt theſaurizare fundamentum bonum, id eſt, recondere firmum theſaurum in futurum. Nam Deus vult ex mera ſua bonitate, mercedem indebitam officijs ex fide factis reddere. Pendet proinde hæc remuneratio non ex meriti ratione, ſed ex liberali Dei acceptatione. Scopus præfixus eſt, vt apprehendant diuites vitam æternam, quæ tametſi donum eſt per Chriſtum Ieſum: Tamen eſt compenſatio obœdientiæ noſtræ erga Deum. Quare nequaquam pugnat hæc remuneratio cum gratuita iuſtificatione.

O Timothee, depoſitum ſerua.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Concluſio eſt exhortatoria, omnia ſuperius dicta vna voce Timotheo in memoriam re-uocat. Blanda hæc compellatio, exhortatorij argumenti vim habet. Depoſiti nomen ſigni-ficat, quicquid ex dono Dei collatum fuit Timotheo, cum ad propriam ſalutem, tum ad aliorum ædificationem ſpectans. Et tria in ſumma complectitur, 1. Gratiam fidei. 2. Puri-tatem vitæ. 3. In officio ſanctam & ſedulam ſolicitudinem. Ad quæ tria omnia ſuperius di-cta, tanquam ad capita referri poſſunt. Sed cur hæc depoſiti nomine ſignauit? Habet hæc vox cum doctrinam vtilem, tum exhortationem in ſe. Doctrinam quidem, qua Timo-theus cognoſcit, quod non ex ſeipſo, ſed ex Dei dono tanta bona habeat. Deinde, quod de-beat diligens cuſtos eſſe depoſiti tanti, quod non homo, ſed Deus ſibi concrediderat. Ex-hortationem vero, vt iuxta eius arbitrium, qui theſaurum apud ſe depoſuit, eundē diſpen-ſet. Hinc & nos ſinguli diſcamus: Primum, dona Dei collata nobis eſſe, non vt ea negliga-mus, vel ijs abutamur, Sed vt ea potius fideliter in noſtram & aliorum ædificationem vſur-pemus, alioqui donis collatis ſpoliendi, iuxta parabolam de talento.

Deuitans prophanas vocum inanitates. Depoſitum ſeruandum monuit: Nunc fugiendum hortatur, quod cor-rumpere depoſitum poterat. Per vocum inanitates intelligit orationis fucum, quo vt va-na dicentis gloria captatur: Ita nihil ad ędificationem facit. Vult proinde ampullas verbo-rum, & inanem loquacitatem amotas eſſe à ſanctiſsimo verbi miniſterio, nec tamen pro-bat Paulus indoctam & rudem orationem. Nam in ſequēti Epiſtola requirit Epiſcopum, qui recte poſsit ſecare verbum Domini. Non igitur hic patrocinatur rudibus, ſed arrogan-tiam & futilem garrulitatem taxat.

Et oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ. Fuiſſe quoſdam, qui ex Sophiſta-rum ſcholis in Eccleſiam inuehere co-nati ſunt argutias ſophiſticas apparet, inde gloriam & ſciētiæ laudem venantes: quod poſ-ſent in vtramque partem de qualibet re propoſita argutè diſſerere. Ab hoc ambitionis ſtu-dio, Paulus vult Epiſcopum alienum eſſe, vt qui veritati propagandæ & defendendę totus incumbere debeat.

Quam nonnulli profitentes circa fidem aberrauerunt. Argumentum addit ab infelici e-uentu eorum, qui garrulitati & con-tradicendi ſtudio ſe aſſuefaciūt. Nam tales, amiſſa vera & ſana doctrina, circa fidem aberrant. Eſt enim fides ſcopus, ad quem col-limare oportet: qua amiſſa, nihil præter errores reliquum manet.

Gratia ſit tecum, Amen. Hac Epiſtolari clauſula optat Ti-motheo gratiam, vt in ea ad finem vſ-que perſiſtat, militans honeſtam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam. Nam qui mala viuit conſcientia, vt fidei vacuus: ita & gratiæ expers eſt. Particula Amen, quid ſi-bi velit, omnibus notum eſt.

ARGVMENTVM
IN POSTERIOREM EPISTOLAM PAVLI AD TIMOTHEVM.

IN ENARRATIONE SACRORVM SCRIPTORVM, NECESSARIO IN PRIN-cipio admonendi ſunt auditores, de his quatuor. Primum, de autore ſcripti, vnde auto-ritas ſcripto conciliatur. Secundo, de occaſione, vnde ordo tractationis melius perſpicitur. Tertio, de ſtatu ſeu quæſtione principali, vnáne ſit an plures, ex quo genus cauſſæ cogno-ſcitur. Poſtremo de Methodo ſeu tractationis ordine. Quoniam autem de primo, hoc eſt, autore ſcripti ſæpius dictum eſt, hic tantum de reliquis tribus dicam.

Occa-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

OCCASIO.

Duplex occaſio videtur Paulo fuiſſe ad ſcribendum hanc Epiſtolam. Prior, ipſe Paulus iam Romæ in carcerem erat coniectus, paulò poſt ſupplicio afficiendus, propter teſtimonium Chriſti. Quare ſcribit Timotheo, eumque animat ſuo exemplo, ad conſtantiam in confeſsione Chriſti. Poſterior, fuit communis Eccleſiæ eius temporis afflictio. Nam tum tribus potiſsimum malis affligebatur Eccleſia, nimirum, inconſtantia & leuitate quorundam doctorum in Eccleſia, qui diſputarunt acutius, quam vixerunt rectius: minis tyrannorum, qui Eccleſiæ extremum interitum minabantur: & cruce varia piorum. Proinde contra ſcandala hæc munit Timotheum Paulus. Porro quia eiſdem malis & hodie premitur Eccleſia, longe vtiliſsima erit lectio huius Epiſtolæ, omnibus pijs. Nam exemplo Pauli & exhortationibus ſaluberrimis erigit animos piorum, ne vel leuitate docentium, vel minis tyrannorum, vel cruce piorum fracti, abijciant confeſsionem.

QVAESTIO SEV STATVS.

Status ſeu quæſtio, quo omnia tendunt, ſtatim exordium ſequitur, nimirum, vt ſuſcitet donum Dei, quod per manuum impoſitionem illi contigerat cumulatius, quo inuictus ſtare poſsit aduerſus omnia dura, tanquam miles Chriſti ſtrenuus. Proinde, genus cauſſæ eſt Suaſorium ſeu Paræneticum, in quo partim hortatur ad officium, partim dehortatur à corruptelis doctrinæ, ne illis inuoluatur Timotheus, in ſuam & aliorum perniciem.

TRACTATIONIS ORDO.

Ordo arbitrarius eſt, qualis eſſe ſolet in ſuaſorio genere. Quare non opus eſt ſubtiliter partium conſecutionem rimari. Sed hoc teneatur, quod omnia ad ſtatum ſint referenda. Poſt epigrapham, ſalutationem & exordium ſequitur propoſitio ſuaſoria, vt in doctrina & munere ſibi commiſſo præſtet ſe fidelem. Huic ſubiungitur probatio & amplificatio à contrarijs exemplis, & ſimilitudinibus: vnde in commendationem Euangelij dilabitur, & inde in exhortationem, nimirum, vt eam doctrinam ſeruet Timotheus, ac alijs tradat ſuo exemplo. Tum dehortatur à vanis quæſtionibus & diſputationibus, idque propter periculum, quod confirmat exemplo Hymenæi & Phileti. vnde redit ad Timotheum exhortandum, & vt magis illum vrgeat, prædicit qualia ſint futura pericula, qualeſque mores hominum in extremis diebus. Deinde redit ad parænеſes, quibus addit rectum ſcriptuæ vſum. Poſt hæc addit conteſtationem, ac mortem ſibi imminere dicit. Præterea Timotheum ad ſe vocat propter præſentem neceſsitatem.

CAPVT I.

Summa primi Capitis.

Poſt Epigrapham, ſalutationem & exordium (in quo collaudat fidem erga Deum, conſtantiam in doctrina & affectum Timothei erga ſe) hortatur Timotheum, vt ſuſcitet donum quod in ipſo eſt, vt non erubeſcat Euangelij cauſſa, ſed potius patiatur pro eo ſuo exemplo. Præterea vt teneat formam doctrinæ. Poſtea quoſdam ſe reliquiſſe conqueritur, vnius Oneſiphori pietatem & erga ſe ſtudium prædicans.

Ordo primi Capitis.

Huius capitis partes ſunt quatuor. Prima, Epigrapha cum ſalutatione. Secunda, Exordium. Tertia, Paræneſes. Quarta, ſignificatio ſeu querela defectionis Aſianorum à ſe ob vincula ſua, cum prædicatione pietatis Oneſiphori erga ſe.

EXE-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei, ſecundum promiſsionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Hæc epigraphæ prima pars eſt, quæ continet quatuor. Primum, nomen authoris huius Epiſtolæ. Secundum, officium eiuſdem, nimirum, quod ſit Apoſtolus, idque Ieſu Chriſti. Vnde admonemur, quo in loco ea nos habere oporteat, quæ à Paulo dicuntur, nimirum quòd ita accipienda ſint, ac ſi Chriſtus ea ſuo ore ſonaret. Tertio, addit differentiam veri Apoſtoli. Nam verus Apoſtolus Deo mandante & volente currit. Falſus vero ſibijpſi Apoſtolatum ſumit. Quarto, finem ſui Apoſtolatus attexit, cum inquit, ſecundum promiſsionem vitæ, hoc eſt, Apoſtolus ſum conſtitutus, vt promiſsionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu, annunciem. Eſt autem promiſsio vitæ, ſalutis æternæ promiſsio, cuius omnes fiunt participes, qui credunt Euangelio.

Timotheo dilecto filio.

Altera epigraphæ pars, continens nomen perſonæ, cui Paulus ſcribit. Deinde affectum Pauli erga illum. Cum eum dilectum filium nominet, inſinuat quomodo affecti erga ſe mutuo debeant eſſe docentes & diſcentes. Vt enim illi paternam στοργὴν: Ita hi pietatem erga illos haud ſimulatam fouere debent.

Gratia, miſericordia, pax à Deo patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Salutatio hæc ſeu fauſta imprecatio continet fructum prædicati Euangelij. Gratia fauor Dei eſt, quo nos credentes in filio complectitur. Miſericordia eius fauoris cauſſa eſt. Pax vtriuſque effectus eſt, quæ eſt reconciliatio noſtri cum Deo, idque per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quem fide poſsidemus. Hæc nos ad amorem Euangelij excitent.

Gratiam habeo Deo, cui ſeruio à progenitoribus in pura conſcientia.

Exordij propoſitio eſt, eaque gratulatoria, agit enim Deo gratias, ob dona Timothei. Sed quid eſt quod dicit ſe Deo ſeruire à progenioribus, idq; in pura conſcientia? An nō perſequebatur Euangelium? An non ante conuerſionem fuit ſecurus Hypócrita? Num excuſat eum ignorantia aut Phariſaiſmus, vt Chryſoſtomus putat? Peccatum quidem leuius reddit ignorantia, ſed ex malo bonū minime facit. Nec ita excuſat, quin is, qui fide Chriſti vacet, iure ſit damnabilis. Proinde, à progenitoribus colere Deum, non ſignificat à prima ætate, ſed exéplum & imitationem progenitorum, eorumq; non quorumuis, ſed verorum Iſraëlitarum: vt Abrahæ, Iſaac & Iacob, aliorumque qui vera pietate Deum coluerunt. Hinc primum diſcamus, eodem cultu Deum coluiſſe ſanctos patres ſub lege, quo nos in nouo Teſtaméto. Deinde, quod verus cultus Dei ex pura conſcientia, id eſt, ex corde fide purificato, proficiſci debeat.

Quod indeſinentem habeam tui mentionem in precibus meis, die ac nocte deſiderans te videre.

Ratio propoſitionis exordij ſupra modum mirabilis, agit enim Deo gratias, quod indeſinéter interpellet pro Timotheo, idq; die ac nocte. Piorum igitur ſummum eſt gaudium, Deum interpellare pro ijs, quos ſentiunt in timore Dei officium facere. Quod autem diei ac noctis faciat métionem, orationis neceſsitatem indicat. Nam donec fides in corde hominis locum habuerit, ſuos producit fructus, timorem Dei, inuocationem, patientiam, dilectionem proximi: Addit de ſingulari affectu erga Timotheum: Deſiderans te videre. quo dicto, & ſuum erga Timorheum animum, & virtutis in Timotheo amorem indicat. Vnde quiſque diſcat dona Dei in alijs ſuſpicere.

Memor tuarum lachrymarum.

Argumentum eſt ſumi amoris Timothei erga Paulū. Sine enim lachrymis à Paulo diuelli nō potuit Timotheus, adeo charū ſuum præceptorem habuit optimus diſcipulus: à quo diſcamus & nos ἀστοργίαν & ingratitudinē fugere, qua nulla alia maior eſt ſocie-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſocietatis humanæ peſtis. Vt enim caritas, cui mutua gratitudo eſt coniuncta, vinculum eſt perfectionis, eo quod incolumem conſeruet humanam ſocietatem: ita ingratitudo & ἀστοργία diſrumpit eandem.

Vt replear gaudio.

Finis eſt, cur cupiat Timotheum videre, nimirum, vt ex eius cōſpectu, gaudio perfundatur. Diſcamus & nos dona Dei in alijs ſuſpicere, ac gaudere quod fideles in Chriſto cooperarios habeamus.

Memoria repetens eam, quæ in te eſt, haud ſimulatam fidem.

Quid in Timotheo vſque adeo amet, exponit, nimirum, quod Chriſti membrum ſit per fidem, vnde non ſolum fidem Timothei prædicat, verum etiam acres ei ſtimulos addit, vt in eadem fide conſtans pergat.

Quæ primum habitauit in Auia tua Loide, & in matre tua Eunica.

Hoc ad confirmandū Timotheum in ſyncera fide pertinet. Exempla enim maiorum in pijs & honeſtis rebus imitari laudabile eſt. Docemur hic piorum virtutes magnifacere, non ſine honeſta & honorifica illorum mentione. Præterea nihil fœdius eſſe, quam egregia maiorum facta pro virili non exprimere.

Perſuaſus ſum autem, quod etiam in te.

Exempli accommodatio. Sed vnde Paulo hæc perſuaſio? Ex fructibus fidei. Vt enim arbor mala, non poteſt bonos fructus edere: Ita bonus fructus arboris virtutem ac nobilitatem indicat.

Propterea commonefacio te vt exuſcites donum, quod in te eſt per impoſitionem manuum.

Hæc propoſitio exhortatoria eſt, qua exhortatur Timotheum Paulus, vt ſedulo officium faciat. Eſtque diligenter metaphora obſeruanda in verbo exuſcitandi. Nam ſignificat donum quodlibet eſſe veluti igniculum, qui facile extinguitur, niſi nutrimenta ei addas, ac flabello ipſum ſuſcites. Significat proinde dona Dei ex recto legitimoque illorum vſu in nobis creſcere. Contra vtero decreſcere, imo penitus tandem extingui in ijs, qui vel ea ſecure negligunt, vel ijs abutuntur. Quod autem impoſitionis manuum meminit, eo pertinet, vt intelligamus dona Dei augeri in pijs, dum ad officia grauia ac Eccleſiæ vtilia ordinantur. Nam ordinationi & externæ ceremoniæ accedebant preces Eccleſiæ, quæ ſane nequaquam inefficaces exiſtimandæ ſunt.

Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timiditatis, ſed potentiæ & dilectionis & ſobrietatis.

Ratio propoſitionis à conſequentibus contrariorum. Spiritus timiditatis opponitur ſpiritui potentiæ. Quare, vt ſpiritus potentiæ metonyμικῶς eſt Spiritus ſanctus, potentem & inuictum animum hominis reddens, vt contra omnia mala fortiter ſe opponat: Ita Spiritus timiditatis eſt caro ipſa ſegnis & ignaua, quæ reddit homines meticuloſos vt nihil audeāt, cum periculum propius imminere ſenſerint. Hinc veram notam ſtrenuorum militum Chriſti diſcamus eſſe inuictum animum in omnibus aduerſis. Contra vero ignauos & meticuloſos nondū ſpiritu Chriſti præditos eſſe. Dilectionis & ſobrietatis eundem ſpiritum appellat, à ſuo vero effectu, vnde verus ille ſpiritus Chriſti cognoſcitur. Nam qui ſpiritu Dei agitur, is haud dubie dilectionis & ſobrietatis incrementa ſentit. Verum Enthuſiaſmos iactans, adeoque inanis gloriæ cupiditate laborans, fruſtra de ſpiritu Chriſti gloriatur.

Non igitur te pudeat teſtimonij domini noſtri, neq; mei, qui ſum vinctus ipſius, ſed eſto particeps afflictionum Euangelij, ſecundum potentiam Dei.

Illatio eſt exhortatoria extructa ex ſuperiori propoſitione, Et continet tres hypotheſes. Quarum prima eſt, ne pudeat Timotheū teſtimonij Chriſti, hoc eſt, prædicationis de Chriſto crucifixo. Neq; enim hoc teſtimonium tantū perhibetur de homine mortuo (Quēadmo-

dum

dum tum impij obiecerunt Chriſtianis) ſed multo plura continet hoc teſtimonium,nimi
rum quod Chriſtus ille crucifixus, ſit naturalis filius Dei verus homo factus, in carne paſ-
ſus, & reſuſcitatus in ſalutem credẽtium. Huius illos pudet qui propter externam Eccleſiæ
formam & crucem, abijciunt confeſsionem, quique conſtanter non tuentur veritatem
Euangelij.Secunda,nec te pudeat mei,qui ſum vinctus,non quidem meo,ſed Chriſti no-
mine.Tertia,eſto particeps afflictionum Euangelij,hoc eſt,Tu quoque patere pro Euan-
gelij confeſsione,& teſtimonio Chriſti. Vocat autem afflictiones Euágelij, eo quod crux
comes ſit confeſsionis Euangelij. Verum quod addit, ſecundum potentiam Dei, rationis
loco adiectum eſſe videtur, vt conſonet cum illo ad Roman.1. Non me pudet Euangelij
Chriſti. Eſt enim potentia Dei in ſalutem omni credenti. Ex hoc loco doctrinam, admo-
nitionem & conſolationem petamus. Doctrinam, quod crux ſit comes confeſsionis Eu-
angelij. Vnde ex contrario ſequitur, non eſſe miniſtris Euangelij expectandas delitias in
hoc mundo. Admonitionem,quod ſub cruce conſtitutos,ad potentiam Dei reſpicere o-
porteat. Conſolationem denique ex eo,quod potens ille Deus ſuos ſit olim potenter libe-
raturus,omnibus eorum hoſtibus proſtratis.

Qui nos ſaluauit.

Ætiologia eſt,quaſi dicat: Deus ſal
uabit nos, idque æterna ſalute. Fieri
igitur non poteſt,quin in præſentibus afflictionibus nobis ſit affuturus, noſque ab omni-
bus aduerſis erepturus.

Et vocatione ſancta vocauit, non ſecun-
dum opera noſtra, ſed ſecũdum proprium
propoſitum & gratiã datam nobis in Chri-
ſto Ieſu, ante tempora æterna, Sed pa-
tefactam nunc, per illuſtrationem Salua-
toris noſtri Ieſu Chriſti, qui aboleuit quidẽ
mortem, illuminauit vero vitam & incor-
ruptibilitatem per Euangelium.

Modum ſalutis noſtræ exponit,id-
que digreſsiõis ſchemate,in quo mo-
do duo ſunt: Seiunctio non cauſſæ,&
aſsignatio verarũ cauſſarum ſalutis.
Seiungit opera noſtra, adeoque om-
nia humana merita. Tametſi autem
reddet Deus ſecundum opera, vt qui
fecerunt bona,eant in vitam æternã,
Qui vero mala,in ignẽ æternum: Ta-
men opera nequaquam inter cauſſas
ſalutis ponenda ſunt.nam gratis ſaluati operari bene incipiunt. Vnde ſequitur,bona ope-
ra non eſſe cauſſas ſalutis, ſed teſtimonia ſalutis iam partæ, adeoque fidei & timoris Dei.
Porrò inter cauſſas veras ſalutis primo loco ponit,non eam, quæ ordine rerum eſt prima,
ſed quæ nobis prima innoteſcit.Hæc eſt vocatio ſancta, quæ contingit per prædicationem
Euangelij,cui omnes iubemur credere,quotquot ſalutem expetimus. Vocatur autem vo-
catio hæc ſancta à fine,quia ad ſanctitatem nos vocat. Deinde ponit cauſſam ordine rerũ
primam,ſed quæ nobis ex vocatione reuelatur. Et hæc eſt proprium propoſitum Dei,quo
antequã mundum cõderet, decreuit ſaluos facere, quotquot in Chriſtum eſſent credituri.
Tertio, ponit gratiam, hoc eſt, ipſum beneficium, nempe reconciliationem ac ſalutem.
Nam pro effectu hic gratiam poni manifeſte conuincit periſtaſis loci. Quarto, addit fun-
damentum gratiæ, nimirum Chriſtum, qui ſua victima nobis hanc gratiam acquiſiuit.
Huius gratiæ tria ſunt tempora, nempe,datæ,reuelatæ ac completæ. Data quidem eſt hæc
gratia ante tempora æterna, hoc eſt,ante iacta fundamenta mundi. decreuit Deus ſaluare
credentes in filium. Reuelata vero eſt per Chriſtum, cum carne aſſumta victima pro no-
bis factus eſt. Complebitur tandem hæc gratia, vbi vita & immortalitate poſt iudicium
extremum donabimur.Porrò cum addit,per Euangelium,ſignificat eos fore huius ſalutis
participes,qui Euangelium audiunt,ac illud fide recipiunt. Nihil enim prodeſt auditum
verbum, niſi fide recipiatur. Quare duæ hic cauſſæ inſinuantur,nimirum, inſtrumentum
exhibens, quod eſt Euangelij prædicatio, & recipiens,videlicet fides ipſa. Hæc enim duo
correlatiue ſe habent. Porrò victimæ Chriſti efficacia his verbis exprimitur: Qui aboleuit
mortem,& illuminauit vitam & immortalitatem, id eſt, regenerauit nos, vt viuamus im-
mortales. Hic obſeruetur duplex antitheſis. Prima eſt in verbis abolendi & illuminandi.
aboletur mors, dum eius tyrannis ſuperatur. illuminatur vita,quando ipſa euadit ſuperi-
or,ſeu inſtauratur,& redditur conſpicua. Altera antitheſis eſt,qua mors opponitur vitæ &
incorruptibilitati. Quare mors ſignificat ſynecdochικῶς cum ipſam mortem, tum omnia
mala & nocumenta,cum mortis conditione impoſita generi humano.

In quod poſitus ſum ego preco & Apoſtolus,& doctor gentium.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quo miniſterium verbi pertinet, ſuo exemplo oſtendit, nimirum eo, vt multi ad ſalutem per prædicationem Euangelij vocentur. Tres illæ voces, Preco, Apoſtolus, & Doctor eodem pertinent, niſi quod prima ſignificet prædicationem Euangelij non in angulis, ſed palam, quaſi preconis voce proponendam, iuxta illud: Ite in mundum vniuerſum, & κηρύξατε, id eſt, proclamate Euangelium omni creaturæ. Secunda vox commendat officium, atque adeo ipſum Euangelium. Nam ſi is preco ſit Apoſtolus Dei, tanquam Deus ipſe audiendus eſt, atq; ipſum Euangelium decretum Dei immutabile iudicandum. Tertia vox ſignificat finem Apoſtolatus Pauli, nimirum quod gentibus ſit deſtinatus Apoſtolus & doctor gentium. Vnde duo colligere promtum eſt: Vnum, quod gentes ignaræ ſint Euangelij, priuſquam docentium vocem audiant: Alterum, quod ſalus ad gentes pertineat, modo Euangelium fide recipere velint.

Propter quam cauſſam & hæc patior, ſed non erubeſco.

Suo exemplo Timotheum erigit Paulus, duo diſcipulo commendans: videlicet, vt & forti ſit animo in ferenda cruce, & ne frangatur contumelijs, quas nomine Euangelij ferre contingit. Hæc quique ſibi tempore perſecutionis ob Euangelium applicet.

Noui enim cui credidi, & perſuaſus ſum, quod potens ſit depoſitum meum ſeruare in illum diem.

Ratio à fiducia certæ liberationis ac defenſionis diuinę. Depoſitum vocat cum dona ſibi collata ex gratia, tum officium prædicandi: quorum illa propriæ, hoc aliorum ſaluti deſeruit. Significat eos depoſitum hoc amittere, quos pudet Euangelij, & qui in perſecutione abijciunt confeſsionem.

Formam habe ſanorum ſermonum, quos à me audiſti in fide & caritate, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Fluit & hoc præceptum à ſuperioribus. Eſtque valde vtile miniſtro Euangelij certam docendi rationem, ſeu methodum tenere, ex quo fit, vt & ipſe promtius docere, & alius facilius diſcere poſsit. Eſt autem forma ſanorũ ſermonum ipſa orationis figura ſeu docendi ratio. Vt enim ſanitas verborum ad ſubſtantiam doctrinæ: Ita forma ad docendi modum pertinet. Et quia hic plurimum nocere ſolet captatio nouitatis & auræ popularis, iubet vt Timotheus ſe imitetur, ac regulam ei præſcribit, nimirum, vt ſemper ad fidem & caritatem Chriſtianam aſpiciat Timotheus: quarum illa facit, vt in gloriã Dei, hęc vt in ędificationem proximi ſit intentus. Ex hoc proinde quatuor colligamus. Primum, ſanam doctrinam tenendam eſſe: vnde fit, vt non ſolum impiam doctrinam, verum etiam frigidas quæſtiones fugiamus. Secundum, certam rationem docendi ſectandam eſſe, quæ plurimum docilitatem iuuat. Tertium, eorum imitandum eſſe exemplum in doctrinæ forma, qui nos prudentia & docendi dexteritate præcedunt, quæ res doctrinæ puritatem tuetur. Quartum, actionum noſtrarum regulam ſtatuendam eſſe generalem, fidem & caritatem, ad quas etiam ipſa doctrina tota tanquam ad prima capita referenda eſt.

Honeſtum depoſitum ſerua per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis.

Redit ad exhortationis caput, vt dona Dei ſibi collata tueatur Timotheus, quæ ideo depoſiti nomine exprimit, vt Timotheus cogitet, vnde ea acceperit, in quem finem, & quod aliquando depoſiti ratio reddenda ſit. Verum ne prætendat virium imbecillitatem, admonet de modo ſeruandi, qui eſt per Spiritum ſanctum, qui in ſanctis habitat. Hic enim, dum retinetur veris fidei exercitijs, vires ſuppeditat, ne hoſtium importunitate ſuperemur. Hinc doctrina, admonitio & conſolatio petatur. Doctrina, quod Spiritus ſanctus ſit cuſtos donorum nobis diuinitus collatorum. Admonitio, ne noſtra negligentia aut ſceleribus efficiamus, vt tanto cuſtode vna cum donis ipſis priuemur. Conſolatio, quod noſtræ imbecillitati aſsit opitulator ſpiritus Dei, donec fidem ac diligentiam in officio præſtiterimus.

Noſti hoc quod auerſati me omnes fuerint, qui ſunt in Aſia, de quorum numero eſt Phygellus & Hermogenes.

Quarta huius capitis pars eſt, in qua primum conqueritur de defectione multorum à ſe, propter vincula, quæ Euangelij cauſſa ſuſtinebat, qua

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

querela Paulus vult Timotheum præmonere, ne iſtorũ leuitate moueatur, ſed potius ſuæ conſtantiæ imitetur exemplũ. Duos nominat haud dubie præ alijs magni nominis & exiſtimationis, quos ideo nominatim ponit, ne defectione vel maximorũ & celeberrimorum hominum frangamur, ſed potius vt inuicti milites Chriſti in confeſsione perſtemus, freti victoria ac triumpho Chriſti, qui noſtram quoque crucem breui glorioſo commutabit triumpho.

Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quoniam ſæpe me refocillauit, & de catena mea non erubuit, ſed cum eſſet Romæ, quæſiuit me & inuenit.

Querelæ aduerſus apoſtatas oportune ſubiungit precationem pro bene merito. Precationis propoſitio eſt, quod optet Oneſiphoro miſericordiam Dei. Ratio quod ſe miniſtrum Dei refocillauerit. Hinc diſcamus tria. Gratitudinem rependere benemeritis, cum Paulo: officioſos eſſe erga ſanctos cum Oneſiphoro: & Deum orare, vt ſe, non ſolum ei, qui benefacit ſanctis, verumetiam eius familiæ toti, miſericordem exhibeat. Qui enim dederit diſcipulo in nomine diſcipuli hauſtum aquæ frigidæ, non perdet mercedem ſuam, quæ quidem merces non eſt debita, ſed ex gratia donatur, nam eam hic Paulus miſericordiam vocat.

Det enim Dominus, vt inueniat miſericordiam apud Dominum in die illo, & quam multa Epheſi miniſtrauerit, melius tu noſti.

Ex intimo cordis affectu precationem repetit, vnde nos monemur, vt vero affectu eos proſequamur, qui in miniſtros Euangelij humanitatis officia conferunt. Præterea notemus, defectores perpetuæ infamiæ nota dignos eſſe, pios vero nunquam interituris ornari laudibus. Vt enim Phygellus & Hermogenes infamia ſua nobis innotuerunt: Ita Oneſiphorus perpetua Eccleſiæ prædicatione eſt illuſtris.

CAPVT II.

Summa Secundi Capitis.

Timotheum hortatur Paulus, vt confortetur in gratia, doctrinam ſynceram alijs tradat, ſit patiens inſtar inuicti militis Chriſti, reſpiciens ad triumphum Chriſti reſurgentis, vnde & ipſe fidem ac patientiam diſcat & alijs eandem commendet. Monet rurſus de recta doctrina, pura vita, ac fugiendis contrarijs.

Ordo & Partes Secundi Capitis.

Hoc caput in tres partes docendi cauſſa diſtinguamus. Quarum prima eſt de conſtantia, qua vult Timotheum militis inſtar inuicti pugnare pro Euangelio. Secunda eſt de commendatione reſurrectionis Chriſti, vnde extruit adminitiones aliquot. Tertia eſt de recta doctrina pura & pacifica vita, Item de ijs quæ his ſunt contraria. Atque ita hoc caput partim eſt προτρεπτικὸν, partim ἀποτρεπτικὸν, & totum propoſitioni principali ſubſeruit, tanquam hypotheſes, quæ ſuæ theſi ſubijciuntur.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

TV igitur fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in CHRISTO IESV.

Prima huius capitis pars ex ſuperioribus illata. Blanda hæc compellatio, qua illum filium appellat, vim ſuaſorij argumenti habet. Obtemperare enim ijs ſolent homines, quos norũt pie erga ſe affi.i. Vult igitur, vt quemadmodum Paulus ſe patrẽ Timothei affectu & officio paterno declarat: Ita Timotheus viciſsim ſe filium Dei imitatione exhibeat. Porrò confortari in gratia, eſt fidem & bonã conſcientiam retinendo, per vera pietatis exercitia inuictum ac ſtrenuum ſe declarare, implorando opem ſpiritus. Hanc gratiam dicit eſſe in Chriſto, non ſolum ne noſtris viribus aut meritis

eam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

eam aſcribamus, verum etiam vt ſciamus eius fore participes, quotquot Chriſto nomina dederint vera fide. Vnde collige, quod quemadmodum illa gratia ſit gratuita: Ita noſtra quoque induſtria requiratur, ne gratiam collatam ſinamus extingui.

Et quæ à me audiſti per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, ad alios etiam docendos.

Vt propagari poſsit ſana doctrina etiam ad poſteros, Timotheum hortatur, vt ſcholam inſtituat, in qua tradat ijs, quos intellexerit ſynceros, veram doctrinam. Neque vult vt Timotheus nouam doctrinam ſectetur, ſed vt à ſe acceptam & traditam fideliter alios doceat. Vnde nos diſcamus, doctrinam Pauli adeoq; Prophetica & Apoſtolica ſcripta fideliter diſcere, eaque poſteris tradere, nugis ſophiſticis & quæſtionum inutilium labyrintis relictis.

Tu igitur feras afflictiones tanquam bonus miles Ieſu Chriſti.

Quia miniſterium docendi crux ſolet comitari, rurſus ad patientiam hortatur, ſumto argumento à connexis. Milites Chriſti debent Chriſtum Dominũ ſequi, in ferenda cruce. Tu igitur vt ſtrenuus Chriſti miles inuictus perſiſtito aduerſus preſentia & imminentia mala. Egregia doctrina, admonitio & conſolatio hinc peti poteſt. Doctrina, quod miniſtri Euangelij in ſcholis & templis docentes, ſunt Chriſti milites. Admonitio, quod in ea militia ferenda ſint dura. Conſolatio, quod pugnæ euentus ſit lætus futurus. Vt enim Chriſtus poſt crucem & victoriam gloria potitur: Ita futurum eſt, vt quotquot ſub ipſius vexillo militant, ſint aliquando glorioſa victoria potituri.

Nemo qui militat implicatur vitæ negocijs, vt ei qui ſe in militiam delegit, placeat.

Quis bonus Chriſti miles dicendus ſit, à comparatis colligit. Milites mundani, & donec in militia ſunt, ſua omnia negligunt, non domos ædificant, nec comparãdis agrorum poſſeſsionibus vacant, nõ varijs ſe quæſtuoſarum mercaturarum generibus miſcent, imo toti militiæ intenti ſunt, vt ſuo imperatori fortiter prędiando placeant. Igitur militem Chriſti bonum, ſuis quoque rebus priuatis neglectis vnice Chriſto placere, fortiter pro veritate & doctrina, innocentia vitæ & patientia certando docet, id quod inprimis quidem verbi miniſtris, deinde cuique ſuo ordine (modo Chriſtum ducem ſequi velit) faciendum eſt.

Quod ſi quis etiam certauerit, non coronabitur, niſi legitime certauerit.

Aliud argumentum ſimiliter à comparatis ſumtum. Athletas enim mundanos cum Chriſti athletis confert. Nullus athleta præmio donatur niſi legitime certauerit, & inuictus ad extremum perſtiterit. Igitur nec Chriſtianus athleta in curriculo prędicandi Euangelij præmium à Chriſto reportabit, niſi victor euaſerit, perſeuerando in certamine ad extremum vſque. Vt igitur ſuperiori comparatione labor: Ita hac nobis perſeuerantia commendatur. Huc pertinet nonum caput prioris ad Corinthios.

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.

Aliud argumentum à comparatis. Confert enim miniſtros Euangelij agricolis, qui fructum percipiunt nullum, priuſquam in colendis agris maximos exhauſerint labores. Quare nec miniſtri Euangelij fructum ſperare vllum debent, niſi prius rite ſuo fuerint perfuncti officio. Porrò, ſenſus huius loci quẽ poſui, ex periſtaſi textus colligitur, tametſi verba Pauli obſcuriora ſunt. Quare vox, primum, ad ordinem laboris & fructus pertinet. Primum ſcilicet, poſtquam laborauerit, fructum percipiet. Non enim ante laborem, ſed poſt laborem fructum percipit agricola. Hic igitur ſenſus eſt, Laborare prius oportet agricolam, quam fructus percipiat. Proinde laborantes miniſtri Euangelij conſolentur ſe expectatione futuri fructus.

Intellige quæ dico.

Monet Paulus diſcipulum, vt perpetua cogitatione ſit intentus ſuæ militiæ, vt & militiæ genere incitetur, & mercede propoſita commoueatur ad ferendos æquo animo labores.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Det enim tibi Dominus prudentiam in omnibus.

Quia non humánarum virium eſt intelligere & ſatis cogitare quæ ſunt Dei, addit precationem, vnde diſcamus primum, Deum iſtius intelligentiæ autorē eſſe. Deinde etiam à DEO petendam eſſe. Poſtremo, quod velit eandem petentibus largiri. Nam eo particulam (enim) refero, intelligentiæ ſiquidem Timothei quandam partialem cauſſam facit ſuam orationem Paulus. Vniuerſalis particula reſtringenda eſt ad ea, quæ ſunt ſalutis & officij Timothei.

Memento Ieſum Chriſtum exuſcitatum à mortuis, ex ſemine Dauid, iuxta Euangelium meum.

Secunda capitis pars eſt, in qua monet, quo Timotheus reſpicere debeat, cum cruce premitur. Non enim mentis cogitatio in cruce hærebit, ſed ſe in cœlum attollet, vbi Chriſtus glorioſus victor ſedet, poſtquam à mortuis reſurrexit. Atque ita hoc dictum Pauli proponit nobis non ſolum Chriſti exemplum iam poſt crucem glorificati, verum etiam commune veluti pharmacum aduerſus omnia dura in hoc mundo. Vt enim victor ipſe ſuarum afflictionum iam gloria potitur æterna: Ita & illi quotquot eum ſequuntur, glorioſe liberabuntur ab omnibus malis. Præter iam dicta, triū locorum confirmationem ſuppeditat nobis hoc Pauli dictum. Primum enim teſtatur Chriſtum verum hominem ex ſemine Dauid, vnde Meſsias proditurus erat, quo confutatur Martion. Deinde, vere mortuum fuiſſe aſtruit. Poſtremo, glorioſe ac potenter à mortuis reſurrexiſſe narrat. Cum his ſimul cauſſas, effectus ac fidem, qua hæc nobis applicantur, cogitemus. Porrò Euangelium meum dicit, ratione miniſterij, non dominij aut proprietatis, atque ideo hoc adiecit, vt ſignificaret circa quid potiſsimum verſetur Euangelium.

In quo laboro vſque ad vincula, tanquam maleficus.

Suo exemplo hortatur Timotheum ad fortiter ferendam crucem Euangelij cauſſa. Ac tria commemorat, laborem ſuum in propagando Euangelio, crucem & carceres à Tyrannis mundi. Et quod omnium grauiſsimum eſt, quod audiat maleficus, ac ſi pollutus horrendis flagitijs, ſupplicio eſſet digniſsimus, quod ſane multo grauius erat, quam grauiſsima in corpore tormenta pati. Hoc exemplo Pauli, miniſtri Euangelij tempore perſecutionis ſe erigant.

Sed ſermo Dei non eſt vinctus.

Conſolatio hæc eſt miniſtrorum Euangelij, vtut ipſi vinciuntur, curſus tamen Euangelij non impeditur, Imo Martyrum ſanguis veluti rigatio quædam eſt, vnde ſemen Euangelij latius ſpargitur, fructumque vberiorem profert. Nam piorum cruenta confeſsio animum reddit infirmioribus.

Quamobrem omnia tolero propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum gloria æterna.

Argumentum ab vtili ſeu effectu crucis Pauli. Crux mea electis in ſalutem cedit, dum inde confirmantur de veritate Euangelij. Igitur libēter eam fero. Salutis & gloriæ æternæ meminit, vt eo reſpicientes, crucem fortiori animo feramus, cum gloria ſit æterna, & crux ad breue admodū tempus duratura ſit. Porrò, electos vocat ab euentu, quotquot fide Chriſtum apprehendunt, & vſque ad finem perſeuerant in eadem fide. Ita enim ſtatuit pater, priuſquam mundum conderet, quod vellet in Chriſto dilecto ſaluare credentes, ad Epheſ. 1.

Fidelis eſt ſermo, nam ſi commorimur, etiam vna viuemus, ſi ſuſtinemus, etiam ſimul regnabimus.

Aliud argumentum ab vtili. Verū quia à ſenſu & iudicio carnis abhorret, exordiolo vtitur, quo fidē dicendis conciliat, inquiens: Fidelis eſt ſermo, ac ſi diceret: Quicquid in contrarium caro ſentiat aut iudicet, verū tamen eſſe oportet, quod Deus ordinauerat, nimirū, vt qui cum filio ipſius glorificādi ſunt olim, hi eius quoque imaginē gerant, in cruce & afflictionibus, ſicuti copioſius ad Rom. 8. dicitur. Proinde hinc tria colligamus, Primum, cōfirmationē doctrinæ de neceſsitate prædeſtinationis. Ita enim Deus ordinauit, vt per mortē & varias afflictiones vitam adeamus, & per patiētiam regnum Chriſti ingrediamur. Verum quia dicitur: Si commorimur, nō ſeparanda eſt crux noſtra à Chriſto. Multi enim affliguntur & moriūtur, vt hęretici, impij & prophani homines, ſed non cum Chriſto moriuntur, Quia nec cum illo cauſſam communem habent, nec

in illo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

in illo ſunt, vt membra per veram fidem in ipſum. Secundum, Admonitionem de ſocietate noſtri cum Chriſto, qui dum patimur & affligimur, ipſum quodammodo habeamus ſocium, quemadmodum & in Pſalmo dicitur: Tecum ſum in tribulatione. Tertium, conſolationem ſummam in cruce, quæ enim quæſo conſolatio maior eſſe poteſt, quam in cruce quodammodo certificari de vitæ Chriſti & regni ipſius communione?

Si negamus, ille quoque negabit.

Argumentum ab incommodo & pœna defectionis à Chriſto, & reſpicit ad concionem Matth. 10. Quiſquis negauerit me coram hominibus, negabo ipſum etiam ego coram patre meo in cœlis. Proponat proinde ſibi quiſq; ab vna parte fructum confeſſionis Chriſti & crucis pro ipſius veritate impoſitæ, ab altera horrendũ ſupplicium, quod defectoribus reſeruatur, poſtquam eos Dominus negauerit coram patre cœleſti.

Si increduli ſumus, ille fidelis manet, negare ſeipſum non poteſt.

Hoc pertinet ad explicationẽ proximi argumẽti de pœna defectionis, & eſt ſenſus. Si nos per incredulitatẽ negauerimus Dominum, ille vere nos quoque negabit. Nam conſtans & fidelis eſt in ſuis dictis. Nõ poteſt ſeipſum negare, qui ſua voce dixerat, Qui negauerit me, negabo & ipſum ego, Matth. 10. Luc. 9. Marci 8. atq; ita exaggerat proximũ argumentum, vt omnem ignauiam nobis excutiat.

Hæc admone conſtans coram Domino, ne verbis deceptent, ad nullam vtilitatem, ad ſubuerſionem audientium.

Concluſio eſt proximæ exhortationis, imo omnium pręcedentium, quę particula (hæc) repetit & quaſi in memoriam reuocat, ac ſimul duo facit, Primum, monet officium Epiſcopi eſſe, hæc ſerio inculcare auditoribus, deinde quia nihil magis nocet ſanæ doctrinæ, quam λογομαχίαι, ex quib. diſsidia & opinionum varietas naſcuntur, conteſtatur Timotheum coram Deo, ne certaminibus verborum vllum locum relinquat, quæ vt nemini proſunt: ita multos ſubuertunt, & à ſimplici veritate abducunt.

Stude teipſum probatum exhibere Deo.

Tertia pars capitis, in qua primum ſtatum Epiſtolæ repetit, Sed miro artificio. non enim ſimpliciter hortatur, ſed ſcopum Timotheo præfigit, quo omnes ſuas actiones referre debeat, modo recte velit fungi ſuo officio. Hic ſane ſcopus omnib. pijs propoſitus eſſe debet, vt Deo probatos ſeſe exhibeant: id quod tum fit, quando fidem & conſcientiam bonam retinentes rite commiſſo funguntur munere.

Operarium non erubeſcendum.

Partitione explicat, quod dixit, ac primum vult Timotheũ operarium eſſe. Eſt enim Epiſcopi munus, operari, non ocioſe delitias ſectari. Quod autem addit epitheton (non erubeſcendum) vim ſuaſorij argumenti habet, ac ſi dicat: Merito erubeſcere debet, quiſquis in tam ſancto munere non facit officium, Tu igitur ita fungere officio, ne te pudeat neglecti officij coram Deo.

Recte ſecantem ſermonem veritatis.

Definitio eſt officij Epiſcopi. Is enim demum verus Epiſcopus eſt, qui recte nouit ſecare ſermonem veritatis, non qui nugis & inanibus delectatur quęſtionibus, quales ſunt Romanenſes Epiſcopi, qui abiecto ſermone veritatis, id eſt, vero Dei verbo, quod veritatis titulum κατ' ἐξοχὴν ſibi vendicat, nugas ingerunt auditoribus. Porrò forma hæc loquendi ſymbolica eſt, & à lege ſumta, vbi Sacerdotum officium fuit ſecare victimas, vt quædam partes Deo, quædam Sacerdotibus & Leuitis cederent. Vult ergo vt miniſter Euangelij pro ratione auditorum adhibeat doctrinam, conſolationem, minas & exhortationes, vt omnia fiant ad ædificationem.

Prophanas autem vocum inanitates deuita.

Vult Paulus, vt doctrina pietatis eſt ſimplex: Ita quoq; dicendi genus modeſtum & graue eſſe. Nõ vult miniſtrum Euangelij inani ſtrepere verborũ pompa, à qua ambitio abeſſe non poteſt: Vnde diſputationes haud raro inutiles naſcuntur. Vetus interpres vocum nouitates vertit, vnde

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

χειροφωνίας eum legiſſe apparet, quemadmodum & Chryſoſtomus legit. Atq; ita ſenſus hic erit: Certam tenendam eſſe docendi formam, non inuehendos in Eccleſiá nouos loquendi modos, qui ſemper aliud incommodi ſecum habent.

Ad maiorem enim proficient impietatem.

Ratio proximæ exhortationis à fructu ſeu effectu pompoſę & arrogantis orationis ſumta. Nam qui aſſuefaciunt ſe inanitatibus vocum, paulatim magis ac magis diſcedentes à veritate, in impietatem tandem præcipitantur.

Et ſermo eorum veluti cãcer paſcionem habebit.

Ætiologia, ſeu cauſſæ redditio eſt à comparatis ſumta. Quemadmodum cancer morbus ſerpit & paulatim depaſcit contiguas partes, nec finem facit, niſi homine extincto: Ita affectatio inanitatis vocum paulatim incrementum ſumit, donec hominem prorſus in impietatem impulerit.

Quorum de numero eſt Hymenæus & Philetus, qui circa veritatem aberrarunt, dicentes reſurrectionem iam eſſe factam, & ſubuertunt quorundam fidem.

Iam exemplo & experientia idem confirmat, ac duos nominat præ alijs inſignes, qui ſua petulantia in errores contra fundamentũ inciderunt. Vnde nos admoneamur, vt cautiores ſimus, cum in doctrina tũ in moribus.

Firmum tamen fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc, Nouit Dominus qui ſunt ſui.

Conſolatur pios aduerſus ſcandalũ defectionis, argumento à certitudine ſalutis credentium, & à prouidentia Dei ſumto, qua ſalutem ſuorum veluti ſigillo quodam obſignauerat, vt firma ſtet eorum ſalus. Fundamẽtum Dei, eſt promiſsio Dei de ſalute per Chriſtum, fide apprehenſa. ſuper ea enim noſtra ſalus extructa eſt. Sigilli nomine argumentum à regijs obſignationibus ſignificatur, quæ cum certę & immotæ eſſe debent, multo magis erit immota Dei promiſsio ſanguine filij obſignata. In verbo, NOVIT, metalepſis hebraica eſt. Nam perinde valet, ac ſi dixiſſet, Curam habet Dominus ſuorum, ac tuetur, vt in illo Pſalmi: Nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit. Vbi ex antitheſi, quid verbum, Nouit, ſignificet, ſatis apertum eſt. Nouit proinde noticia diſcretionis & approbationis. Alias dici poteſt duplicem noticiam Dei eſſe, Vnam, qua omnia nouit, & omnium eſt cõditor: Aliam ſalutarem, quæ eſt peculiaris ipſius prouidentiæ, qua Eccleſiam ſuam, adeoq; ſingula ipſius membra fouet & tuetur.

Et diſcedat ab iniuſticia, quicunq; inuocat nomen Chriſti.

Generalis hortatio eſt à ſuperiori per contrarium extructa. Non vult Hypocriticam religionis profeſsioné, ſed ſerium pietatis ſtudium requirit ab ijs, qui Chriſto nomina dederunt. Porrò Chriſtianum hominum deſignauit à coniunctis. Nam qui vere in Chriſtum credit, inuocare nomen Domini non deſinit. Vnde nos admoneamur ſeriæ pœnitentiæ ac ſtudij pietatis cum vera nominis Dei inuocatione.

Cæterum in magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.

Ne quis miretur, cur tot ſint in mũdo mali, à minore confirmat, ſecus euenire nõ poſſe. In magna domo non ſunt omnia eiuſdem loci, precij aut honoris. Igitur nec mirum eſſe debet, ſi in vaſto hoc mundo aut Eccleſia viſibili plurimi ſunt praui. Quare potius paucorum virtus, quam multorũ prauitas imitanda proponatur. Pertinet igitur hoc dictũ eo, vt non turbemur, ſi videamus bonis malos in mũdo, aut etiá in Eccleſia Chriſti viſibili admixtos eſſe. Baſilius homilia nona, vaſorũ ſignificationes eleganter in hanc ſententiá exprimit. Huiuſcemodi, inquiens, materijs voluntas cuiuſq; cõparatur. Nam vas aureũ is eſt, qui mẽte moribuſq; ſimplex, & ſine dolo eſt. Argentũ item, qui illo paulo eſt inferior, dignitatis ac precij æſtimatione. Teſtaceum eſt ac figulinũ qui terreſtria ſapit, ac frangi conteriq; ſit aptus. Ligneum qui per peccatũ facile ſordet & igni æterno materiá præbet. Sic enim iræ vas eſt, qui omnem in ſe Diaboli operationem, quaſi vas quoddam ſuſcepit, & propter fœtorem,

quem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quem habet ex corruptione, ad nullum vſum aptari poſsit, ſed dignus eſt qui pereat. Hactenus Baſilius.

Si quis ergo emundauerit ſe ab his, erit vas in honorem ſanctificatum & vtile Domino ad omne opus bonum paratum.

Perſiſtens in eadem ſimilitudine, ſuaſorium infert argumentum ab vtili, ſeu fructu ſtudij pietatis ſumtum. Qui enim pietati ſtudet, & emundat ſe à vicijs, erit vas honori deſtinatum, & vtile patrifamilias Chriſto ad omne bonum opus. Verum ex hoc loco non ita aſſeritur vis liberi arbitrij ac ſi quid poſſet ſine gratia. Nam hic Paulus loquitur de pijs, qui iam in gratia ſunt, audiunt verbum, in quo efficax eſt Spiritus ſanctus, non repugnantibus, ſed aſſentientibus verbo & implorantibus opem diuinam. Nam poteſt voluntas ſe opponere verbo & Spiritui ſancto, Act. 7. Quod dum fit, homo ſua perit culpa. Quare præſens exhortatio eo pertinet, vt alacri voluntate præſtemus pro viribus id quod verbum præſcribit, & ad quod ſpiritus intus agit.

Iuueniles autem concupiſcentias fuge.

Quia admonuit prophanas κενοφωνίας vitâdas eſſe, nunc radices earum vult auelli, nimirũ iuueniles concupiſcentias, hoc eſt, impetus, ad quos iuuenilis ætas propenſior eſt. Nã diſſentionibus ortis, nõ ita facile iuuenes ſe reprimunt, quin ſępius erũpunt extra metam modeſtiæ & grauitatis. Non igitur hoc loco propenſioné ad illecebras intelligo, ſed potius quoſuis impetus, vnde fit vt non ſeruetur modus in rebus agendis. Requiritur igitur in Epiſcopo grauitatem ſenilem ac modeſtiam, ne quid contra decorum agat.

Sectare autem iuſticiam, fidem, dilectionem, pacem, cum inuocantibus dominum ex puro corde.

Has quatuor virtutes iuuenilibus concupiſcentijs opponit, in quibus dum ſe homo exercet, concupiſcentię malo minime cedit. Et addit argumentum ab exemplo, dicens, Cum omnibus inuocantibus Dominum ex puro corde, ac ſi dicat: Nemo poteſt Dominum inuocare, niſi ex corde fide purificato, quod tamen omnib. incumbit, qui Chriſtum Dominum agnoſcunt, igitur concupiſcentia cor cõtaminans ſedulo fugienda. Porrò virtutes, quas hic enumerat, ad ſecundam tabulam referri debent.

Stultas & ineruditas quæſtiones vita, ſciens quod generant pugnas.

Pertinet & hæc exhortatio ad ſcopum, & veluti hypotheſis ſuæ theſi ſubijcitur: Vult Epiſcopum fugere ſtultas (id eſt, extra verbum in humano cerebro natas) & ineruditas (id eſt, nihil ad pietatem conferentes) quæſtiones. Huius exhortationis rationem ab effectu petit, cum ait, huiuſmodi quæſtiones generare pugnas, quæ omnibus pijs fugiendæ ſunt.

Seruum enim Domini non oportet pugnare.

Ætiologia eſt à repugnantibus. Nam ſeruum Domini eſſe, & ſectari pugnas, repugnant. Dominus enim ſuos ad pacem vocat. non tamen his verbis efficitur, quin liceat pijs doctoribus Eccleſiæ, ſe opponere diſputando & ſcribendo hæreticis ſeu corruptoribus doctrinę cœleſtis. Nam hoc ſupra inter munera Epiſcopi numerauit Apoſtolus, ac Chriſtus ipſe, Prophetæ & Apoſtoli ſe oppoſuerunt falſa docentibus. Proinde petulantia ac libido, inanes quęſtiones ventilandi prohibetur, non autem tuendi veritatem.

Sed placidum eſſe erga omnes, propenſum ad docẽdum, tolerantem malos, cum manſuetudine corripientẽ contradicentes.

Per antitheſin deſcribit Epiſcopũ, ac requirit virtutes contentionis ſtudio contrarias. Et quia ſæpe agendum eſt cum aduerſarijs, requirit in Epiſcopo patientiam & manſuetudinem, ne quid committat ſeruo Domini indignum. Hinc æſtima quam vane ſe ſeruos Dei hodie glorientur, qui contumelioſis ſcriptis ſe inuicem proſcindunt, ac Thraſonica ambitione Eccleſiæ tranquillitatem turbant. Proinde meminerimus, ſi modo Dei ſerui eſſe velimus, patientiæ & manſuetudinis, aliarumq; virtutum, quas hic & alibi in Epiſcopo requirit Apoſtolus.

Si quando det eis Deus pœnitentiam

Finem addit, cur velit aduerſarium agni-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

in agnitionem veritatis, & reſipiſcant à Diaboli laqueo, captiui ab eo ad ipſius voluntatem.

os cum manſuetudine corripi, nimirum, vt manſuetudine corripientis reſipiſcant ab errore ac veritatem amplectantur. Tametſi hic ſenſus verborum Pauli ſimpliciſsimus eſt, multa tamen orationis formula continet, quæ argumenta periculi contradictionis exhibent. Primum enim ſignificat quam periculoſum ſit opinionibus & contradictionibus in Eccleſia Dei ludere. Difficulter enim tales ad ſanam mentem reuocantur: quod ſignificat voce μήποτε, quæ addubitantis particula, ac incertis ac dubijs proponitur rebus. Admoneamur igitur nos cũ timore & ſumma religione adyton verbi Dei intrare, caueamuſq; ne noſtris impuris cogitationibus & ineptis quæſtionibus contaminemus ſacrarium Dei. Deinde monet eos ſine pœnitentia viuere, qui contradicendi morbo laborant. Nam pœnitentiæ initium eſt veritatis agnitio. Tertio, ſignificat eoſdem veluti inſanos ſiue ebrios eſſe, vt qui mente erroribus ebria dediti, opiniones cumulent, ac quæſtionibus inutilibus oblectentur. Quarto, Hęreticam doctrinam ac contradicendi ſtudium, laqueum Diaboli eſſe definit, à quo difficulter ſe expediet, qui aliquãdiu eo conſtrictus fuit. Quinto, Diaboli voluntatem facere eos teſtatur, qui contradictionibus & pugnis ſtudent. Cum enim Diabolus abolere non poſsit verbum, vt illud falſis opinionibus & quæſtionum labyrinthis inuoluat, totus incumbit.

CAPVT III.

Summa Tertij Capitis.

Cum extremis temporibus multi ſcelerati futuri ſint, ſua aliquando laturi ſupplicia: Tu me in vita & in cruce, quæ omnibus pijs communis eſt, ſequere, perſiſtens in eis, quæ didiciſti, ſciens ſcripturam in qua es eruditus, omnia quæ ſunt ſalutis, plene continere.

Ordo Tertij Capitis.

Hoc caput in quatuor diuidamus partes, Quarum prima ſit, prædictio malitiæ hominum graſſatura poſtremis temporibus. Secunda, Hortatio vt Paulum in doctrina, vita & patientia imitetur Timotheus. Tertia, Hortatio ad conſtantiam in doctrina, quam didicerat. Quarta, Indicatio vſus & finis ſcripturæ ſanctæ. Græci in duo κεφάλαια hoc caput ſecant, quorum prius eſt prædictio malitiæ graſſaturæ inter homines poſtremis temporibus. Poſterius eſt exhortatio: ad quod quidem caput, tametſi reliqua quæ conſequuntur pertinent: Diſtinxi tamen in plura membra, vt apertius omnia ante oculos ponerem. Prima pars ad demonſtratiuum, reliquæ ad genus ſuaſorium pertinent.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

HOC autem ſcito, in extremis temporibus inſtabunt tempora periculoſa.

Hæc prima eſt huius capitis pars nempe prædictio malitiæ hominum graſſaturę in mundo, atq; adeo in externa Eccleſiæ ſocietate. Huius prædictionis hæc fuit occaſio. Hortabatur Timotheum Paulus ad conſtantiã, ne cederet malis, quibus cum conflictabatur, & quia graue admodum videbatur, adeo multos malos in Eccleſia exiſtere, cum quib. viuendum eſſet, proponit ei conditionem ſtatus Eccleſiæ Chriſti (nam tempus extremũ, vniuerſum Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatũ, inde vſq; à Chriſto exhibito ad conſũmationem ſeculi, ſignificat, ita tamẽ, vt malitia, de qua loquitur, ſubinde maiores vires ſumat, & cum tempore creſcat, vſq; ad extremum diem) vt communi Eccleſiæ ſorte ſe conſoletur Timotheus, & non frangatur animo propter multorũ defectionẽ ab Euangelio, & propter ſcelera quib multi erunt obnoxij, qui Chriſtianũ nomẽ prætendent. Ex hoc loco primũ colligamus, qualis ſit futurus ſtatus Eccleſiæ in hoc mũdo vſq; ad finem, nimirum, turbulẽtus & inquietus ob hominũ malitiam. Deinde quod falſo Anabaptiſtæ polliceantur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ceantur Ecclesię Christi tranquillitatem multorum annorũ ante iudicium, omnibus vicijs profligatis. Præterea quod futuri miniſtri Euangelij, atq; adeo omnes pij, debeant ſe hac prædictione munire aduerſus ſcandala defectionis, malitiæ hominum & crucis piorum.

Erunt enim homines.

Ratio propoſitionis à coniunctis. Tempus enim in ſe non erit malum, ſed malitiæ appellationem ab hominibus in eo viuentibus mutuabitur.

Sui amantes.

Græce φίλαυτοι, qui iuſti ratione neglecta, ſibi indulgent & ignoſcunt omnia. De hoc vicio Plato eleganter in hunc modum, libro quinto de legibus ſcribit: Omnium vero maximum quiddam malum in multorum hominum animis innatum, cuius quidem, cum facile ſibi ignoſcunt, remedium nullum excogitant. Etſi autẽ hoc dicere ſolent, quod natura ſibi amicus quiſq; eſt, recteq; eſt, id ita ſe habere, ſed reuera nimius in ſeipſum amor, omnium peccatorũ omnibus ſemper eſt cauſſa, occæcatur quippe circa amatum, qui amat. Quapropter, qui ſe amat, cum ſeipſum magis, quam veritatem honorandum putet, quod iuſtum, bonum, pulcrum ſit, malũ iudicat. Decet ſane eum, qui magnus vir futurus eſt, neque ſeipſum neque ſua diligere, ſed iuſta ſemper, ſiue à ſeipſo ſiue ab alio gerantur. Ex hoc ipſo delicto, oritur, vt ignorantiam ſuam eſſe ſapientiam opinentur. Hinc fit, vt quamuis nihil (vt ita dicam) ſciamus, omnia tamen ſcire nos arbitremur. Cum vero nec alijs committamus facultatem agendi, quæ facere ignoramus, facientes ipſi errare compellimur. Quamobrem nimium ſuijpſius amorem fugere quiſq; debet, & meliores ſequi, nullo rubore verecundiæ impeditus. Hactenus Plato. Paulus igitur animaduertens φιλαυτίαν omnium viciorum fontem eſſe, eã primo loco nominat. Deinde ſubiungit vicia, quæ veluti riuuli peſtilentes à venenato fonte manant.

Auari, faſtuoſi, ſuperbi, blaſphemi, parentibus immorigeri, ingrati, impij.

Faſtuoſi, græce ἀλαζόνες, ſunt qui gloriantur & iactant ſe de ijs bonis, quæ non habent: ſeu qui cum iactantia quadam plura promittunt, quam præſtare poſſunt. Superbi ὑπερήφανοι, qui inſolenter ſe alijs proponunt, & nimium ob ſua bona extolluntur. Blaſphemi βλάσφημοι, qui alijs maledicis verbis inſidiantur, & ſtudent eorũ famã lædere. Ingrati ἀχάριστοι, qui gratiã repẽdere benefactorib. non nouerunt. Impij græce ἀνόσιοι, ſunt proprie qui religionẽ cõtemnunt. nã huius contrariũ eſt ὅσιον, quod Plato partem iuſticiæ facit, quæ circa curam deorũ verſatur.

Carentes affectu.

Græce ἄστοργοι, qui naturales affectus erga parentes, proles, cognatos atq; adeo omnes benemeritos depoſuerunt. Nam στοργαὶ ſunt boni affectus, naturaliter hominibus à Deo inſiti, vt ſint quædã incitamẽta ad gratitudinem præſtandam benemeritis.

Neſcij fœderis.

Græce ἄσπονδοι, ſunt implacabiles, qui offenſi, nullo officio placari poſſunt, vt deponant odium aduerſus eos, quos ſibi nocuiſſe putant.

Calumniatores.

Hi cum diabolo commune nomen habent, & ſunt, qui recta aliorum dicta corrumpunt, deprauant & in alium ſenſum torquent.

Intemperantes.

Hi ſunt qui in nullis rebus mediocritatem ſeruare poſſunt, ſed affectibus ducuntur. Vnde qui in cibo, potu, veſtitu & in alijs rebus modum excedunt, ἀκρατεῖς dicuntur. Huic vicio opponitur temperantia, quam Cicero definit virtutem eſſe, quæ in rebus aut expetendis aut fugiendis, vt rationem ſequamur, monet.

Immites.

Id eſt, duri & difficiles, nulla comitate præditi, adeo vt tota illorum vita abhorreat ab aliorum honeſta conſuetudine.

Negligentes bonorum.

Ἀφιλάγαθοι græce, hoc ad rem & perſonam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

perſonam referri poteſt, vt ſint qui vel honeſtos homines & benemeritos de multis in nullo precio habent, imo contemnunt, vt vilia mancipia, vel qui rerum honeſtarum ratione non ducuntur, ſed tantum ſuis obſequuntur affectibus.

Proditores.

Hi ſecreta aliorum, ſola lædendi libidine, reuelant, homicidij malo obnoxij. Chryſoſtomus deſertores amicitiæ & ſodalitatis interpretatur.

Præcipites.

Id eſt, qui ſine iuſta deliberatione, ſine maturo conſilio, temere & præcipitanter res agendas aggrediuntur.

Inflati.

Id eſt, vani, qui ſibijpſis magni precij videntur homines. Chryſoſtomus exponit, contumacia pleni, hoc eſt, rebelles, qui nemini parere volunt.

Voluptatũ amantes potius quam Dei.

Hoc eſt, habentes quidem aliquem timorem Dei, ſed propter illum nolunt ſuas voluptates minui. Deum externe colunt, quatenus nihil ſuis diſcedat affectibus. Voluptas in genere eſt, quicquid homo facit libenter, aut patitur. Et quia duo ſunt hominum genera, nempe praui, & boni, qui diuerſis oblectantur ſtudijs, duo quoque voluptatum genera emergunt, vnum quidem bonum, Alterum vero malum. Præterea quia homo conſtat corpore & animo, diuidi ſolet voluptas in corporis & animi voluptaté. De hac voluptate Hermes Pauli diſcipulus in hunc modum ſcribit: Omni homini voluptas eſt, quicquid libenter facit. Etenim iracundus, ſatisfaciens moribus ſuis, percipit voluptatem, & adulter, & ebrioſus, & detractor, & mendax, & cupidus, & fraudator, & quicunque ijs ſimile admittit, morbo ſuo parens percipit ex ea re voluptatem. Hæ omnes dulcedines & voluptates noxiæ ſunt ſeruis Dei, propter has cruciantur homines & patiuntur pœnas. Sunt etiam voluptates hominibus ſalutares, multi enim opera bonitatis facientes, percipiunt voluptatem dulcedine quadam virtutis tracti.

Habentes formam pietatis, cum vim eius negauerint.

Hoc de hypocritis intelligendum eſt, qui ſimulant pietatem, cum nulla eius in corde ſit efficacia.

Et iſtos auerſare.

Hoc potiſsimum ad hypocritas referendum eſt, quorum fraudes ſubiungit hiſce verbis:

Ex eis enim ſunt, qui ſubintrant familias, & captiuas ducunt mulierculas, peccatis oneratas, quæ ducuntur concupiſcentijs varijs, ſemper diſcentes, nec vnquam ad cognitionem veritatis venire valentes.

Graphice depingit hypocritarum artes, quibus mundum in errores per trahunt, qui quoniá nôrunt facilem muliercularum in ſuperſtitionem lapſum, eas potiſsimum aggrediuntur. Verum mulierculæ oneratæ peccatis, ducuntur id eſt, mala concupiſcentia, varijs cõcupiſcentijs, ita vt nunc huic, nunc alij doctrinæ ſubſcribant. Vnde fit vt ſemper quidem diſcant, ſed nunquam ad cognitionem veritatis perueniant. Hic locus nos moneat, ne circumferamur quouis vento doctrinæ, néue quibuſuis doctoribus credamus, ſed Propheticis & Apoſtolicis acquieſcamus ſcriptis, in quibus abunde traditum eſt, quod ad ſalutem noſtram eſt neceſſarium.

Quemadmodum autem Iannes & Iambres reſtiterunt Moyſi: Ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.

Vt oſtendat eandem fortunam Eccleſiæ perpetuo eſſe, vt cú aduerſarijs bellum gerat, allegat exemplum ex veteri hiſtoria de Moyſe, qui dú cum Pharaone ageret de dimiſsione populi Dei, habebat magos qui ſibi reſiſterent, quemadmodum hiſtoria habet Exod. 7. Sed ſicut virga Moſis deuorauit virgas magorum: Ita mendacium hypocritarũ Chriſti veritas abolebit.

lebit. Porrò nomina iſtorum magorum, vel ex reuelatione ſingulari, vel ex commentarijs patrum in Moyſen, quę nunc interierunt, nouit Paulus. Duabus autē notis Hypocritas deſcribit. Primum, dicit eos corruptos mente eſſe, hoc eſt, deprauato iudicio, vt qui ſcripturam ad ſuum ſenſum torquere conentur. Deinde dicit eos reprobos circa fidem eſſe, hoc eſt, quemadmodum iudicant peruerſe: Ita maligne agunt, regulam fidei contemnentes.

Sed non proficient amplius.

Cōſolatio eſt, ac ſi diceret: Tametſi ſudant multum Hypocritæ, vt euertant veritatem: Tamen in piorum cordibus inconcuſſa manebit. Portæ enim inferorum non præualebunt aduerſus eam.

Inſipientia enim iſtorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.

Quemadmodū ſupra exemplo veteris hiſtoriæ fortunam communem Eccleſiæ indicauit: Ita nunc exemplo eodem conſolationem confirmat. Nam quemadmodum Iannes & Iambres non potuerunt impedire ſuis magicis artibus, quo minus populus Dei incolumis è manibus Pharaonis euaderet: Ita nec noſtri Hypocritæ, quantumuis infinitas artes excogitant, poterūt veritatem Dei abolere. Hac cōſolatione hodie quoq; miniſtri verbi, adeoq; omnes pij ſe conſolentur, dum vident, non ſolū manifeſtos hoſtes omnia tentare, vt Eccleſiam Chriſti ſubuertant, verum etiam domeſticos tantum non cœlum terræ miſcere, vt Eccleſiæ ſtatū perturbent, inuicta tamen vel inuitis omnibus hoſtibus manebit.

Tu autem aſſectatus es meam doctrinam, inſtitutionē, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, perſecutiones, paſſiones.

Secunda pars capitis, in qua hortatur Timotheum, vt ſe in doctrina, vita & cruce ſequatur. Et eſt argumentum cum à facili, tū ab exemplo ſumtum, ac ſi diceret: Tu me exemplum habes, tu doctrinam meam & crucem noſti, in his me, ſicut hactenus, imitare.

Qualia mihi acciderunt Antiochiæ, Iconij, Lyſtris, quales perſecutiones ſuſtinui.

Loca nominat, in quibus pręcipue dura ſit paſſus, vt nominum indicatione integras hiſtorias ei in mentem reuocet.

Et ex omnibus me liberauit Dominus.

Sicut diſcipulum animauit ad crucem ferendā ſuo exemplo: Ita eodem rurſus ipſum conſolatur. Quemadmodum enim Paulus è periculis euaſit, quando id Deo viſum erat: Ita quoq; ſpem præbet Timotheo, vt is quoque euadat, hoc eſt, non ſuperetur preſſus cruce, ita vt abijciat confeſsionem.

Et omnes qui volunt pie viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.

Hypotheſin ad Theſin transfert, ac regulā generalem proponit, nimirum, quod omnibus pijs in hoc mundo immineant varia mala, de quorum cauſsis, lege copioſe Philippum in locis.

Mali autem homines & impoſtores proficient in peius, errantes & mittentes in errores.

Dixit de piorum fortuna in hoc mundo, additis multis rationibus, quibus hanc quoq; ſubijcit, ſumtam à cauſſa partiali (ſcilicet crucis) nempe à ſucceſſu malorum, qui indies proficient in peius, pluresque ſeducent, id quod præſens dies euidentiſsime comprobat. Non tamen pugnat hoc dictum cum ſuperiore. Nam proficient amplius. Illic enim de fine conſilij eorum loquitur, qui eſt omnino veritatem abolere ſuis præſtigijs & mendacijs, quod tamen minime poterunt præſtare: Hic vero de conatu agit, qui ſemper in deterius tendit, adeo vt non ſolum errent ipſi, verumetiam alijs errandi occaſionem præbeant.

Tu autem mane in ijs, quæ didiciſti & quæ credita ſunt tibi.

Tertia pars capitis, in qua hortatur Timotheum, ne ſe ſinat ſeduci ab ipſis im-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſis impoſtoribus, & quomodo id fieri poſsit, oſtendit, inquiens: Mane in ijs, quæ didiciſti, id eſt, perſiſte inuictus in doctrina ſana, quam didiceras, & in ijs, quæ tibi concredita ſunt.

Sciens à quo didiceras.

Hoc ad confirmationem pertinet, ac ſi diceret: A me didiciſti qui Chriſti ſum Apoſtolus, ac propterea doctrinam, quam ab ipſo accepi, tibi concredidi. Quare ſi in ea doctrina manſeris, tutus eris ab erroribus. Hinc nos quoque diſcamus magnifacere doctrinam Apoſtoli, vt vere à Chriſto profectam, & in ea manere.

Et quod à pueritia ſacras literas nouiſti.

Aliud argumentum à connexis. Plurimum enim valet à teneris optimis quibuſq; aſſuefacere. Nam iuxta dictum: Quo ſemel imbuta eſt, recens ſeruabit odorem, teſta diu. Proinde Timotheus à pueritia ſacræ lectioni aſſuetus, iam grandior factus, tenacius omnia tenet, vt non iam facile à veritate auelli poſsit. Hinc diſcant ſtudioſi ſacræ ſcripturæ opponere iudicium Spiritus ſancti, inſulſis & temerarijs dictis eorum, qui teneram ætatem nugis potius, quam ſacrorum librorum lectione occupari volunt. Quorum cæcitas & malignum iudicium olim iuſtum luet ſupplicium.

Quæ poſſunt eruditum te reddere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Cur velit Timotheũ ſcriptura contentum eſſe, exponit, nimirum, quod ſcriptura deſtinata ſit ſaluti hominũ, Ita tamen ſi ea quis erudiatur, & ſalutis promiſsionem fide Chriſti apprehendat. Reliquæ diſciplinę ad præſentem vitam pertinent. quę quia ſcripturæ cognitioni, vt opes Ægypticæ veteri tabernaculo extruendo, ſeruiunt, illarum cognitio non eſt aſpernanda, ſi modo vt famulæ adhibeantur miniſterio ſcripturæ ſacræ, quam ſolam agnoſcere reginam debent.

Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata eſt, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſticia, vt integer ſit homo Dei, ad omne opus bonum apparatus.

Confirmat ſcripturam poſſe hominem eruditum reddere ad ſalutem, ſumto argumento ab enumeratione ſufficienti eorum, quæ ad ſalutẽ ſunt neceſſaria, ac ſimul commendat ſcripturam à cauſſa efficiente, vſu & fine. Qui tres loci honeſto & vtili ſubijciuntur. Cauſſa eſt, quod ſcriptura ſit diuinitus inſpirata. Nam Spiritus Dei per ſanctos Prophetas & Apoſtolos locutus eſt. Hinc diſcamus ſummam reuerentiã deberi ſcripturæ ſanctæ, vt quæ ipſiſsima Dei vox ſit. VSVS quadruplex eſt. Primus, quod ſit vtilis ad doctrinam, nempe ſalutis, quæ doctrina tametſi multiplex eſt, duo tamen ſunt eius capita præcipua, nimirum, fides in Chriſtum, & rectæ formandæ vitæ ratio. Ad hæc duo capita, Legis & Euangelij noticia pertinet. Secundus vſus, quod ſit vtilis ad redargutionem, græce ἔλεγχον, hoc eſt, ad conuincendos aduerſarios, & caſtigandos contumaces. Tertius vſus, quod faciat ad correctionem, græce ἐπανόρθωσιν, hoc eſt, ad erigendos lapſos & ſtabiliendos verbo, ſacramentis & conſolationibus. Quartus vſus, quod ſit vtilis ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſticia, hoc eſt, ad ſancte pieque viuendum. Continet enim ſcriptura perfectiſsimam viuendi regulam. FINIS eſt, vt integer ſit homo Dei, ad omne bonum opus apparatus. Huc enim tota ſcriptura pertinet, vt homo integre viuat in hoc mundo, quo tandem per Chriſtum futuræ vitæ beatitudine fruatur in Deo. Ex hoc loco diſcamus, quod nihil deſideretur in ſcriptura, quod ad perfectionem Chriſtianam pertinere videatur. Proinde qui vnica ſcriptura, tanquam perfectionis regula, contentus non eſt, is ſciat ſe & in Deum contumelioſum eſſe, & propriæ ſalutis hoſtem.

CAPVT IIII.

Summa quarti Capitis.

Obteſtatur Apoſtolus Timotheum, vt ſedulo faciat officium, ſignificans ſuum exitum inſtare. Præcipit præterea, vt ad ſe veniat, & alia quædam familiaria ei iniungit. Narrat Alexandri ferrarij in ſeſe malitiam, ſimul conquerens de defectione multorum. Tandem ſalutationibus & fauſta imprecatione claudit Epiſtolam.

Ordo Capitis quarti.

Sex conſtituamus huius capitis partes. Prima ſit obteſtatio, vt Timotheus officium ſuum faciat. Secunda, ſignificatio ſui exitus iam inſtantis. Tertia, committit diſcipulo quædam priuata negocia. Quarta, reuelatio contumaciæ Alexandri. Quinta, ſignificatio defectionis multorum à ſe ob crucem. Sexta, ſalutationibus cum imprecatione ſolita clauditur Epiſtola.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

OBTESTOR igitur ego coram Deo & Domino Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, in apparitione ſua & regno ſuo.

Prima pars capitis, vt Timotheus officiũ ſuum faciat, in cuius partis ingreſſu duo ſunt obſeruanda: Illatio & obteſtatio. Illationis nota ideo vtitur, vt ſcripturam, de qua in fine ſuperioris capitis dixit, cum prædicatione connectat. Vult quidem Deus, vt vnuſquiſque per ſe legat ac meditetur ſcripturam. Vult hoc quoq; vt ordinarium miniſterium verbi, ac viuam vocem miniſtrorum non contemnamus. Hinc proinde admoneantur fideles, vt cum legendo, tum audiendo proficiant. Ita enim Dominus ordinauit. Obteſtatio eo pertinet, vt Timotheus cogitet, Deum vindicem fore, ſi in officio commiſſo ſibi non præſtiterit ſe fidelem. Iudicij, aduentus & regni Chriſti meminit Paulus, vt diſcipulum abducat à præſenti rerum facie, & triſti regni Chriſti hic in terris forma, ad conſiderationem futuræ gloriæ, cuius participes erunt omnes, qui hic in afflictionibus Chriſto obtemperant. Contra vero qui Chriſtum hic ſecure contemnunt, illic iudicis ſententiæ ſubiacebunt. Hæc cum pij omnes, tum præcipue miniſtri Euangelij ſibi accommodent, iudicium timeant, ſi fraudulenter & ignaue opus Domini fecerint. Cõtra gloriam expectent, qui Chriſto ex fide obœdiunt, ac diligenter commiſſum officium faciant.

Prædica ſermonem.

Græce κήρυξον, id eſt, inſtar preconis palam proclama Euangelium. Nam Euangelium κατὰ ἐξοχὴν hic ſermonem nominat. Applicat igitur Timotheo mandatum Chriſti: Ite in mundum vniuerſum, & proclamate Euangelium omni creaturæ, ſignificans vniuerſalem eſſe gratiæ promiſsionem, eiuſque omnes poſſe fieri participes, qui Euangelium amplectuntur.

Inſta tempeſtiue, intempeſtiue.

Id eſt, vrge cum teipſum, ne quis locus relinquatur ignauiæ, tum populum, ne vanis mundi occupationibus abripiantur, idque non ſolum tempeſtiue, id eſt, ordinario tempore & conſtitutis horis, verum etiam intempeſtiue, quouis tempore, nullis parcendo laboribus, quoties miniſter Euangelij ſentiat ſe vel carnis ignauia ceſſare, vel videat auditores ad verbi regulam ſuos mores nõ componere. Hoc ſi ſuum officium eſſe perpenderent in timore Dei miniſtri Euangelij, Eccleſia Chriſti non tam varijs & horrendis plurimorum ſcelerum iactaretur procellis.

Argue, increpa, conſolare.

Inſtandi modos recitat. arguendi ſunt aduerſarij, id eſt, conuincendi ſunt ſui erroris. Increpandi ſunt deſides, torpentes & carnis deſiderijs indulgẽtes. Hortandi vel conſolandi ſunt reſipiſcentes & conſolationibus fulciendi, ne deſperent. Hic duo obſeruentur. Primum, quanta ſit noſtra ignauia, qui in ſalutis curſu deficimus, niſi aſsidue ſtimulis obiurgationum incitemur. Deinde, quod non ſolum paſtorum ſit munus, quæ recta ſunt, publice docere, verum etiam priuatim doctrinam ſingulis, prout viderint neceſſarium eſſe, obiurgando, minando, conſolando accommodare.

Cum omni tolerantia & doctrina.

Modum accommodandi redargutiones, increpationes & cõſolationes tradit. Primum: quantum ad perſonam miniſtri Euãgelij attinet, requirit tolerantiá, qua

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tic, vt iſta omnia prodire ex amico, placido & paterno animo videantur. Nam qui tyrannica aſperitate irritant populi animos, abſq; omni lenitatis condimento, illi ſane, vt ſuperbię ac hoſtilis ſeueritatis notam non effugiunt: ita magis deſtruunt, quā ædificant, vt interim taceam, quod ſacrilege miniſterium Dei contaminent. Deinde in conſolationibus, increpationibus &c. requirit doctrinam. alias enim friuola ſunt omnia. Si igitur redarguēdus eſt aliquis, id fiat per doctrinam, hoc eſt, per verbum Dei, detegatur ac oſtēdatur ipſius error. Si increpandus quiſpiam, monſtretur ex verbo increpationis fundamentum. Si conſolatio adhibenda, oſtendatur conſolationis ratio ex verbo. Diſcant proinde miniſtri Euangelij tria ex hoc loco. Primum, quomodo ſeueritas lenitate commiſcenda ſit. Deinde, ne quenquam arguant, increpent, conſolentur, niſi vel præcedēte doctrina, vel ſtatim ſubſequente, cuius doctrinæ accommodandæ gratia iſta adhiberi debent. Tertio, vt pro varietate hominum hæc adhibeant. Alij enim alijs indigent ſtimulis.

Nam erit tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed iuxta concupiſcentias ſuas coaceruabunt ſibi doctores ij, quibus pruriunt aures, & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas vero conuertentur.

Rationem ſumit à prauitate hominum, quę ratio potiſsimū ad primum membrum referenda eſt. Reſpicit autem Paulus ad tenebras illas, quarum quædam nubeculæ cœperant ſe oſtendere temporibus Apoſtolorū, ſed poſtea collectæ ſunt paulatim, donec Papæ, hoc eſt, tenebrarum regnum ſtabilitum eſt. Vbi in locum ſanæ doctrinæ ſubierunt humanæ traditiones, & doctrinæ dæmoniorum de prohibitione coniugij, de inuocatione ſanctorum, de interdicto ciborum, deque plurimis alijs nugis, quibus ſana doctrina partim obſcurata, partim abolita eſt. Cuius cauſſa indicatur ingenita malicia & concupiſcentia hominum, qui pruriunt auribus, ac ſemper nouis fabulis oblectantur. Vnde & tales doctores ſibi coaceruant, qui ſibi placentia prædicent, quod dum fit, veritas amittitur, ac fabulæ, hoc eſt, commenta humana, vana ac nihil niſi ad perniciem animarum facientia, ſuccedunt.

Tu vero vigila in omnibus, perfer afflictiones, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.

Opponit hominū leuitati diligentiam, ac conſtantiam Epiſcopi. Nam tum maxime laborare Epiſcopum decet, quando homines ſe à veritate auertere incipiunt. Primum hic notandum eſt, quod cum diligentia Epiſcopi coniungat crucem. Nam paſtores ſimul atque ſuum officium gnauiter facere inceperint, crucem ſentiunt ſuæ diligentiæ comitem. Nam ea eſt hominum proteruia & contumacia, quod veritatem ſuſtinere non velint. Obiurgati etenim viciſsim obiurgant, admoniti contemnunt. Breuiter, pro ſua libidine viuere cupiunt Vnde pijs miniſtris ſeduloque officium facientibus, haud exigua afflictio exiſtit. Opus Euangeliſtæ in genere eſt Euangelium annunciare. In ſpecie autem (vt ad Epheſ. 4.) accipitur Euangeliſta pro eo, qui eſt inferior Apoſtolo, quidem dignitatis gradu, Superior vero paſtore, eiuſdem quidem muneris cum Apoſtolo, ſed diſparis gradus & dignitatis. Non alligatus erat Euangeliſta certæ ſedi vt paſtor, ſed vt Apoſtolus in varijs docebat locis. non immediate à Chriſto, vt Apoſtolus vocatus, ſed ab Apoſtolis aſcitus in commune miniſterium. Cum addit, miniſterium tuum imple, omnes ſuperiores exhortationes ad caput generale reuocat.

Ego enim iam immolor, & tempus meæ reſolutionis iam inſtat.

Secunda huius capitis pars, quæ ſuperioribus quidem, vt argumentum à tempore ſumtum, annectitur, ſequentibus vero connectitur, vt propoſitio ſignificationis ſuæ mortis iam inſtantis, ac ſi diceret: Dum ego tecū communi fungor miniſterio, habes me & cōſtantiæ & doctrinæ exemplū. Sed iam meæ reſolutionis tempus, vt ex hac vita diſcedam, inſtat, proinde opus eſt tibi maiori animi robore, ne poſt meum diſceſſum, victus improbitate mundi, deficias. Atque ita viri præclari donis Dei præ alijs illuſtres inferioribus conſtantiæ ac aliarum virtutum incitamenta eſſe debent. Porrò, oratio Pauli plura continet. Primū enim verbum immolandi, ſignificat vſum martyrij ſanctorum, nimirum, quod illorum martyriū ſit, & Deo gratum ſacrificium, & hominibus quædā ſanctio & doctrinæ obſignatio. Nam dum ſancti Dei homines nulla tormenta fugiunt pro Euangelij confeſsione, fit vt alij infirmiores erigantur, ac maiorū conſtantia cōfirmati, Euangeliū animoſius tueantur. Præterea mortis periphra-

ſis ſeu

ſis ſeu reſolutionis vocabulum duo inſinuat. Vnum, quod mors ſit quædam reſolutio, qua animus migrat à corpore. Alterum, quod anima non pereat cum corpore, ſed ſit ſuperſtes relicto corpore. Ex hoc argumentum conſolatorium colligamus, contra metũ mortis. Si enim mors non eſt interitus humanæ naturæ, ſed tantũ reſolutio animę & corporis, minus profecto metuenda eſt pijs, qui per mortem ad vitam immortalem ac beatam tranſeunt.

Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.

Hæc pia gloriatio eo pertinet, vt Timotheũ ſuo exemplo excitet, ad ſtrenue peragẽdum officium. Certamen bonum vocat, cum cruce coniunctam prædicationem Euangelij, in qua non minus ſe ſtrenuum, quam fortiſsimum decet athletam, geſsit, qui antea non quieſcit, quam ad metam peruenerit. Vocat autem ideo bonum, cum quia in medio curſu nõ defecerit, tum quia fidelis ſuo duci in doctrina & fide perſiſtens, ad finem vſq; peruenerit. intelligit autẽ hic fidem officij ſeu Apoſtolatus, quę eſt fructus fidei iuſtificantis. Ex hoc loco tria colligamus. Primum, quod prædicatio Euangelij certamini comparetur. Vnde miniſtri Euangelij diſcant, ocio & ignauiæ minime indulgendum eſſe. Deinde, quod fruſtra gloriatur, qui non perſeuerauerit, donec metam attigerit, hoc eſt, vſque ad mortẽ, fidelis ſuo duci permanens. Poſtremo, quod non ſecus in Domino gloriandum ſit fideli miniſtro, cum iam vitæ ſuæ finis, quantumuis probroſus coram mundo, appropinquet, quam curſori, qui iam metam aſſecutus eſt, imo eo magis, quo fuerit certamen glorioſius. Nam ex euentu de multis rebus, non ex præſenti earum ſtatu iudicandum eſt.

Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in die illa, iuſtus iudex.

De præmio ſui certaminis & curſu agit. Parum enim eſſet ſtrenue currere, niſi poſt curſum & peractum certamen reſtaret certaminis & curſus præmium. Quare ſibi coronam repoſitam ait à Deo iuſto iudice, ſibi reddendam in die illa, cum videlicet reddet vniçuique iuxta opera ſua. Hic locus & alij ſimiles loquuntur de præmijs bonorum operum, non de iuſtificatione, aut eius cauſsis. Quare Papiſtæ maligne agunt, dum hunc locum & ſimiles ad euertendam gratuitam iuſtificationem detorquent. Etenim diligenter diſcrimen obſeruandum inter teſtimonia, quæ de iuſtificationis cauſſis agunt, & ea quæ de qualitate iuſtificatæ perſonæ, aut de compenſatione afflictionum, ſeu remuneratione obœdientiæ loquuntur.

Non ſolum mihi, ſed etiam omnibus, qui diligunt aduentum eius.

Quod de ſe dixit, omnibus pijs applicat. Eadem enim eſt ratio æqualitatis in Deo. Infideles quidem abijcit, & punit æternis pœnis. Fideles vero recipit in gratiam, ac ornat præmijs, quibus eorum obœdientiam compenſat. Porrò pios ab eorum perpetuo affectu deſignat. Fieri enim non poteſt, quin magno deſiderio aduentum Domini expectet, quiſquis vere ſtatuat ipſum ſuum ſaluatorem eſſe. Sicuti contra, qui Chriſto fide non eſt inſitus, aut omnino contemnit aduentum Domini, aut totus exhorreſcit ad eius mentionem. Huncigitur affectum ex vera in Chriſtum fide concipiamus, vt nihil ſit nobis in votis magis, quam vt citiſsime illum lætum videamus diem, in quo quicquid hic ſenſerimus afflictionum, abunde compenſabitur æternæ beatitudinis fruitione.

Da operam, vt ad me venias cito.

Tertia huius capitis pars eſt, quam ſupra quædam familiaria & priuata continere dixi, ac primum præcipit Timotheo, vt ad ſe veniat, idque haud dubie, non ſolum priuata cauſſa, ſed multo magis totius Eccleſiæ gratia. Plurimũ enim prodeſt, magnorũ hominũ colloquijs intereſſe, in quibus de rebus magnis & admoneri diligentius, & doceri apertius poſſumus, quam ſi vel eorum ſcripta plurima legerimus, vel etiá de ipſis multa audiuerimus. Hinc ergo diſcamus pręſtãtiũ virorũ collocutiones magnifacere & amare.

Demas enim me reliquit, amplexus hoc ſeculum, & profectus eſt Theſſalonicam. Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas eſt ſolus mecum.

Rationem cur Timotheum ad ſe vocat, reddit, nempe quod, alijs partim deficientibus partim diſcedentibus ad ſuas Eccleſias, quarum miniſtri erant, opus habeat ipſius miniſte-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rio. Solus Demas cruci & moleſtijs, quas apud Paulum pati erat neceſſe, præpoſuit res mundi & priuata commoda. Reliqui autem à Paulo dimiſsi ad ſua miniſteria, alij in alia loca diſceſſerunt. Locus obſeruandus, quod nemo ſua præponens Euangelio ac rebus ad pietatem pertinentibus, poſsit Chriſto ſeruire.

Marcum aſſume & tecum adducito. eſt enim mihi vtilis ad miniſterium. Tychicũ autem miſi Epheſum.

Præcipit vt Marcum ſecum adducat, vt ſibi miniſtret. Vnde colligitur, quod & ſuperiores in Eccleſia poſſint vti inferiorũ miniſterio, & quod inferiores maioribus reuerentiam & obſequium debeant.

Penulam, quam Troade reliqui apud Carpum, cum venies affer, & libros potiſſimum membranas.

Tametſi per penulam quidam intelligunt veſtem, ad arcendas à corpore pluuias aptam: tamen quia vocabulum græcum φαιλόνη & veſtem ſignificat, & capſulam in qua res cõſeruantur, malo in poſteriori hac ſignificatione vocabulum accipere, præſertim cum in præſenti loco & cõditioni Pauli videtur accommodatius. Et Chryſoſtomus refert quoſdam per φαιλόνην capſulam intelligere, in qua libri Pauli repoſiti erant. Verum quia hoc parum refert, vtro modo accipiatur vocabulum, relinquatur in medium. Porrò ex eo quod petat libros ſibi afferri, duo diſcamus. Vnum, perpetuo in lectione & meditatione ſcripturæ progrediendum eſſe. Nam ſi Paulus tantus Apoſtolus lectione librorum, iam ſenex & morti vicinus, occupatus erat, quid nos facere decet, quibus nulla ætas ſatis eſt ad verbum Dei perdiſcendum? Alterum, quod hoc Pauli dicto clare refutentur Anabaptiſtæ, qui à lectione ſcripturæ homines auocant, ad ſuos Enthuſiaſmos ac reuelationes, quæ ſane aliud non ſunt, quam meræ Diaboli præſtigiæ, quibus miſeros homines in illorum perniciem faſcinare ſtudent.

Alexander faber ferrarius multis me malis affecit.

Hæc relatio contumeliæ, qua Paulum affecit Alexander, quarta huius capitis pars eſt, cõſtans quatuor membris, Narratione, imprecatione, hortatione & ratione. Narratio vna propoſitione abſoluitur. Alexander faber ferrarius, multis me malis affecit. Vnde primum ex querela Pauli colligamus, nihil illum grauius tuliſſe, quam oppugnationem veritatis. Cuius exemplum omnes pios ſequi decet. Deinde, ex facto Alexandri diſcamus, quantum malum Eccleſiæ Chriſti inferre poſſunt, qui ab Eccleſia deficiunt, vtut ſunt ignaui & indocti. Præterea admoneamur hac querela Pauli & facto Alexandri, ſimul Eccleſiam cruci & calumnijs ſubiectam & expoſitam eſſe. Poſtremo, ſi quando contigerit à nobis deficere, quos antea pios iudicauimus, conſolemur nos Pauli exemplo, qui ſimilem fortunam expertus eſt.

Reddat illi Dominus iuxta facta ipſius.

Imprecatio eſt, qua homini deploratæ malitiæ vindictam imprecatur, ne curſum Euãgelij impediat. Quid? An hic diſcamus à Paulo ijs imprecari mala, qui nos læſerunt? Quomodo hoc cum præcepto Domini conuenit, qui iubet vt maledicentibus & inimicis benefaciamus? Diligenter hic obſeruandũ eſt, vnde proficiſcatur hęc imprecatio, & quo tendat. Proficiſcitur autem ex Spiritu ſancto, & ex zelo recte compoſito, non ex aliqua perturbatione carnis, vt in ijs fit, qui ab alijs læſos ſe putãt. Deinde, tẽdit in gloriã Dei, nam iſtam peſtem cupit ſublatam, quam iã certo cognouerat renunciaſſe agnitæ veritati, & peccaſſe in Spiritum ſanctum, ideoq; nunc iuſto Dei iudicio damnatum. Verum ne nos imitatione Pauli erremus, hæc tria tenenda ſunt. Primum, ne abrepti amore noſtri & priuatæ vtilitatis reſpectu, proprias iniurias perſequamur. Deinde ne rectum ordinem perturbemus, quod ſane fit, dum Dei gloriam aſſerendo, noſtros affectus admiſcemus. Tertio, ne aduerſus quemlibet præcipites iudicio feramur, priuſquam conſtiterit nobis de iudicio Dei. Niſi enim imprecationes noſtræ cũ iudicio Dei conſentiant, vicioſæ & culpandæ ſunt, quales fuerunt diſcipulorum Domini imprecationes, quibus Dominus reſpondit, Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Præſtabit proinde, vt potius confugiamus ad preces pro omnibus hominibus, quam vt vllis mala imprecemur, niſi id fiat cum conditione.

Quem & tu caue.

Hortatio eſt, vt Timotheus fugiat iſtum hominem ſceleratum & deploratæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ploratæ maliciæ. An ex hoc loco Paſtor diſcere debet, ægrotantes & laborantes oues fugere? An non tum maxime requiritur paſtoris induſtria? Hic quoq; diſcernendum eſt inter hoſtes doctrinæ inemendabiles, & alios, de quibus adhuc aliqua emendationis ſpes eſt. Illi ſane vt peſtes fugiẽdi ſunt, hi obiurgatione & doctrina in viam, quantum fieri poteſt, ſunt reuocandi.

Vehementer enim reſtitit ſermonibus noſtris.

Ratio cur velit Timotheum fugere Alexãdrum, nimirum, quia maligne & malicioſe verbo Dei reſtitit. Quiſquis igitur reſiſtit veritati agnitæ, tanquam peſtis fugiendus eſt.

In prima mea defenſione nullus mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, quod liberatus ſum de ore leonis, & liberabit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in regnum ſuum cœleſte, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Hęc querela de defectione fratrum à Paulo, quinta pars huius capitis eſt, in qua ſunt particulæ plures quarum Prima eſt querela deſertionis, nempe, quod cum ſiſteretur primum Neroni, deſertus ſit ab omnibus. Graue ſane ſcelus fuit periclitantem ſocium deſerere. Vnde, quanta ſit hominũ etiam ſanctorum infirmitas, perſecutionis potiſsimũ tempore, ſignificatur, quo nos cognita noſtra infirmitate oremus Deum, vt ſicuti fidem dedit nobis ex mera gratia: Ita quoq; fortitudinem animi in ferendis malis tempore perſecutionis largiatur. Secunda, eſt Pauli votum ſeu oratio pro fratribus infirmis, qui ſe deſeruerunt. Ita enim inquit: Ne illis imputetur. Hinc diſcamus & nos fratrum imbecillitatem boni conſulere, eoſq; pijs noſtris votis apud Deum potius iuuare, quo confirmentur, quam traducere apud homines, vt confundantur. Tertia, eſt commemoratio præſentiæ diuinæ in periculis: At Dominus, inquit, mihi aſtitit & confortauit me, id eſt, fiduciã auxit, & non permiſit me cadere. Hinc diſcamus deſertos ab hominibus, non deſeri etiam à Deo, modo in ipſo vera fide permanſerint. Obſeruandus eſt autem duplex modus præſentiæ Dei, atq; adeo auxilij diuini in periculis. Alias enim apertum præſidium præbet, quemadmodum in prima defenſione Pauli factum eſt. Alias virtute ſpiritus ſui aſtat, ne malis vrgentibus, victi deficiamus. Atq; hoc pacto affuit Paulo iam porrigenti carnifici caput amputandũ. Quarta pars, finis præſentiæ Dei ac auxilij diuini additur, cum inquit: Vt per me prædicatio expleretur, & audirent omnes gentes. Locus hic diligenter obſeruandus eſt. Nam quod in Paulo egit Deus, idem quoq; in alijs fidis Euangelij miniſtris facit. Vult vt in medio hoſtiũ ſua virtute diuina fulciantur, quo homines intelligant Dei negotium agi. Proinde alias potenter tuetur eos, aduerſus hoſtiũ inſultus, alias in medijs ærumnis & cruce aſtat, ac animum illis addit, ne proter periculorum magnitudinem deſpondeant animum. Quinta, commemoratio liberationis Pauli, ita enim inquit: Liberatus fui ex ore Leonis, id eſt, Neronis Tyranni. Hac loquutione duo indicat Paulus, magnitudinem periculi, & crudelitatẽ hoſtis potentiſsimi. Vnde nos diſcamus non propter magnitudinem periculorum, aut potentiam hoſtium, abijcere confeſsionem, ſed potius cum Paulo voluntati Dei nos committere. Sexta, fiducia ex anteactis concepta de futura protectione et auxilio diuino. Et liberabit me (inquit) ab omni opere malo, & ſeruabit in regno. Ex hoc loco diſcamus, nos oportere ex prioribus beneficijs Dei cõcipere fiduciam de futuro ipſius auxilio. Deinde, vt in præſentibus periculis petamus à Deo, vt ſi nõ velit nos à pręſentibus periculis eripere, ſaltem à malo opere nos cuſtodiat, ne ſcilicet cruce preſsi, abijciamus confeſsionem, aut aliquid fortibus Chriſti militibus indignum deſignemus.

Saluta Priſcam & Aquilam, & Oneſiphori domum. Eraſtus remanſit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Meleti, feſtina ante hyemen venire. Salutant te Eubulus & Pudes, & Linus & Claudia, & fratres omnes. Dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum, Amen.

Hæc ſexta præſentis capitis pars eſt, quę nulla explanatione indiget. Salutationes Paulinæ in genere nobis pietatem ac reuerentiam erga abſentes commendãt, monentq; vt verbis, factis & affectu ſtudeamus ipſorũ commodo.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ARGVMENTVM
EPISTOLAE PAVLI
AD TITVM.

IN PRINCIPIO ENARRATIONIS SACRORVM SCRIPTORVM, quatuor mihi ante omnia excutienda videntur, Primum, quiſnam ſit ſcripti autor. Secundum, quæ fuerit ſcribendi occaſio, & quale ſcriptoris conſilium. Tertium, quæ propoſitiones ſeu quęſtiones principales, ſeu quis ſtatus, vnúsne an multiplex. Quartum, quis ſit tractationis ordo ſeu quæ methodus. Hæc quatuor & nos in huius enarrationis initio quęramus. His enim dextre explicatis, totum ſcriptum fiet apertius, vſuſq; eiuſdem magis ſe prodet.

AVTOR HVIVS EPISTOLAE.

Paulus Apoſtolus, electum Dei organon, neq; ab hominibus, neq; per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, verum Deum ac verum hominem, immediate vocatus ad Apoſtolatum, vt eſſet gentium potiſsimum doctor, autor eſt huius Epiſtolæ. Vnde quanta ſit eius autoritas intelligi poteſt. Non enim ſecus accipienda ſunt, quæ hic promit Dei ſpiritus per Paulum, quam ea, quæ ab ipſo Domino ſunt prodita. Quare omnia quæ continentur in hac Epiſtola atque alijs Pauli ſcriptis, eius eſſe autoritatis ſciamus, vt in dogmatibus confirmandis & confutandis erroribus, plurimum habeant virium.

OCCASIO.

Occaſio huius Epiſtolæ hæc fuit. Paulus in Creta reliquit Titum, vt ordinaret oppidatim Presbyteros, verum cum intelligeret multos eſſe ibi, qui prætextu legis Moſaicæ populum deciperent, ſcribit hanc Epiſtolam παραινετικὴν, vt ſui officij & muneris admoneretur Titus, ne ſineret ſeductores Chriſti gregem mendacibus doctrinis, ac diſceptationibus vaſtare inutilibus, quemadmodum cœperunt mox poſt Pauli diſceſſum.

STATVS.

Hæc Epiſtola non eſt vnius ſtatus aut propoſitionis, ſed multarum, quas omnes ad ſex reuocare poteris. Vt Prima ſit de ordinandis & conſtituendis Presbyteris oppidatim. Secunda de increpandis hæreticis. Tertia, de vita & doctrina Epiſcopi. Quarta, de pia auditorum conuerſatione & vita. Huic vt theſi ſubijcio omnes hypotheſes quas enumerat, videlicet de officio anuum, adoleſcentularum, iuuenum, & de obœdientia præſtanda magiſtratui. Quinta, de vitandis inutilibus Iudaicarum fabularum diſputationibus. Sexta, de fugiendis poſt admonitionem hæreticis. Hæ ſunt propoſitiones parænetica huius Epiſtolæ, quib. adijciuntur interdũ rationes cõtinentes pręcipua Chriſtianæ religionis dogmata, de quibus ſuis locis dicendum eſt.

TRACTATIONIS ORDO SEV METHODVS.

Ordo ſeu methodus Epiſtolaris eſt. Conſtat enim quatuor partibus, Epigrapha, Salutatione, Expoſitione & Valedictione. Porrò ipſa expoſitio arbitraria eſt & libera. Nam eius conditionis ſunt omnes huius Epiſtolæ propoſitiones, vt parum referat, quam quo loco colloces. Eſt enim hoc Dialecticorum & Rhetorum præceptum, vt quemadmodum cum propoſitiones aliæ ab alijs dependent, illæ priorem in tractatione locum occupent, quæ natura priores ſunt: Ita cum eiųs ſint naturæ, vt à ſe inuicem non dependeant, libera ſit collocatio, niſi quod in principio & fine eas collocare conſueuerunt, quæ alias pondere ſuperant, quemadmodum hic factum eſſe videmus. Vt enim primam fecit de

ordinandis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ordinandis miniſtris: Ita poſtremam de vitandis hæreticis. Porrò in tractatione ſingulorum capitum hunc ſeruabo ordinem. Primum ſummam capitis monſtrabo. Deinde ordinem capitis oſtendam. Tertio loco exegeſin vna cum obſeruatione dogmatum ſeu locorum communium adijciam, vt vſus doctrinæ conſpiciatur.

CAPVT I.

Summa Primi Capitis.

Epiſcopus oppidatim verbi miniſtros inculpatæ vitæ & ſanæ doctrinæ ordinet, quo poßit ora obſtruere ſeductoribus, & increpet durius peruerſe docentes, vt tandem ſani euadant & reſipiſcant.

Ordo Primi Capitis.

Poſt epigrapham, cui adiuncta eſt imprecatio ſeu ſalutatio, mox exponit cur Titum in Creta reliquerit, nimirum vt ordinaret oppidatim Presbyteros, id quod primam propoſitionem eſſe diximus. Deinde monet quales velit Presbyteros, cum in vita domi & foris, id quod per enumerationem attributorum exponit, tum in doctrina, nimirum vt poßint exhortari per ſanam doctrinam & contradicentes conuincere. Huc addit argumentum ex contrario, ſeu antitheſin facit de malis doctoribus, referens quantũ damnum faciant in Eccleſia, quorum vt oſtendat vanitatem, citat Epimenidis verſum, quo tota Cretenſium tribus arguitur vanitatis. Hinc dilabitur ad ſecundam propoſitionem de redarguendis talibus ſeductoribus, vt non pereant, ſed vt reſipiſcant, non amplius attendentes Iudaicis fabulis de eſcis & externis, vt videtur, purgationibus, quas fabulas omnes vna de libertate Euangelica ſententia iugulat, inquiens: Omnia munda mundis &c. Verum quia gloriabantur ſeductores illi de noticia Dei, & ſapientiæ quadam opinione tumebant, per antypophoram eos factis Deum, de quo vane gloriabantur, negare aſſerit.

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS ſeruus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti, ſecundum fidem electorum Dei & agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur Deus, ante tempora æterna, manifeſtauit autem temporibus ſuis verbum ſuum per prædicationem, quæ credita eſt mihi, ſecundum iniunctionem ſaluatoris noſtri Dei, Tito dilecto filio ſecundum communem fidem.

Epigraphæ Paulinæ omnes quidẽ conſtant ſuis, vt ita dicam, eſſentialibus partibus, primo enim loco ſuum nomen, deinde eos ad quos ſcribit, collocat. pleræq; magnificis epithetis ornantur, id quod à Paulo factum eſt, non vt prophanus Porphyrius ſenſit, ambitione quadam, ſed ob tres cauſſas, quarum Prima & præcipua fuit, vt hac ratione ſuæ doctrinæ autoritatem conciliaret contra Pſeudoapoſtolos, qui autoritatem Pauli ideo obſcurare conabantur, vt Iudaicis fabulis locum facerent, quas Paulus tãquam peſtes nocentiſsimas ſanę doctrinę àb Euangelio remotas eſſe voluit. Altera cauſſa, vt hoc modo confiteri ſe Chriſtum, quem ferè totus mundus tum perſequebatur, palam faceret, contemtis omnibus omnium hominum ſannis & minis. Tertia, vt ſuo exemplo eos, ad quos ſcriberet, ad confeſsionem prouocaret. Conſtantis enim & fortis tum animi fuit, audere in tanta perſecutione Chriſtum confiteri. Hoc ſit dictũ de epigraphis Paulinis in genere. Nunc ad præſentis Epiſtolæ epigrapham deſcendam, in qua primum pro cõſuetudine ponit ſuum nomen propriũ. Deinde titulum, quem habet communem cum omnibus fidelibus, dum ſe ſeruum Dei fatetur, collocat. Poſtea ſuæ functionis peculiaris, hoc eſt, Apoſtolatus mentionem facit. Vt autem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

oſtendat qualénam ſit Apoſtolicum munus, addit quod ſit de fide electorum Dei. Secun-
dum fidem inquit, id eſt, ad fidem ſcilicet prædicandam, qua electi Dei ſaluantur, id eſt, de
fide qua omnibus ſeculis pij ſaluantur, quam fidem dicit conſiſtere in noticia veræ pieta-
tis, & ſpe vitæ æternæ. Hoc autem ne quis nouum diceret, aſſerit ita quidem Deum promi-
ſiſſe ante ſecula æterna, id eſt, iam inde vſq; ab initio conditi orbis, (æterna dixit Auguſti-
nus, quæ ante ſe non habent vllum tempus.) Nunc vero tempore cõſtituto, tandem mun-
do reuelatum eſſe per Euangelium, cuius præconem ſe eſſe conſtitutum, ad iuſſum ſaluato
ris Dei, affirmat. Hic eſt ſenſus epigraphæ, in qua hæc ſunt obſeruáda. Primum, exemplum
Pauli confitentis ſe ſeruum & cultorem Dei, quæ res nos commonefaciet non ſolum no-
ſtræ confeſsionis, verumetiam cultus, quem noſtro Domino ſecundum verbum debemus.
Secundo, à Paulo diſcant Epiſcopi & miniſtri verbi adeoq; omnes, diligentiam præſtare in
officio ſibi demandato. Tertio, vt Apoſtolorum fuit fidem electorum Dei docere: Ita ſciant
miniſtri verbi hunc ſui muneris ſcopum eſſe, vt eandem electorum fidem doceant. Contra
quod factitant Romanenſes porci, hoc eſt, ſerui Diaboli, qui ſana fidei doctrina ſuppreſſa,
ventris ſui & gloriæ cauſſa, præſtigias infinitas ad decipiédos homines cõmenti ſunt. Quar-
to, cõfutatur hic dogma illorum, qui docuerunt Gentes lege naturæ, Iudæos lege Moſai-
ca, Chriſtianos lege Euangelica ſaluari. Nam Paulus fidem electorum nominans, ſigni-
ficat vnam eſſe electorum fidem quæ ducit electos, id eſt, credentes ad Chriſtum, viam vni-
cam ſalutis. Quinto, docetur hic in quibus conſiſtat vera fides, nimirum in veræ pietatis
noticia & ſpe vitæ æternæ. Vnde etiam commendatur nobis ſtudium diſcendi verbum,
ſine quo ad illam noticiam nemini venire contingit. Sexto, ſcopus fidei & pietatis veræ o-
ſtenditur eſſe vita æterna, in qua recuperata perfecte imagine Dei, æternum beati Deum
glorificabimus. Septimo, cum dicit Deum eſſe ἀψευδῆ, vult vt firmiter ipſius verbo fida-
mus, nihil morantes quicquid rerum externa facies polliceatur. Octauo, cum ad iuſſum
ſaluatoris Dei ſe Apoſtolum factum meminit, ſuo exemplo docet, vt nullus in Eccleſiam
ſine vocatione irrumpat. PORRO Titum filium vocat, vel ex conſuetudine, qua grandio-
res natu, iuniores filios nominant, vel ex affectu mere paterno, vel quia per doctrinã Pauli
cõuerſus, fide factus eſt Titus nouus homo, atq; ideo addit, iuxta communem fidem, qua
ſcilicet omnes credentes ex æquo naſcuntur filij Dei. Hic obſerua qualis affectus debeat eſ-
ſe doctoris erga ſuum diſcipulum, Epiſcopi erga inferioris gradus ſymmyſtas, miniſtri ver-
bi erga auditores, atque adeo ſuperioris omnis erga inferiorem. Communis fides admo-
neat nos mutuæ dilectionis. Communis enim fides non ſolum facit nobis multa commu-
nia, verum etiam efficit, vt omnes vnus ſimus in Chriſto Ieſu, ad Galat. 3.

Gratia, & miſericordia & pax à Deo patre & Domino Chriſto Ieſu, ſaluatore noſtro.

Salutandi formam ſumit Paulus à
fructu Euangelij, vt hoc modo eos, ad
quos ſcribit, excitet ad amorem Euan
gelij, propoſito tanto bonorũ theſau-
ro, à quo ſunt excluſi omnes, quotquot Euangelio nõ credunt. Salutationes Paulinæ, con-
tinentes Euangelij prædicati fructum, admonent eos, ad quos ſcribitur, fidei, ſine qua o-
cioſæ manent adeo dulces ac ſalutares ſalutationes. GRATIA in ſcriptura ſignificat pro-
prie gratuitam beneuolentiam Dei ſeu caritatem ſeu fauorem, quo Deus nos complectitur
in filio. Deinde per metonymiam, quicquid Deus nobis ex gratuito fauore ſeu beneuolen
tia donat, gratia dicitur, vt eſt gratuita remiſsio peccatorum, donatio Spiritus ſancti, & vir
tutes donatæ, quæcunq; tandé illæ ſunt. MISERICORDIÆ nomen magis exprimit affe-
ctum Dei erga nos, & multarum rerum nos admonet. Quoties itaq; in ſcriptura fit mentio
miſericordiæ Dei, erga genus humanũ, hæc nobis in mentem veniant. Primum, obiectum
miſericordiæ, quod eſt miſeria generis humani, qua totum genus humanum in ſe perditũ
& deploratum eſt. Secundum, huius miſeriæ cauſſa, quæ eſt peccatum, res omnium triſti-
ſima & fœdiſsima. Tertium, φιλανθρωπία Dei erga genus humanum, quod Deus non abie-
cerit prorſus hominem propter tantam turpitudinem & fœditatem. Quartum, ἀντίλυτρον,
quod eſt victima filij, peracta ad liberandum nos ab illo ingenti malo, & ad tollendum
iram & damnationem cõmeritam ob peccatum. Quintum, pœnitétia & fides, ſine quibus
illius ineffabilis precij, victimæ filij, non reddimur participes. Sextum, ad quos ſe extendat
illa miſericordia. miſericordia, inquit beata illa virgo, in progeniem progenierũ, timenti-
bus eum. Septimum, perpetua gratitudo cordis erga Deum, pro tam immenſa bonitate,
quod noluerit nos in æternum damnari, ſed eum, qui non nouit peccatũ, fecerit pro nobis
peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo, 2. Corinth. decimo. PAX theologice eſt mu-
tuus conſenſus Dei remittentis peccata, acceptantiſque nos propter filium, & fidei, acci-
pientis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

pientis remiſsionem peccatorum,ſtatuentisq; quod Deus non velit damnare nos,ſed propter Chriſtum mediatorẽ vnicũ recipere. Hinc placata & tranquilla conſcientia redditur, dum in hac pace conquieſcit mens. Vnde nomen pacis ſępe per Metonymiã pro tranquillitate conſcientiæ ponitur. Porrò hic regula obſeruanda eſt, quod eorum quæ natura ſeu certo quodam vinculo coniuncta ſunt,cum vnum dicitur,cætera intelligantur,vnde fit,vt quodlibet horũ trium vocabulorum ſine alijs poſitũ tantundem valeat, ac ſi omnia ponerentur. Sunt enim Gratia, Miſericordia & Pax ita natura coniuncta,vt vno poſito, cætera excludi non poſsint. Cum addit, A Deo patre, amplificat ſalutationem à cauſſa efficiente, ſeu ab autore eorum bonorum,quæ offert Euangelium Chriſti:vnde obſeruandum,quod pij odio mundi,tyrannide Diaboli,& importunitate hoſtium preſsi,hinc ſe cõſolentur, & opponant odio mundi gratiam Dei: Tyrannidi Diaboli,miſericordiam patris cœleſtis:Importunitati hoſtium momentaneæ, æternã pacem, quam donat rex pacis Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſe credentibus. Deinde & hoc obſeruandum eſt,quod eorundẽ bonorum autorẽ & patrem & filium agnoſcat ſcriptura. Nam vt pater miſericordia ſua,& inenarrabili φιλανθρωπίᾳ,filio vnigenito in ἀντίλυτρον pro nobis dato,nos redemit: Ita filius obœdientia & ſanguinis effuſione idem præſtitit,à quo non excluditur Spiritus ſanctus,qui nos vngit & ſanctificat,vt tantorum bonorũ capaces eſſe poſsimus.Eſt præterea & hoc obſeruandum,quod Paulus vt plurimum, quoties incidit in ſaluatoris mentionẽ, ſoleat cõiungere has quatuor voces,Dominus noſter Ieſus Chriſtus, idq; facit Paulus non ſine magno conſilio,nimirum vt myſteriũ ſalutis noſtræ his paucis voculis complectatur.Prima enim vox Dominus,admonet pios potentiæ,victoriæ & dominij Chriſti Domini.Secunda vox Noſter,ſubiectionem & fidem requirit. ſi enim noſter eſt,ſerui ipſius ſumus.Quare & debitus illi cultus à nobis præſtandus eſt. Si noſter,nobis in ſalutem datus, profecto nos in ipſum credere oportet. Tertia vox Ieſus,de perſona & officio Chriſti concionatur,nimirum quod ſit θεάνθρωπος & ſaluator. Vnde rurſus monemur cum miſeriæ noſtræ, in qua ſine ipſo hæremus,tum fidei,qua in miſeria per ipſum liberamur. Quarta vox eſt Chriſtus,modum liberationis per ipſum docet, nempe per regnum & ſacerdotium ipſius.

Huius rei gratia reliqui te in Creta. Abſoluta epigrapha & ſalutatione, ſequitur expoſitio, in qua primum proponit, de recte conſtituendis, quæ à Paulo propter ſubitum abitum omiſſa erant, & de ordinãdis oppidatim Epiſcopis, quemadmodum ſupra in tractationis Methodo monuimus. Eſt autem obſeruandum hic primum, quod Paulus non velit ἀναρχίαν in Eccleſia, ſed quo omnia fiant ordine & decenter,vult aliquem vita & doctrina conſpicuũ præeſſe miniſtris ordinandis,& recte diſponendis omnibus in Eccleſia,qui caueat ne quid hæreſiũ oriatur. Breuiter,qui vt omnia rite agantur ſtudeat. Neq; tamen hinc ſtabilitur primatus Papæ,neq; tyrannica papalium Epiſcoporum αὐτονομία, & iuriſdictio, quam ſibi vendicant. Hi enim nõ Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruiunt,ſed in hoc totis viribus incumbunt,vt diuina bonitate lucem Euangelij accenſam,flumine ſanguinis piorũ extinguant. Tametſi longe ſua opinione fruſtrantur. Sanguis enim martyrum velut optimum oleum eſt. Nam is facit, vt lux Euangelij accenſa magis ardeat.

Vt ea quæ deſiderantur, corrigas. Id eſt, vt quæ deſiderantur in Eccleſiaſtica ordinatione, recte diſponas. Nam Paulus iacto fundamento, vt videtur, alio ſe contulit, vt qui fuerit non vnius nationis,ſed gentium Apoſtolus & doctor,relicto interim apud Cretẽſes Tito,qui ea quæ ipſe breui tempore non abſoluerat, diſponeret. Obſerua officium Epiſcopi in genere eſſe, omnia recte diſponere in Eccleſia.

Et conſtituas oppidatim Presbyteros. Pars præcipua muneris Epiſcopalis eſt,ordinare idoneos miniſtros verbi, ſine quibus Eccleſia Dei nec ædificari nec conſeruari poteſt. Fides enim ex auditu eſt, auditus per verbum Dei, verbum Dei per Presbyteros ſonat. Vnde Paulus miniſtros verbi œconomos myſteriorum Dei appellat 1. Corinth. 4. Myſteriũ enim ſalutis maneret prorſus incognitum, niſi per miniſterium verbi reuelaretur. Vnde æſtimandum eſt, quanti oporteat nos facere miniſterium & eos, qui in ſcholis & templis pure docent. Porrò Presbyteri nomen apud græcos nunc ætatis, nunc dignitatis & honoris appellatio eſt. Quemadmodum enim Latini ſeniores non tam eos, qui ætate præcedunt, quam qui honore & dignitate antecellunt,nominant: ita græci Presbyteros per metonymiam nominare conſueuerunt eos, qui dignitatis gradu alios anteirent.

Quemad-

Quemadmodum ego tibi ordinaui. Id eſt, eo modo, quem tibi præſcripſi. Hoc eſt, per impoſitionem manuum Presbyterij & orationem, explorata prius vita & doctrina eius, qui in Presbyterum expetitur.

Si quis ſit inculpatus. Per enumerationem exponit, quales velit ordinari Presbyteros. Inculpatus, id eſt, talis qui non commiſerat crimen, ob quod in ius iuſte vocetur. Nam ἐγκαλεῖν ſignificat in ius vocare, vnde ἀνέγκλητος, id eſt, crimine vacans, ob quod in ius poſsit vocari. Nam cum turpe ſit doctori, cum culpa redarguit ipſum, non poteſt alios ſcelerum arguere, qui ipſe ſceleratus & criminoſus eſt, vt interim taceam, auditores plerunque Presbyterorum ſcelera imitari.

Vnius vxoris maritus. Non dicit ſi quis fuerit vnius vxoris maritus, ſed ſi ſit talis, ſiue primam ſiue ſecundam &c. nunc habeat. Hic deſtruitur dogma Papiſticum & doctrina dæmoniorum de cœlibatu ſacerdotum. Spiritus ſanctus vult Presbyterum ordinari vnius vxoris maritum. Tyrannis vero Romanenſium omni ſuppliciorũ genere eos ſacerdotes mulctandos & puniendos iudicat, qui ſanctum & honorabile inter omnes matrimonium præferunt ſodomiticis & nefandis libidinibus. Quodnam obſecro clarius eſſe ſymbolum poteſt doctrinæ Dæmoniorum? Hinc diſcant pij miniſtri pluris facere Spiritus ſancti mandatum, quam Satanæ aſtutiſsimum inuentum, per quod (proh dolor) infinitas animas ad tartara, pertraxerat hactenus. Nec nouum commentum Papiſtarum poteſt illudere hunc locum, dum interpretantur Presbyterium maritum vnius vxoris, hoc eſt, vnius Eccleſiæ. Nam hoc cauillum confutat quod ſequitur.

Liberos habens fideles. Non enim leue argumentum eſt, cum innocentię parentum, tum legitimæ œconomicæ adminiſtrationis honeſtas & innocentia liberorum. Nam multũ refert quomodo quis ſit educatus, quemadmodum Plato & Plutarchus prolixe docent. Hinc eſt quod parentes non careant culpa, ſi pueri adulti & male educati delinquant. Heli, quia ventris ingluuiem & fornicationem in filijs non corripuerat, & ſuam & illorum ſalutem perdidit. Plato duabus de cauſsis homines fieri malos iudicauit. Primum, vitia parentum in natos transfundi dicit. Deinde, educatione mala eadem vitia augeri firmariq; exiſtimat, quæ quidem emendari ac corrigi poſſe honeſta educatione arbitratus eſt, adeo vt diceret, caput rectæ inſtitutionis eſſe rectam educationem. Obſeruandum ergo hic Primum eſt, parentibus non iniuſte imputari filiorum ſcelera, ſi eos non recte in pietate & correctione Domini inſtituant. Deinde, quod cum pietatis & honeſtatis domeſticæ, tum impietatis & malæ conſuetudinis parentum, argumentum ſit vita liberorum. Verum ſi parentes in hac re ſuo fuerint functi officio, non ſunt culpandi quidem illi, ſed filij illorum grauius ſupplicium cum Deo, tum hominibus luent. Præterea, monentur hic pueri pietatis & honeſtatis, vt parentum ſuorum decus ſua innocentia adaugeant.

Non in accuſatione luxuriæ. Id eſt, nõ ſint criminoſi aut infames ob laſciuiam, quales filij Heli fuerunt.

Aut inobſequentes. Id eſt, qui iuſsui aut imperio ſuperiorum nolunt ſubijci, id quod euenire ſolet, ex blanda patrum indulgentia. Ambroſius rectiſsime vertit inobſequentes.

Oportet enim Epiſcopum inculpatum eſſe, tanquam Dei diſpenſatorem. Breuiter monuit qualéſnam velit Presbyteros eligi, nunc idem confirmat ab adiunctorum enumeratione, quæ neceſſario requirũtur in Epiſcopo, & primo loco à quibus vicijs debeat eſſe immunis Epiſcopus. Deinde recitat virtutes, cum quibus Epiſcopalis functio ornatur, tum quę ſunt proprie Epiſcopi, nimirum vt ad exhortandum & conuincendum aduerſarios idoneus ſit. Primum ergo vult Epiſcopum inculpatum eſſe, & rationem reddit, quia eſt diſpẽſator ſeu œconomus in domo Dei, quæ eſt Eccleſia. Hic titulus Primum admonet Epiſcopũ, quam late ipſius officium pateat, nimirũ vt ſolummodo ea promat, quæ ſunt ſui Domini. Non eſt enim

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

enim diſpenſator humanarum traditionum, ſed myſteriorum Dei, 1. Corinth. 4. Secundo, monet auditores quo in loco debeant habere miniſtros verbi, nimirum vt agnoſcant eos miniſtros Chriſti, & œconomos Dei. Tertio, hinc lucet, non eſſe œconomos Dei, Papiſtas & alios hæreticos, qui non quæ Dei, ſed quæ Satanæ ſunt, promunt.

Non præfractum. Alij hic proteruum, alij ſuperbum, alij præfractum, nonnulli contumacem vertunt, quorum nullo proprie redditur græca vox, nec tamen ideo culpandi ſunt interpretes, quorum hic mos eſt in transferendis græcis, vt cum propria quæ reſpondent græcis, deſunt, vtantur nunc generibus pro ſpeciebus, nunc ſpecieb9 pro generibus, nunc tranſlatis, interdum vicinis, quemadmodum hoc loco factum eſt. Nam omnis qui eſt αὐθάδης, eſt ſuperbus, eſt proteruus, eſt præfractus, eſt contumax. Græca autem vox αὐθάδης compoſita eſt ab αὐτὸς, id eſt, ipſe, & ἁδεῖν, placere, vt αὐθάδης ſit, quem noſtra vernacula lingua vocamus, dynkelgod vel ſelffgod, cui nihil placet niſi quod ipſe fecerit, quique ſibi ſuiſque conſilijs tantum tribuit, vt alios eorumq; conſilia ſuperbe & contumaciter cõtemnat, quo vicio nullum eſſe poteſt nocentius in Epiſcopo. Huius vicij cauſſa eſt perſuaſio quædam ſapientiæ & prudentiæ. adiuncta ſunt, ſuperbia, proteruitas, præfractus animus, contumacia. Effecta, aliorum conſilia contemnere, ſuas opiniones mordicus tueri, vnde facilimus prolapſus eſt in hæreſes: ex quo facile intelligitur, quam debeat hoc vicium alienum eſſe ab Epiſcopo, qui non ſolum benigne alios erudire, verum etiam plerunque amice & attente aliena conſilia audire, eaque in multis ſequi debeat.

Non iracundum. Iratum fuiſſe legimus Moſen ob vitulum aureum, quem ſuderant Iſraëlitæ, cum is in monte cum Domino eſſet. Fremuiſſe ſpiritu legimus ipſum Dominum. Prophetas ſæpe motos ob populi cæcitatem & ſcelera. Rurſus legimus Dominum prohibuiſſe iram. Verum has antilogias diſſoluet cauſſarum diuerſitas, alia enim eſt ira, cuius cauſſa eſt zelus Dei & iuſticiæ, alia quam caro & peccatum operantur. Illa probanda, hæc damnanda eſt. Ab hac generatur, quam hic vult Paulus alienam eſſe ab Epiſcopo, iracundia, quæ iracundia duo mala, vt alia taceam, habet ſibi adiuncta. Primum, iracundus non poteſt mãſuete, blande, benigne & comiter agere cum imbecillioribus, id quod Epiſcopo inprimis faciendum eſt, alioqui infirmos non vt medicus ſanat, ſed vt carnifex cruciat. Deinde, quis eſt qui non ab iracundis tanquam à rabioſis canibus aufugit, tantum abeſt vt quiſquam vel amet talem, vel aliquid in rebus afflictis conſilij ab ipſo expetat.

Non vinoſum. Quantum ſit ebrietatis malum, notius eſt, quam vt de eo aliquid afferam. Nam præter id quod grauiſsime Deũ offendat ebrietas, impedit omnes actiones corporis & animi, quas vel pietas vel functio requirit. Mentẽ enim mouet de ſuo ſtatu, corpus eneruat, accendit flammas libidinum & affectuum, vnde plurima mala oriuntur, vt proditiones, adulteria, ſtupra, homicidia, & quid non ſcelerum veſana ebrietas ſecum trahit? Lex æterna (inquit Auguſtinus) ebrietatẽ condemnat, quia cibum & potum ad ordinem naturalem, non niſi gratia conſeruandæ ſalutis admittit.

Non percuſſorem. Gladio ſpiritus vtetur Epiſcopus, nõ pugnis aut fuſtibus, minas iræ Dei proponet inobœdientibus, carceres & alia tormenti genera, quibus flagitioſi puniri ſolẽt, relinquat magiſtratui ciuili. Puto etiam hic prohiberi verbera linguæ amarulentioris.

Non turpis lucri cupidum. Hoc vicium eſt, quod non ſolum arguit inſignem diffidentiam de promiſsionibus Dei, qui ſe pro nobis ſolicitum eſſe affirmat, verum etiam in miniſtris verbi, cum ſit hoc vicium, præbet infirmis & extraneis anſam ſcandali, imo vt verbum Dei male audiat, facit. Quare deceret vt potius tenuiori cum victu tum veſtitu eſſent cõtenti, quam vt ſinerent religionem iſto nomine periclitari.

Sed hoſpitalem. Græca vox φιλόξενος ſignificat amãtem hoſpitum & benignum erga hoſpites peregrinos. Cuius benignitatis forma quædam eſt amãter hoſpitio excipere, præ-

ſertim

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſertim domeſticos fidei tenuiores. Hæc virtus magnum fructum affert ad ædificationem
Eccleſiæ. Non enim ſolum tenuiores refocillantur hoc modo, verum etiam alij humanita-
te illa inuitantur ad ſimilem præſtandam egenis beneuolentiam.

Benignum. In græco eſt φιλάγαθον, id eſt, a-
mantem bonos, vult enim vt Epiſco-
pus benigne complectatur eos, qui pie, honeſte & ſancte viuunt, vt ipſius benignitate in-
citentur ad acrius optimarum rerum ſtudium.

.Sobrium. Hic rurſus Latinus pro ſpecie ge-
nus collocauit. Σώφρων enim iuxta e-
tymon eum ſignificat, qui in omnibus rebus agendis ſeruat prudentiã, videlicet cum mẽs
nullis cupiditatibus aut affectibus (qui vt Plato inquit, in rebus agendis ſolent eſſe amen-
tes conſiliarij) ebria, manet immota. Vnde idem Philoſophus hanc virtutem politicã ap-
pellat. Nam qui in republica viuit ſine moderatione affectuum, cum ſibi, tum alijs non ra-
ro eſt exitio. Quare cum Epiſcopus præcipue illorum ſaluti conſulere debeat, quorum eſt
Epiſcopus, non poteſt hac virtute carere ſine magno Eccleſiæ malo. Duplici enim nomine
Epiſcopo vtilis eſt, cum quia illum ipſum in officio continet, ne potius ſuadentibus illis
amentibus cõſiliarijs, hoc eſt, affectibus, quam verbo Dei quicquam agat in Eccleſia, tum
exemplum prodeſt, cum alij mentem componunt ad exemplum Epiſcopi, videntes quan
tum ſit ornamentum viri mentis ſobrietas.

Iuſtum. Scilicet cum nemini iniuriam in-
ferendo, tum nullius perſonam præ-
ferendo vel habendo acceptiorem ex priuato affectu.

Pium. In cultu Dei & pietate debet eſſe
aſsiduus. ὅσιος enim dicitur quaſi ἀ-
σιος, id eſt, pius religionis cultor. Quis enim ab eo pietatem diſcere poteſt, qui ea, quæ do-
cet, vita & moribus non exprimit?

Continentem. Oportet Epiſcopum eſſe talem,
qui non ſolum in victu ſit parcior, ſed
qui linguæ, manibus, oculis, affectibus imperare poteſt. Sic enim hic temperanté exponit
Athanaſius, vim græcæ vocis exprimens. HACTENVS oſtendit Paulus qualem deceat
eſſe Epiſcopum in vita & moribus, nunc exponit qualem deceat eundem eſſe in doctrina.

Tenacem fidelis ſermonis ſecundum doctrinam. Hęc vocabula penitius introſpecta
multa continent. Vult Epiſcopum eſ-
ſe tenacem fidelis ſermonis, id eſt, ver-
bi ore Dei prolati, quod verbum fidele vocat, propter eius veritatem & certitudinem. Vn-
de primum obſeruandũ eſt, quod tametſi diuina ſcriptura venas habeat inexhauſtas: Ta-
men oporteat Presbyterum ſeu paſtorem eſſe in ſacra ſcriptura & doctrina inſtructũ, adeo
vt ei ita firmiter inhæreat, vt nullo modo inde auelli ſe patiatur. Secundo, requiritur ſeria
confeſsio doctrinæ, vt nullis rebus abſterreatur, quin palam coram omnibus eam quam
corde tenet, voce & vita confiteatur. Cum addit, ſecundum doctrinam, vult vt doceat au-
ditores, ac illis prodeſſe ſtudeat. Huc enim pertinet officium Epiſcopi, vt ſanam doctrinã,
quæ prodeſt ad ædificationem doceat, non vt inanibus ſpeculationibus incumbens profe-
rat tandem abſtruſa quædam, quæ nullum vſum habent in exercitio pietatis. Hinc diſcant
miniſtri verbi, ſui eſſe muneris profectum Eccleſiæ ſibi commiſſæ quærere, & non ocium
aut voluptates ſectari. Perſtringuntur præterea purpurati illi Epiſcopi, quorum alij non
didicerunt doctrinam cœleſtem, alij didicerunt quidem, ſed docẽdi munus commiſerunt
laruatis quibuſdam Papæ morionibus, hoc eſt, monachis.

Vt poſsit & exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes conuincere. Poſtquam recte docuit Epiſcopus,
opus habet duabus rebus, nimirum
exhortatione, vt quod didicerunt au-
ditores, vita exprimant, ne fruſtra docuiſſe videatur, & confutatione, vt contradicentes, id
eſt, aduerſarios doctrinæ conuincat, ne videlicet quod ipſe recte docuit, aduerſarij vel de-
prauent,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

prauent, vel prorſus ſophiſtica deſtruant. Vt enim boni paſtoris eſt non ſolum oues paſcere, verum etiam lupos arcere: Ita Epiſcopus doctrina ſana paſcat Eccleſiam, & hæreticos eadem conuincat. Vocat autem doctrinam ſanam, vel per metonymiam, quia liberat animum ab erroribus & morbis, videlicet afferentibus mortem æternam, vel ſanam per metalepſin vocat puram, nullis humanis doctrinis aut traditionibus Iudaicis inquinatam & corruptam.

Sunt enim multi immorigeri.

Antitheſi ſeu argumento à contrario declarat, quantum referat Presbyteros, vita ac doctrina eſſe ſinceros.

Vaniloqui.

Vaniloqui ſunt, qui de rebus nihili curioſius diſputant, quique ea ſcrutantur & proponunt auditoribus, quæ neque ad pietatem alendam, neque ad mores formandos faciunt. Hinc diſcant miniſtri verbi, omnia quæ docent, ita temperare, vt pietati & honeſtis moribus ſeruiant ad ædificationem. Diſcant etiam muliebrem garrulitatem in concionibus fugere, inutiles excurſus, & ſeſquipedalia verba minus ſectari. Simplex eſt enim veritatis oratio, vt inquit Euripides.

Mentium ſeductores, maxime ij, qui ſunt ex circumciſione.

Prauæ doctrinæ fructum potiſsimum expreſsit hac voce. Mens enim ſeducta à veræ pietatis doctrina, mox ruit in ſuperſtitionem, vnde præcipitatur in exitium. Monentur itaque hic miniſtri verbi, ne ferant tales deceptores, neue conniueant cum illis in animarum perniciem, pro quibus mortuus eſt Chriſtus.

Quibus oportet ora obſtruere.

Id eſt, verbo Domini eos erroris cõuincere, & argutias illorũ damnare.

Qui totas domus euertunt.

Vt excitet paſtores ad vigilantiam & diligentiam in arcendis lupis, proponit periculum. Multum eſſet, ſi de bonis ageretur & commodis præſentis vitæ, ſed nunc agitur de æternis bonis, quibus ſpoliant ſeductores eos, quos ſeducunt in errores. Hic admoneantur miniſtri, quod grauiſsime peccent, ſi aliena negotia ſectantes ſinant huiuſmodi ſeductores praua doctrina Eccleſiam Chriſti deuaſtare.

Quæ non oportet docentes.

Id eſt, prophana & impia, nihil ad ædificationem facientia. Hic rurſus admoneantur fidelitatis præſtandæ in docendo, ne argutias inutiles ſectentur, aut traditiones hominum, relicto verbo Dei.

Turpis lucri gratia.

Hæc eſt Diaboli techna, vt lucro propoſito ſuos ſeruos, hoc eſt, hæreticos, ad ſtrenue faciendum officium excitet. Solet enim talibus machinis vti Diabolus ad euertendam domum Dei. Ambroſius dicit eos duplex lucrum quæſiuiſſe, pecunias nimirum à Iudæis (Pauli doctrinam funditus euerſam volentibus) & præputium. His ſimiles noſtra ætate ſunt omnium Monachorum ſectæ, quæ tametſi à ſe inuicem maxime diſſentiant, tamen in hoc cõueniunt omnes, quod lucrum & honores quærant. Verum pius miniſter ſciat nullum eſſe præclarius lucrum, quam pietatem, piaque doctrina plurimas animas Chriſto lucrifacere.

Dixit quidam ex ipſis proprius ipſorum Propheta, Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri, teſtimonium hoc verum eſt.

Verſus Epimenidis heroicus eſt, quem in hunc modum licet reddere mutato numero: *Cres ſemper piger eſt venter, mala beſtia, mendax.* In hoc verſu tribuit Cretenſibus, vanitatem, ſtupiditatem, ignauum ocium & gulam, à quibus vicijs miniſtros verbi omnino abſtinere neceſſe eſt, ſi modo quicquam à ſe recte geri velint. Obſeruãdum hic primum, taxandam eſſe illorum peruerſam opinionem, qui putant nefas eſſe ſententias ex prophanis ſcriptoribus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

aſſerre in explicatione ſacrorum dogmatum. Deinde admonemur de vero vſu Ethnicorum ſcriptorum, nimirum vt ſeruiant ſacræ ſcripturæ, tanquam ancilla ſuæ reginæ. Quemadmodum enim Ægyptiaca ſpolia tabernaculo Dei ornando ſeruierunt: Ita artes & recta Philoſophorum dicta ſeruire debent Eccleſiæ Chriſti. Seruire, inquam, ne quis Philoſophorum ſententias abhorrentes à pietate adducat ad euertendam ſanam doctrinam. Ariſtoteles, qui mundum æternum fuiſſe diſputat, cedat Moſi monſtranti opificem creationis modum & ordinem. Idem iudicium ſit de alijs. Sed de hac re dixi copioſè in enarratione Epiſtolæ ad Coloſſenſes cap.2.

Propter quam cauſſam argue ipſos ſeuere.

Secũda propoſitio eſt, primum obſeruandum, quod pius miniſter non ſolum debeat recta docere, ſed arguere peruerſa docentes. Secundo confutantur hic, qui tantum volunt recta doceri, ſine taxatione hæreticorum. Hoc enim vt fiat vtile eſt, ad faciendam fidem ſanæ doctrinæ. Deinde admonentur, qui audiunt ſibi cauendum eſſe, ne errorum tenebris incauti inuoluantur. Modum arguendi addit cum inquit, SEVERE, Græca vox durius & ſeuerius arguendos monet hæreticos, ſed breuius. Non vult Paulus conciones integras conſumi in declamationibus aduerſus hæreticos, ſed breuiter, quaſi abſcindi acutas obiurgationes, vt hæretici contemni videantur, & indigni iudicentur, cum quibus prolixius ſit agendum.

Vt ſint ſani in fide, non attendentes Iudaicis fabulis.

Quo ſpectare debeat Epiſcopi obiurgatio monet. Primum, vt ſint ſani in fide. Deinde, vt fugiat fabulas Iudaicas. Fabulas hic vocat nugas, quas voluerunt Iudæi miſcere cum puro Euangelio Chriſti. & tametſi ritus illi Iudaici de cibis & purgationibus, ſuo tempore vſque ad Aduentum Chriſti fuerunt quædam externa pædagogia à Deo præſcripta, tamen poſtquam politia Moſis per Chriſtum ſublata eſt, recte fabuloſum & nugatorium dicitur, quicquid inde affertur ad obſcurandam veritatem Euangelij.

Et mandatis hominum auerſantium veritatem.

Epexegeſis eſt. Nam quid per fabulas intelligat, interpretatur. Hic obſeruandum eſt, quod puritas & ſanitas doctrinæ Chriſtianæ non poteſt ſtare cum traditionibus hominum. Verum hic rurſus obſeruandum eſt, quod quemadmodum hic locus damnat traditiones humanas, quibus puritas Euangelij contaminatur: Ita non patrocinatur ijs, qui hoc loco vel ſimilibus nixi, oẽs ab Eccleſia ceremonias ſublatas volũt. Nã Paulus hic diſerte ſignificat, quæ mãdata hominum improbet, nimirũ ea, quę à veritate abducunt, nõ ea, quæ publici miniſterij cauſſa pie cõſtituta ſunt. Ipſe enim Paulus Corinthijs ſcribẽs, vult omnia decenter fieri, id quod non poteſt fieri ſine externis ritibus. Iudæi aũt & Papiſtæ volebant traditiones ſuas cultum Dei eſſe, id quod Paulus & verbum Dei improbat. Nam verus cultus Dei eſt opus à Deo mãdatum, factum ex fide, in gloriam Dei principaliter. Quod autẽ debeat eſſe opus à Deo mandatum, ex eo manifeſtum eſt, quod dominus ſua voce pronunciet, fruſtra ſe coli mandatis hominũ. Deinde quod debeat ex fide fieri, conuincit illa Apoſtoli ſententia: Quicquid nõ fit ex fide, eſt peccatum. Itẽ, Impoſsibile eſt placere Deo ſine fide. Finis cõprobatur Chriſti teſtimonio dicentis, Matth.5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt glorificetur pater veſter cœleſtis. Eſa.43. Omnis qui inuocat nomen meum, in gloriã meam creaui eum, formaui eum, feci eum. Traditiones igitur humanæ, cum nec verbum Dei habent, nec ex fide manant, nec in celebrationem nominis Dei fiunt principaliter, ſed vt inde conſequantur Pſeudochriſtiani iuſticiã, beneficijs Chriſti, id eſt, paſsione & morte adeoque ſacerdotio & regno Chriſti ſpretis, quomodo cultus eſſe poterunt? vide Philippũ in loco de ceremonijs.

Omnia quidem munda mundis, ſed pollutis & infidelibus nihil eſt mundum.

Hac ſententia iugulat traditiones humanas de cibis & alijs rebus externis, aſſerens in his Chriſtianam libertatem. Significat enim non ſolum hac ſententia ſublatum eſſe diſcrimen ciborum, quod erat in veteri teſtamẽto, verum etiam, quod Chriſtiani huiuſmodi obſeruationibus, ſiue veteribus ſiue nouis, nõ debeant grauari. Hic primum obſeruãdum eſt, quod ad fidelẽ miniſtrum verbi pertineat libertatem Chriſtianam tueri, idq; propter has cauſſas, quarũ prima eſt, ne laqueus ſeruitutis inijciatur conſcientijs, quẽadmodũ in Papatu factũ videmus, vbi grauius peccatum putabatur veſci carnibus die veneris, quã vllum præceptũ Dei violare.

Secunda,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Secunda, vt puritas doctrinæ ſanæ his ſordibus non contaminetur. Tertia, vt his næuis omiſsis, homines ſe exerceant in vera pietate, & operibus à Deo mandatis. Plura de hac re lege in Locis Philippi. Præterea perſtringuntur hic Romanenſes, qui hoc Pauli dictũ contemnentes, inuexerunt plures traditiones in Eccleſiam, quam vnquam habuerunt in veteri teſtamento Iudæi. Sed quid dicemus ad ſcripturam, quæ alia animalia immunda, alia munda ꝓnunciat eſſe? Reſpõdeo, Dominus vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Ergo naturas & ſubſtantias rerum ſcriptura non pronunciat immundas. Quare de vſu ea, quæ de mundis & immundis dicuntur, intelligenda ſunt, vt munda dicuntur, quorũ vſus fuit conceſſus, immunda vero, quorum vſus ad tempus erat interdictus. Huc facit Auguſtini ſententia, qui hunc Pauli locũ ita explicat, Omnia (inquiens) munda mundis, ſecundum naturam, in qua creata ſunt, non tamen omnia ſecundum ſignificationem munda primo populo Iudæorum. Nec nobis omnia vel propter ſalutem corporis, vel propter conſuetudinem humanæ ſocietatis, apta ſunt, ſed cum ſua cuique redduntur, & naturalem ordinem ſeruant, omnia munda ſunt mundis. Immundis autẽ & infidelibus nihil eſt mundum, hæc Auguſtinus. Porrò, vt mundos Paulus vocat purificatos fide, id eſt, credentes: Ita immũdos appellat omnes, qui adhuc in ſuis peccatis hærent, & viuunt impie, ſine vera fide in Chriſtum. Hic obſeruandum, quod quemadmodum vſus rerum pijs & fidelibus cõceſſus eſt, & purus: Ita impijs immunda ſunt omnia, nõ quidem natura (vt dictum eſt) ſed attactu & vſu impurorum, qui creaturas Dei bonas contaminant. Patet etiam hinc, quanta iniuria fiat creaturis Dei ab omnibus hoſtibus fidei in mundo. Illæ creatæ ſunt, vt ſeruiãt pijs in gloriam Dei, iam rapiuntur ab impijs, vt ipſorum gulæ & luxui ſeruiant.

Sed inquinata eſt eorum mens & conſcientia.

Cauſſam cur immundos infideles pronunciat, addit. Mens quidem inquinata eſt errore, dum fide vacui nõ intelligunt quis ſit verus cultus Dei, putantes cultum Dei conſiſtere in externis ritibus & ceremonijs. Cõſcientia vero inquinata eſt iudicio falſo, dum videlicet ſe vel alios damnãt, aut excuſant ſeu iuſtificant propter vſum rerum, non intelligentes Chriſtianam libertatẽ, ſed κακοζηλίᾳ quadam Moſaica inuehentes delectum ciborum, & alia, à quibus Chriſtiani ſunt liberi, Coloſſ. 2. Obſeruandum itaque hoc loco eſt, quod nihil ſit purum homini, niſi mens & conſcientia prius ſint puræ, quantumuis ſplendeant externa opera.

Deum confitentur ſe ſcire, ſed factis negant, cum ſint abominabiles, & immorigeri, & ad omne opus bonum reprobi.

Antypophora eſt, per quam à poſteriori ſeu à fructu, quales nam ſint illi glorioſuli, oſtendit, & eſt firma demonſtratio in theologia. Quorumcũque opera ſunt impia & ſacrilega, illi quoque ſunt impij & ſacrilegi, Deum ignorantes. Sed opera ſeductorum iſtorum, qui volũt Chriſtianam libertatẽ traditionibus hominum conſpurcare & infringere, ſunt impia & ſacrilega. ergo illi quoque ſunt impij & ſacrilegi, quantumuis magno ſpiritu glorientur ſe Deum ſcire, eumq; colere. Minor enumeratione probatur, ſunt enim inquit, abominabiles, inobœdientes, & ad omne opus bonum reprobi. Abominabiles quidem, quia Deus eos abominatur tanquam prophanos & fœdos. Hoc probatur ſequenti membro, quia ſunt inobœdientes, vt qui verbo Dei per miniſtros Euangelij prolato non obtemperent. Hoc rurſus probatur tertio membro, quia ad omne opus bonum ſunt reprobi. Hinc primum obſeruandum eſt, quod non ex verbis, non ex multarum rerum ſcientia iudicandũ ſit de pietate hominis, ſed ex recta vita & pijs moribus, quæ pietatis, quæ in mente eſt, indicia ſunt, iuxta illud Ioannis: Qui facit iuſticiam iuſtus eſt. Item, Non poteſt arbor bona fructus malos facere. Quemadmodum enim fides ſcaturigo eſt, vnde manat vitæ innocentia & ſtudium pietatis & honeſtatis: Ita infidelitas eſt camerina omnium ſcelerum & flagitiorum. Deinde obſeruandum, quo in loco Deus omnes, qui ſuo verbo non credunt, & iuxta illud non viuũt, habeat, nimirum quod eos tanquam prophanos & fœdiſsimos abominetur, donec reſipiſcant, & illorum corda purificentur fide. Non enim vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Tertio, admoneat ſingulos, præſertim miniſtros verbi, hæc grauiſsima Pauli ſententia, fidem, quam verbis docent, vita & moribus exprimere, ne cum his ſeductoribus audiant abominabiles, immorigeri & reprobi, & idem ipſis contingat, quod fabris arcæ Noë, qui cum alijs paraſſent arcam, per quam à diluuio liberati ſunt, ipſi in diluuio ſubmerſi perierunt.

CAPVT II.

Summa Capitis ſecundi.

Epiſcopus ea, quæ ſanæ doctrinæ congruant, doceat, ſingulos ſui officij admoneat, nimirum vt ea faciant omnes, quæ ipſorum ætas & conditio poſtulant: ſit ipſe alijs omnibus probatus typus & exemplar, ne aduerſarij habeant, quod reprehendant in doctrina & moribus, præſertim cum ipſa gratia Dei omnes ab impietate ad pietatis ſtudium inuitet.

Ordo ſecundi Capitis.

Poſtquam in primo capite quales Epiſcopos eligi, quoſque reprehendi velit, oſtenderat Paulus: Nunc opportune in hoc capite primum Epiſcopum ſui admonet officij (id quod ſupra tertiam huius Epiſtolæ propoſitionem feci.) Deinde per enumerationem de pia auditorum conuerſatione & vita, quæ decet ſanam doctrinam (quod nobis eſt quarta propoſitio) diſſerit. Mox Epiſcopum iubet vt alios, tanquam omnis probitatis typus, præcedat, (quod ad tertiam propoſitionem retulimus.) His omnibus ſubnectit rationem generalem à cauſsis efficientibus, & finalibus, vbi ſummam Euangelij, & cauſſas iuſtificationis miro compendio complectitur. Poſtremo, breui & exhortatoria concluſione caput hoc ſecundum claudit.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

AT tu loquere, quæ decent ſanam doctrinam.

Tertia propoſitio eſt huius Epiſtolæ, cuius ſenſus hic eſt. Cum ſana doctrina ſit, quæ mentem à morbo & labe peccati ſanat & liberat, dum promiſsio Dei prædicatur, & acceptatur fide, par eſt, vt ea quoque doceas, quę decent hanc ſanam doctrinam, eamque ornant. Decet autem, vt mores & vitam ita forment, qui hanc doctrinam recipiunt, vt non ſolum pietas in mente reſideat, verum etiam in moribus refulgeat. Tu igitur, vt mores & vitam recte inſtituant ſinguli, pro decore ſuæ ætatis, ſexus & officij, exhortando efficito. Hic duo obſerua: Prius, quod non ſatis ſit, ſi Epiſcopus tradat recte iuſtificationis articulum, niſi etiam ſedulus ſit in doctrina morum. Poſterius, quod debeat Epiſcopus pro ſuo iure non obtemperantes ſeuerius caſtigare. Nam ad legitimam morum inſtitutionem pertinet non ſolum doctrina, verum etiam correptio & caſtigatio in ceſſantibus.

Senes vt ſobrij ſint, graues, temperantes, ſani fide, caritate, tolerantia.

Per enumeratione͂ exponit, quid ſana doctrina in ſingulorum moribꝰ & vita poſtulet: ac primum enumerat virtutes, quæ ſenium pium potiſsimum ornãt, atque eas præcipue commemorat, quarum oppoſitis vicijs, vt plurimũ ſenes obnoxij eſſe conſueuerunt. Inter has primo loco ſobrietatem ponit, quæ ebrietati & temulentię turpiſsimo & non raro in ſenibus vicio opponitur. Vt enim mẽte ebrietate ſopita omnia pietatis exercitia, quæ in ſenibus maxime vigere deberẽt, ſopiãtur oportet: Ita ſobrietate vigiliq; mẽte, in omnibus rebus honeſtis facilimum curſum eſſe, nemo nõ fatebitur. Secundo loco grauitatẽ ponit, quã Græci σεμνότητα vocãt, nimirum, cum mores ita cõpoſiti ſunt, vt nil cõſpiciatur, niſi quod ſapiat ſeriam quandam ac venerandam grauitatem. Huic virtuti opponitur delira ſenum multorũ leuitas, & morum pluſquã iuuenilis incõſtantia. Tertio loco ponit temperãtiam, quæ Græcis σωφροσύνη dicitur, de qua vide primũ caput. Huic ex aduerſo collocantur ſenũ difficultas, moroſitas, & illa mentis temulentia, quæ facit vt ſenes repueraſcere, ne dicam ſtulteſcere, videantur. Quarto loco vult, vt ſenes ſint ſani, id eſt, puri & integri in fide erga Deũ, caritate erga proximum, & tolerantia, ſine qua nec fides nec caritas ſeruari poſſunt, præſertim cum ſenes multa quotidie videre cogãtur, quæ offendũt. Hic obſerua quam appoſite tribus membris perfectionem Chriſtianam complexus ſit Paulus. Primũ membrum fides, ſub qua cõprehendere oportet eas virtutes, quæ illi natura coniunctæ ſunt, vt ſunt ſpes, dilectio Dei, timor,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mor, inuocatio, atque gratiarum actio, & aliæ quas prima tabula requirit. Secundum membrum eſt caritas, quæ ad omnia præcepta ſecundæ tabulæ ſe extendit. Hæc enim maioribus reuerentiam exhibet, inferioribus parcit, paribus æqua largitur. Breuiter, cuique ſuum, imo cuique de ſuo tribuit. Tertium membrum eſt patientia, cum fidei tum caritatis quædam conſeruatrix. Vt enim impatientia ſub cruce excutit fidem & caritatem : ita patientia verbo Dei ſe ſubijcit, exercet, auget & conſeruat vtramque.

Anus ſimiliter vt in ſtatu, qui ſanctimoniam deceat, non calumniatrices, non multo vino ſeruientes, quæ honeſta ſunt doceant, vt poſſint inſtruere adoleſcentulas, vt maritos ſuos diligant, vt liberos ament, vt honeſtæ ſint, puræ, domi manentes, bonæ, ſubiectæ ſuis viris.

Hoc eſt, anus ſeruent decorum ſanctum in ſuis moribus, dictis & factis. Ponit autem primo loco huius decori genus, mox ſpecies ſubijciens. Prima ſpecies decori, quod requirit, eſt veritas, & ſuauitas linguæ, cui opponitur lingua calumniatrix, de cuius veneno & malo vide copioſe Eraſmum de lingua. Altera ſpecies decori eſt, ſobrietas vitæ. Quid enim turpius eſſe poteſt in vetulis, quam ebrietas? Deinde vult eas, quæ honeſta ſunt docere, hoc eſt, vult eas eſſe honeſtatis magiſtras. An non Paulus Timotheo ſcribens inquit, Mulieri vt doceat non permitto, hic autem vt doceant aniculæ iubet? Reſpondeo, publice docere mulieribus interdictum eſt, non autem domi. Porrò, ea quæ ſequuntur de mulierum moribus, potius opus diligentia habent vt fiant, quam explicatione vt cognoſcantur.

Ne ſermo Dei blaſphemetur.

Generalis ratio præcedentium officiorum ſenum, anuum & adoleſcentularum, & deberet hæc ratio plus mouere homines, quam omnes diuitiæ, & pompæ totius mundi. Nam ſignificat honeſtate morum ornari verbum Dei, & contrà turpibus moribus fœdari quodammodo, adeoque gloriam Dei, quantum in hominibus eſt, diminui.

Adoleſcentes ſimiliter adhortare, vt ſint modeſti.

Requirit ab adoleſcentibus σωφροσύνην, quæ in omnibus rebus ſeruat prudẽtiam, vt iam aliquoties dictum eſt, ſed cur hanc ſolam requirit? Nunquam poteſt eſſe ſola, habet enim comites omnes virtutes, iuſticiam, temperantiam, ſobrietatem, veritatem, candorem, grauitatem, dexteritatem & alias, quas Paulus hic breuitatis gratia non enumerat, ſed ſub genere complectitur.

Per omnia præbens teipſum exemplar bonorum morum.

Pars tertiæ propoſitionis eſt de doctrina & moribus Epiſcopi, & eſt ſenſus: Tu qui alios doces, fac, vt eorum quæ doces, ſis auditoribus typus & exemplar, vt te intuentes habeant ſpeculum rectæ formandæ vitæ. In primo autem dictum eſt quantum referat, vt qui docet alios, ipſa quæ docet, vita & moribus exprimat.

In doctrina integritatem, grauitatem, ſanum ſermonem, irreprehenſibilem.

Eſt hic Eclipſis verbi, quæ ſatis hic obſcuram orationem reddit, ſubintelligitur enim oſtende aut aliud ſimile. Eſt autem generis in ſpecies diſtributio, dixit enim in genere, quod Titus debeat eſſe typus bonorum operum quæ docet, nunc illa bona opera recitat. Requirit integritatem, vt iuuenilibus corruptelis & illecebris non ſinat ſe corrumpi. Continet autem integritas omnes virtutes, quæ modum ſeruant in dictis, factis aut geſtibus apud alios. Requirit grauitatem, quæ ad omnem reuerentiam honeſtam componit adoleſcentum animos. Requirit ſanum ſermonem, & irreprehenſibilem, vt ſingula ſuo loco dicantur: & caueatur, ne quid per temeritatem effutiat, quod reprehenſione ſit dignum.

Vt aduerſarius reuereatur, nihil habens, quod de vobis dicat mali.

Tametſi plures fines ſunt, cur Epiſcopus his virtutibus ſtudeat vt emineat, vnum tamẽ hic ponere ſatis eſſe duxit, qui merito Epiſcopum excitare debeat ad præſtandum officium. Hic obſeruãdum quod dupliciter peccant miniſtri verbi ſcelerate viuentes. Primum enim mandatum Dei

violantes, iram Dei ſibi theſauriſant. Deinde, alios ad peccandum liberius & ſecurius ſuo exemplo inuitant: vnde & duplici pœna ſe dignos eſſe ſciant. Hic locum habet doctrina de ſcandalo, de quo conſulendi ſunt loci Philippi.

Seruos hortare, vt ſuis dominis ſubijciant ſeſe.

Partes officij ſeruorum enumerat, ac primo loco ſuo more genus collocat, nimirum ſubiectionem. Vnde obſeruandum, quod Deus approbet gradus inter homines, vt alij poſsint eſſe domini, alij ſerui, contra barbaricam ἀναρχίαν anabaptiſtarum. Deinde diſcant hinc ſerui pij, quod ipſorum ſubiectio & opera ſeruilia placeant Deo, ſi modo ex fide fiant.

In omnibus placere ſtudentes.

Hic genus pro ſpecie ponitur. In omnibus enim ſcilicet licitis, hoc eſt, quæ lex Dei non improbat, alioqui magis Deo quam hominibus obtemperandum eſt. Exemplum ſit Daniel & Ioſeph, & alij multi pij, qui impijs etiam dominis præſtiterunt ſummam obœdientiam, ſed vſque ad aras, vt dici ſolet.

Non reſponſatores.

Hoc eſt, ſerui debent abſque omni contumacia benigne omnia agere, & non proterue imperio dominorum ſuorum contradicere. Proterua enim dicacitas, non ſolum irritat dominos ad iram, verum etiam arguit animum plenum maleuolentia, & fide prorſus vacuum.

Non ſuffurantes.

Debent ſerui dominorum ſuorum bona augere, nihil per dolum ſurripientes, id quod in ſeruis vulgatiſsimum putatur.

Sed fidem omnem oſtendentes.

Antitheſis eſt ſuperioris membri. Requirit enim, vt fidelitatem præſtét ſerui in omnibus, non ad oculum ſeruientes, vt plerique facere conſueuerunt. Rationem pulcerrimam & veriſsimam his ſubiungit Ambroſius, inquiens: Nemo fidem Dei cuſtodiens, infidelis poteſt eſſe hominibus.

Vt doctrinam ſeruatoris noſtri Dei ornent in omnibus.

Efficaciſsimum hoc argumentum ad retinendum omnes in officio eſſe deberet. Et tametſi generalis ratio ſuperiorum hypotheſium eſſe videtur, tamen potiſsimum in eruditionem & cõſolationem ſeruorum hoc loco adhibetur. Nam & docet ſeruos, quod ipſorum ſeruiles operæ placeant Deo, & ne abiectiora, & quæ parum decora videntur, refugerent, conſolatur eos & monet, quod doctrina ſeruatoris noſtri illa ipſa ſeruili obœdientia ornetur, vtut in ſpeciem quod agitur à ſeruis, contemtibile eſſe videatur: atque ita fides non ſolum bonorum operum effectrix eſt, verum etiam facit, vt ipſa opera Euangelio ornamento ſint, qua re nullum maius operum decus eſſe poteſt.

Apparuit enim gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, ſobrie, & pie, & iuſte viuamus in præſenti ſeculo, expectantes beatam illam ſpem, & apparitionem gloriæ magni Dei, ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibijpſi populum peculiarem, ſectatorem bonorũ operum.

Superioribus hypotheſibus recte, vt decet ſanam doctrinam, formanda vita, efficacé rationem, eamq; communem, nimirum à fine profeſſionis noſtræ, & redẽtionis per Chriſtum præſtitæ ſubijcit. Summa autem rationis hoc Enthymemate abſoluitur. Deus ex mera ſua gratia ideo dedit filium liberatorem, vt nos liberati à peccato, ſobrie, & iuſte, & pie viuamus, expectantes promiſſa bona. Ergo par eſt, modo velimus promiſſa bona conſequi, vt ita viuamus, quemadmodum noſtræ vocationis ratio poſtulat. Obſeruanda inprimis doctrina, eos quidem qui vane de fide gloriantur, citra morũ emendationem arguens vanitatis, pios vero confirmans & vrgens, vt in pietatis ſtudio, poſtquã Chriſtum recte didicerunt, perſeuerẽt. Nam is demum beatus iudicabitur, qui vſque ad finem perſeuerauerit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

liberauerit. Nō enim ita liberati ſumus à iure legis, quæ perpetua voluntatis Dei norma eſt, vt poſtea liceat nobis impietati, & carnalibus deſiderijs indulgere: verum potius, vt totis viribus bellum indicamus vniuerſæ viciorum cateruæ, muniti panoplia Chriſtiana, cōtra omnes inſultus Diaboli, carnis noſtræ, & improbitatis mūdi. Hi tres veluti iurati noſtri hoſtes nunquā ſtertunt, ſed perpetuo ſtant in armis vt incautos obruant, & obrutos perdant. Atque hæc eſt ſuma præſentis rationis. Verum quia in ipſa, tum ſummam totius Euágelij, tum vitæ Chriſtianæ regulam paucisſimis verbis ſanctisſimoque compendio cōplexus eſt Paulus, volo ſingulas partes huius præclaræ ac pluſquam aureæ ſententiæ excutere, ita futurum ſpero, vt cauſſas iuſtificationis noſtræ, modum & finem luce clarius perſpiciamus.

GRATIA DEI, hoc eſt, Euangelium de Ieſu Chriſto, quem Deus pater ex mera gratia & miſericordia mundo dedit Saluatorem. hæc enim omnia gratiæ nomine hic intelligenda ſunt. Habes itaque hoc loco primum cauſſam antegreſſam ſeu προηγουμένην ſalutis generis humani: habes etiam cauſſam inſtrumentalem, per quam offertur ſalus, nimirum Euangelium: habes itidem materiam, nimirum Chriſtum Dominum, quem gratia offert, quem Euangelium prædicat. Hic obiter obſeruandum diſcrimen Legis & Euangelij à proprijs effectibus ſumtum. Euangelium eſt ſalutaris doctrina, id eſt, ſalutem nuncians & offerens. Lex vero, quæ iram operatur, mortem & damnationem nunciat. Cum dicit, APPARVIT, ſignificatur clara ſalutis prædicatio, non obſcura, qualis fuit in veteri teſtamento, quando inuoluta erat typis & vmbris, paucis quibuſdam ex vnica Iudæorum gente obſcure cognita, quantum tum ſatis erat credentibus in ſalutem. Sequitur OMNIBVS HOMINIBVS, quod cum contra Iudaicum errorem, exiſtimantium Meſsiam ad ſe ſolos pertinere, tum etiam contra tentationem de particularitate adiectum eſt. Gratia enim omnibus offertur. Si quis itaque eius non fuerit particeps, propria culpa hoc euenit, non gratiæ illuceſcentis inſtar Solis toti terrarum orbi.

VT ABNEGATA IMPIETATE, ET MVNDANIS CONCVPISCENTIIS, his verbis duo docet pios, qui volūt eſſe participes illuceſcētis gratiæ. Prius eſt, quid omittere eos oportet. Poſterius, quid facere deceat, quæ duo Chriſtianorum bene viuendi regulam cōtinent. Porrò, ea quæ omittere oportet, duobus generibus cōplexus eſt Paulus: Alterum impietas eſt, alterum mundana concupiſcentia. Sub impietate, vt ſub genere, omnia commiſſa peccata immediate contra Deum collocantur, vt ſunt ſuperſtitio, diffidentia, vacuitas timoris Dei & fidei, idololatria & reliqua peccata, quę aduerſus primam tabulam committuntur. Sub humanis concupiſcentijs ponito inobœdientiam, iram, conuitia, lites, æmulationes, libidines, furta, mendacia & alia carnis opera, quæ ad Galatas 5. recitantur, & hic breuitatis gratia in generis ambitu contineri intelliguntur. Atque hæc prima pars regulæ Chriſtianæ vitæ eſt, quam qui negligit, Chriſtianus eſſe non poteſt. Quare vnuſquiſque ſuæ ſalutis ſit memor, & tandem euigilet & relinquat mortis opera. nemo ſeipſum decipiat, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Huc pertinet Fulgentij ſanctisſima admonitio dicentis: Relinquat iniquus cogitationem ſuam, qua de peccatorum remiſsione deſperat, & ſecundum Prophetæ dictum, conuertatur ad Dominum, quia multus eſt ad ignoſcendum. In hoc multo, nihil deeſt, in quo & omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors eſt. Deinde, quid faciendum pijs dum viuunt in hac ſocietate, tribus membris abſoluit, quæ membra, quia generalia ſunt, pro ſuis ſpeciebus, quæ ad Galatas & alijs locis recitantur, collocantur. SOBRIETAS complectitur omnes virtutes, quę nos ipſos attingunt, vt ſunt ſobrietas mentis, & vitæ modeſtia, affectus placidi, temperantia, &c. vide ſupra in primo capite declarationem huius vocis. IVSTICIA omnes virtutes, quibus cum proximo agendum eſt, hoc loco continet. PIETAS porrò cultum Dei vniuerſum, vt timorem, fidem, dilectionem, patientiam, inuocationem, gratiarum actionem, &c. ſua cōplectitur latitudine. Obſeruandum hic, quam miro compendio vitam & mores Chriſtianos complexus ſit Paulus. Dignus proinde hic locus eſt, non dico vt aureis literis ſcribatur, ſed potius vt intimis penetralibus cordis inſculptis, perpetuo noſtri officij nos admoneat, & ad vitam noſtra profeſsione dignam excitet.

IN HOC SECVLO, hoc addit, quia non ſatis eſt vno die aut breui tempore recte viuere. Vocatio enim noſtra ſanctam vitam, eamque perpetuo duraturam requirit. Sequitur fructus pietatis, nimirum vt res ſperatas & creditas, videlicet æternam beatitudinem & quæ illi adiuncta ſunt bona conſequamur, per aduentum Saluatoris noſtri. Poſuit enim metonymia Hebraica ſpem pro rebus ſperatis. Hic obſerua, confirmari fidem aduentus Chriſti ad iudicium, reſurrectionis mortuorum & vitæ æternæ. Hæc enim vita contingit per aduentum Chriſti, quod fieri nequit ſine reſurrectione. Temporis circumſtantia ſubiungitur, quæ eſt apparitio gloriæ magni Dei, id eſt, aduentus glorioſus, non humi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

lis, qualis prior aduentus fuit in carnem. Epitheton Magni, adiecit vt non patrem maiorem filio doceret, queadmodum impij Arriani ſacrilege mentiuntur, verum vt ſignificaret Chriſtum noſtrum, magnum ſatis ac potentem eſſe ad promiſſa præſtanda, ne quis carnis ſecutus imaginationem, de his promiſsis Dei dubitaret. Debent enim excludi prorſus de cauſis naturalibus diſputationes, quoties ſalutis noſtræ negocium agitur, & ſtatuendum, quod nihil ſit impoſsibile apud eũ, qui omnia ex nihilo condidit. Quare potius ſubmittamus nos verbo Dei, & dicamus cum virgine matre: Fiat nobis ſecundum verbum tuum. Quis autem ſit ille magnus, indicat, cum ſubiungit: Et Saluatoris noſtri, nam vtrumque epitheton, videlicet magni Dei & Saluatoris ad Chriſtum referendum eſt, nec parum cõſolationis hæc epitheta afferunt pijs mentibus. Prius enim monet, quod poſsit hic Saluator præſtare quod promiſerat, vt qui magnus & omnipotens Deus exiſtat. Poſterius docet quod velit illud ipſum præſtare, quod promiſerat. Nã ſe noſtrũ Saluatorem eſſe fatetur. Nõ ergo veniet hic iudex, damnaturus credentes, ſed ſeruaturus, vniuerſa incredulorũ turba iuſſa in ignem æternum diſcedere. Modus, quo Saluator eſt factus, ſequitur: QVI DEDIT, inquit, SEIPSVM PRO NOBIS. Eſt enim victima factus pro nobis. Singula verba ſingularem Emphaſin habent. Ille magnus Deus dedit non argentum, ſed ſeipſum in mortem, vt ſua morte mortis imperium deſtrueret, idque non pro benemeritis, ſed pro nobis ingratis, proditoribus & peccati mancipijs. Venerandum potius quam ſcrutandum myſterium. Hic conquieſcat caro, ac fides nitatur promiſsis huius ſeruatoris, ita futurum eſt, vt quod caro non percipit, ſpiritus eo fruatur, per eundem noſtrum ſeruatorem Ieſum Chriſtum. Finis ſequitur, VT REDIMERET, &c. hic multa obſeruanda ſunt. Primum, quod ſine morte Chriſti nulla ſit redemtio. Secundo, quod non ab vno peccato tantum, ſed ab omni iniquitate, id eſt ab omni peccato, nimirum originali & actuali, magno & paruo. Nam cum peccatum iniquitas eſt, vt definit Ioannes, & Chriſtus redemit ab omni iniquitate, ſequitur quod ſoli Chriſto omnis remiſsio peccatorum debeatur. Tertio, deſtruitur hic, Primum error eorum, qui Chriſtum paſſum ſolumodo pro originali peccato docuerunt, nos autem alia debere ſatisfactionibus, neſcio quibus, abolere. Deinde etiam error Papiſtarum hic confutatur, qui operibus ſuis tribuunt honorem Chriſto debitũ, qua re nulla ſuperbia, neque maior, neque magis abominabilis eſſe poteſt. Quarto hic admonemur de fuga peccatorum. Quid enim indignius tanta redemtione eſſe poteſt, quam ea ſpreta peccatis indulgere, quod nihil aliud eſt quam redemtionem oblatam conſpurcare & contemnere. Redemtionis finis ſequitur, VT PVRGARET SIBI POPVLVM. Hic redemtionis finis aculeos habet ad ſancte formandam vitam acutiſsimos. Primum enim purgandi verbum monet, nequaquam decere, vt nos qui ſanguine precioſo Chriſti purgati ſumus à peccato, rurſus nos peccatorum ſordibus maculemus, quod nihil aliud eſt quam Chriſti precioſum ſanguinem pedibus conculcare, qua re nullum ſacrilegium execrabilius eſſe poteſt. Deinde additur, SIBI IPSI, ſignificans nos non amplius eſſe noſtri iuris, ſed ipſius imperio, cuius ſanguine ſumus redemti, obnoxios. Quare decet, vt iuſſa liberatoris noſtri ex animo faciamus, excuſſo iugo ſeruitutis, quo premebamur ſub regno Satanæ. Porro populum peculiarem vocat, Græce ſignificantius περιούσιον, eum qui, vt res ſui domini tantum curet, ab ipſo Domino è numero aliorum electus eſt. Non ergo debet hic populus rebus Domini ſui neglectis, alijs populis eſſe ſimilis, qui ea quæ caro & mundus ſuadent, facit potius, quam quæ Deo placent. Poſtremo addit, SECTATOREM BONORVM OPERVM. Græca vox ardentiſsimum zelum requirit ad præſtanda opera bona. Non itaque par eſt eſſe ſegnes, ſed feruidos & acres ad præſtanda quæ Deus requirit opera. Obſeruanda proinde hoc loco non ſolum neceſsitas bonorum operum, verum etiam fuga voluntarij peccati. Vbi enim talis feruor eſt, & ardens zelus pietatis, iuſticiæ & ſobrietatis, ibi voluntarium peccatum nullum adeſſe poteſt. Nam vbi voluntarium peccatum eſt, ibi Spiritus ſanctus non eſt. Vbi autem Spiritus ſanctus non eſt, ibi nec fides eſſe poteſt. Vbi non eſt fides, ibi nihil eſt rectum, nihil Deo placens. Ex his itaque conſequitur, nulla poſſe adeſſe bona opera, vbi peccatur voluntarie. Hæc igitur alta mente reponenda ſunt de fine redemtionis ſeu regenerationis, quo etiam ſpectat illa ad Epheſ.2. ſententia: Gratia eſtis ſeruati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ præparauit Deus, vt in ipſis ambulemus. Refrenemus igitur voluntatem carnis, & ſubiugemus ipſam magis ac magis imperio Spiritus, petamus auxilium à Deo contra inſidias Diaboli, carnis importunitatem, & mundi improbam conuerſat'onem, ne his victi excutiamus fidem, qua amiſſa, nihil præter extremam perniciem reliquum eſt.

Hæc

Hæc loquere & exhortare. Concluſiuncula eſt ſuperiorum hypotheſium, in qua ſuum Epiſcopum excitat Paulus ad ſeriam diligentiam in officio preſtandam. Loquere, id eſt, doce ignauos ſanam doctrinam. Hortare, ſcilicet deſides, quos docuiſti.

Reprehende cum omni imperio. Scilicet non obſequentes doctrinæ & admonitionibus. Habet enim quilibet paſtor tria genera hominum, nimirum Ignaros, quos docere oportebit: Deſides, qui calcaribus vrgendi ſunt: Inobœdientes & contumaces, qui ſunt ſeuerius obiurgandi. Hic ergo monetur Epiſcopus & quilibet paſtor, vt recte ſecet ſermonem Domini, & ſingulas eius partes recte applicet, vt omnes fiant, vt ſupra dictum eſt, ſani in fide, dilectione & patientia. Cum omni imperio, ideo adiectum arbitror, vt Epiſcopus cogitet, ſe fungi vice CHRISTI. Quare non decet Epiſcopum, tanquam priuatum hominem, ſegnius aut mollius agere, ſed tanquam Legatum ſummi imperatoris, cum autoritate omnia, quæ requirit officium, facere

Nemo te contemnat. Hac huius concluſionis appendice, cum ipſum Titum, tum Cretenſes ſui monet officij. Titum quidē, vt agat omnia, ſiue doceat, ſiue hortetur, ſiue obiurget, vt nullus poſsit eum merito contemnere, neq; propter vitam, neque propter doctrinā, quod fit, dum omnia ſobria grauitate, & graui ſobrietate (ſine quibus autoritatē intercidere neceſſe eſt) quaſi cōdiuntur. Cretenſes vero, vt non aſpere neque malicioſe accipiant obiurgationes, verum potius obiurgati emendent ſe, ac in viam redeant, ſcientes, quod non ipſorum ignominia, ſed ſalus quæratur. Hic primum obſeruent omnes miniſtri verbi, vt caueant ne ſibijpſi ſint cauſſa contemtus, id quod (proh dolor) in non paucis accidit: quorum alij potationibus, alij ſcurrilibus ſermonibus, alij leuitate morum & inconſtantia, alij alijs modis ſibi & miniſterio accerſunt ignominiam, digni potius vt haris quam aris præficerentur. Deinde, monentur auditores, vt in precio & honore habeant eos miniſtros, qui grauiter & fideliter opus Domini faciunt, in ſalutem commiſsi ſibi gregis Chriſti.

CAPVT III.

Summa tertij Capitis.

Subditi ſuperioribus debitam præſtent obœdientiam, omnes, vicijs relictis, officia caritatis mutua ſibi inuicem exhibeant, memores & quales antea ipſi fuerint, & quales nunc ſint ex benignitate Dei. Contentiones ſophiſticas, ac hæreticos admonitos vitent.

Ordo Capitis tertij.

Aptiſsimus ordo eſt. Poſtquam enim in ſecundo capite hypotheſes quaſdam enumeraſſet de pie formanda vita, hic oportune ex Rhetorum præſcripto, eas omnes ad certas theſes, nempe duas reuocat. Quarum prima eſt, Omnes magiſtratui obœdientiam præſtent. Poſterior, omnes colant inter ſeſe mutuam dilectionem, & iuuent ſe mutuis officijs. Sed ſi priorem conferas cum poſteriori, erit eius quædam hypotheſis, atque ideo illam ſupra feci huius Epiſtolæ quartam propoſitionem, ſub qua complexus ſum cum theſi de obœdientia erga magiſtratum, omnes ſuperiores hypotheſes. Huic theſi ſubiungit confirmationem geminam, mox breuem concluſionem addens, atque hæc eſt PRIMA *pars huius capitis, conſtans propoſitione, confirmatione, & concluſione.* SECVNDA *pars capitis eſt, de vitandis quæſtionibus ſophiſticis, quam fecimus ſupra quintam huius Epiſtolæ propoſitionem. Huic confirmationem addit, ac ita ſecunda pars capitis conſtat propoſitione & confirmatione.* TERTIA *pars capitis eſt, de vitandis hæreticis, quam partem ſupra fecimus ſextam propoſitionem huius Epiſtolæ, addit & huic rationem, atque ita fit bimembris, conſtans propoſitione & confirmatione. Quæ ſequuntur ſunt familiaria quædam & ſalutationes, quibus conſuetum eſt claudi Epiſtolas.*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

ADMONE TO ipſos, vt principatibus & poteſtatibus ſubiecti ſint, vt obtemperent.

Obſerua hic primum quod Chriſtiani debeant obœdientiam magiſtratui, de qua re vide Locos Philippi. Secundo, confutantur hic Anabaptiſtæ, qui magiſtratum ciuilem è medio ſublatum eſſe volunt.

Vt ad omne opus bonum ſint parati, ne de quoquam male dicant, ne ſint pugnaces, ſed modeſti, omnem exhibentes manſuetudinem erga omnes homines.

In hac theſi ſuperiores ſecundi capitis hypotheſes contineri dixi, quæ collatione contrariorum amplificatur, vt modum mutuorum officiorum expreſsius deliniret Apoſtolus. Primum enim ſublatum vult cõtemtum proximi, qui à ſuperbia ortũ trahit. Deinde lites, quæ ex eadem radice pullulant. His opponit humanitatem & manſuetudinem, quarum Prior humanitas ἐπιείκεια Græcis eſt, quæ ꝓprie virtus eſt, ex ſincero cordis affectu manans, & ratione affectibus minime turbata. Hæc omnia in meliorem partẽ accipit, non ſequens ἀκριβοδίκαιον, ideoque fouet proximũ, & non propter leuia errata vel contemnit vel reijcit. Poſterior, manſuetudo eſt Græcis πραότης, quam Plato definit tranquillitatem & ſtatum mentis, qui efficit vt qui illa præditus eſt, non facile commoueatur. Obſeruandum itaque hoc loco, quod, quẽadmodum ſuperbia ſiue contemtus proximi & lites, mutua officia dilectionis impediant: Ita eadẽ promoueant & alant humanitas & mãſuetudo. Nota diſtributionis ad ſtatus & conditiones hominum referenda eſt. Nullus enim ſtatus, nulla hominis conditio impedire debet, quo minus humanum & mãſuetum te præbeas erga omnes.

Nam eramus & nos aliquando amentes, immorigeri, errantes, ſeruientes cupiditatibus & voluptatibus varijs, in malicia & inuidia degentes, odioſi, alij alios odio proſequentes.

Ratio propoſitionis prior ſumta eſt à conſideratione propriorum viciorum, quibus vel aliquando, vel adhuc obnoxij ſumus. Huc illud Chriſti de trabe & feſtuca. A cute enim aliorum vicia cernimus, noſtra vel non conſideramus, vel vt leuia contemnimus. Quare ad fouendam mutuam dilectionem, non parum facit propria vicia cõſiderare. Nam ea mox nos mouent, vt mitius agamus cum alijs, quos videmus in eodem nobiſcum hærere luto. Ex hoc ergo loco obſeruanda ſunt hæc inprimis. Primum, cõnſcientia propriorum ſcelerum nos ad parcendum alijs inuitet. Secundo, priora ſcelera pios in officio contineant, ne vel ſuperbiant ob dona collata, vel ſecuritati ſe rurſus dedant. Tertio, qualéſnam ſimus extra Chriſtum, nimirum extreme miſeri, oſtenditur. Tribuit enim ſeptem attributa ijs, qui ſunt extra Chriſtum. Primum enim amentes ſeu ſtultos eos appellat. Vere enim ſtulticia eſt omnis ſapientia carnis ſine noticia Chriſti. Secundo, vocat immorigeros, inobœdientes. Nam ſine Chriſto nec Deo vlla nec homini vera obœdientia præſtari poteſt. Tertio, vocat errantes. Aberrat enim à vera ſalutis via omnis, qui ignorat Chriſtum ſalutis viam. Quarto, ſeruos cupiditatum & voluptatum appellat, eo quod ſpiritus imperio nõ ſint ſubditi, ſed carni ſolummodo, quæ ea quærit, quæ ſibi ſuauia eſſe videntur. Quinto, eos in malicia & inuidia degere aſſerit. Huc enim impellit domeſticus hoſpes, peccatum originis, non domitum ac repreſſum lege Dei per Spiritum ſanctum. Sexto, odioſos appellat, dignos odio propter ſcelera & turpitudinem. Septimo, inuidentes ſibi inuicem. Hic obſeruandum eſt, quod Paulus non ſolum hac deſcriptione depingit impios nondum conuerſos ad Chriſtum, ſed etiam hortari credentes vult, vt virtutes, quæ his opponuntur vicijs, ſectentur, nimirum vt ſint non ſtulti iam, ſed in Chriſto prudentes, non inobedientes ſed obœdientes, atque ita de cæteris.

At poſtquam bonitas & humanitas apparuit ſeruatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſticiæ, quę fecimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſeruauit nos, per lauacrum regenerationis & renouationem Spiritus ſancti, quem effudit in nos copioſe, per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, vt iuſti-

Secunda ratio propoſitionis ſumta à redemtionis & regenerationis finibus, cuius ſumma eſt. Nos ſumus redemti, regenerati ac iuſtificati gratis. Ergo par eſt, vt vitam & mores inſtituamus, hac redemtione, regeneratione & iuſtificatione dignos. Verum nunc ıqəo preuius hanc ſententiam

ficati

ficati ipſius gratia, hæredes efficeremur ſecundum ſpem vitæ æternæ.

explicabo, quia præcipua eius mẽbra in 2.cap. attigi. Primo loco cauſſas ſalutis, nõ in nobis, ſed in Saluatore noſtro Deo collocat, nimirum bonitatem, φιλανθρωπίαν, & miſericordiam, de quibus in 2.cap. dictum eſt. Deinde occurrit obiectioni Iuſticiariorum & Phariſæorũ de operibus, inquiẽs: Non ex operibus iuſticiæ, quæ faciebamus nos. Hic duo obſerua. Prius, quod opera non ſunt cauſſæ iuſtificationis noſtræ, nec merita. Poſterius, quod Paulus hic ab exemplo argumentetur, quaſi dicat, cum Deus nobis ſine noſtris operibus & meritis ex mera bonitate tantam ſalutem præſtiterit, dignum eſt vt nos, ipſius filij, patris exemplum ſecuti, hominibus qui nihil nobis boni fecerunt, benefaciamus. Huc Chriſti exhortatio pertinet: Eſtote miſericordes, ſicut pater, &c. Pignus & argumẽtum donatæ ſalutis addit, nimirum Baptiſmum, quem vocat lauacrum regenerationis, metonymia Hebraica. Nam ſymbolon pro re poſuit. Porrò, hæc periphraſis Baptiſmi multiplicem doctrinam continet. Primũ enim, quæ ſint Chriſti beneficia, indicat, nimirum abluere à peccato, & regenerare ad vitam æternam. Secundo, docet quale ſit ſacramentum Baptiſmus, nimirum quod ſit eiuſdem ablutionis & regenerationis, quæ fiũt per Chriſtum, ſigillum & ſymbolon. Tertio, monet nos fidei, ſine qua Baptiſmus nihil iuuat. Quarto, admonet nos fugæ peccati, quæ fit per regenerationem, hoc eſt, per mortificationem carnis, viuificationem ſpiritus, vnde merito ad mutuam dilectionem moueri deberemus. Vis Baptiſmi, in quo ſita ſit, exprimit, cũ addit: renouationem Spiritus ſancti. Non enim aqua virtutem abluendi ſpiritualiter, & regenerandi vim vllam habet, ſed Spiritus ſanctus virtus eſt, qui facit vt in Chriſtũ credamus, qui nos ſanguine quidem abluit & morte mortificat, & reſurrectione viuificat, de qua re agit hic Paulus. Hunc ſpiritũ dicit effuſum opulente, qui eſt cauſſa adiuuans nos in hac virium imbecillitate, vt poſsimus in pietatis ſtudio pergere. Deus enim miſericordia ſua ſaluos nos fecit per Chriſtum, cuius gratia renati, Spiritum ſanctum accepimus abunde, qui nos iuuat ad præſtandam Deo obœdientiam. Vnde obſeruandum eſt, quod quicquid boni in Chriſtianorum vita appareat, id totum huic radici, quæ eſt Spiritus ſanctus, tribui debeat.

Fidelis ſermo, & de his volo te aſſeuerare, vt ſtudeant bona opera tueri, qui crediderunt Deo.

Concluſio eſt primæ partis huius capitis, cõſtans comprobatione & repetitione. Comprobatione enim exigit ſerium ſtudium & ſeriam curam doctrinæ propoſitæ. Repetitione vero ipſam propoſitionem rurſus ponit ob oculos.

Hæc ſunt honeſta & vtilia hominibus.

Rationem ab honeſto & vtili, quæ duo maxime hominem trahere ſolent, attexit.

Stultas autẽ quæſtiones & genealogias & contentiones ac pugnas legales cohibe.

Hæc eſt quinta huius Epiſtolę propoſitio. Non hic prohibet Paulus quærere, quæ ignoramꝰ, vtilia, ſed ſtultas, id eſt, nihil conducendas ad pietatem, aut vitam formandam, fugiendas quæſtiones monet, ſignificans Epiſcopum in omnibus debere vtilitatem quærere, vtilitatem, inquam, quæſita eſt in ſana doctrina, & honeſtis moribus. Pugnæ legales ſunt contentiones de lege & ceremonijs, imo etiam de iuſticia legis.

Sunt enim inutiles & vanæ.

Ratio huius quintæ propoſitionis; inutiles & ſuperuacuæ quæſtiões ſunt fugiendæ. Hæc ratio monet pium concionatorem, vt nihil quærat, nihil doceat, niſi quod ad pietatem & vitam formandam conducit.

Hæreticum hominem poſt vnam & alteram admonitionem vita.

Sexta & poſtrema huius Epiſtolæ propoſitio. Huc pertinet præceptum Domini: Cauete à falſis Prophetis. Obſeruandum hoc loco Pauli præceptum, vt relinquamus vanos diſputatores & quæſtionarios, qui ſummum decus eſſe putant, intricatis & vanis quæſtionibus ac ſententijs perperam detortis, ſanam doctrinam obſcurare.

Sciens quod euerſus ſit, qui eiuſmodi eſt, & peccat, vt qui ſuopte iudicio ſit condemnatus.

Ratio propoſitionis ab inutili ſumta. Fruſtra enim laborat, qui obſtinatum hęreticum in viã reuocare ſtudet.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Cum miſero Arteman ad te aut Tychicum, ſtude venite ad me Nicopolin, nam illic decreui hybernare. Zenam legiſperitum & Apollo ſedulo deducito, ne quid illis deſit. Diſcant autem & noſtri bona opera tueri ad neceſſarios vſus, vt non ſint infrugiferi.

Hæc familiaria ſunt, nec opus habent explicatione, niſi quod addit, vt diſcant noſtri bonis operibus præeſſe ad neceſſarios vſus. Vult proinde omnes pios exemplo ſuo docere, humaniter agere cum omnibus, præcipue autem cum domeſticis fidei, videlicet vt non ſint infrugiferi, ſed vt fides ſuum fructum afferat.

Salutant te, qui mecum ſunt, omnes. Saluta eos, qui diligunt nos in fide.

Quarta & poſtrema Epiſtolæ pars eſt, in qua commendatur nobis affectus pius erga abſentes. Monent enim tales Apoſtolicæ ſalutationes pios, vt verbis, & factis, & affectibus ſtudeant abſentibus prodeſſe.

Gratia Dei cum omnibus vobis, Amen.

Vt à voto incepit: ità & voto claudit ſuam Epiſtolam Paulus, quod etiam nos ad pia vota excitare debebit, Amen.

ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM PAVLI AD PHILEMONEM.

ANTEQVAM EXEGESIN AGGREDIAR, PAVCA MEO MORE, DE OCcaſione ſcriptionis, de quæſtione principali, ſeu ſtatu, de ſumma, ac tractationis ordine dicam.

OCCASIO.

Occaſio huius Epiſtolæ ad Philemonem ſcriptæ hæc fuit. Oneſimus ſeruus Philemonis fugitiuus venit Romam ad Paulum: cui, poſtquam ab eo inſtitutus eſt, miniſtrauit in carcere. Cum igitur Paulus videret Oneſimũ mutaſſe mores, remittit eum ad Philemonem, non ſine ſingulari commendatione.

QVAESTIO.

Quæſtio principalis ex trium rerum comparatione elicitur, ex triplici perſona, ex re ipſa, quæ euenerat, & ex conatu, & fine ſcriptionis. Paulus & Philemon perſonæ beneuolæ, amicæ, & familiares ſunt, item, Paulus & Oneſimus, ſed Oneſimus & Philemon nequaquã. Res ipſa, offenſio eſt ob furtum, & diſceſſum Oneſimi. Conatus, vt offenſus Philemon recipiat in gratiam miniſtrum ſuum Oneſimum. Proinde quæſtio eſt, an Paulus fugitiuum ſeruum Oneſimum Philemoni domino ipſius offenſo commendare debuerit nec ne? hæc quæſtio qualitatis eſt, & generis ſuaſorij.

Summa.

Paulus Philemoni fugitiuum ſeruum Oneſimum remittit, quem illi commendat, rogatque vt ipſum non ſolum ſeruum frugi, ſed etiam vt fratrem in Chriſto cariſſimum, imo tanquam propria viſcera complectatur.

Tractationis ordo.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quinque ſunt partes huius Epiſtolæ. Epigrapha, exordium, propoſitio, confirmatio & clauſula epiſtolaris.

EXEGESIS HVIVS EPISTOLAE CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PAVLVS vinctus Chriſti Ieſu, & Timotheus frater.

Qui alias ſe Apoſtolum Ieſu Chriſti, hic ſe eiuſdem vinctum appellat, propterea quod ſuæ legationis nomine vinctus fuerit. Vnde duo colligamus, Primum, crucem prędicationi Euangelij coniunctam eſſe. Deinde, nequaquam ignominioſam eſſe crucem pro Euangelio ſuſceptam, imo potius honorificam, adeo vt pius homo eam pro honoris titulo vſurpare poſsit. Nam cruce conformes redduntur pij imaginis filij Dei.

Philemoni dilecto & cooperario noſtro, & Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni noſtro, & quæ domi tuæ eſt Eccleſiæ.

Altera pars epigraphæ, continens Primum nomen eius cui ſcribitur. Deinde, affectū Pauli erga ipſum, quem dilectum appellat. Tertio, officij titulum ſubiungit, vocans eum cooperarium. Vnde ſignificatur, quod Philemon fuerit miniſter Euangelij, aut forte præclarus ciuis, qui ſua diligentia & ſumtibus Apoſtolos iuuerit, ac cum illis Euangelium propagare ſtuduerit, ſed prior ſententia mihi magis arridet. Nam in multis locis Paulus miniſtros Euangelij vocat συνέργους. Diſcamus ab exemplo Philemonis, quod cuiuslibet pij hominis domus debeat eſſe particularis quædam Eccleſia, in qua paterfamilias, & materfamilias doctoris munere fungi debeat.

Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.

Vſitata ſalutatio Pauli hęc eſt, continens ſumma Euangelij beneficia. Gratia fauor Dei eſt, qua nos in filio dilecto complectitur. Pax eſt noſtri reconciliatio cum Deo. Vtraque à Deo patre proficiſcitur: idque per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt omnia humana merita conticeſcant. At tum demum huius gratiæ & pacis reddimur participes, quando firma fiducia in Chriſtum recumbimus. Proinde optans Philemoni gratiam & pacem, ſimul ei optat fiduciam Mediatoris, & quæ cum ea natura coniuncta ſunt, atque ad eam requiruntur.

Gratias ago DEO meo, ſemper tui mentionem faciens in precibus meis, cum audiam tuam charitatem ac fidem, quam habes erga Dominum Ieſum, & erga omnes ſanctos, vt communicatio fidei tuæ efficax fiat, vt agnoſcatur quicquid boni eſt in vobis per Chriſtum Ieſum.

Exordium hoc gratulatorium eſt, conſtans tribus partibus, propoſitione, ratione, & complexione. Quia autem propoſitio paulo turbatior eſt, in hunc modum illuſtrari poteſt. Gratias ago Deo meo, quod audiam tuam fidem in Chriſtū, & dilectionem erga omnes ſanctos, ſemper mentionem tui faciens in precibus meis, precor, vt communicatio fidei tuæ efficax ſit in cognitione omnis boni, quod eſt in vobis in Chriſtum Ieſum, hoc eſt, vt fides tua efficacem ſe oſtendat in omnibus rebus bonis in Chriſti laudem & gloriam. Fidei autem communicatio dicitur, cum non latet intus score ocioſa, ſed per veros effectus ſe profert ad homines, atque ita hæc propoſitio Pauli totam vitam Chriſtianam complectitur, quæ ad ſex capita reuocanda eſt, quæ ſunt, 1. Fides in Chriſtum. 2. Dilectio erga proximum. 3. Gratiarum actio. 4. Oratio. 5. Fructus fidei in omni bono opere. 6. Finis omnium gloria Chriſti.

Gratiam enim habemus multā, & conſolationē, ob dilectionem tuā, quod viſcera ſanctorum refocillantur per te frater.

Ratio eſt ab adiunctis perſonę ſumta. Tua in ſanctos caritas, & cura qua eos complecteris, mihi gaudio & conſolationi eſt, igitur merito pro te gratias ago Deo, oroque, vt tua fides veros fructus proferat in gloriam Chriſti. Hinc miniſtri Euangelij diſcant, ſui officij eſſe congaudere gratiaſq; agere, quoties fidei fructum in ſanctis perſpiciunt, tum etiam ſtimulos addere, vt in incepto curſu properent magis. Nullus

enim adeo perfectus eſt in hoc mundo, quin opus habeat quotidiano incremento.

Quapropter, quamuis multam in Chriſto fiduciam habeam imperandi tibi, id quod officij tui erat, tamen propter charitatem potius rogo, cum ſim talis, nempe Paulus ſenex, nunc autem etiam vinctus Ieſu Chriſti.

Complexio occupatione figurata, ſenſus hic eſt. Poſſem tibi imperare, cum quia ſenex ſum, tú quia vinctus Ieſu Chriſti: Tamen tua caritas facit, vt malim rogare, vt facias τὸ ἀνῆκον, id eſt, quod te decet. Ex hoc loco duo diſcant miniſtri Euangelij. Vnum, ſumma comitate agere cum hominibus. Alterum, quod non habeant ius præcipiendi, niſi τὸ ἀνῆκον, idque in Chriſto Ieſu. Habent enim miniſtri Euangelij poteſtatem ſibi à Deo donatam in ædificationem, & non in deſtructionem.

Rogo te pro meo filio, quem genui in vinculis meis, Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc tibi & mihi vtilis eſt, quem remiſi.

Hæc Epiſtolæ principalis eſt propoſitio, duplici ratione exornata. Nam Primum cur eum commendet, indicat, nempe quia filius eſt, quem genuerat prædicatione Euangelij. Deinde à perſonæ adiunctis, & collatione per prolepſin rationem attexit. Poterat enim Philemon ægre ferre ſibi furacem ſeruum remitti. Quare facta collatione iam alium eum eſſe dicit. Decet enim vt Chriſtiani mores ſua profeſsione dignos induant.

Tu autem eum, hoc eſt, mea viſcera ſuſcipe.

Induit Oneſimum ſua perſona, vt ſit Philemoni commendatior. Hinc diſce, quanti pius Euangelij preco æſtimare debeat hominis ad Deum conuerſionem.

Quem ego volebam apud me detinere, vt pro te miniſtraret mihi in vinculis Euangelij.

Hoc plurimum facit ad molliendam iram Philemonis, quod audiat miniſtrum Apoſtolo, idque ſuo nomine miniſtraſſe. Vnde & nos diſcamus, quæ officia debeamus eis, qui nomine Euangelij affliguntur.

Sed abſque tua ſententia nihil volui facere, ne velut ex neceſsitate bonum tuum eſſet, ſed ſpontaneum.

Præſumtio eſt. poſſet enim obijcere Philemon, Cur igitur non retinuiſti eum? Reſpondet, beneficentia grata Deo eſſe nequit, niſi ſit ſpontanea. Neceſsitas hic voluntati opponitur. τὸ ἀγαθὸν beneficentiam ſignificat. Fluit proinde hoc dictum Pauli ex generali doctrina, nempe quod nihil placeat Deo niſi ex animo ſpontaneo proficiſcatur.

Nam propterea forſitan ſeceſſit ad tempus, vt æternum eum reciperes.

Mitigat diſceſſum Oneſimi ab euentu. Sæpe enim ex euentu ſcriptura de facto iudicat. Non ſane fuit conſilium ſerui fugitiui vt rediret ad dominum, ac ei poſtea perpetuo ſeruiret. Verum quia hic fuit euentus, dicitur Oneſimus ideo ſeceſsiſſe.

Non iam vt ſeruum, ſed ſupra ſeruum, nempe fratrem dilectum maxime mihi, quanto autem magis tibi & in carne & in Domino.

Argumentum à comparatis. Oneſimus eſt frater meus, & mihi admodum dilectus, quanto magis tibi dilectus eſſe debet, cui coniunctus eſt, non ſolum in Domino per fidem, verum etiam in carne. Nam membrum vtile in tua familia exiſtit.

Si igitur me habes conſortem, aſſume ipſum tanquam me.

Concluſio eſt ex ſuperiori argumento, cuius hæc vis eſt. Oneſimus eſt meus in Domino frater, quem ſi reieceris, me quoque reijcies. Quare ſi vis me conſortem tui, non poteris hunc communem noſtrum fratrem reijcere.

At ſi quid læſit te, aut debet, hoc mihi imputato, ego Paulus ſcripſi manu mea, ego dependam.

Præſumtio eſt. Poterat Philemon ob damnum ſibi factum tergiuerſari, quo minus eum reciperet. Quare Paulus ſibi iſtud imputandum cupit, & promittit ſe ſoluturum, dato proprio chirographo.

Vt non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes.

Prolepſis eſt, & ſimul argumẽtum à comparatis. Tu debes teipſum mihi, proinde multo magis exiguum damnum meo feres nomine. Obſeruandus locus eſt de mutuo iure piorum inter ſeſe, & debito ex obligatione naturali ſeu diuina.

Etiam frater, ego te fruar in Domino.

Confidentis eſt, quaſi dicat: Certus ſum, te præſtiturum mihi quod peto, vt inde mihi aliquod gaudium in Domino accedat. Eſt enim hic frui, vti amici officio cum gaudio. Verum quia addit in Domino, finem huius beneficij præſtandi gloriam Dei facit, vt eius cogitatione animus Philemonis ad miſericordiam flectatur.

Refocilla viſcera mea in Domino.

Πάθος eſt vehemens, quo percellit animum Philemonis, ac ſi diceret, Quid multis? Oneſimum tanquam viſcera mea atque adeo vt cor ipſum mihi charum eſſe ſcito. Quare quicquid ei feceris, mihi factum eſſe putes.

Confiſus de obœdientia tua ſcripſi tibi, ſciens quod etiam vltra quam dico, facturus ſis.

Prouocat Philemonem, vt magis faciat quam poſtulabat ab ipſo. Solet enim fieri, vt qui videt quenquam bene de ſe ſentire, meliorem ſeſe viciſſim erga ipſum exhibeat.

Simul etiam autem præpara mihi hoſpitium.

Neque hoc nihil facit ad principalem propoſitionem. Sunt enim qui amicos præſentes magis reuerentur, vnde Philemon expectatione Pauli ad ſe, non parum mouetur, ad præſtandum quod petit Paulus.

Spero enim quod per preces veſtras donabor vobis.

Ratio eſt proximæ propoſitionis, in qua vtiliſsima doctrina obſeruanda eſt, de vtilitate precum Eccleſiæ pro miniſtris verbi, adeoque pro omnibus rebus ſalutaribus. His enim verbis monet Paulus, in quouis periculo ad preces Eccleſiæ confugiendum eſſe.

Salutant te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu, Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, adiutores mei.

Familiares ſalutationes abſentium faciunt ad retinendam & fouendam amicitiam. Concaptiuus in Chriſto Ieſu, id eſt, propter Chriſtum Ieſum, hoc eſt, propter prædicationem Euangelij de Chriſto Ieſu.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, Amen.

Claudit ſuo more Epiſtolam pio voto. Sententia eſt, Gratia Chriſti aſsit veſtro ſpiritui, eumque roboret & confirmet, vt in ſalutis curſu vſque ad finem conſtantes perſeueretis, Amen.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

NOBILITATE GENERIS, SAPIENTIA ET VIRTVTE PRÆSTANTI VIRO, BIORNONI ANDREAE, DE ANTIQVA ET NOBILI BIORNONVM FAMILIA, DOMINO DE STENHOLT, SENATORI REGNI DANIÆ SAPIENTISSIMO, REGIO PRÆSIDI IN HAFNIENSI ET VICINIS PROVINCIIS, ATQVE DIOECESEOS ROSCHILDENSIS ADMINISTRATORI PRVDENTISSIMO, GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM PRECATVR

NICOLAVS HEMMINGIVS.

VOX DEI DEVT. XII. CAVE TIBI NE DERElinquas Leuitam omnibus diebus tuis ſuper terram tuam, vt omnibus, quibus ſalus curæ eſt commendat pietatem & liberalitatem erga miniſterium verbi: Ita minatur pœnam ijs, qui vel miniſterium verbi impie contemnunt, vel miniſtros Euangelij ſacrilege ſpoliant. Nam cum Eccleſia Dei in hoc mundo colligitur, propagatur, & conſeruatur voce docentium Euangelium, & docentes opus habent victu & defenſione, vult Deus nos gratos eſſe erga miniſteriũ Euangelij, & liberales eſſe erga eos, quorum miniſterio educimur è regno Satanæ, & aggregamur Eccleſiæ Dei, hoc eſt, regno CHRISTI, quod eſt gratiæ, à quo tranſitur in regnum Dei glorioſum, quod eſt beatæ & nunquam finiendæ immortalitatis, felicitatis & gloriæ, Cum itaq; hæc tanta bona nobis contingunt per miniſterium verbi, ſerio Deus nobis mandat, vt ipſos miniſtros Euangelij omni officiorũ genere proſequamur. Syracides vtrumque coniungit, videlicet timorem Dei, & honorem miniſtrorum Dei, ita enim ait: ἐν ὅλῃ ψυχῇ εὐλαβοῦ τὸν κύριον καὶ τοὺς ἱερεῖς αὐτοῦ θαύμαζε. Hoc eſt, toto animo time Dominum, & ſacerdotes eius admirare, id eſt, in precio & honore habeas & magnifacias. Et paulò infra: φοβοῦ τὸν κύριον καὶ δόξασον τὸν ἱερέα, καὶ δὸς τὴν μερίδα αὐτῷ, καθὼς ἐντέταλταί σοι. Hoc eſt, Time Dominum & honora Sacerdotem, & da partem ipſi, ſicut mandatum eſt tibi. Vtrumque ergo vult coniungi Sapiens, timorem Dei & honorem ſacerdotum miniſtrorumq́ue Dei. Vbi ergo prius vere adeſt, abeſſe non poteſt poſterius. Vbi poſterius deſideratur, prius quoq; abeſſe ſignificatur. Quomodo enim fieri poteſt, vt eius mandata contemnas, quem diligis? Si ergo vere timemus Dominum, aliter euenire nequit, quam vt honoremus miniſtros ipſius. Hic autẽ honor in eo conſiſtit, vt miniſtris verbi tribuamus omnia, cum quæ ad neceſsitatem, tum quæ ad dignitatem eorum pertinere videbuntur. Atque hic eſt ille duplex honor, quem Paulus vult tribui laborantibus in verbo & doctrina. Sed forte hic aliquis obijciet, me non recte accommodare miniſtris noui teſtamenti, quod Sapiens videtur de Leuitis & ſacerdotibus veteris teſtamenti intelligere. Nam magnum apparet diſcrimen inter illos & hos. Fateor equidem magnum diſcrimen eſſe, ſi ſpectemus diſpenſationis modum, verum ſi finem vtrorumq; conſi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

conſideremus, in eo plane vtrique conueniunt. Nam & Leuitarum fuit colligere, propagare & conſeruare Eccleſiam Dei, & miniſtris noui Teſtamenti, vt Oeconomis myſteriorum Dei, idem officium incumbit, quod ſane & preſtant multo efficacius. Cum igitur par ratio ſit vtrorumq;, hoc eſt, Leuitarum & miniſtrorum Euangelij in nouo teſtamento, recte mandatum Dei, de honore tribuendo Leuitis, accommodatur ad miniſtros Euangelij. Sed omnem ſcrupulum tollit Apoſtolus Paulus 1. Corinth. 9. cum exemplum Leuitarum ad miniſtros noui Teſtamenti accommodat, dicens: An neſcitis quod hi, qui ſacra adminiſtrant, ex ſacro edunt? qui altari aſſiſtunt, vna cum altari partem accipiunt? Prætereo plurima dicta noui Teſtamenti, quæ idem plane aſtruunt: Qui vos (ait Dominus) recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui miſit me &c. Dignus eſt operarius mercede ſua. Et Paulus, Qui bene præſunt, duplici honore digni ſunt, & maxime hi qui laborant in verbo & doctrina. Huc fere totum 9. caput prioris Epiſtolæ ad Corinthios pertinet. Sed quid multa? natura, ratio, leges humanæ & diuinæ commendant omnibus iuſticiam, cuius quædam non minima pars eſt gratitudo, quæ erga optime meritos iure maxima eſſe debet. Iam autem cum conſtat diuina humanis, cœleſtia terrenis, diuturna momentaneis, æterna caducis, vere & perfecte bona imperfecte bonis & perituris præferenda eſſe, quis dubitat miniſtros Euangelij optime mereri de nobis, per quos illa diuina, cœleſtia, æterna & vere perfecte bona nobis communicantur? Non proinde mirum eſt, & ſerio mandari nobis liberalitatem erga miniſtros Euangelij, & Spiritum ſanctum honorem ſacerdotum cum timore & reuerentia ipſius Dei coniungere, ita vt ſeparari alter ab altero non poſſit ſine vtriuſque interitu. Atque hinc non eſt difficile iudicare, quam ſint alieni à familia Dei, qui miniſtros verbi non ſolum reuerentia debita, verumetiam neceſſario victu ſpoliant. Glorientur de potentia quantum volunt, iactent diuitias, prædicent ſtemmata, numerent maiorum inſignia, ſuperbiant de magnificis palatijs, inſcribant hæredes: tamen quicunque miniſtros Euangelij non ea, qua decet beneuolentia, & beneficentia proſequuntur, priuant ſe ampliſſimo ornamento vitæ, quod in timore Dei ſitum eſt. Valde enim fallitur potens, qui exiſtimat, ſe ſua potentia ornari. Valde fallitur diues, qui putat ſe ſuis opibus decorari. Fallitur & pauper, qui ſe ſua tenuitate obſcurari arbitratur. Nam vt nec potentia nec diuitiæ veram gloriam afferunt. Ita nec paupertas quenquam coram Deo obſcurat. Sed ſolus timor Dei eſt, qui & diuiti & pauperi verum vitæ ornamentum affert, quod ſane nullus vel Satanæ dolus, vel humana inuidia auferre poterit. Diues epulo non parum ſibi videbatur ob ſuas diuitias & ſplendorem glorioſus, qui tamen obſcuriſsimus coram Deo fuit. Contra vero pauper Lazarus, epuloni obſcuriſsimus habitus, Deo & angelis eius ſumme glorioſus & ornatiſsimus eſt viſus. Quænam huius diuerſi iudicij cauſſa alia fuit, quam quod diues ille caruerit timore Dei, quo pauper Lazarus erat ornatus? Cum igitur adeo multum noſtra refert, vt timore Dei ornati prodeamus in conſpectum Dei, profecto pie prudentis eſt cauere, ne iſto ornamento ſe ſpoliet auaricia ſua & maleuolentia erga miniſtros Euangelij, quod ſane, proh dolor, multi faciunt in ſuum certiſsimum interitum.

Sed cur inquies, iſta mihi narras? profecto hoc haudquaquam à me factum putes, quod in te, clariſsime vir, quicquam deſiderem, ſed potius vt propoſita neceſſitate, te in curſu feliciter ſuſcepto contra multa impedimenta detineam. Nam multis pijs gratiſsimum eſt tuum officium erga miniſtros Euangelij, qui ſibi gratulantur, quod tam pium & clementem nacti ſint patronum. Poſtquam enim adminiſtratio dœceſeos Selandicæ, quantum quidem ad externam iuriſdictionem Eccleſiaſticæ politiæ attinet, tibi commiſſa eſt,

ea moderatione, ea manſuetudine vſus es, quam homini pio & prudenti di-
gnam iudicant omnes. Siquidem in iudicando prudentem ſemper ἐπιείκειαν
adhibes flectendo leges ad cauſſas, non cauſſas ad leges. Quid dicam de ſum-
tua humanitate tua in pios Euangelij præcones? quid de candore, quo nos in
hac Academia docentes complecteris? quid de munificentia ega multos pau
peres ſcholaſticos? Quid de pietate, qua tuos liberos, quos tibi peperit, & pi-
gnora ſanctiſſimi coniugij reliquit optima & nobiliſſima fœmina, piæ me-
moriæ, Cecilia Wlffstandt/ in vera religione & ſancta diſciplina inſtitui & e-
ducari curas? idque in eum finem, vt aliquando ſint futuri ornamento com-
muni patriæ & Eccleſiæ Dei. Cùm enim liberis tuis Magiſtrum pium & do-
ctum alis magnis ſumtibus, ſatis declaras quo ſis erga ſtudia literarum animo,
ſine quibus muri Eccleſiæ paulatim collabuntur, & mox ingens totius ædifi-
cij ruina comitatur. Sed vt ad priuata veniam, quid dicam de beneficentia
tua filio meo Iohanni Hemmingio præſtita? Hunc enim abiturum Viteber-
gam ſtudiorum gratia, ampliſſimo munere ornaſti. Pro quo ſummo benefi-
cio tibi maximas debeo gratias, & promitto perpetuo omnem animi grati-
tudinem.

Hæc teſtimonia tuorum beneficiorum clare teſtantur, quo ſis erga Eccle-
ſiam Dei atque eius miniſtros animo. Oro autem Deum, vt ipſe te in hoc pio
propoſito conſeruet ad finem vſq; huius caducæ vitæ, poſt cuius exitum pro-
poſita eſt corona ijs, qui malis exemplis ſe à recto curſu abduci non permit-
tunt. Nam nihil magis pietati nocet quam συνήθεια κακῶν, qui nec Deum timent,
nec miniſtros Eccleſiæ honorant: Imo ipſam Eccleſiam, tanquam viliſſimo-
rum hominum colluuiem contemnunt, quod ſane facit illorum ſpontanea
cæcitas. Iacob vident, Iſraëlem non agnoſcunt, cum tamen idem, qui eſt Ia-
cob, ſit & Iſraël. Hoc eſt, externam ſpeciem Eccleſiæ vident, & non conſide-
rant magnificam eius gloriam, nominatur quidem Eccleſia Iacob, propterea
quod vilis & contemta apparet in conſpectu hominum, Sed eadem & Iſraël à
Domino vocatur, eo quod victrix, quod formoſa, quod ſplendida, quod glo-
rioſa in conſpectu Dei ſit. Etſi autem hæc Eccleſiæ gloria in hoc mundo ſub
cruce latet, reuelabitur tamen ſuo tempore, quando impij omnes adiudica-
buntur perpetuæ ignominiæ.

Porrò quoniam cupio extare teſtimonium animi mei erga te, vir clariſ-
ſime, ſub tuo nomine placuit in lucem edere commentarios in vtramque E-
piſtolam Petri, & in vnam Iudæ Apoſtoli, quorum lectionem ſpero tibi haud
ingratam futuram. Hos vt accipias tanquam μνημόσυνον perpetuum meæ erga
te reuerentiæ & gratitudinis, etiam atque etiam rogo. Deus te quam diutiſ-
ſime incolumem cum cariſsimis liberis in ſui nominis gloriam, in familiæ
tuæ pium ornamentum, in Eccleſiæ Dei ædificationem, & in patriæ commu-
nis decus conſeruet, Amen. Vale ex Muſæo noſtro. Hafniæ primo Nouem-
bris, Anno 1566.

ARGV-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM PRIOREM PETRI.

QVATVOR ILLA, QVÆ IN INITIO ENARRATIONIS ſacrorum ſcriptorum examinare ſoleo, hic quoque repetamus, ſunt autem hæc. Primum, quis ſit ſcriptionis autor. Secundum, quæ fuerit ſcribendi occaſio. Tertium, quis ſit ſtatus. Quartum, quis ſit tractationis ordo ſeu methodus.

DE PRIMO.

Autorem huius Epiſtolæ D. Petrum Apoſtolorum Coriphæum fuiſſe, nemo vnquam dubitauit. Vnde quanta ſit huius Epiſtolæ autoritas, facile eſt iudicare. Hic eſt enim ille diſcipulus, qui ab Andrea fratre ad Dominum adductus, ex piſcatore factus eſt Apoſtolus. In myſterijs regni cœlorum edoctus eſt voce filij Dei, antequam ipſe Dominus mortem pro humano genere ſubijt. Deinde mox poſt reſurrectionem Domini quadraginta diebus ab ipſo Domino inſtitutus eſt, qui illi curam ſui gregis demandauit, ter dicendo: Petre amas me, paſce oues meas, ſignificans neminem aptum eſſe ad paſcendum gregem Chriſti, niſi qui amore Chriſti ſincero ducatur, adeo vt omnia poſtponat obœdientiæ erga Chriſtum, quem diligit. Præterea ipſo die Pentecoſtes, accepto viſibiliter Spiritu S. plenius edoctus eſt, quo die vna concione tria millia hominum ad fidem Domini conuertit. Atque ita completa eſt promiſsio Domini dicentis: Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, de iuſticia, & de iudicio. Hoc eſt, Spiritus ſanctus quinquageſimo die poſt meam reſurrectionem clare & efficaciter conuincet peccatum eſſe, quod mundus non putat eſſe peccatum: clare & efficaciter conuincet eſſe iuſticiam, quam mundus non putat eſſe iuſticiam: clare & efficaciter conuincet eſſe iudicium, quod mundus non putat eſſe iudicium. Mundus, hoc eſt, Phariſæi & ſcribæ, cum maxima populi parte, non putat eſſe peccatum me Ieſum Mariæ filium contemnere, & in me non credere, vt in vnicum ſaluatorem, ſed Spiritus ſanctus, veniens ſuper vos in die Pentecoſtes, conuincet mundum ſui erroris, adeo vt plurimi agnoſcant ſe peccaſſe, quod me Ieſum Mariæ filium cruci affixerint, & non potius in me, vt in vnicum ſaluatorem, crediderint. Mundus non putat iuſticiam eſſe abitum meum ad patrem, hoc eſt, obœdientiam Legis in me, qua ſatisfit iuſticiæ Dei, mortem crucis, qua expiatur reatus, & reſurrectionem vitæ, qua conſummatur iuſticia credentium, eſſe iuſticiam, cuius imputatione credentes coram patre meo conſiſtunt, ſed Spiritus ſanctus conuincet mundum huius pernicioſi erroris, quando teſtabitur me Ieſum vere victa morte reſurrexiſſe in iuſticiam & ſalutem omnium, qui me fide receperint. Mundus non putat iudicium vindictæ eſſe, victoriam meam ſuper Diabolo, ſed Spiritus ſanctus conuincet mundum etiam huius erroris, & in die Pentecoſtes aperte & efficaciter probabit, quod ego Ieſus ſim victor & deſtructor operum Diaboli, iuxta promiſsionem Adamo factam: Semen mulieris conteret caput Serpentis. Etſi autem hæc Domini prædictio completa eſt quinquageſimo die poſt Domini reſurrectionem, vt iam declaratum eſt: Tamen perpetua lex eſſe debet miniſtris Euangelij, vt prædicent fidem in Chriſtum, doceant quod Chriſti obœdientia ſit noſtra iuſticia, oſtendant quod Chriſtus ſit victor Diaboli. Hoc cum faciunt, ipſe Spiritus ſanctus efficaciter adeſt, & in multis verbum prædicatum obſignat. Hæc obiter adijcere volui, quia Petrus, de quo nobis hic ſermo eſt, præcipuum inſtrumentum fuit, quo Spiritus ſanctus conuicit mundum ſui erroris die Pentecoſtes, vt patet ex ſecundo Actorum Apoſtolicorum capite. Porro, cum de vocatione gentium quæſtio agitaretur, ſigno diuino edoctus eſt Petrus, quod promiſsio Euangelij ad gentes quoque pertineret. Quare diuinitus admonitus, & vocatus à Cornelio, eum prius donatum Spiritu ſancto baptizat, aperte teſtificans nullam perſonarum acceptionem apud Deum eſſe. Hic eſt ille diſcipulus, cui Dominus dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hic eſt ille,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quem Paulus columnam Eccleſiæ agnoſcit. Hic denique eſt, quem Eccleſia perpetuo conſenſu ſummum Apoſtolorum appellat. Proinde quicquid in huius viri ſcriptis legimus, ita accipiendum eſt, ac ſi Spiritum filij Dei, cuius Apoſtolus eſt, ſonantem ſua verba audiremus, iuxta illud: Qui vos audit, me audit.

DE SECVNDO.

Scribendi occaſio Petro hæc fuit. Gentes multæ, quas in epigrapha recitat Apoſtolus, non Petri, ſed aliorum miniſterio doctrinam Euangelij receperant. Inter has gentes fuerunt, qui dubitare cœperunt, an Petrus, quem ipſi non audiuiſſent, eadem doceret, præſertim cum paſsim propter ritus Moſaicos ingentia certamina mouerentur. His itaq; dubitantibus Petrus ſcribit, & teſtatur veram eſſe gratiam in qua ſtant, id eſt, veram eſſe Chriſti doctrinam, in qua fuerunt edocti. Scribit proinde ipſis hoc conſilio, vt & eos ſuo teſtimonio recte inſtitutos eſſe confirmet, & ad perſeuerantiam in ſpe & pietate vſque ad finem exhortaretur. Hanc occaſionem, hoc conſilium, hunc finem & ſcopum Petro fuiſſe propoſitum, apparet ex ipſius verbis, ita enim in fine huius Epiſtolæ ait: Hæc ſcripſi, adhortans vos & teſtificans veram gratiam Dei eſſe, in qua ſtatis. Hoc eſt, verum Ieſu Chriſti Euangelium eſſe, in quo edocti eſtis voce & ſcriptis Pauli Apoſtoli & aliorum.

DE TERTIO.

Tota hæc Epiſtola parænetica eſt, & ad duo capita reuocari poteſt. Quorum vnum hortatur gentes, ad quas ſcribit, vt perſiſtant in gratia, quæ ipſis per prædicationem Euangelij collata eſt. Alterum ſuadet, vt in hac gratia digne ambulent ad finem vſque huius caducæ vitæ.

DE QVARTO.

Ordo tractationis, quemadmodum in ſuaſorijs argumentis fieri conſueuit, eſt arbitrarius. Neque enim ita vnam aliquam parænesin tractat & abſoluit, quin rurſus data aliqua occaſione ad eandem redeat. Quare etſi artificialis & Didacticus ordo hic non eſt quærendus: firmum tamen & neceſſarium fundamentum iacit, ex quo paræneſes omnes, quas tractat, optime extruuntur. Ponit autem omnis piæ actionis fundamentum regenerationem ſeu ſemen illud diuinum, quo in nouos homines renaſcimur. Hoc fundamento poſito, varias exhortationes inde manantes extruit, quas, vt dixi, ita tractat, vt ſubinde ad eaſdem redeat. Verum vt eas propius conſiderare poſsimus, ipſas diſcernamus per obiecta, & ſingulas veluti ad ſuas proprias claſſes referamus. Quædam igitur ſunt, in quibus ad officia, quæ Deo immediate debentur, inuitat, vt cum hortatur ad fidem, ſpem firmam, timorem, ſubiectionem ſeu veram coram Deo humilitatem, inuocationem &c. Quædam ſunt, quæ ad mores cuiuſque priuatos pertinent. Vt cum vel hortatur ad ſanctitatem, vel dehortatur ab impuritate & prophanitate. Quædam ſunt, quæ pertinent ad officia inter homines, & ſunt variæ. Alias enim hortatur ad præſtandum magiſtratui debitum officium. Alias analogum officium dominorum & ſeruorum inter ſe: Seniorum & iuuenum requirit. Alias communia Chriſtianis officia inculcat. Quædam ſunt, quæ ad ærumnas præſentis vitæ perferendas pertinent, vt cum hortatur Apoſtolus ad patientiam ſub cruce, & monet vt non ſuccumbant tentationibus. Poſtremo, quia Eccleſia habet hoſtem Diabolum, qui perpetuo in inſidijs eſt, hortatur Petrus Chriſtianos ad vigilantiam, vt tanto aduerſario reſiſtere poſsint. Ad has claſſes paræneſes omnes huius Epiſtolæ reuocari poſſunt, vnde facile eſt videre, quanta ſit huius Epiſtolæ vtilitas, & quam neceſſaria ſit eius lectio.

CAPVT I.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Electi & fidem Chriſti amplexi ſeu regeniti, præcinctis lumbis ſpeq; gratiæ firma concepta, veræ ſanctitati ſtudeant, vt qui ex ſemine immortali, per ſermonem viuentis Dei & manentis in æternum, ſint regeniti.

Ordo & partes Capitis Primi.

Huius primi capitis tres ſunt partes. Prima eſt, ipſa epigrapha cum ſalutatione. Secunda, exordium eucharíſticon, in quo cauſſam ſalutis explicans, de fide Chriſti firmam doctrinam & Apoſtolicam tradit. Tertia, exhortatio ad ſanctificationem vitæ, conſtans propoſitione & confirmatione, petita ex ipſis fontibus, quemadmodum fuſius in ipſa enarratione declarabimus.

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PETRVS Apoſtolus Ieſu Chriſti, aduenis diſperſis per Pontum, Gallaciam, Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam, electis iuxta præcognitionem Dei patris, in ſanctificationem Spiritus, in obœdientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.

Hæc epigrapha diligenter eſt obſeruanda. Cōtinet enim magnã copiam rerum ſpiritualium, ac ſummã doctrinę Eccleſiæ mirabili compendio complectitur. Quare eam in ſuas quaſdam particulas retexam, & quid doctrinæ ex ſingulis hauriendũ ſit, oſtendam. Primum igitur, cũ Autor huius Epiſtolæ Petrus nominetur & dicatur Apoſtolus Ieſu Chrſti, has quatuor concluſiones colligamus. Primam, quod Petrus ab ipſo Chriſto ſit miſſus legatus. Secundam, quod Petrus afferat doctrinam Chriſti, hoc eſt, Euangelium, iuxta mandatum: Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Tertiam, quod nihil erroris ſit admixtum doctrinę Petri. Quartam, quod ipſi Petro, tanquam voci diuinæ, credendum ſit. Eſt enim Apoſtolus orator à Deo miſſus, vt ore negocium agat, quod in mandatis habet. Cum igitur dicit Petrus: Ego ſum Apoſtolus Ieſu Chriſti. Perinde eſt ac ſi diceret: Ego habeo à Ieſu Chriſto mandatum, vt ipſius nomine vobis Euangeliũ de gratuita ſalute annunciem. Hic proinde admoneamur, quanta cum reuerentia & attentione legenda ſit nobis hæc diui Petri Epiſtola, in qua nobis Petrus nomine filij Dei loquitur, ac Euangelium ſalutis annunciat. Sed quibúſnam ſcribit Petrus? Aduenis. Hac voce ſignificat Apoſtolus, ſe gentibus & non Iudæis ſcribere. Nam illi, qui ex gentibus conuertebantur ad religionem Iudæorum, aduenæ & προσήλυτοι dicebãtur. Hic monemur Euangelium non tantum ad Iudæos, ſed etiam ad gentes pertinere. Vnde hæc cogitanda ſunt. Primum, quod Euangelij annunciatio ſit gratuita. Secundum, quod nullis præcedentibus meritis aut præparantibus operibus ad Euangelium recipiendũ reddamur cõdigni. Tertium, quod Euangelium ſit vniuerſalis doctrina, vt quæ omnibus hominibus promiſcue in Chriſto ſalutem offerat. Quartum, quod ad Euangelij perfectionem non requirantur ritus Moſaici. Quintum, quod gratos nos eſſe oporteat, quibus indignis tanta conferãtur beneficia. Enumerat autẽ hic Petrus quinq; regiones, Pōtum, Gallaciam, Cappadociam, Aſiam & Bithyniam. Hę quinq; regiones cum quibuſdã alijs à Geographis vno nomine Antiochia dicuntur, & ſunt ad orientalẽ plagam ſitæ. Pontus ampla eſt regio & maritima. Proxima huic Cappadocia, à tergo Gallatia eſt, à fronte ad mare Aſia & Bithynia. Paulus in his regionibus Euãgelij ſemina iecerat, cuius doctrinam Petrus teſtatur eſſe veram. Quid hinc doctrinæ petendũ eſt? Hæ regiones merito nos ad timorẽ Dei & gratitudinem excitabunt, quæ olim quidem florebant, quando illic ſana Euangelij doctrina in omnibus vrbibus & pagis perſonabat. Nunc vero propter ipſorum ingratitudinẽ aduerſus Deum & Euangelium Chriſti non ſolum amiſerunt doctrinam Euangelij, verum etiam Turcę crudeliſsimo Chriſtiani nominis hoſti ſubiectæ ſunt. Adeo Deus non ferre poteſt diuturnum ſui Euangelij contemtum. Timeamus igitur DEVM, & ſimus grati, ne & nobis aliquando contingat, quod illis ſecuris & ingratis contigit. SEQVITVR, quod Aduenę, quibus ſcribit Apoſtolus, dicantur electi ſecundum præcognitionem Dei patris, in ſanctificationem Spiritus. quib. ſane verbis duo ſignificantur. Vnum, quod qui per Euangelium vocantur, ſint electi in ſanctificationẽ ſpiritus, id eſt, vt ſpiritu ſint ſancti, & noui homines effecti ſecundum imaginem Dei. Alterum, quod vocatio iſta non temere fiat, nec pendeat ex ho-

minum

minum arbitrio, ſed iam olim à Deo ordinata & præcognita ſit. Quod ideo addit Apoſtolus, ne quis hanc doctrinam Apoſtolicam, veluti recens natam aſpernetur. Tametſi enim iam recens erant Apoſtoli miſsi in vniuerſum orbem, vt docerent Euangelium: tamen hoc longe antea, videlicet ante fundamenta mundi iacta, conſtitutum erat, quod ſtatuto diuinitus tempore reuelandum fuit, iuxta illud Galat. 4. Quando venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Sed de hac temporis circumſtantia plura mox dicentur.

DE ELECTIONE.

PORRO de Electione huc pauca adijcere placet propter Stoicos, qui Parcarũ tabulas Eccleſiæ Chriſti obtrudere moliuntur. Eſt itaq; Electio, quæ & Prædeſtinatio dicitur, ordinatio Dei, qua ipſe ante conſtitutionem mundi, ſecundum beneplacitum & conſiliũ voluntatis ſuæ, per Chriſtum & in Chriſto elegit omnes in Chriſtum redemtorem credituros ad vtiam æternam, vt ſint ſancti & inculpati coram ipſo, vtque laudẽ gloriæ, & gratiæ eius prædicent in omni æternitate. Hæc definitio extructa ex primo capite Epiſtolæ Pauli ad Epheſ. ſex circumſtantijs abſoluitur. Quarum Prima eſt, de tempore. Secunda, de cauſſa electionis. Tertia, de modo & fundamento. Quarta, de conditione & euentu. Quinta, de vita æterna, ad quam poſsidendam eligimur. Sexta, de finibus electionis. His circumſtantijs explicatis, myſterium electionis conſpicietur, quare de illis pauca adijciamus.

PRIMA.

PRIMA circumſtantia eſt temporis, quod electio hæc decreta ſit ante conſtitutionem ſeu creationẽ mundi, ex quo concluditur, quod ſit certa & immota. Nam cum Deus præuideret lapſum hominis ante mundi conditionem, ordinauit & remedium, & decreuit ex lapſu reuocare omnes, qui remedium offerendũ & gratuitum erant recepturi. Hinc Paulus Electionis verbum, quod eſt Euangelium, concludit non eſſe recens natum tempore Apoſtolorũ, ſed longe antea decretum, ſuo tempore mundo reuelandum. Atq; ideo idem Paulus Euangelium definit eſſe reuelationẽ myſterij, quod à temporibus æternis tacitum fuit, quod nunc tandem manifeſtũ factum eſt, & per ſcripturas Propheticas ex mandato Dei in obœdientiam fidei apud omnes gentes declaratum, Rom. 16. Ex hac circumſtantia fides noſtra confirmetur de immoto decreto Dei, quo ſtatuit ante conditum mundum ſaluare credentes. Deinde etiam animetur & armetur aduerſus omnes hoſtes Euangelij, qui Euangelium tanquam fabuloſam doctrinam temporibus Apoſtolorum natá calumniantur.

SECVNDA.

SECVNDA circumſtantia eſt, de cauſſa electionis, quam Paulus ſcribens Epheſijs εὐδοκίαν voluntatis Dei nominat: Auguſtinus autẽ miſericordiſsimam Dei voluntatem. De hac voluntate Dei & paterna miſericordia, vbi certo nobis conſtiterit, habet fides firmiſsimũ ſuæ electionis fulcimentum. De hac miſericordia Dei ſeu miſericordiſsima voluntate ipſe Dominus apud Eſaiá 54. cap. loquitur in hunc modum: Montes mouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te, nec fœdus pacis meæ mouebitur, dicit miſerator tuus Dominus. Et Pal. 145. Miſerator & miſericors Dominus, tardus ad iram & multum miſericors. Bonus Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Verum ne ſinamus hanc Dei voluntatem nobis vlla ſophiſtica obſcurari, intueatur fides noſtra hæc quatuor: Miſsionem filij Dei in mundum: Mandatum vniuerſale, vt audiamus Euangelium: promiſsionem gratiæ vniuerſalem: & obſignationem fœderis vniuerſalem. Hæc enim quatuor recte cogitata ita certificabunt conſcientias noſtras de voluntate Dei, qua ex mera ſua miſericordia vult ſaluos nos facere, vt facile contemnamus omnium Diabolorum & hominum ſtrophas & verſutias argutiarum.

PRIMVM itaq; intueamur miſsionem filij, quæ ſane locupletiſsimum eſt paternæ voluntatis in Deo erga omnes homines teſtimoniũ, iuxta hæc dicta Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, quod filium ſuum vnigenitũ dederit, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Rom. 5. Commendat Deus caritatẽ ſuam erga nos, quod cum adhuc eſſemus PECCATORES, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Matth. 11. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Et Paulus 1. Timoth. 2. Fidelis ſermo & omni approbatione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundũ, peccatores ſaluos facere.

Et Ioan.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Et Ioan. in prima Epiſtola: Chriſtus apparuit, vt deſtruat opera Diaboli. Et ad Tit. 2. Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus. Luc. 9. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. Matth. 18. Venit filius hominis ſeruare quod perierat. Iam autem non pauci aliqui perierunt de genere humano, ſed totum genus humanum. Quemadmodum igitur in Adamo omnes lapſi ſumus: Ita cum Adamo omnibus datur promiſsio Seminis, contrituri caput Serpentis. Hæc teſtimonia de miſsione filij firmiter teneamus, quæ citra omnem ambiguitatem teſtantur, quod Deus miſerit Filium, non vt paucos quoſdam ſelectos de genere humano, ſed vt omnes ſeruet. Quare autem euentus in hominibus non reſpondeat huic Dei voluntati, poſtea dicetur.

SECVNDO intueamur mandatum Dei vniuerſale, quod ſimiliter nos certificat de voluntate & miſericordia Dei, extendente ſe ad omnes. fieri enim non poteſt, vt mandatum Dei cum ipſius voluntate pugnet, cum Deus ſit iuſtiſsimus. Quare cũ iubet, vt omnes ſuum Filium audiant, vult profecto, vt omnes ipſum audiant, vult vt ex auditu fidem concipiant. Prædicatio enim Euangelij requirit fidem. Vult deniq;, vt omnes credentes ſaluentur. Deinde filius, qui eſt imago Patris, amandat diſcipulos ſuos in omnem terrã cum hoc mandato: Ite in mundum vniuerſum, & proclamate Euangeliũ omni creaturæ, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluꝰ erit. Hic particula vniuerſalis Omnis, & vox creaturę, conuincunt mandatum filij Dei ita vniuerſale eſſe, vt extendat ſe ad omnes homines abſq; omni conditione nationum, perſonarũ aut quarumuis qualitatum. Cum igitur hoc mandatum clare teſtetur, Deum reuera omnium hominum ſalutem velle, quis eſt, qui ſe vlla ſophiſtica huic mandato audet opponere? Quid dicemus de hac liberaliſsima inuitatione filij Dei Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Hic vtrunq;, hoc eſt, mandatum & promiſsio voluntatem Dei paternam eſſe teſtantur, quod velit reuera omnes venire ad Chriſtum vocantem, vt omnes in eo ſalutem conſequantur. Firmiſsime itaq; & ſine omni hæſitatione fides noſtra ſtatuat, hoc mandatũ Dei æternum & vniuerſale, infallibile voluntatis ipſius teſtimonium eſſe erga omnes homines, & procul abſit à Chriſtiano pectore cogitare, Deum externo miniſterio omnibus offerre ſalutem, ſed intus tamen aliam voluntatem incluſam habere. Hoc enim plane eſſet Deo iuſtiſsimo contradictorias voluntates tribuere. Quod quam ſit abſurdum, quis non videt?

TERTIO, intueamur promiſsionem gratiæ vniuerſalem, quam cum voluntate Dei congruere neceſſe eſt. Hæc eſt, dicit Dominus, voluntas Patris mei qui miſit me, vt omnis, qui videt Filium & credit in eum, habeat vitã æternam. Matth. 18. Sic non eſt voluntas ante Patrem meum, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis. 1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Pet. 3. Deus longanimis eſt erga vos, non volens vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere. Huc multa Prophetarum dicta pertinent, vt Ezechielis: Reuertatur vnuſquiſq; à via ſua peſsima, & propitius ero iniquitati & peccato eorum. Item, cum auerterit ſe impius ab impietate ſua quã operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſticiam, ipſe animam ſuam viuificabit. Cõſiderans enim & auertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt, vita viuet & non morietur. Item, Conuertimini & agite pœnitentiã ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum. Item, Nolo mortem peccatoris, dicit Dominus, reuertimini & viuite. Hæc gratiæ promiſsio, vt eſt vniuerſalis: ita & gratuita ſola fide accipienda. Vtrumque docet Apoſtolus ad Rom. 9. 10. & 11. vbi ſummam diſputationis de voluntate Dei & gratiæ promiſsione in hunc modum colligit. Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Idem enim Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocat ipſum. Quiſquis enim inuocauerit nomen Domini, ſaluabitur. Ex hiſce dictis fides noſtra firmiſsimam conſolationem concipiat aduerſus eos, qui tribuunt Deo προσωποληψίαν, & ſtatuat procul omni dubio de voluntate Domini ſentiendum eſſe, ex hac vniuerſali gratiæ promiſsione, quæ omnibus ſophiſmatis opponatur.

QVARTO, intueamur obſignationem fœderis vniuerſalem, qua nihil dulcius cogitari poteſt. Quis quæſo ſatis demirari poterit bonitatem & φιλανθρωπίαν Dei, qui non ſolum promiſcue omnibus ſalutem promittit, verum etiam eandem mãdat omnibus obſignari? Nam dũ iubet omnes gentes baptizari, vult profecto, quod iubet, & veriſsime omnibus ſuã gratiã obſignat. Qui enim fieri poſſet vt, cum ſit iuſtiſsimus Deus, omnes inuitaret ad Baptiſmum dulciſsimum ſui fœderis teſtimoniũ, niſi omnibus gentibus ſaluté, quam obſignat baptiſmo, impartiri vellet? Quotieſcunq; igitur fides noſtra tẽtationibus de electione fatigatur, conuertamus cor noſtrum ad Baptiſmũ, tanquam firmiſsimũ ſalutis fulcrum, & immotum voluntatis Dei erga nos teſtimonium, ne noſtra culpa promiſſa & obſignata

ſalute

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſalute excidamus. Huc etiam pertinet ſacratiſsimæ Cœnæ inſtitutio,in qua Dominus eandem gratiã nobis obſignat, & teſtatur ſe precio ſuæ carnis & ſanguinis nos à morte æterna liberaſſe,modo nos ipſi hanc dulciſsimam συνθήκην perfide nõ violauerimus. Cum itaq; ex his demonſtrationibus euidenter nobis cõſtat de voluntate Dei paterna erga omnes, quæ cauſſa noſtræ electionis eſt, firmiſsimã teneamus fiduciam ſalutis promiſſæ obtinendæ,& ad hæc quatuor teſtimonia miſericordiſsimæ volũtatis Dei,videlicet miſsionem filij,mandatum Dei, promiſsionem, & obſignationem gratiæ nos conuertamus,quoties vel Satan vel propria caro noſtram fidem de miſericordia Dei erga nos labefactare ceperit.

TERTIA.

MODVM & fundamentum electionis noſtræ tęnere oportet. Eſt autem is modus vnicus & veriſsimus, quem Diuus Paulus Epheſijs ſcribens nobis cõmonſtrat. Elegit nos,inquit,in Chriſto ante conſtitutionem mundi. Item,Prædeſtinauit nos in adoptionem per Chriſtum. Item,Gratos nos fecit in dilecto,in quo habemus redemtionem per ſanguinem eius. Hæc dicta Spiritus ſancti & ſimilia multa teſtantur,quod Deus nos elegerit non exarando fatales libros cum Zenonis familia,ſed ſtatuendo iuxta conſiliũ voluntatis ſuæ modum ſalutis conſequendæ per Chriſtum & in Chriſto. Fides proinde noſtra nõ vagetur extra hunc modũ & hoc fundamentũ electionis noſtræ,non quęrat in parcarum tabulis certitudinẽ ſalutis ſuæ,ſed acquieſcat in filio Dei, in quo ſolo ſalutis noſtræ certitudo fũdatur.

QVARTA.

CONDITIONIS & euentus in definitione meminimus, quorum explicatio permultum faciet ad clarã huius myſterij noticiam. Conditio itaq; requiritur,iuxta vocem Euangelij, pœnitentiæ ſeu conuerſionis, ſeu fidei, cuius loco propria eius adiuncta ſeu notæ ponuntur,vt ſunt regeneratio, ſanctificatio, patientia,inuocatio,&c. Nam vbi hæc ſunt, certiſsima ſunt fidei indicia,qua cum inſerimur Chriſto,& eius membra efficimur,electi dicimur,quia in Chriſto ſumus, extra quẽ nemo electus cenſendus eſt, & in quo quiſquis fuerit per fidem vt membrum Chriſti,electus iudicatur. Hanc fidei conditionẽ adiecit Dominus mandato Marci vltimo:Euntes in mundũ vniuerſum,proclamate Euangelium omni creaturæ,Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluabitur. At qui fuerit incredulus,condemnabitur. Hoc Chriſti mandatũ & promiſsio requirit conditionẽ fidei,quam conditionem Paulus ſæpiſsime nobis commendat. Vt ad Rom.9. vbi de electione diſputat. Quid igitur dicemus,inquit,Gentes,quæ non ſectabantur iuſticiam,apprehenderunt iuſticiam,iuſticiam,inquam,quæ eſt ex fide. Iſraël vero ſectans legem iuſticiæ,ad legem iuſticiæ non peruenit. Quare?quia non ex fide,ſed ex operibus legis. Et in 10. Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitarit ex mortuis, ſaluaberis. Corde enim creditur ad iuſticiam, Ore autem fit confeſsio ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura:Omnis qui credit in ipſum non pudefiet,non enim eſt dictinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes ipſum. Quiſquis enim inuocauerit nomen Domini, ſaluabitur. Ad Coloſſ.1. Si modo in fide permaneatis fundati & firmi,& nõ tranſmoueamini à ſpe Euangelij,quod audiuiſtis. Ad Ebræos 3. Participes facti ſumus Chriſti,ſi modo incoatam fiduciam vſq; ad finem firmam retineamus. 1. Timo.2. Mulier ſaluabitur, ſi permanſerit in fide. 2.Corinth.5. Si tamen veſtiti & nõ nudi reperiamur. Huc plurimæ conciones Domini pertinent: Veni vocare peccatores ad pœnitentiam. Iohan.3. Quemadmodũ exaltauit Moſes ſerpẽtem in deſerto: Sic exaltari oportet Filium hominis, vt omnis,qui credit in eum,non pereat,ſed habeat vitam æternam. Sic enim dilexit Deus mundum,vt Filium ſuum vnigenitũ daret,vt omnis, qui credit in eum non pereat,ſed habeat vitam æternam. Iohan.3. Si manſeritis in me,& verba mea in vobis manſerint. Hæc conditio etiam in Prophetis ſæpiſsime inculcatur. Si,inquit Ieremias,pœnitentiam egerit gens illa à malo,quod locutus ſum aduerſus eam, agã & ego pœnitẽtiam ſuper malo,quod cogitaui vt facerẽ ei. Si fecerit malum in oculis meis,vt nõ audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum vt facerem ei. Quod hæc conditio omnino neceſſaria ſit,apparet apud Lucam:Niſi pœnitentiam egeritis,omnes ſimul peribitis. Huc & illud Pauli pertinet. Væ mihi ſi non Euangelizem. Item, caſtigo corpus meũ,& in ſeruitutẽ redigo,ne forte cũ alijs prędicauero,ipſe reprobus efficiar. Teſtimonia hęc à nobis poſita, clariſsime docent, ꝙ electio noſtri ſit cõditionata, vt quæ requirat conditionẽ pœnitentiæ, hoc eſt, conuerſionis ad Deũ per fidẽ in Ieſum Chriſtũ: cum qua fide & inuocatio & noua obœdi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

obœdientia eſt coniuncta. ex quo fit, vt hæc conditio conuerſionis nunc fidei, nunc inuocationis, nunc nouæ obœdientiæ, nunc ſanctificationis nomine ſignetur. Nam hæc natura coniuncta ſunt, Legis conditio, quæ noſtra culpa impoſsibilis eſt, longe diuerſa ab hac eſt. Nam illa non offert ſalutẽ, niſi cum conditione impletæ legis, quæ impletio cauſſa ſit iuſticiæ & ſalutis. Hæc cauſſa cum in nobis non ſit, ad Chriſtum mittit nos Euangelium, quod prædicat pœnitẽtibus remiſsionem peccatorũ in nomine Chriſti, qui eſt finis & conſumãtio legis in iuſticiã omni credenti. Ex his, quæ hactenus de conditione dicta ſunt, facile eſt intelligere, quid de euentu ſentiendũ ſit, propter quem multi quidẽ dicuntur vocati, pauci vero electi. Nam quantum ad euentum attinet, ſoli electi dicuntur, qui fidem ex auditu verbi concipiunt, ſeu qui Chriſtũ, quem prædicat Euangelium, fide recipiunt, vt eius iam mẽbra cenſeantur, in quo ſola rata eſt electio. Quod autem multi, proh dolor, audito Euangelio non credunt, & propterea dãnati & non electi dicuntur, cauſſa in ipſis quærenda eſt, & non in Deo, qui iubet vt omnes filium audiant. Huc quoque facit iuſtiſsima querela Domini: Quoties congregare volui filios tuos, quemadmodũ congregat pullos ſuos gallina, & noluiſti, Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Hic tria clare exprimũtur. Primum, quod Chriſtus reuera voluerit ſalutem Ieruſalem, id quod voce & lacrymis teſtatur. Secundum, quod Ieruſalem oblatam ſalutem ſuapte malicia repudiarit. Tertium, quod comminetur Dominus damnationis pœnam contumaci populo. Huius euentus reſpectu, & non conſilio Dei creantis hominẽ & mittentis filium in mũdum, dici potuit Ieruſalem non electa. Hoc confirmari poterit verbis Apoſtoli, qui ita it: Videte vocationem veſtram fratres, quod non multi ſapientes ſecundũ carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Hiſce enim rebus, ſapientia carnis, potẽtia & nobilitate veluti ineſcãtur multi vt nauſeent ad Euangelium, ac ita ſua culpa pereant. Huc & illa Domini querela bis repetita apud Matthæum pertinet: Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Nam quemadmodum res ſe habet in vinea, in quam multi operarij vocantur, & in nuptijs, ad quas multi inuitãtur: Ita ſe etiam res habet in regno Chriſti. Vt enim eijciũtur, qui vocati murmurant, & excludũtur qui inuitati venire recuſant, vel admiſsi veſtem nuptialẽ non habent: Ita è regno Chriſti, qui ſe, vt decet, non gerunt, exturbantur. Eſt igitur ſenſus quęrelæ Domini: Multi ſunt vocati, id eſt, multi inuitantur ad ſalutem per prædicationem Euangelij, Sed pauci ſunt electi, id eſt, ſinceri, geſtantes veſtem nuptialem, hoc eſt, vere pœnitentes, & ſeriam emendationem meditantes ſanctimonia vitæ. Quoties igitur in ſcripturis legimus de paucitate electorum, non reſpiciamus ad conſiliũ creatoris & redemtoris, volentis ex ſua miſericordiſsima volũtate omnes homines ſaluos fieri, ſed ad euentum, quo homines contumaces iuſtiſsime abijciunntur, vt ſui furoris æternas pœnas luant. Fides proinde noſtra non ſinat ſe iſtis dictis, quæ ad euẽtum referenda ſunt, abduci ab vniuerſali gratiæ promiſsione, ſed potius intueatur modum & conditionem æternæ electionis, & paternæ voluntatis Dei erga omnes.

QVINTA.

CIRCVMSTANTIA quinta eſt de eo, ad quod eligimur, hoc eſt, de vita æterna & beata. Quemadmodum enim primus homo conditus erat, vt ipſe cum ſua poſteritate beatus in Paradiſo viueret, ſeruata conditione obœdientiæ erga mandatum, quod Dominus ei dederat, videlicet, ne de fructu certæ cuiuſdam arboris guſtaret: Ita in ſecundo Adamo IESV CHRISTO, per quem à commerita damnatione redemti ſumus, promiſsionẽ habemus cœleſtis Paradyſi adeundæ. Sed, vt dictum eſt, cum cõditione pœnitentiæ ſeu fidei. Hæc cœleſtis Paradiſus fruitio æterna Dei eſt, in ſocietate perpetua caſtorum angelorum & hominum, qui in inuocatione filij Dei ex hac ærumnoſa vita migrant. Nam vt in Adamo primo miſerias ſempiternas commeriti ſumus. in eo enim & rei & immundi inuenimur: Sic in CHRISTO IESV ſecundo Adamo obtinebimus non noſtris meritis, ſed ipſius gratia ſempiternas voluptates in vita æterna. Nam & per illum à reatu abſoluimur, & eius ſpiritu ſanctificamur, vt iam nouam vitam meditari incipiamus. Huius nouę vitæ meditatio incoatio eſt æternæ vitæ, ad quam eligimur, in qua vita æterna, iuxta Pſalm. 16. erit abundantia deliciarum vultus Domini, & erunt iucunditates in dextera eius in æternum. Cum abundantiæ deliciarum meminit, ſignificat plenitudinem & ſaturitatem omnium rerum expetendarum, & ſtatum omnium bonorum copia perfectiſsimum. Vultus DOMINI, vt ſummum bonum, in quo acquieſcendum eſt, proponitur, vnde manant iucunditates in dextra DEI, id eſt, ſummæ deliciæ & ſpirituales voluptates ex contemplatione maieſtatis diuinæ, qua vt pallio veſtiti, glorioſi apparebimus in omñi æternitate. Horum bonorũ, quæ nulla mens in hac vita capere poteſt, perexiguum quendam guſtum ſentiunt pij in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hac vita, hoc eſt, qui vere credunt & aguntur ſpiritu Dei. Hinc fides noſtra accendatur, ac meditatione horum bonorum, quæ promittuntur perſeuerantibus vſq; ad finem, creſcat, vt inuicta ſe opponat obiectamentis omnibus Satanæ & carnis, ſtatuatq; hanc vocem filij Dei præferendam eſſe omnibus argutijs Diabolorum & hominum: Qui credit in filium, habet vitam æternam. Quiſquis enim credit, Chriſtum habet in ſe habitantem, qui eſt ſolus via vitæ æternæ.

SEXTA.

Sexta circumſtanria & vltima eſt, de finibus Electionis, qui ſunt duo. Quorum primus eſt, vt ſimus ſancti & irreprehenſibiles coram Deo. ita enim Paulus loquitur, Epheſijs ſcribens. Alter eſt, vt laudetur gloria ipſius à nobis, cum in hac vita tum in omni ęternitate. Quantũ autem ad priorem finem attinet, qui eſt, vt ſancti ſimus & irreprehenſibiles coram Deo, recte tempora diſtinguenda ſunt. Eſt enim tempus incoationis, quo ſancti ſumus, nõ perfectione virtutis, ſed imputatione ſanctitatis Chriſti, & incoatione nouæ obœdientiæ, qua ſegregamus nos à prophanitate mundi, & applicamus nos Deo, vt ſimus hoſtiæ placentes per Ieſum Chriſtum. Eſt & tempus conſumationis, quando actu ſancti erimus, & perfectione virtutis irreprehenſibiles. Mens enim perfectiſsima noticia Dei lucebit. Affectus omnes erũt puriſsimi. Cor ardebit perfecta dilectione Dei, atq; adeo totus homo anima & corpore integerrimus erit, in qua integritate conſeruabimur in omni æternitate. Qvantvm autem ad alterum finem attinet, qui eſt, vt laudetur gloria ipſius, ſciendum eſt, quod in hac vita iſte finis conſiſtat in puritate mentis, in agnitione Dei, in confeſsione, in cruce, atq; adeo in tota vita noſtra, vt multi noſtro exemplo inuitentur ad glorificãdum Deum. At poſt reſurrectionem cum caſtiſsimis Angelis Dei perpetuas laudes Dei perſonabimus. Atque ita recepta imagine Dei, pleniſsime Chriſto Domino corporibus & animis conformes erimus in omni æternitate. Hæc ſunt, quæ hoc tempore de Electione aſcribere placuit. Quæ omnia eo pertinent, vt excitent in nobis timorem Dei & perſeuerantiam in fide. Nam qui perſeuerauerit vſq; ad finem, ſaluus erit. Nemo proinde Deo imputet ſuum interitum, ſed potius cum Daniele cõfiteatur: Tibi Domine iuſticia, nobis autem confuſio faciei. Caueat igitur vnuſquiſque, ne peccandi petulantia & conſuetudine mereatur abijci cum Pharaone, Iuda & ſimilibus. Iuſte enim, vt ait Fulgentius, deſeritur à Deo, qui Deum deſerit. Relinquat proinde, vt idem ait, impius viam ſuam qua peccat. Relinquat iniquus cogitationem ſuam, qua de peccatorum remiſsione deſperat, & ſecundum Prophetæ dictum conuertatur ad Dominum, quia multus eſt ad ignoſcendum. In hoc multo nihil deeſt, in quo eſt omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors.

In obœdientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.

Hæc verba duplicem ſenſum recipiunt. Primum εἰς pro ב ponitur, & ב pro διὰ, vt in hunc modum reddi ſenſus poſsit: per inobœdientiã & aſperſionẽ ſanguinis Ieſu Chriſti. Atq; ita ad cauſſas ſalutis noſtræ referenda ſunt hæc verba. Nam vt obœdientia Chriſti, materialis ſalutis cauſſa eſt: Ita aſperſio ſanguinis formalis eſt. Nam vt obœdientia Chriſti nobis credentibus in iuſticiã imputatur: Ita aſperſione ſanguinis conſecramur Deo, vt ſimus ſancti. Videtur autẽ Petrus reſpicere ad ritum legis, qui deſcribitur Exod. 14. & accommodatur ἀντιτύπῳ Chriſto ad Hebr. 8. Atq; ita habemus in hac epigrapha omnes cauſſas ſalutis noſtræ. Efficiens eſt prænotio & electio. Materia, obœdientia Chriſti. Formalis cauſſa, aſperſio ſanguinis Chriſti. Finalis, ſanctificatio ad vitam æternam. His iam ſeruit inſtrumentalis cauſſa, Fides, quæ ſalutem accipit, quam offert Euangeliũ, in quo efficax eſt Spiritꝰ ſanctus, & quam obſignãt ſacramenta, Baptiſmus & Cœna Domini. Alter ſenſus, quem hæc verba recipere poſſunt, hic eſt, vt partes ſanctificationis noſtræ præcipuæ exprimantur, quæ ſunt, obœdientia, qua Deo iam regeniti obœdimus: & aſperſio ſanguinis Chriſti, id eſt, fides remiſsionis peccatorum per ſanguinem Chriſti. Verum prior ſenſus præſenti loco magis conuenire videtur.

Gratia vobis & pax multiplicetur.

Salutatio & fauſta precatio eſt, cõtinens ſummam beneficiorum Euangelij. Gratia, cum fauorẽ Dei gratuitum, tum dona, quæ Deus nobis fauens largitur, ſignificat. Pax, hoc loco, omnem proſperitatẽ notat. Hanc interpretationem pacis hoc loco requirit additũ verbũ, multiplicetur. Alias pax & gratia, diſtinguũtur vt cauſſa & effectus, vt gratia ſit fauor Dei gratuitus, Pax vero recõciliatio noſtri cum Deo, fauoris effectus. Porrò

cum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cum optat Apoſtolus Chriſtianis gratiá & pacem, triá haud obſcure ſubindicat. Primum, quod natura neq; in gratia Dei ſimus, neq; cum eo pacem habeamus. Nam iuxta Apoſtolicam doctrinam, filij iræ ſumus, & non pacis. Secundum, quod Deus ſit omnis gratiæ & pacis autor. Votum enim Apoſtoli dirigitur ad Deum, à quo petit gratiam & pacem dari hominibus. Tertium, quod hæc bona, gratia, pax, exemplo Petri petenda ſint à Deo pijs votis, & nobis & alijs optanda.

Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui, ſecundum multam ſuam miſericordiã, regenuit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſsibilem, conſeruatam in cœlis nobis, qui virtute Dei cuſtodimur per fidem ad ſalutem, quæ præparata eſt pateſieri tempore extremo.

Vt hoc exordiũ euchariſticon ſummam Euangelij proponit: Ita ſalutis cauſſas optimo ordine enumerat. Sũma Euangelij eſt, quod Chriſti merito contingat ſalus omnibus in ipſum credẽtibus. Cauſſa principalis ſalutis eſt, miſericordia patris cœleſtis im̃enſa, qua Deus præcognoſcit & elegit & ſaluat. Hac enim nos in dilecto complectitur, quam ob rem εὐδοκία etiã dicitur ad Epheſ. 1. Materia ſalutis eſt reſurrectio Chriſti, qua Synecdochicôs totum opus redemtionis intelligitur, videlicet obœdientia legis & crucis. Reſurrectionis autem præcipue meminit, cum quia in ea potentia Chriſti clarius conſpicitur, tum quia vitæ æternæ infallibile eſt teſtimonium & cauſſa. Via autem ſeu ratio conſequendi oblatam in Euangelio ſalutem, exprimitur cum ait: Qui regenuit nos in ſpem viuam. Hic actio Dei cõſideranda eſt in hominis noua natiuitate, qua videlicet formatur nouus homo ſeu noua creatura ad imaginem Dei. Deus enim regignit hominem per prædicationem Euangelij, in qua Spiritus ſanctus efficax eſt, & operatur fidem, cum qua coniuncta eſt regeneratio, quæ eſt ſanctificatio noſtri, in alijs maior, in alijs minor, pro fidei menſura. Qui ergo credit, nouus homo eſt natus, idq; ex Deo per renouationem Spiritus ſancti. Huius nouæ natiuitatis finem addit, cũ inquit: In ſpem viuá, cuius ſpei obiectum eſt hæreditas, quæ nec perire poteſt, vt mundi diuitiæ: nec cõtaminari abuſu, nec marceſcere antiquitate, vtpote quæ in cœlis ſeruetur, vbi nulla corruptio, null⁹ abuſus, nulla deniq; defectio inuenitur. Verum quia omnibus hæc tanta hæreditas non obtingit, diſcernit inter huius hæreditatis veros hæredes, & alios, qui ab hac hæreditate excludũtur. Veros hæredes pronunciat eos, qui virtute Dei per fidem cuſtodiuntur, donec ſalutem patefaciendã in extremo die conſequantur. Eſt proinde fides inſtrumentum, quo & hæc hæreditas apprehenditur, & qua ſeruatur & poſsidetur. Obſeruentur hoc loco ſalutis noſtræ cauſſæ optimo ordine diſtinctæ, & admoneamur fidei, qua ſola tanta hæreditas apprehenditur & poſsidetur. Hanc qui habet, nouus homo eſt effectus, qui vt Chriſti vita viuit: Ita actiones huius nouæ vitæ edere debet. Hinc & illud manifeſtum redditur, quod plane vani ſint & mendaces, qui Chriſti ſe nomine ac fide iactant, ſed interim vitam viuunt ſceleratã, ſubinde contra cõſcientiam impingentes. Nam cum fides ex verbo virtute Dei generatur, & ex fide fit natiuitas noua: qui fieri poteſt, vt is veram fidem habere dicatur, qui nouæ vitæ nouas actiones nullas oſtendit? Etſi enim vere dicitur, Sola nos fide iuſtificari, & filios Dei naſci, noui tamen facti homines, vt nouæ vitæ actiones edamus oportet.

Qua in re exultatis triſticia paululum, nunc (ſi opus eſt) per varias tentationes affecti.

Quis vſus ſit ſpei in ęrumnis huius vitæ, quibus tentamur, exponit. Vult enim nos conferre pręſentes ęrumnas cum futuro gaudio, & inde animum noſtrũ cõfirmare & erigere, quoties tentationũ procellis agitamur. Hic quidem ſunt variæ tentationes, illic vero plena ſalus. Hic ad breue admodũ tempus cruciamur, illic perpetuo viuemus: modo vſque ad finem in fide perſtiterimus, non fracti calamitatibus huius vitæ. Hic locus de cruce pleniſsime tractatur ad Rom. 8. Et pluribus argumentis firmiſsimis munitur. Parentheſis, (ſi opus eſt) vtilem doctrinam continet, videlicet, quod nemo ſibijpſi crucem accerſere debeat, ſed eam ferat patienter, quæ diuinitus ei impoſita fuerit.

Vt exploratio fidei veſtræ multo precioſior auro, quod perit, & tamen per ignem probatur, inueniatur in laudẽ & ho-

Exultationis ſub cruce, id eſt, pátientiæ effectum exprimit. Fides auro confertur, afflictio igni. Vt

norem, & gloriam in reuelatione Ieſu Chriſti.

enim aurum igne exploratur purum ne ſit an non: ita fides afflictionibus probatior redditur. Et quemadmodum aurum, ſi purum inueniatur, in magno precio habetur, etſi tandem peribit: Sic fides, quæ immota ſub tentationibus perſtiterit, cedet ſuis poſſeſſoribus in laudẽ, in honorem & gloriam, quando videlicet filius Dei in ſecundo aduentu ſuo iudicaturus eſt viuos & mortuos. Exempla huiuſmodi fidei ad Heb. 11. multa recenſentur, quæ faciunt ad huius loci declarationem. Atticiſmus eſt exploratio fidei pro explorata fide.

Quem cum non videritis, diligitis, quem cum nunc non cernatis, ei tamen credentes exultatis gaudio ineffabili & glorioſo.

Effecta viuæ fidei recitat, dilectionem Chriſti, & gaudium ſpiritus ineffabile. Fidelis enim homo, cum Chriſtum autorem ſalutis & fontem omnium bonorum cogitat, ad ipſum diligendum accenditur, & cum perpendit è quantis malis ſit liberatus, & ad quantam gloriam olim per illum euehendus ſit, ineffabili gaudio & glorioſo perfunditur. Cæterum, vt dilectionis huius comes eſt obœdiẽtia erga Chriſtum, iuxta illud: Qui me diligit, verba mea ſeruabit: Ita gaudij huius ineffabilis fructus eſt inuicta animi fortitudo, & glorioſus in cruce triumphus, quem ſuo tempore ſequetur immortalitatis gloria. Obſeruetur hoc loco, quæ germanæ & veræ fidei natura ſit. Non eſt enim (vt hypocritæ exiſtimant) ocioſa, ſed vere actuoſa eſt, vt quæ edat fructus iuſticiæ dulciſsimos, internos & externos.

Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.

Qualis tandem futurus ſit exitus fidei exponit. Vt enim hic Chriſtum autorem ſalutis apprehendit fides: ita exitus ſeu finis erit ſalus animarũ. Hic locus aperte duos errores Papiſticos refellit. Vnum quo aſſeritur, quod fides ſit tantum initium ſalutis perficiendæ operibus. Alterum, quo ſtatuitur eſſe ignis purgatorius, quo Chriſtianorũ animæ purgentur à morte: quod ſi verum eſſet, nequaquam recte à Petro diceretur, quod finis fidei ſit animarum ſalus.

De qua ſalute exquiſiuerunt & ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de gratia vobis præſtita vaticinati ſunt, ſcrutantes in quem aut cuiuſmodi temporis articulum ſignificaret, qui in ipſis erat ſpiritus Chriſti, prius ſignificans venturas in Chriſtum afflictiones, & quæ ſecutæ erant glorias, quibus reuelatum eſt, quod non ſibijpſis, ſed nobis adminiſtrabant, hæc quæ nunc annunciata ſunt vobis, per eos qui prædicant vobis Euangelium, per Spiritum ſanctum miſſum è cœlo, in quæ deſiderant Angeli proſpicere.

Occupatio eſt, qua anteuertit obiectionem eorum, qui doctrinam Euangelij tanquam nuper natam aſpernabantur, quam longe antea à Prophetis propoſitam fuiſſe teſtatur. Verũ quia in hac pericopa plures ſunt doctrinæ, eam in ſuas partes retexam. Primum ergo cum dicit, Prophetas exquiſiuiſſe & ſcrutatos fuiſſe de ſalute, quę per Euangelium annunciatur, ſignificat doctrinam Euangelij non nouam eſſe, aut nuper natam, ſed iam inde vſq; ab initio mundi fuiſſe propoſitam à ſanctis Dei Prophetis. Eſt enim ſummus conſenſus Moſis, Prophetarum & Apoſtolorũ, qui omnes ſunt interpretes primæ promiſsionis de Semine mulieris, contrituro caput Serpentis. Secundo, ne quis miretur. cur iſto tempore potius quam alio, placuerit Deo filium mittere, decit à Prophetis articulum temporis & inquiſitum & demonſtratum fuiſſe. Nam & Iacob Patriarcha ſignum aduentus Domini, ablatum ſceptrum de Iuda, propoſuit, & Daniel annum peragendæ victimæ & adducendæ æternæ iuſticiæ indicauit. Tertio, vt fides Prophetis adhibeatur, affirmat eos non proprio motu locutos, ſed per ſpiritum Chriſti, qui in ipſis erat, edoctos, quemadmodum fuſius explicat Apoſtolus noſter in primo poſterioris epiſtolæ. Quarto, ſummam doctrinæ Prophetarum de Chriſto colligit, cum eos vaticinatos eſſe pronunciat de eius in carnẽ aduentu, de paſsione & glorificatione, de miſsione Spiritus ſancti è cœlo, de confirmatione Euangelij, de inſtructione Apoſtolorũ per ſpiritũ ſanctum, miſſum è cœlo die Pentecoſtes, & de Euãgelio annunciando per vniuerſum orbem. Quinto, extrema exordij particula, in quæ Angeli cupiunt introſpicere, eo pertinet, vt humanam curioſitaté in examinandis diuinis myſterijs refrenet & corrigat. Nã ſi Angeli adhuc non

hucnon intelligunt iſtorum myſteriorum rationem, ſed eam expectant, donec cum illis & nos in æterna vita erudiamur: Simus & nos contenti ea cognitione, quę nobis voce Prophetarum & Apoſtolorum patefacta eſt. Præter has doctrinas nunc propoſitas ex verbis Apoſtoli duo colligamus: Primum, quæ in nouo teſtamento legimus, ex veteri ſtabiliri. Huc pertinet præceptum Domini: Scrutamini ſcripturas, illæ enim de me teſtificantur. Alterum, cordate contemnere eos, qui vel ſcripturam aſpernantur, vel illi præferunt humanas doctrinas, quemadmodum in Papatu fieri videmus.

Quapropter ſuccincti lumbis mentis veſtræ, ſobrij, perfecte ſperate in eam, quæ ad vos defertur, gratiam, in reuelatione Ieſu Chriſti.

Ex eo quod gratiam Chriſti, quæ offertur per Euangelium, iam longo exordio prædicauerat, infert propoſitionem ſuaſoriam, qua hortatur gentes, vt perfecte, id eſt, ſincere & ſine fuco ſperent in eam gratiam, quæ offertur illis per reuelationem Ieſu Chriſti, id eſt, per prędicationē, qua patefit ipſis Ieſus Chriſtus. Verum, quia hanc ſpem impedit caro, vult vt ſuccinctis lumbis mentis, & ſobrij iter ingrediantur, vt ad ſalutem propoſitā perueniant. Metaphora lumborū ſumta eſt ex vetuſtiſsimis orientalium moribus, qui, cum prælongis vterentur veſtibus, non poterant niſi ſuccincte iter facere. Hac metaphora vſus eſt Chriſtus, cū inquit: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ accenſæ. Vt autem lumborū cinctura impedimentis quibuſuis animi & corporis opponitur, & currēdi alacritatem, donec ad metam peruenerimus, nobis commendat: Ita ardentes lucernę ignorantiæ tenebris opponuntur, & certam directionē ſequi monent, ne quis currendo à recta aberret via. Eſt autē lucerna verbū Dei, iuxta dictum Dauidicum: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et ad Philip. 2. Inter quos lucete tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ prætendentes. Porrò quod Petrus addit, νήφοντες, id eſt, ſobrij hoc Chriſtus vigilandi verbo expreſsit Matth. 14. Marc. 13. & Luc. 12. Sed diuerſa metaphora. Vult vterq; carnis illecebras, mundi curas, falſas & vanas opiniones abijci, quibus homines ebrij & ſopiti in hoc mundo non ſunt idonei ad hoc gratiæ iter ingrediendū. Obſeruetur inprimis hæc Apoſtoli exhortatio, quam ex fonte ſapientiæ, hoc eſt, ex ore magiſtri ſui hauſit. Hac monemur, vt ad migrandum ſemper ſimus parati, nullamq; fixam quietamque ſtationem alibi quæramus, quam in cœlo: quod ſane nequaquam fieri poteſt, priuſquam omnia impedimenta carnis & mundi ſublata fuerint.

Tanquam filij obœdientiæ.

Prima ratio propoſitionis à debito officio. Cum vos iam ſitis filij Dei effecti per gratiam, par eſt vt vos geratis, vt filios obœdientes decet. Monebit igitur nos adoptionis gratia, vt ſanctitati & puritati vitæ ſtudeamus. Qui autem hoc non facit, contumax eſt, & adoptionis gratia excidit. Vtrunq; igitur nos inuitet ad ſtudium innocentię, adoptionis dignitas, & contumaciæ pœna.

Non conformantes vos priſtinis in ignorantia veſtra cupiditatibus.

Secunda ratio à vitæ ſtatu ſumitur. Cum olim in ignorantia viueretis, cupiditatum malarum ſerui fuiſtis: at hic ſtatus veſter, in quo ex ignorantiæ tenebris exiuiſtis, aliam vitam & alios mores poſtulat.

Sed vt is, qui vocauit vos, ſanctus eſt, ipſi quoq; ſancti in omni conuerſione reddamini.

Tertia ratio eſt à vocantis DEI conditione. Is qui vocauit vos in ſuam familiam, videlicet DEVS, ſanctus eſt. Igitur & vos ſanctos eſſe oporteat.

Propterea ſcriptum eſt, Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.

Teſtimonio ſcripturæ tertiā rationem munit. Habetur autem hoc teſtimonium in Leuitico, vbi ter hoc præceptum repetitur, nempe 11. 19. 20. capitibus, in quib. locis ſanctitas pollutioni opponitur.

Et, ſi patrem cognominatis eum, qui citra reſpectum perſonarum iudicat. ſecundum cuiuſque opus, in timore incolatus veſtri tempus tranſigite.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quarta ratio à neceſſario ſumta. Si cœleſtis patris filij vultis nuncupari, vt eius veſtigijs in ſanctitate vera inſiſtatis neceſſarium eſt. Rationem ex eo cōfirmat, quod Deus ſit ἀπροσωπολήπτης, vt qui non perſonarum qualitatem, ſed rerum exquirat differentiam. Habet ergo hæc ratio ſignificationem abdicationis, ſi patri non morem gerant filij. Hic obſeruetur antitheſis, qua opus perſonæ, & reſpectus ſeu qualitas perſonę veritati operis ſeu cauſſæ opponuntur. Secundum opus ſeu cauſſam iudicat is, qui regulam legis in iudicando ſequitur, nulla habita perſonę ratione. Secundum perſonam ſeu reſpectum perſonæ iudicat, qui regulam legis in iudicando negligit, & perſonæ tantum rationem habet propter fauorem vel odium. PORRO, quia hoc loco, & ſimilibus abutuntur Papiſtæ, vt euertant totius ſcripturæ conſenſum de gratuita iuſtificatione, & ſalute, breuiter hoc loco ſolutionem ſophiſmatis Papiſtarum aſcribam. Cum ergo obijciunt: Deus iudicat quemq; ſecundum opus, aut reddit vnicuiq; iuxta opera ſua, omnium primum huiuſmodi ſententias generales ſecundum normam iuſticiæ Dei (qua contumaces decreuit reijcere, & credentes omnes in gratiam recipere) applicemus duobus generibus hominum, impijs quidem legaliter, pijs vero Euangelice. quando impijs reddet Dominus ſecundum opera eorum, non eſt dubium quin redditurus ſit ipſis infernum & damnationem. At cum de conuerſis quæritur, plura ſpectanda ſunt. Primum, quod vita æterna non ſit ſeruorum ſtipendium, ſed filiorum hæreditas. Rom. 6. Donum Dei vita æterna in Chriſto Ieſu domino noſtro. Deinde, analogia conſideranda eſt inter patrem terrenum, & patrem cœleſtem. Nam ſicut pater terrenus ſuis liberis, qui ſunt naturæ lege hæredes, promittit obœdientibus hæreditatem: Ita Deus pater cœleſtis ſuis etiam filijs hæreditatem gratuitam promittit, quam tamen dicit ſe redditurum ſecundum opera illorum. Verum ne hic erretur, quatuor circumſtantiæ ſunt ſpectandæ. Prima, quod pijs rigor legis ſit ſublatus per Chriſtum. Nulla enim eſt condemnatio ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Secunda, quod perſona credens placeat propter iuſticiam Chriſti ſibi imputatam (credenti enim Chriſti imputatur iuſticia) & ſit hæres vitæ æternæ. Tertia, quod Deus non ſolum à perſona credente, & placente propter iuſticiam Chriſti requirit obœdientiam, verum etiam promittit mercedem, idq; non ex debito propter dignitatem operis, ſed ex gratia propter beneuolentiam paternam, qua promiſit operibus remunerationem. Quarta, quod opera ſic facta ex fide à perſona placente propter Chriſtum, ſint teſtimonia fidei, vt effectus proprij certiſsima ſuæ cauſſæ ſunt indicia. Atque ideo dicitur Deus ſuis reddere mercedem ſecundum opera, quia vera indicia ſunt timoris Dei & fidei, & vt teſtetur tota creatura de iuſticia Dei in iudicando.

Cum ſciatis, quod non caducis argento aut auro redemti ſitis, ex vana veſtra conuerſatione, à patribus accepta. ſed precioſo ſanguine Chriſti, incontaminati agni, præordinati quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati vero in extremis temporibus propter vos, qui excitauit Chriſtum à mortuis, vt fides veſtra & ſpes ſit in Deum.

Quinta ratio à iure gentium ſumta. Serui debent obœdire non ei, cuius olim fuerant ſerui, ſed ei qui iam eos precio emerat. Chriſtiani non amplius debent eſſe ſerui mundi, ſed Chriſti, qui eos ſuo precioſo redemit ſanguine. Igitur Chriſtiani, renunciato mundi imperio, Chriſto domino obœdientiam debent. Hæc argumenti ſumma eſt. Quod, quia præcipuum eſt, copioſe ab Apoſtolo exponitur, & amplificatur, idq; primum per collationē conuerſationis veteris (qua ſub patrum ſuorum legibus vixerunt) & noui ſtatus, in quo Chriſto nomina dederunt. Loquitur autem hic de ijs patribus, de quibus Ezechiel cap. 20. vbi inquit: In præceptis patrum veſtrorum ne ambuletis, & iudicia eorum ne cuſtodiatis, & idolis eorum ne polluamini, ſed in præceptis meis ambulate. Deinde per collationem precij agni immaculati Chriſti, quod inæſtimabile eſt, & perpetuo durat, & precij caduci & momentanei auri & argenti. Si ergo illi ſerui, qui auro & argento emuntur, iure obtemperant illis, à quib. emti ſunt, multo magis par eſt, vt Chriſtiani Chriſto obtemperent, qui eos proprio redemit ſanguine. Præterea, per collationem promiſſi Chriſti, & exhibiti, in qua collatione hæc mihi videtur incluſa eſſe ratio. Sancti patres, qui Chriſtum olim promiſſum expectarunt, in eum crediderunt, eiq; obtemperarunt. Igitur vos quoq;, quib. iam Chriſtus exhibitus eſt, & qui ſcitis ipſum excitatum ex mortuis, & donatum gloria à patre, debetis ipſi obœdientiam, modo fides & ſpes veſtra in Deum ſit. Atq; ita multæ particulares rationes ſæpe in vno principali argumento latitant, quæ explicatæ & illuſtrant & amplificant principale argumentum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Poſtquam animas veſtras purgaſtis obœdientia veritatis per ſpiritum, caritate fraterna abſq; ſimulatione, ex puro corde alij alios diligite impenſe.

Tranſit ad aliam paræneſin. Poſtquam enim hortatus eſt ad ſpem gratiæ, oblatæ per Euangelium firmam, ad cincturam lumborum mentis, ad ſobrietatem animorum & affectuum (Quæ omnia vno ſanctificationis nomine continentur) Iam ad proximos deſcendit, hortaturq;, vt nos inuicem fraterna complectamur caritate, quæ vt ex puro corde procedere debet: Ita aberit ab omni hypocriſi. Similis ſententia habetur 1. Timoth. 1. vbi ita inquit Apoſtolus: Finis præceptionis eſt dilectio ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Verum quia Petrus nouit in noſtra corrupta natura, priuſquam noui facti fuerimus homines, nihil eſſe puri, nihilq; ſinceri, ante hanc exhortationem ad fraternam caritatem cauſſas enumerat, ex quibus hæc fraterna dilectio manat. Poſtquam inquit, purificaſtis animas obœdientia veritatis per ſpiritum. Hæc verba duas cauſſas fraternæ dilectionis continent, quæ nequaquam ſunt in prophanis hominibus. Sunt autem hæ cauſſæ, obœdientia veritatis, & ſpiritus ſanctus, qui in verbo veritatis, quod eſt Euangelium, eſt efficax. Hæc verba Petrus ex pectore magiſtri ſui ſuxit: Ita enim ait Dominus Ioan. 15. Et vos mundi eſtis propter ſermonem, quē loquutus ſum vobis. Hæc ergo mundicies, tum demum contingit, quando audito & credito ſermone veritatis, Chriſto inſerimur. Atq; ideo Chriſtus in eadem concione ſubiungit: Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſeipſo: Ita nec vos, niſi in me manſeritis. Fons ergo & origo non ſolum mutuæ dilectionis, verum etiam omnis operis boni, eſt ſpiritus Chriſti quo aguntur fideles. Quicquid fit ſine hoc ſpiritu, qui eſt omnis bonæ actionis fundamentum & cauſſa, hypocriſi & mentis impuritate inquinatum eſt, quantumuis præclarum & ſanctum coram oculis hominum appareat.

Renati non ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per ſermonem viuentis Dei & manentis in æternum.

Ex virtute renaſcentiæ mutuum caritatis affectum elicit. Oportet renatum naturam ſeminis referre, vnde renatus eſt. Nos non ſumus renati ex mortali ſemine carnis, vnde fuit prior noſtra natiuitas, ſed ex ſemine immortali. videlicet ſermone viuentis & manentis Dei in æternum. Igitur iam non naturam mortalis ſeminis, ſed immortalis referre debemus. Proinde caritas iam pura in renatis eſſe debet ſine hypocriſi, quæ primæ natiuitatis noſtræ & mortalis ſeminis vicium eſt.

Nam omnis caro vt gramen eſt, & omnis gloria hominis vt flos graminis. Exaruit gramen, & flos eius decidit, at verbum Domini manet in æternum. Hoc autem eſt verbum illud, quod eſt euangelizatum vobis.

Mentionem ſeminis mortalis & immortalis fecit: nunc per amplificationem illuſtrius diſcrimen vtriuſque facit. Semen mortale ſeu corruptibile carnis nomine ſignificatū inſtar graminis eſt, & quicquid inde pullulat, inſtar floris eſt, qui durat ad exiguum tempus. At ſemen immortale, ſeu incorruptibile, quod eſt verbum Euangelij, manet in æternum Obœdientia igitur, quæ præſtatur à conuerſis per prædicationem Euangelij, fructus eſt iuſticiæ, qui & placet Deo & durat in æternum, modo ne culpa noſtra gratia rurſus exciderimus. Porro ne gentes de illo verbo dubitent, quod definit eſſe ſemen immortale, addit Petrus illud ipſum verbum eſſe, quod ipſis antea ſit euangelizatum. Iam argumentum, quod in his verbis continetur, videamus. Quicquid glorioſum, & pulcrum naſcitur ex ſemine mortali, id eſt, ex carne, tantum ad breue tempus durat, & quicquid ex ſemine immortali naſcitur, nunquam marceſcit, ſed durat in perpetuum. Igitur, cum diuturniora bona præferenda ſunt minus diuturnis, debet caritas (qua nos mutuo complectemur) quæ huius immortalis ſeminis quidam flos eſt, perpetua eſſe & conſtans.

CAPVT II.

Summa Capitis ſecundi.

Vt renunciata omni iniuria proximorum, & carnalibus concupiſcentijs abiectis, adoptione digne & decenter in ſubiectione & patientia viuant Chriſtiani, hortatur Apoſtolus.

Ordo & partes Capitis ſecundi.

Plures ſunt huius capitis partes, quæ omnes inter ſe connexæ ſunt, & pertinent ad eundem ſcopum. Primo loco infert ex fine primi capitis dehortationem ab iniuria proximorum, & exhortationem ad innocentiam vitæ. Vnde occaſionem nactus, dilabitur in deſcriptionem Chriſti ex Eſaia Propheta, oſtendens prædictam fuiſſe defectionem populi Iudaici à Chriſto, & aſſumtionem gentium in gratiam. Id quod teſtimonio Oſeæ Prophetæ confirmat. Tertio loco redit ad exhortationem. Hortatur enim conuerſos, vt abiectis carnalibus concupiſcentijs, decenter inter gentes viuant in gloriam Dei. Quarto, ad ſubiectionem inuitat, quo & alia quædam pietatis officia add.t. Quinto, ſeruos compellat, eoſque hortatur, vt ſuis dominis patienter obtemperent. Vnde ſexto loco, ab hypotheſi ad Theſin aſcendens, de patientia præcipit.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PROINDE depoſita omni malitia, & omni dolo, & ſimulationibus, & inuidentijs, & omnibus obtrectationibus, tāquam modo geniti infantes lac rationale & dolo vacuum appetite, vt per illud adoleſcatis.

Infert Apoſtolus ex fine proximi capitis hanc parænesin, quæ hoc modo ſuperioribus accōmodabitur. Vos ex immortali ſemine, videlicet verbo Dei, iam recens nati eſtis. Ergo lac appetite conueniens iſti nouæ geniture, hoc eſt, talem vitam viuite, qualem requirit hæc noua natiuitas. Atque ita lactis nomine ſignificatur conſentanea ſimplici infantiæ viuendi ratio. Hunc eſſe ſenſum Apoſtoli manifeſte ex antitheſi apparet. Nam lac, etſi alias pro ipſo verbo Dei ſumitur, hoc tamen loco vicijs quæ enumerat, vt infantia vetuſtati naturæ, opponitur. Cum autem hoc lac rationale & vacuum dolo vocat, requirit in vita Chriſtiana prudentiam & ſimplicitatem, iuxta præceptū Domini: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Vult quidem nos ſimplices & puros eſſe, ſed nō malicia, & non ſenſibus: & vult nos [illegible]ri, ſed recta intelligentia condito, vt ſit temperata ſimplicitate prudentia. Cum vitia quib. lac rationale & expers doli opponitur, enumerat, non quidē omnia recenſet, ſed quædā tantum exempli gratia, quorū poſteriora à prioribus naſcuntur, vt ſunt, malitia (hoc eſt nocēdi cupiditas, quæ dilectionis fonti aduerſatur) dolus (qui à malicia oritur) eſt, cum alicui fallacia tenditur. Simulatio à malo dolo orta eſt, cum aliud foris apparet, quā in animo latet. Inuidia ſimulationis comes eſt, cum quis alieno cōmodo cruciatur. Obtrectatio ita inuidentiæ proles eſt, quæ alienę famæ inſidiatur. Auguſtinus inter maliciā & inuidiam ita diſtinguit. Malicia, inquit, malo delectatur alieno. Inuidia bono cruciatur alieno, & addit, dolus duplicat cor: adulatio duplicat linguam: detractio vulnerat famam. Porrò hic locus Petri clare docet, quid apportemus nobiſcū ad Chriſtum, quando per Euangelium renaſcimur, videlicet tunicam maculatam, & onus graue non meritorum congrui & cōdigni cumulo, ſed peccatorum nos prementium pondere. Hoc onus, qui ad Chriſtum veniunt, deponere debent, quia cum noui homines facti ſunt, nouos mores induant neceſſe eſt.

Siquidem guſtaſtis, quam benignus ſit Dominus.

Cum ſeruorum alacritas ſępe benignitate dominorum excitari ſoleat, rationem præſtandæ obœdientię petit Apoſtolus ex conſideratione benignitatis Domini erga nos. Ac ſi dicat: Cum vos, qui ob veſtrū peccatum aliquando maledictioni & iræ Dei ſubiecti eratis, iam tandē ex gratia Dei reconciliati eſtis, precioſo ſanguine Ieſu Chriſti Domini veſtri, vtiq; par eſt, vt tam benigno Domino obſequentes ſitis. Quid enim turpius eſt, quam benemeritis gratiā non rependere? Guſtandi verbo vſus eſt Petrus ꝓpter metaphorā lactis, & ſimul alludit ad Pſalm. 34. in quo Dauid inſtituit exhortationē ad guſtandam bonitatem Dei hiſce verbis: Guſtate & videte quam bonus ſit Iehoua, Beatus vir, qui ſperat in eo: niſi quod Petrus ſecutus ſeptuaginta interpretes pro thob Ebraico, χρηστὸς poſuit. Eſt autē χρηστὸς, qui ſe alijs vtendum præbet,

præbet, ſeu qui alijs eſt commodus, & ſuam bonitatem alijs communicat. Hoc modo & Paulus hac voce ad Titum ſcribens vſus eſt, vbi inquit: Quando χρηςότης & φιλανθρωπία Dei apparuit. Hanc χρηςότητα interpretatur, quod Deus ex mera gratia nos per lauacrum regenerationis ſaluos fecerit.

Ad quem accedentes, lapidem viuum (ab hominibus quidem reprobatum, apud Deum vero electum & precioſum) & ipſi veluti viui lapides ædificemini domus ſpiritualis, ſacerdotiũ ſanctum, ad offerendum ſpirituales hoſtias, acceptas Deo per Ieſum Chriſtum.

Alia eſt propoſitionis ratio, à deſtinatis ad finē ſumta. Qui ad Chriſtum accedunt lapidē viuum, ſimul virtute ipſius, & lapides viui efficiũtur, vnde domus ſpiritualis cõſtruitur, & in ſacerdotes vnguntur, ad offerendũ Deo ſpirituales hoſtias. Proinde pareſt, vt depoſita omni proximi iniuria, omniq; impuritate & prophanitate, pie ſancteq; viuant. Hæc argumenti ſuma eſt, cuius antecedens veteris typi expoſitio eſt. Nam ad veteris templi ſtructuram reſpicit, quod templũ Eccleſiæ Chriſti typus quidam fuit. Vt enim in illo fuit fundamentum, fuit ſuperextructũ ex multis lapidibus ædificium, fuerunt ſacerdotes & hoſtiæ: Ita in Eccleſia Chriſti, Chriſtus ipſe fundamentum eſt, ſinguli fideles viui lapides, & ſacerdotes offerentes ſpirituales hoſtias. Sed vt illic omnia mortua & carnalia (ſi ſigna à veritate ſeparas) Ita hic viua & ſpiritualia omnia virtute eius, qui ſua potentia diuina reſurrexit à mortuis. Vt autem hoc argumentum plenius intelligatur, illud in ſuas partes, quæ particulares quaſdam rationes continent, retexam. Primo igitur loco affirmat Apoſtolus, quod omnes accedentes ad Chriſtum (accedunt autē qui credunt) cũ eo vnam domum ſpiritualē conſtituant, ſeu vnum templum efficiant, id eſt, vnam ſanctã & Catholicam Eccleſiam, adeo vt ſancti patres omnes, qui ante Chriſti aduentum vixerunt, & nos qui hodie credimus, vnum ſimus templũ Dei. Verum hoc interim eſt obſeruandum, quod nõ ſolum omnes pij, qui fuerunt, & ſunt, & qui olim acceſſuri ſunt, vnum tēplum, vnamq; ſpiritualē domum conſtituant, verum etiam particulares cœtus piorum, atq; adeo ſinguli credentes templa Dei recte dicantur, Sed ad illud vniuerſale templum & Catholicũ pertinentes, tanquam eius membra quædam ſeu viui lapides. Hoc confirmatur 1. Corinth. 6. An neſcitis, quod corpus veſtrum templum ſit Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo? 1. Corint. 3. Templum Dei ſanctum, quod eſtis vos. Quiſquis templũ Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Hinc ergo huiuſmodi ſumatur exhortatio. Nos credentes vna cum Chriſto vnum templum Dei ſumus. Igitur nõ ſolum puros & ſanctos nos eſſe decet (Quid enim indignius quam ſanctiſsimum Dei templum vlla impuritate prophanare?) Verum etiam vnius Dei cultores nos eſſe oportet, abiectis veteribus idolis, quæ coluimus ante cõuerſionem ad Chriſtum. Huc pertinet illud Pauli ſecundæ Corinth. 6. Quæ eſt conſenſio templi Dei cum idolis? Huc dictum Barnabæ comitis Pauli, quod citatur à Clemente Stromatheon ſecundo, pagina 161. in Florentinis exemplaribus. Antequam, inquit, crederemus Deo, domicilium corruptibile & fragile cordis noſtri erat templũ vere manu factum, quia erat plenũ idololatria, & erat Dæmonum, propterea quod faceremus quæ erant Deo contraria. Sed attendite, vt templum Domini glorioſe ædificetur. Quomodo? Accipiendo remiſsionē peccatorum, & ſperando in nomen Chriſti, fiamus noui & denuo creati, eo quod in domicilio noſtro vere Deus habitat. Quomodo? Quando habitat in nobis ſermo Filij ipſius, vocatio promiſsionis ipſius, ſapientia iuſtificationum, & mandata doctrinæ. DEINDE, cum Chriſtum pronunciat viuum lapidem, cui adiuncti per fidem etiam viui efficimur lapides, eius nimirum virtute, indicat, quod hæc vita Chriſti nunc in nobis efficax eſſe debeat ad pie ſancteq; viuendum. Quod autē in parentheſi incluſi, occupatio eſt. Occurrit enim Apoſtolus ſcandalo crucis & defectionis Iudæorũ à Chriſto, huic ſcandalo mederi conatur, concedens quidem Chriſtum reprobatũ eſſe ab hominibus, ſed interim eundem electum, hoc eſt, eximiũ & precioſum apud Deum. Hic Chriſtus dicitur lapis electus, non reſpectu reproborum, ſed comparatione reliquorũ lapidum eiuſdem ædificij, quibus multis modis excellētior eſt. Verum cum Chriſtus dicit apud Matthæũ: Multi ſunt vocati, pauci vero electi, Electi dicuntur comparatione ad illos, qui verbum quidem audiunt, ſed non vitam dignã Euangelio viuunt. Carent enim viua fiducia in Deum, indulgent ſuis cupiditatibus, & viuunt ſine pœnitentia. Præterea cum nõ ſolum domũ ſpiritualem Chriſtianos appellat Apoſtolus, verum etiam ſanctũ ſacerdotium, hoc eſt, ſacerdotes ſanctos, vt qui ſanctitate induti, hoſtias Deo offerre debeant, addit illis acriores, ad pie ſancteq; viuendum ſtimulos. Nam ſi Aaronici ſacerdotes ab imundicia ſe merito ſeruarunt puros in templo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

o perituro miniſtraturi, multo magis par eſt, vt Chriſtiani, qui ſanctificati ſunt ſanguine Chriſti, ſe incōtaminatos cuſtodiant. Addit & ſtimulum pijs, quod ſubiungit Apoſtolus de hoſtijs: Ad offerendum, inquit, ſpirituales hoſtias. Dicitur autem ſpiritualis hoſtia omnis obœdientia, quam Chriſtiani ex ſpiritu fidei præſtant, ſiue ſit interna, ſiue externa. Vnde Paulus ſuum laborem in prædicando Euangelio cultū ſpiritualem appellat. Non ergo ſpiritualis hoſtia dicitur ab operis qualitate, ſed ex qualitate animi operantis, à cauſſa efficiente, & finali. Cum autem obœdientia noſtra, quæ ex fide fit, hoſtia dicitur, ſignificatur quod grata ſit Deo. Vnde ad Ebræos beneficentia erga proximum dicitur hoſtia, qua delectatur Deus. Verum ne quis obijceret, iſtam noſtram obœdientiā vt imperfectam, ita multis modis contaminatā eſſe, ideoq; non eſſe adeo Deo acceptam, Apoſtolus occurrit iſti obiectioni, pronuncians hoſtias Chriſtianorū acceptas eſſe, non ſuæ perfectionis aut dignitatis reſpectu, ſed per & propter Ieſum Chriſtum, cuius cum iuſticia ornati prodimus in templum Dei ſanctum, non apparemus vt peccatores, ſed placemus, vt dilecti filij in dilecto.

Propterea etiam continet ſcriptura: Ecce pono in Sion lapidem angularem, electum, precioſum, & qui crediderit in illo, non pudefiet.

Quia Chriſtū lapidem precioſum appellauit Apoſtolus, id ſibi probandum duxit ſcripturæ teſtimonio, petito ex 28. capite Eſaiæ, in quo teſtimonio nō tam verba Prophetę quam ſenſum ſpectat. Nam nec ſeptuaginta interpretes imitatur, nec Ebraicas voces ad verbum reddit, ſed ſolo ſenſu in genere contentus eſt, & probat Chriſtum lapidem electum & precioſum eſſe, adeo vt qui in ipſum crediderit, non pudefiat, id eſt, non ſuffundatur pudore fruſtratus ſua ſpe. Hæc ſumma ſententiæ eſt. Verum quia Eſaiæ verba continent pulcerrimam Chriſti & Eccleſiæ deſcriptionem, ea aſcribam & breuiter declarabo.

[ECCE, inquit, ego ponā in Sion lapidem, lapidē probationis, angulū precioſum, fundamentum fundatū, qui credit, non feſtinabit.] Hic primū Chriſtus dicitur lapis probationis, cum, quia ad illum totum ædificium probandum eſt, tum etiam quia præ alijs probatus eſt, ſeu vt Petrus loquitur, electus. Deinde dicitur angulus, quia totam ædificij molem ſuſtinet. Ad hæc fundamentū ſolidum appellatur, quo ſolo ædificij pondus nititur. Sic ergo lapis eſt, vt totum angulū occupet. Sic eſt angulus, vt tota domus per illum cōtineatur. Sic eſt fundamentum, vt tota domus ſit in eo fundata. Tota igitur Eccleſia & ſingula eius membra ſolo Chriſto nituntur & fulciuntur. Porro quod addit, QVI CREDIT, NON FESTINABIT, modum oſtendit, quo hic lapis hominibus fit ſalutaris. Fides enim eſt inſtrumentum, quo homines, vt viui lapides, accommodantur fundamento Chriſto. Quod autem ſubiungit, NON FESTINABIT, ſignificat, quod credentes non debeant ad alia remedia confugere, quam ad ſolum Chriſtum. Nam qui alia ſalutis remedia quærit, gratia Chriſti excidit, & extra fundamentum eſt. Solus enim Chriſtus credētibus plena ſalus eſt. Hinc apparet Petrum Apoſtolum fideliter ſenſum Prophetæ reddidiſſe, tametſi verba non expreſsit. Septuaginta interpretes ſic habent, ἰδοὺ ἐγὼ ἐμβαλῶ εἰς τὰ θεμέλια σιὼν, λίθον πολυτελῆ, ἐκλεκτὸν, ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον, εἰς τὰ θεμέλια αὐτῶν, καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ μὴ καταισχυνθῇ, hoc eſt, Ecce ego mittam in fundamenta Sion lapidē precioſum, electum, ſummū angularem, honoratum, in fundamenta eorum, Et qui credit in illum, nequaquam pudefiet. Ex hoc Eſaiæ teſtimonio diſcamus in ſolo Chriſto ſalutem noſtram fundatam eſſe, cuius ſalutis fiunt participes omnes, qui Chriſto fide coniunguntur, in hoc mirando Eccleſiæ ædificio.

Vobis igitur honor eſt, qui creditis, incredulis vero lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offendiculi, & petra ſcandali his, qui impingunt in ſermonem, nec credunt, ad quod etiam poſiti fuerant.

Diſcernit Apoſtolus inter duo genera hominum, quorum vni ſalutaris eſt Chriſtus, Alteri (quod tamē Chriſto accidentale eſt) exitialis. Vt enim credētibus eſt honor, id eſt, precioſus (ponitur enim hic abſtractū pro concreto:) Ita incredulis eſt exitialis, non quidem ſua natura, ſed hominū culpa. Hæc ſumma ſententiæ eſt Apoſtoli. Nunc verba Apoſtoli propius aſpiciamus. Cur Chriſtus lapis dicatur, ſupra dictum eſt, cuius pro conditione hominum, variat efficacia. Vt enim credentibus & amplectentibus Euangelium, eſt lapis precioſus, & ſalutaris: Ita reprobantibus ipſum, & ſpernentibus Euangelium, eſt lapis offendiculi, & petra ſcandali. Nam in ipſum impingunt & offendunt omnes, qui rationis & carnis iudicium ſectantes

Chri-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Chriſtum repudiant, qui ipſis ſalutem gratuitam ex mera ſua bonitate obtulit. Fit ergo non natura ſua, ſed hominum vicio lapis offendiculi, & petra ſcandali. Hoc ita eſſe, declarant ſequentia verba: His, inquit, qui impingunt in ſermonem, id eſt, qui verbo prædicato fidem non adhibent, nec credunt, ad quod etiam poſiti fuerant, hoc eſt, Etſi illis (loquitur enim hic de incredulis Iudæis) deſtinata erat ſalutis promiſsio, tamen non crediderunt. Hanc interpretationem verborum Petri & periſtaſis loci, & verba requirunt. Quidam nouus interpres ita reddidit: Immorigeri, ad quod etiam conditi erant, & interpretatur quod ideo conditi fuerint, vt eſſent immorigeri, hoc eſt, quod creati fuerint ab optimo Deo ad certam damnationem. Verum præter id, quod ἐτέθησαν vertit cõditi ſunt, contra vocis græcanicæ naturam, vim facit huic loco. Nam ſupra dixit Apoſtolus, hunc lapidem Chriſtum fuiſſe ab ædificantibus reprobatum, quod nequaquam verum fuiſſet, niſi hic lapis his oblatus eſſet antea. Deinde verbum Dei & promiſsionem factam populo Iudaico male peruertit. Nam verbum Dei, & promiſsio teſtatur, Iudaicum populum cum conditione fuiſſe electum. Ita enim Moſes Exod. 19. ait: Si audiendo audiueritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, quia mea eſt vniuerſa terra. Quis non videt conditionem hic adiectam eſſe? Proinde audientes vocem Dei, & credentes Euangelio, quod proponitur vniuerſo orbi, iuxta hoc vniuerſale Chriſti mandatum: Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium OMNI CREATVRÆ, ſunt Dei peculium. Qui vero nõ audierint, nec crediderint Euangelio, reprobi ſunt, & ſua culpa damnati. Qui cum hac ſententia putant pugnare nonum, decimum & vndecimum capita ad Romanos, prorſus nõ attendunt, quis ſit ſcopus iſtorũ capitum, quem tamen ſcire poſſent, cum ex fine tertij capitis eiuſdem Epiſtolæ, tum ex propoſitione collecta in 10. eiuſdem, videlicet: Omnis qui credit in ipſum, non pudefiet. Non eſt enim diſtinctio Iudæi & Græci. Idem enim Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant ipſum. Omnis enim quiſquis inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus in acquiſitionem, vt virtutes annuncietis illius, qui ex tenebris vos vocauit, in admirabilem ſuam lucem.

Antitheſis eſt proximæ ſententiæ. Vt enim incredulos impingere dixit in ſermonem: Ita hic eorum qui credunt, honorem definit & excellentiam monſtrat. Quia autem alludit Petrus ad verba, quæ mox ſequuntur, ea quæ heri de conditione adduxi ex 19. capite Exod. Nemini dubiũ eſſe poteſt, quin hoc dictum Petri, Vos eſtis ei genus electum &c. ex conditione fidei pendeat. Ideo enim dicuntur genus electum, quia credunt. Vt autem hoc clarius euadat, aſcribam Moſis verba: Si audiẽdo audiueritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi peculium de cunctis populis, quia mea eſt vniuerſa terra (Sequitur interpretatio peculij) Et vos eritis mihi regnum ſacerdotale, gens ſancta. Quis non videt conditionem fidei huc pertinere? quæ fides omnis obœdientiæ veræ initiũ eſt. Nunc verba Apoſtoli diligentius perpẽdamus. Primum dicit, fideles eſſe genus electũ, id eſt, eximiũ præ omnibus alijs hominum generibus. Quod enim Moſis peculium, ſeu theſaurum præ alijs facultatibus carum appellauit, hoc Petrus genus electũ nominat. Vt ſint ſynonyma, genus electũ & peculium, ſeu theſaurus præ alijs facultatibus carus. Ebraice ad verbũ populus theſauri precioſi ſeu peculij. Septuaginta reddiderunt λαὸς περιούσιος, id eſt, populus peculiaris. Paulus ad Titũ imitatus ſeptuaginta, vocat credentes λαὸν περιούσιον, id eſt populũ peculiarem, qui loco theſauri precioſi habetur. Eſt enim περιούσιος theſaurus prę alijs dilectus. Hinc apparet, quo reſpectu electus dicatur in ſacris literis. Nã electus, περιούσιος, & peculium ſeu theſaurus eandem rem notat. Vt enim Chriſtus dicitur lapis electus, quia prę alijs lapidibus eximius eſt in ędificio Ecclesię: Ita credẽtes electi quia prę alijs omnibus hominibus in mundo eximij ſunt & in magno precio corã Deo tanquam ſingularis quidam theſaurus. Neq; mirũ eſt credentes dici Electos, cum ſint filij Dei, & alij, quorum reſpectu dicuntur electi, ſunt filij Diaboli, id eſt, reprobi & dãnati. Hæc eximia laus merito Chriſtianis ad pie ſancteq; tranſigendam in hoc mundo vitam ſtimulum addere deberet. Deinde credentes à Petro dicũtur Regale ſacerdotium, hoc eſt, Reges, qui etiam in templo Dei ſacerdotio funguntur. Quanta autem ſit hæc dignitas, diligenter conſiderandum eſt. Nã hæc dignitas merito nos, qui Chriſtiani dici & eſſe volumus, excitare deberet, vt induti puris veſtibus, id eſt, vera ſanctitate & innocentia, ſeruiremus Deo in ſuo ſancto templo, omnibus diebus vitæ noſtræ. Poſſunt autem hæc verba de Regali ſacerdotio dupliciter exponi, videlicet ſimpliciter, & reſpectu hominũ incredulorũ. Simpliciter quidẽ hoc modo:

Creden-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Credentes ſunt Reges & Sacerdotes, ſeu vt Moſes loquitur, Regnum ſacerdotum, id eſt, Regnum, quod ex ſacerdotibus, rebus ſacris, & diuinis Deo dicatis conſtat. Et prudenter obſeruandum eſt, quomodo vtrunq; vocabulum alterum reſtringat. Chriſtiani quidem ſunt Reges, ſed ſacri, non prophani. Sunt enim in Chriſto victores mundi & ſatanæ. Sunt ſacerdotes, ſed Regij, non vulgares, aut Typici, quales fuerunt Aaronici ſacerdotes. Hæc eminentia, hic honor, hæc ineffabilis gloria moneat Chriſtianos, vt opera edant Regibus ſanctis & ſacerdotibus Regijs digna. Deinde, Chriſtiani dicuntur Regij ſacerdotes hominum incredulorum reſpectu. Quemadmodum enim apud omnes populos, reges & ſacerdotes ſunt honoratiores præ alijs: Sic etiam fideles ſunt præ omnibus populis honoratiores, vt qui Deo dicati ſint. Cum ergo ita ſit, merito deberent Chriſtiani abſtinere à prophanorum hominum operibus, & in ijs operibus toti occupari, quæ decent Regales ſacerdotes, ſacra adminiſtrantes in ſancto Dei templo. Dicuntur præterea Chriſtiani gens ſancta, id eſt, ſegregata ab alijs prophanis cœtibus, & dicata Deo, eiq; in hoſtiam oblata, vt ipſum in vera ſanctitate colat. Dicuntur & populus in acquiſitionem, hoc eſt, vt Paulus loquitur, peculiaris. Quapropter hæc dignitas merito nos moueret ad ſtudiũ obœdientiæ erga Deum. Huc addit Petrus finem huius eximiæ dignitatis, nimirum, vt pij annuncient virtutes eius, qui ſe à tenebris in admirabilem lucem vocauit. Per tenebras intellige ignorantiam, & eius pœnam maledictionem. Per lumen noticiam Dei, & benedictionem, ex qua conſolatio naſcitur. Hanc lucem propterea admirandam pronunciat, quia extra rationis captum poſita eſt. Hac periphraſi Chriſti ideo vſus eſt Apoſtolus, vt excitemur magis eius cogitatione, ad ambulandum digne tanta luce. Huc pertinet & illud Pauli: Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, tanquam filij lucis ambulate.

Qui quondam eratis non populus, nunc eſtis populus Dei, qui quondam non conſecuti miſericordiam, nunc eſtis miſericordiam conſecuti.

Gentes ad fidem conuerſas populum peculiarem Dei dixit. Nunc, vt maius pondus huic aſſeuerationi accedat, eam Prophetico confirmat teſtimonio. Cum enim Hoſeas Propheta abiectionem populi Iudaici, propter ſuam contumaciam, propoſito mulieris fornicariæ & liberorum fornicationum paradigmate, prædixiſſet, addit vaticinium de vocatione gentium, quo & Paulus Rom. 9. vſus eſt.

Dilecti, obſecro vos, tanquam aduenas & peregrinos, vt abſtineatis à carnalibus cupiditatibus, quæ militãt aduerſus animam, conuerſationẽ veſtram inter gentes habentes honeſtam, vt in quo loquuntur aduerſus vos tanquam maleficos, ex bonis operibus ſpectantes vos, glorificent Deum in die viſitationis.

Poſtquã oſtendit Apoſtolus, quanta ſit Eccleſiæ gloria, quanta dignitas, & in quo ſit loco apud Deum, exhortationẽ rurſus aggreditur, quam ſuo more veſtit firmiſsimis quibuſdam rationibus. Quo autem res fiat dilucidior, exhortationis propoſitionem nudam proponã, & ordine rationes quibus veſtitur, ſubiungam. Propoſitio bimembris eſt: Abſtinete à carnalibus deſiderijs: Et honeſtam habete inter gentes conuerſationem. Prius membrum, quod eſt, Abſtinete à carnalibus deſiderijs, confirmatur duabus rationibus. Quarum prior ſumitur à conditione Chriſtianorum, Poſterior ab effectu carnalium cupiditatum. Cõditio hæc eſt, Chriſtiani ſunt aduenæ & peregrini in mundo, vt qui cœlum habeant patriam, iuxta illud Pauli ad Philip. 3. πολίτευμα noſtrum in cœlo eſt. Quare non decet, vt Chriſtiani mundanis ſordibus ſe ſe inuoluant, & carni ſe ſubijciant, præſertim cum nemo debeat alienæ Reipublicæ negocijs ſe immiſcere, idq; maxime, ſi pugnant cum ſuæ Reipublicæ inſtitutis. Effectus eſt, quod carnales cupiditates militent aduerſus animã, hoc eſt, aduerſus ſpiritum. Nam animã hic vocat Petrus, quaten⁹ ſpiritu Dei reformata eſt ad imaginem Dei. POSTERIVS membrũ propoſitionis, quod eſt: Honeſtã habete inter gentes conuerſationem, ſimiliter duab. veſtitur rationibus. Quarum prior ſumitur ab vtili, Vt, inquit, veſtris bonis operib. obturetis ora eorũ, qui vos pro maleficis habent. Poſterior etiã ab vtili ſumta eſt. Vt illi, inquit, veſtris bonis operib. moti, aliquando reſipiſcant, & vna vobiſcũ Deum glorificent, idq; in die viſitationis eorum, hoc eſt, cum per Euangelij prædicationẽ ad fidem conuertuntur. Hæc ergo nos, qui Chriſtiano nomine gaudemus, moneãt, vt ita purgatis animis inter homines viuamus, ne male ꝓpter

nos audiat Euágelium Chriſti. Qui enim male & flagitioſe viuunt, triplici peccato inuoluuntur. Primum, legem Dei contumaciter violant. Deinde, exemplo nocent. Tertio, doctrinæ Euangelij notam infamiæ inurunt, vt interim taceam, quod regnum Satanæ dilatent & augeant.

Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ, propter Dominum, ſiue Regi tanquam ſupereminenti, ſiue præſidibus tanquam his, qui per ipſum mittuntur, in vindictam quidem maleficorum, in laudem vero recte agentium.

De generali exhortatione in ſpecialem deſcendit. Generalis fuit hæc. Habete honeſtam conuerſationem inter gentes. In hac continetur, vt hypotheſis in ſua theſi: Eſtote ſubiecti ſuperioribus veſtris. Nam, qui hoc non facit, honeſtatem publicam lædit. Veſtit autem hanc hypotheſin triplici ratione. Prima notatur hoc dicto, Propter Dominum, videlicet, qui vt hoc ſuo præcepto efflagitat: Ita ſibi quoque gratum officium eſſe lege oſtendit, qua iubet vt honoremus ſuperiores. Secunda eſt, quia Reges & præſides ſunt conſtituti in ſuperiori loco, vt in inferiores imperium habeant. Tertia à fine magiſtratus ciuilis, qui hic duplex ſtatuitur. Vnus quidem, quod ſint vindices ſcelerum. Alter vero, quod ſint honeſtatis & virtutis defenſores, vt qui præmium virtuti tribuant, dum bonos armis & legibus defendunt. QVIA alias ſæpe de magiſtratu dictum eſt, hic ſolummodo vnam ſententiam Xenophontis de affectu Magiſtratus erga ſubditos aſcribam. Xenophontis verba hæc ſunt in Hierone: Νόμιζε τὴν μὲν πατρίδα, οἶκον: τοὺς δὲ πολίτας, ἑταίρους: τούς τε φίλους, τέκνα σεαυτοῦ: τοὺς δὲ παῖδας, ὅπερ τὴν σὴν ψυχήν. καὶ τούτους πάντας πειρῶ νικᾶν εὐποιῶν. Hoc eſt, Patriam quidem exiſtima domum, ciues ſocios, amicos filios tuos, filios vero tanquam propriam animam, atque hos omnes beneficentia ſuperare contende. Eurip. Μέγας φίλος καὶ εὐεργέτης βροτοῖς.

Sic enim eſt voluntas Dei, vt benefaciendo obſtruatis hominũ ſtultorum ignorantiam.

Propoſitionis ratio eſt à voluntate Dei ſumta. Vult enim Deus, vt benefaciendo vincamus improborum ignorantiam, qua victoria nulla præclarior eſſe poteſt. Huc illud Pauli præceptum: Vince in bono malum. Hic tria notentur. Primum, quod homines ignari Euangelij iudicio Spiritus ſancti ſtulti habeantur. Secundum, quod hæc ſtulticia proueniat ex ignorantia. Tertium, quod vera ſapientia & vera prudentia in cognitione Dei ſit ſita.

Vt liberi, & non velut velamen habentes maliciæ libertatem, ſed vt ſerui Dei.

Alia ratio à conditione Chriſtianorum, videlicet, quod Chriſtiani per filium Dei libertatem ſunt conſecuti. Hæc ratio illuſtrior fit Antitheſi hoc modo: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Chriſtiani ergo, quos filius libertate donauit & redemit à iure peccati, debent peccato renunciare & iuſticiæ, vt Paulus loquitur, militare. Præterea anticipat hic Apoſtolus eorum obiectionem, qui abuſi Chriſtiana libertate ſibi quiduis libertatis prætextu permiſerunt. Quorum ſtulticiam hoc argumento refellit Apoſtolus noſter: Chriſtiani ſunt ſerui Dei, Ergo illorum libertas non prætexanda eſt maliciæ, imo magis eos ad bene agendum incitabit, vt Dei imaginem referant, cuius & filij & ſerui ſunt.

Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorate.

Supra poſuit generalem exhortationem de honeſta conuerſatione inter gentes: Nunc illam in quatuor retexuit hypotheſes, quę modum honeſtæ conuerſationis continent. Harum prima eſt, Omnes honorate, id eſt, omnes caritate & debitis officijs proſequimini. Secunda, Fraternitatem diligite, hoc eſt, fratrum cœtum & coniunctioné fouete & complectimini. Eſt enim fraternitas fratrum cœtus, vt habetur Zachariæ vndecimo. Tertia, Deum timete, id eſt, non ſolum intus in animo Dei timorem habere debetis, verum etiam vita, moribus & confeſſione verum Dei timoré præ vobis ferre debetis, vt alij homines ex veſtris externis moribus diſcere poſsint, qua ſitis pietate animi erga Deum. Quarta, Regem honorate, id eſt, omnes ſuperiores debita obſeruantia complectimini. Poſuit enim ſpeciem pro genere. In his quatuor præceptis, honeſtas vitæ in conuerſatione hominum continetur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Famuli ſubiecti ſint cum omni timore Dominis, non ſolum bonis & humanis, verum etiam prauis.

Alia hypotheſis, quæ etiam continetur in generali dicto, de honeſta ſeruanda inter gentes conuerſatione. Præcipit autem hic Petrus de ſubiectione domeſticorũ miniſtrorum, quos vult ſubiectos eſſe ſuis dominis, cũ omni timore, id eſt, cum ſumma obœdientia & reuerentia. Eſt enim metonymia ſiue ſynecdoche. Verũ, ne quis excipiat indignũ eſſe Chriſtianos famulos impijs Dominis ſubijci, diſtributione occurrit, cum inquit: Non ſolũ bonis & humanis, verũ etiam prauis, hoc eſt, improbis & duris, qui iuxta rigorem ſummum omnia agunt. Opponitur enim σκόλιος, bono & humano. Humanus autem quis ſit, ex græca voce manifeſtum eſt. Vtitur enim Petrus hoc loco vocabulo ἐπιεικής, et dicitur ꝓprie ἐπιεικής, qui de ſumo iuris rigore deflectit ad mitigationẽ, propter aliquam circumſtantiam facti aut perſonæ. Verum hic vna exceptio obſeruanda eſt de obœdientia. Nam cum Domini imperant aliquid, quod à famulis bona conſcientia præſtari non poteſt, hoc eſt, cum imperant aliquid, quod vel cũ lege Dei manifeſta pugnat, vel cũ lege naturæ & publica honeſtate, locũ habet illud Petri: præſtat obœdire Deo, quam hominibus. In eandẽ ſententiam Athenienſibus reſpondet Socrates, cum iuberetur ſententiæ magiſtratus cedere: Cõplector vos, inquit, Athenienſes amanter, ſed magis Deo quam vobis obtemperabo. Simile quoq; fuit reſponſum Antigonæ datũ Chreonti Tyranno: Iuſtius eſt, inquit, vt ijs obtemperem, apud quos perpetuo manſura ſum, quá vobis, cum quibus admodum breue tempus viuam. Ratio huius exceptionis eſt, quod omnis obœdientia, quæ præſtanda eſt homini, debeat proficiſci ex obœdientia Deo debita. Siquidem hominibus obtemperamus propter Deum. Huc pertinet pręceptum Pauli ad Epheſ.6. Serui obœdite Dominis veſtris carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, tanquam Domino. Et Coloſſ. 3. Serui obœdite per omnia Dominis carnalibus, nõ ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placẽtes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Dominũ. Quodcunq; feceritis, ex animo operamini ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Nihil proinde ad iuſſum hominis faciendum eſt, quod lege Dei eſt, prohibitum. Nam quiſquis hoc fecerit, naturæ ordinem inuertit, & ſacrilege hominem Deo præfert, omni timore Dei abiecto.

Hoc enim eſt gratia, ſi propter conſcientiam Dei ſuffert quis moleſtias, iniuſte patiens.

Ratio eſt, cur iugum Dominorum prauorum non ſit excutiendum à fidelibus famulis. Hoc eſt, inquit, GRATIA, id eſt, gratũ Deo (ponitur enim hic abſtractum pro concreto) ſi propter conſcientiam Dei ſuffert quis moleſtias, hoc eſt, gratum Deo eſt, quod famulo religio ſit Deum offendere, cuius voluntate intelligit hoc onus ſeruitutis ſibi impoſitum eſſe. Eſt autem conſcientia Dei, non quam ipſe Deus habet, ſed quam homo coram Deo habet, qua cauet, ne illum vlla ratione offendat.

Quæ enim laus, ſi cum peccantes colaphis cædimini, ſuffertis? ſed ſi cum benefacitis, afflicti, & moleſtiam tamen toleratis, hoc gratia apud Deum.

Amplificat eandem rationem collatione cauſſarum. Qui affligitur, aut ſuapte culpa affligitur, aut pręter omnem ſuam culpam. Si ſua culpa affligitur, digna pœna dolenda venit. At ſi præter ſuam culpam affligitur, patientia Deo eſt grata. Chriſtianus igitur famulus ita componat ſe, vt ſi quid moleſtiæ ferendum ſit, ne id fiat ſua culpa.

Nam ad hoc vocati eſtis.

Alia ratio à genere ſumta, ſiue à cõmuni omnium Chriſtianorum conditione. Omnes pij vocati ſunt, vt patienter iniuriam ferant. Quare etiam Chriſtianos famulos patienter iniuriam ferre oportet.

Quoniam & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt inſequemini veſtigia eius.

Exemplo Chriſti probat Chriſtianorum omnium eſſe patienter iniuriam ferre. Chriſtus eſt caput noſtrũ, cuius actio noſtra eſt inſtructio. Cum igitur paſſus ſit ille cum ſumma patientia, decet & eius membra, id eſt, Chriſtianos patienter crucẽ ferre, tametſi cauſſæ afflictionis Chriſti & noſtræ diuerſæ ſunt. Ille enim eſt paſſus pro no-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

pro noſtro pecato expiando. Nos autem patimur pro eodem, non quidem expiando, ſed in carne noſtra mortificando, ad Rom. 6. Porrò imitatio Chriſti in cruce magis nobis dulceſcet, ſi eius neceſsitas, vtilitas, dignitas & modus ſpectentur. Neceſsitas imitationis indicatur Matth. 6. vbi Dominus ita ait: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucē ſuam quotidie, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Et Luc. 14. Et qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hæc dicta teſtātur, quam ſit neceſſaria imitatio Chriſti in cruce. Nam & mandatum Chriſti vrget, & conuerſionis conditio poſtulat conformitatem ſanctorum cum Chriſto in cruce. Vtilitas imitationis duplex eſt. Vna in hac vita, de qua Paulus ad Rom. 6. Hoc ſcientes: quod vetus noſter homo vna crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato. 2. Cor. 4. Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus. Altera in futura vita, de qua idem Apoſtolus ad Rom. 8. Si vna cum eo patimur, ſimul etiam cum eo regnabimus. 2. ad Timo. 2. Nam ſi cōmortui ſumus, & conuiuemus. Dignitas imitationis crucis Chriſti indicatur Matth. 10. Qui non accipit crucē ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus, Hoc eſt, non eſt dignus, vt membrum meum cenſeatur. Ad Galat. 6. Stigmata Domini Ieſu in corpore meo geſto. Itē, Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini Ieſu Chriſti. Ad Roma. 8. Quos præſciuit, eoſdem etiam prędeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. Modus imitationis nō conſiſtit in quantitate, non in qualitate, & nō in fine principali crucis Chriſti, ſed in his quinq;: In fiducia erga Deum. In obœdientia ſpontanea. In patientia vera. In inuocatione & gratiarum actione. Et in ſpe glorioſæ liberationis. Fiduciæ vox eſt in Pſalm. 16. Poſui Dominum in cōſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. De obœdientia & patientia ſimul Philip. 2. Humiliauit ſeipſum, factus obœdiens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Item Eſaiæ 53. Oblatus eſt, quia voluit, & non aperuit os ſuum. De inuocatione & gratiarum actione Pſal. 16. & 22. & multi alij concionantur. Item Matth. 26. & Ioh. 17. de inuocatione & gratiarū actione Chriſti in cruce plurima leguntur. De ſpe liberationis ita loquitur Pſal. 16. Propter hoc lætatū eſt cor meū, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Huc iam accommodentur exempla imitationis, vt Abrahæ, Iſaac, Iacob, Iob, Dauid, Daniel, Petri, Pauli & aliorum, quos & nobis imitandos proponamus.

Qui peccatum non fecerat, nec inuentus eſt dolus in ore eius, qui cōuicijs petitus non viciſſim conuiciabatur, cum pateretur non minabatur, ſed commiſit vindictam ei, qui iudicat iuſte.

Exemplum Chriſti, quod imitandum propoſuit, amplificat, vt oſtendat quo animo nos, qui eius diſcipuli ſumus, iniuriā ferre debeamus. Quod autem addit, Chriſtum vindictā commiſiſſe ei, qui iuſte iudicat, non ad cupiditatem vindictæ in Chriſto referendum eſt, ſed ad obœdientiæ cauſſam. Vt igitur ipſe obœdiens fuit ſub cruce, Deo commendans & ſe & ſuam cauſſam: Ita & nos ipſius exemplum imitari debemus, commendantes nos & noſtram cauſſam Deo, & ſimul iuxta mandatum Chriſti orantes pro perſequentibus nos.

Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui iuſticiæ viuamus, cuius liuore ſanati fuiſtis.

Alia ratio à fine afflictionū Chriſti. Chriſtus afflictus eſt propter peccata noſtra expiāda. Ergo non amplius peccatis indulgebimus, ſed viuemus potius iuſticiæ eius, cuius liuore ſanati ſumus. Proinde, non decet vt impatienter nos crucem feramus.

Eratis velut oues errantes, ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.

Ratio à conditione ſtatus Chriſtianorum. Olim ante conuerſionem fuiſtis vt oues errantes, nunc autem eſtis conuerſi ad paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum. Decet igitur, vt veſtri paſtoris exemplum in cruce patienter ferenda imitemini.

CAPVT III.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Summa Capitis tertij.

Monſtratis coniugum officijs, communia omnium ordinum hominibus officia præſcribit Apoſtolus. Vnde ad ſanctitatem & conſtantiam in fide & ſpe hortatur, propoſitu cùm præmiorum obœdientiæ, tum pœnarum inobœdientiæ exemplis.

Ordo & partes Capitis tertij.

Quatuor ſunt huius capitis partes præcipuæ. In quarum PRIMA, *inſtruit mulieres. In* SECVNDA, *maritos docet. In* TERTIA, *communibus hominibus præcepta commendat. In* QVARTA, *ad ſanctitatem, conſtantiam in fide & ſpe, & patientiam in cruce hortatur, propoſita collatione temporis Noë & temporis, quo hæc Apoſtolus ſcripſit, Significans ſimiles pœnas manere incredulos omnibus temporibus, quantumuis multi fuerint, cum contra pij, quorum numerus eſt perexiguus, potentia Dei ſaluentur.*

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SIMILITER vxores ſubiectæ ſint ſuis viris.

Pertinet & hæc hypotheſis ad honeſtam inter homines conuerſationem, & continetur in illa: Omnes honorate. Qualis autem hæc ſubiectio eſſe debeat, alibi expoſuimus, & ſumma huc redit, vt hæc ſubectio ſit liberalis, & non ſeruilis, vt quæ potius ex caritatis lege, quam ex dominationis imperio pendere debeat.

Vt etiam, ſi qui non obœdiunt ſermoni, per mulierum conuerſationem ſine ſermone lucrifiant, conſiderantes puram veſtram in timore conuerſationem.

Exhortationis ratio eſt ab vtili. Honeſta vxoris conuerſatio per debitam ſubiectionem, interdum facit vt mariti ſeueriores veluti cicurentur, ac tandem piarum coniugum conſuetudine conuicti, aures verbo præbeant, à quo alioqui abhorrerent prophani & rigidi homines. Cum autem Apoſtolus dicit: Vt ſine ſermone lucrifiant, ad præparationem referendum eſt, ne quis putet quemquam ſine verbo ſaluari poſſe.

Quarum ſit non externus implicatura capillorum, & circumpoſitione auri, & amictu palliorum, ornatus, ſed occultus cordis homo in incorrupto (ornatu) lenis & quietus ſpiritus, quod eſt coram Deo precioſum.

De ſubiectione mulierum dixit, nunc earum ornatum per antitheſin deſcribit Apoſtolus. Nam cum mulieres pleræq; externi ornatus & cultus auidiores ſint, fit vt ſæpiſsime modum tranſgrediantur. Confert autem hic duplicem ornatum, Quorum vnꝰ eſt释 externꝰ & caducus, Alter internus & conſtans. Ille ſuperbiæ & intemperantiæ: hic lenis & manſueti ſpiritus indicium eſt. Cæterum hic ſeruandum eſt τὸ πρέπον perſonarum, ne quid ſuperſtitione temere contra honeſtam conſuetudinem peccetur. Neq; enim decorum eſſet, ſi honeſta matrona, in ſuperiori aliquo ſtatu conſtituta, ſe vilium ancillarum more veſtiret religionis gratia. Quare diligenter ſpectandum eſt, quid & ſtatus hominis, & conſuetudo patriæ patiatur. Huc pertinet pulcerrimum Cratetis dictum, qui de ornatu muliebri in hanc ſententiam loquitur: Ornatus eſt quod ornat, ornat autem, quod mulierem ornatiorem facit. Sed nec aurum, nec ſmaragdus mulierem ornatiorem facit: ſed quæcunq; grauitatis, modeſtiæ & pudicitiæ ſignificationem habent.

Sic enim olim etiam ſanctæ mulieres, quæ ſperabant in Deum, ornabant ſeſe, ſubiectæ proprijs maritis, ſicut Sara obœdiuit Abrahæ, Dominum eum vocans, cu-

Sanctarum matronarum exemplo confirmat Apoſtolus, quod de mulierum ornatu & ſubiectione præcepit. Et vt certam regulam præſcri-

iusſa-

ius factæ eſtis filiæ cum benefacitis, & non metuitis vllum terrorem.

bat, Saram vxorem Ahrahæ proponit, quæ Deum timuit, quæ ornabat ſe pudicitia, quæ ſubiecta erat marito, Dominum eum appellans. Vt non ſolum facto, verum etiam voce ſuam ſubiectionem teſtaretur. Huius Saræ filias dicit eſſe Chriſtianas matronas, quæ ipſius virtutes imitantur, quæ ipſius exemplo benefaciunt, quæ ſponte & vltro officium ſuum præſtant, nullo ad id compulſæ timore. Ita enim ait: Cuius filiæ factæ eſtis cum benefacitis, & non metuitis vllum terrorem. Vult ergo mulieres benefacere, vt non ad id terrore maritorum cogantur, ſed proprij potius animi promtitudine impellantur ad officium præſtandum. Hæc ſimpliciſsima ſententia eſt verborum Apoſtoli, & maxime exemplo propoſito congruit. Vt enim ſua ſponte benefecit Sara, non compulſa viri imperio: ita & aliæ mulieres non terrore pœnæ, ſed amore virtutis probæ eſſe debent.

Viri ſimiliter cohabitantes (ſint) ſecundum ſcientiam, tanquam infirmiori vaſi muliebri tribuentes honorem, tanquam etiam cohæredes gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces veſtræ.

Analogum officium requirit à maritis, videlicet vt cohabitent vxoribus ſecundum ſcientiam, id eſt, ſancte & honeſte. Ex cauſſa enim effectum intelligit. Siquidem ſcientia ex verbo Dei percepta, cauſſa eſt ſanctitatis, & omnis honeſtatis. Verum, quia hæc pauca Apoſtoli verba multa continent, ea retexã & illuſtrabo. Primum ergo vox cohabitationis, ſignificat Synecdochicôs omnia meritorũ officia in familia. Deinde quod additur, ſecundum ſcientiam, modum præſtandi officij & regulam continet. Nam, vt vult Apoſtolus maritos vera ſcientia agendi præditos eſſe: Ita requirit ab ipſis, vt ſancte & honeſte iuxta regulam verbi Dei cum vxoribus viuant, & tribuant eis debitũ honorem, hoc eſt, caritate eas complectãtur, facientes quæ requirit maritorũ conditio, & quæ poſtulat vocationis ratio. Tertio, cum vxores infirmũ vas appellat, monet Primũ, vt mariti, quos fortiores eſſe decet, meminerint infirmitatis muliebris, & imbecillitate earũ admoniti, benigni⁹ eas tractent. Deinde, appellatio vaſis (qua ſignificatur, quod coniunx comes ſit viro, & adiutrix ad fideliter coram Deo & in familia trãſigendam vitam adiuncta) rationẽ continet officij mariti erga vxorem. Eſt enim vxor adiutrix viro. Quare par eſt, vt eam tanquã adiutricem, & eiuſdem iugi ſociam complectatur. Quarto additur ratio à communi piorum coniugum conditione, videlicet, quod ſint cohæredes æternæ vitæ. Proinde decet, vt hic ſe mutuo honore proſequantur. Quinto & vltimo argumentum à neceſſario apponit, cum inquit: Ne interrumpantur preces veſtræ. Vbi enim non conuenit inter coniuges, interrumpitur hoc neceſſarium officium, quod eſt inuocatio Dei. Quare, ne id fiat, mariti ſtudere debent, vt ſit cohabitatio eorum cum honeſtis vxoribus pia, honeſta & quieta.

In ſumma vero ſitis omnes concordes, compatientes, fraterne vos diligentes, miſericordes, affabiles.

A particularibus officijs aſcendit ad communia Chriſtianorum officia. & iuſticiæ quaſdam partes recitat. Concordes ὁμόφρονας, vocat eos, qui ſunt eiuſdem animi & ſententiæ. Qua virtute vinculum pacis & tranquillitatis Chriſtianis cõmendatur. Cũ contra, qui diſſentiendi libidine laborant, ſchiſmata faciant, & rumpant dilectionis vinculum, prębeantq; occaſionem Satanæ ad euertendas Eccleſias Chriſti. Verum hoc interea ſciendum eſt, quod concordia Chriſtianorũ in Eccleſia debeat eſſe ſancta, in rebus pijs & licitis, facientibus ad ędificationẽ mutuam. Nam alioqui nullus eſt conſenſus Chriſto & Belial. Compatientes græce συμπαθεῖς vocat eos, qui mutuo moleſtiarũ ſenſu tanguntur. Eſt enim συμπάθεια πάθος τινὸς διὰ πάθους ἑτέρου. Huc pertinet illa pulcerrima pictura Apoſtoli Pauli Rom. 12. & 1. Cor. 12. in qua pictura totam Eccleſiam corpori varijs cõſtanti membris comparat. Huius συμπαθείας fons eſt ſincera dilectio ex corde fide purificato, proficiſcens. Finis autẽ huius ſympathiæ eſt incolumitas totius corporis Eccleſiæ. Fraterne ſe inuicem diligere ideo vult pios Apoſtolus, quia ex eodẽ ſemine immortali per Spiritum ſanctũ ſunt regeniti in filios Dei. Vnde Chriſtus excitatus à mortuis, iuſsit nunciari diſcipulis: Aſcendo ad Deum meũ & Deum veſtrũ, ad patrem meum & patrem veſtrũ. Miſericordes εὔσπλαγχνοι. Sunt autem εὔσπλαγχνοι quaſi bonorum viſcerum, id eſt, affectuum. Viſcerũ enim vocẽ pro affectibus vſurpant ſacræ literæ. Non igitur tantũ ad miſericordiam referẽda eſt vox εὐσπλαγχνίας, ſed etiam ad omnẽ pietatis affectũ, quo mores externi veluti condiuntur. Affabiles græce φιλόφρονες (amicabiles) ſunt, qui ad vitæ conſuetudinem faci-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

les ſunt & commodi, autore Budæo. Quantum autem hæ virtutes ad honeſte tranſigendam vitam inter homines habeant momenti, nemo non videt, præſertim, ſi ea comparauerit cum oppoſitis vicijs, quibus nihil in vita nocentius & turpius eſſe poteſt.

Non reddentes malum pro malo, aut conuicium pro conuicio, ſed contra benedicentes, ſcientes quod in hoc vocati ſitis, vt benedictionem hæreditatis poſſideatis.

Corrigit Apoſtolus vitia veteris hominis, quæ ſunt inter multa alia: Malum pro malo reddere, conuicium pro conuicio, maledictum pro maledicto. Vult enim, vt bene precemur ijs, qui nobis maledicunt, & ex animo condonemus offenſam ijs, qui nos læſerunt, id quod ex vocationis noſtræ conditione confirmat. Ac ſi diceret: Nos toties Deum offendimus, & fuimus digni, quibus æternum malediceret Deus, verum cum ipſe, condonata omni offenſa, vocat nos ad poſſeſsionem perpetuæ benedictionis, par eſt, vt ei⁹ exemplum imitemur, modo ipſius filij germani eſſe velimus. Hoc quia commune eſt officium Chriſtianorum, nequaquam tollit aut euertit illorum officium, quorum eſt alios in timore Dei caſtigare & coërcere, ne ſcabies paucorum totum inficiat gregem, Hoc confirmatur Chriſti, Prophetarum & aliorum multorum ſanctorum exemplis.

Qui enim vitam vult diligere & videre bonos dies, coherceat linguam ſuam à malo, & labia ſua ne loquantur dolum, declinet à malo & faciat pacem, & ſectetur eam. Quia oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in deprecationem eorum, ac vultus Domini in facientes mala.

Ex Pſalmo 35. id quod dixerat de hæreditate benedictionis, hoc eſt, felicis immortalitatis, confirmat. Etſi autem, quantum ad ſenſum attinet, fideliter expreſsit Petrus mentem Dauidis, tamen nec Ebraicam veritatem, quantum ad verba attinet, nec verſionem ſeptuaginta interpretum eſt ſecutus. Solent enim Apoſtoli non tam verborum, quam rerum curam habere. Locus hic inſignis obſeruandus eſt, qui docet omnia cum præſentis tum futuræ vitæ commoda à DEI timore pendere, quemadmodum etiam promiſsiones additæ primo & quarto præcepto clariſsime docent. Quare eos fugiendos moneo, qui conantur homines abducere à claris DEI promiſsionibus ad Satanicas illuſiones, vt quærant futurorum euentum, & felicitatem hominum ex horoſcopis & prędictionibus hominum quæſtum mendacio quærentium, quos ſecundum Imperatorum leges olim iuſte puniuit magiſtratus. Ac ſi quis contra hanc diuinam promiſsionem obijciat multos pios contraria experiri promiſsionibus illis magnificis, reſpondeo pios ſemper habere quantum ſatis eſt, ſi tentationis exitum ſpectes. Imo in medijs afflictionibus felices & beati exultant. Contra autem, qui mala conſcientia torquentur, nihil inueniunt in quo poſsint acquieſcere. Vocabula, quibus vſus eſt Apoſtolus, per ſe ſunt clara, vt noſtra interpretatione non indigeant, niſi forte hoc admonendum eſt, quod quemadmodum per oculos Domini fauor & gratuita beneuolētia: Ita per vultum ira idiotiſmo hebraico ſignificetur. Porrò hic locus Petri contra eos etiam militat, qui negant bona opera in renatis neceſſaria eſſe. firmiſsima eſt enim ratio hæc: Qui vult & expetit vitam, abſtineat à malo, & faciat bonum. Proinde, qui non abſtinet à malo, nec facit bonum, vita & gratia excidit, & conſuetudine peccandi tandem obdureſcit. Sicut enim ex conſuetudine laboris callus obducitur loco affecto: Ita ex conſuetudine peccandi omnis ſenſus doloris & omne συντηρήσεως iudicium amittitur, & mens fit reproba.

Et quis eſt, qui affliget vos, ſi boni imitatores fueritis?

Ratio exhortationis à fructu vitæ pie & ſancte tranſactæ. Nam piæ & ſanctæ vitæ, in qua conamur de omnibus benemereri, fructus eſſe ſolet quieta & tranquilla in mundo conuerſatio, cum contra turbulenti ſæpe ſibijpſi exitium accerſunt. Verum quia hæc habet exceptionem, ſubiungit Apoſtolus.

Sed etſi quid perpetiamini propter iuſticiam, beati.

Afflictionum in hac vita duæ ſunt cauſſæ. Vna, culpa propria eius qui affligitur: Altera, non culpa, ſed iuſticia potius & benefacta. Qui ſuam ob culpam affligitur, iuſte patitur, qui vero ob benefactum ſeu iuſticiam, beatus eſt, idq; nō propter ſenſum crucis, quæ ſemper moleſta eſt, ſed propter euen-

euentum. Nam glorioſa futura eſt liberatio omnium piorum, qui cum patiuntur, fidem retinent & ſpem gloriæ promiſſæ. Hanc interpretationem cõfirmat concio Chriſti Matth. 5. vnde hæc Petrus deſumſit.

Cæterum, terrore illorum ne terreamini, neque turbemini: ſed dominum Deum ſanctificate in cordibus veſtris.

Quia omnes, qui volũt pie in Chriſto viuere, iuxta Pauli dictum, perſecutionem in mundo patientur, animat Petrus pios aduerſus crucis acerbitatem, ac primum vult, vt deponamus metum eorum, qui nos perſequũtur, iubetq; vt ei opponamus promiſsiones diuinas. Nam Deus, qui promiſit ſuis liberationem, fallere non poteſt, cum ſanctus ſit. Atq; hoc eſt, quod dicit Apoſtolus: Sanctificate Deum in cordibus veſtris, hoc eſt, omnem laudem veritatis & iuſticiæ Deo tribuite. Fieri enim non poteſt, vt promiſsiones ſuas non ſeruet. Quare certi eſtote, quod vos ſuo tempore ex omnibus malis ſit erepturus, modo vos conſtantes in fide perſeueraueritis. Hanc interpretationem huius generalis dicti: Sanctificate Deum in cordibus veſtris, requirit περίστασιν. Hoc pacto rex Dauid in exilio Deum ſanctificauit, cum diceret, ſe paratum eſſe ad ferendum præſens exilium, ſi ita Domino videretur. Hoc pacto Iob ſanctificauit Deum cum diceret: Scio quod redemtor meus viuat. Huiuſmodi plurima ſunt exempla, cum in veteri, tum in nouo teſtamento, qualia multa recitat Epiſtola ad Hebræos cap. 11. Quæ omnia exempla monent, vt in cruce & perſecutione intueamur iudiciũ Dei & miſericordiam. Atq; inuicto animo, & viua in Chriſtum fiducia perferamus crucem.

Parati autem ſemper ſitis ad reſpondendum cuilibet petenti rationem ſpei, quæ eſt in vobis, cum lenitate & timore.

Quia confeſsionis chriſtianiſmi comes eſt in hoc mundo perſecutio, monet Apoſtolus pios, ne propter perſecutionis metum abijcant confeſsionem, aut diſsimulent, ſed potius parati ſint ad reſpondendũ cuilibet interrogãti. In reſpondendo autẽ Petrus duo requirit, videlicet manſuetudinem, & timorem Dei. Manſuetudo quidẽ opponetur iracundiæ & impatientiæ. Timor vero Dei veritatis, conſtantiæ & bonæ conſcientiæ cuſtos eſt, monetq; vt in ipſa confeſsione ad Deum ipſum reſpiciamus. Verum hic plura perpendenda ſunt. Primum enim diſcernendum eſt inter neceſſaria & ἀδιάφορα. Neceſſaria eſt omnium hominũ obligatio ad primũ præceptum, vt verum Deum vero timore & vera fide colant, & vt fugiant idola omnia, & quarumcunq; ſectarũ portenta, pugnantia cum verbo Dei. Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Nec tantũ interior cultus neceſſarius eſt, ſed etiam externa ſignificatio, & confeſsio ſeu profeſſio. Matth. 10. Qui negauerit me corã hominibus, negabo eum corã Patre meo cœleſti. Negat autem qui vel corde, vel corpore & externis ſignis ſeu geſtibus ſe nõ teſtatur vnius Dei cultorem eſſe in Chriſto Ieſu vnico Mediatore. Hinc concludo neminem ſalua pietate poſſe intereſſe Miſsis Papiſticis aut alijs ritibus, in quibus ſunt manifeſta idola, vt inuocatio ſanctorum, circumgeſtatio panis, & adoratio ſimulacrorum. Neq; hic vlla excuſatio valet. Nam neq; propter vocationem, neq; propter vxorem, aut amicos, neq; propter vllas alias res decedendũ eſt ab æterno Dei præcepto de fugiendis idolis. Ἀδιάφορα ſunt decantationes Pſalmorum, matutinæ & veſpertinæ preces, præcipue illæ, quæ ab ipſis Papiſticis de tempore vocantur. His intereſſe per ſe non eſt impium, ſed inprimis cauendum eſt, ne exemplo tuo infirmioribus ſis ſcandalo, & illa videaris probare, quæ cum primo præcepto pugnant. Secundo cauendum eſt, ne intempeſtiua ſit noſtra confeſsio extra publicum conuentum. Quare præceptum Petri diligenter perpendendum eſt, ad reſpondendum, inquit omni petenti. Aliud eſt enim reſpõdere, ſi interrogatus fueris, aliud eſt citra neceſsitatem apud impios ſe temere in pericula conijcere, præſertim vbi non expetitur confeſsio. Tertio, perpendendum eſt & hoc, ne extra cœtum Eccleſiaſticum, vbi colloquia oriuntur de religione, & aduerſarij blaſphemias loquuntur, tacitus videaris approbare impietatem. Quare ab huiuſmodi colloquijs abeſſe tutius eſt, ne tacendo cõſcientiam vaſtes, atq; ita naufragio fidei facto, reus fias defectionis à Deo. Proinde ſi quando contigerit te voces in Deum blaſphemas audire, potius mors oppetenda eſt, quam vt tacitus feras contumeliam Dei.

Conſcientiam habentes bonam, vt in eo, quod loquuntur aduerſus vos tanquam maleficos, pudefiant, qui inceſſunt veſtram bonam in Chriſto conuerſationem.

Confeſsionis duplicem fructum ponit: nempe bonam conſcientiam apud Deum, qua re nulla alia iucundior eſſe poteſt: & bonam famam

apud homines. Nam vt honor ex confeſsione Deo tribuitur, vnde tranquilla redditur conſcientia: Ita vitæ integritas bonum nomen affert, adeo vt qui parum honeſte antea de pijs iudicarunt, nunc conuicti piorum confeſsione (quæ in veritatis defenſione, & in vitæ ſanctimonia poſita eſt) pudefiant, agnoſcentes ſe iniuſte pios traduxiſſe. Quid autem ſit bona conſcientia, ex 13. capite ad Hebræos colligi poteſt, vbi ita inquit autor eius Epiſtolæ: Confidimus, quia bonam conſcientiam habemus, in omnibus recte conuerſari volentes. Proinde bona conſcientia erit in renatis, voluntas recte faciendi, vt ſciens & volens non ruas contra voluntatem Dei. Huiuſmodi conſcientia Actor.14. dicitur ἀπρόσκοπος, in hoc, inquit Paulus, ipſe me exerceo, vt conſcientiam habeam ἀπρόσκοπον apud Deum & apud homines ſemper, hoc eſt, talem, qua caueam perpetuo, ne vel Deū ſciens & volens offendam, vel hominibus ſim ſcandalo. Obſerua hoc loco, quo omnes conatus piorum in hac vita referri debeant, nimirum, vt bonam conſcientiam apud Deum habere, & bonam famam coram hominibus tueri poſsint. Contra vero obſerua nihil triſtius eſſe mala conſcientia, & mala fama. Illa enim intus cruciantur homines: hac foris contemnuntur, & veluti expuuntur, tanquam res fœdiſsima & abiectiſsima.

Melius enim eſt bene agentes, ſi ita velit voluntas Dei, pati, quam male agentes.

Ratio à collatione cauſſarum crucis (alij enim affliguntur propter peccata ſua, alij præter merita ſua) quaſi dicat: Etſi grauis crux eſt, tamen melius eſt propter bonam cauſſam affligi, quam propter malam. Nam qui affligitur ob bonam cauſſam, beatus eſt, quemadmodum ſupra Petrus ex concione Chriſti probauit. Interponitur autem hic argumentum à voluntate Dei ſumtum: Si ita, inquit, velit voluntas Dei. ac ſi dicat: Cum crux non caſu aliquo nobis imponatur, ſed ex conſilio Dei, ęquius ferenda eſt. Nam clementiſsimus pater nō caſtigat filios ſuos, vt perdat eos, ſed potius vt caſtigatos ſeruet, dum in ipſius crucis onere opprimitur & mortificatur corpus peccati. Imprimis ergo obſeruandum eſt, quod cauſſam crucis piorum affirmat eſſe voluntatem Dei. Hæc, quia ſemper bona, iuſta & ſancta eſt, par eſt, vt ei nos ſubijciamus in timore Dei per patientiam, præſertim cum tendat in noſtrum profectum. Nam ideo, vt Paulus 1. Cor. 11. teſtatur, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Nihil enim procliuius eſt, quam à Deo deficere, cum omnia nobis ex votis cedunt, ſiquidem ea eſt naturæ noſtræ prauitas, vt ſecundis rebus vti non poſsit, niſi in ſuam pernitiem. Quare rectiſsime à Poeta dictum eſt:

Neſcia mens hominis fati ſortiſque futuræ,
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Dauid ſua experientia edoctus ait: Priuſquam humiliarer, erraui. Item, Bonum eſt mihi Domine, quod humiliaſti me, vt diſcam ſtatuta tua. Hinc patet, quodnam ſit Dei conſiliū, quando ſuos cruce examinat, videlicet, vt in doctrina pietatis proficiant, & in vitæ innocentia perſeuerent, ſeu vt Paulus loquitur, vt abundent magis magiſque in omni cognitione & ſenſu. Feramus igitur æquo animo crucem, cogitantes bonam Dei voluntatem eſſe, vt cruce coerceamur, ne caro ferociat aduerſus ſpiritum.

Nam & Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus fuit, iuſtus pro iniuſtis, vt nos adduceret Deo.

Aetiologia eſt ab exemplo Chriſti. Chriſtus, etſi iuſtus fuit, malis tamen affectus eſt. Proinde nos quoq; Chriſti exemplo patiamur potius bene agentes quam male agentes. Obſerua hoc loco diſcrimen inter noſtram crucem, & crucem Chriſti. Chriſtus enim paſſus eſt pro iniuſtis, vt eos Deo adducat, hoc eſt, vt eos ſua victima redētos à reatu & obligatione damnationis abſolueret, & veſtitos ſua iuſticia reconciliaret Deo, iuxta illud 2. Corinth. 5. Eum qui nō nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo. Nos autē patimur Dei conſilio, vt in nobis vetus homo crucifigatur, & nouus quidam formetur. In huius veteris hominis mortificatione, & in noui formatione ſita eſt ſanctificatio noſtri, quæ in nobis peragitur virtute mortis & reſurrectionis Domini.

Mortificatus quidem carne, viuificatus vero ſpiritu.

Quemadmodum in Chriſto commendatur nobis crucis ferendæ exemplum: Ita ſpes glorioſæ liberationis in eodem exemplo nobis proponitur. Nam vt ille poſt mortem in gloriam ſuam per reſurrectionem à mortuis intrauit: Ita & nobis poſt crucem, ſi modo in fide Chriſti vſq; ad finem perſeuerauerimus, gloria expectanda eſt, iuxta illud Pauli Roman. 8. Si patimur cum illo,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſimul cum illo regnabimus. Vt enim ille ſua diuina natura excitatus eſt, poſtquã ex infirmitate carnis eſt paſſus: Ita nos eadem ſua diuina virtute olim excitabit & viuificabit, vt beati æternũ cum illo regnemus. Hic ſenſus verborum Apoſtoli eſt, vnde patet, quod carnis vocabulo humana natura Chriſti tota intelligatur: Sicuti ſpiritus appellatione eiuſdẽ diuina natura. Nam vt ſecundũ humanã naturam eſt paſſus: Ita ex potentia diuina eſt excitatus, quemadmodũ Paulus docet 2. Corinth.13. hiſce verbis: Crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex Dei potentia. Perperam igitur quidam ſpiritus nomen ad animam Chriſti referunt, contra apertũ Pauli teſtimoniũ. An non plena eſt partitio, qua hic dicitur, Chriſtus mortificatus carne, & viuificatus ſpiritu: Significat ergóne hic Petrus Chriſtum totum cõſtare ex carne & ſpiritu? vbi animæ mentio, ſi ſpiritus nomen diuinitatem notat? Ad hoc ſupra reſponſum eſt, & nota eſt ſcripturæ phraſis, qua carnis nomine integer homo ex anima & corpore conſtans intelligatur. Si ſic eſt, animam Chriſti mortuam fuiſſe fateris? Nequaquam, ſed dolores mortis fuerunt communes corpori & animæ, adeo quidem vt anima proprie paſſa dicatur, ſicut corpus proprie mortuum dicitur, anima ex ipſo egreſſa.

In quo etiam ſpiritibus, qui ſunt in carcere, profectus prædicauit, immorigeris olim cum ſemel expectabat Dei patientia in diebus Noe, dum appararetur arca, in qua paucæ, hoc eſt, octo animæ ſeruatæ ſunt per aquam. Cui nunc reſpondens exemplar etiam nos ſaluat Baptiſma, non ſordium carnis depoſitio, ſed conſcientiæ bonæ ſtipulatio cum Deo, per reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt in dextra Dei profectus in cœlum, ſubiectis ſibi angelis & poteſtatibus & virtutibus.

Quia maxima vis ineſt ſuaſorijs argumentis, quę petuntur ab exemplis, in quibus præmia virtutum & ſupplicia contumaciæ referuntur: Petrus proponit collationem temporis Noe, & Chriſti exhibiti in carne, ſeu temporis, quo hæc Apoſtolus ſcripſerat. Quemadmodum itaq; tempore Noe ſpiritus Chriſti prædicauit hominib⁹, quorum pleriq; quidem verbo prędicato non crediderunt, & propterea eorũ ſpiritus nunc detinentur in carcere exteriorum tenebrarum, vbi luunt ſuæ contumaciæ pœnam. Alij vero vt Noe cũ ſua familia, hoc eſt, octo homines, & verbo obtẽperarũt, & ſunt propterea per medias diluuij aquas ſeruati in Arca, reportantes ſuæ obœdientiæ præmia: Ad eundem modum nunc idem Chriſti ſpiritus in Apoſtolis, & eorũ ſucceſſoribus prædicat hominibus, quorum pleriq; prædicato verbo non obtemperant, pauci vero obtẽperant. Verum vt illi nõ Euangelio obtemperantes, olim in diluuio ſuorum peccatorũ abſorbebantur: Ita hi pauci, qui verbo Euangelij credunt, ſaluabuntur per Baptiſma, quod eſt bonæ conſcientiæ cum Deo ſtipulatio, confirmata per reſurrectionẽ Ieſu Chriſti, cui omnia ſubiecta ſunt. Cum igitur triſtiſsimus ſit futurus exitus impiorum, & feliciſsimus piorum, ſancte & pie viuendũ eſt, & cauendum eſt, ne propter præſentis crucis acerbitatem abijciamus confeſsionẽ, aut languidiores reddamur ad benefaciendũ. Hactenus ſimpliciſsime argumentũ Petri recitauimus, ſingula ſingulis conferendo, vt à quouis argumenti vis & ratio intelligi poſsit. Hanc interpretationẽ noſtrã facile probabit is, qui ſcopũ Apoſtoli & argumentorũ ſeriem diligentius examinauerit, & perpenderit. Verum ne quid coactum videatur in noſtra explicatione, verba Apoſtoli particulatim perpendamus. In quo etiam, ſcilicet, ſpiritu. Spiritum hic non ſignificare animam Chriſti, ſed Chriſti diuinitatem, ex ſuperiori verſu apparet. Loquitur enim de eo ſpiritu, quo Chriſtus excitatus eſt ex mortuis, quem Paulus 2. Corinth.13. potentiam Dei definit. Quod autem hoc ſpiritu Chriſtus ante aſſumtam humanã naturã affuerit ſanctis Prophetis & prędicauerit, ipſe Petrus teſtis eſt, qui ſupra in primo capite Chriſti ſpiritũ teſtatur prænunciaſſe Chriſti paſsionẽ, & conſecuturam gloriam. Cum ergo Chriſtus ſpiritu profectus dicitur, & prædicaſſe immorigeris, nequaquã poteſt intelligi de corpore aut anima Chriſti. Nã carni, id eſt, humanę naturę, opponit ſpiritũ, id eſt, diuinam naturã ſeu Spiritum ſanctum, qui ſpiritus Chriſti & Dei dicitur. Neq; oſtendere poteſt, quod dicatur profectus eſſe ſpirit⁹ Chriſti, quod non videtur conuenire diuinæ naturæ, quæ vbiq; præſens eſt. Eſt enim vſitata ſcripturæ phraſis, tribuere Deo membra, actiones humanas & affectus, vt iſta ratione conſulatur infirmitati ac captui noſtro. Hinc eſt, quod nunc dicatur aſcendere, nunc deſcẽdere, nũc aduenire, nũc recedere, viſitare &c. Hãc figurã vocãt Theologi ἀνθρωποπάθειαν, qua Deo tribuuntur ſimilitudine quadã humanæ affectiones & actiones. Sed quibus profectus prædicauit ille Chriſti ſpiritus: τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι, hoc eſt, ijs qui ſunt in carcere, ſpiritibus. Qui autem vertunt, ijs, qui erant in carcere, ac ſi iam ibi non eſſent, vim faciunt

verbis

verbis Petri, & eorũ ſententia in ipſo textu refellitur. Nam Petrus aperte affirmat, eos fuiſſe immorigeros prędicationi ſpiritus Chriſti. Quare eos manere in carcere manifeſtum eſt, iuxta hoc Chriſti dictum: Qui non credit, ira Dei manet ſuper eum. Deinde, antitheſis temporis obſeruanda eſt in his duobus mẽbris, τοῖς ἐν φυλακῇ, ἀπειθήσασί ποτε, Ac ſi dicat Apoſtolus, ijs prędicaui, qui olim fuerunt inobœdientes, & nunc ſunt in carcere, quantum ad animas attinet. Sed cur non dicit Petrus, ſpiritum Chriſti prædicaſſe hominibus? Quia Petrus ſui ſeculi reſpectu loquitur, quando impiorũ corpora putrefacta fuerunt, ſed ſpiritus, hoc eſt, animæ in carcere tenebrarũ detinebantur, vbi pœnas ſuæ contumaciæ luunt. Commodius igitur Apoſtolus ſpiritus dixit, quàm homines, vt propoſita pœna, quam luunt ſpirit⁹ impiorum, ad reſipiſcentiam homines inuitet. Cum ſemel expectauit Dei patientia in diebus Noe, dum appararetur Arca. Quid quęſo clarius eſſe poteſt hac temporis aſsignatione, quo ſpiritus Chriſti dicitur prædicaſſe imorigeris? Tempus Noe nominatur, quando patientia Dei expectauit impij mundi reſipiſcentiam annos fere centũ & viginti, quemadmodum Geneſ. 6. habetur. Quicunq; autem ad prædicationẽ ſpiritus Chriſti non egerunt pœnitentiam, in diluuio perierunt, & qui ſpiritui Chriſti prędicanti crediderunt, per arcá ſunt liberati à diluuio. Huc vſq; antecedens argumenti extenditur, ſequitur conſequens. CVI nunc correſpondens exemplar etiã nos ſaluat baptiſma. Aquam diluuij, in quo ferebatur Arca, figuram Baptiſmi fuiſſe pronunciat, qui Baptiſmus etiam nos hodie ſaluat, quando ſpiritui Chriſti nobis prædicanti credimus, quemadmodũ Noe fecit. Sed quomodo quæſo Baptiſmus ſaluat? Chriſtus ſaluat, miniſter verbi recte docens ſaluat, vt Paulus ait, ſcribens Timotheo, Baptiſmus ſaluat, quemadmodũ hic Petrus aperte docet, hæc ſtare non poſſunt ſine implicatione cõtradictionis, niſi diuerſos ſaluãdi modos intelligamus. Chriſtus proinde ſolus ſaluat, vt ſalutis autor & mediator, qui ſoluit λύτρον pro nobis, placat irã Dei, remittit peccatũ, imputat credenti ſuam iuſticiã, & acceptat eum ad vitã æternam. Hunc ſaluandi modũ vel miniſtro verbi tribuere, vel baptiſmati, ſumma eſt in filium Dei contumelia. Quomodo igitur ſaluat miniſter? vt ſalutis viã monſtrans, nõ ſalutis autor aut effector. Ab hoc ſaluandi modo differt etiã baptiſmus. Nã baptiſmus ſaluat, vt pacti & fœderis Dei de ſalute hominis obſignatio & applicatio. Hæc tria vno verſu ad Epheſ. 5. coniunguntur, vbi ita ait Apoſtolus: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, purgans lauacro aquæ per verbum. Hic Chriſto, lauacro aquę, & verbo tribuitur purgatio & ſanctificatio, id eſt, ipſa ſalus. Chriſto vt autori, lauacro aquæ vt efficaci teſtimonio fœderis de ſalute, & verbo, quo promiſsio ſalutis offertur, fide accipienda, quæ fides etiam ſaluare dicitur, vt inſtrumentũ recipiens oblatam gratiam & ſalutem. Quod autem relatiuum cui, ad aquam refero, & non ad arcam, cogit græca lectio, quæ iuxta emendatiora exemplaria ſic habet, ᾧ ἀντίτυπον καὶ ἡμᾶς σώζει. Si enim ad arcã debuiſſet referri, dixiſſet ἣ ἀντίτυπον (Eſt autem ἀντίτυπον proprijſsime quod typo reſpondet.) In ſcriptura duo habet ſignificata, ad Hebræos 9. ſignificat figuram, imagine ſua aliquid præſignantem, vt cum dicitur, ſancta manufacta fuiſſe ἀντίτυπα verorum. At hoc loco ſignificat ipſam veritatẽ, prius typo figuratam, ſed reſpondentẽ ſimilitudine quadam ſeu analogia typo ſeu figuræ, vt baptiſmi aqua reſpondet aquæ, in qua ſaluatus eſt Noe in arca. Quemadmodũ enim aqua per ſe non ſaluauit Noe, ſed mediante arca, ita aqua Baptiſmi per ſe non ſaluat, ſed mediante arca, hoc eſt, Chriſto Ieſu. Porro, ne quis in elementum aquæ, tanquam ſalutis cauſſam efficacem, animum intendat, addit Apoſtolus definitionẽ baptiſmi per abnegationem & affirmationem. Primum enim dicit, baptiſmũ non eſſe ſordium carnis (hoc eſt, humani corporis) depoſitionem ſeu ablutionem, hoc eſt, non eſſe deſtinatum baptiſmũ, vt eo externæ ſordes, quæ in hominis carne hærent, abluantur. Deinde definit baptiſma eſſe ſtipulationẽ bonæ conſcientiæ cum Deo, per reſurrectionem Ieſu Chriſti. Hæc definitio, vt recte intelligatur, ſacramentorum ratio excutienda eſt, quod vt facilius fiat, proponam circumciſionem, quam omnes fatentur ſacramentũ eſſe, in cuius locũ ſucceſsit baptiſmus. Dominus Abrahamo fecit hanc promiſsionem: Ego ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te in ſempiternum, hoc eſt, Ego te & ſemen tuum in gratiam recipio. Requirit deinde ab Abrahamo Dominus promiſsionis fidem & obœdientiam, cum ait: Ambula coram me, & eſto perfectus, id eſt (obtempera mihi, quod & fecit Abraham, paratus ad mactandũ filium.) Hæc ergo ſe mutuo reſpiciũt, promiſsio & fides promiſsionis, à qua obœdiẽtia ſeparari nequit. Sunt autem hæc duo veluti pactio mutua inter ſe ſtipulantiũ, Dei ſcilicet promittentis gratiã, & Abrahami credentis promiſsioni. Ad huius pacti ratificationẽ & obſignationem mandatur circũciſio, quæ propterea dicebatur ſignũ fœderis à Moſe, à Paulo vero σφραγὶς, id eſt, ſignaculum iuſticiæ fidei. Huius fœderis teſtimonio conſcientia Abrahami certificabatur, quaſi autentico quodam ſigillo, de gratia & fauore Dei erga ſe. Ex his cõcluditur, quod quatuor

requi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

requirantur ad integram rationem ſacramenti, videlicet promiſsio, fides reſpondens promiſsioni, mandatum Dei, & externa actio ſeu ſignum ſymbolicum. Hæc cum ad Petri definitionem accommodantur, erit multo planior. Cum ergo dicit Petrus, baptiſmum eſſe ſtipulationem, id eſt, ſolennem pactionem, quæ fit præcedente interrogatione & ſequente reſponſione, ſignificat promiſsionem ſalutis offerri in Baptiſmo, quam cum homo fide apprehendit, rata eſt pactio, quæ certificatur per baptiſma diuinitus inſtitutum, quod baptiſma huius pactionis teſtimonium & ſigillũ eſt, adeo vt hominis conſcientia iam tranquilla reddatur apud Deum, quem ſibi reconciliatum ſtatuit per reſurrectionem Ieſu Chriſti, id eſt, per victimam & obœdientiã Chriſti. nam reſurrectionis voce συνεκδοχικῶς tota Chriſti obœdientia comprehenditur. Ex hac definitione Petri ortum eſſe exiſtimo, quod in celebratione baptiſmi ſtipulandi forma ſeruetur. Nam facta interrogatione ad baptizandũ, & data reſponſione à teſtibus baptiſmi, conferebatur ſacramentum baptiſmus in promiſſionis certitudinem. Nam cum dicit miniſter baptiſmi: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, amen, ſenſus eſt: ſtipulatio eſt inter æternum Deum & te, vt ipſe ſit Deus tuus, & tu viciſsim in illum vera fide recumbas. Hac igitur merſione ſtipulationis mutuæ obſignaculo teſtificor & pronuncio, te à Deo propter Filium receptum eſſe, vt ſpiritu eius ſanctificeris ad vitam æternam. Porro, vt & pios conſoletur, & impijs, non agentibus pœnitentiam, terrorem incutiat, ſubiungit: Qui (Chriſtus) eſt in dextra Dei, hoc eſt, æqualis Deo patri, profectus in cœlũ, ſubiectis ſibi angelis, poteſtatibus & virtutibus. Hic omnia Chriſto ſubijcit, vt ſignificet ipſum poſſe quos vult tueri ſaluareque, & poſſe quos vult perdere. Qui, vt vult ſemper ſeruare credentes ſpiritui ſuo in prædicatione Euangelij: Ita contumaces vult ſupplicijs æternis punire. Quod autem interponit hic vetus interpres: Deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficiamur. Etſi nunc in Græcis codicibus non eſt ſcriptum, tamen minime ocioſum videtur. Significatur enim his verbis virtus reſurrectionis, quæ eſt reſurrectio credentium ad immortalem & beatam vitam, quam Apoſtolus vult nos intueri, vt eius cogitatione retineamur in officio.

CAPVT IIII.

Summa Capitis quarti.

Quemadmodum ad mortificationem carnis, vt pie & in dilectione viuant Chriſtiani: Ita ad patienter ferendam crucem, modo ne vt malefici, ſed vt Chriſtiani patiantur, hortatur Apoſtolus.

Ordo & partes Capitis quarti.

Partes huius capitis principales duæ ſunt, & vtraque paranetica. In priori hortatur Apoſtolus ad mortificationem carnis, vt conuerſi, renunciatis Ethnicis turpitudinibus, in pietate & caritate reliquum vitæ tempus degant. In poſteriori hortatur ad patientiam ſub cruce, idque multis argumentis, iubetque, vt conuerſi caueant, ne vt malefici, fures & latrones patiantur, ſed vt Chriſtiani, ſpe futuræ gloriæ ſe erigentes.

EXEGESIS CAPITIS QVARTI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

CVM igitur Chriſtus paſſus ſit carne, vos etiam eadem cogitatione armemini.

Dixit Apoſtolus in ſuperiori capite, Chriſtum mortificatum eſſe carne, & viuificatum ſpiritu: Nunc inde infert & extruit præſentem exhortationem, ſumto argumento nõ ſolum ab exemplo Chriſti, verum etiam à virtute mortis Chriſti. Virtus enim mortis Chriſti eſt, quæ facit vt nos quoq; moriamur peccato, id quod ſymbolo baptiſmi ſignificatur, quemadmodum Paulus eleganter docet Rom. 6. vbi ita ait: An ignoratis, quod quicunq; baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortẽ eius baptizati ſumus? Vna ergo ſepulti ſumus cum illo, per baptiſmum in mortem, vt quemadmodũ Chriſtus excitatus eſt à mortuis per gloriã Patris: ſic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Armari ea-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ri eadem cogitatione, eſt induere eandem cogitationem, vt, quemadmodum Chriſtus eſt paſſus carne, id eſt in humana natura, quæ conſtat anima & corpore: Ita etiam carnem veſtram, hoc eſt, vicioſitatem naturæ mortificare & abolere debetis. Notetur hoc loco, quod mortificatio noſtri, quæ in vera pœnitentia ſita eſt, proficiſcatur ex virtute mortis Chriſti, quæ nobis in baptiſmo obſignatur, & eſt efficax in omnibus ijs, qui fidem habent. Nam Chriſtus per fidem in cordibus noſtris habitat, ad Epheſ. 3.

Quoniam qui paſſus eſt in carne, deſtitit à peccato, vt non amplius cupiditatibus hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt temporis in carne, viuat.

Ratio exhortationis à definitione, ſeu effectu mortificationis. Definitur enim hic mortificatio, quod ſit ceſſatio à peccato, ita vt homo non amplius viuat iuxta cupiditates hominũ non conuerſorum, ſed potius ex præſcripto voluntatis Dei. Paſsio enim carnis, eſt abolitio cupiditatum. IN Carnis vocabulo figura eſt antanaclaſis. Priori enim loco pro vicioſitate naturæ accipitur, in poſteriori pro præſentis & infirmæ huius vitæ conditione & ſtatu. PORRO, quia vocabulum carnis ſæpe in ſcriptura occurrit, & non ſemper eadem ſignificatione, placet hoc loco eius varia ſignificata recenſere. CARO itaq; bifariam in ſcriptura accipitur. Alias enim proprie, alias figurate ponitur. Proprie, caro eſt maſſa carnea ſeu ſubſtantia, vt cum Paulus dicit: alia caro piſcium, alia volucrum. Item cum dicitur: Homo conſtat carne & anima. Figurate, idq; nũc per Synecdochen, & ſignificat hominem plerumq;, vt cum dicitur: Omnis caro corruperat viam ſuam. & interdum quoduis animal, vt in hoc dicto: Finis vniuerſæ carnis venit coram me. Verum cum Chriſti fit mentio, vt in hoc loco Petri, & in tertio capite, ſignificat naturã humanam, quæ conſtat anima & corpore. Nunc per Metonymiam, idq; tripliciter. Primum enim vicioſitatem naturæ humanæ ſignificat, ſeu quicquid eſt in homine ſine regenerationis gratia, vt in his dictis Ioan. 3. Quod natum eſt ex carne, caro eſt, Roman. 8. Si vixeritis ſecundum carnem, moriemini. Caro & ſanguis regnum Dei non poſsidebunt. Deinde, notat externam rerum ſpeciem, ſeu apparentiam, vt in illo dicto: Vos iudicatis ſecundum carnem. Tertio, ſignificat conditionem, & ſtatum huius vitæ. Galat. 2. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo, quæ eſt in filium Dei. Item, hoc loco: Quod reliquum eſt temporis in carne. His animaduerſis ſignificatis, facile eſt animaduertere quodnam ſignificatum hoc in loco congruat.

Sat enim eſt nobis, quod anteacto vitæ tempore, voluntatem gentium patrauerimus in laſciuijs, concupiſcentijs, vinolentijs, comeſſationibus, potationibus & nefarijs idolatrijs ambulantes.

Aetiologia eſt à vitæ genere ſumta, per collationem. Gentes, id eſt, non renati homines feruntur, quo mala libido ſuadet. Vos autem renunciaſtis gentibus, & Chriſto nomina dediſtis, Ergo poſthac non decet, vt gentium vicijs polluamini. Enumerat autem Apoſtolus quædam carnis membra exempli gratia, quæ omnia carnis nomine ſupra intellexit Apoſtolus. LASCIVIA, ἀσέλγεια, facit vt depoſito omni pudore, homo ſe totum omni incontinentiæ & libidini proſtituat, indeque ſummam voluptatem capiat. VINOLENTIA, οἰνοφλυγία, eſt continua ebrietas ſeu eructatio, ex aſsiduo & immodico vini vſu, qua laborant, qui perpetuis heluationibus indulgent. COMESSATIO, κῶμος. Proprie κῶμος dicebatur Deus præſes nocturnorum conuiuiorum, & ſaltationum laſciuarum. Vnde metonymice ſignificat conuiuium laſciuum, petulans & immoderatum. Ab hac græca voce ortum eſt latinum vocabulum, comeſſari, id eſt, laſciua conuiuia & nocturnas ſaltationes exercere, & comeſſatio nequitiæ & intemperãtiæ exercitatio. POTATIO πότος græce certamen potandi notat. Cum hæc vitia gentium eſſe Petrus pronunciat, ſatis oſtendit, quod qui illis indulgeant, nondum ſunt in familia Chriſti, niſi ſolo nomine. Nulla in illis virtus mortis Chriſti apparet, nullum imperium ſpiritus, imo toti imperio carnis ſe ſubmittunt, in quorum numero vtinam non eſſent plerique illorum, qui alijs ſobrietatis & continentiæ regula eſſe deberent.

In quo peregrinantur, quod non concurratis vos in eandem luxus profuſionem, blaſphemantes, qui reddent rationem ei, qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos.

Amplificatio eſt impietatis gentiũ, & indicatio pœnæ, quam olim ſuſtinebunt prophanæ gentes, cõtemnentes Euangelium. Impietas quidem

maxima

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

maxima eſt, quod poſtquam impij vidẽt renatos priſtinæ impietati, in cuius profuſionem antea cum gentibus proruerant, renunciaſſe, tanquam peregrini, vt qui aliquid antea non viſum contemplantur, admirantur, & ſimul de ijs male loquuntur, varias obloquendi vias excogitantes, adeo nemo vel inculpatiſsimæ vitæ à Sycophantarum morſibus immunis eſſe poteſt. Pœnæ indicatio eſt, quod prophanæ gentes reddituræ ſint rationem ei, qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos. Viuos vocat, vt in ſymbolo Apoſtolico, eos quos viuos adhuc Dominus ad iudicandũ veniẽs, reperiet. Mortuos vero, qui antea mortui erant, ſed tunc viui corã tribunali Chriſti apparebunt. Tametſi enim qui in aduentu Domini adhuc erunt ſuperſtites, in momento commutabuntur, & induent immortalitatem, non tamen mori dici poſſunt, propterea quod animæ à corporibus nõ decedent. VERBVM peregrinandi, per Matalepſin ponitur, pro eo quod peregrinantibus in alienis regnis accidere ſolet. Vt enim illi pallatia, arces, portus, monumenta, aliaq; non prius viſa contemplantes, quaſi res ſibi inſolens accideret, admirantur: Ita prophanæ gentes ſubitam admirabantur mutationẽ vitæ eorum, qui ad Chriſtum conuerſi erant. Antea enim nefarias idolatrias cum gentibus habuerunt communes, nunc vero eaſdem deteſtantur, & extreme abominantur. Antea habuerunt ipſos ſocios omnis laſciuiæ & nequitiæ, nunc eoſdẽ vident omnem laſciuiam & nequitiam auerſari. Hanc cum vident ſubitam mutationem, tanquam in alienis regnis peregrinantes, admirantur, additis conuitijs, quibus virtuti vitij laruã induunt: Perinde atq; noſtro tempore fieri ſolet. Qui enim vere ad Dominum conuerſus, à craſsioribus vitijs abſtinet, quibus aſſuetus fuit olim, à veteribus ſocijs deridetur, & cõtemnitur, tanquam indignus honeſtorum hominum ſocietate. Verum nos ſciamus eos fruſtra de religione gloriari, quicunq; vitã in melius non mutant. Vocati enim ſumus non ad immundiciem, ſed ad ſanctificationem. Hęc, inquit Paulus, eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtri. Item, Eratis aliquando tenebrę, nunc autẽ lux in Domino, tanquã filij lucis ambulate.

Nam, iccirco mortuis quoq; eſt prædicatum Euangelium, vt iudicentur quidem ſecundum homines in carne, viuant autem ſecundum Deum in ſpiritu.

Dixit iudicandos eſſe mortuos, nunc eius iudicij rationem reddit, videlicet, quod non habeant quod obtendant. Prædicatum enim ipſis Euangelium, dum adhuc viuerent, non omnes receperunt. Addit finem prædicati Euangelij, quem accommodat ſuo propoſito: vt damnarentur, inquit, ſecundum homines, Carne, hoc eſt, vt mortificaretur vetus homo in ipſis, & aboleretur corpus peccati, & viuerent ſecundũ Deum ſpiritu, hoc eſt, vt nouam vitam renunciantes vitijs meditarentur. Hunc eſſe ſenſum huius loci, ipſe contextus & ſcopus diſputationis conuincit. Quod autem mortuis prædicatum fuiſſe Euangelium dicit, intelligendum eſt reſpectu temporis, quo Petrus hæc ſcripſit, quando mortui erant, quibus olim prædicatum fuit Euangelium.

Omnium autem finis imminet.

Argumentum à temporis circumſtantia ductum, quaſi dicat: Cum prudentis ſit, non tantum ea videre quæ ante pedes ſunt, verum etiam ea quæ futura ſunt proſpicere, decet profecto, vt qui iudicis iram euadere volunt, mature reſipiſcant, præſertim, cum dies iudicij ſit præ foribus. Huius proinde temporis ſeu finis cogitatio, merito in officio nos retinere deberet. Ex hoc enim fine ſæpiſsime à Prophetis ſuaſoria ducuntur argumenta. Eccleſiaſt. 11. Sane ſi annis multis vixerit homo, & in omnibus illis lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum, quia cum venerit, vanitatis arguentur præterita. Et Ieſus Syrach: In omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis. Debet itaq; finis, qui imminet, perpetuo nobis in cõſpectu eſſe, vt nos à peccato reuocet, metu pœnæ: in bono detineat, ſpe promiſsionum: in aduerſis ſoletur, cogitatione gloriæ: in proſperis humiliet, cogitatione beatæ immortalitatis, cuius illi ſolummodo erunt participes, qui in timore Dei perſeuerant, hoc eſt, qui fidem & bonam conſcientiam vſq; ad finem retinent. Qui enim iſto pacto finem vitæ fecerint, habebunt Deum finem deſideriorum ſuorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Atq; tum demum complebitur canticum illud: Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Sitis ergo ſobrij, & vigilantes ad orandum.

Ex fine prædicati Euangelij infert Apoſtolus parænеſes q̃uaſdam de nouitate vitæ, & oſtendit quib. in rebus viuificatio, quæ eſt altera ſanctificationis pars, ſita eſt. Nam de mortificatione priore ſanctificationis parte à principio capitis huc vſq; actum eſt. Quare, hic oportune de viuificatio-

ne agit, quæ ex aduerſo reſpondet mortificationi. Quantum enim vetus homo mortificatur, tantum nouus viuificatur & creſcit. Coniungit autem hic Apoſtolus tria, Sobrietatem, Vigilantiam, & Orationem. Sobrietas, ſi græcæ vocis vim reſpicis, ad mentem refertur, & vt Plato docet, opponitur μανίᾳ. Eſt enim prudentiæ quædam conſeruatrix, quæ ſita eſt in mentis, affectuum & voluntatis harmonia. Vigilantia, iuxta ἔτυμον græcum, opponitur ebrietati, & eſt corporis ſobrietas, videlicet, cum corda non grauentur crapula & ebrietate. Requirit igitur Apoſtolus ad orationem cum mentis, tum corporis ſobrietatem. Orationis vocabulo intellige quatuor illas formas, quas Paulus enumerat 1. Timoth. 2.

Ante omnia vero caritatem, alij in alios, propenſam habentes. Nam caritas operit multitudinem peccatorum.

Vt ad orationem & pietatem erga Deum requiritur cum mentis tũ corporis caſtitas: Ita officiorum quæ proximis debemus fundamentum & caput eſt caritas, quæ eſt vinculum pacis & perfectionis, cum quia errata fratrum aut corrigit aut tegit, tum quia officiorum effectrix eſt mutuorum. Papiſtæ, qui hoc loco abutuntur ad ſtabilienda merita operum, vim faciunt verbis Petri. Non enim loquitur hic Petrus de abolendis ſeu tegendis peccatis coram Deo, quaſi hominis caritas vim tegendi peccata coram Deo haberet: ſed de hominibus agit, qui incidentes fratrum lapſus, & errata per caritatem tegunt, & non traducunt calumnioſe alienam vitam. Hunc eſſe verum ſenſum dicti Petri, apparet ex Salomone, vnde hoc dictum mutuatus eſt Apoſtolus. Nam ibi odium & caritas opponuntur, vt cauſſæ contrariæ in contrarijs effectibus. Ita enim ait: Odium ſuſcitat rixas, & vniuerſa delicta operit caritas. Sed quomodo operit caritas delicta? Non defendendo, ſed tegendo: non approbando, ſed occultando: non augendo, ſed curando. Breuiter, fides & caritas, quomodo agendum ſit cum lapſis fratribus, ſatis docere poſſunt. Fides auertit contumeliam Dei, caritas quærit ſalutem proximi.

Hoſpitales eſtote alij erga alios, ſine murmurationibus.

Effecta quædam caritatis recitat, ac primo loco ponit hoſpitalitatẽ φιλοξενίαν, quæ proprie eſt humanitas, qua amanter peregrinos complectimur. Ab hac vult abeſſe murmurationem, vt quæ cum vera caritate pugnet. PORRO, cum hic locus hoſpitalitatem nobis commendet, non erit inutile huc aſſcribere, quid ſit de hoſpitalitate ſentiendum. Recte numerantur quatuor hoſpitalitatis genera, quorum primum pompoſum & ſplendidum eſt. Secundum, ſordidum & auarum. Tertium, ciuile & ἠθικόν. Quartum, Chriſtianum & ſanctum.

POMPOSVM & ſplendidum eſt, de quo Cicero in officijs loquitur in hunc modum: Recte à Theophraſto laudata eſt hoſpitalitas. Eſt enim valde decorum patere domos hominum illuſtrium, hoſpitibus illuſtribus. Hoc genus hoſpitalitatis Lactantius teſtatur detortum eſſe à vera iuſticia, & raptum ad proprium commodum.

SORDIDVM & auarũ eſt eorum, qui peregrinos quidem excipiunt hoſpitio, non tam ſpectantes peregrinorũ neceſsitatem quam propriũ lucrum, nõ accepturi, ſi nulla ſpes lucri appareret. Etſi autẽ hoſpitalitatis hoc genus, hominũ vicio cõtaminatur, tamẽ omnino eſt neceſſariũ. Nam tametſi huius cauſſa eſt auaritia, tamen peregrini eo carere non poſſunt.

CIVILE & ἠθικὸν diuiditur in προξενίαν & ἰδιοξενίαν. προξενία eſt ea hoſpitalitas, qua aliæ gentes ſeu populi alios hoſpitio excipiunt, propter amicitiã ſeu fœdus interpoſitũ. Huiuſmodi hoſpitalitas nuſquam non locorum vſitata eſt, præſertim in Legatis excipiendis. Sic Galli Danorũ, & viciſsim Dani Gallorũ legatos humaniter excipiunt, & amice propter fœdera interpoſita, tractant. ἰδιοξενία eſt, qua priuati ſe inuicem excipiunt propter amicitiam, quæ inter eos eſt. Qualis autẽ hæc ἰδιοξενία eſſe debeat, docet Homerus cũ ait, χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντά τε πέμπειν. Id eſt, Oportet hoſpitẽ amanter tractare, volentem autem dimittere. Quam autem diu ſit grata à vulgo hæc ἰδιοξενία, oſtẽdit Euripides in Hercule, cum ait, ὡς τὰ ξένων πρόσωπα φαίδροισι φίλοι, ἓν ἦμαρ βλέμμα ἔχειν φασὶ μόνον.

CHRISTIANVM & ſanctũ hoſpitalitatis genus eſt, quo Chriſtiani peregrinos ſanctos ex caritate excipiunt, eoſq; benigne & amanter communis religionis gratia complectuntur & fouent, tanquam membra Chriſti. In hoc hoſpitalitatis genere ſpectentur cauſſæ, partes, præmia ſanctæ hoſpitalitatis, & pœnæ contemtus ſanctorum hoſpitum.

CAVSSÆ ſunt præcipuæ quatuor. Prima, mandatum Dei, cui omnes creaturas obtemperare par eſt. Præceptum enim dilectionis hoſpitalitatẽ, vt partem in ſe continet. Petrus hoc loco, dictante Spiritu ſancto, hortatur nos, vt amanter complectamur hoſpites, eoſq; humaniter foueamus. Epiſtola ad Hebr. capite 13. dicit, Hoſpitalitatis ne ſitis imemores. Secunda, eſt mutua caritas, qua Chriſtiani omnes ſibi inuicem deuincti ſunt. Hæc caritas cum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cũ proficiſcatur ex fide ſincera, bona conſcientia & puro corde, non poteſt aliud quam ſanctos pauperes & exules amanter complecti & humaniter fouere. Hinc eſt, quod ſanctæ viduæ, quæ ſanctos hoſpitio exceperunt, & eorum pedes lauerunt, dignæ iudicentur, vt recipiantur, & in ſuis neceſsitatibus alantur ſumtibus Eccleſiæ. Tertia eſt conditio communis ſanctorũ. Nam cũ ſancti peregrini in hoc mundo ſæpe ſuis pelluntur ſedibus, opus habent mutua refocillatione. Nemo eſt, qui ſtatuit Deũ timere, præſertim ſi munus docendi in Eccleſia ſuſtineat, qui certum poteſt ſibi polliceri hoſpitiũ ad vitæ ſuæ terminum. Nam principes mutantur vt aura, & alij alias religiones ſectantur, & pro libidine ſæpe religiones mutant. Fit etiam interdũ, quod pij alioqui principes ab adulatorib. & ſophiſtis decipiantur, vt piam cauſſam tanquam impiã & contumelioſam aduerſus Deum, perſequantur. Vnde fit, vt pij doctores & alij, qui cordate tuentur veritatem, cogãtur exulare cum miſeris vxorib. & teneris pueris, noua ſibi quærere hoſpitia, id quod habẽt commune cum ſanctis Dei Prophetis, & Apoſtolis Domini. Quarta eſt neceſsitas, qua omnes pij obſtricti ſunt ad fouenda & refocillanda membra Chriſti. Nam qui membrũ Chriſti reijcit, quid Chriſto faceret, ſi coram conſpiceretur? Hæ cauſſæ ſunt ſatis graues, quæ nos ad humaniter excipiendos ſanctos inuitabunt, modo iure de Chriſtiano nomine gaudere velimus. PARTES hoſpitalitatis, ſeu partes officij eorũ, qui ſanctos hoſpitio excipiunt, ex 18. & 19. capitibus Geneſeos, colligam. Domine, ait Abraham Geneſ. 18. ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas à ſeruo tuo, ſed afferam puſillũ aquæ & lauentur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore, ponamq; buccellam panis, & confortetur cor veſtrum, poſtea tranſibitis. Et capite 19. Geneſ. Et obuiam iuit ijs (ſcilicet Lot) & dixit: Obſecro domini, declinate in domum ſerui veſtri, & manete ibi, lauate pedes veſtros, & manè conſurgetis & proficiſcemini in viam veſtram. Vterque, hoc eſt, & Abraham & Lot, ſuo facto docent tres partes officij pij hoſpitis. Quarum Prima eſt, benigna & amica inuitatio peregrinorum. Secunda, humana tractatio & refocillatio defatigatorum itineris moleſtia. Tertia, pacifica dimiſsio hoſpitum, cum fauſta imprecatione. PRÆMIA ſanctę hoſpitalitatis, hoc eſt, eorũ qui ex vera pietate peregrinos fouent, hoſpitio exceptos, Matth. 10. Quicunq; iuſtũ receperit, nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Pſal. 40. Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malo liberabit eũ Dominus. Ambroſius: Tanta eſt apud Deum hoſpitalitatis gratia, vt ne potus quidem aquę frigidæ à præmijs remunerationis ſit immunis. Vides quod Abraham Deum recepit hoſpitio, dum hoſpites quærit. Vides quod Lot angelos recepit: vnde ſcis tu cum receperis hominem, ſuſcipias Chriſtum. Licet in hoſpite Chriſtus ſit, quia Chriſtus in paupere eſt, ſicut ipſe ait: Hoſpes fui, & collegiſtis me. Lot hoſpitum beneficio liberatur ab incendio Sodomæ. Raab cum ſuis parcitur, eo quod hoſpites pie tractauerit & dimiſerit. Helias excitauit à mortuis filium mulieris, quæ ſe hoſpitio exceperat. Mulier Sunamitis præmium piæ hoſpitalitatis accepit. Nam Heliſęus hoſpes ei filiũ impetrauit, & ipſum poſtea defunctum miraculoſe ad vitam reuocauit. Quid multis opus eſt? Pia hoſpitalitas, vt inquit Ambroſius, duplicem mercedem habet, videlicet, humanæ gratiæ, & remunerationis diuinæ. POENÆ contemtus ſanctorũ hoſpitũ grauiſsimæ ſunt, Matth. 10. Qui vos non recipit, me non recipit. Iacobi 2. Iudicium ſine miſericordia erit ei, qui miſericordiæ fuit expers. Ambroſius: Caueamus, ne, ſi nos duri ac negligentes fuerimus in recipiendis hoſpitibus, etiam nobis poſt huius vitæ curſum ſanctorum hoſpitia denegẽtur. Chriſtus inter alia impietatis opera in extremo die exprobrabit impijs: Hoſpes eram, & non collegiſtis me.

Vt quiſque accepit donum: ita alius in alium illud adminiſtrantes, vt boni Occonomi variæ gratiæ Dei.

Hoc etiam caritatis eſt, dona quæ quis habet, in aliorum commodum & vtilitatem conuertere, cuius rei duplicem ponit rationem. Primam, Quia donum eſt, quicquid habes, datum in communem vtilitatem. Secundam, Quia ſumus Oeconomi, & non veri domini rerum, quæ traditæ ſunt.

Si quis loquitur, vt eloquia Dei (loquatur) Si quis miniſtrat, tanquam ex viribus (miniſtret) quas ſuppeditat Deus, vt in omnibus glorificetur Deus, per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Exempli cauſſa quædam pauca officia recitat, eaque in adminiſtratione Eccleſiaſtica ſumme neceſſaria. Si quis, inquit, loquitur, id eſt, ſi quis docendi munus in Eccleſia ſuſtinet, Loquatur vt eloquia Dei, hoc eſt, vt decet eum, qui legatum Dei agit, & ipſius Dei nomine verba facit, quod ſa-

ne fieri oportet in timore Dei, cum ſumma grauitate & reuerentia, vt in conſpectu Dei. Si quis miniſtrat, hoc eſt, Diaconum agit, faciat officium ſedulo, vt in omnibus glorificetur Deus per Ieſum Chriſtum. Obſeruetur diligentiſsime, quo in omnibus officijs, quæ in hac vita præſtamus alij alijs, reſpiciendum ſit, nempe vt glorificetur Deus. Quoniam autem Deus glorificari non poteſt, niſi officium ſit legitimum, & fides in agente luceat, à qua caritas abeſſe non poteſt (nam hæc ſymbolum ſanctorum eſt,) Sequitur in omni vocationis officio requiri verbum de vocatione, fidem & caritatem actionum regulas & finem, quæ eſt gloria Dei. Iuſtinus martyr pulcram & vtilem regulam tradidit, cum inquit: Πρακτέον πᾶν τὸ κατὰ πίστιν ὀρθῷ κανόνι. Hoc eſt, Agendum eſt, quicquid eſt ſecundum fidem, recta regula. Duo requirit in opere, videlicet fidem, à qua proficiſci, & regulam ad quam exigi opus debet. Fidem intelligo & præcepti operis, & fiduciæ in Mediatorem. Nam vtrumq; neceſſario requiritur, videlicet, vt & opus ſit præceptum, & fiducia in Mediatorem præluceat. Nam quicquid non fit ex fide, peccatum eſt. Regula eſt, qua opus ad proprium & verum finem recta veluti linea dirigitur. Eſt autem finis proprius & verus, videlicet glorificare Deum per IESVM CHRISTVM, ad quem omnes actiones piorum, tanquam ad ſcopum, referri debent. Etſi autem ſæpe multi fines intermedij ſunt, ordinentur tamen ad hunc vltimum, idque recta regula, vt nec hypocriſi deflectas, nec ignauia torpeas, nec πολυπραγμοσύνῃ ſubſiſtas, ſed vt ſincero corde opus aggrediare, grauiter progrediare, & quiete agendo opus perficias in gloriam Dei.

Dilecti, ne peregrinemini ea, quæ in vobis eſt exploratione per ignem, quæ ad experimentum vobis fit, ac ſi peregrinum vobis aliquid accideret.

Hortatur Apoſtolus ad patientiam ſub cruce. Ne, inquit, peregrinemini, id eſt, ne perinde ſitis attoniti, vt qui in rem aliquã incidunt, de qua nunquam cogitarunt. Figura eſt metalepſis, qua pro conſequente antecedens ponitur. Crucem vocat πύρωσιν, id eſt, explorationem, quæ per ignem fit. Quemadmodum enim aurum igne probatur: Ita fides hominis cruce examinatur & exploratur, quo probatior euadat. De hac exploratione fidei in primo capite ſupra copioſius à nobis dictum eſt.

Imo in hoc, quod conſortes eſtis afflictionum Chriſti, gaudete, vt etiam in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.

Quemadmodum propoſito fine crucis, qui eſt exploratio fidei noſtræ, ad patientiam proximo verſiculo eſt hortatus: Ita hic conſolatur pios ſub cruce, ex eo quod conſortes reddantur afflictionum Chriſti. Nam vt Chriſtus, qui caput noſtrũ eſt, varijs afflictionibus expoſitus in hac vita, tandem glorioſe inde eluctatus eſt: Ita nos, qui cum illo ſocietatem habemus in cruce, dum in hac vita verſamur, olim glorioſæ ipſius erimus participes. Hanc ſocietatem noſtri cum Chriſto cum in cruce tum in gloria figurat nobis Baptiſmus, & ſacra Chriſti Cœna commendat.

Si probris afficimini in nomine Chriſti, beati eſtis, quia ipſe gloriæ, & ipſe Dei ſpiritus ſuper vos requieſcit.

Ratio exhortationis ad patientiam ſub cruce ab euentu ſumta. Si probris afficimini ob nomen aut confeſsioně Chriſti, beati eſtis. Quare probra patienter ferenda ſunt. Opponit autem probris ſpiritum gratiæ, & ſpiritũ Dei patris, quib. ſignificatur gloria & adoptio. Gloria quidẽ, qua ſpiritus ſanctus ornat fideles. Adoptio vero, quã idem ſpiritus fidelibus obſignat in afflictionibus, quib. cõformes imagini Dei reddũtur. Huc illud Pauli: Si cum illo patimur, cum illo etiã glorificabimur. PORRO, duo modi ſunt obſeruandi, quibus filij Dei in hoc mundo exercentur, videlicet, opprobrium & cruciamentum. Sapient.2. Contumelia & cruciatu eum examinemus. 1. Timoth.4. In hoc laboramus, id eſt, perſecutioně patimur, & probris afficimur, quia ſperamus in Deo viuente.

Qui, quod ad illos quidem attinet, blaſphematur, quod ad vos autem, glorificatur.

Prolepſis eſt. Anticipat enim obiectionem illorum, qui poterant dicere: nihil minus quam ſpiritum gloriæ & adoptionis in cruce apparere, & reſpondet per diſtinctionem, hoc ſenſu: Probris vos afficiant improbi quantum lubet, gloriam veſtram & adoptionem aſpernentur, vos tamen ſcitote illa probra gloriæ & adoptionis vobis eſſe teſtimonia. Etſi mũdus exiſtimet ea eſſe iræ diuinæ & reiectionis ſigna, tamen

non ſunt. Quare non iudicio improborum cedendum eſt, ſed patienter acquieſcendum eſt in Dei conſilio, cui placet cruce eos hic explorare, quos ſtatuit olim glorificare.

Ne quis enim veſtrum patiatur, vt homicida aut fur, aut maleficus, aut tanquam alienorum inſpector, ſed ſi vt Chriſtianus, non pudefiat, imo glorificet Deum in hac parte.

Quid faciendum ſit Chriſtianis, monet, ne videlicet quis ob facinora ſua mala plectetur. Verum ſi obtigerit afflictio ob Chriſti confeſsionem, patienter ferenda eſt, & non vt probrũ, ſed potius vt gloria & magnum decus filiorum Dei accipienda, quæ nos ad glorificandum Deum inuitabit. Maleficus græce κακοποιὸς in genere dicitur, qui ſtudet alijs damna inferre quouis modo. In ſpecie vero maleficus dicitur incantator ſiue magus, vnde maleficæ dicuntur fœminæ incantatrices, ſeu veneficæ. Alienorum inſpector græce ἀλλοτριοεπίσκοπος, hoc eſt, curioſus alienarum rerum appetitor. Nam qui frequentius & curioſius res alienas inſpicit, eas appetere videtur. Poterit vocabulum hoc etiam ad vitam & actiones referri, vt ἀλλοτριοεπίσκοπος idem ſit, quod πολυπραγμονικὸς, qui ſua negligit, & aliena maligne obſeruat, duplici nomine pœna dignus.

Quia tempus eſt, vt incipiat iudicium à domo Dei.

Ratio exhortationis à conſilio Dei ſumta. Deus ſuam domum, id eſt, Eccleſiam ſuam, primum caſtigare conſtituit, idque in hoc mundo. Imitatur enim Deus pium patrem, qui ſuos liberos ideo caſtigat, vt eos in officio retineat, ne degeneres aliquando exhæreditare cogatur. Hic obſeruandum eſt diſcrimen inter crucem piorum & ſupplicia malignorum. Nam differunt tempore & loco. Pij enim primum caſtigantur, idque in hac vita. Maligni plerumque in hac vita fortunati videntur, & ad extremum vſque in delitijs viuunt, ſed mortuorum animæ cum diuite epulone punientur vſque ad iudicium, & poſtea æternis pœnis afficientur, & in corpore & in anima. Plura diſcrimina inter crucem piorum & ſupplicia impiorum à cauſsis efficientibus, finalibus & effectis petita alibi explicantur.

Quod ſi primum à nobis, quis erit finis eorum, qui non obtemperant Dei Euangelio.

Ne fideles impiorum ſucceſſu offenſi, deficiant à confeſsione, admonet de ſupplicijs æternis, quæ olim ob ſua ſcelera ſuſtinebunt impij.

Et ſi iuſtus vix ſeruatur, impius & peccator vbi comparebit?

Argumentum à maiori ad minus. Iuſtus in hac vita varijs obiectus eſt malis, adeo vt difficilime inter huius vitæ procellas vitam traducere queat, idque Dei conſilio & iuſto iudicio fit. Quanto minus euadet impius æternas pœnas, qui in hac vita delitijs affluit. Atque ita hoc Petri dictum ad præſentem vitam pertinet, quantum ad pios attinet. In hac enim vita vix vnus inter omnes pios inuenietur, qui non magnas difficultates ſuſtineat. Nam quando corpus non affligitur, ſpiritus grauius carnis concupiſcentijs exercetur, & varijs Satanæ artibus oppugnatur, aduerſus quas difficultates Paulus armat Chriſtianos ad Epheſ. 6.

Itaque, qui affliguntur ſecundum voluntatem Dei, tanquam fideli conditori commendent animas ſuas in beneficentia.

Concluſio eſt exhortationis ad patientiam cum admonitione, vt pij ſe totos Deo commendent, qui ita eorum ærumnas moderabitur, vt exitus ſit futurus lætiſsimus. Nam, cum ipſe ſit conditor noſter fidelis, habebit profecto curam pro nobis, ne crucis acerbitate victi ſuccumbamus.

CAPVT V.

Summa quinti Capitis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quemadmodum presbyteros & iuniores ad debita præſtanda officia hortatur Apoſtolus: Ita omnibus ſubiectionem & humilitatem commendat, monens, vt Diabolo fortiter reſiſtant, non fracti præſentis vitæ ærumnis.

Ordo & partes Capitis quinti.

Quatuor ſunt huius Capitis partes. PRIMA eſt hortatio ad presbyteros & iuniores. Vt enim presbyteros hortatur, vt fideliter ſuum gregem paſcant, expectantes coronam, quam ipſis ſuo tempore paſtorum princeps donaturus eſt: Ita iuniores monet, vt presbyteris ſubditi ſint. SECVNDA, generalis eſt exhortatio ad ſubiectionem & humilitatem, & ne quis ſe contemtum fore nimia ſui deiectione obijciat, iubet vt iſtam curam in Dominum reijciat. TERTIA, grauiſsima eſt admonitio, vt pij inuicto animo ſe Diabolo opponant, & non frangantur animis, propter perſecutionum fluctus. QVARTA eſt indicatio ſcriptionis huius Epiſtolæ, quam ideo ſe ſcripſiſſe affirmat, vt ipſos Chriſtianos adhortaretur ad conſtantiam, & teſtificaretur, veram eſſe gratiam in qua ſtarent. Huc addit ſalutationes, & fauſta imprecatione claudit Epiſtolam.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PRESBYTEROS, qui inter vos ſunt, hortor ego, qui ſimul ſum presbyter, & teſtis afflictionum Chriſti, atque idem gloriæ, quæ reuelabitur, cōſors, paſcite eum, qui apud vos eſt, gregem Dei, curam eius agentes, non coacte ſed libenter: non turpis lucri gratia, ſed liberaliter: neq; vt dominantes gregi, ſed vt ſitis exemplaria gregis.

Hortatur presbyteros & omnes, qui ſunt in Eccleſiaſtico ſenatu, vt gregem Chriſti ſibi commiſſum fideliter paſcāt. Atq; hæc ſimplex adhortationis propoſitio eſt, quam primum ſuo exemplo fulcit, dum ſe in presbyterorum ordinem includit, dum ſe teſtem afflictionum Chriſti teſtatur, dum ſe conſortem gloriæ olim patefaciendæ profitetur. Idq; facit, vt alij ſecum ad vigilantiam in tam arduo officio excitentur. Deinde modum paſcendi gregem Chriſti pulcerrima antitheſi declarat. Vt enim vult procul ab Epiſcopis & paſtoribus abeſſe coactionem, turpis lucri affectationé, & dominandi in Eccleſia libidinem: Ita requirit, vt libenter, vt liberaliter, vt tanquam exemplaria gregis officium faciant. Hic locus aperte primatum Papæ, qui ſe ſucceſſorem Petri iactat, euertit. Petrus ſe vna cum alijs presbyterum agnoſcit: ſed Papa ſe caput Eccleſiæ eſſe gloriatur. Petrus paſcit gregem Chriſti, & curam ipſius gerit: ſed Papa à vero pabulo gregem Chriſti arcet. Petrus turpem quæſtum prohibet, & illi aduerſatur: Papa turpiſsimo meretricum lucro diteſcit. Petrus non vult dominari cleris, id eſt, Eccleſijs Chriſti: ſed Papa vendicat ſibi vtrumq; gladium. Petrus cum alijs ſubiectus eſt Eccleſiæ: ſed Papa Imperatoribus & Regibus dominatur. Ex his facile apparet, quod Papa nullo iure Petri ſucceſſor dici poſsit.

Et cum apparuerit ille paſtorum princeps, reportabitis immarceſſibilem illam coronam gloriæ.

Propoſito prēmio, hortatur presbyteros ad diligentiam in officio. Coronæ nomen de duobus admonet nos: quorum Vnum eſt certamen, quod non exiguum miniſtris verbi propoſitū eſt. Nemo enim coronatur, niſi qui legitime certauit. Alterum, quod poſt certamen gloriæ corona ſit expectanda. vtrumq; incitamentū eſſe debet ad acrem in officio curam. Transferendū eſt quoq; ad ipſos auditores Euangelij, vt ipſi ſimiliter ſtrenue militēt in hac ſpirituali militia aduerſus carnem, ſatanā & mundum.

Similiter iuniores ſubiecti eſtote preſbyteris.

Requirit ius analogum iuniorum erga presbyteros, quorum alij in verbo docendo occupabantur, alij iuuentutis mores diſciplina regebant.

Omnes autem alij alijs ſubiecti, humilitate intus ornemini.

Hypotheſin ad theſin transfert, & adhortatur omnes, vt humilitate, veluti

veluti ornatu quodá interno, ſe ornent, & nemo ſe alijs ſuperbe præferat. Hoc præceptum non ad euertendos ordines & gradus dignitatum in politica, œconomica & Eccleſiaſtica adminiſtratione pertinet, ſed ad animorum affectionem, videlicet, vt nemo alterum ſuperbe contemnat, ſed potius vt conſortem eiuſdem hæreditatis foueat & complectatur. Vocabulum ἐγκομβώσασθε varie redditur, vetus interpres videtur legiſſe ἐγκολπώσασθε. Nam vertit inſinuate. Eraſmus infixam habete. Eſichius vertit στολίσασθε, id eſt, ornemini, quæ ſignificatio hic optime quadrat.

Nam Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Ratio exhortationis à conſequentibus contrariorum. Vt illud fugiendum eſt, quod iram Dei prouocat: Ita expetendum eſt, quod gratiam Dei conciliat. Sed vt ſuperbia iram Dei prouocat: Ita vera humilitas Dei gratiam conciliat & auget. Ergo illa fugienda, & hæc expetenda eſt. Notanda eſt emphaſis vocabuli ἀντιτάσσεται. Eſt enim militare verbum, quo ſignificatur, quod Deus tanquam ex aduerſo contra ſuperbos aciem inſtruat, cum contra humiles in gratiam recipiat, & eorum defenſionem ſuſcipiat.

Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, vt vos extollat in tempore.

Concluſiuncula adhortationis ad humilitatem, & perſiſtit in metaphora militari. Omnes homines aciem veluti ex aduerſo contra Deum inſtruunt, quos oppugnat Deus, humiles quidé ſe ſub ipſius potenti manu ſubmittunt, quos etiam in ſuá fidem & tutelá recipit. Superbi vero ex aduerſo arma mouentes, potenti manu Dei proſternuntur & pereunt. Obſeruetur igitur hoc loco finis vtriuſq;, videlicet humilitatis & ſuperbiæ. Vt enim humilitatis finis eſt gloria: Ita finis ſuperbiæ eſt ignominia. Qui ergo ſapit, tanquam peſtem pernicioſiſſimam fugiat ſuperbiam, & tanquam matrem omnium virtutum amplectatur humilitatem. CVM addit, Vt vos in tempore extollat, ſignificat tempus huius vitæ humiliationis eſſe, ſed ſecuturam eſſe gloriam in reſurrectione vitæ, idque prorſus Chriſti exemplo, qui in hoc mundo humiliatus eſt vſque ad mortem crucis, ſed victa morte potitur gloria.

Omnem curam veſtram conijcientes in ipſum, quia illi cura eſt de vobis.

Prolepſis eſt. Anticipat enim obiectionem, ne quis ſe contemtum iri nimia ſui deiectione exiſtimet, & iubet vt iſtam curam in Dominum reijciat. Huius dicti rationem ſubijcit cum inquit: Quia illi cura eſt de vobis. Hic locus, vt commendat nobis prouidentiam Dei, qui ſuorũ curam habet: Ita non adimit pijs ſanctam curam, ſiue vocationis, ſiue ſalutis, ſed vt, cum noſtrum defectum ſentimus, ad ipſum Deum precibus confugiamus. Nam cum Chriſtus mandat, vt caueamus, vigilemus & oremus, requirit ſane ſingularem curam ſalutis noſtræ, & cum iubemur propria agere, ſancta quædam cura officij noſtri poſtulatur.

Sobrij eſtote & vigilate.

Rurſus ad ſobrietatem & vigilantiá hortatur, alludens ad mandatum Chriſti: Vigilate & orate, ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate. Cum iubet nos vigilare, vult vt non ſegneſcamus in pietatis curſu, vult vt obſeruemus excubias, vult vt attenti ſimus omni ex parte, vult vt ſtratagemata Satanæ prudenter caueamus. Breuiter, vult vt fide pugnemus aduerſus aduerſarium noſtrum Diabolum.

Nam aduerſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret.

Ratio exhortationis à periculi magnitudine. Aduerſarius noſter Diabolus nunquam quieſcit, ſed in perpetuis eſt inſidijs. Proinde vos ſobrij ſitis, & vigilate, ſpiritualibus armis inſtructi, ne vos incautos opprimat. Confertur autem hic Diabolus leoni, ob ferociam in alia animantia, quę ſibi famelico & ſpoliato catulis obuiam feruntur. Verum, ſicut galli cantus leonem terret & trepidare facit: ita pia precatio & ſobria Diabolum abigit, atq; ideo Dominus ait: Orate, ne intretis in tentationem. Oratione itaque tentator & aduerſator noſter Diabolus terretur & vincitur.

Cui reſiſtite firmi per fidem.

Modum reſiſtendi Diabolo tradit. Nam fide omnia ipſius ignita tela ex-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tinguuntur. Hinc eſt, quod Ioannes ait: Hæc eſt victoria, quę vincit mundum, fides veſtra, quod ſane mirum non eſt, quia vt fides victorem Satanæ poſsidet: ita eiuſdem potentia nititur. Reſiſtimus autem Diabolo per fidem, quando ex fide imploramus defenſionem à duce noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt victor Diaboli.

Scientes eaſdem paſsiones, veſtræ, quæ eſt in mundo, fraternitati impleri.

Quia Diabolus cruce Eccleſiá potiſsimum ad defectioné ſolicitat, proponit exemplum totius Eccleſiæ, cuius cœtum fraternitatem appellat. Hæc fraternitas cum tota ſit cruci ſubiecta, ſpe redemtionem expectans, debemus & nos ſimilem patientiam præſtare, qui volumus eſſe membra Eccleſiæ. Cum dicit eaſdem paſsiones impleri, ſignificat eas quæ deſunt paſsionibus Chriſti adimpleri. Nam vt Chriſtus paſſus eſt in corpore ſuo: ita etiá in membris ſuis vult pati. Quare, tantiſper deeſt aliquid paſsionibus Chriſti, donec vnum eius membrum ſuperfuerit in mundo.

Hic duo loci ſunt obſeruandi. Primus, qualiſnam eſſe debeat affectio & cõſenſio Chriſtianorum inter ſeſe, nimirum fraterna. Siquidé Petrus hoc loco cœtũ Chriſtianorum per totum mundum diſperſum, fraternitatem appellat. Si igitur fratrum iuxta carnem concordia eſt naturalis, vt quæ à lege naturę requiratur, multo magis hęc ſpiritualis fraternitas requirit ſanctam concordiam. Sed vnde illa fraternitas? Communem habemus patrem in Chriſto: communem habemus fratrem Ieſum Chriſtum. Sicut ipſe ait: Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum. Per hunc Ieſum Chriſtum adoptamur, cum in eum credimus, & adoptati diligimur, quia ſumus caro de carne eius, & oſſa de oſsib⁹ eius. Huius Chriſti ſpiritu multo magis, quam ſanguinis neceſsitudine inter nos deuincti ſumus. Habemus & communem matrem Eccleſiam, caſtiſsimam Chriſti ſponſam, quæ nos è ſemine cœleſti & incorruptibili conceptos, peperit, & natos fouet, alit verbo, ſpiritu, ſacramentis, & ſalutaribus monitionibus & diſciplina gubernat, vt ſimus ſancti & irreprehenſibiles corá Deo. Habemus præterea communem hæreditatem in cœlo, cuius erimus participes in omni æternitate, ſi modo ad finem vſq; conſtantes perſtiterimus. Hanc fraternitaté turpiter ſcindunt, qui aut hæretica doctrina Eccleſiá vaſtát, aut odijs & ſimultatibus ſchiſmata faciunt.

SECVNDVS locus eſt de communi ſorte totius Eccleſiæ, videlicet, quod propter ſocietatem, quam habet cum Chriſto, in hoc mundo ſubiecta ſit cruci. In hac cruce præcipue ſpectanda ſunt conſilium Dei, neceſsitas, finis & euentus.

CONSILIVM Dei eſt, quod velit omnia Chriſti membra capiti fore conformia. vnde Paulus ad Rom. 8. Quos præſciuit, eoſdem & prædeſtinauit cõformes fieri imagini filij ſui, vt is ſit primogenitus inter multos fratres. Huc illud, quod ſupra dixit: Iudicium à domo Dei incipit. Item illud: Caſtigat omnem filium, quem recipit. Item, Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur.

NECESSITAS maxima eſt. Nam tanta eſt humanæ naturæ peruerſitas, tanta ferocitas, vt in recto pietatis curſu contineri nequeat ſine flagellis. Atq; hoc vult Dauid cum inquit: In camo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Cum hac neceſsitate vtilitatem coniungo. Nam crux pijs eſt ſancta quædam diſciplina, iuxta illud Dauidis: Priuſquam humiliarer ego erraui. Item: Bonum eſt mihi Domine quod humiliaſti me, vt diſcerem ſtatuta tua.

FINIS proinde crucis eſt, vt cõtineamur in timore Dei, ne ferocientes abijciamus confeſsioné, vt ſub cruce ingemiſcamus, cogitantes de iudicio & miſericordia Dei. De iudicio quidem, quod reliquias peccati in carne noſtra paterne punit, vt corpus peccati eneruetur, quo plenum ſit ſpiritus imperium. De miſericordia vero, qua nos caſtigat vt filios, ne contumaces effecti cum hoc mundo pereamus. Breuiter, vt exploratio fidei noſtræ multo precioſior exploratione auri comperiatur.

EVENTVS denique crucis ſanctorum eſt ſumma & æterna conſolatio. Beati, ait Dominus, qui perſecutionem patiuntur iuſticiæ cauſſa, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Item, Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis. Ab hoc lætiſsimo euentu potiſsimum petenda eſt conſolatio ſub cruce. Huc reſpexit Paulus, cum ſcriberet diſcipulo ſuo Timotheo: Memento Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, quaſi dicat: Quemadmodum Chriſtus ſibi viam ad gloriam cruce parauit: Ita etiam nobis non contigit gloria, niſi per viam crucis. Nemo enim gloriam reſurrectionis percipiet, niſi qui in hac vita acerbitatem guſtauit.

Sed Deus omnis gratiæ, qui vocauit

Tempori breui æternitatem oppo-

nos

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nos ad vitam æternam in Chriſto Ieſu, paululum afflictos ipſe vos perfectos reddat, confirmet, corroboret, ſtabiliat, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

nit, & afflictioni præſenti futurã gloriam, quemadmodum Paulus facit ad Rom. 8. Idq; ideo fit, vt fortiori animo feramus præſentis vitæ momentaneam afflictionem, quam æterna ſequitur gloria, qua hæc breuis ignominia compenſatur. Votũ quod addit, ſignificat principium, medium & conſummationẽ ſalutis noſtræ opus Dei eſſe. Par igitur eſt vt perpetuo nos Deo, tanquam fideliſsimo medico, ſubijciamus. Hæc ſumma eſt huius pericopæ. Iam ſingula penitius introſpiciamus. Nã in hac pericopa multæ doctrinæ & conſolationes continentur. PRIMVM itaq; hic prædicatur Deus eſſe omnis gratiæ autor. Nam, vt ipſe ſolus eſt fons gratiæ: Ita ſolus eam gratis paterno affectu confert, iuxta decretũ ſuum, omnibus ad ipſum cõfugientibus. Hic omnia humana merita euertuntur, & ſtabilitur gratuita ſalus & reconciliatio. Fieri enim non poteſt, vt quod eſt gratiæ, pendeat ex operibus noſtris aut meritis. Immota enim eſt Pauli conſecutio Rom. 11. Quod ſi per gratiam, iam non ex operibus, alioquin gratia non eſt iam gratia: ſin ex operibus, iam non eſt gratia, alioquin opus iam non eſt opus. Cum hac connexione Pauli pulcre congruit Auguſtini dictũ: Gratia eſt nullo modo, niſi quæ eſt gratuita omni modo. SECVNDO, additur huius gratiæ, hoc eſt, fauoris Dei & beneuolentiæ gratuitæ effectus. Qui vocauit nos, inquit, ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu. Hic tria aptiſsime coniunguntur, nempe, vocatio, gloria ad quam vocamur, & via gloriæ. VOCATIO eſt vniuerſalis, & fit per prædicationem Euangelij. Nam cum Deus miniſterio præconum verbi nos vocat, intus ſuo ſpiritu corda hominum tangit, vt aſſentiãtur & credant verbo. Nam hæc eſt ordinaria adminiſtratio regni Chriſti, quod velit verbum ſuũ ſonare, & velit in verbo efficax eſſe. Quod ſi autem verbum non recipiatur ab homine, non Deo imputandum eſt, ſed hominis culpæ, qui ſe verbo opponit, & Spiritui ſancto reſiſtit proterue. GLORIA ad quam vocamur, eſt fruitio Dei in omni æternitate, & opponitur ignominiæ Diabolorum & omniũ damnatorum, quæ ignominia iuſtiſsima pœna eſt peccati. Hanc ſane ignominiam nemo effugiet, niſi qui vocanti Deo obtemperauerit. Quod autem hanc gloriã æternam fore dicit, eo pertinet, vt præſentibus ærumnis & temporali afflictioni opponamus infinitã gloriã & quoties in hac vita aliquo malo premimur, conſolationẽ ex huius gloriæ cogitatione petamus, ſed hoc argumentum tractat Paulus copioſe ad Rom. 8. VIA ad gloriam eſt Ieſus Chriſtus, ideo ſubiecit, In Chriſto Ieſu. Huc dictum Domini pertinet: Ego ſum via, veritas & vita. Scriptura teſtatur iuſticiam, id eſt, legis obœdientiam, eſſe viam ad vitam, adeoq; gloriam æternam. Ita enim ait Dominus: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et Moſes ait: Qui fecerit ea, viuet in eis. Hoc eſſe veriſsimum omnino fatendum eſt. Chriſtus enim mentiri aut fallere nequit. Verum quia hanc iuſticiã ipſi non habemus, venit Chriſtus in mundum, ad quẽ confugiẽdum eſt, vt hanc ipſam legis iuſticiam conſequamur. Quomodo autẽ id fiat, docet Paulus his verbis: Chriſtus eſt finis legis in iuſticiam omni credenti. Finis ergo legis eſt iuſtificare eos, qui eam obſeruant, quo iuſtificati vitam ingrediantur & gloriam. Verum quo minus hoc aſſequatur lex, non impedit vlla legis impotẽtia, ſed noſtræ carnis vicioſitas, cui ita demũ medetur Chriſtus, vt iuſticia legis, quam ipſe fecit, gratis nobis credentibus imputata, finem legis conſequamur, qui Chriſtus, quoniam pro nobis legẽ impleuit, factus eſt nobis iuſticia, adeoq; via ad vitam & æternam gloriam. CVM addit, Paululum afflictos, idem docet, quod Paulus cum ait, afflictiones huius vitæ non ſunt condignæ ad futurã gloriam, quæ nobis reuelabitur. Hæc proinde collatio præſentium ærumnarũ & æternæ gloriæ nos in quibuſuis ærumnis & calamitatibus erigere debet. CVM ſubiungit, Ipſe vos abſolutos reddat, confirmet, corroboret &c. ſignificat quanta ſit noſtra imbecillitas in ferẽda cruce, & quod oporteat ad hunc Deum precibus cõfugere, vt opus quod in nobis incepit, ipſe ad conſummationem perducat. CLAVDIT votum doxologia, cum inquit, Gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen. Hic notemus, quod quoties in mentionẽ beneficiorum Dei inciderimus, vt erumpamus in gratiarum actionem, qua agnoſcimus beneficia Dei, qua palam confitemur largitorem, quaq; gratitudinẽ reddimus Deo per Ieſum Chriſtum.

Per Syluanum vobis fidelem fratrem (vt arbitror) paucis ſcripſi, adhortans vos & teſtificans, hanc eſſe veram gratiam, in qua ſtatis.

Cur hanc Epiſtolam Petrus diſperſis Iudæis ſcripſerit, breuiſsime oſtendit, & duas potiſsimum cauſſas affert. Vnam, vt adhortaretur Iudæos ad ſanctificationem ſpiritus, & ad alia officia Chriſtianis digna, conſolareturq; preſſos cruce in hoc mundo. Alterum, vt ſuo comprobaret

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

probaret teſtimonio veram eſſe gratiam in qua ſtarent, hoc eſt, verum eſſe Euangelium Chriſti, quod à Paulo & alijs didicerant. HINC apparet, quod fuerint, qui mouerent quęſtionem de doctrina Euangelij, qui de Petro gloriarentur, & Pauli doctrinam aſpernarentur, propter abolitam Circumciſionem & ritus Moſaicos. Et rurſus, qui Paulum tuerentur tanquam verum Apoſtolum Ieſu Chriſti. Huic controuerſiæ occurrit Petrus, & teſtatur veram eſſe & ſinceram Euangelij doctrinam, quam didicerant. Hinc nos monemur, noſtra comprobatione confirmare cõſcientias recte doctas, ne opinionum varietate turbentur, atque ita rurſus gratia excidant.

Salutat vos ea, quæ eſt Babylone vobiſcum electa Eccleſia, & Marcus filius meus.

Papiſtæ, qui Babylonem Romam interpretantur, nullo fundaméto nituntur. Quare illorum commentum repudio, & Babylonem proprie accipio pro illa celebri Aſſyriæ vrbe primæ Monarchiæ metropoli, vbi Petrus Iudæos docuit & alios. Dicitur autem Eccleſia electa, reſpectu prophanorum hominum, qui Satanæ obſequuntur, & quia eſt ſingulare peculium Dei, quo maxime delectatur.

Salutate alij alios caritatis oſculo.

Oſculum ab inferiori exhibitum reuerentiæ & obœdientiæ, à pari concordiæ ac mutui amoris ſymbolum eſt. Paulus addit ſanctum, vt opponatur impudico oſculo, quod ſuauium appellant.

Pax vobis omnibus, qui eſtis in Ieſu Chriſto.

Clauſula fauſtæ imprecationis eſt, quæ ſummam beneficiorum Chriſti erga Eccleſiam vno pacis nomine complectitur. Eſt enim pax hominis cum Deo, ſummum bonum hominis, & eſt mutuus conſenſus Dei & hominis: Dei quidem recipientis hominem in gratiam propter filium: Hominis vero fide accipientis oblatam gratiam, & promittentis in poſterum gratitudinem in tota vita.

ARGVMENTVM
IN POSTERIOREM DIVI PETRI EPISTOLAM.

HAEC POSTERIOR DIVI PETRI EPISTOLA, QVAM iam ſenex & morti vicinus ſcripſit, tota parænetica eſt. Hortatur enim Primum ad ſanctificationem. Deinde, ad conſtantiam de doctrinæ certitudine, quæ ſanctificationis fundamentum eſt. Nam, cum videret pius animarum paſtor multorum mores emendatione indigere, & proſpiceret multos fore, qui religionis Chriſtianæ dogmata in dubium eſſent reuocaturi, ſui muneris eſſe putauit iſtis malis, quantum quidẽ fieri potuit, occurrere, ne vel morũ vicio, vel doctrinæ corruptelis, poſt ſuá mortẽ Eccleſia Chriſti ex gentibus collecta vaſtaretur. Hæc de argumẽto, occaſione & fine huius Epiſtolæ ſint dicta. Iá de tractationis methodo nonnulla adijciemus. Poſt Epigrapham pijſsimum votum ſubiungit, videlicet, vt ipſis gentibus multiplicetur gratia Dei & pax, idque per cognitionem Ieſu Chriſti. Huius cognitionis finem cum diceret eſſe ſanctificationem noſtri, oportune inde primam exhortationem infert ad ſanctificationem, cuius fructum pulcerrima gradatione deſcribit. Hæc ſanctificatio, cum non ſolum quantum quiſque in cognitione Chriſti profecerit oſtendit, verum etiam ea tanquam fundamento nititur, inde ad exhortationem ſecundam tranſit, nimirum; vt gentes ad Deum conuerſæ, ſtudeant ſuos animos ita doctrinæ certitudine confirmare, ne ſubintroeuntibus aliquando ſeductoribus, confeſſionem abijciant. Nam quemadmodum in populo Dei olim fuerunt Pſeudoprophetæ: Ita prædicit fore, vt Eccleſia non ſit futura immunis à falſis doctoribus, verum, vt diligen-

tius

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tius ſibi caueant fideles, proponit Apoſtolus tum impietatis pœnam, tum pietatis præmium. Præterea, quia multi eo tempore religionem Chriſtianam in dubium vocabant, propterea quod aduentus Domini ad iudicium differretur, iſtum errorem confutat. Ac tandem Epiſtolam exhortationis vtriuſq; repetitione claudit.

CAPVT I.

Summa primi Capitis.

Vt ad ſanctificationem vitæ: ita ad conſtantiam in doctrina hortatur.

Ordo & partes Capitis primi.

Huius capitis ſunt quatuor partes, quarum prima eſt epigrapha. Secunda, ſalutatio ſeu votum, ſeu fauſta imprecatio ratione amplificata. Tertia, exhortatio ad ſanctificationem. Quarta, exhortatio ad confirmandos animos de doctrina Chriſtianæ certitudine. Vtraq; exhortatio ſuis quibuſdam rationibus fulcitur ac munitur.

EXEGESIS CAPITIS PRIMI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SIMON Petrus ſeruus & Apoſtolus Ieſu Chriſti ijs, qui æque precioſam nobiſcum ſortiti ſunt fidem, in iuſticia Dei noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti.

Hæc Epigrapha & autorem ſcriptionis indicat, & quibuſnam ſit ſcripta hæc Epiſtola oſtendit. Autor ſcriptionis eſt Petrus Apoſtolus. De quo vide ea, quæ in priori eius Epiſtola annotauimus. Illi autem, quibus ſcribit Apoſtolus, ſunt gentes ad fidem Chriſti conuerſæ, quas pulcerrima periphraſi deſignat, cum ait: Qui æque precioſam ſeu æqualem dignitate nobiſcum ſortiti ſunt fidem in iuſticia &c. Hæc collatio Iudæorum & Gentium eſt, quorum fidem pronunciat æque precioſam: Idq; in iuſticia Dei noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti, hoc eſt, ſortiti ſunt fidem, qua iuſti ſunt, idq; non ſua, ſed Chriſti ſaluatoris iuſticia. Nam iuſticia quæ Chriſti propria eſt, credentibus imputatur, vt Legis damnatoriæ ſententiæ non ſubijciantur. Huc illud Pauli pertinet: Chriſtus eſt finis legis, in iuſticiam omni credenti, hoc eſt, omnis qui credit, habet quod Lex requirit, nempe iuſticiam, cui vita æterna propoſita eſt. OBSERVA primum hoc loco exæquationem Iudæorum & Gentium. Deinde, fidem in omnibus credentibus æque precioſam eſſe, quod quidem non ad fidei menſurá, ſed ad eius ſubiectum referendum eſt, videlicet, ad iuſticiam Chriſti ſaluatoris, quæ omnibus credentibus ex æquo imputatur. Fidem habuit Iairus, habuit & fidem Syrophœniſſa, æque quidem precioſam vterq;, ſed menſuram non æqualem. Tertio obſeruetur hoc loco illuſtre teſtimonium diuinitatis Chriſti, qui hic & Deus noſter, & ſaluator dicitur. Nam cum vnicus ſit articulus in græco textu, neceſſe eſt, vt coniunctim hæc legantur, τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος ἰησοῦ χριστοῦ.

Gratia vobis & pax multiplicetur, per agnitionem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Vt in Epiſtolis fieri ſolet, orditur Apoſtolus à ſalutatione, & optat ijs, quibus ſcribit, gratiam & pacem, idque per agnitionem Dei & Ieſu Chriſti domini noſtri. Hoc votum duo continet. Primum, quænam ſit ſumma beneficiorum Euangelij oſtendit, videlicet, gratia & pax à Deo per Ieſum Chriſtum. Alterum, quod iſta beneficia contingant per agnitionem Ieſu Chriſti. Nam, qui non credit in filium, ira Dei manet ſuper eum.

Quod omnia nobis diuina eius poten-

Voti confirmatio ex antea præſtitia,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tia, quæ ad vitam & pietatem requiruntur donauerit, per cognitionem eius, qui nos vocauit per gloriam & virtutem.

tis beneficijs. Chriſtus diuina ſua potentia iam largitus eſt nobis, quæ ad vitam & pietatem requiruntur. Ideo bonam ſpem habeo, vt idem eadem bona multiplicet & augeat. Eſt enim optima conſequētia ab incoatione ad perfectionem in operibus Dei. Nam Deus eſt immutabilis. AVGVSTINVS ponit tres rerum ordines. Quædam res mutantur per tempora & per loca, quædam per tempora tantum, non autem per loca, quædam neq; per tempora, neque per loca. In tertio ordine eſt Deus, qui neq; per loca neq; per tempora mutatur. Quomodo autem hæc Chriſtus donauerit, explicat cum ait: Per agnitionem illius, qui vocat nos, id eſt, Dei patris, ad quem per Chriſtum ducimur. Qui videt me, ait Dominus, videt & patrem meum. Porro, modum vocationis addit cum inquit: Per gloriam & virtutem. Quam autem gloriam & virtutem intelligat Apoſtolus, explicatur infra in hoc ipſo capite. Nequaquā ſunt hæc intelligenda de hominū gloria & virtute, ſed de Chriſti gloria & virtute. Chriſtus ſuæ gloriæ accepit teſtimoniū, delata ad ipſum patris voce: Hic eſt Filius meus dilectus, per quē placatus ſum, hunc audite. Hęc gloria ſe in Chriſto multis virtutibus & ſtupendis miraculis conſpiciendā præbuit. Per hanc gloriam & virtutem ſumus vocati. Quia per ea diuinitas Chriſti, officiū eiuſdem, & Euangelij certitudo obſignata ſunt. Qui in gloriā & virtutem vertunt, nō tam quid Apoſtolus dicat, quā quod ipſis videatur ſequuntur. Totus enim contextus atq; verborū vis, meæ ſuffragatur interpretationi. CÆTERVM, hæc pericopa multa continet. Primum enim teſtimoniū habet de Chriſti diuinitate. Deinde oſtendit, quod à Chriſto nobis omnia, quæ ad vitā & pietatē requiruntur, donētur. Tertio monſtrat, quo nos ſuo verbo ducat Chriſtus, nempe ad ſuum Patrem, vt illū agnoſcamus. Hæc, inquit, eſt vita æterna, vt te agnoſcant verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quarto indicat, quod hæc ductio ad Patrem, fiat per prædicationē Euangelij, quæ gloriam & virtutem Chriſti nobis conſpiciēda proponit.

Per quæ maxima nobis & precioſa donata ſunt promiſſa, vt per hæc fieretis diuinæ conſortes naturæ, vbi refugeritis à corruptione, quæ in mundo eſt per concupiſcentiam.

Dixit eos, quibus ſcribit, vocatos per gloriam & virtutem Chriſti. Iam exponit quid vocatis per gloriam & virtutem Chriſti donatum ſit, nimirum, ſanctificationis ſpiritus, cuius præſenti virtute regeneramur & ſanctificamur. Nam, quod dicit, eos fieri conſortes diuinæ naturæ, vbi aufugerint à cōcupiſcentia mundana, periphraſis eſt regenerationis ſeu ſanctificationis. Cuius partes duas hic facit, videlicet fugam mundanæ concupiſcētiæ, & participationem diuinæ naturæ, hoc eſt, viuificationem, quæ fit virtute ſpiritus Chriſti, habitantis in nobis. Obſeruandum autē eſt, quod Petrus diſerte loquatur de dono, quod Paulus à gratia diſtinguit ad Romanos 5. vbi in hunc modū loquitur: Gratia Dei & donum per gratiā erga vnum hominem Ieſum Chriſtum, in multos ſuperabundauit. Hic Paulus duas res complectitur, videlicet gratiā & donum. Gratia eſt gratuita remiſsio peccatorum, & acceptatio perſonæ coram Deo. Donum eſt diuina præſentia in nobis, ex qua concipitur plena cōſolatio, quia incoatur æterna vita per ſanctificationem noſtri. Hæc duo teſtatur Paulus nos habere, non ex noſtris meritis, ſed ex Chriſti gratia. OBSERVANDA eſt hic metonymia vſitatiſsima in ſcripturis, qua cauſſæ nomen effectui tribuitur. Vocat enim hic diuinam naturam, id quod efficit diuina præſentia in nobis, id eſt, cōformitatem noſtri cum Deo, ſeu imaginem Dei, quæ in nobis reformatur per diuinam præſentiam in nobis. Hic ergo ſcopus eſt prædicationis Euangelij, vt paulatim cōformes Deo reddamur, & transformemur ad imaginem eius, quantum quidem modulus noſter ferre poteſt. Qui igitur peccatis & mundanis concupiſcentijs indulget, non ſine contumelia Dei, de Euangelio gloriatur.

Atque in hoc ipſum omne ſtudium applicantes ſubminiſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia vero temperantiam, in temperātia autem patientiam, in patientia vero pietatem, in pietate autem fraternum amorem, in fraterno vero amore caritatem.

Hæc prior exhortatio eſt, qua Apoſtolus exhortatur gentes conuerſas, vt ſanctificationi ſtudeant. Ad hoc ipſum, inquit, omne ſtudium applicantes, ſcilicet, vt renunciatis concupiſcentijs, conſortes reddamini diuinæ naturæ. Quod cum fit, fides ſuos germanos fructus profert, qui ſunt, virtutes

virtutes.has, vt genus ſequẽtium proponit, per quas intelligit ſanctos & honeſtos mores, quorum fons eſt fides. Scientia(hæc moderatur actiones virtutis)Temperantia (hæc moderatrix eſt cibi & potus,aliarumque appetitionum.) Patientia ſeu tolerantia, (qua perſiſtimus ſub mole ęrumnarum & perſecutionum,ne fracti animo confeſsionẽ abijciamus.) Pietas(hanc ideo ſubiecit tolerantiæ,vt eius ſit rectrix.)Fraternus amor(hic complectitur eiuſdem fidei domeſticos.)Caritas,(hæc ſe etiam ad alios homines extendit,vt hoſtes quoque complectatur.) Hæ virtutes germani fidei fructus ſunt. IN gradatione hac non tam rerum conſecutio,quam earundem neceſſaria cum fide connexio ſpectanda eſt. Porrò virtutes,quarum genitrix eſt fides, hoc pacto diſtingui poſſunt. Homo fidelis & ad Deum ipſum,& ad ſe ipſum,& ad proximum,& ad res alias reſpectum habere debet. Cum Deum reſpicit,ex fide pietatem,qua totus cultus primæ tabulę intelligitur,promit. Cum ſe ipſum intuetur, ex fide ſanctificationi animi & corporis ſtudet, ſatagitque ea, quæ officij ſui ſunt haud fraudulenter præſtare. Cum ſe ad proximum ſuum conuertit,ex fide fraternum amorem erga domeſticos fidei,& caritatem erga omnes homines producit. Denique cum res alias cõtemplatur,vel in agendo verſatur per prudentiam, vel in vſu rerum occupatur per temperantiam,vel in ferendis aduerſis perſiſtit per patientiã,vel in expectandis promiſsis perſeuerat per ſpem,quæ non confundit. Hæc omnia ex fide pius profert animus. HIC locus Petri monet,ne Dei gratiæ deſimus. Huc illud ad Hebræos 12. Proſpicientes,ne quis deſit gratiæ Dei. Et illud Pauli: Commonefacio te,vt exuſcites donum,quod in te eſt. Poſtquam enim renati ſumus, non ſumus ſtipites aut trunci, ſed viua Chriſti membra, in quibus ſpiritus Dei eſt efficax, vt iam poſsimus aliquam obœdientiam Deo præſtare, quæ illi eſt accepta propter Ieſum Chriſtum, per quem placemus Deo. Non enim amplius voluntas captiua tenetur ſub ſeruitute peccati,ſed per ſpiritum Chriſti manumiſſa eſt, vt & quæ recta ſunt mens intelligat, & voluntas ſanata ſtudeat Deo obœdientiam præſtare, atque adeo vires ipſæ omnes interiores & exteriores diuinitus adiutæ non fruſtra conentur.

Hæc cum vobis aſſint & exuberẽt, haud ocioſos nec infructuoſos conſtituunt in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione.

Ratio exhortationis ab effectis virtutum,quæ cum fide coniunctæ ſunt, quæ effecta manifeſta indicia ſunt efficacis cognitionis Chriſti, ac ſi dicat: Virtutes quas enumeraui cum fidei aſsint, indicant Chriſti cognitionem nõ eſſe ocioſam & infructuoſam in vobis. Nam,cum Chriſti cognitio viua & efficax exiſtit,fieri nõ poteſt, vt quis vere ea præditus dicatur, qui fructus germanos fidei non habeat adiunctos. Cum hac Petri ſententia conuenit precatio Chriſti Iohan. 17. Sanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt. Hic non quærit ocioſam veritatis cognitionem, ſed actuoſam & fructuoſam, vt quæ veram ſanctificationem habeat ſibi coniunctam. Item precatio Dauidis Pſal. 86. Doce me Domine viam tuam, & ingrediar in veritate, vnias cor meum,vt timeat nomen tuum. OBSERVETVR hic locus, qui docet inanem eſſe fidem, & vanam Chriſti cognitionis iactationem, vbi vera pietas & vita non relucet. Deinde obſeruetur etiam, quod Chriſtianæ virtutes indies magis magiſque exuberare debeant.

Cum enim hæc non aſſint, cœcus eſt, manu palpans, oblitus ſeſe à veteribus peccatis ſuis purgatum fuiſſe.

Ætiologia à conſequentibus contrariorum. Poteſt autem hæc ætiologia illuſtrari hac antitheſi. Quemadmodum Chriſti cognitio eſt veluti lux quædam, quæ non ſinit nos in tenebris peccatorum amplius aberrare, & eius ignoratio caligo quædam eſt, qua inuoluimur in peccatorum tenebris: Ita vbi germani fructus fidei apparent, teſtantur homines in luce Euangelij ambulare. Contra autem, vbi huiuſmodi fructus deſunt, manifeſtum indicium eſt, homines extra Euangelij lucem, in tenebris cœcutire, adeoque oblitos eſſe purgationis ſuæ à veteribus peccatis. Hoc ergo loco obſeruemus, non ſolum inaniter de fide & Euangelio gloriari eos, quorum vita non mutatur in melius ad prædicationem Euangelij, verum etiam quod ipſis quoque tribuatur cœcitas & obliuio. Cœcitas quidem, quod non proſpiciant viam, per quam eundum ſit, vtut de ſua perſpicacia glorientur. Obliuio vero, quod non cogitent, cur Chriſti ſanguine à peccato ſint purgati, & quod non meminerint, ſe per Euangelium ad ſanctificationem vocatos eſſe. Vnde Paulus 1. Theſſal. 4. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Hinc proinde perſpicuum eſt, quam ſint neceſſaria bona opera in conuerſis.

Quapropter fratres magis ſtudete vo-

Hæc altera eſt huius capitis exhor-

cationem & electionem veſtram firmam facere.

tatio, quam ex priori infert Apoſtolus. Quemadmodum virtutes Chriſtianæ, quas recitauit, oſtēdunt haud ocioſam eſſe in hominibus & infructuoſam cognitionē Chriſti: Ita, quo firmior eſt cognitio Chriſti, eo eſt etiam virtutis ſtudium & pietatis exercitium plenius atq; perfectius. eſt enim hoc illius effectus. Quare hortatur Apoſtolus, vt ſtudeamus firmam efficere vocationem & electionem noſtram, quod ſane ad certitudinem doctrinæ referendum eſſe docet loci ϖείσασις, & huius exhortationis confirmatio. Senſus eſt igitur, ſtudete vt certi & firmi ſitis in doctrina religionis Chriſtianæ, ad quam vocati eſtis, adeoque electi, modo Euangelio prædicato fidē adhibueritis. Vult itaq; Petrus, vt pij quotidie magis magiſq; abūdent in cognitione Chriſti, cōfirmēturq; de religionis Chriſtianæ doctrinæ certitudine. Cōmēdatur proinde hic ſerium ſcripturæ ſacræ ſtudium, & diligēs cauſſarum certitudinis imotæ verbi Dei meditatio, cum perpetua inuocatione, ne vel Satanas, vel ſophiſtæ, vel infinita turba hoſtiū Euangelij, vel etiam propria caro nos à fonte ſalutis abducat, quod ſane multis (proh dolor) omnibus ætatibus contigit, in illorum certiſsimā damnationem. QVOD autem in nonnullis exemplaribus interſeritur, Per bona opera, omnino ex margine in textum irrepſerat, quod non dico, vt ſententiam ipſam improbem. Nam bona opera ſunt veluti ſenſus quidam externus, internæ pietatis & fidei. Nam quod intus in animo latet, apparet in actionibus externis. quo enim magis ſe proferūt pietatis fructus, eo maiorem cognitionem Chriſti & firmiorem eſſe neceſſe eſt, & contra. Quare Paulus optat Philippenſibus, vt magis magiſque abundent in cognitione & omni ſenſu. Sententiam itaque veteris interpretis non improbo, ſed dico hic potius fieri mentionem doctrinę quam operum, quæ doctrina cum firma & immota mentibus inſideat, nequaquā infructuoſa eſſe poteſt.

Hæc enim ſi feceritis, non labemini vnquam.

Ratio exhortationis ab vtili. Quo firmior eſt cognitio Chriſti, eo eſt certior ſalus & conſtantior vita. Facit enim firma Chriſti cognitio, vt immoti in fundamento perſiſtamus, & CHRISTO innitentes non labamur in recto curſu ad propoſitam metam vitæ æternæ. Contingit autem lapſus dupliciter, videlicet in doctrina & moribus. Vtrumque lapſum impedit firmata CHRISTI cognitio.

Sic abunde ſubminiſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti.

Rationis redditio eſt. Affirmat enim nequaquam labi poſſe eos, qui certam & immotam CHRISTI cognitionem retinent. Nam ijs ſuppeditatur rectus in æternum regnum introitus, idque per Ieſum Chriſtum, qui ſolus via in æternum regnum exiſtit. Quare & ipſius regnum iure dicitur.

Quapropter haud negligam vos ſemper commonefacere de his, etſi periti & confirmati eſtis in præſenti veritate.

Occupatio eſt. Quia poterant forte gentes conuerſæ dicere, ſe bene doctas eſſe in veritate, id eſt, in Chriſti cognitione ſeu Euangelio, atque adeo confirmatos eſſe, vt lapſum à doctrina non pertimeſcerent. Apoſtolus fatetur id quidem verum eſſe, nihilominus tamen officium ſuum eſſe affirmat, vt ſæpius imo ſemper ipſos de eadem re commonefaciat. Hoc exemplum & nos, qui in ſcholis & in templis religionem docemus, imitemur.

Iuſtum enim arbitror, quam diu ſum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem, cum ſcio breui futurum, vt deponā hoc tabernaculum meum, ſicut & Dominus noſter Ieſus Chriſtus indicauit mihi, ſed & ſtudebo, vt vos poſt exitum meum horum mētionem facere poſſitis.

Triplicem rationem reddit, cur peritos & confirmatos in veritate commonefaciat. Prima eſt, quod hoc requirat officij eius ratio. Iuſtum eſt enim debitum officium præſtare. Secunda, quod breui hanc ærumnoſam vitam morte, id eſt, tranſitu ab his miſerijs ad beatitudinem, ſit commutaturus. Debet igitur fugacitas huius vitæ inſtar calcaris cuiuſdam eſſe, ad fideliter, ſtrenueque faciendum officium. Tertia, vt ipſi plenius edocti & ſæpius admoniti poſsint horum mētionem facere poſt Apoſtoli exitum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tum. Hæc & nos commonefacere oportet, vt non ſolum curam habeamus Eccleſiæ, dum adhuc ſuperſtites ſumus, verum etiam vt poſteritati cōſulamus: quo perpetuo cōſeruetur doctrinæ puritas. Hoc fuiſſe ſtudium Prophetarum & Apoſtolorum patet ex illorum monumentis. PORRO tabernaculum, ſuum corpus appellat, quo ſignificatur imbecillitas ſtructuræ huius corporis, caduca conditio & migratio. Huic tabernaculo opponitur ædificium firmum & ſtabile, quale futurum eſt corpus noſtrum, vbi immortalitate donati fuerimus. Vide 2. Corinth. 5.

Non enim argute excogitatas fabulas ſecuti, notam vobis fecimus domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & aduentum, ſed ſpectatores facti magnificentiæ illius.

Confirmatio eſt veritatis Euangelicæ, in qua eos paulo antea confirmatos dixerat. Opponit autem argutis fabulis ad fallendum excogitatis, veritatem, affirmatque ſe vere notam feciſſe ijs Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & aduentum, vt qui ſuis oculis aſpexerit magnificentiam & maieſtatem Chriſti in monte.

Accepit enim à Deo patre honorem & gloriam, voce ad eum delata huiuſmodi magnifica gloria: hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui.

Vnum ex præcipuis teſtimonijs de gloria Chriſti in medium adducit Apoſtolus, vt veritatem Euangelij eodem ſuffulciat, quo ſtet immota. De hoc gloriæ Chriſti teſtimonio ſcribitur Matth. 17. Nam poſtquam Chriſtus ſe & doctrina & miraculis verum eſſe Meſsiam cōprobaſſet, acceſsit & hoc teſtimonium patris in monte, quemadmodum antea in Baptiſmo, qui teſtatus eſt propria voce, hūc Ieſum ſuum dilectum filium eſſe, in quo ſibi complacuit. Ita enim ait pater: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ſeu per quem ſum placatus, Hunc audite. Hæc concio ſummam Euangelij continet, & quatuor partibus abſoluitur, quarū prima eſt, de perſona Chriſti. Secunda, de differentia inter hunc filium Dei, & alios qui adoptantur. Tertia, de beneficijs huius filij Dei erga genus humanum. Quarta, de modo applicationis beneficiorum Dei. DE perſona ita ait: Hic eſt filius meus. His verbis tria inſinuātur. Primum, quod hæc perſona ſit Deus, vt quæ natura ſit filius Dei. Deinde, quod hæc perſona ſit verus homo. Loquitur enim hic pater de Ieſu Mariæ filio. Tertium, quod hic Deus & Homo ſit vna perſona in duabus naturis ſubſiſtens. EX his fides noſtra primum colligit hunc Ieſum potentiorem eſſe Satana, adeoque poſſe efficere omnia, quæ vult. Vult autem omnia, quæ promittit, quia Deus eſt. Deinde, hinc alitur fiducia in Mediatorem, quia eſt nobis naturę ſocietate coniunctus, natus ex ſemine Dauid, vt Paulus loquitur, ſecundum carnem. Vult ergo reuera noſtram ſalutem, vt qui noſtræ naturæ ſit particeps. Præterea fides hinc æſtimabit precium paſsionis & obœdientiæ Chriſti in ipſius ſanctiſsima humanitate. Nam ex vnione hypoſtatica, diuinæ & humanæ naturæ in vno Chriſto pendet precium & æſtimatio omnium paſsionum & operum Chriſti. Eſt proinde mors Ieſu Chriſti ſufficiens λύτρον pro redemtione noſtri, quia eſt mors hominis, qui eſt Deus, eſt & obœdientia Chriſti ſufficiens iuſticia, in ſalutem omnibus credentibus, quia eſt obœdientia hominis, qui eſt Deus. DIFFERENTIA inter hunc filium Dei & adoptiuos hac voce ſignificatur, Dilectus. Eſt enim hic patri dilectus in ſe & propter ſe. Quia natura eſt filius. Fideles autem omnes, qui filij Dei dicuntur, ſunt quidem dilecti, ſed in illo & propter illum, quia adoptionis ſunt filij. BENEFICIA huius filij Dei erga genus humanum, hac voce patris ſignificantur: In quo mihi bene complacui, ſeu potius, in quo placatus ſum. Vt enim ſine Chriſto Deus nobis iraſcitur: Ita per Chriſtum Deus nobis reconciliatur & adoptat nos in filios. Erat, inquit Paulus, Deus in Chriſto, mundum ſibi reconcilians. Item, Eum qui nō nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo. MODVS applicationis beneficiorum Chriſti ſignificatur mandato Dei dicentis: Hunc audite. Nam, qui hunc audiuerit & crediderit, ſaluus erit. Fides enim quæ eſt ex auditu, inducit hominem in poſſeſsionem beneficiorum Chriſti. Quia autem hoc mandatum obligat homines omnes ad obœdientiam, vult reuera Deus omnium hominum ſalutem, ſed per Chriſtum. Nam qui hunc Chriſtum non audiuerit, ſed contumaciter eius Euangelium contemſerit, æternum peribit, non conſilio creantis Dei, Sed ſuapte culpa, quia dextram Dei, hoc eſt, Ieſum Chriſtum, ſibi porrectam apprehendere noluit.

Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo delatam, cum eſſemus vna cum eo in monte ſancto.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Petrus de ſe ipſo, Iohanne & Iacobo loquitur. Hi enim tres fuerunt cũ Chriſto in monte, cum ibi transformaretur, & exhiberet ſpecimen ſuæ magnificentiæ & gloriæ, idq; ideo factum eſt, vt poſt reſurrectionem Chriſti à mortuis huius magnificentiæ Chriſti teſtes eſſent. Quod autem in monte cum Chriſto fuerint præſentes Helias & Moſes, cum quibus & diſcipuli Domini aderant, ſignificat, quod vt Moſes adeoque Prophetæ omnes vaticinati fuerint de Chriſto venturo: Ita diſcipuli ipſius forent teſtes exhibiti Chriſti, atque ita vnus Chriſtus ſcopus eſt Moſis, Prophetarum omnium & Apoſtolorum.

Et habemus firmiorem ſermonem propheticum, cui recte facitis attendentes, velut lucernæ ſplendenti in obſcuro loco, vſque dum dies illuceſcat, & Lucifer exoriatur in cordibus veſtris.

Aliud teſtimonium affert Apoſtolus de certitudine doctrinæ Euangelicæ, videlicet Propheticum ſermoné. Omnes enim Prophetæ de Chriſto vaticinati ſunt, & fuerunt interpretes primæ promiſsionis: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. CVM autem hic pronunciat, Propheticum ſermonem firmiorem, ſcilicet Euágelio, per Apoſtolos prædicato, non ita accipiendũ eſt, quod propheticus ſermo per ſe ſit Euangelio per Apoſtolos annũtiato firmior, ſed ita loquitur Apoſtolus hominum reſpectu, quibus ſcribit, apud quos doctrina Prophetarum abſque omni controuerſia habebatur certiſsima. Quare, cum viderent gentes conuerſæ Euangelium per Apoſtolos prædicatum, cum Moſis & Prophetarum doctrina conuenire, libentius illud amplexi ſunt. Vult ergo Petrus, vt intueamur conſenſum Moſis & Prophetarum, & inde noſtros animos cõfirmemus, ne dimoueamur à cognitione Chriſti, quæ nobis in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis commendatur. Hoc ſtudium laudatur Actorum 17. in Bereenſibus, de quibus ita ait Lucas: Fuerunt autem iſti generoſiores Theſſalonicenſibus, vt qui receperint ſermonem cum omni alacritate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, an hæc ita ſe haberent. Multi igitur crediderunt ex ijs, & Græcæ mulieres honeſtæ, & viri non pauci. Cum ergo hic Petrus, imo potius Spiritus ſanctus per os Petri commendet nobis Prophetarum lectioné, noſtri profecto officij erit, Spiritui ſancto morem gerere. OBSERVETVR præterea hic pulcerrima collatio temporis promiſsi Chriſti ſub Prophetis, & temporis exhibiti. Deinde collatio doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ. Tempus promiſsi Chriſti comparatur nocti obſcuræ, cuius veluti ſtellulæ quædam fuerunt Propheticę conciones de Chriſto, ſed tempus exhibiti Chriſti confertur claro diei, in quo Sol clariſsime lucet. Vt enim doctrina Prophetica tanquam lucerna ſplendens erat in nocte: Ita Euangelium veluti aurora quædam lucidiſsima, diem adeſſe adeoque ipſum Solem, videlicet Chriſtum, nũciat. Iſtius proinde Propheticæ lucernæ vſus erit, vt tantiſper ea vtamur, donec Lucifer & plena Chriſti cognitio oriatur in cordibꝰ noſtris, quæ ſane meræ tenebræ ſunt ſine lucerna Prophetica & aurora Apoſtolica. Obſeruetur ergo hic diſcrimen inter doctrinam Propheticam & Apoſtolicam: Quarum illa lucernæ: hæc lucifero comparatur. Sunt enim Apoſtoli clariores Prophetarum interpretes.

Sed illud primum noueritis, quod nulla prophetia ſcripturæ ſit priuati impulſus. Non enim libidine hominis allata eſt olim prophetia, ſed ſpiritu Dei acti locuti ſunt ſancti Dei homines.

Ratio cur prophetico ſermoni de Chriſto credendum ſit, videlicet quia eſt certiſsimꝰ, vt qui à Spiritu ſancto profectus ſit. HÆC omnium maxima Propheticæ ſcripturæ eſt commendatio, videlicet quod prophetia non habeat homines autores, ſed Deum ipſum, cuius ſpiritu acti & impulſi locuti ſunt Prophetæ Dei. VOCABVLVM ἐπίλυσις ambiguum eſt apud Græcos, nunc enim impetum ſeu impulſum, nunc interpretationem ſignificat. Verum antitheſis aperte indicat, quod hic pro impetu accipiatur, quo homines feruntur ſeu aguntur, ad aliquid dicendum ſeu agendum. Opponitur autem Spiritui ſancto, qui autor eſt prophetiæ, id quod oſtenditur ex tribus, videlicet, ex perpetuo Prophetarum conſenſu, ex prædictionum certitudine, ex ſtupendis miraculis, quibus veritas prophetiarum eſt obſignata. Huc accedit Chriſti & Apoſtolorum approbatio. Non ergo hic loquitur Petrus de interpretatione ſed de certitudine prophetiæ.

CAPVT II.

Summa

Summa Capitis ſecundi.

Quemadmodum in veteri populo fuerunt falſi Prophetæ, qui pœnas tandem ſuæ luerunt impietatis: Ita etiam in Eccleſia noui teſtamenti falſi erunt doctores, quibus Deus non parcet, ſed vt pios potenter eripiet: Ita falſos doctores cum ijs, qui ab ipſis ſeducuntur, iuſte puniet.

Ordo & partes Capitis ſecundi.

Primum prædicit fore falſos doctores in Eccleſia, ſicuti fuerunt in veteri populo, ſed hos ſuo tempore puniendos diuinitus, multis confirmat exemplis. Deinde interpoſita conſolatione de liberatione piorum, longam attexit falſorum doctorum deſcriptionem. Tum de ijs agit, qui per falſos doctores ſeducuntur, quorum conditionem deteriorem fore, quam erat ante conuerſionem, prædicit.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

FVERVNT autem & Pſeudoprophetæ in populo, quemadmodum & inter vos erunt falſi doctores, qui introducent hæreſes perditionis. Etiam Dominum, qui ipſos redemit, abnegantes, accerſentes ſibi ipſis celerem interitum, & multi ſequentur eorum exitia, per quos via veritatis blaſphemabitur, & in auaritia fictis ſermonibus vos negociabuntur, quibus damnatio iam olim nō tardat, & quorum exitium non dormitat.

Hæc pericopa ſex membra habet de Pſeudoprophetis ſeu falſis doctoribus, quorum ſingula ſuam doctrinam & admonitionem continent. Primum itaque membrum eſt prædictio, videlicet quod quemadmodum in veteri populo, hoc eſt, Iſraëlitico, ſtante adhuc republica Moſis, fuerunt varij Pſeudoprophetę: Ita ſint futuri in Eccleſia falſi doctores, quod etiam ipſe Dominus prædixit. Hic primum Satanæ tyrannis cogitanda eſt, qui non ſinit Eccleſiam quietam eſſe, ſed ſemper eam conatur erronea turbare doctrina. Quemadmodum enim primos parentes noſtros in Paradiſo ſophiſtica eſt adortus: ita etiam perpetuò vſque ad diem iudicij Eccleſiæ inſidiabitur. Quare, noſtra refert Chriſto Domino obtemperare, qui iubet vt caueamus nobis à falſis Prophetis, vtque vigilemus & oremus. Deinde hoc vaticinio confutatur Staphilus, qui definit Eccleſiam cœtum eſſe hominum, in quo nullæ ſunt diuerſæ opiniones, nullæ ſectæ, nulla ſchiſmata, quæ eius opinio manifeſtiſſime hoc Petri dicto refellitur. Præterea & CHRISTVS prædixit fore, vt inimicus homo iaceret zizaniorum ſemina in agrum triticiferum, hoc eſt, ſpargeret hæreſes in Eccleſiam. Et Paulus Chriſti Apoſtolus Corinthiacam Eccleſiam agnoſcit eſſe CHRISTI Eccleſiam, in qua tamen non paucæ fuerunt ſectæ, quemadmodum videre eſt in Epiſtolis ad Corinthios ſcriptis. Ad hæc admonemur, vt Iohannes etiam monet, vt diſcernamus ſpiritus, an à DEO ſint, caueamuſque iuxta mandatum Chriſti à falſis Prophetis. SECVNDVM eſt indicatio ſtudij falſorum doctorum. Introducent, inquit, hæreſes perditionis: abnegabunt Dominum qui eos redemit: facient vt blaſphemetur via veritatis, hoc eſt, ſanctum Chriſti Euangelium. HÆRESIS, etſi medium vocabulum eſt, vt quod nunc in bonam, nunc in malam partem accipiatur, Tamen ſæpius vſu ſcripturæ, quia diſſenſionem notat, in malam partem accipitur. EST autem hæreſis ſelectio & defenſio alicuius erronei dogmatis, pugnantis cum fundamento, cum pertinacia coniuncta. Sunt ergo duo, quæ hæreſin faciunt, videlicet error cum fundamento pugnans, & pertinacia ſeu contumacia. Hinc Auguſtinus: Qui in Eccleſia CHRISTI morbidum aliquid, id eſt, periculoſum prauumque ſapiunt, ſi correpti, vt ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt & habentur in exercitibus inimicis. Ex hoc manifeſtum eſt diſcrimen inter ſimplicem errorem & hæreſin. Ille corrigibilis eſt per ſanam doctrinam, hæc pertinaciter reſiſtit & aduerſatur veritati. ABNEGATIO Domini tribus fit modis, videlicet, profeſsione,

doctrina & moribus. Profeſsione abnegauerunt Dominum Turcæ, Iudæi, prophanæ gentes, quos Auguſtinus vno nomine Paganos appellat, proptèrea quod non ſint milites in Eccleſia Chriſti, arma ſumentes ſpiritualia aduerſus Diabolum & eius membra. Doctrina abnegant Dominum, qui articulos fidei cõuellunt, aut aliquam doctrinæ partem, quæ ad fundamentum pertinet, deprauant. Moribus abnegant Dominum, qui vel hypocriſi, vel ſuperſtitioſo cultu, vel Epicurea ſecuritate, vel prophanitate vitæ ipſum negant. Hi enim quod verbis profitentur, factis abnegant, abominabiles & ad omne bonum opus reprobi. TERTIVM, eſt fructus hæreſeos, qui eſt multorum certus interitus. Multi, inquit, ſequentur eorum exitia. Nam non ſolum autores ſectarum peribunt, verum etiam qui ab illis in errorem ſeducuntur. Quemadmodum ſæpe Propheta Ezechiel indicat, & hic Petrus clare affirmat. Hoc pulcre pingitur in exitio Datan, Chore & Abiron. Nam hi non ſoli, ſed omnes qui ijs adhæſerunt, hiatu terræ abſorpti ſunt. Intereſt igitur piorum omnium, vt ſumma cura ſibi caueant, ne hæreticorum impoſturis inuoluantur, atque ita cum ipſis, ſua culpa pereant. QVARTVM, hæreſeos cauſſa in hominibus malis eſt auaritia omnium malorum radix. Vocabulum, quo Apoſtolus vtitur eſt pleonexia, quæ & auaritiam ſignificat, & peculiariter eſt vitium ab inſolentia profectum, quo quis in re præcipuum quippiam habere appetit, vt in honoribus, in præmijs, in conſilijs. Breuiter, qui ſuperiores partes ſemper ſectantur πλεονέκται dicuntur. QVINTVM, Modus indicatur, quo hæretici incautos fallere ſolent. Ita enim ait: Fictis ſermonibus eos negociabuntur. Per fictos ſermones aſtute excogitatas fabulas intelligit, quibus vſi hæretici, hominibus tanquam pecoribus ad nundinationem abutentur. Qui hæc veriſsime quadrare in Papatum nõ cernit, pluſquam cœcus eſt. Hac enim negociandi ratione infinitas opes cumularunt, fumis & mendacijs aurum, argentum & prędia commutantes, in hac nundinatione primas tenet, qui mendaciter & impudenter ſe Simonis Petri ſucceſſorem iactitat. Obſeruetur itaque hoc loco grauiſsimum hoc vaticinium de nundinatione hac Papiſtica, quo magis confirmati Beluam iſtam Romanam fortiter contemnamus cum omnibus anathematis excommunicationibus & execrationibus. SEXTVM, eſt pœna, quam hæretici olim patientur. Quibus, inquit, damnatio iam olim non tardat, & quorũ exitium non dormitat. Hoc ſextum membrum nonnullis exemplis illuſtrat Apoſtolus, quemadmodum in textu ſequitur.

Nam ſi DEVS angelis, qui peccauerunt, non pepercit, ſed catenis caliginis in tartara detruſos tradidit, ad damnationem ſeruatos.

Exemplo cõfirmat puniẽdos hęreticos. Deus puniuit angelos peccãtes. Ergo multo magis puniet homines hæreticos. Catenã caliginis vocat miſerrimam, & horribilis terroris plenam conditionem malorum ſpirituum, qui denſiſsima caligine quaſi catenis conſtricti ſeruantur in iudicium. Metaphora ſumta eſt à facinoroſis & damnatis, qui in carceris fœdore retinentur conſtricti, donec ad vltimum ſupplicium pertrahantur.

Et priſco mundo non pepercit, ſed octauum Noë iuſticiæ præconem ſeruauit, diluuio in mundum impiorum inducto.

Alio exemplo confirmat hęreticos adeoque omnes impios puniendos. Hiſtoria, cuius hic meminit Petrus, legatur Geneſeos 7. Hæc verba, octauũ Noë iuſticiæ præconem, diſtincte intelligenda ſunt. Eſt enim ſenſus. Noë octauus, id eſt, ipſe Noë cum ſeptem alijs ſeruatus eſt à diluuio per arcam. Hic Noê fuit iuſticiæ præco, impletus ſpiritu Chriſti, dum fere centum & viginti annos impios ſui temporis commonefaceret de ventura ſuper ipſos ira Dei, niſi reſipiſcerent.

Et ciuitates Sodomorum & Gomorræ in cinerem redactas ſubuerſione damnauit, fecitque vt eſſent exemplar eorum, qui impie ſunt victuri.

Hæc hiſtoria habetur Geneſ. 19. quæ eſt teſtimonium iræ Dei aduerſus libidines, quas vt vere abominatur Deus: Ita ſerio tandem puniet. Nam cum has Sodomiticas libidines punit, non eſt dubium quin etiam ſit puniturus hæreticos, qui ſpirituale adulterium committunt, & multos ab amplexu Dei abſtrahunt. In hiſtoria de Sodoma & Gomorra peculiariter obſeruetur, quod Dominus ab Abrahamo rogatus, voluiſſet propter decem iuſtos peperciſſe ciuitatibus iſtis. Vnde ſequitur, Deum multis malis haud raro parcere propter paucos bonos, qui ſuis precibus iram Dei auertunt. Cum autem addit: Fecitque vt eſſent exemplar eorum, qui impie eſſent victuri, Docet quod omnes hiſtorię de calamitatibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tatibus hominum & pœnis peccatorum ſint nobis commonefactiones de imminentibus nobis propter peccata ſupplicijs, niſi mature reſipiſcamus. Punita eſt libido Sodomæ, punientur ergo & noſtri ſeculi horrendæ libidines. PVNITA eſt tyrannis Iuliani, proinde nec alij hoſtes Eccleſiæ euadent, quin puniantur. Punitus eſt Heli ob malam familiæ gubernationem. Pœnas ergo & hodie dabunt, qui ſuos liberos in admonitione & correptione Domini iuxta conſilium Apoſtoli non erudiunt, atque ita de alijs ſceleribus iudicandum eſt. Nam Deus immutabilis eſt, quod in vno puniuit, puniet & in alio, niſi pœnitentia peccatoris manum vltoris retraxerit. Nam vt iuſtus eſt ſcelerum vindex: ita miſericors eſt in omnes, qui à ſua iniuſticia diſcedentes, vera pœnitentia ad ſe conuertuntur.

Et iuſtum Loth libidinoſa nephariorum conuerſatione defatigatum eripuit.

Hæc antitheſis ad conſolandos eos pertinet, qui inter impios viuunt. Tametſi enim opprimi ad tempus videntur pij ab impijs, tamen Deus ſuos non deſerit. Eſt enim ſemper ſibi ſimilis. Hiſtoria legatur Geneſ. 19. Præter alia moneat nos præſens exemplum, ne multitudinis contagione ſinamus nos contaminari.

Nam oculis & auribus iuſtus ille, cum habitaret inter ipſos quotidie, animam iuſti iniquis illorum operibus excruciabat.

Ratio defatigationis iuſti Loth. Quocunque (inquit) aures aut oculos applicuit, ea & audiuit & vidit, quæ ipſum miſerrime torquebant. Vbique enim iniqua Sodomitarum opera cernebantur & audiebantur. Hic ſenſus huius loci ſimpliciſſimus eſt. Vetus interpres cum reddit: aſpectu enim & auditu iuſtus erat (hoc eſt, habuit oculos & aures abhorrentes ab omni turpitudine) peruertit Apoſtoli ſententiam. Nam articulus in Græco textu hanc interpretationem non patitur. Oſtendit enim articulus, quod vox iuſtus, ſit ſubiectum & excruciabat, prædicatum, ablatiui oculis & auribus, ſiue ad verbum viſu & auditu ad modum referuntur. Nam videndo & audiendo, hoc eſt, dum vidit & audiuit illorum nepharia opera, animam iuſtam cruciabat. Hæc hypotheſis hanc admonitionem ſuppeditat, quod iuſti & pij iniquis nephariorum operibus crucientur, idque tribus de cauſis. Quarum prima eſt Dei contumelia. Nam cum maximo animi dolore audiunt Deum ab hominibus contumelia affici, quos condidit in ſuam gloriam. Secunda, Satanæ tyrannis, qua captiui tenentur impij. Tertia eſt damnatio eorum iuſtiſsima, qui npharie viuunt, militantes peccato, à quo reportabūt obſonia æternos cruciatus.

Nouit Dominus pios è tentatione eripere, iniuſtos autem in diem iudicij puniendos ſeruare.

Ratio punitæ impietatis in hoſtibus Dei, & erepti iuſti Loth de medio incendio. Sumitur autem hæc ratio ab immoto decreto Dei, à quo nunquam diſcedat Deus. Nam vt pios ſemper tuetur, eoſq; è periculis, etſi non ſemper eodem modo, eripit: Ita impios & iniuſtos adeoque impœnitentes puniendos ſeruat, donec tempus correptionis aduenerit. HÆC vt pijs in medijs ærumnis conſolationem ſummam afferunt: Ita merito impijs & impœnitentibus horrendum terrorem incutiunt, eoſque monent, vt pœnitentia ſeria iuſtam iudicis iram anteuertant. Verbum noticiæ hoc loco ſignificat ſententiam Dei, conſequentem noticiam, qua ſententia vt iuſtos decreuit è periculis eripere: Ita ſtatuit impios ad pœnam reſeruare. Porrò, hic opus eſt, vt diligenter diſtinguamus eripiēdi modos. Sunt autem tres modi, quibus Deus ſolet pios è medio periculorum eripere. Primus eſt, cum ipſos ex hac vita euocat, antequam veniant pœnæ. Secundus modus eſt, cum ipſe Deus pios ſeruat inter fluctus & procellas pœnarum. Tertius modus eſt, cum Deus interiorem infundit cordibus piorum conſolationem, quę eſt victrix ærumnarum. Cum vel ab impijs afficiuntur ſupplicio, vel vna cum colluuione impiorum affliguntur.

Præſertim vero illos, qui poſt carnem in concupiſcentia pollutionis ambulant, dominationes deſpiciunt, audaces, præfracti, qui excellentias non verentur probro afficere.

Redit ad hypotheſin, à qua nonnihil ad theſin deflexerat, & ſignificat fore, vt falſi doctores iuſtam pœnam aliquando ſint daturi. Recenſet autem hic quaſdam notas, quæ tamē non conueniunt in omnes hereticos, ſed tantum in ordinem certum, & videtur quaſi digito Papatum mōſtrare. Nam hi ſpreto

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

honeſto ſanctoque coniugio nefandis libidinibus ſe polluũt, quas ſatius eſt ſilentio prӕterire, quam commemorare. Nam ſupra modum earum commemoratio, honeſtas & pias aures turpitudine offendit. Deinde magiſtratum contemnunt, & calcant pedibus, vt Helebrandi ſucceſſor, qui Cӕſaris Henrici collum pede conculcans, hӕc verba ex impuro ſuo roſtro eructauit: Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis. PRÆFRACTI Grӕce αὐθάδεις, hoc eſt, ſibi placentes, aliorum contemtores, ſunt pertinaces, intractabiles, qui nullius conuerſatione aut conſilio capiuntur. Dicitur autem Grӕca vox αὐθάδης ab αὐτός ipſe, & ἅδειν, placere, quaſi ſibi ipſi placẽs ſpretis aliorum iudicijs, hoc quam vere quadret in Papatum, nemo non videt. Nam vſque adeo ſua placida ac decreta admirantur, vt non vereantur ea ſcripturӕ Propheticӕ & Apoſtolicӕ anteponere. PORRO, cum concupiſcentiam cum epitheto pollutionis nominat, manifeſte diſtinguit eam à naturali non excedente ſuos limites, & à ſpirituali, quӕ filiorum Dei propria eſt. Vocat autem hic concupiſcentiam pollutionis ab effectu, vt quӕ polluat animum hominis, eumque impurum reddat. Huic ergo opponitur pura & ſancta concupiſcentia.

Cum ipſi angeli, qui ſunt robore & potentia maiores, non ferant coram Domino contumelioſum iudicium.

Quo magis coarguat eos, qui dignitates contemnunt, producit exemplum bonorum angelorum, qui non ſaltem, vt miniſtri Dei regnis ſeruandis prӕficiuntur, verum etiam reuerentur dignitates, adeo vt non ferant vllum blaſphemum iudicium aduerſus dignitates, multo minus ergo hoc in hominibus ferendum eſt. Videtur autem Petrus reſpicere ad hiſtoriam, quӕ eſt 3. Regum capite 22. vbi nullum conuitium ab angelis profertur aduerſus impium regem Achab. Hoc exemplum pij miniſtri verbi imitari debebunt, dignitates habebunt in honore, ita tamen vt ſceleribus eorum nõ parcant, ſed ea prudenter arguant vt Nathan, vt Baptiſta, vt Ieremias, &c.

Iſti autem tanquam bruta animantia naturaliter genita in capturam & perniciem, in quibus nihil intelligant, maledicentes in ſua corruptione peribunt, recipientes mercedem iniuſticiӕ.

Confert falſos doctores, de quibus hic ſermo eſt, brutis animalibus, eo quod nec cõſilio nec ratione, nedum ſpiritu Dei regantur, ſed cœco ad beluinas voluptates ferantur impetu. Quemadmodum ergo ferӕ capiunt alias, & capiuntur viciſſim ab alijs: Ita falſi doctores cum alios impia doctrina perdiderunt, ipſi quoque peribunt. Atque hoc eſt quod ſubiungit, mercedem recipientes ſuӕ iniuſticiӕ. Suis enim perditis & corruptis moribus, vt alijs ſunt exitio: Ita certum ſibi ipſis accerſunt interitum. Notetur mercedis vocabulum pro ſupplicio accipi, quod iuſte debetur pro malefactis.

Pro voluptate ducẽtes quotidianis frui delicijs.

Longam deſcriptionem inſtituit, in qua ſuis veluti coloribus depingit falſos doctores, quales prӕdixit in mundum venturos eſſe. Pertinet autem hӕc deſcriptio eo, vt oſtendat falſos doctores nihil aliud quam carnem ſapere, cuius deſideria etiam faciunt. Itaque primum locum occupat ſummam voluptatem ducere quotidianis frui delitijs. Significat ergo falſos doctores ſimiles fore procis Penelopӕ, & porcis Epicuri. At pij hic meminerint dicti Syracidӕ: Qui voluptatibus reſiſtit, coronat vitãm ſuam. Execrentur itaque pij dogma Epicuri, qui in voluptate ſummum hominis bonum poſuit, & huic impuro porco opponant caſtiſſimum Philoſophum Ciceronem, qui ita ait: Si quis voluptatem eſſe ſummum bonum dixerit, eius vox pecudum videtur eſſe & non hominum.

Labes & maculӕ deliciantes in fraudibus, dum conuiuantur vobiſcum.

Hӕc Grӕcorum verborum interpretatio eſt ad verbum, vt nunc eſt in Grӕcis codicibus, ſed vetus interpres pro ἀπάταις legit ἀγάπαις, quӕ lectio germana videtur, ex Epiſtola Iudӕ, vbi ſic ſcribitur, οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευωχούμενοι. Hoc eſt, Hi ſunt in agapis veſtris maculӕ vobiſcum epulantes. Vocabantur aũt & ea cõuiuia, quӕ Eccleſiaſtico cœtui apparata fuere, & ea quӕ pauperibus refocillandis exhibebantur ἀγάπαι, propter caritatem, qua ſe mutuo complectebantur Chriſtiani cõuiuantes. Dicta eſt & ſacra cœna à Grӕcis ἀγάπη. In his ſacris cõuiuijs, labes & maculas futuros prӕdicit Petrus falſos iſtos doctores, de quibus hic potiſſi-

potiſsimum vaticinatur, quàm autem appoſite hoc in Papatum quadret manifeſtum eſt. Nam iſti raſi & vncti ſacrificuli ex publico conuiuio priuatum faciunt, ac cœnam Dominicam horrendis maculis contaminant, dum non ſolum hiſtrionicis geſtibus omnia fœdant, verum etiam ſacrilega in Chriſtum cõtumelia inſtitutionẽ Domini commaculant.

Oculos habentes plenos adulterij, & inquietos à peccato.

Inſignem libidinem vocat, quæ in ipſorum oculis apparet. Sunt enim oculi omnium affectuum infallibiles teſtes, quemadmodum ille ait: Oculi ſunt in amore duces. Et Auguſtinus: Oculus impudicus impudici cordis eſt nuncius. Has libidines præferunt Romanẽſes ſancto & impolluto coniugio, in contumeliam Dei ordinantis cõiugium, & abominantis oẽs vagas libidines.

Ineſcantes animas inſtabiles.

Hoc eſt, quemadmodum aucupes ſuis quibuſdam illecebris in rete pelliciunt auiculas: ita falſi doctores homines ſimplices ſua ſuperſtitione ſibi adiungunt, vt ita tandem ineſcati miſere cũ ipſis autoribus pereant. Hoc in Monachos optime quadrat, qui vanis pollicitationibus multos in ſua luſtra pertraxerunt.

Cor exercitatum auaritia habentes.

Notatur inexplebilis auaritia falſorum doctorum, de quibus hic agit Apoſtolus, quos ita ad rapinas exercitatos fore prædicit, vt facile multorum opes mendacijs ad ſe pertrahant. Hinc collectum eſt maximum illud patrimonium, quod Petri vocãt.

Execrationis filij, qui relicta recta via aberrarunt, ſecuti viam Balaam, filij Boſor, qui mercedem iniuſticiæ amauit. Sed redargutionem ſuæ iniquitatis ſuſtinuit: animal ſubiugale, mutum, humana voce loquens prohibuit Prophetæ dementiam.

Comparat falſos doctores Balaam, qui linguam habuit venalem ad maledicendum populo Dei, cuius inſaniam Deus miraculo prodidit. Nam cum Balaam proficiſceretur vt malediceret populo Dei, Angelus Domini ei occurrit, & aſina, qua vectus eſt, auari Prophetæ dementiam humana voce locuta coarguit. Hiſtoria legatur Nume. 22. Adumbrat igitur Balaam omnes Prophetas & falſos doctores, qui amore non Chriſti, ſed honoris cauſſa & quæſtus omnia agant.

Iſti ſunt fontes aqua carentes, nebulæ à turbine agitatæ.

Duobus ſimilibus ingenium falſorum doctorum depingit. Primum enim eos fontibus aqua carentibus cõfert, qua ſimilitudine ſignificat falſos doctores iactare ſcientiam ſalutis, cum tamen eius vacui ſint, & pro ſalutis aqua interitum propinant. Deinde eoſdem nebulis vento agitatis comparat. Nam quemadmodum nubes, quæ ſpem aliquam pluuiæ mortalibus præbet, mox in ventum diſsipatur: Ita falſi doctores aliquam faciunt cœleſtis doctrinæ ſpem, ſed ſolo vento & arrogantia turgent. Similitudo hæc Prouerb. 25. hoc pacto abſoluitur: Nubes & ventus eſt ſine pluuia, qui gloriantur pollicendo, & nihil præſtant. Hoc quam recte in Canonicos Papiſticos, & Monachos competat, vt interim nihil de Epiſcopis & Cardinalibus dicam, nemo eſt qui non videat, pollicentur ſuis pompaticis ceremonijs ſalutem & vitam, ſed qui eos ſequuntur nihil inueniunt præter damnationem & mortem.

Quibus caligo tenebrarum in æternum ſeruata eſt.

De pœnis falſorum doctorum obiter admonet Apoſtolus, idq; in hunc finem, vt caueamus nobis quam diligentiſsime ab ipſorum inſidijs. Nam vt ſupra dictũ eſt, qui ſeducuntur à falſis doctoribus, in eandem cum illis incurrunt damnationem. Caligo tenebrarum ſignificat denſiſsimas tenebras ignis obſcuri, vrentis eos, qui damnantur, quæ pars quædam eſt pœnarum æternarum.

Nam faſtuoſa vanitatis verba ſonantes ineſcant cupiditatibus carnis & laſciuijs eos, qui vere aufugerant ab ijs, qui in errore conuerſantur, libertatem eis promitten-

Cur falſos doctores nebulis comparet, exponit. Faſtuoſa, inquit, ſonant, ſed in aërem abit iſtorum fumus. Videtur autem hic Petrus non ſolum Papatum deſcribere, verum

tes

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tes,cum ipſi ſint ſerui corruptionis.

etiam ſectam Libertinorum, qui hac noſtra ætate in finibus Italiæ multos decipiunt,promittentes libertatem omnibus,qui degunt in concupiſcentijs carnis,& laſciuijs ſe omnis generis polluunt.modo non ſtatuant ſe peccare. Talis fuit olim ſecta Gnoſticorum,qui multos qui iam ab erroribus Ethnicorum aufugerant,rurſus in præcipitium omnis incontinentiæ præcipitauerunt. Papiſtæ qui ſe omni laſciuiæ proſtituunt,& quouis libidinis genere polluunt, hæc Petri verba in pios Euangelij præcones torquēt,ac ſi huiuſmodi libertatem carnis ſuis ſectatoribus pollicerentur. Sed fallunt,& falluntur. Nequaquam enim prædicamus libertatem peccandi,ſed prædicamus libertatem à iure peccati & damnationis omnibus ijs,qui ad Chriſtum liberatorem fide confugiunt,iuxta illud: Si Filius vos liberauerit,vere liberi eritis. Veram libertatē opponit inani titulo & vmbræ libertatis. Sunt enim illi vere liberi,quibus peccatū deletum eſt. Ioan.8. Quibus placata ira Dei eſt,quibus abolita mors eſt, quibus ſublatæ omnes calamitates humanæ, quib⁹ donata eſt iuſticia æterna,lux,vita,gloria. Deinde prædicamus mortificationem veteris hominis, id eſt,iugulationem prauorum affectuum,quæ eſt ſpiritualis circumciſio, & prædicamus veram ſanctificationem ſpiritus, & aperte fatemur fidem excuti & Spiritum ſanctum, cum homines peccatis indulgent contra conſcientiā. Multo igitur rectius hæc in Papiſtas quadrant,qui non ſolum ipſi ſint ſerui corruptionis,omni turpitudinis generi ſe proſtituētes, verum etiam illud,quod ipſi non habent,alijs mendaciter promittunt. Promittunt enim libertatem à peccato,ſed per aliud medium, quam per vnum Ieſum Chriſtum. Humanas enim traditiones meritorias huius libertatis eſſe docēt, quibus miſere ſtultos homines ineſcant,dum propter iſtas contingere ſalutem & vitam æternam falſo docent. Obſeruetur hoc loco teſtimonium contra quoſdam,qui dicunt eos,qui ſemel crediderunt,fidem non poſſe amittere & Spiritum ſanctum,quantumuis in omne ſcelerum genus petulāter ruāt.

Siquidem quis à quo ſuperatus eſt, huic etiam in ſeruitutem eſt addictus.

Dixit falſos doctores ſeruos eſſe corruptionis, hoc eſt,peccati (nam anima peccato corrumpitur) id nunc probat per principium firmiſsimum & immotum à iure militari petitum, Victus eſt victoris ſeruus. Iſti falſi doctores à peccato victi ſunt. Proinde ſerui ſunt peccati. Minor ab effectu ſeruitutis probatur. Nam faciunt imperata peccati,dum concupiſcentijs prauis indulgent & obſequuntur. Quare reuera ſunt victi à peccato, & ſe ſeruos eius eſſe obœdientia oſtendunt. Cum hiſce congruit dictum Domini: Qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati.

Nam ſi hi, qui aufugerant ab inquinamentis mūdi, per agnitionem Domini & ſeruatoris,his rurſus implicati ſuperentur, facta ſunt illis poſtrema peiora prioribus.

Qualiſnam conditio eorum futura ſit, qui poſt agnitionem Chriſti relabūtur in inquinamenta mundi,exponit. Inquinamenta mundi & in doctrina & in vita ſpectantur. Vt enim inquinamenta doctrinę ſunt errores Ethnici pugnantes cum Euāgelio, quibus omnes homines ante reuelationem Chriſti in ipſorum cordibus occupantur miſere:ita inquinamenta vitæ ſunt ſtudia & actiones pugnantes cum ſanctificatione,ad quam nos vocat Euangeliū. Ab his inquinamentis mundi homines nequaquam liberantur per Philoſophiam, aut per vlla humana conſilia, ſed ſolummodo per agnitionē Ieſu Chriſti Seruatoris noſtri. Hæc Chriſti agnitio efficax monſtratur in Euangelio,& conſiſtit in noticia Chriſt & in eius fiducia,cum qua fiducia ſanctificatio coniuncta eſt. Nam ad hæc tria ordinatur Euangelij prædicatio. Quod autem pronunciat conditionem poſteriorem eorum,qui relabuntur,eſſe peiorem priori,hoc ex magiſtri ſui ore hauſit,qui Matth.12. de impuris ſpiritibus diſſerit, & de futura calamitate populi Iſraëlitici ob defectionem à Deo. Hic locus nequaquam patrocinatur Nouatianis & Donatiſtis,qui negarunt lapſis poſt illuminationem reditum ad gratiam. Nā omnia comminatoria dicta in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis cum ea exceptione accipienda ſunt, quā Chriſtus clare ponit,cū inquit: Niſi pœnitentiā egeritis,vos omnes ſimiliter peribitis.

Satius enim illis fuiſſet, non cognouiſſe viam iuſticiæ, quam cognita illa conuerti ab eo, quod illis traditum erat ſancto præcepto.

Ætiologia eſt, cuius hic eſt ſenſus. Maior condemnatio eorum erit, qui à cognito Euangelio deficiunt,quam eorum, qui Euangelium nunquam cognouerunt. Reſpicit autem Petrus hoc lo-

hoc loco ad dictum Domini Lucæ 12. Seruus ſciens voluntatem Domini,& non faciens, vapulabit plagis multis.

Sed accidit eis, quod vero prouerbio dici ſolet: Canis reuerſus ad ſuum ipſius vomitum, & ſus lota ad volutabrum cœni.

Vt pericula eorum, qui relabuntur in priſtina vitia poſt agnitionẽ Chriſti, exaggerat, duas affert parœmias veteres. Nam primum confert eos canibus, deinde ſuibus. Siquidem, vt canes in ſuum malum reſorbent, quod prius euomuerant, & porci loti prius, rurſus ſe cœno obuoluunt: Ita illi ſalutari medicina Euangelij purgati & loti, ad priores ſordes ingrati redeunt. Reſpicit hic Petrus ad dictum Salomonis prouerb. 26. Sicut canis rediens ad vomitum, ſic ſtultus geminans ſtulticiam ſuam. Hic tamen monendi ſunt lapſi, vt ſciant ſe rurſus reſtitui poſſe, modo pœnitentiam egerint. Ita enim ait Iohannes: Si peccauerimus, habemus aduocatum in cœlo, Ieſum Chriſtum iuſtum.

CAPVT III.

Summa Capitis tertij.

Cauillationibus illuſorum de aduentu Domini refutatis, monet Apoſtolus, vt fideles ſe in aduentum Domini præparent, caueantque ne erroribus Ethnicis imbuti, excidant à propria ſtabilitate.

Ordo & partes Capitis tertij.

Partes huius capitis plures ſunt. Prima, commonefactio eſt de fine ſcriptionis cum huius Epiſtolæ tum ſuperioris. Secunda, admonitio de illuſoribus, qui aduentum Domini in dubium erant reuocaturi. Tertia, confutatio iſtius pernicioſi erroris. Quarta, concluſio exhortatoria de vitæ innocentia. Quinta, concluſio exhortatoria, vt perſiſtant in doctrina ipſis tradita, caueantque ſibi ab erroneis opinionibus.

EXEGESIS CAPITIS TERTII CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

HANC iam, dilecti, ſecundam ſcribo vobis Epiſtolam, in quibus excito per commonefactionem veſtram ſinceram mentem, vt memores ſitis verborum, quæ prædicta ſunt à ſanctis Prophetis, & præcepti noſtri, qui ſumus Apoſtoli Domini & Saluatoris.

Finis ſcriptionis cum huius tum ſuperioris Epiſtolæ, videlicet commonefactio, vt fideles ſint memores doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ, in qua Deus ſuam voluntatem reuelauit hominibus. Hæc commonefactio ſumme neceſſaria eſt omnibus temporibus. Monet enim nos contra omnes hæreſes, & monſtrat verum ſalutis fontem, qui eſt verbum Dei, Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis comprehenſum. Hic locus monet, vt Chriſtiani legant, audiant, meditentur & diſcant doctrinam Propheticam & Apoſtolicam, eiuſque ſint cuſtodes. Deinde refutat hic locus Stenckfeldium & Anabaptiſtas, qui ſpreto vocali verbo Enthuſiaſmos & neſcio quas reuelationes iactant.

Hoc primum ſcientes, quod venient in extremo dierum illuſores, qui in ſuis ipſorum cupiditatibus incedant & dicant, vbi eſt promiſſio aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic permanent ex principio creationis.

Admonitio de futuris illuſoribus, qui verbum Dei ſacrilega cõtumelia afficient, & reuocabunt in dubium ſpem reſurrectionis & finem ſæculi huius. Dicent enim: Omnia in eodem ſtatu permanent, iamdudum mortui ſunt Patres, quibus eſt facta promiſſio

promiſsio.Irrita eſt ergo promiſsio aduentus Domini.Hic notantur, qui præcipuæ Eccle-
ſiæ Dei columnæ dici volunt, videlicet Cardinales,qui vt ſunt carnales palam in ſuis cõui-
uijs,has ſannas eructãt, nugantes homines vt pecora interire. Cõtra hos irriſores vult nos
Apoſtolus munitos,Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis,quæ cum Deum autorem habeant,
fallere non poſſunt. Simus proinde hac Apoſtolica admonitione armati aduerſus huiuſ-
modi Satanicas illuſiones, per quas fiunt inſidiæ ſaluti noſtræ, & laquei mortis ſtruuntur.

Hoc enim eos volentes latet, quod cœli iam olim & terra (ex aqua & per aquam conſiſtens) erant per Dei verbum, propterea is, qui tunc erat mundus, aqua inundatus perijt, qui vero nunc ſunt cœli & terra, eiuſdem verbo repoſiti ſunt & ſeruantur igni, in diem iudicij & exitij impiorum hominum.

Duo his verbis facit Apoſtolus, Pri
mum enim euertit fundamentum,
quo freti illuſores iſti in dubium reuo
carunt aduentum Domini. Deinde,
modum deſtructionis mundi in die
iudicij indicat. Fundamentum illu-
ſionis hoſtium Euangelij hoc fuit.
Omnia ab initio creationis ſic perma
nent. Sed hoc principium falſum eſſe
per diluuiũ oſtendit Apoſtolus, quod
illos volentes ignoraſſe dicit.Quemadmodum enim per Dei verbũ cœli & terra cœperunt:
Ita quodam̃odo deſierunt, Deo ita volente,cum aſpectabilis mundi forma per diluuium
eſt permutata,proinde eſt falſum principium,quo nituntur illuſores iſti.MODVS deſtru-
ctionis mundi in die iudicij per collationem ſignificatur.Quemadmodum enim olim ob
ſcelera hominum mundus quodammodo aqua eſt deſtructus: ita in die iudicij igni con-
flagrabit mundus.Idq; cum in ſignum æternarum pœnarum,quas ſuſtinebunt impij,tum
propter reparationẽ,qua mũdus ab omnibus ſuis ſordibus igni repurgatus reformabitur.
Nam vt domus leproſorũ contagio lepræ cõtaminatæ ſunt: Ita mundus pollutus eſt reatu
& maledictione impiorum. Debet igitur igni purgari,vt ſit omnium angelorum & homi
num ſanctorum iucundiſsimum & pulcerrimum theatrum. Hæc de ſententia Petri ſint
dicta.Nunc verba quædam textus altius expendamus.PRIMVM dicit,Cœlum & terram
extitiſſe per Dei verbum,Hoc eſt,dicente Deo creata eſſe,ſicuti ex Geneſi patet.Hoc verbũ
interpretatur Epiſtola ad Hebræos eſſe λόγον ὑσιώδη, videlicet ipſum æternum Dei filium.
Ita enim ait:Locutus nobis eſt per Filium,quem poſuit hæredem omnium,per quem & ſæ
cula fecit. DEINDE dicit terram ex aqua & per aquam conſtitiſſe, hoc quid ſit ex Geneſi
patet:Ibi enim Deus dicitur primum creaſſe chaos magnum, quod fuit materia rerum cor
poralium. Ex hoc chao, dicente Deo,terra emerſit & apparuit, & ſimul per medias aquas
conſtitit,quemadmodum ipſe rerum euentus manifeſte conuincit.Non ergo ſenſus eſt A-
poſtoli, quod terra ſit ex aqua, ſed quod terra emineat ſuper elementum aquæ, quæ aqua
nonnullis in locis terram circumdat, vt terra per medias aquas fulcita eſſe videatur.

Vnum autem hoc non lateat vos dilecti, quod vna dies apud Dominum veluti mille anni, & mille anni tanquam vnus dies.

Docet pios quid ſtatuant de tem-
pore aduentus Domini. Vult enim vt
carnis iudicio renunciato nos Domi-
no ſubijciamus,qui quod ſemel decre
uit,vere perficiet. Neque enim mora
diuturnior eius propoſitum euertit, cum mille anni ante ipſum ſint vt dies vnus, & vnus
dies vt mille anni,hoc eſt,Deo nullum tempus neque breue neq; longum eſt,verum quod
ſemel ſtatuit,certiſsime complebit.Hinc nos admonemur ex Dei decretis pendere, & non
ſectari iudicium carnis in promiſsionibus diuinis,præſertim cum ſalus animarum agitur.

Non tardat Dominus in promiſsione, ſicuti quidam tarditatem putant, ſed patiens eſt erga nos, non volens vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere.

Cauſſam vnam dilati promiſsi ad-
uentus Domini exponit, & eam eſſe
dicit patiẽtiam Dei, qua expectat ho-
minum pœnitentiã,ſignificans quod
in ſuo aduentu non ſit vllus pœniten
tiæ locus futurus.Nunc enim tẽpus pœnitentiæ eſt,tunc iudicij erit. Nunc expectat pœni-
tentiam,tunc pœnas infliget impœnitentibus, iuxta ſuum im̃otum decretum,qua ſtatuit
pœnitentibus vitã æternã donare,ſed impœnitentes & cõtumaces æternis pœnis obruere.
Obſeruetur hic duplex doctrina, Vna,quod Deus differat aduentum filij ſui ad iudicium,
vt homines,qui adhuc alieni ſunt à familia Dei,hac mora ad pœnitentiã inuitẽtur. De hac
cauſſa

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cauſſa loquitur etiam Paulus ad Rom.2. An diuitias benignitatis Dei, & tolerātiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quod bonitas Dei te ad pœnitentiā inuitet? Altera quod gratia Dei ſit vniuerſalis. Diſerte enim abſq; omni ambiguitate, cum verborum, tum ſenſus, pronunciat Deum non velle vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiā colligi. Quare, hoc dictum memoria teneamus, vt nos muniamus aduerſus eos, qui hodie negant gratiam Dei vniuerſalem eſſe. Neque eſt quod nos moueat noui interpretis autoritas, qui hoc dictum reſtringit ad pios quibus Petrus ſcribit. Nam hoc manifeſte pugnat cum verbis Apoſtoli, qui loquitur de ijs, qui nondum egerunt pœnitentiam. AD confirmandam doctrinam de vniuerſali gratia multa dicta pertinent, Qualia ſunt: Veni ſaluare, quod perierat. Item, Venite ad me omnes &c. Certus ſermo & omni approbatione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in mundum, ad ſaluandum peccatores. Item, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ita ergo ſtatuit Deus homines ſeruare, ſi ſalutis medium Ieſum Chriſtum fide apprehenderint. Eſt proinde ſalus hominis conditionata, id quod multis teſtimonijs confirmatur. Ad Coloſſ.1. Si modo in fide permaneatis fundati. Ad Hebr.3. Participes facti ſumus Chriſti, ſi modo principium hypoſtaſeos vſq; ad finem firmum teneamus. Iohan.13. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint. 1. Timoth.2. Mulier ſaluabitur, ſi manſerit in fide. 2. Corinth.5. Si tamen veſtiti & non nudi inueniamur. Et Chriſtus clare pronunciat: Beatus, qui perſeuerauerit vſque ad finem. Hęc ipſa conditio annectitur vniuerſali mandato Chriſti, Apoſtolos ſuos in vniuerſum orbem emittentis prædicatū Euangelium omni creaturæ. Ita enim ait: Quiſquis crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Et alibi Dominus ait: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Ex his teſtimonijs clariſsime patet, quod Euangelium offerat ſalutem omnibus, ſed cum conditione pœnitentiæ ſeu conuerſionis.

Veniet autem dies Domini, ſicut fur in nocte, in quo cœli cum magno impetu præteribunt, Elementa vero æſtuantia ſoluentur, terraque & quæ in ea ſunt opera, exurentur.

Modum aduētus Domini, & quid Domino veniente accidet, exponit. Veniet, inquit, dies Domini ſicut fur in nocte, hoc eſt, quando minime expectatur, ſubito aderit. Hoc dicto monemur, vt perpetuo in excubijs ſimus, ne nos incautos opprimat. Deinde, veniente Domino cōflagrabit mundus igni, vt purgatus Dominum ſuum excipiat. Hinc monemur, vt nos quoque puritati ſtudeamus, quo ipſi occurramus puri, atque id eſt, quod ſubijcit, cum ait:

Cum hæc igitur omnia ſoluantur, quales oportet eſſe vos in ſanctis conuerſationibus & pietatis officijs, expectantes & properantes ad aduentum diei Dei, in quo cœli conflagrantes ſoluentur, & Elementa æſtuantia liqueſcent?

In quem finem tam multa dixerit de cœli & elementorum expurgatione explicat. Vult enim vt nobis ſint incitamenta quædam ad pietatem & ſanctitatem, & vt patienter expectemus diem Domini, & in diem aduentus eius ſimus parati.

Sed cœlos nouos & terram nouam ſecundum promiſsionem expectamus, in quibus iuſticia inhabitat. Quapropter dilecti hæc expectantes, ſtudete vt immaculati & incontaminati ab eo reperiamini in pace.

Ad promiſsionem, quæ eſt Eſaiæ 65. reſpicit, vbi ita ait Dominus per os Prophetæ: Ecce ego creabo cœlos nouos & terram nouam, priorum non erit memoria, neque in cor aſcendent, ſed gaudete & exultate in perpetuum in ijs quæ creo. Nam ecce ego creo Ieruſalem exaltionem, & populo eius gaudium. Hæc prophetia, etſi de toto Chriſti regno loquitur, tamen potiſſimū ad eius conſummationē referenda eſt. Quando enim nos fuerimus pleniſsime regenerati, cœlum etiam & terra penitus renouabuntur, integrumque ſuum ſtatum recipient. Sed cur hoc monet Apoſtolus? Vt pacifice diē Domini in puritate & pietate viuentes expectemus, & non ſinamus nos impoſtorum calūnijs à decreto Dei imoto de aduentu Domini ad iudicium abduci.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Et Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitremini.

Repetit cauſſam dilati aduentus Domini, quam ſupra copioſius expoſuit. Ideo enim differt ſuum aduentum, vt multi pœnitentiã agant & ſaluentur. Quantum enim ad paternum propoſitum attinet, Deus reuera vult omnes ſaluos fieri. At quantum ad euentum attinet, multi dánantur, propterea quod porrectam dexteram Dei, hoc eſt, Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum fide apprehendere noluerunt. Quare ſuapte culpa, & nõ deſtinatione diuina damnantur. Neque aliud vult grauiſsima Chriſti quærela: Multi ſunt vocati, pauci vero electi.

Quemadmodum & dilectus frater noſter Paulus pro ſibi data ſapientia ſcripſit vobis, vt qui in omnibus fere epiſtolis loquatur de iſtis.

De aduentu Domini ad iudicium locutus, prouocat ad teſtimoniũ Pauli Apoſtoli, quem & fratrem agnoſcit in Apoſtolatu, & diuinitus edoctum teſtatur. Tractat autem Apoſtolus hoc argumentum in multis locis, Rom. 8. 1. Corinth. 15. 1. Theſſ. 4. & 5. 2. Theſſ. 2. Quod autem ait: ſcripſit vobis, ſignificat Petrus, quod etſi Paulus certis Eccleſijs ſcripſit, doctrina tamen eius ſit vniuerſalis, vt quæ ad omnes Eccleſias pertineat. Deinde & hinc apparet, quam auide ſcripta Pauli nõ ſolum ipſi, quibus inſcripta erant, verum etiam omnes pij legerint, quorum exempla & nos imitari par eſt, præſertim cum nihil ex ſancto ipſius pectore profectum ſit, niſi quod ſpiritus Chriſti dictauerit.

Inter quæ ſunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumq; ſtabiles detorquent, vt & reliquas ſcripturas, ad ſuum ipſorum exitium.

Monet quædam eſſe in ijs, quæ diſſeruntur cum à ſe tum à Paulo de aduentu Domini, & de ijs, quæ circa aduentum Domini futura ſunt, difficilia intellectu, idq; ab ijs, qui vera Chriſti cognitione præditi non ſunt, & Chriſti ſpiritum non habent, hos enim indoctos & parum ſtabiles vocat. Non enim poteſt animalis homo percipere, quæ ſunt ſpiritus Dei. Hæc difficilia affirmat indoctos & parum ſtabiles detorquere ad ſuum proprium exitium. In quorũ numero fuerunt, qui dixerunt reſurrectionẽ iam factam, & illi qui mille annos exiſtimant pios imperio mundi potituros. Breuiter, omnes quicunq; ſimpliciter verbo Dei non contenti, ſequuntur carnis prauum iudiciũ, iudicaturi de hoc myſterio. Cæterum, qui hoc Apoſtoli dicto abutuntur ad deterrendos homines à lectione Pauli, dupliciter peccãt. Primum enim grammaticæ vim faciunt, non enim ſcriptum eſt ἐν αἷς, vt referatur hæc difficultas ad Epiſtolas Pauli. Sed ἐν οἷς, vt referatur ad neutrum plurale, quod præceſsit, hoc eſt, ad propoſitam diſputationem de aduentu Domini, quemadmodum expoſui. Deinde cum homines ab hoc theſauro Spiritus ſancti arcent, aperte mandatũ Chriſti reijciunt, qui mandat vt audiamus Apoſtolos, vt ſcrutemur ſcripturas. Paulus quoque teſtatur omnia, quæ ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſcripta eſſe. Neq; enim alia lux eſt, quæ nobis viam ſalutis monſtrat, quam verbum Dei, in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis nobis commendatum. Quapropter Spiritui ſancto potius obtemperemus, eumq; rogemus, vt nobis clauem ſcientiæ clementer oſtendat, quod ſane futurum eſt, modo cum timore & humilitate, vt Spiritus ſancti diſcipulos decet, ad ſcripturæ lectionem acceſſerimus.

Vos igitur dilecti, præſcientes cauete, vt non nefariorum errore vna abducti, excidatis propria ſtabilitate.

Hæc ſecundæ exhortationis concluſio eſt quam ex proxima infert ſententia, quaſi dicat: Cũ tanta ſit illuſorum & nefariorum hominum peruerſitas, vt ſcripturas ſacras ad ſuum propriũ exitium detorqueant, cauete ne ab ijs ſeducti vna cum illis ſtabilitate doctrinæ excidatis, & in pernicioſos errores præcipites feramini.

Sed creſcite in gratia & in cognitione Domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti.

Hac breui exhortatiuncula repetit ſummam eorum, quæ fuſe in tota hac Epiſtola diſputata ſunt. Creſcite, inquit, in gratia, hoc eſt, in ſanctitate & pietate quotidiana ſumite incrementa. Vocantur autẽ pietas & ſanctitas, adeoq; dona reliqua gratuita, gratia, quia ex gratia donantur pijs & inuocantibus Deũ. Et creſcite in cognitione, hoc eſt, in vera Euangelij noticia, quo non ſolum vobis recta viuendi ratio con-

ſtet,

ſtet, verum etiam vt poſsitis cauere falſorum Prophetarum impoſturas. Huius exhortationis Apoſtolicæ omnes ſint memores, quibus vera pietas cordi eſt. Nam qui non quotidie progreditur in pietatis curriculo, retrocedit plane, etſi hoc minus animaduertit. Rectiſsime enim dictum eſt à Bernardo: Si proficere currere eſt, vbi proficere ibi & currere deficis, vbi vero non currere, ibi & deficere incipis. Hinc plane colligitur, quia nolle proficere, non niſi deficere eſt. Hanc ipſam ob cauſſam Paulus optat Philippenſibus, vt magis magiſque abundent in cognitione & omni ſenſu, vt probent, quæ ſunt præſtantiora, vt ſint ſinceri & ſine offenſa in diem Ieſu Chriſti, pleni fructibus iuſticiæ, per Ieſum Chriſtum, ad gloriam & laudem Dei.

Ipſi gloria & nunc & in diem æternitatis, Amen.

Claudit Epiſtolam δοξολογίᾳ. Optat enim, vt Chriſto tribuatur gloria in omni æternitate. Tribuitur autem Chriſto vera gloria, cum eius beneficia prædicãtur, propagãtur & agnoſcuntur. Quod fit, cum prædicatur Euangelium, in quo beneficia Chriſti erga genus humanum enarrantur. OBSERVETVR & hoc loco teſtimonium de diuinitate Chriſti. Nam cum tribuit Chriſto æternam gloriam, ipſum verum Deum abſque omni dubio agnoſcit.

ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM IVDAE APOSTOLI.

HANC EPISTOLAM PARAENETICAM IVDAS APOSTOLVS poſt obitum reliquorum Apoſtolorum, excepto Ioanne, videtur ſcripſiſſe, tempore Domitiani Imperatoris, poſt vaſtatam Ieruſalem, vt quidam ex veteribus autumant. Occaſio autem ſcriptionis hæc fuit. Subintroierant, iuxta prædictionem Apoſtolorum falſi doctores, qui prætextu gratiæ Dei peccandi licentiam ſuis permiſerunt ſectatoribus, quemadmodum noſtro ſeculo ſecta Libertinorum facit. Hortatur igitur Iudas pios, vt perſiſtant in doctrina Apoſtolica, & decertent pro fide, quæ ſemel ipſis tradita eſt. Vt autem hoc ipſis perſuadeat facilius, exempla pœnarum eorum, qui ab agnita veritate defecerunt, proponit. Huc addit deſcriptionem falſorum doctorum, & eorum ſectatorum, ex ſecundo, vt videtur, capite poſterioris Epiſtolæ Petri. In qua deſcriptione veræ notæ falſorum doctorum, de quibus agit, ſignantur, non ſine comminatione pœnæ impietatis & blaſphemiæ. Poſt hæc redit ad exhortationem, cui rurſus rationem ſubiungit à deſcriptione illuſorum, quos venturos in extremo tempore prænunciat. Tandem voto & δοξολογίᾳ claudit Epiſtolam.

EXEGESIS EPISTOLAE IVDAE CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

I IVDAS Ieſu Chriſti ſeruus, frater autem Iacobi, vocatis qui ſunt in Deo patre ſanctificati, & in Ieſu Chriſto cuſtoditi.

Hæc Epiſtolæ inſcriptio eſt, cuius duæ ſunt partes. Prima autorem Epiſtolæ indicat. Secunda, quibus ſit ſcripta exponit. Autor Epiſtolæ eſt Iudas ſeruus Ieſu Chriſti, hoc eſt, Apoſtolus. Dicitur enim hic ſeruus κατ' ἐξοχὴν, cum alioqui omnes, qui credunt, communi appellatione ſerui Chriſti dicuntur & ſunt. Deinde, quia fuerunt plures hoc nomine, addit frater Iacobi, ſcilicet minoris, Marci 6. Scribit autem non certo populo, ſed toti Eccleſiæ, vnde & hæc Epiſtola Catholica inſcribitur. Obſeruetur hoc loco pulcerrima Eccleſiæ periphraſis ſeu definitio. Nominat enim Eccleſiam cœtũ vocatorũ qui ſunt à Deo patre ſanctificati, & in Chriſto Ieſu cuſtoditi, ſcilicet per fidẽ. PROINDE vocatio, ſanctificatio, perſeuerantia, adeoq; ſalus ipſa à ſolo Deo eſt, per Ieſum Chriſtũ. Cõfutantur hac deſcriptione qui vel putant Eccleſiam eſſe extra cœtũ vocatorum, vel abutuntur gratia Dei & libertate Chriſti-

 ana,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ana, vt inde ſumant licentiam quiduis agendi, id quod ex diametro pugnat cum ſanctificatione, ad quam vocati ſumus.

Miſericordia vobis & pax & dilectio multiplicetur.

Hæc ſancta imprecatio vice ſalutationis ponitur, & ſummam Euágelij continet. Primo loco fons ſalutis ponitur, videlicet miſericordia Dei, quæ vt non eſt quærenda extra Chriſtũ: ita non poſsidetur ſine fide Chriſti. Deinde additur miſericordiæ huius effect⁹ ſeu fructus apud homines, videlicet pax, hoc eſt, reconciliatio hominis cũ Deo, quæ reconciliatio contingit per Ieſum Chriſtũ mediatorem. His ſubiungitur caritas, quæ pacis fructus eſt. Nam qui Deo per Chriſtum ſunt reconciliati, nouam vitam meditantur, cuius præcipua pars eſt caritas fraterna.

Dilecti, cum omne ſtudium adhibeam ſcribendi vobis, de communi ſalute, neceſſe habui vobis ſcribere, quo exhorter vos ad certandum pro fide, quæ ſemel ſanctis eſt tradita.

Vt amica compellatione beneuolentiam captat: Ita ſtudij ſui pro communi ſalute ſignificatione, cum attentos tum dociles reddit. Quo facto breuiter proponit ſcopum & finem ſuæ ſcriptionis, videlicet vt exhortetur ipſos, vt ſtrenue contendant, & ſe periculo obijciant, pro defendenda & retinenda fide, hoc eſt, doctrina, quæ ſemel ipſis tradita eſt, ſemel inquam, vt quæ nunquam ſit poſthac immutanda, & qua ſemel amiſſa, non eſt quod aliunde ſalus expectetur.

Subingreſſi enim ſunt quidam homines, qui olim præſcripti ſunt ad hoc iudicium, impij, Dei noſtri gratiam transferentes in laſciuiam, & ſolum Dominum Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.

Neceſsitatem ſcribendi exponit. Subintroierũt, inquit, falſi doctores, qui prætextu gratiæ Dei omnem peccandi laſciuiam permittunt. Quod profecto nihil aliud eſt, quam ipſum Deum, cui vt ſerui obœdientiam debemus, & ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, qui à peccatis nos redemit, abnegare. PORRO, Deum & Chriſtum abnegare non ſolum is dicitur, qui Deum omnino eſſe negat, vt Epicuræi, aut qui negant Deum curam habere rerum humanarum, vt Academici, verum etiam, qui factis ſuis aduerſatur Deo, iuxta illud ad Titum 1. Deum profitentur ſcire, ſed factis negant, vt qui ſint abominabiles & contumaces, & ad omne bonum opus reprobi. Vt autem Iudas pijs perſuadeat fugiendos eſſe huiuſmodi ſeductores, pronunciat ipſos iam olim præſcriptos & deſtinatos ad damnationem. Nam hæc eſt immota regula iuſticiæ diuinæ, quod vt pios & agentes pœnitentiam certæ ſaluti: Ita impios & impœnitentes damnationi deſtinarit. Hanc eſſe veram ſententiam huius loci, oſtendunt ſequentia. Quare fruſtra hic quidam diſputát de ſuo ſtoico fato, & vrgent vocabulum προγεγραμμένοι. Cum προγεγραμμένος aliud non ſignificet, quam eum, cui iã accuſatio ob factum aliquod indicta eſt. Vnde facile intelligi poteſt ſcelus perpetratum, damnationis cauſſam eſſe, & non fatalem neceſsitatem.

Cõmonefacere autem vos volo, vt qui hoc ſemel ſciatis, quod Dominus, cum populum ex terra Aegypti liberaſſet, rurſus eos, cum non crederent, perdiderit.

Exemplis exhortationem ad perſeuerantiam in fide cõfirmat. Deus populum credentem ex Ægypti ſeruitute liberauit, traducens ipſum per medium maris rubri, ſed eundem, abiecta fide in Deum, occidit in deſerto, Nume. 14. Ergo Deus credentes tuetur & ſeruat, ſed cõtra, abijcientes fidem, ſupplicijs afficiet. Quapropter vos perſiſtite in fide, quæ vobis tradita eſt, & iuxta eam Deo obœdite. HOC exemplum eſt peculiariter obſeruandum propter typum. Quemadmodũ Ægyptiaca ſeruitus fuit typus hominis ſub ſeruitute Diaboli conſtituti: ita liberatio corporalis à ſeruitute Ægyptiaca fuit figura liberationis ſpiritualis à iure Diaboli & peccati. Ad eundem modum, vt liberati ab Ægypto, & relapſi in priora ſcelera reuocati ſunt ad pœnam: ita Euangelij gratia manumiſsi à iure peccati, rurſus reuocantur ad ſupplicia, ſi peccatis prioribus indulſerint, atq; adeo amittunt gratiã & Spiritũ ſanctum, obſtringunturq; perpetuo reatu: niſi redeant rurſus per pœnitentiam. Quomodo quæſo hæc cum ſtoico fato ſtare poterunt? Quomodo conſiſtet oratio eorum, qui fidem ſemel conceptam amitti poſſe, & Spiritum ſanctum excuti negant?

Et An-

Et angelos, qui non ſeruauerunt ſuam originem, ſed reliquerant ſuū domicilium, ad iudicium magni illius Dei, vinculis ęternis ſub caligine ſeruabit.

Aliud exemplum. Angeli, donec manſerunt in ſua origine, beati & felices fuerunt. Verum poſtquam à ſua origine defecerūt, pœnis ſunt affecti. Quare & vos cauete, ne ſimile iudiciū ſubire cogamini, deficientes à fide. Qualis autem fuerit origo Angelorum, docet Chriſtus Iohan. 8. cum de Diabolo in hunc modū loquitur: In veritate non ſtetit, ſignificans ex parte totum per ſynecdochen, videlicet originalē integritatem angelorum, qua angeli creati ſunt iuſti, veraces, caſti, placentes Deo. Cum autē ab hac integritate defecerunt, facti ſunt iniuſti, mendaces, impuri, & aduerſus Deum cōtumaces. Atq; hoc eſt, quod dicit: Reliquerunt domicilium ſuum, hoc eſt, integritatē & ſtationē, in qua diuinitus collocati fuerant. Quare & ad pœnas reſeruati ſunt, vt ſiſtātur coram iuſto iudice in magno illo die, videlicet cum Chriſtus iudicaturus eſt viuos & mortuos. Dicitur autē hic dies merito magnus, propter celeberrimum conuentū ſanctæ Trinitatis, Angelorum, omniū hominum & Diabolorum, in quo die Chriſtus iuſtus iudex, vt coronā iuſticiæ reddet omnibus pijs: Ita ſupplicijs æternis adiudicaturus eſt omnes contumaces Diabolos & homines.

Sicut Sodoma & Gomorra, & his finitimæ ciuitates, cum ſimili modo ſcortati eſſent, & abijſſent poſt carnem alienam, propoſiti ſunt in exemplar ignis æterni iudicij.

Tertium exemplum. Sodomitis & Gomorritis, donec innocentię ſtuduerunt, bene erat. Verum poſtquam abierunt poſt carnem alienā, hoc eſt, ſectati ſunt prodigioſas libidines contra naturam diuinitus ſunt affecti ſupplicio. Nam igni cœlitus dimiſſo conſumti ſunt, & ſunt propoſiti toti mundo in exemplar irę Dei & damnationis iuſtæ, propter defectionem ab obœdientia erga Deum. Ignis Sodomiticus ſymbolum fuit ignis infernalis inextinguibilis, quo in perpetuum damnati homines & Diaboli punientur. Hæc pœna quam ſit immenſa ira Dei in peccatores oſtendit. Neq; enim mirum eſt, eos nunquam finiendis tormentis puniri, qui infinitum bonum Deum ipſum contumaciter offenderunt. Vnde fit, vt qui perpetuo reatu tenentur, perpetuis etiam pœnis obnoxij puniantur.

Similiter ſane & hi deluſi inſomnijs, carnem quidem polluūt, dominatum vero reijciunt, & dignitates conuitijs inceſſunt.

Iam notas quaſdam falſorum Prophetarum, à quorum moribus Iudas dehortatur pios, enumerare incipit. Primum enim dicit eos perinde ſtolidos eſſe & rationis expertes, ac ſi altiſsimo veterno ſenſus omnes haberent ſopitos. Fœde enim carnem libidinibus polluunt, Magiſtratum indigne reijciunt, & omnes dignitates ſacrilege blaſphemant. vide 2. Pet. 2.

At Michaël archangelus, cum aduerſus Diabolum certans diſceptaret de corpore Moſis, non auſus eſt iudicium obijcere blaſphemiæ, ſed dixit, increpet te Dominus.

Exaggeratio eſt ſceleris eorum, qui Magiſtratus & dignitates conuitijs inceſſunt. Michaël archangelus cum tantus eſſet, veritus eſt conuitijs inceſſere Diabolum peſsimum, qui iam erat damnatus, & iſti, cum puluis & cinis ſunt, nō verentur blaſphemare dignitates à Deo ordinatas. HISTORIA de diſceptatione inter Michaëlem & Diabolum de corpore Moſis nullibi in ſcriptura, niſi hoc loco ſignatur. Quidā ex patribus dicunt noluiſſe Diabolum ſepulcrum Moſis occultari, ſed populo monſtrari, ſpecioſo argumento diſceptans aduerſus archangelum, quaſi multū referret ſciri à populo, vbi tantus dux populi Dei ſepultus eſſet. at ſub hoc plauſibili argumento venenū latuit. Nam ita voluit Diabolus paulatim populū ad idolatriā pellicere. Hoc cum intelligeret Michaël archangelus, Diabolo reſtitit, noluitq; hominibus monſtrari ſepulcrū Moſis. Hæc ratio diſceptationis inter archangelū & diabolum veriſimilis eſt, ſed nos de hac diſceptatione parū ſolliciti ſimus, cum verbo Dei non ſit prodita. Quod autem in Deuteronomio ſcribitur, neminem nouiſſe ſepulcrum Moſis, id ſciamus diuino conſilio factum fuiſſe, eoque pertinere, vt hoc facto admoneamur, Deum nolle reliquias ſanctorum proſtitui religionis gratia.

At hi, quæ non nouerunt, blaſphemant, quæ vero naturaliter tanquam rationis expertia animalia ſciunt, in ijs corrumpūtur.

Conſequens argumenti eſt per antitheſin. Angelus, quæ intelligit reuera mala eſſe, non tamen blaſphe-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mat. At hi, quæ non intelligunt, blaſphemant & conuitijs inceſſunt, quæ vero inſtar brutorum animalium percipiunt vel intelligunt, in ea ſine iudicio & ratione præcipites feruntur, ſe omni turpitudini ac libidini proſtituentes.

Væ ipſis. Nam viam Cain ingreſſi ſunt.

Confert falſos doctores cum Caino, idque cum in vita, tum in pœnis. Vita ſeu via Cain Geneſ. 4. deſcribitur, cuius partes ſunt plures. Prima, contemtus verbi traditi. Secunda, hypocriſis ſeu ſuperſtitioſus Dei cultus. Tertia, odium veræ Eccleſiæ. Quarta, tyrannis, perſecutio & oppreſsio innocentis fratris. Quinta, mendaciũ. Sexta, excuſatio imo inficiatio nefarij facti. Hac via & his gradibus peruenit Cain ad illud θρηνῶδες ἀπόφθεγμα væ. Nam ira Dei oppreſſus ęternum eſt damnatus. Conſimili modo omnes, qui inſiſtunt veſtigijs Cain, ad ſimilem ruinam tendunt. Obſeruandum diligenter eſt, quod Deus ſtatim in initio poſt conditos homines propoſuit duo exempla, quæ perpetuo nos de æterno Dei decreto & regula iuſticiæ diuinæ commonefaciant. Vnum fuit exemplum Abelis, in quo Deus declarat, quod velit omnes pœnitentes & ſibi obœdientes tueri. Alterum fuit Cain, cuius hic meminit Iudas, quo oſtendit Deus ſe abominari hypocriſin & tyrannidem, & velle punire contumaces æternis ſupplicijs. Hæc exempla ſemper ſint nobis in conſpectu, vt nos commonefaciant de regula iuſticiæ diuinæ, quam ſemper in iudicando intuetur.

Et deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balam, effuſi ſunt.

Honoris cupiditate & lucri ſpe victus Balaam, populo Dei maledicere voluit, ſed noluit Dominus audire Balaam, Deut. 23. hic ſuæ impietatis pœnas luit, Nume. 31. Hic Balaam de numero eſt eorum doctorum, qui Principum affectibus ſe libenter accommodant, vt honores, applauſum & diuitias conſequantur, quorum finis erit impietatis ſtipendium, quale & Balaam fuit.

Et contradictione Choræ perierunt.

Numero 16. ſcelus Choræ, & ſociorum eius deſcribitur. Primum enim non fuit contentus eo honoris gradu, in quem euectus erat. Deinde Magiſtratum blaſphemat, & gradus inter miniſtros Dei tollere conatur. ad vtrumq; confirmandum vſus eſt ſpecioſo argumento, videlicet quod indignum ſit, vt populus Dei ſanctus vlli in terris ſubijciatur capiti. Horum exemplũ Papiſtæ ſequuntur, dũ ſuos raſos nolunt ciuili Magiſtratui ſubeſſe. Et noſtro ſeculo Anabaptiſtæ Magiſtratui ciuili nullũ in Eccleſia locum cõcedunt.

Hi ſunt in fraternis veſtris conuiuijs maculæ, vobiſcum conuiuantes.

In primitiua Eccleſia ſtatim à temporibus Apoſtolorum, fraterna Eccleſiaſtici cœtus conuiuia inſtituta ſunt, quæ propter mutuam caritatem alendam & fouendam celebrabantur, vnde gręcis ἀγάπαι, id eſt, caritates dicebantur, quo nomine etiam ſacra cœna dicta eſt. Porrò, de conuiuijs fraternis ſeu ἀγάπαις ita ſcribit Tetullianus in Apologetico, cap. 39. Cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit. Vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes græcos eſt, quantiſcunq; ſumtibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumtum Siquidem inopes quoque refrigerio iſto iuuamus, non qua penes vos paraſiti affectant ad gloriam famulandi libertatis, ſed autoramento ventris inter contumelias ſaginandi, ſed qua penes Deũ maior eſt contemplatio mediocrium, ſed honeſta cauſſa eſt conuiuij. Reliquum ordinem diſciplinæ æſtimate, quid ſit de religionis officio, nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittitur, non prius diſcumbitur, quã oratio ad Deum prægustetur. Editur quantũ eſurientes capiunt, bibitur quantũ pudicis eſt vtile. Ita ſaturantur, vt qui meminerint etiã per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, vt qui ſciant dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, vt quiſquis de ſcripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in mediũ Deo canere, hinc probatur quomodo biberint. Æque oratio cõuiuium dirimit. Inde diſceditur non in cateruas Cæſionum, neq; in claſſes diſcurſationũ, nec in eruptiones laſciuiarum, ſed ad eandẽ curam modeſtiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cœnã cœnauerint, quam diſciplinam. Hactenus Tertullianus.

Abſq; metu ſeipſos paſcentes.

Maculas iſtas impuros doctores in fraternis conuiuijs appellat, idq; ideo ſicut hic exponit, quia abſq; vlla Dei & Eccleſiæ reuerentia ſe ipſos paſcunt & ingurgitant, ſolius ventris habentes curas.

Nubes

Nubes aqua carentes, ventis circumactæ.

Allegorice falſos doctores deſcribit, reſpicit autem Iudas ad dictum Salomonis prouerb.25. Nubes & ventus eſt ſine pluuia, qui gloriatur pollicendo, & nihil præſtat.

Arbores autumnales infrugiferæ, bis emortuæ & eradicatæ.

Hæc allegoria nihil aliud vult quã ſuperior. Falſi doctores, inquit, ſunt veluti arbores autumnales, hoc eſt, vt interpretatur, infrugiferæ. Sunt enim arbores, quæ in autumno videntur fructus polliceri, ſed tantum inanem ſpem faciunt. Nam & mortuæ ſunt, & nullam firmã radicem egerunt.

Vndæ efferatæ maris, deſpumantes ſua ipſorum dedecora.

Hoc eſt, vt Petrus ait, faſtuoſa vanitatis verba ſonant, & cum ſe ipſos omnis laſciuiæ & libidinis genere polluunt, ineſcant etiam alios cupiditatibus carnis, ſed de his plura vide 2.Pet.2.

Stellæ erraticæ.

Hoc eſt, micant in tenebris, ſed imprudentes in naufragium pertrahũt, dum eos ſequuntur. Metaphora videtur ſumta à nautis, qui cum in tenebris nauigant, ſæpe erraticas ſtellas pro fixis ſequentes ſe ipſos perdunt.

Quibus caligo tenebrarum in æternum ſeruata eſt.

Aperte notat futurum ſupplicium illuſorum de quibus agit. Seruata eſt, inquit, caligo tenebrarum, id eſt, denſiſsimæ tenebræ. Priuati enim luce Dei ſuſtinebunt horribiles pœnas.

Prophetauit etiam de ipſis ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus cum ſanctis millibus ſuis, vt ferat iudicium aduerſus omnes, & redarguat, quicunque ex ipſis ſunt impij de factis omnibus, quæ impij patrarint, deque omnibus duris, quæ locuti fuerint aduerſus ipſum peccatores impij.

Maioris comminationis gratia teſtimonium Prophetæ Enoch adducit aduerſus omnes impios. Idq; primũ in genere, deinde in ſpecie aduerſus doctrinæ corruptores & falſos Prophetas, qui locuti fuerint aduerſus Deum. Siue autem hoc dictũ Enoch fuerit ad poſteros ſiue ſcripto traditũ, ſiue petitũ ſit ex aliquo ſcripto, quod iam non extat, parum refert. Nos autem certo ſtatuimus Apoſtolum noſtrum teſtimonium certũ & minime fictum adduxiſſe. Quod autem hic Enoch fuerit ſeptimus ab Adam, liquet ex genealogia decem Patrum, quæ texitur Geneſ.5. Adiecit autẽ Iudas ſeptimum ad differentiam Enoch, tertij ab Adam, qui fuit filius Cain. Enoch autem, cuius hic fit mentio, ante diluuium, vt Helias poſt diluuium viuus in cœlum translatus eſt. Horum translatio teſtimonium conſenſus doctrinæ, de vita & ſalute æterna conſequenda, propter Chriſtum mediatorem.

Hi ſunt murmuratores, queruli, in cupiditatibus ſuis ambulantes, & os eorum loquitur prætumida, admirantes perſonas vtilitatis gratia.

Multa vitia ſed cohærentia falſorum doctorum extremi temporis, enumerat, ipſiſsima carnis opera, adeo vt plane appareat, quod prorſus ſpiritu Dei vacui ſint, fruſtraq; glorientur de fide & Euangelio. MVRMVRATORES ſunt, qui nec de ſe ipſis nec de alijs recte iudicant, proprio iudicio ſe alijs præponunt, quod eſt ſuperbiæ. Eodem iudicio peruerſo aliorum fortunis, dignitatibus & honoribus inuident, quod eſt inuidiæ. Cum igitur murmuratores hi & ſuperbi & inuidi ſint, totã Legem Dei maligne abijciunt. Nam nec Deo ſuum honorem tribuunt, nec hominem vero complectuntur amore. QVERVLI, græce μεμψίμοιροι, ſunt, qui de ſua conqueruntur parte, ſua ſorte non contenti, vt qui ſe vel honore debito, vel digno officij gradu, vel iuſto præmio fraudari, vel etiã ſe onere in vocatione ſua grauari putant. HOC vitium μεμψιμοιρία, quod ex ſuperbia proficiſcitur, parit in dictis etiam tumorẽ quendam, vt facile vel inde ipſorum malitia agnoſci poſsit. Verum quia ad honores & facultates peruenire nõ poſſunt ſua virtute, adulãtur diuitibus & potentioribus, quo ipſorũ autoritate aliquando emergant. Hos dicit ambulare in ſuis cupiditatibus. Nã quic-

quid ſuadet illorum auaritia, κενοδοξία & voluptas, hoc faciunt. Nam hi tres affectus, vt rectè ab veteribus matres dicuntur omnium malorum: Ita ab ijſdem appellantur iuſtiſsime nouercæ omnium virtutum.

Vos autem dilecti, memores eſtote verborum, quæ prædicta fuerunt ab Apoſtolis domini noſtri Ieſu Chriſti.

Vt Petrus ad ſcripta Pauli ſuos remittit: Ita Iudas noſter ſcripta Apoſtolica, quæ tum in manibus piorum fuerunt, nobis commendat. Hinc apparet pleroſq; Apoſtolos obijſſe, cum hanc Epiſtolam ſcriberet Iudas. Nos proinde exemplo veteris Eccleſię in honore habeamus Apoſtolorũ ſcripta. Quod autem Iudas ad Enoch, Prophetas, & Apoſtolos remittat ſuæ Epiſtolæ lectores, ſignificat omnium ſummum eſſe conſenſum, vt qui ex eodem fonte ſuam hauſerint doctrinam. Confutantur præterea hoc loco, qui vocale verbi miniſterium abolere conantur.

Quod ſcilicet dixerunt vobis, in extremo tempore futuros irriſores, qui in impijs ſuis cupiditatibus incedant.

Hoc & Petrus ex Pauli ſcriptis diſcendum eſſe monet. Irriſores vocat eos, qui omnem religionem falſe derident, quod ideo faciunt, vt ſibi liberum eſſe videatur, iuxta carnis deſideria viuere.

Hi ſunt, qui ſeipſos ſegregant.

Falſi doctores ſegregant ſeipſos à vera Eccleſia, nunc viciando doctrinæ ſubſtantiam, nunc nouã comminiſcendo doctrinę formam, interdum alia vitæ inſtituta ſectando, nonnunquã etiam ceremonias ſine graui cauſſa mutando. Hæc partim ex inſidijs Diaboli, partim ex ſuperbia & petulantia ingeniorum proueniunt. CONTRA commendatur pijs hoc dicto ſeriũ doctrinæ cœleſtis ſtudium, vt tueantur doctrinæ puritatem, & ſanctam coniunctionẽ in Eccleſia colant. Conſeruatur autem doctrinæ puritas, ſi apud ipſos fontes Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta maneamus, ſi doctrinæ fundamentum recte teneamus & firmum, & ſi eandem formã doctrinæ, quantum quidẽ ad fundamentũ attinet, ſequamur. Nihil ergo nec in ſubſtantia, nec in fundamẽto doctrinæ cœleſtis eſt illi mutandum, cui cordi eſt doctrinæ puritas. Huc ſpectat optimum & vtiliſsimũ primitiuæ Eccleſiæ conſilium, quo inſtitutum eſt, vt integra doctrinæ forma, quã vocabant Catechiſmum proponeretur, quæ non modo in publicis concionibus recitabatur, ſed etiã repoſcebatur ab auditoribus, vt propagarentur vna cum ſententijs certæ verborũ formæ, certæ definitiones & diuiſiones rerum. Ad hunc vſum tradita ſunt ſymbolum Apoſtolicum, & Nicenum. Ad hunc vſum in ſcholis & in templis, vbi piæ reformatæ ſunt Eccleſiæ, certa forma doctrinæ traditur. Sed poteſt hic aliquis obijcere liberum eſſe verbis quibuſuis vti, modo nulla in doctrinæ ſubſtantia fiat mutatio. At ego nunquã liberum eſſe dixero, quod magis facit ad deſtructionẽ quam ad ædificationem. Habemus enim, vt Paulus ait, poteſtatẽ non ad deſtructionem, ſed ad ædificationẽ Huc facit quod μόρφωσιν doctrinæ in Iudæis cõmendat Apoſtolus Rom. 2. & ſuo Timotheo præcipiat, ne permittat vt quiſquã ἑτεροδιδασκαλεῖ, quod ſane & ad doctrinæ ſubſtantiam, & formam pertinet. Præcipit etiã vt retineat typum doctrinæ à ſe acceptum. BASILIVS Magnus in quadam Epiſtola ad Neocæſarienſem teſtatur, ſe certam formam, quam puer didicit, perpetuo ſecutum fuiſſe. Ita enim ſcribit. Meæ fidei euidens demonſtratio eſt, quod à laudatiſsima muliere Macharia (quæ ex veſtra vrbe venerat) nutrice mea inſtitutus ſum, à qua didici beatiſsimi Gregorij verba, quæ illa quidẽ diligenter conſeruabat, ijſq; me puerum finxit & formauit. Poſtea vero, cum per ætatẽ acceſsiſſet iudicium, peragraui magnam terræ partẽ atq; maris, ſi quos inueni, qui iuxta pietatis traditã regulam incederent, hos & patres æſtimauimus, & duces animarum noſtrarum in via, quæ ad Deum ducit, fecimus, & vſq; ad hanc horam gratia eius, qui nos vocauit ſancta vocatione in cognitionem ſui, aliam doctrinam non nouimus. Hactenus Baſilius. AD HÆC diſsimiles verborũ formæ, diſsimiles definitiones etiam, vbi res non diſcrepant propemodũ, vt in cantu diſſonum quiddam καὶ ἀνάρμοστον faciunt, vt taceã diſsimilitudinem ſæpe parere nouas & abſurdas opiniones. Poſtremo etiã exemplum eſt periculoſum. Nã qui à recepta verborum forma & comprobata graui autoritate diſcedunt, ſæpe gignunt nouas opiniones, ſicut diſputationes Pelagij, Arrij & aliorum teſtantur, nec deſunt noſtro ſeculo triſtia exempla, quæ potius ſilentio præterire, quam recitare volo. Deus det nobis, qui eundem Chriſtum colimus, vt eodẽ etiam ſpiritu ſapiamus, atq; ita conſentiamus in doctrina puritate, vt integra doctrina ſine corruptelis ad poſteritatẽ trãſmittatur. Nam vbi pura eſt

doctrina

doctrina, vna docendi forma, illic quoq; ſancta viget cõcordia, in qua ſingulos ita vitã inſtituere oportet, vt aliqua parte ſuorum laborum conferant aliquid operæ ad ornandã gloriam Chriſti Hic ſcopus eſſe debet pręcipuus omnibus hominibus. Nam ad hunc finẽ conditi ſumus, vt per nos Deus innoteſcat, ad hunc finẽ redemti ſumus, vt Deum ipſum pure colamus, quod ſane fieri non poteſt, niſi puritas doctrinæ & ſancta concordia retineatur.

Animales, ſpiritum non habentes.

Hæc deſcriptionis pars omniũ hæreſium cauſſam aperit. Eſt enim hæreſios fons, quod homines ſpiritu Dei non præditi in rerum diuinarum iudicatione, carnis intelligẽtiam & iudicium rationis ſequuntur. Nam animales ſunt, vt ipſe Apoſtolus interpretatur, qui ſpiritum non habent. Hic per ſpiritum neceſſe eſt intelligere, non veteris hominis ſpiritum, ſed noui, hoc eſt, Spiritum ſanctum. Homo proinde totus cum omnibus ſuis facultatibus inferiorib. & ſuperioribus ψυχικὸς eſt. Quatenus igitur noua luce ſpiritus non eſt illuminatus, dicitur ψυχικὸς, (1. Corinth. 15.) animalis. ψυχικὸν enim opponit Paulus ſpirituali (1. Corinth. 2.) ψυχικὸς, inquiens, homo, non capit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Inferiora enim (vt inquit Ambroſius) non capiunt ſuperiorum conſilia. Proinde hæretici, cum ſpiritu Dei deſtituuntur, non poſſunt loqui & facere, niſi quæ ſunt inimica Deo. Rom. 8. φρόνημα enim carnis inimicitia eſt cum Deo. Complectitur autem φρόνημα ὁρμὴν & λόγον, adeoque quicquid eſt in homine nondum renato, & verbo Dei docto.

Vos autem dilecti ſanctiſsimæ veſtræ fidei ſuperſtruentes vos ipſos, in Spiritu ſancto orantes: Alij alios in caritate Dei conſeruate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam, & alios quidem habito delectu commiſeramini, alios vero terrore ſeruate ex flamma rapientes, odio habentes etiam eam tunicam, quæ à carne commaculata eſt.

Hæc exhortatio loco concluſionis eſt præſentis Epiſtolæ, eſtq; admodũ apta. Poſtquam enim dehortatus eſt pios à falſis doctoribus, opportune hortatur Apoſtolus eoſdem ad ea officia, per quæ in ſana doctrina ſecuri conſeruari poſſunt. Quoniam autem hæc exhortatio præcipua officia Chriſtianæ vitæ continet, eam in certas hypotheſes retexam, quo diſtinctius appareat, quid doctrinæ & admonitionis contineat, ſunt itaq; ſex huius exhortationis hypotheſes. PRIMA, pij ſe ipſos ſuperſtruant ſanctiſsimæ fidei, hoc eſt, creſcant in cognitione doctrinæ, & ſumãt quotidiana incrementa fidei. Hęc enim duo natura coniuncta ſunt. Nam pro modulo cognitionis, augetur fiducia. Vocat autẽ fidem ſanctiſsimã, primum propter firmitudinẽ doctrinæ, deinde propter effectũ. Sanctos enim efficit, cum per eam naſcimur filij Dei, pręterea dicitur ſancta fides, quia operatione ſancti Spiritus in nobis concipitur ad prædicationem verbi. SECVNDA, pij in Spiritu ſancto orent, hic eſt proximus fidei fructus, quo ſynecdochicôs intelligitur pietas erga Deum. Nam oratio ex fide profecta, præcipua cultus Dei pars eſt. TERTIA, pij alij alios in caritate Dei conſeruent. Quemadmodum fides in prima tabula, pietatem erga Deum: Ita in ſecunda caritatem erga proximum gignit. Vbi ergo nec pietas erga Deum conſpicitur, nec caritas erga proximum, ibi plane viua & vera fides nulla eſt. QVARTA, pij expectent miſericordiã Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam, quia multa dura perferenda ſunt Chriſtianis in hac vita, quibus tanquã igni exploratur eorum fides, præcipit Apoſtolus, vt in omnibus aduerſis & proſperis proponãt ſibi miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, atq; adeo vitã æternam, in qua omnia noſtra officia & afflictiones compenſabuntur. Quicunq; enim iudiciũ Dei ſolũ intuentur in afflictionibus, nequaquam poſſunt ſubſiſtere, ſed vel iraſcuntur Deo, vel deſperant de venia, quare vtrunq; coniungi oportet, videlicet iudicium Dei iuſte punientis, & miſericordiã eiuſdem in iudicio. Nam ideo punit, vt locus ſit miſericordiæ. QVINTA, pij alios quidem habito delectu commiſerentur, alios vero terrore ſeruent, è flamma eos rapientes. Hac hypotheſi docet Apoſtolus, quomodo agendũ ſit cum fratribus, quorum duo genera facit, alij enim minus, alij magis in vita & moribus delinquunt. Illi lenius tractandi ſunt, & cũ cõmiſeratione erigẽdi. Hi quia in ipſa flamma periculorũ verſantur, denunciato periculo, & incuſſo terrore caſtigandi ſunt acrius. SEXTA, pij odio habeant eam tunicam, quæ à carne commaculata eſt. Hæc hypotheſis allegorica ſumta eſt à lege Moſis, qua interdictũ erat, ne morticina tangerent Iudæi, aut veſtes attingerent maculatas morticino. Quare ſignificatur abſtinendum eſſe à peccatorũ hominum (quales ſunt falſi doctores, blaſphemi, hypocritæ, & ſcelerati) conuerſatione. Qui vt ſpiritualiter ſunt mortui: ita ſua contagione inficiunt eos, cum

quibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quibus conuerſantur, iuxta Salomonis dictum: Qui picem tetigerit, inquinabitur ab ea. Et qui communicat ſtulto, ſimilis ei efficitur. Et in Pſalmo 17. dicitur: Cum peruerſo peruerſus eris. Et Paulus ex Menandro, φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

Cæterum ei, qui poteſt vos ſeruare à peccato immunes, & ſtatuere in conſpectu gloriæ inculpatos, cum exultatione, ſoli ſapienti Deo ſaluatori noſtro, gloria, & magnificentia, & imperium, & poteſtas, & nunc & in omnia ſecula amen.

Claudit Epiſtolam δοξολογίᾳ, vnde monemur, noſtri officij eſſe, ad mentionem beneficiorum Dei ad laudes Dei prorumpere. Hic locus cum eo qui paulo antea præceſsit, conferendus eſt, ne quis hos inter ſe pugnare exiſtimet. Supra dixit, Superſtruite vos ſanctiſsimæ fidei, & ſeruate vos in caritate Dei. Hic autem Deo tribuit ſoli hanc gloriam, quod nos à peccatis immunes ſeruare poſsit. Si nos id poſsimus facere, cur Deo tribuitur? Si ſolus Deus id facit, cur nobis aſcribitur? Hæc duo videntur ſimul ſtare non poſſe ſine contradictionis implicatione. Si ſolus Deus nos immunes à peccato ſeruat, recte videntur quidam omne ſtudium & conatum auferre hominibus, etiam renatis, voluntatem hominum omnino paſsiue ſe habere ad omnia pietatis exercitia pronunciantes. Contra vero, ſi homini relinquitur præſtandi facultas, aliquid humanis viribus tribuendum eſſe videtur. SED hæc antilogia hoc pacto reconcilianda eſt. In renatis voluntas hominis reformata eſt ſpiritu Dei. Quare ſalutaria, quæ non voluit per naturam ante regenerationem, iam regeneratus vult per gratiam, atq; ideo, quia diuinitus datur ea facultas, omnis profectus noſter in pietate Deo aſcribendus eſt. Et quia hanc facultatem donatam habemus, non debemus ſegneſcere, ſed magis magiſq; excitare donum quod accepimus, cum gratia ſpiritus Dei, voluntas & mutata & reformata prius, & deinde adiuta, poteſt aliqua Deo grata imperare. Huc pertinet illud Bernardi: Bona voluntas comitatur gratiam. DE vſu particulæ AMEN, hoc teneatur. Particula amen, vſum habet in precationibus, in votis, in approbationibus, in promiſsionib. & in aſſeuerationibus. In precationibus eſt fidei obſignatio. In votis eſt affectus comprecantis ſignaculum. In approbationibus eſt conſenſus teſtificatio. In promiſsionibus eſt rerum promiſſarum certificatio. In aſſeuerationibus adhibetur, vt Baſilius ait: εἰς βεβαίωσιν τῶν ῥηθησομένων καὶ πληροφορίαν τῶν ἀκουόντων, hoc eſt, vt fides eorum, quæ dicuntur, fiat auditoribus.

NOBI-

NOBILITATE VIRTVTE, SAPIENTIA, ET PIETATE PRÆSTANTI D. IOHANNI SKOVVGAARDT, DOMINO DE SKOVVGAARDT, PRIMARIO SECRETARIO REGIS DANIÆ PRVDENTISSIMO, AC CONSERVATORI ACADEMIÆ HAFNIENSIS FIDELISSIMO, AMICO ET PATRONO PERPETVA OBSERVANTIA VENERANDO, GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE PER IESVM CHRISTVM PRECATVR

NICOLAVS HEMMINGIVS.

INTER SEPTEM ILLOS CELEBRES GRAECIAE ſapientes vnus fuit, qui ſuis ſectatoribus hoc commendauit ſymbolum ἕπου θεῷ, Sequere Deum. Hoc dictum ideo ſapiens ille ſemper in conſpectu eſſe voluit, vt perpetuum quoddam incitamentum eſſet ad Deum agnoſcendum, amandum, colendum. Hic etenim veræ ſapientiæ & veriſſimus & vltimus finis exiſtit. Nam cum abſolutæ ſapientię, iuxta veram philoſophiam duo ſunt gradus, Primus, vt homo ſeipſum noſcat: Poſtremus, vt homo Deum noſcat: quibus vt ſcopus vera felicitas propoſita eſt, haud immerito ſapiens ille finem vltimum ſapientiæ hoc breui dicto ſuis commendatum reliquit. Siquidem vbi actionum finis certus proponitur, ea quæ ad finem ſpectare videbuntur, aptius, & rectius quæri, collocari, aptari, & ordinari poſſunt.

Hactenus quidem recte ſapiens ille, verum vbi ventum eſt ad actionem & imitationis modum, toto cœlo à ſcopo, quem ipſe præfixit, aberrauit. Nam nec quis Deus ſit, per ſapientiam ſuam ſcire potuit: Nec viam rectam tenuit: Nec ducem habuit in altiſsimis iſtis tenebris, in quas immerſus erat. Quare nunc in dextram, nunc in ſiniſtram miſere à Deo aberrauit, quem recte ſequendum eſſe docuit. Sapientia ſiquidem huius ſæculi minor eſt & inualidior, quam vt nos ad ipſum bonitatis & felicitatis fontem, & autorem Deum, cuius fruitio vera & perfecta hominis beatitudo eſt, adducat. Id quod non ſolum experientia omnium ſapientum mundi, verumetiam Pauli teſtimonio comprobatur, qui ait ex ore Dei: Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Etſi igitur piam legem ſuis ſectatoribus præſcripſit ille, tamen neminem ſua lege beatum fecit, quod vtique feciſſet, ſi veræ ſapientiæ gnarus, viam rectam monſtraſſet. Hanc autem veram ſapientiam ſola Eccleſia Dei & habet & nouit. De qua idem Apoſtolus in hunc modum, Poſtquam in ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultam prædicationem ſeruare credentes. Hoc eſt, poſtquam homines in hac mundi fabrica, in qua ſingularis illa Dei ſapientia inſculpta eſt, atq; omnium oculis expoſita, non cognouerunt Deum, Deus ſua gratuita & infinita bonitate ſapientiam incognitam mundo propoſuit, nempe Euangelium de filio ſuo Ieſu Chriſto, per quem ſaluare credentes ſtatuit, vt ita conditionis ſuæ finem per gratiam conſequantur, quem per corruptam naturam non potuerunt aſſequi. Nam cum homo ex fine eſt cenſendus, va-

nus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nus eſt & miſerrimus ſi non aſſequatur finem. Perfectiſsimus vero ac proinde felicisſimus ſi conſequatur. Cum itaq; finis hominis ſit vt ſequatur Deum ac Deo fide & amore iungatur, maximæ ſunt laudes eius ſapientiæ, qua rectà ducemur ad hunc noſtræ conditionis finem. Hanc ſapientiam, id eſt, Euangelium Chriſti teſtatur Paulus à principibus ſeculi huius abſconditam. Quare qui Euangelium repudiant in denſiſsimis tenebris, extra viam beatitudinis aberrant. Contra vero qui Euangelium recipiunt, habent ſapientiam per quam & ipſi ſe norunt, & Deum cognoſcunt, & rectam viam, qua Deum ſequi poſſunt, tenent. Habent & ducem qui ſe eductos ex denſiſſimis ignorantiæ tenebris recta ad Deum ducit, vt nec ad dextram, nec ad ſiniſtram in inuia deflectant. Euangelium proinde eſt ſapientia illa per quam Deus quem ſequi oportet, cognoſcitur. Via eſt Chriſtus Ieſus Dominus noſter. Hic etiam dux eſt qui nos recta dirigit, oculos mentis noſtræ illuminans ſuo verbo & ſpiritu, vt à recta via non deflectamus, vel per errores pernicioſos, vel per mores prauos, quibus à Deo diſceditur. Ita enim ipſe vt ſummam ſuorum beneficiorum breui ſententia concludat, ait: Ego ſum via, veritas, & vita: Hæc breuis ſententia, illuſtrata alijs ſcripturæ dictis, ſummam ſapientiam Chriſtianorum continet. Principium enim, medium, & finem beatitudinis noſtræ Chriſto tribuit. Dicitur enim Chriſtus primum via, deinde veritas, poſtremo vita.

Via eſt doctrina, merito, exemplo. Via doctrinæ beneficio eſt, vt in Iohanne ſcribitur: Deum nemo vidit vnquam, niſi filius vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, ille nobis enarrauit. Et Paulus: Factus eſt nobis ſapientia à Deo. Hic enim Dei filius ſemper affuit Eccleſiæ, & ſpiritu ſuo Prophetas, vt Petrus teſtatur, de ſeipſo inſtruxit. Via merito eſt, quia ipſe obœdientia crucis à peccatis nos expiat, & obœdientiam legis nobis imputat, vt iuſti cenſeamur coram Deo, ac ſi nos ipſi legem impleuiſſemus. Ideo Paulus ait: Chriſtus eſt impletio legis in iuſticiam omni credenti, hoc eſt, Omnis qui credit, habet quod lex requirit, nempe legis iuſticiam à Chriſto quidem præſtitam, ſed ſibi imputatam. Sic quoque Auguſtinus perpulchre: Delicta noſtra ſua delicta fecit, vt iuſticiam ſuam noſtram iuſticiam faceret. Via exemplo eſt, vnde ait Iohan. 12. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, & vos faciatis. Et alibi. Diligite vos inuicem, ſicuti ego dilexi vos. Item: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem. Doctrina proinde mentem illuminat, & Patrem monſtrat, merito iuſtificat, exemplo normam vitæ præſcribit, vt iuſtiſſime vnica via ſalutis dici mereatur.

Veritas eſt completione Prophetiarum, conſtantia promiſſorum, ducatu. Primum enim in ipſo completa ſunt omnia Prophetarum vaticinia, & figuræ veteris populi. Vnde Iohannes: Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum, id eſt, quæ Moſes figuris adumbrauit, Chriſtus veritate compleuit. Deinde conſtanter ſuas promiſsiones ſeruat, promiſit ſe affuturum Eccleſiæ, & ſuam præſentiam teſtatur mirabili Eccleſiæ conſeruatione in tot furoribus Diabolorum & hominum. Promiſit fore vt portæ inferorum non ſint præualituræ aduerſus Eccleſiam, hanc pomiſſionem conſtanter ſeruat. Præterea dux eſt à tenebris ad lucem Dei, Qui, inquit, me ſequitur, non ambulat in tenebris. Sequitur autem Chriſtum, qui in ſinceritate doctrinæ, conſtantia fidei, & obœdientiæ ſtudio ſe illi coniungit.

Vita eſt regenerando, ſanctificando, glorificando. Regenerando quidem, quia per Spiritum ſuum nos regenerat in nouos homines. Nam cum credimus, naſcimur filij Dei arcano quodam afflatu, & operatione ſpiritus Chriſti iuxta illud: Dedit hunc honorem credentibus in nomen eius, quod

naſcantur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

naſcantur filij Dei. Deinde ſanctificando. Nam regeniti indies magis magiſque virtute mortis & reſurrectionis Chriſti mortificamur carne, & viuificamur ſpiritu. Sic enim docet Apoſtolus Roman. 6. cum ait: An ignoratis, quod quicunque baptizati ſumus in CHRISTVM IESVM, in mortem eius baptizati ſumus? Conſepulti igitur cum eo ſumus per baptiſma in mortem, vt quemadmodum excitatus eſt CHRISTVS ex mortuis in gloriam patris, ſic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Quod igitur mortificatur in nobis caro, virtute fit mortis CHRISTI, quod viuificatur ſpiritus, efficacia efficitur reſurrectionis eiuſdem. Poſtremo dicitur vita glorificando. Nam ſua potentia nos excitabit, & excitatos donabit immortalitatis gloria, atque ideo dicit, Ego ſum reſurrectio & vita. Nam eius officium vtrumque eſt, videlicet excitatio mortuorum, & donatio æternæ vitæ, in qua conformes ipſi erimus in omni æternitate. Hæc conformitas hominis cum Chriſto, quæ eſt coniunctio ſeu vnio ipſius cum Deo, eſt perfecta hominis beatitudo, atque adeo finis hominis. Nam ſi finis hominis eſt, quod perfectum hominem & beatum reddit, & ea de cauſſa nominatur finis, quia ad vltimum & perfectiſſimum pertinet, profecto ſtatus hominis perfectiſſimus in æterna vita erit, illa cum CHRISTO conformitas, in qua homo acquieſcet in omni æternitate beatus. Huc ſpectat Philoſophi dictum, ἕπου θεῷ. Huc vniuerſa ſcriptura pertinet, hanc ob cauſſam filius Dei in mundum venit, huius boni vt particeps fieret homo, Deus paſſus eſt, vt ſua morte ſatisfaceret pro peccato noſtro, reſurrexit vt nobis ſuam iuſticiam impartiret & obſignaret. Porro cum ad ſcopum nemo perueniat niſi per iter intermedium, ſacra ſcriptura monſtrat nobis iter, & contendendi ad ſcopum præfixum, modum, nempe fidem in CHRISTVM vnicum autorem, & ducem æternæ vitæ, quæ nobis propoſita eſt. Quæ autem ſit vis huius fidei, luculente docet Iohannes in ſuis Epiſtolis, & ſumma huc redit, vt fide iungimur CHRISTO, & cum Patre & Filio & Spiritu ſancto habemus ſocietatem, ita ex eadem Deum, vt ſummum bonum diligemus, & nos inuicem amabimus ſincero & pio amore. Deinde quia Diabolus conatur nos à via abducere, vel per impiam doctrinam, vel per mores prauos, commendat Iohannes nobis ſtudium tenendi recti itineris, ne vel in dextram, vel ſiniſtram deflectamus: In has Epiſtolas Iohannis Commentarios hos emitto, vt rudioribus lectoribus hac mea opella proſim, eoſque quaſi manu ducam in rerum intelligentiam, quæ in his Epiſtolis proponuntur maximæ & ſumme neceſſariæ. Nam hic Iohannes caſtiſſimo ſermone de fine bonorum, de quo fruſtra diſputarunt Philoſophi, agit. Et pulcerrime oſtendit modum ſequendi Deum vero cultu & amore, vt ad perfectam illam vitam & beatam tandem perueniamus, ac ſocietatē perpetuam cum ſancta trinitate habeamus, vere diuinæ naturæ participes, vt Petrus ait.

Hos autem Commentarios tibi vir clariſſime ac patrone obſeruande inſcribere placuit. Primum vt ex hac teſtificatione animi mei erga te intelligas, quo in loco te habeam & quanti te faciam. Nam vt omnes quibus notus es, te propter comitatem, humanitatem, grauitatem ſingulari candore temperatam, prudentiam, iuſticiam, ſolertiam in conficiendis negotijs admirantur: Ita & ego non ſolum has ſummas in te virtutes ſuſpicio ac veneror: Verum etiam cum meis collegis Profeſſoribus huius regiæ Academiæ, agnoſco nos plurimum tibi debere, qui ſemper nobis adeſſe & noſtra negotia promouere fideliter apud regiam Maieſtatem conſueuiſti: qua re declaras quo ſis affectu erga Eccleſiam DEI, & ſtudia pietatis, neque dubito quin DEVS hanc tuam erga nos bonitatem ſit compenſaturus liberaliſſime. De-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

inde vt alij inuitentur propter tuam autoritatem ad lectionem harum commentationum noſtrarum, quas niſi me multum fallit opinio, ſpero pijs animum addituras ad pie pergendum in ſtadio pietatis, donec tandem apprehendant per CHRISTVM vitam æternam, hoc eſt finem bonorum, ad quem ſola pietas, quæ in his Epiſtolis traditur, rectiſſima & vnica via eſt: Vale optime, corpore, ſpiritu & animo integer. Ex Muſæo noſtro quarto Idus Nouembris, Anno à Chriſti natiuitate M. D. LXIX.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ARGVMENTVM
IN PRIMAM EPISTOLAM
IOHANNIS APOSTOLI.

CVM QVATVOR NECESSARIO SPECTANDA VIDENTVR in cuiuſuis ſacri ſcripti enarratione, eadem nobis hic breuiter proponenda & exponenda ſunt. Sunt autem hæc quatuor: quis ſcriptionis autor, quæ ſcribendi occaſio, quis ſtatus ſeu principalis quæſtio, & quis tractationis ordo ſeu methodus.

DE PRIMO.

Autor huius Epiſtolæ eſt Iohannes filius Zebedæi, frater Iacobi Maioris, conſobrinus Domini, qui à piſcatore Apoſtolus & Euangeliſta factus eſt, quem Dominus ſingulari affectu præ cæteris Apoſtolis complexus eſt, qui & Domino ſæpius affuit quam alij. Hunc adhibuit Dominus, cum filiam Iairi mortuam reuocaret ad vitam, hunc adhibuit in monte cum colloqueretur cum Moſe & Elia in transfiguratione. Hunc comitem habuit in horto Gethſemani in agone ſuo. Hunc aſtantem cruci alloquitur, eique matrem ſuam commendat. Huic apparuit aliquoties cum alijs poſt reſurrectionem, & in die Pentecoſtes eundem viſibili Spiritus ſancti donatione inſtruxit. Hic Iohannes poſt aſcenſionem Domini 68. annos Euangelium docuit, & rexit Aſiaticas Eccleſias, excepto eo tempore, quo fuit in Pathmon Inſulam relegatus, vbi vidit Apocalypſin. Geſta huius viri narrantur in Hiſtoria Eccleſiaſtica, in Irenæo, Epiphanio, Hieronymo & alijs multis ſcriptoribus. Moritur tandem, teſte Euſebio, Epheſi, vbi à diſcipulis ſepelitur. Hinc apparet quæ ſit & quanta huius Epiſtolæ autoritas: Cum enim Iohannes nullum habuit præceptorem præter filium Dei, idque integro triennio, & poſtea ipſius ſpiritu regebatur, nihil potuit, niſi cœleſtia & diuina ſpirare.

DE SECVNDO.

Occaſio ſcribendi duplex fuit Iohanni. Vnam præbuerunt hæretici eius temporis, alteram charitatis mutuæ inter Chriſtianos languor. Cherintus, Menander & Ebion, partim Chriſti diuinitatem, partim humanitatem, partim officiū oppugnauerunt, quos Iohannes dum vixit & voce & ſcriptis repreſsit. Studium veræ pietatis & charitatis Chriſtianæ quotidie languidius fieri cœpit, idque vitio eorum, qui nomine potius, quam re Chriſtiani fuerunt. His cauſsis motus Iohannes, hanc ſanctiſsimam Epiſtolam ſcribit: quæ ideo Catholica inſcribitur, quia non vni homini, non vni ciuitati, non certo populo, ſcripta eſt: ſed omnibus hominibus promiſcue omnium temporum. Quare & nobis charior eſſe debet, vt quæ nobis quoque deſtinata ſit.

DE TERTIO.

Circa hæc tria tota verſatur Epiſtola, videlicet, vt Chriſtiani retineant & conſeruent agnitionem & fidem Chriſti, vt fugiant Antichriſtos & falſos doctores, vt ſincera charitate ſe mutuo complectantur.

DE QVARTO.

Tractationis methodus eſt qualis patrum eſſe ſolet, cum ſuos chariſsimos liberos inſtituunt, quorum affectus paternus facit, vt eadem ſæpius inſtillent, & præcipua veræ pietatis capita veluti breuibus aphoriſmis claudant. Deducit tamen principales propoſitiones ex ſuis principijs & cauſsis, quas propoſitiones ſubinde repetitas, alijs atque alijs rationibus munit & confirmat, quemadmodum in exegeſi oſtendemus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

CAPVT I.

Summa Capitis primi.

Cum prædicatio de Chriſto, Deo & homine, eo pertineat, vt cum Deo, qui lux eſt, ſocietatem habeamus, decet profecto nos in lumine ambulare, quibus peccata expiantur ſanguine Chriſti & remittuntur, modo ea confiteamur.

Ordo & partes Capitis primi.

Primum à fine prædicationis de Chriſto, Deo & homine colligit propoſitionem, videlicet, quod oporteat conuerſos in lumine ambulare. Deinde quia ſunt quatuor genera hominum in externo Eccleſiæ cœtu, videlicet, impœnitentes, vere pij, hypocritæ, & infirmitate lapſi, vt impœnitentes fruſtra gloriari de ſocietate cum Deo, & vere pios, ſanguine Chriſti ablutos, ſocietatem inter ſe & cum Deo habere pronunciat: ita hypocritas falli, cum ſe peccatores non agnoſcunt & lapſos recipi, modo confiteantur peccata ſua, teſtatur. Atque ita peritiſſimus animarum curator pro morborum varietate medicinam applicat.

EXEGESIS CAPITIS PRIMI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVOD erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectauimus & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, (& vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & manifeſtata eſt vobis) quod (inquam) vidimus & audiuimus, id annunciamus vobis.

Summa horum verborum eſt hæc: Annunciamus vobis Chriſtum, ſeu prædicamus vobis Euangelium de Chriſto. Verum hac longa periphraſi vſus eſt Apoſtolus, vt ſuum teſtimonium de naturis, diuina & humana in Chriſto, de vnione naturarum in vna hypoſtaſi, & de officio Domini, contra Hæréticos ſui ſeculi, extaret. In his, cum ſumma ſapientia Chriſtianorum ſita ſit, particulatim textum excutiamus.

Quod erat à principio. Huius dicti interpretatio petatur ex principio Euangelij Iohannis, vbi ſic ait Euangeliſta: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c. hoc eſt, Verbum non cœpit exiſtere, cum Deus initium fecit creãdi quicquid conditum eſt: ſed iam tum exiſtebat, ſeu potius ſubſiſtebat, vt ἦν ſit idem quod ὑφίςατο, id eſt ſubſiſtebat. Hæc contra Cherintum & Ebionem faciunt, qui diuinam Chriſti naturam oppugnarunt, quorum inſaniam his breuibus verbis refutat Apoſtolus. Deinde, & quid, & quomodo erat Verbum, exponit, videlicet quod erat DEVS verus cum Patre. Erat (inquit) apud Deum (ergo diſtincta à patre eſt perſona) Et Deus erat Verbum, id eſt, Verbum erat Deus: ergo vnum cum patre in veritate diuinæ eſſentiæ. Obſeruanda eſt hic, in verbo Erat, temporis ratio. Non dixit Euangeliſta nec hic nec in Euangelio ſuo, Fuit, ſed erat, quod indefinite, vt ait Ambroſius, tenditur, Significatur enim hoc verbo æterna filij à patre natiuitas. Hinc ergo confirmetur fides noſtra de Chriſto Domino, videlicet quod ſit ab omni æternitate ante creationem rerum, quod ſit verus Deus, quod ſit diſtincta perſona à patre, quod ſit eiuſdem diuinæ eſſentiæ cum patre & Spiritu ſancto: vide Ambroſium de fide ad Gratianum, 1. cap. 5.

Quod audiuimus. Hoc ad vocem patris, qui teſtimonium præbuit filio ſuo in monte Tabor hiſce verbis: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitũ eſt, Ipſum audite, referendum eſt. Hæc concio, quam Apoſtoli audiuerunt, conſtat duabus partibus, videlicet teſti-

teſtimonio Dei patris de filio, & mandato, quo obligatur mundus ad audiendũ hunc filiũ. Teſtimoniũ ipſum quatuor illa habet, quę pios de Chriſto Domino tenere oportet, in quorum fide, noſtra ſalus cõſiſtit. PRIMVM enim teſtatur parer de diuinitate filij, cum Ieſum ſtantem cum Moſe & Elia, vocat filium non ſimpliciter, ſed dilectum. Nam hoc epitheto ſeparat illum à filijs adoptiuis, qui quidem dilecti ſunt, ſed in dilecto, ad Epheſ. 1. cum hic Ieſus ſit dilectus in ſe, & propter ſe, quia eiuſdem eſt ſubſtantiæ cum patre. DEINDE humanitas Chriſti conſpicitur ab ipſis diſcipulis. Nam aſtat Moſi & Eliæ, & cum illis loquitur verus & perfectus homo. TERTIO vnitas perſonæ pronomine, HIC, demonſtratur. Nam ſi duæ fuiſſent perſonæ, vt duæ ſunt naturæ, non dixiſſet hic in ſingulari numero, ſed hi. QVARTO cum additur: In quo mihi complacitum eſt, ſeu in quo vel per quem ſum placatus, officium Chriſti proponitur, quod eſt placare iram Dei & ſaluare. Hæc quatuor illuſtrari & declarari debent ex veteri & nouo Teſtamento, nam huc tota fere ſcriptura pertinet. Mandatum videlicet: ipſum audite, obligat omnes homines, vel ad obœdientiam, vel ad pœnam. Qui obœdiunt huic mandato, & fidem doctori Chriſto adhibent, ſaluantur: qui vero non obœdiunt, nouo reatui ſe aſtringunt, & maiora ſupplicia ſuſtinebunt, vt qui & hoc Dei mandatum & filium doctorem contemſerint.

Quod vidimus oculis noſtris. Hoc ad miracula refero, quib. manifeſtauit gloriam ſuam, huc illud: Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre. Chriſtus enim cum miraculoſe ſanat leproſos, excitat mortuos &c. ſe conſpiciendum præbet. Primum enim diuinam ſuam potentiam confirmat. Nam cum facit quod nulla creatura imitari poſsit, oſtendit ſe creatorem eſſe, atq; adeo omnipotentem. Secundo, ſuam promtiſsimam voluntatem ad iuuandum omnes, qui ad ſe confugiunt declarat, nam apud ipſum nõ eſt perſonarum acceptio. Tertio, officium ſuum eſſe ſanare homines & ſaluare ſignificat, quod ſymbolo ſanationis corporum adumbratur. Quarto, obſignat ſuis miraculis certitudinem verbi ſui, vt illi credentes ſaluemur.

Quod ſpectauimus, & manus noſtrę contrectauerunt. Hæc ad manifeſtationem Chriſti poſt ipſius glorioſam reſurrectionem pertinent: nam poſt reſurrectionem ſe viuum diſcipulis exhibuit, quem & manibus contrectauerunt in euidentius reſurrectionis argumentum. Hic & humanitas Chriſti vera, & vnio hypoſtatica duarum naturarum in vna perſona, ſignificatur. Quæ omnia eo pertinent, vt Apoſtolus ſua autoritate & teſtimonio Menandrum & Ebionem hæreticos compeſcat, qui tum temporis peruerſa doctrina Eccleſiam Dei perturbauerunt, negantes nunc diuinitatem Chriſti, nunc veritatem naturæ humanæ, nunc vnionem perſonalem.

De verbo vitæ. Hoc proprium Euangelij obiectũ eſt, in quo primum perpendendum eſt, quod extra Chriſtum nulla ſit vita, ſed mors tantũ & damnatio. Deinde, quod in ſolo Chriſto vita & ſalus quærenda ſit, & ab eo ſolo petenda. Huc appellationes variæ filij Dei pertinent, quæ nobis exponunt, quomodo vita ſit in hoc λόγῳ. Inter multas hæ ſunt præcipuæ: Deus, λόγος, filius vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, via, veritas, vita, lumen, ſapientia, virtus, Dei potentia, ſplendor, character, ſignaculum, Dominus, Rex, Paſtor, Epiſcopus, Sacerdos, omnium imperator, Sceptrum rectitudinis, ſceptrũ regni, qui eſt, qui erat & qui venturus eſt. Harum appellationũ rationem vide in oratione ſecunda Nazianzeni de filio. CÆTERVM cum hæc appellatio λόγος ſæpius tribuatur filio Dei in ſcriptura, eius appellationis rationẽ libet hic paucis exponere, neq; eſt vna tantum huius appellationis ratio, ſed ex verbo Dei & ſanctorum patrũ ſcriptis, quintuplex colligi poteſt. PRIMA ratio appellationis ſumi poteſt ex primo capite Geneſis, vbi ſcribitur, quod ad verbum Dei, vel Deo dicente, factum ſit, quicquid Deus fieri voluit. Hoc Apoſtolus noſter in ſuo Euangelio interpretari videtur, cum affirmat omnia per ipſum, ſcilicet λόγον, facta eſſe. Quare non dubium eſt, quin Iohannes cum ait: In principio erat λόγος, reſpiciat ad creationem, ſignificans filij Dei æternitatem, potentiã & virtutẽ, vt qui fuerit ante res creatas, & per quẽ Deus omnia condiderit: vnde & alius à patre, hoc eſt, diſtincta à patre perſona, demonſtratur. Hæc ratio eo pertinet, vt perpetuo nos admoneat, quod filius Dei ſit ille λόγος, per quem Deus omnia condiderit. SECVNDA appellationis ratio petitur ex Epiſtola ad Hebræos, vbi hic λόγος character vocatur ὑποστάσεως paternæ, hoc eſt, expreſſa imago perſonæ patris. Vt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

enim animi character eſt ſermo: ita filius Dei nobis animum patris exponit, iuxta illud: Deum nemo vidit vnquã, vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe nobis enarrauit. Huc & illud Domini dictum ad Philippum pertinet: Qui videt me Philippe, videt & patrem. TERTIA appellationis ratio ex promiſsionis verbo ſumitur, quia enim promiſsionis verbum erat de hoc filio (quod verbũ primum ab ipſo Deo primis noſtris parentibus propoſitum eſt, videlicet: Semen mulieris conteret caput ſerpentis: & inde ſæpius alijs atq; alijs verborum formis repetitum, & per Prophetas inculcatũ eſt) dicitur filius Dei λόγος, vnde Apoſtolus: In principio erat verbũ, ac ſi dicat, ille de quo locutus eſt Deus toties, de quo facta eſt promiſsio patribus, de quo Prophetæ vaticinati ſunt, erat in principio, antequam quicquam rerum conderetur. QVARTA ratio eorum eſt, qui dicunt filium Dei ideo λόγον dici, quia ipſe per ſuum ſpiritum locutus eſt ſanctis patribus ante aſſumtam humanam naturam, vnde ſæpius in Prophetis recurrit hæc ratio: Hæc dicit Dominus. Et Petrus affirmat, Chriſtum in ſpiritu prædicaſſe hominibus tempore Noë, quorum ſpiritus, hoc eſt, animæ, nunc ſunt in carcere. QVINTA ratio eſt eorum, qui dicunt Chriſtum λόγον dici duplici reſpectu, Primum reſpectu patris, à quo ab æterno perfectus Deus naſcitur, ſine vllo natiuitatis initio & fine. Huc aſcribam memorabile dictũ Nazianzeni: θεοῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω. μέγα σοι τὸ μαθεῖν ὅτι γεγέννηται. hoc eſt, Dei generatio ſilentio honoretur, magnũ eſt tibi didiciſſe quod genitus ſit. Et Iuſtinus: σαφὴς ἔλεγχος ἀπιστίας τὸ πῶς περὶ θεοῦ λέγειν. Hoc eſt, manifeſtum argumentũ infidelitatis eſt de Deo dicere, quomodo? Philippus ſecutus patrum quorundam opinionem, rationem huius appellationis ſic explicat. Vt in hominibus potentia cognoſcẽs format imagines: ſic λόγος eſt æterni patris imago cogitatione genita ab æterno communicata ſubſtãtia. Nazianzenus autem ſic: λόγος dicitur, quod eam rationem habet cum patre, quam verbum cum mente, nõ ſolum propter natiuitatem perpeſsionis expertem, verumetiam propter coniunctionem & effigiationem. Deinde dicitur λόγος reſpectu noſtri, quia profert Euangelium è ſinu patris, & annunciat nobis.

Et vita manifeſtata eſt.

Hoc eſt, vita quæ eſt λόγος æternus, ęterni patris, hominibus patefacta eſt per aſſumtionem humanæ naturæ, hoc eſt, vt Apoſtolus noſter in ſuo Euangelio interpretatur, λόγος caro factus eſt, & habitauit in nobis plenus gratia & virtute. Dicitur autem Chriſtus vita, cum quia ipſe ſit fons vitæ, tum quia ſpiritu ſuo & voce in homines vitam effundat, ita enim ipſe ait: Quemadmodum pater habet vitam in ſeipſo: ita & filio dedit vitam habere in ſeipſo. Neq; enim Chriſtus ideo tantum dicitur vita, quod propria virtute & intrinſeca ſolus viuat, ſed quia vitæ plenitudinem in ſe continens, omnia viuificat etſi non eodem modo. Nam aliter viuificat creaturas cæteras; aliter homines ad vitam æternam, de qua vita loquitur cum ait: Amen amen dico vobis, qui ſermonẽ meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam. Huc & illud: Verba quæ ego loquor vobis ſpiritus & vita ſunt. Hic ſuum verbum vitam vocat Dominus ab effectu, quaſi viuificum, cum ſpiritualiter percipitur. Nazianzenus in oratione ſecunda de filio, vita (inquit) dicitur, quia lumen & totius rationalis naturæ σύστασις & exiſtendi virtus eſt. In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus. Secundum duplicem afflatus virtutem & ſpirationem illinc afflati omnes ſumus Spiritu ſancto, quotquot eius capaces ſumus.

Et vidimus & teſtamur & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & manifeſtata eſt vobis.

Hoc eſt, nos Apoſtoli & teſtes Chriſti annunciamus vobis Chriſtum, qui eſt vita æterna, verus Deus, qui erat apud patrem à principio. Hic Apoſtolus aprte diſtinguit inter perſonam patris & filij.

Quod inquam vidimus & audiuimus id annunciamus vobis.

Hæc Epanalepſis ad confirmationem pertinet, nam toties hoc inculcat, vt eius teſtimonio cõfirmati hæreticorum deliria magno animo contemnamus. Atq; hactenus de doctrina, iam exemplum Apoſtoli omnibus pijs verbi miniſtris proponatur, videlicet, vt nihil afferant, nihil doceant, niſi quod ipſis ex verbo Domini compertum eſt, non fingant noua dogmata, ſed verbo tradito à Prophetis, Chriſto & Apoſtolis ſint contenti. In obſcuris dictis mutuentur lucem ex clarioribus locis, & dum vnum locum tractare inſtituunt, inſpiciant totam doctrinam cœleſtem, & interpretatio ſit analoga fidei.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Vt & vos habeatis ſocietatem nobiſcum.

Finis prædicati Euangelij indicatur, qui eſt ſocietas ſanctorũ, hoc eſt, Euangelium de Chriſto ideo prædicatur, vt cœtus aliquis hominum colligatur voce Euangelij, qui ſanctificatus & ſegregatus à prophanis mundi cœtibus, Deo verum cultum præſtet. Hic nobis commendatur ſocietas illa ſancta, qua inter nos veluti vnum corpus efficimur. Huius ſanctæ ſocietatis & vnionis argumenta grauiſsima enumerat Paulus ad Epheſ. 4. cum ait: Obſecro igitur vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine & patientia ſuſtinentes vos inuicem per dilectionem, ſtudentes ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnum ſpiritum, quemadmodum vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma & vnus Deus & pater omnium, qui ſuper omnia & per omnia & in omnibus vobis. Hinc apparet quo ſpiritu ducantur, qui vel leuibus de cauſis mouent certamina in Eccleſia, vel ſuis flagitijs ſocietatem Eccleſiæ perturbant, vel Epicuriſmo aut hypocriſi abrepti non afficiuntur calamitatibus Eccleſiæ, nec pro eius ædificatione & conſeruatione ſoliciti ſunt.

Et ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto.

Quam præclara illa ſit ſanctorum ſocietas oſtendit, inde enim initium habet, quod primum coniungamur Patri adoptionis gratia, & filio eius Ieſu Chriſto fidei vinculo. Si ergo gratia adoptionis cõiungimur cũ Patre, certe inter nos fratres ſumus, quare fraterna affectione coniunctos nos eſſe oportet. Si fide coniungimur cum Chriſto, vnum profecto corpus efficimur, quare par eſt, vt alter alterius commodis & incommodis afficiatur. Hæc enim συμπάθεια eſt membrorum inter ſe eiuſdẽ corporis. Porro qui hanc ſocietatem habet cum Patre & Filio, regitur & ſanctificatur à Spiritu ad vitam æternam, quare & cum illo coniungitur. Quem nõ mouet hæc admiranda ſocietas ad iuſte, pie, & modeſte viuendum? Habemus ergo hic definitionẽ veræ Eccleſiæ, quæ eſt ſocietas ſanctorũ, cum in Patre & in Filio virtute Spiritus ſancti, tum inter ipſos ſanctos per eundẽ ſpiritũ, & mutua caritatis officia. Hinc videtur definitio Eccleſiæ, quæ in ſymbolo traditur, ſumta eſſe: Credo Eccleſiã ſanctam, τῶν ἁγίων κοινωνίαν, hoc eſt, ſanctorũ ſocietatem. Quod autem in externa hac ſocietate Eccleſiæ ſint & viua & mortua mẽbra, declarant quæ mox ſequuntur in Iohanne de impœnitentibus hypocritis, infirmis & vere pijs. Impœnitentes & hypocritæ mortua ſunt mẽbra Eccleſiæ, & in eius externo cœtu tanquã viua membra deliteſcunt. Hæc ſciri oportet propter Anabaptiſtas, qui negant veram Eccleſiã eſſe, vbi vlli ſcelerati in externo Eccleſiæ cœtu feruntur. Verum vt ſagena Euãgelica capit bonos & malos piſces, & ager dominicus habet & triticũ & zizania, Sic in externa Eccleſiæ ſocietate erunt ſancti & non ſancti, vel viua membra & mortua, at ſymbolum definitionem non ab accidente, ſed à veræ Eccleſiæ nota deſumſit.

Et hæc ſcribimus vobis, vt gaudium veſtrum ſit perfectum.

Veſtra cum Deo Patre, cum eius Filio & Spiritu ſancto atque inter vos ipſos ſocietas, eo pertinet, vt veſtrum gaudiũ ſit perfectum & plenum. Vt enim ſocietas hominis cum Diabolo, & eius membris res triſtiſsima eſt, quam ſocietatem habent profecto omnes, qui delectantur peccato, & viuunt ſine pœnitentia: Ita ſocietas hominis cum Deo, quæ ſit per adoptionis gratiã & fidẽ, à qua ipſius germani fructus ſeparari nõ poſſunt, retinetur enim tantiſper donec manet fides & bona conſcientia, res omniũ ſuauiſsima & optima, quare & perfectum gaudiũ ſemper habet adiunctum. Dicitur autẽ hoc ſanctorum, hoc eſt vere Chriſtianorum gaudium perfectum triplici reſpectu. Primum, reſpectu obiecti, à quo percipitur. Omnis enim affectus ab aliquo obiecto tanquã ex cauſſa producitur. Cũ igitur obiecto reſpondet affectus, tale profecto erit gaudiũ Chriſtianorum, quale eſt ipſius obiectum. Quare cum obiectum gaudij Chriſtianorum ſit perfectũ, videlicet Deus ipſe Pater, & Filius & Spiritꝰ ſanctus, & cum hiſce tribus perſonis ſuauiſsima ſocietas, non immerito ipſorum gaudium dicitur ab Apoſtolo noſtro perfectum. Verum hoc gaudiũ conſideratur dupliciter, videlicet in ſtatu gratiæ & in ſtatu gloriæ, vtrobiq; quidem perfectum eſt. Nam in ſtatu gratiæ eſt perfectum ſubſtantia, vt ita dicam. At in ſtatu gloriæ erit perfectũ omnibus gradibus abſolutum. Iam autem cum affectus ſint primũ diuinitus conditi in hominibus, & deinde in renatis creati per Spiritum ſanctum, vt ſint ſtimuli ad virtutẽ; par eſt vt gaudiũ hoc Chriſtianorũ, accenſum in cordibus per Spiritum ſanctum, ſit incitamentũ ad omnis generis virtutes, & mutua pietatis officia Chriſtianorũ inter ſe. Quare non immerito Apoſtolus noſter proponit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hoc gaudium in initio, tanquam fundamentum ſequentis exhortationis ad pietatem & mutuam dilectionem. Secundo dicitur hoc gaudium ſanctorum perfectum, reſpectu gaudij mundani: quod eſt & fucatum & momentaneum, vt quod ſit de terra, non de cœlo, vt gaudium ſanctorum. Vt enim gaudium mundi ſæpe eſt initium maximarum calami- tatum, cum in hac vita, tum in futura: ita ſanctorum gaudium initium eſt pleniſsimæ felici tatis, cum in hac vita tum in futura. Vnde Auguſtinus illud vanitatis, hoc vero veritatis no minat. Caueamus igitur, ne amore præſentis gaudij mundi amittamus perfectum illud æternum gaudium, quod commune piorum eſt. Tertio dicitur gaudium ſanctorum per- fectum, reſpectu vſus in omnibus doloribus & ærumnis huius vitæ. Eſt enim vniuerſalis quædam conſolatio opponenda omnibus doloribus, pauoribus & ærumnis, quibus Ec- cleſia Chriſti in hac vita obiecta eſt. Hinc Dauid Pſal. 94. Secundum multitudinem dolo- rum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Quotieſcunq; igitur affligimur quouis modo, opponamus hoc gaudium perfectum tanquam murum, ac ex fide & bona conſcientia imploremus ipſum qui dixit: Petite & accipietis, vt gaudium ve- ſtrum ſit plenum. Et qui dixit: Tecum ſum in tribulatione. Atq; cum Moſe dicamus: Re- ple nos mane miſericordia tua, & exultabimus & delectabimur omnibus diebus noſtris.

Et hæc eſt annunciatio quam audiuimus ab ipſo, & annunciamus vobis, quod Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.

Abſoluta deſcriptione Chriſti, & expoſito fine prædicati Euágelij fun- damentum proponit ſuæ exhortatio- nis. Et ſumma ſententiæ hæc eſt: Fi- nis prædicati Euangelij eſt, vt habeamus ſocietatē cum ſanctis. Sanctorum autem ſocietas eſt cum Deo, & Deus lux eſt. Proinde qui cum Deo ſocietatem habere volunt, in luce am- bulare debent & non in tenebris. Aq; hæc principalis propoſitio eſt huius Epiſtolæ. Deus hoc loco lux dicitur, cum quia ipſe lux eſt habitans lucem inacceſsibilem: tum quia autor & fons eſt lucis. Deinde cum de creaturis agitur, lux & tenebræ hoc modo opponuntur, vt per tenebras ignorantia & peccatum, & per lucem ſincera Dei noticia & ſanctitas vitæ in- telligantur: Nazianzenus hoc ipſum teſtatur hiſce verbis: Lux eſt tanquā ſplendor anima- rum, quarum ratio & vita purgata eſt: ſi enim tenebræ ignorantia & peccatum, lux certe erit noticia & vita ſancta. Huc Chriſti verba pertinent, Iohan. 12. Ego lux in mundum ve- ni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Item: Ambulate dum lucem habe- tis, vt tenebræ vos non apprehendant. Item: Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis. Et Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona ope- ra, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Et Paulus ad Epheſ. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, tanquam filij lucis ambulate, probantes quid ſit ac- ceptum Domino. His conſentit Eſaias cum inquit: Domus Iacob venite & ambulemus in lumine Domini. Monemur igitur ne innitamur noſtræ prudentiæ, ſed in lumine Domini ambulemus, modo cum ipſo ſocietatem habere velimus. Verbum Domini ſit lucerna pe- dibus noſtris, & lumen ſemitis noſtris. Non iam humanis traditionibus circumferamur, ſed verbo Domini dirigamur, illudq; vt perpetuam vitæ normam ſequamur. Nam qui hoc verbum ſequitur, Chriſtum ſequitur, qui ait: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Petamus igitur ſemper, vt illuceſcat in nobis per Spiritus ſancti gratiam lux & veritas, vt vileſcant apud nos tenebræ Diaboli, quæ ſunt ignorantia Dei & peccata.

Si dixerimus quod ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, menti- mur, & non facimus veritatem.

Ratio propoſitionis & prolepſis ſi- mul, vt enim à repugnantibus, pro- bat in lumine ambulandum eſſe ijs, qui ſocietatem cum Deo cupiunt ha- bere (fieri enim non poteſt, vt ſimul quis & in luce ambulet, & in tenebris) ita anticipat il- lorū obiectionem, qui viuunt ſine pœnitentia, & nihilominus gloriantur de ſocietate cum Deo, iactant Euangeliū, in ore habent beneficia Chriſti, ſe Chriſti membra clamitant, ſed vani ſunt. Quantumuis enim quis gloriatur de Chriſto, cum eo tamen ſocietatem nullam habet, donec ſuis indulget cupiditatibus, & ſecundum carnem ambulat, iuxta illud Pauli: Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini, at ſi ſpiritu actiones corporis mortificaueritis, viuetis. Quicunq; enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Hic proinde locus docet, con- futat, & monet. Docet, cum ſocietate Dei non poſſe ſtare impuram vitam, quæ ſine pœni- tentia tranſigitur: Nam cum Deus ſit lux, tenebras, hoc eſt, impietatē ferre nequit. Huc il- lud Syrac. cap. 15. Omne nefas odit Dominus, nec probatur ijs qui eum timent. Plato ad de monſtrandam hanc coniunctionem, cōmunionemq; naturę atq; ingenij Dei & hominis,

allega

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

allegat illud celebre prouerbium veterum: Simile ſimili amicum. Ex quo oſtendit impios improboſq; homines, propter diſsimilitudinem naturæ & ingenij, nihil facere quod Deo gratum eſſe poſsit: ſed eorũ munera etiã magnificentiſsima ab eo vt abominanda repudiari. Hoc & Paulus docet cum ait: Contaminatis & infidelibus nihil mundum eſt, ſed contaminata eſt eorum & mens & conſcientia, Deum profitentur ſe nouiſſe, ſed operibus negant, cum ſint abominabiles & contumaces, & ad bonum opus omne reprobi. Confutat Libertinos veteres & nouos, qui de Chriſtiana libertate vane gloriantur, ac ſi omnium legum repagula ſoluta eſſent, quorum furorem & hic Iohannes confutat, & Chriſtus, cum ait: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Monet de obœdientiæ præſtandæ à regeneratis neceſsitate: nam qui male agit, in tenebras priores relabitur, gratia excidit, & à ſocietate ſanctorum excluditur.

Quod ſi in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus cum illo mutuam.

Antitheſis ſiue argumentum à contrarijs. Vt enim nulla eſt lucis cum tenebris coniunctio: ita luci cum luce optime conuenit. Quicunque igitur tenebras ignorantiæ, & peccati amant, ijſq; inuoluuntur extra lucem ſunt. Nam Deus lux eſt. Et contra quorũ mentes luce cœleſtis verbi irradiantur, & corda fide purificantur, atq; actiones cum vtriſq; cõſentiunt, extra omne dubium in luce ſunt, atq; adeo cum Deo, qui lux eſt, ſocietatem habent. SIMILIS exhortatio Pauli eſt, 2. Corinth. 6. vbi ita ait: Ne impari iugo copulemini cum infidelibus, quod enim conſortiũ iuſticiæ cum iniuſticia, & quæ communio luci cum tenebris? quæ concordia Chriſto cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? & quæ conſenſio templi Dei cum ſimulacris? nam vos templum Dei eſtis viuentis. Senſus propoſitionis Paulinæ hic eſt: Quandoquidẽ pij & impij diuerſæ ſint conditionis, non debent in eodem opere mutuã præſtare operam. Cum igitur pij ſunt iuſticiæ participes, ſunt conſortes lucis cœleſtis, ſunt Chriſti membra, ſunt hęredes bonorum cœleſtium, ſunt templũ Dei viuentis, non debent profecto impiorũ opera ſectari, qui iniuſticiæ ſtudent, qui in tenebris ambulant, qui Belial, hoc eſt, Diabolo adhærent, quibus regnũ tenebrarum ob ſua ſcelera debetur, qui ſimulachra colunt, & omnis generis Idololatriæ & ſuperſtitionis ſunt amantes. Hæc cum ex diametro pugnant cum luce Dei, & cum ſocietate ſanctorum inter ſe, fugienda ſunt omnibus ijs, qui de Chriſto haud mendaciter gloriari volunt. Porrò quia iam aliquoties dictum eſt Chriſtianos habere inter ſe ſocietatem, quæ ſane ſocietas fundata eſt in ſocietate noſtri cum Deo, tenendum eſt, quod hæc ſocietas ſeu communio tria complectatur: videlicet arctiſsimam coniunctionem, benigniſsimã communicationẽ, & ampliſsimam rerum communiũ poſſeſsionem. ARCTISSIMA hæc cõiunctio duplex eſt, Prior, cum patre & filio, Poſterior, quæ à priori pendet, ſanctorũ inter ſe. De priori ſupra dictum eſt, videlicet quod cõiungamur cum patre per adoptionis gratiam, cum filio per fidem, quam operatur in nobis ſpiritus ſanctificator. Poſterior, quæ eſt ſanctorum inter ſe coniunctio, explicatur pulcerrime ab Apoſtolo Paulo ad Ephe. 4. vbi definitur Eccleſia eſſe concio eorum hominum, qui in CHRISTO Domino renati, & de carne & oſsibus eius facti, Domino ipſi capiti ſuo ſic adhærent, & inuicem ita ſunt coniuncti, coaptati & coagmentati, pro cuiuſque fidei menſura, pro donorum Spiritus ſancti varietate, pro vocationũ coaptione & veluti connexione, vt vnum corpus cõſtituant, vt eodem omnes ſpiritu viuant & agantur, vt ſinguli ſuum proprium munus habeãt & donum, quo commoda & incrementa vniuerſi corporis pro ſe quiſque efficiat & promoueat. Breuiter, hæc coniunctio ſanctorum inter ſe, conſtat ſpiritu Chriſti, conſenſu doctrinæ, profeſsione, ſimilitudine cultus & mutua dilectione. SECVNDVM quod dixi ſpectandum eſſe in ſanctorũ ſocietate ſeu communione, eſt benigniſsima cõmunicatio, quæ pendet ab arctiſsima coniunctione & eã conſequitur. Nam vt Deus liberaliſsime effundit ſuũ ſpiritũ in ſanctos, & multa ſpiritualia & corporalia dona illis confert: ita veri Chriſtiani mutua ſibi inuicẽ ex dilectione officia præſtant. Nullum in hoc corpore membrum eſſe poteſt ocioſum, vt non aliquid commodi corpori afferat, cum animata ſint omnia & viuant ſpiritu Chriſti, & in hoc ipſum varia ſecundum datam gratiam dona ſpiritus habeant. Viget ergo inter hæc membra CHRISTI admiranda charitas & in omnibus συμπάθεια, conſenſio & eadem affectio, vnde fit vt alij aliorum onera leuent, vt mutuis erratis condonent, vt conſilio & opera ſe inuicem iuuent. TERTIVM quod eſt ſpectandum in ſanctorum ſocietate, eſt ampliſsima rerum communium poſſeſsio, quæ ſane poſſeſsio duplex eſt, vna durat in hac vita, altera in omnem manſura eſt æternitatem. Poſſeſsio rerum communium ſanctorum in hac vita, in primis quidem earum rerum eſt, quæ ad nouam vitam in Chriſto peragendam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dam per ſe pertinent. Deinde etiam earum rerum, quæ huic nouæ vitę in hoc ſeculo ſubſeruiunt. Sic adeo fit, vt vbicunq; datur oportunitas pariter congregentur, & certis temporibus conuentus habeant, in quibus varia dona ſpiritus, ad communẽ omniũ ſalutem & inſtaurationem nouæ vitæ inter ſe communicent, cum per doctrinã, exhortationem, admonitionem, correctionem, tum etiam per preces & laudes Dei, & ſacramentorũ adminiſtrationem & participationem. Poſſeſsio bonorum communiũ Eccleſiæ in futura vita, quam ideo obtinere dicitur Eccleſia, quia eius arrabonem percepit: ita enim Paulus loquitur ad Ephe. 1. Obſignati eſtis Spiritu promiſsionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ. Eſt autem arrabo pacti ſymbolum ſeu pignus datum in certitudinem rei promiſſæ. Ergo cum dicitur Spiritus ſanctus arrabo hæreditatis, ſignificatur quod ſit veluti pignus quoddã datum in certitudinem promiſſæ hæreditatis. Etſi autem hæc poſſeſsio reuera eſt incomprehenſibilis & inæſtimabilis, ita enim Paulus ait: Quæ oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis deſcendit, quæ parauit Deus ijs qui ipſum diligunt: Tamẽ Spiritus ſanctus in Pſalm. 16. guſtum quendam præbet eorum bonorum, quæ ſanctis in futuro ſeculo propoſita ſunt. Notas (inquit) mihi feciſti vias vitæ adimplens lætícia vultum tuum, delectationes in dextra tua in perpetuum. Hic tria coniungit Spiritus ſanctus, videlicet æternam vitam, lætiſsimã fruitionem præſentiæ Dei, & delectationẽ in dextera maieſtatis Dei perpetuam. Quanta autem hæc ſint, ne quidem cogitare poſſumus. Atq; ita videmus in hac ſancta ſocietate ſiue coniunctione, illa tria concurrere, quę in omni ſocietate in genere ſpectantur, videlicet, perſonarum coniunctionem, mutuam officiorum laborumq; operam, & commodorum iuſtam participationem. Hæc ideo de ſocietate ſanctorum adieci, vt & definitio Eccleſiæ, quæ in ſymbolo traditur, à rudioribus intelligatur, & nos excitemur ad amandam & fouendam hanc ſocietatem, cui tot bona & commoda ſunt propoſita in hac vita & in futura, præſertim cum extra hanc ſocietatem nihil eſt præter tenebras & damnationem. Hic obiter monendum duxi, quod vocabulum κοινωνία accipitur pro parte ſignificationis, videlicet pro termino relationis, vt in illo Pauli: Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne κοινωνία ſanguinis Chriſti eſt? hoc eſt, participatio qua vtentes fiunt eiuſdem ſanguinis Domini participes, atque adeo inter ſeſe coniunguntur.

Et ſanguis Ieſu Chriſti filij eius purgat nos ab omni peccato.

Quo hæc pertineant, facile intelligunt, qui ſentiũt ſuas tenebras & mala quibꝰ inuoluuntur. Nam cum omnes ſentiunt ſua peccata, etiã ſanctiſsimi, quæ per tenebras ſignificantur, oportune oſtẽdit Apoſtolus, quo vinculo coaleſcat ſanctorũ cõmunio, videlicet quod in Chriſto ſimus, qui nos ſuo ſanguine Gratis purgatos etiã ſanctificauit. Ex quo fit, vt in Chriſtũ credentes, ſint in cõſpectu Dei emerſi è tenebris, hoc eſt, puri à peccatis, idq; partim imputatione, partim inchoatione nouæ & beatæ vitæ. Donec igitur credentes retinent fidem & bonã conſcientiam, tenebrarũ quas non patitur illa ſancta ſocietas, expertes ſunt, etiamſi multa incidunt in vita errata, quæ ſancti mox corrigunt. Porro, quia hoc dictũ Apoſtoli continet ſumam illam ſapientiam, quę apud ſolam Dei Eccleſiam depoſita eſt, de qua Paulus loquitur, cum ait: Non iudicaui me ſcire quicquã inter vos, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum, Iudico operæ precium me facturum, ſi, priuſquã verba Apoſtoli accedam, paucis explicauero ſummam doctrinæ Eccleſiæ, de obœdientia filij Dei, qui factus eſt (vt ait Paulus) obœdiens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Paulus ad Rom. 5. pulcherrimam collationem inſtituit inter Adam & Chriſtum, inter inobœdientiam Adæ & obœdiẽtiam Chriſti. Quemadmodum (inquit) per inobœdientiã vnius hominis, ſcilicet Adami, peccatores conſtituti ſunt multi: Sic etiam per obœdientiam vnius, ſcilicet Chriſti, iuſti cõſtituentur multi. Hoc eſt, quemadmodũ vnius Adami peccato, totus mundus eſt reus factus: ita vnius Chriſti obœdientia, multi cõſtituentur iuſti, hoc eſt omnes qui in ipſum crediderint. Hic cogitãda ſunt, iuſticia & miſericordia Dei, atq; adeo amor filij, qui noſtram cauſſam in ſe recepit, vt iuſto Dei iudicio non damnaremur. Valde ſiquidem congruebat iuſticiæ Dei, vt ſicut vnus in genere humano accerſiuit alijs calamitatem per ſuam inobœdientiã: ita vnus in genere humano per ſuam obœdientiam ſatisfaceret iuſticię Dei, & lueret peccata aliorum. Verum quia infinitum bonum erat offenſum, & peccatum fuit infinitũ malum, ex mera miſericordia Deus dedit Filiũ, & amor in filio fecit, vt ſe humiliaret, & aſſumeret naturã humanam in ſe, & fieret patri obœdiens, & ſua obœdientia quæ eſt infiniti precij, placaret iram Patris. In hac igitur filij obœdientia, cõſpicitur iuſticia & miſericordia Dei, quæ ipſius ſapientiã & omnipotentiam etiam commendant. Deus condidit hominẽ ad ſuam imaginem, hoc eſt, ad felicitatẽ, hac imagine amiſſa per peccatũ quid reliquũ fuit, niſi vt homo miſer æternum

peri-

periret? ſapiẽtia igitur ſua inuenit Deus conſilium & modũ quo lapſum hominẽ erigeret, & imaginem ſuam in ipſo repararet, & ſimul omnipotẽtiam ſuã aduerſus Satanæ regnum vindicaret, qui Satanas captiuum tenebat hominem. Si miſericordia motus ſua potentia erexiſſet hominẽ ſine ſatisfactione, actum fuiſſet de ipſius iuſticia, quæ non ſinet peccatum inultum. Proinde vt fieret compenſatio, & iuſta ſatisfactio, filium dedit DEVS, vt fieret peccatum pro nobis, hoc eſt, & reus & luens peccati pœnas noſtro nomine. STANT igitur firmiſsime & immote ſimul in ſummis gradibus ſapientia, iuſticia, miſericordia & omnipotentia Dei, adeo vt nihil ſit de vlla earum imminutum. Atque ita veluti τετράγωνος eſt noſtra ſalus, vt euerti nullo modo poſsit. Cæterum quia duplex eſt filij Dei in humana natura aſſumta, obœdientia, videlicet obœdientia crucis, & obœdientia legis, de vtraque ordine dicam: vt appareat quid quæque earum nobis conferat, & quid efficiat in redemtionis noſtræ myſterio. Obœdientia itaque crucis, hoc eſt, tota CHRISTI paſsio, eſt ſacrificium propitiatorium, in quo æternus filius homo factus ſeipſum per æternum ſpiritum obtulit patri æterno, vt iſta ſua obœdientia atq; victima, & expiaret peccata mundi, & placaret iram Dei, quo omnes qui in ipſum crediderunt, credunt, & credituri ſunt, per ipſum ſanctificentur ad vitam æternam, iuxta illud Iohan. 17. Ego pro ijs ſanctifico meipſum, vt & ipſi ſint ſanctificati in æternum. Hæc definitio collecta eſt ex Epiſtola ad Hebræos, quam ſi retexueris, habes ſacerdotem offerentem, videlicet Deum & hominem IESVM CHRISTVM, habes rem oblatam, nempe illum ipſum filium Dei, ipſe enim ſemetipſum obtulit in hoſtiam pro nobis. Habes modum oblationis, videlicet quod obtulerit ſe per ęternum ſpiritum, quo ſignificatur vis huius ſacrificij, videlicet quod ſit infinita. Habes pactum reſpectu hominum, videlicet fidem. eſt enim hoc ſacrificium ſolis credentibus ſalutare. Habes finem & ſcopum, videlicet vt credentes habeant vitam æternã merito huius ſacrificij. Hæc obœdientia Chriſti in cruce, hoc eſt, ſacrificium expiatorium peccatorum, applicatur hominibus, verbo, fide, & ſacramento. VERBO enim in quo eſt efficax Spiritus ſanctus, quaſi manu Dei offertur: fide veluti manu hominis accipitur. Sacramento tanquam ſigillo Dei obſignatur, vſuſq; eius veluti in tabula pingitur. Effectus ergo ſeu fructus proprius paſsionis Domini, hoc eſt, obœdientiæ eius ſub cruce, eſt remiſsio ſeu expiatio peccatorum. Dedit enim ſeipſum pro peccatis noſtris. Cæterum, quia non ſatis eſt remiſſum ſeu expiatum eſſe peccatũ, niſi conferatur iuſticia: ideo obœdientia legis in Chriſto requiritur, vt nobis imputetur, quo appareamus plene iuſti in conſpectu Dei. Nam vt ad plenam rationem iuſticiæ legis requiritur, vt abſtineamus à malo & faciamus bonum: ita ad plenam rationem iuſticiæ Euãgelij requiritur & peccatorũ expiatio, & iuſticiæ Chriſti, quæ eſt obœdientia erga legẽ, imputatio. Hæc obœdientia legis in Chriſto eſt perfectio, ſeu impletio legis, qua Chriſtus pleniſsime ſatisfecit legi perfectiſsime diligendo Deum ac proximũ. Hæc ipſa Chriſti obœdientia imputatur credentibus, qua & iuſti reputantur corã Deo, ita enim ait Paulus: Quemadmodũ vnius hominis inobœdientia peccatores conſtituti ſunt multi: ſic etiam per obœdientiã vnius, ſcilicet Chriſti iuſti conſtituentur multi. Atq; hoc eſt, quod idem Apoſtolus in 10. ad Romanos docet, cum inquit. Chriſtus eſt finis legis in iuſticiam omni credenti. Hoc eſt, finis legis eſt, eos iuſtificare, qui eam obſeruant, quo iuſtificati vitam ingrediantur. Verum quo minus hoc aſſequitur lex, non impedit vlla legis impotentia, ſed noſtræ carnis vicioſitas, cui ita demum medetur Chriſtus, vt eius iuſticia, id eſt, obœdientia legis gratis nobis imputata, finem legis, hoc eſt, iuſticiam cõſequamur: qui Chriſtus quoniam pro nobis legẽ impleuit, factus eſt nobis iuſticia. Tametſi autem ſæpe remiſsio peccatorum definitur iuſticia noſtra, ſimiliter & obœdientia Chriſti, qua ſatisfactum eſt legi, dicitur iuſticia noſtra: Tamen proprijſsime & diſtincte loquendo, vt obœdientia crucis eſt expiatio peccati, ita obœdientia legis in Chriſto nobis imputata, eſt noſtra iuſticia. ſemper enim cõiuncta ſunt hæc duo Chriſti beneficia, videlicet remiſſio peccati ſeu abſolutio à peccato, & collatio iuſticiæ Chriſti. Quare recte definitur iuſtificatio eſſe abſolutio credentis perſonæ à peccato & imputatio iuſticiæ Chriſti, cũ qua coniuncta eſt acceptatio ad vitam æternam. Sed quid dicemus ad dictum Pauli Rom. 4. Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtri? an non hic videtur Apoſtolus tribuere reſurrectioni CHRISTI iuſticiam? dicit enim illum mortuum pro peccatis, ſed excitatum in iuſticiam. Dictum Pauli recte explicatum confirmat noſtram ſententiam. PRIMVM membrum nihil habet obſcuri: dicit enim, Chriſtus eſt mortuus pro noſtris peccatis, hoc plane eſt, quod nos dicimus: Obœdientia Chriſti in cruce, eſt expiatio peccati noſtri. SECVNDVM membrum: Reſurrexit propter iuſtificationem noſtri, hoc eſt, vt & ipſe oſtenderet ſe iuſtum eſſe, & nobis ſuam iuſticiam imputaret, ideo dicit apud Iohannem: Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato,

quia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quia vado ad Patrem, ſcilicet per meam reſurrectionem. Hvc etiam illud Dauidis pertinet: Non dabis ſanctum tuũ videre corruptionem, id eſt, quia ſanctus eſt, non manebit in ſepulchro corrũpendus. Hæc ſanctitas, fuit innocentia, quæ in perfectione legis poſita eſt. Tribuitur igitur iuſticia reſurrectioni Chriſti, quia ea eſt firmiſsima demonſtratio, quod Chriſtus legẽ perfectiſsime impleuit, in iuſtitiã omni credenti. Hæc volebã præfari in hunc locum Iohannis, vt cognita doctrina de obœdiẽtia Chriſti in genere, facilius pulcherrima & aurea ſententia Iohannis intelligatur. Vt autẽ planior ſit ſententia huius dicti Iohannis, retexamus illud in ſuas partes, atque eas ordine explicemus. Sunt itaq; hic partes ſex. Primvm enim fit mentio ſanguinis. Secvndo perſonæ effundentis ſanguinẽ. Tertio purgationis. Qvarto eorum, quorum fit purgatio. Qvinto maculæ à qua fit purgatio. Sexto efficaciæ purgationis, videlicet quod ab omni peccati macula purget.

DE PRIMA PARTE.

Etſi autem ſolius ſanguinis mentio fit, quo ſynecdochicôs intelligẽda eſt paſsio & mors Chriſti, atq; adeo victima tota, quã Chriſtus peregit pro peccatoribus in ara crucis: Tamẽ ſingulariter ſanguinis meminit, vt cogitemus & inter ſeſe cõferamus plura, quæ videbuntur ad illuſtrationẽ huius myſterij pertinere. Nam rerũ, quæ inter ſeſe quandã analogiam habent, vt typorum & veritatis collatio, non ſolũ rei intelligentiæ confert, verum etiam fidem noſtrã confirmat, dum videmus ad eundem ſcopũ collimaſſe Patres veteris teſtamenti nobiſcum. Hic proinde quatuor ordine perpendãtur & cõferantur, videlicet reatus peccati, pœna, typus & λύτρον: Hæc enim ideo per ſanguinẽ in ſcriptura ſignificantur, vt inter ſeſe collata illuſtrent redemptionis noſtræ myſterium. Primvm itaq; reatus peccati ſignificatur per ſanguinem, vt in Pſal. 51. Libera me de ſanguinibus, hoc eſt, à reatu cædis. Rationẽ cur ſanguinis appellatio tribuatur reatui, explicat Auguſtinus cum ait: Vt lingua locutio dicitur, quæ fit per linguã: ſic dicitur & ſanguis iniquitas ſeu reatus, quia fit per ſanguinem. Deinde ſanguis admonet de pœna peccati, quia ſanguinis effuſionẽ mors comitatur, quæ eſt peccati pœna, iuxta comminationis verbũ: quocunq; die comederis de arbore iſta, morte morieris. Et apud Matth. Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros, id eſt, vltio ſeu pœna. Nam quia anima, id eſt, vita animalis eſt in ſanguine, ideo & pœna ſanguinis ſymbolo ſignificatur, & mors ſanguinis effuſione, vt in illo: Quicunq; effuderit humanum ſanguinẽ, ſanguis eius effundetur per hominem. Sanguis typicꝰ fuit ſanguis hoſtiarũ, quæ offerebantur ſecundum legẽ Moſis, ſtante republica Moſaica. Hoc ſanguine cũ reatus ipſe indicabatur, tũ adumbrabatur λύτρον, hoc eſt, effuſio ſanguinis Chriſti innocentis in precium redemptionis. Abel mactans de grege ſuo victimã, nõ hæſit in pecuini ſanguinis cogitatione: ſed altius conſcendit mente. Cogitauit enim de lapſu ſuorũ parentum & proprio peccato, cogitauit ſe reum eſſe mortis, propter peccatum, cogitauit innocentis ouiculæ ſanguine & morte adumbrari innocentis Christi ſanguinem & mortem, quo vere expiatur peccatũ, iuxta promiſsionis verbum: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. His cogitationibus, vt peccati agnitio & odiũ extiterunt in Abele: ita eius fides in promiſſum ſemen creuit, qua fide iuſtificatus eſt, & iuſtificatus Deo gloriã dedit, cui placuit hoc admirando conſilio, lapſum genus humanũ erigere. Recte igitur intellexit Abel pecuino ſanguine non deleri peccatum, ſed tantũ adumbrari typo veram expiationem, quæ ſuo tempore fieret per ſanguinẽ Chriſti. Verum Cain oblitus promiſsionis, in facto externo hęſit ſine fide, & putabat ſe iſto ſuo opere mereri peccati deletionem. Hunc igitur vt hypocritæ omniũ temporum imitãtur: ita patres ſancti, atq; adeo omnes pij omnibus temporibus, Abel ſibi proponunt imitandum: cui Deus ipſe teſtimoniũ perhibuit pietatis & iuſticiæ, cũ cœlitus igne emiſſo accenderet eius victimam. In lege Moſis præceptũ fuit, vt ſanguine teſtamenti aſpergeretur populus, ara, & liber. Popvlvs quidem aſpergebatur ſanguine, vt ſignificaretur, tum demum purgari conſcientias hominum à mortuis operibus (vt loquitur Epiſtola ad Hebræos) quando in Chriſtum credunt, cuius ſolius ſanguis eſt expiatio peccati. Vt enim nulla fiebat remiſsio in veteri teſtamento, ſine effuſione ſanguinis: ita plane nullũ peccatum vnquã deletum eſt, ſine victima ſanguinis Ieſu Chriſti, cuius non ſolũ participes ſunt, qui fuerunt & ſunt poſt peractam hoſtiam Chriſti in cruce: Verum etiam omnes patres, qui in promiſſum Chriſtum crediderunt, ſicuti ſupra dictum eſt de Abele. De hac virtute ſanguinis Chriſti extendentis ſe ad omnia tempora, loquitur Apoſtolus in Apocalypſi cum ait: Agnus occiſus eſt ab origine mundi. Sanguis quo tingebatur ara, habuit etiã ſuam myſticam ſignificationem. Nam docebat orationem hominis nihil valere, niſi in peccante peccatum ſanguine Chriſti expiatum ſit, & omnem precationem, propter ſanguinẽ ſacræ

aræ,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

aræ,hoc eſt,Ieſu Chriſti,gratam eſſe Deo. Hunc typum explicat Paulus,cum inquit:Volo viros precari in omni loco tollentes puras manus.Puritatē manuū ſignificatur puritas cōſcientiarū,quæ fit per ſanguinem Chriſti.Eſaias reiectas fuiſſe preces populi ſui teſtatur,ob manus ſanguine contaminatas:ita enim ait cap.1.Cum multiplicaueritis orationem,non exaudiā,manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt,hoc eſt, rei eſtis multorū peccatorū,quæ merentur mortem.Sanguis ergo quo ara erat tincta,ſignificat tum demum preces noſtras valere,quando purgata ſunt corda ſanguine Chriſti. Liber ideo aſpergebatur ſanguine, vt ſciamus doctrinam Moſis habuiſſe ſcopū Chriſti ſanguinē, & vt nos in ſola doctrina, quæ hūc ſanguinē prædicat acquieſcamus, atq; vt ſciamus lectionē ſacrorum librorū eſſe nobis ſalutarē,quando cōſcientiæ noſtræ ſanguine Chriſti aſperguntur.Quod autem Noæ mandatum ſit,vt non veſceretur ſanguine,& poſtea per Moſen idem filijs Iſraēl ſit præceptum, pædagogicum fuit, vtpote ſymbolum nouæ vitæ poſt conuerſionem tranſigēdæ. Ita enim Auguſtinus ait: Eiecto ſanguine iubentur manducare, ne vita priſtina quaſi ſuffocata, in cōſcientia teneatur,ſed habeat tanquam effuſionem per confeſsionem. Alius quidem ſic: Abſtinentia pecuini ſanguinis voluit Dominus homines ad manſuetudinem aſſuefacere. IAM ad λύτρον, hoc eſt,ad imaculati agni Ieſu Chriſti ſanguinē, veniamus. Hic Ieſu Chriſti ſanguis opponitur triplici ſanguini,videlicet, reatui, pœnæ, & figuræ, quæ tria per ſanguinem ſignificari ſupra docuimus. Cum reatui ſanguis Chriſti opponitur, eſt recōciliatio & iuſtificatio.Rom.3.Iuſtificamur gratis ipſius gratia per redemtionē,quę eſt in Chriſto Ieſu, quē propoſuit Deus propiciatorem per fidē in ipſius ſanguine.Ad Epheſ.2.Nunc autem in Chriſto Ieſu,qui olim eratis procul,prope facti eſtis in ſanguine Chriſti.Apocal.1. Lauerūt ſtolas ſuas in ſanguine agni, id eſt, liberati ſunt & abſoluti à reatu peccatorum ſuorum per ſanguinem agni.His teſtimonijs oſtenditur,quod Chriſti ſanguis tanquam iuſtificatio & reconciliatio opponatur reatui,qui per ſanguinē ſignificatur. Cum pœnæ opponitur ſanguis Chriſti, dicitur ſatisfactio. Ad Epheſ.1. In quo habemus redemtionē per ſanguinem ipſius. Ad Rom.5. Iuſtificati igitur in ſanguine ipſius,ſeruabimur per ipſum ab ira, id eſt, à pœna.Hæc teſtimonia oſtendunt pœnam peccati tolli merito ſanguinis Chriſti. Cū figuræ opponitur ſanguis Chriſti,veritas eſt, ſeu completio omniū figurarum veteris teſtamenti. Ad Hebr.9.Per proprium ſanguinem intrauit ſemel in ſancta,æternam redemtionem nactus.Ibidem:Si ſanguis taurorum & hircorum & cinis vaccæ,aſperſa ſuper inquinatos,ſanctificat ad carnis mundiciē,quāto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritū æternum ſe ipſum obtulit immaculatum Deo,purgabit cōſcientiam noſtram à mortuis operibus.Hæc dicta oſtendunt, quod Chriſtus compleuit per ſuum ſanguinem, quod ſacrificia vetera tantum adumbrauerunt.Porrò de plena redemtione per Chriſti ſanguinē parta,teſtātur hæc dicta Col.1.Pater nos tranſtulit in regnum filij dilecti,in quo habemus redemtionē,per ſanguinem eius remiſsionē peccatorū. Ibidē: Cōplacuit patri, vt omnis plenitudo in eo habitet, & per eum reconciliaret omnia ſibi,pacificatis per ſanguinē cruoris eius,tum quę in terra, tum quæ in cœlis ſunt.2.Cor.5. Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians,non imputans ijs peccata eorum.Acto.20. Paſcite Eccleſiam Dei,quam acquiſiuit proprio ſanguine. Hæc dicta in genere docent,quod pleniſsime redemtio & ſalus nobis per ſanguinē Chriſti contingat.Huc pauca ex patrum dictis adijciamus.Bernhardus:De remiſsione peccatorū validiſsimum habeo argumentum dominicam paſsionem, vox ſiquidem ſanguinis eius inualuit multo plus,quam vox ſanguinis Abel, clamās in cordibus electorū remiſsionem peccatorum.Idē:Non dubiū quin potentior & efficacior ſit mors Chriſti in bonum,quam peccata noſtra in malum. Auguſtinus: Quid tam congruenter ab hominibus ſumeretur, quod pro ijs offerretur,quam caro humana?& quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? quid tam mundum pro mūdanis vicijs, quam caro nata in vtero virginali? & quid tam gratū offerri & ſuſcipi poſsit,quā caro ſacrificij noſtri,corpus ſacerdotis noſtri? Idem: Chriſtus liber à mortis debito,& ſolus abſq; peccato,pro peccatorib9 & debitoribus mortuus eſt.Sanguis enim Chriſti redemtio totius mundi.Idem:Singulari & ſolo vero ſacrificio pro nobis Chriſti ſanguis effuſus eſt. Idem: Magnam ſecuritatē dedit Deus, merito paſcha celebramus, vbi fuſus eſt ſanguis Domini, quo purgemur ab omni delicto, ſimus ſecuri, cautionem contra nos Diabolus ſeruitutis tenebat, ſed ſanguine Chriſti deleta eſt. Ambroſius: Sanguis Chriſti purpura eſt,qui inficit ſanctorum animos, non ſolum colore reſplendens, ſed etiam poteſtate, qua reges facit & meliores reges, quibus regnum donet æternum.

DE SECVNDA PARTE.

Secundo loco in dicto Iohannis mentio fit perſonæ effundentis ſanguinē,videlicet Ieſu

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Chriſti filij Dei, qui Sacerdos à Deo cōſtitutus, hoc eſt, Mediator inter Deum & homines, tradidit ſeipſum pro nobis oblationem & hoſtiam in odoré ſuauitatis. Hic ſacerdos, quia filius Dei dicitur, vere Deus eſt. Non enim adoptione filius eſt, ſicut nos. quia Ieſus, filius Marię eſt, verus homo eſt. & quia Chriſtus eſt, & non Chriſti, vna profecto perſona eſt, non duæ, vt ſunt duæ naturæ. Quod autem oportuerit hunc ſacerdoté talem eſſe, hoc eſt, verum Deum & verum hominem, atq; vnam perſonam, hic explicandum eſt. Vt & mens de hoc myſterio plenius erudiatur, & fides habeat, quo ſe ſuſtétet aduerſus inſultus Diaboli & omnis generis tétationes. Quod igitur noſtrum Sacerdotem oportuerit eſſe verũ Deum, ex ſequentibus rationibus concluditur. PRIMA. Peccati infinita malitia eſt & infinitus reatus. Infinitum enim & ſum̃um bonum offendit, atque eius gloriam obſcurat. Hoc proinde peccatum aut infinitis pœnis erat puniēdum (ſic enim iuſticia Dei efflagitabat) aut expiādum erat ſatisfactiōe iuſta. Verũ quia hæc ſatisfactio debuit eſſe preciũ infinitæ bonitatis, & æquiualens, nō potuit ab vlla, imo nec ab omnibus creaturis fieri. Quare neceſſe fuit expiatorem peccati Deum eſſe. SECVNDA. Nulla creata potentia ſola potuit ſuſtinere iram Dei, & in tanta magnitudine dolorũ Deo vere tribuere laudem iuſticiæ. Quare neceſſe fuit Mediatoré præditum eſſe diuina potentia, quæ ſolius Dei eſt. Huius cauſſæ cōſideratio admonet nos iuſticiæ Dei. Nam in pœna, quæ debet eſſe placatio, oportuit punienti tribuere laudem iuſticię. TERTIA. Nulla creata potentia potuit vincere mortem, & reddere nobis iuſticiam & vitam ęternam. Hoc itaque cum ſit propriũ Mediatoris, neceſſe fuit Mediatorem eſſe Deum. Nam omnipotentis naturæ eſt vincere morté, & reddere vitā & iuſticiam æternam. QVARTA. Neceſſe eſt Mediatoré eſſe perpetuum cuſtodem Eccleſiæ omnibus temporibus, eam exaudienté, & præſentem ſanctis vbique, ſicut vere affuit Moſi & populo in deſerto, vt teſtatur Paulus, & deinde ſemper Eccleſiæ adeſt & protegit im̃ediate, iuxta dictũ: Nemo rapiet oues meas de manib⁹ meis. Hæc eſſe diuinæ naturæ propria manifeſtũ eſt. QVINTA. Mediator debuit eſſe καρδιογνώστης, vt videre poſsis gemitus cordium & intima ſanctorum ſuſpiria. hoc cum tantum congruat diuinę naturæ, neceſſe fuit vt Mediator eſſet Deus. Mente in hunc modum inſtructa de diuinitate mediatoris, fides ita concludit. Meus Mediator eſt Deus, ergo potétior eſt Diabolo, ergo fortior eſt peccato, ergo ſuperior eſt mũdo, ergo validior eſt inferno. Si igitur hic Mediator mecũ eſt, à quo trepidabo? Hinc illa fidei gloriatio ad Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ, quomodo & non cũ illo omnia nobis donaret, quis accuſabit electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnat? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt, imo qui & excitatus eſt, qui & eſt in dextra Dei, qui etiā interpellat pro nobis. IAM videamus cur oportuerit noſtrum Mediatorem verum hominem eſſe. Rationes aũt hæ ſunt præcipuæ. PRIMA, neceſſarium erat, vt inobœdientia commiſſa in carne noſtra, in eadé ſarciretur. Nam hoc congruebat ordini iuſticiæ diuinæ, vt cum genus humanũ primũ peccaſſet in vno Adamo, aliquis in humano genere à peccato im̃unis, pœnā ſolueret, quæ eſſet precium pro cæteris. Ideo enim venit Dominus noſter reuera homo, veluti perſonam ipſius Adæ referés, cuius etiam nomé illi tribuitur, vt pœnam peccati in carne, in qua admiſſum fuerat, perſolueret. SECVNDA, eſt autoris Epiſtolæ ad Hebr. cap. 2. Quoniam, inquit, pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe quoq; cōſimiliter particeps factus eſt eorundem, vt per morté aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, Diabolum. TERTIA, Neceſſariũ fuit, vt eſſet in Mediatore συμπάθεια quædam, qua afficeretur noſtris calamitatibus, vnde autor Epiſtolæ ad Hebr. Cōgruum (inquit) fuit, eum fratribus per omnia aſsimilari, vt miſericors eſſet & fidelis pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expiādum peccata populi. QVARTA. Neceſſe fuit Mediatorem humana natura nobis ſociari atque cōiungi. Nam niſi ille frater noſter eſſet verus homo, non fieremus per illius cōmunicationem filij Dei. QVINTA. Reſurrectionis noſtræ virtus & efficacia in ſocietate noſtra cum Chriſto, in eadem humana natura cōſpicitur. Vnica enim ſpes, quam de reſurrectione corporum habemus, eſt, quod Mediator noſter carnem noſtram aſſumſerit. Nam & in Chriſto caro, quam nunc corruptioni obnoxiam circumferimus, iam ſuſcitata eſt in poſſeſsionem regni cœlorum ingreſſa, ibique immortalis eſt facta. Virtute igitur ſocietatis naturæ, quā habemus cũ Chriſto, excitabimur in extremo die, & donabimur etiā ſecundũ carnem immortalitate. Fides ex hac noticia ſocietatis naturę noſtrę, & Chriſti Mediatoris, colligit vberrimum fructum. Vnde autor Epiſtolæ ad Ebręos affirmat, nos non habere aduocatum, qui infirmitates noſtras ſuſtinere nō poſsit, cum ipſe eodé modo fuerit tentatus, per omnia nobis ſimilis factus, demto peccato, & quia aſſumtio humanæ naturæ teſtimonium eſt ſum̃i amoris filij Dei erga nos, fides in omni tétatione, adeoq; in articulo mortis, ſe fiducia amoris huius filij Dei erga nos, ſuſtentat. QVOD auté oportuerit Mediatoré eſſe vnam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

vnam perſonam in duabus naturis, ex ſubiectis rationibus patet. PRIMA, Vnus Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus. Hæc vox, Vnus, ad perſonæ vnitatem, & nõ ad naturas referenda eſt. SECVNDA, Hic vnus mediator coniunctus & Deo & homini eſſe debuit. Deo ergo, qui offenſus erat noſtro peccato, vera diuinitate coniunctus eſt: homini vero, vera humanitate ſociatus, vt vnus hic Mediator poſsit coniungere aduerſas partes ſocietate, quam habuit cum vtriſque. Athanaſius: Congruebat filium aſſumere humanam naturam, vt hæc perſona, quæ eſt ſubſtantialis imago Dei patris, reſtitueret imaginem Dei in nobis. TERTIA, ſi non eſſet Mediator vna perſona, opera redemtionis in humana natura peracta, nequaquam eſſent ſufficiens precium pro peccato, quo infinitum bonum eſt offenſum. Aſſumſit ergo æternus Dei filius humanam naturam in vnionem perſonalem, vt opera in humana natura peracta, infinitæ fierent virtutis. Ex hac itaque indiuidua vnione naturæ diuinæ & humanæ in vna perſona, colligit fides dignitatem infinitam, perfectionem abſolutiſsimam, & inæſtimabile precium eſſe ſanguinis, mortis, atque adeo omnium actionum & paſsionum Chriſti, in ſanctiſsima eius humanitate. Inde enim eſt potentia & virtus delendæ iniquitatis, deſtruendæ mortis, imputandæ iuſticiæ & donandæ ſalutis æternæ. Etſi autem Chriſtus in carne, vt Petrus loquitur, hoc eſt, in humana natura, videlicet in anima & corpore paſſus eſt: tamen paſsio ipſa perſonæ tribuitur, propter illam arctiſsimam duarum naturarũ vnionem in vna perſona. Ex quo fit, vt omnia in Chriſto habeantur diuina, immẽſa, inæſtimabilia, & ſaluifica opera redemtionis. Huc propter antiquitatem vnam Cyrilli ſententiam adijciam: Niſi (inquit) Deus verus eſſet Chriſtus, quæ vtilitas per ſanguinem eius? vel quomodo mundabit noſtram conſcientiam à mortuis operibus? ſanguis enim communis hominis quid magis habet, quam ſanguis hircorum? niſi certe quam quod ille eſt rationalis animalis, hic vero bruti. Quoniam autem qui ex Deo eſt carne aſſumta, poſuit pro nobis ſuum ſanguinem, hac ratione & purgare poteſt credẽtes in ipſum, & à mortuis operibus liberare, & abducere in obſequiũ Deo. Hæc Cyrillus.

DE TERTIA PARTE.

Tertio loco fit mentio purgationis, videlicet quod Chriſtus nos purget ſuo ſanguine à peccatis. In eandem ſentẽtiam Apoſtolus noſter in Apocalypſi ait: Chriſtus dilexit nos, & lauat nos à peccatis noſtris ſanguine ſuo. Vt autẽ appareat conſenſus Eccleſiæ omniũ temporum, de hac purgatione vtile fuerit mente circũſpicere & perpendere hęc quatuor, videlicet typicam purgationem, veram purgationem, huius neceſsitatem, atq; certitudinẽ ſeu diuinam obſignationẽ. TYPICA purgatio eſt antegreſſa figura, quæ lege Moſis deſcribitur. Omnes enim lotiones & legales purgationes admonebant populum Iudaicum, cum ſordium ipſorum, id eſt, peccatorum, tum purgationis quæ olim erat futura per ſanguinẽ Chriſti. Huc pertinebant ſex iſtæ hydriæ in Cana Galileæ poſitæ, quarum meminit Iohannes. Hoc Dauid intellexit cum diceret Pſal. 51. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Externa enim & legalis purgatio admonebat ipſum de conſcientiæ purgatione, quę non aqua, non bruti ſanguine, ſed ſanguine immaculati agni Ieſu Chriſti peragitur. Hypocritæ putabãt legi ſatisfactum eſſe, cũ corpora externe aſpergebant aqua, nihil de veritate figuræ reſpondente ſoliciti. Ita enim Dominus eis obijcit: Vę vobis Scribę & Phariſæi & Hypocritæ, qui purgatis exteriorem poculi patinæq; partẽ, intus aũt omnia ſunt plena rapina & intẽperantia. Phariſæe purga prius quod eſt intra poculũ & patinam, vt id quoq; quod extra eſt, purum fiat. His verbis docet Chriſtus, quónam illæ externæ purgationes pertinebãt, videlicet vt eſſent ſymbola internæ purgationis, quæ fieret per ſanguinẽ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. Nam ſine cogitatione ſignificationis & fide, iſtæ hypocriticæ purgationes, quas Auguſtinus laruatas vocat, pernicioſæ fuerũt, ſicut Ethnicę & Papiſticæ, quæ fiebant per aſperſionem aquæ luſtralis, ſine mandato Dei & fide. Nam & Ethnici & Papiſtæ cacozelia quadam purgationes Iudaicas imitati ſunt. Cicero pro Roſcio Amarino dicit: Ea quæ violata ſunt, mari expiari. Euripides, *θάλασσα κλύσει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά*. id eſt, Mare abolet omnia hominum mala. Telemachus Palladi ſupplicaturus in æquore manus lauat. Sophocles quoque mentionem facit expiationis per aquam. HÆ purgationes Ethnicæ tantum laruales fuerunt, quia fuerunt ceremoniæ à ſanctis quidem patribus acceptæ, ſed ſine doctrina & vero ſignificationis intellectu. Attamẽ ideo ꝓdeſt illas obſeruare, quia à populo Dei ſumtæ, teſtantur de alia vera purificatione. Papiſticæ purgationes nihilo meliores fuere, qui non ſolum viuos, verumetiam mortuos aſpergine aquæ expiari credunt. Sed de his ſatis. ANTEGRESSA igitur figura fuit in purgationibus varijs Iudæorum. Vera autem purgatio completa eſt in Chriſto Ieſu, qui in ſe credentes ſuo ſanguine efficaciter & ſolus abluit. Auguſtinus: Hæc eſt vera pax, & cum

creatore noſtro nobis firma connexio, purgatis & reconciliatis per Mediatorem vitæ, ſicuti maculati & alienati ab eo receſsimus per mediatorem mortis. Sicut enim Diabolus ſuperbus hominem ſuperbientem perduxit ad mortē: ita Chriſtus humilis hominem obœdientem reduxit ad vitam. Quia ſicut ille elatus cecidit & deiecit conſentiētem: ſic iſte humilis ſurrexit & erexit credentem. NECESSITAS huius purgationis per Chriſtum, Iohan. 13. indicatur hiſce verbis Domini: Niſi lauero te, non habebis partem mecum. Item: Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauentur, ſed eſt mundus totus. Hæc duo dicta Domini, duplicem lotionem fieri per Chriſtum indicant. Prius, beneficium Chriſti proprium cōmendat, quod eſt abluere. niſi enim ipſe ſuo ſanguine nos totos abluat, hoc eſt, redimat, & niſi credamus nos redemtos ſanguine Chriſti, non erimus hæredes vitæ æternæ, in quam non niſi puri intrabūt. Alterum dictum loquitur de quotidiana aſperſione & lotione pedum, qua opus habent, qui iam toti per Chriſtum loti ſunt. Sententia enim dicti eſt: Qui iuſtus eſt fide, & lotus ſanguine Chriſti, eſt totus mundus, id eſt, placet Deo totus, ſed tamē in hac vita pedes aſsidue lauandi ſunt. Vt enim pedibus euntiū ſemper aliquid pulueris adhæret: ita affectibus hominum ſemper aliquid vitij ineſt, quod eſt eluendum fide in Chriſtum, & ſanctificatione vitæ. Quod autem & hæc purgatio pedum, id eſt, affectuum, fiat virtute ſanguinis Chriſti, docet Paulus Rom. 6. POSTREMO conſideranda eſt certitudo ſeu diuina huius purgationis obſignatio, in hac concurrunt etiam illa tria, quorum ſupra memini, videlicet verbū, quo offertur hæc purgatio: Fides qua recipitur, & Baptiſmus, quo conſignatur & applicatur. Vt enim verbum vniuerſaliter omnibus offert beneficium purgationis: ita Fides, qua purificantur corda, accipit quod offertur, quia cōſcientiæ credentium aſperguntur ſanguine Chriſti, quo mundantur à peccatis. Et Baptiſmus externus obſignat hāc internam purgationem, & admonet de noua vita in poſterum tranſigenda in ſanctificatione. Cum igitur homo baptizatur, accipit promiſsionem gratiæ, veluti ſigillo Dei obſignatam, quo interna purgatio, quæ per ſanguinem Chriſti fit, ratificatur & obſignatur ei, qui baptizatur. In huius rei argumentum miniſtri baptiſmi ex maiorum traditione baptizatis candidam veſtem imponunt, qua admoneantur & internæ ablutionis factę per ſanguinem Chriſti, & ſanctificationis, quæ à baptizatis requiritur. Vehementer errant, qui externo baptiſmo per ſe tribuunt purgandi virtutem, quæ ſolius Chriſti eſt, qui apparuit, vt deſtruat opera Diaboli. Quare firmiter tenendum eſt dictum Pauli, qui affirmat, Chriſtum dilexiſſe Eccleſiam, & tradidiſſe ſe pro ea, vt eam ſanctificaret, mūdans eam lauacro aquæ in verbo, vt ſiſteret eam ſibi glorioſam Eccleſiam, nō habētem maculam aut rugam, aut quicquam tale, ſed vt eſſet ſancta & irreprehenſibilis. In hoc Pauli dicto primum obſeruetur, quod Chriſto ſoli tribuatur mundandi virtus, ſicut & noſter Apoſtolus hic affirmat, dicens: Sanguis Ieſu Chriſti mundat nos ab omni peccato. Deinde lauacrū aquæ ponitur, quod eſt externum ſymbolum gratiæ, & interioris purgationis ſigillum. Hic tertio loco veritas ſigno reſpondens cogitanda eſt, quæ eſt occulta mundatio animæ, ac interna à peccati maculis ablutio. Quarto loco additur in verbo, vt intelligatur Baptiſmi vis, & efficacia eſſe ex promiſsionis verbo, quod obſignatur baptiſmo. Quinto loco cogitetur analogia ſigni ad rem ſignatam. Signum eſt lauacrum aquæ. analogia ſigni ad rem hæc eſt: Quemadmodum aqua foris abluit corpus: ita ſanguis Chriſti intus animam à peccatorum ſordibus purgat, niſi diffidentia in adultis fuerit impedimento. Huc etiam accedit altera obſignatio, videlicet vſus Cœnæ Dominicæ, de qua alias.

DE QVARTA PARTE.

Cum dicit Apoſtolus: Purgat nos, intelligamus totam naturam humanam ſignificari, & non reſtringi dictum ad paucos aliquos. Ita enim ipſe Apoſtolus nos docet, cum ait Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed pro totius mundi. Huc & illud pertinet in Euangelio: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Huc omnia dicta quæ gratiam vniuerſalem nobis commendant, referenda ſunt. Quod autem multi (proh dolor) non fiunt participes gratiæ huius, & purgationis per ſanguinem Chriſti, non extenuat virtutem ſanguinis Chriſti, nec conſilium Dei de ſalute omnibus hominibus promiſcue oblata euertit: ſed tantum indicat hominum deflendam ingratitudinem & peruicaciam, quorum culpa fit, quod bonum omnibus oblatum, pauci accipiant. Huc pertinet triſtiſsima illa querela Domini: Multi ſunt vocati, pauci vero electi.

DE QVINTA PARTE.

Quinto loco fit mentio maculæ, à qua purgamur ſanguine Chriſti. Hanc maculá vocat Apo-

Apoſtolus noſter peccatum,hoc eſt,legis diuinæ violationem,quæ eſt res omnium triſtiſsima & fœdiſsima, & extreme abominabilis, cui Deus horribiliter iraſcitur. Nã in peccato plurima mala concurrunt,videlicet contemtus maieſtatis Dei,ſuperba contumacia aduerſus legem Dei,nefanda imaginis Dei,ad quam conditus eſt homo,conſpurcatio & deſtructio,imitatio Satanæ hoſtis Dei,improba proditio & defectio à caſtris Dei,atque intolerabilis ingratitudo creaturæ aduerſus creatorẽ.Hæc mala ſingula & omnia ſimul oſtendunt, quam horribile ſit peccatum & abominabile in conſpectu Dei, & caſtorum ſpirituum. Quidam ex patribus oſtenſurus malitiam peccati,quinq; in eo concurrere mala affirmat. Primum,quod peccatum ſit offenſio, qua Deus grauiſsime offenditur. Eſt enim violatio legis Dei,defectio à Deo,& prouocatio iræ Dei iuſtiſsimæ.Secũdum,quod peccatum ſumme placeat Satanæ, qui eſt aduerſarius Dei, & hoſtis humani generis ἄσπονδος. Tertium, quod committentem grauiſsime lædat,vt quod ipſum conijciat in temporales & æternas pœnas,niſi per pœnitentiam ante mortẽ ei occurratur,& abluatur ſanguine Chriſti.Quartum,quod etiam alios contagione inficiat,nam multi aliorum exemplis deteriores fiunt. Quintum,quod in ſe turpe & abominabile ſit. Eſt enim imago Satanæ, quam geſtare hominem ad imaginem Dei conditum nihil indignius eſt. PRÆTER hæc mala,quæ inſunt peccato,exitialis fraus in eo latitat,quam cum non multi animaduertunt,feruntur præcipites in proprium exitium. Iſta autem exitialis fraus hæc eſt:peccata, quantumuis magna & horrenda, cum in cõſuetudinem venerint,aut parua aut nulla eſſe videntur,adeo virus illud Satanæ ſenſus hominis occupat, vt plane malum,quod inuoluitur,nõ ſentiat. Vnde fit,vt non ſolum non occultanda,verumetiam prædicanda videantur, iuxta illud Pſalmi: Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ,& qui iniqua gerit,benedicitur. Atque hoc eſt quod Sapiens monet,cum ait:Impius cum in fundum peccatorum venerit,cõtemnit,ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium,niſi ſcilicet fiat remiſsio.Caueamus igitur nobis, ne conſuetudine peccandi hanc horribilem ἀπαλγεσίαν accerſamus,atq; ita exitiali peccati fraude circumuẽti pereamus. ATQVE hæc de macula,à qua purgamur ſanguine Chriſti, videlicet quando nos poſternimus coram ipſo in vera pœnitentia cum propoſito,quod in poſterum nolimus ſcientes & volentes Deum offendere. Nam vbi manet propoſitum peccandi,ficta eſt omnino pœnitentia,quantumuis vel maximæ lachrymæ erumpant de oculis.Nam neque tunc macula tollitur, ſed duplicatur potius: neq; abſolutio per miniſtrum Euangelij fit,ſed maius vinculum texitur,quo rea conſcientia ligatur, & nouo reatu aſtringitur. QVICVNQVE igitur ab hac macula liberari cupit,is ſtudeat,iuxta cõſilium Pauli, honeſtæ militię,retinens fidem & bonam conſcientiá,& cogitet non ideo filium Dei effudiſſe ſanguinẽ in ara crucis, vt iam ſe proſtituat omni turpitudini,ſicut ſpiritus Satanæ perſuaſerat Libertinis noſtri ſeculi,qui nihil peccatum eſſe mendaciter ſtatuũt,niſi quis ſe peccare putet.Committens adulterium apud illos,non peccat eorum iudicio,niſi putet ſe peccare,atque tunc dicitur de nouo guſtaſſe pomum cum Eua. Hæc eſt horrenda contumelia ſanguinis filij Dei,qui effuſus eſt non vt peccemus,ſed vt à peccatis liberemur,quemadmodum baptiſmus noſter docet, quo monemur, vt intueamur & mortem & ſepulturam, & reſurrectionem Chriſti.Mors enim Chriſti eſt abolitio peccati.Sepultura monet,vt frenemus peccatum,& mortificatum coërceamus.Vnde illud Apoſtoli:Ne igitur regnet peccatum in mortali veſtro corpore. Reſurrectio monet, vt ambulemus in nouitate vitæ, vide Paulum ad Rom.6.

DE SEXTA PARTE.

Sexto loco fit mentio efficaciæ purgationis,quę fit per ſanguinẽ Chriſti,videlicet quod nõ ſolum à peccati hac vel illa macula purget,verumetiam ab omni macula omnium peccatorum.Hæc ergo particula Omnis opponenda eſt particularitati Stoicę,enormitati peccatorum,purgationibus,ſatisfactionibus,& iuſtificationibus humanis & crudelitati Donatiſtarum,negantium lapſis pœnitentibus ad gratiam reditum. Primum itaque euertit hæc particula Omnis,particularitatem Stoicorum,qui fingunt fatalia decreta,quibus intercludere hominibus ſalutis viam moliuntur. Mentiuntur enim gratiam vniuerſalẽ non eſſe ex cõſilio creatoris & redemtoris noſtri Ieſu Chriſti, dicũt enim quoſdá æterno cõſilio Dei deſtinatos eſſe damnationi ineuitabili,quoſdam vero æternæ ſaluti,excluſis omnibus conditionibus. Cum hoc Satanico furore,pugnat hoc dictum Iohannis, & præcipue particula omnis: nam ſi purgat ſanguis Chriſti ab omni peccato, certe nullus erit in humano genere,cuius peccatum purgari non poſsit,modo ad Mediatorem confugerit.Quare muniamus mentes noſtras firmis teſtimonijs ſcripturæ, de promiſsione vniuerſali,de mandato Dei iubentis omnes audire filium,de λύτρῳ perſoluto pro peccatis totius mundi,de vni-

uerſali obſignatione, quæ fit per baptiſmum. Etſi autem hoſtes gratiæ vniuerſalis profe runt nonnulla ſcripturę dicta, quæ videntur illorum ſententiæ patrocinari: tamen nos ſcimus Spiritum ſanctum optime ſecum conſentire, & ἀντιλογίας tantum eſſe in animis hominum, qui non ſunt recte edocti de voluntate Dei, qui reuera vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quo ſaluentur per Ieſum Chriſtum, qui clamat ſe veniſſe in mundum, vt ſaluet τὸ ἀπολωλὸς, id eſt, humanum genus, quod in Adamo perditum erat. Vide quę annotauimus in caput 2. ad Epheſ. & in 9. 10. & 11. ad Romanos. Deinde opponitur hæc particula Omnis enormitati peccatorũ. Nam ſi purgat ſanguis Chriſti ab omni peccato, profecto nullum peccatſi excipiendũ erit, à quo nõ purgat ſanguis Chriſti, modo per fidẽ adhibeatur. Nam iuxta Paulum, Gratia exuperat ſupra peccatum. Cain madens ſanguine fraterno, ex deſperatione clamat: Maior eſt iniquitas mea, quam propiciatio. Auguſtinus reſpondens, ait: Mentiris Cain, maior eſt enim miſericordia Dei, quam omnium peccatorum miſeria. Nota eſt hiſtoria Dauidis, Manaſsis, Magdalenæ, Latronis, & aliorum, quorum exempla docent, recipi in gratiam Omnes confugientes ad miſericordiam propter Chriſtum. Neque quiſquam contra hæc peccatum in Spiritum ſanctum exceperit, quod Dominus pronunciat nec remitti in hoc ſeculo, nec in futuro. Et Apoſtolus pronunciat, impoſsibile eſſe iſtud peccatum remitti. Nam illa impoſsibilitas nõ eſt ex parte gratiæ, quæ reuera ſuperat omne peccatum: ſed ex parte peruicaciæ & obſtinatæ malitiæ hominis contemnentis filium Dei & eius Euangelium. Præterea opponitur hæc particula Omnis, omnibus purgationibus, ſatisfactionibus & iuſtificationibus hominum. Nam ſi ita ſatisfit pro nobis per Chriſtum, vt eius ſanguine purgemur ab omni peccato, certe nullũ peccatum reliquum erit, quod erit eluendum humanis lotionibus. Quare hæc particula Vniuerſalis deſtruit omne humanũ meritũ, & vendicat Chriſto ſolidum iuſtificationis & redemtionis honorem, adeo vt imotum ſit dictum Pauli: Chriſtus nobis factus eſt à Deo Sapientia, Iuſticia, Sanctificatio & Redemtio, quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur. POSTREMO Donatiſtarum crudelitati opponitur hæc particula Omnis. Nam ſi ſanguis Chriſti purgat ab omni peccato, profecto ab eo etiam purgat, quod committitur poſt conuerſionem. Huius rei ſunt multa teſtimonia, & exempla, inter quæ vnum tantum adducam, quod ſcribitur de quodam Apoſtoli noſtri diſcipulo, qui cùm abſente Iohanne defeciſſet à fide, & latrocinium exercuiſſet, reuocatur tamen ad pœnitentiam per Iohannem. Hoc exemplum clariſsime docet, Deum paratum eſſe ad recipiendum in gratiam omnes peccatores, quantumuis ſæpe peccarent. Verum hic caueat vnuſquiſque, ne ſibi peccandi conſuetudine accerſat neceſsitatem quandam, qua ita inuoluitur cœno peccatorum, vt inde eluctari non poſsit: & cogitet multos indulgentes peccatis traditos eſſe in reprobam mentem iuſto Dei iudicio, ac tandem oppreſſos eſſe æterna Dei ira & æternis pœnis, vt Cain, Saul, Achitophel, Iudas & multi alij. HÆC placuit in hanc auream ſententiam Apoſtoli noſtri, annotare, vt eius nobis vſus fieret magis perſpicuus. Non enim ſatis eſt ſcire rem quampiam, vt ſæpe moneo, niſi eius rei quam ſcimus, ſenſum quendam in corde habeamus. Quare Paulus vult nos abundare magis magiſque in omni cognitione & ſenſu.

Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

Quia in externo Eccleſiæ cœtu omnibus temporibus ſolent eſſe Hypocritæ, qui ſua freti ſanctitate præſumunt, & alios tanquam ex alto deſpiciunt: hos quoque in ordinem peccantium redigit Apoſtolus, eoſque pronunciat ſeipſos ſeducere, dum à propiciatorio & vera ſalutis via ad ſuam propriam ſanctitatem deflectũt. Qui enim peccatum ſuum non agnoſcit, non precatur veniam, nõ nititur Mediatoris gratia, non tendit recta ad vitam, ſed ad mortẽ properat. Non enim eſt vita, niſi in vita æterna Ieſu Chriſto, atque ideo dicit: Et veritas nõ eſt in nobis, quæ ſola, vt Bernhardus ait, liberat, ſola ſaluat, ſola lauat. Et Auguſtinus: Dicere ſe ſine peccato eſſe, iuſtum nõ poteſt exhibere, ſed fingere. Vnus eſt enim ſolus, qui & carnẽ hominis habuit, & peccatũ potuit nõ habere.

Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata, & purget nos ab omni iniuſticia.

Conſolatur infirmos, qui ſentientes corruptam ſuam naturam, peccatorum mole premuntur. Hos monet Apoſtolus, vt confugiant ad eum, qui promiſit ſe cõdonaturum pœnitentibus peccata ſua, quod abſque omni dubio faciet, cum & ſit fidelis in promiſsis, & iuſtus, vt qui reipſa præſtet quod verbis promiſit. Cæterum ne

hic in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hic in errorem Papiſtarum, qui tribuunt cõfeſsioni, hoc eſt, iuxta illos enumerationi peccatorum coram ſacerdote, meritum ſatisfactionis, abripiamur, obſeruãdum eſt, quod hic locus de duplici confeſsione intelligendus ſit, videlicet de confeſsione peccatorum coram Deo in vera contritione, & de confeſsione Mediatoris Ieſu Chriſti, quod ex eo intelligitur, quod dicat: Vt remittat nobis peccata, &c. Cõfeſsio peccatorum coram Deo, vt ſit ſeria, requiritur noticia peccatorum, & agnitio. quare tenendum eſt, vnde hęc noticia petenda ſit. Sunt autem quatuor, quæ & monſtrant homini ſuum peccatum, & eius grauitatem indicant, videlicet, Lex Dei, pœna peccati, cõſcientia cuiuſque, & mors filij Dei. Lex Dei oſtendit peccatum, & Spiritus ſanctꝰ legis opera peccatum arguit per miniſtros verbi: ita enim Paulus ait: Per legem eſt agnitio peccati. Nam cum lex iubet aliquid fieri, & nõ fit, & cum lex fieri aliquid prohibet, & fit, peccatur. Lex igitur duplex peccatum monſtrat, videlicet commiſsionem, & omiſsionem. Grauitatem peccati monſtrat lex, cum violatores legis pronunciat maledictos, & comminatur eis ſupplicia æterna: Maledictus (inquit) qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis. Cum igitur nihil ſit triſtius, quam maledici à Deo, & ſubijci æternis ſupplicijs, grauiſsimũ eſſe peccatũ manifeſtum eſt. Pœna ſimiliter, vel ſine lege & peccatũ eſſe in omni homine & grauiſsimum oſtendit. Homines cum in lucem primum eduntur, pœnis ſubiacent, quæ cum iuſto iudicio Dei infliguntur, & crebræ & graues, cogimur fateri omnes homines reos eſſe. Eſt enim iudicium Dei, vt Paulus loquitur, ſecundum veritatem. Præterea ſicut publicæ calamitates, totum ſocietatis corpus reum eſſe conuincunt: ita priuatæ ſingulis ſua peccata ponunt ob oculos. Conſcientia cuiuſque etiam teſtatur de vtroque, hoc eſt, de peccato & eius grauitate. Eſt enim conſcientia hominis teſtis Dei, quæ inſtar mille eſt. Hæc non ſolum hominem ſiſtit coram tribunali Dei, verumetiam eſt teſtimonium futuri iudicij, & quod poſt hanc vitam reſtat alia vita, in qua impij ſuorum ſcelerum pœnas luent. Eſt etenim mala conſcientia, triſtis quædam & crucians actæ male vitæ recordatio, coniuncta cum metu pœnæ impendentis. Sed de cõſcientia plura legantur in Enchiridio, & in libello de Lege Naturæ, & infra quædam aſcribemus.

Mors Filij Dei, & reum eſſe totum genus humanum teſtatur, & grauitatem peccati oſtendit. Nam cum non potuerit vlla creatura potentia placare iram Dei: ſed neceſſe fuerit, vt filius Dei aſſumta humana natura in vnionem perſonalem noſtra peccata lueret & ſatisfaceret iuſticiæ Dei: oportet fuiſſe grauiſsimam offenſam. His quatuor modis, videlicet lege, pœna, conſcientia, & morte filij Dei agnoſcitur peccatum, & eius grauitas indicatur. Quod autem per Euangelium dicatur oſtendi peccatum, id non directe fit, ſed per accidens, vt cum tenebræ arguuntur à luce, ſicut Paulus loquitur. Confeſsio mediatoris eſt, de qua loquitur autor ad Hebræos cap. 3. Conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſsionis noſtræ. Hæc confeſsio eſt mentis, cordis, oris, & vitæ totius. Mentis recte ſentientis de Mediatoris diuinitate, humanitate, perſona & officio. Cordis recumbentis firma fiducia in Mediatorem. Oris profitentis palam coram Deo, angelis, hominibus & Diabolis, hunc Ieſum Chriſtum crucifixum eſſe ſuum Mediatorem & Saluatorem. Vitæ noua obœdientia teſtantis fidem in hunc Mediatorem & gratitudinem erga Deum.

Si dixerimus, non peccauimus, mendacem facimus eum, & ſermo eius non eſt in nobis.

Exaggeratio eſt ſceleris Hypocritarum, qui ſua peccata non agnoſcũt, hi non ſolum ſeipſos ſeducunt, & Chriſti merita contemnunt, verumetiam mendacij Deum arguunt, qui omnes homines ſine diſcrimine, ſua voce reos eſſe peccati, conuincit.

CAPVT II.

Summa Capitis ſecundi.

Vt peccatores pœnitentes Aduocatum habent Chriſtum Propiciatorem: ita noticia Dei obœdientiam erga ipſum requirit, & erga proximum dilectionem. Fugiendus proinde eſt amor mundi, cauendi ſunt Antichriſti, ac in ſola Chriſti doctrina acquieſcendum.

Ordo & partes Capitis ſecundi.

Primum, compellat pios dulciſsima compellatione, quos lapſos erigit, propoſito propiciatore Chriſto.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Deindè, quæ nam ſit ſalutaris Dei noticia ab effectibus demonſtrat. Tertio, de caritate fraterna agit. Quarto, rurſus compellat pios filiorum nomine, quibus peccata remiſſa eſſe pronunciat propter nomen Chriſti. Quinto, addit diſtributionem iuxta ætatis gradus, & ordine ſingulos gradus conſolatur. Sexto, dehortatur à mundi, & eorum quæ in mundo ſunt, amore. Septimo, de Antichriſtis agit. Octauo, hortatur pios, vt maneant conſtantes in doctrina, quam acceperant.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

FILIOLI mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis.

Quod de Deo, qui lux eſt; & de ſocietate noſtra cum luce ſcribo, eo pertinet, vt vos à peccandi conſuetudine reuocem. Quo enim quis magis peccat, eo magis tenebris inuoluitur, & à luce recedit. Cōpellatio hæc blanda & paterna: Filioli mei, docet quomodo miniſtri Euangelij erga Eccleſiam Chriſti affecti eſſe debeant. Porrò, vt miniſtri Euangelij ſuorum auditorum patres: ita auditores miniſtrorum verbi filij in ſcriptura dicuntur. Debent autem miniſtri Euangelij patres eſſe, doctrina, exemplo, & affectu. De doctrina habetur 1. Corinth. 4. In Chriſto Ieſu per Euangelium vos genui. Eſt enim verbum Dei ſemen illud incorruptibile, ex quo naſcuntur filij Dei, qui & miniſtrorum verbi filij dicuntur ratione miniſterij: nam ipſi ſemen illud in corda hominum tanquam in ágros mittunt. De exemplo, 1. Corinth. 11. Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti. De affectu, 1. Corinth. 4. Non vt pudore vos ſuffundam hæc ſcribo, ſed tanquam filios dilectos vos admoneo. Ex his ſequitur, quod auditores Euangelij debent eſſe filij ſuorum paſtorum, obœdientia, imitatione & caritatis affectu. Vbi autem hæc mutua affectio non ſit in miniſtris Euangelij & auditoribus, muri Eccleſiæ inclinant, & ruinam minantur.

Et ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtū.

Prolepſis eſt, anteuertit enim eorū obiectionem, qui perpetuo ſentiunt in ſe peccatum, & magnam infirmitatem, quos conſolatur aduerſus ſenſum peccatorum & infirmitatis, ac iubet eos aſpicere ad Aduocatum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ſtat ante Patrem, & interpellat pro nobis. Hic locus diligentiſsime obſeruandus eſt, & tanquam præcipuus theſaurus Eccleſiæ Chriſti in animo recondendus eſt. Primum enim docet, ſanctos non ita eſſe puros ab omni peccato, quin quotidie opus habeant remiſsione peccatorum. Deinde confutat eos, qui Chriſtum, perfunctum fuiſſe Mediatoris officio in horto, & in ara crucis mentiuntur, vt non amplius ſit ipſe Mediator, ideoque nunc alijs opus ſit Mediatoribus, vt Maria, Apoſtolis, Martyribus, Virginibus, Confeſſoribus, &c. verum Apoſtolus clariſsime eos confutat, cum ait: Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. Apoſtolus hoc loco non nouit niſi vnicum refugium, cum à peccatis moleſtamur, eo & nos cōtenti ſimus, modo reipſa Chriſtiani eſſe velimus. Cum nominat Aduocatum, vult vt eum fide accedamus, precemurque ipſum, vt pro nobis interpellet apud Patrem. Sciendum eſt ergo, vtroque modo filium Dei inuocandum eſſe. Primum, vt Deum datorem bonorum cum Patre & Spiritu ſancto, & rurſus, vt Mediatorem & interceſſorem, vt propter ipſum exaudiamur, ac vt ipſe pro nobis ſit deprecator apud æternum Patrem, & vt ipſe proferat noſtros gemitus & preces ad æternum Patrem, iuxta hanc Apoſtoli ſententiam. Habemus Aduocatum apud Patrem. Et Pſal. 110. Tu es Sacerdos in æternum. Ad Roman. 8. Qui eſt ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis. Ad Hebr. 9. Semper viuens vt interpellet pro nobis. Præterea monet hic locus, vt perpetuo mente in cœlum eleuata, à Chriſto Mediatore, remiſsionem peccatorem petamus. Adhæc conſolatur Apoſtolus peccatores duplici nomine. Primo, quod Patrem in cœlo habeant, qui non ita facile filios ſuos, propter infirmitates præſentis vitæ abijciat, modo fidem retineant. Deinde, quod peccatis hominum pœnitentiā agentium, opponat Chriſti iuſticiam, qua tanquam aurea lamina legis maledictio tegitur & abſconditur. Cum hic Chriſtum Iuſtum nominat, ſciendum eſt, quod quatuor modis dicatur iuſtus, videlicet, vt Deus ab æterno, vt Deus & homo, vt Mediator, vt Iudex. Vt Deus dicitur iuſtus ab æterno, idque eſſentialiter, quia eſſentialis quædam iuſticia eſt, æterna & increata, vna cū Patre & Spiritu ſancto. Secūdo Chriſtus dicitur iuſtus in aſſumta humana natura, idque paſsiue, quia pleniſsimam obœdientiā in ſua ſanctiſsima humanitate, legi Dei præſtitit, vt haberet, quo nos iuſtificaret. Tertio Chriſtus dicitur

citur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

citur iuſtus, vt Mediator, idque actiue, quia iuſtificat impium, imputans ei ſuam obœdientiam, quæ eſt formalis iuſticia legis in ipſo Chriſto, qua nobis imputata iuſti efficimur. Quarto Chriſtus dicitur iuſtus vt iudex, idque δικανικῶς, nam ſine acceptione perſonarum, in extremo die reddet vnicuique iuxta opera ſua, ſeruato æterno decreto ſuæ iuſticiæ de pœnitentibus & impœnitentibus. Nam vt illos recipiet in æternam felicitatem ſecum: ita hos in tenebras exteriores abijciet æternum puniendos.

Et ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi.

Prolepſis eſt, qua anticipat obiectionem infirmorum dubitantium, an beneficia Chriſti extendant ſe ad omnes homines, & ad omnium peccatorum abolitionem. Docet ergo hoc loco Apoſtolus, Primum, quod Mediatoris beneficia citra diſcrimen ad totum mundum pertineant. Deinde, quod Chriſtus non ſit propitiatio pro vno peccati genere tantum, ſed pro peccatis totius mundi, originalibus & actualibus, quantumuis enormibus. Verum hoc interea obſeruandum eſt, quod tametſi expiatio facta per Chriſtum, extendat ſe ſua efficacia ad peccata omnium hominum expianda, quantum quidem ad eius virtutem, & conſilium, & finem attinet: tamen ſoli participes fiunt redemtionis per Chriſtum, qui ad Euangelij prædicationem conuertuntur, reliqui ſua culpa pereunt. Porrò, non eſt nobis prætereundum, quod Chriſtum vocet Propiciationem. Vult enim nos retro cogitare & reſpicere ad typum, videlicet arcam fœderis, & laminam auream, quæ dicebatur Propitiatorium, qua lamina arca ipſa tegebatur. Arca repræſentat Eccleſiam. Aurea lamina, hoc eſt, Propiciatorium, adumbrat Chriſtum Propiciatorem. Proinde quod hæc arca tegebatur lamina aurea, ſignificat quod Eccleſia tegatur aduerſus iram Dei Mediatore Chriſto, qui eſt verus Propiciator. Ita etiam hunc typũ Chriſto accommodat Paulus ad Rom. 3. vbi ita ait: Iuſtificamur Gratis ipſius gratia, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus Propiciatorium per fidem in ipſius ſanguine. Huc & Dauid reſpexit, cum diceret: Beati quorum tecta ſunt peccata.

In hoc ſcimus quod cognouimus eum, ſi mandata ipſius obſeruamus, Qui dicit: noui eum, & mandata ipſius non ſeruat, mendax eſt, & in eo veritas non eſt.

Argumentum ab effectu, qui ſuæ cauſſæ certiſsimum eſt indicium. Eſt enim obœdientia erga Deum, cum noticiæ (id eſt, fidei) effectus (hic enim de fidei cognitione loquitur) tũ eiuſdem infallibile iudicium, Sicuti contra, qui Deo obtemperare non ſtudet, vacat fide, & Deum plane non nouit. Nam cum fides eſt veluti flammula Spiritus ſancti, habet proprietates ſuo congruentes principio, quæ ſunt duo in genere; videlicet, repugnare vitijs, & ſtudere virtutibus. Seruare mandata Dei, eſt ex noticia & fide obœdientiam bona conſcientia præſtare, quantum quidem fieri poteſt in hac naturæ imbecillitate. Requiruntur autem ad boni operis rationem quinque, videlicet, præceptum, Spiritus Chriſti, finis videlicet gloria Dei, & gratia, qua boni conſulitur conatus, & defectui ignoſcitur.

Obſeruetur ratio, qua quilibet de ſuæ fidei conſtantia & veritate certificari debet. Etſi enim nemo plenam obœdientiam Deo iuxta legem præſtare poteſt: tamen animi conatus, propoſitum & inchoata obœdientia, certiſsima fidei ſunt teſtimonia, & gratiſsimus Deo cultus. Proinde qui de fide gloriãtur ſine hoc conatu & propoſito, vani ſunt & hypocritæ: nam hæc duo pugnantia, actio, qua violat homo legem Dei ſciens & volens, & illa fides, quæ eſt fiducia miſericordiæ, accipiens remiſsionem peccatorum, nequaquam ſimul ſubſiſtere poſſunt in eodem ſubiecto, quia Iuſiurãdum dicit: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Huius copulæ, ſcilicet fidei & obœdientiæ, illuſtre exemplum nobis proponitur in Abrahamo, Geneſ. 22. Hic enim Abraham, cum iuſſus eſſet vnigenitum filium mactare, didicit ex promtiſsimo obœdiendi conatu, quæ fidei (qua præditus erat) vis eſſet & efficacia. In hoc noſtro patre videmus conatum pium pro facto reputari.

Qui autem ſeruat ſermonem eius, vere in eo caritas Dei perfecta eſt.

Quia à fidei cognitione caritas erga Deum ſeparari non poteſt, vt quæ ſimul cum fide concipiatur, recte ab obœdientia ad caritatẽ aſcendit Apoſtolus. Sunt ergo hęc tria ordine coniuncta, videlicet, vera noticia ſeu fides, caritas, & noua obœdientia. Hinc ſatis ſciri poteſt, quæ ſit neceſsitas bonorum operum, ſunt enim neceſſarius fructus fidei, & minime fallacia caritatis hominum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

num erga Deum teſtimonia. CARITAS Dei hoc loco paſsiue accipitur, pro caritate, qua Deus diligitur: hanc caritatem dicit perfectam eſſe, id eſt, veram & ſinceram. Perfectum enim cum opponitur mendacio & ſimulato, ſignificat abſque dubio verum & ſincerum, etſi omnibus ſuis partibus & numeris non ſit abſolutum.

In hoc nouimus, quod in eo ſimus.

Argumentum eſt ab effectu inſitionis ſpiritualis, qua credentes Chriſto inſeruntur. Vt enim ſurculi viti inſiti, virtute vitis, & viuunt & fructificant: ita qui vere ſunt Chriſti membra, eius ſpiritu viuunt, aguntur, & fructificant.

Qui dicit ſe in eo manere, debet, quemadmodum ille ambulauit, ita & ipſe ambulare.

Argumentum ab effectu ſocietatis piorum cum Chriſto. Alludere autem videtur Apoſtolus ad Chriſti dictum: Exēplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ſic & vos faciatis. Hic commendatur nobis imitatio Chriſti. Eſt autem imitatio Chriſti duplex, videlicet in moribus & in cruce, vtraque vel laudabilis, vel ſuperſtitioſa. In imitatione morali laudabili, hæc ſpectanda videntur, noua natiuitas, imitationis regula, neceſsitas, fructus, & finis, de quibus ordine dicemus.

Noua natiuitas ante omnia requiritur, ſine qua nemo poteſt Chriſtum Dominum ſalutariter imitari: ita enim ipſa veritas apud Iohannem ait: Quod de carne natum eſt, caro eſt, hoc eſt, immūdum, vitioſum & reum. Nunc autem cum Chriſti imitatio debeat eſſe pura, ſancta, neceſſe eſt vt de nouo naſcamur, priuſquam Chriſti veri imitatores fieri poterimus. Hæc autem nouitas arcana quædam eſt hominis regeneratio, quæ fit per Spiritum ſanctū, cum Euangelio credimus, & fide in Chriſtū Ieſum recūbimus. Hoc pacto regeniti Chriſto inſiti ſumus. Huc illud Iohannis pertinet: Poteſtatem dedit, vt filij Dei fierent, quotquot credunt in nomen ipſius. Et Ioan. 15. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, id eſt, niſi manſerit in vite: ita nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites, is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum, nam abſq; me nihil poteſtis facere. Sit ergo prima cura hominis, qui cupit cum fructu exemplum Chriſti imitari, vt ei inſeratur per fidem, fiat palmes, vt ex ſucco vitis, vitam, motum & incrementum acquirat & fructificet. Breuiter, In Chriſto fiat noua creatura: nam qui in Chriſto eſt, noua eſt creatura, 2. Corinth. 5. SECVNDO loco tenenda eſt imitationis regula, Matth. 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Hæc regula ad animum pertinet, eumque informat: nam quicunque Chriſtum, iam fide regenitus, cupit imitari, debet veram humilitatem & manſuetudinē animi ſectari, vnde poſtea reliquæ cogitationes & actiones manare debēt. Vt enim Dominus humilibus dat gratiam: ita in ipſis auget fidem & ſpiritum quotidianis incrementis. Hoc pacto in vera humilitate confirmati, debemus Chriſtum imitari in vero cultu Deo præſtando, per veram inuocationē & gratiarum actionē ex fide Ieſu. TERTIO loco, proximos ipſius Chriſti exemplo diligere oportet, Qui cum adhuc inimici eſſemus, tradidit ſemetipſum pro nobis. Huc pertinet exhortatio illa, quæ eſt Iohan. 15. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis alij alios, ſicut ego dilexi vos. Hæc caritas, qualis eſſe debeat, copioſe à noſtro Apoſtolo explicatur, quæ cōplectitur & animi affectum ſincerum, & omnis generis beneficentiam & abſtinētiam ab omni iniuria proximi. Præter hæc tria, fortitudo animi, cōſtantia, veritas, induſtria cōmendatur cuique in ſua vocatione exemplo Chriſti.

Neceſsitas imitationis Chriſti in vera animi humilitate, cultu, dilectione & vocatione, maxima eſt. Nam ſine hac imitatione, nemo iure de Chriſto gloriari poteſt. In hoc (inquit) cognoſcent quod diſcipuli mei ſitis, ſi dilexeritis vos inuicem. Proinde qui non diligunt, nequaquam Chriſti diſcipuli ſunt, nec ipſius imitatores, vtut de Chriſto ſuperbe glorientur. Fieri enim non poteſt, quin membra Chriſti ſpiritu Chriſti agātur. Vnde Paulus: Qui aguntur ſpiritu Dei, hi ſunt eius. Præterea quia Chriſtus venit, vt reparet imaginem Dei in homine, neceſſe eſt, vt quantum fieri poteſt, imitemur exemplum Chriſti, qui naturalis imago Patris eſt, quo imago Dei rurſus in nobis informetur. Poſtremo, euulſio de vite monſtrat etiam neceſsitatem imitationis Chriſti. Si quis (inquit) in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, quem colligent & in ignem mittent.

Fructus huius imitationis dulciſsimus eſt, videlicet tranquillitas animi, bona conſcientia, gaudium ſpiritus, quod eſt veluti dulciſsimum balſamum Spiritus ſancti, quo rigantur, perfunduntur & exhilarantur corda filiorum Dei. Taceo incrementa donorum, taceo conſolationes in ærumnis, taceo ſpem lætiſsimam, cum ſit diſcedendum ex hac vita. Sed quid dico? nemo hunc fructum imitationis Chriſti verbis explicare poteſt.

Finis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

FINIS denique huius imitationis moralis triplex eſt. PRIMVS, neceſsitas conuerſionis & fidei retinendæ, ne miſere gratia excidamus, & fructu ſanguinis Chriſti, quo aſperſi fuerimus, priuemur. Vt enim, qui vitam ad hoc Chriſti exemplum non componit, amittit fidem, expellit Spiritum ſanctum, excidit gratia atque adeo ſalute & vita æterna: Ita qui Chriſtum vere imitatur, retinet fidem, Spiritum ſanctum, & bonam conſcientiam, atque adeo Chriſtum ipſum, vitam & ſalutem. SECVNDVS finis eſt ædificatio aliorũ. Si enim filij Dei cenſeri volumus, decet profecto, vt nos inuicem exemplis pijs ædificemus, quo domus Dei compleatur multis viuis lapidibus, ſuper fundamentum congeſtis, & vt deſtruatur in nobis & inter nos regnum peccati & mortis, hoc eſt, Diaboli. TERTIVS finis eſt, finis finium, videlicet gloria Dei, ita enim Dominus ipſe ait: In hoc glorificatus eſt Pater meus, vt fructum multum afferatis, vt palmites viti inſiti. Huc igitur nos reſpicere oportet in tota vita, vt ita Chriſti veſtigijs inſiſtamus, vt retineatur theſaurus gratiæ, vt ædificemur mutuo, vt deſtruatur regnum Satanę, ac Deus per nos glorificetur, primum in hac vita, deinde in omni æternitate. Superſtitioſa Chriſti in moribus imitatio eſt, cum homines ſuperſtitioſi externos geſtus Chriſti imitantur, vt cum Monachi humilitatem, paupertatem & caſtitatem ſimulant, cum preces nocturnas fundunt, cum ieiunia imitantur. Verum hæc imitatio non fit ſine contumelia ſanguinis filij Dei. Nam iſta κακοζηλία fingunt ſe mereri remiſsionem peccatorum, & ſupra modum obſcurant, imo abolent beneficium redemtionis. Hactenus de imitatione Chriſti morali: nunc de imitatione eiuſdem in cruce, quæ nobis magis dulceſcet, ſi eius neceſsitas, vtilitas, dignitas, & modus ſpectentur.

Neceſsitas imitationis Chriſti in cruce indicatur Lucæ 9. vbi Dominus ita ait: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me: Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam. Et Luc. 14. Qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hæc dicta teſtantur, quam ſit neceſſaria imitatio crucis Chriſti: nam & mandatum Chriſti vrget, & conuerſionis conditio poſtulat, & ſimilitudo membrorum & capitis conformitatem ſanctorum in cruce Chriſti requirit.

Vtilitas imitationis Chriſti in cruce duplex eſt, vna in hac vita præcipitur, de qua Paulus Rom. 6. Hoc ſcientes, quod vetus noſter homo, vna crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltra non ſeruiamus peccato, 2. Cor. 4. Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Altera in futura vita, de qua idem Apoſtolus Roman. 8. Si vna cum eo patimur, ſimul etiam cum eo regnabimus. 2. Timoth. 2. Nam ſi commortui ſumus, etiam vna viuemus.

Dignitas imitationis crucis Chriſti, indicatur Matth. 10. Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Ad Galat. 6. Stigmata Domini Ieſu in corpore meo geſto. Item: Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini Ieſu Chriſti. Rom. 8. Quos præſciuit, eoſdem etiam prædeſtinauit, conformes fieri imagini filij eius.

Modus imitationis Chriſti in cruce, non eſt in quantitate, non in qualitate, non in fine principali ſitus, ſed in hiſce quinque conſiſtit, in fiducia in Deum, in obœdientia ſpontanea, in patientia, in inuocatione & gratiarum actione, atque in ſpe glorioſæ liberationis. Vox fiduciæ eſt in Pſal. 16. Poſui Dominum in conſpectu meo, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.

De obœdientia ſpontanea Philip. 3. Humiliauit ſemetipſum, factus obœdiens vſque ad mortem crucis. De Patientia Eſai. 53. Oblatus eſt, quia voluit, & non aperuit os ſuum. De Inuocatione & gratiatum actione Pſal. 16. Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te. Item: Benedicam Dominum, quia conſuluit mihi. Pſal. 22. Tu Domine ne elongeris fortitudo mea, ad defenſionem meam feſtina. Item: Salua me ex ore leonis. Item: De te laus mea in Eccleſia magna, Vota mea reddam in conſpectu timentium eum. Vide Matth. 26. & Iohan. 18. De ſpe liberationis glorioſæ concionatur Pſal. 16. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcit in ſpe. Proinde ſi nos imitari volumus Dominum in cruce, fiducia firma promiſsionibus diuinis nitamur, obœdiamus Deo in cruce, ſimus patientes, inuocemus Deum ſub cruce, atque illi gratias agamus, prædicantes nomen eius, concipiamus ſpem lætiſsimi exitus ex hac vita, & glorioſæ liberationis. Quod ſi fecerimus, vere præſentiam Domini in cruce ſentiemus, iuxta ipſius promiſsionem: Ego ſum tecum in tribulatione.

Superſtitioſa imitatio crucis Chriſti & hypocritica eſt, cum ſine vera fide & mandato Dei, homines ſuperſtitioſi ſibijpſis vel crucem accerſunt, vt cum Monachi & Moniales diebus veneris, & potiſsimũ in ſacra ſeptimana ſe flagellãt, & durioribus lectis vtuntur, cum ieiunijs, præſertim quadrageſimali ſe macerant, vel cũ ſuperſtitioſe ſigna crucis Chriſti ge-

ſtant,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtant, cum Monachi pro corona ſpinea circumcidūt comam capitis vt ſpineam coronam referant, Cum crucis figuram in veſtibus geſtant, cum fune nodoſo ſe cingunt, ita tamen cautè ne corpus premant, & cum omnes ſacrificuli in ſua theatrica Miſſa ſe ſuis geſticulationibus & veſtibus Miſſaticis, repræſentare paſsionem Chriſti, non ſecus atque in fabula gloriantur. Vnde & ſe denuo offerre Chriſtum, & paſsionem Domini applicare viuis & mortuis mentiuntur, quo ſacrilegio nullum fuit vnquam in mūdo abominabilius. Nam ſummum eſt glorioſæ paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti ludibrium.

Fratres non mandatum nouum ſcribo vobis: Sed mandatum vetus, quod habuiſtis à principio.

Argumētum ab antiquitate, quaſi dicat: Non aliam viuendi legem vobis impono, quam quæ iam olim apud omnes pios indè vſque ab initio inualuit. Semper enim eadem colendi Deum ratio fuit. Mandatum more Hebraico dicitur doctrina continens id quod ab aliquo iuſte exigitur, vt fides & obœdientia.

Rurſus, mandatum nouum ſcribo vobis, quod eſt verum in ipſo & in vobis.

Quod vetus dixit, nunc nouum appellat, ſed diuerſo reſpectu. Eſt vetus, ſi materiam, hoc eſt, ipſam doctrinam ſpectes. Eſt nouum, ſi formam intuearis, quam exprimit, cum ait: Quod eſt verum in ipſo & in vobis. Hoc eſt, quod ſcribam vobis nouum mandatum, eſt verum cum Chriſti reſpectu, tum reſpectu ad vos ipſos. Nam vt Chriſtus noua forma viuendi eſt, & viuum omnis virtutis exemplar, ita enim dicit ipſe: Hoc eſt mandatum meum, vt diligatis vos inuicem, ſicut ego dilexi vos, ita nos ſpiritu ipſius iam noui homines facti, regi debemus. Nam ſi ſpiritu eius renati ſumus, decet vt eodem viuamus & agitemur. Atque hoc eſt legem non inſcribi in tabulas lapideas, ſed in corda hominum.

Quia tenebræ præterierunt, & lux vera iam lucet.

Ratio eſt nouitatis mandati. Tenebras vocat tempus ante Chriſtum exhibitū in carne, tum enim obſcurior erat Chriſti noticia & minus familiaris: iam autē Chriſtus ipſe olim promiſſus apparuit, vera lux, via & vita. Lux enim eſt Chriſtus, cum quia ſuo verbo & ſpiritu illuminat, tum quia viuus virtutis canon eſt, ad quem noſtra vita & noſtri mores ſunt componendi.

Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt adhuc.

Hactenus neceſsitatem obœdientiæ in genere demonſtrauit, nunc deſcendit ad hypotheſin, & ad ſecūdam tabulam, ac primum ſocietatē cum luce ſtare non poſſe cum odio proximi, ex natura contrariorum probat. Qui in tenebris eſt, in luce non eſt, Qui odit proximum, in tenebris eſt, Ergo in luce non eſt. Odij vocabulum accipe & pro cauſſa, & pro effectu. Nam & affectus eſt, quo quis ex inueterata ira, male vult proximo, & eſt omnis actio inde nata qua vel perſona proximi læditur, vel res proximi cōtra iuſticiam inuaditur. Quod hæc ſit vera expoſitio vocabuli hoc loco, poſtea clarius patebit ex antitheſi. Porrò, inter odium & iram, hoc eſt ex Ariſtotele diſcrimen. Odium eſt ira inueterata & confirmata, habēs propoſitum interitum exitiumq; illius, quem quis odit, & cui inimicus eſt. Itaque odium eſt inſatiabile, in hocque ab ira recenti differt: quod ea nec perniciem alterius propoſitam habet, & tempore placari poteſt. Eſt ergo ira recens veluti ianua prima ad odium, quæ cum inueterata fuerit, odium dicitur. In hanc ſententiam etiam Auguſtinus loquitur: Odium eſt vetus ira, ex multis cauſsis collecta tempore diuturno perſeuerans. De effectibus odij Bernhardus in hunc modum: Odium ſeparat hominem à regno Dei. Odium ſeparat hominem à Paradiſo. Odium ſubtrahit hominem à cœlo. Odium nec per paſsionem deletur, nec per martyrium purgatur, nec per ſanguinem effuſum abluitur. non debemus odio habere homines ſed vitia. Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt: qui fratrē ſuum odit, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat. Deum non diligit, qui hominem odit. Quantum intereſt inter feſtucam & trabem, tantum etiam diſtat inter iram & odiū. Odium eſt enim ira inueterata. Per iram turbatur oculus mentis. Per odium extinguitur oculus cordis. Hæc Bernhardus.

Qui diligit fratrem ſuum, in luce manet, & ſcandalum in eo non eſt.

Argumentum à ſigno & vtili. Vt enim ſocietatis hominis cum luce indicium eſt fraterna caritas: ita fructus eius

eius eſt cauere, ne cui ſit offendiculo. Sed quare in diligente fratrem non eſt ſcandalum? quia, vt Auguſtinus ait: Qui diligit fratrem, tolerat omnia propter vnitatem, quia in vnitate charitatis, eſt fraterna dilectio. ſeu quia vt Paulus loquitur: Charitas patiens eſt, comis eſt, charitas non inuidet, charitas non eſt inſolens, non inflatur, nihil vt indecorum faſtidit, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniuſticia, gaudet autem iuſticia. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat. omnia ſuſtinet. Vbi autem hæc ſunt veræ charitatis effecta ſeu attributa, ibi plane ſcandalum. quo aliquis iure offenditur, eſſe nequit. Contra vero vbi odium eſt, omnia ſcandalis & offendiculis ſunt plena. De ſcandalo quid ſit, & quæ ſunt eius formæ conſulatur Enchiridion.

Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, quia tenebræ obcœcauerunt oculos ipſius.

Repetit ſuperius argumentum, ſeu amplificat ex contrariorum collatione. Quemadmodum, inquit, qui in obſcura nocte proficiſcuntur, viam non cernunt: ita qui odio fraterno laborat, aberrat à recta ſalutis via. In hac ratione gradus obſeruentur: PRIMVS, qui odit fratrem ſuum, eſt in tenebris, hoc eſt, nullam ſocietatem habet cum Deo, nullã cum Chriſto, nullam cum Sanctis, ſed extra ſocietatem Sanctorum & familiam Dei in regno tenebrarum eſt. SECVNDVS, Qui odit fratrem ſuum, ambulat in tenebris, hoc eſt, viuit iuxta decreta principis tenebrarum, in ignorantia & malitia, & quotidie nouis tenebris inuoluitur. Fieri enim non poteſt, quin qui lucem Chriſtum reliquit, in tenebris ambulet, ita enim ipſe Dominus dicit: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. TERTIVS, Qui odit fratrem ſuum, neſcit quo eat, hoc eſt, præceps fertur de vno peccato in aliud, donec ruat tandem in perpetuum exitium. Neque hoc mirum eſt, quia tenebræ (vt ait) obcœcauerunt oculos eius, videlicet mentis & cordis. Mentis, vt non intelligat, Cordis, vt non velit, vt non credat. Cum tanta mala & tam horrenda ſint coniuncta cum fraterno odio, caueat ſibi vnuſquiſque, ne ſe temere hoc Satanæ laqueo inuoluat.

Scribo vobis filioli, quod remiſſa ſint vobis peccata propter nomen eius.

Iam compellat Apoſtolus in genere totam Eccleſiam, cuius ciues, vt ſpiritualis pater, filiolos nominat, idque vt ſuũ paternum animum erga ipſos declarans, magis eos excitet ad audiendũ, credendum & agendũ ea, quæ decent ſanctos. Proponit autem hic Apoſtolus, ſummum Eccleſiæ bonum, videlicet remiſsioné peccatorum, quæ eſt obligationis ad morté & damnationem ſolutio, & debitæ pœnæ condonatio, atq; adeo reconciliatio hominis cum Deo. Hæc remiſſio peccatorum eſt veluti fundamentum, ſuper quod extruitur illa fraterna charitas, quam requirit. Nam cum fide remiſsionis peccatorũ coniuncta ſunt gratia & donum. Gratia eſt iuſtificatio, qua non ſolum credens abſoluitur à peccato ſed etiã imputata ipſi iuſticia Chriſti, acceptatur Gratis ad vitam æternam propter Chriſtum. Donũ eſt donatio Spiritus ſancti, quo & regenerantur & obſignantur, & ſanctificantur credentes ad nouá vitá dignam cœleſti vocatione, vt viuãt in charitate Dei & proximi, ſeu vt Paulus loquitur, in omni pietate, modeſtia & iuſticia. Porrò remiſsionem peccatorum dicit contingere propter nomen eius, id eſt, propter ipſum videlicet Ieſum Chriſtũ, ſed agnitũ ex verbi prædicatione. Nam nomen relationem ad Euágelium notat, ex quo petitur agnitio Chriſti, videlicet quod ſit Deus, quod ſit homo, quod ſit vna perſona, quod ſit Mediator & Saluator. Quæ agnitio fidem requirit, vt in illo Eſai. Notitia ſui iuſtificabit ſeruus meus multos. Item: Hæc eſt vita æterna, vt te agnoſcant verum Deum, & Ieſum eſſe Chriſtum, quem miſiſti. Præterea cum dicit: Propter nomé eius. quatuor cauſſæ cogitentur, videlicet impulſiua, quę eſt promiſsio remiſsionis peccatorũ, & ſalutis vniuerſalis. Efficiens, quæ eſt bonitas & miſericordia. Materia, quæ eſt meritũ Chriſti, videlicet paſsio & mors. Et Finalis, quæ eſt, vt liberati per Chriſtũ, ab ira Dei & morte æterna, prædicemus ipſum & in hac vita, & poſtea in omni æternitate. Obſeruetur hoc loco confirmatio articuli noſtræ fidei: Credo remiſsioné peccatorum.

Scribo vobis patres, quoniam nouiſtis eum, qui erat à principio. Scribo vobis adoleſcentes, quoniam malum illum viciſtis. Scribo vobis pueruli, quoniam nouiſtis patrem. Scribo vobis patres, quoniam

Quemadmodum ſupra aliquoties omnes fideles compellãs, filiolos eos appellauit: ita nunc diſtributione vſus ad ſingulos gradus ætatis ſermoné conuertit, ac ſingulis gradibus, quę in primis conueniunt, accommodat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nouiſtis eum qui erat à principio. Scribo vobis adoleſcentes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei habitat in vobis, & viciſtis illum malum.

Primum compellat patres, hoc eſt, ætate prouectos, & ſenes, ac eis tribuit cognitionẽ eius, qui erat à principio, hoc eſt, Chriſti. In quibus autem ſita ſit hæc Chriſti ſalutaris noticia, iam dictum eſt. DEINDE compellat adoleſcentes, & ipſis tribuit robur & victoriam ſuper hoſte Diabolo. Quod autem hoc robur non ſit naturæ ſed gratiæ, non virium corporis, ſed fidei, non hominis, ſed Dei, oſtendit, cum inquit: Et verbum Dei habitat in vobis. Hæc habitatio verbi in homine, non eſt ocioſa noticia, ſed verbi cogniti firma fiducia. Quare infra Apoſtolus ſic ait: Hæc eſt victoria quæ vicit mundũ, fides veſtra. Si igitur fides vincit mundum, vincit & principem mundi Diabolum, quẽ hic vocat non ſine emphaſi, τὸν πονηρὸν, vt qui malus ſit, & intentione & habitu, & actu. Eſt enim πονηρὸς, qui innata malitia magno ſtudio fertur in malum, & mala machinatur, & nihil aliud quærit, quam aliorũ damnum & perniciem. TERTIO compellat puerulos, quibus tribuit noticiam patris. Vt enim pueruli cum magna voluptate & gaudio, quando primum fari incipiunt, patres compellant, & patres vnice oblectantur illa compellatione: Ita decet vt Chriſtiani pueri ſuum cœleſtem patrem in Chriſto inuocent, quod cum faciunt, ſumma voluptate afficitur cœleſtis pater. Deberent ergo pij parentes ſuos pueros aſſuefacere ad inuocationem cœleſtis parentis, vt vna cũ lacte inbiberent initia Chriſtianiſmi. Porrò repetitio adhibetur amplificationis & attentionis gratia. His enim iteratis compellationibꝰ excitat credentes ad ſequentẽ exhortationem. Hic locus commendat cuiq; pro ſuæ ætatis ratione, ſtudium pietatis, vt quemadmodum accreſcit ætas: ita & cœleſtium rerum ſcientia augeatur. Deinde illorum ſtultitiam, ne dicam ſerpentinam virulentiã retundit hic locus, qui pueros & adoleſcentes à ſtudio Theologico, malitioſe auocant, de quorũ numero quoſdam nominarem, ſi non commiſeratione digniores mihi viderentur, quam obiurgatione, neque enim digni ſunt, quos vel obiurgem, vel nominem, cum ipſi ſua lepra, hoc eſt, reproba mente ſatis puniantur.

Ne diligatis mundum, neque ea quæ ſunt in mundo.

Hoc plane paradoxon eſt in Philoſophia. Hæc enim rerum vniuerſitas, quæ ab elegãti ornatu & ordine creaturarum decentiſsimo mundus dicitur, hoc eſt, pulcritudo ſeu ornatus, vt Cicero interpretatur, natura inuitat homines, vt ipſum artificem Deum, & ipſum opus admirẽtur ac diligant. Neq; enim fieri poteſt, vt nõ amet opus qui amat artificem, præſertim cũ bonitas, iuſticia, ſapientia, omnipotentia, & multæ aliæ virtutes Dei in ipſius opere, hoc eſt, mundo conſpiciantur. Adhæc ipſe Dominus ait: Sic Deus dilexit mundum, vt filium daret, qui ergo fit, quod Apoſtolus noſter dicat: Ne diligatis mundum? Reſpondeo, Mundus ſpectatur dupliciter. Primum in ſe, vt eſt opus Dei, in quo ſe contemplandum proponit, vt inde eius æternam potentiam & diuinitatem ratiocinantes agnoſcamus ipſum, amemus & colamus, quod niſi fecerimus, inexcuſabiles ſumus coram tribunali Dei. Cùm hac ratione ſpectatur mundus, eum diligere & poſſumus & debemus, ſed ſuo ordine, hoc eſt, infra creatorem. Nam qui diligit mundum, & eas quæ in mundo ſunt, creaturas Dei, plus quam Deum, idolatra eſt, & in maledictionis pœnam incurrit, vt qui amet creaturam ſupra creatorem, qui eſt laudandus in ſecula. Deinde ſpectatur mundus, non in ſe, vt eſt creatura Dei, ſed ex vitio quod contraxerunt homines mundani, partim ex labe primorum parentum, partim ex peccandi conſuetudine. Proinde mundus hac ratione accipitur, pro moribus malis, quibus aſſueuit mundus, hos enim qui diligit, non poteſt Deum diligere. Nam ita ſcriptum eſt Pſal. 98. Qui diligitis Dominum, odite malum, hoc eſt, quicquid prohibitum eſt lege Dei, & pugnat cum caritate Dei & proximi. Vult ergo Apoſtolus, vt nec diligamus creaturas Dei inordinato amore, hoc eſt, ſupra creatorem, nec vitia hominum pernicioſo amore. Nam vterque hic amor, qui mundi dicitur, auocat à pietatis ſtudio, hoc eſt, ab amore Dei & proximi. Tempeſtiue igitur hanc infert exhortationem Apoſtolus, ne videlicet amore mundi occupentur fideles, atq; ita rurſus immerſi in mundi tenebras, amittant ſalutarem lucem, ſuaque culpa ſalute excidant.

Si quis diligit mundum, non eſt caritas patris in eo.

Ratio propoſitionis à contrarijs. Nemo poteſt ſimul mundũ diligere, & patrem cœleſtem, ſed fideles debẽt patrem cœleſtem diligere. Ergo mundũ non diligent. Maior confirmatur, quia qui diligit Deum patrem, mandata ipſius ſeruare ſtudet. Sicuti cõtra. Qui diligit mundũ, quæ mundi

ſunt ſectatur & facit. Cum ergo hæc duo ex diametro inter ſe pugnant, fieri non poteſt, vt ſimul Deum & mundũ diligas. Huc pertinet illud Iacobi: An neſcitis quod amicitia mũdi, inimicitia Dei eſt. Qui igitur voluerit amicus mundi eſſe, inimicus Dei conſtituitur. Nã iuxta Chriſti ſententiã, nemo poteſt duobus dominis ſeruire, videlicet diſsidentibus & contraria imperantibus. Et eſt dictum Auguſtini memorabile: Mundi amor & Dei pariter in vno corde habitare non poſſunt, quemadmodũ ijdem oculi cœlum pariter & terram nunquam aſpiciũt. Charitas hoc loco, patris, paſsiue ſumitur, pro charitate qua diligitur pater.

Quia omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & faſtus vitæ, non ex patre, ſed ex mundo eſt.

Ætiologia eſt. Cõfirmat enim charitatem patris non eſſe in eo, qui diligit mundum. nam mundi & patris cœleſtis contraria ſunt imperia. Vt enim mundus concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & faſtu vitæ delectatur: ita pater cœleſtis eadẽ abominatur extreme, vt quæ à Diabolo hoſte ſuo in mundũ inuecta ſint. Etſi autem omnis cõcupiſcentia praua, à Paulo dicitur cõcupiſcentia carnis, quæ cõcupiſcentiæ ſpiritus opponitur: Tamen noſter Apoſtolus, vt omnis mali initia mõſtret, à principio motiuo diſcrimẽ petit concupiſcentiæ carnis & oculorũ. Concupiſcentia enim carnis eſt noſtro Apoſtolo, quæ ex corruptę naturę vitioſitate, quę dicitur caro, naſcitur, & habet internum principium, videlicet concupiſcentiam originalem, ſeu corruptionem naturæ. Concupiſcentia oculorum eſt, quę ex rerũ intuitu & admiratione concipitur, & habet externũ principium, videlicet omne obiectum pulchrũ oculis. Vnde Dauid: Auerte oculos tuos, ne videant vanitatem. Et Iob adducens ſuæ innocentiæ argumenta, ſic ait: Si declinauit greſſus meus à via, & ſi poſt oculos meos abijt cor meum, ſeminẽ & alius comedet, hoc eſt, ſi cor meum ſecutum eſt concupiſcentiam oculorũ meorum, id eſt, ſi ego cõſenſi concupiſcentiæ rerum, quas videbam, eueniet mihi quod alijs facere volui. Huc illud Salomonis præceptum pertinet, Prouer. 4. No vagentur oculi tui. Et Dominus ipſe: Si oculus tuus dexter fuerit tibi obſtaculo, erue eum, hoc eſt, cohibe affectum irritatũ obiecto. Qui igitur ſtatuit Deum ſequi, ponat ſenſibus ſuis cuſtodiã, & pręſertim oculis, ne interna cõcupiſcentia irritetur externis obiectis. Salomoni Prouerb. 30. Duæ ſunt filiæ hirudinis ſeu ſanguiſugæ, clamantes, affer, affer. Has interpretantur quidam ex patribus eſſe concupiſcentiã carnis, & concupiſcentiam oculorum, quæ propter imitationẽ hirudinis inexplebilis (de qua Horatius: Nõ miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo) dicuntur ipſius filiæ. Carnis enim concupiſcentia clamat, affer voluptates, quibus tamen nunquã ſatiatur. Oculorum concupiſcentia clamat, affer diuitias, quæ quo magis creuerint, eo magis appetuntur, ſimiles planè hydropi. Nã quo magis hydropicus abundat humore aquoſo, eo magis ſitit, iuxta illud: Quo plus ſunt potæ, plus ſitiũtur aquæ. Huic duplici concupiſcentiæ, ſcilicet, carnis & oculorum, coniunctus eſt faſtus vitæ, quo quis, alijs contemtis, ſe glorioſe iactat, vt Thraſo ille Terentianus. Ex hoc faſtu tanquam ex camerina quadam fœdiſsima, ſcaturiunt infinita ſcelera & flagitia, quibus familiæ, prouinciæ, regna miſere concutiuntur, cuius rei exempla vel cœcis in conſpectu ſunt. Hæc breuiter ſint de his tribus omnium malorum fontibus dicta, qui, vt Auguſtinus ait, è Paradyſo delitiarum in hoc miſerabile exilium Adam & Euam proiecerunt.

Porrò mundus præterit & concupiſcentia eius, qui vero facit voluntatem Dei, manet in æternum.

Argumentum ab euentu vtriuſq;, Diuturniora & conſtantiora bona ſunt pręferẽda minus diuturnis & inconſtantibus, quare mundi ſtudijs & deſiderijs, quæ ad breue tẽpus durant, præferenda eſt pietas, cuius fructus æternum durat. Sed quid eſt mundũ præterire? & quid eſt facere voluntatem Dei? Mundus contaminatus flagitijs Diabolorum & hominum igni olim conflagrabit, & purgabitur, ita vt ſubſtantia quidẽ maneat, ſed noua forma & qualitas inducatur, omni iniquitate abolita. Voluntatẽ Dei facere ſecundũ Euangelium, eſt proſternere ſe coram Deo in vera pœnitentia, fide Chriſti ſe erigere, & ex hac fide Deum ſincere colere, & proximũ diligere. Qui hoc facit, habet promiſsionem, quod ſit manſurus in æternũ. Tenete, inquit Auguſtinus, potius dilectionẽ Dei, vt quomodo Deus eſt æternus, ſic & vos maneatis in æternũ: quia talis eſt quiſq;, qualis eius dilectio eſt. Terram diligis, terra eris. Deum diligis, quid dicam, Deus eris? Non audeo dicere ex me, ſcripturas audiamus: Ego dixi Dij eſtis, & filij altiſsimi omnes. Si ergo vultis eſſe dij & filij altiſsimi, nolite diligere mundũ, nec ea quæ in mundo ſunt. Porrò vſus huius æternitatis ꝓmiſſæ, hoc eſt, perpetuæ felicitatis, eſt triplex, videlicet in cruce, in pu-

gna ſpiritus aduerſus carnē, in agone mortis. In cruce opponenda eſt æterna gloria breui
& temporaneę afflictioni, 1.Pet.5. & ad Rom.8. In lucta ſpiritus aduerſus carnem erigamur
ſpe promiſſæ gloriæ, ſi in pugna perdurauerimus inuicti. In morte opponamus vitam ęter-
nam breui cruciatui, & cogitemus Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, cuius nos membra ſu-
mus. Ideo Paulus ſuo diſcipulo ſcribit: Memento Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis.

**Filioli, nouiſsima hora eſt, & ſicut audi-
ſtis quod Antichriſtus venturus ſit, etiam
nunc Antichriſti multi ceperunt eſſe, vnde
ſcimus nouiſſimam horam eſſe.**

De pietate diſſeruit, & de fugiendo
mundi amore: nunc addit commone
factionem de cauendis Chriſti aduer
ſarijs, quos Antichriſtos vocat. Et di-
ligenter obſeruandum eſt, quod de
Antichriſto & de Antichriſtis loquatur. Per Antichriſtum intelligit caput regni cuiuſdam
Chriſto aduerſantis, de qua poſtea plura dicēda ſunt. Per Antichriſtos vero omnes, qui vel
profeſsione, vt Turcæ, Iudæi, aliæq; prophanæ gentes: Vel vita, vt qui mentientes Chriſtia-
num nomen indulgent peccatis, & viuunt ſine pœnitentia: Vel doctrina, vt Hæretici, qui
Euangelium de Chriſto ſuis corruptelis inficiunt, Chriſto aduerſantur, quales multi fue-
runt omnibus ætatibus. Nouiſsima hora vſu ſcripturæ dicitur totum tempus à Chriſto ex-
hibito, vſq; ad conſummationē ſeculi & reſurrectionem mortuorum. Tempus enim mun-
di in tres partes diuiſum eſt, nempe in tempus, quod fuit ante legem datam per Moſen: in
tempus durantis legis Moſaicæ, & in tempus Meſsiæ exhibiti, quod ideo vltimum dicitur,
quia deſtinatū fuit ſalutifero Chriſti aduentui, non quidem quod illi alij non ſuccederent
dies & temporum curricula, ſed quia non erat expectanda alterius doctrinæ poſt Euange-
lium Chriſti cœlitus patefactio. Durabit enim Euangelij prædicatio vſq; ad finem mundi,
ſiquidem Chriſtus deſponſauit ſibi Eccleſiam in fide in ęternum. Geneſ. 46. Iacob moritu-
rus ad filios ait: Congregamini vt annunciem vobis, quæ ventura ſunt in diebus nouiſsi-
mis, vbi multa de Chriſti aduentu in mundum, texit oracula. Eſai. cap. 2. Et erit in nouiſsi-
mis diebus præparatus mons domus Domini, & eleuabitur ſuper omnes colles. Hic Pro-
pheta manifeſtum de Chriſti aduentu tradit vaticinium. Paulus 1.Cor.12. Scripta ſunt hæc
ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Ad Hebr.1. Nouiſsime lo-
cutus eſt nobis per filium, ſignificans Deum poſtea non alio modo hominibus locuturum.
Hæc dicta oſtendunt, cur tempus ab aduentu Chriſti currens, vſq; ad iudicium, dicatur ex-
tremum, & hic à noſtro Apoſtolo nouiſsima hora.

**E nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex no-
bis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent
vtique nobiſcum: ſed vt manifeſti fierent,
quod non ſint omnes ex nobis.**

De quo genere aduerſariorū Chri-
ſti loquatur, exponit. Quidam fuerūt
aperti perſecutores Chriſti & Euange
lij, de quibus hoc loco non agit Apo-
ſtolus. Quidam aliquandiu ipſos Apo
ſtolos erant ſecuti, vt diſcipuli, & in Eccleſiæ externa ſocietate ouina pelle tecti latuerunt,
cum tamen intus eſſent lupi rapaces. De hoc genere Antichriſtorum ſe loqui Iohannes in-
dicat, cum ait: E nobis egreſsi ſunt, hoc eſt, de externo noſtræ Eccleſiæ cœtu prodierunt, qui
prius ſimularunt religionem noſtram. Sed non erant ex nobis, id eſt, interno ſpiritus vin-
culo nobis non erant coniuncti, id quod Apoſtolus hic probat. Nam ſi fuiſſent ex nobis,
permanſiſſent vtique nobiſcum, hoc eſt, ſi interno ſpiritus vinculo nobiſcum in Chriſti
corpore myſtico fuiſſent coniuncti, permanſiſſent vtiq;, raro enim contingit eos, qui ple-
ne de Chriſto edocti fuerunt, fidem in totum abijcere, etſi ſæpe ex infirmitate & ignoran-
tia, vt eſt humana conditio, labi poſſunt. Quod autem interdum, licet rarius, contingat fi-
dē abijcere in totum eos, qui plene erant edocti de Chriſto, teſtatur vox Chriſti, obijcientis
Iudæis peccatum blaſphemiæ, & dictum Apoſtoli ad Hebr.6. & 10.

**Et vos vnctionem habetis à Sancto, &
noſtis omnia.**

Modum euadendi Antichriſtorū
inſidias oſtēdit. Vos (inquit) à Chri-
ſto qui eſt Sanctus ſanctorum, id eſt,
ſanctiſsimus, habetis gratiā Spiritus ſancti, cuius ſymbolum, quia in veteri teſtamento fuit
externa vnctio, vnctionis vocabulo ſignificatur. Vult enim nos reſpicere ad typū et ſpiritu-
alem ſignificationem, quemadmodū ipſe ſe interpretatur in fine capitis præſentis Epiſtolę:
Hæc vnctio (inquit) facit vt intelligatis omnia, ſcilicet, quæ vos munire poſſunt, aduerſus
Antichriſtorum impoſturas. Hanc interpretationem vniuerſalis particulæ requirit peri-
ſtaſis loci, ne quis hic Anabaptiſtarū Enthuſiaſmos confirmari exiſtimet. Apoſtolus noſter
hoc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hoc loco alludit ad ardorem & lumen, quod ineſt oleo, quo vngebantur reges & ſacerdotes in veteri teſtamento. Vt enim oleum ardet, & ardendo gratiſsimum de ſe fundit lumen: ſic Deus quorum corda oleo Sancti ſpiritus vngit, ea inflammat, & inflammando lucem elicit, longe pulcherrimam & ſaluberrimam, quæ pro incremento fidei magis magiſq; in animis ſanctorum lucet.

Non ſcripſi vobis quod ignoretis veritatem, ſed quia eam noſtis, quodque nullum mendacium ex veritate eſt.

Prolepſis eſt. Poterat enim ex dictis obijci: Fateris Iohannes nos omnia ſcire, cur ergo ſcribis? Reſpondet Apoſtolus, Non ſcribo vobis, vt vos doceam, quæ ignoretis, ſed vt vos commonefaciam de ijs, quæ prius nouiſtis. Nouiſtis enim veritatem diſtinguere à mendacio, de qua autem veritate & de quo mendacio loquatur, ipſe exponit, cum ſubiungit.

Quis eſt mendax, niſi qui negat Ieſum eſſe Chriſtum? hic eſt Antichriſtus, negans patrem & filium. Quiſquis enim negat eſſe filium, is ne patrem quidem habet.

Quia non de quouis mendacio loquitur Apoſtolus, definitioné addit, qua docetur de quo mendacij genere loquatur. Et quoniam iuxta regulam Hilarij, ex cauſsis dicendi ſuméda eſt intelligentia dictorum, manifeſtum eſt quod de Antichriſtis loquatur, qui ſe Chriſto opponebant tempore Apoſtoli. Mendax igitur hoc loco erit, qui non recte de Chriſto ſentit, nam is Chriſto aduerſatur, & eius hoſtis eſt. Quare definitioné infert interrogationis ſchemate, dicens: Quis eſt mendax, niſi qui negat Ieſum eſſe Chriſtum? hoc eſt, quiſquis ſenſerit, quod Ieſus Mariæ filius non ſit promiſſus Meſsias, Antichriſtus eſt & mendax, vt qui veritatem Dei maligne abijciat, atque adeo ipſum Deum mendacij accuſet, qui hunc Ieſum ſtupendis miraculis teſtatus eſt eſſe Chriſtū, hoc eſt, promiſſum mulieris bene dictum Semen & Saluatorem mundi. Vt ergo hoc loco médacium eſt negatio veritatis de Ieſu Mariæ filio, quod ſit verus Meſsias: Ita veritas eſt plena Ieſu Chriſti agnitio, quæ agnitio eſt vita æterna, iuxta Domini dictum: Hæc eſt vita æterna, vt te agnoſcant eſſe verum Deum, & Ieſum eſſe Chriſtum quem miſiſti. Vide quam ſalutaris ſit hæc veritas agnitionis Chriſti: & contra, quam pernicioſum mendacium negantium Ieſum. In qua autem re conſiſtit veritas hæc, ſæpe dictum eſt. Requirit enim, vt recte iudicemus de Ieſu Mariæ filio, ſtatuamuſq; eum, iuxta ſcripturam, verum Deum eſſe, verum hominem, vnam perſonam in duabus naturis, non confuſis, non mutatis, non permixtis, non alteratis, ſubſiſtentem, & Saluatorem mundi. Qui hac veritate exciderit, Antichriſtus eſt, mendax eſt, vanus eſt, damnatio eſt. Porrò exaggerationé huius loci ſubiungit, inquiens: Hic eſt Antichriſtus negans patrem & filium. Iudæi tempore Apoſtoli, gloriabantur ſe Deum colere, tametſi negarunt Ieſum eſſe filium Dei & verum Meſsiam. Horum vanitatem arguit hoc loco Apoſtolus, affirmans coniunctam eſſe vtramq; negationé, videlicet patris & filij, cuius rationé ſubiungens ait: Quiſquis negat eſſe filiū, is ne patré quidé habet. Hic additur in quibuſdam exemplaribus græcis, ὁ ὁμολογῶν τὸν ὑὸν, καὶ τὸν πατέρα ἔχει, hoc eſt, Qui cōfitetur filium, etiam patré habet. Atq; hoc eſt, quod dominus apud Iohannem ait: Qui non honorat filium, non honorat patré, qui miſit eum. Nam ideo pater omne iudiciū dedit filio, vt omnes honorét filium, ſicut honorant patrem. Vult igitur pater agnoſci & coli in filio & non extra filium. Quare docemur hic, vt Deum patré in Chriſto quæramus, vt in Chriſto quæramus potentiam Dei, vt in Chriſto patrem adoremus. Deum eſſe colédum fatentur omnes, adeoq; hic ſenſus nobis à natura ingenitus, altas habet in cordibus noſtris radices, vt nemo ſimpliciter Deo ſuum honorem negare audeat, interea hominum mentes Deum extra viam quærendo euaneſcunt. Hinc tot fictitij Dij, hinc tot peruerſi cultus. Verum proinde Deum non alibi quam in Chriſto reperiemus, nec rite aliter eum colemus, quam filium oſculando, vt docet regius Propheta Dauid, Pſalm. 2. Hinc liquet, quod in denſiſsimis erroribus occupentur Turcæ & Iudæi, qui tametſi pulchris & ſplendidis titulis ornant, quem adorant Deum: Tamen à vero Deo, qui eſt pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, aberrant, negantes filium, hoc eſt, Ieſum Chriſtum. Nam cum Dei nomen à Chriſto ſeparatur, nihil eſt aliud quam inane figmentum. Porrò quia hic Antichriſtus definitur eſſe negator Ieſu Chriſti, quædam hic addenda ſunt de duplici negatione Chriſti, vt inde intelligamus diſcrimina Antichriſtorum, quos plures eſſe noſter Apoſtolus affirmat. Negatio itaque Chriſti duplex eſt, vniuerſalis vna, altera particularis. Illa in totū negat Ieſum eſſe Chriſtum, hæc autem in parte

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tantū. Vniuerſalis Iudaica, Mahometiſtica, & Turcica eſt, qua negatur filius Mariæ Ieſus eſſe promiſſus Meſsias, hoc eſt, Chriſtus, Saluator in ſe credentium. Hæc vel eorum eſt, qui fidem Chriſti nunquam receperunt, quales ſunt Mahometiſtę & Iudæi pleriq;: vel eorū, qui poſt agnitam veritatem, poſt illuminationem Spiritus ſancti, poſt perceptum guſtū boni Dei verbi relabuntur in Ethniciſmum, renunciāt Ieſu Chriſto, quem abnegatū perſequuntur. Hi vocantur in Eccleſia Apoſtatæ, qualis fuit Iulianus & multi alij, atq; hi rei ſunt blaſphemiæ in Spiritum ſanctum, quam filius Dei pronunciat nec in hoc ſeculo nec in futuro remitti, propterea quod ſit vniuerſalis prolapſus in Ethniciſmum, & finalis abnegatio Ieſu Chriſti Mediatoris vnici Dei & hominū. De hac abnegatione Chriſti, plura in 5. cap. dicentur, vbi agitur de peccato ad mortem, pro quo Apoſtolus noſter dicit non orandum eſſe.

Alia eſt negatio Chriſti particularis, ſeu hæretica, qua quæ Chriſtus habet propria, illi detrahuntur. Hac negatur alias diuinitas Chriſti, cui ſe Cherintus & Ebion tempore Apoſtoli noſtri oppoſuerunt & poſtea Arius & multi alij. Alias Chriſti humanitas, quam impugnarunt Donatiſtæ & Eutychiani. Alias perſona Chriſti, cuius diſtinctioné à patre rabioſe negant Sabellius, Paulus Samoſatenus, & noſtro tempore Michaël Seruetus Hiſpanus, in ſcholis Mahometicis inſtitutus. Alias officium, idq; dupliciter, quædam enim officij negatio in doctrina & moribus ſimul ſita eſt, qualis eſt Pelagij & papalium omniū, qui voce & vita negant Ieſum eſſe Chriſtum, cum non tribuunt illi hunc honoré, quod ſolus ſit iuſticia noſtra & ſalus, iuxta ſcripturam: ſed partem iuſticiæ & ſalutis aſcribunt operibus, iiſq; non à Deo mandatis, ſed ab hominibus excogitatis, præter & contra verbum Dei. Quædam in moribus tantum eſt poſita, eaq; eſt interna & externa. Interna quidé, cum iuxta verbum vera fiducia Chriſti non accéditur in animis. Externa vero, quoties factis negatur impijs, quod ore prædicatur. Hanc negationem Paulus vocat βδέλυγμα, hoc eſt, abominationem. Ex his manifeſtum eſt, Primum, quid ſit Antichriſtus in genere, videlicet, qui quouis modo aduerſatur Chriſto. Deinde, quid ſit in ſpecie, videlicet, qui vel in toto, vel in parte Chriſtum abnegat. Iam reliquum eſt, vt inquiramus quiſnam ſit ille magnus Antichriſtus, quem Paulus collocatū iri prædixit in templo Dei, reuelandum per vocem Euangelij ante extremum diem. Verum quia in poſteriori ad Theſſal. copioſe à nobis probatum eſt, quod Pontifex Romanus ſit ille filius perditionis & Antichriſtus, de quo loquitur Paulus, eo remitto auditores, vt iſtinc petāt, quæ breuitatis gratia hic omitto. Sed quid ex hac doctrina de Antichriſto pius animus colliget? Primum muniat nos hæc doctrina aduerſus ſcandalū defectionis tot regnorum ac populorum à fide Chriſti, ac meminerimus eundem Chriſtum, qui dixit: Prædicabitur hoc Euangelium regni in toto mundo, in teſtimonium omnibus gentibus, etiam dixiſſe: Veruntamen filius hominis cum venerit, num inueniet fidem ſuper terram? Quo dicto ſignificatur maximam defectioné plerorumq; regnorum fore à fide Chriſti. His duobus Chriſti dictis cōmendatur nobis & miſericordia & iuſticia Dei. Miſericordię quidem eſt, quod velit Deus Euangelium regni filij ſui prædicari in toto mundo inter omnes gentes. Iuſticiæ vero erit, quod idem Deus ſit puniturus ingratos erga ſuum Euangelium. Nam permittit eos in priſtinas tenebras ruere, adeo vt quādo Chriſtus aduenturus eſt iudicatum viuos & mortuos, paucisſimos inueniat, qui non turpiter Chriſtum abnegauerunt, & à fide eius ſacrilege defecerunt. Vtriuſq;, hoc eſt, miſericordię & iuſticiæ Dei cogitatione excitemur ad ſerium timorem Dei, ad ardentem inuocationem, ad perpetuam gratitudinem erga ipſum, ne ingrati ipſi quoq; aliquando abijciamur, & extinguātur lux Euangelij in ſcholis & in templis, quemadmodum factum eſt in Aphrica, Aſia, & in maxima parte Europæ, adeo vt minima pars orbis terrarum habeat Euangelium ſincerum & incorruptum.

Quod igitur vos audiſtis à principio, id in vobis maneat.

Ex deſcriptione Antichriſti, infert exhortationem ad perſeuerātiam in fide Chriſti, in qua iam inde à principio (id eſt, ex quo inſtitui ceperunt in vera religione) inſtructi erant. Veſtitur auté propoſitio argumento à conſtantia petito. Conſtantis enim animi eſt, à religione, quam iam olim amplexus eſt, nō facile dimoueri. Similis exhortatio eſt in tertio capite ad Heb. Cauete (inquit) fratres, ne ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis ad deficiendū à Deo viuo. Vbi gradus à felicitate ſumma ad miſeriam ſempiternā notantur: quorum primus eſt incredulitas eius, qui cōuerſus fuit, quę hoc pacto ſuboritur. Fides in ſegneſcētibus & torpentib. paulatim langueſcit, & ſuccedit dubitatio, hāc mox excipit incredulitas, quá ſequitur malitia, hoc eſt, prauæ cogitationes & actiones ſceleratę, atq; ita paulatī homo priusq̄ animaduertit, laqueis Satanę inuoluitur. Hoc ipſum ſignificat Iohannes cū ait: Quod audiuiſtis, id in vobis maneat, hoc eſt, ſtudete vt maneat, ſcilicet verbū Euágelij de Chriſto in vobis. Dili-

gentia

gentia igitur ſeria poſtulatur. Huc illud Pauli: Qui ſtat, videat ne cadat. Item: Spiritum nolite extinguere. Item: Excita donum, quod in te eſt. Hæc proinde dicta & ſimilia admoneant nos diligentiæ in colligendis rationibus, quibus mentes noſtræ cõfirmantur de veritate Dei, ne ad quamuis aurã doctrinæ, inſtar arundinis fluctuemus & circumferamur. Admoneant nos inuocationis, qua à Deo imploramus auxilium contra Diabolorum & hominum inſidias, qui nobis veritatem Dei nunc eripere, nunc obſcurare conantur. Admoneant nos periculi, nullum enim periculum maius eſt, quam per ſegnitiem à Deo deficere. Nam paulatim Epicuriſmus, & dedolentia quædam occupat animos, donec in foueam damnationis præcipitentur. Oremus proinde cum Dauide: Doce nos Domine viã tuam, fac vt ingrediamur in veritate tua, vnias tu corda noſtra, vt timeamus nomen tuum.

Si in vobis manſerit quod audiſtis, & vos in filio & in Patre manebitis.

Ratio exhortationis ab vtili. Qui retinet noticiam & fidem Chriſti, is in Filio & Patre manet, Spiritus ſancti vinculo. Præterea Pater & Filius in eo manent, iuxta Chriſti promiſsionem Iohannis 15. Qui manet in me, & ego in eo, is fert fructum copioſum. Per cõtrarium ſenſum concluditur, quod ſi non manſerit in vobis quod audiſtis, nec vos in Filio, nec in Patre manebitis. Quid ergo? extra ſocietatem Dei & ſanctorum dominio Satanæ ſubijciemini.

Et hæc eſt promiſſio quam ipſe promiſit vobis, vita æterna.

Proponit ſcopum, qui popoſitus eſt efficaci noticię Chriſti, vt huius cogitatione excitemur ad perſeuerantiam in pietatis curriculo, donec ad metam ipſam peruenerimus. Non enim qui bene cepit, ſed qui in bono cepto perſeuerat ad finem, beatus eſt, nam hic vitam æternam propoſitam habet. Obſeruetur diligenter, quod Apoſtolus noſter manſionis in Chriſto fructum affirmet eſſe vitam ęternam, iuxta Chriſti magiſtri ſui promiſsionem, Iohãnis 6. Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me Patris, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam ęternam. Hic ex aduerſo cogitetur antitheſis, videlicet, quod mors æterna ſit propoſita omnibus incredulis & deficientibus à verbo Euangelij.

Hæc ſcripſi vobis, de his, qui ſeducunt vos. Attingit cauſſam cur de Antichriſtis ſcripſerit, videlicet quod iam Eccleſiam inuadere tentarent, quam ſua impoſtura funditus euertere moliebantur. Exemplum Apoſtoli omnibus pijs verbi miniſtris imitandum eſt, vt pręmoneant ſuos auditores aduerſus Antichriſtorum inſidias, ne incauti opinione citius opprimantur & ſalute excidant.

Et vnctio quam vos accepiſtis ab eo, in vobis manet.

Bene ominantis oratio eſt, quaſi diceret, ſunt multi, qui vos in errorem abducere moliuntur, ſed melius de vobis ſpero, cum habeatis vnctionem, hoc eſt, Spiritum ſanctum, quem à Chriſto accepiſtis, quique vos in omnem veritatem induxit, quãdiu hæc vnctio in vobis manſerit, cauebitis Antichriſti inſidias. Hic locus monet, vt primitias ſpiritus foueamus, ac indies ſtudeamus in pietatis ſtadio progredi vlterius, donec ad metam ventum fuerit. Spiritus ſancti enim donatio, teſtimoniũ eſt euidens, quod Deus noſtri curam habeat. Hoc ſolum requiritur, vt caueamus ne noſtra ſocordia amittamus tantum bonum.

Nec neceſſe habetis vt quiſquam doceat vos.

Hæc ad commendationem eorum faciunt, à quibus erant inſtituti, & habent tacitam conditionem, vt ſit ſenſus: Vos à veſtris doctoribus fideliter edocti eſtis, de Chriſto Ieſu vero Meſsia, in hac doctrina ſi manſeritis, nõ opus habetis alijs magiſtris, nam ſincere inſtituti eſtis. Atq; ita Apoſtolus hoc loco & ſuam doctrinam de Chriſto commendat, & illorum diligentiam laudat, à quibus inſtituti erant, quo magis magiſq; confirmentur. Non ergo hic locus patrocinatur Anabaptiſtis, qui tollunt miniſterium verbi de Eccleſia, & iubent ſuos auditores expectare reuelationes cœleſtes, quæ nihil ſunt aliud quam illuſiones Diabolicæ. Nam vel ſummi doctores poſſunt & debent in Chriſti ſchola quotidie per lectionem, meditationem verbi & precationẽ proficere, cum omnes, (vt Paulus teſtatur) ex parte cognoſcamus, ne dum vbi quos Apoſtolus alloquitur, nullo præceptore indigerent. Quare opponamus Anabaptiſtis mandatum Dei de prædicando & audiendo Euangelio, in cuius cognitione indies magis magiſq; vult nos abundare Paulus, quo & hęc ſcriptio Apoſtolica pertinet, cur enim ſcriberet Apoſtolus, ſi eius ſcriptionis nullus vſus foret in Eccleſia?

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Verum ſicut eadem vnctio docet de omnibus, quæ & verax eſt & non mendax, & ſicut docuit vos, manete in ea.

Hæc exhortatio cõfirmat noſtram interpretationem: hortatur enim vt perſiſtant in doctrina de Chriſto, quæ in ipſis cõfirmata eſt per vnctionem, hoc eſt, per Spiritum ſanctum. Huius exhortationis cauſſam addit, cum inquit: Quæ verax eſt, & non mendax. Hæc repetitio à contrarijs ſumpta, ad commendationem certitudinis facit. Hic rurſus commendat Apoſtolus ijs, quibus ſcribit, doctorum ſuorum fidem, ſinceritatem & diligentiam. Cum veteri interprete & Eraſmo μενεῖτε verti manete, vt hebraiſmum redderem: nam Hebræi ſæpe futura indicatiui, pro imperatiuis vſurpant. Hanc interpretationem periſtaſis loci manifeſte poſtulat.

Nunc autem filioli manete in eo, vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non pudefiamus coram eo in ipſius aduentu.

Repetitio eſt exhortationis, cui additur duplex ratio, prior à commodo, poſterior à damno, nam præmijs & pœnis inprimis mouentur homines. Qui manent (inquit) in Chriſto, (hoc eſt, qui retinent fidem & bonam conſcientiam) fiduciam habent in ipſius aduentu, qui vero non manent in Chriſto, in ipſius aduentu pudefient. Ergo in Chriſto manendum eſt, quo fiduciæ fructus percipiatur, qui fructus eſt vita æterna, & caueatur diffidentiæ & defectionis pœna, quæ eſt ſempiterna ignominia. Hic locus nos admoneat, vt perpetuo cogitemus de aduentu Domini, in quo apparebit gloria piorum, qui perpetua felicitate exultabunt, & ignominia impiorum, qui perpetua ignominia obruentur, eo quod Ieſum Chriſtum datũ toti mundo in ſalutem, non agnouerint, cuius ſolius fiducia perſiſtunt omnes qui in ipſum crediderunt, iuxta illud: Qui credit in ipſum, non pudefiet.

Si ſcitis quod iuſtus eſt, noſtis quod omnis qui facit iuſticiam, ex eo natus ſit.

Repetitio eſt vniuerſalis exhortationis, qua in principio vſus eſt, dum hortatus eſt ad innocentiam vitę. Addit autem propoſitioni rationem à connexis, Qualis Pater, talis & filius eſſe debet: Deus Pater Eccleſiæ eſt iuſtus. Ergo & filios eius, qui ſunt Eccleſiæ domeſtici, iuſtos eſſe decet. Sed quomodo fieri poteſt, vt ſimiles patri cœleſti in iuſticia ſimus? cum ille perfecte & natura iuſtus ſit, & nos natura peccatores? Nemo profecto poteſt patri cœleſti ſimilis eſſe, ſi perfectionem iuſticiæ ſpectemus. Verum iuſticia illa, quam hic requirit Apoſtolus, poſita eſt in imputatione & imitatione in hac vita. Imputatio iuſticiæ fit per ſolam fidem, qui enim credit, fides eius imputatur illi ad iuſticiam, hoc eſt, Chriſti iuſticia credenti ita imputatur, vt ea veſtitus appareat iuſtus in conſpectu Dei. Chriſtus enim finis eſt legis, in iuſticiam omni credenti. Imitatio iuſticiæ Dei eſt tenuis quædam imaginis Dei in homine, per fidem iuſtificato, repræſentatio, quæ paulatim pro fidei menſura creſcit & fit illuſtrior. Nam iuſtificati per fidem, donati ſunt Spiritu ſancto, quo vt regenerantur fideles: ita etiam inchoant nouam vitam, & iuſtis actionibus occupãtur, quæ actiones iuxta fidei menſuram, in alijs magis, in alijs minus conſpiciuntur. Hæc imitationis iuſticia conſtat partibus hiſce, videlicet, pietate erga Deum, innocentia vitæ priuatæ, dilectione proximi, & in officio vocationis fideliter præſtando. Hinc apparet quanta ſit vanitas eorum, qui negant nouæ obœdientiæ ſeu operum iuſticiæ neceſsitatem, cum hic Iohannes coniungat patris & filiorum conformitatem in iuſticia. Porro, poſt iudicium in vita æterna erimus iuſti non imputatione, ſed perfectione iuſticiæ, ſeu vt loquuntur, formaliter & pleniſsime. Hæc iuſticia erit reparatio iuſticiæ originalis, in qua rurſus fulgebit imago Dei in ſanctis, qua nulla poteſt maior cogitari aut eſſe gloria. De hac iuſticia loquitur Paulus ad Galat. 5. cum inquit: Nos Spiritu ex fide ſpem iuſticiæ, hoc eſt, ſperatam iuſticiam, expectamus. Et Apoſtolus noſter in ſequenti capite: Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.

CAPVT III.

Summa Capitis tertij.

Vt grauiſsimis argumentis, ad ſanctimoniam vitæ, & dilectionem proximi hortatur: ita ab odio proximi, propoſito Caini exemplo, dehortatur.

Ordo & partes Capitis tertij.

In fine ſecundi capitis reuerſus eſt Apoſtolus ad generalem exhortationem, quam in primo propoſuit, videlicet, vt Chriſtiani colant iuſticiam & ſectentur innocentiam. Hanc generalem propoſitionem confirmat in hoc capite, à qua mox deſcendit ad hypotheſin, videlicet ad dilectionem proximi, ad quam per contentionem ſeu collationem contrariorum, exhortatur, ſummam mandatorum Chriſti ad fidem & dilectionem reuocans.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

VIDETE qualem caritatem dedit nobis pater, vt filij Dei vocemur.

Exhortaturus ad ſanctimoniam vitæ, alium ordinem, quam in primo capite, inſtituit. Vt enim illic ab effectis ad cauſſas aſcẽdit: ita hic à cauſis ad effecta deſcendit. Eſt enim primus fons bonorum operum, adeoq; omnis pietatis & virtutis veræ regeneratio, qua in filios Dei renaſcimur, & filij Dei vocamur, & reuera ſumus. Caritatis vocabulum metonymice accipiẽdum eſt pro dono, quod nobis ex caritate largitus eſt Deus, videlicet quod vocemur & ſimus filij Dei. Hoc donum magnificũ Apoſtolus noſter in principio ſui Euangelij appellat ἐξουσίαν, hoc eſt, vt Nonnus reddit, οὐρανίην τιμήν, id eſt, cœleſtem honorem, ita enim ait: Quicunq; receperunt eũ, dedit eis ἐξουσίαν filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomen eius. Hunc honorem, & hoc donum auguſtum ideo hic caritatem vocat, quia ex caritate Dei profectũ eſt. Porro quia hic locus continet ſummam beneficiorum Euangelij, operæpretium eſt, vt ipſum altius expendamus, & circumſtantias, quæ huc faciunt, excutiamus, quo magis in cognitione & ſenſu huius myſterij abundemus. Sunt autem hæ præcipuæ circumſtantiæ, Prima, cauſſa efficiens. Secunda, obiectum. Tertia, medium. Quarta, modus. Quinta, effectus. Sextra, finis. Septima, vſus. Hæ circumſtantiæ fere omnes continentur in hac Euangelica γνώμη: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

PRIMA circumſtantia eſt cauſſa efficiens, videlicet Deus, ſeu caritas Dei, quam noſter Apoſtolus non ſine admiratione exprimit, cum inquit: videte ποταπὴν ἀγάπην. eſt enim plus quam ſi dixiſſet, ποίαν ἀγάπην. Nam etſi ποῖος & ποταπὸς ſynonyma ſunt, tamẽ hoc poſterius emphaſin quandam, & admirationem habet. quaſi dicat Apoſtolus noſter, non eſt vulgaris caritas quam declarat erga vos Deus: ſed vere maxima & inprimis admiranda, cuius magnitudinem ne Angeli quidẽ ſatis admirari poſſunt. Hanc Paulus prædicat Roman. 5. cum inquit: Commendat ſuam caritatẽ erga nos Deus, quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuꝰ eſt. Hæc caritas nõ oritur à nobis, nec excitatur meritis noſtris, quæ nulla habemꝰ niſi mortis, ſed à beneplacito, bonitate & humanitate Dei. Vnde Paulus ad Epheſ. 1. cauſſam noſtræ adoptionis ſtatuit εὐδοκίαν Dei, ex qua nos diligit in dilecto. Et ad Titum: χρηστότητα & φιλανθρωπίαν, bonitatem & humanitatem Dei. Bonitas eſt, qua Deus benignus eſt & liberalis erga genus humanum. Humanitas eſt ſtorge illa à Deo, qua paterne affectus eſt erga genus humanum.

SECVNDA circumſtantia eſt obiectum, videlicet mundus, hoc eſt, homines qui in mundo ſunt. Hic inſtituatur antitheſis inter Deum diligentem, & mundum qui diligitur, vt magis nobis dulceſcat caritas illa Dei, qua nos complectitur. Deus ſumme felix eſt ſine homine: homo extreme miſer ſine Deo. Deus creatum hominẽ maximis ornauit dotibus, homo ingratus Deo proditorie ab eo defecit ad caſtra Satanę. Deus impreſsit homini ſuam imaginem, homo, imagine Dei abolita, imaginem hoſtis Dei geſtat tanquã σύνθημα quoddam quod ſub ipſo militet. Deus condidit hominem ad ſuã gloriam, ſed homo omnia cõuertit in contumeliam Dei. Ecce quantum diſsidium eſt inter Deum & hominem. Quid eſt ergo quod Deum mouet, vt hominem tam ingratum & contumacẽ diligat? Duo ſunt in homine, quorum vnum eſt à Deo, alterum à Diabolo. Quod à ſe eſt, Deus amat, amat igitur hominem quatenus eſt ſua creatura, ſed opus Diaboli odit, quod eſt peccatum. An non iuſticia Dei poſtulat, vt Deus hominem æternis pœnis ſubijciat propter tantam contumaciam? Poſtulat quidem hoc iuſticia Dei, niſi fiat reconciliatio, quam caritas Dei erga ſuam creaturam, videlicet hominem, proponit in Filio, Mediatore Dei & hominum.

TERTIA circumſtantia eſt de medio, quo Deus offenſus & homines qui offenderũt, recon-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

recōciliantur & coniunguntur, ita vt Deus agnoſcat homines ſuos filios, & homines viciſſim Deum vt patrem honorent. Hoc mediū participare debuit cum vtroq;, hoc eſt, cum Deo vera diuinitate, & cum homine vera humanitate, vt Deum & hominē coniungeret. Ideo dicitur Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuū daret, ſcilicet vt eſſet Mediator Dei & hominū, ſatisfaceret pro homine, iuſtificaret hominē, atq; ſuo merito & interceſsione placaret offenſum Deum, ſatisfaciendo iuſticiæ Dei, quo locus eſſet miſericordiæ.

QVARTA circumſtantia eſt de modo applicationis beneficij Chriſti Mediatoris. De hoc modo loquitur Dominus, cum ait: Prædicate Euangelium omni creaturæ, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, Qui vero non crediderit, condemnabitur. Hic Dominus omnibus promiſcue & ſine diſcrimine ſua merita offert, fide accipienda, & baptiſmo obſignanda. Applicatur igitur beneficium Chriſti verbo & ſacramento, vtrumq; requirit fidem, eſt enim omnis promiſsio fide accipienda.

QVINTA circumſtantia eſt de effectu miſericordiæ, qui eſt adoptio in filios Dei. Videte (inquit) qualē caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei vocemur. Roman. 8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis rurſus ad timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Ad Gal. 3. Omnes filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu. Nam quicunq; in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Ad Gal. 4. Poſtquam venit plenitudo temporis, emiſit Deus Filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum acciperemus. Quoniam autem eſtis filij, emiſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem, Abba Pater. Ad Ephe. 1. Sicut elegit nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi, per caritatem, & prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum in ſeſe, ſecundum beneplacitū voluntatis ſuæ.

SEXTA circumſtantia eſt finis adoptionis, ſeu fructus, videlicet vt non pereamus ſed habeamus vitam æternam. Hic finis diſcernit inter duo genera hominum, videlicet incredulos & fideles: illi deſtinati ſunt ob ſuam incredulitatem æternis pœnis, ſeu morti æternæ: hi vero vt filij Dei, hæredes erunt vitæ æternæ & gloriæ beatitudinis: quam gloriam Paulus vocat, libertatem filiorum Dei, cui opponitur miſerrima illa ſeruitus impiorum, qui oblatam gratuitam ſalutem contumaciter reſpuerunt.

SEPTIMA circumſtantia eſt de vſu huius tantæ caritatis Dei erga nos, vt ſimus & vocemur filij Dei quotquot credimus in nomen Ieſu Chriſti. Hic vſus ampliſsimus eſſe debet in tota vita, videlicet in conſcientia, in mundi contemtu, in cruce & in articulo mortis, in his enim maxime ſe prodit adoptionis ſenſus. IN conſcientia omniū primum ſuum fructum profert adoptionis fides. Nam cum cogitatio cōmiſsi peccati animū noſtrum vulnerat: cum damnatoria legis ſententia nos turbat: Cū Diabolus & infernus nobis minantur, fides adoptionis iſtis omnibus efficaciſsime ſe opponit, & perfundit conſcientiā nobiliſsimo balſamo Spiritus ſancti, ex quo naſcitur in corde gaudiū ſpiritus inenarrabile, quo exultamus in gloria libertatis filiorum Dei per Spiritū ſanctū, quo credētes obſignati ſumus, tanquam Arrabone hæreditatis noſtrę: ita vt neq; vita, neq; mors, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; præſentia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla alia creatura poſsit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Porro hoc conſcientiæ gaudium conceptū ex fide adoptionis, vt indies magis magiſq; creſcat, debet quotidie per omnem vitā foueri pijs meditationibus, ardenti inuocatione, vſu Cœnæ Dominicæ, ſeria gratiarū actione, atq; adeo omni pietatis exercitio. IN mundi contemtu ſimiliter fides adoptionis ſe prodit, quādo enim pij à prophanis mundi hominibus, tanq̄ ſtulti, excrementa mundi, & veluti καθάρματα reputantur, opponant iſti prophanorū hominū maligno iudicio, iudiciū Dei, qui, vt omnes credentes tanquā filios complectitur: ita omnes impios terræ, extreme abominatur, vtut ſibi magnifici & glorioſi videātur. Non ergo pius frangatur animo, ſi quādo exponatur ludibrijs huius peruerſi mundi: ſed potius doleat vicem furentiū miniſtrorū Satanæ, qui letali veneno Diaboli intoxicati, feruntur tanquā phrenetici cōtra Deū, & ipſius Eccleſiam, qui tandem præcipitabūtur in exteriores tenebras, vnde nunquam eluctabuntur, ſed perpetuo cum diabolis cruciabuntur. IN cruce fides adoptionis intueatur mandatum Chriſti, exemplum, regulā Pauli & decretum Dei immotum. Mandatū Chriſti eſt: Si quis vult me ſequi, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Exemplum Chriſti monet crucem præcedere gloriam, vt Paulus teſtatur, cum inquit: Si vna cū Chriſto morimur, vna etiam cum eo regnabimus. 1. Pet. 4. Cum Chriſtus paſſus ſit pro nobis in carne, vos eadē cogitatione armemini. Regula Pauli eſt: Quicunq; volunt pie in Chriſto viuere, perſecutionem patientur. Decretū Dei immotū eſt, quod omnes quos adoptet in filios Pater, debeant conformes fieri imagini Filij eius. Cum hæc quatuor fides adoptionis cogitat, ſe in cruce erigit, & cōcipit ſpem promiſſę libe-

ratio-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rationis & libertatis gloriæ filiorum Dei. Hæc ſpes certiſsima eſt, & nequaquam cõfundit, vnde Paulus dicit: Credentes gloriari etiam in afflictionibus, Rom. 5. In agone deniq; mortis fides adoptionis intuetur reſurrectionem eius, per quẽ facta eſt adoptio, ac ſtatuit mortem tranſitũ eſſe ab omnibus miſerijs huius mundi ad beatã & immortalem vitam, iuxta hoc Domini dictum, Iohan. 5. Amen, amen dico vobis, qui ſermonẽ meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, ſed tranſiuit de morte ad vitam. Hæc placuit aſcribere ad declarandã ſententiam Apoſtoli noſtri, vt & beneficium, quod hic prædicat Apoſtolus, particulatim explicatum, magis nobis dulceſceret, & fructus in omni vita, & vera praxis huius dicti fieret nobis conſpectior, iam reliqua proſequamur.

Propter hoc mundus non nouit vos, quia non nouit eum.

Prolepſis eſt. Occurrit enim tacitæ piorum obiectioni, qui in hunc modum obijcere poterant, Nos Chriſtiani habemur pro reiectamentis mundi, tantum abeſt vt filiorũ Dei dignitas nobis competat. Reſpondet Apoſtolus: Mundus non nouit Deum, quomodo ergo filios Dei noſceret? Non ergo mundi iudicio acquieſcendũ eſt, quod eſt ſtultum & cœcum in myſterio ſalutis, ſed iudicio Dei, quod fallere non poteſt, ſtandum eſt, & in eo firmiter acquieſcendũ. Mundus tantum videt externã Eccleſiæ ſpeciem, quæ eſt vt plurimũ lamentabilis, & ex ea ſtulte iudicat de Eccleſia. Non autẽ cernit ſpiritualia ornamenta, quibus intus fulget Eccleſia Chriſti ſponſa: Mundus videt Eccleſiã affligi, atq; ideo Deo non curæ eſſe ratiocinatur, ſed non intelligit conſilium æterni Patris, qui omnem filium quem recipit, flagellat. Ier. 12. ait Dominus: Dedi dilectã animam meam in manus inimicorum eius. Ecce hic Deus Eccleſiam animam ſuam dilectã vocat, quomodo ergo eam negligeret? & tamẽ tradit eam in manus inimicorũ eius. Ioſeph dilecta anima Dei fuit, attamen traditus eſt Pharaoni, qui vidit externũ Ioſeph, ſed internum animæ ſplendorẽ non agnouit. Diues Epulo pannos Lazari cum contemtu vidit, animæ autẽ ornatum ſplendidiſsimum non agnouit, atq; hanc ob cauſſam, vt duplex ſpecies Eccleſiæ, externa & interna agnoſcatur, eadem Eccleſia ſæpe in ſcriptura & Iacob & Iſrael nominatur. Iacob quidẽ, quia vilis eſt & contemta iudicio mundi, talis eſt enim eius externa ſpecies ſecundum quam mundus iudicat. Iſrael vero dicitur, quia victrix & precioſa eſt in conſpectu Dei, qui iudicat ſecundũ veritatem, non tam externam quam internã Eccleſiæ ſpeciem intuens. Sed cur mundus non nouit Eccleſiam? quia non nouit Deum, qui eſt pater ciuium Eccleſiæ. Noticia proinde filiorũ Dei pendet ab ipſius Dei patris noticia, quæ nõ eſt ocioſa perſuaſio de articulis fidei, ſed efficax fiducia in Deum, quæ facit vt & ipſum Deum patrẽ diligamus, & ſanctos qui Dei filij ſunt, propter Deum & propter ſocietatẽ quam habemus cum illis, amemus. Hinc duæ firmiſsimæ demonſtrationes colliguntur. Nero & Iulianus perſequuntur Eccleſiam Dei: Igitur Deum non norunt, ſed horrendis ignorantiæ tenebris inuoluuntur. Dauid & Theodoſius Eccleſiã Dei fouent, ornant, prædicant, Igitur Deum norunt, & ſunt filij Dei. Vis harum demonſtrationum pendet ex regula Domini, quæ non fallit: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Bona enim arbor, bonos fructus, mala autem malos, producit.

Cariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit id, quod futuri ſumus.

Anteuertit piorũ trepidantium obiectionem, qui ſuas ſordes agnoſcentes, procul ſe abeſſe ab iſta puritate, quæ decet filios Dei, ſentiunt. Nam ſi corpus ſpectant, quid immundius? quid imbecillius? quid pluribus obnoxiũ ærumnis? ſi animam conſiderant, quibus malis non eſt ſubiecta? Breuiter, quocunq; ſe vertunt, omnia miſeriarum ſunt plena. Hos ergo conſolatur & dicit, nihilominus eſſe filios Dei, etſi nondũ apparuit filiorum Dei plena gloria & perfectio virtutis. Etſi enim ſancti omnes, donec in hac vita ſunt, circumferunt peccatum: tamen, quia ſunt in filio per fidẽ, teguntur aurea lamina ſeu propiciatoria, id eſt, merito Chriſti, eorum peccata, vt eis nequaquã imputentur, donec retinent fidẽ & bonam conſcientiam. Habemus, inquit Paulus, theſaurũ hunc in teſtaceis vaſculis, vt eius virtutis excellentia ſit Dei, & non ex nobis. Item: Mortui eſtis cum Chriſto, & veſtra vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Monet proinde hic locus, vt fideles non ex præſenti rerum ſtatu iudicent, ſed altius aſpiciant, vt retineant fiduciam promiſſæ gloriæ, quæ ſuo tempore reuelabitur. Diſcernant tẽpus crucis & felicitatis: ignominiæ & gloriæ: infirmitatis & virtutis. Neq; abijciant ſpem propter præſentẽ rerum aſpectum, ſed intueãtur & ſequantur ſuum ducẽ Ieſum Chriſtum.

Scimus autem, quod cum ipſe apparue-

Expectata ſanctorum gloria, quarit,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rit, ſimiles ipſi erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.

lis ſit olim futura, exponit. Nimirum quod ſancti Chriſto filio Dei ſint futuri ſimiles, atq; vnde iſta ſimilitudo emanabit, docet, cum inquit: Quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Trãsformabimur enim per Chriſti ſpiritũ, ex illa viſione in eius imaginem. Porro duplex notanda eſt transformatio noſtri in imaginem Chriſti, vna imperfecta, altera perfecta. Imperfecta illa locũ habet in hac vita, & ſuos gradus iuxta fidei menſurã habet. De hac transformatione agit Paulus 2 Corinth. 3. hiſce verbis: Nos autem omnes retecta facie, gloriam Dei in ſpeculo videntes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini ſpiritu. Hic Paulus pulcerrime proponit gratiæ Dei in credentibus progreſſus. Primum vult amoueri velamen cordis, quod eſt impedimentũ gloriæ. hoc velamen tollitur, vt idem Paulus docet, per conuerſionem ad Deum. Deinde monet, quod iſtud velamen non noſtra virtute, ſed gratia Dei tollatur, ne quis ſuę ſalutis principium proprijs tribuat operibus, tum oſtendit quod conuerſi intueantur gloriam Domini, ſed in ſpeculo limpidiſsimo, ſcilicet Chriſto Deo in carne manifeſtato. Præterea quid is intuitus efficiat, exponit, videlicet, vt paulatim transformemur in eandem imaginem, ita vt ſanctitas Chriſti in nobis quodammodo refulgeat. Adhæc oſtendit, quod transformemur à gloria in gloriam, hoc eſt, vt glorię Chriſti participes facti, efficiamur & nos glorioſi. Denique cauſſam huius transformationis ponit ſpiritum Domini, hoc eſt, efficaciam Chriſti in nobis, qui ſuo ſpiritu paulatim nos transformat. Debemus igitur quotidie progredi, cum in noticia Chriſti, tum in conformitate cum illo, quotquot de fide eius gloriari volumus. PERFECTA transformatio noſtri in imaginem Chriſti Domini, eſt totius hominis, nempe animæ & corporis perfectiſſima regeneratio, quæ locum habebit in futura vita, vbi apparebit illuſtriſsima imago Dei in electis. Nam & corpora noſtra erunt conformia corpori Chriſti glorioſo: & in animis noſtris fulgebit perfecta lux, in affectibus plena puritas, in voluntate ſumma promtitudo & alacritas, atque adeo in omnibus viribus perfectiſsimum obœdiendi Deo ſtudium. Breuiter, Quoad animos, & quoad corpora, Chriſto Domino ſimiles erimus in omni æternitate. De his plura vide in tractatulo noſtro de regeneratione.

Et omnis qui habet ſpem hanc in eo, purificat ſeipſum ſicuti ille purus eſt.

Hæc huius capitis principalis propoſitio eſt, collecta ex ſuis cauſsis. quid enim efficere in pijs debeat adoptio filiorũ Dei, & promiſſa ſimilitudinis cum Chriſto gloria, exponit. Siquidẽ omnem, qui hanc ſpẽ in Chriſto habet, pronunciat purgare ſeipſum, ſicuti ille purus eſt. decet enim vt filij Dei omnes ſint ſibi in puritate cõformes. Præſenti tempore vtitur Purificat, vt ſignificetur puritatis ſtudium, non perfectio. Si enim vllus perfecte purus eſſet, is profecto non recte diceretur ſe amplius purificare. Quid? An non Deus ſolus purificat? Verum quidem hoc eſt, attamen Deus te nolentem non purificat. Deus verbo te vocat, Spiritu ſancto cor tuum mouet, vult vt verbo credas, & Spiritui ſancto mouenti obtemperes, ne audias cum incredulis Iudæis, Cur Spiritui ſancto reſiſtis? Atq; ita voluntas docta & mota à Spiritu ſancto, poteſt & debet obœdire, atq; etiã rogare perpetuo, vt quod Deus incepit in nobis opus perficiat, nam is facit vt velimus & agamus, & perficiamus. Et Auguſtin⁹ ait: Caſtificat (ita enim reddit vocem ἁγνίζειν) te non de te, ſed de illo qui venit, vt habitet in te: tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tributũ eſt. Deinde cũ dicit: Sicuti ille purus eſt, non puritas ſignificatur, ſed ſimilitudo, & de ſimilitudine tenenda eſt regula Epiphanij: Non omnis ſimilitudo tota accipitur. Item Auguſtini dictum: Similitudines in quocunque ſunt, circumſtantia ſui exponuntur. Non ergo valet conſequentia: Chriſtus eſt purus eſſentia, origine, effectione & perfectione, qui igitur non eſt ſic purus, non eſt Chriſtianus. Nam hic tantum requiritur ſimilitudo imitationis pro modulo noſtro, & pro menſura fidei. Sic accipitur illa ſimilitudo: Regnum Dei eſt ſimile grano ſinapis. Melchiſedech eſt ſimilis Chriſto. Vult proinde Apoſtolus noſter, vt in tota vita noſtra proponamus nobis Chriſti exemplum tanquam metam ad quam contendamus. Docet proinde hic locus quale ſtudium, qualis conatus in hac vita eſſe debeat, videlicet, vt totis viribus ad puritatem contendamus, quam tum demum plenam adipiſcemur, quando Deus erit omnia in omnibus. Nam in hac vita etiam ſanctiſsimi opus habent, vt precentur quotidie: Remitte nobis debita noſtra. Hanc interpretationem confirmat etiam quod ſupra dictum eſt: Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus.

Quicunque facit peccatum, etiam ini-

Antitheſis eſt ſuperioris dicti, vnde

quita-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quitatem facit,& peccatum eſt iniquitas.

& hæc ſentẽtia interpretationem mutuabitur. Vt igitur is purificare ſe dicitur, qui ſtudet puritati, ita facere peccatum dicitur, qui ſtudet peccato, hoc eſt, qui ſinit peccatum in ſe regnare per concupiſcentias corporis. Qui autem hoc facit, legis tranſgreſſor eſt,& fit reus coram Deo,iuxta legis ſententiam:Maledictus omnis,qui non permanſerit in omnibus,quæ ſcripta ſunt in libro legis. Quod autẽ additur: Et peccatum eſt iniquitas. Probatio eſt eius quod præcedit, à peccati definitione ſumta, & ponitur, Et, pro enim, more Hebraico. Peccatum,inquit,eſt ἀνομία, id eſt, legis tranſgreſsio. nam quicquid eſt vel fit contra legem Dei,ἀνομία,id eſt,aliquid aberrans à lege Dei dicitur.Obſeruetur igitur hoc loco peccati definitio in genere,videlicet quod ſit ἀνομία,id eſt, aberratio à lege, ſeu violatio legis diuinæ ſeu voluntatis diuinæ. Nam legis vocabulum hic, pro omni eo quod à nobis requiritur,ſiue in Lege,ſiue in Euangelio,ponitur.

Et ſcitis quod ille apparuerit, vt peccata noſtra tolleret, & peccatum in illo non eſt.

Alia ratio à fine manifeſtati Chriſti in carne. Chriſtus apparuit, id eſt, filiꝰ Dei homo factus eſt, vt peccata tolleret,iuxta primam promiſsionem: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Igitur qui indulget peccatis,non recte æſtimat cur Chriſtus in mundum venerit. Quare cum filij Dei per ipſum facti ſumus,decet profecto,vt abſtineamus à peccato,& exemplũ Chriſti imitemur in vitæ innocentia. Hoc ipſum argumentum 1.Petri 2.his verbis proponitur: Chriſtus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum,vt peccatis mortui,iuſticiæ viueremus. Nam eſſe mortuũ peccatis,& viuere in eis,ita repugnant,vt ſimul ſtare non poſsint. Vnde Paulus:Quicunq; mortui ſumus peccato,quomodo viuemus in eo? præſertim cum quicunq; baptizati ſunt in Ieſum Chriſtũ, in mortẽ eius baptizati ſint, vt quemadmodum ipſe excitatus eſt à mortuis,in gloriã patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Huius argumenti vide iuſtam tractationẽ ad Rom. 6. Et cogitetur quanta contumelia afficiant filiũ Dei,qui ideo indulgent peccatis,quia ipſe noſtra peccata pertulit, & in gratiã nos recepit, quaſi ideo veniſſet filius Dei,ideo aſſumſiſſet humanã naturam,ideo deniq; paſſus eſſet,vt proſtituamus nos omni turpitudini. Quare notetur hoc Apoſtoli argumentũ,& imis cordibus infigatur:Chriſtus apparuit vt peccata tolleret.Igitur qui Chriſti ſunt,peccata fugiãt, ne excidãt mortis Chriſti ſaluifico fructu.

Omnis qui in eo manet, non peccat: Omnis qui peccat, non vidit eum, neq; nouit eum.

Alia ratio à ſocietatis cum CHRISTO conditione: Omnis qui in Chriſto manet, non peccat, Credentes in Chriſto manere debent, Igitur credentes non debent peccare. Maiorem illuſtrat per antitheſin,& conuerſionem per contrapoſitionem. Omnis qui in CHRISTO manet,non peccat: Ergo quicunq; peccat,in Chriſto non manet.Manere in Chriſto,eſt ſpiritu fidei Chriſto inſitum eſſe,ac retinere bonam conſcientiam. Nam qui contra conſcientiam peccat, naufragium facit fidei,quemadmodum Paulus docet ad Timoth. Amiſſa fide, amittitur Chriſtus,amittitur ſalus & vita. Peccare hoc loco ſignificat peccatum facere,id eſt,peccato indulgere,& peccatum permittere vt regnet per concupiſcentias corporis.Nam purgare ſe,& peccare,opponuntur,vt ſupra quoq; dictum eſt. Proinde is dicitur hic peccare, qui non ſtudet puritati & ſanctitati. Longe igitur aliud eſt hoc loco peccare, quam labi. Omnes ſancti ſubinde labuntur,ſed non peccant, hoc eſt, in ijs non regnat peccatum. Quid ſit vidiſſe Chriſtum, atque eum nouiſſe, manifeſtum eſt ex Euangelio Iohannis, cui ſynonyma ſunt, videre, nouiſſe & credere in Chriſtum.

Filioli, nemo vos ſeducat, qui facit iuſticiam, iuſtus eſt, ſicut ille iuſtus eſt, qui facit peccatum, ex Diabolo eſt, quoniam à principio Diabolus peccat.

Ex hoc loco & ex Epiſtolis Pauli, Petri, Iacobi & Iudæ apparet, tempore Apoſtolorum fuiſſe quoſdam Pſeudo prophetas, qui habenas omni nequitiæ & turpitudini laxarunt prætextu Chriſtianæ libertatis,quales ſunt hodie Anabaptiſtę & Libertini. Contra horum inſaniam præmonet pios Apoſtolus noſter, ne quis videlicet ſinat ſe iſtorum mendacijs decipi. Iſti clamarunt,vt ex Iacobo patet, ſufficere fidem, hoc eſt,fidei inanem iactantiam,etiamſi vita ſit perditiſsima. Clamarunt ex fide eſſe iuſticiam,quod quidẽ verum eſt, ſi germana ſit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

At contra falſiſſimum, ſi fuerit tantũ inanis profeſsio ſine emendatione vitæ. Fieri enim nõ poteſt, vt ſpirit⁹ Chriſti ſeparetur à fide vera & ſalutari. Ne ergo ſinant ſe fideles talibus impoſturis decipi, inſtituit Apoſtolus collationem Chriſti & Satanæ, filiorum Dei & filiorum Satanæ, ex quorũ diuerſis ſtudijs concludit, quinam ſint Chriſti, & qui Diaboli. Chriſtus eſt iuſtus, Igitur qui Chriſti ſunt, iuſticiæ ſtudent. Satan eſt ſceleratus & malus, igitur qui ſcelerate & male agunt, à Diabolo ſunt. Sic Chriſtus Iohannis 8. concludit contra Iudæos: Vos ex patre Diabolo eſtis, & concupiſcentias patris veſtri vultis facere. Hinc ſequitur, eum ſolum fide iuſtum eſſe, qui facit iuſticiam, hoc eſt, qui ſtudet puritati & innocentiæ. Eſt enim puritas & innocentia, germanus fidei fructus. Contra, qui facit peccatum, hoc eſt, qui imperio peccati ſe ſubijcit, atq; illud in ſe regnare permittit, ex Diabolo eſt, cuius ſtudium eſt perpetuo peccare, nam inde vſq; à conditi mundi initio peccat. Dicitur autem ex Diabolo eſſe, qui peccando imitatur Diabolũ, & qui Diaboli ſpiritu agitatur. Vt enim qui aguntur ſpiritu Dei, hi ſunt eius: ita qui aguntur ſpiritu Satanæ, à Satana ſunt. Particula, SICVT, hic non paritatem, ſed ſimilitudinem, quæ in ſtudio & conatu eſt poſita, notat. Porrò hoc dictum Apoſtoli ſatis declarat, quanta ſit bonorum operum neceſsitas, quod ſane dictũ omnibus furoribus & impoſturis Diabolorum & hominum opponendũ eſt. Cõmonefactio hæc: Nemo vos ſeducat (id eſt, cauete ne quis vos in errorem inducat) ſignificat, neminem excuſari coram Deo, errore vel ignorantia, quin iure ſit damnabilis, ſi Deo ex fide obœdientiam non præſtiterit. Faceſſat igitur omniũ tum veterum, tum recentium impoſtorum dogma, qui Chriſtianæ libertatis prætextu laxãt habenas omni turpitudini & nequitię. Cæterum Papiſtæ, qui hoc loco abutuntur ad ſtabiliendã operum iuſticiam, non ſolum euertũt totius ſcripturæ perpetuum conſenſum, verumetiã perperam ex effectis cauſſas faciunt, nec diſcernunt inter iuſtificationem perſonæ, & qualitatẽ ſeu nouam obœdientiã, quæ à iuſtificatis requiritur Paulus Philippenſibus ſcribens, Bona opera fructus iuſticiæ fidei nominat. Ergo iuſticia fidei, quæ eſt gratuita ſine noſtris operibus & meritis, opera iuſta, quæ hic Apoſtolus iuſticiam vocat, præcedit neceſſario. Neceſſe eſt vt arbor ſit ante fructum, vt cauſſa præcedat ſuum effectum, ſicut & ipſe Dominus ait: Arbor bona facit fructus bonos. Nũc autem nemo habet rationem bonæ arboris, niſi qui Chriſto per fidem inſitus eſt, ita enim ipſe Dominus ait Iohannis decimoquinto: Quemadmodum ramus non poteſt fructum ferre à ſeipſo, niſi manſerit in vite: Sic nec vos, niſi in me manſeritis. Adhæc opera non poſſunt recte dici bona aut iuſta, niſi quæ Deo placent. Iam autem impoſsibile eſt quicquam Deo placere ſine fide Proinde fides qua iuſtificamur, opera præcedat neceſſe eſt. Porrò, cum homo fide iuſtificatus eſt, & adoptatus in filium Dei, Spirituq; ſancto regenitus, decet profecto vt huius eximiæ nobilitatis memor, nouam & cœleſtem viuendi rationem inſtituat, quæ digna ſit adoptione cœleſti. Debet ergo huius nouæ natiuitatis fructus edere in omni pietate, modeſtia & iuſticia. Non enim fieri poteſt, vt ſpiritus CHRISTI, quo donati ſunt credentes, ſit ocioſus. Hæc noua obœdientia, etſi per ſe imperfecta eſt, tamen placet DEO propter fidem, & habet promiſsiones remunerationis, cum in hac vita, tum in futura.

In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.

Hanc aſſeuerationem opponit Apoſtolus impoſtorum vanitati, qui prætextu Chriſtianæ libertatis peccandi licentiam permittunt, imo promittunt vane de fide gloriantibus, ſecuritatem, & prætextu Chriſtianæ libertatis omni petulantiæ & nequitiæ viam ſternunt. Apparuit (inquit) filius Dei; hoc eſt, homo factus eſt, vt diſſoluat opera Diaboli, id eſt, peccatum & mortem. Ergo fruſtra prætenditur Chriſtiana libertas peccandi licentiæ, imo eo potius pertinet noſtra libertas, ne amplius ſimus peccati ſerui. nam qui facit peccatum, eſt ſeruus peccati. Pugnat igitur fides remiſsionis peccatorum, & finis manifeſtati Chriſti, cum propoſito peccandi. Peccatum & mors hic comparantur grauiſsimo oneri impoſito generi humano, quo omnes homines adeo premuntur, vt ſub illo concidant, & collapſi æternum pereant, niſi quis ſuccurrat, & ſarcinam impoſitam diſſoluat, vinculo quo ligabatur rupto, videlicet reatu totius generis humani. Iam autem, quia nemo potuit hanc ſarcinam ſoluere inter omnes homines, apparuit filius Dei, id eſt, homo eſt factus, vt ſolueret vinculum, quo peccatum & mors colligata erant, atque ita hominem ſoluto onere, hoc eſt, expiato peccato, & victa morte, reſtitueret priſtinæ libertati. En quam appoſite Apoſtolus noſter interpretatur primam promiſsionem: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Porrò Chriſtus opera Diaboli diſſoluit, vincendo, expiando, gratiam infundendo, & conſummando. Vicit dum victor è morte ſurrexit. Expiat dum ſuæ mortis merito nos à peccato purgat & iuſtificat. Nam vt ait Auguſtinus: Per hominem peccatores ſumus, per homi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hominem Deum iuſtificamur. Item, vt ſoluat peccatum venit ille, qui non habet peccatũ. Infundit gratiam, dum nos ſuo ſpiritu donat, & efficacia ſuæ mortis, opera Diaboli, hoc eſt, peccata reprimit, mortificat, & paulatim abolet. Conſum̃abit, quando extrema hoſtium mors ſuperabitur, & pij donabuntur beata immortalitate. Hæc proinde Apoſtolica gnome ſemper ſit infixa mentibus noſtris, vt & agnoſcamus beneficiũ Chriſti Mediatoris diſſoluentis opera Diaboli, & caueamus ne noſtra culpa rurſus ligemus, quod ille ligatum ſoluit, & à nobis depoſuit & deſtruxit, hoc eſt, Ne nouo reatu noſtro rurſus colligamus ſarcinam peccati & mortis, & tandem ſub ea collapſi pereamus ingrati iuſto Dei iudicio.

Quiſquis natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt.

A regenerationis virtute, ſeu à cauſſa ad effectum hoc argumentum ſumitur. Cõcluditur autem hoc modo, Quicunq; habet ſemen Dei in ſe, non peccat. Omnis qui natus eſt ex Deo, habet ſemen Dei in ſe. Ergo omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat. Et rurſus ab effectu ad cauſſam. Qui natus eſt ex Deo, non peccat. Qui habet ſemen Dei in ſe, natus eſt ex Deo. Ergo qui habet ſemen Dei in ſe, non peccat. Peccandi vocabulum, vt ſuprà, habitum & ſtudium cum contumacia ſignificat, qualis fuit in Diabolo & in Cain. Septies enim in die cadit iuſtus & reſurgit. Et in Eccleſiaſte cap. 7. Non eſt iuſtus in terra, qui quanquam facit bona, non etiam peccet. Etſi igitur in ſanctis eſt conſtans voluntas, & προαίρεσις recte faciendi, tamen affectiones ſubinde oriuntur, quas varias varius rerum & temporũ affert euentus, ex quo fit, vt ſæpe labantur ſancti, qui tamen peccatis ſe opponunt, & carnis ſuę infirmitatem deplorant, vt Paulus cum in hunc mundũ exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Item: Mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Et rurſus: Non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum. Qui ergo odit potius peccatũ, quod ex vitio carnis ſæpe cõmittitur, quam approbat, is non dicitur peccatũ facere. Vnde Bernhardus: Notanda eſt (inquit) vis verborum, nõ peccatum facit quod patitur potius, quam facit, qui natus eſt ex Deo, & non poteſt peccare, perſeuerando ſcilicet in peccato, dum legi Dei cum mente ſeruit, etiam carnẽ feſtinat ſubigere: quę tentatione & peccato incurrente legi peccati videbatur ſeruire. Semen Dei & ipſum Euangelij verbũ notat, vnde Apoſtolus: Per Euangelium ego vos genui, & ipſum Spiritum ſanctũ ſignificat. Nam huius virtute, tãquam ex ſemine quodã noui homines gignimur, dũ corruptæ naturæ qualitates inſtaurãtur per Chriſtum, cui per fidem ſumus coniuncti, vt peccato mortui, Deo viuamus. Hoc ipſum argumentũ, licet alijs verbis, tractat Paulus ad Rom. 8. Quicunq; (inquit) aguntur ſpiritu Dei, hi ſunt filij Dei. Item: Si ſecũdum carnẽ vixeritis, moriemini, At ſi ſpiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis. Libertinis igitur, qui hoc loco Apoſtoli abutũtur, reſpõdeatur hoc modo per diſtinctionem: Vt peccati, ita & regenerationis duplex eſt ratio. Aliud eſt enim contumaciæ peccatũ ſeu regnans, Aliud infirmitatis. Illud imitatione Diaboli perpetratur, hoc ſpiritus imperio ſubiugatur, & domatur, vt non regnet. Quare vt nõ imputatur credentibus: ita nec peccati rationem habet corã Deo. De priori genere loquitur Apoſtolus noſter, non de poſteriori. Eſt etiam regeneratio duplex, inchoata videlicet & conſum̃ata, Illa in hac vita, hæc in futura locũ habebit. Nemo enim vnquã fuit in hac vita plene regeneratus, ſed quilibet pius quatenus regeneratus eſt, non peccat, quia autẽ id tantum ex parte eſt, quãdiu vitam trahimus in hoc mundo, non poſſumus eſſe prorſus im̃unes à peccato. Hęc noſtra interpretatio etiã confirmatur dicto illo: Si dicimus quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si igitur ſtabit hoc dictum, neceſſe eſt vt præſens locus Apoſtoli reſtringatur ad certum genus peccati, videlicet regnantis ſeu cõtumaciæ, quo vaſtatur conſcientia, & amittitur fides, & Spiritus ſanctus excutitur.

In hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij Diaboli.

Quia hic plenam diſtinctionẽ habent Græca exemplaria, & interpretes Græci nouum κεφάλαιον poſt hanc diſtinctionẽ, incipiunt, Hęc Apoſtoli verba ad pręcedentia refero, hoc modo: In hoc ſcilicet quod natus à Deo non faciat peccatum, & quod peccatum faciens ex Diabolo ſit, manifeſti ſunt filij Dei & filij Diaboli. Vt enim certiſsima nota filiorum Dei eſt pia & ſancta vita, ita indicium minime fallax filiorum Satanæ eſt, vita ſcelerata & peccatis immerſa. PORRO manifeſtatio filiorum Dei & filiorum Satanæ eſt duplex. Vna interna, quæ ipſis ſolis eſt nota. Altera externa, quæ in aliorum oculos incurrit. Interna nota filiorum Dei eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſides, dilectio, & ſpes. Externa eſt internæ fructus, videlicet opera fidei, caritatis & ſpei, quæ incurrunt in hominum oculos. Has notas coniungit Paulus ad Theſſal. 1. vbi fidei ἔργον, dilectioni κόπον, & ſpei ὑπομονὴν, tribuit. Interna nota filiorũ Satanę eſt vacuitas fidei, dilectionis & ſpei, diffidentia, odium fraternum, & alij affectus, qui cum his cõiuncti ſunt. Externa eſt diffidentiæ fructus, atq; adeo regnum peccati, quod cõſpicitur in ſcelerata vita & actionibus pugnantibus cũ lege Dei, quales actiones recitat Paulus ad Roman. 1. & ad Galat. capite 5. vbi inter ſeſe confert fructus ſpiritus & opera carnis.

Quiſquis non facit iuſticiam, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.

Hic Græci interpretes, vt dixi, nouum κεφάλαιον facunt, videlicet de caritate fraterna. Deſcendit enim hoc loco Apoſtolus à theſi ad hypotheſin, & concluſionem demonſtratam, vt principium proponit, vnde hypotheſin de dilectione fraterna, hoc modo infert: Quiſquis non facit iuſticiã, non eſt ex Deo, (hæc propoſitio ſupra demonſtrata eſt) Qui non diligit fratrem ſuum, non facit iuſticiam. Ergo qui non diligit fratrem ſuum, non eſt ex Deo. Proinde vt fratres diligamus neceſſe eſt, modo velimus cenſeri inter filios Dei: atq; hæc concluſio, propoſitio eſt præſentis loci. Monemur igitur dilectionem fraternam eſſe præcipuam notam filiorũ Dei, vnde Auguſtinus in hunc modum ſcribit: Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios Diaboli. ſignent ſe omnes ſigno crucis Chriſti, reſpondeant omnes Amen, cantent omnes haleluia, baptizentur omnes, farciant parietes baſilicarum, Non diſcernuntur filij Dei à filijs Diaboli niſi caritate. Loquitur autem hic Auguſtinus de nota filiorum Dei incurrente in oculos aliorum, cum qua coniuncta ſunt ea, quæ ſupra annotauimus, de externa & interna nota filiorum Dei.

Quia hæc eſt annunciatio quam audis ab initio, vt diligamus nos inuicem.

Probat minorem à contrario. Mandatum Dei eſt, vt diligamus fratres, Ergo qui non diligit fratrem, mandatum Dei violat. Quare cum mandati Dei tranſgreſſor ſit, iniuſtus omnino cenſendus eſt, atq; adeo non eſt inter filios Dei reputandus. Filiorum enim eſt mandatis paternis obſequi, quare cum Deus mandat dilectionem, ipſius filios ſe eſſe profitentur, qui ſe mutuo diligunt. Annunciationem vocat prædicationem, qua hoc Dei mandatum promulgatur, de quo mandato ſupra copioſe dictum eſt, vbi expoſuimus, cur idem & vetus & nouum mandatum dicatur.

Non ſicut Cain qui ex illo malo erat, & occidit fratrem ſuum. cuius autem gratia occidit eum? quia opera eius mala erant, fratris autem iuſta.

Exemplũ proponit illuſtre, in quo notam filiorum Satanę ponit ob oculos, videlicet odium fraternum, quod homicidiũ ſecutum eſt. Occidit enim ex odio Cain Abelem, homo hominẽ, frater fratrem, ſceleratus hypocrita pium Dei cultorem. Vnde hoc odium? Vnde hoc fratricidium? Tres cauſſas recenſet Apoſtolus noſter, quarum prima eſt, quod ex illo malo, hoc eſt, Satana fuerit Cain fratricida. Nam concupiſcentiæ originali indulgens, ferebatur ferox in obſequium Satanæ contra Deum, ob quam imitationem Apoſtolus noſter pronunciat ipſum à Satana fuiſſe. SECVNDA, quod opera ipſius Cain fuerint mala, hoc eſt, cultus ſuperſtitioſus. Etſi enim ipſius ſacrificium abſq; dubio habebat mandatum diuinũ, tamen quia nec à fide profectum eſt, nec in gloriam Dei tendebat, ſed potius in gloriam miſeri hypocritæ, ſuperſtitioſum fuit & hypocriticum. Eſt autem natura hypocritarum, omnes eos perſequi, qui ſuas ſuperſtitiones non ſequuntur. TERTIA, quod opera Abel fuerint bona, id eſt, cultus Dei purus ex ſincera fide profectus in gloriam Dei. Porrò, quia hic habemus imaginẽ Eccleſiæ hypocritarum omniũ temporum depictam, & conditionem veræ Eccleſiæ in hac vita præmonſtratam, volo breuiter de his duobus fratribus quædam adijcere. ETSI autem multa occurrunt conſideranda in hiſtoria Cain & Abelis, tamen quo certa methodo nos expediamus, quatuor præcipue examinanda proponam, ex quibus perſpicuum diſcrimen falſæ & veræ Eccleſiæ colligemus. Sunt autem hæc quatuor: Nomina perſonarum, fortuna, ſtudium ſeu conatus, & exitus.

Nomina quæ arcano conſilio Dei (nihil de myſterio cogitantibus parentibus) his duob. fratribus ſunt impoſita, adumbrabant externã ſpeciem vtriuſq; Eccleſiæ, videlicet falſæ & veræ. Cain enim falſam, Abel autẽ veram Eccleſiam repræſentat nomine. Vt enim appellatio Cain à dominio & poſſeſſione ſumta eſt: ita falſa Eccleſia ſemper tumet ſuperbo titulo,

& ſi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

& ſibi dominium in veram Eccleſiam vendicat. Et vt Abel à vanitate & contemtu nomen ſortitur: ita vera Eccleſia in mundo vilis & cõtemta deliteſcit, & videtur ſapientibus mundi vmbra vanæ ſpei delectari. Non eſt dubium quin Cain (vt primogenitus) multis modis ſit prælatus Abeli tanquam poſterius nato, etiam apud ipſos parẽtes Adam & Euam. Nam homines ſæpiſsime decipiuntur externa rerũ forma, & iudicant iuxta ea, quæ incurrunt in oculos, ex quo fit vt ſæpiſsime fallantur. Abraham duos habuit filios, quorũ vnus quaſi impetratus à Deo Iſmaël dictus eſt; alter vero quaſi ridiculus & contemtus, Iſaac eſt nominatus. Hi duo fratres adumbrauerunt veram & falſam Eccleſiã, & ipſe pater Abrahã multum prætulit Iſmaëlem Iſaaco, & mater Iſmaëlis non parum ſuperbiebat de filij ſui Iſmaëlis prerogatiua, donec Abraham diuinitus admonitus eſt, vt eijceret matrem Agar cum ſuo filio Iſmaële, atque eum ab hæreditate excluderet. Iſaac ſimiliter duos filios habuit, quorum vnus tanquam ſupplantator, dictus eſt Iacob, alter tanquam præclarus & potens ab efficiendo dictus eſt Eſau. Hic Eſau à patre propter venationem eſt in pretio habitus, ſed Iacob à matre propter promiſsionem amatur. Atque ita plane totius mundi hiſtoria, de vera & falſa Eccleſia congruit ad hæc tria exempla à nobis propoſita.

Fortuna veræ & falſæ Eccleſiæ etiam in Caino & Abele cernitur. Nam vt Cain ad tempus dominium habuit & prærogatiuam in domo paterna. Sic hypocritæ ſe anteponunt vere pijs, gloriantes de dominio & autoritate. Huius dominij & autoritatis gratia, ſupra modum ſuperbit hypocritarum Eccleſia, & acerbiſsimis ſarcaſmis deridet veram Eccleſiam, tanquam proſtratam & victam. Splendorem dominatus iactat, grauitate nominis, quod dicatur Catholica, Romana, fundata ſuper fundamento Apoſtolorum, ſe effert. Maiorum inſtituta prædicat. De victorijs ſuis aduerſus veram Eccleſiam ſuperbe triumphat, & ex cruce clamitat veram Eccleſiam à Deo contemtam & deſertam eſſe. Hinc illa ſuperbiſſima oratio Ciceronis aduerſus Iudæorum religionem, cum adhuc ſedes Eccleſiæ eſſet Hieroſolymis: Sua cuique ciuitati religio Læli eſt, noſtra nobis, ſtantibus Hieroſolymis, pacatiſque Iudæis, tamen iſtorum religio ſacrorum, à ſplendore huius imperij, grauitate nominis noſtri, maiorum inſtitutis abhorrebat. Nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de Imperio noſtro ſentiret, oſtẽdit armis, quam cara dijs immortalibus eſſet, docuit, quod eſt victa, quod elocata, quod ſeruata. Hactenus Cicero. Sed quam fallitur puluis & cinis ſuo iudicio, vere pijs conſtat, qui non iſtis fallacibus concluſionibus ſe permittunt à recta ſententia dimoueri. Norunt enim aliud iudiciũ Dei eſſe, quam ſapientum huius mundi, norunt non ſine cauſſa eandem Dei Eccleſiam, nunc Iacob, nunc Iſraël appellari. Iacob quidem ob externam ſpeciem, Iſraël vero propter inuiſibilem gloriam. Synagoga igitur Satanæ etſi ſe oblectat eminentiæ & felicitatis ſpectro, tamen ſplendor veræ Eccleſiæ in infinitũ & maior & verior eſt. Non enim eminentia veræ Eccleſiæ ſita eſt in imperijs mundi, non in auro & argento, non in pompa & honoribus, non in luxu & delitijs huius mundi, cũ Eccleſia Dei ſemper ſit in mundo exoſa, vbiq; ei contradicatur, affligatur, expellatur, tanquam ouis occiſionis trucidetur: Sed in fide, patientia, caritate, virtute operationum in virtutibus, donis & gratia: cum interea Eccleſia malignantiũ inſanabilibus cõſcientiæ vulneribus ſauciata, ad mentionẽ futuri iudicij horribiliter exhorreſcit. TERTIO, ſtudium & conatus vtriuſq; Eccleſiæ, veræ ſcilicet & falſæ, etiã cernuntur in hiſce fratribus. Vt enim in Cain eſt contemtus verbi Dei, hypocriſis, odium veræ Eccleſiæ, tyrannis, perſecutio, oppreſsio innocentis fratris, mendacium & excuſatio nefarij facti: Sic Eccleſia hypocritarum omnium temporum verbum Dei contemnit, ſuas traditiones extollit, perſequitur innocentes, iudicat ſe Deo cultum præſtare, ſi ſanguine ſanctorum curſum Euangelij impediuerit. Contra vero, vt in Abele fuit amor verbi Dei, vera pietas, fraterna caritas, patientia, & alia pietatis exercitia, vnde & Deo carus fuit: ita vera Eccleſia ſe Deo ſubijcit, eius ſolum verbum lumen vitæ prætendit, atque adeo in ſtadio veræ pietatis ad finem vſque perſeuerat. QVARTO exitus vtriuſque ſpectandus eſt. Vt enim Cain ſuo ſtudio & conatu tandem peruenit ad illud θρηνῶδες ἀπόφθεγμα, Maior eſt iniquitas mea quam propiciatio. Nam ira Dei oppreſſus, & conſcientia ſcelerum, æternum eſt damnatus. Conſimili modo omnes hypocritæ ſuis tandem factis conſequentur digna præmia. Et vt Abel diuinitus in hac vita ſub cruce accepit conſolationes, & tandem donatus eſt æterna vita propter Semen promiſſum: Ita omnes timentes Deum, hoc eſt, ciues & domeſtici Dei, hic ſub cruce conſolationes percipiunt, & poſt hanc vitam cum CHRISTO gloriæ & immortalitatis erunt participes. Atque ita diligenter obſeruandum eſt quod Deus ſtatim in initio poſt conditos homines propoſuit duo exempla, quæ perpetuo nos de vera & falſa Eccleſia, de æterno Dei decreto, & regula iuſticiæ diuinæ cõmonefaciant. Nam vt in exemplo Abelis Deus oſtendit, quod velit omnes pœnitẽtes & ſibi obœdientes tueri, & tandem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ipſos ęterna vita donare propter Chriſtum: Ita exemplo Caini docet,ſe abominari omnem hypocriſin & tyrannidem, & velle tandem contumaces æternis pœnis ſubijcere. Hæc exempla ſemper ſint nobis in conſpectu,vt nos cõmonefaciant de regula iuſticiæ diuinæ,quã ſemper in iudicando intuetur abſque omni perſonarum reſpectu.

Nc miremini fratres,quod odit vos mundus.

Applicat exemplũ Cain & Abelis ad ſtatum Eccleſiæ ſui temporis. Ac ſi dicat: Turbamini quidem non ſine magna admiratione,quod vos mundus odio habeat,Sed in hoc exẽplo Cain & Abelis ſpectate Eccleſiæ in hoc mundo conditionem. Nam hoc exemplum docet,non nouum eſſe, quod Cain Abelem,hoc eſt,impij filios Dei perſequantur. Vt enim Abel imaginẽ gerit piorum:ita Cain impiorum typus exiſtit. Qui Cain Abelem fratrẽ ex malitia propria,non ob iniuſticiã fratris, odit: impietas enim nõ habet vllam cum pietate conſenſionem,neq; ſpiritus Dei & ſpiritus Satanæ vnquã inter ſe conuenire poſſunt. Veriſsima enim manebit prophetia illa: Serpens mordebit calcaneũ ſeminis mulieris. Et Paulus: Omnes qui volunt pie viuere in Chriſto,perſecutionẽ patientur. Et Petrus in quarto prioris: Ne peregrinemini ea quę in vobis eſt exploratione per ignẽ,hoc eſt,Ne perinde ſitis attoniti,vt qui in rẽ peregrinam & nouã incidunt,de qua nunquã antea cogitarunt. Nam inde vſq; ab initio crux comes Eccleſię ſemper fuit,& erit vſq; ad extremũ diem,tunc enim ſanctorũ lachrymæ abſtergentur,& perpetuũ ſabbatum celebrabunt in omni æternitate,conſpectu Dei lęti fruentes.

Nos ſcimus quod tranſiuimus ex morte ad vitam,quia diligimus fratres.

Conſolatur pios, qui ab impijs hoſtiliter opprimuntur, & quotidie ad mortis ſupplicia rapiũtur. Sicuti enim impij ſunt deſtinati dãnationi & morti cum impio Caino: ita pij cũ ſancto Abele,à morte gehennæ ad vitam ſalutis & gloriæ tranſlati ſunt, idq; per hoc ſignum ſciunt,quod diligãt fratres. Non enim hic Apoſtolus dilectionẽ fratrum cauſſam tranſitus à morte ad vitam facit,ſed ſignũ tantum & teſtimonium,imitatus magiſtrum ſuum,qui lotis diſcipulorum pedibus ait: In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei ſitis, ſi dilectionẽ erga vos mutuam habueritis. Sicut & Auguſtinus hoc loco recte monet,caritatẽ nõ cauſſam,ſed ſignum eſſe. Cauſſam tranſitus à morte ad vitam expreſsit Dominus Ioh.5. dicens: Amen amẽ dico vobis,quod qui ſermonẽ meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitã æternam,& in iudicium non veniet,ſed tranſiuit à morte ad vitam. Vtitur autem vterq;,hoc eſt,Chriſtus & Iohannes, in his dictis,præterito perfecto,vt quod nondum niſi ſpe poſsidemus,tam certo ſciamus futurum,ac iam nobis reipſa præſtitum eſſet. Hæc temporis Enallage etiã obſeruetur in Prophetarũ lectione,qui ob certitudinem infallibilem, euentus prophetiarum,ſæpe præteritis pro futuris vtuntur. Docet & hic locus Apoſtoli,quanta ſit nouæ obœdientię,cuius caput eſt fraterna dilectio,neceſsitas: Niſi enim nos mutuo dilexerimꝰ,excutitur fides, amittitur Spiritus ſanctus,atq; nouo reatu mortis obſtringimur. Vnde Auguſtinꝰ in hunc locum: Nemo interroget hominẽ,redeat vnuſquiſq; ad cor ſuum,ſi ibi inuenerit caritatem fraternam, ſecurus ſit, quia tranſijt à morte ad vitam,non attendat,quia modo gloria eius occulta eſt,cum venerit Dominus,tunc apparebit gloria eius. Viget enim,ſed vt in hyeme viget radix, ſed quaſi aridi ſunt rami,intus eſt medulla quę viget,intus ſunt folia arborum, intus fuctus,ſed æſtatem expectant.

Qui non diligit fratrem, manet in morte.

Antitheſis eſt ſuperioris dicti, quæ per contrarium ſenſum infertur hoc modo: Qui diligit fratrem, tranſijt à morte ad vitam. Ergo qui non diligit fratrẽ, non tranſijt à morte ad vitam. Manet igitur in morte,hoc eſt, adhuc mortis reatu obſtringitur. Hæc aſſeueratio copioſe explicatur 1. Corinth.13. vbi caritatis inſignia recitat Apoſtolus. Porrò vt hæc regula, quæ eſt maior in ſyllogiſmo practico recte accommodari poſsit, tenẽdum eſt diſcrimen, Primum inter fratres & hoſtes, Deinde inter perſonas,& perſonarũ errata. Fratres ſunt, Apoſtolica phraſi, qui eandem fidem & eundem Mediatorem Chriſtum nobiſcum profitentur, ſiue noſtræ perſonæ inimici ſunt, ſiue amici. Hoſtes autem ſunt, qui à noſtra fide alieni ſunt, & perſequuntur CHRISTVM, & eius ſanctum Euangelium odio habent. Perſonæ, cum fratres tum hoſtes creatura Dei ſunt,& eiuſdem nobiſcum naturæ participes,quare ſimpliciter omnes homines diligendi ſunt. Errata aliunde veniunt, quæ ſunt vel corrigibilia,vel pertinaci cõtumacia firmata, vt corrigi non poſsint. Regula proinde Apoſtolica ſic applicanda eſt: Qui

non

nõ diligit fratrem ſiue amicum ſibi, ſiue inimicũ, manet in morte, id eſt, Qui Chriſtianum quemlibet odit, morte reus eſt. Attamen qui erratis fratrũ iraſcitur, imo qui flagitioſos mores odit, recte facit. Nemo enim amare debet, quod Deus odit. Ita enim Salomon ait, Prouerb. 8. Timor Domini odit malum, arrogantiam & ſuperbiam, & viam prauam, & os peruerſum. Et Syracides: Inuiſa eſt Deo & hominibus ſuperbia. Verum ne teipſum fallas, cor tuum examina hoc modo: Si doles ex animo de lapſu fraterno, & ſi delinquentem fratrem cupis meliorẽ fieri, & redire à vijs ſuis malis & ſaluari, Odium ſcelerum ipſius iuſtum eſt, & ſanctum. Verum ſi illum vna cum flagitijs ſuis cupis perditũ, caritate fraterna excidiſti, fidem amiſiſti, & iuxta hanc Apoſtolicam regulã manes in morte. Porro, ſi hoſtes ſunt, hoc eſt, alieni à fide Chriſtiana, tunc vel emendabiles ſunt, vel contumaces omnino. Si ſunt emendabiles, conſilio, precibus, & omni pietatis officio ſubleuandi ſunt, vt tandem conuertantur & ſaluentur. Si igitur in aliqua fuerint neceſsitate cõſtituti, porrige illis manum & ſubleua illos exemplo Samaritani Euangelici, qui Iudæum incidentem in latrones, etſi hoſtem, contumelioſe ſuam totam nationem abominantem, & extreme contemnentẽ, atq; adeo infra canes reijcientem, memor quod & proximus tuus ſit, & CHRISTVS te iacentem & proſtratũ ſub Diabolo erexerit, nõ parcens proprio ſanguini, vt te à morte & inferno vendicaret. Si te perſequuntur hoſtes, exemplum filij Dei imitare, qui orauit pro ijs, qui eum cruci affixerunt. Exemplũ imitare Stephani, qui pro lapidantibus eum in genua prouolutus intercedebat. Exemplũ imitare Apoſtoli Iacobi filij Alphei, qui ſupplex interceſsit pro ijs, qui eum de pinna templi præcipitauerunt, & pro fullone qui eum fuſte occidit. Fateor hoc graue & arduum eſſe carni & ſanguini, ſed omnia poſsibilia ſunt credenti. Orandum eſt igitur, vt Deus nobis ex gratia largiatur, quod negatum eſt nobis natura. Quid? an non Dauid precatur contra hoſtes, vt confundantur & pereant? An non in Pſalmo 139. in hunc modũ precatur, imo quodammodo gloriatur de iuſto facto: Qui loquuntur (inquit) contra te ſcelerata, extolluntur hoſtes tui fruſtra. Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & inſurgentes contra te, abominabar? Perfecto odio oderam illos, ideo inimici facti ſunt mihi. Dauid hic diſcernit inter hoſtes ſuæ perſonæ & hoſtes Dei, item inter emendabiles, & pertinaci contumacia perditos. Quantum ad hos attinet, poteris cum Dauide contra illos, cum conditione tamen, precari, vt confundantur & pereant potius, quam Deum contumelia diutius afficiant, & multorum impediant ſalutem. Sic precamur contra Turcam hoſtem Chriſtiani nominis. Sic precamur contra Papam & alios Tyrannos. At Dauid dicit: Perfecto odio óderam illos. Hoc odium quamlibet ſit vehemens & perfectũ, haud tamẽ arcet ſanctorum beneficentiã in impios, quam diu hic à Domino feruntur, qua ſcilicet imitantur Patrem ſuũ cœleſtem, vt ſicut ipſe Solem & pluuiam ſuam deploratis etiam impartit: ita & ipſi, quæ poſſunt, illis corporis dum egent beneficia præſtent, fouentes ſcilicet quod in illis Dei eſt, nempe corpuſculum, quod dum vita adhuc fruitur Dei beneuolentia, nondum penitus excluſum eſt. Animum autem & mores illorum, qui toti Satanam referunt, oderunt & peius nihil. Hanc noſtram diſtinctionem confirmat Apoſtolus noſter, in ſecunda Epiſtola, vbi de hoſtibus fidei in hunc modũ ſcribit: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei, Aue, cõmunicat operibus eius malignis. Hoc eſt, ſi quis abſq; confeſsione fidei & doctrinæ Chriſti ad vos veniat, non ſolũ protectionem à vobis non conſequatur, ſed neq; ſalutis precationẽ à vobis accipiat. Merito & caute hæc dicit Apoſtolus, quaſi hæc ſalutis precatio ſolum illis debeatur, qui conueniunt moribus & fide nobiſcũ. Quibus enim precamur ſalutem niſi his, qui ſimiliũ ſunt morum ac fidei? Nemo tamen hoc dicto Iohannis tolli putet dilectionem, qua fouere debemus etiam hoſtes Chriſti, ſi eorũ neceſsitatem conſpexerimus, ſed tantũ vult vt eos ita fugiamus, ne vel corrumpamur eorũ conſuetudine, vel videamur illorum erroribus conſentire. Cæterum, vt paucis me expediam, Pſalmus 15. diſerte quomodo agendum ſit cum omnibus, docet hiſce verbis: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? inter alia in hoc Pſalmo ſubijcit: Qui non ſtruxit inſidias lingua ſua, nec fecit malum proximo ſuo, nec probrum leuauit aduerſus proximum ſuũ, in cuius conſpectu malignus contemtus eſt. Timentes autem Dominum glorificat. Ex hiſce puto conſtare, quomodo hæc Apoſtolica regula applicari poſsit ſine errore. Bene ſis affectus erga proximum, & candide de eo ſentias, Malignorum ſtudia improbes & auerſeris, timentes Deum omni honore proſequaris. Deinde & hoc obſeruetur, quod non diligere hoc loco, ſit exemplo Satanæ & Cain, hominẽ odiſſe, perſequi & perdere velle ſine omni erga ipſum humanitatis affectione. Alioquin pius poteſt eidem iraſci quẽ diligit, vt pater erranti filio iraſcitur, quem tamẽ ex dilectione corripit. Proinde iraſci & diligere non opponuntur ſemper, ſed odiſſe & diligere eodem reſpectu, nemo ſimul poterit. Habet pius aduerſariũ eiuſdem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

religionis conſortem, cuius inſidias & calumnias odit, perſonæ ipſius iraſcitur: at ſi cupit illum meliorem fieri, & reſipiſcere ex dilectione Chriſtiana, nõ excidit gratia, nec odiſſe fratrem cenſendus eſt. Cum autem ſic loquimur, nequaquam omnem iram approbamus, ſed tantum iuſtam, hoc eſt, eam, quę procedit ex bona cauſſa, & tendit moderate ad bonum finem, qualis fuit in Moſe, Chriſto, Paulo & multis alijs, & quia in hac carnis noſtræ infirmitate ſæpius modum excedimus, precamur quotidie: Remitte nobis debita noſtra, & confugimus ad Aduocatum noſtrum, quem habemus in cœlo, Ieſum Chriſtum iuſtum, qui eſt propiciatio pro peccatis noſtris.

Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcimus quod omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.

A contrariorum conſequentibus colligit argumentũ hoc modo: Omnis homicida in morte manet, ſeu quod idem eſt, non habet vitam in ſe manentem. Qui non diligit fratrem, ſeu qui odit fratrẽ, eſt homicida: Proinde omnis qui non diligit fratrem, ſeu qui odit fratrem, in morte manet, ſeu non habet vitam æterná in ſe manentem. Homicidium enim non tantum occidentis manu, ſed etiá obœdientis animo perpetratur. Sicut ergo dilectio fraterna vitæ teſtimoniũ eſt: ita odium fratris mortis eſt indicium. Vocabulum Odij tribus modis videtur in ſcripturis accipi, cum homini tribuitur. PRIMVM enim ſignificat ipſum affectum, quo quis proximo ſuo male vult, ita vt cuperet eum perditum, & definitur ab Auguſtino hoc modo: Odium eſt vetus ira, ex multis cauſſis collecta, diuturno tempore perſeuerans. Ariſtoteles autẽ in hunc modum: Odium eſt ira inueterata & confirmata, habens propoſitũ interitum exitiumq; illius quẽ quis odit, & cui inimicus eſt, itaq; odiũ eſt inſatiabile, in hocq; ab ira recenti differt, quod ea nec perniciem alterius habeat propoſitam, & tempore placari poteſt. Hoc odium variat obiectis, vt aliud ſit bonum aliud malum. Bonum quidem, quo res à Deo damnatas proſequimur, iuxta illud: Odio habentes malum. Malum vero, quod verbo Dei damnatur, quale eſt odiũ proximi, & aliarum rerum bonarum. SECVNDO, Odium cum ipſa cauſſa, id eſt, cum affectu, & ipſum effectum ſeu actionẽ ſignificat. vt cum Cain ex odio occidit fratrem, cum tyranni & hypocritę ex odio effundunt ſanctorum ſanguinem. De vtroq; ſcribit Bernhardus in hunc modum: Honeſta virgo audi quæ dico. Odium ſeparat hominẽ à regno Dei. Odium ſeparat hominem à Paradiſo. Odium ſubtrahit hominẽ à cœlo. Odium nec per paſsionem deletur, nec per martyriũ purgatur, nec per ſanguinem effuſum abluitur. Non debemus odio habere homines, ſed vitia, qui fratrem ſuum odit, homicida eſt, in tenebris eſt, in tenebris ambulat, Deum nõ diligit qui hominem odit, quantum intereſt inter feſtucam & trabem, tantum etiá diſtat inter iram & odium. Odium eſt enim ira inueterata. Per iram turbatur oculus mentis: per odium extinguitur oculus cordis. Et Gregorius: Quamuis per omne vitium quod perpetratur humano corde, antiqui hoſtis virus infunditur, in hac tamẽ nequitia tota viſcera ſua ſerpens concutit, & imprimendæ malitiæ peſtẽ vomit. TERTIO, Odium nec cauſſam nec affectum ſignificat, ſed per metalepſin, declinare & effugere hominũ cõſilia, & auerſari ſtudia, vt in illo Lucæ decimoquarto, Si quis venit ad me, nec odit patrẽ ſuum & matrem, & vxorem & liberos, & fratres & ſorores, amplius autẽ etiam animá ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hoc non ſimpliciter intelligendũ eſt: ſed cum conditione, videlicet, ſi te à fide & confeſsione Chriſti auocare conantur, declina & fuge illorum conſilia. Quantum autẽ ad animam propriam attinet, quam Chriſtus vult nos odiſſe, ſciendum eſt, quod tum demum dicimur odiſſe animã noſtram, quando eius carnalibus deſiderijs non acquieſcimus, quando eius appetitum frangimus, & voluptatibus reluctamur.

Per hoc cognouimus caritatem, quod ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere.

Duo hic facit Iohãnes. Nam & abſolutiſsimum dilectionis exemplar proponit, & quæ ſit veræ dilectionis indoles ſeu proprietas oſtendit. Abſolutiſsimum exemplar caritatis eſt Chriſtus, qui animã ſuam pro nobis redimendis poſuit. Vnde Paulus: Commendat ſuam caritatẽ erga nos Deus, quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit. Multo igitur magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſeruabimur per ipſum ab ira. Veræ dilectionis indoles in nobis erit, ſi ita fuerimus erga fratres affecti, quod malimus pro ipſis vitam ponere, quã ſinamus ipſos perire, idq; exemplo Chriſti, qui nobis hanc caritatis legẽ impoſuit: Diligite (inquit) vos inuicẽ, ſicut ego dilexi vos. Hinc ergo colligamus verã dilectionis proximi definitionem, videlicet, quod ſit affectus cordis intimus, quo ita proximũ diligimus, vt ſalutem ipſius noſtræ proponamus vitæ.

Quicun-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quicunque habuerit victum mundi, & viderit fratrem egentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?

A remotione effectus ad remotionem cauſſæ argumentatur. Eſt enim caritas qua Deus diligitur, cauſſa caritatis proximi. Vbi ergo non eſt caritas proximi, illic neque caritas Deī eſſe poteſt. Hoc itaque modo concludamus argumentum: Quicunque non diligit proximum, neq; Deum diligit, Qui non afficitur miſericordia erga egentē proximū, is ſane nequaquam proximum diligit. Ergo qui non afficitur miſericordia erga proximum, nequaquam Deum diligit. Minor eſt manifeſta, nam fieri nō poteſt, vt miſericordia à dilectione ſeparetur. Claudere viſcera dicitur, qui non aperit indigenti ſuum pectus, nec promto animo illi ſuccurrit, ita claudere ponitur pro contrario negato. Aperit igitur pectus ſuum ſeu viſcera, qui nō ſimulata miſericordia mouetur ad ſuccurrendum neceſſitatibus proximorum, & motus miſericordia manum ſimul porrigit. Porro σπλάγχνα intimam in ipſis viſceribus hærentem ſtorgam, pietatem & miſericordiam notat, qualis eſt matrū erga ſuas proles, quas tenerrime complectuntur & diligunt. Hic locus perſpicue monſtrat vanam eſſe iactantiam eorum, qui de fide ſine operibus miſericordiæ gloriantur. Vbi enim eſt vera fides, illic & caritas Dei eſt, à qua tanquam ex fonte manat caritas erga proximum & miſericordia. QVONIAM autem̄ hoc loco commendatur nobis beneficentia ſeu miſericordia erga egenos, libet primum cauſſas recitare, quibus pij excitari debeant ad beneficentiā erga egenos. Deinde oſtendere, qualis affectus dantis eleemoſynam eſſe debeat. TERTIO modum eleemoſynæ præſcribere. QVARTO fines & fructus adijcere. CAVSSÆ quibus pij ad beneficentiam erga egenos excitari debeant, ſunt plurimæ, inter quas hæ ſunt præcipuæ. PRIMA Chriſtianiſmus ipſe, ſeu profeſſio Chriſtianæ religionis: hæc enim requirit, vt in omni opere bono abundemus, & vt nos inuicem tanquam membra eiuſdem corporis, cuius caput eſt Chriſtus, complectamur ac foueamus. Hoc cum ex fide Chriſti fit, in timore Dei verum meditamur Chriſtianiſmum, hoc eſt, vere diuinam naturam imitari conamur. Nam cum Deus, quē imitari nos vult Chriſtianiſmus, diues eſt miſericordia, atque adeo pater miſericordiarum, nos ipſius miſericordiā imitando, diuinæ quodammodo naturæ imitatores dicimur. Qui autem in hac imitatione non occupantur, falſo ſibi arrogant Chriſtianū nomen, falſo gloriantur ſe eſſe filios Dei, cum ſint ſpurij potius, nullū enim inter filios ſuos agnoſcit Dominus, niſi quē conari viderit ſaltem paternas imitari virtutes. Huc pertinet illud dictū Domini apud Prophetā: Si ego pater veſter, vbi honor meus? Eſt autem præcipua honoris pars, qua filij ſuos parentes proſequi poſſunt, eorum virtutes imitari. Hanc cauſſam miſericordiæ egenis præſtandæ proponat ſibi, quiſquis Chriſtianiſmi gloriā ſerio expectat, nec ſinat ſe exemplis prauis ab hoc neceſſario ac debito cultu Dei abduci. SECVNDA, Mandatum Dei, cui omnes creaturas parere æquum eſt. Huius cauſſæ meminit Syrac. ca. 29. cum inquit: Propter mandatum Dei ſubueni pauperi, atque in eius egeſtate ne auerſeris ipſum. Et paulo poſt: Theſaurum tuum ſecundum mandatum altiſſimi colloca, & tibi magis quam aurum proderit. Theſaurus quidem noſter qui nunquam deficit deponendus atque aſſeruandus nobis eſt in cœlo: ſed tamen in hac vita apud pauperes collocatur, in quos beneficia collatą ita accipit Dominus quaſi in ipſum contuliſſemus. Omnia teſtimonia ſcripturæ, quæ nobis dilectionem proximi commendant, requirunt præcipue beneficentiam erga egenos. Nam hæc dilectionis verę præcipua pars eſt, vnde Dominus Deuter. 25. Præcipio tibi vt aperias fratri egenti manum. Hoc præceptum Dei qui contemnit, quomodo Deum diligere poteſt? quomodo timere? Qui tollit miſericordiam (inquit Iob) à proximo, timorem Domini abiecit. Quicunq; igitur conſtituit Deum diligere, Deum ex animo timere, cogitet ſerio ſe Deo præcipienti obœdientiam debere. TERTIA, exemplorum imitatio, Chriſti Domini primum, ac deinde membrorum ipſius. Chriſtus pro nobis factus eſt pauper, vt nos ditaret, quid ergo viciſſim Chriſti membris debemus? Nonne omnem beneficentiam? præſertim cum Chriſtus ſibi factum teſtatur, quicquid ipſius minimis membris fecerimus, Matth. 25. & 10. Sanctis patribus nihil fuit magis in votis quam pauperes refocillare. Abraham peregrinos obſeruat, vt ipſis inuitatis beneficentiam præſtet. Loth inuitat angelos, quos peregrinos pauperes eſſe putabat. Cornelius aulicus vacaſſe perpetuo orationi & eleemoſynæ ſcribitur, quas aſcendiſſe coram Deo teſtatur ſcriptura. QVARTA, dignitas & æſtimatio eleemoſynæ pie præſtitæ coram Deo, Prouerb. 21. Facere miſericordiā & iudicium gratius eſt Domino quam victima. Matth. 9. Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Hebr. 13. Beneficentiæ vero & communicationis ne obliuiſcemini, talibus enim̄ victimis delectatur DEVS. QVINTA, proximus ipſe nobis naturę ſocietate, & gratię cōmunione coniunctus, eorundē bonorū cœleſtium hęres

nobiſcum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nobiſcũ,cuius egeſtate qui non afficitur,nec naturæ communis,nec participationis gratiæ rationem habet. SEXTA,pœna non præſtitæ beneficentiæ proximo indigenti,eaq; multiplex. Prima,ira Dei. Syracides:Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram. Secunda, maledictio.idem:Maledicentis tibi in amaritudine animæ,exauditur deprecatio eius,exaudiet autem eum qui fecit illũ. Tertia,repulſa precationis noſtræ,in noſtris neceſsitatib⁹. Prouerb.21.Qui obdurat aures ſuas ad deprecationem pauperis,ipſe clamabit & non exaudietur. Quarta,Spoliatio donorum,vel certe virtutis facultatum ſurreptio,ſicut ſcriptum eſt: Non habenti auferetur ab eo quod habet. Is enim non habere dicitur,qui donis ſuis & facultatibus, in gloriam Dei & ſubleuationẽ miſerorũ non recte vtitur. Sexta, Mendicitas liberorũ,aut flagitioſiſsima eorũ vita,quæ omni egeſtate & miſeria quauis alia multo grauior eſt. AFFECTVS eius,qui eleemoſynam conſtituit elargiri, recte compoſitus eſſe debet. Hoc autem fiet hac ratione. Primum; Si vitauit quæ vitanda ſunt. Deinde,ſi iuxta dilectionis normã liberalis fuerit. Chriſtus duo vitia ab eleemoſyna vult abeſſe, videlicet hypocriſin,& inanem gloriam, Matth. 6. Hæc enim duo vitia tanquã peſtifera venena inficiunt opera hominũ quantumuis diuinitus præcepta. Nam vbi hypocriſis eſt,ibi nulla fides eſſe poteſt,vbi inanis gloria, ibi nullus timor Dei,nulla proximi & Dei dilectio. Vitentur itaque in eleemoſynis noſtris Phariſaica hypocriſis, & ſtulta gloriatio. Et econtra,concipiatur verus amor Dei,vera dilectio proximi,ſimplex candor cum hilaritate quadam. His enim affectibus tanquam ſale quodam diuino aſpergi debet eleemoſyna , quo gratũ Deo ſacrificium eſſe poſsit. MODVS eleemoſynæ etiam ſpectandus eſt,idque Primum ſecundum quantitatem,iuxta cõſilium Thobiæ,qui ait: Si multũ tibi fuerit,abundanter tribue, Si parum , libenter impartiri ſtude. SBCVNDO iuxta ἰσότητα, hoc eſt, æqualitatem, vt tu ex debito officio conferas egenti eleemoſynam,& ille viciſsim grato animo accipiat,quod offers,ac tibi bene precetur. TBRTIO, diſcernendum eſt inter hoſtes & domeſticos fidei, iuxta conſilium Pauli, Gal. 6. Dum tempus habemus, ſimus benefici erga omnes, & maxime erga domeſticos fidei, hoc eſt, eos qui per fidem ſunt in eadem familia Domini atq; nos. POSTREMO, habeatur ratio facultatum,vt non vno tempore effundas omnia,ſed ita agas,vt ipſe Dominus ſis facultatum tuarum , iuxta dictum Salomonis: Fontes tui deriuentur foras,ſed tu Dominus eorum eſto. FINBS erogandæ eleemoſynæ,quatuor præcipui enumerari poſſunt, quorum primus eſt ſubleuatio proximi indigẽtis, & refocillatio membrorum Chriſti. SBCVNDVS, prouocatio aliorum ad beneficentiam erga pauperes,iuxta illud 2.Cor. 9. Et ex vobis ortus zelus prouocauit complures. TERTIVS, teſtificatio fidei noſtrę & timoris Dei,eo enim deſtinantur caritatis officia, vt illis teſtemur nos timere Deum, cuius mandato obſequimur. QVARTVS,gloria Dei. Cum his finibus varij fructus & multiplices coniuncti ſunt. Paulus teſtatur fore, vt qui liberales fuerint & benefici erga pauperes, abundent in omni opere bono. Nam ita Deus vnum officium , iuxta ſuam legem præſtitum, multis donis ſpiritualibus & corporalibus compenſat,ideo Dominus dicit Matth. 6. Pater cœleſtis dabit mercedem in propatulo. Et in Pſalmo: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Et Salomon: Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis. Eſai. 28. Cum effuderis eſurienti animam tuam , & animam afflictam repleueris , Orietur in tenebris lux tua , & tenebræ tuæ erunt vt meridies,& requiem tibi dabit Dominus Deus tuus ſemper. Huiuſmodi dicta,quæ multa occurrunt in ſcripturis, diligenter cogitanda ſunt, vt nos excitent ad hunc neceſſarium & debitum cultum , hoc eſt, ad beneficentiam egenis præſtandam.

Filioli mei ne diligamus verbo , neque lingua , ſed opere & veritate.

Blandiſsima compellatione excitat pios, vt ſerio cogitent, quænam ſit indoles veræ caritatis , & quomodo à fucata & ficta caritate diſtinguenda ſit. Nam vt hic hypocriſin & fucum à vera dilectione alienam eſſe oſtendit: ita quæ ſit vera dilectionis natura indicat. Hypocritæ ſiquidem verbis & lingua ſolummodo caritatem iactant , abſque ſincero dilectionis affectu,& abſque veris officijs caritatis. Vera enim dilectio ex vero cordis affectu ad opera etiam & officia progreditur , ſicut paulo antea in exemplari CHRISTO oſtenſum eſt. Noteturigitur hoc loco duplex dilectionis genus. Vnum otioſum , quod in verbis tantum ſitum eſt, & eſt hypocritarum & aſſentatorum proprium. Alterum actuoſum , quod in affectu & opere cernitur , quod eſt vere piorum. Pleniſsima igitur dilectionis ratio conſiſtit in affectu cordis fide purificati, in linguæ teſtificatione, & in operis exhibitione , iuxta hunc verſiculum, Tu fer opem miſeris, affectu , munere , verbis.

Et

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Et per hoc cognoſcimus, quod ex veritate ſumus,& coram ipſo perſuadebimus corda noſtra.

Duo commoda veræ caritatis hic ponit. Vnum, quod inde cognoſcimus nos ex veritate eſſe, hoc eſt, cognoſcimus nos nõ eſſe fucatos Chriſtianos,ſed verũ Chriſtianiſmum meditari. Alterum,quod inde perſuadebimus corda noſtra,id eſt,ſecura reddemus corda noſtra de adoptione noſtri per fidem. Eſt autem hebraiſmus in verbo πείσομεν,nã ponitur pro hiphil ſcilicet nabthia, id eſt, confidere faciemus,ſeu ſecura reddemus. Huc illud Petri: Fratres magis ſtudete vocationem & electionẽ veſtram firmam facere. Studium enim pietatis & opera caritatis ſunt veluti ſenſus quidã externus internæ pietatis & fidei. Nam quod intus in animo latet,apparet in externis actionibus.

Quod ſi condemnet nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia.

Argumentũ à iudicio proprij cordis,hoc eſt,conſcientię. Clauditur autem argumentũ per locum à minori ad maius,hoc modo: Quicũq; ſibi male conſcius condemnatur à propria conſcientia,is multo magis à Deo condemnatur,(nam & potentior eſt corde noſtro,& omnia nouit,adeo vt ipſum nihil fugiat) Sed qui nõ diligit fratrem opere & veritate,is ſibi male conſcius condemnatur à propria cõſcientia. Ergo multo magis in iudicium Dei incidet,qui melius nouit corda noſtra quam nos ipſi. Obſeruemus proinde vaſtari conſcientiam hominis qui ſincera dilectione proximum nõ complectitur. Hic merito rapi deberemus in admirationem opificij Dei,qui adeo ſapiẽter condidit hominem, vt ſemper ſecum circumferat teſtem ſuorum factorum, videlicet conſcientiam, id quod etiam Ethnici agnouerunt. vt Paulus teſtatur ad Rom. cap. 2. Huc illud Poetæ: Conſcia mens vt cuiq; ſua eſt, ita concipit intra Pectora pro meritis ſpemq; metumque ſuis. Et Cicero: Magna vis eſt conſcientiæ in vtramq; partem,vt nihil timeant qui nihil cõmiſerint,& pœnam ſemper ante oculos verſari putent qui peccarunt. Et Plato: Qui deprehendit in ſua vita magnam iniuſticiam, is non ſecus atq; pueri crebro excitatus metuit,& viuit cum mala ſpe, at illi qui nullius iniuſticiæ ſibi conſcius eſt,ſemper dulcis ſpes adeſt,& bona ſenectutis nutrix,quemadmodum & Pindarus ait: Hæc cõſcientia eſt diuinum teſtimonium,quod teſtatur de recte & ſecus factis,& admonet de pœnis & iudicio Dei. Seu cõſcientia eſt iudiciũ diuinitus homini impreſſum,quo quiſq; conſcius actæ vitę ſuæ,ſeipſum aut damnat aut excuſat,iuxta verſiculum: Nunc damnat, nunc excuſat mens conſcia facti. Et Salomon Prouer. 10. Via Domini eſt innocenti robur,qui autem iniuſte agunt,ſunt pauidi. Nam vt innocentes conſcientia actæ vitæ ſpem concipiunt lęti exitus: ita iniuſti conſternantur metu pœnarum,quas illis imminere teſtatur conſcientia.

Cariſſimi, ſi cor noſtrum non condemnet nos, fiduciam habemus apud Deum, & quicquid petierimus accipimus ab eo, quoniam præcepta eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placida coram eo,facimus.

Vt damnum malæ conſcientiæ attigit: ita fructum dulciſsimum bonæ conſcientiæ breuiter adiungit. Hæc primum alit fiduciam erga Deum, deinde impetrat quæ à Deo poſtulamus,rationem addit. Quoniam præcepta eius cuſtodimus, & quæ illi placita ſunt facimus. Exemplum vtriuſq;,hoc eſt,fiduciæ & impetrationis,habemus aptiſsimum in Dauide: Iudica (inquit) me Domine,hoc eſt,defende me,quoniam ego in innocentia mea ingredior,& in Domino ſperãs non infirmabor. Proba me Domine & tẽta me, examina renes meos & cor meum,quoniã miſericordia tua ante oculos meos eſt,& ambulaui in veritate tua. Hic Dauid inter precandũ ſe erigit fiducia in Deũ, & bona conſcientia, videlicet quod nõ habeat propoſitũ offendendi Deũ. Sed potius ambulandi in innocẽtia & integritate. Obſeruetur hoc loco dulciſsima ἐπιεικεία diuinæ legis,tametſi enim ſemp donec hanc maſſam circumferimus,multas ſordes peccatorũ ſentimus,atq; omni momento, partim omittẽdo,partim cõmittendo, nunc per infirmitatem, nunc per ignorantiã, nunc per incogitantiã delinquimus: tamen Deus clementiſsimus pater obœdientiã noſtrã qualemcunq; acceptat,donec retinemus iuſticiã bonæ conſcientiæ. Hinc Paulus: Milita bonã militiam,retinens fidẽ & bonam conſcientiam, qua repulſa quidam circa fidem naufragium fecerunt. Vt igitur in portũ perueniamus, regendus eſt bona conſcientia nauigationis noſtrę curſus. Sed quomodo haberi poteſt bona conſcientia,cũ peccatores ſimus omnes,& ſententia legis damnati? Certiſsimo certius eſt, Omnes homines natura eſſe filios irę,& le-

ge

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ge Dei damnari vel minimam legis tranſgreſsionem. Quare nec natura, nec lex hic poteſt ſuccurrere, & vulneri conſcientiæ mederi, ſed ſolus ille cœleſtis medicus, qui dixit: Confide filia, remiſſa ſunt tibi peccata tua. Opus eſt igitur remiſsione peccatorũ, quæ fide ſola obtinetur, vt purgetur conſcientia, iuxta illud Actor.15. Fide purificás corda eorum. Loquitur autem Petrus de Ethnicis horrenda idololatria & infinitis flagitijs contaminatis. Cum horum corda fide purificet Deus, non eſt alia ratio obtinẽdi bonam conſcientiam, quam per fidem. Nam dum credimus, aſperguntur corda ſanguine Ieſu Chriſti, quo mundantur etiã. Ita enim autor Epiſtolæ ad Hebræos ait: Sanguis Chriſti purgat conſcientiam veſtram ab operibus mortuis, vt ſeruiatis Deo viuenti. Porro conſcientia ad hunc modum purgata, vt eſt tenerrima: ita ſummo ſtudio conſeruanda eſt vt munda maneat, id quod tum demum fiet, ſi exemplo Apoſtoli ad Hebr.13. ſtudeamus in omnib. honeſte verſari, ita enim ait: Cõfidimus quod bonã habeamus cõſcientiam, in omnibus cupientes honeſte conuerſari. Simile eſt exemplũ Dauidis, dicentis Pſalmo 119. Inclinaui cor meum ad facienda ſtatuta tua in æternum. Retinetur igitur bona cõſcientia, donec ex fide cupimus quæ honeſta & recta ſunt facere, nec ſcientes ruimus contra voluntatẽ Dei. Seu vt diſtinctius dicamus, conſcientia retinetur bona & munda, Primum, ſi vere ſtatuimus peccata noſtra ſanguine Ieſu Chriſti expiata eſſe, iuxta ſymboli verba: Credo remiſsionem peccatorum. Secundo, ſi ſerio & non ſimulate abijcimus propoſitum peccandi, vbi enim propoſitũ peccandi in animo recidet, ibi ſimulata fides eſt & mera hypocriſis. Tertio, ſi ardenti ſtudio incumbimus, vt quotidie magis magiſq; proficiamus in omni cognitione & ſenſu, cupientes totam vitam noſtram Deo approbare, per veram inuocationem, gratiarum actionem, prædicationem beneficiorum Dei, & per ſinceram caritatem erga proximos, quæ in beneficentia & operibus miſericordiæ cernitur, quemadmodum noſter Apoſtolus docet. Quarto, ſi piam & diligentem curam in noſtra vocatione habeamus, gloriam Dei, ædificationem Eccleſiæ, vtilitatem reipublicæ in qua viuimus, ſpectantes, excluſa omni fraude, auaricia & ſuperbia.

Et hoc eſt mandatum eius, vt credamus nomini Filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus nos mutuo, ſicut dedit mandatum nobis.

Ad duo capita reuocat mandatum Dei, videlicet, vt credamus nomini Ieſu Chriſti, & diligamus nos mutuo. Cum iubet nos credere nomini Ieſu Chriſti, ad verbum quod de Chriſto prædicatur nos mittit, habet enim nomen relationẽ ad verbum. Talẽ itaq; oportet nos ipſum credere, qualis nominatur, id eſt, prędicatur in Euangelio. Nominatur autem & prædicatur in Euangelio verus Deus & verus homo, Saluator, propiciator, rex, Pontifex, Mediator, paſtor bonus, via, veritas & vita &c. Quare qui vero corde talem Chriſtum apprehendit, vere credit, & ſua fide iuſtificatus eſt, quæ fides in prima quidem tabula obœdientiam erga Deum, in ſecunda vero tabula dilectionem erga homines operatur, & quotidie nititur proficere, & maiora incrementa aſſumere. Nam ad plenam & perfectam obœdiẽtiam erga legem in hac vita nequaquã peruenire poterimus. Sed inchoata obœdiẽtia, modo ſeria & ſincera ſit, placet propter fidem.

Et qui ſeruat mandata eius, in eo manet, & ipſe in eo.

Ratio à fructu obœdientiæ dulciſſimo, Deus manet in ſuo cultore tanquam in templo, in quo coli vult, vnde Paulus 1. Cor. 6. An neſcitis quod corpus veſtrum ſit templum habitantis in vobis Spiritus ſancti, quem habetis à Deo. Cauendum eſt igitur, ne hoc templum Dei vlla turpitudine polluamus, & expulſo Deo, officinam Diaboli extruamus. Deinde qui Deum colit manet in Deo tanquam ſurculus in vite. Reſpicit autem Apoſtolus ad verbum Domini Iohan.14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus & manſionem apud ipſum faciemus.

In hoc nouimus quod manet in nobis, nempe ex ſpiritu quem dedit nobis.

Spiritus ſanctification is quo regenerati ſumus, teſtatur de præſentia & habitatione Dei in nobis. Quicunq; ergo ſentiunt in ſe motus Spiritus ſancti, quibus incitantur ad obœdientiam præſtandam Deo, habent ſuæ ſanctificationis & præſentiæ diuinæ teſtimonium. Cõtra vero, qui huiuſmodi motus non ſentiunt, nec fidẽ habent, nec ſunt regenerati, imo adhuc in ſuis peccatis mortui iacent. Huc illud ad Rom. cap. 8. Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Quare qui non aguntur ſpiritu Dei, nequaquã filij Dei cenſentur, ſed Diaboli potius, nam neceſſe

eſt horum alterutro ſpiritu agi homines. Sed de hoc dicto copioſius agemus in quarto.

CAPVT IIII.

Summa Capitis quarti.

Vt probari ſpiritus monet, ita caritatem fraternam fidelibus commendat.

Ordo & partes Capitis quarti.

Duæ ſunt huius Capitis partes, quarum Prior eſt de fugiendis falſis Prophetis, & de diſcrimine inter veros doctores & falſos. Poſterior eſt exhortatio ad caritatem mutuam, quæ multis confirmatur rationibus, & illuſtratur amplificationibus. Quia autem pleraq; quæ ſunt in hoc capite, ſupra explicata ſunt, nos erimus in huius capitis enarratione breuiores.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

DILECTI ne cuiuis ſpiritui credatis, ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint.

Propoſitio eſt prioris partis huius capitis, eſtq; bimembris. Primum enim vetat, ne cuiuis ſpiritui credam9. Deinde præcipit vt probemus, id eſt, exploremus ſpiritus, vtrū ex Deo ſint. Spirit9 hic metonymice ponitur pro ſubiecto, nempe pro eo qui ſpiritum ſe habere dicit. Cum hoc præcepto conuenit illud Domini dictum: Cauete à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouiū. Omnium proinde Chriſtianorum eſt cauere, ne Prophetarum erroribus ſinant ſe inuolui, & à veritatis via abduci. Perperam igitur facit Romanus Pōtifex, qui dicit ad ſe pertinere iudicia dogmatū, & Laicos obligari ad obœdientiam præſtandam Romano Pontifici, ſiue vera, ſiue falſa doceat.

Nam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum.

Ratio ꝓpoſitionis à periculo. Multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum, qui conantur ſibi diſcipulos adiungere, quare magnum periculum imminet Eccleſiæ ab illis, ideoq; maiori diligentia cauendi, ne in ſuam naſſam ſimplices pertrahant.

Per hoc cognoſcite ſpiritum Dei, Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt, & omnis ſpiritus qui non confitetur IESVM CHRISTVM in carne veniſſe, ex Deo non eſt. Sed hic eſt ille ſpiritus Antichriſti, de quo audiſtis, quod venturus ſit, & iam nunc in mundo eſt.

Notas proponit, quibus & ſpiritus Dei & ſpiritus Antichriſti agnoſcitur. Spiritus (inquit) qui confitetur Ieſum Mariȩ filium eſſe Chriſtum, hoc eſt, verum Meſsiam & redemtorē vnicum omnium in ſe credentium, qui venit in carne, hoc eſt, in humana natura, quā in vnionem perſonalē aſſumſit, apparuit, ita vt Deus & homo vnus ſit Chriſtus, is ſpiritus eſt ex Deo, hoc eſt, qui ita docet, ſpiritu Dei agitur. Sicuti contra qui hoc vel in toto, vel in parte ſaltem negat, ſpiritus eſt Antichriſti, qui venturus erat in mundum. Apoſtolus noſter breui admodum oratione, & quis ſit Meſsias, & quæ ſint eius conditiones, explicat. Si quæris quis ſit, reſpōdet, Ieſus Mariæ filius. Si quæris cōditiones, reſpondet, quod venerit in carne, hoc eſt, quod verus æterni patris filius, idemq; verus Deus, homo ſit factus, non mutatione diuinitatis, ſed aſſumtione humanitatis, vt in humana natura fieret victima, expiaret peccatum, & placaret iram Dei. Proinde Ieſus Mariæ filius, eſt verus Deus, verus homo, non duo Chriſti, ſed vnus Chriſtus, vnicus mundi Mediator & Saluator. Quicunq; ergo vel negat diuinitatem Chriſti, vt Ebion & Cherintus: vel inficiatur veram humanitatem vt Manichæi: vel vnionem perſonalem impugnant, vt Fotiniani: vel officium redemtionis ſoli Chriſto non attribuunt, vt Pelagiani & Papiſtæ, ſpiritum Antichriſti habet.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eos, quia maior eſt qui in vobis eſt, quam qui in mundo.

Conſolatur fideles, eoſq; cõfirmat, ac ſi dicat: Sint tam potentes, tã multi atq; velint hæretici, nullum tamẽ vobis ab illis damnum eſt metuendum, donec eum firma fide retinueritis, qui eſt in vobis ſpiritus Chriſti: Is enim fortior & potentior eſt quam ſpiritus mundi. Non ergo propter potentiam & ſplendorem externum hoſtium abijcienda eſt confeſsio, ſed firma fide adhærendum eſt ſimplicitati doctrinę, etiamſi totus orbis collabi videatur. Nam fides mundi victrix olim apparebit.

Ipſi è mundo ſunt, ideo è mundo loquuntur, & mundus eos audit: Nos ex Deo ſumus, qui nouit Deum audit nos, Qui non eſt ex Deo, non audit nos. *Ex hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.

Supra differentiam ſeu notã verorum Prophetarum & falſorum ex materia ſeu doctrina ſumſit, nunc diſcrimen eorundem ex collatione contrariarum cauſſarum & contrariorũ effectuum petit. Qui è mundo ſunt, id eſt, qui rationem ſequuntur, & nõ amuſſim verbi Dei, loquuntur mundana, vt quæ ratio humana percipere poſsit, & mundus eos audit, quia tantum quę rationis ſunt percipit mundus. Contra, Nos qui à Deo ſumus, hoc eſt, qui Dei verbum ſequimur, captiuata ratione ſub imperio verbi Dei, loquimur diuina, & qui nouerunt Deum, per eius ſcilicet ſpiritum noui homines effecti, audiunt nos, quia quæ Dei ſunt loquimur. Huc addit clauſulam: Ex hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris, hoc eſt, per hanc docendi rationem diſcernimus inter veros & falſos Ptophetas. Hic in primis notetur vera nota filiorum Dei, cum docentium in Eccleſia, tum aliorum, videlicet acquieſcere in verbo diuinitus patefacto. Non enim diſputant filij Dei quomodo fieri poſsit, quod verbum promittit: Sed dant Deo gloriam veritatis, perſuaſi quod is qui promiſit, poſsit etiam præſtare, non eſt impoſsibile apud Deum vllum verbum. Quod autem ſancti acquieſcunt in verbo ſine hæſitatione, non habent profecto à natura, ſed à gratia, per quam acceperunt ſpiritum arrabonis promiſſæ hæreditatis. Contra vero nota mundi, hoc eſt, hominum qui mundana ſapiunt, eſt ſequi rationem magiſtram, etiam in ijs, quæ ſupra rationis captum ſunt poſita, vt Arius fecit, cuius diſcipuli architecti fuerunt Mahometicorum furorum, quib. magna pars mundi hodie miſere inuoluitur. Simus igitur circumſpecti, ne à ſimplicitate verbi reuelati deficiamus, retineamus fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, quod eſt Chriſtus Ieſus. Retineamus articulos fidei in ſua ſimplicitate, ſine aliqua ſophiſtica additione aut exceptione, nec ſinamus nos vllius conſequentiæ neceſsitate ab illis abduci, qui enim hoc faciunt, naufragium fidei incurrunt, & ſalute excidunt.

Dilecti diligamus nos inuicem.

Poſterior capitis pars, in qua hortatur ad mutuam dilectionem, ſicuti ſupra in tertio. Propoſitioni præponit compellationẽ tanquam exordiolum, quo & attentos & benignos reddit lectores. Græca vox ἀγαπητοὶ plus ſignificat quã latina, Dilecti, quare vetus interpres vertit, Cariſsimi, tametſi nec ipſe vim vocis expreſsit. Hieronymus diligibiles vertit. Sunt enim ἀγαπητοὶ, qui nobis periucundi ſunt, cari, ſuaues, & exoptabiles, quorum vel mentio nobis longè eſt iucundiſsima & gratiſsima. Hac compellatione ideo vtitur, vt cogitatione amoris Apoſtoli erga ſe libentius audiant quæ proponit, & firmius teneant, & maiori cum alacritate obœdiant. Proponit autem breuiſsime: Diligamus (inquit) nos inuicem, vbi & verbo ἀγαπᾶν vtitur Apoſtolus, quod ſignificat quidem diligere: ſed ſingulari quodam ſtudio, vt & boni conſulamus errata, & tegamus offenſas ob caritatem mutuam, iuxta illud Salomonis: Caritas tegit multitudinem peccatorum.

Nam caritas ex Deo eſt.

Ratio propoſitionis à cauſſa ad effectum. Qui ſunt ex Deo, ſe mutuo diligent. Fideles ſunt ex Deo: Ergo fideles ſe mutuo diligent. Loco totius argumenti ponitur probatio maioris. Porrò hæc ratio propoſitionis breuiſsima quidem ſi verba ſpectes, ſed valde copioſa eſt, ſi eam explices. Vult enim nos & naturam Dei cogitare, & quid ab eo proficiſcatur perpendere, & quid ſit illi gratũ & acceptum intelligere. Deus cum natura bonus ſit, nihil ab eo proficiſci poteſt niſi bonum, nihil ei gratũ & acceptum eſſe poteſt, niſi bonum. Nunc autem, cum Deus ſit caritas, & caritas ab eo proficiſcatur, & caritas ei accepta & grata ſit, decet profecto eos qui de illo gloriantur, vt de patre, patris ingenium referre, caritate erga ipſum & erga proximos ſuos.

Quiſ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quiſquis diligit, ex Deo natus eſt, & cognouit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quia Deus caritas eſt.

Ex collatione contrariorum effectuum ad contrarias cauſſas aſcendit. Quiſquis diligit,ex D:o natus eſt. Ergo qui non diligit,ex Deo non eſt natus. Quare fruſtra de adoptione gloriatur. Item: Qui diligit nouit Deum, Quare qui non diligit,non nouit Deum. Nam cum vera noticia Dei caritas naturaliter coniuncta eſt,tanquam riuulus ex vberrimo fonte Spiritus ſancti manans. Eſt enim Deus caritas,id eſt,fons caritatis,vnde affectus dilectionis manat & diffunditur in eos,qui Dei ſpiritum habent,& Deum vere cognoſcunt. Fruſtra igitur de noticia Dei gloriátur, in quos radius dilectionis diuinæ non diffunditur. Supra docuimus ex Auguſtino & ex verbis Domini,dilectionem noſtram non eſſe cauſſam,ſed indicium tantum adoptionis noſtri. Præterea dictum eſt ſupra, quid ſit naſci à Deo, & quæ ſalutaris Dei noticia.

In hoc manifeſtata eſt caritas Dei erga nos, quod filium ſuum vnigenitum miſerit D E V S in mundum, vt viuamus per eum.

Dixit Deum caritatem eſſe,hoc eſt, fontem caritatis, propterea quod nos intime & infinite amet, nunc eius certiſsimum indicium ab effectu profert: Dedit (inquit) nobis vnigenitum filium,vt nos qui per peccatū mortui eramus, per ipſum viuamus. Ergo Deus intime & infinite nos diligit,atq; adeo ipſa caritas eſt. Chriſtus hoc ipſum teſtimoniū tribuit patri Iohan.3. cum inquit: Sic Deus dilexit mundum,vt filium ſuum vnigenitū daret, vt omnis qui credit in illum,non pereat,ſed habeat vitá æternam. Tria ſunt maxima obſtacula, quæ homines impediunt,quo minus ſe à Deo diligi ſtatuant: Primum, ærumnæ & calamitates, quibus opprimitur humana natura. Cū enim hæ ærumnæ & calamitates ſunt pœnæ iuſtiſſimæ,quibus Deus humanum genus punit,teſtátur Deum horribiliter iraſci generi humano. Secundum,vox legis, quæ iram Dei denunciat humano generi, hac damnatoria ſententia: Maledictus omnis,qui nō manſerit in omnibus,quæ ſcripta ſunt in libro legis. Tertium, iudiciū cōſcientiæ propriæ,quod eſt veluti chirographum Dei ſcriptum in cordibus noſtris,cum de impijs noſtris factis,tum de pœnis imminētibus propter peccata. Hæc tria cum cogitantur ſerio,ratio non poteſt ſtatuere,quod Deus nos diligat. Vnde ergo ſciemus nos à Deo diligi? Æternus filius Dei venit in mundū, aſſumſit humanam naturá in vnionem perſonalem,hic ſui aduentus cauſſam exponens,ait: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuū vnigenitum daret,vt omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitá æternā. Hic perpende vtrumq;, hoc eſt,& quanta fuerit ira Dei aduerſus homines propter peccatū,& quam immenſa ſit eiuſdem miſericordia in filio propoſita. Ira in hoc conſpicitur, quod fuerit tanta, quod non potuerit placari vllius meræ creaturæ ſatisfactione, imo nec omnibus calamitatibus humanæ naturæ impoſitis: ſed oportuerit filiū Dei aſſumta carne expiatorem fieri. Miſericordia autem in hoc cernitur (quantū nullæ creaturæ poſſunt ſatis admirari) quod dederit filium, vt viuamus per illum, vt hic Apoſtolus noſter loquitur: Mors æterna erat ſtipendiū peccati iuſtiſsimum, ſed Deus ex delectione mittit filium, qui noſtra cauſſa in ſe recepta, ſatisfecit iuſticiæ Dei, liberauit nos à peccato & à iure peccati,vt viuamus per ipſum,modo in ipſum crediderimus. Nam beneficium filij, & ſuá miſericordiam Deus vult fide accipi,& exercere iuſtiſsimam ſuá iram æternis pœnis in eos, qui hunc filium contemnunt. Atque hoc eſt quod ait: Vt omnis qui credit in illum, non pereat,ſed habeat vitam æternam. Hinc iam concludit Apoſtolus noſter: Cum tanta ſit caritas Dei erga nos,quod dederit filiū pro nobis redimendis, profecto par eſt, vt ipſi grati ſimus,omni obœdientiæ ſtudio,& eius dilectionem imitemur in fouendis proximis.

In hoc eſt caritas, non quod nos dilexerimus Deum: ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſerit filium ſuum propiciatorem pro peccatis noſtris.

Amplificat magnitudinē dilectionis Dei erga nos, ex eo quod in nobis nulla præceſſerit vel dignitas vel virtus quare nos diligeret: ſed potius horribilia peccata, & merita iuſtæ damnationis. Nā ſi Deus fuiſſet prouocatus noſtra dilectione ad nos redamandos, mirū nō fuiſſet,eū cum ſit optimus,amore nos viciſsim complexū fuiſſe. At nunc ipſe prior dilexit nos, idq; non iuſtos,ſed peccatores & reos ęternarū pœnarum. Atq; ita dilexit nos,quod filium propiciationem pro peccatis noſtris dederit. Neceſſe eſt igitur ingentē,imo infinitam caritatem eſſe,qua Deus nos complectitur. Ponitur autē hic abſtractum pro concreto,hoc eſt, propiciatio pro Propiciatore, vt intelligamus pleniſsimam propiciationē nobis proponi

in Chriſti ſacerdotio. Nam ideo nobis conſtitutus eſt Sacerdos à Deo, vt ſua victima propitium nobis patrem reddat, ac ſanguine ſuo tegat & aboleat reatum omniú, qui ad ipſum firma fide confugerint.

Dilecti, ſi nos ita Deus dilexit, & nos alij alios diligere debemus.

Accommodat exemplum, & concludit quod propoſuit. Deus nos dilexit, ergo nos inuicem debemus diligere. Hic ſpectentur duo, videlicet debitũ officium dilectionis, & ipſe diligendi modus. Primum enim dicit: Debemus diligere, vt ſignificet nos obligatos eſſe ad hoc officium. Quod enim quis debet, hoc vt ſoluat neceſſe eſt. Obſeruetur proinde hic neceſsitas debiti contra eos, qui tollunt neceſsitatem nouæ obœdientiæ. De hoc debito loquitur & Paulus Roman. 10. cum ait: Nemini quicquam debeatis, niſi hoc vt alij alios diligatis. Huius autem debiti ſingularis quædã ratio eſt. nam tametſi pij perpetuo hoc debitum ſoluunt, nunquam tamen ita perſoluunt, quin debitores adhuc maneant. Debetur ſiquidam dilectio omnibus naturali & diuina obligatione. Natura enim & mandato Dei obligamur ad perpetuam dilectionem. De duplici debito vide quæ annotauimus in 13. ad Romanos. Modus dilectionis in exemplo Dei proponitur, qui non noſtris virtutibus & meritis eſt prouocatꝰ ad diligendum nos. Quare ſi non propter aliquas vtilitates noſtras, ſi non propter ſperata beneficia, ſi non propter affinitates & conſanguinitates, ſed propter ordinem diuinum in natura humana, nos inuicem dilexerimus, exemplum patris imitamur.

Deum nemo vidit vnquam. Si diligimus nos inuicem, Deus in nobis manet, & caritas eius perfecta eſt in nobis.

Quoniá eorum, quæ ſunt optima, fruitio iucundiſsima eſt & gratiſsima, Apoſtolus noſter ſummum bonũ nobis proponit, nempe Deum ipſum, cuius contemplatione tum demum iucundiſsime fruemur, quando ex fide ſincere nos mutuo dilexerimus. Nam Deus qui corporis oculis non eſt expoſitus, fide & dilectione à nobis comprehenditur. Nam ſi diligimus nos mutuo, in nobis habitat Deũ, iuxta promiſsionem Dei, & caritas Dei in nobis eſt perfecta, id eſt, vere & reipſa in nobis comprobata. Sed quomodo hoc cõgruit cũ ſcriptura, quod ait. Nemo Deum vidit vnquã? an nõ Abrahamo, Moſi, Heliæ, Eſaiæ, Ezechieli apparuit Dominus? An non Eſaias ait: Regem Dominum Sebaoth vidi oculis meis? Irenæus lib. 4. cap. 13. reſpondet his verbis: Neq; Moſes vidit Deum, nec Helias, nec Ezechiel, qui multa de cœleſtibus viderunt, quæ autem ab his videbantur, erant ſimilitudines claritatis Domini & prophetiæ futurorum.

In hoc cognoſcimus quod in eo manemus, & ipſe in nobis, quod de ſpiritu ſuo dedit nobis.

Dixit Deum manere in nobis, ſi diligimus nos inuicem, id nunc illuſtri argumento oſtendit, quod, vt intelligatur clariꝰ, ſimilitudine declarandũ eſt. Quemadmodũ animalẽ ſpiritum cognoſcimus nos per vitam & motũ habere, ita Spiritus ſanctus cognoſcitur in nobis eſſe per vitã, qua viuimus ſpiritualiter corã Deo ex fide & per motus ſpirituales, quib. excitamur ad facienda opera ſpiritus, inter quæ merito ſummum locũ obtinet caritas. Propter hos motꝰ dicitur Spiritus ſanctꝰ Zachar. 12. Spiritꝰ Gratiæ & Precũ: Effundam (inquit) ſuper domũ Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem Spiritum Gatiæ & Precum. Spiritus Gratiæ dicitur, quia Spirius ſanctus ad prædicationem Euangelij penetrat in animos auditorũ, & inſtillat ipſis ſenſum gratiæ, vnde & fides viua concipitur, & arcana operatione ſpiritꝰ regeneramur. Hęc fides infallibile indiciũ eſt habitatis Spiritus ſancti in corde credentis. DEINDE dicitur ſpiritus Precũ, quia poſtquam Spiritus ſanctꝰ perſuaſit cordibus noſtris de gratia Dei, & fidẽ in nobis accẽdit, excitat etiam animos non ſolũ ad expetendam oblatam gratiam, verumetiam ad gratiarũ actionẽ & prędicationẽ bonitatis Dei ex miſericordia recipientis nos in gratiam, & remittentis peccata. Hæc ergo duplex ſpiratio Spiritus ſancti, videlicet gratiæ & precũ, teſtatur de Spiritꝰ ſancti in nobis habitatione, vnde Paulus ad Rom. 8. Non accepiſtis rurſus ſpiritũ ſeruitutis ad timorẽ, ſed accepiſtis ſpiritũ adoptionis, in quo clamamus Abba Pater. Idem ſpiritus vna teſtatur cum ſpiritu noſtro, quod ſimus filij Dei & hęredes. Huc & illud 2. Cor. 1. pertinet: Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & vnxit nos, Deus eſt, qui obſignauit nos, & dedit arrabonem ſpiritus in corda noſtra. Et ad Epheſ. 1. Obſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis noſtrę, in redemtionem acquiſitionis, in laudem gloriæ eius. TERTIA ſpiratio Spiritus ſancti, eſt caritatis fraternæ, cum qua plurimæ virtutes coniunctæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

iunctæ ſunt. Vnde Paulus ad Galat. 5. Fructus vero ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mãſuetudo, temperantia. QVARTA ſpiratio Spiritus ſancti, eſt mortificationis carnis & viuificationis ſpiritus. Vnde Paulus ad Roman. 8. Si ſpiritus eius qui excitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, qui excitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit etiam mortalia veſtra corpora per inhabitantem eius ſpiritum in vobis. Item: Si ſpiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis. Vel vt breuius omnia complectar cum Paulo: Quicunq; ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei, & templum Spiritus ſancti in ſe habitantis. Ex his iam liquido conſtat, quæ ſit ſententia Apoſtoli noſtri, cum inquit: In hoc cognoſcimus quod in eo manemus, & ipſe in nobis, quod de ſpiritu ſuo dedit nobis. Nam hic ſpiritus eſt actuoſus, & tales ciet motus in corde qualis ipſe eſt. Antitheſis hic cogitetur, quam ponit Apoſtolus ad Rom. 8. Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius, hoc eſt, Qui ſenſum gratiæ ſeu adoptionis, precandi impetum, caritatis ſtudium, mortificationis carnis & viuificationis ſpiritus initium non ſentit, is plane ſpiritum Chriſti non habet, ſed adhuc ſub peccato captiuus detinetur.

Et nos vidimus & teſtamur, quod pater miſit filium Saluatorem mundi.

Dixit ſupra, Deum miſiſſe filium ſuum in mundum, nunc idem aſſeuerat, cum vt fidẽ in nobis excitet, tum vt paterno exemplo caritatem nobis commendet: de hoc teſtimonio Apoſtolorum in primo capite copioſius diximus. Mundus hic pro omnibus hominibus, qui in mundo ſunt, accipitur, ſicuti in illo dicto: Sic Deus dilexit mundum. Item in illo: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Non eſt enim perſonarum acceptio apud Deum, iuxta illud: Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quod autem multi, proh dolor, damnantur, hoc non ad conſilium Dei vel creantis mundum, vel mittentis filium, nec ad victimæ Chriſti pretium & valorem referendum eſt: ſed ad hominum ingratitudinem & cotumaciam, qui ſacrilege oblatam gratiam reijciunt.

Quiſquis confeſſus fuerit, quod Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo habitat, & ipſe in eo.

Vt ſupra à motu interno: ita hic ab actione ſpiritus propria, præſentiam Dei in fidelibus colligit. Confeſsio enim ex fide profecta, habens coniunctum vitæ & fortunarum periculum, probri & cruciatus expectationem, quam & fraterna caritas conſequitur, actio eſt Spiritus ſancti habitantis in fidelibus. Secus autem eſt de confeſsione, quæ ex fide nõ manat, & ſine periculo fit, & cum caritas non comitatur, hæc enim multis impijs & hypocritis cum Diabolis communis eſt. Multi enim verbis profitentur ſe nouiſſe Deum, ſed factis ſacrilege negant, quorum conſcientia cum ſit contaminata, abominabiles & contumaces à Paulo pronunciantur. Porrò, ſcriptura meminit triplicis confeſsionis, videlicet laudis, vt in illo: Confitemini Domino quoniam bonus. Fidei, iuxta illud: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego ipſum coram patre meo qui eſt in cœlis. Hæc fidei confeſsio, & noticiam, & profeſsionem, & fiduciam Chriſti complectitur. Culpæ, idq; vel coram Deo, vt in illo: Si confiteamur peccata noſtra &c. vel coram miniſtro Eccleſiæ: vel coram offenſo fratre. Quid autem ſit ſentiendum de auriculari confeſsione, qualis in Papatu obſeruatur, alias dictum eſt.

Et nos cognouimus & credimus caritatem quam habet Deus in nobis.

Cauſſas noticiæ caritatis Dei erga nos indicat, & ſunt duæ, videlicet, noticia & fiducia. Noticia qua nouimus, edocti verbo Dei, Deum ex caritate nobis dediſſe filium. Fiducia, qua in bonitatem Dei recumbimus, certi de ſalute per Chriſtum parta. Vtraq;, hoc eſt, noticia & fiducia acquiritur per verbum, in quo eſt efficax Spiritus ſanctus. Confirmatur ſtupendis operib. Dei, hoc eſt, miraculis & arrabone ſpiritus, cõſeruatur & augeſcit vſu Sacramentorũ & alijs pietatis exercitijs. Super hac caritate Dei fundatur ſpes noſtra, iuxta illud: Spes nõ confundit, quia caritas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctum, qui datus eſt nobis, hoc eſt, ſpes nos non fallit, quia Deus nos diligit, id quod teſtatur Spiritus ſanctus, qui datus eſt nobis.

Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in illo.

Cum ex ſimilitudine ſtudiorũ ſocietas & mutua animorum coniũctio intelligatur, & cum Deus ſit ipſa caritas, id eſt, fons omnis veræ caritatis, neceſſe eſt & eos in Deo manere, qui vere diligunt,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

&ipſum Deum in iiſdem habitare. Nam iſte affectus, modo purus ſit, aliunde proficiſci nequit, quam ex diuino ſpiritu. Obſeruetur quã inæſtimabilis ſit fructus veræ dilectionis, quæ vt certiſsimum indicium indicat ſocietatem Dei & hominis, & mutuam inhabitationem, vt qui credit, ſit templum Dei, & ipſe Deus ſit in ſuo templo, in quo vult coli, inuocari & prædicari. Quam autem hæc gloria Chriſtianorum ſit magna, oſtendit Bernhardus hiſce verbis: Deus caritas eſt, quid precioſius? Et qui manet in caritate, in Deo manet, quid ſecurius? Et Deus in eo, quid iucundius? Idem Bernhardus caritatis diſtinctionem hanc facit: Et Deus ipſe, & Dei donum recte dicitur caritas, itaque caritas dat caritatem, vbi dantem ſignificat, nomen eſt ſubſtantiæ: vbi donum, nomen eſt qualitatis.

In hoc perfecta eſt caritas nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quod quemadmodum ille eſt, ita & nos ſumus in hoc mundo.

Conformitatem noſtri cum Deo in hoc mundo, pronunciat certum argumentum eſſe caritatis Dei erga nos perfectæ, hoc eſt, ſolidæ & reipſa comprobatæ, cuius caritatis noticia facit, vt fiduciam habeamus in die iudicij, hoc eſt, vt læti & alacres diem iudicij expectemus, & exoptemus, non expaueſcentes ad mentionem diei iudicij, ſicuti illi faciunt, qui conſcientia turpiter actæ vitæ damnati, Deum vindicem metuunt ſuorum ſcelerum. Verba hæc Apoſtoli: Quod quemadmodũ ille eſt, ita & nos ſumus in hoc mundo, hunc habent ſenſum: Quod qualis ille eſt, tales & nos ſumus in hoc mũdo. Huius dicti interpretatio petatur ex tertio capite, vbi ait: Quiſquis habet hanc ſpem in eo, purificat ſeipſum, ſicuti ille purus eſt. Loquitur ergo hic de conformitate in puritate & innocentia vitæ. Porrò, hæc conformitas noſtri cum Deo in imitatione & conatu, & non in puritate & perfectione poſita eſt. Nec eſt hæc conformitas cauſſa fiduciæ, ſed indicium certum ſolidæ caritatis Dei erga nos. Nam ex ſpiritu Dei, qui eſt arrabo noſtræ hæreditatis, proficiſcitur. Hæc Dei caritas facit, vt fiduciam habeamus in die iudicij, non noſtra conformitas, aut opera, quemadmodum Ppiſtæ perperam ex hoc loco colligunt contra mentem Apoſtoli.

Timor non eſt in caritate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor cruciatum habet, qui autem timet, non eſt perfectus in caritate.

Argumentum eſt à contrarijs. Caritas Dei facit vt fiduciam habeamus in die iudicij. Ergo in caritate timor non eſt, hoc eſt, vbicunque eſt noticia caritatis Dei erga nos, ibi non eſt timor cruciatuũ æternorum propter peccata. Nam vbi eſt timor, ibi eſt & cruciatus, qui ſane cum fiducia pugnat. Quare qui timet, non eſt in caritate perfectus, hoc eſt, non eſt ſatis de caritate Dei erga ſe confirmatus. Loquitur autem hic non de quouis timore, ſed de timore iudicij extremi & damnationis, quod patet ex ſuperiori dicto. Non ergo hoc dictũ Apoſtoli referendum eſt ad timorẽ agentium pœnitẽtiam & filiorum Dei, qui eſt præcipuus fidei fructus, vt cum dicitur: Beati qui timẽt Dominũ. hoc enim timore excitamur ad pœnitentiam, & cauemus ne clementiſsimũ patrem noſtris offendamus ſceleribus. Tametſi autem ſæpe de timore Dei diximus, tamen quia hic locus mentionem eius facit, pauca huc aſcribam, vt teneatur diſcrimen inter timorem Dei ſeruilem, & timorẽ Dei filialem, quem purum & ſanctum nominat Dauid. Hoc diſcrimen pulcre cernitur in ſeruo timente Dominum ſuum, & in filio timente patrem qui ſe genuit. Seruus timet Dominum vt crudelẽ tyrannum, non ſine occulto odio: Filius timet patrẽ vt cariſsimũ genitorem, ex vera ſtorga. Seruilis proinde timor Dei eſt, quo timetur Deus vt vindex ſcelerũ, eſtq; ſine fiducia Mediatoris. Hunc, cum conuertuntur homines, expellit caritas Dei. Nam qui credit ſerio Deum ſe diligere, & ignoſcere ſibi peccata propter Chriſtum, is non amplius timet diẽ iudicij, in quo impœnitentes adiudicentur æternis pœnis. Filialis Dei timor eſt, quo timetur Deus vt dulciſsimus pater, cum reuerentia, amore, ſinceroq; ſtudio faciendi omnia quæ Deo grata ſunt. Hic quia ex fide proficiſcitur, & eſt filiorũ Dei proprius, recte filialis dicitur. Hunc filialem timorẽ habet, qui ſe ex fide humiliat, qui nihil ſublime de ſe & operib. ſuis ſentit, qui omnem laudem Deo tribuit, qui paternam virgã oſculatur. Breuiter, qui Deum glorificat vera pietate & reuerentia, cauetq; ne patrẽ clementiſsimũ offendat. Huius timoris fructus longe eſt gratiſsimus: nam vt initiũ ſuperbiæ eſt defectio hominis à Deo, atq; à creatore ſuo cordis auerſio: ita vnus timor Dei eſt, qui nos in obſeruantia præceptorum Dei atq; omni ſancta ſubiectione & humilitate, cõtinere poteſt. Atq; hinc eſt quod Dauid ait: Timor Domini purus permanet in æternum. Huius enim perpetuum ſtudium eſt declinare à malo, & face-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

& facere bonum. Quare non immerito Syracides capite 25. ait: Timente Dominum nemo maior eſt, Timor Domini claritate ſuperat omnia. Poſtquam enim Syracides nouem res propoſuiſſet, ob quas non immerito homines in hac vita beati prædicantur, decimo loco timorem Dei collocat ſupra omnia, vt in quo ſit ſumma & præcipua hominis beatitudo.

Nos diligimus Deum, quia ipſe prior dilexit nos.

Repetit ſuperius dictum de ordine dilectionis, vt oſtendat neceſſitatem cõſecutionis dilectionis Dei & proximi. Dixit ſupra: In hoc eſt caritas, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos: hic eandem ſententiã repetit, vt quemadmodũ dixi, doceat fieri non poſſe vt dilectio Dei ſtet vera & ſincera, ſine dilectione proximi: nam, ſi Deum diligimus, fieri non poteſt, quin eius imaginẽ in proximis noſtris amemus: quare officia quib. Deus nõ indiget, vult vt illis præſtemus. Hæc igitur obſeruetur ratio conſecutionis: Nos Deum diligimus, Igitur & proximos diligere nos oportet, quia proximis geſtantibus imaginẽ Dei, vult Deꝰ teſtari dilectionẽ quam illi debemus. Proinde non eſt tam indignitas proximi ſpectanda, quam imago Dei, quæ digniſsima eſt quæ diligatur. Nam ſi Deꝰ dilexit nos prior, iniuſti erimus, niſi ipſum viciſsim diligamus. Verum hanc erga ſe dilectionẽ ipſe teſtatam vult erga proximos noſtros. De ordine dilectionis inter Deũ & nos, ſupra diximus ex Paulo, qui ait: Cõmendat autem Deus caritatem ſuam erga nos, quoniam cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Non eſt ergo noſtra dilectio, noſtrum meritum, noſtra dignitas, aut vlla noſtra virtus, cauſſa cur Deus nos diligat: ſed ſola ipſius bonitas & miſericordia in Chriſto Ieſu, quæ excedit omnem angelorum & hominum captum.

Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.

Infert per antitheſin argumẽtum, hoc modo. Supra dixit: Qui diligit Deum, diligit proximum. Hic infert: Igitur qui non diligit proximum, non diligit Deum. Hoc autem quaſi regerit in hypocritas, qui religioſi videri volunt, etiamſi fratribus nullam dilectionis ſignificationem oſtendunt. Horum iactationem pronunciat Apoſtolus vanam eſſe. Nam ea eſt verę dilectionis indoles, vt qui Deum diligit, diligat & proximum. Nam dilectio proximi in dilectione Dei includitur. Hinc eſt quod Chriſtus ſecundum legis caput de dilectione proximi, dicat, ſimile eſſe primo, non quia ordine, non obiecto, non gradu dilectionis, ſed affectu, obligatione & conſecutione obœdientiæ & debiti officij.

Qui enim non diligit fratrẽ ſuum quem videt, Deum, quem nõ videt, quomodo poteſt diligere?

Probat conſecutionem proximi argumenti, ſumta ratione à maiori ad minus. Si quis non diligit fratrem ſuum quem videt, multo minus diliget Deum, qui eſt inuiſibilis. Nam iuxta regulam Dialecticorum, Si id quod magis videtur inesse non ineſt, multo minus inerit quod minus videtur ineſſe. Quid? an videtur magis veriſimile eſſe diligere homines, quorũ multa ſunt errata, multa vitia, multæ offenſiones, quã Deum, quem fide intuemur, quemq; optimum omnium bonorum fontem confitemur? Hic cogitanda eſt ratio dilectionis proximi, quæ eſt communis adoptio in filios Dei, qui Patris gerunt imaginem. In hunc ergo modum argumenti vis declaranda eſt: Qui non diligit fratrem ſuum quem videt, hoc eſt, filium Dei, geſtantem Patris viuam imaginem, is ſane nec Deum patrem diligit. Qui enim fieri poteſt vt patrẽ ames, & eius imaginẽ, quam vult te diligere, odio habeas? Non ergo proximus ſpectandus eſt ex vitijs quibus obnoxius eſt, ſed ex illa imagine Dei, quæ in ipſo refulget, ex adoptionis dignitate, ex Spiritus ſancti inhabitatione, ex ſocietate illa, quã habet cum ſanctiſsima trinitate, & cum omnibus ſanctis. Cum itaq; hæ dilectionis cauſſæ concurrunt in proximo, præſertim Chriſtiano, nõ eſt mirum, quod ex amore proximi, Deus à nobis diligi cognoſcatur. Et contra, quod ex odio proximi Deus à nobis minime diligi concludatur.

Et hoc habemus mandatum ab eo, vt qui diligit DEVM, diligat & proximum.

Ætiologia eſt à mandantis autoritate, & mandati æquali obligatione. Eſt enim mandatum Dei, vt qui diligit Deum, diligat & proximum. Ergo qui alteram mandati partem negligit, mandati autorem contemnit, proinde qui non diligit proximũ, nec Deum diligere cenſendus eſt. Poteſt & hoc modo concludi argumẽtum:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Nemo diligit eum cuius mandatum contemnit. Qui non diligit proximum, mandatum Dei contemnit: Igitur qui proximum non diligit, nec Deum diligit. Huc Auguſtini verba aſcribamus: Quomodo diligis eum, cuius odiſtis pręceptum? quis eſt qui dicat: Diligo Imperatorem, ſed odi leges eius? In hoc intelligit Imperator, ſi diligis eum, ſi obſeruētur leges eius per prouinicias. Lex Imperatoris quæ eſt? Mandatum nouum do vobis, vt eos inuicem diligatis. Dicis ergo te diligere Chriſtum, ſerua mandatum eius & fratrem dilige. Si autem non diligis, quomodo eum diligis, cuius mandatum contemnis?

CAPVT V.

Summa quinti Capitis.

Caritatis, quæ ex fide Chriſti manat, teſtimonium eſt obſeruatio mandatorum Dei, quæ mandata victrix fides leuia reddit virtute Chriſti: cuius teſtimonium qui recipit, vt vitæ æternæ hæres eſt, ita fiduciam habet impetrandi quicquid iuxta voluntatem Dei petierit.

Ordo & partes Capitis quinti.

Plures ſunt huius capitis partes. Primum enim ex fidei & regenerationis natura, dilectionis Dei & proximi neceſſitatem oſtendit. Deinde quodnam ſit dilectionis Dei certiſſimum indicium, nempe obſeruatio mandatorum Dei, indicat. Tum ne quis onere mandatorum Dei ſe opprimi metuat, affirmat fidelibus mandata Dei grauia non eſſe, propterea quod fide Chriſti mundi ſint victores. Poſtea de Euangelio diſſerit & eius fructu, exponitque qualia teſtimonia habeat, tum in cœlo tum in terra, pronuncians fide poſſideri vitam æternam. Poſtremo concludens Epiſtolam, finem ſcriptionis indicat, & orationem pro peccatoribus fieri poſtulat, quorum duo genera facit. In fine addit admonitionem de vitandis idolis, id eſt, idololatriæ inſtrumentis.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

OMNIS qui credit quod Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit genitorem, diligit etiam genitum ex eo.

Ex virtute fidei & regenerationis extruit neceſſitatem dilectionis Dei & proximi. Poteſt autem hoc argumentum duobus modis concludi: Primo quidem ſic, Quiſquis eſt ex Deo natus, diligit & Deum genitorem, & omnes qui nati ſunt ex Deo. Quiſquis credit quod Ieſus ſit Chriſtus, hoc eſt, promiſſus Meſſias, natus eſt ex Deo. Ergo qui credit quod Ieſus ſit Chriſtus, diligit & Deum genitorem, & omnes qui ex eo nati ſunt. Deinde vero ſic: Omnis qui credit quod Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Omnis qui ex Deo natus eſt, diligit Deum genitorem. Omnis qui diligit genitorem Deum, diligit etiam omnes qui ex eo nati ſunt. Igitur qui credit quod Ieſus eſt Chriſtus, diligit omnes natos ex Deo, id eſt, omnes credentes geſtantes imaginē Patris. In hoc Sorita manifeſtius conſpicitur cauſſarum & effectuum neceſſaria connexio, ſeu cōſequentia. OBSERVA hoc loco naſci ex Deo, & habere fidem in Ieſum Chriſtum, natura coniuncta eſſe, ita vt vniuerſaliter conuertantur affirmatiue & negatiue. Quiſquis enim natus eſt ex Deo, habet fidem in Chriſtum. Et quiſquis habet fidem in Chriſtum, natus eſt ex Deo. Et contra: Quiſquis non eſt natus ex Deo, nec fidem in Chriſtum habet. Et qui fidem in Chriſtum non habet, ex Deo natus non eſt. DEINDE obſerua quæ ſit fidei ſalutaris ratio, nempe ſtatuere Ieſum eſſe Chriſtum, id eſt, verū Meſſiam, Deum & hominem, adeoque ſuum vnicum Mediatorem & Saluatorem. Nam vera fides, noticia & fiducia conſtat. Sola enim noticia nequaquam ſalutaris eſt.

Per hoc cognoſcimus quod diligamus filios Dei, cum Deum diligimus, & mandata eius ſeruamus.

Dilectio Dei & proximi ita cohærent inter ſeſe, vt cum vna ponitur, ponatur & altera in ſubiecto. Qui enim

nim diligit Deum, diligit & proximum. Et qui proximũ diligit ſincere, is quoq; Deum diligit. Verum ne quis inani ſpectro ſe fallat, dilectionis proximi certiſsimũ indicium & notam ſeu cauſſam ſtatuit dilectionem Dei, cuius effectus & certiſsimum indicium eſt obſeruatio mandatorũ Dei. Hæc ergo quinq; ordine cohærent: credere in Ieſum Chriſtũ, natum eſſe ex Deo, diligere Deum, amare filios Dei, & obſeruare mandata eius. Horũ primo poſito, ponuntur & reliqua, & negato, negantur. Et ex vltimo affirmato vel negato, affirmantur vel negantur ſuperiora. PORRO obſeruatio mandatorũ Dei cuius hic fit mentio, non in perfectione obœdientiæ, iuxta legis rigorẽ: ſed in voluntate, propoſito, conatu & ſtudio approbandi Deo vitam noſtram iuxta Euangelij ἐπιείκειαν eſt poſita. Obſeruatio enim mandatorũ Dei, ſiue quod idem eſt, impletio legis, nunc opponitur imperfectioni operis, nunc ſimulationi. Quatenus autem imperfectioni operis opponitur, nemo legem obſeruat vel implet, neq; renatus, neq; non renatus, ſed ſolus Filius Dei perfectam legi obœdientiã præſtitit, qui propterea eſt finis legis in iuſticiam omni credẽti. At cum opponitur obſeruatio ſiue impletio legis ſimulationi & mendacio, vere credentes implent legem & obſeruant mandata Dei, quia ſincere conantur Deo obœdire, qui conatus probatur Deo propter fidem. Hoc ita eſſe & multa ſcripturæ teſtimonia, & plurima ſanctorum exempla conuincunt. Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius, placuit enim perſona fide, & placuit obœdientia ex fide præſtita, non ob ſuam perfectionem, ſed propter conatum, ſtudium, propoſitum & voluntatem alacrem. Abraham iubetur mactare filium, hic Abraham propoſitum, voluntatem, conatum & ſtudium obtemperandi Deo habuit, ex quo perfectionis laudem nactus eſt, etſi ad mandati executionem non peruenit.

Hæc eſt enim caritas Dei, vt mandata eius ſeruemus.

Ab effectu oſtendit quænam ſit, & vbi ſit germana caritas Dei, qua Deus ab homine diligitur. Congruit autem hoc dictum Apoſtoli cum verbis Domini, qui ait: Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Et iterum: Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Et rurſus: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionẽ apud eum faciemus. Qui igitur ita erga Deum affectus eſt, quod omnibus rebus mundi, obœdientiã erga Deum anteponat, & eius ſtudeat mandata ſeruare, is vere Deum diligit, etſi non perfecte iuxta rigorem legis. Contra vero, qui carnis cõcupiſcentijs abripitur, qui carnalia ſapit & ſectatur, qui ſciens & volens ruit contra mandata Dei, & vaſtat conſcientiam ſuam, is nec fidem, nec dilectionẽ Dei habet. Abraham dum paret Deo iubenti vt filium ſuum Iſaac vnigenitum in holocauſtũ offerat, ſe vera dilectione præditũ fuiſſe teſtatur. Saul dum hoſti parcit, ſciens & volens contra manifeſtã vocem Dei, ſe fide & dilectione Dei vacuum declarauit. Vnuſquiſq; ergo ad hanc regulam ſemetipſum examinet, videatq; num vera dilectione ſit præditus, nec ne. Deus non illuditur ſophiſtica, non fallitur hypocriſi, non vano ſpectro faſcinatur, nam corda & renes ſcrutatur & examinat.

Et mandata eius grauia non ſunt, quia omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum.

Prolepſis eſt. Nam anticipat obiectionem quæ oriri poterat ex proxima ſententia. Tu dicis Iohannes. Dei dilectionem in eo conſiſtere, ſi quis mandata Dei ſeruet: At mandata Dei grauiora ſunt, quam vt ab vllo mortaliũ ſeruari poſſint. Reſpondet Iohannes, Mandata eius grauia nõ ſunt, & reſponſionis huius cauſſam ſeu rationem ſubiungit, Quia (inquit) omnis qui natus eſt ex Deo, vincit mundum, hoc eſt, non ſuperatur à concupiſcentijs mundi. Hic Iohannes diſcerni vult inter renatos & non renatos, horum enim reſpectu dicitur lex vel grauis, vel leuis, quæ per ſe conſiderata, nec grauis, nec leuis dici poteſt. Vt igitur non renatis grauis eſt lex, ſeu vt hic loquitur Iohannes, grauia ſunt mandata Dei, vt quæ onere damnationis eos premant: ita renatis nõ ſunt grauia. Vna proinde regeneratio facit, vt lex Dei homini non ſit grauis. Nam in regeneratis quatuor concurrunt, quæ legis onus leue reddunt, horum Primum eſt abſolutio à peccato, & Chriſti iuſticia credenti imputata, quæ facit vt regeneratus nõ ſit amplius ſub lege damnante: nã legis maledictio, qua omnes non conuerſi premuntur, illi ſublata eſt, ſiquidem cõuerſus habet quod lex requirit, videlicet plenam legis iuſticiã, iuxta illud: Chriſtus eſt finis legis, in iuſticiã omni credẽti, hoc eſt, omnis qui credit, habet quod lex reqrit, nempe iuſticiã legis, eamq; non à ſe factam, ſed à Chriſto ſibi imputatã. Non igitur habet lex ius premendi ſuo onere hominẽ credentẽ in Chriſtũ, quod ius obtinet in omnes non renatos. SECVNDVM eſt donatio Spiritus ſancti, quo & affectus & volũtas reformãtur atq; adeo

nouæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nouæ vires acquiruntur vt homo iam poſsit motus à Spiritu ſancto aliqua Deo grata facere. Hoc confirmatur dicto Apoſtoli: Si ſpiritus eius, qui excitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, qui excitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit etiam mortalia veſtra corpora, per inhabitantem ipſius Spiritum in vobis. Hic ergo Spiritus facit, vt non ambulemus ſecundum carnem, iuxta quam qui ambulant, Deo placere non poſſunt: ſed actiones corporis, hoc eſt, vitioſæ naturæ mortificemus, ac viuamus nunc nouam vitam ex fide filij Dei. TERTIVM ex ſecundo ſequitur, videlicet affectus in renatis, quo renati delectantur lege Dei. Huc illud Pauli ad Roman. 7. Condelector lege Dei, ſecundũ interiorẽ hominem, hoc autem cum promtiſsimę voluntatis indiciũ ſit in renatis, facit vt legis onus ipſis haudquaquam graue eſſe videatur. Tametſi igitur perpetua lucta eſt in renatis carnis & ſpiritus, tamen quatenus homo regenitus eſt, promtiſsima voluntate fertur in obſequium Dei, iuxta legis diuinæ præſcriptum. Hinc eſt quod Paulus dicit: Ipſe ego mente quidẽ ſeruio legi Dei, carne vero legi peccati. QVARTVM, quo lex Dei leuis redditur, eſt gratia, qua boni conſulitur defectus. Clementiſsimus enim pater, ea qua cõplectitur fideles gratia, multas ignorantias, multas omiſsiones & cõmiſsiones contra legem boni conſulit, donec maneamus in fundamento, ac retineamus fidẽ & bonam conſcientiam, atq; hoc eſt quod Paulus ait: Nulla condemnatio eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundũ Spiritum. Vt igitur pater terrenus, quando videt promtam voluntatẽ in filijs ſuis, cõniuet ad multa errata, quæ non proueniunt ex malitia: ita Pater cœleſtis venia tegit defectus noſtros, idq; ea ſtorga paterna, qua nos in filio dilecto caros habet. Ex his iam liquido conſtat, quibus lex Dei vel grauis vel leuis ſit, & quibus de cauſsis. Quod autem Papiſtæ ex hoc loco Iohannis colligunt, legẽ Dei præſtari poſſe perfecte à fidelibus, ab infidelibus autem minima ex parte, falſum eſt. Nam Paulus ad Ro. 7. & ſcriptura paſsim teſtatur, in ſanctis ſemper manere peccatum, quod certe verum nõ eſſet, ſi legẽ perfecte implerent ſancti. Nam vna cum perfecta iuſticia legis non poteſt violatio conſiſtere. Et Apoſtolus ſupra dixit: Si dixerimus quod peccatũ non habeamus, nos ipſos ſeducimus, & Deum mendacem facimus. Et Salomon ait: Non eſt homo ſuper terram, qui non peccet. Nam donec in hac vita verſamur, caro nos ſolicitat, & ſæpe ſuppullulant praui affectus & actiones, quæ ſua natura peccata ſunt, etſi ſanctis non imputentur. Quod autem ſupra dictum eſt, Qui natus eſt ex Deo, non peccat, nec poteſt peccare: non ad quoduis peccatum, ſed ad certum peccati genus referendum eſt, quemadmodum ſupra declaratum eſt.

Et hæc eſt victoria quæ vicit mundum, fides noſtra.

Dixit omnem natum ex Deo vincere mundum, id eſt, quicquid in nobis eſt, vel extra nos à Dei mãdatis nos abducens: Nunc autem quo inſtrumento, & qua virtute id fiat, exponit, nempe fide qua Chriſtum apprehendimus, qui mundi victor eſt. Vt enim fide Chriſtum poſsidemus: ita Chriſti virtute mundũ ſuperamus. Nam cum in Chriſtum credimus, virtute mortis Chriſti mortificantur mẽbra veteris hominis in nobis, hoc eſt, concupiſcentiæ prauæ. Virtute ſepulturę premuntur, vt ſuas vires exerere non poſsint. Virtute reſurrectionis noui naſcimur homines, & in nouitate vitæ ambulamus. In his ſita eſt illa mũdi victoria, de qua hic loquitur Apoſtolus. Huius rei ſymbolũ & teſtimonium eſt Baptiſmus noſter, ſicuti Paulus hiſce verbis docet: Quicunq; mortui ſumus peccato, quomodo adhuc ei viuemus? An ignoratis quod quicunq; baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortẽ eius baptizati ſumus? vna ſepulti ſumus cum ipſo per baptiſma in mortẽ, vt quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriã Patris, ſic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Nam ſi inſititij facti ſumꝰ ꝑ ſimilitudinẽ mortis eius, ſimul & reſurrectionis participes erimus. Hic Apoſtolꝰ & mortẽ peccati in nobis ex virtute mortis Chriſti, & vitã Spiritus ex virtute reſurrectionis Chriſti eſſe docet, in quibus, hoc eſt, mortificatione & viuificatione, ſita eſt regeneratio noſtri, & ſanctificatio, quæ facit vt mundi victores ſimus, ſed in Chriſto ſeu ex virtute Chriſti. Nam metaphora ſumta à plantarũ cultura, qua vtitur Apoſtolus, aperte mõſtrat vnde ſit vis vitæ & victoria Chriſtianorum. Vt enim ſurculus inſitus trunco, viuit non ſua, ſed aliena vita: ſic natura humana non viuit niſi inſeratur Chriſto, quod fit per fidem. Atq; hoc eſt quod ipſe Dominus Iohan. 15. ait: Manete in me, & ego in vobis, quemadmodũ ramus non poteſt fructum ferre à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, Sic neq; vos niſi in me manſeritis. Ex hiſce iam conſtat, quare victoria ſuper mundo tribuatur fidei ſeu regenerationi, videlicet, quia fides Chriſtum victorem mundi habet in ſe manentem, vt ipſius virtute veterẽ hominem exuat, & nouum induat. Vſus eſt autem hoc loco Apoſtolus præterito tempore, VICIT, propter certitudinem victoriæ. Nam qui vere credunt, non minus de victoria certi ſunt,

quam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quam ſi nunc bellum cõfectum eſſet. Hinc præterea manifeſte patet, victricem fidem non eſſe tantum hiſtoriæ noticiam & aſſenſum, ſed potius viuam in Chriſtum fiduciam, qua ſtatuimus Deum nobis propitium eſſe in Chriſto.

Quis eſt qui vincit mundum niſi qui credit, quod Ieſus eſt filius Dei.

Quia fidei meminit, nunc quiſnam vere credere cenſendus ſit, definit: nempe is, qui credit quod Ieſus eſt filius Dei. Hæc definitio à materia ſumta, non de noticia tantum intelligenda eſt, ſed etiam, idq; multo magis, de fiducia in Ieſum Chriſtum filium Dei victorem mundi, cuius robore nos in pugna aduerſus mundũ perſiſtemus, & victores mũdi, carnis & concupiſcentiarum eius euademus, propterea quod in ipſum toti recumbamus. Vincendi vocabulũ admonet nos grauiſsimi certaminis, quod erit inter ſpiritũ & mundũ, donec in hac vita ſumus. Vincendi modus certificat nos de victoria, ſi modo, vt inertes milites, arma non abijciamus: donec enim in fide Chriſti perſtiterimus, virtute mortis Chriſti ſuperiores propria carne erimus, & virtute reſurrectionis eiuſdem viuificabimur magis magiſque, vt in hac pugna non ſuccumbamus.

Hic eſt ille, qui venit per aquam & ſanguinem, Ieſus Chriſtus, non per aquam ſolum, ſed per aquam & ſanguinem, & Spiritus is eſt, qui teſtificatur, quod ſpiritus eſt veritas.

Quia multa ſubinde de fide dicta ſunt, cuius fidei obiectũ eſt Ieſus Chriſtus: Nunc ad teſtimonia tranſit, quibus Chriſti, quem offert Euangeliũ, dignitas, excellentia, & veritas comprobatur. Facit autem duo teſtimoniorum genera, quorum vnum in terra, alterum in cœlo exiſtit: quæ ſimul teſtantur quod Ieſus Marię filius, ſit verus Meſsias ſeu Chriſtus, quem fides ſanctorum reſpicit. Hic Ieſus eſt (inquit) qui venit. à quo? à Patre miſſus. quo? in ſanctos. quomodo? per aquam & ſanguinem. Aqua ſymbolice ſignificat ſanctificationem noſtri, & regenerationem, quam fideles in ſe fieri arcana Spiritus operatione ſentiunt, hanc ideo aquæ ſymbolo notat, vt purificationes legales, quæ per aſperſionem aquæ fiebant, interpretetur: quibus interna illa regeneratio, & ſanctificatio adumbrabatur. Etſi autem baptiſmus eſt externum Chriſti exhibiti ſymbolum, & eius virtutis in nobis teſtimonium, tamen de eo nõ videtur agere hoc loco Apoſtolus, ſed tantum de interno teſtimonio, videlicet regenerationis, quod ſoli fideles in ſe ſentiunt. Sanguis ſymbolice iuſticiam ſignificat, quæ ſita eſt in peccati expiatione, & iuſticię Chriſti imputatione. Hęc ideo ſanguinis ſymbolo notatur, quia ſanguinis aſperſio in veteri teſtamento, figura erat aſperſionis ſanguinis Ieſu Chriſti, qua peccata credentium expiantur. Deinde addit: Et Spiritus is eſt, qui teſtificatur quod Spiritus eſt veritas, hoc eſt, Spiritus qui eſt in ſanctis, teſtificatur Spiritum ſanctum eſſe veritatem, hoc eſt, teſtatur verum eſſe quod dictet ſanctis, nempe quod ſint filij Dei, iuxta illud Rom. 8. Spiritus conteſtatur ſpiritui noſtro, quod ſimus filij Dei. Eſt proinde Antanaclaſis in voce Spiritus, in priori enim loco effecta Spiritus ſancti, notat: videlicet motus congruentes legi & voluntati Dei, excitatos in credẽtibus à Spiritu ſancto: In poſteriori vero ſignificat ipſum Spiritum ſanctũ effectorem. Cõtinet igitur hic verſus ſex teſtes, quorũ Primus eſt Pater, à quo venit Filius. Secundus, Filius ipſe. Tertius, Spiritus ſanctus. Quartus, Aqua. Quintus, ſanguis. Sextus, Spiritus ſanctorũ, de quib. teſtib. Apoſtolus noſter in ſequẽtib. diſtincti⁹ agit.

Nam tres ſunt qui teſtificantur in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.

Quorſum ea pertineant quæ dixit, explicat & diſtinctius diſcernit inter ea teſtimonia, quæ recenſuit verſu ſuperiori. In hoc enim verſu tres teſtes enumerat, qui de cœlo teſtantur de Chriſto, qui ſunt Pater, λόγος, & Spiritus ſanctus. Pater ſonabat de cœlo hanc vocẽ: Hic eſt Filius meus dilectus, idq; bis, videlicet in baptiſmo, & in transfiguratione. Filius qui aſcẽdit viſibiliter in cœlũ, & ſedit ad dexterã Patris, teſtatus eſt de Euangelio, non ſolũ dum in terris ageret viſibiliter diuinis ſuis operibus, ſed etiã hodie teſtatur, dum ſuam Eccleſiã mirabiliter ſeruat in tantis perſecutionibus & furorib. Diabolorũ & hominum, & cum dona dat Eccleſiæ, alios quidẽ Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores ad inſtaurationẽ ſanctorum, vt ædificetur corpus Chriſti, ad Ephe. 4. Spiritus ſanct⁹ in baptiſmo Chriſti, in colũbæ ſpecie teſtatus eſt de Chriſto, & viſibiliter illapſus in Apoſtolos ipſo die Pentecoſtes à reſurrectione Domini multis miraculis Chriſti Euangelium de pœnitentia & remiſsione peccatorũ confirmauit. Et hodie in omnib⁹ ſanctis arrabo eſt hæreditatis promiſſæ. Hi tres teſtes, Pater, λόγος, & Spiritus ſan-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſanctus vnum ſunt, id eſt, de eadem Chriſti doctrina, & ſalute per illum conſequenda, con
ſentiunt, non ſecus atq; vnus teſtis eſſet. Quidam interpretantur: Vnum ſunt, ſcilicet eſſen
tia ſeu natura diuina: quæ ſententia etſi vera eſt, hoc tamen loco minime congruit, quem-
admodum ex ſequenti verſiculo patebit. in quo iſta interpretatio locum non habet. Por-
ro, hæc Apoſtoli verba ſemper ſint nobis in conſpectu, & his cœleſtibus teſtimonijs muni-
amus nos aduerſus omnes Satanæ & Pſeudoprophetarum technas, & corruptelas, quæ ex-
cogitantur ad euertendam Euangelij certitudinem in perniciem humani generis. Cur au
tem quidam expunxerint totam hanc ſententiã ex textu, prçſertim, cum optime quadret,
& inueniatur in probatiſsimis exemplaribus, græcis & latinis, non video.

Et tres ſunt qui teſtificantur in terra, Spiritus, aqua & ſanguis, & hi tres vnum ſunt.

Alterum teſtimoniorũ genus, quo
confirmatur & Chriſti autoritas, &
Euangelij ipſius veritas, & eſt triplex,
Spiritus, Aqua & Sanguis. Spiritus eſt
credentiũ perſuaſio, qua conuicti ſunt in ſuis cordibus de Euangelij Chriſti certitudine &
veritate. Aqua eſt ipſa regeneratio & ſanctificatio. Sanguis eſt iuſticia, id eſt, expiatio pecca
ti per ſanguinẽ Chriſti, & iuſticiæ Chriſti imputatio. Cur autem hæ tres voces ita accipien-
dæ ſint, ſupra expoſitum eſt. Hi tres, inquit, in terra ſunt, & in vnum ſunt. In terra quidem,
quia hos teſtes in ſe ſentiũt ſancti, qui hic in terris degunt. In vnum vero ſunt, quia inter ſe-
ſe de eadem re conſentiunt. Cũ ergo tres illi in cœlo teſtes, & hi tres in terra conſentiant, in
omnib. fides noſtra minime vacillare debet, ſed certiſsimo certius ſtatuere, omnia euentura
quæ Euangelium promittit. HACTENVS eam ſententiam verborum Iohannis adduxi-
mus, quæ maxime congruere præſenti argumento videtur, nunc breuiter aliorũ ſentẽtias
attingamus. AVGVSTINVS per ſpiritum, Patrem ipſum: per ſanguinem, Filium: per
aquam, Spiritum ſanctum intelligit. Sed hæc interpretatio nequaquã congruit: nam Apo
ſtol9 noſter diſtinguit inter teſtes, qui in cœlo ſunt, qui ſunt Pater, λόγος, & Spiritus ſanctus:
& teſtes eos qui in terra ſentiuntur, videlicet, ſpiritum, aquam & ſanguinem. Ergo neceſſe
eſt, vt alij teſtes intelligantur, quam Pater, Filius & Spiritus ſanctus. AMBROSIVS con-
cinnius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 11. Tres (inquit) ſunt teſtes (ſcilicet in baptiſmate) Spi-
ritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt in Chriſto Ieſu. Audi, quomodo teſtes: Spiritus
mentem renouat: Aqua proficit ad lauacrum: Sanguis ſpectat ad preciũ. Spiritus enim nos
per adoptionem filios Dei fecit: ſacri fontis vnda nos abluit: Sanguis Domini nos redemit.
Idem lib. 1. cap. 6. de Spiritu ſancto: In aqua eſt imago mortis, in Spiritu pignus eſt vitæ, vt
per aquã moriatur corpus peccati, quæ quaſi quodam tumulo corpus includit, & per virtu-
tem ſpiritus renouemur à morte peccati. Et ideo hi tres vnum ſunt, ſicut Iohannes dixit, a-
qua, ſanguis & ſpiritus, vnum in myſterio, non in natura. Aqua igitur teſtis eſt ſepulturæ,
Sanguis teſtis eſt mortis, Spiritus teſtis eſt vitæ. Si qua ergo in aqua gratia, non ex natura
aquæ, ſed ex præſentia eſt Spiritus ſancti. Idem in libello de his qui myſterijs initiantur,
cap. 3. Legiſtis, quod tres teſtes in baptiſmate vnum ſint, aqua, ſanguis, & ſpiritus. Quia, ſi
vnum horum detrahas, non ſtabit baptiſmatis ſacramentũ. Quid enim eſt aqua ſine cruce
Chriſti? Elementũ commune ſine vllo ſacramenti effectu. Nec iterum ſine aqua regenera-
tionis myſterium eſt, Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, nõ poteſt introire in
regnum Dei. Hinc cognoſce, quod aqua non mundat ſine ſpiritu. ALII per ſpiritum in-
telligunt miniſterium Euangelij, in quo efficax eſt Spiritus ſanctus: per aquam Baptiſmũ:
& per ſanguinem Cœnam Dominicam. In hac varietate opinionum ſequendum eſt quod
maxime videtur quadrare, quodq; cõgruit cum analogia fidei. Quare ego ſententiã quam
primo loco propoſui, præferendam iudico, etiamſi alias, quas recitaui, nõ omnes repudio.

Si teſtimonia hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt.

Teſtimonium Dei duplex de Chri
ſto & eius Euangelio adduxit, nunc
qualis fides iſti teſtimonio adhibẽda
ſit, à comparatis colligit. Si teſtimonium hominum accipimus, multo magis teſtimonium
Dei accipere oportet: Nunc autem in ore duorum aut trium teſtium conſentientium de re
aliqua ſuper terram, ſtabit omne, vt inquit ſcriptura, verbum. Igitur multo magis teſtimo-
nium Dei accipiendum eſt. Pro conſequente maioris ſequelæ probationem ponit: nimi-
rum quod teſtimonium Dei maius ſit quam hominum teſtimonium. Debent enim maio-
ra teſtimonia præferri minoribus.

Nam hoc eſt teſtimouium Dei, quod

Supra dixit teſtimonium de Chri-
teſti-

teſtificatus eſt de filio ſuo. Qui credit in filium Dei, habet teſtimoniũ in ſemetipſo, qui non credit Deo, mendacẽ fecit ipſum, quia non credidit teſtimonio, quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo.

ſto in terra perhibere ſpiritũ, aquam & ſanguinem: nunc vbinam hoc teſtimoniorum genus quęrendum ſit docet, nẽpe in conſcientia fidelium. Qui (inquit) credit in filiũ, habet teſtimonium in ſemetpſo, nempe ſpiritũ, ſanguinem, & aquam, id eſt, mẽtem perſuaſam de Chriſto & veritate Euangelij per Spiritum ſanctum, iuſticiam Chriſti, hoc eſt, obœdientiam crucis & legis ſibi imputatam. Et ſanctificationem, hoc eſt, mortificationem & viuificationem, ſeu inchoationem nouæ obœdientiæ. Hæc enim fidelis anima in ſe ita ſentit, vt prorſus aduerſus omnes carnis rationes triumphet, certa de veritate Euangelij & ſalute per Chriſtum conſequenda. Amplificationem à contrarijs ſuo more addit Apoſtolus, vt oſtendat grauitatem peccati illorum, qui in filium Dei non credunt, hos enim dicit Deum mẽdacij arguere, ac ſi falſum teſtimoniũ de ſuo perhiberet filio. Quantumuis igitur magni peccatores ſumus, non addamus hoc horrendum peccatum, vt Deum mendacem noſtra infirmitate faciamus, qui, etſi reuera mendax non eſt, vitio tamen non credentis pro mendaci habetur.

Eſt autem hoc teſtimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius eſt.

Qualenam ſit Dei teſtimonium de filio, exponit, nimirum quod Deus dederit vitam æternam, quæ vita eſt in eius filio, qui eam omnibus credentibus & meruit & impertit. Hic quatuor obſeruentur. Primum, vnde vita æterna ſit, nempe à Deo Patre. Secundum, quod hæc vita ſit donum Dei gratuitum. Tertium, quod in Chriſto quærenda ſit hæc vita. Quartum quod hæc vita contingat credentibus, nam cum dicit: Nobis dedit, credentes intelligit. Primum deſtruit omnia humana merita. Secundum commendat nobis Dei miſericordiam. Tertium fontem vitæ monſtrat Ieſum Chriſtum. Quartum fidei nos admonet, qua Chriſtus fons vitæ apprehenditur. Quicunque ergo vel operibus nituntur, vel mereri ſe putant cœlum, vel extra Chriſtum vitam & ſalutem quærunt, vel vacui fide degunt, expertes vitæ æternæ ſunt, donec reſipiſcant.

Qui habet filium, habet vitam: qui non habet filium Dei, vitam non habet.

Vita æterna, quæ eſt donum Dei gratuitum, offertur quidem promiſcue omnibus. Verum quia nõ omnes eius vitæ fiunt participes, duo hominum genera ſtatuit: quorum alij vitam oblatam & donatam conſequuntur, alij ſua culpa oblatæ vitæ non fiunt participes. Qui (inquit) habet filium, habet vitam: qui filium non habet, vitam nõ habet. Nam qui filium habet, Primum viam ad vitam æternam habet, filius enim via eſt, iuxta illud: Ego ſum via. Item: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo. Deinde, qui habet filium, ianuam vitæ habet, iuxta illud: Ego ſum oſtium. Tum, qui habet filium, meritũ vitæ æternæ habet. Nam filius non ſibi, cui iure debebatur vita æterna, ſed ſuis, hoc eſt, in ſe credentibus, vitam æternam meruit. Præterea, qui filium Dei habet, omnia cũ filio habet, qui enim filio proprio non pepercit, ſed pro omnibus tradidit ipſum, quomodo nõ etiam cum ipſo nobis omnia donaret? Rom. 8. Adhæc, qui filium habet, vnum eſt cum illo, fieri proinde non poteſt, quin vna cum filio, hæres vitæ æternæ ſit. Poſtremo qui filium habet, ipſam vitam æternam habet, iuxta illud: Ego ſum vita. Quapropter ſiue viam vitæ, ſiue oſtiũ vitæ, ſiue meritum vitæ, ſiue fontem vitæ & Dominum, ſiue ipſam adeo vitam quæris, Chriſtus & via, & oſtium, & meritũ, & Dominus, atque adeo ipſa vita æterna eſt. Hæc omnia hoc Chriſti dicto intelliguntur: Ego ſum via, veritas & vita. Hoc dicto ſignificat Dominus, ſe & principium, & medium & vltimum eſſe, per quod veniatur ad vitam æternam. Si quæris, quiſnam habet filium? reſpondet ipſe, vt eſt in Euangelio Iohannis: Qui credit in filium, habet vitam æternam: cuius rationem hic ponit Iohannes, videlicet quod omnis qui credit poſsideat vitam æternam, quæ vita eſt ipſe Dei filius. Proinde in rectiſsima ad vitam via eſt, qui credit in filium, in qua cuſtoditur potentia Dei per fidem, & in eadem recta pergit, dum magis magiſque in omni cognitione & ſenſu rerum ſpiritualium proficit.

Hæc ſcripſi vobis credẽtibus in nomen filij Dei, vt ſciatis quod vitam habetis æternam, & vt credatis in nomen filij Dei.

Clauſurus Epiſtolam Apoſtolus, & quibus ſcripſerit, & in quem finem, oſtendit. Scripſit credentibus, qui iam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

filij Dei per fidem effecti, hæredes ſunt vitæ æternæ. Proinde quicquid in hac tota Epiſtola diſputatur de ſanctificatione, de dilectione & alijs virtutibus, ad fructum fidei, & non ad cauſſas hæreditatis cœleſtis referendū eſt. Aliud enim eſt de rei cauſsis, aliud de rei iam conſtitutæ qualitatibus & proprietatibus diſputare. Etſi enim ex adiunctis, proprietatibus & actionibus cognoſcuntur res: tamen hæ rem non conſtituunt, ſed conſtitutam ſequuntur, & dum nō ſequuntur, rei interitum indicant. Diligenter igitur diſcernere oportet, quo in loco habēda ſint bona opera, ſtabilita iuſticia fidei. Proinde quoties Sophiſtæ obijciunt ex hac Epiſtola ſententias, quibus oppugnare volunt gratuitam adoptionem, quæ eſt credentium, hunc locum Ioannis opponamus, qui teſtatur ſe nō ſcripſiſſe prophanis, & nondum conuerſis, ſed credētibus tantum, quorū eſt adoptio & ſalus per vnicum λύτρον Ieſu Chriſti. Finē ſcriptionis addit duplicem, Vnum cum inquit: Vt ſciatis quod habetis vitā æternam: Alterū cū inquit: Vt credatis in nomen filij Dei: Primus finis monet quod fides Chriſtiana non ſit inconſtans opinio aut fluctuans dubitatio: ſed conſtans ſcientia, quæ ex certiſsimis & imotis principijs manat. Sunt aūt iſta principia, Verbum Dei multis ſtupēdis miraculis confirmatum & demōſtratum, & Spiritus ſanctus, quo mentes illuſtrantur in vera Dei noticia, adeo vt beneficia Dei iam ſenſibus quodamodo percipiantur. Huc pertinent ea, quæ ſupra dicta ſunt de triplici teſtimonio in cœlo, & de triplici teſtimonio in terra. Secundus finis monet vt quotidie creſcamus in cognitione & fide, ne ſimus cōtēti primis initijs, ſed quotidie magis magiſq; proficiamus, donec ad metā peruenerimus. Quid autē ſit credere in nomen filij Dei, in 3. cap. dictū eſt. Nomen enim filij Dei, prędicationē Euāgelij reſpicit. Vult ergo vt talem credamus nobis eſſe filiū Dei, qualis in Euangelio nominatur & prædicatur.

Et hæc eſt fiducia quam habemus apud Deum, quod ſi quid petierimus ſecūdum voluntatem eius, audit nos.

De ſpe, quæ cum fide cōiuncta eſt, agit, quæ eſt certa expectatio promiſſorum bonorum. vt enim fides eſt fiducia præſentis beneficij, ſeu gratiæ, vt quæ in præſentia accipiat remiſsionem peccatorum & recōciliationem. ita ſpes eſt fiducia promiſſorum bonorum, inter quæ vnum eſt cuius hoc loco meminit Apoſtolus. Promiſerat enim Deus ſe exauditurum preces noſtras, & Chriſtus ait: Quicquid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis. In hac generali Chriſti promiſsione obſeruanda eſt reſtrictio, quam hic exprimit Apoſtolus, cum inquit: Si quid petierimus ſecūdum voluntatem eius. Hæc ergo reſtrictio in promiſsione Chriſti ſubintelligēda eſt, vt ſit ſenſus: Quicquid ſecundum voluntatem Dei petieritis in nomine meo, hoc dabitur vobis. Petimus autem ſecundum voluntatem Dei ea omnia, quæ gloriam Dei concernunt, & ad noſtram ſalutem directe ſpectant, idque non ex noſtro iudicio, ſed iuxta conſilium Dei. Hæc igitur ſpectantia ad gloriam Dei, petenda quidem ſunt ſine cōditione. Certi enim ſumus de voluntate Dei, ſed modus conferendi petita, ſapientiæ Dei relinquendus eſt, præſertim cum nos ipſi à vero modo illuſtrandæ gloriæ Dei & acquirendæ ſalutis aberramus.

Et ſi ſcimus quod audit nos, quicquid petierimus, ſcimus quod habemus petitiones quas petimus ab eo.

Quod in genere dixit de oratione fidelium, id iam accommodat ad cuiuſque vſum & praxin. Quilibet ergo Chriſtianus ſtatuere debet, ſe impetraturum, quicquid ſecundum voluntatem Dei, & non contra voluntatem petierit. Non enim debet Chriſtiana oratio pugnare cum præceptis Dei. Porrò, ſi interdum Deus differt quod petitur, hoc fit & ad excitandum precandi affectum in nobis, & ad explorandam fiduciæ conſtantiam. Non eſt ergo tempus certum Domino præſcribendum, quo exaudiet, id quod etiā ſanctiſsima fœmina Iudith ſuos ciues docuit: ſed paternæ voluntati relinquēdum eſt, vt is, cum tēpus ſibi videtur cōmodiſsimum, manus auxiliatrices porrigat. Deinde, ſciendum eſt, quod duplex modus exaudiendi ſuos ſit Deo vſitatus, Alias enim ſimpliciter exaudit, iuxta orantis voluntatem, vt cum apertum auxilium prębet coniectis in Babylonicam fornacem, & cum Danielem obiectū leonibus liberat: Alias exaudit non iuxta voluntatē precantis, ſed ſecundum id quod magis expedit in ſalutem orantis, iuxta illud Auguſtini: Sæpe non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſalutem. Stephanum & Laurentium nō liberat è manibus hoſtium, ſed ſua gratia eos ſub cruce cōfortat, vt ipſi coronā victoriæ in cœlis magis glorioſam accipiant. Hoc pacto multos ſanctos Martyres olim exaudiuit, & hodie multos in varijs ærumnis exaudit. Quare non iudicandum eſt de exauditione ſemper ex euentu, qui incurrit in oculos, ſed ſæpe ex reſponſo quod in ſe ſentiunt ſancti per ſpiritualem conſolationē & Spiritus ſancti aſsiſtentiam. Preces Dauidis ſæpe in

princi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

principio ſunt plenæ terroribus & dubitationibus, ſed inter precandum ex cogitatione promiſsionum, concipitur fiducia, & lxticia quædam ſpiritualis excitatur in corde. Vnde hoc? Iſta lxticia inter precandum concepta, eſt teſtimonium Spiritus ſancti, qui teſtatur precantis orationem à Deo exauditam eſſe. Ad eundem modum & nos orare oportet, & non deſinere, priuſquam reſponſum per ſpiritum Dei in cordibus noſtris perceperimus, quod haud dubiè ſemper fiet, quando orantis animus rectè componitur ſecundum verbum Dei, hoc eſt, cum ex fide, cum pio propoſito & ſine hæſitatione Deum patrem inuoces in nomine vnici Mediatoris, Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Si quis viderit fratrem ſuum peccãtem peccatum non ad mortem, petet, & dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem.

Eſt & hic effectus veræ dilectionis ex fide natæ, imo officium debitum omnium piorum, videlicet, vt ſe mutuis precibus Deo commendent, & vt alij aliorum erratis medeantur, docendo, admonendo, corripiendo, comminando, atque etiam inuocando Deum. Nam noſter labor totus fruſtraneus eſt, niſi Deus manum adhibeat, iuxta illud: Niſi Dominus ædificauerit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Sũt autem in hac pericopa tria, mandatum, promiſsio & reſtrictio. Mádatum eſt, vt frater pro fratre peccante oret. Promiſsio, quod orans ſit impetraturus peccanti veniam. Reſtrictio, quod tandum orandum ſit pro fratre peccante non ad mortem. QVANTVM autem ad mandatum attinet, quo iubemur pro fratribus orare, nõ eſt quod multis agam, præſertim cum vniuerſa ſcriptura, & ſanctorum patrum approbata exempla, nobis hoc officium cõmendent. Vocatur autem hæc precandi forma ἐντεῦξις, id eſt, poſtulatio, quæ eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deum, qua alius pro alio, vel omnes pro ſe inuicem precantur, non ſanctorum patrocinio, non proprio merito, non propria dignitate, ſed vnici Mediatoris Ieſu Chriſti interpellatione & merito freti. Vt autem Dominus excluderet prophanam & Ethnicam ſuperſtitionem de mediatoribus & ſuffragijs, clare dixit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ac ſi dicat, Me nominabitis interpellatorem, & propter me petetis, non iactantes veſtra opera aut merita in conſpectu Dei, more Ethnico & Phariſaico, nec deſperantes propter indignitatem veſtram.

Promiſsio eſt, quod orans ſit peccanti impetraturus vitam, qui antea ſub mortis imperio tenebatur propter peccatum. Petet (inquit) & dabit ei vitam. Sed quomodo dabit ei vitam? Non efficiendo, non conferendo, ſed impetrando per vitam, qui eſt Chriſtus Ieſus. Similis locutio eſt in Paulo, 1. Timoth. 4. Attende tibi ipſi & doctrinæ, hoc enim faciens & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt. Saluos facit miniſter Dei auditores verbi, non efficiendo, nec conferendo ſalutem, ſed prædicando & docendo ſalutis viam.

Reſtrictio eſt, quod orandum ſit tantum pro eo, qui non peccet ad mortem. Etſi autem omne peccatum mortis meritum infert, qualis eſt omnis actio interior & exterior pugnãs cum lege Dei, ſicuti clare ex comminationis verbis patet: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis: tamen ſpeciali modo peccatũ ad mortem dicitur blaſphemia in Spiritum ſanctum, ſeu peccatum in Spiritum ſanctum: quod quale ſit, mox ab ipſo Apoſtolo explicabitur. Quod autem hic locus non ſit de quouis peccato intelligendus, quod mortem & damnationem ſua natura meretur, vel ex eo patet, quod Dominus iubeat orare pro perſecutoribus & ipſe ita precatus eſt: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Et Stephanus orauit pro ijs, qui eum ſe lapidibus obruerunt. Et Paulus interpellat pro ſuis Iſraëlitis ad ſalutem. Sed pro Alexandro non orat, quem ſciuit in Spiritum ſanctum peccaſſe, quod tum temporis ſcire potuit, partim ex viſibili donatione Spiritus ſancti, quo donati erant quidam, qui poſtea defecerunt, partim ex ſingulari reuelatione & Prophetico ſpiritu. Noſtrũ autẽ non eſt de vllo homine pronunciare, quod in Spiritum ſanctum peccauerit. Cæterum quod ex hoc loco Papiſtæ diuidant peccatum in mortale, & veniale, friuolum eſt, nam nullum peccatum natura eſt veniale, ſed gratia tantum. Omnia enim peccata, ſi naturam eorum ſpectes meritum mortis æternæ inferũt.

Eſt peccatum ad mortem non pro illo dico, vt quis roget. Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum non ad mortem.

Diſcernit inter peccata, quorum alia ad mortem, alia non ad mortem eſſe pronunciat. Omnis (inquit) iniquitas, id eſt, quælibet legis diuinæ tranſgreſsio eſt peccatum, ſed non ad mortem. Ergo peccatum ad mortem noſtro Apoſtolo, non eſt legis tranſgreſsio, vt idololatria, periurium, homicidium, tyrãnis, adulterium, furtum, mendacium, &c. quia qui hæc peccarunt poſſunt reſipiſcere, & reſipiſcẽtibus pec-

cata hæc remittuntur. Nam, tametſi hæc peccata, vt ſupra dictum eſt, mortalia ſunt, vt quæ mortem mereantur æternam ſua natura, condonantur aũt reſipiſcentibus: tamen ab Apoſtolo noſtro, non dicuntur ad mortem, quia remittuntur confugientibus ad propitiatorium. Ex his ſequitur, peccatum ad mortem, peculiare peccati genus eſſe, quod non ſit vel vniuerſalis, vel particularis legis diuinæ tranſgreſſio, ſed Euangelij potius tranſgreſſio, etſi non quælibet, ſed ea tantum, quæ ab autore Epiſtolæ ad Hebræos, dicitur prolapſus poſt illuminationẽ. Proinde hoc peccatũ eſſe nequit, vbi illuminatio nõ proceſſit, & prolapſus in abnegationem Euãgelij illuminationem eſt ſecutus. Illuminatio eſt certa veritatis Dei, de Chriſto & eius Euangelio, cognitio per Spiritum ſanctum cordibus hominũ obſignata. Prolapſus eſt defectio ab illa agnita veritate, & renunciatio voluntaria Chriſti & eius Euangelij. Hanc eſſe peccati ad mortem (quod Dominus blaſphemiam in Spiritum ſanctum vocat) rationem, patet ex 12. Matth. ex 3. Marci, ex 16. Lucæ, ex 6. & 10. ad Hebræos, & ex hoc locó Iohannis, nam iſti loci collati ſuppeditant definitionem quam dedimus, plura de hoc peccati genere annotauimus ſuper Epiſtolam priorem ad Timotheum.

Scimus quod omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat.

Anticipat obiectionem, poterat enim ex dictis inferri: Si iniquitas & legis tranſgreſſio non eſt peccatum ad mortem, licebit ergo peccare impune. Hanc obiectionem diluit Apoſtolus, ſumto argumento à natura ſeu conditione nouæ natiuitatis, quã credentes filij Dei naſcuntur. Nam cum liberorum ſit virtutes paternas imitari, par eſt profecto vt filij Dei ſanctitatis paternæ ſint imitatores. Supra oſtendit Apoſtolus diſcrimen inter filios Dei, & filios Diaboli, ex vtrorumque ſtudio & actionibus, id quod hoc loco repetit. Quid autem ſit natum ex Deo, & quid nõ peccare, ſupra expoſitum eſt. Cæterum, cum veriſſimũ ſit, quod ſupra dictũ eſt: Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & facimus Deum mendacem: neceſſe eſt ex modo peccandi diſtinctionem petere. Alij enim peccant ſtudio, propoſito & voluntate, alij non ita, ſed tantum infirmitate & ignorantia, qui tamen perpetuam [illegible] retinent bene agendi, illi quidem coram tribunali Dei rei peraguntur, & adiudicantur æternis pœnis, niſi fiat remiſſio: hi vero abſoluti à reatu pronunciantur, vt quorum conſcientiæ per ſanguinem Chriſti à mortuis operibus ablutæ ſint, atque ideo dicuntur non peccare. Etſi autem pij materiale quoddam peccati habent, quod perpetuo ſecum circumferunt, tamen formale, quod eſt reatus ipſe, hoc eſt, obligatio ad mortem & damnationem æternam, ſublatum eſt, iuxta illud: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Si beati, rei vtique non ſunt, ſed iuſti.

Sed qui natus eſt ex Deo, ſeruat ſeipſum, & malus ille non tangit eum.

Definit quid ſit natos ex Deo non peccare, & eius rei fructum adiungit. Non peccat qui conſeruat ſeipſum, id eſt, qui perpetua cura cauet ne vllum peccatum ſciens & volens contra conſcientiam committat. Hoc Paulus vocat militare bonam militiam, retinendo fidem & bonam conſcientiam: donec enim fides manet, ſalua eſt conſcientia: Conſcientia vaſtata, fides naufragium patitur. Porrò, conſcientia retinetur ſalua & illæſa, hiſce quatuor veluti fulcimentis, fiducia remiſſionis peccatorum, propoſito cauendi omne peccatum, ardenti deſiderio vitam omnem Deo approbandi, & ſancta in vocatione cura. Fructus conſeruantis ſe à peccato eſt, quod malus ille ipſum non tanget, ſcilicet lethali vulnere, intus enim per fidem habet eum qui mundum, mortem, peccatum & Satanam vincit. Vnde ſupra dictum eſt: Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides veſtra.

Scimus quod ex Deo ſumus, & mundus totus in malo iacet.

Diſcernit inter filios Dei & mundum. filij Dei ſunt, qui fide ſtant & ſunt renati per Spiritum ſanctũ. Proinde mundus hoc loco ſignificabit omnes homines incredulos & non renatos. Vt autem credentes ex Deo ſunt, id eſt, pendent ex Deo tuti & ſecuri præſentia & defenſione diuina: ita mũdus totus in malo iacet, hoc eſt, veluti proſtratus & victus ſub Diabolo captiuus tenetur. Habet enim Satanas imperium in filios cõtumaciæ, & efficax eſt in filijs incredulis. Quiſquis ergo ſalutis ſuæ curã habet, Diabolo renũciet, ac ſe ſuauiſſimo Chriſti iugo ſubijciat. Nam fieri aliter non poteſt, quin qui Chriſti iugũ ſubterfugiat, laqueis Satanæ inuoluatur & cõſtringatur. Hinc omnino eſt, quod tot præſtigijs humanũ genus illudat Satan. Hinc incantationũ magicarum virtutes proficiſcuntur, quæ tantũ in mundum, & nõ in filios

lios Dei exerceri poſſunt, idque fit permittente Domino, vt intelligant homines Satanam imperium exercere in omnes, qui regi Chriſto homagium præſtare recuſant. Et vt ſciant pij, ſe præſentia Chriſti defendi aduerſus hoſtem humani generis Diabolum.

Sed ſcimus quod filius Dei venit, & dedit nobis intelligentiam, vt cognoſcamus illum verum.

Quia dixit nos ſcire quod ex Deo ſumus, iam eius noticiæ cauſſam ponit, videlicet filij Dei apparitionem ſeu præſentiam. Filius enim Dei qui ſemper adeſt ſuæ Eccleſiæ, maieſtate, prouidentia & gratia, vt loquitur Auguſtinus, dicitur venire in verbo Euangelij, in ſpiritu, qui verbo efficax eſt, & per gratiam qua homines credentes Euangelio adoptantur in filios Dei. Quæ adoptio & interne ſeu inuiſibiliter, & externe ſeu viſibiliter, obſignatur. Interne quidem Spiritu ſancto, qui ideo dicitur arrabo hæreditatis noſtræ. Externe vero ſacramẽtorum vſu, videlicet Baptiſmi & Cœnæ Dominicæ. Hinc eſt quod Eccleſia filij Dei, nõ opinionibus incertis vacillet, ſed vera & infallibili ſcientia regatur. Quæ ſcientia potiſsimum ſita eſt in remiſsione peccatorum per viſcera miſericordiæ DEI, vt Zacharias in ſuo hymno canit. Non igitur moueant nos ſapientum huius mundi prophanæ voces, qui extenuantes fidem noſtram, eam reijciunt in tertiam claſſem poſt ſcientiam, & cum εἰκασίᾳ procul à veritate ſubmouent. Sed de fidei noſtræ immota certitudine ex firmiſsimis demonſtrationibus in primo capite, quædam annotauimus, & ſupra in hoc quinto, vbi dicuntur tres eſſe qui teſtificantur in terra, & tres in cœlo. Porrò, ne quis exiſtimet ſcientiam fidei rationis lumine cerni poſſe, addit Apoſtolus: Et dedit nobis intelligentiam, ſcilicet verbo & ſpiritu nos inſtruens, & diuinis ſuis operibus nos confirmans. Sed qualem ſcientiam dedit? Vt (inquit) cognoſcamus illum verum, ſcilicet Deum, & non amplius cum mundo ſeducti à Diabolo, ficticios Deos admiremur & colamus. Nam, cum verum Deum dicit, antitheſin vult intelligi inter verum Deum, quem Chriſtiani colunt, & ficticios Ethnicorum Deos, in quorum locum Papiſtæ ſuos ſanctos ſubſtituerunt, quos loco veri Dei volunt adorari, non ſine contumelia veri Dei, & Mediatoris vnici, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Porrò, hanc noticiam veri Dei pronunciat Dominus eſſe vitam æternam, cum ait: Hæc eſt vita æterna, vt te cognoſcant verum Deum, & Ieſum eſſe Chriſtum quem miſiſti. Verum ſciendum eſt hanc noticiam conſtare duabus rebus, videlicet, vera Dei cognitione, quæ in mente eſt, & viuo ſenſu, qui eſt cordis fiducia in hunc verum Deum & Mediatorem Ieſum Chriſtum. Nam vt διάνοια apud Philoſophos conſtat ratione & ſenſu, vnde concluditur vniuerſale de re pronunciatum: ita διάνοια cuius hic meminit Apoſtolus noſter, conſtat firma noticia verbi Dei, & viuo ſenſu, ſeu experientia cordis, vnde concluditur firmiſsima expectatio bonorum, quæ in Euangelio credentibus promittuntur. Quare Paulus coniungit ad Philippenſes γνῶσιν & αἴσθησιν, id eſt, veram noticiam & ſenſum, hoc eſt, experientiam, qua ſancti in ſe ſentiunt præſentiam Chriſti, & viuos motus ſpiritus Chriſti in ſe habitantis.

Et ſumus in vero, nempe in filio eius Ieſu Chriſto.

Dixit nos ex Deo eſſe, hoc eſt, tutos & ſecuros aduerſus Diabolum, præſentia & defenſione diuina. Nunc vnde ſit illa ſecuritas, videlicet, quod ſumus in vero illo qui eſt filius Dei, quem fide induim⁹. Quia autem hic eſt victor mundi, id eſt, peccati, mortis & Satanæ, nos qui eius membra ſumus, huius victoriæ erimus participes.

Hic eſt verus Deus & vita æterna.

Hæc clauſula duo tribuit Ieſu Chriſto, filio virginis, videlicet quod ſit verus Deus, & quod ſit vita æterna. De vtroque ordine dicamus. VERVS Deus eſt Ieſus Chriſtus ab æterno à patre vero Deo ineffabiliter natus, eiuſdem naturæ & eſſentiæ cũ patre & Spiritu ſancto. Et tametſi alius eſt pater, alius filius, alius Spiritus ſanctus, quia diſtinctæ ſunt perſonæ: tamẽ nõ aliud eſt pater, aliud filius, aliud Spiritus ſanctus, quia patris & filij, & Spiritus ſancti vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coęterna maieſtas. Hic ætern⁹ Dei filius, ſtatuto à patre tempore, aſſumſit humanam naturam in vnionem perſonalem, vt idem ſit perfectus Deus & perfectus homo, æqualis patri ſecundũ diuinitatẽ, minor patre ſecundũ humanitatẽ, qui licet Deus & homo, nõ tamen duo, ſed vnus eſt Chriſtus, ſeu vna perſona, non quidẽ conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumtione humanitatis in Deum, idq; non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ. Quoniam autem naturæ Chriſti ſine mixtione, ſine cõfuſione, ſine alteratione, vnitæ ſunt, vnaquæq; ſuam propriam differentiam

retinet. Nam, quorum diuerſæ ſunt naturæ, eorundem & diuerſæ ſunt naturales proprietates. Quia ergo non recte dicitur: natura diuina eſt natura humana, quæ huius ſunt propria illi nequaquam attribuuntur. Verum quia ſecũdum ſcripturam dicitur recte & pie, Deus eſt homo, & filius Mariæ, ſeu homo eſt Deus, rectiſsime quæ ſunt Dei, homini, & quæ ſunt hominis, Deo tribuuntur. Non ergo communicantur proprietates in abſtracto, ſed in concreto tantum, idque propter ταυτότητα τ῀ ὑποςάσεως, hoc eſt, identitatem perſonæ. Vt enim per abſtracta naturæ, ita per concreta intelligitur perſona. Falſo igitur dicitur, Diuina natura eſt paſſa: ſed recte & pie, Deus eſt paſſus. Item falſum eſt ſi dicas, Humanitas condidit cœlum & terram, Verum autem, Homo filius Mariæ eſt creator cœli & terræ. Hanc commutationem proprietatum Græci Theologi vocant κοινωνίαν idiomatum, hoc eſt, cõmunicationem ſeu alternationem proprietatum diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto, quæ communicatio ſeu alternatio ſolumodo locum habet in concretis ſicut dictum eſt. Iuſtiſsime proinde damnati ſunt olim Eutychiani, qui vnam naturam ex duabus compoſitam fecerũt, male intelligentes ſymboli verba: ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Nam collatio hæc non ad naturæ, ſed ad perſonæ pertinet vnitaté. Nam, quemadmodum anima rationalis & caro vnus eſt homo, id eſt, vna humana natura ſpecifica: ita Deus & homo, ſeu diuinitas & humanitas vna eſt perſona, non vna natura. HÆC breuiter aſſcribere placuit, vt de Chriſti naturis & perſona, recte ſecundum ſcripturas iudicemus, videlicet, quod ſit verus Deus, verus homo, & vna vera & æterna perſona, non duæ perſonæ, vt ſunt duæ naturæ, nec vna natura, vt eſt vna perſona. IAM ad Apoſtolum noſtrum redeamus, qui, cum Chriſtum verum Deum pronunciat, occurrit varijs hæreticorum erroribus, quorum alij Chriſtum Deum dici, & non reuera eſſe, mentiti ſunt. Alij participatione Chriſtum Deum eſſe agnouerunt. Nonnulli imitatione tantum, ſicuti alij pij, qui filij Dei dicũtur. Horum omnium vanitatem, vna voce euertit Apoſtolus, cum inquit: Hic eſt verus Deus, hoc eſt, non nomine, non imitatione, non participatione, ſed veritate, id eſt, vera diuinitate. Deinde ſubiungit, Et vita æterna. Hæc vita æterna hic in ſanctis inchoatur, per cognitionem Dei, & Mediatoris Ieſu Chriſti, iuxta illud: Hæc eſt vita æterna, vt te cognoſcant verum Deum, & Ieſum eſſe Chriſtum, quem miſiſti. Item: Qui credit in filium, habet vitam æternam. Hæc vita plena conferetur reſuſcitatis mortuis, & dicitur æterna, quia nec fine clauditur, nec temporibus voluitur, nec ætatibus variatur, nihil ibi deeſt, quia totum in Chriſto, in quo ſecuri ſemperque glorioſi erimus. Hæc vita eſt ſcopus ad quem tendimus, eſt finis ad quem properamus. Habetis, inquit Paulus, fructum veſtrum in ſanctificationem, finem autem vitam æternam. SED cur nam Chriſtus dicitur vita æterna? Primum, quia eſt autor vitæ æternæ: nam is ſua morte æternam mortem vicit, & meruit ſuis, hoc eſt, in ſe credentibus æternam vitam. Deinde dicitur vita æterna, quia ſolus via vitæ æternæ eſt. Hunc igitur cum ſequimur fide, vitam æternam intramus. Prætерea dicitur vita æterna, quia eſt obiectum illud & ſummum bonum, quo ſancti fruentur in vita æterna, in qua ipſi Chriſto conformes erimus in omni æternitate. Huc illud Pſalmi 16. pertinet: Notum facies mihi ſemitam vitæ, abundantiam delitiarum vultum tuum, & iucunditates in dextera tua in æternum. Hic ex aduerſo cogitetur antitheſis de morte æterna, quæ manet ſuper omnes qui non conuertuntur vera pœnitentia, & fiunt membra Ieſu Chriſti, qui ſolus merito ius æternæ vitæ habet, quod ſuis ex gratia largitur.

Filioli cauete vobis ipſis ab Idolis. Amen.

Quia in hac tota Epiſtola actum eſt de vero Deo, veroque ipſius cultu: Nunc addit neceſſariam commonefactionem de cauendis ſimulacris. Eſt autem in primis obſeruandum, quod non tantum cultum ſimulacrorum caueri velit: verumetiam inſtrumenta ipſa, vt ſunt ſimulacra ſeu Idola. Nam fere ſemper Satan per ſimulacra ſimplices hominum mentes ludificare, & Dei gloriam obſcurare nititur: Quod etiam Varro, licet Ethnicus, intellexit, cum ait: Qui inſtituerunt populis ſimulacra, & metum demſerunt, & errorem addiderunt. VT autem iuuentus ſciat, quid ſit ex verbo Dei ſtatuendum de Idolis, huc pauca aſſcribam de prima ſimulacrorum inuentione, de eorundem erigendorum in Eccleſijs Chriſtianorum occaſione, de ſententijs Sanctorum, & certaminibus patrum de ſimulacris, quibus adijciam conſilium de imaginibus ferendis, & non ferendis in Eccleſia.

Liber ſapientiæ cap. 14. de inuentis ſimulacris ita habet: Initium ſcortandi. excogitatio ſimulacrorum eſt, atque eorundem inuentio vitæ corruptela. neque enim erant ab initio, neque in ęternum erunt, quippe hominũ ambitione in mundum ſunt introducta, & ideo celer eis interitus deſtinatus eſt. Nam acerbo luctu filij præmature erepti mœrens pater,

efficta imagine iam antea mortuum hominem, nunc vt Deum colere cœpit, atque ſubditis ſacra ceremoniaſque tradidit. Deinde progreſſu temporis inualeſcens impia conſuetudo, pro lege ſeruata eſt, mandatiſque Tyrannorum effectum eſt, vt ſculptæ imagines religioſe colerentur. Hæc Sapiens de inuentione, propagatione & cultu Idolorum.

HISTORIAM autem, cuius hic meminit Sapiens, Fulgentius recitat ex antiquiſsimo ſcriptore Diophane, qui dicit apud Ægyptios fuiſſe quendam virum, familia ſubſtantiaq; locupletem, nomine Cyrophanem. Hic vnicum filium ineffabili, vltra quam paternitas exigebat, affectu proſequebatur: quem, cum immatura mors è viuis abſtuliſſet, pater ad ſedandam triſtitiam, imaginem filij ſibi fingi curauit, vt ſaltē filij ſimilitudo, triſtitiam aliquo modo leniret. Cui imagini vniuerſa familia in adulationem domini: nunc coronas nectere, nunc flores ſternere, nunc thura accendere conſueuit: & tandem ad illam imaginem, tanquam ad aſylum ſontes confugere, quaſi veniam petentes, cœperunt, & hos honores ſimulacro timore potius quam amore, exhibuere, De quibus Petronius:

Primus in orbe Deos fecit ineſſe timor.

Per Deos intelligens ſimulacra quæ colebantur Dei loco.

MOX Ninus tyrannus Babyloniorum patris ſui Beli imaginem effinxit, iuſsitque ei diuinos honores exhiberi. Hinc Bel nomen Idoli apud Babylonios, Eſaiæ 46. Huius Beli tanta fuit religio, vt nō ſolum humanas hoſtias captiuorumque & ignobilium, ſed etiam ſuos liberos immolaret, vt autor eſt Hieronymus in 46. caput Eſaiæ ſcribens. Huius Nini exemplū poſtea ſucceſſores eius imitati ſunt, quēadmodum ex Daniele patet, qui narrat Nabuchodonoſor regem, ſtatuā cultus gratia erexiſſe. Hoc imitati ſunt etiā Græci, & ſuos reges in numerum Deorum retulerunt, eorumq; ſimulacra erexerunt, quibus honores & cultum exhibere ſubditi cogebātur. Hinc multitudo Deorū apud Ethnicos initiū habuit. VERVM cum Dominus ſuum populum educeret ex Ægypto, lege cauit, ne hāc Ethnicā conſuetudinem imitarentur, prohibuitq; ne vlla ſibi fingerent ſimulacra: Quæ prohibitio ſæpe in Moſe & Prophetis inculcatur, vt Exod. 20. Leuit. 16. Deut. 5. & 27. Eſaiæ 42. & 44. HÆC ſint dicta de occaſione & progreſſu ſimulacrorum apud Ethnicos: iam de occaſione eorundem inter Chriſtianos breuiſsime quędam adijciam. POSTQVAM Chriſti veritas illuxit, aliquot ſeculis idola non curarunt, imo fugerunt, & aſpernati ſunt Chriſtiani. Et Apoſtolorum proximis temporibus plane ignorata fuerunt in Eccleſijs, & vſque ad Conſtantini Magni ætatē ſyncerior erat religio, quā vt ad idola ſe conuerterent, niſi quod Marcellina ſocia Carpocratis hęretici, circa annum Domini 200. imagines Ieſu, Pauli, Homeri, Pythagoræ & aliorum coluit adorando incenſoque ponendo. Cæterū poſtea circa annum Domini 400. cœperunt templa Chriſtianorum ornatiora extrui, auroq; & argento ornari. Et Paulinus, qui fuit Epiſcopus Nolæ in Campania, vt ſcribit Auguſtinus in libro de ciuitate Dei, pinxit parietes templi ſui picturis ex veteri teſtamento deſumtis, idque hac occaſione: Quotannis cum populo celebrare conſueuit natalem Diui Felicis, idq; in templo. Vt autem accubantes in communi menſa, ſancta quadam voluptate reficerētur, parietes templi hiſtoricis picturis ornari curauit, vt harum inſpectione admonerentur de hiſtoria Eccleſiæ. Conſilium ſane hoc, non fuit impium: ſed longe alius ſecutus eſt euentus. Nam huius exemplum, propter ſummam viri autoritatē, & vitæ ſanctimoniam, paulatim ſunt ſecuti & alij paſtores & Epiſcopi, donec omnia Chriſtianorum templa referta ſunt imaginibus & ſimulacris, ſpacio fere 300. annorum, vſque ad annum Domini 718. Nám tum Imperator Leo eius nominis tertius, animaduertēs abuſum ſimulacrorū in templis, edictum propoſuit, vt tollerentur omnes picturæ & ſimulacra de templis Chriſtianorum. Verum cum hoc Papa Gregorius ſecundus animaduerteret, Concilium celebrat, in quo obtinet, vt reſtituantur ſimulacra templis, & Imperator excommunicetur, quem inuidiæ cōciliandæ gratia εἰκονομάχον appellauit. Voluit autē hic Gregorius hoc ſuo facto oſtēdere, ſe Monarcham Eccleſiæ eſſe, quam dignitatem ipſius anteceſſores 100. iam annos obtinuerant.

MORTVO Leone Tertio, ſuccedit in imperio Conſtantinus Quintus, qui conuocatis 330. Epiſcopis, Synodum celebrat, in qua ſancti Patres propter ſcandala, & Ethnicam ſuperſtitionem, decreuerunt, templa Chriſtianorum ab Idolis & imaginibus purganda eſſe.

CONSTANTINO Quinto mortuo, Irene vidua, iuſſu Theraſij Conſtantinopolitani Patriarchæ, vocatis in Niceam vrbem 350. Epiſcopis, imagines & idola rurſus in templis erigi ſeueriſsime mandauit. Vt autem res abeſſet ab omni ſuperſtitione idololatriæ, formam cultus his duobus verſibus expreſſere:

Nam Deus eſt, quod imago docet, ſed non Deus ipſe,
Hanc videas, ſed mente colas quod cernis in ipſa.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Vide Polydorum de inuentione rerum lib. 6. cap. 13. POST hæc tempora Conſtantinus
Irenæ filiꝰ melius edoctus, iterum Idola è tẽplis amouit, quæ res, cum diſpliceret Romanis
Pontificibus, præbuit occaſionem Schiſmatis Imperij, adeo, quod non ſolum Græcia defe-
cerit à Romanis, verumetiam Imperij dignitas ad Germanos ſit translata, idque Põtificis
conſilio, vt iſta ratione non ſolum ipſe potentior euaderet: Verumetiam vt propter hoc be
neficium Imperatores ſemper ſibi ſubiectos haberet. Ex quo factum eſt, quod decretum
illud de retinendis idolis in templis, ratum permanſerit, vſque ad noſtra tempora, nõ ſine
graui veræ religionis iactura. Nam poſtquam Romani Pontifices, qui iam capita Eccleſiæ
eſſe, & ſupra Imperatores & Reges prædicabantur, adeo certaſſent pro defendendis idolis,
& tandem obtinuiſſent quod voluerunt, ſimplex plebecula vt fidei minimũ habebat: ita
& pietatem in ſimulacris declarare ſtuduit. Nec moram fecit Sathan quin fallacibꝰ ſignis
illa commendaret, quo diuinitatis opinionem obtinerent ſimulacra. Vnde factum eſt, vt
nunc paſsim in Papatu, ab Epiſcopis papalibus conſecrentur, priuilegijs indulgentiarum
donentur, ab ijs qui cæteris religioſiores exiſtimantur adorentur, anathematis & oblatio-
nibus cumulentur, gemmis ornentur, iugi lucernarum lumine honorentur, donis & lega
tis rebus donentur. Et quamuis tam manifeſta idololatria excuſari nequeat: habẽt tamen
defenſores potentiſsimos, qui & armatis exercitibus & amarulentis ſcriptis ipſorum glo-
riam tuentur. NVNC quantum affuerint ſancti patres ab iſta Ethnica prophanitate, bre-
uiter videamus. EPIPHANIVS in quadam Epiſtola, quã interpretatur Hieronymus, qui
etiam ſentẽtiam ipſius amplexus eſt, ſic ſcribit: Cum veniſſem (inquit) ad villam, quæ An-
ablata dicitur, vidiſſemq; ibi præteriens lucernã ardentẽ, & interrogaſſem, quis locus eſſet,
didiciſſemq; eſſe Eccleſiam, & cum intraſſem vt orarem, inueni illic velum pendens in fo
ribus eius Eccleſiæ, tinctum atque depictum, habens imaginem quaſi Chriſti vel ſancti cu
iuſdam, non enim ſatis memini cuius imago fuerit. Cũ ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chri
ſti, contra autoritatẽ ſcripturarũ hominis pendere imaginẽ, ſcidi illud, & magis, dedi cõſi-
lium cuſtodibus eiuſdem loci, vt pauperẽ mortuum eo obuoluerent & efferrent. ET paulo
poſt: Precor vt iubeas presbyteros eiuſdem loci, deinceps præcipere in Eccleſia Chriſti, eiuſ
modi vela, quæ contra religionẽ noſtram veniunt, non appendi. Hæc Epiphanius Epiſco-
pus Conſtantiæ, vir ſanctus & doctus. LACTANTIVS autem hoc modo: Deus (inquit)
ſupra hominem eſt, non in ima poſitus: ſed in ſumma regione quærendus eſt, quare non
dubium eſt, quin religio nulla ſit, vbicunque ſimulacrum eſt: Nam ſi religio ex diuinis re-
bus eſt, diuini autem nihil eſt niſi in cœleſtibus rebus: carent ergo religione ſimulacra.

Athanaſius in hunc modum, in oratione contra Gentiles, ſcribit: Dicant quæſo (ſcilicet
patroni ſimulacrorum) quo pacto per ſimulacra, aut reſpõdeat aut noſcatur Deus. An per
circumpoſitam illius materiam? An per inductam materię formam? Nam ſi ob materiam,
quæ iam formæ neceſsitas? Cur non etiã prius quam iſta fingeretur forma, ſcilicet per ean-
dem prorſus materiam, apparuit Deus? fruſtra quoque templa iſti fabricati ſunt, includen
tes intrinſecus vel lapidem, vel lignum, aut quamlibet auri particulam, cum hiſce ſubſtan
tijs terra omnis plena ſit. At ſi ſuperinducta effigies diuinę cognitionis cauſſa eſt, quid iam
auro cæteraque materia opus eſt? An non magis per ipſa vera animalia, quorum formæ ſi-
mulacra ſunt, Deus cognoſcitur? Nam clarius profecto Dei gloria innoteſceret, ſi per ani-
malia rationabilia & irrationabilia, quam per inanimata & imobilia, manifeſtaretur, ijs
enim rebus maximã impietatẽ in pernitiem ſuam, operantur. Cum ergo intelligendi Dei
gratia, ſculpitis aut pingitis imagines, rem ꝓfecto dignã minime facitis. Hæc Athanaſius.

CLEMENS autem in hanc ſententiam: Per alios (inquit) Serpens ille proferre verba
huiuſmodi ſolet: Nos ad honorem inuiſibilis Dei, imagines viſibiles adoramus, quod cer-
tiſsime falſum eſt. Si enim vere velitis Dei imaginem colere, homini benefacientes, veram
in eo imaginem coleretis, in omni enim homine eſt imago Dei. HACTENVS ſatis oſten
dimus, quodnam habuerint initium ſimulacra, cum apud Ethnicos, tum apud Chriſtia-
nos, quem progreſſum, quæ fuerint de ijs in Eccleſia certamina, & quodnam de ijs ſancto-
rum Patrum fuerit iudicium. Nunc, quia nonnulli obijciunt diſputationem beati Luthe-
ri & Caroloſtadij, breuiter ſententiam Lutheri recitabo.

CVM Lutherus, exhibita Cõfeſsione Auguſtana, coactus eſſet ad tempus abeſſe VVite-
berga, Caroloſtadius, ſtatuas oẽs, & imagines è templo VVitebergenſi per ſeditionẽ ſuſtu-
lit: quem reuerſus Lutherus, iuſtiſsime reprehendit, non quod patronus Idolorum fuerit
Lutherus, ſed ob alias cauſſas. Quatuor enim in Caroloſtadio iuſte taxabat Lutherus. PRI
MVM, quod miniſter verbi, non verbo tantum, vt oportuit, ſed manu ſua Idola ſuſtulerit.
SECVNDO, quod iſto periculoſo tempore ſeditionem mouerit. TERTIO, quod in Ma-
giſtratus ciuilis officium temere irruperit. POSTREMO, quod omnes imagines pro-
miſcu

miſcue & omnia ſimulacra damnauerit. QVANTVM autem ad imagines ipſas, ſeu Idola attinet, hoc dedit conſilium Lutherus: Nos verbo tollamus. Cuius & hoc votum erat: Vellem nullas ſtatui. Porrò, cum ex Paulo petito principio aggreditur Caroloſtadium hoc argumento: Idolum nihil eſt in mundo. Si nihil eſt, non nocebit ſiue ſtet, ſiue cadat: valde infirmum eſt, id quod ex contextu Pauli patebit. Quæſtio erat, Num liceret veſci Idolothytis: qui affirmatiuam theſin poſuerunt, hoc argumēto ſe tuebantur, Idolum nihil eſt. Ergo nihil refert, ſiue veſcamur, ſiue non veſcamur idolothytis. Antecedens agnoſcit Paulus, & vt firmum principium recipit: ſed ad connexionem reſpōdet per diſtinctionem: Sed non (inquit) in omnibus eſt ſcientia. Nam quorū conſcientia eſt infirma, polluitur. Ea eſt enim vis conſcientiæ, vt opus natura ſua medium, ſi bona fuerit, bonum reddat, ſi mala, malum: Quicquid enim fit vel repugnante vel errante, vel dubitāte conſcientia, peccatum eſt. SIC ergo ad argumentum reſpondeo. Idolum eſt nihil, Ergo nihil nocebit ſiue ſtet, ſiue cadat. Reſpondeo, ſed nō in omnibus eſt ſcientia, quare ratio infirmorum habenda eſt, ne noſtra conſcientia pereant infirmi, propter quos mortuus eſt Chriſtus. Deinde ad antecedens reſpondeo: Idolum nihil eſt, ſcilicet efficacia: nulla enim in eo vel ad ſanctificandum cibum, vel ad polluendum vis eſt. Sed Idolum aliquid eſt, opinione infirmorum, quorum ratio à pijs habenda eſt. IAM quænam imagines ferri poſsint in templis Chriſtianorum breuiſsime dicam. Etſi ego cum ſanctis Patribus, Hieronymo, Epiphanio, Lactantio, Athanaſio, Auguſtino, Cyrillo, Clemente & Luthero, vellē nullas prorſus imagines in templis Chriſtianorum poni, non quod omnes promiſcue damnem: ſed quia olim obſcurata luce Euangelij, poterunt veteris ſuperſtitionis inſtrumenta fieri: tamen quia violenta eſt cōſuetudo, hoc do conſilium, vt miniſtri verbi ferant hiſtoricas picturas, & ſimulacra, quæ ſuperſtitione carent: curent quantum poſſunt, vt menſa Dominica ſit ab Idolis munda. Si aūt omnino id efficere nequeant, exemplo VVitebergenſium, permittant pingi in tabula hiſtoriam Cœnæ Dominicæ, lotionis quoque pedum, & paſsionis Domini, ſi placet. Idque tantiſper admittant, donec viderint rem non rapi in ſuperſtitionem. Picturas impias & ſimulacra, coram quibus homines procumbunt religionis cauſſa, ſi nō verbo amouerint, id eſt, reprehēderint, & magiſtratus ſui officij non admonuerint: pœnas neglecti officij, iuſto iudici aliquando dabunt. HVC libet addere quæſtionem: Licétne pio homini figuram crucis ſculptam vel pictam habere? Hic inprimis cauēda eſt ſuperſtitio Papiſtica, quæ eſt multiplex. Papiſtę enim primum in hoc errant, quod crucem erigant, vt ſe corá eo proſternant oraturi, quod non ſolum cum primo præcepto: verumetiam cum orationis forma à Domino præſcripta, manifeſte pugnat. Deinde errant, cum figuræ crucis virtutem aliquam, contra morbos aut Diabolum tribuunt. Præterea errant cum cultus gratia in veſtibus circumferunt figuram crucis, quod plane idololatricum eſt. Verum tum demum licitum iudico, ſculpere, pingere, erigere, & ſignare crucis figuram: ſi ea vt ſymbolo, quod te de Chriſti victoria admoneat, vtaris: ſi crucem illam loco ſynthematis Chriſtiani militis, habeas, quo te teſtaris & profiteris hoſtem Diaboli eſſe, cuique hoc ſigno dato ἄσπονδον πόλεμον indicis, recipiens te ſtrenue ſub vexillo Chriſti pugnaturū aduerſus Sathanæ regnum. Quare minime improbo, imo laudo ſignum crucis erigi in templis Chriſtianorum, in teſtimonium militiæ Chriſtianæ. Nec improbo ſignum crucis imprimi fronti ac pectori infantis dum baptizatur, modo id fiat ſolummodo in ſignum nouæ iſtius inaugurationis, qua, qui baptizatur, Chriſto dat nomen, & ſe ſub ipſius vexillo cōtra Satanam militaturū promittit. Qui mane ſurgens & veſperi cubitum vadens, ſignat ſe cruce, in ſignum Chriſtianæ militiæ contra Satanam, non eſt culpandus, modo abſit ſuperſtitio. His rationibus exiſtimo vſos eſſe ſigno crucis Auguſtinum, Epiphanium, Athanaſium, qui multum ſignaculo crucis tribuerunt propter ſignificationem & admonitionem.

ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM IOHANNIS SECVNDAM.

HÆC EPISTOLA PARÆNETICA EST: CONTINET ENIM EXHORTAtionem ad conſtantiam & perſeuerantiam in doctrina Euangelij, & ad caritatem fraternam. Dehortatur quoque à corruptelis doctrinæ, & à conſortio hæreticorum.

Sunt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sunt autem huius Epiſtolæ (præter Epigrapham & ſalutationem) partes quinque, quarum PRIMA eſt narratio. SECVNDA, exhortatio ad mutuam dilectionem, quæ ſuis quibuſdam fulcitur rationibus. TERTIA, eſt dehortatio à corruptelis doctrinæ Euangelij. QVARTA, hortatur vt Pſeudoprophetas ne in domum quidem recipiat hæc nobilis fœmina, aut Aue illis dicat. QVINTA, excuſatio eſt breuitatis Epiſtolæ, cum clauſula epiſtolari. Quod autem quidam hanc Epiſtolam inter catholicas numerant, errore factum eſt, non enim toti Eccleſiæ, ſed priuatis perſonis eſt inſcripta, videlicet eximiæ cuidam ac nobili matronæ, cum ſuis liberis, optime de ſe & alijs Chriſtianis meritæ: quæ per prædicationem Iohannis conuerſa, iam conſtans perſeuerauit in doctrina accepta, & verum fructum Euangelij, cum vniuerſa ſua familia edidit.

EXEGESIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SENIOR electæ Dominæ, & filijs eius, quos ego diligo in veritate: & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognouerunt veritatem, propter veritatem, quæ manet in nobis & nobiſcum erit in æternum.

Hæc Epigrapha eſt, & conſtat tribus partibus, videlicet, indicatione perſonæ ſcribentis, indicatione perſonarum, ad quas ſcribit, & amplificatione. Perſona ſcribens per Antonomaſian indicatur, cũ inquit: Senior, ſeu, vt in Græco eſt, Presbyteros, quod nomen & dignitatis eſt, & ætatis. Vt enim Presbyter in genere eſt, qui eſt alijs ætate grandior: ita interdum ad miniſtros Euangelij relatum, ſignificat quemlibet Euangelij præconem, ſiue ſit ſenex ſiue iuuenis. Ratio appellationis inde traxit originem, quo olim non niſi prouectioribus ætate committebatur tam auguſtum miniſterium poſt longum doctrinæ & morum examen. Perſonæ quibus ſcribitur, ſimiliter per antonomaſian indicantur. Electę (inquit) Dominę & filijs eius. Videtur autem fuiſſe matrona diues & nobilis, quæ alijs pietate & caritatis officijs antecelluit. Eſt enim ἔκλεκτος electus hoc loco eximius, antecellens, & qui præ reliqua multitudine hominum, aliquid peculiare habet, quem Latini etiam egregium vocant, quaſi de grege ſelectum. Hac ſignificatione accipitur etiam hæc vox, in illo Domini dicto: Multi ſunt vocati, pauci vero electi, id eſt, pietate & alijs fidei fructibus, tam auguſtæ vocationi reſpondentes. HIC obſeruetur exemplum, quo docemur, nobilitatem, diuitias, pietatem erga Deum, caritatem erga Sanctos, & confeſsionem Chriſti in medio hoſtium Eccleſiæ, poſſe coniungi. Cum enim hæc Iohannes ſcriberet, pauciſsimi fuerunt potentes & nobiles, qui Chriſti Euangelium receperant. Voluit tamen hæc nobilis fœmina, potius paucorum piorum, etſi pauperum, ſocia eſſe, quam plurimorum potentum & diuitum, praua imitari exempla, parata ad ferendum quiduis nomine Chriſti, elegit cum Dauide potius abiecta eſſe in domo Dei, quam habitare in tabernaculis impiorum. Dignum eſt proinde, vt huius nobilis fœminæ exemplum non ſolum nobilibus, verumetiam omnibus alijs imitandum proponatur. Amplificatio ſequitur, Quos ego diligo, &c. Hac amplificatione primum efficit Apoſtolus, vt ſancta illa matrona hanc Epiſtolam ad ſe ſcriptam & amanter, & attente legat. Vt enim bene volumus ijs, quos nouimus nos ſyncero amore complecti: ita eoſdem attentius audimus, admonentes, & tenacius quæ ab eis dicuntur, retinemus. Deinde, continet hæc amplificatio, ſemen argumentorum, quibus poſtea hortatur ad conſtantiam in doctrina. Non ſolum ego (inquit) diligo, ſed omnes etiam qui cognoſcunt veritatem, id eſt, doctrinam Euangelij. Hinc etiam monemur, vt amplectentes communem nobiſcum doctrinam, ſyncero caritatis affectu, proſequamur. QVOD poſtremo loco additur, pertinet ad fiduciam confirmandam, Quæ manet (inquit) in nobis, & erit in ęternum. Vnde confutatur error eorum, qui iubent dubitare, an in gratia ſimus, nec ne, quæ ſane dubitatio nequaquam ſtare poteſt cum ea fiducia, quam hic Apoſtolus commendat.

Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax, à Deo Patre, & à Domino Ieſu Chriſto filio Patris in veritate & caritate.

Salutatio eſt, ſummam Euangelij continens. Optat enim matri & filijs à Deo Patre, per Mediatorem Ieſum Chriſtum, gratiam, miſericordiam & pacem. Ex quo ſequitur, quod ſine Chriſto diſpliceamus Deo, vt qui perditi ſumus ob noſtra peccata, quibus Deum prouocauimus, & eius hoſtes facti ſumus. In veritate & caritate, id

te, id eſt, cum veritate, quæ eſt vera & ſalutaris cognitio Chriſti, quæ per prædicationem Euangelij contingit, operatione Spiritus ſancti, quam veritatem caritas comitatur. Hinc proinde colligitur, & quod ſine Euágelij prædicatione hæreamus in tenebris & ignorantia, & quod ſit nulla in nobis ſincera caritas. Obſerua hic duplicem ordinem, vnum beneficiorum Dei erga nos, alterum, partium officij noſtri. Beneficiorum Dei erga nos hic eſt ordo. Primo loco eſt gratia, quæ eſt gratuita illa, & æterna Dei beneuolentia, qua nos Pater in dilecto complectitur. Secundo loco ponitur huius gratiæ effectus, videlicet miſericordia, hoc eſt, gratuita iuſtificatio, per quam, qui prius miſeri eramus, efficimur beati. De hac miſericordia Syracides pulcre, in hunc modum: Quanta eſt maieſtas eius, tanta eiuſdem miſericordia eſt. Illa facit vt omnia poſsit: hæc vt velit ſuos conſeruare. Cum hac coniuncta eſt pax, quæ eſt reconciliatio hominis cum Deo, & tranquillitas conſcientiæ, ne ſenſus iudicij diuini perturbetur. Partium officij noſtri ordo eſt, vt primo loco habeatur ſalutaris Euangelij cognitio, quæ fidem parit, à qua dilectio fraterna manat.

Gauiſus ſum valde, quod inuenerim ex filijs tuis ambulantes in veritate, quemadmodum mandatum accepimus à Patre.

Hac narratiuncula indicat Apoſtolus occaſionem ſcriptionis huius Epiſtolæ. Audiuerat enim quoſdam ex ſanctæ huius matronæ liberis, veritatem, hoc eſt, Euangelium recepiſſe, vnde ſibi magnum gaudium eſſe teſtatur, idque non immerito. Quid enim potuit carius eſſe Chriſti Apoſtolo, quá videre Chriſti magiſtri ſui regnum magis magiſque dilatari, ac quotidie plures in illud recipi? Quid potuit iucundius eſſe pio paſtori, quam dulciſsimum ſui laboris fructum percipere? Huc accedit, quod ſancta illa Matrona, quam diligebat Apoſtolus, ſuam domum, iam templum Dei eſſe factam, cerneret, in quo mater & liberi dulciſsimi, cœleſtem hæreditatem meditarentur. Merito igitur Apoſtolus gaudet cum gaudétibus, & gratulatur optimæ matri hanc in terris ſummam felicitatem, quæ eſt habere liberos pie in timore Domini educatos. Cũ nihil triſtius ſit, quam videre ſuos ferri præcipites in quæuis ſcelera, vnde fit lapſus in æternam mortem & damnationem. Debent proinde pij verbi miniſtri, adeoque omnes Chriſtiani in primis gaudere cum angelis Dei, cum Euangelium à multis recipi audiunt. OBSERVANDA eſt hoc loco ſcripturæ Phraſis, quæ rationem inſtitutionemque vitæ hominis viæ comparat: vt ambulare in via dicatur, qui certam vitæ rationem, inſtitutionemque tenet. Vt cum Pſalmus ait: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, hoc eſt, qui dum hanc viuunt vitam, ea faciunt, quæ lex Domini præcipit atque mandat. Ratio metaphoræ hæc eſt. Vt via eſt, qua itur de loco in locum: ita vitæ ratio inſtitutumque eſt, quo itur ex hoc exilio, vel in felicitatis portum, vel in miſeriæ perpetuos carceres, vt vna ſit via vitæ, altera via mortis. Eſt proinde ambulare in veritate, totam vitam noſtram ad normam veritatis Euangelij componere, donec venerimus ad metam propoſitam, quæ eſt vita æterna. Si vos, inquit Dominus, manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas vos vindicabit. Quomodo autem hæc veritas vindicet homines è ſeruitute peccati, ipſe Dominus docet Iohannis 17. cum ait; Sanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt, hoc eſt, cum homines credunt verbo Euangelij, ſancti efficiuntur per Spiritum, hoc eſt, ſegregantur à prophanitate mundi, purgantur ſanguine Chriſti, & conſecrantur Deo in hoſtiam: atque ita vindicantur à iure peccati, donátur libertate filiorum Dei, ſtatuuntur in via vitæ, cuius meta eſt vita æterna. Porrò, quod addit: Quemadmodum mandatum accepimus à Patre, ſignificat mandatum Dei eſſe, vt homines audiant, & recipiant Euangelium, & in eius veritate ambulent. Quod dictum, vt monet nos obligari ad obœdientiam, viſi velimus olim iuſtas contumaciæ pœnas ſubire: ita munit nos aduerſus duo tentationum genera, quorum vnum eſt particularitatis, alterum indignitatis. Nam ſi mandatum Dei eſt, vt OMNBS recipiant Euangelium, ac in eius veritate ambulent, profecto nec cogitatio particularitatis, nec ſenſus indignitatis quemquam impedire debet, quin huic mandato Dei obtemperet. Opponamus igitur iſtis grauiſsimis tentationibus, mandatum Dei vniuerſale, quo totum mundum inuitat ad regnum filij ſui, per vocem Euangelij.

Et nunc rogo te Domina, non vt mandatum nouum ſcribens tibi, ſed quod habuimus à principio, vt diligamus alij alios.

Exhortatio eſt ad caritatem mutuam, quam confirmat antiquitate præcepti, Quod, inquit, mandatum habuimus à principio. Poteſt autem hoc verbũ, à principio, varie exponi, vt intelligatur, vel à principio conditi hominis & formati ad imaginem Dei: vel à principio ſcilicet conuerſionis per fidem in Ieſum Chriſtum.

Si

Si de principio creationis accipiatur dictū, argumenti vis hæc erit: Deus inde vſq; ab initio conditi humani generis, requirit ab omnibus hominibus mutuam dilectioné, quam legé poſtea per Moſen iterum promulgauit. Igitur propter hanc legis diuinæ primum inſculptę diuinitus mentibus hominū, deinde propoſitæ in mōte Sinai, non ſine magnis miraculis, autoritatem, diligamus nos mutuo. Quanti autem fieri deberet hæc ratio apud pios potiſ- mum, docere poterit primum legislatoris maieſtas & autoritas. Deinde hominis cōditio. Tum cæterarum creaturarum obſequium ſpontaneū, in ijs omnibus, ad quæ natura con- ditæ ſunt. Taceo præmia, quibus ornantur præcepto obtemperátes. Taceo pœnas, in quas merito incurrunt, qui ſua contumacia hoc præceptum violant. Si de principio cōuerſionis ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum dictum Apoſtoli accipias, hæc erit argumenti ſen- tētia: Chriſtus filius Dei homo factus, paſſus pro nobis, ex mera ſua caritate erga nos, dedit nobis hoc præceptum, vt diligamus nos mutuo, ſicut ipſe dilexit nos. Quare par eſt, vt me- mores tantæ caritatis Chriſti erga nos, eius exemplum & mandatum nobis proponamus, ac diligamus nos mutuo, ac nos foueamus tanquam eiuſdem corporis membra. HIC dili genter cogitetur huius arguméti amplitudo, quod tum demum fieri poterit, ſi cogitaueris magnitudinem caritatis Chriſti erga te, qui ex mera caritate iram Dei in ſe deriuauit, vt te à morte æterna liberaret. Si perpenderis quam deceat ſincero amore cōplecti eos, qui ima- ginem Chriſti circumferūt, & qui iam per fidem membra Chriſti in eodem corpore effecti ſunt. Si noueris ea omnia caritatis officia, Chriſto Domino exhiberi, quæ ipſius fratrib⁹ in hoc mundo præſtantur. Si recolueris apud animum, ſocietatem quam oēs credentes inter ſe & cū Deo habeant. Si cogitaueris communem filiorum Dei hæreditatem. Si ęſtimaueris fructum veræ dilectionis in hac vita, eſt enim ſincera dilectio vinculum perfectionis. Præ- tereo præmia temporalia & æterna, ſpiritualia & corporalia. Prætereo pœnas neglecti hui⁹ debiti officij. Poſtremo perpendamus fieri non poſſe, vt abſit caritas à fide conuerſionis: Si enim caritatē non habemus, extra familiā Dei ſumus. Fides enim viua, qua apprehēditur miſericordia Dei in Chriſto, cogitatione quidem à caritate ſecerni poteſt, reipſa vero nun- quam, quia qui credit, filius Dei eſt: qui autē filius Dei eſt, agitur Chriſti ſpiritu, vnde effi- citur fidem iuſtificantem à caritate non poſſe magis diuelli, quā Solem à luce ſua, 1. Ioan. 4. Qui dicit, noui eum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt, & in eo veritas non eſt.

Et hæc eſt caritas, vt ambulemus ſecundum mandata eius. Hoc eſt autem mandatum, quemadmodum audiſtis à principio, vt in eo ambulemus.

Ratio propoſitionis eſt, quæ hoc ſyllogiſmo clauditur. Iuxta mandatum Dei ambulandum eſt. Mandatum autem Dei eſt, vt diligamus nos inuicem. Proinde in caritate ambulemus, quemadmodum (inquit) audiſtis à principio, ſcilicet conuerſionis veſtræ ad fidem Chriſti.

Nam multi impoſtores ingreſſi ſunt in mundum, qui non confitentur Ieſum Chriſtum veniſſe in carnem.

Ratio exhortationis à periculo ſumta. Multi ſunt in mundo impoſtores, proinde accuratius laborandum eſt, vt ſinceram caritatem retineamus. Eſt enim caritas vinculum perfectionis, ſiquidem coniungit Eccleſiæ membra inter ſe in vno corpore Chriſti, vt coniuncta membra fortius ſe opponant impoſtoribus. Vbi enim Eccleſiæ membra odijs mutuis & rixis ſe inuicem fatigant, præbent impoſtoribus anſam calumniandi ac lacerandi Eccleſiam, quemadmodum hic dies in multis locis docet. Cæterum, de quo genere impoſtorum loquatur Apoſtolus, exponit, cum ait: Qui non confitetur Ieſum Chriſtum veniſſe in carnem, hoc eſt, qui negant Ieſum Marię filium eſſe Meſſiam olim promiſſum. Fuit autem hæc hæreſis Iudaica, quam adhuc impie in ſui certiſſimam perniciem tuentur, & multis hodie ſimplicioribus imponunt, atque inſigni ſua verſutia multorum animas miſerrime perdunt.

Qui eſt eiuſmodi, impoſtor eſt & Antichriſtus.

Hoc eſt, qui negat IESVM eſſe CHRISTVM, & veniſſe in carnem, hoc eſt, aſſumſiſſe humanam naturam, impoſtor eſt & CHRISTI aduerſarius.

Attēdite vobis ipſis, ne perdamus quod operati ſumus, ſed vt mercedem plenam accipiamus.

Exhortatio ad conſtantiam in doctrina, & vt caueant ſibi à corrupte- lis

lis doctrinæ, idq; facit duplici argumento, quorũ prius à damno amiſſæ ſinceræ doctrinæ: poſterius à mercede, id eſt, compenſatione obœdientiæ erga Euangelium ſumitur. EST præterea hic inſignis locus obſeruandus aduerſus Stoicã prædeſtinatiouem. Nam Apoſtolus hoc loco teſtatur, quod vt homines ſua ſancta cura cauere poſsint, ne gratiam amittant: ita ſua negligentia & ignauia ſæpe efficiunt, vt gratia excidant atq; pereant. Huc illud Apoſtoli ad Rom. 11. Si manſeritis in bonitate. Et ad Coloſſ. Si modo manſeritis in fide fundati & ſtabiles &c. QVONIAM autem hoc loco mentionẽ Apoſtolus facit Mercedis, eiuſq; plenæ, libet huc quædam de ratione Mercedis aſcribere, ne quis exiſtimet dictum Apoſtoli patrocinari Monachorum fabulis de meritis bonorum operum. Nam cum Monachi vrgent vſitatã vulgo ſignificationem Mercedis, inde extruere moliuntur merita operũ. Nam ſi vita æterna eſt merces, concedendum videtur, quod & in homine ſit meritum, & in Deo debitum, & quod merces negari non poſsit, ſine iniuria. Contra autẽ, ſi demonſtratũ fuerit ex verbo Dei, nec meritum eſſe in homine, nec debitũ in Deo: neceſſario ſequetur, mercedẽ, vbi in ſcriptura promittitur à Deo noſtris operibus, non accipi proprie, ſed pro genere ſuæ ſignificationis, hoc eſt, pro compenſatione laboris, non quidẽ illa debita, ſed ex gratia donata. VIDEAMVS igitur primum meriti rationem, originem operum bonorum, & promiſsionem mercedis. Ratio meritorũ operum eſt, vt ſic fiant opera, vt ad ea facienda nemo obligetur ſimpliciter. Nam ſi quis obligatur ex debito, nequaquã mereri cenſendus eſt. Nunc autem Dominus Lucæ 17. ait: Cum omnia feceritis, quæcunq; præcepta ſunt vobis, dicite, inutiles ſerui ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Excludit igitur meritum debiti officij ratio: nam meritum eſt proprie cui iure merces rependitur, & nõ gratia. DEINDE opera, ſi qua ſunt bona, oriũtur à gratia, qua præparamur ad bona opera. Ad Ephe. 2. Gratia ſaluati eſtis per fidem (& hoc non ex vobis, Dei donum eſt) non ex operibus, ne quis glorietur, ipſius enim factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Præterea idem oſtendit promiſsio mercedis remunerationis bonorum operum, in qua non eſt alia obligatio, quam promiſsionis gratiæ: quare pacti ſolummodo, & non meriti locus erit. Iam autem, quod Deus non debeat nobis quicquam, ex ijſdem rationibus concluditur. Et Paulus aperte dicit: Quis prior dedit ei, & reddetur ei? Hinc ergo firmiſsime, cum nec meritum ſit in homine, nec Deus quicquam homini debeat, ſequitur mercedis vocabulum, non ſignificare compenſationem laboris redditam ex debito, ſed donatam ex gratia. QVARE igitur ſcriptura vtitur hac voce Mercedis? & cur Deus promittit mercedem, cum homo nihil mereatur? Vſitatum eſt ſcripturæ, ſæpe ſpeciem pro genere vſurpare, idq; nunc vt extollat, nunc vt extenuet. Et Eccleſia habet ſuas peculiares phraſes, quæ nõ, niſi ab attentis lectoribus, qui dicta ſcripturæ inter ſe conferunt, obſeruari poſſunt. Qui ergo ea conferunt inter ſe, quæ adduximus, facile videbunt Mercedis vocabulũ vſurpari pro genere, alioqui ſequeretur multiplex αὐτπλογία, quæ tollitur ex collatione cũ alijs dictis. PORRO quantum ad mercedẽ attinet, quam Deus promittit bonis operibus, ſciendum eſt quatuor cauſſas aſsignari poſſe, cur Deus Mercedis nomine dignatur remunerationẽ obœdiẽtiæ ſeu bonorũ operum. Harum Prima eſt, vt ſciamus ſeriũ mandatũ Dei eſſe, vt obœdiamus ipſius mandatis, & faciamus bona opera, vt cum pater non ſimpliciter promittit filio obœdienti remunerationẽ, ſed mercedẽ, quam tamen non ex debito, ſed ex bonitate paterna tribuit. Secunda, vt Deus oſtendat obœdientiã ſibi ex fide præſtitam eſſe gratiſsimũ cultum, ac veluti ſacrificium quoddam, quo vnice delectatur. Tertia, vt propoſitis præmijs inuitet nos Dominus ad præſtandum officium, quod tamẽ ex obligatione debemus, modo germani filij cenſeri velimus. Quarta, vt ex cogitatione compenſationis obœdientię, deducamur in cognitionẽ pœnæ contumaciæ, quę manet omnes qui Deo obœdire recuſant. Nam ſua contumacia ſatis oſtendunt, quod nihil fidei habeant, ſed vanã potius oſtentationem fidei, quam ideo Iacobus mortuam appellat.

Omnis qui tranſgreditur, & non manet in doctrina Chriſti, Deum non habet: qui manet in doctrina Chriſti, hic patrem & filium habet.

Exhortationis ad conſtantiam in doctrina Chriſti, confirmatio à fructu doctrinæ ſumta. Verum Apoſtolus ſuo more argumẽtum amplificat collatione contrariorum. Qui tranſgreditur (inquit) & non manet in doctrina Chriſti, Deum non habet, ſed manet in ſua damnatione ſub imperio Satanæ. Tranſgreditur autẽ doctrinã Chriſti, & in ea vtpote recta ad vitam via non manet, qui eam quouis modo violat, hoc eſt, qui vel totam reijcit, vt Apoſtatæ: vel in parte corrumpit vt Hæretici: vel varietate rituum fraternitatem ſcindit, vt Schiſmatici: vel prophanitate morum offendit, vt criminoſi: vel ſimulatione fallit, vt Hy-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

pocritæ. Hi omnes, quoniam à recta via deuiant, doctrinam Christi, quæ eſt via vitæ æternæ, παραβαίνειν dicuntur. Verum, qui manet in doctrina Christi, patrem habet cœleſtem ſibi propitium, & filium habet Mediatorem & Iuſtificatorem, atque ita vitæ æternæ hæres exiſtit. Quid autem ſit manere in doctrina Chriſti, ex collatione contrarij notum relinquo. Hæc commendatio Euangelij obſeruanda eſt, vt in nobis acrius ſtudium excitet diſcendi & meditandi verbum Dei.

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, & Aue ei ne dixeritis.

Quia magnum periculum infirmioribus eſt ab hoſtibus doctrinæ Euangelicæ, hortatur Apoſtolus ſanctam Matronã & eius filios, ne in domum ſuam recipiant Chriſti aduerſarios, ne vel ipſa cum ſuis cõtagione inficiatur, vel pijs fratribus & ſororibus fiat ſuſpecta, vt quæ foueat Chriſti aduerſarios. Similis exhortatio eſt Pauli ad Epheſ. 6. Ne commercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum. Et 2. Corinth. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Huic exhortationi grauiſsimæ rationes quinq; ſubijciuntur, cum inquit: Quæ enim participatio iuſticiæ cum iniquitate? quę communicatio luci cum tenebris? quis cõſenſus Chriſti cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli? quæ autẽ conuentio templo Dei cum Idolis? Et Syracides: Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Qui communicat cum ſtulto, ſimilis ei efficitur. Sicut enim Polypus, colorem loci, cui adhæſit, refert: ita eos mores quiſque induit, quales ſunt illorum, quibuſcum familiariter viuit. Quid? an non iubemur diligere inimicos? Cur ergo non ſunt à nobis fouẽdi hoſpitio? Iubemur etiam cauere à falſis Prophetis: Iubemur probare ſpiritus, an ex Deo ſint: Iubemur odiſſe patrem & matrem Chriſti cauſſa: Iubemur declinare à malo. Quamuis igitur omnes homines diligendi ſunt, tamen fugiendi ſunt illi, à quibus periculum ſalutis nobis imminere videtur. Quare hic regulam Auguſtini ſequamur: Securi odimus in malis malitiam, & diligamus naturam & creaturã, vt quod ibi fecit Deus amemus, quod ibi fecit ipſe homo, oderimus. Fecit enim Deus ipſum hominem, fecit autem homo peccatum. Dilige quod fecit Deus, Odi quod fecit homo. Sic enim perſequeris quod fecit homo, vt liberetur quod fecit Deus. Porrò vox Græca χαίρειν, quæ proprie gaudere ſignificat, eſt & ſalutantis & valedicentis, reſpondet enim ſaluere & valere.

Qui enim dicit ei Aue, communicat eius operibus malis.

Ratio grauiſsima cur non velit hoſtes Chriſti à pijs ſalutari. Qui hoc (inquit) facit, communicat eius operibus malis. Dupliciter enim peccat qui hoc facit, videlicet facto & ſcandalo. Facto quidem, quia addit animũ improbis, dum ſe vident alicuius pretij apud eos eſſe, quos nituntur ſubuertere. Scandalo vero, dum alijs ſpeciem mali præbet, quaſi fauere videatur illorũ malitię, quorum non horret familiaritatem. Quare Paulus præcipit, ab omni ſpecie mali abſtinere. PORRO quia latiſsime patet hoc peccatum, communicare alienis delictis, huc quędam adſcribemus, vt eius ratio apertior habeatur. EST itaq; in genere, communicare alienis delictis, quouis modo participem fieri reatus alieni peccati. Fit autẽ hæc cõmunicatio alieni delicti, multis modis, videlicet, indulgendo, conſentiendo, cõuerſando, oblectando, tacendo, approbando &c. Indulgendo, rei fiunt & proprij & alieni peccati, parentes, qui tenerę ætati nimium indulgent, ac ex inordinato amore delinquentibus liberis, quæuis errata remittunt, & ad ea ſtulte conniuent, vnde fit, vt cum ætate in liberis vitia creſcant, & conſuetudine paulatim abeant in naturam, vt poſtea corrigi nequeant, iuxta illud veteris Poëtæ:

Conſuetudo valet longos manſura per annos,
Tempore naturam vires ſi ſumſerit æquat.

Huc & illud Horatij pertinet:

Quo ſemel eſt imbuta, recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

Ex hac indulgentia fit, vt adulti egreſsi paternis ædibus, pernitioſi fiant Reipub. & Eccleſiæ, vt qui & factis & exemplis alijs noceant. Horum ſcelerum ſunt participes parentes, qui rectius teneram ætatem non inſtituerunt, vt in ſummo illo ſacerdote Heli videre eſt, qui, quamuis ipſe honeſtæ vitæ erat, tamẽ cum filijs, quibus nimium indulſit, diuinitus punitus eſt, vt diſcant parentes ſe communicare liberorum delictis, quibus nimium indulſerint. PONTANVS cap. 9. de liberalitate, huius rei illuſtre exemplum recitat. Locuples (inquit) quædã mulier, cum vnicũ filium nimis indulgenter educaſſet, fur factus filius, & ad crucem ductus, vidit matrem, cum qua, cum ſecretum petijſſet colloquium, os præbens matri, nares matris dentibus auulſit, atq; in humum expuẽs, alta voce dixit: Sit hoc, ciues,

pretium maternæ educationis. FIVNT etiam rei alieni peccati præceptores, qui ſuæ fidei commiſſos pueros indulgentius inſtituunt. Hinc eſt quod indulgentiæ Leonidæ præceptoris Alexandri Magni, multi aſcribunt temulentiam Alexandri, quod adulari magis, quam regem inſtituere videretur. Seneca præceptor Neronis, eius fere vitiorum magiſter fuiſſe dicitur: non tam quod illum ad ea incitaret, quam quod ſponte currentem non refrenaret. Merito proinde carnifex factus eſt Nero magiſtri ſuæ crudelitatis. MAGISTRATVS ciuilis & iudices ſimiliter implicantur alienis peccatis, cum nimium legum tranſgreſſoribus indulgendo, alios ſua indulgentia ad ſimilia flagitia perpetranda alliciunt. Vnde fit, vt omnia blaſphemijs, periurijs, potationibus, homicidijs, libidinibus, atque alijs graſſantibus flagitijs plena videantur: quæ ſcelera Deus hodie in hoc regno peſte, fame, gladio iuſtiſsime punit.

Ferunt quendam homicidam oblatum fuiſſe iudici, qui cũ perageretur reus homicidij ſepties perpetrati, iudex vehementer excanduit, & de grauitate ſupplicij, quo erat afficiendus reus, cogitauit. At hic quidam ſurgens quaſi aduocatus rei, contendebat tantũ vnum hominem à reo fuiſſe occiſum, reliquos autem ſex ab ipſo iudice. Quod dictũ cum inficiaretur iudex, reſpondit alter: Si primum homicidiũ iuxta leges tuas puniuiſſes, ſex iſti, quos poſtea occidit, ſuperſtites etiamnum fuiſſent. Significans iudicem alieno peccato inuolui, qui peccatis cõmiſsis contra legẽ indulget: ſiquidẽ inde inuitantur homines ad male agendũ. PECCANT & miniſtri verbi, & fiunt participes alieni delicti, nimium indulgendo ac conniuendo: nam qui peccantẽ, iuxta rationẽ officij, non corripit, fit reus ſanguinis ipſius corã tribunali Dei. Vnde Ezechielis 3. ſcriptum eſt: Speculatorẽ dedi te domui Iſraël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impiũ: Morte morieris, non annunciaueris ei, neq; locutus fueris vt auertatur à via ſua impia & viuat, Ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinẽ autem eius de manu tua requirã. Viderint itaque quanto in periculo concionatores verſentur, & quam nõ liceat eis deliciari & nugas agere. VERVM hic ſingularis prudentia adhibenda eſt, iuxta hanc Auguſtini regulã: Omnia ſalua pace faciẽda ſunt, & quantum admittit officiũ confirmandæ vnitatis, ne ſimul eradicetur & triticũ. Natan Propheta & Iohannes Baptiſta, quomodo cum illuſtrib. perſonis agendũ ſit, ſuo facto docent. Nam vt Natan ſeueram prudentiam miniſtris verbi: ita Baptiſta ſeueritatem prudentẽ ijſdem commendat. Vterq; docet voce & facto, vt miniſtri verbi pluris faciant gloriam Dei, quam propriam vitam, modo non velint alienis peccatis inuolui.

SECVNDO, fit communicatio alieni delicti, cõſentiendo, vnde Paulus Rom. 1. Quicunq; ius Dei nouerint (nempe quod, qui talia faciũt, digni ſint morte) non ſolum ea faciunt, verum etiam aſſentiuntur ijs qui talia faciunt. Aſſentire autẽ ſeu conſentire dicuntur, qui apud ſe & in ſuo animo comprobant ſcelera, quibus & afficiuntur & veluti titillantur cum ea audiunt. Ita enim malitia multorum animos occupauit, vt vehementius gaudeãt, quod ſuæ turpitudinis ſocios habeant. Vnde fit, quod non ſolum digni ſint morte proprio reatu: verumetiã eorum peccatorũ rei ſunt, quæ ab alijs perpetrantur, videlicet cum ijs afficiuntur & delectantur. Firma eſt enim regula: Faciens & cõſentiens ſimul puniendus eſt.

TERTIO, communicant homines operibus aliorũ malis, conuerſando: quemadmodum noſter Apoſtolus hic indicat, cum ait: Qui dicit ei Aue, cõmunicat eius operibus malis, idq;, vt ſupra dictum eſt, quia animũ addit improbis, & illis videtur ſimilis, quibus conuerſatur, vnde fit. vt illorum quoque vitio polluatur, ac ſi ea ipſe perpetraſſet. CONVERSATIO enim cum malis & improbis triplex incommodum in ſe habet. Primũ periculum eſt contagionis: Nam vt vna ſcabioſa ouis alijs ſuam ſcabiem affricat: ita vnius ſcelerati nebulonis nequitia multis, qui cum eo conuerſantur, adhæret, iuxta illud Iuſtini Martyris: ψωριᾷ ἡ γνώμη καὶ πολλῆς ἐμπίπλησαι κακοχυμίας ἀπὸ τῆς ἄλλων ὁμιλιῶν, hoc eſt, Mẽs ipſa ſcabie quadam infeſtatur, & multis malis humoribus impletur ex aliorũ cõuerſatione & colloquijs. Et Agapetus: ἡ συνήθεια κακῶν τῆς πονηρείας νομὴ, hoc eſt, Conſuetudo cum malis nequitiæ eſt pabulum. Hæc dicta congruunt cum illo Pauli: Modicum fermentum, totam maſſam fermentat. SECVNDVM incommodum, quod eſt ex conuerſatione malorum, eſt iudicium aliorum de te, qui te talem eſſe iudicant, quales ſunt illi cum quibus conuerſaris. Ex quo fit vt multi exemplo inuitentur ad imitationem. TERTIVM incommodum, quod fias reus ſceleris eorũ, qui tuo exemplo ſeducti peccant. Quare haud immerito obteſtatur ſuos Theſſalonicenſes Paulus, vt fugiant conuerſationem malorum, cum ait: Denunciamus autem vobis fratres, per nomẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubducatis vos ab omni fratre qui inordinate ſe gerit, & non ſecundũ traditionẽ quam acceperunt à nobis. Eſt autẽ hæc ſubductio ſolũmodo intelligenda de conuerſatione familiari & priuata, ne quis putet Paulũ patrocinari Anabaptiſtis, qui definiunt Eccleſiã eſſe cœtũ hominũ, in quo nulli ſunt ſcelerati.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

QVARTO, communicant homines operibus aliorum malis Oblectando ſe aliorũ turpitudine. Hic modus à ſecundo differt: nam aliud eſt affici & titillari cõmunibus vitijs, cõplectiq; eos, quos habent ſuorum ſcelerum ſocios: & aliud eſt odiſſe vitia, & tamen quaſi in ſinu gaudere, dum inimicos ſuos videt iſtis inuolui, aut etiã quouis alio modo affligi: Qui tales ſunt, ἐπιχαιρέκακοι à Græcis dicuntur, propterea quod voluptatẽ captent ex alieno malo, & lætentur inimicorũ ſuorum calamitate & miſeria. Hoc vitium non tam hominum, quam Diabolorum dicendũ eſt. Quare qui huius rei ſunt, non tantum cõmunicant peccatis hominum, quibus male volunt: verum etiã Diabolorum, quos vt magiſtros imitantur.

QVINTO, fiunt homines rei peccati alieni, tacendo, videlicet, cum conſcij ſint turpitudinis aliorum, & eos tamen nec corrigunt, nec accuſant, vt ſe emendent. Vnde fit, vt ſæpe integra reſpub. vnius ob noxam plectatur. Achan vnus furatus eſt de Anathemate: ſed quia conſcij eius facti tacuerunt, exercitus Iſraëliticus repulſus eſt. Ita enim textus habet: Filij Iſraël præuaricati ſunt præuaricationem, & vſurpauerunt de Anathemate: Nam Achan filius Charmi tulit aliquid de Anathemate, & furor Domini accenſus eſt contra Iſraël. Ecce toti populo imputatur vnius factum, quia conſcij ſceleris tacuerunt. Inceſtus apud Corinthios ſolus peccauit: ſed ſcelus imputatur tacentibus. Ad eundem modum, qui quid agendum ſit norunt, & non dant conſilia petentibus tacendo errantium peccatis implicantur. Nam caritatis legem, qua omnes tenentur, violant.

SEXTO, cõmunicant etiam homines alienis delictis, quando ſuis ſuffragijs, ſua autoritate, approbant & eligunt, ad quæuis officia, ſiue Ciuilia, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ſcholaſtica, eas perſonas, quæ vel ob imperitiam, vel propter morum improbitatem, minus ſunt idoneæ. Atq; ideo Paulus Timotheo ſcribens, ait: Manus cito ne cui imponas, neq; communices peccatis alienis. Hic Apoſtolus reum fieri alienorũ peccatorum eum Epiſcopum affirmat, qui inepto & minus idoneo cõmittit docendi munus in Eccleſia. Verum hæc hypotheſis genus ipſum continet, & ab ipſo dependet. Nam ideo Epiſcopus cõmunicat alienis peccatis, haud idoneũ præficiendo Eccleſiæ Chriſti, quia omnis qui autoritatem habet ordinandi perſonas ad quæuis officia, & eas rebus gerendis præficit, quæ vel ob imperitiã, vel malitiam minus aptæ ſunt, communicat alienis peccatis, hoc eſt, quicquid peccatur, illi tanquã autori imputatur à Deo. SI ergo præficit Epiſcopus miniſterio Eccleſiæ ineruditũ, id eſt, non tenentem fundamentum, ipſe reatu ignorantiæ eius inuoluitur. Si potatorem, ſi ſcortatorem ordinat, ipſe potationis & ſcortationis reus coram Deo peragitur, & ſic de alijs. Videant proinde hodie quid agant, qui vel Rebuſpub. vel Eccleſijs præficiunt perſonas ad res quas requirit officij ratio, parum idoneas, & caueant ne vel ob fauorem recipiant ineptos, vel ob odiũ reijciant aptos & idoneos: nam peſsimi ſunt in rebus agendis conſiliarij, fauor & odium, quæ ſæpe ſapientum oculos perſtringunt, vt verum non cernant.

Hactenus de communicatione alieni delicti, iam videamus quatenus liceat conuerſari cum impijs & ſinceræ religionis hoſtibus, neq; enim hoc dictũ Iohannis: Qui dicit ei Aue, cõmunicat operibus eius malis, ſine exceptione accipiendũ eſt. Nam cum legimus Dominum ipſum ſæpe conuerſatũ eſſe cum impijs Phariſæis & Hypocritis, atq; cum eis comediſſe, qui tamen non cõmunicauit illorum delictis, neceſſe eſt fateri non omnem conuerſationem, cum impijs vitioſam aut damnabilem eſſe. Vt autem hanc quæſtionẽ rectius excutiamus, conſiderandæ ſunt prohibitiones conuerſationis cũ impijs & earũ cauſſæ, vt ex cauſſarum differentijs, ſolutio quæſtionis deprehendatur. Exod. viceſimo tertio, Non inibis cum eis fœdus, non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant, in me. Exodi trigeſimo quarto, Caue ne vnquã cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ tibi ſiut in ruinam. Item: Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Item: Qui cõmunicauerit ſtulto, induit ſuperbiam. Hæc dicta & alia, quib. interdicitur conuerſatio cum impijs & prophanis hominibus, cauſſas vitandæ cõuerſationis eorum adiunctas habent, ne videlicet infirmi qui facile improborũ contagione pollui poſſunt cõuerſando cum alijs deteriores fiant. Quare ſi nec ab infirmitate eſt periculũ, nec contagionis timetur malum, nec offenſionis ſeu ſcandali ratio impedit, nõ prohibetur cum prophanis hominibus conuerſatio. Poſſunt ergo pij cum impijs cõtractus exercere, fœdera & amicitias inire, vt Salomon cũ Hyram rege Tyri fecit: cuius factum non improbatur. DEINDE qui ſunt in miniſterio verbi, quorum intereſt oues errantes ad Chriſtum adducere, poſſunt, imo debent, nonnunquam exemplo Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorũ, cum improbis conuerſari: ſed ſicuti Medicus conuerſatur cum ægroto: Nam vt hic conuerſatur cum ægroto, non vt eius ſcabiem ſibi affricet, ſed vt arte & conſilio, ægrotũ ſanitati reſtituat: ita miniſtri Dei, non modo poſſunt, verũ etiam neceſsitas officij & fides in ipſis poſtulat, vt improborum malitiã retegant, eamq; ſanent, ſi modo id fieri poſit. Verũ, ſi quis pertinaciter ſe opponit ſanæ doctrinæ, & ſe in rectã viam reuo-

reuocare non permittit, præceptũ Pauli ſequendum eſt, qui ait: Hæreticum hominem poſt vnam vtq; alteram admonitionem deuita, ſciens quod euerſus ſit qui eiuſmodi eſt & peccet, vt qui ſuo iudicio ſit condemnatus. HVC etiam pertinent quæſtiones duæ, de quibus hodie inter multos controuertitur. Vna, num liceat pijs firmis aut infirmis intereſſe ceremonijs Papiſticis aut alijs abhorrentibus à vera religione? Altera, num liceat pio homini connubio ſibi adiungere perſonam diuerſæ religionis? De his igitur quæſtionibus quid videatur, ordine dicam.

QVAESTIO PRIMA.

Num liceat pijs intereſſe ceremonijs Papiſticis nec ne?

Vt ad hanc quæſtionẽ diſerte reſpondeamus, omnium primum diſcernendum eſt inter ritus bonos ſiue Adiaphoros, & manifeſte impios pugnantes cũ inſtitutis diuinis. QVANTVM autem ad bonos & adiaphoros attinet, Philippus præceptor noſter in hunc modum loquitur. Volo pios firmos & infirmos accedere ad baptiſmum infantium in ſuis Eccleſijs vbicunq; ſunt. Seruare etiam poſſunt ritus adiaphoros, vt intereſſe lectioni Pſalmorum in veſpertinis precibus & alijs honeſtis congreſsibus, etſi aliquid vitij aliquibus admixtũ eſt, quia in eo cœtu ſunt adhuc aliqui electi & ſancti, vt pueri, & aliqui adulti recte ſentientes, ſed infirmi, qui tamẽ ſunt mẽbra Chriſti, & ſunt paulatĩ prouehendi. Hactenus Philippus. Cuius ſententiã approbo, quatenus nec infirmis cedat in ſcandalum, nec obſtinatis & pertinacibus hoſtibus addat animum. Sententia præceptoris confirmatur ſanctorũ exemplis. Tempore Zachariæ patris Baptiſtæ, multũ erat vitioſorum cultuum & prauarum opinionum in templo Ieroſolymitano, eo tamen vera Eccleſia cõueniebat, vt Zacharias & Elizabet, Maria, & ipſe Dominus cum ſuis diſcipulis: ſed improbarunt errores, quare nec infirmis erant ſcandalo, nec obſtinatis addiderunt animum. QVANTVM autem ad manifeſte impios cultus attinet, quales ſunt prophanatio Cœnæ Domini in Miſſa Papiſtica, circũgeſtatio & adoratio panis, inuocatio ſanctorũ, proſtratio ad ſtatuas religionis ergo, &c. clare dico & pronuncio, quod nullus pius, ſiue firmus, ſiue infirm⁹ poſsit illis intereſſe ſine iactura fidei & vaſtatione conſcientiæ. Caueat ergo quiſq; ne ſeipſum vllo fuco decipiat. fieri enim non poteſt, vt Chriſto corde ſeruias, & corpore Belial. RATIONES autem huius ſententiæ habeo grauiſsimas, quarum præcipuas ordine recitabo.

PRIMA. Omnes homines obligantur ad primum præceptum, vt Deum animo & corpore colant, vtq; fugiant idola. Cum hac obligatione manifeſte pugnat, impijs & idololatricis ceremonijs intereſſe. Quare nequaquam licet pijs contra æternã obligationem idololatricis cultibus ſua præſentia patrocinari.

SECVNDA. Omnibus pijs incumbit neceſsitas confeſsionis, cuius duæ ſunt partes, videlicet approbatio veræ doctrinæ, & improbatio falſæ doctrinæ & falſorum cultuum. Qui autẽ interſunt idololatricis ceremonijs, tacite confirmant idola, & neceſſariam confeſsionem abijciunt. Quanta autem ſit huius confeſsionis retinendæ neceſsitas, oſtendit dictum Domini: Qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram patre meo, qui eſt in cœlis. Neq; excuſare te poterit, ſi intus te purum ab idolis conſeruare dicis: Nam corde creditur ad iuſticiam, Ore fit confeſsio ad ſalutem.

TERTIA. Quicũq; intereſt impijs Papiſtarum ceremonijs, ſiue ſuperſtitione, ſiue ficta ſimulatione, is naufragium fidei facit, & vaſtat conſcientiam, & gratia rurſus excidit, & fit reus æternæ iræ Dei. Fieri enim non poteſt, vt ſimul & Deum & Belial colas. Vnde Elias 3. Reg. 18. Si Deus eſt Deus, ſequimini eum. Si autem Baal, ſequimini illum.

QVARTA. Diſsimulationis ſcandalum peſsimum eſt, in quod incurrunt, quicunq; vel ob metum, vel ob tranquillitatem, vel ob quæuis ſua priuata commoda, prophanitati Papiſticæ ſe ſubmittunt. Primum oſtendunt ſibi in non magno precio eſſe gloriam Dei, quam ita prophanant. Deinde alios inducunt ſuo exẽplo ad eandem prophanationem: Infirmos dico, qui guſtum aliquem veritatis habent. Nam audaciores eos reddunt ad id, quod merito alioqui horrerent. Poſtremo, impios in ſua malitia obdurant, redduntq; obſtinatiores, atq; ita præter proprium reatum multis alienis peccatis communicant.

QVINTA. Exempla piæ confeſsionis ſunt nobis proponenda. Prophetæ vſq; adeo non aſſenſere doctrinis falſis, & ritib. iá receptis, & vulgo approbatis, vt oppugnarent etiá vſque ad vitæ periculũ. Apoſtoli quoq; & Martyres, & Confeſſores vitæ ſuæ diſpendio teſtati ſunt magis obœdiendum eſſe Deo quam hominibus. Ex his perſpicue conſtat, homini Chri-

ſtiano minime licere, vt doctrinam, aut fidē, aut ceremonias inſtitutis Chriſti aduerſantes, vel per ſimulationē approbet. VERVM hic aliud alij obtendunt, dicunt aliquid dandū eſſe infirmitati: dicunt vocationis rationem habendam eſſe: opponūtur exempla, vt Naaman Syri & aliorum. Fateor aliquid dandum eſſe infirmitati, ſed vſque ad aras tantum. Cum enim Paulus iubet nos aliquid concedere fratrum ignorantiæ, & ruditati, ne illis ſimus offendiculo, non hoc requirit, vt in illorum gratiam illicitum aliquid tentemus, aut ſuſcipiamus omnino vllum opus à Deo prohibitum, ſed tantum vt in reb. medijs, quas in libertate noſtra poſuit Deus, & quæ per ſe non malæ ſunt, habeatur à nobis infirmorū & rudium ratio, ne turbentur aut labefactentur. QVAMOBREM hoc ſemper ſit primum fundamentum, vt reputemus, num id, de quo agitur, nobis ſit liberum, quo in vtramq; partem vti liceat pure & ſine offenſione Dei. Cum autē idololatria Papiſtica non ſit eius generis, fruſtra ſcandali periculum obtenditur ad captandā eius excuſationem. Fateor quoq; vocationis rationē habendam eſſe, ſed Chriſtianus homo ſuæ vocationi alligatus eſt, donec Deus non ſpoliatur debito honore. Quare niſi liceat Deo reddere quod ſuum eſt, nihil plane eſt quod retinere nos apud impios debeat vel poſsit. Proinde nec vocationis neceſsitas hic locū vllum habere debet: ſiquidē aut Deus reſpicitur in vocatione, aut aliquid aliud. Si Deus reſpicitur, tunc omnium primum habenda eſt gloriæ Dei ratio. Proinde nos eatenus vocationi aſtrictos eſſe meminerimus, ne à vero ſinceroq; Dei cultu nos impediat. At ſi nō reſpicitur Deus principaliter, ſed aliquid aliud in vocatione, fruſtra nomē vocationis ad excuſationē obijcitur. Deinde vt prior tabula legis ordine ſecundā præcedat: ita omnia ſecundæ tabulæ officia, ad illam tanquam ad normam exigenda ſunt. Neq; ſimulationi patrocinatur exemplum Naaman Syri aut aliorum: nam ex particularibus exemplis non eſt conſtituenda generalis regula ſine alia probatione. CÆTERVM ſi de mercatoribus pijs & ſcholaſticis, qui interdum coguntur morari in locis illis, vbi dominantur abominationes Papiſticæ, quęris, hoc do conſilium: Vt primum omnium pij prorſus fugiant publicos conuentus, vbi eſt prophanarum ceremoniarum vſus, niſi forte placuerit illis intereſſe, vt videas & cognoſcas quanta ſit illa abominatio Papiſtica, vt de illa teſtari poſsis interrogatus. Verum hic cauēdum, ne vel ſuperſtitione, vel callida ſimulatione videaris impietatē approbare. Vtrumuis feceris, communicaſti operibus tenebrarum. Nam tum demum flagitioſis & iniquis facinoribus cōmunicamus, cum illa nobis placere quoquo modo ſignificamus. Contra vero immunes ſumus ab illorum inquinamentis, quando ne fictam quidē imitationē in nos ſuſcipiamus. Quapropter nec aſpectu, nec ingreſſu, nec vicinitate vllam culpam aut maculā contrahit ſtudioſus, ſiue quiſquis fuerit, qui ſe à ſuperſtitione & ſimulatione alienū oſtenderit. Paulus illæſa pietate non modo circa omnes Athenienſium aras obambulauit, eaq; loca pedibus triuit, quę erant mille impietatū notata veſtigijs: verumetiam oculos huc atq; illuc circumtulit, & quid in vnaquaq; ara inſcriptum fuit, contemplatus eſt. Verum quia ſuperſtitionū omnium neglectum præ ſe tulit, magis probauit Deo ſuam conſtantiā, quod tot hoſtilibus copijs circumuallatus, ſe tamē expugnari nō ſit paſſus. Ad eundem modum, ſi vel mercator, vel ſtudioſus, vel quiſquis alius contemplatus fuerit abominationes Papiſticas, eum nō damno, modo manifeſte ſe improbare abominationem voce vel geſtu teſtatur. Præterea ſuadeo, vt non obuio cuiuis rationem fidei tuæ reddas, nec diſputationes non neceſſarias captes cum aduerſarijs. nam temeritas eſt ſponte periculū adire, cum caueri poſsit. Verum ſi facta fuerit inquiſitio doctrinæ & fidei publica autoritate, & nō potes te ſubducere, nequaquā abijcienda eſt confeſsio. Quare ſi interrogatus fueris de neceſſario aliquo religionis capite, illic ſubticere eſt negare Filium Dei coram hominibus, nec ſimulatio hic locum habet. Quare hic potius perdas animam, vt eandē vindices ab æterno interitu.

SECVNDA QVAESTIO.

Num liceat pio homini connubio adiungere ſibi perſonam abhorrentem à vera religione, nec ne?

DE hac quæſtione variant ſententiæ doctorum. Sunt enim qui nullo pacto licitum eſſe Chriſtianis ducere vxorem diuerſæ religionis, contendunt. Sunt rurſus qui licitum eſſe defendunt. QVI nullo pacto licitum eſſe volunt, quatuor potiſsimum rationibus nituntur, quas ordine recitabo. PRIMA ſumitur, vt ipſi dicunt, à definitione. Matrimoniū (inquiūt) eſt cōmunicatio diuini & humani iuris, igitur inter quas perſonas nō poteſt eſſe communicatio diuini iuris, hoc eſt, eiuſdē fidei & religionis, inter eas nō licite cōtrahitur matrimonium.

um. SECVNDA ſumitur à iure Canonico. Caue (inquit) Chriſtiane, Gentili aut Iudæo filiam tuam tradere. Caue (inquit) Gentilem vel Iudæam atq; alienigenā, hoc eſt, omnem hæreticam & alienam à fide tua, accipere tibi vxorem. Et paulo poſt ſubiungit pœnam, ſi quis cōtra fecerit. Si quis (inquit) Iudaicæ prauitati coniugali ſocietate iungitur, ſiue Chriſtiana Iudæo, ſiue Iudæa Chriſtiano mulier carnali conſortio miſceatur, quicunque eorum tantum nefas admiſiſſe cognoſcitur, à Chriſtiano cœtu atq; conuiuio, & à cōmunione Eccleſiæ protinus ſegregetur. TERTIA ſumitur à iure diuino, Exod. 34. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis. Deut. 7. Neq; ſociabis cum eis coniugia. Hæc lex ſæpius repetitur. Huc etiā dictum Pauli accommodant 2. Cor. 6. Ne ducatis iugum cum infidelibus. QVARTA ſumitur à iure ciuili. Eſt enim iure ciuili prohibitum, adiecta grauiſsima pœna videlicet adulterij, ne Chriſtianæ religionis homo matrimonium cōtrahat cum ea quæ Iudaicæ ſuperſtitionis eſt. Sunt autem hæc verba legis: Ne quis Chriſtianam mulierē in vxorem Iudæus accipiat: neque Iudææ Chriſtianus coniugio ſocietur. Nam ſi quis huiusmodi aliquid admiſerit adulterij vicem commiſsi crimen obtinebit, libertate in accuſandum, publicis quoque vocibus relaxata. Hæc legis ſunt verba, ratio autem legis eſt vniuerſalis, videlicet ne quauis ſuperſtitione vnius perſonę, altera polluatur, nam de ſimilibus idem eſt iudicium. HISCE rationibus quatuor præcipue nituntur, qui contendunt non licere pio homini contrahere nuptias cum perſona aliena à religione Chriſtiana. VERVM qui his ſe opponunt, & tuentur licitum eſſe Chriſtianis, vel cum Turcis, vel Iudæis, vel quibuſcunque alijs connubia contrahere, ad ſuperiora argumenta in hanc ſententiam reſpondent. Ad PRIMVM dicunt, quod communicatio diuini iuris nec ſit de eſſentia coniugij, nec ſubſtantialis eius proprietas. Nam multa fuerunt olim, & hodie ſunt coniugia, in quibus nulla, aut perexigua ratio religionis habetur. Et Paulus fatetur coniugium eſſe poſſe inter fidelem & infidelem. Ad SECVNDVM reſpondent, quod ad obœdientiam iuris Canonici non obligentur pij, cum eius autor Papa ſit Chriſti aduerſarius, & perſecutor veræ Eccleſiæ. Cum igitur talis ſit, contemnendas leges eius iudicant. TERTIVM infringunt hac ratione, quod quæ à Moſe præcipiuntur, ſint vnius certi populi propria, atque ideo non debeant extendi ad Eccleſiam, quæ Chriſti libertate gaudet. Dictum Pauli perperam citari in hac cauſſa dicunt: Non enim Paulus loquitur (aiunt) de matrimonio, cum ait: Nolite iugum trahere cum infidelibus, ſed de Idolothytis, à quibus vult pios abſtinere propter ſcandalum. QVARTVM argumentum à iure ciuili ſumtum, negant poſſe accommodari ijs, qui Chriſtum agnoſcunt, qualibuſcunque implicantur erroribus: ſed Iudæis tantum, qui Chriſtianum nomen oderunt. Deinde in hoc caſu aiunt minime obligari omnes, ſed tantummodo eos, qui ſunt ſub Imperatoris iuriſdictione & legibus. QVID ergo dicendum in hac varietate opinionum? cui parti aſſurgendum? Ego quidem exiſtimo eos, qui nullo modo licitum eſſe contendunt contrahere connubia cum hominibus diuerſæ religionis, voluiſſe cauere, ne diſparitas religionis in coniugio domos paulatim euerteret, religionem extingueret, & afferret rebuſpub. exitium, horū conſilium laudo. Rurſus autem eos qui contendunt licitum eſſe, vel cū Turcis vel Iudæis contrahere, voluiſſe libertatem Chriſtianam tueri, ne laquei inijcerentur piorū conſcientijs. Hi autem vt oſtendant ſimpliciter, in veteri teſtamento non prohiberi contractum coniugiorū cum Ethnicis, adducunt legem, quæ eſt Deut. 21. Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tu⁹ in manu tua, captiuoſq; duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulcram, & adamaueris eā, poteris eam ſumere tibi in vxorē. Porrò in legib. adductis videtur *ἀντιλογία* quædam eſſe: nam quod vna prohibet, altera permittit. Hanc *ἀντιλογίαν* tollunt hoc modo: Dicunt priorē legem de certis populis loqui, nēpe de ſeptē illis gentibus, quarū terram Dominus promiſerat ſuo populo, ne videlicet propter vicinitatem aliquā labē contraherent ſuperſtitionis, inſtinctu fœminarū, quæ patrios ritus non facile eſſent relicturæ. Poſteriorē autē de alijs gentib. bello ſubactis, ex quo fieret vt minus periculi eſſet à mulieribus, ſi ducerentur à Iudæis in vxores: nam quodāmodo ſeruilis cōditionis erant, vt quæ tam facile dimitti, quā aſſumi poſſent. Sed ego ſimpliciter intelligo prohibitionē, & dico non pugnare cū generis prohibitione, ſiue diſpenſationē, ſiue permiſsionē, quæ fit in certo caſu, ob ſingulares cauſſas. Quod aūt prohibitio ſit generalis, non reſtringenda ad ſeptē illas gentes, apparet ex 13. capite Nehemiæ. Verum ſi daremus legem illam, quæ eſt Exod. 34. Nec vxorem de filiabus eorū accipies filijs tuis, non eſſe vniuerſalem, ſed particularem tantum: tamen cum ratio legis, de nō accerſendis alienis à fide in conſortiū coniugale, ſit communis, videlicet ne polluantur aliena cōtagione: genus ad nos pertinebit, ne videlicet cum hoſtibus Dei & populi eius ineamus cōiugia. Quanquam enim fateor Moſi legibus ciuilibus ſicut & ceremonialib⁹ datis veteri populo, nos libertate

Chriſti donatos, non teneri, quantũ ad externas attinet circumſtantias, & mundi elementa, vt Paulus loquitur: tamen cum nullæ poſsint leges magis eſſe honeſtæ, iuſtæ & ſalutares, quam quas Deus ipſe tulit, æterna ſapientia & bonitas, non video cur Chriſtiani, in rebus, quæ ad ipſorum quoque vſum pertinent, qualis hæc eſt, de qua agimus, nõ debeant magis Dei, quam vllorum hominum leges ſequi. Sed demus, licitum eſſe per ſe, alienas à fide noſtra in vxores ducere. Quid ergo? Audiamus Paulum qui dicit: Omnia mihi licent, at non omnia conducunt. Omnia mihi licent, at ego non redigar in vllius poteſtatem. Et iterum: Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, at non omnia ædificát. Res ſæpe in ſe eſt licita: ſed vſus eſt periculoſus, ſcandali plenus, & haud raro perniciem affert. Quare ita reſpondeo: Sit ſane Chriſtiano licitum, ducere mulierem, vel Turcam, vel Iudæam, vel Papiſticam in vxorem: tamen id minime expedire contendo. Quare hic regulam Auguſtini amplector, qui ait: Vbi aliquid ita licitum eſt, vt aliud facere omnino nõ ſit illicitum, fiat quod expedit, & quod magis expedit. QVOD autem non expediat Chriſtianis cum ſuperſtitioſis contrahere coniugia, ſequentibus rationibus oſtendam.

PRIMA. Nulla vnquam coniunctio aut ſocietas firma, nullus amor ſolidus & ſincerus eſſe poteſt, niſi fundatur in vero & ſancto timore Dei. Sed cum & firmiſsimam coniunctionem in cõiugio, maximeq; ſincerũ amorem eſſe oportet, & timor Dei verus & ſanctus eſſe nequit, niſi vbi ſit vera religio, vera fides. Sequitur maxime expedire, vt vir pius quærat talem vitæ ſociam, quæ ſit eiuſdem religionis conſors, vt animi arctiori vinculo amoris in timore Dei copulentur. Paulus vult, vt viri diligant vxores ſuas, tanquam propria corpora: Sed quomodo poteſt vir pius diligere vxorem, quæ odit Dominum? Odiſſe autem Dominum cenſenda eſt, quæ eum vera religione non colit. Huc concio Prophetæ ad Ioſaphat regem alioqui pium, non inepte referri poteſt: Ita ne, inquit, fers auxilium impio, & diligis eos qui oderunt Dominum? Et ideo ira Dei venit ſuper te.

SECVNDA. Coniugium diuinitus inſtitutum eſt in Paradiſo, vt ſanctitas loci admoneat coniuges, vt ſint ſancti: huius etiam rei admonebit eos tempus: Nam ante lapſum hominis inſtitutum eſt coniugium. Hæc autẽ ſanctitas inde prouenit, ſi in vera & ſancta religione conſentiant coniuges. Idem monet autor coniugij qui ſanctus eſt, cũ innocentes & ſanctos copulat, quo facto ſatis indicat, ſe nolle ſuam ordinationẽ, quæ ſancta eſt, prophanari. Huc etiam pertinet conſilium Dei creantis mulierem: Ita enim ait Dominus: non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium, quod ſit corã ipſo, vel vt vetus interpres habet, ſimile ſibi. Vult ergo Deus ſuauiſsimam & ſanctiſsimã in coniugio exiſtere concordiam, qua vt vir in Deum reſpiciat, ita mulier ad eam rem fida ſit illi adiutrix: ambo autem vno conſenſu, ſanctam, amicam & placidam colant ſocietatẽ, idq; veluti ſub vno iugo illis diuinitus impoſito. Hinc eſt quod maritus & vxor cõiuges, quaſi compares ſub eodem iugo dicátur. Vt qui parem conatum, parem curam, parem amorẽ, parq; ſtudium, cum in religione, tum in alijs rebus ad vſum vitæ ſpectantibus, habere debeant. Huc etiam referendum eſt ſymbolicũ illud pręceptũ, quod eſt Deut. cap. 22. Non arabis cum boue & aſino pariter, hoc eſt, non ſub idem iugum mittes animalia diuerſi generis, quorũ vnum eſt mundum, alterũ immundum: vnũ tractabile, alterum contumax. Non dubito Dominum his ſymbolis velle indicare, quod alias clare dicit: Ne fœdera, præſertim coniugiorũ, ineamus cũ infidelibus. Deus enim vult omnia ordine & æqualiter fieri, quo ſuæ ordinationes maneant incolumes & ſaluæ. Vult igitur Dominus, vt coniugiũ ſit ſancta quædã ſocietas, hoc eſt, Eccleſia domeſtica, quæ Deum veris cultibus, inuocatione, confeſsione, gratiarũ actione &c. colat. Etſi autem hæc diuina ordinatio polluta eſt per lapſum primorum parẽtum: tamen decet vt noui homines per regenerationis gratiã effecti, hanc ordinationem Dei ad primam formam reuocemus, quantum quidem hoc fieri poteſt: Qui autẽ contra facit, & ſibi vxorem accerſit abhorrentem à vera religione, parũ cogitat de prima coniugij inſtitutione, conſilium Dei creantis fœminã parui pendit, oblitus eſt autoris coniugij, qui vt ſanctus eſt, ita ſanctitatẽ in ſuis ordinationibus requirit: non meminit, quod coniugalis ſocietas debeat eſſe Eccleſia Dei, quæ ante omnia in puro Dei cultu occupabitur. Hanc rationem, ſi pius cogitat, abſq; omni dubio abhorrebit ab omni conſortio hoſtium Dei, nedum à coniugijs eorum. Taceo, quod qui nuptias cum impijs ſectantur, naturali legi aduerſari videantur: hæc enim ſimilitudinem animorum & morum quærit. Vt Plato ait: φέρεται δ᾽ πᾶς κατὰ φύσιν πᾶς πρὸς τὸν ὁμοιότατον αὑτῷ, hoc eſt, quilibet natura appetit verſari cum eo qui ſibi ſimilimus eſt. Nunc autem cum pulcerrima ſimilitudo ſit, eandem Dei imaginem in pectore geſtare, & maxima diſsimilitudo ſit, ſi maritus Chriſti, & vxor Diaboli imaginem geſtat: vel econtra, quis non videt ſtulte agere eos, qui volentes & ſcientes fœdus ineunt coniugale cum contemtoribus Euangelij, qui animo Diabolum referunt.

TER-

TERTIA ratio. Deus ideo inſtituit coniugium, vt in eo, & ex eo, ſibi procreentur liberi: Sibi inquã, hoc eſt, in ſuam gloriam: ita enim Deus apud Ezechielem teſtatur, vbi Iudæis exprobrat ſua ſacrilegia & crudelia ſacrificia: Tuliſti (inquit) filios tuos & filias tuas, quos peperiſti mihi. Non ergo vt beſtiæ, quæ tantũ in vſus hominũ gignuntur: ſed vt creatura rationalis formata & condita ad imaginẽ Dei, formentur & inſtituantur liberi in timore Dei. Id quod etiã Paulus monet, cũ ait: Educate liberos veſtros in diſciplina (qua ſcilicet fiunt tractabiles & humani) & νουθεσίᾳ Domini, id eſt, monitis ex verbo Dei petitis, ſeu ſanctis & Deo acceptis. Sed quomodo quæſo hoc præſtabunt iſti coniuges, quorũ animi non ſunt coniuncti in timore Domini? quomodo recte inſtituentur pueri in monitis diuinis, cum quod ſuadet pater, diſſuadeat mater, & cum exempla domeſtica ad contraria inuitent? Hunc finem generationis cum ipſe Plato agnouit, turpiſsimum eſt Chriſtianos ipſum vel non agnoſcere, vel negligere. Ideo (inquit) generamus liberos, vt nos defuncti, in noſtrum locũ liberos relinquamus qui Deũ colant. Sunt autẽ hæc eius verba in ſexto de legibus: χρὴ τ' ἀειγενοῦς φύσεως ἀντέχεσθαι τῷ παῖδας παίδων καταλείποντα, ἀεὶ τῷ θεῷ ὑπηρέτας ἀνθ' αὑτοῦ παραδιδόντα, hoc eſt Oportet naturam retinere ſempiternã, & filiorum filios relinquendo, ſemper Deo miniſtros pro ſe ipſo tradere. Et paulo poſt: Gignẽtes & alentes, vitã, quam ab alijs acceperunt, à ſe quaſi tædas ardentes, alijs tradant, ſemper Deum ſecundum leges colentes. Hic Plato etſi cœcus, hoc eſt, ignarus veræ religionis, vidit quod coniugiũ, non ſit tantum ordinatũ propter commoda huius vitæ: ſed multo magis, vt homines in eo progenerentur, qui Deum ſecundũ leges colant. Hoc autẽ fieri non poteſt niſi in eo coniugio, in quo maritus & vxor in vera religione conſentiunt. Atq; hic eſt ille conſenſus quem prædicat Syracides capite 25. Tria me exhilarant, & coram Deo ſimul & hominibus cõdecorant, concordia fratrum, amicitia propinquorum, & vir & vxor inter ſe bene conſentientes. Verum nunquam bene conſenſerint, qui in pietate vera non conueniunt. Ex his tribus rationibus, quarũ Prima à vera cauſſa veri & ſinceri amoris in coniugio, quæ eſt timor Dei. Secunda à circũmſtantijs inſtituti coniugij. Tertia à fine procreationis liberorum, ſumitur, recte concludi poſſe arbitror, quod coniugium iuxta ordinationẽ Dei eſſe debeat talis ſocietas viri & fœminæ, in qua vera communicatio ſit, nõ ſolum humani iuris, verum etiam, idq; multo magis, diuini iuris. Quare amplector & ius Canonicum, & ius ciuile, quæ conſentiunt cum iure diuino, quibus ſimul cauetur, ne pius ducat in vxorẽ alienam à vera religione. Neq; obeſt, quod multa fuerint olim & hodie ſint coniugia inter prophanos & diſparis religionis homines. Nam aliud eſt loqui de rebus, vt ſunt ordinatæ à Deo, aliud, vt ſunt pollutæ à Diabolis & hominibus. Qui ergo Deum vere timere ſtatuerunt, ſummo conatu laborent, vt ordinationes Dei puras & ſanctas abſque omni pollutione retineant.

QVARTA. Coniugium tale quæri debet, quod ſit vtile & commodum Eccleſiæ Dei & Reipu. in qua viuimus, iuxta hanc Platonis iuſtiſsimam regulam: Vna ſit communis ratio nuptiarum, vt quiſq; nõ iucundiſsimũ ſibi, ſed ciuitati vtile ineat coniugium. Cum autem optima ciuitas ſit, iuxta Ariſtotelem, quę beata eſt, vere autem beata nulla, niſi in qua viget vera pietas erga Deum, vera inter ciues concordia, quæ habet promiſsionẽ diuinæ benedictionis. Proinde tale coniugiũ merito quærendum eſt, ex quo ſpes eſt vt prodeant pietatis cultores, & concordiæ amantes, quo optimus ſit & beatus ciuitatis ſtatus. Etſi autẽ Ariſtoteli beata vita cõtinetur tribus bonorum generibus, videlicet diuitijs, corporis dotibus, & virtutum præſtantia: tamen nos Dei verbo edocti, eam ciuitatem dicimus vere beatã eſſe, quæ eſt Eccleſia Dei, in qua vera erga Deum pietas, & ſancta fratrum concordia viget: ſine quib. nec rerum copia, nec corporum dotes, nec virtutum decora, ciuitatẽ beatam efficiẽt. Iã vero cum in impari cõiugio, alij liberorũ patris pietatẽ, alij matris ſuperſtitionẽ ſequuntur, aut cõtra, quę ſpes eſſe poterit, vt inde ciues prodeãt verę pietatis & concordię amãtes? Impij proinde & erga Eccleſiã, & erga Remp. erunt, qui ſibi adiungunt in cõiugio, prophanę ſuperſtitionis homines, vnde ſperari nõ poteſt, vt liberi inde naſcãtur, quibus vel pietas vel concordia cordi ſit futura: vel cõmitti poſsit cũ fructu Eccleſiæ aut reipub. vlla functio.

QVINTA. Sunt quoque exempla piorum hominum nobis proponenda, qui non ſecus abhorruerunt à prophanorum hominum nuptijs, quam à peſte nocentiſsima. Abraham iam ſenex ſeruum ſuum ſeniorem iuramento obſtringit, ne Iſaaco filio alienigenam vxorem det ex Cananæis: ſed ex terra patria aliquam accerſat. Sed quare hoc fecit? Ne pertinacia ſuperſtitionis Cananæorum fieret occaſio diſtractionis animorum, & impediretur inuocatio. Rebecca mater Iacobi ita ait: Si acceperit Iacob vxorem de ſtirpe terræ huius, nolo viuere. Ioſeph & Moſes in Ægypto, etſi in maxima dignitate erant conſtituti apud Ægyptios, & poterant ſibi delegiſſe nobiliſsimas & ditiſsimas: tamẽ Sacerdotum ſibi quærebãt filias, quæ Ægyptiaca idolomania non ita erant contaminatæ: nã cum doctrina

Ioſeph

Ioſeph & Moſis eſſent patres inſtituti, filias habuerunt haud dubie veræ religionis amátes. Tobias ſimiliter iunior ex mandato patris duxit Saram, Raguelis contribulis ſui & ſancti viri filiam in vxorem, ne impari coniugio implicitus à Deo paulatim deficeret, ſicut multi fecerunt, qui duxerũt alienigenas. Ita Prophetæ omnes & multi reges abhorruerunt à prophanis nuptijs. Sciuerunt enim ſancti Patres maxime diſplicere Deo ſocietatem coniugij cum impijs, nec ignorarunt hanc prophanam ſocietatem, non minimam præbuiſſe vniuerſali diluuio cauſſam.

SEXTA. Cogitandum eſt periculum contagionis, & communicationis alieni peccati. Propter hoc periculum Deus interdixit ſuo populo Iſraelitico ducere alienigenas, hoc eſt, alienas à fide in vxores, Exod. 34. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis, ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant in Deo ſuo, filios tuos. Nehemiæ 13. Adiuraui eos in Deo, vt non darent filias ſuas filijs eorum, & non acciperent de filiabus eorũ filijs ſuis, & ſibimetipſis, dicens: Nunquid non in huiuſmodi peccauit Salomon rex Iſrael? & certe in gentibus multis non erat rex ſimilis ei, & dilectus Deo ſuo erat, & poſuit eũ Deus regem ſuper omné Iſrael, & ipſum tamen duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. Auguſtinus: Dominus per Eſdrã iuſsit viros dimittere vxores alienigenas, ne & ipſi ſeducerentur per eas, & colerẽt Deos alienos. Merito enim quas duxerunt Domino prohibẽte, Domino iubente dimiſerunt. Et Ambroſius: Caue ne alienam à fide tua vxoré tibi accerſas. Facillime enim fieri poteſt, vt vxor alterius religionis, & infecta ſuperſtitioſis cultibus, virũ etiam pijſsimũ ac prudentiſsimũ amore captum blanditijs ſuis, ad impias opiniones & idololatricos cultus traducat atq; ſeducat. Eſt autem hoc periculũ contagionis omnibus quidem, ac omniũ maxime illuſtribus perſonis cauendum, quarum vitia latius ſerpunt, & ſæpe, nõ dico familias, ſed integra regna polluũt et euertunt. Notum eſt exemplũ Salomonis, quod paulo antea attigimus. Notum eſt exemplũ impij Achab, qui ducta in vxoré Ieſabele, filia regis Sydoniorum, auxit impietatem cultu idolorum, quæ ſecum aduexit Ieſabel: vnde ſecuta eſt maxima cœcitas in populo Dei, & horrenda perſecutio Prophetarum Dei, qui iſtos idololatricos cultus reprehenderunt. Dici non poteſt quã grauiter vulnerentur piorũ animi, quãdo audiunt pios principes adiungere ſibi in cõiugio perſonas Papiſticæ religionis. Nam hanc rem facile intelligunt vergere in pernitié veræ religionis, non ſine multarũ animarum certiſsimo interitu. Hodie princeps quidã viuit, qui doctus veram religioné, quam & ipſe amplexus eſt, & ſubditis cõmendauit, quæ res multis pijs & ſanctis Dei angelis magno gaudio fuit. Hic poſtea ducta vxore papiſticæ ſuperſtitioni addicta, voluit quidé conſtanter in vera religione, quã amplexus erat, perſiſtere, putabat enim ſe ſuoſq; ſuperſtitione vxoris minime pollui poſſe. Sperabat forte fore, vt vxor ſuo exẽplo paulatim ſuperſtitioni valediceret, & verã religioné ſecum amplecteretur. Sed quid fit? Vxor papiſticæ religionis Idolum pertinaciter colit, & Miſſam ſibi celebrari quotidie curat. Verum cũ progreſſu temporis animaduerteret à ſe deficere pleroſq; eorum, qui in initio ſecũ Papiſticæ religioni adhærebant, & amplecti religioné veram, cui maritus eius addictus fuit, ægrius tulit, & tandé ex mœrore animi in μανίαν incidit. Hoc cũ maritus animaduerteret, ſperans ſe poſſe mutata religionis forma, vxoris animũ offenſum placare, vt ita tandem mens mota reſtitueretur, Papatũ eſt iterũ amplexus, repudiato Euangelio Chriſti, non ſine maximo ſcandalo & ingenti piorum omniũ dolore. Huius factum mox ſecuti ſunt pleriq; ex ſubditis. Quid quæſo hoc facto ſceleratius? repudiatur Chriſtus Eccleſiæ ſponſus: Euangelij vox aboletur: mos geritur affectibus ſuperſtitioſæ fœminæ in contumeliã Dei: contriſtatur Spiritus ſanctus in multorum cordibus: caſtra Chriſti perfide deſerũtur: fit defectio proditoria à Chriſto duce ad Satanam hoſtem Dei: produntur Eccleſiæ ciues, atq; ita autor horum malorum fit reus multorum alienorũ peccatorum: & niſi reſipuerit, audiet olim Filium Dei ſe negaturũ coram Patre cœleſti, qué hic coram hominibus turpiter abnegauit. Quare non eſt vt quiſquã tantum ſuis viribus aut ſapientiæ tribuat, vt putet ſe non poſſe mulieris aut blanditijs, vel querelis à veritate abduci in errores.

SAMSONE quis fortior? At ille à fœmina alienigena eſt deceptus. Salomone quis ſapientior? at ille in gratiã fœminarum ſe turpiter proſtituit idolis. Non igitur ſuaſerim vt pius, ſpe cõuerſionis eius quam cupit in vxorem, ſe in periculum cõijciat: nam vt euentus eſt incertus (ſuperſtitio enim vbi altas radices egit in perſonis potiſsimum pollentibus autoritate vix vlla arte euelli poterit) ita pericula certiſsima ſunt: quæ qui non cauet, Deum tentat: nam fiducia ſapientiæ & conſtantiæ ſuæ, corrigit legem Dei, qua cauetur ne quis alienã à fide in vxorem ducat. Quam legem non dubito vniuerſalem eſſe, cum eius ratio ſit communis. Nam non minus intereſt Chriſtianis hodie, quam olim Iudæis fugere occaſionem idololatriæ. Neque male dictum Pauli huc accommodatur: Ne ducatis iugum cum infideli-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

delibus, hoc eſt, ne commiſceatis vos infideliũ pollutionibus. Nam coniugia cõtracta cum infidelibus fiunt laquei, quibus implicantur tam viri quam mulieres ad impietatis cõſenſum. Hactenus de quæſtionibus propoſitis: nunc reuertamur ad noſtrum Apoſtolum.

Cum multa haberem vobis ſcribenda, nolui per cartam & atramentum, ſed ſpero me venturum ad vos, & præſentem præſentibus locuturum, vt gaudium noſtrum ſit completum.

Clauſurus Epiſtolam excuſat breuitatem, cuius rei cauſſam adiungit, à ſpe ſui aduentus ad ipſos, ſcilicet matrem & filios, cum quibus pollicetur ſe coram locuturum, vt gaudium mutuum ſit plenum, id eſt, verũ, vt quod optimum obiectũ habeat. Significat ergo, quod non de rebus huius vitę, ſed æternę potius, ſit cum illis collaturus, videlicet vt & ipſi plenius doceantur vias Domini, & ipſi Apoſtolus conſolationem percipiat ex mutua fide. Obſeruetur locus de mutuo Chriſtianorum gaudio, quod inde proficiſcitur, quod coràm ſe mutuo verbi Dei confirment & conſolentur, vt Paulus loquitur ad Rom. 1. Deſidero, inquit, videre vos, vt aliquod impartiar vobis donum ſpirituale, ad vos ſtabiliendos, hoc eſt, vt communem conſolationem percipiam apud vos per mutuam fidem veſtram ſimul & meam. Porro inter gaudium piorum & impiorum, hoc eſt diſcrimen. Impij vel ex alieno malo gaudent, vnde ἐπιχαιρέκακοι græcis dicuntur: vel ex præſentis boni opinione, vt ille diues in Euangelio, qui de horreis deſtruendis, & nouis & amplioribus ædificandis deliberauit, quem Dominus ſtultum pronunciat. Non igitur immerito impiorum ſeu mundi gaudium ab Auguſtino dicitur, gaudium vanitatis. GAVDIVM autem piorum habet cauſſas Spiritum ſanctum, verbum Dei, quo concipitur firma cognitio miſericordiæ Dei in Chriſto Ieſu, viuam promiſsionis fiduciam in corde, bonam conſcientiam, & certam ſpem promiſſæ liberationis ab omnibus malis, & vitæ æternæ. Per hoc gaudium pij acquieſcunt in Domino, & in omnibus, cum proſperis, tum aduerſis, ſpe bona ſe ſuſtentant, ſcientes, quod non fallere poſsit, qui promiſit. Chriſtus Dominus iubet ſuos gaudere & exultare cum varijs premuntur afflictionibus & perſecutionibus. Et Iacobus vult vt Chriſtiani exiſtiment omne, id eſt, plenum & ſolidum gaudium eſſe cum in varias tentationes inciderint. Hoc, tametſi rationi videtur paradoxon, vt quod abhorreat ab omnium ſanorum cõmuni ſenſu: tamen vere pij experiuntur in ſe veriſsimum eſſe. Iob in ſumma ſua afflictione hoc ſpirituali gaudio exultauit, vnde prorupit in hanc vocem: Scio quod Redemtor meus viuit, & in nouiſsimo die reſurrecturus ſum. Atq; in hunc modum omnes Sancti ſub cruce & præſenti ſenſu, & futuro euentu gaudent. Senſu quidem, quia habent in ſe Spiritum ſanctum conſolantem & erigentem ſe aduerſus crucis acerbitatem. Euentu vero, quia ſciunt ſe glorificandos olim cum Domino, cui hic in cruce ſunt conformes. Dicitur autem hoc gaudium ſanctorum Auguſtino, gaudium veritatis.

Salutant te filij ſororis tuæ electæ, Amen.

Salutatio eorum mutua, qui in diuerſis locis degunt mutuum amorem veluti ſilentio ſopitum, excitare ſolet, quare eam non negligendam eſſe putauit Apoſtolus.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM IOHANNIS TERTIAM.

POST EPIGRAPHAM ET SALVTATIONEM, CAII PIETATEM ET in pauperes ſanctos liberalitatem prædicat. Deinde quendam Diotrephen carpit, propterea, quod non ſolum primatum in Eccleſia expetierit: ſed etiam durior fuerit erga fratres, adeo quod ne hoſpitio quidem ſanctos excipere voluerit, cuius exemplum ne imitetur Caius, monet Apoſtolus. Poſtea, commendata Demetrij cuiuſdam pietate, Epiſtolium ſalutationibus claudit.

EXEGESIS. CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Senior

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

SENIOR Caio dilecto, quem ego diligo in veritate.

Epigrapha hæc autorem Epiſtolæ, & cui ſit ſcripta indicat. Deinde, quo ſit acceptior Epiſtola, ſuum erga Caium affectum teſtatur Apoſtolus. In veritate diligere, id eſt, vere & ſincere.

Dilecte inprimis opto, vt proſpere agas & valeas, quemadmodum proſpere agit anima tua.

Optat Caio cum animæ ſalute corporis incolumitatem, ſeu felicem rerum ſucceſſum, quæ duo præcipua bona ſunt hominis, cum eius ſtatus optimus reſpiciatur. Vocabulum græcum, quo hic vtitur Apoſtolus εὐοδοῦσθαι, à facilitate viæ ſumtum eſt. Qui enim recta via bona & facili procedit εὐοδοῦσθαι dicitur. Deinde, quia via phraſi ſcripturæ ratiorē & inſtitutum vitæ ſignificat, transfertur vocabulum ad animi affectionem bonam, & actiones hominis cõgruentes, vt εὐοδοῦσθαι dicatur, qui bene affectus eſt, qui proſpere agit, cuiq; omnia feliciter cedunt. In hac ſignificatione accipitur vocabulum hoc, in Pſalmo primo: Omnia quæcunq; faciet, εὐοδωθήσονται, id eſt, bene cedent: ſeu vt vetus interpres reddit proſperabuntur, hoc eſt, felicia & fauſta erunt.

Gauiſus ſum valde cum veniſſent fratres, & teſtimonium reddidiſſent veritati tuæ, quemadmodum tu in veritate ambulas.

Teſtatur ſe Apoſtolus gaudere inprimis de honeſtate & integritate vitæ Caij, quam multi fratres ſuo teſtimonio ornant. Atq; oſtendit Apoſtolus quomodo affecti eſſe debeamus erga eiuſdem religionis conſortes.

Maius enim gaudium non habeo, quam quod audio filios meos in veritate ambulare.

Ratio gaudij à paterno affectu doctoris erga ſuos diſcipulos, quos filios ideo vocat, quia eos per verbum Deo genuit.

Dilecte fideliter facis quicquid operaris erga fratres & peregrinos.

Approbatio eſt pietatis Caij erga fratres, & peregrinos: Vt decet, inquit, pium & fidelem hominem, te humanum & beneuolum fratribus & peregrinis exhibes. Commendatur nobis hoc exemplo ſancta hoſpitalitas & pius erga peregrinos candor.

Qui teſtimonium ferunt tuæ dilectioni coram Eccleſia, quos, recte facies, ſi proſecutus fueris vt Deo dignum eſt.

Sponte, vt dicitur, currenti calcar addit. Dignum eſt Deo, inquit, fratres & peregrinos amãter complecti, eoſque fouere, nam ita Dominus ait, Qui vos recipit, me recipit. Proinde qui filij Dei eſſe & nominari volunt, ſe mutua caritate & beneuolentia complectantur.

Nam pro nomine eius profecti ſunt, nihil accipientes à Gentibus. Nos ergo debemus accipere huiuſmodi, vt cooperarij ſimus veritati.

Ætiologia eſt. Digne Deo facit, qui eos, qui nomine Dei legatione funguntur, complectitur, idq; maxime, ſi ob ingratitudinem hominum cogantur ſedes mutare, vt ſimus miniſtri ſeu cooperarij veritati, hoc eſt, vt ipſi quoque aliud conferamus ad veritatis propagationem & conſeruationem. Porro in Caio, cuius hic pietatem & liberalitatem erga fratres prædicat Apoſtolus, duo ſpectentur, videlicet præmium virtutis, & imitatio exempli. Præmium virtutis Caij non eſt minimum, quod ornetur teſtimonio tãti Apoſtoli, & cõmendetur ipſius pietas & dilectio toti Eccleſiæ. Donec enim hic mũdus ſtabit, manebit apud Eccleſiã Dei huius viri gloria, & perpetuo iuſticia eius celebrabitur, iuxta regulam Pſal. 112. In memoria æterna erit iuſtus. Etſi autem antiqua gratia, vt ait Pindarus, dormit apud homines: tamen Deum nulla vnquã capit oliuio piorum. & apud pios ſemper dulcis remanebit recordatio benefactorũ. Cum, contra impiorum memoria vel prorſus nulla erit, vel omnino infamis & triſtis, vt alij exemplis deterreantur, ita enim Pſalmus ait: Vultus Domini ſuper facientes malum, vt ſuccidat è terra memoriã eorum. Quia autem hoc pietatis præmium nõ in omnibus cernitur: multi enim pij

&

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

& ſancti homines mortui ſunt, quorũ ne nomina quidẽ ſunt apud homines reliqua, teſtimonium eſt de futuro iudicio, in quo ſpectantibus omnib. creaturis reddetur præmiũ virtuti & pietati, & ſuppliciũ debitũ malitiæ & contumaciæ. Cogitatio proinde huius præmij nos excitet ad pietatis & virtutis ſtudiũ, ad diligentiã in formandis moribus, iuxta voluntatem Dei, & laudabiliũ Sanctorum exempla. Non moueamur multitudine peccantium, ſed dulciſsima virtutis imago, & eius fructus nobis perpetuo verſetur ob oculos.

Deinde ſpectetur in Caio imitatio exempli, qua nos eius pietatẽ & reliquas virtutes exprimamus. Ne quis autẽ erret in modo imitationis Sanctorum, tenenda eſt regula, quæ eſt vox Dei de faciẽdis & vitandis, & aſpiciatur archetypus Ieſus Chriſtus. Ita enim Paulus ait: Eſtote imitatores mei, ſicut & ego Ieſu Chriſti. Imitemur ergo ſanctos Patres, quatenus in ſincera doctrina & ſanctis moribus nos ad Chriſtum ducunt. Non ſimus ſegnes, ſed imitatores eorum, qui per fidem & patientiam obtinent promiſſam hæreditatem. Eſt præterea in imitatione videndum, an factum contineatur ſub vniuerſali mandato, ad quos omnes ex æquo obligantur: vel ad certas perſonas aut populos pertineat. Si vniuerſale factum eſt, hoc eſt, ſi obligat mandatũ Dei vniuerſaliter ſine exceptione, imitatio eſt pia & laudabilis, vt cum fidem, pietatem, conſtantiam, liberalitatem, & alias quaſuis virtutes quorumcunque ſanctorum imitemur. At ſi factum ſub perſonali mandato cõtinetur, imitatio non debet eſſe vniuerſalis in ſpecie, ſed in genere tantum, ne violentur catholica præcepta. Abraham parat ſe ad iugulandum & offerendum Deo filiũ ſuum Iſaac, quod factum vehementer Deo placuit. Verum cum hoc factum imitantur multæ gentes, adeoq; multi ex Iudæis, horribiliter peccant: nam perſonale præceptum datum Abrahamo, pugnat cum vniuerſali præcepto, Non occides. Diues ille in Euangelio, iubetur ſi perfectus eſſe velit, vt vadat & vendat omnia quæ poſsidet, & det pauperibus. Hoc perſonale mandatum cum imitãdum proponitur pijs patribusfamilias, ſanctis regibus & alijs, pugnat cum vniuerſali quod eſt omnibus datum, videlicet vt patresfamilias, pij reges, ſint domini ſuorum fontium, & prudenter eos deriuari foras permittant. Non ergo eſt hæc imitatio laudabilis, nec præcepta in ſpecie. Iohannes Baptiſta vixit ſolitarius in deſerto, veſte non ſplendida vſus eſt, cibus illi fuit minime delicatus. Hunc primum κακοζηλίᾳ quadam imitati ſunt Eremitæ, qui in deſerto in ſuis mandris habitabant, & multos ſecum inuitarũt ad ſimile vitæ genus. Inter hos maxime prędicatur Barlaã quidam, qui etiam regnũ filijs perſuaſit, vt relictis regnis & poſſeſsionibus, ſe in ſolitudinẽ abderent. Deinde paulatim creuit ſuperſtitio, donec omnia luſtris Monachorũ impleta ſunt, non ſine maxima veræ pietatis iactura. Verum in hoc errarunt omnes, ꝙ ex ſpeciali facto & perſonali fecerunt vniuerſalẽ regulam. Atq; ita diligenter ſpectandũ eſt, quando Sanctorum exempla imitanda ſunt in genere facti, & quãdo in ſpecie, ne implicemur erroribus Monachorũ, cum certiſsimo animarum noſtrarũ periculo.

Scripſi Eccleſiæ, ſed qui primatum inter eos ambit Diotrephes, non recepit nos.

Hæc ſecunda Epiſtolæ pars querela eſt. Conqueritur enim Apoſtolus de Diotrephe homine ſuperbo, garrulo, auaro & contumaci: qui cum primatum Eccleſiæ ambiret, ipſum etiam Apoſtolum in ordinem redigere voluit. Nam cum Apoſtolus ſcriberet Eccleſiæ, in qua fuit Caius, (quam nam autem putat Eccleſiam, Babylonicam ne, an aliam, incertum eſt) hic Diotrephes Apoſtoli autoritatem nõ agnouit, ſed ipſe ſibi in Eccleſiam primatum vendicauit, forte quia penes illum fuerit ſumma Reipub. iſtius gubernatio politica. Eſt enim valde vſitatum, vt vbi ſuperbi πλεονέκται veniant ad dignitatem aliquam, & ſublimius munus ſiue in politia, ſiue in Eccleſia, rarius ſe contineant intra metas; ſed ſe ſuperbe ingerant in aliorũ quoq; officia, non cõtenti propriæ vocationis terminis. Sic in ciuili dignitate conſtituti, ſæpe ſibi dominium in Eccleſiam vſurpant, & contra fungentes munere Eccleſiaſtico, ſe interdum in magiſtratus ciuilis officiũ ingerunt, quæ res ſæpe fuit, eſt & erit occaſio magnæ ruinæ, cum in Eccleſia, tum in republica. Hoc vitiũ Græcis vocatur πολυπραγμοσύνη, latine curioſitas, vitium omniũ peſsimum & nocentiſsimum, iuxta græcũ illum verſiculum: τῆς πολυπραγμοσύνης οὐδὲν χερειότερον ἄλλο. Porrò, cum hoc loco ſuperbia Diotrephis carpitur, qui primatũ in Eccleſia ambiuit, diligenter diſcernendũ eſt inter primatũ ipſum in certa & particulari Eccleſia, & primatus ambitionẽ. In Eccleſia, vt in alijs ſtatibus opus eſt ordine, qui ſine ordinatione perſonarum iuxta Geometricam proportionem nec eſſe, nec conuerſari poteſt. Quare neceſſe eſt, vt in Eccleſia alij alios dignitate ordinis præcedant: ſine tamen ſuperbo dominio in clerum Domini, hoc eſt, in Eccleſiam. Nam vbi omnes pares eſſe volunt dignitate & ordine, ibi locum habet illud Poëtæ: ἔνθ' ὁμάδων ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενὸς, hoc eſt, vbi eſt anarchia, nemo alterum audit quicquam, ſed omnia ſurſum deorſum feruntur cæco

impetu. In Eccleſia primitiua alij fuerunt Apoſtoli, alij Euangeliſtæ, alij Paſtores, alij Prophetæ: etſi autem hi omnes hoc habebant commune, quod eiuſdem Eccleſiæ Dei fuerunt architecti: tamen præeminebant alijs Apoſtoli & dignitate officij, & donis. Sic Timotheus Epheſi, & Titus in Creta, alios dignitate & ordine præcedebant. Quibus regula agendi erat, nō affectus animi, ſed vox Euangelij & exemplum Chriſti Domini. Non enim quicquam putabant ſibi licere, niſi quod & vox Dei dictaret, & Chriſti exemplum cōfirmaret. Sciuerunt ſibi poteſtatem datam eſſe ad ædificationem, non ad deſtructionem. Super fundamentum igitur, vt periti architecti ædificauerunt, non extra fundamentum. Fundamentum autem eſt vnicum, videlicet Ieſus Chriſtus. Ædificandi ratio ex Prophetis & Apoſtolicis ſcriptis petenda eſt.

Porrò, vt ordo ille, quem neceſſarium in Eccleſia eſſe iudico, ſit ſine vitio, in eo ſpectentur perſonarum ad officia electio, agendi regula, autoritatis modus & finis adminiſtrationis. Electio perſonarum in Eccleſia ſit libera, iuxta honeſtam, piam, receptam approbatámque ordinationem. Cenſura morum, exploratio doctrinæ, facultatis præſtandi officij examinatio, & legitima ordinatio, exemplo Apoſtolorum adhibeantur cum ſeria Dei inuocatione. Electus approbatus & ordinatus, in agendo ſequatur certam regulam, hoc eſt, vel monſtratam verbo Dei, cum de doctrina agitur, vel graui autoritate gubernatorū Eccleſiæ præſcriptam & commendatam, cum de diſciplina & morum externorum gubernatione quæritur. Contra, præter & vltra regulam non extendatur autoritas vllius, quantiſcunque virtutibus aut donis pollere videatur: ſed in rebus ambiguis, exemplo Apoſtolorum, & eorum piorum ſucceſſorum, quærantur Synodorum & piorum Conciliorum voces & ſuffragia: quibus acquieſcendum eſt, donec à prima regula, quæ eſt vox Dei, non diſcedant. Finis adminiſtrationis Eccleſiæ ſemper verſetur ob oculos, qui eſt, vt colligatur Chriſto æterna Eccleſia, in qua concorditer Deum celebremus, nos inuicem diligamus, ac foueamus: quo integer ſit & incolumis Eccleſiæ ſtatus in gloriam & laudem Dei. Quamdiu hos limites non tranſgredimur, non eſt in vitio ſi quis alijs donis, laboribus, pietate & vocatione ſuperior, etiam dignitatis locū obtineat ſublimiorem. Verum ambitio primatus in Eccleſiam, qualis huius Diotrephis fuit, ſemper eſt culpabilis & pernitioſa. Ná, vt à mala cauſſa, nempe ſuperbia & φιλαυτίᾳ procedit: ita tendit ad peſsimum finem, videlicet ruinam Eccleſiæ, oppreſsionem bonorū in Eccleſia, euerſionem veræ pietatis, & extructionem regni Antichriſti: quod, qui non videt in pontificibus Romanis, plane cœcus eſt. Quid enim mali ambitio iſtorum Pontificum non pepererat? An non Eccleſijs in orbe maximam ruinam attulit? An non homines ſanctos & pios innumeros perdidit? An non inde Antichriſti imperiū cœpit, creuit & latiſsime dilatatum eſt? Adeo verum eſt vaticinium Gregorij Magni: nam hunc ſcribunt dixiſſe, illum fore Antichriſtum, qui vniuerſalis Epiſcopus haberi vellet, & omnium Eccleſiarum caput. Etſi auté hoc rectum à Gregorio dictum eſt: tamen nemo vnquam tot monſtra ſuperſtitionū & idolorum in Eccleſiá inuexit, ſicut ille. Hic autor Canonis Miſſæ dicitur: hic ritus Miſſarum excogitauit pro viuis & mortuis: hic, loco Dei, ſpiritibus immundis, qui finxerunt ſe animas defunctorum, credidit: hic imagines ſanctorum circumferri præcepit: hic infinitis alijs ceremonijs Eccleſiam obruit, atque adeo in locum verbi Dei traditiones humanas ſubſtituit.

Propterea ſi venero, ſuggeram ipſius facinora quæ facit, verbis improbis garriens in nos, quique etiam hic non contentus, neq; ipſe recipit fratres, & qui volunt recipere prohibet, & ex Eccleſia eijcit.

Cōminatio eſt conditionalis. Nam iuxta Græcorum dictum, τὸ μέλλον ἀόρατον. Dicit enim: Si venero, ſcilicet Deo ita diſponente, ſuggeram ipſius facinora, hoc eſt, in memoriam illi reuocabo, & ponā illi ob oculos, quę improbe facit. Et quatuor inſignia eius flagitia, quæ ſunt ambitionis ἀκόλουθα notat breuiſsime: PRIMVM, quod maledictorū garrulitate inceſſat Apoſtolum. Vocabulum autem quo hic vtitur Apoſtolus, φλυαρῶν, vel à feruentibus ollis ſumtum eſt, quæ cum ebulliunt, φλυεῖν dicuntur: vel à vomentibus & eructantibus præ crapula, vt alludere videatur Apoſtolus ad dictum Salomonis Prouerb. 15. Os ſtultorum eructat ſtulticiam. Hęc linguæ petulantia extreme damnanda eſt. Nam cum lingua ſit data vt alij alios de Deo, de natura rerum, de virtutū officijs. Item vt alios in quibuſuis neceſsitatib⁹ & honeſtis rebus cōmunicatione ſermonis iuuemus: profecto ſummū ſcelus eſt, ſi contra Deum, & ad nocendum alijs quouis modo conferatur. SECVNDVM, quod fratres non recipiat, quod ſane nihil aliud eſt, quam ipſum Chriſtum abnegare, quomodo enim putādus eſt Chriſtum ſuſcipere, qui eius mēbra in neceſsitate domo excludit.

TERTIVM, quod prohibeat ne quis recipiat. Hęc vehemens exaggeratio eſt ſceleris Diotrephis. Crudele eſt Chriſtum in ſuis membris domo excludere: ſed omnẽ crudelitatem & immanitatem excedit, prohibere ne alij hoc debitum officium præſtent. QVARTVM, quod etiam ſanctos ex Eccleſia eijciat. Hoc ſuperioribus atrocius eſt. Vt enim atrocius eſt animam lædere, quam corpus affligere: ita grandius eſt flagitium ab Eccleſia excludere inſontẽ, quam ex domo. Etſi illa excluſio non nocet excluſo, modo ſit ſine crimine: qui enim mente, corde, & vitæ innocentia eſt in ſocietate Sanctorũ, nihil illi nocet, quod ad ſalutem animæ, ſi corpore excludatur. Et contra, nihil prodeſt, ſi quis in cœtu ſanctorum ſuperbe exultat, ſi abeſt potiori ſui parte nempe anima, ſicut hic Diotrephes, Iudas & alij. Sed omnium optimum eſt, vt Dauid etiã teſtatur, eſſe & corpore & animo in cœtu ſanctorũ, vnanimi conſenſu inuocantiũ & laudantium Deum. Nos autẽ, vt ad certa capita omnia reuocemus, quo vſus huius loci magis ſit conſpicuus, duo ex hoc loco colligamus. Vnũ, quid faciat honorum cupiditas & ambitio. Alterum, quodnã ſit miniſtrorum Dei officiũ, quando in tales, qualis hic Diotrephes fuit, incidunt. Hic Diotrephes ſuperbꝰ & garrulus, ordinem Eccleſiaſticũ ſeu φιλαδελφίαν verbis & factis labefactare conatur. Nam dum conſilio & exemplo alios præire deberet, ad ſanctam ſeruandam fraternitatem & cõcordiã, ipſe calumnijs concordiam ſcindit, ac pijs quantũ poteſt detrahit, adeo vt ne quidẽ Apoſtolo parcat. Iohannes autem Apoſtolus iſtius improbi maledica garrulitate & impia prophanitate nequaquam abſterretur, quo minus ſuum faciat officium: ſed eum, etſi paucis, grauiſsimis tamen verbis proprijs depingit coloribus. Hoc Iohannis factum miniſtris verbi Dei ſit pro regula. Quapropter vt ſimilibus Caij dignum ferre teſtimonium pietatis & innocentiæ debent: ita huius Diotrephis ſectatoribus, ſuam ſuperbiam, ineptias, garrulitatem, & alia vitia ponent ob oculos, idq; vt illi, hoc eſt pij, qualis Caius fuit, excitẽtur magis ad perſeuerantiam in ſinceritate doctrinæ, ad integritatem & innocentiã morũ. Creſcit enim laudata virtus: Hi vero, vt vel pudefiant & emendentur: vel ſi emendari nolint, alij ſciãt eos tanquã peſtẽ fugiendos eſſe. Neq; hoc facere pugnat cũ caritate, qua debemus etiam inimicos diligere: Nam inimici ſunt quidẽ diligendi, ſed vſq; ad aras tantum, & melius eſt vt vnus ſi aliter fieri non poteſt, pereat quam vnitas. Vt interim taceã neceſsitatẽ officij præſtandi pręferendam omnibus amicitiæ & dilectionis legibus, præſertim cum gloria Dei agitur & ſalus animarum. Animabit præterea hoc Iohannis exemplũ miniſtros Euangelij, cum petulantius excipiantur, vel verbis, vel ſcriptis aliorum, qui calumniando & deprauando aliorum recte dicta & facta, quærunt ſibi nomen & famã apud homines, cum virtute & recte factis nihil laudis ipſi mereãntur. Hic primũ pij miniſtri Dei ſe conſolentur conſcientia recte factorũ, quæ vel ſola, tanquã murus, opponi poteſt omnibus malignorũ hominũ calumnijs & obtrectationibus. Huc illud Poëtæ pertinet: Hic murus ahæneus eſto: Nil cõſcire ſibi, nullaq; palleſcere culpa. Deinde tueantur famã ſuam honeſta defenſione, ſeruata vnitate Eccleſiæ. Præterea euentum Deo committant, & imitentur Dauidis exemplum, qui ait: Pro eo quod ego diligo eos, aduerſantur mihi, ego autem orabam. Adhæc, quia vt Xenophon ait: οὐ πάνυ γε ῥᾴδιόν ἐστιν εὑρεῖν ἔργον ἐφ' ᾧ οὐκ ἄν τις αἰτίαν ἔχοι. χαλεπὸν γὰρ οὕτω τι ποιῆσαι, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν. χαλεπὸν δὲ καὶ ἀναμαρτήτως τι ποιήσαντας μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν. id eſt: Non facile eſt inuenire opus ſine querela, difficile eſt enim, aliquid ita facere, vt nihil aberres. Difficile etiam, vt qui ſine errore aliquid fecerint, incidant in iudicem non iniquum, Decet vt ſinguli ſuas infirmitates agnoſcant, & in erratis iudicijs piorum ſe ſubijciant: Præſertim cum ſibi conſcij ſint nihil ſe mali ex propoſito vel dixiſſe, vel ſcripſiſſe: ſed quæſiuiſſe gloriam Dei & ædificationem Eccleſiæ. Poſtremo reuocent in memoriam exempla piorum, vt Moſis, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum & aliorum ſanctorum, qui ſimiles calumnias experti ſunt, quas tamen patientia & forti animo ſuperarunt. Ex multis vnum adijciam ex Caſsiano: Quidam, inquit, ſenex, cum apud Alexandriam infideliũ turba conſtipatus, maledictis impulſibuſq; agitaretur, & ab eo quærerent, quid vnquã miraculi feciſſet Deus eius Chriſtus: reſpondit, vt ijs, quas infertis atque maioribus nõ mouear neque offendar iniurijs. Hoc reſponſo ſignificauit, quantum ſit fidei robur in quauis perſecutione & calumnia. fieri enim non poteſt, vt qui vera fide præditus ſit, ſuccumbat in vllo, vel grauiſsimo perſecutionum certamine. Stat ſiquidem immotum dictum Apoſtoli: Hæc eſt victoria quæ vicit mundum, fides noſtra. Qui hiſce cogitationibus ſuum animum non confirmauerit, aduerſus calumnias & inſidias aduerſariorum vix quicquam audebit in tanta hominum peruerſitate & iudiciorum varietate. Nã ſi Iupiter, vt Poëta ait, non poteſt omnibus placere, ſiue pluat, ſiue ſerenus ſit: Non eſt quod nos ſperemus fore tutos à calumniatoribus quicquid fecerimus.

Cæterũ, cum iam oſtenſum eſt, quibus modis ſuperabimus iniuſtas calumnias, ne ijs

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

fracti ſuccumbamus: Nunc etiam nos admonendi ſumus, vt & ipſi malum calumniæ fugiamus. Nam ſi eius, quod in alijs damnamus, nos ipſi rei deprehendimur, multiplici reatu obſtringimur. Vt ergo nos frena linguæ noſtræ, & calamo inijciamus, hæc ordine cogitentur: videlicet quanta ſit calumniæ & mendacij grauitas: quam multiplex pœna calumniatoribus immineat, & ſeria Chriſtianiſmi ſeu vocationis noſtræ cogitatio.

Grauitas calumniæ ex eo intelligi poteſt, quod in calumnijs quatuor horrenda ſcelera concurrant. Primũ enim calumniator Deo conditori linguæ ſe opponit, cum eius opificium ad nocendum confert, quod ad iuuandũ erat collatum. Secundo, ſibi ipſi grauiſsime nocet. Nã ſe eximit de cœtu ſanctorũ hominũ & angelorũ, & concludit ſe in miſerrimum Catalogum Diabolorũ & prophanorũ hominum. Nam & re & nomine communicat cum Diabolis. Dicuntur enim vtrique communi appellatione, Diaboli, hoc eſt, calumniatores. Nam vt Satan primos noſtros parẽtes ſuis calumnijs in mortẽ coniecit: ita calumniatores, patris ſui Diaboli veſtigijs inſiſtentes, eodem occupantur ſtudio, videlicet vt ſuis calumnijs hominibus inſontibus pernitiẽ afferant, & ſi dicta & facta taxare nequeunt, mentem ſibi ignotã vellicant, quaſi per hypocriſin, vel colluſionẽ cum hoſtibus non ſincera mente omnia facta ſint: ita imitantur plane geniũ patris ſui Diaboli. Zoilus dictus κυὼν ῥητορικὸς ob calumniandi ſtudiũ, interrogatur, cur ſit tam effrenis linguæ & procliuis ad conuiciandũ, reſpondet, ὅτι ποιῆσαι κακῶς βουλόμενος οὐ δύναμαι, hoc eſt, quia cupiens male facere non poſſum: quo dicto ſignificat calumniatoribus propoſitã eſſe pernitiem eorum quos calumnijs petunt. Tertio is qui audit calumnias & delectatur inclementibus dictis in abſentẽ, fit etiam reus homicidij. Quarto, calumniator lædit grauiſsime eum quem calumnijs petit, atq; ita fit reus non ſolũ defectionis à Deo: ſed etiã triplicis homicidij. SECVNDO, cogitetur pœna multiplex calumniæ, vt pœna Talionis. Iuſtiſsimum enim eſt iudiciũ Dei, iuxta regulã Spientiæ 10. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur: fit proinde ſæpe, vt qui alijs ſtruxit calumnias, ipſe calumnijs oppreſſus tandem ſuccumbat. Huc accedit fidei extinctio, gratiæ amiſsio, cõſcientiæ vaſtatio: breuiter triſtiſsima de regno Chriſti eiectio. TERTIO, cogitetur vocationis noſtrę dignitas & excellentia. Sumus enim vocati ad ſanctificationẽ, adoptati in filios Dei, vt patrem cœleſtem, ſanctũ, iuſtũ & veracem imitemur, & geſtemus eius imaginẽ in vera iuſticia & ſanctitate, quæ non poteſt ſtare cum calumnia, quæ eſt propria nota filiorũ Diaboli. Nam ſi Chriſtianiſmus, vt eum recte definit Gregorius Nyſſenus, eſt imitatio diuinæ naturæ, & diuina natura eſt iuſta, ſancta, verax, manifeſte ſe prodũt nihil cõmune cũ Chriſtianiſmo habere, qui ſe indignis Chriſtiano nomine calumnijs maculant. Quare memores grauitatis huius peccati, multiplicis reat⁹, & auguſtæ noſtrę vocationis, calumnias omnes & mẽdacia remittamus ad mendacij & calumniarũ patrẽ Diabolũ.

Dilecte ne imiteris quod malum eſt, ſed quod bonum.

Generalẽ regulam tradit, quæ quid in exemplis fugiendũ, & quid ſequendum ſit, docet. Et quia nec omnia ſanctorum facta imitanda ſunt, nec omnia prophanorum opera ſunt fudienda, vult vt quod malum eſt fugiamus à quouis perpetratum: & quod bonũ eſt imitemur in quocunq; cernitur. Siquidem & ſancti ſæpe labuntur, & alij interdum ſimulacra quædam virtutum oſtendunt. Vt igitur Dauidis adulteriũ vt malum, eſt fugiendum, & reſipiſcentia eiuſdem, vt bona, amplectenda: ita Scipionis prophanitas vitanda eſt, & caſtitas imitanda. Vt conſtantia confeſsionis Abdæ Perſici in confeſsione eſt imitatione digniſsima, & temeritas eiuſdẽ deſtruentis πυραῖα Perſica, quę fuit occaſio perſecutionis 30. annorũ, vt noxia & intempeſtiua fugienda eſt. Ita Thireſiæ ſacerdotis Thebani ſuperſtitio merito eſt vitanda, & conſtantia eiuſdẽ in aſſerenda veritate, idq; corã Tyranno, omnib. pijs Euangelij miniſtris eſt imitanda. Ideo Paulus ait: Omnia probate, quod bonũ eſt tenete. Vult ergo Paulus, nõ vt quiduis vel in ſanctiſsimis imitãdum nobis proponamus, ſed quæ vt recto iudicio approbamus, ea etiã retineamus, imitando. Porrò quia hæc regula Apoſtoli latiſsime patet, placet nonnulla huc aſcribere quo eius vſus fiat familiarior. IMITATIO omnis vel eſt conſilij, vel facti ſeu morum, ſed quia vtraq; varia eſt & multiplex, primum de imitatione cõſilij dicemus, quia autem hæc variat pro conſiliariorũ differentia, illorum diſcrimina videamus. SVNT itaq; ſex conſiliarij mali, quorum conſilia vt pernitioſa fugienda ſunt: horum quatuor ſunt domeſtici, reliqui externi. Domeſtici ſeu interni à Paulo his nominibus appellantur: Caro, concupiſcentia carnis, διάνοια carnis, & voluntas carnis: hi enim omnis mali ſuaſores ſunt, & ideo magis cauendi, quia ſunt domeſtici & familiares, & ſub melle venena promunt. Externi Paulo ſunt duo, videlicet ſeculum mundi huius, & princeps aëris Diabolus. PRIMVS conſiliarius malus & domeſticus eſt caro, hoc eſt, corruptæ naturæ vitioſitas, quæ dicitur

citur peccatum originis, vt in illo Domini dicto: Quod natum eſt ex carne, caro eſt, id eſt, corruptum, peruerſum, pollutum & inquinatum. Suggerit igitur talia conſilia, qualis ipſe eſt, quibus qui obtemperat, mortis reus efficitur, iuxta illud Pauli: Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini, φρόνημα enim carnis mors eſt. SECVNDVS conſiliarius malus & domeſticus eſt concupiſcentia carnis, qua ſcilicet caro ſeu peccatum originis efficax eſt ad producendos fructus, indolem carnis referentes, hoc eſt, peſſimos. Huius concupiſcentiæ vires, conſilia peſſima, omnes mortales in ſe experiuntur, quando autem huic obtemperat homo, dicitur peccatum in eo regnare, vt in illo Apoſtoli dicto: Ne regnet peccatum in mortali veſtro corpore, vt obœdiatis ipſi in concupiſcentijs eius. TERTIVS conſiliarius malus & domeſticus eſt διάνοια carnis, videlicet cum cogitatio excitata à concupiſcentia carnis, ratiocinari ac diſputare incipit. Hæc, quia cœca eſt, non poteſt niſi de tenebris conſilia dare, vnde Paulus: Vani facti ſunt, & obtenebratum deſipiens cor eorum, cum ſe profitentur ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt. QVARTVS conſiliarius malus & domeſticus eſt voluntas carnis, quæ obtemperat ratiocinationi cœcæ intelligentiæ, & exequitur quicquid ſuadet. Hæc quia actionũ imperatrix eſt & domina, fit vt & internæ & externę vires illi obtemperent, & conentur efficere quod illa ſcelerate imperat. Hi quatuor conſiliarij ſemper ſunt efficaces in nõ renatis, & ſuis conſilijs ad quæuis mala homines prophanos flectũt. Et tametſi ratio interdum ex igniculis honeſti in natura relictis παρακαλεῖ, vt Ariſtoteles ait, ad optima, tamen voluntas ipſa impetu quodã carnis & cõcupiſcentiarũ eius abripitur, non ſecus atq; nauicula ab aduerſis vndis, renitente nauta, propellitur. QVINTVS conſiliarius malus, inter externos primus, dicitur à Paulo, Seculum mundi huius, hoc eſt, mundi peruerſi mores, infinita ſcãdala, & omnium ſcelerũ innumerabilia exempla. Hi mundi mores, hæc praua cõſuetudo pabulum eſt omnis nequitiæ, quo multi etiã inter eos qui decreuerunt Deum timere veluti ſaginati ferociunt, & cõtra Deũ feruntur petulanti⁹. Hinc parentũ peſſimi mores, hinc peſſima natorũ educatio, hinc peſſimi ciues prodeunt. Nam dum homines multitudinẽ peccantium intuentur, quaſi conſilio eorũ excitantur ad omne malum perpetrandum. SEXTVS conſiliarius malus, inter externos ſecundus, eſt princeps huius aëris, hoc eſt, Diabolus, qui, vt teſtatur hiſtoria de Iuda, intrat in corda hominum, atq; eos ad varia flagitia hortatur & impellit, vt hoc modo deſtruat regnũ Chriſti, habeat ſocios omnium ſcelerum aduerſus Deum, & conſortes æternorũ ſuppliciorũ. HIS ſex malis cõſiliarijs obtemperant omnes, qui non per ſpiritũ Dei renati ſunt. Nam hi alios habent conſiliarios, quibus obtemperare conantur, & ſunt ſimiliter ſex, qui ſe opponunt malis iſtis conſiliarijs quos poſuimus. Horũ Primus eſt ſpiritus, qui ſe carnis cõſilijs opponit. Eſt autem hic ſpiritus motus quem excitat Spiritus ſanctus in cordibus credentium, & eſt fons omnium piarum actionum in hominibus. Vt enim quod natum eſt ex carne, caro eſt: ita quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, hoc eſt, integrum, rectum, ſanctum, ſincerum. SECVNDVS conſiliarius bonus eſt concupiſcentia ſpiritus, quæ in pijs ſolũmodo & conuerſis locum habet. Quomodo autem hæc ſe opponit concupiſcentiæ carnis, quam ſecundo loco poſuimus inter malos conſiliarios, oſtendit Paulus ad Galat. 5. vbi ait: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, hæc enim ſibi inuicem aduerſantur. Quid autem hæc ſpiritus concupiſcentia ſuadet, exponit Paulus in eodem capite, cum ait: Fructus ſpiritus eſt caritas, pax, lenitas, benignitas, fides, manſuetudo, temperãtia. TERTIVS conſiliarius bonus eſt διάνοια ſpiritus, quæ opponitur διανοίᾳ carnis. Hæc διάνοια ſpiritus, principia ſuæ ratiocinationis tanquam conſultationes quaſdam habet oracula Dei, à quib. nec concludendo nec agendo diſcedit. Hinc Dauid: Teſtimonia tua viri conſiliarij mei. Ex his quid credendũ, quid faciendum, quomodo patiendum, concludit firmiſſimis demonſtrationibus, tanq̃ amuſsi quadã diuina & infallibili. Nihil enim aggreditur, priuſquã audiuerit hanc vocẽ: Hæc dicit Dominus Sebaoth. Vnde fit vt hæc ſpiritus διάνοια acutum cernat, cum interim διάνοια carnis in rebus ad ſalutem ſpectantibus prorſus ſit cœca. QVARTVS conſiliarius bonus eſt voluntas ſpiritus, quæ opponitur voluntati carnis. Hæc ſpiritus voluntas cõſiſtit in bono propoſito, & ſemper impetrat quæ pia & recta ſunt iudicio mentis illuminatæ Spiritu ſancto, & doctæ per verbum Dei: In hac cõſtanti voluntate ſpiritus ſita eſt perfectio Chriſtiana, Nam hæc nihil aliud eſt, quã conſtanti voluntate anteponere omnibus reb. mundi, vel nobis dulciſſimis, & pretioſiſſimis, obœdientiã erga Deũ, exemplo patris noſtri Abrahæ, Geneſ. 22. QVINTVS conſiliarius bonus, qui opponitur ſeculo mundi huius, eſt cœtus caſtiſſimorum ſpirituũ & piorum hominũ, quibus nihil iucundius, nihil antiquius, nihil carius fuit, quam Deo obœdire, pie, ſancteq; viuendo. SEXTVS conſiliarius, qui opponitur principi aëris huius, hoc eſt, Diabolo, eſt Chriſtus Ieſus Dominus noſter, qui venit in mundum, vt reparet imaginem Dei in homine. Hic pecca-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tum expiat, obœdientiam ſuam credentibus imputat, ſpiritu ſanctificat. Breuiter, facit vt & velimus & faciamus quæ Deo grata ſunt. HACTENVS de conſiliarijs malis, quorum ſcopus eſt mors & damnatio hominum, Et de bonis, qui rectum ſalutis iter monſtrant. Iam in hominis poteſtate eſt poſitũ, ſequi vel hos vel illos, iuxta illud Deut. 11. Ecce ego ponam coram vobis hodie benedictionem & maledictionem. Benedictionem, ſi obœdiueritis præceptis Domini Dei veſtri: Maledictionem vero, ſi nõ obœdieritis præceptis Domini Dei veſtri, ſed receſſeritis de via, quam ego præcipio vobis. Huc vſq; de imitatione conſilij, Nunc de imitatione factorum ſeu morum dicam, idq; breuiſsime. Nam, qualis hæc imitatio eſſe debeat, facile intelligi ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, poteſt. Vt enim conſilia mala merito vitanda ſunt, & bona imitanda: ita etiã facta, quæ mala ſunt, cauere: Et contra, quæ vere bona ſunt, imitari oportet. Vere bona dico propter ea, quæ ſpeciem tantum boni habent: mala igitur à quibuſuis facta, ſunt vitanda, vt ſunt inepta geſtibus ſeu habitu, crimi-noſa moribus, impia doctrina & cultu ſuperſtitioſa ſimulatione ſeu hypocriſi. Sunt ſiquidem, qui cum veras virtutes magnorum hominum aſſequi non poſſunt, geſtus quoſdã corporis imitantur inepte, more ſimiarum. Qui cum ſe ridiculos ſpectatoribus præbent, non carent culpa. Sunt qui adulterium Dauidis, ebrietatem Loth &c. imitari volunt, neglecta illorum pœnitentia, quam potius imitari debuiſſent. Non pauci impiam doctrinã & cultum idolatricũ amplectuntur, quia vident multos, eoſq; potentiſsimos & ſapientiſsimos in mundo, impiæ doctrinæ & idololatriæ defenſores & patronos eſſe, leuitati aſcribentes à maiorũ inſtitutis deficere: qua ratione multi decepti, religionem veram, cuius tamen aliquem guſtum habent, amplecti recuſant. Nonnulli Monachorum, tanquam hominum ſanctiſsimorum, ſuperſtitionem & hypocriſin in admiratione habent. His omnibus opponatur præceptum Pauli: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Et hæc regula Apoſtoli noſtri: Ne imiteris quod malum eſt, ſed quod bonum eſt. Summa huc redit. Moralia facta, præcepta lege Dei, imitemur à quibuſuis facta. Proponamus nobis fidem, obœdientiam & patientiam Abrahæ patris noſtri. Proponamus nobis filium Dei, adeoque omnes, qui eius virtutes imitantur. Exemplum, ait Dominus, præbui vobis, vt ſicut ego feci vobis, ita etiam & vos faciatis. Item: Diligite vos inuicem, ſicut ego dilexi vos.

Qui bene facit, ex Deo eſt, qui autem male facit, non vidit Deum.

Ratio exhortationis ab effectuum cõtrariorum in contrarijs cauſsis collatione. Qui bene facit, ex Deo eſt. Eſt enim Deus & bonus ipſe, & omnis boni cauſſa. Quare fieri non poteſt, quin bonus ſit, qui ex Deo eſt. Contra vero, qui male facit, non vidit Deũ, id eſt, non nouit Deum, nam ex Diabolo eſt, qui & ipſe malus eſt, & omnis mali cauſſa. Hoc pacto concludit Dominus aduerſus ſuos aduerſarios, Iohan. 8. Vos ex patre Diabolo eſtis, & concupiſcentias patris veſtri vultis facere. Proinde, vt benefaciendi ſtudiũ, quo declaratur Dei vera noticia & noſtri adoptio, nobis hoc loco commendatur: ita contraria vitia, vt tanquã peſtem, ſumma cura vitemus, monemur, vt quæ homines à Deo ſeparent, eoſq; Diabolo adiungant. Iniquitates veſtræ (ait Eſaias) diuiſerunt inter vos & Deũ veſtrũ, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis. Ex Deo eſſe quid ſit, in prima Iohannis Epiſtola ſæpe declaratũ eſt: Nihil enim eſt aliud, quam per fidem à Deo natũ eſſe, & gratia Spiritus ſancti regenitum. Quid autem ſit benefacere, pulcra diſtributione docet Ezechias rex, Eſaiæ cap. 38. cum ait: Obſecro Domine, recordare nunc quomodo ambulauerim corã te, in veritate, in corde perfecto, & recte fecerim in oculis tuis. Hic duas partes boni operis facit, videlicet ſinceritatem ſeu integritatem cordis fide purificati, quæ excludit hypocriſin, & executionem externam operis à Deo præcepti, idq; tanquam in oculis Dei. Nam is qui eſt ſcrutator cordium æſtimat externum opus ex qualitate animi, qui, ſi integer fuerit, opus externum Deo probabitur: Sin vero pollutus, opus Deo quantumuis in ſpecie bonum & præclarum, eſt abominabile.

Demetrio teſtimonium redditum eſt ab omnibus, & ab ipſa veritate, ſed & nos teſtimonium perhibemus, & noſtis quod noſtrum teſtimonium verum eſt.

Vt exemplum Diotrephis affectãtis primatum in Eccleſia crudelis in fratres & inhoſpitalis, vitandum admonuit: ita pietatem & integritatem Demetrij imitandam Caio alijſq; pijs proponit. Prædicat autem Demetrium ex eo quod omnes pij, ipſa quoq; veritas teſtentur de ipſius beneficentia, qua proſecutus eſt omnes qui ad ipſum diuerterunt. Nam cũ Diotrephi inhumano aduerſus hoſpites pios, opponit Demetrium, non dubium eſt, quin hæc commendatio Demetrij ſit potiſsimum inſtituta propter hoſpitalitatem ipſius, qua ipſe

ſolebat

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſolebat excipere pauperes fratres, qui expulſis ſuis ſedibus in exilium, propter cõfeſsionem ſanæ doctrinæ, opus habuerunt refocillatione.

HINC nos duo diſcamus, Vnum, ſilentio non prætereundos eſſe eos, qui bene de Eccleſia & eius membris merentur. Eſt enim virtus omnibus merito prædicanda, Beneficentia erga membra Chriſti, qui ſibi factum reputat, quicquid in ſuos cõfertur, quemadmodum ſententia iudicis Chriſti in extremo die declarabit. Alterum, exemplo Demetrij, ſtudere honeſtæ famæ, vt ea, nobis defunctis, ſuperſit apud homines. Nam cum nihil in hac vita ſit melius bona conſcientia corã Deo, & bona fama apud homines: decet profecto vt præ omnibus rebus demus operam, vt hæc duo ſeruemus integra. Propter nos (ait Auguſtinus) conſcientia ſufficit nobis, propter vos fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in vobis. Item, Duæ ſunt res, conſcientia & fama: Conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo tuo, qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt.

Multa habebam quę ſcriberem, ſed nolo per atramentum & calamum tibi ſcribere, ſpero autem fore, vt breui te videam, vtque coram loquamur.

De hac concluſione Epiſtolæ vide ea, quæ in ſuperiorem Epiſtolam annotauimus.

Pax tibi.

Votum eſt Apoſtolicum, adeoque Chriſtianorum omnium. Pacis nomine ſignificatur & noſtri reconciliatio cum Deo, & omnis proſperitas.

Salutant te amici, ſaluta amicos nominatim.

Salutatio abſentum admonitio eſt mutui amoris, & teſtimonium beneuolentiæ, quo animi amicorum magis deuinciuntur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

SPLENDORE GENERIS, EXIMIA VIRTVTE, INSIGNI ERVDITIONE, ET PIETATE PRAESTANTI VIRO NICOLAO CAABS, DOMINO DE TAARVP, SECRETARIO REGIO PRVDENTISSIMO, VETERI SVO AMICO AC FRATRI IN CHRISTO CARISSIMO, GRATIAM ET PACEM PRECATVR

NICOLAVS HEMMINGIVS.

QVANTVM REFERAT VIR CLARISSIME IN hac varietate opinionū & cōfuſione, firma tenere argumēta & immota de religionis Chriſtianæ, quam nos profitemur, certitudine, pij & cordati tentationibus ſpiritualibus tanquam procellis quibuſdam ſęuiſsimi maris agitati facile intelligunt. Siue enim ad latiſsimam orbis terrarum partem, vbi vel Mahometici furores recepti ſunt, vel aliæ horrendæ abominationes humanas mentes occupant, reſpicimus: ſiue Eccleſiæ vulnera intuemur, multa offeruntur quibus animi non ſatis confirmati horribiliter concutiuntur, Sed omiſſis alijs de Eccleſia ſola dicamus.

Quanta quæſo ſcandala deformantia Eccleſiam Dei ſuboriuntur? Quanti tumultus à Diabolis & hominibus indies magis magiſque excitantur? quantæ inſidiæ à falſis fratribus? quantæ perſecutiones à transfugis? Adeo Eccleſia Dei non immerito laceræ nauiculæ comparari poteſt, quæ & ventis & procellis huc illuc propellitur: quam non obrui & penitus ſubmergi omniū maximum miraculum eſt. Potentes mundi, qui ſapientia, autoritate, & diuitijs pollent, obſtupeſcunt, quod non poſsint tam puſillum cœtum contemtorum in mundo hominum abolere, & nauiculam iſtam lacerā procellis perſecutionum obruere & ſubmergere: Sed qui hoc fit? Filius Dei victor mundi, hoc eſt, Diaboli & omnium munitionum ipſius, ſedet ad clauum huius nauiculæ, & ſua diuina potentia tuetur hunc exiguum cœtum agnoſcentium Euangelium & credētium. Ideo ipſe præmonuit ſuos, ne in his horrendis confuſionibus deſpondeant animum, ita enim ait Lucæ 12. Ne timeas tu puſille grex, nam complacitum eſt patri veſtro dare vobis regnum. Matth. 16. Aedificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam: hoc eſt, nulla potentia, nulla ſapientia, nulla ſophiſtica, nulla conſilia, nullæ denique inſidiæ Diabolorum & hominum abolebunt Eccleſiam Chriſti. Siquidem is eſt qui dicit apud Prophetam: Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Quamuis igitur intus pauor, & foris pugnæ ſint, vt loquitur Paulus: tamen contra omnem Satanæ potentiam inuicta ſtabit Eccleſiæ firmitas. Nam ſupra pertam ædificata eſt. Quare vt inconcuſſa perpetuo manebit veritas Dei cui innititur fides: Ita Eccleſia nullis machinis euerti poterit. NE autem fluctuemus opinionibus extra hanc petram, & circumferamur quouis vento doctrinæ, prodeſt ſemper in conſpectu habere fundamenta certitudinis, quibus hæc Dei veritas nititur. Sunt itaque fundamenta immotæ certitudinis veritatis Dei, (hoc eſt verbi, ſuper quo Dei Eccleſia extructa eſt) duplicia, cum quibus nulla certi-

certitudo Philoſophica conferri poteſt, videlicet Externa & interna teſtimonia. Externa voco, quæ in ſenſus noſtros incurrunt, ac tanquam firmiſsima ſigilla veritatem Dei, cui nititur Eccleſiæ fides victrix mundi, obſignant. Neq; hæc externa teſtimonia vnius generis ſunt, ſed multiplicia inueniuntur, vt ſunt patefactio diuina, miraculorum varietas, certiſſima Prophetarum completio, conſenſus in doctrina & cultibus, tam longi temporis duratio, ac cruenta plurimorum martyrum confeſsio. Has ſex partes externi teſtimonij immotæ veritatis doctrinæ Eccleſiæ ordine videamus.

PRIMA igitur pars externi teſtimonij eſt patefactio diuina, per quam Deus ipſe de ſua arcana ſede procedens, ſe olim ſanctis patribus patefecit. Quibus ſuum verbum, quod ſolum Eccleſia Dei amplectitur, commendauit de ſui noticia, de vero cultu, de reparatione imaginis Dei in homine, per naturalem & eſſentialem imaginem Dei, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, de præmijs obœdientiæ erga Deum, & pœnis contumaciæ. In omnibus his apparitionibus diuinis, eadem doctrina alijs atque alijs verbis inculcatur. Tametſi autem Dominus ſæpiſsime apparuiſſe legitur, nos tamen paucas eus apparitiones recitabimus: In quibus ſummam doctrinæ Eccleſiæ proponit, inculcat, illuſtrat.

PRIMVM itaque Adamo poſt lapſum apparuit Geneſ. 3. & doctrinam Legis & Euangelij primus ſua voce tradidit. Quod enim pœnas inflixit ob contumaciam primis parentibus noſtris, in perpetuum teſtimonium iræ ſuæ aduerſus peccatores, ad legem pertinet. Quod autem promiſit Semen mulieris contriturum caput ſerpentis, vox Euangelij eſt. Quæ fidem requirit. Omnis enim promiſsio fide accipitur. Ex hac fide nouam obœdientiam Adam, Eua & Abel præſtiterunt. In hac doctrina tradita primis parentibus ſemper acquieſcit Eccleſia Dei. Hanc perpetuo amat, retinet, tuetur. Et ſicut eam à maioribus accepit, ita tranſmittit ad poſteros. Deinde Deus apparuit Nohe, Geneſ. 6. 7. 9. ac facto ſtupendo vtramque doctrinam Legis & Euangelij confirmauit. Nam cum impœnitentes diluuio perdidit, Legis ſuæ ſententiam executus eſt: At cum Nohe credentem verbo ſuo & obœdientem ſibi fide liberat, teſtimonium edidit ſeruatæ promiſsionis gratiæ, quæ eſt Euangelij. Poſt diluuium, vt doctrinam, hominum malicia quæ inundauerat iam ſuper terram, fere collapſam, inſtauraret, apparuit Abrahamo decies, eius filio Iſaac bis, Nepoti Iacob ſepties. In quibus apparitionibus eadem doctrina eſt propoſita, & promiſsiouis verbum clarius illuſtratum eſt, iuſtificationis gratuitæ ratio in Abrahamo propoſita eſt, & obœdiendi neceſsitas monſtrata. Poſt hæc in Aegypto Moſi apparuit Dominus, eandemque doctrinam repetit, & confirmat, facto declarans diſcrimen inter cœtum hominum verbum ſuum amplectentium, & reliquum mundum perſeuerantem in ſua aduerſus Deum contumacia. Præterea multis Prophetis idē verbū Dominus in viſionibus & in ſomnijs apparens commendauit. IN nouo quoque Teſtamento idem Deus ſuum verbum ſonuit de cœlo, & proprio ore nobis Chriſtum doctorem commendauit, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, hunc audite, ac ſi diceret: Olim promiſi Semen mulieris deſtructurum caput ſerpentis, & reparaturum imaginem meam in homine, ſublata Legis maledictione, Ecce hic adeſt, eum audite, quibus vita & ſalus cordi eſt. In hoc enim mihi complacui, hoc eſt, per hunc reconciliatus ſum mundo, id eſt, omnibus ijs, qui ipſum fide receperint. Ad hanc patefactionem diuinam pertinet dictum Iohannis, Iohan. 5. Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo; Pater, λόγος, & Spiritus ſanctus. Et hi tres vnum ſunt, Pater enim ſonabat de cœlo hanc vocem: Hic eſt filius meus dilectus, idque bis, ſcilicet in

Baptiſ-

Baptiſmo, & in transfiguratione Filius aſcendens viſibiliter in cœlum, & ſedens ad dexteram patris, teſtatus eſt de Euangelio, non ſolum dum in terris ageret viſibiliter diuinis operibus: ſed etiam cum Eccleſiam mirabiliter conſeruat. Spiritus ſanctus in baptiſmo Chriſti in ſpecie columbæ teſtatus eſt de Chriſto & eius Euangelio, & viſibiliter illapſus in Apoſtolos ipſo die Pentecoſtes, hoc eſt, quinquageſimo à reſurectione Domini die, ſua apparitione Euangelium obſignauit. HAE omnes apparitiones cum multis aliis, vna cum Angelorum concionibus & reuelationibus noſtræ infirmitati inſeruire debent, vt confirment animos noſtros, ne cedamus impoſturis Diaboli, qui cum omnibus Sophiſtis, Mahometiſtis, incredulis Iudæis, prophaniſque gentibus in hoc totus incumbit, vt nos ab iſto verbo tot apparitionibus Dei nobis commendato abſtrahat: Quemadmodum noſtros primos parentes à verbo vitæ, quod acceperant, abſtraxit inſidioſis ſuis impoſturis verbum Dei corrumpens.

Secunda pars externi teſtimonij eſt varietas miraculorum, hoc eſt, peculiarium & extraordinariorum operum Dei: Quibus diuinæ clementiæ placuit verbum ſuum conſignare. Sunt autem miracula quæ vltra virtutem creatam, ſupra naturam, contra conſuetudinem objiciunt aliquid ſenſibus, quod in admirationem diuinæ maieſtatis adducit. Huiuſmodi miraculis & diuinis operibus Deus Legem & Euangelium quatuor annorum millibus confirmauit. Etſi autem alia ſunt veteris, alia noui Teſtamenti miracula: Tamen omnium vnus eſt ſcopus, vnus finis, nempe vt confirment veritatem Dei, hoc eſt, doctrinam Legis & Euangelij, atque adeo veri cultus Dei.

In veteri Teſtamento ante diluuium, duo inſignia miracula occurrunt. Primum in oblatione Abel & Cain, qua Legem & Euangelium diuinitus confirmauit Deus. Non reſpexit ad Cain, ſed ad Abel. Ille enim hypocrita fuit Lege damnatus, hic pius per fidem in promiſſum Semen declaratus. Sed quomodo Dominus reſpexit? miraculo ignis, quo accendebatur hoſtia Abelis, declarauit iſtum cultum ſibi placere. Legimus autem quater igni cœleſti accenſas eſſe victimas, in confirmationem doctrinæ & veri cultus Dei. Primum, de quo iam diximus, ſacrificium Abelis igni de cœlo demiſſo abſumtum eſt, quod cum videret Cain, concidit vultus eius, & cogitauit de nece fratris: Quem poſtea imitati hypocritæ pios extremo perſequuntur odio. Secundo Leuit. 9. ignis cœlitus demiſſus conſumſit ſuper altare holocauſtum & adipes: Quod videns vniuerſus populus laudauerunt Dominum. Hic ignis è cœlo demiſſus in ſacrificium Aaronis durauit vſque ad conſtructionem templi Salomonis: Quo tempore rurſus renouatus fuit de cœlis, & durauit vſque ad tempora Manaſſe, vt Hebræi ſentiunt. Tertio in dedicatione templi Salomonis ignis deſcēdit de cœlo, & abſumſit holocauſta & victimas, & maieſtas Domini impleuit domum, 2. Paral. 7. Quarto Eliæ Sacrificium abſumtum eſt igni è cœlo miſſo, quo confirmabatur doctrina Eliæ, qui cum Domino locutus eſt in monte. Hic ignis cœleſtis, quo accenſa fuerunt ſacrificia patrum, pertinet & ad ſignificandam efficaciam ſacrificij Chriſti, & ad obſignationem doctrinæ, & cultus eorum, qui offerebant. Secundum in Enoch, quem virum Dominus è conſortio hominum ſuſtulit in cœlum, quo facto Deus doctrinam Euangelij confirmat, & ſignum edidit de futura vita, quæ credentibus eſt promiſſa. Prætereo miracula Diluuij, Confuſionis linguarum, Partus anniculæ Saræ, Ardentis rubi in Aegypto, Virgæ in colubrum verſæ, decem mirabilium per Moſen editorum ante exitum de Aegypto, exiccati maris rubri & Iordanis, Euerſionis Iericho, Legis datæ in monte Sinai, Ieiunij Moſis, Colloquij Moſis cum Deo, Miraculoſæ pœnæ

Choræ

Choræ, Datan & Abiron, Percuſſorum à ſerpentibus, Sanatorum ex intuitu ſuſpenſi ſerpentis ænei, Aquæ manantis de petra, Populi diuinitus ſuſtentati per Mann cibum cœleſtem in deſerto 40. annis, vbi nec veſtes, nec calcei detriti ſunt. Prætereo quæ ſub Ioſua, ſub iudicibus, ſub regibus & ducibus contigere diuina miracula vſque ad aduentum Domini.

Noui Teſtamenti miracula non ſunt minus ſtupenda. Primum occurrit ſterilis aniculæ Elizabetæ partus. Deinde virginis Mariæ: vterque ab angelo annunciatus, non ſine perpetuæ doctrinæ Eccleſiæ commendatione & confirmatione. Sequuntur Angelorum conciones, Magorum ſtella, Facta Chriſti diuina, eaque plurima, vt ſanationes ægrotorum, ſuſcitationes mortuorum, apparitiones in monte, reſurrectio Domini, viſibilis Spiritus ſancti donatio quinquageſimo die poſt reſurrectionem Domini, & multa per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores in nomine Chriſti edita miracula. Hæc omnia cum veteris, tum noui Teſtamenti miracula ſunt teſtimonia veritatis Dei. Ita enim ait Moſes, Exod. 13. Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monumentum in oculis tuis, vt Lex Domini ſemper ſit in ore tuo. Nume. 14. Vſquequo non credent mihi in cunctis ſignis quæ feci in medio eorum. Iohan. 8. Si mihi non creditis, credite operibus meis. Vidua 3. Reg. 17. excitato filio ſuo dixit: Nunc ſcio quod vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt. Tertia pars externi teſtimonij eſt certiſsima Prophetiarum completio. Vnde in Apocalypſi ſcribitur: Teſtimonium Ieſu, eſt Spiritus prophetiæ. Et Iere. 28. Propheta, qui vaticinatus eſt de pace: cum euenerit verbum Prophetæ cognoſcetur Propheta, quod miſerit eum Dominus in veritate. Iacob de regno Iuda, & aduentu Chriſti vaticinatur, & euentus prophetiæ reſpondit: Balaam de Chriſto ſub imagine ſtellæ prædixit, cuius vaticinij veritatem euentus comprobauit, vt teſtatur Magorum hiſtoria apud Matthæum. Eſaias prædixit virgineum partum, quem completum teſtatur Euangelica Hiſtoria. Danielis de quatuor Monarchijs prædictio completa eſt. Hic Propheta annum paſsionis Chriſti, & inchoandi æterni regni quaſi digito monſtrauit. Dauid, Eſaias, Oſeas, & multi alij Prophetæ de vocatione gentium prædixerunt. Hîc cum euentus, qui à nulla creatura proſpici poterant, vaticinijs Propheticis reſpondeant, manifeſtum eſt à Deo monſtratos eſſe, & vocem Prophetarum, quæ in Eccleſijs noſtris hodie ſonat, diuinam eſſe. Hac igitur congruentia prædictionum & euentuum confirmati, firmiſsime ſtatuamus doctrinam Eccleſiæ à Deo traditam eſſe. Auguſtinus ait: firmitas fidei in eo eſt, quia omnia, quæ euenerunt in Chriſto, prædicta ſunt. Quarta pars externi teſtimonij, eſt conſenſus Moſis, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum ac Catholicæ totius Eccleſiæ in doctrina & cultu. Nam hi omnes vnanimi conſenſu eandem Legis & Euangelij doctrinam, eandemque colendi Deum rationem tenuerunt. Neque hunc conſenſum diuerſitas Ceremoniarum turbat, quæ pro temporis ratione mutatæ ſunt. Neque ſubinde ſubortæ hæreſes. Nam qui vere pij fuerunt, manſerunt ſemper in fundamento. Quinta pars externi teſtimonij eſt duratio & conſeruatio Eccleſiæ, quæ promiſsioni ac prædictioni Chriſti reſpondet. Nam ſi hæc ab hominibus fuiſſet, vel à Diabolo, nequaquam tot annis perduraſſet, aduerſus tot Tyrannorum inſultus, contra tot Hæreticorum ſectas, & in tantis Sophiſtarum inſidijs, quibus mundus & Diabolus ſe oppoſuerunt Eccleſiæ, & doctrinæ cœleſti. Huc dictum ſenis Gamalielis, Actor. 5. pertinet: Si ex hominibus eſt opus hoc, diſſoluetur &c. Sexta pars externi teſtimonij eſt cruenta confeſsio tot Martyrum inde vſq; ab Abel ad Chriſtum Dominum: Et ab hoc in hunc vſque diem. Nequaquam .n.

tam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tam atrocia ſupplicia ſubijſſent, pro incerta & erronea doctrina. Neque hoc
teſtimonij genus ex eo infringitur, quod Enthuſiaſmis neſció quibus multi
impulſi non dubitarunt pro erroribus ſuis confirmandis mortem oppetere.
Nam defuerunt illis ſuperiora teſtimonia, quæ veluti regula ſunt, ad quam
probanda ſunt martyria. Hactenus de externis teſtimonijs. Internum te-
ſtimonium non eſt expoſitum oculis hominum, ſed cordibus hominum im-
preſſum, certificat homines de firmitate doctrinæ Eccleſiæ multo efficacius
quam omnia ſuperiora Hoc teſtimonium eſt arrabo ſeu pignus ſpiritus ſan-
cti, quo obſignantur corda fidelium de veritate Euangelij. Huc illud Iohan-
nis, 1. Iohan. 5. pertinet. Tres ſunt qui teſtificantur in terra: Spiritus, Aqua &
Sanguis. Et hi tres vnum ſunt. Spiritus eſt credentium perſuaſio, qua con-
uincuntur in ſuis cordibus de veritate Euangelij Chriſti & certitudine. Aqua
eſt ipſa regeneratio & ſanctificatio, qua ſentitur præſentia ſpiritus Chriſti.
Sanguis eſt iuſticia, id eſt, expiatio peccati per ſanguinem Chriſti, & iuſticiæ
Chriſti imputatio: Hinc naſcitur ineffabile gaudium in cordibus piorum, &
guſtus quidam æternæ vitæ ſentitur, quem præferunt pij omnibus mundi de-
litijs & diuitijs. Hoc duplici teſtimoniorum genere confirmati Sancti lau-
dant Deum, & prædicant ipſius miſericordiam & veritatem, quæ tam mul-
tis diuinis teſtimonijs ipſis confirmata eſt, vt amplius vacillare non poſſint,
& ſimul precantur Deum, vt opus quod operatus eſt in ipſis confirmet, vtque
abundent indies magis magiſque in omni cognitione & ſenſu. Quod autem
Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit ille, de quo Moſes & Prophetæ omnes va-
ticinati ſunt, præter ea quæ diximus, teſtantur etiam ruinæ templi Ieroſoly-
mitani. Promiſſus eſt enim vt in ſecundum templum veniret Meſſias, vnde
ipſius gloria maior futura erat quam prioris, quod Templum per Veſpaſia-
num ſolo æquatum eſt. Verum Iulianus Imperator hoſtis Chriſtianorum
contra decretum Dei, & odio Chriſtiani nominis, hortatus eſt Iudæos vt ſu-
am politiam inſtaurarent, Templum ædificarent, ac eis defenſionem & im-
munitates promiſit, vt iſto pacto confirmaret errorem Iudæorum, expectan-
tium adhuc Meſsiam, & pios, extructo templo Iudaico, ab Euangelij con-
feſsione abſterreret. Sed quid fit? Conuenit ingens multitudo Iudæorum,
& magna ſpe collatis ſumtibus & opibus templum ædificare cœpit. Sed cum
fundamenta iacerent, magno terræmotu dehiſcente terra, inter fulminato-
tum opus diſiectum, & multa millia Iudæorum ruinis oppreſſa ſunt. Ita didi-
cerunt Iudæi ſe fruſtra niti contra Dei decretum. Inter ædificandum ſigna
crucis in veſtitu, & in panibus paſsim Iudæis facta ſunt. Non ergo voluit De-
us rurſus inſtaurari Templum. Nam vltima eius euerſio teſtimonium eſſe de-
buit, quod miſſus ſit Meſsias, quem ſtante politia Moſaica, & Templo ſecun-
do conſpici & audiri docentem, & oſtendentem teſtimonia, & morientem,
& reſuſcitatum oportuit, vt Daniel prædixerat. Sint ergo pij aduerſus Sata-
nam, & omnes hoſtes Chriſti, armati & muniti rationibus quas recitauimus,
& ſimul precentur Deum, vt ſuam Eccleſiam inter tot furores Diabolorũ &
hominum tueatur. Scriptum eſt enim de rege Eccleſiæ: Dominare in me-
dio inimicorum tuorum, neque ſperanda eſt vlla ſecuritas, ſed inter ærumnas
Eccleſiæ decus lucebit. Porro quia vniuerſa ſcriptura, filium Dei Domi-
num noſtrum Ieſum Chriſtum, nobis vt vnicum Mediatorem & Saluatorem
commendat, tenenda eſt imprimis eius ſalutaris cognitio, quæ in quatuor
ſita eſt. Videlicet quod ſit verus Deus à patre ante ſecula natus conſubſtan-
tialis patri: Quod ſit verus homo ex ſemine Dauidis iuxta ſcripturam, ex ca-
ſtiſsima virgine Maria factus: quod ſit vna perſona Deus & homo: Quod ſit
vnicus Eccleſiæ Saluator, hoc eſt, Rex & Sacerdos ſiue Mediato. De his

quatu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

quatuor Epiſtola ad Hebræos copioſe diſputat, & præcipue de regno & Sacerdotio Chriſti. Et docet vnicum ſacrificium Chriſti eſſe, quo hominum peccata expiantur, quoque in æternum ſanctificantur fideles, vt nec ſit locus amplius Leuiticis ſacrificijs, quæ vt vmbræ ceſſare debuerunt, adueniente veritate, nec alijs hoſtijs vllis, peracto iã ſacrificio Chriſti. Nã hic Sacerdos Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per proprium ſanguinem intrauit ſemel in ſacrarium æternam redemtionem nactus. Huius Chriſti (qui per ſpiritum æternũ ſeipſum obtulit inculpatum Deo) ſanguis purgat conſcientias noſtras à mortuis operibus ad ſeruiendum Deo viuo, Hebr. 9. Omnia ergo ſacrificia alia quæ homines fingunt, contumelioſa ſunt in filiũ Dei, cui ſoli gloria hæc debetur, quod ſit Sacerdos & Mediator, quemadmodum Epiſtola ad Hebræos multis argumentis & demonſtrationibus oſtendit. In hanc Epiſtolam commentarium hunc edo, vt pijs lectoribus præſertim iunioribus monſtrem ſeriem argumentorum, & ſingula ad vſum noſtrum in tota vita transferam. Nam cum ad hæc duo videlicet γνῶσιν & αἴσθησιν omnia referri debeant, ſoleo in meis ſcriptis hæc duo lectoribus commendare, vt & recte cognoſcantur quæ ſcire oportet: & in cordibus ſentiantur, atque adeo in tota vita appareant, ne γνῶσις ſit ἄπρακτος.

QVOD autem hunc commentarium ſub tuo nomine, vir clariſſime, edere mihi placuit, rationes ſunt honeſtiſſimæ. Primum enim cum hanc Epiſtolam domi meæ ante ſedecim annos quibuſdam domeſticis diſcipulis enarrarem, tu inter præcipuos fuiſti. Nam cum publice Dialecticam explicarẽ, priuatim hanc Epiſtolam propoſui, vt in ea vſum artis monſtrarem. Neque enim tunc temporis propoſueram aliud, quam ſingula argumenta ad leges dialecticas reuocare: quo diſcipuli mei in alijs ſcriptis facilius analyſin argumentorum inſtituerent, & omnia ad normas artis reuocarent. Quare cum ipſe præ alijs omnibus fueris ſolers, & felix in retexendis argumentis & accommodandis ſuis locis, merito tibi debetur hic noſter labor. Deinde quia ab eodem tempore, quo meæ fidei cõmiſſus es, à fratre tuo Biornone Caaes Domino de Sparup, iam regni Daniæ Conſiliario & ſapienti & bono, ſemper te erga me gratiſſimum exhibuiſti, idque non ſolum verbis, verumetiam omni genere officiorum, cum erga me ipſum, tum erga meos, & præcipue filium Iohannem Hemmingium, quem & abeuntem Vuitebergam ingenij excolendi gratia, & abſentem ampliſſimis muneribus ornaſti. Hac tua erga me meoſque ſumma beneuolentia, & beneficentia ita deuinctum tibi tuiſque reddidiſti, vt plane nihil magis in votis habeam, quam me declarare gratiſſimum tam bene merito. Theocritus pulcre ait: χρύσειοι πάλαι ἄνδρες ὄκ᾽ ἀντεφίλησ᾽ ὁ φιληθείς. Plumbeum igitur eſſe oportet eum, qui tot affectus beneficijs gratitudinem non rependit. Proinde mi Nicolae, ne ſim plane in illorum numero, qui facile beneficiorum obliuiſcuntur, tua beneficia erga me profiteor maxima eſſe, pro quibus & gratiam habeo, & habiturus ſum, quoad vixero. Vt autem extet aliquod gratitudinis meæ erga te μνημόσυνον: hunc Commentarium ſub tuo nomine in lucem emitto, quo volo apud poſteritatem teſtatum, quo ſim erga te animo, & quo in loco habeam tua ingentia mihi præſtita beneficia. Te interea rogo, vt boni conſulas hanc animi mei erga te teſtificationem.

Rogo ęternum Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt nos conſeruet in vera religione & ſancta animorum concordia, vt olim in æterna vita conformes filio Dei effecti, fructum lætiſſimum Euangelij Chriſti percipiamus, cum caſtiſſimis Angelis, & electis Dei. Bene, pie & feliciter vale, corpore, anima & ſpiritu integer. Ex muſæo noſtro. Anno 1567.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS.

GRÆCORVM PLERIQVE EPISTOLAM AD HEBRÆOS SCRIPTAM, Pauli Apoſtoli eſſe affirmant, id quod Latinorum nonnulli in dubium reuocarunt, Quemadmodũ Euſebius libro tertio Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, his verbis teſtatur: Pauli quoque manifeſte quatuordecim ſunt Epiſtolæ, quæ in autoritate habentur, licet ſciam apud Latinos de Epiſtola, quæ ad Hebræos ſcribitur, haberi dubitationem. Hæc Euſebius.

Etſi autem de organo, per quod Spiritus ſanctus hanc Epiſtolam Eccleſię Dei dedit, iuſta dubitatio eſſe poteſt tamen cum Eccleſia, præſertim Græca, eam pro Catholica habuerit, & ipſe ſpiritus Dei ſe eius autorem manifeſte prodat, reiectis inutilibus de autore homine diſputationibus, eius artificem ſpiritum Chriſti, veneremur, ac Deo grati ſimus pro hoc ingenti theſauro, quo ſuam Eccleſiam donauit.

Præterea diſputatur, Hebraice ne an Gręce ſcripta ſit, Alij enim aliter ſentiunt, ſed argumenta nonnulla, ex virtute Græcarum vocum petita, conuincunt eam procul omni dubio Græce ſcriptam eſſe.

Sed his diſputationibus omiſsis dicamus de rebus, quę nobis huius Epiſtolæ argumentum aperiant: atque videamus quæ fuerit ſcribendi occaſio, quis ſtatus ſeu quæſtio principalis, & quis tractationis ordo ſeu Methodus, his enim probe cognitis, viam paratam habebimus, ad hanc Epiſtolam planius intelligendam.

OCCASIO.

Occaſionem huius Epiſtolæ ſcribendæ ad Hebræos, hanc fuiſſe totus contextus conuincit. Hebræi multi in Palæſtina habitantes, doctrina & miraculis Apoſtolorum Chriſti conuicti, Chriſtum promiſſum Meſsiam agnouerunt, & in eum crediderunt: Sed nimium erant Moſaicis ritibus, nimirum ceremonijs & ſacrificijs addicti, non ſatis, vt decebat, intelligentes finem, vim & fructum aduentus Chriſti, ad abolenda hæc omnia.

Hanc carnalem prudentiam ſecuti, putabant ſe extra periculum ex omni parte fore, ſi doctrinæ Apoſtolicæ de Euangelio Chriſti, adiungerent ceremonias rituſque Moſaicos.

Itaque vt hunc craſſum errorem, qui vna cum Euangelio de Chriſto exhibito ſtare non poteſt, ex animis eorum penitus extirparet, homo Dei ſpiritu plenus, hanc Epiſtolam ſcribit, firmis argumentis & demonſtrationibus conuincens, ſolius Ieſu Chriſti, Dei & hominis, ſacrificio, conſummari & ſanctificari credentes in perpetuum.

STATVS SEV QVAESTIO PRINCIPALIS.

Status igitur ſeu quæſtio principalis hæc eſt: Quod Chriſti ſacrificium vnicum & ſolum ſit propiciatorium pro peccatis totius mundi, quo peracto debebant Leuitica ſacrificia ceſſare, quæ huius veri ſacrificij vmbræ quædam & typi fuerunt. Propterea etiam oportet iam Chriſtum audire noui Teſtamenti ſponſorem, eumque fide, exemplo ſanctorum veterum, recipere & amplecti.

Atque ita hæc Epiſtola principaliter eſt generis Didaſcalici: cui, vt applicetur doctrina auditoribus, adhibetur exhortatio ex ſuaſorio genere, quemadmodum fieri conſueuit.

Nam hæc eſt Methodus omnium Prophetarum, Apoſtolorum, & aliorum recte docentium in Eccleſia, doctrinis admiſcere, nunc exhortationes, nunc conſolationes, nunc terrores & minas, vt iſto pacto doctrinam accommodent auditoribus.

ORDO,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ORDO, SEV TRACTATIONIS METHODVS.

Ordo tractationis ſapientiſsime & plane ex Rhetorum præſcripto inſtitutus eſt. Primo enim loco Narrationem ſeu expoſitionem de perſona & officio filij Dei collocat. Quæ expoſitio eſt tanquam materia, ex qua reliquum corpus totius huius Epiſtolæ extruitur. Deinde expoſitionem Analyſi retexit, ac de ſingulis eius membris fuſe & doctiſsime diſputat: ac primum quidem, quia filij Dei mentionem fecit, de eius duplici natura & officio diſputat. Vnde & exhortationem extruit, vt ipſum audiant Hebræi. Poſtea, quia in Narratione dixerat, per Chriſtum fieri purgationem peccatorum, de Sacerdotio Chriſti inſtituit diſputationem copioſiſsime, ac docet ſolius Chriſti ſacrificio cõſummari ſanctos in perpetuum, oſtendens iam finem eſſe Leuiticorum ſacrificiorum. Hinc, quia applicatio ſacrificij Chriſti fit per fidem, hortatur ad fidem; idque pluribus Sanctorum exemplis. Tandem additis communibus vitæ præceptis finit Epiſtolam.

CAPVT I.

Summa Capitis primi.

Vt olim patribus per Prophetas, ita nunc nobis Deus loquutus eſt per filium, Angelis excellentiorem. vt qui eos origine, dominio, operatione & honore antecedat.

Ordo & partes primi Capitis.

Primum caput narratione ſeu expoſitione (quæ continet fontes totius diſputationis ſequentis) propoſitione comparata, nimirum quod Chriſtus ſit angelis ſublimior; & confirmatione petita ab origine, dominio, operatione, & honore Chriſti, abſoluitur.

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

MVLTIFARIAM, multiſque modis olim Deus loquutus eſt patribus per Prophetas; in extremis diebus his loquutus eſt nobis per filium.

Orditur narrationem à patefactióne diuina, ſeu ab euentu: videlicet quod Deus ſit loquutus nobis per filium. Verum vt maius pondus orationi addat, inſtituit collationẽ quadruplicem, quæ pertinet ad commendationem Euangelij, à filio Dei prædicati: Vnde poſtea argumentum Suaſorium in ſecundo capite extruit, videlicet vt Chriſtum, niſi in grauiſsimas pœnas incurrere velint, Hebræi audiant.

Primum ergo memorabile eſt, quod dicit Deum ſemper loquutum eſſe Eccleſiæ, ſtatuitque ipſum autorem eſſe ſacræ ſcripturæ, vt nos eo magis in ſcripturæ admirationem ac venerationem adducat, vtque certo certius ſtatuamus diuinum ſermonem eſſe, qui nobis in Propheticis, Euangelicis & Apoſtolicis ſcriptis eſt & traditus & commendatus. HVC pertinent teſtimonia certitudinis verbi Dei, de quibus alibi à me dictum eſt, quare illis omiſſis, collationis membra, quæ quatuor eſſe dixi, declarabo.

PRIMA collatio, temporis eſt, Deus olim loquutus eſt, & his extremis diebus loquutus eſt, Vnde duo colligamus. PRIMVM, vtrique miniſterio veteris & noui Teſtamenti commune eſſe, habere eundem autorem Deum, ex qua re quanta ſit maieſtas diuini miniſterij, concludendum eſt, Deus loquutus, &c. DEINDE, cum dicit, extremis his diebus (vocat autem extremos dies, tempus totum à Chriſto exhibito vſque ad conſummationem mundi) ſignificat non reſtare tempus aliquod, in quo aliud verbum de cœlo expectandum eſt, præter id quod pater reuelauit per filium, in quem extreme ingrati ſunt, qui noua dogmata præter ipſius verbum excogitant.

SECVNDA collatio continet auditorum diſcrimina, olim (ait) patribus ante Chri-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtum exhibitum, nunc nobis poſt Chriſtum exhibitum, locutus eſt. Hæc collatio ſignificat patres nobiſcum eandem habuiſſe religionem, eandem in Chriſtum communem Saluatorem fiduciam, eundem cultum. Breuiter, vtroſque, id eſt, patres & nos, eiuſdem familiæ Dei, hoc eſt, Eccleſiæ Chriſti domeſticos eſſe.

TERTIA collatio continet miniſtrorum verbi diſcrimina. Patribus enim per Prophetas, nobis autem per filium locutus eſt vnus idemque Deus. Hæc collatio oſtendit idem fuiſſe miniſterium veteris & noui Teſtamenti, tametſi in miniſtris maximum eſt diſcrimen: Prophetæ enim ſerui fuerunt: at filius Dominus ipſe eſt.

QVARTA collatio modum reuelationis diuini ſermonis habet. Tametſi autẽ vtrumque collationis membrum expreſſe non ponitur, tamen alterum ex altero facile intelligi poteſt. MODVS miniſterij diuini ante Chriſtum exhibitum indicatur duabus vocibus, quæ ſunt πολυμερῶς & πολυτρόπως: quarum illa ad quantitatem, hæc ad qualitatem referenda eſt. Cum enim dicit πολυμερῶς, ſignificat non ſtatim quaſi in vnum faſciculum colligata ſalutis documenta propoſita fuiſſe, Sed per partes & vices quãtum cuiuſque ſalutis intererat. Alias enim contractius, alias explicatius noſtræ ſalutis myſteria proponebantur. POTEST igitur vox πολυμερῶς reddi multis vicibus, verum cum πολυτρόπως addit, id eſt, varijs modis, ſignificat autor Deum varijs rationibus & diſpenſandi modis ſuam voluntatem ante Chriſti aduentum patefeciſſe. Nam interdum per clariora viſa, interdum per obſcuriora ænigmata, nonnunquam vigilantibus, & rurſus interdum dormiẽtibus ſuam voluntatem patefecit Deus: Quemadmodum ſcriptum eſt Numerorum 12. Vbi Dominus Moſen à cæteris Prophetis diſcernit his verbis: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione cognoſcar ab eo, vel per ſomnium loquar ad eum. At nõ talis ſeruus meus Moyſes, qui in vniuerſa domo mea fidelis eſt, Ore enim ad os loquar ei, per viſionẽ & non per ænigmata & figuras. At longe ſecus ſe Chriſti miniſterium habet. Siquidem nullæ in eo ſunt temporum viciſsitudines, quæ aliquid cogunt immutare, aut addere ijs, quæ à Chriſto dicta ſunt. Chriſti enim aduentus, quaſi poſtrema miniſterij eſt periodus, & meta vltima, vltra quam nulla nouæ doctrinę acceſsio eſt expectanda. Neque enim per viſa aut in ſomnis locutus eſt nobis filius, ſed ipſe ſuo ſancto ore doctrinam cœleſtem pleniſsime, quam ex ſapientia patris, quæ ipſemet eſt, depromſit. Quare cum tantum habeat preconem verbi populus noui Teſtamenti, merito autor Epiſtolæ ad diligentiorem obœdientiam in ſecundo hortatur. Ex his omnibus ſimul colligamus, vnum & eundem autorem diuini verbi Deum eſſe. Deinde conſenſum omnium Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum, in doctrina & cultu. Præterea in verbo prædicato per filium, pleniſsime reuelatam eſſe voluntatem Dei de ſalute obtinenda per Chriſtum. Quare intrepide reijciamus, quicquid cum hoc verbo non conſentit.

Quem conſtituit hæredem omnium, per quem & ſecula fecit.

Apte deſcriptionem perſone inſtituit. Primum enim proponit, quæ ſunt eius diuitiæ, & quæ potentia, vt his cognitis, libentius nos ei ſubijciamus. Nam cum audimus omnia bona ab ipſo poſsideri, ab eo omnia bona haurienda monemur. Cum rurſus pronunciat ipſum eum eſſe, per quem pater omnia condiderit, admonemur timoris ac reuerentiæ erga illum. HOC loco primum obſeruandum eſt, quod tametſi hæc dicantur de vna perſona, filio Dei, id tamen non fiat eodem reſpectu. Nam quod hæres conſtitutus ſit omnium, ad officium redemtionis, & incarnationis myſterium pertinet. At quod per eum pater condiderit omnia, diuinitatis proprium eſt. Proinde in hoc filio Dei natura diuina & humana vnione hypoſtatica ſeu perſonali vnitæ ſunt. PRÆTEREA cum fides hinc colligit, omnia bona in Chriſto hærede omnium eſſe, confirmantur pij, qui non aliunde expectant quicquam bonorum, niſi ab hoc hærede: à quo fidei manu omnia ſalutaria accipiunt. Et contra, confutantur hypocritæ, qui aliunde venantur ſalutem, quam à ſolo Chriſto. Nam cum hic ſolus ſit hæres omnium, extra illum nihil bonorum eſt inuenire. Monemur igitur, vt ab hoc hærede, hæreditatem in cœlo petamus, qui ideo factus eſt hæres omnium, vt nos, rerum omnium inopes, hæredes cœli faceret.

RESPICIT autem hic autor ad ſecundum Pſalmum, vbi filius Dei in hunc modum loquitur: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. HÆREDITATIS nomine, Metonymia Hebraica ſignificatur, pleniſsimum imperium & poſſeſſio. Quare cum dicitur, Chriſtus eſt hæres omnium, ſenſus eſt, quod Chriſtus ſit pleniſſimus Dominus & poſſeſſor omnium rerum. PORRO, cum Apoſtolus affirmat, Deum

omnia

omnia feciſſe per filium, Notanda eſt phraſis. Nam perinde eſt, ac ſi diceret, pater & filius ſimul omnia condiderunt. Ex quo concluditur contra Arrianos, quod filius Dei nequaquam ſit creatura ſed creator, hoc eſt, Deus, diſtincta tamen à patre hypoſtaſis. Hinc confirmatur articulus noſtræ fidei, qui requirit, vt in Chriſtum ſecundam in diuinitate perſonam credamus. Confutatur Paulus Samoſatenus, qui Chriſtum à Maria originem duxiſſe mentiebatur. Monemur vt huius gubernationi nos ſubijciamus. CÆTERVM ſi breuius omnia, quæ in hoc breui Aphoriſmo continētur, euoluere placet, ex hiſce paucis Apoſtoli verbis quatuor cōcludamus. PRIMVM, quod Chriſtus ſit filius Dei, hoc eſt, vnus & idem Deus cum patre, ſeu vt ſymbolum loquitur, ὁμοούσιος patri. Si enim per ipſum omnia facta ſunt, adeo, vt Iohannes inquit, vt nihil ſine ipſo factum ſit, eſt profecto non creatura, ſed creator, ſi creator & Deus. SECVNDVM, quod Chriſtus ſit verus homo: hoc enim reſpectu hæres appellatur. TERTIVM, quod ſit vna perſona, in qua duæ naturæ, diuina & humana vnione hypoſtatica vnitæ ſunt. QVARTVM, quod ſit omnium bonorum fons vnicus, adeoque Saluator mundi. HORVM quatuor attributorum Chriſti maximus vſus eſt. PRIMVM enim attributum, monſtrat omnipotentiam Chriſti. Vnde fides confirmatur aduerſus regnum Satanæ, & eruditur de potentia Chriſti, qua ipſe poteſt ſuos ex omnibus periculis potenter eripere. SECVNDVM attributum, informat fidem de φιλανθρωπίᾳ Chriſti erga nos. Aſſumſit enim noſtram naturam in certiſsimum teſtimonium ſui amoris erga nos. Non enim maior amor eſſe potuit, quam quo Deus voluerit nobis coniungi ſocietate naturæ, & in ea fieri victima pro peccatis noſtris. TERTIVM attributum oſtendit quantum ſit precium, quanta æſtimatio omnium actionum Chriſti in ipſius ſanctiſsima humanitate. Nam opera hominis Chriſti ſummum precium & valorem à diuinitate Chriſti accipiunt. Atque ideo mors Chriſti ſufficiens λύτρον eſt, ad expianda omnium hominum peccata. Quia eſt mors hominis, qui eſt Deus. Atque ita iudicandum eſt de omnibus alijs actionibus in humana natura Chriſti. QVARTVM attributum, reuocat nos ab omnibus alijs medijs, cum ſalus noſtra agitur, & adducit nos ad hunc vnicum fontem ſalutis, Ieſum Chriſtum, ex quo omnia ſalutaria, fidei manu haurienda ſunt.

Qui cum ſit ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ eius.

Hæc deſcriptionis pars valde ſublimis eſt, in qua filius Dei imago patris æterni eſſe affirmatur. Quoniam autē Chriſtus eſt naturalis imago patris, idque nō ſolum eſſentialiter, verumetiam virtualiter. ſeu, vt Irenæus loquitur, per gloriam virtutis, quæ in ipſius operibus diuinis refulget. Ideo Apoſtolus noſter, hoc loco primum vocat ipſum ἀπαύγασμα, id eſt, reſplendentiam gloriæ paternæ. Nam gloria patris in filio refulget. Eſt autem ἀπαύγασμα, proprie ſplendor è re illuminata aliunde refulgens. Ad eundem modum filius clara patris imago ſuos radios ad homines transfundit, dum diuina doctrina, operibus & Spiritus ſancti donis ſe patefacit. Deinde vocat ipſum characterem (id eſt, expreſſam & viuam imaginem) ὑποστάσεως, hoc eſt, perſonæ patris. Eſt enim filius imago patris coæterna, quæ imago, quia in ipſam patris ſubſtantiam transfuſa eſt, dicitur filius Dei. EX hoc loco dicitur, quod filius Dei ſit perſona à patre diſtincta, patri coeſſentialis & coæterna, minimeque ab eo ſeparabilis. Vt enim ſplendor luci eſt coæternus & inſeparabilis, ex eius ſubſtantia manans: Ita filius Dei altera perſona eſt à patre, patri coeſſentialis & coæternus. CONFVTAT & hic locus Arrium, qui vt plures perſonas, ita & plures οὐσίας eſſe in diuinitate docuit. MONENTVR igitur pij, vt hoc teſtimonio confirmati, conſtanter in fide Catholica de Chriſto, contra omnes hæreſes veteres & nouas, perſiſtant. HÆC ita breuiter de imagine Dei dicta ſufficiant, ſed interim meminerimus, corporalia & creata, collatione integra, æternis & increatis comparari non poſſe.

Ferenſque omnia verbo virtutis ſuæ.

Quemadmodum ſupra CHRISTVM creatorem aſſeruit, Ita nunc omnia ipſius prouidentiæ ſubijcit. Fert (inquit) omnia verbo virtutis ſuæ, id eſt, omnia tuetur, conſeruat & moderatur ſuo potenti nutu. Verbum enim hoc loco nutum & voluntatem ſignificat. Genitiuus virtutis, vice Epitheti ponitur more hebraico. Hinc diſcamus ſtatum creaturarum incolumem conſiſtere per filium. Hinc rurſus & diuinitas filij concluditur, & nos admonemur obœdientiæ, timoris & reuerentiæ erga ipſum.

Purgationem noſtrorum peccatorum per ſe ipſum faciens.

Hæc propoſitio continet præcipuum caput doctrinæ Eccleſiæ Dei, videlicet,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

delicet, quod Chriſtus ſua victima homines à peccato purget. Iohannes ait: Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. Hinc cõfirmatur articulus fidei noſtræ de remiſsio ne peccatorum gratuita, & confutantur Iudæi, Mahometiſtæ, Pelagiani & Papiſtæ, adeo que omnes qui alijs rebus quam ſolo ſanguine Chriſti dicunt purgari peccata. Monemur proinde, vt vera fide & inuocatione hanc peccati purgationem expetamus. PORRO, vt ex ſuperioribus propoſitionibus autor noſter extruit, quæ vſque ad finem quarti capitis ſequuntur: Ita hanc propoſitionem, Purgationem noſtrorum peccatorum per ſeipſum faciens, à quinti capitis principio vſque ad finem fere decimi explicat, illuſtrat & confirmat.

Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis. Hæc propoſitio, confirmat articulum fidei noſtræ de Seſsione Chriſti Dei & hominis ad dexteram patris in excelſis. Chryſoſtomus ordinem narrationis perpendens, in hunc locum ſic ſcribit: οὐχ ἁπλῶς εἶπεν ἐκάθισεν, ἀλλὰ μετὰ τὸν καθαρισμὸν ἐκάθισεν, hoc eſt, non ſimpliciter dixit, ſedet, ſed poſt purgationem ſedet. HÆC propoſitio digna eſt, quæ copioſius & clarius explicetur, præſertim cum contineat articulum fidei, hoc eſt, partem fundamenti, extra quod ſalus non eſt. NAM etſi extra omne dubium eſt, per dexteram maieſtatis ſignificari diuinam potentiam, maieſtatem & imperium, Sic tamen ſignificatio hæc accipienda & declaranda eſt, vt non euertatur, Quod de viſibili & corporali aſcenſione & exaltatione corporis eius ſupra omnes cœlos, imo & angelos beatos in articulo antecedente, & alijs ſcripturæ locis traditum ac ſæpe repetitum eſt. DE priori autem cum non ſit opus longiori explicatione, de poſteriori potiſsimum dicemus. AC quæ ſit vera & catholica ſententia de glorioſa corporis Chriſti aſcenſione & eleuatione in cœlum, primum plurima ſcripturæ dicta oſtendunt. Deinde & conſentientia Symbolorum teſtimonia, Et perpetuus ac conſtans ſcriptorum veterum conſenſus, de quo monere rudiores valde prodeſt. DICTA ſcripturæ inter multa hæc pauca annotare placuit. MARCI 16. Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam loquutus eſt eis, aſſumtus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. LVCÆ 24. Et factum eſt, dum benediceret illis, receſsit ab eis, & ferebatur in cœlum. ACTORVM 1. Et cum hæc dixiſſet, videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, Cumque intuerentur illum euntem in cœlum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis reſpicientes in cœlum? Hic Ieſus qui aſſumtus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. ACTORVM 3. Quem oportet cœlum accipere, vſque in tempora reſtitutionis omnium. AD Epheſios 1. Quem collocauit ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, ac poteſtatem, & virtutem, & dominium. AD Epheſios 4. Cum aſcendiſſet in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. AD Philippenſes 2. Ideo Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt omnis lingua confiteatur, quod Dominus ſit Ieſus Chriſtus, in gloria Dei patris. PHILIPPENSIVM 3. πολίτευμα noſtrum in cœlis eſt, vnde & Saluatorem expectamus, Dominum Ieſum Chriſtum, qui transfigurabit noſtra contemta corpora, vt ſint conformia ſuo glorioſo corpori, idque ea potentia, qua poteſt omnia ſibi ſubijcere. COLOSSENSIVM 3. Si reſurrexiſtis vna cum Chriſto, ſuperna quærite, vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei. 1. THESSALONIC. 1. Vt ſeruiretis Deo viuenti & veraci, & expectaretis filium eius de cœlis, quem excitauit à mortuis, Ieſum, qui liberat nos ab ira ventura. 1. THESSALON. 4. Ipſe Dominus cum tuba deſcendet de cœlo, & mortui in Chriſto reſurgent primum. AD Hebræos 1. Poſtquam purgationem peccatorum noſtrorum feciſſet, conſedit ad dexteram maieſtatis in excelſis. HEBR. 9. Non enim manufacta ſancta ingreſſus eſt Chriſtus, exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis.

CVM his congruunt Symbola. Apoſtolicum enim Symbolum ita habet: Aſcendit ad cœlos, & ſedet ad dexteram patris, vnde venturus eſt iudicatum viuos & mortuos. Nicænum Symbolum: Aſcendit in cœlos, & ſedet ad dexteram patris, & rurſus veniet cum gloria iudicaturus viuos & mortuos. Symbolum quod Epiphanius ſcribit recitari ſolere ab ijs qui baptizandi erant: Aſcendit ad cœlos in ipſo corpore in gloria. Symbolum Athanaſianum: Sedet ad dexteram patris, & Dei omnipotẽtis, vnde veniet iudicare viuos & mortuos. Symbolum Ambroſij & Auguſtini, vt fertur: Tu deuicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cœlorum. Tu ad dexteram Dei ſedes in gloria patris, Iudex crederis eſſe venturus. HVC etiam facit ſcriptorum veterum pius conſenſus. Auguſtinus in libro Epiſtolarum, Epiſtola 57. Dardano in hunc modum ſcribit: Noli itaque dubitare ibi nunc eſſe hominem Ieſum Chriſtum, vnde venturus eſt, memoriterque recole, & fideliter tene Chri-

Chriſtianam cõfeſsionem, quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris, nec aliunde quam inde vẽturus eſt, ad viuos mortuoſque iudicandos. Et ſic venturus eſt, illa angelica voce teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in cœlum, hoc eſt, in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam non eſt putandus vbique diffuſus. Cauendum eſt enim ne ita diuinitatem aſtruamus, vt veritatem corporis auferamus. NON eſt autem conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus. Nam & nobis veriſsima ſcriptura dicit, quod in illo viuimus, mouemur & ſumus, nec tamen, ſicut ille, vbiq; ſumus. Sed aliter homo ille in Deo, Quoniã & aliter Deus ille in homine, proprio quodam & ſingulari modo. Vna enim perſona Deus & homo eſt, & vtrumque eſt vnus Chriſtus Ieſus. Vbique per id quod Deus eſt: In cœlo autem per id quod homo. IDEM in eadem Epiſtola, Nam ſpacia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt, Et quia nuſquam erunt, nec erunt, Tolle ipſa corpora qualitatibus corporum, nõ erit vbi ſint, Et ideo neceſſe eſt, vt non ſint. IDEM in fine eiuſdem Epiſtolæ: Chriſtum autem Dominum noſtrum vnigenitum Dei filium æqualem patri, eundemque hominis filium, quo maior eſt pater, Et vbique totum præſentẽ eſſe non dubites tanquam Deum, & in eodem templo Dei eſſe, tanquam inhabitantem Deum, Et in loco aliquo cœli propter veri corporis modũ. IDEM tractatu 50. In Iohannem: Sed quoniam verum eſt quod ait, Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſũmationem ſeculi, & abijt & hic eſt, & redijt & nos non deſeruit. Corpus enim ſuum intulit cœlo, maieſtatem nõ abſtulit mundo. Idem: Secundum præſentiam maieſtatis ſemper habemus Chriſtum: ſecundum præſentiam carnis rectè dictum eſt diſcipulis: Me autem non ſemper habetis. IDEM in libro de Agone Chriſtiano: Nec eos audiamus, qui negant tale corpus Domini reſurrexiſſe, quale poſitum eſt in monumento, ſi enim tale non fuiſſet, non ipſe dixiſſet poſt reſurrectionem diſcipulis: Palpate & videte, quoniam ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicut videtis me habere. Sacrilegium eſt credere, Dominum noſtrum, cum ipſe ſit veritas, in aliquo fuiſſe mentitum. Neç nos moueat, quod clauſis oſtijs ſubito eum apparuiſſe diſcipulis ſcriptum eſt, vt propterea negemus illud fuiſſe corpus humanum, quia contra naturam huius corporis videmus illud per clauſa oſtia intrare: omnia enim poſsibilia ſunt Deo. Nã & ambulare ſuper aquas contra naturam huius corporis eſſe manifeſtum eſt, & tamen nõ ſolum ipſe Dominus ante paſsionem ambulauit, ſed etiam Petrum ambulare fecit. TERTVLIANVS de Trinitate: Non ibi ante homo fuit, ſed illuc aſcendit vbi non fuit, deſcendit autem Dei verbum quod ibi fuit. IDEM de Reſurrectione carnis: Chriſtus eſt homo, etſi Deus, Adam nouiſsimus, etſi ſermo primarius, caro & ſanguis, etſi noſtris puriora, Idẽ tamen & ſubſtantia & forma quæ aſcendit, & talis etiam deſcenſurus. CYPRIANVS libro 6. cap. 14. Hîc animaduertendum, quod etſi corporis ſui præſentiam hinc ſubduxerit, maieſtate tamen diuinitatis ſemper adeſt, ſicut ipſe à diſcipulis abiturus pollicetur. Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. IDEM libro nono, ſupra Iohannem cap. 21. Credere autem oportet fideles, quod licet à nobis corpore abſit, virtute tamen eius omnia & nos gubernari, adeſſeque ſemper ipſum omnibus qui eum diligunt. IDEM in expoſitione Symboli: Aſcendit ergo ad cœlos, non vbi verbum Deus ante nõ fuerat, quippe qui erat ſemper in cœlis, & manebat in patre, ſed vbi verbum caro factũ non ſedebat. VIGILIVS aduerſus Eutichen. Dei filius ſecundum humanitatem ſuam receſsit à nobis, ſecundum diuinitatem adeſt nobis. Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad cõſummationem ſeculi. Si nobiſcum eſt, quomodo ait: Veniet quando deſideretis vnum diem filij hominis & non videbitis, ſed & nobiſcum eſt, & non eſt nobiſcum, quia quos reliquit, & à quibus diſceſsit humanitate ſua, nõ reliquit, nõ deſeruit diuinitate ſua. Per formam enim ſerui, quam abſtulit à nobis in cœlum, abſens eſt nobis. Per formã Dei, quæ nõ recedit à nobis in terris, pręſens eſt nobis, tamẽ & pręſens & abſens ipſe vnus idemque eſt nobis. Idem, Deinde ſi verbi & carnis vna natura eſt, quomodo cum verbum vbiq; ſit, non vbique inueniatur & caro. Namque quando in terra fuit, non erat vbique in cœlo, & nunc quia in cœlo eſt, non eſt vtique in terra, & in tantum non eſt, vt ſecundum ipſum Chriſtum ſpectemus venturum de cœlo, quem ſecũdum verbum nobiſcum eſſe credimus in terra. Igitur ſecundum vos aut verbum cum carne ſua loco continetur, aut caro cum verbo vbique eſt. Quomodo vna natura contrarium quid & diuerſum non recipit in ſe ipſa? Diuerſum eſt autem & longe diſsimile circumſcribi loco & vbique eſſe. Et quia verbum vbique eſt, caro autem eius vbique non eſt, apparet vnum eundemque Chriſtum vtriuſq; eſſe naturę, & eſſe quidem vbique ſecundum naturam diuinitatis ſuæ, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ. Creatum eſſe, initium non habere, morti ſubiacere, & mori nõ poſſe, quorum vnum illi eſt ex natura verbi, qua Deus eſt, aliud ex natura carnis,

qua idem DEVS homo eſt. Igitur vnus DEI filius, idemque hominis factus filius, habet initium ex natura carnis ſuæ, & non eſt creatus per naturam diuinitatis ſuæ. Circumſcribitur loco, per naturam carnis ſuæ, & loco non capitur, per naturam diuinitatis ſuæ.

IVSTINVS martyr in expoſitione fidei: Manet quidem corpus, ſiquidem Deus corpus non eſt, factum eſt quidem corpus, particeps diuinæ dignitatis, non naturæ.

GREGORIVS Nazianzenus: Circumſcriptus corpore & non circumſcriptus ſpiritu.

THEODORETVS Dialogo 2. Corpus Chriſti glorificatum habet quam prius habuit circumſcriptionem. IDEM. Illud corpus priorem habet formam, & figuram, & circumſcriptionem, & vt ſummatim dicam, corporis eſſentiam, etiamſi poſt reſurrectionem immortale & immune à corruptione factum eſt. Idem: Etiam poſt reſurrectionem cōſpectum eſt corpus Chriſti habēs circumſcriptionem, & manus & pedes & reliqua corporis membra, & tangi ac videri poterat, ſicut ante reſurrectionem. Idem: Corpus non in diuinitatis naturam mutatum eſt, ſed etiam poſt reſurrectionem, quamuis immortale & incorruptibile diuinæ gloriæ plenum, tamen ſuam habet cincumſcriptionem. Hactenus dicta ſcripturæ recitauimus, Symbolorum verba ſignauimus, & pium veterum ſcriptorū conſenſum oſtendimus: Nunc ex his omnibus ſententię ſummam concludemus, idq; non noſtris, ſed beati Philippi verbis, qui in hunc modum in commentarijs in Epiſtolam Pauli ad Coloſſ. 3. ſcribit. In Symbolo (inquiēs) intelligatur dictum, vt ſonat litera, & de corpore & de corporali locatione: Aſcendit (ſcilicet) corporali & Phyſica locatione in cœlum, hoc eſt, in locum cœleſtem, vbicunque eſt, quia hic non ſunt fingendæ Allegoriæ. Aſcenſio fuit viſibilis & corporalis, & ſemper ita ſcripſit tota antiquitas, Chriſtum corporali locatione in aliquo loco eſſe, Vbicunque vult, & aſcēſio corporalis facta eſt ſurſum. Ideo Paulus in hoc capite illum locum nominat ſurſum. At in propoſitione: Filius hominis qui eſt in cœlo, Dictum intelligatur communicatione Idiomatum, λόγος ſemper eſt in cœlo, etiamſi corporali locatione corpus eſt in Virgine, & infra. Vt autem de locali aſcenſione naturæ humanæ dictum eſt, Aſcendit ad cœlos: Ita de exaltatione naturæ humanæ ſuper omnes creaturas dictum eſt, Sedet ad dexteram patris, vt hic Paulus inquit: Vbi eſt ad dexteram Dei ſedens. Ait Chriſtū ſurſum eſſe, & quidem ad dexteram Dei, hoc eſt, non vt beati Angeli & homines ſurſum ſunt, ſed exaltatus ſupra Angelos, in illa arcana luce Dei regnans cum patre. Et tamen corpus localiter alicubi eſt ſecundum veri corporis modum, vt Auguſtinus inquit. Et hæ propoſitiones: Chriſtus in vobis eſt, Ego in eis, Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus, intelligantur de communicatione Idiomatum. Et de hac præſentia filij in prædicatione Euangelij & in ſanctis, neceſſe eſt Eccleſiam fideliter erudiri, vt agnoſcamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adeſſe Eccleſiæ, & eſſe caput omnia in omnibus perficiens. Hæc Philippus, cuius ſententia cum plane cōueniat cum dictis ſcripturæ, cum Symbolis Eccleſiæ & orthodoxo veterum conſenſu, pie eam ac tuto nos ſequi poſſe non dubitemus, etiamſi alij hoc tempore, quorum non videtur contemnenda doctrina & pietas, aliter ſentire, & hoc explicare, neſcio quo modo alio conentur, de quo litem non faciam.

Tanto præſtantior angelis factus, quanto excellentius præ illis ſortitus eſt nomen.

Dixit Chriſtū ſedere ad dexteram maieſtatis in excelſis, nunc autem docet quænam ſit ea maieſtas, ſeu ſeſsio ad dexteram patris, videlicet omnibus rebus creatis ſuperiorem eſſe. Etſi autem hactenus ſimpliciter expoſuit, quantum quidem ſatis eſſe poteſt obſequenti auditori, tamen idem ſibi iuſta confirmatione probādum eſſe exiſtimauit: idque propter peruicaces Iudæos, qui Chriſtum infra Moyſen reiecerunt. Collationem itaque inſtituit inter ipſum Chriſtum & Angelos, quibus cum ſublimior oſtenditur, ſimul illi omnia ſubijciuntur. Eſt autem hæc propoſitio comparata, quæ vſque ad finem huius capitis confirmatur.

Cui enim vnquam Angelorū̃m dixit: Filius meus es tu, Ego hodie genui te, & rurſus, Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.

Prima ratio propoſitionis ab origine, ſeu Lege naturæ perpetua, & Iure ciuili ſumta. Filius herilis miniſtris præfertur. Chriſtus eſt Filius Dei, & Angeli eiuſdem miniſtri. Ergo Chriſtus Angelis præſtantior eſt. Sumitur autem prior pars huius teſtimonij, ex 2. Pſalmo, poſterior ex 7. capite, 2. libri Regum. Dictum 2. Pſalmi: Ego hodie genui te, Exēplo Apoſtoli, veteres eruditiores ad ſempiternam filij Dei generationem recte referunt: vt hodie ſignificet æternitatem. Æterna enim eſt filij generatio à patre, vt quæ nec præterierit nec futura ſit. Sed alij referunt ad eam generationem,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tionem,qua manifeſtatus eſt mundo. De quorum ſententia dicemus infra capite quinto. At teſtimonium ex 2.Regum 7.deſumtum,etſi aliquibus videtur torqueri in alienum ſenſum,vtpote de Solomone intelligendum, Tamen Apoſtoli autoritatem pluris facio,& recte citari dictum arbitror. Et qui ſit ſenſus promiſsionis eo in loco, alibi exponitur copioſius. Et iuuari poſſunt diſcẽtes hac etiam commonefactione: Sæpe typo tribui,quæ rectius Antitypo,hoc eſt,rei ſignificatæ accommodentur. Cum igitur Solomon Chriſti Typum geſſerit,Ea quæ de illo,vt Typo,dici putantur,verius Chriſto Antitypo attribuuntur. Multa etiam typis tribui,quæ non niſi Antitypis conueniunt, haud dubium eſt.

Et rurſus, cum introducit primogenitum in orbem, diçit: Et adorent eum omnes angeli Dei.

Secundum argumentum, à collatione eius qui colitur, & eorum qui ipſum colunt. Concluditur autem argumentum hoc modo, Præſtantior eſt qui adoratur,quam qui adorant. Chriſtus adoratur ab angelis. Ergo Chriſtus angelis eſt maior. Ponitur autem minor propoſitio loco totius argumenti. Chriſtus primogenitus dicitur duplici reſpectu,videlicet diuinitatis ſolius,& fratrum qui adoptantur. De priori modo Paulus Coloſſ.1. Qui eſt imago Dei inconſpicui,& primogenitus omnis creaturæ,hoc eſt,ante genitus quam quicquam conderetur,Ideoque æterni patris filius. De poſteriori reſpectu hic locus intelligendus eſt. Dicitur enim primogenitus,eo quod excellat inter omnes fratres,quos Deus in Chriſto vnigenito in filios adoptauit. Eſt enim naturalis filius præſtantior adoptiuis.

Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad filium vero: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, Virga rectitudinis,virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ conſortibus tuis.

Tertium argumentum,à relatiuorum gradibus ſumtum. Rex præferendus eſt ſuis legatis & miniſtris, regia mandata obeuntibus. Chriſtus eſt Rex, angeli vero legati & miniſtri regij: Proinde Chriſtus angelis eſt præferendus. Loco totius argumenti minoris probatio ponitur, cuius priorem partem, videlicet angelos eſſe legatos & miniſtros Dei, probat teſtimonio Pſalmi 104. In quo Pſalmo Dauid reuocat populo in memoriam beneficia Dei, inuitatque ipſum, vt Deo ſecum ſit gratus,pro tam mirandis & immenſis beneficijs. Texitur autem in principio Pſalmi longa narratio variorum operum Dei,inter quæ & hoc numerat Dauid,quod Deus faciat angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Etſi autem exiſtimant aliqui, Pſalmum non ſimpliciter de angelis & eorum ſubſtantia, ſed per comparationem loqui,hunc in modum, vt ventos & fulmina comparet angelis, in hanc fere comparationis ſententiam: Facit ventos ſuos vt angelos,& fulmina vt miniſtros ſuos. Tamen iterum autoritate Apoſtoli eiuſque argumentatione moueor, vt aliam potius ſententiam ſequar & amplectar,facit angelos ſuos vt ventos,& miniſtros ſuos vt fulmina ſeu flammam ignis,nam naturam angelorum, etſi non intelligimus in hac caligine: tamen quibus ea naturis corporalibus quam proxime accedat, Pſalmi dictum oſtendit. Et hoc modo conſtare vim argumentationis Apoſtoli certiſsimum eſt. Nam ventis aut fulminibus non conferri filium Dei, ex anteeedentibus, & mox conſequentibus dictis conſtat.

Poſteriorem partem minoris confirmat teſtimonio deſumto ex Pſalmo 45. Qui Pſalmus eſt prophetia de regno & Euangelio Chriſti, de ſponſo Chriſto, & eius ſponſa Eccleſia. In huius regis & ſponſi Eccleſiæ deſcriptione, ſunt verba ab Apoſtolo noſtro adducta, quæ de diuinitate,humanitate, regia Chriſti magnificẽtia & regni eius forma concionantur. Cum enim dicit: Thronus tuus ô Deus in ſeculum ſeculi,id eſt,in perpetuum,alloquitur Meſsiam, quem Deum nominat, cui tribuit regnum perpetuum, quod nequaquam Solomoni competit. Cum addit: Virga ſeu ſceptrum rectitudinis, virga regni tui, Chriſti regnum à mundi impijs imperijs ſeparat. Nam Chriſti regnum rectitudinis eſt & æquitatis: cuius rei cauſſam ſubiungit, cum inquit: Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, hoc eſt,Dilexiſti iuſtos,& odio habuiſti iniquos. Ponitur enim abſtractum pro Concreto. Verum quia non ſolum Rex eſt ſecundum diuinitatem, verumetiam ratione officij aſſumta humana natura,additur: Propterea vnxit te, ô DEVS, Deus tuus,oleo læticiæ præ conſortibus tuis,hoc eſt, ô CHRISTE,qui es viuus & verus Deus, cum patre & Spiritu ſancto,

Deus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Deus pater,te hominem factum,oleo lætitiæ præ conſortibus tuis, hoc eſt, Spiritu ſancto vnxit in perpetuum regem,Prophetam & Sacerdotem:Idque præ conſortibus: hoc eſt, Regibus, Prophetis & Sacerdotibus, quorum omnia officia in te vno concurrunt abſolutiſſime.Nullus enim tibi ſimilis fuit vnquam.Nam tu plenam in terris poteſtatem dimittendi peccata habes,tuum regnum eſt æternum:tu è ſinu patris nobis attuliſti verbum ſalutis: Tu denique vnico tuo ſacrificio, totius mundi expiaſti peccata. Omnes proinde tui conſortes acceperunt Spiritum, cuius Symbolum fuit externa vnctio; At tu Domine ſanctus ſanctorum,accepiſti Spiritum,non ad menſuram, ſed plene:de cuius plenitudine alios ſumere oportet,quicunque ſalutem conſequentur.

Et tu in principio Domine terram fundaſti,& opera manuum tuarum ſunt cœli, Ipſi peribunt,Tu autem permanes,& omnes ſicut veſtimentum veteraſcent,ac velut amictum conuolues eos, & mutabuntur, Tu autem idem es, & anni tui non deficient.

Quartum argumentum à comparatione Creatoris ad creaturam. Maior eſt creator creaturis,& immutabilis mutabilibus. Sed Chriſtus eſt Creator,& immutabilis,Angeli vero creaturæ & naturæ mutabiles. Igitur Chriſtus maior eſt Angelis. Sola aſſumtio loco totius argumenti ponitur. Et eſt deſumta ex Pſalmo 102: qui eſt oratio afflictæ Eccleſiæ in hoc mundo,In qua hæc confeſsio habetur,qua Eccleſia diuinitatem & potentiam Chriſti agnoſcit. Atque inde fiduciam concipit ſub cruce & perſecutionibus, quibus premitur,vt non deleatur: ſed hic ſub cruce ſeruetur mirabiliter, & poſtea immortalitate donata in omni æternitate cum ſuo liberatore Chriſto viuat. Porrò, dictum illud: Ipſi peribunt,tu autem permanes,intelligatur ſimpliciter iuxta Petri dictum,2.Pet.3. Qui nunc ſunt cœli, procellæ in morem tranſibunt, & Elementa æſtuantia igne ſoluentur, &c. Ex his enim & alijs diuinæ vocis teſtimonijs Apoſtolos conciones ſuas de fine & innouatione cœli & terræ,quæ nunc ſunt, deſumſiſſe non dubitemus. Qui aliam ſequuntur ſententiam, & dictum Pſalmi per comparationem exponunt hunc in modum: Etſi cœli ipſi perirent: Tu tamen non perires,non cum illis deficeres, ſed idem maneres, cui tam facile eſt cœlos conuoluere, quam facile eſt homini amictum conuoluere, Quod cum Angelis negatum ſit,Chriſtus multo eis eſt præſtantior.Hanc ergo ſententiam qui ſequuntur,non vident Argumenti ſe emphaſin prorſus & eneruare & amittere,quod à comparatione rerum creatarum cum creatore Deo ac Domino horum Apoſtolus inſtituit. Ideo priorem ſimpliciorem & Apoſtoli Petri teſtimonio certam ſequor & amplector.

Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Nonne omnes ſunt adminiſtratores Spiritus,in miniſterium miſſi propter eos, qui hæredes erunt ſalutis?

Quintum argumentum à comparatione honoris Chriſti & miniſterij Angelorum. Maior eſt qui æquali gloria cum Deo patre regnat, ijs, qui diuino ſubijciuntur imperio. At Chriſtus æquali gloria cum Deo patre regnat, Angeli vero diuino ſubijciuntur imperio. Chriſtus igitur maior eſt Angelis. Minoris vtraque pars expreſſe ponitur.Prior, videlicet,de Chriſti eminentia & maieſtate ſumitur ex Pſalmo 110.qui eſt prophetia de æterno Chriſti regno, Sacerdotio, paſsione,reſurrectione & victoria.Poſterior ſumitur ab officio Angelico. Nonne(inquit) Omnes ſunt adminiſtratores Spiritus in miniſterium miſsi propter eos qui hæredes erūt ſalutis? Hæc pars tria continet de Angelis.Primum enim oſtendit,quæ ſit ſubſtantia Angelica,videlicet, ſpiritualis.Sunt enim Angeli ſpirituales naturæ, quemadmodum & animæ hominum. Deinde, quod Angeli ſint miniſtri Dei, vt illorum nomen ſonat, Angelus, id eſt,miniſter. Præterea quod illorum præcipuum munus ſit hæredibus ſalutis, hoc eſt, Eccleſiæ Chriſti ſeruire.Nam,vt Pſalmus inquit: Caſtrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum. Hinc primum confirmatur,quod plurima ſit Deo cura electorum ſuorum, quos tantis præſidijs munit aduerſus Satanam, & aduerſus multos incidentes caſus. Deinde confutatur hoc loco deliramentum Sadducæorum, qui nihil aliud angelos putarunt eſſe,quam motus diuinitus hominibus inſpiratos. Monemur præterea, ne hos caſtiſſimos Spiritus cuſtodes noſtros à nobis impuris moribus repellamus: ſed vt potius grati ſimus Deo animi & corporis puritate, Illi ſoli Angelorum Domino ſeruientes, & gratias agentes pro angelico miniſterio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

CAPVT II.

Summa Capitis ſecundi.

Quoniam Chriſtus maior eſt Angelis, par eſt vt doctrinam ipſius accuratius audiamus, ne in pœnam contumaciæ incurramus. Etſi autem Chriſtus paſſionis tempore, Angelis quodammodo inferior viſus eſt, gloria tamen & honore coronatus regnat, Vt quos à morte liberauit, eoſdem in gloriam euectos æterna donaturus ſit gloria.

Ordo & partes Capitis ſecundi.

Ex doctrina primi capitis extruit propoſitionem exhortatoriam, videlicet, vt Chriſtum audiamus, & propoſitioni confirmationem ſubiungit. Deinde Prolepſi digreditur in doctrinam de Chriſti humanitate, & eius cauſſis. Atque ita duæ ſunt partes huius Capitis, Prior exhortatoria, conſtans propoſitione & confirmatione, Poſterior Didactica, quæ ſimiliter propoſitione & confirmatione abſoluitur.

EXEGESIS CAPITIS SECVNDI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVAMOBREM oportet nos magis attendere ijs quæ audiuimus, ne quando diffluamus.

Propoſitionis exhortatoriæ illatio ex primo capite, Chriſtus filius Dei ſupra omnia eſt. Igitur Euangelio ipſius obtemperare oportet. Antecedens huius Enthymematis cum ſua propoſitione, eſt totum primum caput. Conſequens, eſt prima huius capitis propoſitio. Duæ ſunt hic voces obſeruandæ, prior eſt προσέχειν, attendere, id eſt, mentem adhibere, menteque audita cōtinere, Poſterior παραῤῥυῶμεν, diffluamus. Metaphora ſumta à pertuſis & rimoſis vaſis, quæ infuſum liquorem non continent. Eſt igitur ſenſus, vt ita audiamus verbum, ne vani & ignaui ſimus auditores. CONFIRMATVR hic miniſterium verbi, & monſtratur neceſsitas audiendi verbi. CONFVTANTVR Anabaptiſtarum Enthuſiaſmi, Qui homines à vocali verbo auocant ad Satanicas illuſiones. TAXANTVR Epicurei, qui conſuetudinis tantum gratia verbum audiunt, nihil continere valentes.

Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, Et omnis præuaricatio & inobœdientia accepit iuſtam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?

Ratio propoſitionis à minori ad maius. Inobœdientia erga verbum, ab Angelis propoſitum, grauiter eſt punita, Multo magis inobœdientia erga Chriſti Euangelium punietur. Vocat autem Euangelium ſalutem, eo quod inſtrumentum ſit ſalutis. Vnde docemur, quod quemadmodum ſalus offertur per Euangelium: Ita abſque Euangelio nemini contingat. Qui igitur Euangelium ſpernunt, ſuæ ſalutis ὄργανον adeoque ſalutem ipſam auerſantur.

Quæ cum enarrari cœperit per Dominum, ab ijs qui ipſum audiuerant, fuit nobis confirmata.

Digreſsiuncula Exegetica eſt admodum oportuna. Poſtquam enim audiendum ſalutis verbum dixerat, commode de ipſius fonte ſeu autore, propagatione, atque certitudine monet. Fons ſeu autor eſt Dominus ipſe, qui & ſua victima ſalutis olim promiſſæ myſterium peregit, & voce propria Euangelium ſalutis hominibus commendauit. Propagatum eſt verbum ſalutis per eos, qui ipſum audiuerunt, hoc eſt, per Apoſtolos, quos huius ſalutis teſtes emiſit in mundum, videlicet, vt teſtarentur de ſalu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

de ſalute per Chriſtum parta. Confirmatum in nos, id eſt, nobis (inquit) ab auditoribus ipſius. Huius autem confirmationis modum ſubiungit his verbis.

Atteſtante Deo ſignis, & portentis; & varijs virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus, ſecundum voluntatem ipſius.

Quia Dominus ſuam doctrinam miraculis, veluti quibuſdam ſolennibus & autenticis ſigillis, ad medendum infirmitati humanæ, ac vacillantibus animis hominum, confirmare dignatus eſt: Hic Apoſtolus noſter, quatuor miraculorum genera recitat, quibus veritas Euangelij nobis conſignata eſt. Eſt autem miraculum factum Dei extraordinarium, & inuſitatum, hominum animos in admirationem abducens. huius quatuor genera, vt dixi, enumerat autor. Ac primo loco, Signa ponit, quæ ita dicuntur, quod mentes hominũ excitent, ad cõſiderandum aliquid amplius, quam quod foris apparet. Chriſtus ſanat ſola voce ſurdum & mutum: hoc ſignum excitat ſpectatorum mentes, ad aliquid altius cogitandum: videlicet, quod Chriſtus diuina potentia ſit prædi-tus, & quod ſit verus Meſsias, tametſi hoc foris non apparebat. Deinde portẽta ponit, quæ ita dicuntur, quia nouum aliquid & inuſitatum continent. Nouum ſiquidem & inuſitatum fuit hominem mortuum excitare ſola voce. Græci σημεῖα & τέρατα ita diſtinguunt, vt τέρατα portenta ſint præter naturam: σημεῖα vero ſigna præter conſuetudinem. Sanatio febricitantis, non fit præter naturam. Nam per naturam poteſt ſanari febricitans. Sed quod ſocrus Petri febricitans, ſola Chriſti voce ſit reſtituta ſanitati, præter conſuetudinem fuit. Ideo eius ſanatio ſignum fuit, non portentum. Mortuum hominem vitæ reſtituere, præter naturam fit. Nam per naturam haudquaquam vitæ mortuus reſtitui poteſt. Quare portentum fuit, quod Chriſtus Lazarum iam in ſepulcro fœtentem excitarit.

Addit tertio loco varias virtutes, ſeu potentias, quibus Chriſti Spiritus in ſanctis efficax fuit, ſuam virtutem peculiarem oſtendens. Harum virtutum genera ad Corinthios, 1. Corinth. 12. multa recitat Apoſtolus: quibus Deus Eccleſiam primitiuam ornauerat.

QVARTO, Spiritus ſancti diſtributiones ponit, quibus non ſolum die Pentecoſtes obſignauit Euangelium, verumetiam ſæpenumero in Apoſtolica Eccleſia ad preces Apoſtolorum imponentium hominibus manus. Hæc miracula, tanquam ſigilla veritatis Dei eſſe nobis debent: quorum vſus perpetuo durabit in Eccleſia, qui nullus alius eſt legitimus & verus, quam obſignatio doctrinæ cœleſtis.

ET quanquam hodie huiuſmodi miracula non eduntur, tamen perpetuo ad illa olim edita miracula reſpicere oportet: quę confirmato per orbem Euangelio Chriſti, ceſſare debebant: non quidem vſu, ſed facto. Ita enim Auguſtinus ait: Nec miracula illa in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit. Nec iam nobis dubium eſſe debet, ijs eſſe credendum, qui cum ea prædicarent, quæ pauci aſſequuntur, ſe tamẽ ſequendos populis perſuadere potuerunt. Hactenus Auguſtinus.

Nõ enim Angelis ſubiecit Deus orbem futurum, de quo loquimur.

Redit vnde digreſſus eſt, & confirmat argumentum ſuperius poſitum: Qui potentior eſt, poteſt ſeuerius contumaces aduerſus ſe punire. Cum igitur Chriſtus potentior ſit Angelis, non dubium eſt quin obœdientes in Euangelio punire poſsit. Loco totius argumenti minoris confirmationem poſuit. Si enim Chriſtus habet orbem ſibi ſubiectum, certe potentior eſt Angelis, quibus orbis non eſt ſubiectus. Orbem futurum, vocat per Chriſti aduentum renouatum: vetuſtus ille, peccato Adæ corruptus eſt, ſed hic nouus, per Chriſtum inſtauratus eſt, qui quidem incepit à Chriſti reſurrectione, Sed conſummabitur excitatis mortuis in extremo die, & communicata electis Dei gloria immortalitatis.

At teſtatus eſt in quodam loco quidam dicens: Quid eſt homo, quod memor es eius? aut filius hominis, vt viſites eum? feciſti eum pauliſper inferiorem Angelis, Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. In eo

Obiectio aduerſariorum, atq; eius ſolutio à diſtinctione temporis, & circumſtantiarum ſumta. Obiectio hæc eſt: Chriſtus non ſolum homo eſt, ſimilem expertus cum alijs hominibus calamitatem: verumetiam viſus eſt omnium hominũ abiectiſsimus, ob mortis quam paſſus eſt infamiá. Huic autem

tem quod ei ſubiecit omnia, nihil omiſit, quod non eſſet ei ſubiectum.

obiectioni reſpondet Apoſtolus, verbis Prophetæ ex Pſalmo 8. deſumtis, idq; per diſtinctionem (vt dixi) ac ſi diceret, fateor quidem, valdè fuiſſe humiliatum Chriſtum per crucem, ſed mox crucis ſupplicio ſuperato & morte victá, glorioſe reſurrexit, cui iá victori & triumphatori omnia ſubiecta ſunt, in cœlo & in terra. Vt autem teſtimoniũ adductum clarius introſpiciamus, nonnihil de argumento Pſalmi, & eius applicatione ad præſentem locum dicendum videtur. EST autē hic Pſalmus encomiaſticus, omnino de Chriſto intelligendus, quemadmodum ipſe Chriſtus, Matth. 21. Et Paulus ad Epheſios, teſtatur. CELEBRAT enim Dauid ipſum Deum in hoc Pſalmo, propter nunquam ſatis admirandum beneficiũ, videlicet, quod dederit nobis filium ſuum Ieſum Chriſtum, vt ſit nobis Rex glorioſus, Triumphator Diaboli, mortis & inferni. Cum exordio finis Pſalmi idē eſt. Nam vt orditur ab affectu cordis, & ſtupenda admiratione bonitatis Dei erga genus humanum: Ita Pſalmũ claudit eodem admirationis affectu. Quis enim ſatis bonitatē Dei, & φιλανθρωπίαν, ob hoc tam eximium beneficium ſatis admirabitur? EXORDIO ſubiungit gratiarum actionem: quam vniuerſa terra debet Deo ob ſuam immenſam bonitatem, adeo vt etiam infantes & lactentes in cœlo, hoc eſt, in cœtū fidelium, virtutem Dei ſint prędicaturi, huius rei ſpecimen exhibuerunt Chriſto pueri, cum die Palmarū intraret Ieruſalem. His ſubiungit Dauid verba, quę Apoſtolus hic adducit, Quid (inquit) eſt homo quod memor es eius? Admiratio eſt, quod Deus tantam gerat curā humani generis. Aut filius hominis qui viſitas eum? Repetitio eſt eiuſdem ſententiæ per admirationem, mutata tantum ſermonis figura. Atq; hæc de homine in genere dicta intelligantur. Quæ autem ſequuntur, ad filium Dei hominem factũ referenda ſunt. Et minuiſti eũ paulo minus ab angelis. Hæc ratio admirationis eſt, minuiſti eum, id eſt, Chriſtum, ſcilicet, per paſsionem & mortem. Gloria & honore coronaſti eum, ſcilicet, per glorioſam reſurrectionem & victoriam: Et conſtituiſti eum ſupra opera manuum tuarum, videlicet, vt omnium rerum plenum dominium habeat, adeo vt flectat ſe omne genu corā ipſo, cœleſtium & terreſtrium & inferorum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: Eiuſdem ſententiæ repetitio eſt, per mutuam Relatiuorum collationem. Si igitur Chriſtus eſt ſupra omnia dominator conſtitutus, ſunt ſane omnia illi ſubiecta. Vnde Apoſtolus noſter infert ex verbis Pſalmi: In eo enim quod omnia illi ſubiecit, nihil omiſit nō ſubiectum ei. Quare ſequitur quod ſupra dixerat, Angelos etiam ei ſubiectos eſſe.

At nunc nondum videmus omnia ſubiecta ei.

Obiectio contra ſolutionem. Tu dicis quidem omnia Chriſto ſubiecta eſſe, ſed nuſquam eius eminentia apparet in ipſius regno, quod eſt Eccleſia. Membra Chriſti multis modis affliguntur: huic obiectioni reſpondet Apoſtolus, hoc pacto:

Sed ipſum qui paululum imminutus fuit ab angelis, videmus Ieſum propter paſsionem mortis, Gloria & honore coronatum eſſe.

Reſponſio ad obiectionem, per conceſsionem & correctionem. Senſus autem eſt: Tametſi non apparet Chriſto omnia ſubiecta eſſe, tamen reuera vniuerſorum Dominus cōſtitutus eſt, per reſurrectionem, & breui futurum eſt, vt ſuum imperium palam exerceat reſuſcitatis mortuis. ORATIO Apoſtoli, Syncheſi nonnihil turbata, ſi tantum recte diſtinguatur, hoc modo illuſtrari poteſt. Sed Ieſum ipſum videmus gloria & honore coronatũ, quia paululum ſeu pauliſper fuit imminutus ab angelis (hoc eſt, inferior angelis) propter paſsionem mortis (hoc eſt, vt pati mortem poſſet) hic enim particula διὰ, vt ſæpiſsime alias, cauſſam finalem notat. TEMPVS ergo humiliationis, fuit paſsionis tempus: quo peracto & victa morte, gloria & honore coronatus eſt, vt qui Deo æqualis ſit. SED quomodo videmus hanc Chriſti gloriam? Aſcendēs in altum, dedit dona hominibus: in quibus donis Chriſti gloria conſpicitur. Multos ornauit donis edendi miracula: Multos inuicta fidei cōſtantia in confeſsione muniuit. In omnibus credentibus ſuam efficacitatem ita declarat, vt oculis fidei clariſsime intueantur Chriſti gloriam.

Vt gratia Dei pro omni guſtaret mortem.

Cauſſam & fructum paſsionis Domini addit, vt doceat, Chriſtum non ſine grauiſsima cauſa, adeo diminutū fuiſſe. Ideo enī paſſus eſt, vt ſua paſsione pro omnib. ſatisfaceret, hoc eſt, vt ſua victima om-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mum in ſe credētium expiaret peccata, & communicaret ſuam iuſticiam ad vitā æternam. Hic igitur obſeruemus omne humanū meritum, quoad expiationē peccati attinet, euerti. GVSTANDI verbo, ſignificatur victoria ſuper morte, quod Chriſtus non ſit abſorptus morte, ſed à morte reſurrexerit. Cum dicit, pro omni, collectiue intelligēdū eſt, vt ſciamus, nec Iudæos, nec gentes à Chriſti beneficio excludi, modo in ipſum credere nō recuſauerint.

Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam abduceret, autorem ſalutis eorum per paſsionem perficere.

Ratio alia, cur aſſumta natura humana pati oportuerit Dominum, à patris æterno decreto, ſeu, à cauſſa efficiente, & fine conditionis omnium. Eſt enim Dei æternum decretum, humiliare antequam exaltet. QVIA autem in verbis Apoſtoli quædam videtur eſſe obſcuritas, ſenſum in hunc modum reddamus. Decebat Deum patrem (quia humiliare ſolet primum quos decreuit exaltare) perficere, hoc eſt, conſecrare, Filium, in ducem & autorem ſalutis filiorum Dei, idque per paſsionem eius: videlicet, vt conformatio quædam capitis & membrorum fieret. HIC præter locum proprium, qui eſt de fructu paſsionis Dominicæ, obſeruemus crucem ex decreto Dei, veluti gradum quendam eſſe ad gloriam. Huius ergo decreti Dei cogitatione ſe erigant fideles, quoties grauius cruce premantur. VERBVM τελειῶσαι, vſum habet in ſacrificijs, & ſignificat proprie conſecrare in hoſtiam, vel hoſtiam facere, τέλεια enim dicebantur plenæ & perfectæ hoſtiæ, in quibus nihil deſiderabatur, & τελείωσις initiatio eſt, per ſacrificium, vnde Baptiſmus Græcis τελείωσις dicitur.

Nam & qui ſanctificat, & qui ſanctificatur, ex vno ſunt omnes.

Ætiologiam petit ab eiuſdem naturæ participatione, ac ſi dicat: Chriſtus, qui per paſsionem conſecrat & ſanctificat, & credentes, qui ab eo, tanquam ſummo Sacerdote, conſecrantur & ſanctificantur, ex vno ſunt omnes, hoc eſt, eiuſdem naturæ, videlicet humanæ, exiſtunt. Etſi enim Chriſtus, ſi naturam diuinam reſpicis, verus eſt Deus, æqualis patri: tamen homo natus, particeps eſt humanæ naturæ cum alijs hominibus. Quare vt ex vna materia ſunt, ita perſimilis eſt ad gloriam gradus. Sunt qui ita exponunt. Et qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno, ſcilicet, Adamo, ſunt omnes, ſed ſenſus idem manet.

Propter quam cauſſam non erubeſcit fratres eos vocare, dicens: Annunciabo nomen tuum fratribus meis, & in medio Eccleſiæ laudabo te.

A pronunciatis probat humanitatem Chriſti, vnde texitur argumentū à natura relatiuorum: Chriſtus vocat ſanctificatos fratres ſuos. Igitur cum illis eiuſdem naturæ eſt, ſeu communem patrem habent, nempe Adam. Sumtum eſt autē hoc teſtimonium ex Pſalmo 22. qui continet inſignem prophetiam de Chriſto. Nam eius Sacerdotium, & regnum deſcribens: Orationem, paſsionem, mortem & reſurrectionem exponit, & ſimul vaticinatur de propagatione & amplitudine regni Chriſti.

Et iterum, Ego ero fidens in eum.

A proprio hominis humanitatem Chriſti probat. Solius hominis eſt Deo fidere, Chriſtus fidit Deo, Igitur homo. Teſtimonium hoc ex 18. Pſalmo deſumtum eſt, Quod eſt Gratiarū actio Dauidis, quod ſuos hoſtes profligauerit ac vicerit, verum quia Dauid in eo Pſalmo typum Chriſti gerit, recte Pſalmus ipſi Antitypo accommodatur, iuxta regulam: Quæ typis tribuuntur, recte Antitypis accommodantur.

Et rurſus, Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus.

Argumentum à communitate naturæ, patris & liberorum. Sunt enim pater & filij eiuſdem naturæ, etſi multiplicatæ in pluribus. Hoc teſtimonium ſumtum eſt ex octauo capite Eſaiæ: vbi Propheta vaticinatur de ruina regni Iſraëlis, & regni Iuda, atque adeo ciuium ſanctæ ciuitatis Ieruſalem. Ac ſimul per os Prophetæ filius Dei orat, vt Deus doctrinam propheticam in aliquorum diſcipulorum mentibus obſignet, obſignatamq; cōſeruet. Precationi ſubiungit hanc confeſsionis & fiduciæ vocem: Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus, in ſignum & prodigium Iſraëli, à Domino exercituum qui habitat in Syon.

Quia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quia ergo pueri communicarunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.

Ex adductis Prophetæ verbis, Apoſtolus argumentum in hunc modum extruit. Pater & pueri eiuſdem ſunt naturæ, At pueri Chriſti humanæ naturæ ſunt participes, Igitur & Chriſtus homo exiſtit, humanæ naturæ conſors.

Vt per mortem deſtrueret eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, Diabolum.

Poſtquam de aſſumta humana natura, & de humiliatione diſſeruit ſatis, nunc commode iſtius myſterij cauſſas finales ſubiungit, ac inter eas primam ponit, deſtructionem, ſeu abolitionem imperij Satanæ, iuxta primá concionem poſt lapſum primorum parentum de reparatione, in qua concione Deus pater ſerpenti, idque audientibus primis parentibus, vt inde fidem reconciliationis conciperent, dixit: Semen mulieris conteret caput ſerpentis, quod Iohannes interpretatur his verbis: Chriſtus apparuit, vt diſſoluat opera Diaboli, hoc eſt, peccatum & mortem, placata ira Dei. Per corporis enim mortem, vt ait Ambroſius, mortis vincula diſſoluit.

Et liberaret eos qui metu mortis per omnem vitam obnoxij erant ſeruituti.

Secundus finis, atque adeo præcipuus aſſumtæ humanæ naturæ, in qua mortem crucis ſuſtinuit, videlicet, vt liberum redderet humanum genus à iure peccati & mortis, Deo perſoluto λύτρῳ. Vnde 2. Corinth. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in eo, hoc eſt, reatum totius humani generis Deus pater impoſuit filio, vt ipſe ſua victima expiatoria pro peccato ſatisfaceret, quo nos, Chriſti obœdientia nobis imputata, iuſtificaremur coram Deo & adoptaremur in filios.

Non enim ſane angelos aſſumit, ſed ſemen Abrahæ aſſumit.

Amplificat collatione, quod dixerat de humana natura Chriſti, idque non ſolum vt affectum Chriſti ardentiſsimum erga genus humanum doceat, verumetiã vt oſtendat quam neceſſariũ fuerit nos in naturalem carnis & ſanguinis Chriſti ſocietatem venire, & tanquam in vnam carnẽ ſeu naturam coaleſcere, in qua natura, quod in capite lueretur, cæteris membris omnibus tanquam proprium imputaretur. TAMETSI autem hæc corporalis Chriſti nobiſcum communitas, non ſatis eſt nobis ad felicitatem, niſi ſpiritualiter ei ſociemur: tamen nulla nobis ad ſpiritualem ſocietatẽ patet via, ſine hac naturali ſocietate, & cognatione, quę adeo arcta eſt, vt in Chriſto vna duntaxat Dei & hominis perſona ſubſiſtat. Vt vere dici poſsit, Deum hominem factum eſſe, ſeu, vt Iohannes loquitur, Verbum carnem factũ eſſe. Ab hac arctiſſima ſocietate procul abeſt angelica natura. Nequaquam enim vere dici poteſt, Deum angelum eſſe factum. QVOCIRCA crucis illud ſupplicium, quo nos patri Chriſtus reconciliauit, & pro nobis hominibus ſoluit perfectiſsimum λύτρον, nihil quicquã angelis præuaricatoribus contulit, ad tollendam ſimultatem, qua à Deo erant diſſociati: quia nullã habent cum Chriſto naturæ ſocietatem. Ex hoc loco primum diſcamus, quam neceſſaria fuerit illa Chriſti nobiſcum naturæ cõmunio, ſine qua nulla ad ſalutem patebat via. DEINDE cogitetur, quantus fuerit amor filij Dei erga genus humanũ, qui ſe adeo humiliare voluit, quod maſſam noſtram aſſumeret in vnionem perſonalem, vt Deus vere ſit homo factus. TVM huius facti cogitatione erigẽdus eſt animus noſter, aduerſus omnes Satanæ inſidias, modo ne turpiſsime hac tanta Dei beneficentia abuſi fuerimus. HINC quoque nobis pudor incutiatur, ſi noſtra nos ingratitudine ea fruſtrari patiamur: Quod certe facim9, ſi huic Chriſto pro nobis crucifixo, non viua fide coaleſcimus, vt eius viua membra efficiamur.

Vnde fratribus debuit per omnia eſſe ſimilis, vt miſericors eſſet & fidelis pontifex, in eis quæ ſunt erga Deum, ad expiandum peccata populi.

Concluſio eſt, in qua altius repetit cauſſas cur æternus λόγος humanam naturam aſſumſerit, vt Deus & homo ſit vnus Chriſtus. ET quia ſummam doctrinæ de ſacrificio Chriſti continet hæc pericopa, eam retexam, quo clarius, quid doctrinæ in ſe contineat, perſpiciatur: Sunt itaque 5. partes. PRIMA: Quod Chriſtus fratribus per omnia ſimilis eſſe debuerit, Quantum ſcilicet ad eſſentiam carnis, & alias proprietates, vtpote infirmitates & affectus proprios humanæ naturæ attinet, non quantum ad aduentitias qualitates peccatri-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cis carnis, nec quantum ad perſonales infirmitates, certorum ſcelerum pœnas. SECVNDA pars, Quod ideo filius Dei factus ſit homo, vt fieret Pontifex, Mediator inter Deum & homines, verus Deus & verus homo. TERTIA pars huius pericopæ eſt deſcriptio huius pontificis ab affectu ipſius erga homines, pro quibus offerret, & fide erga Deum cui offerret. Nam vt legitimus, verus ac fidus Deo eſt pontifex, ita miſericors & φιλάνθρωπος eſt erga populum, pro quo ſe offert. QVARTA pars, Quarumnam rerum ſit pontifex, nempe diuinarum, vt ſcilicet.in ijs quæ nos Deo conciliant, ſuo fungeretur ſacerdotio. QVINTA pars, finem ſacerdotij Chriſti indicat, qui eſt placata ira Dei, expiare peccata populi, hoc eſt, vt ſua victima perſolueret precium, ſatisfaceret iuſticiæ Dei, & placaret iram Dei. Quam ob cauſſam à Paulo Propitiator dicitur, qua appellatione tria ſignificantur. PRIMVM, quod hic propitiator offerat pro nobis ſua merita. SECVNDVM, quod idem perſoluat pœnam nobis debitam. TERTIVM, quod idem applicet nobis ſua merita, & ſuam ſolutionem, atque hoc eſt, quod ipſe Dominus ait apud Iohannem, cap. 17. Ego me pro eis ſanctifico.

Nam in hoc quod accidit illi tentatio, poteſt tentatis opem ferre.

Hoc ad fiduciam in nobis alendam pertinet. Nam cum filius Dei aſſumta noſtra natura expertus eſt humanas miſerias, idoneus eſſe conuincitur, qui alijs miſeris ſuccurrat.

CAPVT III.

Summa Capitis tertij.

Cum Chriſtus, quem confitemur eſſe noſtrum Apoſtolum & pontificem, maior ſit Moyſe, par eſt vt ipſum, vtpote Dominum domus, ac filium Dei, magis audiamus quam Moyſen, qui tantum pars erat domus & ſeruus Dei, quod niſi fecerimus, cum incredulis Iudæis, qui in deſerto proſtrati ſunt, puniemur, promiſſa requie excluſi.

Ordo & partes Capitis tertij.

Ex doctrina ſuperioris capitis, digreditur in exhortationem. Poſtquam enim docuit in ſecundo capite, Chriſtum Deam & hominem eſſe, adeoque verum pontificem, tempeſtiue hic in tertio exhortatoriam propoſitionem infert, vt cogitemus quantus ſit: quo ipſum auidius audiamus. Deinde exhortationem ipſam rationibus quibuſdam confirmat. Sunt proinde huius capitis, quod eſt generis ſuaſorij, duæ partes, propoſitio & confirmatio.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

VNDE fratres ſancti, vocationis cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſsionis noſtræ Chriſtū Ieſum.

Hæc propoſitio ſuaſoria, extruitur ex doctrina ſuperioris capitis. Obſeruandum eſt autem, quod, quemadmodum in propoſitionibus ſuaſorijs fieri ſolet, admiſceantur propoſitioni rationes, quæ veluti in vnum corpus cum propoſitione ipſa coeunt, quas Dialecticus retexet, vt ſeorſim propoſitio ipſa conſpiciatur, ac deinde propoſitioni accommodentur rationes, quibus veſtita & ornata fuit, vt ex ſingulis rationibus cum propoſitione ſingula extruantur Enthymemata. EST autem hæc propoſitio: Chriſtus à vobis audiendus eſt. Rationes autem, quibus hæc veſtitur propoſitio, ſunt plures. PRIMA ſumitur à vocationis dignitate. Vos ſancti eſtis, cœleſtisq; vocationis participes. SECVNDA, Chriſtus eſt vobis Apoſtolus à Deo miſſus. TERTIA, Vos confitemini Chriſtum eſſe ſummum pontificem veſtrum. HÆ tres rationes in propoſitionis complexu ſunt, ex quibus dum concluditur popoſitio, Tria naſcuntur Enthymemata. NOS hanc exhortationem nobis accommodemus, cogitemus de vocatione noſtra, perpendamus quantus qualiſque ſit Apoſtolus Chriſtus, nobis à Deo miſſus, cogitemus nullum acceſſum nobis patere ad patrem, ſine hoc noſtro pontifice, quem niſi audiuerimus, actum eſt de ſalute noſtra.

Qui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Qui eſt fidelis ei qui fecit ipſum. Ratio propoſitionis ab adiunctis, Chriſtus eſt Deo patri, qui fecit ipſum, & conſtituit illum Apoſtolũ & Pontificem, fidelis. Igitur audiendus eſt, & in precio habendus. Hanc rationem, ſi ad Theſin transferimus, monemur, vt miniſtris Euangelij, hoc eſt, Chriſti ſeruis fidelibus, non minus quã ipſi Chriſto obœdiamus. Nam is eſt qui per eos loquitur, Quemadmodum ipſe teſtatur Matth.10. Qui vos audit, me audit. Contra vero infidelibus in miniſterio, & ea quæ Chriſti non ſunt docentibus, nulla obœdientia debetur.

Sicut Moſes in tota domo eius. Ætiologia à comparatis. Moſes fuit dignus qui audiretur, etſi tantũ ſeruus erat. Igitur Chriſtus multo magis dignus eſt, vtpote filius Dei. Hunc eſſe germanũ huius argumenti ſenſum totus contextus conuincit. Exæquatio igitur hæc non ad dignitatis æqualitatem (quomodo enim paris dignitatis erunt filius & ſeruus) ſed ad fidelitatis commendationem pertinet. Vterque enim fidelis filius & ſeruus, etiamſi diſpares dignitate. & gloria. Hæc explicatio noſtra confirmatur ſequentibus argumentis. VSVS huius loci eſt, vt miniſtri Dei & præcones verbi intueantur in exemplum Moſis, eumq; fide & diligentia imitentur. Huc illud Pauli, 1. Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo, tanquã miniſtros Chriſti & œconomos miniſteriorum Dei, Quod autem reliquum eſt, quæritur in œconomis, vt fidelis quiſq; inueniatur.

Ampliori enim gloria ipſe præ Moſe dignus eſt habitus, quanto maiorem honorem habet, quam domus, is qui fabricauit illam. Declaratio eſt collationis, in qua Chriſtum Moſi præfert, vt audiatur Chriſtus maiori cum reuerentia. Conclusio & maior propoſitio expreſſe ponuntur. Argumentum autem hoc modo licebit abſoluere. Architectus domus eſt ipſa domo dignior, Chriſtus eſt Architectus domus, Moſes vero pars quædam domus, Chriſtus igitur Moſe dignior eſt. Vt ſupra Chriſtum angelis, ita hic eundem Moſe ſuperiorem facit: vt cogitemus contumaces aduerſus ipſum non euaſuros eſſe digna ſupplicia.

Omnis enim domus conſtruitur ab aliquo. Illuſtrat argumentum proximum à cauſſa efficiente. Omnis domus ab aliquo conſtruitur, Nam omne quod fit ex aliqua cauſſa fieri neceſſe eſt. Eccleſia igitur cum ſit domus, ab aliquo eam extructam eſſe neceſſe eſt. A quo autem ſit extructa hæc domus, exponit autor cum ſubiungit.

Qui autem omnia conſtruit DEVS eſt. Supra Chriſtum architectum eſſe domus aſſeruit, hoc autem loco affirmat, Deum eſſe, qui omnia conſtruat. Vnde Chriſtum Deum eſſe haud obſcure concluditur. Nam ſi Deus omnia conſtruxit, & Chriſtus domum Dei, hoc eſt, Eccleſiam conſtruxit, ſequitur Chriſtum Deum eſſe.

Et Moſes quidem fidelis in tota domo eius, tanquam famulus in teſtimonium dicendorum, Chriſtus vero tanquam filius ſuper domum eius. Argumentum à natura ſeu gradibus Relatiuorum, filius præfertur famulo, vel fideliſſimo, Chriſtus eſt filius, Moſes autem famulus conſtitutus in domo Dei, proinde Chriſtus Moſi præfertur. Quare præ Moſe conſiderandus, honorandus & audiẽdus eſt. OBSERVETVR hoc loco finis miniſterij Moſaici, qui fuit vt teſtaretur Moſes de dicendis, hoc eſt, vt pararet Chriſto viam, Lege à Deo accepta. Nam tota politia Moſis, & ſactificia Legis, fuerunt conciones de venturo Chriſto. Atq; hoc eſt quod dicit Iohannes: Lex per Moſen data eſt, Gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Hinc monemur, quid in Moſe ſit quærendum, videlicet ſolus Chriſtus.

Cuius domus ſumus nos. Quia ambiguum erat vocabulum domus, interpretatur domũ Dei eſſe credentes vſitata ſcripturæ Metaphora, qua continens pro re contenta ſæpe accipitur. Hinc admonemur duplicem familiam in mũdo eſſe: Vnam Dei, Alteram à Deo abalienatam: vt quæ Diabolo ſubiecta ſit, & neceſſe eſt quemlibet hominem in alterutra harũ familiarum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

eſſe. Qui enim non eſt in domo ſeu familia Dei, vere eſt in familia Satanæ. Hinc eſt quod excommunicati dicantur tradi Satanæ, quia cum excluduntur à familia Dei, vere includuntur in familiam Satanæ. Deinde vt in domo Dei, Deus paterfamilias eſt: Ita par eſt, vt ipſi obtemperent quicunque in ea familia manere cupiunt: in quam vt recipimur fide, & cuſtodimur bona conſcientia, Ita excludimur rebellione & contumacia in patremfamilias. Atque hoc eſt, quod autor ſubijcit hiſce verbis:

Siquidem fiduciam & gloriationem ſpei vſque ad finem firmam retineamus.

Hæc conditio diligentiſsime cogitanda eſt. Monet enim quouſque ſumus domus Dei, ſeu domeſtici Dei. Et exegeticō eſt. Fiducia enim hæc eſt gloriatio ſpei, hoc eſt, ſpes, qua gloriamur nos eſſe in familia Dei, per fidē in Ieſum Chriſtū. Huc dictū domini pertinet: Qui perſeuerauerit vſq; ad finē, ſaluus erit: Et illud ad Col. 1. conuiuificauit vos in corpore carnis ſuę, per mortem, vt exhibeatis vos ſanctos & immaculatos & irreprehēſibiles corā ipſo, ſi tamē permaneatis in fide. Diligēter in his & ſimilib. locis obſeruetur conditionis particula, cōtra Stoicas imaginationes de prædeſtinatione: plura de hac cōditione annotauimus in cap. 1. ad Coloſſ. in illū locum, Siquidē permaneatis in fide fundati. Eodē pertinet exhortatio quæ ſequitur.

Quapropter, Sicut dicit ſpiritus: Hodie, ſi vocem eius audiueritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, in die tentationis in deſerto: vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt me, & viderunt opera mea quadraginta annis. Quapropter infenſus fui generationi iſti, & dixi: Semper errant corde. Ipſi autem non cognouerunt vias meas. Quapropter iuraui in ira mea: ſi introibunt in requiem meam.

Conditionem poſitam confirmat autoritate Spiritus ſancti, & exemplo veteris populi. Summa argumenti hæc eſt: Vetus populus in deſerto, propterea quod fide deſerta & abiecta contumaciter ſe Deo oppoſuit, punitus eſt excluſione requietis terræ promiſſæ. Igitur & vos vera & cœleſti requie excludemini, ſi in fide non perſtiteritis. TESTIMONIVM Spiritus ſancti ex Pſalmo 65. petitum eſt, qui Pſalmus exhortatio eſt prophetica ad populum noui Teſtamenti, vt Deum, hoc eſt, Chriſtum Meſſiam celebret. Hanc exhortationem duobus argumentis cōfirmat, quorum prius ſumtum eſt ab honeſto, & debito Eccleſiæ Dei officio. Poſterius ab exemplo puniti populi, propter contemtionem in deſerto, ſeu in Meribba & Maſpa. Hiſtoria habetur Exod. 16. & 17. Iam verborum Pſalmi ideo breuiorem explanationē ſubijciemus, quia Apoſtolus noſter plæraque explicat, & accōmodat ſuo inſtituto. Hodie ſignificat tēpus reuelati Euangelij. Nam huius temporis reſpectu præteritum tempus, noctis quandam rationem habet. Si vocem eius audiueritis. in Hebræo hæc præcedentibus aptanda ſunt, nos (inquit) ſumus populus paſcuæ eius, & oues manus eius, ſi modo vocem eius audiueritis. Atq; ita conditio ponitur ſuperiora confirmans. Tantiſper enim manemus oues Chriſti, donec audimus vocē eius, eumq; ſequimur. Ita enim ipſe Paſtor ait: oues meæ vocem meam audiunt. Huc ſpectat exhortatio, quæ ſequitur hiſce verbis: Nolite obdurare corda veſtra, id eſt, Nolite veſtra duritia reſiſtere verbo Dei, ſicut feciſtis in acerbatione, id eſt, in Meribba, loco, qui accepit ab euentu nomen. Vbi me tentauerunt patres veſtri. Mutatio perſonæ eſt, Nam Deum introducit loquentem, qui ſe hominum proteruia & contumacia tentari confirmat. Quid autem ſit tentare Deum, pluribus explicandum iudico.

Eſt autē Tentare Deū, non infirmitate labi, ſed contemtu Dei, non ex ignorantia, ſed malitia: videlicet cum vel negamus verbū Dei, vel corrigimus ordinationem diuinam fiducia propriæ ſapientiæ, hoc eſt, Tentamus Deū, cum ſpreto verbo, ordinatione, & vocatione Dei, aliud quærimus quod magis placet, fiducia propriæ ſapientiæ. Negāt Iſraelitæ ſe à Deo eductos eſſe à terra Ægypti, & cōtradicunt manifeſtis teſtimonijs Dei: propterea, quia non omnes euentus reſpondent ipſorum imaginationibus. Peccant igitur primū impatientia, quia in aduerſis Deo nolunt obœdire. Deinde addunt nouum & atrocius peccatum: Negant eſſe opus Dei, de quo conuicti erant certiſsimis miraculis: negant Moſen eſſe Ducem à Deo conſtitutum, ſed vociferantur eum impoſtorem eſſe. Actor. capite 15. Petrus ait: Quid tentatis Deum, imponentes iugum ſuper ceruicem diſcipulorum? Hic manifeſta eſt correctio. Sciunt ex Euangelio remitti peccata & reconciliari homines, reputari iuſtos, & ſanctificari, & fieri hæredes vitæ æternæ propter filium Dei gratis fide: non propter ceremonias Moſi. Sciunt finem eſſe politiæ Moſaicæ. Sciunt promiſsionem gratiæ perti-

nere

nere ad Iſraelitas & Gentes. Sciunt etiam nequaquam licere homini cultus inſtituere, ſicut ſcriptum eſt: Fruſtra colunt me mandatis hominum. Quanquam autem hæc omnia norunt, tamen aliqui humana ſapientia volunt ſtabilire & amplificare politiam Moſaicam: cogitant pulcrum eſſe Eccleſias gentium inuitare ſimilitudine rituum. Huiuſmodi correctiones ortas à ſapientia humana vocat Petrus tentare Deum. Talia peccata ſæpe accidunt priuatim & publice, in cultibus, actionibus & doctrina. Monachi relicta via à Deo ordinata, fingunt ſua vota meliores cultus eſſe. Pontifices relictis actionibus proprijs officij, quærunt imperia. Hæretici quęrunt vel concinniores opiniones, vel argutiores.

PROBAVERVNT me, ſcilicet dubitando de promiſsis & verbis meis, Et viderunt opera mea, hoc eſt, etſi conuicti erant multis miraculis, quibus meam præſentiam, potentiam, fauoremq; erga ipſos declaraui, atq; adeo verbum meum confirmaui (vt illi fidem haberent ac ſaluarentur) Idq; quadraginta annis. Quapropter infenſus fui generationi illi. Etſi plerique libri cum Græci tum Latini ita diſtinguunt, tamen nonnulla exemplaria Græca & ipſa Hebraica veritas, ad pœnam contumaciæ refert circumſtantiam temporis, hoc modo: Quadraginta annis infenſus fui generationi illi, adeo quod in terram promiſſam eos non introduxerim. Et dixi, ſemper errant corde, id eſt, ſemper verbo relicto, ſuas ſequuntur cogitationes, quibus etiam ſeducuntur.

IPSI autem non cognouerunt vias meas. Effectus eſt humanæ ſapientiæ in rebus diuinis. Donec enim noſtras cogitationes ſequimur, nõ poſſum⁹ vias Domini cognoſcere. Porro cognitio viarũ Domini eſt duplex, Vna score ocioſa ſiue ἄκαρπος. Hęc non differt ab ignorantia, quod ad vſum poſsidentis attinet. Altera eſt fructuoſa, ſeu actuoſa, videlicet cum ſenſus in corde & actio in tota vita reſpondent noticiæ. Auguſtinus: Bonum intellectum habet, qui quod faciendum eſt, recte intelligit & facit, alioquin talis eſt ſine opere intelligentia, qualis ſine timore ſapientia, cum ſcriptum ſit, Initium ſapientiæ timor Domini.

Quapropter iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

Hæc pœna fuit corporalis tantum, videlicet, quod propter inobœdientiam excluſi ſunt ex terra promiſſa. Obſeruetur iurandi forma apud Hebræos per Apoſiopeſin, ac ſi diceret: Si introierint, non viuam: vel tale aliquid ſubaudiendum eſt.

Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis, ad deficiendum à Deo viuo.

Applicat exemplum culpæ & pœnæ ad Eccleſiam, vt alieno incommodo cautior facta, vitet futuram pœnam, per obœdientiam erga Euangelium. Hîc gradus à felicitate ſumma ad miſeriam ſempiternam notantur. Primus eſt Incredulitas eius, qui conuerſus fuit, quæ hoc pacto ſuboritur. Fides in ſegneſcentibus paulatim extinguitur, & ſuccedit dubitatio: quam mox excipit vetus incredulitas. Huic, vt effectus proprius adiungitur Malicia, hoc eſt, prauæ cogitationes & actiones ſceleratæ, vnde fit, vt homo plane deficiat à Deo viuo, Quod vbi factum eſt, ſub mortis imperio captiuus miſere tenetur, ac ita fiunt homini iſti poſteriora peiora prioribus: iuxta dictum Domini. Sit igitur hæc exhortatio Apoſtolica omnibus pijs cordi, quæ de duabus rebus nos admonet. Nam, cum dicit, Videte ſiue cauete: & periculum indicat, & diligentiam commendat. Periculum graue eſt, videlicet defectionis à Deo: cuius rei multa exempla in ſcripturis recenſentur, vt illis admoniti cogitemus de periculi magnitudine. Diligentia ſeria poſtulatur, vnde Paulus: Qui ſtat, videat ne cadat. Et alibi: Spiritum nolite extinguere. Item, Excita donum quod in te eſt. Oremus igitur quotidie cum Dauide: Doce nos Domine viam tuam, vt ingrediamur in veritate tua, vnias corda noſtra vt timeamus nomen tuum, & vitemus lapſus contra conſcientiam, militantes, iuxta conſilium Pauli, bonam militiam, retinendo fidem & bonam conſcientiam.

Sed adhortamini vos inuicē per ſingulos dies, donec hodie vocatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

Repetitio eſt propoſitionis Suaſoriæ amplificata quatuor circumſtantijs, quarum prima eſt: Mutua exhortatio, qua videlicet ali⁹ alium excitet ad pietatis officia, & obœdientiam erga Euangelium. Non enim tantum requirit à nobis Deus, vt ipſi aurem præbeamus ſanctis admonitionibus, verumetiam poſtulat, vt alij alios crebris exhortationum ſtimulis incitemus, quo alacriter omnes curramus in ſalutis ſtadio. Fit autem hæc mutua exhortatio, & verbis & exemplis, vt enim verbis quid expediat

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

[illegible]mus, ita exemplis idem confirmamus. SECVNDA circumſtantia eſt temporis. Vult enim Spiritus ſanctus, vt per ſingulos dies nos mutuo exhortemur: ſignificans carnis [illegible] rebellionem ac obliuionem, quæ caro inſtar aſini crebris & quotidianis opus habet veluti flagellis, vt impellatur, vel inuita, & ſubijciatur Spiritus imperio. TERTIA circumſtantia rurſus eſt temporis, videlicet reuelati Euangelij. Sicuti paulo antea admonui, per vocem Hodie ſignificari tempus reuelati Euangelij, quod ſane tempus ideo nobis commendatum eſſe oportet, ne noctis & ignorantiæ tenebris incauti inuoluamur, ſi hoc tempus acceptabile neglexerimus. QVARTA circumſtantia eſt finis mutuæ exhortationis, videlicet, ne quis noſtrum obduretur fallacia ſeu ſeductione peccati. Hæc circumſtantia diligenter obſeruanda eſt. Admonet enim, quod ex neglectu verbi & prætermiſsione exhortationum crebrarum, ſuboriatur paulatim cordis quædam duricies, priuſquam animaduertunt, ſeducuntur, ac in priſtinos errores labuntur, vt peccati iugo preſsi, tandem miſerrime pereant. Hoc quam verum ſit, non ſolum hiſtoria mundi docet, verumetiam multorum experientia hodie (proh dolor) teſtatur.

Participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium fiduciæ eius vſq; ad finem firmum tenuerimus.

Ratio exhortationis, à fructu perſeuerantiæ, & congruit hæc ratio cum dicto Chriſti: Qui perſeuerauerit vſque ad finem, ſaluus erit. Obſeruanda autem eſt hoc loco rurſus conditio. Nos (inquit) qui credimus, Chriſti participes ſumus, ſi modo conceptam de Chriſto fiduciam, vſque ad finem retineamus. Apoſtolus hoc loco ſignificanti admodum vocabulo vſus eſt, videlicet ὑπόστασις, quod nos fiduciam vertimus. Eſt autem, cum vocabulum ſit polyſemum, operæpreciũ notare, quæ ſint eius præcipuæ ſignificationes, quas breuiter aſcribam. Interdum idq; in genere opponitur ἐμφάσει, & ſignificat quiddá vere ſubſiſtens, non euaneſcens, vt nubes eſt hypoſtaſis, arcus vero in nubibus Emphaſis, hoc eſt, fallax ſine re ſimilitudo. Item, ſpeculum eſt hypoſtaſis, imago vero in ſpeculum reſultans, eſt emphaſis tantum. Interdum ſignificat ὑπόστασις ſubſtantiam intelligentem, incommunicabilem, hoc eſt, perſoná, vt ſupra 1. cap. Character ὑποστάσεως ipſius, id eſt, perſonæ patris. Atq; ita Græci Theologi in diſputationibus de Trinitate vſurpant vocabulum ὑποστάσεως, & diſtinguunt ab οὐσία, quæ eſt communicabilis. Interdum ſignificat fiduciam, certo aliquid expectantem, & opponentem ſe inſtar animoſi militis omnibus impedimentis. Nam vt animoſus miles ſuum aduerſariũ in ſe irruentem, forti animo expectat, & cum magna fiducia victoriam ſperat: Ita ὑπόστασις Chriſtiana, ſe omnibus procellis tentationum & ærumnarum opponit, certam ſibi in Chriſto victoriam pollicẽs. In hac ſignificatione hoc loco accipitur, & infra in 11. cap. Item 2. Corinth. 9. & 11. Item Pſalmo 39. vbi pro Thochalthi, id eſt, expectatio mea, Græci interpretes poſuerunt ὑπόστασις μου, id eſt, fiducia mea ſeu expectatio.

Dum dicitur: Hodie ſi vocem eius audiueritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione.

Teſtimoniũ ex Pſalmo adductum accommodat & interpretatur, vt exemplo vrgeat Hebræos. Vtitur autem interrogationibus & ſubiectionibus, quo eos magis conuincat, minuſque ſe dictis opponant.

Quidam enim, cum audiuiſſent, exacerbauerunt. At non omnes qui profecti ſunt ab Aegypto per Moſen.

Vt exemplum accommodet, diſtributione vtitur. Quidam (inquit) exacerbauerunt Dominum, quidam autem non. Illorum pœna cautiores oportet nos reddi. Horum fidem imitari conuenit, nihil morantes quod pauci fuerint. Non enim tam multitudo peccantium, quam paucitas piorum imitanda eſt.

Quibus autem infenſus fuit quadraginta annis? nonne illis qui peccauerunt, quorum membra proſtrata ſunt in deſerto?

Altera diſtributionis pars, nempe de incredulis, qui ſuæ incredulitatis pœnas in deſerto luerunt, ſua rebellione dignas: Non enim intromiſsi ſunt in terram promiſsionis.

Quibus autem iurauit non ingreſſuros

Repetit cauſſam puniti populi in

in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

in requiem ipſius, niſi illis qui increduli fuerunt? & videmus quod non potuerunt introire propter incredulitatem.

deſerto, & excluſi à promiſſa requie. Pertinet autem hæc repetitio eo, vt illorum malo edocti, caueamus nobis impenſius, ne noſtra ingratitudine vel pares vel maiores pœnas nobis accerſamus.

CAPVT IIII.

Summa Capitis quarti.

Cum Iudæi requie promiſſa excluſi ſint incredulitate, timeamus nos, & in vera fiducia perſeueremus, quo requiem oblatam retineamus, & verum Sabbathiſmum obtineamus, alioqui pœnam minime euaſuri ſumus.

Ordo & partes Capitis quarti.

Quia in ſuperiori capite attexuit doctrina de Chriſti & Moſis collatione exhortationem ad audiendum Euangelium: nunc oportune, cum verbum ſine fide nihil prodeſt, addit exhortationem & timorem & fidem, &, vt ipſos magis vrgeat, interſerit aſſeuerationem de verbi efficacia. Atq; ita & hoc caput generis ſuaſorij eſt, conſtans duabus partibus, videlicet propoſitione & confirmatione.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

TIMEAMVS ergo.

Illatio exhortatoria eſt, & ipſa exhortationis propoſitio, ad perſeuerantiam in fide & timore Dei. Nomine enim timoris Synecdochicôs verum cultum Dei intelligit Apoſtolus, qui in timore Dei ſitus eſt, & hoc pacto recte definitur: Timor Dei verus, eſt purus colendi Deum affectus, ex fide natus, cum humili ſubiectione & reuerẽtia, cumque ſerio ſtudio omnem offenſam Dei cauendi coniunctus. Dicitur autem hic timor filialis, vt diſcernatur à ſeruili timore. Nam vt ſeruus timet Dominum, cum indignatione & odio propter cruciatum: Ita filius timet Patrem, cum reuerentia & amore, propter fauorem paternum & beneuolentiam. Etſi interdum caſtigatur, paternum tamen animum, quem ſcit optimum erga ſe, veneratur. Timor atq; Dei filialis, eſt quo timetur Deus, non vt crudelis Dominus, ſed vt pater dulciſsimus.

Ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, videatur aliquis ex vobis fruſtratus eſſe.

Prima propoſitionis ratio, à cauſſa finali. Hic rurſus obſeruetur conditio, neminem deſtitui, niſi qui gratiam reſpuit. Deinde commendatur nobis hoc loco ſancta pro alijs ſolicitudo.

Etenim nobis Euangelizatum eſt, ſicut & illis.

Secunda ratio à cõparatis: Quemadmodum illis per Euangelij prædicationem, promiſſa eſt requies terræ Palæſtinæ: Ita nobis promiſſa eſt requies æternæ beatitudinis. Atque hæc maior ſyllogiſmi eſt. Obſeruetur exæquatio veteris populi, & noui Teſtamenti.

Sed illis nihil profuit ſermo auditus, Quia non fuit mixtus fidei ijs qui audierant.

Hæc aſſumtio, ſeu, minor ſyllogiſmi eſt: in qua elegans Metaphora obſeruanda eſt. Prædicationem Euangelij veluti vino comparat, quod vt nobis hauſtum, id eſt, auditũ & præceptũ proſit, oporteat fide quaſi temperari. Requiritur proinde, quo nobis ſit ſalutare Euangeliũ, vt illud tẽperemus fidẽ, hoc eſt, fide recipiamus, ac ita dulciſsimũ liquorẽ ſpirit9 in illo hauriam9. Cõncluſionẽ omittit, quę ita attexi debet.

Igitur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Igitur neq; nobis proderit promiſsio æternæ beatitudinis, niſi Euangelio crediderimus & vixerimus in vero timore Dei. Hinc proinde manifeſtum eſt, vanam eſſe profeſsionis gloriam, niſi fides & verus timor Dei affuerint.

Ingredimur enim in requiem eius, qui credidimus: quemadmodum dixit, ſicut iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.

Minoris aſſertio eſt per contrariorum collationem. Deus incredulum populum requie terræ promiſſæ excluſit. Ergo non niſi qui fidem habent, in veram & æternam ingrediuntur requiem. Conſequentia ideo valet, quia requies terræ Palæſtinæ, fuit typus requiei ſpiritualis Ieruſalem, & æternæ beatitudinis.

Licet operibus ad creationem mundi perfectis.

Incipit requiei promiſſæ definitionem inquirere. Perfectis operibus creationis rerum Deus quieuit. Ergo Dei quies eſt ceſſatio ab operibus creationis rerum. Proinde requies noſtra tum tandem erit, vbi perfuncti fuerimus laboribus in hac calamitoſa vita, & ingreſsi fuerimus requiem æternæ beatitudinis. Obſeruetur typus Sabbathiſmi Dei: Admonet enim nos de vero piorum in æterna beatitudine Sabbathiſmo.

Dixit enim quodam loco de die ſeptimo, ſic: Et requieuit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis.

Teſtimonio ſcripturæ confirmat, quod dixerat de Domini requie, vt aliam requiem eſſe oſtendat, cuius illa typus fuit, in quam ingreſſuri ſunt credentes. Poteſt autem Apoſtoli argumentatio, cuius partes fuſius explicantur hoc pacto concludi: Quod Dauid de requie loquitur, neceſſe eſt, vt aut de requie Domini ab operibus creationis, aut de requie Domini, quam adepti ſunt Iſraëlitæ, Cananæam ingreſsi, aut de aliqua alia requie Domini, quæ ſit adhuc futura, accipiatur. Atqui de duabus primis intelligi non poteſt, cum earum prior, iam à principio mundi conditi fuerit: poſterior, multis ſeculis ante ortum Dauidis. Neceſſe eſt igitur, vt Dauid de futura aliqua requie intelligatur, ſed qualiſnam illa ſit, paulo poſt clare exponitur.

Eſt in iſto rurſus: Si introibunt in requiem meam.

Probat priorem partem minoris. Eſtq; vis argumenti in temporis circumſtantia poſita: Domini requies ab operibus creationis iam dudum præterijt. Sed illa requies, de qua loquitur Dauid, eſt futura adhuc. Igitur non eſt eadem requies, ſed diuerſa.

Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam in illam, & ij quibus prioribus annunciatum eſt, non introierunt propter incredulitatem, rurſus quendam definit diem, hodie in Dauid, dicens: poſt tantum temporis, quemadmodum dictum eſt, hodie ſi vocem eius audiueritis, ne obduretis corda veſtra.

Probat poſteriorem partem minoris, nimirum, quod Dauid non ſit intelligendus de requie populi in terra Canaan. Eſtque hæc probatio, ſimiliter à temporis circumſtantijs ſumta. Longe poſt ingreſſum populi in terram Canaan, Dauid de futura quadam requie concionatur, ergo neceſſe eſt vt hæc ſit diuerſa ab iſta.

Nam ſi eis Ioſua requiē præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur poſthac die.

Probatio conſequentię eſt ſuperioris rationis. Si in veram requiem Ioſua populum introduxiſſet, non eidē populo de alia requie fuiſſet locutus Dauid. Sed iam de alia requie loquitur Dauid: Igitur Ioſua in veram requiem non introduxit populum. Loco totius argumenti ſola propoſitio ponitur.

Itaque relinquitur Sabbathiſmus populo Dei. Qui enim eſt ingreſſus in requiem

Iam tandem definit requiem illam ſpiritualem, de qua Dauid conciona-

eius,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

eius, & ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis Deus.

tus eſt. Hæc vera populi Dei requies dupliciter conſideratur. Nam eius duæ ſunt partes, pro duplici temporis ſtatu, videlicet, incoatio, & conſummatio. Incoatio in hac vita locum habet, quæ eſt ceſſatio ab operibus noſtris, per carnis mortificationem, vt Deo viuamus. Hæc ſæpe turbatur domeſticis & externis motibus, hoc eſt, malis affectibus & prauis actionibus. Coſummatio erit in futura vita, vbi nullis interturbabimur malis nullis affligemur ęrumnis, ſed ęterna Dei conſuetudine quieti & læti fruemur, ſine illa ad hanc nemo vnquam peruenire poterit, quare ſubiungit Apoſtolus hanc exhortationem.

Studeamus igitur ingredi in illam requiem.

Illatio exhortatoria eſt, vt ſtudeamus ac properemus in iſtam veram requiem introire.

Ne quis eodem cadat exemplo incredulitatis.

Ratio exhortationis ab exemplo, cuius antea meminit. Vetus populus propter incredulitatē ſuam excluſus eſt à temporali requie. Caueamus igitur ne & nos ſimiliter ab æterna requie excludamur, per incredulitatem noſtram.

Viuus enim eſt ſermo Dei & efficax.

Alia exhortationis ratio, ſeu ætiologia proximi argumenti, à vi & efficacia verbi Dei deſumta. Accommodabitur autem hoc pacto: Quemadmodum illi qui increduli erant, in deſerto non occubuerunt proſtrati gladio ferreo, ſed verbo Dei: Ita futurum eſt, vt qui Euangelio nunc non obtemperauerint, ſimiliter verbo Dei proſtrati pereant. Texit autem Apoſtolus longiorem commendationem verbi Dei, vt nos magis ad obœdientiam inuitet, ac tribuit ei ordine quinq; Epithera, quorum primum eſt, quod ſermo Dei dicatur viuus, idq; per metonymiam. vt enim ψυχικὸς homo viuit per animam: Ita ſpiritualis homo, hoc eſt, verbo Dei regeneratus, viuit per ſermonem Dei fide apprehenſum. Nam ſermo hic fide apprehenſus, cor hominis renouatum excitat ad omnia pietatis officia, hinc Dauid: Hæc eſt conſolatio mea in afflictione mea, quia verbum tuum viuificauit me. Et pulcre Bernhardus ait: Licet fueris in peccato mortuus, ſi audieris vocē filij Dei, viues. Atq; hunc effectum ſermo Dei habet, quando fide recipitur, verum cum fide non recipitur: hominum culpa mortem affert, ſeu, mortificat. Sicuti Eſaias etiam teſtatur capite 11. Baculo oris ſui percutiet terram, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Si ergo fidem adhibuerimus verbo ſeu ſermoni Dei, nos vere viuificat. Sin minus, nos interficit, non ſua, ſed noſtrapte culpa. Deinde dicitur efficax, propterea quod non ſolum mouet & excitat, verumetiam fructum producit. Vt enim corpus operatur per animam: Ita Spiritus ſanctus per verbum, & in verbo eſt efficax.

Et penetrantior quouis gladio bicipiti.

Per comparationem vim verbi explicat (& eſt tertium Epitheton) vt gladius ferreus vtrinq; acutus facile penetrat, dum impellitur in corpus obiectum: Ita Dei ſermo, Spiritu ſancto vibrāte, penetrat intimos cordis receſſus. Videtur Apoſtolus hoc deſumſiſſe ex 41. capite Eſaiæ, vbi ſic ſcriptum eſt: Poſui os meum quaſi gladium acutum.

Pertingens vſq; ad diuiſionem animę & ſpiritus.

Collationē exponit addens quartum Epitheton: Vt gladius acutus vtrinq; penetrat: Ita ſermo Dei totum hominem cum omnibus ſuis viribus examinat. Vt per animam intelligendi ſunt affectus omnes. Ita per ſpiritus vocabulum intelligendi facultas. Hæc pars commendationis verbi Dei deſumta eſt ex 20. cap. Prouerb. Lucerna Domini dat hominibus vitam & ſpiritum, & penetrat in intimos ſinus cordis.

Compagum quoq; ac medullarum.

His verbis ſignificatur, quod nihil in homine tam ſit reconditum, quin eo pertingat efficacia verbi Dei. Atq; hoc in Dauide videre licet, omnia (inquit) oſſa mea conturbata ſunt. Hic vere ſenſit ſanctus vir verbi diuini in ſe efficaciam, quæ manat ex ſpiritu Dei: qui ſemper in verbo efficax eſt. Sed hæc magis ſentiuntur in pijs pectoribus, quam verbis explicari poteſt.

Et

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Et diſcretor cogitationum & intentionum cordis.

Hoc quintū Epitheton verbi Dei, ſignificat quod verbum Dei cor hominis examinet, vt ipſi ſuæ tenebræ, ignorantia, diffidentia, dubitatio de promiſsionibus & comminationibus diuinis, innoteſcant: vt lucem Euangelij, eiectis tenebris recipiat: vtque renunciata hypocriſi, vere ac ſincere Deum colat.

Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autē nuda & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis eſt ſermo.

Alia eſt exhortationis ratio, à proprio Dei, quod eſt omnia coram cernere, ſumta. Nulla creatura oculos Dei ſubterfugere poteſt. Igitur illi tanquam præſenti fidendum eſt, & obtemperandum, ne aliquando ipſum vindicem experiamur. Notetur teſtimonium de præſentia Dei, qua omnia coram intuetur, quantumuis arcana & abſcondita putentur ab hominibus. Agat proinde vnuſquiſq; omnia, tanquam in conſpectu Dei iuſti iudicis. Participium τετραχηλισμένα proprie ſignificat diuiſa per ſpinam dorſi, à vertice vſq; ad finem. Nam τράχηλος totam illam ſpinam dorſi ſignificat. Quia ergo in mactatis animalibus & diuiſis per ſpinam, omnia apparent interiora & exteriora, adeo vt nihil latere poſsit, Apoſtolus tranſtulit vocabulum ad ſuum propoſitum, vt ſignificet ita omnia ſecreta cordium expoſita eſſe Dei oculis, ac ſi anatomia facta, omnia aperta & nuda conſpicerentur. Sunt igitur Deo notiſsimæ, vel minimæ cogitationes noſtræ, vel affectiones, ſiue ſint bonæ ſiue malæ. Deinde notetur quod hic πρὸς pro περὶ accipitur, vt ſupra etiam notauimus in 1. cap. vt, ad quem, ſit idem quod: De quo.

Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Ieſum filium Dei, Teneamus confeſsionem.

Generalis concluſio eſt exhortationis, quæ in tertio & quarto capitibus inſtituta fuit. Colligit autem ſummam exhortationis hoc Enthymemate. Habemus Pontificem magnum, qui noſtras partes agit in cœlo apud Patrem: fiduciam igitur retineamus, ac ei obœdiamus, non fracti vel cogitatione præteritorum peccatorum, vel conſideratione præſentis infirmitatis. Confeſsionis vocabulo fidem cum timore Dei & obœdientia coniunctam intelligit.

Non enim habemus Pontificem, qui nō poteſt compati infirmitatibus noſtris, ſed tentatum per omnia, iuxta ſimilitudinem, abſq; peccato.

Anticipatio eſt, qua anteuertit infirmorum obiectionem, qui poterant obtendere maieſtatem Chriſti, quo minus ipſi, cum ſint miſeri & ærumnoſi, audeant eum compellare. Huic obiectioni contrariam aſſeuerationem opponit, cum ait: Non habemus Pontificem, qui non poteſt compati, hoc eſt, habemus Pontificem qui vere & ſerio compati, id eſt, aliena miſeria affici, perinde ac ſua propria nouit. Hoc probat à cauſſa τῆς συμπαθείας, affirmans Chriſtum tentatum eſſe per omnia, iuxta ſimilitudinem, id eſt, ſicuti nos alij homines tentamur; ſed abſq; peccato. Sic igitur concluditur hæc ratio: Pontifex noſter Chriſtus Ieſus tentatus eſt, vt alij homines, hoc eſt, infirmitatibus (vt ſunt metus, triſtitia, horror mortis &c.) eſt probatus, & veluti igni quodam examinatus. Igitur aliorum calamitatibus vere afficitur. Non eſt ergo quod propter ipſius maieſtatem ipſum fugiamus, ſed potius vt eum accedamus, qui & poteſt & vult iuuare confugientes ad ſe. Conſequentia argumenti pendet ex hoc principio: Experti ærumnis, ærumnoſorum miſeria afficiuntur, cum contra, nihil experti nullius fere calamitate tanguntur. Huc illud. Si parua licet componere magnis. Haud ignara mali miſeris ſuccurrere diſco. Vox συμπάθεια, qua hic vſus eſt Apoſtolus, à Clemente Alexandrino, hoc pacto definitur: συμπάθεια ἐστὶ πάθος διὰ πάθος ἑτέρου. Fit autem hæc συμπάθεια propter conuenientiam & coniunctionem naturæ, vt Cicero teſtatur. Pugnat hic locus cum dogmate Papiſtarum, qui alios Patronos & Mediatores obtrudunt Eccleſiæ, quam ſolum Ieſum Chriſtum.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilium oportunum.

Repetit concluſionem amplificatam à cauſſa finali: quæ eſt miſericordiæ & gratiæ inuentio. Dum miſericordiam nominat, ſignificat nos ſine pontifice illo, & throno gratiæ, eſſe

extre-

extreme miſeros: At cum gratiam dicit, innuit nos peccatores & reos eſſe. Tollit igitur noſter Pontifex, cum miſeriam, hoc eſt, pœnam, tum miſeriæ cauſſam, hoc eſt, peccatum. PORRO duplex thronus eſt Dei. Vnus gloriæ, à quo refugimus propter maieſtatem iudicis. Nam peccatum nos ab iſto throno repellit. Alter eſt gratię, ad quem fide per Pontificem noſtrum accedimus, vt accipiamus miſericordiam, & inueniamus gratiam in auxilium oportunum, hoc eſt, vt impetremus ad ſalutem neceſſaria, hoc noſtræ vocationis tempore. Quamdiu enim in hac mortali vita verſamur, oportunũ tempus eſt. Nam in eo, voce miniſtrorum Euangelij, vocamur ad thronum gratiæ Chriſti, vt miſeria noſtra liberati, propitium patrem in Chriſto inueniamus.

CAPVT V.

Summa quinti Capitis.

Vt Chriſtum verum Sacerdotem, à Deo conſtitutum, ſecundum ordinem Melchiſedech docet: Ita obiurgat Hebræos, & eorum ruditatem arguit, propterea quod adhuc elementis doctrinæ indigere videantur.

Ordo & partes Capitis quinti.

Hactenus de perſona Chriſti, quem verum Deum & verum hominem eſſe docuit, & de exhortatione ad audiendum hunc Chriſtum.

Nunc de Chriſti pontificatu agit, quem pontificem eſſe, à proprio officio pontificis colligit. Deinde vt accommodet doctrinam auditoribus, digreditur in obiurgationem. Huius igitur capitis partes ſunt duæ. Quarum prior eſt διδακτικὴ, ſeu demonſtratiua. Poſterior δικανικὴ, & iudicialis.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

OMNIS namque pontifex aſſumtus ex hominibus, pro hominibus conſtituitur, in ijs quæ apud Deum agenda ſunt, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, Qui moderate ferre poteſt ignorantes & errantes, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate. Propterea debet quemadmodum pro populo, Ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis, nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo.

Hæc definitio eſt pontificis veteris Teſtaméti, quam infra accommodat Chriſto, & concludit ipſum verum pontificem eſſe. Argumentum autem hoc pacto formari poteſt. OMNIS ex hominibus aſſumtus, vocatus à Deo & cõſtitutus pro hominibus, vt ſit Mediator, offerens dona & ſacrificia, eſt Pontifex. CHRISTVS autem eſt talis. ITAQVE Chriſtus verus eſt Pontifex. DEFINITIO eſt pontificis veteris Teſtamenti, qui, vt Typus, officium Chriſti veri ſacerdotis figurabat, & adumbrabat. MAIOR Syllogiſmi huius conſtat ſex attributis. Quorum quædam ad perſonam, quædam ad officium pontificis pertinent. Ad officium pertinent hæc tria, Doctrina, Interceſsio, Sacrificium. Sed de his attributis particulatim dicamus, ac repetamus textum ordine, vt ſingula meius percipiantur.

Aſſumtus ex hominibus.

Prima conditio, videlicet perſonæ, quod Pontifex vnus aliquis de genere humano eſſe debuerit: Non enim congruebat, vt ſola diuina natura eſſet mediatrix, nec angelica natura potuit mediatrix eſſe.

Pro hominibus conſtituitur.

Secunda conditio, quod Pontifex pro hominibus interceſſor eſſe debue

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

it. Homines enim à Deo alienati fuerunt, per peccatum, Quare nullus acceſſus eis patet ad Deum ſine mediatore. Ita enim ait Eſaias, cap. 59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis. Et Sapient. 1. Peruerſæ cogitationes vos ſeparant à Deo.

In ijs quæ apud Deum erant agenda.

Tertia conditio Pontificis, videlicet, quod apud Deum debuerit eſſe Mediator. Nam homines offenderant Deum: Quare illis aut perpetuo pereundum fuit, aut aliquis Mediator conſtituendus, qui ſatisfaceret iuſticiæ Dei, & placata ira Dei, homines Deo reconciliaret.

Vt offerat dona & victimas pro peccatis.

Hæc quarta conditio eſt de officio Sacerdotis, quod erat placare offenſum Deum donis & victimis, hoc eſt, ſacrificijs. Nam ſacrificiorum alia ex fructu terræ & rebus vitæ expertibus fiebant, quæ Apoſtolus dona vocat. Alia ex animalibus fiebant, quæ iugulabantur, atq; ideo vocata ſunt θυσίαι, hoc eſt, victimæ. DVABVS autem de cauſsis Deus olim Iudæis præcepit ſacrificia. PRIMVM, vt populus in idololatriam pronus ab idolis auerteretur, & in cultu vnius Dei contineretur. DEINDE vt typum haberet populus Dei ſacrificij Chriſti, quem aliquando oportebat in crucem agi, propter peccata humani generis. SIMVL etiam admoneretur populus de grauitate ſuorũ peccatorum, pro quibus mactãda eſſent innoxia animalia, quorũ ſanguine purgarentur, nõ quod conciliandæ Domini gratiæ aut delendæ iniquitati par eſſet Leuiticum ſacrificium, ſed quod verũ ſacrificiũ adumbraret: quod tamen ab vno Chriſto reipſa peractum fuit, & propterea ſacrificia iſta vocabantur expiationis ſacrificia.

Sacrificiorum autem Legis variæ fuerunt formæ, quæ ad duo genera omnes referri poſſunt. Aut enim pro peccato fiebat oblatio, quadam ſatisfactionis ſpecie, qua noxa coram Domino redimebatur. Aut Symbolum erat diuini cultus, religioniſque teſtificatio: Nunc vice ſupplicationis, ad fauoré Dei poſtulandum: Nunc gratiarũ actionis, & gratitudinem animi pro acceptis beneficijs teſtãdam. Nunc pro ſimplici pietatis exercitatione, ad renouandã fœderis ſanctionem. PRIVS illud Genus, ἱλαστικὸν, id eſt, propitiatorium, ſeu expiatorium dictum eſt, propter ſignificationem. POSTERIVS à præcipua ſua parte εὐχαριστικὸν à Melanchthone dictum eſt. HORVM veterum ſacrificiorum cum legitimus vſus, tum abominabilis abuſus, cernitur in duobus fratribus, videlicet Cain & Abel. Cain offerens, operis dignitate fretus, nõ reſpexit fide in ſemen promiſſum, per quod fieret vera peccati expiatio. Quare ipſius ſacrificium abominatus eſt Dominus. Abel offerens, intelligit ſanguine animalium nequaquam expiari peccata: Quare reſpexit fide in Mediatorem & ſacerdotem promiſſum, & hac fide iuſtificatus, placuit Deo & ipſe, & ipſius ſacrificiũ. Quod autem fide Chriſti, quaſi ſale quodam, cõdienda eſſent ſacrificia vetera, ſignificatur in præcepto legis, In omni oblatione offeres ſal. Iubet autem Spiritus ſanctus in omni ſacrificio ſalem adhiberi, vt hoc ritu depingat naturam Chriſti, qui per ſacrificiũ adumbratur. Chriſtus enim verus ille & cœleſtis ſal eſt, quo tam homines quam opera eorum redduntur Deo tanquam ſapidus cibus grati & iucundi, quo etiã homines in ipſum credentes, ita (quamuis mortui) à putrefactione conſeruantur, vt reſurgant ad perpetuam vitam. Etenim propter peccatũ homines facti ſunt Deo inſulſi & inſipidi, vt non ſolum non ſumat ipſos in cibum in mẽſa cœleſtis regni, verumetiã deteſtetur eos, tanquam abominabilé ſaporé. Cum autem conſperguntur homines, & condiuntur ſale, qui eſt Chriſtus, fiunt Deo gratiſsimus cibus & iucundiſsimus. Idem de operibus fidelium intelligendum eſt. CÆTERVM error Cain hæſit in maxima parte populi Iudaici, quemadmodum pauci Abelis exemplum ſecuti, diſcernebant recte inter vmbras & veritatem. HÆRET & hodie Cainicus error, in omnibus Papiſtis, Phariſæis & Hypocritis, qui ſuis operibus, quod Chriſti proprium eſt, attribuunt, & loco veri ſalis Ieſu Chriſti, condiunt ſua opera meritis proprijs: quorum pœna in ipſo Cain, quaſi in exemplo illuſtri, præſcripta eſt.

Qui condolere poteſt ignorantibus & errantibus.

Hæc quinta eſt ſacerdotis veteris conditio, videlicet, de affectu ipſius erga homines ignorantes & ſupplicantes, pro quorum peccatis abolendis offert Deo dona & victimas. Eſt autem μετριοπαθεῖν, miſerari, quantum ſatis eſt, vicem eorum, qui aliquo malo affliguntur, atq; adeo ipſis condolere.

Quoniam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate, propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis.

Hæc quintæ conditionis ratio eſt, ab adiunctis perſonæ ſumta. Qui ipſe infirmus eſt & peccator, vicem peccatorum & errantium miſeratur. Sacerdos legalis ipſe fuit infirmus, & peccator. Quare aptus erat ad miſerandũ vicem eorũ, qui ſimili cũ ipſo infirmitati obnoxij erãt.

Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam & Aaron.

Sexta conditio veteris ſacerdotis. Pontifex debuit eſſe diuinitus vocatus, quod Aaronis confirmat exemplo, qui non ſibijpſi ſumſit ſummi ſacerdotis dignitatẽ, ſed Deo vocanti, & mandanti officium, obtemperauit. Numer. 17. OBSERVANDVS eſt hic locus, de vocatione ad munus Eccleſiaſticum. vt enim nemo ſine diuina autoritate ſe ingerere debuit in typicum illud & Leuiticum ſacerdotium: Ita nec in officium Eccleſiaſticum quiſquam ſe intrudere debet ſine legitima vocatione. Et vt nihil ſuo arbitrio ordinare, ita verbum Dei ducem in omnibus ſequi debet. CONFVTATVR præterea hac Pontificis deſcriptione Papale Sacerdotium, & Pontificatus Romanus, in quem nihil minus quadrat, quam hæc Apoſtolica pontificis definitio.

Sic & Chriſtus non ſemetipſum glorificauit, vt fieret Pontifex.

Applicat definitionẽ veteris Pontificis Chriſto nouo & perfectiſsimo Pontifici, & vmbram veritati. Et loco minoris eius probationem ponit. Etſi autem ſingula definitionis membra rectiſsime accommodat Apoſtolus, ordinem tamen ſuprapoſitum in accõmodatione non ſeruat. Sed quod poſtremo loco ponebatur, primum confirmat. Deinde reliqua promiſcue adiungit. Primum itaq; ſextam conditionẽ Chriſto ſacerdoti accommodat, cum inquit, Sic & Chriſtus non ſemetipſum glorificauit, id eſt, Non ſibi ſumſit honorẽ, vt fieret Pontifex, hoc eſt, quemadmodum Aaron, non ſibi vſurpauit honorem Sacerdotij ſine diuina vocatione: Ita nec Chriſtus gloriam Pontificatus ſibi aſſumſit, ſed à Deo patre ſacerdotij dignitatem adeptus eſt. Colligamus membratim definitionem ſacerdotis Chriſti, & ordiamur cum Apoſtolo à ſexta conditione hoc modo: CHRISTVS eſt à Deo conſtitutus Sacerdos.

Sed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Probat teſtimonium Dauidis, Pſalmo 2. Chriſtum à patre pontificatus munus accepiſſe. Sed qualis quæſo eſt hæc conſequentia, pater dicit filio: Filius meus es tu, ego hodie genui te: Igitur Chriſtus eſt ſacerdos à Deo patre conſtitutus? Reſpondeo: manifeſtatio filij in carne, de qua dixit: Ego conſtitui regẽ meum ſuper Zion montem ſanctũ meum, &c. facta eſt propter ſacerdotium. Apoſtolus autẽ vt dignitatem huius Sacerdotis illuſtret, hæc potius verba quã priora allegat, Quia mox ex Pſalmo alio citabit dictũ, in quo expreſſa ſacerdotij mentio fiet. Ac videtur textus vel mutatione voculæ vnius, vel certe Syncheſi, quæ in hac Epiſtola perfrequens eſt, nonnihil turbatus. nam ſi pro καθὼς in ſequenti verſu legas οὗτος, manifeſta & expedita erit ſententia. Chriſtus non ſemetipſum glorificauit, vt fieret Pontifex, ſed qui dixit ei: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Idem & alibi dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Atq; hoc ſane loco Apoſtoli mouentur nonnulli, vt dictum Pſalmi, non de æterna generatione filij, ſed de manifeſtatione filij Dei in carne exponant. Nam alioqui ineptã exiſtimãt probationẽ videri in hunc modum inſtitutam, Chriſtus ab æterno natus eſt ex patre, Igitur à patre eſt Sacerdos conſtitutus. Intelligunt igitur dictum Pſalmi, de manifeſtatione Chriſti in carne, vt ſit ſumta non obſcuriſsima ratio à deſtinato ad finẽ. SED ſupra cũ capite primo Apoſtolus hoc ipſo dicto allegato probarit, Chriſtum vere filiũ Dei eſſe, vbi non niſi de æterna generatione filij, exponi dictũ Pſalmi poteſt, Non libẽter aliam ei expoſitionẽ affingi velim. Ne hac ceu æquiuocatione vis & euidentia teſtimonij citati, & argumentationis iſtic inſtitutæ, euertatur aut labefactetur. Ac quo minus mouear eorum argumẽto, qui de manifeſtatione filij in carne dictũ Pſalmi accipiunt, hæc etiam ratio facit: Quia vſitatum eſt Apoſtolis breuiter citare Prophetarum ſententias, & veluti digito monſtrare. quæ à Prophetis ſuo loco copioſius exponuntur. Ita ſi nõ eſt voculæ vnius facta mutatio, vt paulo ante dixi, conſtat tamen Apoſtoli allegatio, in hanc ſententiam: Pſalmus filium ab æterno à patre genitum affirmat Regem eſſe, docẽtem ac prædicantem in Zion, Non ergo Rex tantum, ſed & Sacerdos æternus eo loci intelligẽdus eſt, cuius proprium eſt docere & prædicare. Ac proinde honorẽ hunc habet Chriſtus, non à ſe-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

metipſo raptum, ſed à patre ſibi tributum, qui in Zion eum conſtituit, &c.

Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundũ ordinem Melchiſedech.

Clarior vocationis Chriſti ad ſacerdotium probatio, ſumta ex Pſalmo 110. Qui Pſalmus eſt propheticus de regno, naturis, ſacerdotio, morte & triumpho Chriſti ſuper morte. Verum quia hic tantum additur teſtimoniuum Pſalmi, vt probetur vocatio Chriſti ad æternũ ſacerdotium, & collationem ſacerdotij Chriſti & Melchiſedech, proſequetur iuſta diſputatione in 7.cap. Nolo hic copioſius de illa collatione diſſerere. Ex hoc teſtimonio, particulam vnam addamus incoatæ definitioni. CHRISTVS eſt à Deo conditus Sacerdos æternus.

Qui in diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationeſq;, ad eum qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt à metu.

Hic Prima, Secunda, Tertia, Quarta & Quinta conditiones attinguntur, quas ſupra attribuit pontifici Leuitico, & nunc Chriſto accommodat, vt vetus ſacerdotium comprobetur. Cum enim dicit: In diebus carnis ſuæ, primã Chriſto accommodat conditionem, nimirũ, quod ſit Pontifex de hominibꝰ aſſumtus, vt qui nobiſcum verus factus ſit homo. cũ addit, Preces ſupplicationeſq; ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte offerens, interceſſionem & ſacrificium Dei factum per Sacerdotem indicat, vnde ſecundæ, tertiæ & quartæ conditionis membra concluduntur. Præterea cum inquit, Cum clamore valido & lacrymis, Quinta conditio exprimitur, hoc eſt, affectus huius ſacerdotis ſummi erga populum pro quo obtulit. Nam vt noſtro nomine Sacerdos eſt factus: Ita etiã propter nos iſtum validum clamorem in cruce edidit, ſuſtinens pœnas pro totius mundi peccatis, & perſoluens, hoc eſt, λύτρον pro humano genere. QVARE ſubijcitur καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, hoc eſt, exauditus, id eſt, liberatus à metu, Idq; non ſolum, quantum ad ipſius perſonam attinet, Verumetiam quantum ad credentes, qui Chriſto fide inſeruntur. Aboleuit enim per mortem eum, qui mortis imperiũ habebat, hoc eſt, Diabolum, & reconciliauit hos Deo, qui metu mortis per omnẽ vitam obnoxij erant ſeruituti. ALII vertunt, exauditus eſt pro reuerentia, ſed variant in explicatione. Quidam enim exponunt de reuerentia patris erga filiũ, quaſi pater quodammodo reueritus fuerit Chriſti dignitatẽ, ſed hæc expoſitio minus conuenire videtur. Quidam ad filij reuerentiam erga patrẽ hoc referunt, quod filij reuerẽtia & filialis timor ita placuerit patri, quod propter eam pater filium exaudiuerit. Quæ ſententia etſi pia eſt, tamen huic loco minus congruere videtur. Nemini enim dubium eſſe poteſt, quin hic Apoſtolus loquatur de grauiſsimo certamine Chriſti, ſuſtinentis irã Dei propter peccatum, ſudantis ſanguineos grumos, clamantis in ara crucis, Deus meus, Deus meus, cur dereliquiſti me? Ab hoc certamine & metu Chriſtum liberatũ eſſe ſignificat Apoſtolus, ita vt omnẽ metum mortis depoſuerit. Neq; hoc ita accipiendum eſt, ac ſi Chriſtus deſperaſſet in pœnis: ſed ad ſenſum vehementiſsimum pœnarum referri debet. Addamus & ſententiam huius pericopæ, inſtitutæ definitioni: CHRISTVS eſt à Deo conſtitutus Sacerdos æternus, qui homo factus precibus ſupplicationibuſq; oblatis impetrauit ſalutem.

Tametſi filius erat, didicit ab ijs, quæ paſſus eſt obœdientiam, & conſummatus obœdientibus ipſi, omnibus factus eſt cauſſa ſalutis æternæ.

Per occupationẽ attexit virtutem ſacrificij Chriſti, & ad quos pertineat eius virtus ſeu fructus oſtendit. Primum dicit, Tametſi filius Dei erat, tamen cruce didicit obœdientiam, id quod ſane noſtro reſpectu dicitur. Etſi enim Chriſtus patri obœdiẽtiſsimus ſemper fuit, tamen eius obœdientia nobis magis declarata eſt, quod vſq; ad mortẽ illã ignominioſam, videlicet crucis, fuit obœdiens. Hæc Chriſti obœdientia nobis ſtimulos addet, ad præſtãdam Deo veram obœdientiã, non ſolum dum res ſecundæ ſunt, verumetiam, idq; multo magis in triſtibus & duris rebus, quando confeſsio ad ſupplicia vocat. Deinde dicit, quod ſit conſummatus, græce τελειωθεὶς, id eſt, conſecratus perfecte Deo, id eſt, factus hoſtia plena & ſufficiens placans iram Dei. Tertio addit finem huius victimæ, videlicet, quod ſit cauſſa ſalutis, non momẽtaneæ, ſed æternæ. Et quia non omnes huius ſalutis cõſortes fiunt. Quarto loco addit, ad quos pertineat iſta ſalus, videlicet, ad obœdientes ipſi, hoc eſt, credentes Euangelio Chriſti. iuxta illud: Qui credit in filium, habet vitam æternam. Quinto & poſtremo loco notanda eſt particula vniuerſalis. Omnibus enim credentibus ſalutarem pronunciat

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nunciat Chriſti hoſtiá. Ex fructu igitur hoſtiæ Chriſti ſola inobœdientia, hoc eſt, incredulitas excludit. Confirmanqur præterea hac pericopa fere omnes conditiones, quas in principio capitis in Sacerdote requirit. Summam horum addamus incoatæ definitioni hoc modo: CHRISTVS eſt à Deo conſtitutus Sacerdos æternus, qui homo factus, precibus ſupplicationibusq; oblatis, impetrauit ſalutem λύτρῳ ſoluto, pro omnibus in ſalutem, qui in ipſum crediderint.

Appellatus à Deo Sacerdos iuxta ordinem Melchiſedech.

A teſtimonio Dei confirmat minorem. Appellatus eſt à Deo Sacerdos iuxta ordinem Melchiſedech. Igitur vere eſt Sacerdos à Deo ordinatus.

De quo nobis grandis ſermo eſt, & difficilis explicatu, Quandoquidem tardi facti eſtis ad audiendum.

Diſputationem quam inceperat de pontificatu Chriſti abrumpit, & digreditur in obiurgationem. Obiurgat enim Hebræos, ob ſuam in diuinis rebus ruditatem & ignauiá. Hæc obiurgatio eo ſpectat, vt Hebræi diſputationi ſequenti de ſacerdotio Chriſti attentiores aures præbeant. Difficultatem, cuius hic meminit, non tam rebus quam ignauiæ auditorum aſcribit. Vt enim res facile percipiuntur ab attentis: Ita ignauia hominum ſæpe difficultatis cauſſa eſt. Vere enim dictum eſt à veteri Poëta, οὐ χωρεῖ μεγάλην σοφίην ἀδίδακτος ἀκούειν.

Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſus indigetis, vt aliquis vos doceat elementa initij ſermonum Dei.

Argumentum ignauiæ eſt, quod tametſi longo tempore audierant alios, adeo quod merito iam magiſtri aliorum eſſe poſſent, Si tempori diligentia in diſcendo reſpondiſſet: tamen adhuc indigeant elementari doctrina religionis. Tametſi autem nemo exhaurire poteſt fontes ſacræ doctrinæ, tamen nō in elementis perpetuo hærendum, ſed progrediendum eſt indies magis magiſque in ſchola Chriſti: Nam cum cognitione ſenſus etiam creſcit: Atq; ideo Paulus optat ſuis Philippenſibus, vt abundent in cognitione & omni ſenſu. Vult enim vt ſenſus reſpondeat cognitioni.

Et facti eſtis quibus lacte opus eſt, & non ſolido cibo.

Expolitio eſt, per aliam Metaphoram, ab infantibus ſumtam. Vt enim infantibus rudes comparat in Chriſtiana religione: Ita ſignificat miniſtros Euangelij eſſe veluti nutrices quaſdá, quæ, habita ratione infantum, cibum ipſis præbeant: quæ infantibus quidem lac, qui propter ætaté ſolidũ cibum ferre non poſſunt: profectioribus vero ſolidum cibũ miniſtrant. Atq; ita requiritur in miniſtris Euangelij, vt ſe captui auditorũ accõmodent, Lactis vocabulo quid ſignificetur hoc loco, tum ex præcedentibus liquet. Nam quod ſupra elementa initij ſermonum Dei vocauit, hic lac nominat, tum ex initio ſexti capitis, vbi elemẽtorũ, quæ lactis nomine ſignificantur, ſex partes enumerat, de quibus ſuo loco. Petrus rationalis lactis meminit in prioris ſecundo, Quod ſane ad viuendi rationem conſentaneam infantię ſimplici, referendum eſt. Nam vt lac vitijs opponit Apoſtolus: ita infantiam vetuſtati naturæ. 1. Cor. 3. Apoſtolus lac vocat ſermonem ſimplicem, cui opponit copiam orationis & grandiloquentiá.

Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſticiæ, paruulus enim eſt.

Expolitionis eſt confirmatio. Obſeruanda eſt antitheſis, qua ſermo iuſticiæ opponitur lacti, hoc eſt, initiali doctrinæ & elementali. quare ſermo iuſticiæ erit plena inſtructio Chriſtianiſmi, quæ iuſte requiritur à Chriſtianis. Argumentum præſens concludatur hoc pacto. Lactis particeps non eſt idoneus ad ſolidum cibum capiendum. Vos Hebræi participes lactis eſtis. Igitur non eſtis idonei ad ſolidum cibum capiendum. Maior expreſſe ponitur cum probatione.

Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, qui pro ipſo habitu exercitatos habent ſenſus, ad diſcretionem boni & mali.

Eiuſdem confirmatio, quæ concluditur hoc modo. Solidus cibus eſt perfectorum. Vos non eſtis perfecti. Igitur ſolidus cibus vobis non

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

conuenit. Maiorem confirmat ex eo, quod ſolidus cibus conueniat aſſuetis, qui poſſunt diſcernere inter bonum & malum. Obſeruetur hoc loco, quod Apoſtolus noſter velit Chriſtianos habitum ex continuo vſu firmatum habere in doctrina religionis, quo poſsint diſcernere inter bonum & malum. Cum hæc diſcretio boni & mali regulam habeat verbum Dei, commendatur nobis ſerium verbi Dei ſtudium. Papa igitur ſacrilege facit, qui negat licere Laicis ſacra Biblia, in vernaculam linguam verſa, legere, ſed eos qui hoc faciunt, quouis ſuppliciorum genere perſequitur.

CAPVT VI.

Summa Capitis ſexti.

Reprehenſa ſegnitie & tarditate Hebræorum, hortatur eos Apoſtolus, vt ad altiora ſe conuertant, minitans ſimul pœnas, niſi in veritate agnita perſiſtant, & vt fideles animum non deſpondeant, mitigat quæ durius in eos qui ab Euangelio deficiunt, dixerat.

Ordo & partes Capitis ſexti.

In fine ſuperioris capitis in obiurgationem digreſſus eſt, nunc addit exhortationem, à qua rurſus ad minas fertur, quibus ſubiungit mitigationem, ne aſperiori obiurgatione fracti, animum deſpondeant. Conſtat autem præſens caput propoſitione, confirmatione & concluſione, à qua artificioſe redit ad diſputationem propoſitam de ſacerdotio Chriſti.

EXEGESIS SEXTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

QVAPROPTER omittentes incoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur.

Exhortatio eſt figurata reiectione. Hortatur enim Hebræos, vt non in Elementis ſolummodo hæreant, ſed ad perfectiora religionis myſteria cognoſcenda ſe accingant, ac ſe dociles præbeant. λόγον τῆς ἀρχῆς τοῦ χριστοῦ, vocat prima Chriſtianiſmi principia, quæ in Cathechiſmo traduntur.

Non rurſus iacientes fundamentum.

Amplificat à contrario, & exponit per diſtributionem, quis ſit ſermo incoationis Chriſti, & quæ elementa exordij ſermonum Dei, quos lactis vice fungi dixerat. Ponit autem Apoſtolus ordine ſex capita elementaris doctrinæ Chriſtianiſmi, quæ ſunt etiam præcipua in Catechiſmo.

Pœnitentiæ ab operibus mortuis.

Hoc primum elemẽtaris doctrinæ Chriſtianiſmi caput eſt, à quo Chriſtus ipſe & Iohannes ſuas ſunt exorſi conciones, vt autem homines præparari poſsint ad pœnitentiam ſeu conuerſionem, neceſſaria eſt noticia Decalogi, qui accuſat peccatum. Verum ne frangantur homines cogitatione reatus & iudicij Dei, neceſſaria eſt concio Euangelij, quæ ad conuerſionem inuitat omnes. Cum igitur nominat pœnitentiam, requirit & Decalogi noticiam & Euágelij, quod Chriſti merita prędicat, quę ſunt ſatisfactio pro peccatis. Porrò opera mortua, metonymicos opera mortem inferentia, qualia ſunt in nõ ſanctis, omnia interna & externa contra Decalogum. In ſanctis vero lapſus cõtra fundamentum, aut contra conſcientiam admiſsi.

Et fidei erga Deum.

Hoc ſecundum caput eſt elementaris doctrinæ Chriſtianiſmi. Pœnitentia enim ſalutaris eſſe nequit, imo pœnitentia vocari non poteſt ſalutaris, niſi fides erga Deum accedat. Nam hæc forma eſt conuerſionis. fide enim fit conuerſio, ac fide liberamur à terroribus peccati, & accedimus ad Deum per Chriſtum Pontificem.

Baptiſ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Baptiſmatum doctrinæ.

Hoc tertium caput eſt Elementaris doctrinę Chriſtianiſmi. Baptiſmus olim pœnitentiam & fidem, cum iam recens Eccleſia plantaretur, ſequebatur, tanquã beneficij oblati per Euangelium applicatio, & obſignatio quædam fauoris Dei erga conuerſos. Quia autem plurali numero hic vtitur Apoſtolus, colligunt quidam plura Baptiſmatum genera, ſicut reuera fuerunt tempore Apoſtolorum. Multi enim baptizabãtur viſibili dono Spiritus ſancti, non quod immergerentur, vt in aquam: ſed quia veniebat ſuper eos Spiritus ſanctus, ac viſibiliter teſtabatur, quod intus agebat. Hoc Baptiſmi genus flaminis vocant, cui accedit fluminis, & ſanguinis Baptiſmus, quorũ ille aqua, iuxta inſtitutionem Chriſti peragitur: hic fiebat, cum Catechumeni, perſecutionis tempore, martyrio coronabantur, ante ſuſceptum externum Baptiſmum.

Impoſitionis quoque manuum.

Quartum Catecheſeos veteris caput. Hæc impoſitio manuum fiebat per Epiſcopos & Presbyteros, qui examinatis imponebãt manus, addita fauſta precatione & benedictione. Ad hanc impoſitionem manuum, ſæpe viſibiliter donabatur Spiritus ſanctus. Hinc per cacozeliam quandam Papiſtę ſuam extruxerunt confirmationem. Examen vetus retinetur in emẽdatis Eccleſijs, ſuperſtitioſa vnctio, & tactus genæ, vt vana & inepta, recte omittuntur.

Reſurrectionis mortuorum & iudicij æterni.

Quintum & ſextum capita veteris inſtitutionis Chriſtianiſmi, videlicet reſurrectio & aduentus Chriſti ad iudicium. Iudicium hoc æternum dicitur, duabus de cauſsis. Primum, quia nullum erit poſt illud. Deinde, quia ſententia iudicis, quæ tum feretur, manebit rata in omnẽ æternitatem. Quare nec pij timebunt felicitatis, qua fruentur, terminum ſeu mutationem: nec impij expectabunt pœnarum relaxationem.

Et hoc faciemus, ſiquidem permiſerit Deus.

Repetitio eſt propoſitionis, amplificata à cauſſa efficiente. Hoc faciemus, id eſt, feremur ad perfectiora, ſed ſi Deo ita videbitur. Hæc horribilem comminationẽ continent: Significat enim, non ſolum curſum & profectum in rebus pietatis, eſſe ſingulare donum Dei: verumetiam peccata hominum interdum iuſte puniri, deſertione diuinæ opis, vnde fit, vt homines magis magiſq; ruant in exitium. Quod autem hæc intelligenda ſint de peccato blaſphemiæ, ſatis indicat annexa ratio. Hoc proinde fulmine comminationis diuinæ tacti, mature reſipiſcamus, ne noſtra proteruia cęcitate puniatur.

Nam impoſsibile eſt eos qui ſemel fuerunt illuminati, guſtaueruntq́; donum cœleſte, & participes facti fuerunt Spiritus ſancti, & guſtauerunt bonum Dei verbum, virtuteſque futuri ſeculi, & prolapſi ſunt; iterum renouari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibi filium Dei, & oſtentui habentes.

Ratio comminationis, à iuſto Dei iudicio ſumta. Impoſsibile eſt iterum prolapſos renouari ad pœnitentiam, Sed qualẽ prolapſum intelligat Apoſtolus: ex peccati, quod hic accuſat, periphraſi ſatis intelligi poteſt. Eſt autem duplex lapſus, ſiue prolapſus, videlicet, particularis & vniuerſalis. Particularis quidem eſt impingere in particularia præcepta Decalogi, ſiue id fiat ex infirmitate, ſiue ignorantia, ſiue etiam voluntate, ſeu malitia. Huius generis ſunt multi errores in vita, videlicet, Idololatria, homicidium, furtum, adulterium, & alia, cõtra præcepta Dei, vel aliquot, vel omnia, qualia fuerunt Manaſsis, & multorum aliorum. Etſi autem hæc, vel ſingula, æterna morte ſunt digna, venia tamen agentibus pœnitentiã non negatur. Quemadmodum teſtimonia ſcripturæ multa, & exempla illuſtria oſtendunt, vt Manaſsis, Dauidis, Magdalenæ, Pauli & aliorum. Non igitur poteſt præſens locus intelligi de particularibus lapſibus. VNIVERSALIS vero prolapſus eſt, non impingere ſimpliciter in vnum, aut plura, aut etiam omnia præcepta Decalogi: Sed eſt prorſus Chriſto, & eius Euangelio vere agnito renunciare, ita vt in Chriſtum poſthac non ſolum non credat aliquis, ſed contemnat, odio habeat, ludibrio & tyrannide perſequatur, vt Phariſæi & Iulianus Apoſtata fecerunt. Hi enim agnitam veritatem, conuicti

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

teſtimonio Spiritus ſancti, rabioſe repudiarunt, & Chriſtum ludibrio affecerunt, ridentes ipſius crucem & afflictiones. Huiuſmodi peccatis, & hic, & apud Euangeliſtas negatur venia, nam habent coniunctam finalem impœnitentiam, atq; hic genuinus ſenſus huius loci eſt. Nunc verba Apoſtoli altius expẽdamus, quo pateat firmitas noſtræ explicationis. Sunt autem tria obſeruanda in verbis Apoſtoli. Quid antecedat hoc peccatum. Qualitas ſiue potius ſubſtantia huius peccati, & pœna. Antecedit hoc peccatum, Illuminatio, guſtus doni cœleſtis; communio Spiritus ſancti, guſtus verbi Dei boni, & virtutum futuri ſeculi. Illuminatio, eſt vera lux, id eſt, noticia in mente, de Chriſto & eius beneficijs. Guſtus doni cœleſtis, eſt perceptio beneficiorum Chriſti, per fidem. Communio Spiritus ſancti, eſt teſtificatio Spiritus ſancti in cordibus credentium, de veritate Dei. Guſtus boni Dei verbi, cauſſa ſuperiorum eſt inſtrumentalis. Nam ex verbo eſt noticia Dei, ex hac fides naſcitur, effuſo in hominem Spiritu ſancto. Virtutes futuri ſeculi, ſignificant beatam illam immortalitatem, quam, Spiritu ſancto renouante corda, guſtarunt credentes.

SVBSTANTIA ſeu qualitas peccati huius, eſt horum omnium obliteratio quædam, & prolapſus in tantum furorem, vt filium Dei crucifigant, & oſtentui habeant, ſeu ludibrio exponant, ac apud ſe ſarcaſtice obijciant Chriſto mortis ignominiam, adeo vt filium Dei nõ minus voluntate ſua mala crucifigant, & ludibrio exponant, quam Iudæi, qui ſuo conſilio & furioſis clamoribus Chriſtum crucifigi petiuerunt.

POENA huius peccati horrenda eſt, nẽpe, quod impoſsibile ſit tales renouari, & reuocari ad pœnitentiam, adeo in profundum peccatorum ſe demerſerunt. Sed quid? an nõ Paulus dicit, Gratia exuberat ſuper peccatũ? Quomodo ergo impoſsibile erit renouari eos, qui in Spiritum ſanctum peccarunt? Hæc impoſsibilitas non eſt ex parte gratiæ, quæ vere abũdat ſuper omne peccatum, ſed ex parte peruicaciæ & obſtinatæ maliciæ hominis, qui in profundum peccatorũ veniens contemnit. Alij quærunt alias mitigationes huius loci, ſed noſtra expoſitio conuenit cum concione Chriſti, in blaſphemos Iudæos, Matth. 12. & Marci 4. Verum vt magis confirmentur animi noſtri, oſtendam breuiter quomodo Chriſti cõcio cum verbis Apoſtoli congruat. Primum omniũ videamus, qualesnam fuerint, quib. obiectum eſt peccatũ blaſphemię à Domino, vt inde definitionem noſtram concludamus. Phariſæi, quibus obiectum erat hoc graue peccatũ, fuerunt Prophetijs, doctrina Chriſti, & miraculis, tanquam authenticis quibuſdam ſigillis, cõuicti in ſuis conſcientijs, de veritate Euangelij, quod Chriſtus propoſuit. Deinde volentes & ſcientes, Chriſtum agnitũ & verbum eius cognitũ odio habebant, eiq; rabioſe ſua obſtinatione renunciarunt. Tum tyrannide, hypocriſi & ſarcaſmis oppugnabant Chriſtum eiuſq; Euangelium. Hinc clariſsime concluditur, quod peccatum in Spiritum ſanctum, ſit voluntaria veritatis Dei, euidenter cognitæ, renunciatio & rebellio, ex odio veritatis nata, cum furioſa oppugnatione & perſecutione. Hanc definitionem conuenire peccato, cui hic ab Apoſtolo noſtro negatur venia, facile videt, qui analyſin, quã fecimus, præſentis loci animaduerterit. Sed adijciamus huc dictũ Iohannis, 1. Iohan. 5. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt quis roget. Omnis iniquitas peccatũ eſt, & eſt peccatum nõ ad mortem. Diſcernit hic Iohannes inter peccata, quorum alia ad mortem, alia non ad mortẽ eſſe pronunciat. Omnis (inquit) iniquitas, id eſt, quælibet legis diuinæ tranſgreſsio, eſt peccatum: ſed non ad mortem. Ergo peccatum quod ad mortem eſt, non eſt ſimplex legis tranſgreſsio, vt Idololatria, periurium, homicidium, tyrannis, adulterium, furtum, mendacium &c. Quia qui ſic peccarunt, poſſunt reſipiſcere, & reſipiſcentibus peccata hæc remittuntur. Nam tametſi hęc peccata vere mortalia ſunt, vt quæ mortem mereantur ſua natura: tamen ab Apoſtolo noſtro non dicuntur ad mortem, propterea quod remittantur confugientibus ad propiciatorium. Ex his ſequitur peccatum ad mortem, peculiare peccati genus eſſe, quod non ſit vel vniuerſalis vel particularis diuinæ legis tranſgreſsio. Sed Euangelij potius cogniti renunciatio, & perſecutio, quemadmodum expoſuimus. Etſi autem, vt ſupra dixi, particularia peccata contra Decalogum, non veniunt ſub huius peccati rationem: Tamen gradus ſunt quidam ad hoc peccatum. Qui enim cognita doctrina Euangelij ruit contra conſcieniam in peccata varia, & in illis ſe oblectat, in eo tandem ſuboritur contemtus pœnitentiæ, & dedolentia quædam, donec aſtutia Diaboli effectum fuerit, vt homo talis prorſus in Epicureiſmum præcipitetur, ac ita paulatim Euangelio renunciet. Quare principijs obſtare profuerit vera pœnitentia, ne demerſi in peccati baratrum, protrahamur tandem technis Satanæ, in hoc horrendum peccatum.

Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbã opor-

Ætiologia eſt, ſeu rationis declaratio, per aptiſsimam, eamque bimem-

tunam,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tunam, illis propter quos colitur, accipit benedictionem à Deo, proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledictioni proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.

brem cōparationem, cuius prior pars, doctrinam & exhortationem, poſterior, comminationem continet. Prior pars habet quinq; cōparationis membra. Primum, terræ cōparatur homo. Secundum, culturæ terræ confertur prædicatio Euangelij. Tertium, Imbri aſsimilatur cœleſtis gratia. Quartum, Germinanti herbæ fidei fructus reſpondet. Quintum, Benedictioni terrę Gratiarum augmentum confertur. Vt igitur terra opus habet cultura & irrigatione, vt fructum producat, laudemq; mereatur: Ita homo, veluti terra, opus habet prædicatione Euangelij, & Spiritus ſancti gratia, vt fructus laudabiles Deoq; gratos edat. Doctrina de cauſsis concurrentibus ad fructificationem hominis Deo gratam obſeruetur, & ſimul exhortationis ſtimulus, vt cultura & imbri recepto fructificemus. Poſterior pars Antitheſin prioris partis habet. Quare explanatione non indiget: Sed tantum obſeruetur accommodatio ad rationem ſuperius poſitam. Quemadmodum terra culta, & ſæpe copioſa pluuia irrigata, nihilominus proferens ſpinas & tribulos, maledicitur à ſuis cultoribus, & tanquam reproba contemnitur, & comburenda relinquitur, cum ſuis ſpinis & tribulis: Ita homo Euangelij & gratiæ cœleſtis particeps, & nihilominus ſemen cœleſte, ſpinis pungentibus, herbeſcentem Euangelij viriditatem, aut tribulis defectionis ab Euangelio, prauorumq; morum ſuffocans, deſeritur, maledicitur, reprobus à Deo abijcitur, ac pœnis æternis ingratus reſeruatur. Hæc grauis comminatio moueat vnumquemque noſtrum, ne ſua in Deum ingratitudine prolabatur in profundum vitiorum, donec reprobus plane factus à Deo abijciatur.

Confidimus autem dilectiſsimi de vobis meliora & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur.

Mitigat acerbitatem ſuperioris ſermonis, ne Hebræi fracti aſperiori obiurgatione deſpondeant animum, putantes nullam lapſis viam ad gratiam reliquam eſſe. Tametſi, inquit, hæc ita recte dicimus in reprobos, qui Chriſtum agnitū contumelia afficiunt: tamen de vobis confidimus meliora, qui ſalutem vobis à Chriſto oblatam fide retinetis. Obſeruandus locus de obiurgandi modo, ne ita obiurgemus errantes, vt omnem ſpem ſalutis videamur illis adimere.

Non enim iniuſtus eſt Deus.

Ratio mitigationis, à firmitudine promiſsionū diuinarum ſumta. Deus non eſt iniuſtus, hoc eſt, Deus eſt iuſtus & verax in promiſsis ſuis. Hinc conſolatio petitur contra dubitationes, ſuborientes de promiſsionibus diuinis.

Vt obliuiſcatur operis veſtri, & laboris dilectionis, quem oſtendiſtis in nomen ipſius.

Ex fructu colligit Hebræos bonas arbores eſſe: Non enim fieri poteſt, vt vbi ſit fides, eius naturales proprietates nō conſpiciantur. Obſeruetur hoc loco primum, ſtudium pietatis & dilectionis erga proximum eſſe cœleſtis vocationis ac veræ fidei teſtimonium. Admonet quoq; hic locus pios, de remuneratione obœdientiæ, & fide præſtitæ, & quod Deo factum iudicetur, quicquid proximis impēditur, ex vera caritate, quæ ex fide manat: Iuxta illud, quod vni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. Id quod etiam teſtabitur Iudex viuorum & mortuorum, Chriſtus Dominus, in extremo die, vbi ſibi factum imputabit, quod ipſius membris factum eſt.

Quod miniſtraſtis Sanctis & miniſtratis.

Exprimit in ſpecie, quod in genere dixit, & Hebræorum perſeuerantiam laudat. Non ſolum (inquit) miniſtraſtis, verumetiam adhuc miniſtratis ſanctis, opere, cōſilio, doctrina, facultatibus &c. prout eorum neceſsitas poſtulare videtur.

Cupimus autē vnumquemq; veſtrum, idem oſtendere ſtudium, ad certitudinē ſpei, vſq; ad finem, vt non ſegnes efficiamini.

Quo referenda ſunt ea, quę durius videbantur dici, oſtendit: nimirum, vt Hebræi in pietatis ſtudio ſint diligentiores: non vt inde deſperationis anſam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

anſam arripiant. Qui enim pietatis ſtudium oſtendit, is & ſibi & alijs ſpem ſalutis confirmat. Huc illud Petri pertinet, firmam facite vocationem veſtram, per bona opera. Ad certitudinem, ſeu, expletionem ſpei, hoc eſt, donec conſequamini id quod ſperatis. Commendatur igitur nobis hoc loco perſeuerantiæ ſtudium. Nam qui perſeuerauerit vſq; ad finem, hic ſaluus erit. Atque ideo ſubdit Apoſtolus, Vt non ſegnes efficiamini, ſcilicet, in pietatis curſu. Requiritur proinde alacritas animi in homine credẽte, qua nititur quotidie ſeipſum in pietatis ſtudio ſuperare.

Verum imitatores eorum, qui per fidem & longanimitatem hæreditant promiſſiones.

Exempla ſanctorum iubet Hebræos aſpicere, ac duo in exemplis ſanctorum vult nos intueri, videlicet, vitæ rationem, & euentum ſeu exitum. Vitæ ratio Sanctorum, in fide & longanimitate ſita erat. Fide apprehenderunt oblatam Gratiam. Ex fide Deum coluerunt, & proximum dilexerunt. Longanimitas, ſiue tolerantia eos cohibuit: ne fracti cruce aut ſcandalis confeſſionem abijcerent, ac ſegniores fierent. De hac longanimitate loquitur Eſaias, cum ait: In ſilentio & ſpe fortitudo veſtra. Euentus, eſt hæreditas promiſſionis, hoc eſt, poſſeſſio rei promiſſæ. Fieri enim non poteſt, quin Deus in ſuis promiſſis verax permaneat, cum ſit iuſtiſſimus: modo nos in fide perſtiterimus. De hoc euentu piorum loquitur Pſalmus hiſce verbis: Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Huc ergo aſpiciant pij, quoties vel ipſi cruce premuntur, vel impios florere vident, quorum exitus erit confuſio, & ſempiterna ignominia. Huc pertinent Pſal. 37. & 73.

Abrahæ namq; promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum, dicens: Certe benedicens benedicam tibi, & multiplicans muliplicabo te, & ſic patienter ferens, adeptus eſt promiſſionem.

Probat fide & patientia expectandam eſſe promiſſionem, idq; exẽplo Abrahæ. Eſt autem tale argumentum. Abraham in fide & patientia perſeuerans accepit promiſſionem. Ergo & vos Hebræi, promiſſa bona, ſi modo per fidem & patientiam ea expectaueritis, conſequimini. Quo autem firmior ſit ratio, interponit iuramentum Dei, quo non ſolum promiſſio confirmatur Abrahæ, verumetiam omnibus credentibus, & expectantibus per patientiam promiſſa bona. Nam qui credunt, benedicuntur cum fideli Abraham, Galat. 3. Quare hoc Dei iuramẽtum, nos quoque confirmare debebit, de promiſſis diuinis. Sumptum eſt autem teſtimonium hoc ex 12. 17. & 22. capitibus Geneſeos.

Nam homines quidem per eum iurant, qui maior eſt, & omnis ipſis controuerſiæ finis, eſt iuramentum, in confirmationem.

Superioris Argumenti cõfirmatio eſt, à minori ad maius. Homines iurati merentur fidem. Ergo, multo magis Deo iuranti eſt credendum, qui fallere nequit, vt qui ſit iuſtiſſimus. Obſeruandus locus de iureiurãdo. Hic enim locus duo docet, primum: quod iuramentum præſtari poſſit. Secundum, quod eius legitimus finis, ſit veritatis confirmatio, adeoq; finis controuerſiarum. Contra huius legitimum vſum, Syrach ita loquitur: Vir multum iurans, replebitur iniquitate, & non diſcedet plaga de domo ipſius, Cui autem iuranti credendum ſit docet Paulus ſuo exemplo, cum ait: Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu, ſignificans quod illis ſolis credendum ſit, cum iurant, qui Deum colunt. De alijs verſus Menandri meminerimus:

ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε.

In quo vberius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus, immobile conſilij ſui certitudinem, interpoſuit iuſiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.

Conſequens Argumenti ſuperioris eſt. Homines iureiurando cõfirmant ea de quibus controuertitur. multo magis iuſiurãdum Dei eſt infallibile, quod additum eſt promiſſioni, factæ Abrahamo, & eius ſemini. His enim duabus rebus nos certificat Deus, videlicet, Promiſſione, & iureiurando, quo

quo promiſsionem confirmat. Obſeruetur hoc loco doctrina de certitudine promiſsionum diuinarum, quæ confirmatæ ſunt verbo & teſtimonijs verbo additis, interpoſito iureiurando, quibus accedunt mors & victima filij. Item donatio viſibilis Spiritus ſancti, vnde merito nos inuicem exhortari deberemus, verbis Pſalmiſtæ: Laudate Dominum omnes gentes, & laudate eum omnes populi, quoniam cõfirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

Quam, ſicut ancoram, habemus animæ tutam & firmam.

Commendatio ſpei eſt, vt enim ancora orta tempeſtate nauem tenet, ne ſcopulis & vado impingat & frangatur: ita ſpes vnica in tempeſtatibus tentationum & perſecutionum fiducia eſt, qua ſtabilitur Eccleſia, ne fluctibus obruta pereat.

Et ingredientem vſq; ad interiora velaminis.

Vnde tanta ſpei fiducia ſit, exponit, nimirum, ex eo quod ingrediatur cœlum, vbi eſt verum propitiatorium, Ieſus Chriſtus. Atq; ita exponit typum propitiatorij legalis, quod intra velum erat, in interiori templi parte, quo ſemel in anno Sacerdos ſummus ingrediebatur.

Quo præcurſor pro nobis introijt Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech, factus Pontifex in æternum.

Probat fidem & ſpem in cœlum dirigendam eſſe: Nimirum, quia ibi eſt eius obiectum, nempe. Pontifex noſter Ieſus Chriſtus, hunc præcurſorem nominat, cum quia illum ſequi nos oporteat, tum quia ſine illo nemini pateat introitus. En quomodo à digreſsione redit ad diſputationem, De pontificatu Chriſti.

CAPVT VII.

Summa Capitis ſeptimi.

Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech præferendum eſt Leuitico ſacerdotio. Quare non dubium eſt, quin Chriſti Sacerdotium excellentius ſit Leuitico. Merito proinde hoc abolito, illud æternum manet.

Ordo & partes Capitis ſeptimi.

In quinto capite Chriſtum Pontificem eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech aſſeruit, ſed quia ſciebat Hebræos parum attentos & aptos, ad tam ſublimem doctrinam capiendam, in obiurgationem & monitionem digreditur, vſq; ad finem 6. capitis, vbi artificioſe redit ad diſputationem quam inſtituerat. In hoc igitur ſeptimo capite, diſputationem incoatam in quinto proſequitur hoc ordine. Primum, vt oſtendat quæ ſit comparatio Sacerdotij Chriſti cum ſacerdotio Melchiſedech, proſopographiam quandam inſtituit, in qua attributa perſonæ Melchiſedech nouem recitat, quæ Chriſto applicat. Et colligit Melchiſedechum primum Abrahamo, deinde Leuitis excellentiorem eſſe. Quo facto, Chriſti ſacerdotium Leuitico præferendum eſſe, hac ratione colligit. Chriſtus eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Melchiſedech eſt maior Abrahamo. Abraham eſt maior Leuitis. Igitur Chriſtus Sacerdos maior eſt Leuiticis ſacerdotibus. Tertio loco ſignificat vetus Teſtamentum per nouum ſublatum. Poſtremo vt vtilitatem, neceſsitatem, & efficaciam ſacerdotij Chriſti perſpiciamus, multas Chriſti & ſacerdotum Leuiticorum comparationes cumulat. Proinde totum hoc caput generis eſt Didaſcalici, conſtans quatuor partibus, quæ ſe mutuo elegantiſsimo ordine conſequuntur.

EXEGESIS SEPTIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

HIC enim Melchiſedech rex Salem, Sacerdos Dei altiſsimi. Qui occurrit Abraham, reuertenti à cæde regum, Et benedixit ei, cui & decimas ex omnibus impartitus eſt Abraham. Primum quidem ex interpretatione Rex iuſticiæ. Deinde vero etiam rex Salem, quod eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genere, neque principium dierum, neque vitæ finem habens, aſſimilatus vero filio Dei, manet Sacerdos in æternum.

Proſopographia eſt, ſeu, perſonæ deſcriptio, deſumta ex 14. capite Geneſ. Et ex Pſalmo 110. Sunt autem in hac proſopographia, nouem perſonæ Melchiſedech attributa expendenda. Nam definiunt qualis ſit ordo, ſeu ratio ſacerdotij Melchiſedech: quæ ratio Chriſto accommodatur: Sed vt veritas typo. Quæ enim vmbratilia ſunt in Melchiſedech, ipſa veritas eſt in Chriſto Ieſu. Attributa autem hæc ſunt. Primum, nomen perſonæ. Secundum, regia dignitas, cum aſsignatione loci. Tertium, Sacerdotalis eminentia, & prærogatiua. Quartum regia liberalitas in Abrahamum, quem redeuntem à cæde regum, conuiuio liberali excepit. Quintum, benedictio ſacerdotalis. Sextum, Acceptio decimarum. Septimum, Originis, & exitus ignoratio. Octauum, Similitudo cum filio Dei. Nonum, perpetuitas Sacerdotij. In his conſiſtit & ordo & ratio, iuxta quam Chriſtus eſt Sacerdos, ad exemplar Melchiſedech. Verum hoc diſcriminis eſt, quod vmbra ſolummodo veritatis fuerit delineata in Melchiſedech. In Chriſto antem lux ipſa & veritas exiſtat. Neceſſe eſt enim diſcernere inter ipſam figuram, ſeu, imaginem, & rem, ſeu, veritatem, quam repræſentat imago. Ita enim monet Chryſoſtomus, cum ait: εἰ δὲ πανταχοῦ ἔμελλεν ἡ ὁμοιότης εἶναι, οὐκ ἔτι τύπος ἦν καὶ ἀλήθεια, ἀλλὰ τύπος τὰ ἀμφότερα. Iam ſingula ἀναλογικῶς Chriſto applicemus, typum cum veritate conferentes. Primum igitur nomen occurrit Melchiſedech, hoc eſt, vt Apoſtolus interpretatur, Rex iuſticiæ: quod ſane nomen in veritate, ſoli Chriſto vero Deo, & vero homini competit: Melchiſedech autem vt vmbræ ſeu typo. Chriſtus etenim iuſtus eſt, & Rex iuſticiæ, non ſolum ratione diuinæ naturæ ab æterno: verumetiam in aſſumta humanitate. Pleniſsime enim Deo iuxta normam legis obœdiuit, vſq; ad mortē crucis, vt loquitur Paulus. Præterea iuſtus eſt etiā Actiue, adeoq; Rex iuſticiæ, quia in ſe credentibus impartit ſuam iuſticiam: qua ipſis imputata, habentur coram Deo iuſti, & donatos Spiritu ſancto ſanctificat in hac vita, quos in reſurrectione mortuorū ita reparaturus eſt, vt ſint cōformes Deo in omni æternitate. Secundo loco, rex Salem, hoc eſt, pacis, dictus eſt Melchiſedech, quod quidem nomē Melchiſedech à loco vbi habitauit accepit, & eatenus illi congruit, verum ſi rem ſpectes, pleniſsime Chriſto Domino competit. Nam huius interceſsione æternam pacē cum Deo patre adepti ſunt credentes. Hinc eſt quod chorus angelorum, nato recens Chriſto ſecundum humanitatē, cecinerit: Gloria in excelſis Deo, in terra pax, hominibus bona voluntas. Et Paulus ad Romanos 5. Iuſtificati ex fide, pacem habemus cum Deo, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Proinde vere Rex pacis dici meretur noſter Pontifex, Ieſus Chriſtus. Tertio, Sacerdos Dei altiſsimi appellatur Melchiſedech, qui in iſta prophana gente, ſolus fere cum ſua familia retinuit verum Dei cultum, obtulit ſacrificia, & precabatur Deum Sed hic titulus multo verius Chriſto ſacerdoti conuenit, qui ex ſinu patris prodiens, verbū Dei nobis annunciauit. Intercedit pro nobis precibus, ac ſemel ſeipſum obtulit, per ſpiritum ſempiternum, in ſacrificium, & in odorem ſuauitatis Deo. Sed de ſacrificio Chriſti ſuo loco copioſius. Quarto loco, in deſcriptione adijcitur, quod Melchiſedech occurrerit Abrahamo reuertenti à cæde regum. Hic Apoſtolus noſter excludit partem hiſtoriæ, videlicet, quod Melchiſedech protulerit panem & vinum, excepturus Abrahamum & eius comites conuiuio. Sed hanc partem nequaquā omiſiſſet Apoſtolus, ſi aliquid myſterij magni illic latere iudicaſſet, quod pertinere ad Sacerdotij Chriſti eminentiā extollendam videretur. Papiſtæ tamen inde extruunt ſuum panis & vini ſacrificium. Sed vim manifeſtam faciunt hiſtoriæ, quæ eſt Geneſeos 14. partim corrumpendo textum: partim addendo de ſuo, quod textus non habet. Primū enim pro protulit, corrupte legunt, obtulit, vt inde Sacrificiū faciant. Deinde particulam, Et, copulatiuā excludunt, & ſubſtituunt in eius locum, Enim, ac ſi ideo obtuliſſet Melchiſedech, quia erat Sacerdos. Neq; eorum cauſſam iuuare poteſt, quod nonnulli ex patribus videantur in ea ſententia fuiſſe. Non enim exēplis, ſed legibus iudicandum eſt. Verum ſi quis tamē contendat poſſe per illā regiam liberalitatem Melchiſedech, qua Abrahamū excepit, communicato illi & exercitui pane & vino, ſignificari cœnam Domini, qua Chriſtus rex liberaliter refocillat redeuntes à cæde regū: hoc eſt, agentes pœnitentiā, profligato Diabolo, mortificata carne, & concupiſcentijs eius, (id

quod

quod patres ſenſiſſe reor) fruatur ſuo ſenſu: modo non inde impiam oblationem Papiſtarum faciat. Vere enim Chriſtus, defeſſos in pugna contra peccatum, mortem, dubitationes, &c. recreat, non ſolum ſpirituali ſui corporis & ſanguinis communicatione per verbum, verumetiam eorundem Sacramento: cuius elementa ſunt, panis & vinum. Verum quia Apoſtolus noſter hunc typum non adiecit, neque ego ſolicitus ero de eius accommodatione, hoc interim certum ſit, violenter & contra mentem Moſis, liberalitatem Melchiſedech trahi ad miſſale Papiſtarum ſacrificium. QVINTO loco ſequitur, quod Melchiſedech benedixerit Abrahamo, quod ſane intelligendum eſt de ſacerdotali benedictione. Verũ hoc diſcriminis eſt, Melchiſedech benedixit precando, Chriſtus vero benedixit bene præſtãdo, iuxta benedictionis vocem: Vos, inquit Dominus, inuocabitis nomẽ meũ ſuper filios Iſraël, & ego benedicam. SEXTO ſubijcitur, quod Melchiſedech acceperit decimas àb Abrahamo, quas ſane decimas Abraham ſua ſponte contulit, ſecutus haud dubie morem victorum, qui ſolebant decimas de ſpolijs ſuis vel Dijs conſecrare, vel ſacerdotibus conferre. Verum hæc decimarum collatio, multo meliori iure Chriſto ſacerdoti debetur, qui vt omnia nobis confert, ex mera bonitate: ita viciſsim illi non ſolum decimas, verumetiam omnia noſtra debemus. SEPTIMO, fit mentio ignorationis ortus & obitus Melchiſedech. Apoſtolus enim dicit ſine patre, ſine matre. Quod ſane non ita intelligendum eſt, quaſi Melchiſedech nec patrem, nec matrem habuerit, ſed ita accipi debet, ſicuti ipſe Apoſtolus ſe interpretatur, cum addit ἀγενεαλόγητος, hoc eſt, cuius Genealogia nuſquam extat in ſcriptura. Quare Chryſoſtomus hæc ita recte reſtringit. Eſt ſine patre & ſine matre, quoad noſtram cognitionem attinet, id quod ſingulari Dei conſilio factum eſt, vt typus aliquo modo adumbraret veritatem, quæ veritas ſoli Chriſto competit. Nam Chriſtus ſi diuinam naturam reſpicis, ἀμήτωρ eſt, natus ineffabili modo à patre, quem modum nemo mortalium nec angelorum enarrare pteſt. Quare vt ἀμήτωρ, ita & ἀγενεαλόγητος rectiſsime dicitur. Si humanam naturam Chriſti conſideras, ἀπάτωρ eſt, hoc eſt, ſine patre carnali conceptus, & natus eſt, id quod ſane rationis menſuram lõge excedit. OCTAVO, dicitur Melchiſedech aſsimilatus filio Dei, Sed quemadmodum typus ſeu figura veritati ſimilis eſſe poteſt. Hoc igitur ad qualitatem ſimilem, non ad pares qualitatis gradus referendum eſt. Sic ſimile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, ſed non idem cum grano. Non enim omnis ſimilitudo, vt inquit Epiphanius, tota accipitur. Picta imago ſimilis eſt viuo homini, ſed quis non videt magnam diſtantiam? NONO & vltimo additur de Melchiſedech, Manet Sacerdos in æternum, Quod ſane ad æternitatis ſpeciem referri debet. Nam nullibi in ſcriptura legitur Melchiſedech, vel obijſſe, vel alteri tradidiſſe ſacerdotium, quo fungebatur, cuius æternitatis veritas in Chriſto Ieſu eſt. Nam hic ſolus manet Sacerdos æternus, perpetuo interpellans in Eccleſiam. IN omnibus his attributis, & collationis membris, nota ſit regula hæc: Sæpe tribuuntur typo, quæ veritati ſoli reuera conueniunt. Plurima iuxta hanc regulam explicanda ſunt in veteri Teſtamento, videlicet de ſtatutis perpetuis, De terra perpetuo poſsidenda, de perpetuo regno Dauidis, & de multis alijs eius generis, quæ omnia tribuuntur ſignis, cum ſint rerum ipſarum per Metonymiam. Nam res, quæ his ſignificantur, æternæ & perpetuæ intelligi debent. Sed cur ita loquitur ſcriptura? vt mentes hominum erigantur ad contemplationem cœleſtium rerum, & æternarum, quæ ſignificantur rebus terrenis & caducis.

Conſiderate autem, quantus ſit hic, cui & decimas Abraham dedit de ſpolijs Patriarcha ille.

Poſtquam Chriſtum Sacerdotem eſſe, ſecũdum ordinem Melchiſedech oſtẽdit, addit collationem inter Melchiſedech & Abrahamum, vt oſtẽdat Chriſtum Abrahamo maiorem eſſe, quo ipſum ſupra Leuitas, qui ex Abrahamo nati ſunt, extollat. Senſus igitur huius propoſitionis eſt, quod Melchiſedech ſit maior Abrahamo, hanc propoſitionem ex eo confirmat, quod Abrahaṁ dederit Melchiſedech decimas. Eſt autem argumentum hoc comparatum, quod hoc modo concluditur: QVI decimas accipit, maior eo eſt qui decimas dat. MELCHISEDECH accepit decimas ab Abrahamo. PROINDE maior eſt Melchiſedech Abrahamo. NON caret Emphaſi, quod Abrahamũ Patriarcham appellet, nam duo hinc cõcluduntur. Primum, quod neceſſe ſit illum excellentem fuiſſe, qui à tanto Patriarcha, id eſt, patrum principe, decimas acceperit. Deinde & hoc inde ſequitur, quod Leuitæ Abrahamo inferiores ſint. Nam ipſi Leuitæ Abrahamum Patriarcham ſuum agnoſcunt. Hinc ſequitur Melchiſedechum, qui Patriarcha Abrahamo fuit maior, etiam Leuitas dignitatis gradu ſuperare, ex quo & Chriſtum eminere ſupra Leuitas concluditur, vt qui ſecundum rationem Melchiſedech ſit ſacerdos.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Atque hi quidem, qui ſunt ex filijs Leui, ſacerdotium accipientes, præceptum habent à populo decimas accipiendi, iuxta legem, hoc eſt, ex fratribus ſuis, licet egreſsis ex lumbis Abrahæ. At is, cuius genus non recenſetur ab ipſis, decimas ſũſit ab Abraham, & habentem promiſsiones benedixit.

Probat Melchiſedech maiorem eſſe Leuitis, vt inde Chriſtum quoque Leuitis ſuperiorem eſſe concludat. Argumentum autem præſens hoc pacto ad leges Dialecticas reuocabitur. QVI non ducit genus ex Leuitica tribu, & nihilominus accipit decimas ab Abraham ſummo Patriarcha, atq; ei, tametſi habenti promiſsiones benedicit, non ſolum maior eſt ijs, qui ducunt genus à Leui, & ſolummodo accipiunt decimas à fratribus ſuis, verumetiã ipſo Patriarcha Abrahamo. MELCHISEDECH autem non ducit genus ex Leui, & tamen decimas ab ipſo Abrahamo principe patrum ſumſit, cui etiam benedixit. PROINDE Melchiſedech non ſolum ipſis Leuitis, verumetiam Abrahamo ipſo maior eſt. SI ergo principe patrum maior eſt, eſt profecto ipſis patribus maior. Proinde Chriſtus merito Leuitis præferendus eſt, qui iuxta ritum Melchiſedech ſacerdos eſt conſtitutus. hic locum habet regula Dialecticorum: Quod maius eſt maiore, etiam maius eſt minore.

Porrò, ſine omni controuerſia quod minus eſt, à potiori benedicitur.

Confirmatio poſterioris partis maioris eſt. Qui minor eſt, benedicitur à digniori, Sed Abraham benedicitur à Melchiſedech. Abraham igitur minor eſt quam Melchiſedech. Eſt autem hic ſacerdotalis benedictio intelligenda, ſicuti ſupra quoque admonuimus.

Atque hic quidem homines, qui moriuntur, decimas accipiunt, illic autem is, de quo teſtatum eſt quod viuat.

Alio argumento probat Melchiſedech ſuperiorem eſſe Leuitis. QVI ſemper viuit maior eſt ijs, qui poſtquã decimas acceperunt, moriuntur. MELCHISEDECH autem ſemper viuit, & Leuitæ moriuntur, ita vt alijs alij ſuccedant. MAIOR eſt igitur Melchiſedech Leuitis. QVOD autem affirmat Melchiſedech viuere, ad veritatem, quæ in Chriſto eſt completa, & ad ſilentium de morte Melchiſedech, referendum eſt. MORS igitur Leuitarum, qui ſuis prædeceſſoribus ſucceſſerunt, fuit ſignum aliquando abolitum iri ſacerdotium Leuiticum. QVOD autem Melchiſedech vita commemoratur in ſcriptura, & non mors, figura fuit ſacerdotij Chriſti nunquam abolendi.

Et, vt ita loquar, per Abrahamum decimatus eſt ipſe Leui, qui decimas ſoler accipere, nam is adhuc in lumbis patris erat, cum occurreret Abrahæ Melchiſedech.

Senſus horum verborum eſt. Abraham cum ſubiecit ſe Melchiſedech ſolutione decimarum, ſimul totam ſuã poſteritatem, quæ ex ſe naſceretur, eidem ſubiecit. Quare & Leui, qui tum in lumbis patris Abrahæ fuit, minor eſt Melchiſedech. Quod de Leui dicitur, etiam de reliquis tribubus intelligendum eſt. VERVM hic quæſtio de Chriſto oritur, qui ex tribu Iuda deſcendit: an non & ille eodem argumento conuincatur decimatus fuiſſe per Abrahamum? AD hanc quæſtionem facilis eſt reſponſio. Nam Chriſti fuit ſingulare priuilegium, ſiquidem non ſecundum legem communem natus eſt Chriſtus ab Abraham, ſicut Leui natus eſt, ſed conceptus eſt de Spiritu ſancto, & ex virgine natus. Vnde vt non contraxit originale peccatum, ita nec patris infirmitati ſubijcitur, vt cum eo ſit reus. Deinde Chriſtus non ſolum homo eſt, vt Leui, verumetiam Deus ab æterno natus, qua quidem ratione etiam angelis ipſis atque adeo omnibus creaturis excellentior eſt.

Porrò, ſi conſummatio per Leuiticum ſacerdotium erat, (populus enim ſub eo legem accepit) quid adhuc opus ſecundum ordinem Melchiſedech, alterum exoriri ſacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici?

Alio argumento idem probat, videlicet, Chriſti ſacerdotium præferendum eſſe Leuitico ſacerdotio. Sumitur autem præſens argumentum à deſtructione conſequentis. SI Leuiticum ſacerdotium fuiſſet conſummatum & perfectum, non fuiſſet opus nouo ſacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech. SED fuit opus ſacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech, iuxta dictum

dictum Domini: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. PROINDE conſummatum eſt imperfecto præferendum, meritò Chriſti ſacerdotium excellentius Leuitico prædicatur. SED quid ſibi vult parentheſis? (Populus enim ſub eo, ſcilicet, ſacerdotio, Leuitico legem accepit.) Hæc parentheſis ſignificat mutuam relationem fœderis & ſacerdotij. Eſt enim omne ſacerdotium, alicuius fœderis ſponſio. Quare cum Leuiticũ ſacerdotium redigit Apoſtolus in ordinem infra Chriſti ſacerdotium, eodem argumento etiam fœdus Leuitici ſacerdotij cedere debere fœderi ſacerdotij Chriſti oſtendit. Sed hoc plenius oſtendit ſequenti ratione.

Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſario & Legis fit tranſlatio.

Sacerdotium & lex (hoc eſt ſacerdotij fœdus) natura coniuncta ſunt, vt ſimul vel maneant vel intereant. Si igitur mutatur ſacerdotium, mutari etiam fœdus neceſſe eſt, Sed iam tranſlatum eſt ſacerdotium Leuiticum, & ei ſucceſsit Chriſti ſacerdotium. Igitur & legi ſeu fœderi ſacerdotij Leuitici, ſuccedet fœdus ſacerdotij Chriſti. Deinde etiam hinc concludamus, quod Lex Moſaica ceremonialis, quæ erat ſacerdotij Leuitici fœdus, debuit finẽ habere, adueniente nouo ſacerdote Chriſto.

Certe is, de quo hæc dicuntur, alterius fuit tribus particeps, ex qua nemo aſtitit altari, clarum enim eſt, quod de tribu Iuda natus ſit Dominus noſter: De qua tribu nihil locutus eſt Moyſes, quod ad ſacerdotium ſpectat.

Confirmatur minor ſuperioris argumẽti, videlicet, quod ſacerdotium ſit tranſlatum, à tribu Leui ad tribum Iudæ, quæ tribus non erat particeps veteris ſacerdotij: hoc eſt, vetus ſacerdotium non erat commiſſum tribui Iudæ. Cum ergo Chriſtus Sacerdos noſter, iuxta carnem ortum habet à tribu Iudæ, manifeſtum eſt & tranſlatum eſſe ſacerdotium & mutatum eſſe fœdus.

Et amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exoritur Sacerdos alius, qui non iuxta legem mandati carnalis factus fuit, ſed ſecũdum potentiam vitæ inſolubilis.

Argumento à circumſtantijs temporis, & qualitatis, idem probat, videlicet, & tranſlatum eſſe ſacerdotium, & tranſlatam eſſe legem. Carnale ſacerdotium, & tẽporale, habet legem carnalem & temporalem. Contra vero, ſpirituale & æternum ſacerdotiũ, habet ſpiritualem & æternam legem, hoc eſt, fœdus in æternum durans. Ergo cum Aaronicum ſacerdotium ſit carnale & temporale: & Chriſti ſit ſpirituale & æternum, neceſſe eſt fieri legis tranſlationem, vna cum ſacerdotij tranſlatione.

Conteſtatur enim in hunc modum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Probat teſtimonio Pſalmi ſacerdotium Chriſti æternum eſſe, quia autem hoc dictum Pſalmi ſuprà declaratum eſt, & oſtenſum eſt, qualiſnam ſit ille ordo Melchiſedech, non eſt quod idem hic repetamus. Nam ex ſuperioribus patet, quod comparatio illa inter Melchiſedech & Chriſtum, potiſsimum ſita ſit in nomine, in regni ſede, in perpetuitate vitæ, in iure decimarum, & in benedictione ſacerdotali, de quibus ſupra.

Abrogatio fit prioris mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem.

Cauſſam reddit curnam Lex vetus ſeu fœdus abrogatum ſit: nempe, quia inutilis & infirma erat Lex. Verum hic diligenter obſeruanda eſt relatio. Nam ſi reſpicis ſignificationem ſpiritualem, aut finem proprium legis, nequaquam vel infirma vel inutilis erat, fuit autem eius finis proprius, homines ad Chriſtum mittere, qui vt ſolus iuſtificat credentes, ita ſolus tollit peccatum & mortem. At ſi legem in ſe reſpicis, ſine ſpirituali ſignificatione, & fine, quemadmodum eam intuebantur Phariſæi, reuera & inutilis, & infirma erat. Dicitur igitur inutilis & infirma reſpectu perfectionis, quæ per nouum ſacerdotem Chriſtum, & per fœdus ipſius ſacerdotio annexum contigit.

Nihil enim ad perfectum adduxit Lex.

Hæc ratio eſt, cur legem inutilem & infirmam pronunciat, nimirum, quod nihil ad perfectionem adducat ſcilicet iuſtificando peccatores, expiando peccatum, & delendo mortem.

Sed acceſſit introductio ad ſpem potiorem, per quam appropinquamus Deo, atque hoc potiorem, quod non abſque iureiurando res acta ſit.

Prolepſis eſt, anteuertit enim Hebræorum obiectionem, qui poterant ex dictis ita inferre aduerſus Apoſtolum: Tu dicis legem inutilem & infirmam eſſe, cur igitur Deus talem inutilem & infirmam legem dedit? Reſpondet Apoſtolus, Legem fuiſſe quandam Pædagogiam ad Chriſtum, ſeu, fœdus noui ſacerdotis, per quem habemus acceſſum ad Deum, ſed in maiorem rei confirmationem dicit acceſsiſſe iuſiurandum, quo fœdus ſacerdotij Chriſti ſancitum ſit, vt perpetuo duret.

Nam illi quidem citra iuſiurandum ſacerdotes facti ſunt, hic verò cum iureiurando, per eum qui dixit, Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.

Ratio comparationis hæc eſt. SACERDOS iureiurando Dei confirmatus in æternum, præferendus eſt illis, qui ſine iuramento aſſumti ſunt ad tempus. SED Chriſtus per iuſiurandum confirmatus eſt Sacerdos in æternum. Leuitæ vero, ſine iureiurando aſſumti ſunt ad tempus. PROINDE Chriſtus ſacerdos Leuiticis ſacerdotibus eſt præferendus. SOLA minor loco totius argumenti ponitur.

Tanto potioris Teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus.

Infert ex collatione ſacerdotij Leuitici & Chriſti, collationem veteris & noui fœderis. Dignitas enim fœderis & præſtantia, pendet à dignitate ſacerdotij. Senſus igitur hic eſt: Tanto potioris Teſtamenti ſponſor factus eſt Chriſtus, quanto dignior eſt ſacerdos quam Leuitæ. Dignitas autem fœderis, cuius ſponſor eſt Chriſtus, ſita eſt in quatuor potiſsimum, videlicet in firmitudine, nam iuramento Dei confirmatum eſt. 2. In perpetuitate, Immutabile enim eſt, vt quod in æternum duret. 3. In pactionis modo, nam Chriſti ſanguine peractum eſt. 4. Et in forma, quæ eſt promiſsio remiſsionis peccatorum, ſeu peccatorũ abolitio in credẽtibus. HINC apparet quantum vetus fœdus annexum ſacerdotio Aaronico differat à Chriſti fœdere. Nam ſine iuramento, vetus fœdus initum eſt, nec eſt perpetuum, nec ſanguine Chriſti ſancitum, ſed ſanguine rufæ vaccæ, nec promiſsionem remiſsionis peccatorum in ſe cõtinet, quatenus ſine Chriſto conſideratur. IN hac pericopa, obſeruetur immotum principium, videlicet, quod ſacerdos omnis ſit ſponſor fœderis, ſeu Teſtamenti alicuius, vnde duo diſcamus: Primum, quod Chriſtus ſacerdos promittat aliquid. Secundo, quod illa promiſsio fœdus reſpiciat, quo ſibi mutuo obligâtur, is qui promittit, & illi quibus fit promiſsio. Is qui promittit, videlicet Chriſtus, ſalutem omnibus gratuitam offert. Illi quibus fit promiſsio, eandem ſalutem oblatam fide accipiunt. Proinde nouum fœdus ſeu Teſtamentum in mutua obligatione eſt poſitum. Eſt igitur nouum hoc fœdus ſtipulatio inter Deum & hominem, nam vt Deus ſalutem gratuitam offert per Chriſtum, ita homo ſalutem oblatam fide accipit, & obœdientiam promittit.

Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, ſecũdum legem, propterea quod morte prohiberentur permanere, hic autem, eo quod maneat in æternũ, ſempiternum habet ſacerdotium.

Collatio Chriſti & Leuitarum, ex circumſtantijs tẽporis ſumta. ÆTERNVS Sacerdos, & ſemper viuens, ijs merito præferendus eſt, qui ad breue tantum tempus viuunt, atque ideo morte prohibentur fungi ſacerdotio. SED Chriſtus eſt æternus ſacerdos, & ſemper viuens, Leuitæ autem ad breue tempus permanent, propter mortalitatis conditionem. PROINDE Chriſtus Leuitis præferendus eſt. Loco totius argumenti ſola minor ponitur. VOCAT autem Apoſtolus noſter, ſacerdotium Chriſti ἀπαράβατον, quod ſucceſsione non tranſeat ad alium. Hac vnica vocula totus Papatus conficitur, qui ſuæ religionis proram, quod aiunt, & puppim in ſacerdotio Miſſatico collocat. Si enim Chriſti ſacerdotium eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

eſt ἀπαράβατον, impudens eſt oratio Papiſtarum, qui de ſucceſsione ſui ficti ſacerdotij in locum ſacerdotij Chriſti gloriantur.

Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.

Hæc illatio tria habet: Primum, quis ſit effectus ſacerdotij Chriſti. Secundo, ad quos pertineat. Tertio, quo præſidio tuti ſint participes fœderis Chriſti. EFFECTVS ſacerdotij Chriſti, eſt ſalus corporis & animæ. HÆC ſalus offertur quidem omnibus, ſed illi tantum eius fiunt participes, qui per hunc ſacerdotem Deum accedunt, quod fit fide: Ita enim Paulus ait, ad Roma. 5. Iuſtificati igitur ex fide, pacem habemus cum Deo, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem etiam acceſſum habemus fide, in gratiam hanc in qua ſtamus. VERVM quia ſemper ſancti in hoc mundo circumferunt peccata, addit Apoſtolus de perpetua interpellatione Chriſti apud patrem, qua, vt tutiſsimo præſidio, tuti ſunt. Huc ergo in noſtris infirmitatibus & lapſibus reſpiciamus, quemadmodum & Iohannes monet: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Porrò hic locus diligenter obſeruandus eſt, contra Pragenſem Sophiſtam, impudenter negantem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, nunc interceſſorem eſſe, inter Deum æternum patrem, & Eccleſiam: vt in Chriſti locum euehat ſanctos interceſſores & mediatores. Fatetur quidem vafer ille Chriſtum inuocandum, vt Deum, ſed non vt mediatorem: quare hanc precandi formam damnat: Fili Dei intercede pro me apud æternum patrem. Sed ſciamus vtroque modo filium Dei inuocandum eſſe, videlicet, vt Deum datorem bonorum, cum patre & Spiritu ſancto, & rurſus vt mediatorem & interceſſorem, vt propter ipſum exaudiamur, ac vt ipſe pro nobis ſit deprecator, apud æternum patrem, & vt ipſe perferat noſtros gemitus & preces ad æternum patrem, quemadmodum hic locus Apoſtoli aperte docet. Et Paulus ad Romanos 8. diſerte ait, Qui eſt ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis. Huc ratio æterni ſacerdotij Chriſti pertinet. Quicunque ergo negat Chriſtum nunc mediatorem eſſe, ſacrilege illi adimit, quod pater ipſi in æternum tribuit, cum ait: Tu es Sacerdos in æternum. Huc pertinet etiam promiſsio Chriſti, Quicquid petieritis patrem, in nomine meo, dabit vobis.

Talis enim decebat, vt eſſet nobis Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, qui non neceſſe habeat quotidie, quemadmodum ſacerdotes, primum pro ſuis peccatis hoſtias offerre, Deinde pro populi, hoc enim fecit ſemel cum ſeipſum obtulit.

A proprijs & neceſſarijs veri ſacerdotis conditionibus, conuincit Chriſtum eſſe verum Sacerdotem, Leuitas autem minime. Hæc veri ſacerdotis deſcriptio, ſita eſt in tribus, in qualitate perſonæ, in comparatione eiuſdem ad homines alios, adeoque omnes creaturas, & in ſacrificij virtute atque perfectione. QVALITAS perſonæ eſt, quod Chriſtus Pontifex ſit ſanctus, innocens, & impollutus, idque non imputatione aut incoatione, ſed veritate & perfectione. Hæc qualitas in ſolo Chriſto ſacerdote inuenitur, & nequaquam in Leuitis. COMPARATIO, quod ſit ſegregatus à peccatoribus. Etſi enim natura non eſt ſegregatus ab hominibus alijs, tamen à naturæ aduenticia contagione, hoc eſt, à peccato omnino ab omnibus alijs hominibus eſt ſegregatus. Deinde dicitur excelſior cœlis factus, id eſt, omnibus rebus, quæ in cœlo ſunt, vt ſunt angeli, & creaturæ reliquæ, vtraque proprietas Chriſto mediatori & ſacerdoti noſtro veriſsime conuenit, non Leuitis, non angelis, non creaturis vllis alijs. SED obijciat aliquis Ario hæretico aſſurgens: Si excelſior eſt factus, fuit aliquando humilior. Si humilior, quomodo ipſum Deum prædicas, cum hæc in diuinam naturam non quadrent? HVIC argumento Ambroſius de fide lib. 3. cap. 5. reſpõdet hiſce verbis: Nemo excelſior factus dicitur, niſi qui in aliquo fuerit humilior: in eo igitur excelſior factus eſt, ſedendo ad dexterã patris, in quo ſe, minor angelis factus, obtulit paſsioni. Hæc Ambroſius. IAM ex Apoſtoli verbis colligamus cõcluſionem. Si ſacerdotis eſt intercedere apud patrem, & nullus eſt legitimus Sacerdos, niſi ſit à peccatoribus ſegregatus & cœlis excelſior, ſequitur profecto mediatoris dignitatem in nullum quadrare, niſi in vnum Ieſum Chriſtum. SACRILEGI igitur ſunt Papiſtæ, qui alios mediatores fingunt apud Deum, quam ſolũ hunc Ieſum Chriſtũ, qui ſolus perfecte omnia ſacerdotis munera exequi poteſt. VIRTVS ſacerdotis Chriſti, & perfectio eſt, quod vnica hoſtia ſemel peracta pro peccatis homi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hominum, Deum propitiet, & placet. Hoc etiam ſoli Chriſto ſacerdoti, & non Leuiticis ſacerdotibus, cõuenit, quoniam Leuitici ſacerdotes, primum pro ſuis peccatis, deinde pro populi peccato obtulerunt hoſtias, idque non ſemel tantum, ſed ſæpiſsime. Proinde merito Chriſtus verus ſacerdos cenſendus, & non Leuitæ. OBSERVETVR hic diligenter, quæ ſit proprietas ſacerdotis eius, qui ſuo merito & efficaciter Deum placare poſsit, & imprimis obſeruetur emphaſis aduerbij, ſemel. Significat enim, quod ſemel factum eſt, ita abſolutum fuiſſe, vt eius iteratio minime ſit neceſſaria, vt taceamus ſacrilegium eſſe id iterare, quod Deus ſemel factum eſſe voluit. Quicunque enim hoc facit, negat victimam Chriſti perfectam fuiſſe. Hinc facile eſt iudicare, quam ſit ſacrilega vox papalium, qui dicunt ſe Chriſtum quotidie patri offerre pro viuorum & mortuorum peccatis. Quod autem quidam ex patribus vocant cœnam Dominicam hoſtiam, & ſacrificium, hoc fit quia in cœnæ celebratione fiunt gratiarum actiones, quæ ſunt hoſtiæ ſpirituales, & quia fit recordatio eius ſummi ſacrificij, quod peractum eſt in ara crucis, quo illud mandatum Domini pertinet: Hoc facite in mei commemorationem.

Lex enim homines conſtituit ſacerdotes, habentes infirmitatem. Sermo vero iuriſiurandi, quod poſterius eſt legi, filium in æternum perfectum.

Hæc ratio per comparationem ſumitur ex cauſsis efficientibus, perſonarum adiunctis, & à temporum circumſtantijs. Abſoluitur autem hoc modo: IS Sacerdos, qui poſt alios iureiurando eſt conſtitutus, quique eſt filius Dei in æternum perfectus, iure præfertur prioribus, lege tantum ſine iureiurando conſtitutis, quiq; ſunt homines infirmi. CHRISTVS eſt poſt alios iureiurando conſtitutus ſacerdos, eſtque filius Dei in æternum perfectus, & qui non habeat ſucceſſorem. Leuitæ vero lege tantum, ſine iureiurando conſtituti ſunt, & ſunt homines infirmi. IGITVR Chriſtus iure Leuitis præfertur. OBSERVETVR & hic locus de perfecto Chriſti ſacerdotio, in æternum duraturo, & ſufficienti, quis non videt hic confodi miſſaticum Idolum Papiſtarum, quo nullum aliud abominabilius Satan excogitare potuit, per Miſſam enim Papiſticam, Chriſti ſacerdotium, quod æternum eſſe oportet, abrogatur. Per Miſſam Papiſticam, Sacrificium, quo ſemel omnia peccata Chriſtus expiauit aboletur. Per Miſſam Papiſticam, ſanguis Chriſti, cuius munditie abluimur omnes, conſpuitur. Per Miſſam papiſticam, tota redemtio, morte Chriſti acquiſita, diſsipatur. Per Miſſam papiſticam, cœna Dominica, qua nobis mortis ſuæ memoriam commendauit Dominus, prophanatur. Per Miſſam papiſticam, maieſtas Dei, erecto in eius locum Idolo, deijcitur. Denique per Miſſam papiſticam, totum Chriſti regnum à Satana conculcatur. Cum tot abominationes ſint in Miſſa papiſtica, non minus quam ipſiſsimus Satanas fugienda eſt. Nam vt Satanas primos parentes ſophiſtica euertit: Ita nunc meretricio habitu Miſſæ multos decipit, & in æternam mortem præcipitat.

CAPVT VIII.

Summa Capitis octaui.

Chriſtus eiuſdem cum Deo patre maieſtatis, Pontifex eſt ſummus, adminiſtrator ſanctorum, mediator noui Teſtamenti, per quod vetus abolitum eſt.

Ordo & partes Capitis octaui.

Euicerat copioſe Apoſtolus, in quinto & ſeptimo capitibus, quod Chriſtus ſit Sacerdos, idque ſecundum ordinem Melchiſedech, multis modis præferendus Leuiticis ſacerdotibus, & quod cum translatione ſacerdotij facta ſit & legis translatio. Nunc ſchemate Rhetorico ἀνακεφαλεώσει ſummam diſputationis colligit, hoc ordine. Primum, Sacerdotem Chriſtum deſcribit, ab excellentia perſonæ & officij. Vt enim maieſtate diuina fulget Chriſtus, ita ſanctorum, hoc eſt, rerum cœleſtium adminiſtrator eſt. Deinde, quia Sacerdos noſter ad offerendum ordinatus eſt, oſtendit Chriſtum non inferiorem Leuitis eſſe, ſed multo ſuperiorem. Vt autem Leuitis non videatur inferior, templum Chriſto aſsignat multo auguſtius illo terreno, in quo adminiſtrabant ſacerdotes Leuitici. Hinc ad fœdus deſcendit. Nam cum omnis Sacerdos alicuius fœderis ſit Sacerdos: debuit & Chriſtus iuxta certam fœderis formam mediator eſſe. Id quod probat teſtimonio prophetico, ex quo etiam concludit vetus Teſtamentum abolitum eſſe.

EXEGE-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

EXEGESIS CAPITIS OCTAVI CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

CAPVT autem eorum quæ dicuntur, hoc eſt.

Hæc eſt ἀνακεφαλέωσις, per quam ſummam diſputationis de ſacerdotio Chriſti colligit, & eam breuiter ponit ob oculos, quo melius perſpici poſsit.

Talem habemus Sacerdotem, qui conſedit in dextera throni maieſtatis in cœlis.

Deſcriptio eſt Pontificis Chriſti, ab excellentia perſonæ. Sedere in dextera throni maieſtatis in cœlis, eſt æqualem eſſe Deo patri, ac ſi diceret Apoſtolus: noſter Pontifex non eſt homo fragilis, & peccator, ſicut Leuitæ: Sed eſt homo purus à peccato, & verus Deus, maieſtate, potentia, & honore, patri coæqualis. Obſeruetur hoc loco teſtimonium de diuina maieſtate, & potentia Pontificis noſtri Chriſti: vnde ſumamus fiduciam, quod poſsit promiſſam ſalutem præſtare: & quia eſt Pontifex, velit etiam. Porrò, de maieſtate Chriſti, vide quæ annotauimus in primum caput huius Epiſtolæ.

Sanctorum adminiſtrator.

Deſcriptio Chriſti ab excellẽtia officij, ac ſi diceret Apoſtolus: hic Pontifex noſter, non eſt adminiſtrator rerum terreſtrium, & caducarum, vt Leuitæ, ſed Sanctorum, hoc eſt, rerum ſanctarum, cœleſtium, & æternarum. Sanctorum enim hic non maſculinum, ſed neutrum eſt. Adminiſtrator, Græce λειτουργὸς, eſt qui publico nomine, miniſterio aliquo fungitur. Chriſtus enim non ſui cauſſa, ſed pro mundi ſalute eſt factus λειτουργὸς ſanctorum, quo officio vere fungetur vſque ad extremum iudicium ſine ſucceſſore.

Et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.

Chriſto ſacerdoti tabernaculũ ſeu templum tribuit: quod & verum eſſe affirmat, & à Deo fixum. Quare multis modis hoc tabernaculum Chriſti, vmbratili, & à Moſe extructo præferendum eſt. Vt enim veritas opponitur vmbræ: ita fixum eſſe à Deo, opponitur ſtructuræ hominis, ex his etiam concluditur, quod Chriſtus multo Leuitis ſit præſtantior.

Omnis Sacerdos ad offerendum dona & hoſtias conſtituitur.

Dixit Chriſtum adminiſtratorem eſſe ſacrorum, id nunc probat ab officio proprio ſacerdotis: ac maiorem propoſitionem loco totius argumenti ponit. Omnis ſacerdos ad offerendum aliquid conſtituitur, Chriſtus eſt ſacerdos. Igitur Chriſtus eſt conſtitutus ad offerendũ, ſeu, quod idem eſt, Chriſtus eſt ſanctorum adminiſtrator. Docet & hic locus, quod nihil impetretur à Deo ſine ſacerdote, atque ideo iubet Chriſtus, vt in ſuo nomine inuocemus patrem.

Vnde neceſſe fuit, hunc quoque habere aliquid quod offerret.

Illatio eſt ex concluſione ſuperioris argumenti, ab antecedentium & conſequentium vi deſumta. Quicunque debet offerre, habeat id quod offerat, neceſſe eſt. Chriſtus debuit offerre. Igitur neceſſe eſt eum habuiſſe quod offerret. Quid autem obtulerit Chriſtus, & ſupra expoſitum eſt, & repetetur in nono capite.

Sane, ſi in terra eſſet, ne Pontifex quidem eſſet, quamdiu eſſent ſacerdotes, qui ſecundum legem offerrent dona, qui exemplari & vmbræ ſeruiunt cœleſtium.

Dixit ſupra in deſcriptione ſacerdotis Chriſti, quod in cœlis obiret mun° ſacerdotale: nunc id confirmat, à deſtructione conſequentis. Si Chriſtus eſſet in terra, non eſſet verus ſacerdos. At eſt verus ſacerdos. Igitur in terra eſſe non debet. Probat maiorem, quia ſacerdotes terreni, offerentes ſecundum legem, non ſunt veri ſacerdotes, ſed tantum vmbra quædam & typus Chriſti fuere. An non Chriſtus hic in terra ſe obtulit? Verum quidem hoc eſt, ſed Apoſtolus reſpicit ad ſpiritualem fructũ ſacerdotij Chriſti, nam victima & mors Chriſti, in cœlis ſemper eſt, in conſpectu patris, tanquam recens peracta: vnde placatur peccatoribus

reſipiſcentibus,& confugientibus ad noſtrum Sacerdotem vnicum Ieſum Chriſtum. Obſeruetur & hic, quod cœlum ſit templum noſtri ſacerdotis Chriſti. Deinde quis fuerit vſus veteris ſacerdotij, videlicet, vt ſeruiret cœleſti, repræſentatione viſibili.

Quemadmodum oraculo admonitus fuit Moſes, cum perfecturus eſſet tabernaculum, Vide, inquit, omnia facito ſecundum typum, qui tibi in mõte oſtenſus eſt.

Probat carnale tabernaculũ tãtum fuiſſe typum, ſeu vmbram cœleſtis tabernaculi ex 25.cap. Exodi, ex quo ſequitur, quod etiam ſacerdotes legales fuerunt vmbratiles: vt qui adumbrarent verum ſacerdotem Chriſtum.

Nunc autem excellentius conſecutus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti eſt mediator.

Extollit Chriſtum rurſus ſupra Leuitas, hoc argumento: Sacerdos melioris Teſtamenti mediator, habet excellentius ſacerdotium, quam qui inferioris Teſtamenti ſunt mediatores. Sed Chriſtus eſt melioris Teſtamenti mediator. Proinde, Chriſtus habet excellentius ſacerdotium, quam Leuitæ.

Quod ſuper melioribus promiſsionibus ſancitum fuit.

Probat minorem ab excellentia promiſsionis noui Teſtamenti. Argumentum autem ſic abſoluitur. Illud Teſtamentum ſeu fœdus eſt præſtantius, quod habet meliores promiſsiones, quam teſtamentum Leuitarum. Ergo teſtamentum Chriſti, hoc eſt, nouum, teſtamento Leuitico, ſeu veteri præſtantius eſt.

Nam ſi illud prius fuiſſet irreprehenſibile, non vtique ſecundi requiretur locus.

Alio argumento probat nouum fœdus veteri anteferendum eſſe. Eſt autem argumentum hoc à deſtructione conſequentis ſumtum. Si vetus Teſtamentum fuiſſet irreprehenſibile, hoc eſt, firmum, ſtabile & abſolutum, non fuiſſet ei ſubrogatum nouum fœdus. Atqui eſt ei nouum ſubrogatum. Igitur illud prius non fuit irreprehenſibile, id eſt, abſolutum. Loco totius argumenti ſola propoſitio ponitur. Si quis interroget, cur Apoſtolus dicat, vetus fœdus non fuiſſe irreprehenſibile, cum eius autor ſit Deus, cuius opera ſunt ſancta & perfecta: Reſpondeo, ex Chryſoſtomo, cuius hæc ſunt verba, ἄμεμπτος δὲ, τουτέστι, χρήσιμος, οὐχ ὡς ἐγκλημάτων ὑπεύθυνος, ἀλλ' ὡς οὐκ ἀρκοῦσα.

Vituperans enim eos, dicit.

Ex teſtimonio Prophetæ Ieremiæ cap. 31. probationem minoris adiungit. Sed qualis eſt hæc collectio? Deus reprehendit Iudæos violati fœderis: Igitur illud fœdus non fuit irreprehenſibile? Reſpondeo, Argumentum hoc ſumtum eſt ab effectu. Ex eo enim notatur infirmitas fœderis, quod eorum cordibus non fuerit inſcriptum, vt ratum haberetur. Neque enim eo pertinebat, ſed tantum fuit pædagogia ad meliorem ſpem: vt ſupra dictum eſt ab Apoſtolo, atque ita ſuam virtutem, & efficaciam, non à ſe, ſed aliunde habuit, cum contra, nouum fœdus ſuapte virtute nouos reddat homines.

Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda, Teſtamentum nouum.

Ipſius Dei teſtimonium adducit ex 31. cap. Ieremiæ, ad probandum, nouum fœdus, ſeu teſtamentum, debere ſubrogari in locum veteris Teſtamenti: verum quia hoc teſtimonium longiuſculum eſt, illud particulatim declarabo, quo melius doctrinæ, quæ in eo latent, aſpiciantur. Cum igitur dicit: Ecce dies venient, excitat populum ad attentionem, vt auidius audiant, quid de rebus futuris dicturus ſit. Cum addit: Dicit Dominus, autoritatem prophetiæ conciliat. Nam populus Dei non acquieſcit in vlla doctrina, priuſquam audiat hanc vocem, Hæc dicit Dominus. Hoc exordiolo, attentiore reddito populo, Propheta proponit ſummam rei, hiſce paucißimis verbis: Conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda, Teſtamentum nouum, hoc eſt, feriam nouum fœdus cum populo meo vero Iuda, & vero Iſraële.

Non ſecundum Teſtamentum, quod

Propoſitionem amplificat per ſe-

feci

feci cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti, quoniam ipſi non permanſerunt in Teſtamento meo,& ego neglexi eos, dicit Dominus.

iunctionem Rhetoricam. Nam cum plures res eodem ſignificantur nomine: opus eſt diſtinctione, ne confuſio turbet auditores. Hinc colligendum eſt, quod vetus Teſtamentum, ſit pactum quo populus Iſraëliticus, ritibus Moſaicis, atque adeo toti illi politiæ obligatus erat, de qua re lege caput 24. Exodi.

Quia hoc eſt Teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël, poſt dies illos, dicit Dominus.

Propoſitionis clara expoſitio, in qua obſeruetur temporis circumſtantia, cum inquit, Poſt dies illos, hoc eſt, exhibito & glorificato poſt mortem Meſsià.

Dabo leges meas in mentem eorum, & in corda eorum inſcribam eas.

Hic ab effectibus incipit deſcribere nouum Teſtamentum. Primus effectus, eſt clara Dei noticia ſeu mentis illuſtratio per legem Dei, id eſt, per verbum Dei. Secundus effectus, eſt qui priorem ſequitur, nimirum quod Deus ſuas leges inſcribat in cordibus, quod fit dum vera & viua fiducia in Deum recumbimus, ac Deo iuxta ſuam voluntatem per Spiritum ſanctum obtemperare contendimus. Hæc ſcriptio legis in cordibus, non eſt noticiæ ocioſæ, ſed fiduciæ efficacis: qua ſtatuimus & ſentimus Deum nobis eſſe propitium remiſsis peccatis, quaque excitantur in nobis motus congruentes legi Dei: Atque hæc excitatio, eſt incoatio obœdientiæ erga Decalogum. An non patres, Abraham, Iſaac, & Iacob, & multi alij ſcriptionem hanc in cordibus ſuis habuerunt, participes noui fœderis? Reſpondeo: Hæc dicuntur per comparationem maioris & minoris, & de Oeconomia Eccleſiæ, in qua multo obſcurior erat notitia Dei in populo Iſraëlitico, quam nūc eſt, exhibito Chriſto in Eccleſia. Non ergo hic collatio fit perſonarum, ſed tantum duplicis œconomiæ Eccleſiæ, videlicet, ante Chriſtum exhibitum, & poſt Chriſtum exhibitum.

Et ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.

Hic tertius fructus eſt noui Teſtamenti, in quo mutua fœderis obligatio eleganter exprimitur. Deus promittit ſe recepturum homines in ſuam fidem, & viciſsim ab eis requirit, vt ſe ſuæ fidei committant: quod fit cum in ipſum viua fide recumbunt. Obſeruetur hoc loco doctrina, de mutua obligatione inter Deum & hominem, ſeu, de legibus confœderationis nouæ inter Deum & homines, vt enim Deus vult noſter Deus eſſe: ita nos debemus ipſius populus eſſe, quod fit dum fide in ipſum recumbimus, non noſtris, ſed Chriſti meritis freti: Atque hic tandem propria differentia noui Teſtamenti expreſſa eſt. Eſt igitur nouum Teſtamentum, pactum ſanguine Chriſti ſancitum, quo vt Deus recipit homines in gratiam, propter Chriſtum: ita homines viciſsim, ſe fidei Dei committunt, per fidem in Chriſtum, eique ex fide obtemperare promittunt. Huius fœderis exemplum vide Gen. 17. vbi initur fœdus inter Deum & Abrahamum.

Et nō docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum, dicēs, Cognoſce Dominum. Quia omnes ſcient me, à minore inter eos vſque ad maximum eorum.

Hic quartus fructus eſt noui Teſtamenti, videlicet, clarior Dei noticia. Hoc teſtimonium miſerrimi Anabaptiſtæ torquēt ad totius ſcripturæ conſenſum de miniſterio verbi in Eccleſia euertendum, conanturque hoc Prophetico teſtimonio, ſuis ſectatoribus perſuadere, vocali miniſterio nullum locum ab exhibito Chriſto in Eccleſia eſſe, quia ſcriptum eſt (aiunt) nō docebit vnuſquiſque proximum ſuum. Sed falluntur miſere. nullo enim pacto hoc dictum abolet miniſterium Euangelij. Quare in hunc modum reſpōdendum eſt Anabaptiſtis: Hæc promiſsio, Non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & ſimpliciter & cōparate intelligi poteſt: Si ſimpliciter intelligitur, inſtauratio quæ ꝓmittitur in nouo Teſtamento, cōſideranda eſt dupliciter, hoc eſt, prout incoata eſt in hac vita, & ſicut conſummabitur poſt reſurrectionem. Quatenus incoata tātum inſtauratio in hoc mundo

eſt,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

eſt, opus habet profecto miniſterio verbi, quemadmodum multa ſcripturæ oracula & exempla conuincunt. At quatenus olim conſummata fuerit, poſt reſurrectionem, nequaquam opus habebit miniſterio verbi. Quia Deus erit omnia in omnibus. Verum ſi Prophetæ verba per compationem temporum Eccleſiæ acceperimus: Significatur hac orationis figura, quod clarior ſit futura cognitio Dei in nouo Teſtamento, quam fuit in veteri, & hoc videtur ſignificari, per doctrinæ formam, quæ hic exprimitur, Cognoſce Dominū. Nam multo illuſtrior eſt hodie Dei cognitio, quam fuit ſub vmbris veteris teſtamenti.

Quia propitius ero iniquitatibus eorū, & peccatorum eorum & iniquitatum eorum non recordabor.

Quintus & præcipuus fructus noui teſtamenti, videlicet, peccatorum remiſsio, hoc eſt, obligationis ad damnationem & æternam mortem ſolutio, & pœnæ peccatis debitæ condonatio, propter victimam filij. Hæc remiſsio peccatorū, vt offertur Euangelio, & fide, per quam fit conuerſio, accipitur. Ita habet duo adiuncta, ſcilicet, gratiam & donum per gratiam. Gratia eſt ipſa iuſtificatio. Credentes enim fide iuſtificantur. Donum per gratiam, eſt donatio Spiritus ſancti, quæ incoat in conuerſis ſanctificationem, & eos continet intra metas viarum Domini, donec tandem plenam redemtionem nacti, æterna fruentur immortalitate. Atque ita apparet quomodo Chriſtus ſit nobis natus à Deo ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio.

Dicendo autem nouum, antiquauit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.

Concludit ex Prophetæ verbis, vetus teſtamentum abolendum, & nouum ſubrogandum. Hic locus poſtulat, vt nonnihil dicamus de abrogatione legis, ſeu abolitione veteris Teſtamenti, quod fuit tantum vmbra quædam, & typus noui Teſtamenti. Iuriſconſulti recte dicunt: Ceſſante ratione legis, ceſſat ipſa Lex. Cum ergo præcipua ratio, propter quam lex Moſaica, ſeu vetus Teſtamentum, diuinitus ordinatum erat, fuerit, vt Ceremonijs varijs adumbraret victimam vnicam Chriſti, quæ ſola tollit peccata mundi, vt quæ ſit infiniti precij & valoris, ſatis manifeſtum eſt, quod hac Chriſti victima exhibita, ceſſare debuerint Leuitica ſacrificia, & Ceremoniæ aliæ, quæ ſtante & florente ſacerdotio Leuitico, placuerunt nō per ſe, ſed propter fidem. Stat enim immotum hoc cultus diuini principium: Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Item, quicquid non fit ex fide, eſt peccatum. Iudæis qui vrgent promiſsiones de ſtatutis perpetuis, Exodi 27. Leuitici 6.7.& 24. reſpondendum eſt, quod illa perpetuitas non ad vſum Ceremoniarum, ſed ad ſpiritualem ſignificationem, quæ perpetua eſt, referenda ſit. Nam iuxta regulam: Multa tribuuntur Symbolis, quæ tātum ſunt rerum ſignificatarum. Antinomi qui legem Moralem ſublatam volunt, non animaduertunt ſæpiſsime nomine totius ſeu generis, partem ſeu ſpeciem deſignari, vſitata ſcripturæ phraſi. Nam legis nomen tribuitur illis quatuor doctrinæ ſacræ partibus, communi normæ vitæ, Ceremonijs, iudicijs & fœderi Dei cum hominibus, ſed periſtaſis loci facile monſtrat, quæ pars, generis ſeu totius appellatione intelligi debeat.

CAPVT IX.

Summa Capitis noni.

Vt prius teſtamentum externos habuit ritus, videlicet, tabernaculum duplex, cum ſuis ornamentis, ceremonijs, ſacerdotibus, & ſacrificijs: Ita nouum Teſtamentum, non vmbras rerum, ſed veritatem ipſam habet, hoc eſt, Chriſtum ſacerdotem, noui Teſtamenti mediatorem, qui in cœlum ingreſſus, ſemetipſum obtulit ſemel pro peccato, atque olim apparebit expectantibus ſe ad ſalutem.

Ordo & partes noni Capitis.

Cum hactenus diſputatum ſit de Sacerdote Chriſti: nunc commode ad eiuſdem ſacrificium deſcribendum tranſit: idque hoc ordine: Primum proponit, vetus Teſtamentum habuiſſe ſuos ritus, & mundanum ſanctum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſanctum. Deinde fuſe recenſet vmbras quaſdam, quæ fuerunt in vtroque tabernaculo exteriori & interiori, oſtendens omnia illa, per ſe conſiderata, inefficacia fuiſſe. Præterea affirmat Chriſtum, quem typi figurabant, qui & ſanctus & ſacrificium fuit, inueniſſe æternam redemtionem: quo per collationem illuſtrato, aſſerit Chriſtum noui Teſtamenti mediatorem eſſe, & per hanc occaſionem, propoſita natura teſtamenti, moriendum fuiſſe Chriſto, vt ratum haberetur teſtamentum, conuincit. His adiungit differentiam triplicem, inter ſacrificium Chriſti & Leuitarum. Quarum prima eſt, quod Leuitæ ſæpe offerant, Chriſtus autem vna oblatione peregit ſuum ſacrificium. Secunda, Quod Leuitæ offerant aliena, Chriſtus autem ſemetipſum. Tertia, Quod Leuitæ nihil ſuis multis ſacrificijs perducant ad perfectum: Chriſtus vero vnico ſacrificio plene omnia conſummauerit. Ideoque poſthac non offeretur ſæpius, ſed olim expectantibus ſe apparebit Saluator. Poterit autem præſens caput diſtribui in hunc modum: Primum exponitur typus. 2. Res ſignificata indicatur. 3. Adijcitur confirmatio & expolitio. 4. Teſtamentum exprimitur. 5. Proprietates ſacrificij Chriſti narrantur. Poſtremo, differentia inter ſacrificium Chriſti & Aaronicum indicatur.

EXEGESIS NONI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

HABEAT quidem prius illud iuſtificationes cultus, & ſanctum mundanum.

Propoſitio expoſitionis typi, & eorum quæ veteri Teſtamento annexa erant. Eſt autem huius propoſitionis ſenſus. Prius, hoc eſt, vetus Teſtamentum habuit ritus & externa ſymbola cultus diuini, quibus videlicet, tanquam vmbris, exercerentur Iudæi, donec Chriſtus adueniret. Vt enim iuxta legem ſacrificantes, iuſti & ſancti in hominum conſpectu habebantur: Ita ijdem, ſi fide in Chriſtum intuebantur, qui p illorum ſacrificia adumbrabatur, eius gratiæ fiebant participes. Loquitur autem hic Apoſtolus tantum de ceremonijs, quæ in ſe, & per ſe nihil conferebant, ſed ſignificatione plurimum. Sanctum igitur (quo omnes ritus pertinentes ad vetus Teſtamentum intelligit) vocat mundanum, non quidem quoad ſignificationē, nā eo pacto ſpirituale fuit: ſed quoad eius naturam in ſe, durationem, & materiam. Δικαιώματα Chryſoſtomus interpretatur ſymbola, quia non vere iuſtificabant, ſed tantum comparatione quadam indicabāt, vnde quærenda eſſet vera iuſtificatio, & vera ſanctificatio. Vocabulum σκήνη non reddidi, ſecutus autoritatem veteris interpretis, & ſubintelligo διαθήκη, ex fine præcedentis capitis: id quod optime contextui quadrat. Quemadmodum & quidam Græcus interpres, & nonnulli ex recentioribus rectiſsime monent, affirmantes quod perperam vocabulum σκήνη ex margine in textum irrepſerit.

Tabernaculum enim conſtructum fuit prius quidem, in quo erat cādelabrum, & menſa & propoſitio panum, quod dicitur Sancta. Poſt medium autem velum, erat tabernaculum, quod dicitur Sancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam Teſtamenti, vndique circumtectam auro, in qua vrna aurea habens Manna, & virga Aaron quæ germinauit, & tabulæ fœderis. Supra hanc autem Cherubim gloriæ, obumbrantes propiciatorium. De quibus non eſt nunc dicendū ſingulatim.

Hæc ratio eſt propoſitionis, per expoſitionem typicam. Typ⁹ enim qui hic exponitur, ſeruiebat veteri Teſtamento, vt vmbra veritati, & ſymbolum rei ſignificatæ. Summa huc redit. quod hæc deſcriptio adumbret nouū Teſtamentum cum ijs omnibus, quæ ad illud pertinent. Priuſquam autem typum hunc exponam, tres regulas proponam, obſeruandas in accommodatione typorum veteris Teſtamenti, ad nouum Teſtamentum. Prima, Omnia typica veteris Teſtamenti, Chriſto, Eccleſię & eorum ſpiritualibus ornamētis accōmodanda ſunt. Secunda, vt allegoriæ omnes, quæ non pugnant cum analogia fidei, pie ferri poſſunt: Ita nulla allegoria recipienda eſt, quæ à fidei analogia aberrat. Tertia, permulta, etiam diuerſiſsima, Chriſto accommodari poſſunt, propter eius varias virtutes & officia, ſicut in Euangelio nunc paſtor, nunc agnus, nunc oſtium dicitur: Ita multa propter varios reſpectus, in veteri Teſtamento Chriſtum figurant. Hiſce regulis obſeruatis, conemur ſingula, quæ hic ab Apoſtolo recenſentur, accommodare veritati, vt videatur quam cōcinne veritas vmbris reſpondeat. Etſi aūt vnum tabernaculum Moſaicum fuit, tamē quia in medio diſtinctum

erat

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

erat velo, in duas partes, tanquam in duo tabernacula, duplicis tabernaculi hic meminit
Apoſtolus, quorum prius, humanam naturam Chriſti & Eccleſiam, poſterius cœlum &
Eccleſiam adumbrat, quemadmodum Apoſtolus noſter infra interpretatur. IN priori ta-
bernaculo, quod dicitur ſanctum, vel in plurali, vt hic legitur, Sancta, propter ſignificatio-
nem, fuere candelabrum, menſa, panes propoſitionis. Candelabrum, cum ſuis lucernis
Chriſtum & Apoſtolos adumbrant. Vt enim Chriſtus lux vera eſt, illuminans omnem ho
minem, Ita geſtat lucernas, hoc eſt, Apoſtolos, Prophetas & doctores Eccleſiæ, ſine quibus
mundus in denſiſsimis aberrat tenebris. Menſa ſimiliter Chriſtum adumbrat, & prædica-
tionem Euangelij, qua tanquam cibo, aluntur animæ hominum. Panes duodecim pone-
bantur in cõſpectu Domini, vt eſſent ſymbolum, quod admoneret populum Iſraëliticum
ſacrificij placationis, vt habetur Leuitici 24. cap. atque ideo adumbrant Chriſtum, qui &
ſacrificium placationis nobis eſt, & panis quo animæ noſtræ aluntur. In interiori taberna-
culo (hoc eſt in ea parte tabernaculi, quæ erat poſt velum intermedium) quod dicebatur,
Sancta ſanctorum, fuerunt, aureum thuribulum, arca Teſtamenti circumtecta auro, vrna
aurea cum Manna, virga Aaron, tabulæ fœderis, & ſupra arcam Cherubim. Hoc interius
tabernaculum intimum ſacrarium ſeu adytum erat, in quod ſemel in anno ſumus Ponti-
fex ingrediebatur, & ſpirituale Chriſti templum, ſeu cœlum, & ipſam Eccleſiam Chriſti ad
umbrabat. In hoc ſacrarium cum pij viderent Pontificem ſummum, ſemel in anno ingre-
di, admonebantur de promiſſo Meſsia, qui ſemel ingreſſurus in Sancta ſanctorum, inue-
niret æternam redemtionem. Aureum thuribulum, inuocationis cultum, eumque puriſ-
ſimum figurat, quo & Chriſtus intercedit pro Eccleſia, & ipſa Eccleſia Deum patrẽ in no-
mine Chriſti inuocat, dum igni Spiritus ſancti accenditur. Arca Teſtamenti, Primum ip-
ſum Chriſtum adumbrat. Vt huius arcæ vectes, annuli, & inſtrumenta reliqua auro coru-
ſcant: Sic iuſti qui in Chriſto ſunt, gloria Chriſti nitent. Deinde arca repræſentat Eccleſiam
Chriſti. Nam vt arca cuſtos erat tabularum Mannæ & virgæ Aaronis: Ita Eccleſia cuſtos eſt
Legis & Euangelij, adeoque veri cultus diuini. Quod autem hæc arca tegitur lamina au-
rea, quæ propitiatorium dicitur, ſignificat, quod Eccleſia tegatur aduerſus irã Dei media-
tore Chriſto, qui eſt verus propitiator. Ita enim hunc typum Chriſto accommodat Paulus
ad Rom. 3. Huc reſpexiſſe videtur Dauid, cum inquit: Beati quorum tecta ſunt peccata. Vr-
na aurea, continens Manna, eſt prædicatio Euangelij continens Chriſtum, qui eſt verum
Manna, de quo ſi quis edit, hoc eſt, credit, quod caro eius data ſit pro mũdi vita, & ſanguis
eius effuſus in remiſsionẽ peccatorũ, is habebit perpetuam vitam, Iohan. 6. Virga Aaron,
quæ germinauit, adumbrat miniſterium Euangelij. vt enim virga Aaron arida tumultu-
antibus ſeditioſis, maxime floruit: Ita miniſterium Euangelij, ſpretum & ſine honore ia-
cens, tum maxime floret & efficax eſt, cum acerrime ab hæreticis & tyrannis oppugnatur.
Cherubim, de quibus hic agitur, imagunculæ erant alatæ, humana ſpecie, quibus adum-
bratum, Deum nuſquam habitare verius, quam inter mentes, humanas quidem, ſed quæ
poſita peccati mole & ſumtis alis ſpiritus, in cœlis verſantur. Deinde Cherubim ſignificãt
etiam angelos bonos, cuſtodes Eccleſiæ, & miniſtros Euangelij. Hi obumbrant propitia-
torium, quia ad nutum Chriſti ſe componunt, & veluti alati, hoc eſt, velociſsimi & prom-
tiſsimi, arcæ, id eſt, Eccleſiæ cuſtodes ſunt. De etymologia huius vocabuli Cherubim duæ
ſunt Hebræorum opiniones. Quidam componunt à Caph, ſimilitudinis nota, & Riphia
Chaldaico, quod ſignificat puerum: atque definiũt Cherub, imaginem ſeu ſimilitudinem
repræſentantem pueri ſpeciem, ſed alatam. Deinde ad genus transferunt vocabulum, vt
ſignificet quamuis imagunculam ſeu ſimilitudinem. Alij deducunt Cherub à Charab,
quod ſignificat vehi ſeu volare: atque ita ſignificat alatum ſeu vectum, vnde etiam tranſ-
fertur ad nubes, quæ videntur alatæ eſſe. Hæc breuiter de hiſce figuris annotaſſe ſufficiat.

His autem ita ordinatis, in prius quidem tabernaculum ſemper ingrediuntur Sacerdotes; cultus perficientes: in ſecundum vero ſemel in anno, ſolus Pontifex, nõ ſine ſanguine, quem offert pro ſe ipſo, & pro populi erratis.

Vſus tabernaculi exponitur, vide-
licet, quod in eo ſacerdotes ſacra per-
agerent: ſed diuerſimode, ſicuti expo-
nit. Nam in prius tabernaculum, hoc
eſt, in priorem tabernaculi partem,
quæ velo ab interiori diſtinguebatur,
quotidie intrabant Sacerdotes ſacras
ceremonias peracturi, ſed in ſecundũ,
hoc eſt, in interiorem tabernaculi partem ſolus ſumus Sacerdos, idq; ſemel quotannis, in-
greſſus eſt. Sed quid ſibi vult hæc diuerſitas? Quotidiano ingreſſu, & quotidiano ſacrificio,
ſignificabatur infirmitas & imperfectio ſacrificiorũ Leuiticorũ. Nam ſi fuiſſent per ſe ſuffi-
cientia

cientia ad expianda peccata, non fuiſſet opus toties eadem ſacrificia iterare. Verum vnico ingreſſu ſummi ſacerdotis per annum, ſignificabatur perfectio ſummi ſacerdotis Chriſti, cuius victima ſemel peracta, in æternum efficax futura eſt, & ſufficiens ad expianda totius mundi peccata.

Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nōdum manifeſtatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priori tabernaculo habente ſtatum.

Ex ratione typi indicat quā inefficax fuerit Leuiticū ſacrificium: nam illud quod ſæpe iterandum eſt, non ſatis eſt efficax nec perfectum. Quare cum ſummus ſacerdos quotannis iterat ſuum ſacrificium, & alij ſacerdotes quotidie: ſatis manifeſtum eſt, quod nec illius nec horum ſacrificium perfectum fuerit, & ſatis idoneum, ad expianda peccata. Proinde typus tantum erat ſubordinatus ad ſignificandum perfectum Chriſti ſacerdotium.

Quæ parabola eſt temporis inſtantis.

Figuram explicat. Eſt autem ſenſus: Infirmitas veterum ſacrificiorum, & inefficacia, admonebat ſacrificantes, quod alia victima peragenda reſtaret per Pontificē Chriſtum, cuius preciū inæſtimabile & infinitum eſſet futurum. PARABOLA proprie eſt rerum quæ inter ſeſe comparantur analogia aliqua, etiamſi pares non ſint partes, quæ conferuntur. Sic vmbra & corpus παραβάλλονται, hoc eſt, conferuntur, & ſibi inuicem collata cognoſcuntur. Obſeruetur locus de vſu omnium, quæ pertinebant ad tabernaculum, videlicet, quod erant quædam ſymbola rerum noui Teſtamenti.

Iuxta quam munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo in cibis, & in potibus, & in varijs baptiſmatibus, & iuſticijs carnis, vſq; ad tempus correctionis impoſitis.

Extenuatio eſt virtutis ſacrificiorum Leuiticorum. Detrahit enim illis Phariſaicam opinionem. Nam cum Phariſæi putarint ceremonias, & ſacrificia Leuitica, cultum Dei eſſe, per ſe Deo placētem, oſtendit illorum errorē; & docet quantum in ſe valuerint Leuiticæ ceremoniæ: videlicet, quod tantum ad externam ſanctificationem in iſto populo per ſeſe erant efficacia ſacrificia Leuitica. Etſi autem per ſe conſiderata, plane infirma & inefficacia erant iſta ſacrificia: tamen ſignificatione ſpirituali ducebāt homines ad Chriſtum: qui fide Chriſti in conſcientijs purgati ſunt, & non externis ceremonijs. Porrò tempus correctionis, vocat tempus exhibiti Chriſti, & promulgati Euangelij per orbem vniuerſum, quando ceremoniæ Moſaicæ præſtantioribus bonis noui Teſtamenti cedere debuerunt.

Chriſtus autem aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum, nō manufactum, hoc eſt, non huius ſtructuræ, neq; per ſanguinem hircōrum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemtione inuenta.

Expoſito typo, rem ſignificatam producit in medium. Eſtq; hæc principalis huius capitis propoſitio, quæ digniſsima conſideratione eſt. Complectitur enim quodam pulcerrimo aphoriſmo, ſummam doctrinæ de ſacrificio Chriſti, quam pulcerrime triplici comparatione illuſtrat. Tabernaculum enim vetus, confert cum tabernaculo Chriſti, quod eſt cœlum ipſum. Sanguinem taurorum, comparat ſanguini Chriſti ſacerdotis. Externam & mundanam iuſtificationem, confert æternæ redemtioni per Chriſtum inuentę. Hanc redētionem, ſupra viam ſanctorum nominauit. Hac triplici comparatione ſatis oſtenditur, quanti precij ſit ſacrificium Chriſti. Quantum enim ſuperat cœleſte tabernaculum humanum, à Moſe extructum: quantum Chriſti ſanguis, ſanguinem beſtiarum, quantum æterna redemtio animarum, temporalē purgationem, & iuſtificationem externam: tantum excedit Chriſti ſacrificium, Leuitarum ſacrificia. OBSERVETVR igitur in primis hic locus, qui eſt præcipuus in hac diſputatione, de ſacrificio, ſacerdotio, & effectu ſacrificij Chriſti. CONFVTATVR etiam hoc teſtimonio, impium Papiſtarum ſacrificium, qui ſe quotidie Chriſtum offerre dicunt, quod apertiſsime pugnat cum hoc Apoſtoli dicto. Eſt enim hæc immota conſequentia, & firmiſsima demonſtratio, quam nulla ſophiſtica euertere poteſt. Chriſtus ſe obtulit, idq; ſemel, & inuenit æternam redētionem.

Proinde non poteſt vllo ſacrificio alio redemtio ſalutis acquiri. Quod ſi verum eſt, vt eſt veriſsimum, impietas Papiſtarum excuſari non poteſt, qui dicunt ſe quotidie offerre Chriſtum, pro ſalute viuorum & mortuorum acquirenda.

Si enim ſanguis taurorum & vitulorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis: Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritū æternum ſemetipſum obtulit immacularum Deo, emundabit conſcientiam ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti.

Efficaciam ſacrificij Chriſti extollit, per locum à minori ad maius. Loco totius argumenti ſola propoſitio hypothetica ponitur: quæ eſt maior in ſyllogiſmo. Minor addetur ex antecedentis ſubſumtione: vnde conſequens concluditur hoc modo: SI ſanguis taurorum efficax fuit, ad externam emūdationem carnis, multo magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientias. SED ſanguis taurorum ad emundationem carnis efficax erat. PROINDE multo magis ſanguis Chriſti, efficax eſt ad purgandas conſcientias.

Ratio conſequentiæ maioris ex eo ſumitur, quod Chriſtus ipſe Deus & homo, ſuum proprium ſanguinem, eumq; immaculatum obtulit, idq; nō per ignem, quemadmodum in ſacrificijs Leuiticis fiebat, ſed per ſpiritum æternum, vnde hæc maxima virtus & efficacia manat, quod mundare conſcientias à mortuis operibus poſsit. VOCAT autem mortua opera, morte digna, per metonymiam, & ponit fundamentū pro relatiuo ſeu termino. Hæc opera pluribus de cauſis mortua dicuntur. Nam ſunt ſine vita ſpiritus, ſpirant fœtorem veteris hominis, offendunt conſcientiam, vt cadauer ſenſus offendit, afferunt animæ peſtem, vt putrida cadauera peſtilentiam excitare ſolent. HVC adiungit finem noſtræ emundationis per Chriſtum, videlicet, vt ſeruiamus Deo viuenti, & non amplius mortuis operibus indulgeamus. OBSERVETVR inprimis hoc loco, doctrina de modo oblationis Chriſti, de eius effectu, & ſimul conſideretur, quod qui mortuis operibus indulget, non poſsit Deo ſeruire, qui viuit. Sunt enim iſti contrarij Domino.

Ac propterea noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemtionem tranſgreſsionum, quæ ſub priore Teſtamento erant, ij qui vocati ſunt, promiſsionem accipiant æternæ hæreditatis.

Poſtquā de efficacia ſacrificij Chriſti dixerat, ad Teſtamenti declarationem, & applicationem beneficij accedit. Omnis enim ſacerdos, alicuius fœderis, ſeu Teſtamenti ſponſor eſt. Vt autem ſeparet Chriſtum ſacerdotem à ſacerdotibus Leuiticis, ipſum noui Teſtamenti mediatorem eſſe pronunciat. Continet autem hæc pericopa tria, videlicet, Quod Chriſtus ſit mediator noui Teſtamenti: Quomodo ſit mediator, videlicet, intercedente ipſius ſanguine in redemtionem peccatorum. Et quod finis noui Teſtamenti ſit, vt vocati, hoc eſt, credētes conſequantur promiſſam hæreditatē videlicet vitā æternam. MINISTRAT quoq; hic locus perſpicuā noui Teſtamenti definitionem: videlicet, quod ſit pactum inter Deum & hominē, intercedente Chriſto ſacerdote, per ſuum ſanguinē, in quo, vt Deus promittit æternæ vitæ hæreditatem, remiſsis peccatis: Ita homo eandē fidem accipiat. OBSERVETVR præterea hic doctrina de firmitudine noui Teſtamenti, quod cū confirmatum ſit ſanguine mediatoris Chriſti, fieri nō poteſt, vt vnquam aboleatur, aut inefficax fiat ad expiandā peccata quantumuis enormia. Hinc ergo conſcientia peccatoris, ſe ad prædicationem Euangelij cōuertentis, vberrimam conſolationem haurire poteſt, quoties conflictatur, vt ſæpe fit, cum peccati ſui magnitudine & turpitudine. Eſt ſiquidem ſanguis Chriſti mediatoris noſtri, infiniti precij & valoris, ſufficiens ad expianda omnia omnium hominum peccata, quantumuis enormia. DEINDE & hoc obſeruandū eſt, quod Nulla expiatio tranſgreſsionū in veteri Teſtamento, cōtigerit efficacia noui Teſtamenti. Nulla enim vnquā remiſsio cōtigit, niſi virtute ſanguinis Ieſu Chriſti vnici noſtri mediatoris. Etſi enim effuſio ſanguinis Chriſti certi temporis fuit, iuxta ſymboli verba, paſſus eſt ſub Pontio Pilato: Tamen efficacitas, & meritum, & applicatio per fidem, perpetua ſunt, atq; hoc vult illud Iohannis dictum: Agnus occiſus eſt ab initio mūdi. Vnicus eſt enim filius deprecator pro nobis, & mediator, redemtor humani generis & ſaluator. Hunc norunt patres, edita ꝑmiſsione ſeminis mulieris. Hūc cogitarūt patres, quoties miſericordię dei meminerunt, hic affuit patribꝰ & Eccleſię omnib. temporibus, & aderit iuxta ipſius promiſsionem

vſq; ad conſummationem ſeculi. Huius filij Dei fiducia, omnes agentes pœnitentiã,& verè in eum credentes,ab initio Eccleſiæ & editæ promiſsionis vſq; ad finem,acceperunt, accipiunt, & accipient remiſsionem peccatorum, imputationem iuſticiæ, donationem Spiritus ſanctificatoris,& æternam corporum & animarum redemtionem, vitam & ſalutem.

Nam vbi eſt Teſtamentum, illic neceſſe eſt mortem teſtatoris intercedere.

Ab adiunctis Teſtamenti, ſeu proprio confirmat, quod Chriſtus debuerit mori, in confirmationem Teſtamenti ſui. Loco totius argumenti ſola propoſitio ponitur. VBI eſt teſtamentum, illic mortem Teſtatoris intercedere oportet. IN Chriſto autem eſt Teſtamentum. IGITVR Chriſti mortem intercedere oportuit, quo fieret ratum Teſtamentum. SEQVITVR autem maioris probatio hiſce verbis:

Teſtamentum enim in mortuis firmum eſt, quoniam nondum valet quando viuit Teſtator.

Senſus huius probationis eſt: Teſtator, quamdiu vixerit, immutare ſententiam de legatis poteſt, & alijs atque alijs hæredibus attribuere ſua bona, in poteſtate habet, verum vbi mortuus fuerit teſtator, nequaquam poſtea mutabitur ſententia de hæredibus & de legatis. Cum igitur Chriſtus teſtator mortuus ſit, manebit in æternum rata ipſius de legatis ſententia. Ex his duo colligamus, Primum, quod monet Ambroſius, peccatum noſtrum tantum fuiſſe, quod nunquam potuiſſemus ſaluari, niſi ſemel pro noſtro peccato fuiſſet mortuus vnigenitus filius Dei. Deinde, quod Teſtamentum nouum de ſalute per Chriſtum parta, ita ſit morte vnigeniti filij Dei confirmatum, vt nunquam mutari debeat aut poſsit. Hinc fides noſtra robur accipiat, ad expectandam ſecure promiſſam hæreditatem.

Vnde nec prius quidem ſine ſanguine dedicatum eſt.

Alia ratio ab exẽplo veteris Teſtamenti ſumta. Dedicatio veteris Teſtamenti, quę fiebat per ſanguinem bruti animalis, adumbrabat effuſionem ſanguinis Chriſti, quo ſanciretur nouũ Teſtamẽtum.

Lecto enim omni mandato legis à Moſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinẽ vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & Hyſſopo, ipſum quoq; librum, & omnem populum aſperſit, dicens: Hic ſanguis Teſtamenti, quod mãdauit ad vos Deus, etiam tabernaculũ, & omnia vaſa miniſterij, ſanguine ſimiliter aſperſit, & omnia pene ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſsio.

Ætiologia eſt per expoſitionem. Exponit enim quomodo in veteri Teſtamento omnia mundabantur ſanguine. Summa huius ætiologiæ huc redit. Quemadmodum tabernaculum, eius vaſa, atque adeo omnia mundabantur ſanguine. Ita Eccleſia, eius membra, atq; adeo omnia impura ſunt, donec ſanguine Chriſti purificentur. IAM diſtinctius ſingulas partes huius pericopæ videamus. LIBRO veteris Teſtamenti, reſpondet liber noui Teſtamenti. Vt igitur Moſes librum lectum aſpergit ſanguine vaccæ rufæ: Ita liber noui Teſtamenti, hoc eſt, cor fidelis hominis aſpergitur ſanguine Ieſu Chriſti. VT aqua foris corpus abluit: Ita ſanguis Ieſu Chriſti intus conſcientias lauat. VT Hyſſopus mirabiliter calida repurgat, & liberat corda ab impuro phlegmate: Ita Spiritus ſanct9 corda credentium accẽdit, purgat & conſeruat ab impuris affectibus. Vt Hyſſopus adhibebatur in ſolenni ſacrificio pro peccato, Nume. 19. Item, in purgatione leproſi, Leuitici 14. ita mors Chriſti, prædicata per Euangelium, omni peccatorum generi, & cuiuis animæ lepræ medetur, cum miniſter Euangelij applicat nobis meritum & efficaciam mortis Chriſti. Hanc veritatem vmbræ reſpondentem, cogitauit Dauid, cum diceret, Pſalm. 51. Expiabis me Hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor, hoc eſt, vere mundus ero. HÆC mundicies ſignificabatur etiam lana, quæ adhibebatur, tincta coccino referente colorem roſei ſanguinis. Ita enim Eſaias cap. 9. hunc typum explicat: Si fuerint peccata veſtra tanquam coccinum, veluti nix albeſcent. Si fuerint rubra, tanquam vermiculus, velut lana alba erunt.

Neceſſe eſt ergo, exemplaria quidem

Concluſio argumenti præſentis,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cœleſtium his mundari: ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtijs quam iſtis.

verum, quia nota comparationis non expreſſe ponitur, obſcurior eſt oratio, quæ in hũc modum complebitur. Neceſſe eſt ergo, vt quemadmodum exemplaria cœleſtiũ, hoc eſt, typica illa Moſaica, quę adumbrabant illa cœleſtia, mundabantur ſanguine: Ita etiam cœleſtia ipſa ſanguine mundentur: hoc eſt, vt ſimplicius dicam: quemadmodum vetus Teſtamentum ſanguine ſacrificiorum confirmatum eſt: Ita nouum Teſtamentum ſanguine ſacrificij Chriſti confirmari oportuit. NECESSITAS hoc loco non eſt coactionis, ſed ordinationis diuinæ, & analogiæ typi ad rem ſignificatam.

Non enim manufacta ſancta Chriſtus introijt, exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.

De Teſtamento dixit, nunc Chriſto ſacerdoti templum ſeu ſacrarium aſsignat, non quale erat tabernaculum, quod dicebatur ſanctum ſanctorum, ſed ipſum cœlum, quo aſcendit Dominus peracta victima. Sicut enim Leuiticus ſacerdos ſemel in anno, peracto ſacrificio ſolenni, ingreſſus eſt ſacrarium, vbi erat propitiatorium: Ita Chriſtus peracta ſua victima, cœlum ingreſſus eſt, vt ibi appareat vultui Dei interpellans pro nobis. OBSERVETVR hic inſignis doctrina & memorabilis, quod noſter Pontifex Chriſtus, non deſierit pro nobis interpellare, ſed aſtet Deo Mediator, interpellans pro ijs omnibus, qui in ipſum credunt. Eſt enim æternus ſacerdos. HINC ſumma conſolatio conſcientiarum in lucta cum peccato peti poteſt. Huc reſpexit Iohannes cum diceret: Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe propitiatio eſt pro peccatis noſtris. PROPTEREA confutatur hoc loco error eorum, qui Eccleſiæ Chriſti alios mediatores & ſacerdotes obtrudere conantur, honorem vni ſacerdoti Chriſto debitum in raſos & vnctos transferentes.

Neq; vt ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos, cum ſanguine alieno.

Propria adiuncta ſacrificij Chriſti recenſet, vt perſpicuas differentias aſſignet, inter Chriſti ſacrificium & Leuitarum. Leuiticus Pontifex ſemel in anno intrat ſancta ſanctorum, per alienum ſanguinem. At Chriſtus Pontifex ſemel ingreſſus eſt cœlum, per ſuum proprium ſanguinem.

Alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.

Confirmatio eſt ab abſurdo: Si ſæpius Chriſtus eſſet offerendus: ſæpius oportuiſſet ipſum pati. Verum hoc minime congruit: igitur vt mori ſemel, ita etiam ſemel offerri debuit. Pugnat & hoc dictum cum Miſſatico ſacrificio Papiſtarum.

Nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum ad deſtructionem peccati, per immolationem ſui ipſius apparuit.

Minor eſt ſyllogiſmi, cuius hic ſenſus eſt. Semel apparuit in carne, vt fieret ſacrificium in æternum efficax, idque in conſummatione ſeculorum, hoc eſt, in poſtrema mundi ætate, nam in tres ætates mundus ab Helia diſtinguitur. Prima fuit ante legem, media ſub lege, poſtrema ſub Meſsia, vſque ad conſummationem ſeculorum. Senſus igitur huius loci eſt. SI Chriſtus ſæpius debuiſſet offerri, ſæpius etiam apparuiſſet, idque ab origine mundi. SED ſemel tantum apparuit. ICCIRCO ſemel tantum offerri debuit. DOCET & hic locus, quanta ſit efficacia hoſtiæ Chriſti, & deſtruit nundinas Romanenſium, in quibus venale ſe habere iactant ſacrificium in ſua histrionica ſaltatione, quam Miſſam vocant.

Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorum exhaurienda peccata.

Semel tantum Chriſtum mortuum probat ex decreto Dei. Decretum Dei eſt, vt homines ſemel moriantur: igitur & Chriſtus, cum fuerit verus homo, ſemel tantum mori debuit. Si ſemel mori, ſemel quoq; offerri. Vnde & vnitas ſacrificij Chriſti concluditur, & finis eiuſdẽ colligitur, qui eſt, exhaurire, hoc eſt, abolere multorum, hoc eſt, omnium credentium peccata,

cata, cum originalia, tum actualia. Pugnat & hic locus aperte contra idolum Papiſticum, videlicet Miſſam, in qua ſe offerre mentiuntur Chriſtum pro viuis & mortuis.

Secundo ſine peccato apparebit omnibus expectantibus ſe in ſalutem.

Hoc ideo de ſecundo Chriſti aduentu additum eſt, vt efficacia hoſtiæ Chriſti clarius ponatur ob oculos. Nam in extremo iudicio, dum iterum ad nos veniet Dominus viſibiliter, ſoli illi conſiſtẽt, & non pudefient, qui Chriſti ſacrificio freti hinc diſcedunt. Alij autem omnes ſine diſcrimine ad reſurrectionem iudicij, hoc eſt, ad pœnas æternas ſurgent. OBSERVENTVR hic tria: Primum applicatio ſacrificij Chriſti, quæ fit per fidem. Nam expectatio, de qua hic loquitur, fidei fructus eſt. Deinde vniuerſalis particula, omnibus, inquit, expectantibus, id eſt, omnibus credentibus, & ex fide expectantibus lætum illum diem, quo filius Dei apparebit redemtor ſuæ Eccleſiæ. Tertio, obſeruetur finis vltimus ſacrificij Chriſti, qui eſt ſalus animarum, à qua ſalute non poteſt ſeparari prædicatio perpetua gloriæ Dei. Hæc enim, vt creationis, ita & reparationis vltimus finis eſt.

CAPVT X.

Summa Capitis decimi.

Victimæ veteris Teſtamenti ſæpius iteratæ, non auferebant peccata, ſed tantum quædam commemoratio peccatorum erant: ſed Chriſti vnica hoſtia ad expianda omnium hominum peccata efficax erat. Quare hæc victima fide apprehendenda eſt, caritati ſtudendum, & per patientiam expectanda ſunt promiſſa bona.

Ordo & partes Capitis decimi.

Perſiſtit in eodem argumento, ac primum probat, quod aliquoties antea attigerat, videlicet, vetera & Leuitica ſacrificia non auferre peccata, ne hinc inſtantia ſumeretur contra propoſitionem principalem, qua aſſeritur, ſolius Chriſti hoſtia peccata tolli. Nã ſi admitteretur, Leuiticis hoſtijs auferri peccata, ſequeretur vnica oblatione Chriſti non auferri. Quare hic per anticipationem, obiectionem iſtam ſoluit, & obiectionis antiprotaſin, ſeu, contrariam propoſitionem argumentatione munit. Huc congerit teſtimonia, & addit collationem inter Chriſti & Leuitarum ſacrificia, atq; adeo totam ſuperiorem diſputationem veluti in faſciculum colligit, quemadmodum fieri in prolixiorum diſputationum epilogis conſueuit. Deinde, doctrina de ſacerdotio Chriſti abſoluta, adduntur more Prophetico & Apoſtolico, parænefes: in quibus primum hortatur, vt Hebræi hoſtiam Chriſti fide recipiant, ac magnifaciant, tanquam vnicum contra peccatum remedium. Poſtea ad caritatem hortatur. Poſtremo, quia magna erat piorum perſecutio, ſubiungit propoſitionem de patientia, in cuius commendatione, diutius commoratur.

EXEGESIS DECIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

VMBRAM enim habens lex futurorum bonorum, nõ ipſam imaginem rerum, per ſingulos annos ijſdem ipſis hoſtijs, quas offerunt indeſinenter, nũquam poteſt accedentes perfectos facere.

Obiectionis antiprotaſis, ſeu propoſitio oppoſita obiectioni eorum, qui retinere conabantur Leuitica ſacrificia, & arbitrabantur, eis expiari peccata. Eſt autem ſenſus huius propoſitionis ſatis apert⁹, videlicet, quod lex vetus cum ſuis hoſtijs, non tollat peccatum: ſed tantũ vmbra quædam fuerit ſacrificij futuri, videlicet Chriſti. Doctrina hoc loco, ſępius antea propoſita, hic quoq; obſeruetur: videlicet, quod vetus ſacrificium tantum typicum fuerit. Vmbra enim hoc loco typum ſignificat, obſcure rem aliam repræſentantem. Opponitur enim vmbra, ſicuti ſupra ſæpe dictum eſt, veritati, quæ typo ſignificabatur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Alioqui ceſſaſſent offerri, ideo quod nullam haberent vltra conſcientiam peccati, qui ſacrificaſſent, & eſſent ſemel mundati.

Confirmatio à deſtructione conſequentis. Si Leuitica ſacrificia abſtuliſſent peccata, tum ceſſaſſent offerri. Sed nō ceſſabant offerri, proinde nequaquam abſtulerunt peccata. AN non iam ceſſarunt Leuitica ſacrificia? Verum quidem hoc eſt, & iuſtiſsima de cauſſa ceſſarunt. Quia is quem præfigurabant, aduenit cum ſuo ſacrificio in æternum efficaci, ad expianda omnium hominum peccata, qui ad ipſum fide confugerint. Cur autem non antea ceſſarint, cauſſam reddit, quia qui obtulerunt, habebant conſcientiam peccati, hoc eſt, agnouerunt peccata nequaquam per illa ſacrificia tolli, id quod ipſorum conſcientia teſtabatur.

Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit.

Prolepſis eſt. Anteuertit enim obiectionem eorum, qui poterant ex dictis obijcere: Fruſtra ordinata fuiſſe Leuitica illa ſacrificia, cum non tollant peccata. Reſpondet autem quod in ipſis hoſtijs Leuiticis commemoratio quædā peccatorū facta ſit, id eſt, quod deduxerint illa ſacrificia homines in cognitionem ſuorū peccatorum, ac Symbolo quodam indicarint reatū. Nam cæſa hoſtia teſtimonium fuit, quod peccatum morte ſit dignum, & fuit non ipſa expiatio, ſed expiationis quædā adumbratio. Huc placet breuiter aſcribere, quibus de cauſsis Deus in veteri Teſtamēto præceperit Iudæis ſacrificia, & poſſunt quatuor cauſſæ aſsignari. PRIMA, vt populus Dei in idololatriam pronus, iſtis exercitijs ab idolis auerteretur. Nam ex conſuetudine gentis Ægyptiacæ, pronior fuit in idololatriam populus Iſraëliticus. SECVNDA, vt populus Dei retineretur in vnius Dei cultu. Tametſi autem ſacrificia per ſe, & ſine fide, non ſunt cultus: tamen cum fides accederet, & fierent propter verum finem, fuerunt cultus, quia mandatum Dei expreſſum habuerunt. TERTIA, vt populus Dei haberet typum ſacrificij Chriſti, quem aliquando oportebat in crucem agi, pro ipſorum peccatis: quo facto ceſſare debuerunt typi & vmbræ. QVARTA, vt populus Dei admoneretur, de grauitate ſuorum peccatorum, pro quibus mactanda eſſent innoxia animalia, quorum ſanguine purgarentur: non quod recōciliandæ Domino gratiæ, aut delendæ iniquitati paria eſſent ſacrificia illa, ſed quod verum huiuſmodi ſacrificiū adumbrarent, quod tandem ab vno Chriſto peractum fuit, & propterea ſacrificia expiatoria vocabantur.

Impoſsibile eſt enim, ſanguine Taurorum & Hircorum auferri peccata.

Argumentum præſens, cuius maior hic ponitur, huiuſmodi eſt. IMPOSSIBILE eſt, ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Fieri enim non poteſt, vt infinitus reatus vllo humano opere redimi poſsit. nulla enim eſt proportio inter infinitum & finitum. SACRIFICIA Leuitica fuerunt ſanguis taurorum & hircorum. IGITVR impoſsibile fuit Leuiticis hoſtijs auferri peccata. HIC ex maiore colligitur hoc axioma in Theologia. Omnia ſacrificia reijciēda ſunt, præter ſolum Chriſtum. Si enim iſta opera & ſacrificia à Deo mandata, non auferebant peccata: multo minus ficticia, aut humanæ traditiones peccata tollunt. Ruunt igitur Papiſtarum nugæ de expiationibus varijs, videlicet, per aſperſionem aquæ, per ſacrificium Miſſæ, & per alia quæ cumularunt Papiſtæ ſine fine, quæſtus gratia.

Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: holocautomata & hoſtiam pro peccato non approbaſti: tunc dixi: Ecce venio (in capite libri ſcriptum eſt de me) vt faciam, Deus, voluntatem tuam.

Hoc teſtimonio Pſalmi 40. ſuperiora probat, videlicet, abolendum fuiſſe vetus ſacrificium, & ſubrogandum nouum. Primum itaque confirmat, hoſtijs Leuiticis peccata minime tolli. Deinde ideo Chriſtum mundo fuiſſe manifeſtatū aſſerit, vt ſua victima Deū placaret, & aboleret veteres hoſtias. NVNC Pſalmum, vnde hoc teſtimonium deſumtum eſt, videamus. Pſalmus ipſe totus, vel noſtro Apoſtolo teſte ſatis idoneo, ſcriptus eſt de filio Dei, per ſpiritum propheticū in Dauide: & in ſumma continet prophetiam, de regno & ſacerdotio Chriſti, de paſsione & liberatione, de abrogatione legis, de prædicatione Euangelij &c. Hinc quæ ſit vis argumenti præſentis facile intelligi poteſt. Nam in verbis adductis ex Pſalmo, Primū reijciuntur, vt dixi, veteres ceremoniæ & Leuitica ſacrificia, Deinde corpus ſibi aptatum dicit, vt faceret voluntatem patris: hoc eſt, vt fieret victima, atq; placaret irā patris. Quod autem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

additur in parentheſi, in capite libri ſcriptum eſt de me, nonnulli ad principium libri Geneſ. referunt, vbi poſt creationem & lapſum hominis, additur promiſsio de Meſsia, qui erat aboliturus peccatum.

Cum ſuperius dixiſſet, ſacrificium & oblationes & hoſtiam pro peccato noluiſti, neque comprobaſti, quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixit: ego venio, vt faciam Deus voluntatem tuam, aufert prius, vt ſecundum ſtatuat.

Apoſtolus ipſe interpretatur verba Pſalmi, atq; ea ſuo accommodat propoſito. Summam autē ſententiæ complectitur hiſce verbis: Tollit prius, vt ſecundum ſtatuat, hoc eſt, vetera ſacrificia abolet, vt ſecundo, hoc eſt, ſacrificio Chriſti, tanquam perfectiſsimo, ſit locus. Hic ergo Pſalmus manifeſtiſsime docet abrogationem veteris Teſtamenti, & omnium ceremoniarum eius, quo ad externum vſum attinet, non quoad ſpiritualem ſignificationem, quæ in Chriſto completur, duratura in omnem æternitatem.

Per quam voluntatem ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Ieſu Chriſti, ſemel peractam.

Hæc ſententia grauiſsima eſt, & digniſsima attenta cōſideratione, continet enim ſummā totius diſputationis præſentis, in qua ſententia quinq; ſunt obſeruanda. Primum enim mentio fit cauſſæ imperantis, quæ eſt voluntas patris. voluit enim Deus hac ratione lapſum genus humanum erigere. Secundo, oſtenditur cauſſa obſequens, videlicet, obœdientia filij, qui potius voluit in ſe deriuare iram Dei, & offerre ſe pro nobis in hoſtiam, quam vt in peccatis noſtris miſere periremus. Tertio, effectus ſacrificij Chriſti, voce ſanctificationis exprimitur. Eſt enim ſanctificatio hoc loco, expiatio à peccatis: cum qua coniuncta eſt imputatio iuſticiæ Chriſti, donatio Spiritus ſancti, & acceptatio credentium ad vitam æternam, gratis, propter Chriſtum. Quarto loco, ſequitur expiationis, ſeu ſanctificationis modus: qui eſt oblatio Ieſu Chriſti. Quinto loco, repetit id quod ſæpius dixerat, videlicet, hanc oblationem ſemel peractam eſſe: vnde concluditur eius efficacia, & virtus, & antefertur omnibus Leuiticis hoſtijs. Atque ita Apoſtolus noſter hoc breuiſsimo aphoriſmo rem vniuerſam complexus eſt.

Omnis quidem Sacerdos præſtò eſt, quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccatum. Hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet ad dexteram Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius.

Collatio eſt, in qua rurſus ſummam totius diſputationis repetit: quæ eſt vice Epilogi totius diſputationis de ſacerdotio Chriſti. Quæ enim hactenus fuſius ab Apoſtolo explicata ſunt, nunc contractius, vt in Epilogis fieri ſolet, Lectori in memoriam reuocantur. Abſoluitur autem præſens pericopa tripartita collatione. Prima, Leuiticus ſacerdos quotidie miniſtrat, quia miniſterium eius nunquā rem ad perfectum deducit: Chriſtus autem perfectus Pontifex, non niſi ſemel ſacrificat. Eſt enim eius vnica oblatio in perpetuū efficax, ad expianda omnia omnium hominū peccata. Secunda, Leuiticus ſacerdos iterat hoſtias eaſdem: Chriſtus autem vnam & eandem ſemel obtulit, qua omnia perfecit. Tertia, Leuiticus ſacerdos nunquā ſuo ſacrificio peccatum aufferre poteſt: Chriſtus autem ſacerdos, ſedens in dextera Dei patris, potens eſt ſuo ſacrificio vnico peccatum totius mundi tollere. Porro, vt Hebræos cōmoueat Apoſtolus, vt ſerio cogitent de Chriſti ſacerdotio & eius efficacia, addit comminationem ex Pſalmo 110. ſumtam: in qua cōminatur hoſtibus Eccleſiæ extrema. Nam quicunque ſe huic ſacerdoti Ieſu Chriſto non adiunxerint per fidem, hoſtium loco habebuntur, qui tandem iuſtas ſuæ contumaciæ pœnas luent.

OBSERVETVR igitur hoc loco definitio hoſtium Chriſti, videlicet, quod omnes homines qui Chriſti ſacrificium non æſtimant, vt decet, habeantur & ſint hoſtes Chriſti, ſiue manifeſte perſequuntur nomen Chriſti, vt Turcæ, Iudæi, & prophanæ gentes, ſiue de Chriſti nomine gloriantur, ſed virtutem eam non tribuunt ſacrificio Chriſti, quam deberent: vt ſunt Papiſtæ, & hypocritæ, & peccatores alij, qui deſperant ob peccatorum ſuorum magnitudinem, vt Iudas &c.

Vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificandos.

Collationis ratio eſt, ſumta ab efficacia ſacrificij Chriſti. Eſt autem hæc ſententia inprimis memorabilis, ex qua non ſolum Leuiticę hoſtiæ, verumetiam omnes præter vnicam Chriſti expiationes inutiles eſſe concluduntur. vnicam enim Chriſti hoſtiam, conſummandi, & ſanctificandi in æternum virtutem habere, manifeſte affirmat Apoſtolus. Poterit igitur hic locus vel ſolus opponi omnibus nugis Papiſtarum, qui in alijs rebus collocant ſalutem, quam in vnico ſacerdotis Chriſti merito.

Teſtificatur autem nobis & ipſe Spiritus ſanctus. Poſtquam enim dixit, Hoc eſt Teſtamentum, quod ſtatuam cum eis, poſt dies illos, dicit Dominus, vt ponam leges meas in corda eorum, & in mentibus illorum inſcribam illas, & peccatorũ & iniquitatum eorum non recordabor amplius.

Confirmat efficaciã ſacrificij Chriſti, à fœderis qualitate, teſtimonio ex Ieremia deſumto : ꝙ quia antea declaratum eſt cap. 8. hic non copioſius explicandum videtur. Summa autem huc redit. Chriſtus ſua vnica hoſtia conſummauit in perpetuum ſanctificandos. nam ſacerdotis huius fœdus eſt, quod promittit ſe remiſſurũ peccata eorum, qui in ſe credunt, nec vnquam memorem fore iniquitatum ipſorum, modo in fide huius ſacerdotis, hoc eſt, in fœdere manſerint.

Vbi autem remiſsio horum, iam non eſt oblatio pro peccato.

Hæc maior eſt propoſitio rationis poſitæ. Vbicunq; eſt remiſsio & obliuio peccatorum, ibi non requiritur hoſtia pro peccato. Sed in vna oblatione Chriſti eſt remiſsio & obliuio peccatorum. Igitur præter illam nulla requiritur alia oblatio pro peccato. Argumẽtum hoc à deſtinato ad finé ſumtũ eſt. Hac demonſtratione Apoſtolica, rurſus cõfoditur ſacrificium Papiſticum, quod ſe Papiſtæ dicunt offerre, pro peccatis viuorum & mortuorum expiandis. Deinde obſeruetur, quod non tollit Apoſtolus noſter omnia ſacrificiorum genera, ſed tantũ quod eſt pro peccato expiando. Nullum enim reliquum eſt, nec vnquam expectandum eſt pro peccato ſacrificium. Nam Chriſti ſacrificiũ vnicum, ſatis efficax eſt ad omnia peccata expurganda, cuius applicatio fit per prædicationẽ Euangelij, & per fidem. Reliqua ſacrificia, vt gratiarum actio, patientia ſub cruce, mortificatio carnis, beneficentia erga proximum, perpetua ſunt Chriſtianorum ſacrificia: quæ ſacrificia Dauid Pſalmo 4. vocat ſacrificia iuſticiæ. Requirit enim iuſticia, hoc eſt, obœdientia quam Deo debemus, vt Deo gratias pro ſuis beneficijs agamus, vt Deum prædicemus, vt Deum inuocemus, vt patientes ſimus ſub cruce, vt mortificemus veterem hominem Adamum, vt benefici & liberales ſimus erga pauperes, breuiter, vt iuxta legem Deo ex fide obœdientiam in ipſius gloriam præſtemus.

Habentes igitur, fratres, fiduciam introeundi in ſancta, per ſanguinem Ieſu, via quã dedicauit nobis recentem ac viuam, per velum, hoc eſt, carnem ſuam, & ſacerdotẽ magnum ſuper domum Dei, accedamus cum vero corde, in certitudine fidei aſperſi cordibus à conſcientia mala, teneamus confeſſionem ſpei inflexibilem.

Abſoluta diſputatione, parænefes more Prophetico & Apoſtolico ſubijcit, non quaſuis, ſed eas quæ ex ſuperiori doctrina concludi poſſunt. Summa ſententiæ hæc eſt. Nos ſumus per ſacrificium Chriſti abſoluti à peccato, ergo illud ſacrificium ſincera fide amplectamur. Vtramq; enthymematis partem plurib⁹ verbis exornat, & exaggerat. Nam antecedens per collationem amplificat. In conſequente, quales eos oporteat eſſe, qui ſunt ſancta ingreſſuri, hoc eſt, qui futuri ſunt victimæ Chriſti participes, oſtendit, ſed nos ſingula retexentes videamus. Compellatio dulciſsima eſt. agnoſcit enim ipſos Hebræos fratres eſſe ſuos, cum propter cõmunem fidem, tum propter affectum fraternum erga ipſos. Hæc compellatio vim habet ſuaſorij argumẽti: vnde & nos monemur, quales nos gerere oporteat erga eos, quos docemus & exhortamur: Habentes fiduciam introeundi in ſancta. Reſpicit ad comparationem ſanctuarij Moſaici & cœli. Sanctuariũ Moſaicum clauſum erat, & ab eius ingreſſu arcebatur populus. nam ſolus ſummus Pontifex, in illud ſemel quotãnis ingreſſus eſt. Sed noſter Pontifex Chriſtus, ſuum ſacrarium, hoc eſt, cœlũ omnibus credentibus aperuit. Addit per ſanguinẽ Ieſu. Vt enim ſummus Pontifex non eſt in ſuum ſacrarium ingreſſus, ſine

ſangui-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſanguine hoſtię,ita Chriſtus per proprium ſanguinē ingreſſus eſt cœlum,& per ſanguinem alijs viam aperit. Via quam dedicauit nobis recentem & viuam. Vt viam ſibi Leuiticus ſacerdos parauit ſanguine,cum per velum eſſet ingreſſurus:ita filius Dei per velū, quo ſignificatur humana Chriſti natura,viam aperuit omnibus credentibus, idq; per ſanguinē, qui ſemper veluti ſtillat coram patre cœleſti,vt ſit via in ſanctuariū omnibus,qui Chriſto adhęrent. Vox græca,quam recentem reddunt,ſignificat proprie recens mactatū. Alludit enim ad hoſtias,quarum recēs effuſus ſanguis ſumebatur à ſacerdote ſummo, ingreſſuro in adytum. Præterea vt velum tegebat propitiatorium , ita vt non conſpiceretur ante introitum ſacerdotis in adytum ſacratiſsimum,ita caro Chriſti diuinā occultauit naturam,donec velo ſciſſo per ſanguinē intrauit in cœlum, reſurgens ex mortuis.Et vt corpora populi aſperſit ſacerdos Leuiticus ſanguine: ita Chriſtus cōſcientias noſtras ſanguine proprio aſpergit, & à peccato emundat. Cum addit Sacerdotem magnum,ſcilicet habentes, ſuper domum Dei,rurſus antitheſin vult cogitari. Vt enim ſacerdos Leuiticus, erat ſuper tabernaculum Moſaicum: ita noſter ſummus Pontifex Chriſtus Ieſus, eſt ſuper totam domum Dei, hoc eſt,Eccleſiam. Vnde relinquitur, veteris domus & tabernaculi apparatum,poſtquam apparuit verus Pontifex,ceſſare debuiſſe. Hæc omnia ad illuſtrandū enthymematis antecedens adiecta ſunt: nunc quæ ad con equentis illuſtrationē addita ſunt,expendamus: Leuiticus ſacerdos corpus abluere debuit ante ingreſſum in ſacrarium, ornamenta & veſtes ſacerdotales induit ſanguine adhibito , quo ipſe externe purgari putabatur:ita nos ingrediemur cœlum,abluti prius ſpiritualiter ſanguine Chriſti,à conſcientia mala:quod fit cū peccatum remiſſum ſtatuimus per ſanguinem Chriſti, ornati ſinceritate & fide, hoc eſt, noticia & fiducia mediatoris,abluti pura aqua,hoc eſt, donati Spirit⁹ ſancti gratia, & lauacro bapiſmi in cœtum externum filiorum Dei recepti. In hunc modum inſtructi, debemus ſpei inflexibilem tenere confeſsionem,quod enim corde credimus,ore confiteri debemus. Ex his omnibus collige pij hominis deſcriptionem : videlicet,quod pius homo ſit,qui aſperſus corde à cōſcientia mala, & ablutus corpore aqua munda,fiduciam habet introeundi cœlum, per ſanguinem Ieſu , quiq; ſincero corde, & in certitudine fidei tenet ſpei confeſsionem inflexibilem. Hinc etiam colligitur certiſsima fidei definitio, videlicet, quod fides ſit certa perſuaſio de veritate Dei, & noticia & fiducia certa mediatoris noſtri Chriſti.

Fidelis enim eſt qui promiſit.

Ratio exhortationis, à certitudine promiſsionis. Deus eſt fidelis: Non igitur dubitandum eſt , quin concepta fiducia, pateat introitus in cœlum, per Pontificem Chriſtum , omnibus qui eum Sacerdotē agnoſcunt, & in ipſum firma fiducia recumbunt. Obſeruetur hoc dictum de ſpei noſtræ certitudine. Nititur enim Deo ipſo , qui cum ſit fidelis,nequit fallere, vnde ad Titum,quam promiſit Deus ἀψευδὴς,id eſt,qui minime mendax eſſe poteſt: Teneatur proinde in omni periculo , atque adeo in agone mortis hoc Dei elogium, quod ſit fidelis in promiſsis. Hinc conſcientiæ ineſtimabile gaudium naſcitur,in omnibus ijs,qui hunc mediatorem Chriſtum agnoſcunt.

Et conſideremus nos mutuo, in æmulationem caritatis & bonorum operum.

Alia paræneſis ad mutuā dilectionem , & bona opera. Fluit autem hæc paræneſis ex priori,vbi enim fides, ibi caritas,vbi caritas,ibi bona opera neceſſario aſſunt. Hæc vbi deſunt,vana eſt de fide gloriatio , ſicuti Paulus copioſe, 1. Corin. 13. diſputat. Fides enim viua ſine his ſuis naturalibus fructibus eſſe nequit. Forma orationis Apoſtoli oblique taxat Hebræos, qui gentes præ ſe contemnebant & offendebantur, quod Ethnici reciperent fidem . ac ſi diceret Apoſtolus, æmulationem inter vos video, ſed cum omnis æmulatio, niſi ſit caritatis & bonorum operum,eſt improbanda , vos inuicem potius ad æmulationem mutuæ caritatis,& officiorum debitorum ex caritate prouocate. Hæc enim prouocatio,ſancta ac ſalutaris exiſtit: cum ex inuidia nihil niſi diſsipatio ac diſtractio oriatur. Obſeruetur hæc admonitio de ſancta inter Chriſtianos æmulatione.

Neque deſerentes aggregationem noſtri, quemadmodum mos eſt quibuſdam.

Effectus ſinceræ caritatis , aliorum ſaluti ſtudere: cum contra æmulationis inuidioſæ ſit, ſchiſmata facere, & in Eccleſia turbas per contentionem excitare: Quare hic monet Apoſtolus,vt Hebræi caritati ſtudeant,quod ſi fecerint,Eccleſiam domini nequaquā deſerent. fuerunt nonnulli inter Hebræos, qui tametſi Chriſtum & Euangelium acceperant , tamen acceſsionem illā ex genti-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

gentibus ferre non potuerunt. Eſt enim ἐπισυναγωγὴ incrementum, & noua acceſsio ad aliquam collectionem. Diruto enim interſtitio, gentium vocatio acceſsione noua Eccleſiam auxit. Monemur proinde hoc loco, vt in Eccleſia Chriſti agnoſcamus omnes eſſe, qui eundem Chriſtum nobiſcum colunt. Quare non eſt quod arroganter præponamus nos ijs, quibus noſtra opinione excellentiores aut ſanctiores videmur. Habét enim Eccleſiæ membra, ſua quædam vitia, quæ caritas mutua ſi non tollere, ſaltē tegere debet, modo non contra Deum & Eccleſiæ tranquillitatem, ſub falſo pietatis prætextu, quis ſe erigat. Cum autem addit, Sicut mos eſt quibuſdam, notat quoſdam inter Hebræos qui ſuperbe ſe ab Eccleſia gentium ſubduxerunt: Hinc apparet, ſectarum & ſchiſmatum cauſſam eſſe arrogantiam in petulantibus ingenijs.

Sed exhortantes, idq; eo magis, quia videtis appropinquantem diem.

Antitheſis eſt. Non deſerenda eſt aggregatio noſtri, ſed potius colligenda magis, & conſeruanda mutuis exhortationibus. Rationem addit à temporis circumſtantia. Quia, inquit, videtis appropinquantem diem, hoc eſt, intelligitis diem Domini inſtare: in quo vt pietati gloria, ita impietati ignominia reddetur. Doctrina obſeruetur, quod cogitatio extremi iudicij, debeat nos ad acrius pietatis ſtudium excitare. Nec quenquam moueat, quod ante tot annos ſcribens Apoſtolus, appropinquantem diem nominat. Id enim facit, cum quia totum tempus à Chriſto exhibito vſque ad iudicium extremum dicitur, & mille anni apud Deum inſtar vnius diei ſunt, cum quia Chriſtianos ita paratos eſſe deceat, vt ſingulis momentis Chriſtum de cœlis expectent Saluatorem.

Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam noticiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis vehementia, quæ conſumtura eſt aduerſarios.

Ratio alia eſt, cur tenenda ſit fiducia mediatoris, curq; ab Eccleſia non ſit diſcedendum, quia extra Eccleſiá nulla eſt pro peccatis hoſtia, ſed tantum ira Dei contumacibus & defectoribus ab Euangelio expectanda eſt. Neq; enim loquitur hic Apoſtolus, de quolibet lapſu, aut voluntario peccato, ſed de ijs tantum qui cognitū hunc Sacerdotē Chriſtum repudiant, ac ſeipſos excludunt ex Eccleſia, ſacerdotio Chriſti renunciantes cum omnibus Chriſti beneficijs. Periculoſe igitur errant Donatiſtæ ac Nouatiani, qui hunc locū de quolibet peccato intelligunt, contra mentē Apoſtoli, & contra infinita teſtimonia ſcripturæ ac exempla, Et, vt vnū tantum attingam, Paulus Apoſtolus nequaquá recepiſſet in Eccleſiam incœſtuoſum hominem, ſi hic locus de quolibet lapſu intelligendus eſſet. Quare iuxta cōtextum Apoſtoli, applicetur hic locus generali prolapſui, & renunciationi agnitæ veritatis, quo prolapſu multi inuidi Hebræi tum temporis periere. Potius enim voluerunt Chriſto renunciare quam ferre gentes conſortes Euangelij. Qui autem in Eccleſia manēt, tametſi ſæpe ſiue ſcientes, ſiue ignorantes labuntur: tamen cum agunt pœnitentiam, certiſsime recipiuntur in gratiam. Stat enim immotum hoc Dei decretum: Non volo mortē peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Et Chriſtus iubet, vt ſancti quotidie petant remiſsionem peccatorum: quod cum faciunt, aſperguntur cōſcientiæ illorum ſanguine perpetuo efficacis victimæ Ieſu Chriſti. Vna enim illa victima in perpetuum valet, ad expianda omnium hominū peccata confugientium ad gratiam, hoc eſt, conuertentium ſe ad Deum, per fidem in Ieſum Chriſtum. Gratia enim exuberat peccatum. Hæc Apoſtoli admonitio incutiat impijs terrorem, qui impie ab Eccleſia Chriſti deficiunt, & admoneat pios, vt viuant in timore Dei, ne ſuis crebris lapſibus ſibi aditum patefaciant ad defectionem ab Eccleſia.

Qui abiecerit legem Moſis, abſq; miſeratione ſub duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora merebitur ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem Teſtamenti prophanum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.

Comprobatio præcedentis rationis, à minori ſumta. Qui Moſis legem contemſit, ſeuere punitus eſt: multo magis punietur qui filium Dei contumelia affecerit, & ab eius Eccleſia defecerit. Hic clariſsime definit Apoſtolus peccatum, cuius ſupra meminit. Sunt autem tria huius definitionis membra, quæ natura coniuncta ſunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſunt. Primum inquit, Qui filium Dei conculcauerit: hoc eſt, qui Chriſtum, quem ſupra omnia eſſe didicit, iam deſerit, tanquam contemtibilem aliquem hominem, qui pedibus conculcetur, & extreme contemnatur. Secundum mẽbrum, Qui ſanguinem Teſtamenti prophanum duxerit, in quo ſanctificatus eſt: hoc eſt, qui ablutus ſanguine Chriſti à conſcientia mala, iam iſtum ſanguinem repudiat, ac prophanum ducit. Tertium, Et ſpiritui gratię contumeliam fecerit, hoc eſt, qui illuminatus Spiritu ſancto, gratiam Dei per Chriſtum agnouit, iam eandem gratiam abijcit, contumelia afficiens ſpiritum Dei, quem amplius doctorem non admittit. Ex hiſce clare patet, quod Apoſtolus noſter non loquatur de ijs, qui Chriſti confeſsionem retinent, ſed tantum de Apoſtatis, qui abnegant antè agnitum Saluatorem: qualis fuit Iulianus, & multi temporibus Apoſtolorum.

Nouimus enim cum qui dixit: mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.

Ratio à teſtimonio & decreto ipſius Dei ſumta. In hoc teſtimonio duo ſunt, videlicet, vendicatio iuris puniendi reos, & cõminatio vindictæ. Ex primo collige, neminẽ poſſe euadere iudicis manus, cum ſit Deus. Ex ſecundo, quod mora dilatæ pœnæ non debeat alicui præbere peccandi occaſionem. Tametſi enim Deus differt pœnam cõmeritam, vt aliquos ſaltem ſua lenitate inuitet ad pœnitentiam, tamen dilationem hanc pœnæ, compenſabit aliquando grauitate ſupplicij. Eſt enim magna Emphaſis in hoc dicto: Et ego retribuam, dicit Dominus, ac ſi diceret: Etſi non ſtatim peccantes fulmine proſterno, tamen reuera oportuno tempore & loco, meæ iuſticię ſatisfaciam, & puniam eos qui me contemnunt. Atq; hoc eſt quod Deut. 32. ſubijcitur: Et tempore oportuno labetur pes eorum, hoc eſt, victi pœnas luent.

Et rurſus: iudicabit Dominus populum ſuum.

Ex eodem capite hoc teſtimonium ſumtum eſt, & hoc addit ſuperiori, vt ſæpe repetitis & inculcatis diuinis cõminationibus, magis ad timorem & pœnitentiam commoueamur,

Horrendum eſt, incidere in manus Dei viuentis.

Epiphonematica aſſeueratio eorũ, quæ dixit de pœnis deficientium ab Euangelio. Horrendum dicit, propter pœnæ acerbitatem, cuius cogitatio vt merito impijs horrorẽ incutere, ita eius dilatio benignitatem Dei commendans nos ad pœnitentiam inuitare deberet. Incidere in manus Dei dicit, vt iudicis, cum potentiam, qua omnia poteſt, tum ſeueritatẽ, qua ſuos hoſtes puniet, cogitandũ impijs relinquat. Epitheton viuẽtis duplici de cauſſa appoſitum eſſe videtur. Primum, vt cogitetur antitheſis inter Deum iudicem, & homines iudices. Manus hominum iudicũ interdum effugere cõtingit, idq;, vel quia ipſi non norunt omnia, vel quia morte præuenti pœnas iuxta leges ſuas nõ exequuntur: vt taceam interim multos iudices conniuere ad multorum flagitia, quia eiſdem ſunt polluti. At Deus iudex cum vbiq; adeſt, videt omnia, & cum nunquam moritur, interuentu mortis executionẽ ſuæ iuſticiæ in ſceleſtos minime negligit, & cum ſit ſanctus & pur⁹ ab omni crimine, nequaquam extenuabit flagitia, nec ad ea conniuebit. Deinde hoc Epitheton viuens, docet qualia opera Deus probet, & qualia improbet: Nam ſi Deus viuens eſt, profecto vt viua opera, hoc eſt, fructus Spiritus viuificantis credentes requirit: ita opera mortua, hoc eſt, carnis morti adiudicata improbat, damnat, punit, in omnibus ijs qui non fuerint conuerſi per Euangelium, neq; vult vt breue ad tempus in viuis operibus nos exerceamus, ſed vt perſeueremus vſq; dum ſcopum attigerimus. Nam quemadmodum qui in ſtadio currunt, illi ſoli qui ſcopum attingunt coronantur, qui vero ſtrenue quidẽ currunt, ſed deficiunt antequam ſcopum attingunt, ignominia & riſu afficiuntur: Ita ſe res habet etiam in curſu pietatis in hoc mundo. Qui enim ad mortem vſq; corporis ſtrenue per fidem in pietatis curſu perſiſtunt, promiſſam coronam accipient. Sed quomodo hic locus congruit cum illa Dauidis optione, qua tribus propoſitis, eligit potius incidere in man⁹ Dei, quam in manus hominum: cũ tamen illud Apoſtolus hic horrendũ eſſe & intolerabile pronunciat? &c. Ex collatione perſonæ Dauidis, & eorum de quibus hic loquitur Apoſtolus, ſolutio eſt petenda. Dauid ideo eligit incidere in manus Dei, quia etſi peccator erat, miſericordiam tamen Domini intuetur, ac per fidem ſtatuit Deum fore propitium iudicem, ſicuti huius ſuæ optionis cauſſam reddit: Multæ enim miſericordiæ eius ſunt: at illi de quibus hic loquitur Apoſtolus, ſunt Apoſtatæ, quibus horrendũ ſine miſericordia iudicium minatur Apoſtolus. Hinc igitur moneamur ita vitam componere, vt læti per fidem Chriſtum iudicem expectemus.

Recor-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Recordamini autem dierum ſuperiorũ, in quibus illuminati multum certamen ſuſtinuiſtis afflictionum.

Argumentum ab anteactis ſumtũ, quod in hunc modum concludetur. Honeſtum eſt bonum principium ad bonum finem perducere. Veſtrum principium fuit honeſtum, ac laudabile. Proinde veſtrum fuerit, hoc bonum inceptum ad bonum finem perducere. Vt enim ridiculum eſt & turpe, bene incepiſſe, ac turpiter deficere. Ita laudabilis eſt in bono cõſtantia vſq; ad finem. Incepto Hebræorum duo adiungit, videlicet, Illuminationem, quæ eſt gratuitum donum Dei, nam illuminatio eſt mentis illuſtratio per verbum, & Spiritũ ſanctum, vnde in corde concipitur fiducia in Deum, & multum certamen afflictionum. Hoc certamen euidens fidei teſtimoniũ eſt: quod neutiquam fallit. Facilis eſt confeſsio, dum prædicatur & honoratur: Verum cum crux & afflictio accedit, generoſam ac minime fucatam ſe teſtatur. Nam decus inter ærumnas lucet. DOCTRINA obſeruetur, quod anteacta vita noſtra ſtimulus eſſe debeat ad pietatem. Si enim anteacta vita parum honeſta fuit, monemur tempus eſſe abijciendi turpitudinem. Si vero honeſta & pia fuit, cogitabimus turpe eſſe, contaminare ſuperioris vitæ decus, idq; maxime, ſi cum certamine & cruce fuerit coniuncta. Prǽterea illuminationis vocabulũ monet, qualeſnam ſint homines antequã Chriſti luce illuminantur, nẽpe, demerſi in ignorantię tenebras. Vocabulũ certaminis, ἄθλησις, duo cogitanda relinquit, alterum, fidei certamina propoſita eſſe: Alterum, mercedẽ certamini eſſe deſtinatam. nam ἄθλησις proprie eſt certamen cui præmium eſt propoſitum. Quare vt virtus ab vna parte, ita ab altera ſpes præmij ad fortitudinem animi, in ferendis duris pro Euangelio, nos incitare debet.

Partim dum probris & afflictionibus ſpectaculum eſtis facti, partim dum ſocij ita conuerſantium eſtis effecti.

Diſtributione quadam, qualenam fuerit Hebræorum certamen, oſtendit, facitq; duo membra, quorum prius eſt de eo certaminis genere, quod ipſi in ſua perſona paſsi ſunt: poſterius de eo quod ob ſociorum, hoc eſt, aliorũ Chriſtianorum perſecutiones ſunt perpeſsi. Prius genus rurſus in tres partes ſecatur: quarum prima eſt opprobriũ & contumelia, videlicet, cũ ab hoſtibus ſalſiſsime irrideantur, quod in Chriſtum crucifixum hominem credant, & deficiant à traditionibus maiorum ſuorum. Secunda, eſt afflictio in animo vel corpore. Tertia, quod hæc mala non ſint priuata & occulta (nam ſi occulta eſſent, lenius ferre poſſent) ſed publica, & ita publica, vt in theatrum mundi producantur, quo ſint omnib. ſpectaculo, ſannis & ſupplicijs duriſsimis excipiendi. Talis fuit piorũ perſecutio in Eccleſia Apoſtolica. Nec dubium eſt, quin talia pij in Turcia, & in Papatu experiantur. Monemur proinde iſto exemplo, ne ob perſecutionum procellas deficiamus ab Euangelio. Poſterius genus certaminis eſt, quod affligerentur propter ſocios, quos cruciari in diuerſis locis audiuerunt. Vnde nos monemur, Primum quidem, affici Eccleſiæ calamitatibus. Deinde orare pro ipſis, vt Deus det ipſis conſtantiam, & eos conſeruet ſuo ſancto Spiritu, ne propter crucis acerbitatem abijciant confeſsionem. Poſtremum parare noſipſos ad ſimilem fortunam. hoc enim certo certius eſt, quod Eccleſia cruce probanda ſit, nunc in hoc, nunc in illo loco. Quare poſt longam ſerenitatem nobis quoq; aliqua afflictionum tempeſtas metuenda eſt.

Nam & vinculis meis compaſsi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.

Cõprobatio eſt diſtributionis proximæ. Nam Hebræorum exemplo confirmat id quod ſupra dictum eſt, de probris & afflictionibus Eccleſiæ. Compati vinculis aliorum, eſt affici aliorũ malo, perinde atq; ſuo. eſt enim συμπάθεια πάθος διὰ πάθος ἑτέρου, hoc eſt, συμπάθεια eſt cum aliquis alterius ob malũ dolet, tanquam eiuſdem corporis membrum. Hæc συμπάθεια certiſsimum indiciũ eſt veri amoris erga Euangelium. Nam qui dicit ſe doctrinam Eccleſiæ magnifacere, ac nihilominus verbi miniſtros odio habet, ſuo ipſius iudicio ſe condemnat. Fieri enim nõ poteſt. vt qui legatos Chriſti odit, Chriſtum diligat, aut eius verbum, prætendat verbis quicquid velit. Ita enim veritas ait: Qui reijcit vos, me reijcit, & qui recipit vos, me recipit. Porro quod dicit Hebræos ſuſcepiſſe rapinam ſuorum bonorum cum gaudio, non eſt ita intelligendum, quaſi non ægre tulerint direptionem ſuorum bonorum, ſed quod hunc dolorem abſorpſerit gaudium ſpiritus, quo ſe intellexerũt poſsidere omniũ præſtantiſsimum theſaurum, nempe, Chriſtum ipſum, propter cuius confeſsionem paſsi ſunt perſecutionem, quo ſuo teſtimonio teſtentur verbum, quod amplectuntur, vere diuinũ eſſe, & ſalutare. Hoc loco monemur, ne frãgamur aduerſis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tempore perſecutionis, ſed intueamur potius illum, qui patientibus hæreditatem promiſit immarceſsibilem.

Cognoſcentes vos habere maiorem & manentem in cœlis ſubſtantiam.

Hæc argumenti vis eſt: Bona maiora, diuturniora & diuina præferenda ſunt bonis minoribus, caducis, & terrenis. Sed cœleſtis hæreditas eſt maior, diuturnior, & diuina: Igitur præferenda eſt ſubſtantijs huius mundi, quæ caducæ ſunt & terrenæ. HÆC ratio confirmat diſtinctionem noſtram, videlicet, quod non tam gauiſi ſunt Hebræi ſpoliatione bonorum ſuorum, quam intuitu promiſſæ hæreditatis. HIC locus duo nos docet. Primum præmia eſſe propoſita obœdientibus Chriſto ex fide. Deinde in afflictionibus præſentis vitæ, oculos fidei ſurſum tollendos eſſe, vbi noſtra conſolatio, & nunquam peritura ſubſtantia repoſita eſt. Hoc ipſum vult Dominus, cum pronunciat beatos eſſe qui lugent, & perſecutionem patiuntur, nam huius dicti rationes has ſubiungit: quia (inquit) conſolationem accipient: quia ipſorum eſt regnum cœlorum: quia merces eorum copioſa eſt in cœlo.

Ne abijciatis igitur fiduciam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.

Concluſio eſt exhortationis, videlicet, ne deſerant Hebræi Eccleſiam, ſed potius in pietatis curſu perſiſtant. In hac concluſione duo coniungit Apoſtolus. Primum fiduciæ meminit, vnde perſeuerantia depēdet. Nam donec fiducia retinetur, nullis aduerſis expugnabitur pius animus. Deinde ſtimulum addit, facta mentione remunerationis. Promittit perſolutionem mercedis pro obœdientia ſub cruce præſtita. OBSERVETVR hic doctrina, quod fiducia in Deum ſit totius pietatis & obœdientiæ erga Deum fundamentum. Obſeruetur quoque teſtimonium de compenſatione obœdientiæ ex fide præſtitæ, quæ compenſatio hæredibus vitæ æternæ ex gratia promittitur, non propter dignitatem obœdientiæ, ſed ex bonitate patris cœleſtis, qui ſuos filios tanto dignatur honore.

Patientia enim opus habetis, vt voluntatem Dei faciētes reportetis promiſsionem.

Quia patientia fiduciæ & ſpei effectus eſt, nunc hortatur ad patientiam, ſeu tolerantiam, ne fracti cruce confeſsionem abijciant Hebræi, quemadmodum multi eo tempore fecerunt, partim probris, partim cruciatibus victi. Coniungit autem hic tria, videlicet patientiam, obœdientiam, & promiſsionis acquiſitionem. Vnde obſeruetur, quod obœdientia, quæ Deo præſtatur per patientiam ſub cruce, ſit cultus gratiſsimus. Teſtatur enim hic Apoſtolus, patientia voluntatem Dei fieri. Deinde quod patientia ſit quædam via, ad bona promiſſa conſequenda. Contra vero vt impatientia Deo ſumme diſplicet, ita quoque impedit quo minus promiſſa bona conſequamur.

Adhuc enim modicum temporis, quando qui venturus eſt veniet, & non tardabit: iuſtus autem meus ex fide viuet, & ſi ſubductus fuerit, non placebit animæ meæ.

Ratio exhortationis ad patientiam à liberationis certitudine, quam breui futuram Prophetæ Abacuc teſtimonio confirmat. Sunt autem tria in hoc teſtimonio, videlicet, promiſsio, exhortatio, comminatio. PROMITTIT liberationem ab ęrumnis pręſentis vitæ. Quemadmodum enim Iudæi preſsi tyrannide Babylonica tandem ſunt iuxta ſcripturam tabulæ obiectam Abacuc in viſione liberati: Ita vere populus Dei preſſus cruce in hac vita, liberabitur glorioſe. IN hac ſcriptura obſeruandum eſt, quod Propheta addit: Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet: hoc eſt, certo veniet, & non tardabit. Non enim debemus Deo tempus pręſcribere, ſed tribuere ipſi laudem veritatis, & patienter expectare promiſſa bona. Nam tuta nobis & certa ſalus, in ſola Dei promiſsione ſita eſt. EXHORTATIO eſt in hiſce verbis: Iuſtus autem meus ex fide viuit, hoc eſt, qui iuſtus eſt ex fide, is viuet, ſcilicet, ſpe liberationis: quare patientia opus eſt. Nam qui credit atque ſperat, is ſaluus erit, atque iuſtus reputatus hæres vitæ æternæ. COMMINATIO eſt, Si ſubductus fuerit, non placebit animæ meæ, hoc eſt, qui fidem & ſpem abiecerit, is regno Chriſti excluditur. Nam gratia excidit, quæ ſola retinetur fide. Dicitur enim hic ſe ſubducere, qui, abiecta fide in Deum, humana quærit præſidia qualiacunque. Cum autem talis ſit deſertor veræ Eccleſiæ, ſpem ſalutis amiſit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Nos autem non ſumus ſubductionis (filij) in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.

Ex ſententijs poſitis ſummam doctrinæ propoſitæ colligit. Qui ſubducti fuerint, amiſſa fide, peribunt. At qui in fide manſerint, vitam hæreditabunt. Quare ſi nos non ſubducimur à fide, ſed in fide permanemus conſtantes, nequaquam peribimus, ſed noſtras animas ſaluas poſsidebimus. Notetur doctrina de certitudine promiſsionum diuinarum.

CAPVT XI.

Summa Capitis vndecimi.

Vt fides vera in ſanctis patribus patientiæ effectrix fuit, adeo vt promiſſa bona ſine hæſitatione expectarent: ita & nobis illorum exempla ad patientiam ex fide præſtandam, incitamenta eſſe debent, vt nobis quoque promiſsio compleatur.

Ordo & partes Capitis vndecimi.

Propoſitionem de neceſsitate patientiæ, quam cœpit confirmare in fine præcedentis capitis, hic copioſius confirmat, petito argumento ex natura fidei. Fides expectat per patientiam promiſsiones. Ergo patientia vt indiuiſibilis fidei comes eſt neceſſaria. Antecedens congerie exemplorum confirmat: in quorum recitatione temporum ordinem ſeruat. Primo enim loco recitat exempla fidei Patrum, qui ante diluuium vixerunt. Deinde eorum qui fuerunt poſt diluuium, ſed ante legem datam. Tertio, eorum qui ſub initio legis datæ vixerunt. His quarto addit eos, qui ante terræ promiſſæ ingreſſum, in deſerto errarunt. Poſtremo eorum meminit, qui iam occupata promiſsionis terra floruerunt. Poſt hæc præteritionis ſchemate longiorem exemplorum commemorationem abrumpit, admonens plurimos fuiſſe, qui fidei beneficio adeo fuerunt patientes, quod vel maxima mortis pericula non reformidarint.

EXEGESIS CAPITIS VNDECIMI, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

EST autem fides ſperandarum fiducia rerum, argumentum non apparentium.

A natura fidei, neceſsitatem patientiæ probat. Fides neceſſaria eſt omnibus Chriſtianis. Fides res ſperatas patienter expectat, & certo ſibi perſuadet euentura quæ nondum apparent. Proinde patientia à fide ſeparari non poteſt. Debent itaq; pij patienter expectare promiſſa bona. QVIDAM putant fidem hoc loco definiri eſſentiali definitione, vt ὑπόστασις ſit genus, res ſperandæ, differentia, & mox idem, ſed alijs verbis repeti, vt argumentum ſit idem quod ὑπόστασις, & res non apparentes, idē quod res ſperandæ. Etſi autem horum opinionē non impugno: tamē potius mihi videtur, quod hic tantum fiat mentio perpetuę proprietatis fidei: id quod ex verborū Grammatica enarratione clariſsime patebit. NOMEN ὑπόστασις varia habet ſignificata; ſicuti in 3. cap. attigimus. Interdum enim ſubſtantiā ſignificat, ſeu, id quod ſingularem & propriā rationem habet: cui opponitur Emphaſis. Nubes in aëre eſt ὑπόστασις, arcus vero eſt Emphaſis. Interdum perſonam notat, vt ſupra cap. 1. Interdum ſubiectum. Interdum certitudinem & expectationem cum fiducia ſignificat. Hiſce cognitis ſignificatis vocis, interpres eā ſignificationem ſemper diliget, quam materia & circumſtantia loci poſtulat: id quod poteſt alijs ſcripturæ locis confirmari. Cum igitur hoc loco de fide agitur, quatenus patientia neceſſario ex ea naſcatur: non eſt dubitandum, quin hoc loco ὑπόστασις ſignificet expectationem cum fiducia, ſeu fiduciam expectantem bonum euentum. In hac ſignificatione Polybius hac voce vtitur. Coniungit enim ὑπόστασιν cum audacia, cum inquit: non adeo vires atq; ὑπόστασιν & audaciam reformidarunt aduerſarij. Herodotus etiā eodem modo vſus eſt hoc vocabulo. Nam illi ὑπόστασις eſt confidentia, qua quiſpiam intrepide conſiſtit, fixoque pede aduerſarium inuadentem, certus de felici euentu, excipit. Ita fides quoque in ærumnis erigit animū, & eſt eiuſmodi Chriſtiani animi conſtans robur, quo luctetur contra omnia Chriſtianum animum oppugnantia. QVOD autem in ſacra etiam ſcriptura, hanc habeat interdum ſignificationem, confirmatur ſequentibus teſtimonijs. Pſalmo 39.

vbi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

vbi in Hebræo Thochalthi, id eſt, ſpes mea in te, ſeu expectatio mea ad te. Græci interpretes habent ἡ ὑπόστασίς μου παρά σου ἐστὶ, vbi vetus interpres reddidit, ſubſtantia mea apud te eſt, ſed ipſum fefellit Græcæ vocis ambiguitas, quæ tollitur conſulto fonte Hebraicæ veritatis, & videtur omnino Apoſtolus ad hunc Pſalmi locum reſpexiſſe. Nam argumentum Pſalmi cum hoc loco Apoſtoli plane congruit. 2. Cor. 11. & ſupra cap. 3. manifeſte pro fiducia accipitur. Mihi proinde dubium non eſt, quin hac militari voce, voluerit Apoſtolus cōſtantem fiduciam Chriſtiani pectoris in ærumnis exprimere. LOMBARDVS lib. 3. diſtinctione 23. reddit rationē, cur fides dicatur ſubſtantia. Dicitur, inquit, fides ſubſtantia, quia rebus ſperandis ſubſtat, & quia fundamentū eſt bonorum, quod nemo mutare poteſt. Etſi autem hæc ratio concinna videtur: tamen interpretatio vocis hoc loco omnino falſa eſt. VOCABVLVM ἔλεγχος, quod alij argumentum, alij conuictionē, alij certitudinem, nonnulli demonſtrationem vertunt, cauſſam iſtius conſtantis fiduciæ exprimit. Eſt enim ἔλεγχος talis certitudo, qua mens conuicta diuinis teſtimonijs, firmiſsime amplectitur promiſſiones diuinas. Hęc certitudo doctrinæ & promiſsionum diuinarum, parit illam inuictam fiduciam, ſeu πληροφορίαν, quam fides ſemper habet præſentem comitem. RES ſperandæ, & non apparentes, ſunt promiſſa bona, videlicet, liberatio ab omnibus calamitatibus, pręſentia Dei, donatio immortalis vitæ, ac gloria beatitudinis. Hæc bona qui in conſpectu per fidem habet, mitius præſentis vitæ ærumnas ſuſtinet: cum contra, qui hac ſpe carent, miſere torquentur, in quauis aduerſitate. OBSERVETVR imprimis hic locus de proprietate fidei, atque eius conſtanti robore, in ferendis ærumnis, quæ ſpe ſe ſuſtinet certiſsimæ liberationis. Confutatur etiam hoc Apoſtoli teſtimonio dogma Papiſtarum de dubitatione.

Per hanc enim conſecuti ſunt teſtimonium maiores.

Ratio quod aliunde non contingat ſalus, quam ex fide. Verum hoc argumentum in genere tantum hic proponitur, & eſt propoſitio exemplorum, quæ ſequuntur vſque ad finem capitis.

Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.

A particulari probat fidem eſſe certitudinem eorum, quæ non videntur. Non vidimus formationem machinæ mundi, ſed fide eam intelligimus. Igitur fides non eſt apparentium, ſeu rerum quæ non videntur.

Fide vberiorem hoſtiam Abel quam Cain obtulit Deo: per quam teſtimonium conſecutus eſt, quod eſſet iuſtus, teſtimonium perhibente de muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.

Iam incipit autor enumerare exempla fidei, ac primum proponit cōtraria exempla, quibus docet fidem inter opera piorum & impiorum diſcernere. Obtulit Abel, obtulit & Cain, vterque ex mandato Domini, verum ille placuit, quia prælucebat fides: hic vero minime, quia fide vacuus erat. OBSERVETVR hoc loco imprimis catholica doctrina de cultu Dei. Nā hic manifeſte docemur, quod non ſolum requiratur mandatū operis, verumetiā cauſſa efficiēs, & formalis, nempe fides ipſa, quæ in gloriam Dei reſpicit. PATRES in ſuis ſacrificijs tria potiſsimū ſpectarunt, quorum primum erat commemoratio peccati, admonebantur enim ſacrificantes ſui peccati, cum hoſtiæ ſanguinem inſpicerent, vnde & ſe reos coram Deo agnouerunt. Secundum fuit typus. Nam cum cernerent victimam cruentam, fide intuebantur futuram victimā Chriſti: cuius ſanguine mundi peccata ſciuerunt expianda. Tertium fuit fides in Chriſtum, quæ ex typo accendebatur. Cum hac fide coniuncta erat gratiarū actio, & ſanctificatio. Nam iuſtificati fide, ſunt regeniti in nouos homines, vocatos ad ſanctificationem. VERVM Cain & impij tantum in opus externum intuentur, & putant ſe merito operis ſui Deo acceptos eſſe, atque ita ipſi opus, alioqui à Deo mandatum, ſua diffidentia abominabile reddunt. SED quid eſt quod dicit, Per illam defunctus adhuc loquitur. Hoc figurate dictum eſt, ac ſi diceret. Etſi Abel corpore mortuus eſt, ſpiritu tamen Deo viuit, qui Deus etiam mortuorum curam habet. Eſt enim hæc Abelis iniuſta trucidatio, teſtimonium iudicij diuini, in quo Abeli bene erit, vt qui Deo placuerit, & Caino male, qui fratrem innocentem crudeliſsime occidit. CHRYSOSTOMVS aliter. Loqui dicitur Abel cum in memoria hominum maneat, celebratur, atque cum eius fides imitanda alijs proponitur. QVOD autem dicat Apoſtolus: Deum perhibuiſſe teſtimonium de oblatione Abelis: ita accipiendum eſt, quod Deus cœleſti igni incenderit oblationem Abelis in teſtimonium fidei ipſius.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Fide Enoch tranſlatus eſt, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Dominus.

Aliud exemplum fidei, quo probatur, quod Deus habeat curam in ſe credentium, eoſque mirabiliter ab ærumnis huius vitæ liberet. Hoc exemplum inter alia eſt inſigne, nam teſtatur de alia vita glorioſa, ad quam per fidẽ venire oportet. ES T autem ſingulariter hic ſpectandum, quod vt Deus die ſeptimo quieti ſe tradidit, cum abſoluiſſet vniuerſum hoc mundi opificium, ita idem Deus generatione ſeptima accepit, ceu ſymbolum conſummationis ſeculi, Enoch, vt primitias rationalis creaturæ. OBSERVETVR hoc loco, quod fides in præſentibus miſerijs & in morte ipſa debeat vitam æternam & beatam ob oculos ponere. Atq; ita exemplo Enoch cum Deo ambulare, in vera obœdientia erga Deum, & non cum hominibus qui vias Domini deſerunt. QVOD autem Papiſtæ fingant, Enoch & Heliã reſeruatos eſſe in Paradiſo, vt inde prodeant ante extremũ diem, de aduentu ſecundo Chriſti concionaturi, nullum habet in ſcripturis fundamẽtum.

Nam ante tranſlationẽ ſuam, teſtimonium obtinuerat, quod placuiſſet Deo.

Elegans probatio eſt, à conſequentibus ad antecedentia. Tranſlatio Enoch teſtatur ipſum antea placuiſſe Deo. Igitur eum fidem habuiſſe neceſſe eſt. Conſequentia probatur ſequenti axiomate, quod eſt vnum ex præcipuis in Theologia.

Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.

Argumentũ hoc in hunc modum formemus. Quiſquis Deo placet, eum credere neceſſe eſt. Atqui Enoch Deo placuit, quod teſtatur ipſius in cœlum tranſlatio, Proinde eũ crediſſe neceſſe eſt. PORRO fidei obiectum in Enoch fuiſſe verbũ promiſsionis de benedicto ſemine, nemini dubium eſſe poteſt: ex quo vanitas eorum redarguitur, qui Ethnicos in ſpeciẽ probiores putarunt lege naturæ ſaluatos, ſine promiſsionis fide. OBSERVETVR hoc loco vtiliſsima regula, videlicet, quod nulla actio probãda ſit, vt cultus Dei, niſi fide verbi Dei nitatur. Hæc regula ad Rom. 14. hiſce verbis traditur, Quicquid non fit ex fide, eſt peccatum, hoc eſt, omnis actio quæ non nititur verbo Dei, & fit fiducia Chriſti prælucente eſt peccatũ. Hac igitur regula omnes ſuperſtitiones & ἐθελοθρησκείαι, tanquã fulmine quodã cœleſti proſternuntur.

Credere enim oportet accedentem ad Deum, quod Deus ſit, & quod requirentibus ſe remunerator exiſtat.

Ratio eſt, cur ſine fide impoſsibile ſit Deo placere: quia ſine fide nemo recte iudicat de Deo, & eius beneficijs. Hoc teſtimonium arripiunt Papiſtæ, ad confirmanda merita operum. Nam hic colligunt, fiduciam noſtrã niti meritis operum, quia Apoſtolus diſerte dicit: Deum remuneratorem eſſe quærẽtibus ſe, & fatetur fidei ipſius eſſe, ſtatuere Deum remuneratorem eſſe obœdientiæ noſtræ. Verũ hæc obiectio facile diſſoluitur, cognito vero quærendi Deum modo. Hunc autẽ modum quærendi Deum ſola ſcriptura recte docet: nimirum, vt homo in ſe proſtratus, coram tribunali Dei, perculſus æternæ mortis reatu, ac de ſeipſo omnino deſperans, ad Chriſtum, tanquam vnicum ſalutis aſylum, confugiat. Hic enim ſe viam eſſe teſtatur, & inuitat ad ſe omnes laborantes & oneratos. Hac igitur via itur, vera contritione, ac in Chriſtum fiducia. Remuneratio igitur non ad operum dignitatem, ac precium, ſed ad fidem refertur: quæ extra iuſtificationis cauſſam expectat promiſſam remunerationem ex bonitate promittentis Dei.

Fide Noë reſponſo accepto de ijs, quæ adhuc non videbantur, reuerentia ductus apparauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum, & iuſticiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.

Eſt & hoc fidei inſigne exemplum: in quo octo, quæ ad rationem fidei pertinent, obſeruanda offeruntur: quorum primum eſt, quod fides ex verbo Dei naſcatur. 2. Quod fides ſit rerum nondũ apparentium. 3. Quod fides habeat coniunctum timorẽ Dei. 4. Quod fidei ſcopus ſit ſalus animarũ. 5. Quod fides media ſalutis diuinitus mõſtrata cum gaudio arripiat, componatq; ſe ad normã verbi diuini. 6. Quod fides nõ ſui tantum rationem habeat, ſed communem ſalutem quærat. 7. Quod per fidem piorũ damnentur increduli, propterea quod ipſorũ exemplo credere recuſant. In hunc ſenſum Niniuitæ dicuntur iudicaturi populũ Iſraël. Poteſt etiam referri ad arcã, videlicet, quod Noë condemnauerit impium

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

impium mundum incredulitatis: quando ipſe arcã parauit, fidẽ adhibens oraculis diuinis, ſed eodem res redit. 8. Quod ex fide ſit iuſticia: ea enim ſola coram Deo iuſtificamur. Vnde fit, vt adeo ſimus de iuſticia certi, atq; nobis hæreditate quadam certiſsima obtigiſſet. HAS octo fidei proprietates vnuſquiſq; ſibi in genere ſaltẽ applicet, ac cum Noë futuram liberationem à diluuio illo horrendo, in quo omnes, qui in Chriſtum non crediderint, peribunt, expectet. Viuamus igitur in timore Dei, certi quòd breui vniuerſalis Cataclyſmus oppreſſurus ſit omnes impios, à quo diluuio ſoli electi, fidei (quæ in Chriſti promiſsis fundatur) beneficio euadent. Nam his inſtar arcæ filius Dei eſt, qui nouit omnes qui ſui ſunt.

Fide Abraham, cum vocatus eſſet, obœdiuit, vt in locum exiret, quem accepturus erat in hæreditatẽ, & exijt neſciens quo iret. Fide peregrinatus eſt in terra promiſſa, tanquam in aliena, in tabernaculis habitans, cum Iſaac & Iacob cohæredibus promiſsionis eiuſdem. Expectauit enim ciuitatem habentem fundamentum, cuius architectus & opifex eſt Deus.

Hactenus recenſuit Apoſtolus noſter patrum exempla aliqua, qui ordine vixerunt ante diluuium: nunc addit eos qui poſt diluuium in fide perſtiterunt: quorum primus & ordine temporis & excellentia fidei, occurrit Abraham: cuius exemplo probat fidem eſſe certitudinem, non ſolum earum rerum, quæ non videntur: verumetiam earum quæ humanæ rationi plane impoſsibiles apparent. Deinde docet hoc exemplum, quod fiducia promiſsionum diuinarum, & obœdiẽtia erga Deum coniungi debeant: vt quæ à ſe inuicem nequaquam ſeparari poſsint. Nam cum dicit: Et exijt neſciens quo iret, ſignificat vtrumq;, videlicet, & fidei proprium eſſe Deo credere, & ipſi ex fide obœdire, etiamſi tota rerum natura reclamare videatur.

Fide & ipſa Sara virtutem ad concipiendum & ſemẽ ad retinendum accepit, ac præter ætatis rationem peperit. Quoniam fidelem credidit eum eſſe, qui promiſerat, propter quod & ab vno orti ſunt, & hoc emortuo tanquam ſidera cœli in multitudine, & ſicut arena quæ eſt ad oram maris innumerabilis.

Hoc Saræ exẽplum tria de fide docet, Primum, quod aliquoties iam dictum eſt, fidem eſſe rerum non apparentium fiduciam. Secundum, quod fides cõtra naturæ curſum, & rationis iudicium, ſe erigat. Nititur enim verbo eius, qui nunquam vanus deprehenſus eſt in ſuis promiſsis. Tertium, quod præmia propoſita ſunt ijs, qui in fide promiſsionum diuinarum perſiſtunt conſtantes. QVANTVM autem ad ſecundũ membrum attinet, videlicet, quod fides contra naturę curſum & rationis iudicium ſe erigat freta promiſsionibus diuinis, docet Sara ſanctiſsima matrona, quæ cum eſſet & tempore, nam iam ſenuerat, & natura, nam infœcunda erat & ſterilis, tamen credidit promittenti Deo. Etſi enim in principio, cum promiſſio ei proponeretur, riſerit: tamen credidit Deũ veracem, etſi natura tota reclamabat. PORRO Hyperbolen non inuſitatam eſſe in ſcripturis, vel hic locus oſtendit. Neq; enim ſtellarum numero, neq; multitudini arenæ maris, reſpondet numerus populi, qui ab Abrahamo deſcendit. Quare iuxta huius figuræ ſenſum, ſignificatur innumerabilis fuiſſe multitudo eorum, qui ex Abraham deſcenderant. HANC & nos fidei hypoſtaſin imitemur, exemplo Abrahæ & Saræ, nihil dubitantes de diuinis promiſsis, etiamſi videantur nobis quo ad ſenſum carnis attinet, impoſsibilia.

Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non accipientes promiſſiones, ſed procul eas aſpicientes & credentes.

Colligit ex enumeratis exemplis, fidem eſſe rerum non apparentium. DVO hoc loco haud intempeſtiue quæri poſſunt. Primum, cum ſuperius dixerit, Tranſtulit Enoch Deus, ne videret mortem, Cur nunc dicat: Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti? Deinde, quod dicit, quod non acceperint promiſsiones, cum tamen ſupra dixerit, quod acceperint præmium fidei. SOLVTIO primi eſt. Mortui ſunt omnes communi more præter Enoch, qui in momento mirabiliter immutatus eſt: ſicut in extremo die immutabuntur omnes, quotquot filius Dei veniens ad iudicium inuenerit viuos. SOLVTIO ſecundi eſt. Duplices erant promiſsiones factæ patribus, videlicet, terrenæ & cœleſtes. Terrenas non ſunt conſecuti in proprijs perſonis, ſed in hæredibus & poſteritate. Cœleſtes vere ſunt conſecuti, quemadmodum infra probat, cum Deum ipſorum eſſe Deum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

pronunciat. Iam præſentis loci ſententiam videamus. Secundū fidem, inquit, ſcilicet qua crediderunt ſe promiſſa cœleſtia bona conſecuturos. Item, Non accipientes promiſsiones, ſcilicet, terrenas ſeu poſſeſsionem terræ Canaan. ARGVMENTVM præſens nobis accommodabitur hoc pacto. Illi crediderunt qui procul promiſsiones viderunt, multo magis nos credere oportet, quibus promiſsiones nunc ſunt exhibitæ, quibus Chriſtus factus eſt λύτρον & ſponſor æterni fœderis, de ſalute per fidem conſequenda.

Et cum ſalutaſſent profeſſiq; fuiſſent ſe hoſpites & aduenas fuiſſe in terra. Nam hæc qui dicunt, palam ſignificant, ſe patriam inquirere, etſi quidem ipſius meminiſſent, de qua exierant, habebant vtiq; tempus reuertendi: nunc autē meliorē expetunt, hoc eſt, cœleſtem. Ideo non erubeſcit Deus vocari Deus eorū. Parauerat enim illis ciuitatem.

Valido argumento confirmat Patriarchas patriam cœleſtē potiſsimum quæſiuiſſe, & non hæſiſſe in terrenis promiſsionibus de terra Canaan. Vt autē clarius argumentum præſens intelligatur, illud in carceres dialecticos includam hoc pacto. QVICVNQVE fatentur ſe hoſpites & aduenas eſſe, ſignificant ſe in patria non eſſe, ſed eam potius inquirere. SED Patriarchæ Abraham & Iſaac teſtantur ſe hoſpites & aduenas eſſe in terra Canaan. ERGO ſignificant ſe extra patriam eſſe, eamq; adhuc inquirere, proinde vel inquirebant terrenam patriam, videlicet, Chaldæam, de qua exierant, vel meliorem, nempe, cœleſtem. Non autē inquirebant terrenam patriam, videlicet, Chaldæam. Nam ſi hoc feciſſent, habuiſſent vtique tempus in eam reuertendi. Ergo aliam patriam, nempe, cœleſtem inquirebant, quā etiam adepti ſunt, id quod ex eo probatur, quod Deus ſe eorum Deum nominari patitur. Nam ſi mortui fuiſſent plane, & nihil iam eſſent amplius, abſurdum eſſet Deum eorum Deum dici. Hoc ipſo argumento probat Chriſtus Matth. 22. Marc. 12. Luc. 20. reſurrectionem contra Sadducæos. Deus non eſt mortuorum Deus, ſed Deus eſt Deus Abraham, Iſaac & Iacob. Igitur iſti non ſunt mortui, ſi non mortui, viuunt vtique.

Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & vnigenitum obtulit, qui promiſſiones acceperat, ad quem dictum erat: in Iſaac vocabitur tibi ſemen, putans quod etiam ex mortuis ipſum excitare poſſet Deus.

Probatur & hoc exemplo, fidem eſſe certitudinem rerum promiſſarum, non apparentium. Abrahamo erat promiſſum, vt in Iſaac vocaretur illi ſemen, hoc eſt, vt ex ſemine Iſaac illa innumerabilis multitudo populi, quæ eſſet inſtar ſtellarū in cœlo, & arenę maris, prodiret: Hoc cum iam ſanctiſsimo Patriarchę ex promiſsione diuina conſtaret: accepit mandatū de mactando filio in holocauſtum. Hic Abraham grauiſsime tentatur, ſed ſuperat tentationem fides, & nihilominus ſtatuit, ex ſemine Iſaac naſciturū illum numeroſum populū, iuxta promiſsionem. Verum quia id fieri non poſſe arbitrabatur mortuo, & in cineres plane redacto Iſaaco filio, ita colligit ſanctiſsimus Patriarcha: Deus qui promiſit mihi ſemen in Iſaac, eſt verax in ſuis promiſsis. Sed iam ex mandato promittentis Dei, debeo & volo Iſaacum mactare, in ſacrificium holocauſti. Igitur vt conſtet Dei veritas, neceſſe eſt vt Iſaac mactatus reuiuiſcat, & ex morte reſurgat, quo pater ſit promiſſæ multitudinis populorum. HOC exemplum fidei Abrahæ nos quoque excitet, ad confirmandam fiduciam noſtram de promiſsionibus diuinis, etiamſi illis tota rerum facies reclamare videtur.

Vnde & ipſum ſimilitudine quadam recepit.

Effectus fidei Abrahæ. Non ſecus reſtitutus eſt Abrahamo Iſaac, atque è mortuis reſurrexiſſet. Vnde, hoc eſt, à morte. Similitudine quadā, hoc eſt, quodammodo. Recepit eum. nam cum Dei mandato neci addictus, incolumis patri ſit reſtitutus, videtur ipſius liberatio quædam reſurrectionis ſpecies. Hoc modo dicuntur etiam reuixiſſe, qui ex certiſsimo aliquo periculo, præter omnem ſpem ſunt ſeruati.

Fide & de futuris benedixit Iſaac Iacob & Eſau: fide Iacob moriens ſingulis filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit ſuper extremo baculi ſui.

Hæc exempla etiā teſtantur fidem eſſe rerum non apparentium. Iacob ſpiritu prophetico per fidem, quid futurum eſſet, filijs ſuis prædixit, & inter alia quod ex Iuda naſciturus eſſet Meſsias, ſignificans etiam quo tempore eſſet venturus. Adorauit ſuper extremo baculi ſui,

hoc

hoc eſt, baculo innixus propter infirmitatem corporis, Deum adorauit, eiq; gratias egit. Ex Hebræo nunc legitur, incuruauit ſe Iſrael ad caput lectuli. Dicitur autē Iacob incuruaſſe ſe, hoc eſt, adoraſſe ad caput lectuli. Quia cum plane aſſurgere non poſſet è lecto, in quo iacebat, ſe tamen ad formam precantis prono vultu componit. Hic obſeruanda eſt varietas lectionis, quæ inde nata eſt, quod eadem vox Hebræa, quo ad literas, ſignificat & lectum & baculum, ſeu virgam: Sola puncta variant ſignificationem. Septuaginta interpretes videntur legiſſe matta, hoc eſt, virga ſeu baculus, at nunc in Hebræis legitur mitta, id eſt, lectus. Sed lectio ſeptuaginta interpretum verior eſſe videtur. Quia in ſequenti capite primum fit mentio ægrotantis Iacob. Ita enim habet textus: His itaq; tranſactis nunciatum eſt Ioſeph, quod ægrotaret pater ſuus.

Fide Ioſeph moriens de exitu filiorum Iſraël meminit, & de oſsibus ſuis mandauit.

Hiſtoria hęc habetur Geneſ. 50. Sed cur nam Ioſeph mādat fratribus ſuis, vt oſſa ſua tollāt de Ægypto, & transferant ſepelienda in terra promiſſa? Hanc ſepulcri electionē voluit Ioſeph eſſe redemtionis de ſeruitute Ægypti ſigillum. Poſtquam enim fidelem eſſe Deum aſſeruit, qui pręſtabit ſuo tempore, quod pollicitus eſt, mox fratres ſuos adiurat, vt oſſa ſua transferant. Illæ vtiles erant reliquiæ, quarum aſpectus clare perſonabat, hominum nequaquam extingui æternum Dei fœdus, in quo Ioſeph tuto quiеſcere iubet poſteros. Nam quia dictum erat Abrahamo: in generatione quarta reuertentur huc, ſcilicet poſt quadringentorum annorum ſeruitutem: ſtatuit Ioſeph fide hanc promiſsionem ratam fore: ex quo colligitur quod propoſitum eſt, videlicet, quod fides ſit rerum non apparentium.

Fide Moſes natus occultatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eo quod vidiſſent elegantem infantem, & nō timuerunt Regis edictum.

Hæc hiſtoria habetur Exod. 2. de fide parentum Moſis. Hoc exemplum ideo obſeruandum eſt diligentius, vt videamus mirabilia Dei conſilia in ſeruandis ſuis, & horum exēplo concipiamus fiduciam, quà nos Tyrannis mundi opponamus, cum aliquid contra Deum imperent. PRÆTEREA hoc loco obſeruetur, quod prudentia fidei comes eſſe debeat, & non temeritas. Hic enim parentes Moſis, nō temere ſe committunt periculo, ſed rem clam agunt. Quorum exemplum & nos imitemur in timore Dei.

Fide Moſes grandis factus renuit dici filius filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalem habere iucunditatem: maiores diuitias æſtimans theſauris Aegyptiorum improperium Chriſti.

Hoc exemplum Moſis, præterquā quod confirmet id quod propoſitum eſt, de fidei ꝓprietate, videlicet, quod ſit fiducia rerum non apparentium: teſtatur etiam æterna bona breui voluptati, improperium Chriſti diuitijs mundi & crucem honoribus & glorię mundi præponenda eſſe. Hoc Moſis exemplum, ſi hodie imitaremur, minus ſocordes eſſemus, ad confitendum veram doctriuam, poſthabitis gloria, diuitijs, & fauore tyrannorum & potentum mundi.

Aſpiciebat enim ad remunerationem.

Hæc ratio eſt cur improperiū Chriſti ſit paſſus Moſes, dum affligitur à Pharaone. Intuemur enim fide promiſſam & gratuitā obœdientiæ remunerationem. PAPISTÆ ex hoc loco, contra analogiam fidei, & mentē Apoſtoli, colligunt pręmium bonorum operū eſſe obiectū fidei. Id quod ſane nemo inficiari poterit ſimpliciter, cū id manifeſte hic aſſeritur. Verum in hoc peccant Papiſtæ, quod illud q, ſimpliciter dicitur, detorqueant ad partē, cui non conuenit. Quare ne erretur, obſeruanda eſt hæc regula: Fides amplectitur & intuetur, quicquid Deus vel mādat, vel ꝓhibet, vel aſſeuerat, vel promittit. Iam cū omne verbū Dei fide accipiendum ſit: debet & promiſsio quælibet fide accipi. Hac regula conſtituta, diſtinguendæ ſunt promiſsiones: quarum aliæ ad iuſtificationem gratuitam; aliæ ad præmia obœdientiæ pertinent. QVATENVS itaq; quærenda eſt iuſtificatio coram Deo: fides ſolam miſericordiam in Chriſto promiſſam intuetur, ſecluſis omnibus meritis, operib. præcedentibus, cōiunctis, & conſequentibus. Nam hic ſola gratia in Chriſto Ieſu fidiſsima eſt ſalutis ancora, vt copioſe docet Paulus ad Rom. Corinth. Epheſ. Galat. Phil. &c. AT extra iuſtificationem, fides etiam præmia, & remunerationē obœdientiæ promiſſam,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

recte cõſiderat, & expectat. Cum enim bonis operibus remuneratione promiſit, profecto fides iſtam promiſsionem intueri debet, & firmiter ſibi perſuadere, quod Deus ſit verax in ſuis promiſsis. Quare & promiſſam remunerationẽ expectabat, idq; non propter dignitatem ſeu meritum operantis hominis: ſed propter veritatem & bonitatẽ promittentis Dei. PORRO cauſſæ ob quas Deus promittit remunerationem ſeu mercedem bonis operibus ſunt hæ quatuor præcipuæ. PRIMA, vt ſciamus ſerio mandatum Dei eſſe, vt obœdiamus ipſius mandatis. Nam vt nihil temere mandat, ita ſerio mandati executionẽ poſtulat. SECVNDA, vt Deus oſtendat obœdientiam ſibi ex fide præſtitam, eſſe gratiſsimũ cultum, & veluti ſacrificium quo delectatur. TERTIA, vt propoſitis præmijs inuitet nos ad præſtanda ea officia, quibus ornatur gloria Dei, quibus conſeruari poteſt ſancta ſocietas inter homines, quibuſq; paulatim regnum Satanæ deſtruitur. QVARTA, vt ex cogitatione compenſationis obœdientiæ, ducamur in cogitationem pœnæ contumaciæ, quæ abſque omni dubio manet omnes, qui Deo ex fide non obœdierint.

Fide reliquit Aegyptum, non veritus furorem regis: inuiſibilem enim ac ſi eum vidiſſet ſuſtinuit.

Exemplum hoc Moſis etiam confirmat, vt ſuperiora, fidem eſſe ὑπόστασιν rerum non apparentium. Eſt autẽ horum verborum ſenſus. Moſes Deum, quem non viderat, fide præ oculis habuit. credidit enim ſe, iuxta promiſsionem diuinitus ſibi factam, populũ educturum de terra Aegypti, etiamſi id nequaquam videbatur in oculis hominum poſsibile. Ratio enim ſtatuere non potuit, vt vnus aliquis, vel ſapientiſsimus, vel fortiſsimus, poſſet ſe opponere tam potenti regno, & populum ſatis præfractum è ſeruitute liberare.

Fide celebrauit Paſcha, & ſanguinis effuſionem, ne qui vaſtabat primogenita, tangeret eos.

Eſt & hoc fidei inſigne exemplum. Dominus dixit Moſi, Exod. 20. Trãſibo per terram Ægypti per noctem iſtam, & percutiam omne primogenitum ab hominibus vſq; ad beſtias, & in cunctis dijs Ægypti faciã iudicia, & erit ſanguis ille vobis in ſignum, in domibus, in quibus vos fueritis: cumq; videro ſanguinẽ, præteribo vos, & non erit vobis plaga ad perditionem, quando percutiam terram Ægypti. HIC Dominus vt cõminatur Ægyptijs interitum omnium primogenitorum, ita Hebræis pollicetur quod velit illorum primogenitis parcere: & in ſignum huius fœderis, iubet vt ſanguinem agni Phaſe aſpergant poſtibus ianuarum. Hanc promiſsionẽ fide amplectitur Moſes cum populo Iſraelitico, non fretus ſanguine agni aſperſo, ſed verbo promiſsionis: cuius ſanguis ille aſperſus veluti teſſera fuit. Veritas autem, quæ huic figuræ reſpondet, à Petro indicatur hiſce verbis: Redemti precioſo ſanguine, quaſi agni immaculati. Hoc ſanguine aſpergũtur conſcientiæ noſtræ, quando in Chriſtũ credimus, cuius virtute tuti ſumus ab interfectore Diabolo. ET Auguſtinus tractatu 50. in Iohannem: Sanguine occiſi pecoris, Iudæorum poſtes ſignati ſunt: ſanguine Chriſti frontes noſtræ ſignantur. Et illa ſignatio, quia erat ſignificatio, dicta eſt à domibus ſignatis exterminatorẽ prohibere. Signum Chriſti à nobis expellit exterminatorem, ſi cor noſtrum recipiat ſaluatorem. Quare hoc dixi? Quia multi poſtes habent ſignatos, & intus non manet habitator. Facile habent in fronte ſignũ Chriſti, & corde non recipiunt verbum Chriſti, ideo dixi fratres, quod repeto: Signum Chriſti à nobis repellit exterminatorem, ſi cor noſtrum Chriſtum habitatorẽ habeat. Hæc ille. Quid autẽ per primogenita Ægypti ſignificetur, explicat Auguſtinus hiſce verbis: Primogenita Ægyptiorũ non incongrue principatus & poteſtas mũdi huius, hoc eſt, Diabolus & angeli eius intelligũtur, quos in aduẽtu ſuo Chriſtus deſtruxiſſe dicitur, id eſt, captiuos duxiſſe & triumphaſſe in ligno crucis. POSSVMVS primogenita Ægyptiorum accipere etiam omnes hæreticorum auditores & inuentores falſarũ quæ in mundo ſunt religionum, quas Chriſti veritas cum ſuis extinguit autoribus. PROCOPIVS dicit, occiſione primogenitorum ſignificari, primam mali originem ſeu generationem tollendam eſſe, quod fit ſane, cum renaſcimur fide in nouos homines, ſanguine agni immaculati Chriſti aſperſi.

Fide tranſierunt mare rubrum, tanquam per aridam terram, quod experientes Aegyptij, deuorati ſunt.

Populi totius ſeu præcipuæ partis fides hic deſcribitur, qui populus Moſi legati Dei verbis credidit, etiamſi totius naturæ curſus & neceſsitas Phyſica reluctabatur. Hoc typo ſignificatur, quod fide in Chriſtum, fiat tranſitus ex tumultuo-

ſiſsimo huius mundi mari ad immortalitatis gloriam: etiamſi hoc rationi videatur impoſſibile. Vt enim Moſes dux fuit populi tranſeuntis mare rubrum: ita Chriſtus Deus & homo dux noſter eſt, quem ſequemur fide in requiem promiſſam.

Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum ſeptem.

Tranſmiſſo Iordane, & erectis duodecim lapidibus, quos è medio fluminis tulerunt filij Iſrael, in memoriam miraculi & beneficij præſtiti: venerunt ad ciuitatem Iericho munitiſsimam: quæ plane humanis viribus inexpugnabilis videbatur. Hic Dominus alloquitur ducē populi Ioſua, hiſce verbis: Ecce dedi in manus tuas Iericho, & regem eius, omnesq; fortes viros. Circumite vrbem cuncti bellatores, girando vrbem ſemel. ſic facietis ſex diebus, Septē vero ſacerdotes ſeptem buccinas geſtabunt ante Arcam, ſeptieſq; circumibitis ciuitatem, & ſacerdotes clangent buccinis, cumq; prolixiorem ſonum fecerint, & ſonus in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruēt ſubter eam. Ioſuæ 6. HÆC promiſsio rationi humanæ plane impoſsibilis videbatur. Quis enim ſtatuere poſſet, vt ciuitas, viribus humanis inexpugnabilis manibus hominū, ſono tubarū euerteretur? Sed Ioſua dux vir ſanctus, nequaquam dubitauit de promiſsis diuinis: ſed dedit gloriam Deo, ſtatuens ipſum veracē eſſe in promiſsis ſuis, vel reclamante tota natura. quare & exitum fide expectauit, & vidit impletam promiſsionem. Nam iuxta promiſsionis verbū ſeptimo die clangentibus ſacerdotibus, & vociferante populo, muri Iericho corruerunt, & capta ciuitate, victores ſunt facti Iſraelitæ, non ſuis viribus, ſed diuino miraculo. HINC apparet verum eſſe quod propoſitū eſt, videlicet, quod fides ſit firma fiducia rerum non apparentium. QVID autem myſtice intelligendum ſit, per deſtructionem murorū Iericho, explicat Auguſtinus hiſce verbis: Muri ciuitatis Iericho, ſepteno circuitu præeunte teſtamēti Arca corruerunt. Quid enim nunc aliud agit annunciatio regni cœlorum, quā circuitio arcæ ſignificauit: niſi vt omnia munimenta mortalis vitæ, hoc eſt, omnis ſpes huius ſeculi, quæ reſiſtit ſpei futuri ſeculi, dono Spiritus ſancti deſtruatur. monet ergo nos hæc hiſtoria, vt fide promiſsionibus diuinis adhærētes, ſtatuamus nos fore victores omnium munitionum Diaboli, adeoq; totius regni tenebrarum, per fidem in ducem noſtrum Ieſum Chriſtum: qui fecit nobis ſpem ciuitatis cœleſtis Ieruſalem, quæ ſane ſpes credentē nequaquam confundet, modo iuxta Chriſti dictum ad finem vſque perſeuerauerit.

Fide Rhaab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

Hoc exemplū primum docet, quod ſuperiora, videlicet, quod fides ſit rerum non apparentium. Deinde gentes fide recipiendas oſtendit. Tum quod non ſit perſonarum acceptio apud Deum. Poſtremo quod ſalus non pendet ex meritis præcedentibus. Si quis interroget: Vnde hæc mulier præ alijs infamis, tantam laudem conſecuta ſit? Reſpondeo plurima concurrere in hac Ethnica fœmina. Primum enim colloquium ipſius cum exploratoribus non fuit laſciuum, ſed ſanctum & caſtum. Vnde didicit, Deum Iſraelis verum Deum eſſe: Id quod ſane fundamentū eſt & caput pietatis. Deinde, confirmatur ſigno diuino, & victoria populi Dei miraculoſa. Tertio, conuicta verbo & ſigno, quæ ſunt teſtimonia veritatis diuinæ, credit, & fide iuſtificata confitetur Deū Iſraelis. Quarto, cum ſuo periculo populo Dei benefecit, & ita fidei charitatis opera adiunxit, & obœdientiæ mercedem accepit. Nam vt ipſa exploratores liberauit: ita per illos ſeruata eſt, reliquis habitatoribus Iericho pereuntibus. SED quid de mendacio huius fœminæ dicendum eſt: Auguſtinus in hunc modum quæſtionem ſoluit: Quod ſcriptum eſt, bene Deum feciſſe cum Hebræis obſtetricibus, & cum Rhaab meretrice: non ideo factū eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed beneuolentia: benignitas mentis, & non iniquitas mentientis. Et paulo poſt, Rhaab in Iericho, quia peregrinos homines Dei ſuſcepit hoſpitio, quia in eorum ſuſceptione periclitata eſt, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos, vbi potuit occultauit, quia per aliam viam remeandi conſilium fideliſsimum dedit, etiam ſupernæ Ieruſalem ciuibus imitanda laudetur. Quod autem mentita eſt, etiam aliquid ibi Propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum ſapienter proponitur, quamuis Deus illa bona memorabiliter honorauerit, hoc malum clementer ignouerit.

Et quid adhuc dicam? deficiet enim me

Præteritio eſt. Abrumpit enim lógio-

tempus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tempus, commemorantem de Gedeone, Barach, & Samſon, & Iephthe, Dauidq́ue & Samuele, atque Prophetis.

rem cōmemorationem exemplorū, petita ratione ab exemplorum multitudine. Hiſtoria Gedeonis legatur Iudicum 7. qui adiunctis ſibi 300. viris exercitum maximum Madianitarum ſuperauit. De Barach qui Siſeram vicit conſilio mulieris, legatur Iudicū 4. De Samſone, qui ſtupenda fortitudine præualuit, qui aſini maxilla mille viros proſtrauit, qui tandem cœcus effectus Philiſteorum principes cōcuſſa domo interemit, legatur Iudicum 14. 15. & 16. De Iephthe, qui pugnauit contra filios Amon, legatur Iud. 11. De Dauide, Samuele & Prophetis, legantur libri Regum, & Prophetarum: Nam horum fides paſsim per totam ſcripturam prædicatur.

Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſticiam.

Hoc intelligendum eſt, nō de quibuſuis regnis, ſed tantum de regnis promiſsis filijs Iſrael, quę ex mandato Dei expugnauerunt. Nam cum Deus illa ingentia regna populo ſuo promitteret, duces populi fide aggreſsi ſunt expugnationem regnorum, quæ & adepti ſunt. Operari iuſticiam, eſt mandata Dei iuſte exequi pro ratione vocationis cuiuſque.

Adepti ſunt promiſsiones.

Hoc eſt, factæ ſunt nonnullis ex patribus peculiares promiſsiones: ſicuti Daüidi, obœdienti Deo ex fide, promittitur nouū beneficium, iuxta illud: Iurauit Dominus Dauidi, de ſemine ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Doctrina obſeruetur hoc loco, de bonitate Dei, noua beneficia præſtantis recte vtētibus prioribus donis in vera fide.

Occluſerunt ora leonum.

Vt Samſon, Dauid, Daniel. Hæc occluſio externa ſymbolum eſt ſpiritualis occluſionis, quæ fit per fidem, videlicet, cum ora Diabolorum & Hæreticorum occluduntur ſana doctrina & fidei confeſsione.

Extinxerunt vim ignis.

Vt tres viri illi in fornace Babylonica. Obſeruandum eſt, quod dicat non ignem, ſed ipſam virtutem ignis extinctam fuiſſe, hoc eſt, ita impeditam diuinitus, vt non potuerit lædere corpora eorum qui in ignem coniecti erant. Hoc miraculum non ſolum doctrinam Hebræorum confirmat: Verumetiam teſtatur, quod Deus interdum ſuos tueatur, non per media, ſed contra omnia media. In extremo iudicio quando mundus purgabitur igne, ſimile miraculum in ſanctis apparebit.

Effugerunt acies gladij.

Vt Dauid fugiens Saul, & alij multi omnibus temporibus.

Conualuerunt de infirmitate.

Vt Dauid, Ezechias & multi.

Fortes facti ſunt in bello.

Vt Abraham, Moſes, Ioſua, multi Iudices & Reges.

Caſtra verterunt exterorum.

Id eſt, exercitus exterorum in fugam verterunt: vt Iephthe, Dauid &c.

Mulieres acceperunt ex reſurrectione mortuos ſuos.

Hoc eſt, mulieres piæ fide Prophetarum verbis adhibita receperunt viuos ſuos cariſsimos filios, qui obierant. Vt Zarepthana per Heliam, 3. Reg. 17. Sunamitis per Heliſæum, 4. Reg. 4. Hæc miracula confirmarunt doctrinam horum Prophetarum, & refutarunt falſos doctores qui ſe oppoſuerant Heliæ & Heliſæo.

Alij autem diſtenti ſunt, non accipientes redemtionem, vt meliorem conſequerentur reſurrectionem.

Quanta fecerint per fidem Patriarchæ, Reges, Prophetæ, Duces & quidē priuati homines in veteri Teſtamento, hactenus oſtenſum eſt. nūc additur

additur quanta ſint paſsi etiam alij quam plurimi ob fidei confeſsionem: qua re ſignificatur vera Chriſtiani militis fortitudo, vnde ſit, & quo ſpectet. Diſtenti ſunt, ſcilicet, in tormentis, Græce ἐτυμπανίσθησαν, id eſt, crebris ictibus percuſsi, vt tympanum. Chryſoſtomus dicit ἀποτυμπανισμὸς λέγεται ἀποκεφάλισμος, hoc eſt, obtruncatio capitis: & exiſtimat notari præcipue Iohannem Baptiſtam, qui ab Herode obtruncatus eſt. Cum autem addit, Non accipientes redemtionem, non de ſpirituali redemtione loquitur, cuius reuera erant participes: ſed de corporali redemtione.

Alij vero ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.

Hæc vt præcedentia, non ſolum docent quale ſit fidei robur: Verumetiam monent Eccleſiam perpetuo cruci in hac vita ſubiectam eſſe. Plæriq; omnes ludibrijs impiorum expoſiti fuerunt: vincula & carceres paſſus eſt Ioſeph & multi alij: lapidatus eſt Naboth & Stephanus: Sectus eſt Eſaias: Tentatus eſt Abraham: occiſus eſt gladio Ionathas, & innumerabiles alij, vt videre eſt in hiſtorijs omnium temporum.

Circumiuerunt in Melotis.

Hoc eſt, in pellibus ouinis. Nam μηλωτὴ Græcũ ſignificat pellem cum lana ab oue detractam.

In pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti.

Hæc varia ſanctorum afflictio, vt oſtendit ſanctis aliam vitam propoſitam eſſe, quam hanc ærumnoſam: ita conſtantiam in cruce, ipſorum exemplum nobis commendat.

Quibus dignus non erat mundus.

Prolepſis eſt, qua anticipat obiectionem, videlicet, quod non ſuo ſcelere tantas pœnas meruerint. Obſeruetur hic maximum fidei præconium, videlicet, quod fides tantam dignitatem afferat hominibus, vt mundo ſint ſuperiores, neque hoc mirum eſt, cum hæc ſit dignitas & honor cœleſtis credentium, quod cenſeantur eſſe filij Dei. Nam credentibus hanc dignitatem dedit, vt ſint filij Dei ex Deo nati. Iohan. 1.

In ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & cauernis terræ.

Exaggeratio eſt conſtantiæ ſanctorum in cruce, quæ eo pertinet, vt nos eorũ exempla imitari contendamus.

Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt promiſsionem, Deo de nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.

Argumentum à minori ad maius, Accommodat enim exempla, quæ recenſuit ad noſtra tempora, qui Chriſtum exhibitum certo nouimus: & loquitur potiſsimum de exemplis veteris Teſtamenti, quæ hoc modo ad nos animandos & confirmandos accommodat. Sancti omnes veteris teſtamenti, Reges, Prophetæ, Patriarchæ, & alij cum viri tum mulieres, per fidẽ promiſsionis tanta perpeſsi ſunt, & tanta præſtiterunt, quanto magis nos conſtantes eſſe decet, quibus ipſa promiſsio exhibita eſt & completa. Vocat autẽ hic promiſsionem manifeſtationem & exhibitionem Chriſti in carne. Cum itaq; nobis maius lumen gratiæ fulſit, quam illis, decet profecto, vt in tolerandis malis ſimus cõſtantiores. Obſeruetur hic diſcrimen gratiæ ſub lege, & poſt exhibitũ Chriſtum: illic enim exigua lucis ſcintilla micabat, hic plenus ſol iuſticiæ fulget. Siue igitur noticiam, ſiue fruitionẽ gratiæ & ſalutis reſpicimus, maior ſane nobis in nouo teſtamento, quam patribus in veteri teſtamẽto refulget.

CAPVT XII.

Summa Capitis duodecimi.

Cum patientia pijs neceſſaria ſit, vt ea quæ veram patientiam comitantur ſectanda ſunt, ita cauenda ſunt omnia, cum quibus fides & patientia ſtare non poſſunt, atque ideo ante omnia verbo Chriſti auſcultandum eſt.

Ordo & partes Capitis duodecimi.

Ex congerie exemplorum ſuperioris capitis, vnde colligitur hæc propoſitio, ſeu theſis, videlicet, quod fidei neceſſario coniuncta ſit patientia: infert in huius capitis initio hanc hypotheſin, videlicet, quod Hebræi, exemplo tot ſanctorum, debeant patienter aduerſa tolerare. Atque hæc eſt præſentis capitis prima pars, quæ argumentatione colligitur, & habet iuſtæ confirmationis partes, nempe, propoſitionem, confirmationem, & concluſionem. Huc addit congeriem exhortationum ad varia Chriſtianorum officia, & ſimul dehortatur ab ijs quæ fidei impedimento eſſe videntur. Atque hæc ſecunda capitis pars eſt, quæ ſuis etiam quibuſdam rationibus fulcitur. Ex his delabitur ad principalem huius Epiſtolæ propoſitionem (idque plane Rhetorum more, qui in Epilogis principales propoſitiones fortius inculcant) nimirum, vt Chriſtum de cœlo ſuum verbum ſonantem audiamus: atque hæc eſt tertia capitis pars, cui etiam confirmationem ſubiungit.

EXEGESIS DVODECIMI CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

PROINDE nos quoq; tantam habētes circumpoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatū: per patientiam curramus propoſitum nobis certamen.

Hæc verba, ad ſuperiora quidem relata, ſunt illatio, cuius ſumma eſt: Exemplo ſanctorum præſtanda eſt patientia: ad ſequentia vero ſi referantur, propoſitio eſt primæ partis huius capitis, de patientia præſtanda. verum quia grandi orationis genere hæc ab Apoſtolo proponuntur, nos verba altius expendamus. PRIMVM ergo, Nubem teſtium; pro immenſa multitudine teſtium ponit: alludens haud dubie ad nubes, quarum ductu populus Iſrael de Ægypto in terram promiſſam properauit. Hinc nobis vtilis doctrina commendatur, de vſu exemplorum, videlicet, vt non ſecus ſanctorum fidem & patientiā ſequamur, ingreſſuri in promiſſam requiem, quam populus Iſrael olim nubes ductrices ſit ſecutus, ingreſſurus in terram promiſſam. DEINDE duo patientiæ impedimenta vult tolli, videlicet omne pondus, & circumſtans peccatum. Pondus hoc loco, eſt carnalium rerum amor ſeu concupiſcentia. Vt enim feſtinanti & currenti ſarcina eſſe ſolet impedimento, ita quæ caro amat, nos premunt, quo minus in patientiæ ſtadio curramus. Vnde Chriſtus futuros ſuos diſcipulos, vult abnegare ſemetipſos, vt ſe totos fidei ipſius committant. CIRCVMSTANS peccatum, vocat affectus & occaſiones peccatorum. Neque enim patientia eſſe poteſt, vbi conſcientia vulneratur peccandi conſuetudine. PRÆTERRA cum dicit, Propoſitum eſſe nobis certamen, tria monet: primum quod non ſit otiandum, neq; ignauiæ indulgendum. Deinde, quod ſtrenue oporteat currere in ſtadio huius vitæ, idque per patientiam ex fide. Tum, quod metam & βραβεῖον cogitare oporteat, quo victoriæ & præmij expectatione, labores libentius perferamus. Æquius enim labores vel grauiſsimos feret, qui animum ſpe bona læti exitus fouet, erigit, & obfirmat.

Aſpicientes in ducem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui viæ propoſiti ſibi gaudij ſuſtinuit crucem, confuſione contemta, atque in dextra throni Dei ſedet, &c.

Confirmatio propoſitionis, ab exemplo Chriſti. Chriſtus, qui dux eſt Chriſtianæ militiæ, ſuſtinuit crucem, propoſito ſibi lætiſsimo exitu, quem & nactus eſt. Igitur & vos decet, vt propoſito lætiſsimo euentu, ſitis in ferenda cruce fortes. Nam vt ipſe tandem gloriam adeptus eſt: Ita qui eum ſequuntur ducem, læta tandem fruentur victoria. Argumenti conſequentiam indicat, cum Chriſtum autorem fidei & cōſummatorem proponit. decet enim vt milites ſuum ſequantur ducem: Cum igitur ille præceſsit, confuſione, hoc eſt, ignominia crucis contemta, & animum erexit propoſito gaudio; profecto & nos eum ſequi decet, concepta fiducia de læto exitu. Doctrina hoc loco obſeruetur, quod in cruce quauis aſpicere oporteat Chriſtum, vt cum illo noſtræ crucis liberationem expectemus.

Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, ne fatigemini animis veſtris deficientes.

Propoſitum exemplum Chriſti exaggerat, vt altius infigatur animis Hebræorum. Nullius enim exemplum nos magis mouere debet, quam Chriſti: de quo rectiſsime dicitur, Omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio.

Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum decertantes.

Argumentum ab honeſto & vtili ſimul: Chriſtianos decet, vel vſque ad ſanguinem aduerſus peccatū pugnare: Sed hoc fit per patientiam ſub cruce. Eſt enim crux veluti pugna quædam aduerſus peccatum, Igitur patientia ſub cruce, imo crux ipſa pijs eſt vtilis. Hucillud Dauidis dictum pertinet: Bonum eſt mihi quod humiliaſti me, vt diſcerem iuſtificationes tuas. cum dicit: Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, Significat & Hebræos procul adhuc ſequi ſuum ducem Chriſtum, qui ſanguine prius effuſo potitus eſt gloria, & peccatum armatum eſſe, & perpetuum bellum gerere aduerſus pios.

Et obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quē enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.

Aliud argumentum à voluntate & conſilio Dei ſumtum, adducto in medium dicto Salomonis, ex tertio capite Prouerb. Tractat autem Apoſtolus hoc argumentum ad hunc modū. Primum exordiolo obiurgat paterne Hebræos ipſos, tanquam obliuioſos: vt qui paterni conſilij in Deo ſint obliti. Hoc exordiolum ſequitur propoſitio, videlicet, vt patienter diſciplinam Domini ſuſcipiant. Hanc propoſitionem confirmat, ratione à conſuetudine ſeu conſilio Dei ſumta: Dilectionis Dei teſtimonium non eſt ſpernendum, Caſtigatio eſt dilectionis Dei teſtimoniū. Igitur caſtigatio non eſt ſpernenda. Quare non eſt deſpondendus animus ſub cruce, ſed erigendus potius conſolatione & teſtimonio Dei erga ſuos filios, qui nullum recipit filium quem non flagellat. OBSERVETVR igitur hic vtiliſsima doctrina, de neceſsitate crucis ferendæ, & conſolatione capienda ex conſilio Dei, & paterna ipſius voluntate erga nos. Tanta enim eſt carnis noſtræ petulantia & contumacia, vt ſpiritus imperium prorſus excutiat, niſi crucis iugo ſubinde prematur, ac veluti freno quodam refrenetur, ne in quoduis ſcelerum genus præcipitetur.

Si caſtigationem ſuſtinetis, tanquam filijs vobis ſe offert Deus.

Maxima hæc eſt ſub cruce conſolatio, quod crux ſit teſtimonium paterni animi in Deo erga homines. Sed ſunt duo hominum genera qui affliguntur. Quidam enim tanquam filij à patre caſtigantur, videlicet credentes. Hi enim affliguntur in carne, ne ſpiritus imperium excutiant. Quidam affliguntur vt hoſtes Dei, quorum rurſus ſunt duo genera. Nam quidam ſunt emendabiles: hos flagellat Dominus vt emendentur, & vt ex hoſtibus, filij & amici fiant. Sic emendatus eſt Manaſſes, & Naaman ille Syrus. Hi enim humiliati cruce, reſipuerunt & ſaluati ſunt. Quidam ſunt deploratæ malicię, & plane inemendabiles: horum flagellum præludium eſt æternorum ſuppliciorum. In horum numero fuerunt Cain, Saul, Iudas, Iulianus, &c. Erit proinde tum demum crux glorioſa & ſalutaris, quando filiorum eſt, non hoſtium, quando reſipiſcentium eſt, & non contumacium & inemendabilium.

Quis enim filius eſt, quem non corripit pater?

Argumentum ab exemplo & conſuetudine bonorum parentum. Concluditur autem hoc modo. Vt boni parentes filios ſuos corripiunt, & diſciplina regunt, ne ſegneſcant: ita optimus pater cœleſtis, quos recipit in Chriſto filios, caſtigat, idque plane paterno animo, vt eos in officio contineat.

Quod ſi abſque caſtigatione eſtis, cuius participes ſunt omnes: nempe ſpurij eſtis & non filij.

Per contrapoſitionem argumentū texit, ex ſuperiori dicto: Quis eſt filius quem non corripit pater? Formandum eſt autem argumentum hoc pacto:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cto: Omnis filius corripitur à patre ſuo, Ergo qui nõ corripiũtur à patre Deo, nõ ſunt inter ipſius filios cenſendi, ſed potius ſpurij iudicandi ſunt. HIC locus docet, conſolatur, confutat. Docet enim Eccleſiam eſſe ſubiectam cruci, idque Dei conſilio. Conſolatur cruce preſſos, ex eo quod crux ſit teſtimonium fauoris Dei ergo homines. Confutat rationis argumentum, iudicantis eos, qui Deo cariſsimi ſunt, omnium malorum expertes eſſe debere.

Deinde patres quidem carnis noſtræ caſtigatores habuimus, & reuerebamur eos: nonne multo magis obtemperabimus patri ſpirituum, & viuemus?

Argumentum à minori ad maius. Vos fertis patienter, cum patres veſtri carnales vos caſtigant: multo magis Deum patrem cœleſtem caſtigantem vos, ferre deberetis, cum in cruce veram vitam, gratiam & ſalutem afferat. Recte igitur Auguſtinus ait: Nulla cauſſa probabilior occurrit, cur iuſti homines laborant plerunque in hac vita, niſi, quia hoc eis expedit.

Nam illi ad paucos dies, prout ipſis videbatur, nos caſtigabant: hic autẽ ad commodum noſtrum, ad hoc vt participes ſimus ſanctimoniæ ipſius.

Exaggeratio eſt ſuperioris argumenti, & amplificatio à comparatis ſeu connexis. Ab illo potius caſtigatio ferenda eſt, à quo plura commoda & diuturniora expectantur, quam ab eo à quo pauciora bona & minus diuturna expectari poſſunt. Sed à Deo patre plura & diuturniora bona expectanda ſunt, quam à parentibus carnalibus. Proinde ea caſtigatio potius ferenda eſt, quæ diuinitus contingit, quam quæ à parentibus carnalibus infligitur. Obſeruetur hoc loco vſus crucis, videlicet, quod ſit quędam veluti via ad recipiendam ſanctimoniam Dei, Nam eſt quaſi ignis, quo paulatim expurgatur peccati macula, ac veluti ſcoria.

Omnis autem caſtigatio in præſens quidem non videtur eſſe gaudij, ſed triſticiæ: at poſtea fructum tranquillum iuſticiæ exercitatis per eam reddit.

Argumentum à fine caſtigationis, amplificatum conceſsione, & correctione, à connexis petitis. Caſtigationem grauem eſſe fatetur, dum adhuc ſentitur virgæ aſperitas: At poſtquam petulantiam carnis repreſsit, ſequitur fructus gratiſsimus, nempe, iuſticia, hoc eſt, morum grauitas, & vitæ innocentia. Nam cum pueri caſtigati tempeſtiue ab illicitis abſtinere coguntur, magis magiſque aſſuefiunt honeſtati ac integritati vitæ. Ad eundem modum ſe res habet in Dei familia: Ibi enim carnis petulantia ſpiritus excuteret imperium, niſi virga patrisfamilias Dei petulantia hæc coërceretur. Vt ergo myrrha acris & amara eſt, & tamen ſanat vulnera: Ita crux, etſi carni inſuauis exiſtit, tamen nequaquam exitialis, ſed ſalutaris eſt, modo fide & patientia vera temperetur. DOCTRINA proinde obſeruetur hoc loco, quod crux Eccleſiæ, non æſtimanda ſit ex ſenſu præſentis acerbitatis, ſed ex fructu ſeu exitu, qui eam ſequitur, iuſticiæ, hoc eſt, innocentiæ vitæ & incoatæ obœdientiæ, in qua hominem exercet. Verum vbi homines non emendantur cruce, plane de eorum ſalute deſperandum eſt. Nam perinde ſe res habet in animorum vitijs, atque in corporum morbis. In corporũ morbis ſic ſe res omnino habet, vt autor eſt Hippocrates: Quoſcunque morbos medicamenta non ſanant, ferrum ſanat: quos ferrum non ſanat, ignis ſanat: quos verò ignis non ſanat, hos ſcito immedicabiles eſſe. Ita in Eccleſia Deus arguit peccata verbo. Deinde impœnitentibus circũdat ſigna reatus. Poſtremo aliquibus prębet guſtum iræ ſuæ. His remedijs qui non ſanantur, ſunt prorſus immedicabiles. Quare nos ſerio cogitemus de conſilio Dei caſtigantis nos, & non obduremus corda noſtra ad plagas diuinas, ſed emendemus vitam noſtram, ne Deus opinione citius abijciat nos in furore ſuo.

Quapropter remiſſas manus & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, ne quod claudum eſt aberret, ſed ſanetur potius.

Concluſio eſt præſentis exhortationis ad patientiam, exornata metaphora, ſumta à viatoribus, qui haud raro defatigati, remiſsiores & ſegniores fiunt. Vnde fit ſæpe, vt à recto itinere abducantur, & aberrent. Remiſsio enim manuum, & ſolutio genuum, notatio eſt inertiæ: quæ mentis & cordis ignauiam, & ſocordiam deſignat hominis deſpondentis animum. Quare Apoſtolus noſter vult nos ſtrenue pergere in cœpto itinere, tenentes rectum

curſum,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

curſum,ſeu rectas orbitas,ita vt honeſtæ vitæ veſtigia appareant, quæ nimirum alij ingrediantur. Nam tum demum vacillare mentes & claudicare dicuntur, cum vel in doctrina, vel in moribus à recto itinere deuiant: Huic claudicationi medetur docta patientia. Qui enim recte ſe comparauit ad tolerantiam, recta via pergit, quocunque Dominus vocat, nec ad dexteram nec ad ſiniſtram deflectens. Obſeruetur hoc loco vberrimus patientiæ fructus, videlicet, quod homines ea aſſuefacti, teneantur in recto doctrinæ & vitæ curſu.

Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.

Hæc ſecunda pars capitis eſt, quæ continet parænes es,ad vitam Chriſtianis dignam facietes. Hactenus enim de fide, & patientia: iam autem de eorum effectibus concionatur. Vt enim fide Deo adhæremus:ita proximo mutua dilectione & pace. Hæc,ſi ſincera ſunt,habent ſanctimoniam vitæ coniunctam.

HVC addit grauem comminationem,Sine qua(inquit)nemo videbit Dominum.non enim alijs oculis videtur Deus, quam fidei,quæ habet ſanctimoniam vitæ comitem. Obſeruandum eſt hoc loco grauiſsimum hoc præceptum, ſectandam eſſe pacem, idque cum omnibus, ita vt ſimul ſanctimoniam ſectemur. Quare ſi quis hoſtium Euangelij velit nos prætextu pacis ab Euangelio abducere,nequaquam illi aſſentiendum eſt: quia ſanctimonia,quæ Deum reſpicit, læderetur. PORRO quiſquis cõſtituit apud ſe,hanc pacem ſectari cum omnibus ſalua ſanctimonia, is debet primum ſe ipſum agnoſcere, & perpendere quid habeat,quo alios poſsit offendere, ex quo geminum fructum colliget, Primum enim eo citius condonandum eſſe alijs cogitabit, cum ipſe ſe eiſdem malis obnoxium eſſe animaduertit. Deinde,cum in alijs offenſas videt,ſeipſum protinus intuetur,& communem culpam & infirmitatem deplorat. Præterea ad duo reſpiciet, ad Deum ipſum requirentem hoc officium,& ad imaginem Dei,tanquam notam peculij diuini,impreſſam hominibus. Huius imaginis conſideratio nos ad mutuum amorem & pacem inuitabit.

Proſpicientes, ne quis deſit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans obturbet, & per hanc inquinentur multi.

Argumento ſumto à conſequentibus cõtrariorum ad pacem hortatur. Pax & diſcordia contraria ſunt, Quorum ſunt cõſequentia, pacis quidem, poſſeſsio gratiæ Dei,tranquillitas conſcientiæ,ſanctimonia,& innumeræ aliæ virtutes,Diſcordiæ vero,defectio à gratia Dei,germinatio amaritudinis impediens à recto curſu fidei, inquinatio mẽtis,cordis & vitæ. Hæc mala diſcordiæ cum tanta ſint, merito pax eſt ſectanda, cuius ſane fructus & dulciſsimus & vberrimus eſt. OBSERVETVR ergo doctrina hic,quod liuor,odium & diſcordia ſuffocent ſemen fidei,excutiant gratiam,& excitent radicem malignæ naturę,ad germinandum morti,cum in doctrina,tum in moribus. Obſeruetur quoque hic officium Chriſtiani hominis eſſe, fratres aberrantes ſuo ſtudio in viam reuocare: quod qui non fecerit, nequaquam perfunctus eſt officio Chriſtiani hominis. Deinde cum iubet nos proſpicere,ne quis deficiat à gratia Dei,ſignificat,& fidem & gratiam amitti poſſe: Contra eos qui hodie docent,fidem ſemel conceptam nunquam amitti poſſe,nec Spiritum ſanctum excuti propter vlla ſcelera, quantumuis enormia.

Ne quis fornicator, aut profanus, vt Eſau,qui propter vnam eſcam vendidit primogenita ſua.

Aliquot exempla ponit defectionis à gratia Dei:pendet autem oratio, ex verbo ſupra poſito hoc modo,Proſpicientes ne quis ſit fornicator, aut profanus,vt Eſau. Fornicatorem & religionis contemtorem optimo iure coniungit: quia vterque à Deo deficit:hic mentis,ille mentis & corporis impuritate. Legatur hiſtoria Geneſ.25. OBSERVETVR hoc loco Apoſtoli definitio, qui profanum appellat,& extra familiam Dei collocat eum,qui pluris huius vitæ commoda facit, quam veram religionem. Eſt itaque profanus,definitore Apoſtolo noſtro,quiſquis huius vitæ commoda & voluptates gratiæ Dei & obœdientiæ erga ipſum anteponit,vt Eſau fecit,cum pręedulio vno contemſerit ius primogenituræ ſuæ,cui annexa erat benedictio,& ſacerdotalis dignitas. Eſau imitatores ſunt,de quibus Pſalm.49.loquitur hoc modo:Hoc eſt cor eorum,quod domus eorum ſint perpetuæ, & habitationes eorum à progenie in progeniem, & nomen ſit illuſtre ſuper terram. PROPHANO opponitur pius,ſeu perfectus,qui ſcilicet gratiam Dei & obœdientiam erga ipſum anteponit huius vitæ commodis & voluptatibus,ſeu qui retinet fidem & bonam conſcientiam.

Scitis enim quod & poſtea cum vellet hęreditare benedictionem, reprobatus ſit.

Prophani contemtus Dei iuſtiſſima pœna. Excuſſo Spiritu ſancto, homo prophan⁹ carnali affectu rapitur, quo amiſſam ſua culpa benedictionem, & ius primogenituræ repetit, ſed fruſtra. Nam ius primogenituræ iam in ipſius fratrem translatum erat. Monemur & hoc loco, ne procraſtinemus pœnitentiam, ac ita magis in nos prouocemus iram iuſti iudicis, magiſque abducamur à via.

Non enim pœnitentiæ locum inuenit, quãquam cum lacrymis exquiſiuiſſet illã.

Ratio ab euentu: Eſau non inuenit pœnitentiæ locum, Igitur Eſau eſt reprobatus. Nihil enim profecit ſera ſua pœnitentia, hoc eſt, terrore, quo propter peccatum perculſus eſt. Non enim egit pœnitentiam, vt debuit. Nam eo tempore propoſitum occidendi fratrem habuit. Apoſtolus hoc loco nequaquam præciſe contemtoribus religionis negat veniam, ſed exemplo & periculo monet, vt quiſque ſibi caueat à prophano verbi Dei contemtu. Lacrymas Eſau intellige fuiſſe hominis deſperati, abſque vera in Deum fiducia, ſine qua omnes pauores conſcientiæ, omnes lachrymæ ſunt irritæ & prophanæ. Obſerua quam ſit periculoſa illa mundi de religione negligentia, quę ad poſtremum deſperationem affert. VOCABVLVM μετάνοια, hoc ſolo loco in nouo Teſtamento, pro pauoribus conſcientiæ, ſine fide & conuerſione ad Deum accipitur. Doluit quidem Eſau, ſed non eſt ad Deum conuerſus. Quare duplex dolor obſeruandus eſt. Nam eſt dolor mundi, & dolor ſecundum Deum. 2. Corinth. 7. Dolor mundi eſt, cum homo, vel amiſsis terrenis angitur, vel alieno bono triſtatur, vel vnius pœnæ impendentis metu ſolicitatur. Talis fuit dolor Cain, Eſau, Achitophelis, Saulis, Iudæ, Iuliani. Dolor ſecundũ Deum, eſt cum homo non tam ob pœnam, quam ob culpam dolet: videlicet, quod clementiſsimum patrem Deum offenderit, & habet fidem coniunctam, qua ſtatuit peccatum remiſſum eſſe. Talis fuit dolor peccatricis Lucæ 7. & eſt omnium qui vere in Deum credunt.

Non acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſum ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audiuerũt, petierunt, ne ſibi adderetur verbum. Non enim ferebant quod dicebatur: & ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur, aut iaculo configetur, & ita terribile erat quod videbatur: Moſes dixit, exterritus ſum & tremefactus.

Tertia huius capitis pars eſt, qua etiam ſuperiora confirmantur. Inſtituit autem hic collationem legis & Euangelij, à circumſtantijs petitam. Vt autem hic locus clarius excutiatur, primum ſenſum ſimpliciter videamus. Deinde membra particulatim excutiamus. SENSVS ergo hic eſt: Gloria Dei illuſtrior eſt in Euangelio, quam in lege: & Euangelium eſt amabilior doctrina, quam lex, Ergo decet Euangelium non profane contemnere, ſed pie amplecti, & exoſculari. MEMBRA collationis ſunt duo: quorum prius eſt de lege: Alterum de Euangelio, plures habens circumſtantias. Membrum de lege habet quatuor circumſtantias: locum, ſigna teſtantia præſentiam Dei, vocem Dei loquentis, & trepidationem populi, exhorreſcentis ad vocem Dei. Hæc omnia typus fuerunt perpetui effectus legis in hominibus. PRIMA circumſtantia loci eſt, nempe montis Sinai, quem tangibilem, hoc eſt, terrenum per metalepſin vocat: quo ſignificatur, quod terrores legis pertineant ad terrenos homines, hoc eſt, non fide iuſtificatos. Tantiſper enim legis onus premit hominem, donec manu Chriſti tollatur, quod fit, quando CHRISTVS fide induitur. SECVNDA circumſtantia, varia complectens ſigna, primum, arguit totum humanum genus ob peccatum. Nam terrores & minæ, ad reos pertinent, Deinde, docet legem diuina niti autoritate, Vnde & tertium ſequitur, immotam voluntatis Dei regulam eſſe, hominemque debere vitam ſuam ad iſtam regulam componere. Docet & hæc circumſtantia, de perpetuo vſu legis, qui eſt terrere conſcientias, & turbare propter violatam hanc normam iuſticiæ diuinæ. TERTIA circumſtantia, eſt vox Dei loquentis: quæ non ſolum teſtatur de lege, quod diuina ſit, verumetiam iuſtam Dei iram propter peccatum minatur. QVARTA circumſtantia, eſt trepidatio populi, quæ ſignificat agnitionem peccati, & teſtatur iuſtam iram iudicis. Quamobrem internuncio Moſe vti cupit, cum non ſuſtineat vocem diuinam. Porrò quod dicat Moſen exterritum fuiſſe, vel de populo intelligendum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dum eſt, cuius perſonam ſuſtinuit Moſes, vel de ipſo Moſe (tametſi hæc verba de Moſe non leguntur in Exodo) Vnde monemur, quod vel ſanctiſsimi homines, non poſſunt ſe excuſare coram tribunali Dei, quin iure ſint damnabiles.

Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis; Ieruſalem cœleſtem, & multorum millium angelorum conuẽtum, & Eccleſiam primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & Teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinem aſperſionis meliora loquentem, quam Abel.

Secundum hoc membrum eſt collationis inſtitutæ, continens circumſtantias; quibus Euangelij maieſtas & eminentia ſupra legem extollitur. PRIMVM igitur opponit locum loco, hoc eſt, montem Sion mõti Sinai, Vt enim ex monte Sinai prodibat lex terrens, Ita ex monte Sion (iuxta vaticinium Eſa: Ex Sion exibit lex & verbum Dei de Ieruſalem) prodibat lætũ illud reconciliationis verbum, quod eſt Euangelium. DEINDE Sinai opponit ciuitatem Dei viuentis, quam interpretatur Ieruſalem cœleſtem, hoc eſt, Eccleſiam ſparſam per vniuerſum orbem. Tametſi enim hic in terris hoſpitatur Eccleſia, eius tamen ciuitas eſt cœlum, Vnde Paulus, Noſtrum πολίτευμα eſt in cœlis, vnde expectamus Saluatorem, &c. Hæc circumſtantia monet, ne cum Papiſtis Eccleſiam certo loco circumſcribamus. Omnes enim qui Chriſtum agnoſcunt, & ex fide inuocant, huius ciuitatis cœleſtis ſunt ciues, imo domeſtici Dei, vt Paulus loquitur: qua ſane gloria nulla alia maior eſſe poteſt. Ex quo æſtimare licet, quantum ſacrilegium committant, qui hanc Dei familiam turpiter peccandi conſuetudine commaculant. DEINDE meminit conuentus angelorum, & caſtiſsimorum ſpirituum, qui in hac Dei ciuitate excubias agunt. Vnde monemur, cauendum eſſe, ne hos caſtiſsimos ſpiritus, noſtris libidinibus & turpitudine offendamus. HIS addit Eccleſiam primogenitorum, hoc eſt, ſanctorum Patriarcharum, quos quoniam ante nos à matre Eccleſia in ciuitate illa ſancti nati ſunt, hoc honoris titulo appellat. HIS adiungit ſpiritus, hoc eſt, animas beatorum, quod ſane idem eſt cum eo quod paulò antea præceſsit, niſi quod hic etiam complectatur animas ſanctorum qui poſt exhibitum Chriſtum mortui ſunt. PRÆTEREA iuſti iudicis mentionem facit, idque duplici de cauſſa; Primum enim id facit, vt nos conſoletur in medijs huius vitæ ærumnis qui habemus iudicem, qui tandem cauſſam pauperum & afflictorum iudicaturus eſt. Deinde vt inijciat nobis diligentiæ ſtudium, in formandis moribus, ne iuſtum offendamus iudicem. VERVM ne iudicis mentio nos proſternat, addit mediatorem Ieſum, qui ſuo ſanguine aſpergit noſtras conſcientias, & eas abluit à mortuis operibus, quando vera fiducia in ipſum recumbimus. POSTREMO loco collationem ſanguinis Chriſti, & ſanguinis Abelis opponit, & vtrunque dicit clamare, ſed ſanguinem Chriſti meliora ſonare, Siquidem ſanguis Abel clamans de terra, loquebatur vindictam, Ita enim Dominus ait, Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me, At Chriſti ſanguis de cruce clamans, pacem loquitur & reconciliationem, ſeu, vt Bernhardus ait, clamat in cordibus piorum remiſsionem peccatorum.

Videte ne aſpernemini eũ qui loquitur.

Hæc tertię partis huius capitis propoſitio eſt, quam ſupra in ſecundo capite propoſitam hic repetit: ad cuius declarationem tota diſputatio ſuperior de Chriſto referenda eſt. Hanc amplificat attentionis particula, videte, qua nobis in memoriam ſuperiorem diſputationem reuocat, vt cogitemus; quantus ſit ille quem iubet nos audire. Non aſpernari, eſt amplecti Chriſtum, eique ex fide obœdire.

Si enim illi non effugerunt, qui auerſabantur eum, qui ſuper terram oracula reddebat: multo magis nos, ſi eum qui de cœlis eſt auerſamur.

Ratio propoſitionis gemina, prior à collatione perſonarũ Moſis & Chriſti: Poſterior à pœna, vtraque à minori ad maius progreditur. Moſes fuit audiendus; qui de terra fuit, hoc eſt, qui homo tamen erat, Multo igitur magis Chriſtus audiendus; vt qui de cœlo ſit, verus Deus & verus homo. Aſpernantes Moſis verbum, ſunt puniti: multo igitur magis punientur Euangelij contemtores. Hæc breuis repetitio fuit argumenti; quod prolixius tractatum eſt ſupra, cap. 3.

Cuius vox concuſſit tunc terram, nunc autem denunciauit, dicens: adhuc ſemel ego mouebo, non ſolum terram, ſed etiam cœlum.

Superioris argumenti amplificatio eſt, cuius hic eſt ſenſus, Cum lex dabatur in monte Sinai, Dominus concuſsit terram: ſed Euangelij vox multo magnificentior eſt, quæ non ſolum terram, verumetiam cœlum concutit. Quare multo magis vox Euágelij audienda eſt. Teſtimonium hoc ſumtum eſt ex ſecundo capite Haggai Prophetæ, vaticinantis de Chriſti aduentu & regno: in cuius aduentu commoti ſunt cœlum & terra, propter varia & inaudita eius miracula, quæ cum virtute diuina & cœleſti fierent, ab hominibus terræ exaltabantur. Chryſoſtomus. Obſeruanda Euangelij gloria, quæ nos in eius amorem rapere debet.

Quod autē adhuc ſemel dicit, declarat mobilium tranſlationem, tanquam factorum, vt maneant ea quæ ſunt immobilia.

Ex verbis Prophetæ collationem infert inter creaturas & regnū Chriſti. Creaturæ quidem concutientur & tranſmutabuntur in meliorem ſtatum. Regnum autem Chriſti, quod hic immutabilitatis nomine deſignat, manebit inconcuſſum.

Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam: per quam ſeruimus placentes Deo, cum metu & reuerentia.

Concluſio eſt proximæ exhortationis, cuius hic eſt ſenſus: Quando recipimus verbum Chriſti, recipimur in ipſius æternum regnum, in quo eſt fauor Dei, in quo verus Deo præſtatur cultus, cum metu & reuerentia. Obſeruetur, quod extra regnum Chriſti nullus Deo cultus præſtari poſsit. Nam quicquid non eſt ex fide, quæ in ſola Eccleſia eſt, non poteſt placere Deo, vt cultus. Eſt igitur ingens theſaurus regni Chriſti, quod in eo ſit vera colendi Deum ratio.

Eſt enim Deus noſter ignis conſumens.

Hæc comprobatio concluſionis eſt, ſumta à iuſticia Dei, & officio iuſtiiudicis, videlicet, quod ſit vindex ſcelerum, Id quod imagine pulcerrime expreſsit. Vtenim ignis admotam materiam vrit & conſumit: ita Deus punit eos qui ſuæ voci non obœdiunt.

CAPVT XIII.

Summa Capitis decimitertij.

Pietas operibus bonis exerceatur, fides retineatur: ac vnuſquiſque gloriæ Dei ornandæ, vita, precibus, voto ac omni beneficiorum genere ſtudeat.

Ordo & partes Capitis decimitertij.

Ordo huius capitis plane eſt arbitrarius. Congerit enim Apoſtolus multas propoſitiones parænetica, veluti aphoriſmos quoſdam, quibus vita Chriſtiana continetur. Vt tamen aliquem ordinem huius capitis habeamus, in ſex partes illud diſtribuam. Prima continet multas propoſitiones exhortantes ad varia pietatis officia. Deinde vt pro ſe orent petit. Tertio, votum additur, quo optat Apoſtolus, vt Deus Hebræos in probitate & pietate conſeruet. Quarto, ſubiungitur ſupplex petitio, vt Hebræi hanc exhortationem boni conſulant. Quinto commendat Hebrais Timotheum, qui hanc Epiſtolam ad ipſos pertulit ex Italia. Poſtremo loco Epiſtolam ſalutationibus claudit.

EXEGESIS DECIMITERTII CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

CARITAS fraternitatis maneat.

Hæc propoſitio exhortatoria, iure primum locū tenet. Eſt enim caritas

officio-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

officiorum omnium, quæ nobis inuicem debemus, fons & ſcaturigo. Vtitur autem hic ſignificantibus vocibus. Primo loco Caritatem nominat, quæ eſt affectus cordis, ex fide manans, quo homines amanter complectimur, propter Deum. Hic affectus, quia eſt inuiſibilis, debet proximo voce, manu, atque adeo omni officiorum genere oſtendi. Deinde, Fraternitatem, abſtractum pro concreto ponit, vt cogitatio communis eiuſque arctiſsimæ copulæ, nos cum ad amorem cordis, tum ad operis exhibitionem excitet. Porrò, Fratres ſe mutuo compellarunt Chriſtiani in primitiua Eccleſia, idque quatuor de cauſsis. PRIMA, quia agnouerunt ſe eiuſdem cœleſtis patris filios eſſe in Chriſto: ſicuti & Dominus ipſe ait, excitatus à mortuis: Aſcendo ad Deum meum, & ad Deum veſtrum: ad patrem meum, & ad patrem veſtrum. Idem vult, cum iubet nos orantes dicere: Pater noſter qui es in cœlis. Quomodo autem hæc noua generatio fiat, explicat Ioãnes, cum ait, Dedit eis poteſtatem, vt filij Dei fierent, quotquot credunt in nomen eius. Vt ergo credentes filij Dei ſunt, Ita & fratres inter ſe cenſentur. SECVNDA, quod ſe agnoſcant Chriſtiani eſſe eiuſdem matris Eccleſiæ filios, vt qui in Eccleſia concepti & nati ſint, ex ſemine immortali, quod eſt verbũ Dei. TERTIA, eſt mutuus affectus Chriſtianorum inter ſeſe, & ſumma illa ſtorga, & vera fraterna, qua veri Chriſtiani ſe mutuo complectuntur. QVARTA, vt hac appellatione dulciſsima diſcrimen facerent inter Chriſtianos & alios: quos extraneos & Paganos vocant. Nam vt pij pars ſunt familiæ Dei: Ita impij profani habentur, vt qui in ſacratiſsimum templum Dei intrare prohibeantur. TERTIA vox eſt, Maneat, qua ſignificatur, quod caritas erga fratres non debeat eſſe ad horam, ſed perpetuo durare, ac indies magis magiſque creſcere.

Hoſpitalitatis nolite obliuiſci. Hæc exhortatio ad hoſpitalitatem, tempore quo hæc ſcripſit Apoſtolus, admodum neceſſaria fuit, ſicuti & nunc eſt. Nam vt olim Eccleſiæ mẽbra ſuis ſedibus propter confeſsionem doctrinæ eiecti ſunt: Ita & hodie multi, propter perſecutionem Papiſticam, coguntur proprias ædes relinquere, & miſere exulare. Hæc hoſpitalitas caritatem fraternam monſtrat, cum erga ignotos & pauperes ipſa caritas fraterna ſe benignam præbet. Vnde & Petrus caritati mutuæ hoſpitalitatem adiungit, & Paulus inter attributa Epiſcopi hoſpitalitatem nominat. Vocabulum quo hic vtitur Apoſtolus φιλοξενία, proprie ſignificat affectum, quo amanter & benigne hoſpites complectimur.

Per hanc enim inſcij quidam angelos hoſpitio exceperunt. Ratio exhortationis ad hoſpitalitatem, ſumta à prĕmio. Intelligit autem hoc loco Apoſtolus, Abrahã & Loth, qui præmijs ornati ſunt, adeo quod etiam neſcientes receperint angelos, arbitrantes eos pauperes hoſpites fuiſſe. Vnde Albinius: hoſpitalem domũ angeli ingreſsi ſunt, clauſas hoſpitibus domos ingreſſus eſt ignis. Magnum eſt, angelum recipere, ſed maius, pauperem Chriſtianũ, in quo Chriſtus per fidem habitat, comitatus multis angelorum legionibus. Qui igitur claudit miſero exuli domum ſuam, maxime impius eſt. Chriſtum ac angelos cũ Sodomitis excludit. Verum ſi hæreticam doctrinam fouet peregrinus pernicioſam familiæ tuæ: obtempera Iohanni Apoſtolo, qui in ſua ſecunda Epiſtola in hanc ſententiam ait: Si quis hanc doctrinam non affert, ne receperitis eum in domum, nec aue ei dixeritis.

Mementote vinctorum, tãquam ſimul vincti, & afflictorum, tãquam & ipſi in corpore morantes. Vt eo acrius vrgeat Hebræos, ad officia caritatis præſtanda, monet calamitatem frarum communem cenſendam eſſe. Vt enim alij in corpore morantes, duriora ſunt experti: ita nobis eadem metuenda ſunt. Impij ebrij ſuis voluptátibus, perpetuam fore felicitatem ſuam exiſtimant, nihil cogitantes de Dei iudicio. Contra vero, pius ad vtramque fortunam ſe componit, Benedictionem Dei & felicem ſucceſſum cum gratiarum actione accipit, & crucem cogitat ceruicibus ſuis imminere, donec in hoc mundo ſibi peregrinandum eſt. Vnde illud, quod Ambroſio aſſcribitur, ſemper in animo circumfer: AVT ſumus, aut fuimus, aut poſſumus eſſe, quod hic. HVC & illud Senecæ pertinet: QVEM ſæpe tranſit caſus, aliquando inuenit idem. Hoc quam verum ſit, quotidiana experientia teſtatur, quæ nos merito timoris Dei admonebit, & ſeriæ inuocationis, quæ duo omnibus ærumnis opponi debent.

Honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus. Vt à ſcortatione & adulterio dehortari poſsit efficacius, collationem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

inſtituit inter ordinationem diuinam, & turpitudinem ordinem Dei horribiliter vaſtantem: atque remedium contra impuritatem à Deo donatum proponit. Eſt autem hoc ſingulare preconium coniugij, quod opponendum eſt iudicijs omnium hominum, & diabolorum. Continet autem hoc preconium plurimas admonitiones. PRIMVM enim teſtatur, coniugium eſſe ordinationem Dei, Vnde ſequitur, diuerſiſsimum eſſe à confuſione Diaboli. DEINDE inuitat Apoſtolus omnes ad hoc ſanctum remedium: ne quis ſe polluat contra ordinationem Dei, & ſe ipſe inuoluat laqueis diaboli. TERTIO, Spiritus ſanctus in Apoſtolo præuidens doctrinam dæmoniorum, de prohibitione coniugij, in certis hominum ordinibus: hanc Dei ordinationem omnibus eſſe cõceſſam aperte pronunciat. Ita enim ait: Honorabile eſt cõiugium in omnibus, hoc eſt, inter cuiuſuis ordinis homines. QVARTO, vt anteuertat eorum obiectionem, qui impurum cœlibatum præferunt matrimonio, prætextu fictæ caſtitatis, definit coniugium eſſe thorum immaculatum, id eſt, caſtum. EX hiſce admonitionibus colligamus, officium coniugium eſſe, hac ordinatione Dei cum timore & reuerentia vti, in gloriam Dei, qui ſe autorem coniugij eſſe teſtatur.

Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus.

Vt coniugium extulit, ita iam ordinationis diuinæ confuſionem, videlicet ſcortationem & adulterium reprehendit, propoſita pœna, quam Deus aliquando irrogaturus eſt ſuæ ordinationis violatoribus. Etſi autem omne iudiciũ, quod exercet magiſtratus, iuxta leges non diſſentientes à lege naturæ & decalogo, iudicium diuinum dicitur: tamen hic non ſine graui cauſſa pronunciat, Deum fore iudicem & vltorem violatæ ſuæ ordinationis, etiamſi magiſtratus ciuilis non rite defungatur ſuo officio. Habet igitur hæc ſententia tacitam reprehenſionem magiſtratus ciuilis, qui vagas libidines ſinit impunitas, ac ſi dicat: Etſi magiſtratus conniuet ad iſta ſcelera, & non exercet iudicium Dei ſibi commiſſum: non tamen propterea impuritas iſta erit impunita. Deus enim ipſe, vt ſummus iudex, hanc ſuæ ordinationis contumeliam ſeuere aliquando puniet, in omnibus ijs, qui non vera pœnitentia ad ipſum conuertuntur. QVANTA autem ſit turpitudo ſcortationis & adulterij, Paulus 1. Cor. 6. ſex grauiſsimis argumentis oſtendit. EXEMPLA pœnarum horum flagitiorum, non in ſcriptura tantum ſacra, verumetiam in Athenæo & Ariſtotele plurima recitantur: quorum pleraque Philippus in tractatione de coniugio recitat. HOC ergo dictum Apoſtoli, & cogitatio pœnarum tanquam tuba ſonet in auribus noſtris, qua noſter Imperator Chriſtus nos à caſtris Satanæ auocat.

Sint mores ſine auaritia.

Quia auaritia timorem & fiduciam Dei excutit, monet eam fugiendam eſſe. Auaritia vitium, cum Philoſophis ſanioribus, tum Prophetis & Apoſtolis ſemper infame fuit & execrabile. Philoſophi tres formas auaritiæ faciunt. PRIMA eſt, auaritia in faciendis ſumtibus neceſſarijs, quæ eſt eorum, qui in ſumma rerum affluentia ſordide & immunde viuunt. Quare & Sordities dicitur hæc forma: de hac Horatius in primo ſermonum:

Vuidius quidam (non longa eſt fabula) diues
Vt metiretur numos, ita ſordidus, vt ſe
Non vnquam melius ſeruo veſtiret: ad vſque
Supremum tempus, ne ſe penuria victus
Opprimeret, metuebat: at hunc liberta ſecuri
Diuiſit medium fortiſſima Tyndaridarum.

SECVNDA forma auaritiæ, eſt in dando. Cum autem nihil damus, aut minus quam oportet, hæc forma proprie Tenacitas dicitur. Qualis fuit diuitis purpurati in Euangelio, qui Lazari pro foribus iacentis non reſpexit ærumnas: cuius pœna nos cautiores reddat. TERTIA forma, eſt in accipiendo, & eſt nimium acquirẽdæ pecuniæ ſtudium, Græce φιλαργυρία, de qua hic Paulus potiſsimum loquitur. De hac Saluſtius: Auaritia ſemper infinita & inſatiabilis eſt, quæ nec copia nec inopia minuitur. Idem, Auaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupiuit, ea quaſi veneni malis imbuta corpus animumque virilem effœminat. Non ergo præter cauſſam Syracides ait: Auaritia eſt lignum offendiculi, id eſt, occaſio ruinæ: & Paulus auaritiam idololatriam nominat. Auarus enim, ſuas omnes cogitationes in pecunia acquirenda & obſeruanda ſitas habet, non fretus promiſsionibus diuinis.

Contenti præſentibus.

Quia hæc vita opus habet ſuſtentatione

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tione neceſſaria, modum cupiditati præſcribit, nimirum. vt præſentibus, hoc eſt, honeſte partis ſine diffidentia & iniuria aliorum ſimus contenti, id eſt, nobis ſatis eſſe præſentia putemus, abſtinentes ab alienis. Commendatur nobis hoc loco magnanimitas in recto pecuniæ & facultatum vſu, vt ſiue abundemus, ſiue penuriam patiamur, contenti ſimus. Id quod Paulus ſe didiciſſe ad Philippenſes ſcribit. Huc regula Dauidica pertinet: Spera in Domino, & fac bonum, & inhabita terram, & victum quære honeſte.

Ipſe enim dixit: non deſeram, neque derelinquam.

Cõfirmatio à promiſsionibus Dei, ſeu prouidentia Dei, qui ſuos non deſerit, nec ſinit perire. Sed qua ratione quod dictum eſt vni, nempe Ioſuæ, ſucceſſori Moſis, accommodatur omnibus: præſertim cum illic agatur de peculiari vocatione Ioſuæ, & de fauore, quo Deus ſe pollicetur complexurum ducem ſui populi, videlicet, quod Deus velit aſsiſtere Ioſuæ duci populi ſui, ſicut aſtitit Moſi, qui eduxit populum de terra Ægypti. VT autem hæc accommodatio recte intelligatur, duæ ſunt regulæ in primis obſeruandæ. PRIMA, quia Deus non eſt προσωπολήπτης, ſed æqualis omnibus, iuxta regulam ſuæ iuſticiæ. SECVNDA, Perſonales promiſsiones, etſi in ſpecie ad certos homines pertinent, tamen in genere recte accõmodantur omnibus, ſeruata cõditione, quam promiſsio requirit. Vt ergo Deus in ſpecie promittit Ioſuæ defenſionem in ſua vocatione: ita in genere promittit tibi & mihi, quod non velit nos in noſtra vocatione derelinquere, modo in eius promiſsionibus per fidem acquieſcamus.

Ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor, & non timebo, quid faciat mihi homo?

Ἐπινίκιον, proueniens ex fidei certitudine, quam Paulus πληροφορίαν vocat: ſumtum eſt autem hoc dictum ex Pſal. 18. Quia autem Pſalmus, ex quo depromtum eſt hoc teſtimonium, loquitur de Chriſto, & eius regno, ſatis clarum eſt, quod hæc fiducia de præſentia Domini alentis nos, pertineat tantum ad ciues regni Chriſti, hoc eſt, Eccleſiæ. Alij enim qui ſunt extra hoc regnum, hoc eſt, qui viuunt ſine pœnitentia, nequaquam poſſunt iuſte gloriari, de Dei præſentia & defenſione, ſed magis eorum eſt, metuere ſeuerum & iuſtum iudicem: vt qui innumeris ipſius beneficijs non promoueantur ad gratitudinem & gratiarum actionem.

Memẽtote ducum veſtrorum qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuẽtes exitum conuerſationis imitamini fidem.

Quia non ſolum regulis ſeu præceptis docemur, verumetiam exemplis, in quibus regulæ quaſi pictæ demonſtrantur; atque ideo efficacius monet, quam ſola præcepta: Iubet Apoſtolus, vt Hebræi intueantur fidem, conuerſationem & exitum ſuorum ducum, qui ipſis locuti ſunt ſermonem Dei. DVCES hoc loco non ſolum Apoſtolos intelligit, verumetiam qui alios docendi munere inter Hebræos functi ſunt. Quæ appellatio cum miniſtros Euangelij, tum eorum auditores monet ſui officij. Vt enim piorum paſtorum eſt, gregem ducere, doctrina ſacra, fide ſincera, conuerſatione ſancta, patientia vera, & conſtanti perſeuerantia vſque ad finem. Vnde Lactantius: Quomodo poterit excuſatio amputari; niſi vt qui docet, faciat quæ docet, & ſit quaſi præuius, & manum porrigat ſecuturo. Item, debet perfectus Doctor & docere præcipiendo, & confirmare faciendo. Habere enim non poſſunt quæ doces firmitatem: niſi ea prior feceris, quia natura hominum procliuis in vitia, videri vult non modo cum venia, ſed etiam cum ratione peccare. Item, qui aliter viuit quam docet, doctrinæ ſuæ fidem detrahit: Ita auditorum erit veſtigijs Ducum ſuorum inſiſtere, cum in doctrina tum in moribus. Verum qui exiſtimant ſe perfunctos eſſe ſuo officio, quando verbum publice docuerunt, & non ſtatuunt ſe exemplaria doctrinæ, ſeipſos ſua voce condemnant, ac perinde faciunt, atque architecti arcæ Noê, qui extructa arca per quam Noê cum ſuis ſaluus euaſit, miſere periere in diluuio. PORRO imitatio moralis duplex eſt, vna laudabilis, altera vicioſa. Laudabilis eſt, cum recta ratio verbo Dei illuminata, imitationem ſuadet: vt cum fidem in Abrahamo & obœdientiam nobis imitandam proponimus. Quomodo autem laudatorum hominum exempla imitanda ſunt, monet Apoſtolus, cum inquit: Eſtote imitatores mei, ſicut ego Chriſti. Sunt autem duo in ſanctis præcipue imitanda, videlicet, fides & opera, cum fidem imitamur Abrahę, iuſtificamur: cũ opera imitamur Abrahę, iuſti declaramur. Vicioſa imitatio triplex eſt; videlicet inepta, ſcelerata, & ſuperſtitioſa. Inepta, cũ nõ virtutes hominum, ſed geſtus quoſdã ridicule imitamur. Scelerata imitatio, eſt cum hominũ vitia nobis imitãda ꝓponimus, excuſantes nos aliorũ exẽplis, vt ſi quis ebrietatẽ Noẽ, periuriũ Petri,

adulte-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

adulterium Dauidis imitari velit. Hæc imitatio vt eſt peſsima, ita & vſitatiſsima. Eſt enim publica cõſuetudo, violenta quædam tempeſtas, quia & facile patimur à multitudine nos huc illuc abduci, & quod vſu receptum eſt, quiſque rectum ac licitum eſſe putat, nempe, vt porci alij ex alijs pruriginem contrahunt: nec vlla deterior eſt, vel magis ſontiça contagio, quam ex malis exemplis. Quare recte dictum eſt ab Agapeto, Conſuetudo malorum, nequitiæ pabulum eſt. Superſtitioſa imitatio eſt, cum religionis gratia, ſuperſtitiones Monachorum & Eremitarum, aut etiam aliorum nobis proponimus imitandas.

Ieſus Chriſtus heri & hodie, idem eſt etiam in ſecula.

Ratio retinendæ fidei hæc vnica eſt, Si perſtiterimus in fundaméto, nempe Chriſto, qui ſemper ſibi ſimilis eſt. Quemadmodum enim olim ſuis affuit, ita & hodie, & in perpetuũ, omnibus, qui conuertuntur, aderit. Bernhardus hunc locum ſic explicat: Heſternum quidem ab initio ſeculi vſque ad Dominicam aſcenſionem: Hodiernum vero diem exinde vſque ad ſeculi conſummationem. Æternum intellige, poſt cõmunem omnium reſurrectionem. Chryſoſtomus vero hoc modo: Heri, omne pręteritũ tempus notat, Hodie, & tempus pręſens & futurum, quod eſt infinitum. Cum itaque vnus idemq; ſit Chriſtus ſemper, ſemper quoque fuit, eſt, & erit, eadem Euangelij vox, eadem fides, eademq; ſalutis cõſequendæ ratio. Etſi pro temporum conditione in ceremonijs & ſacramentis facta eſt quædam mutatio. Vt enim ſacramenta vetera Chriſtum venturum ſignificabant, ita ſacraméta noua Chriſtum exhibitum eſſe teſtantur. Obſeruetur hic teſtimoniũ, de Chriſti diuinitate, & perpetua eius prouidentia, qua ſuis proſpicit.

Doctrinis varijs & peregrinis ne circum feramini.

Hæc exhortatio à ſuperiori fluit. Si enim Chriſti doctrinam ſtatuimus fixam, & immotam eſſe, ſequitur alias doctrinas cum Chriſti verbo pugnãtes, deſerendas eſſe. Hæc exhortatio in primis neceſſaria eſt, idq; propter multas cauſſas. PRIMVM enim Satanas, hoſtis humani generis, iuxta parabolam Euangelicam, mittit ſua zizania in agrum Domini, quibus ſuffocare conatur bonum illud ſemen, quod ipſe paterfamilias in agrum iecerat. Hoc quã verum ſit, & quantum damnum afferat mundo, omnium temporum hiſtoriæ docent. Cuius rei nos merito admonere deberet lapſus primorum parentum, & noſtra ipſorum miſeria. Nam hæc mala inde manarunt, quod primi noſtri parentes audiuerunt Diabolum, cuius doctrina euerſi ſunt, & damnati cum ſua poſteritate. DEINDE, quia ratio humana non capit per ſe ea quæ ſunt Dei, ideo facilius ſeducitur peregrina doctrina, idq; potiſsimum ſi videatur congruere ad captum humanum. Hoc modo omnia regna, quæ hodie ſub Turca ſunt, in Mahometicos furores ſunt præcipitata. PRÆTEREA, quia ſunt pauci & contemti, qui veram Euangelij doctrinam profitentur, multi fiunt transfugæ, in caſtra hoſtium ſe recipientes, offenſi ſcandalo paucitatis credentium, & crucis Eccleſiæ. ADHÆC, quia multi non pauca vident certamina quotidie in Eccleſia creſcere, paulatim labuntur in Epicureiſmũ, atque omnem religionem ſalſe derident: quales ſunt hodie plerique Cardinales, & multi politici homines. PROPTER has cauſſas, & alias quas omitto, eſt hæc admonitio Apoſtolica obſeruatione digniſsima. VT autem in doctrina pura maneamus conſtantes, facit acre & diligẽs cœleſtis doctrinæ ſtudium, ſobria cogitatio cauſſarum certitudinis doctrinæ Eccleſiæ, ſeria inuocatio, ſancta vita, &c. nam vbi hæc aſſunt, Spiritus ſanctus corda magis magiſque obſignat. vt enim in pietatis exercitijs facimus incrementa, ita Spiritus ſancti virtute roboramur, vt ſtemus immoti, aduerſus omnes inſultus Diaboli.

Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

Ratio à collatione effectuum contrariorum. Chriſti doctrina gratiam prædicat, qua cor ſpiritualiter ſtabilitur in ſalutis curſu: peregrina doctrina, videlicet, de ciborum mundorum & immundorum diſcrimine, vt ſuperſtitionem alit, ita ignorantiã Chriſti parit, dum homo in elementis externis & ceremonijs hęret, ac in eis cultum Dei ponit. Nam ambulare in cibis, eſt ſuperſtitioſe diſcrimen ciborũ retinere: ac in eo diſcrimine cultum Dei ponere. Sic omnem ceremonialem cultum (nam ſpecie vnam ponit, vniuerſum genus cõprehẽditur per Synecdochen) ſpirituali cultui opponit, & vt illum abrogat vt inutilem, ita hunc requirit vt Deo gratiſsimum, ac hominibus ſalutarem. QVID? an non Deus mandauit ipſe ceremonialem cultum? Mãdauit quidem, ſed illi tempus præſtituit, videlicet, vt adueniente & exhibito Chriſto ceſſaret. Deinde, notandum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

dum eſt diſcrimen inter præcepta Dei, nam alia per ſe ſpectanda ſunt, alia propter aliud. Lex iubet, vt colamus Deum ex fide, ac veneremur. Deinde, vt benefaciamus proximis. Hæc per grata ſunt Deo, & per ſe requiruntur. Lex de diſcrimine ciborum, dierum, ſacrificiorum, & cætera, aliter ſe habent, ſunt enim ceremoniæ exercitia, quæ non requiruntur per ſe, ſed propter aliud, videlicet, vt in ijs populus ſeſe ad pietatem exerceat, confirmet fidem ſuam, magis magiſque ſeſe in puro Dei cultu contineat. verum cum fides non adeſt, & ſpiritus non excitatur ad pietatem, ceremoniarum obſeruationes plane ſunt Deo abominabiles. ATQVE hæc ratio eſt, cur Dominus apud Eſaiam cap. 1. reijciat iſtas ceremonias, quæ tamen ab ipſo inſtitutæ erant. Quorſum (inquit) multitudo ſacrificiorum veſtrorum? dicit Dominus. Item, ne pergatis adducere oblationem vanitatis: incenſum eſt abominatio mihi. ET Pſal. 50. Nunquid comedam carnem taurorum, aut ſanguinem hircorum bibam? Sacrifica Deo laudem, & redde altiſsimo vota tua. ET Micheas cap. 6. Nunquid complacitum eſt Domino in millibus arietum? Quaſi diceret, minime. Et paulo poſt ſubijcit idem Propheta, indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid requirat Dominus à te, vtique facere iudicium, diligere pietatem, & ſolicite ambulare coram Deo tuo. EX his perſpicuum eſt, ceremonias per ſe non eſſe cultum Dei, imo damnari à Deo, quando ſeiunguntur à fide. Nam fides quaſi anima eſt omnium ceremoniarum, ſine qua omnino mortuæ ſunt, & plane Deo abominabiles, tametſi ab ipſo inſtitutæ ſunt. Ex his etiam palam eſt, quam ſint abominabilia ſacrificia Ethnicorum, offerentium humanas hoſtias, exemplo (vt volunt) Patriarchæ Abraham.

Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui deſeruiunt tabernaculo.

Allegorica probatio. Altare Chriſtum, tabernaculum carnem & externa omnia, vt ſunt ceremoniæ Moſaicæ, & humanæ traditiones, ſignificat. Senſus igitur eſt: qui carni ſeruiunt, hoc eſt, qui externis ceremonijs occupantur, non poſſunt eſſe Chriſti participes. Hoc clarius indicat Paulus alibi: Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. HIC locus, vt aperte euertit legale ciborum & dierum diſcrimen, atque adeo omnem ceremonialem cultum: ita manifeſtiſsime eorum taxat errorẽ, qui traditiones humanas cum opinione cultus Eccleſiæ Dei obtrudunt. SI quis autem obijceret, iſta dici ab Apoſtolo, nõ aduerſus traditiones humanas, ſed aduerſus Moſaicos ritus, Chriſti aduentu abolitos, Reſpondeo, Apoſtolum noſtrum ab ipſa Euangelici cultus natura argumentum petere: Quod multo maiorem vim habet, ad euertenda quæcunque homines ſunt commenti, quam ea quæ Deus olim ſuis legibus ſanciuit. Plane enim abſurdum eſſet, ſentire Moſis iugum, ideo nobis ademtum eſſe, vt Papiſtæ nobis multo grauius & iniuſtius imponerent, vt quod Chriſti meritum funditus euertat. Quid enim aliud faciant humanæ ἐθελοθρησκεῖαι, dum Chriſti ſanguini adiunguntur, imo præponuntur. Monet igitur hæc Allegoria, vt nos totos regendos verbo committamus, & non pendeamus ex ceremonijs, aut vllis externis rebus.

Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſanctuarium per ſacerdotem, eorum corpora cremantur extra caſtra.

Confirmatio allegorica, à ritu veteri, qui deſcribitur Leuit. quarto, & ſæpe alias. Senſus autem hic eſt: Sicuti Leuitæ nihil guſtarunt de ſacrificio, quod efferebatur extra caſtra: Ita exhibito Chriſto, qui ei ſeruiunt, abſtinebunt à ceremonijs Moſaicis, quarum vſus fuit in tabernaculo.

Propter quod & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.

Idem ſignificatum eſſe loco, in quo Chriſtus crucifixus eſt, monet. Crucifixus eſt ergo extra portam, vt ſignificetur ceremoniarum abolitio. Nam iſto facto ſignificatur, Chriſti ſacrificium diuerſum eſſe ab ijs, quæ ceremonijs peragebantur. Hoc loco obſeruetur regula de vſu allegoriarum: Quod tum demum allegoriæ pondus habeant, quando facem cœleſtem præeuntem habent. Hoc eſt, quando euidenter res quæ illis ſignificantur alijs ſcripturæ teſtimonijs confirmari poſſunt. Si quando ergo Papiſtæ vrgent allegorias, contra analogiam fidei, eas intrepide reijciamus, vt commẽta Diaboli.

Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes:

Concluſio exhortatoria, cuius ſenſus hic eſt. Relictis varijs & peregrinis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

egrinis doctrinis, relicto delectu ciborum, atque relicto ceremoniarum apparatu & pompa, ſequamur Chriſtum extra caſtra, non reſpicientes ad legales ceremonias, ſed ad crucem ipſius: cuius nos quoque participes eſſe oportet.

Non enim hic habemus manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.

Comprobatio eſt concluſionis à conditione Eccleſiæ noui teſtamenti: Non habemus hic manentem ciuitatem, hoc eſt, Ieruſalem terreſtris ad nos non pertinet: igitur nec iure ipſius nobis vti licet: Quare cum ciuitate excluſi ſumus cum Chriſto, relinquamus ciuitatem cum ſuis ritibus & ceremonijs, & quæramus promiſſam, nempe cœleſtem Ieruſalem, ac iuxta eius leges in vera pietate viuamus.

Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, hoc eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.

Dixit nos ciuitatem inquirere futuram, in qua Chriſtus eſt: nunc hoſtias offerendas docet, non quales Leuiticæ erant, ſed quæ cum ciuitatis ſtatu congruunt. Cum ergo ciuitas ſpiritualis eſt, par eſt vt hoſtiæ etiam ſint ſpirituales. Harum hoſtiarum ſeu ſacrificiorum duo genera facit. Quorum prius ad Deum, immediate, Alterum ad homines, ſed propter Deum refertur. Ad Deum pertinet hoſtia laudis, quæ eſt fructus labiorum, ex fide confitentium nomini Domini. Hoc genere hoſtiarum occupari oportet omnes, quotquot extra caſtra Chriſtum ſequuntur.

Beneficentiæ autem & communicationis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs placetur Deo.

Alterum hoſtiarum genus, quod vocatur beneficētia erga proximum. Huius generis tot ſunt formæ, quot ſunt caritatis officia, ex fide profecta. Rationem præcepti ſubijcit, à proprio ſacrificij, quod eſt Deo placere. Vetus verſio habet, talibus hoſtijs promeretur Deus, ſed perperam, nam εὐαρεστεῖται, qua voce Apoſtolus hic vtitur, eſt bene placere, ſeu gratum eſſe Deo, ita vt Deum veluti exhilaret. Vnde nos monemur beneficentiæ erga proximum, quam tanti facit Dominus, vt ea ſe delectari teſtetur. VERVM ne cum Papiſtis hic hallucinemur, decepti veteri verſione, obſeruandus eſt ordo iuſtificationis, & ſanctificationis. Iuſtificatio gratuita, quam fide obtinemus, ſine qua nihil placet Deo, ordine præcedit: Sanctificatio ſequitur, quæ nos iuſtos eſſe teſtatur. Vnde omnis obœdientia manans placet Deo, non ob dignitatem operis, ſed propter perſonam, quæ iam fide reconciliata eſt. Huc illud Auguſtini pertinet: Bona opera non præcedunt iuſtificandum, ſed iuſtificatum ſequuntur. Falſo igitur Papiſtæ hoc dictum Apoſtoli torquent contra totam ſuperiorem doctrinam, de vnica hoſtia Chriſti, vt ſuam ſtabiliant expiatricem hoſtiam, ex operibus bonis conflatam.

Obœdite ijs qui præſunt vobis & ſubijciamini.

Requirit obœdientiam erga paſtores & gubernatores Eccleſiæ: in qua obœdientia duo ſpectanda ſunt, regula & finis. REGVLA ſit vox Euangelij, contra quam ſi paſtor iubet aliquid fieri, non eſt magis obtemperandum illi, quam Diabolo. Cornelius igitur recte beato Petro dixit: Omnes nos in conſpectu tuo ſumus parati audire omnia, quæcunque tibi præcepta ſunt à Domino. FINIS obœdientiæ duplex propoſitus eſt: prior, vt honeſta & graui diſciplina, politia Eccleſiaſtica gubernetur: Poſterior, vt obtemperantes miniſtris Dei, conſequamur promiſſam immortalitatis gloriam. Cum igitur Papiſtæ multum declamitant, de laudibus obœdientiæ, fateamur obœdientiam recte laudari, modo à regula & finibus proprijs non aberret.

Ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gemētes: hoc enim non expedit vobis.

Ratio propoſitionis triplex. PRIMA ab officio paſtorū ſumitur: quod eſt habere curam ſuorum auditorum, pro quibus aliquando reddituri ſunt rationem. Vnde duo colligenda ſunt, Vnum, grauiſſimum & laboris difficultatiſque pleniſſimum eſſe paſtorum officium, Alterum, quod ſupplicia ipſis immineant, ſi commiſſo ſibi officio nō rite perfuncti fuerint, verum cum officium fecerint, extra culpam ſunt, nec imputabitur illis ſanguis pereuntium.

Huc

Huc pertinet grauiſsima illa commonefactio apud Ezechielem cap. 3. Et tu fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël. Audies ergo ex meo ore ſermonem, & annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie morte morieris: non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem illius de manu tua requiram. Si autem annunciante te ad impium, vt à vijs ſuis conuertatur, non fuerit conuerſus à via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti. SECVNDA ratio ſumitur ab honeſto. Decet enim pios ita agere omnia, ne quid mali aut damni accedat alijs ſua culpa. Miniſtri cum gaudio tum demum officium faciunt, quando auditores eorum indies magis magiſq; in omni cognitione & ſenſu (vt Paulus loquitur) incrementa facere videntur: Contra, gementes id agunt, ſi quando ſe nihil aut parum proficere ſuis laboribus & vigilijs animaduertunt. TERTIA ſumitur à pœna, quam luent aliquando, qui ſe miniſtris Dei non ſubiecerint. Nam cum dicit: Hoc vobis nō expedit, haud obſcure ſignificat pœnas imminere omnibus Euangelij contemtoribus, & contumacibus aduerſus miniſtros Dei.

Orate pro nobis.

Ex eo quod petit Apoſtolus pro ſe preces fieri, diſcamus tum demum bene cedere quod agimus, ſi mutuis precibus iuuemur. Futuri enim euentus cum pendeant ex promiſsionibus Dei, & comminationibus, vere ſtatuendum eſt, euentus reſpōdere promiſsionibus Dei, Is promittit opem inuocantibus, igitur vere ſtatuamus Deum affuturum inuocantibus, iuxta ſuum verbum. Obſeruetur hoc loco, officium debitum auditorū Euangelij, erga miniſtros Eccleſiarum, quod eſt, pro ipſis orare Deum, vt ipſorum labores fortunet. Deinde obſeruetur refutatio Stoici deliramenti de fato, quo omnia ſtatuuntur immutabili neceſsitate fieri. Nam ſi preces piorum efficiunt, vt miniſterium Euangelij melius procedat, certe falſum erit omnia neceſsitate immutabili fieri.

Confidimus enim, quod bonam conſcientiam habemus, in omnibus honeſte volentes conuerſari.

Ratio cur cupiat Apoſtolus pro ſe preces fieri, videlicet quod habeat bonam conſcientiam, ſignificans ijs demum ſalutares eſſe preces Eccleſiæ, quorum conſcientia eſt bona. Etſi autē pro omnibus (iuxta præceptū Pauli) eſt orandum: tamen magnū diſcrimen eſt in effectibus orationis. Impij enim & non agentes pœnitentiam, ſuapte culpa nō redduntur participes orationis Eccleſiæ, quantum ad bona ſpiritualia attinet, priuſquā conuertuntur. Pij autem retinentes fidem & bonam cōſcientiam, participes ſunt omnium bonorum ſpiritualium Eccleſiæ, & multum iuuantur mutuis precib. Hoc loco notetur pulcra definitio bonæ conſcientiæ, nam cum dicit Apoſtolus: Confidimus quod bonam conſcientiā habemus, in omnibus honeſte volentes conuerſari, ſignificat, quod bona conſcientia in conuerſis, ſit deſiderium cordis, quo conuerſi cupiunt honeſte in omnibus conuerſari. Hæc proinde ordine ad bonam conſcientiam, quæ fundata eſt ſuper Chriſto, requiruntur, atque adeo bonam conſcientiam efficiunt. Primum, accuſatio ſui ipſius, in vera pœnitentia. Secundo, petitio & fiducia remiſsionis peccatorum. Tertio, conuerſatio honeſta. Quarto, bonum propoſitum, vt poſsis cum Dauide dicere: Inclinaui cor meum ad facienda ſtatuta tua in æternum. Verum vt maius excitetur in nobis ſtudium conſeruandæ bonæ conſcientiæ, Fructus ipſius dulciſsimos recitabo. Sunt autē hi præcipui. Primus, Obœdientia erga mandata Dei creſcit. Secundus, Fides ſtabilitur. Tertius, Inuocatio accenditut. Quartus, Dona ſpiritualia augentur. Quintus, Voluptas quædam ex mandatorum Dei meditatione naſcitur. Sextus, Triumphus ſpiritus ſuper carne acquiritur. Septimus, Tranquillitas cordis augeſcit. Octauus, Conſolatio in quouis ærumnarum genere percipitur. Nonus, Spes roboratur. Decimus, In mortis articulo victoriæ ſuper morte & inferno fiducia, in Chriſto Ieſu concipitur. Vndecimus & vltimus, Lætus fit ex hac vita in portum beatæ immortalitatis tranſitus. CONTRA vero malæ conſcientiæ hi ſunt fructus peſsimi in ijs qui fidem habuerunt, & iam eam peccatis contra conſcientiam admiſsis extinxerunt. Primus, Mandata Dei vileſcunt. 2. Noticiæ Dei fit iactura. 3. Inuocatio extinguitur. 4. Spes amittitur. 5. Caro triumphat ſuper ſpiritu. 6. Peccatum recuperat amiſſum dominium, per ſuas concupiſcentias. 7. Satanas amiſſa caſtra recipit. 8. ἀπαλγησία quædam & dedolentia creſcit. 9. Mens reproba efficitur. 10. In mortis articulo deſperatio ſequitur. 11. Triſtiſsimum fit vitæ æternæ naufragium. COGITATIO huius collationis bonæ & malæ conſcientiæ, accendat animos noſtros ad acrius ſtudium bonæ cōſcientiæ, qua nullus theſaurus precioſior eſſe poteſt: & contra, nihil triſtius mala conſcientia,

entia. Proinde non temere à Cicerone, etſi profano ſcriptore, dictum eſſe putemus: Magna vis eſt conſcientiæ in vtramq; partem, vt neq; timeant, qui nihil commiſerint: & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint. Non igitur fruſtra vulgo dici ſolet: Conſcientia mille teſtes.

Amplius autem obſecro vos, vt id faciatis, quo celerius reſtituat vobis.

Alia eſt ratio, cur pro ſe preces fieri cupiat Apoſtolus. Eſt autẽ argumentum ſumtum ab vtili & cõmodo Hebræorum. Vtile enim erat Hebræis & commodum, præſentem ſuum doctorem audire. Nam inter viuam docentis vocem, & ſcriptionem, permagnum eſt diſcrimen. Viua enim vox efficacius penetrat per aures in animos auditorum, & tenacius hæret. Vnde Hieronymus: Habet neſcio quid latentis energiæ viua vox, & in aures diſcipuli de autoris ore transfuſa, fortius ſonat. Legatur prologus Hieronymi in vetus teſtamentum.

Deus autem pacis, qui reduxit à mortuis paſtorem illum magnum ouium, per ſanguinem teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, abſolutos vos reddat in omni opere bono, ad faciendum eius voluntatem, efficiens in vobis quod placeat in conſpectu ſuo, per Ieſum Chriſtum, Cui ſit gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Hæc tertia pars capitis eſt, votum continens. Optat enim Hebræis incrementa pietatis, & omnis operis boni abſolutionem. Vt autem hanc pericopã diſtinctius intelligamus, eam in quinque partes retexam, quæ ſunt. Prima, votum ipſum. Secunda, finis voti. Tertia, vnde facultas præſtandi quod optat. Quarta, quomodo illa facultas communicetur homini. Quinta, finis omniũ actionum, adeoq; totius vitæ Chriſtianorum. Prima pars, quæ votum continet, his verbis exponitur. Deus autem pacis, qui reduxit à mortuis, paſtorem illum magnum ouium, per ſanguinem teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, abſolutos vos reddat in omni opere bono. Hic habemus & à quo optet & quid optet. Optat à Deo, fonte omnium bonorum largiſſimo, hunc prædicat à pacis ſtudio, vt qui pacem amet, pacẽ requirat, pacem faciat. Quare & nos inter nos concordes eſſe oportet. Deinde quomodo pacem faciat Deus exponit, videlicet, per mortem filij, qua nos ſibi reconciliauit. Hæc reconciliatio æterna eſt, iuxta rationem fœderis ipſius ſanguine Chriſti ſanciti, & confirmati. Hunc vocat paſtorem illum magnum ouium, vt qui per crucem perditas oues reduxerit, verbo & ſacramẽtis, adeoq; ſuo ſpiritu reductas paſcat, donec plenam liberationem ſeu redemtionem adduxerit. Quid optat? vt Deus abſolutos reddat Hebræos in omni opere bono, ille enim incœpit, ille perficiet in audiẽtibus & obtẽperantibus Euangelio. SECVNDA pars de fine voti, qui eſt Facere Dei voluntatem, & quod illi acceptum eſt. Eſt autem Dei voluntas, vt in Chriſto Ieſu plantati, fructificemus Deo, & opera nobis præcepta facere ſtudeamus, vtq; nihil antiquius habeamus, quam totam vitam noſtrã ad normam voluntatis ipſius componere. Huc igitur reſpiciant pij, & non ad decreta hominum, quæ ſæpe cum Dei voluntate pugnant. TERTIA pars, monſtrat, quæ ſit præſtandi facultas, cum inquit, Efficiens in vobis, quod acceptum eſt in conſpectu ſuo. Non igitur à nobis ipſis idonei ſumus, ſed omnis noſtra idoneitas eſt à Deo. QVARTA pars, docet quomodo illa facultas contingat hominibus, cum inquit: Per Ieſum Chriſtum. Is enim fide inductus adeſt nobis, merito, & efficacia. Merito delet peccatum: Efficacia excitat in nobis motus congruentes ſpiritui ſuo, veſtit nos ſua iuſticia, vt Deo placeamus, efficax in nobis eſt per ſuum ſpiritum, vt quæ grata ſunt ipſi, præſtare valeamus. QVINTA pars, finem omnium actionum Chriſtianorum indicat, cum inquit: Cui ſit gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Huc igitur omnes ſuas actiones referant, qui Chriſto ſerio nomina dederunt, vt Deum glorificent, mente, affectibus, voluntate, voce, & moribus.

Precor autem vos fratres, ſufferte ſermonem exhortationis. Etenim breuibus ſcripſi vobis.

Petit vt boni conſulant hanc exhortatoriam Epiſtolam. Etſi autem maxima eius pars eaq; præcipua didaſcalica eſt: tamẽ exhortationẽ tantum vocat, ne videatur ſibi pl9 illis ſapere. Rationẽ addit à breuitate, quę plęriſq; grata eſſe ſolet.

Noſtis fratrem noſtrum Timotheum

Ex his apparet Timotheum fuiſſe

ſolutum

ſolutum eſſe: cum quo, ſi celerius venerit, viſam vos.

incarceratum, & rurſum è carcere dimiſſum eſſe, quod Hebræis indicare Apoſtolus voluit, vt & ipſi gauderent liberatum eſſe tam inſignem verbi præconem, & vt Deo gratias agerent, pro ipſius liberatione & incolumitate. Paulus ſolet Timotheum filium appellare, ſed hic autor vocat ipſum fratrem, vnde coniectura eſt, aliquem ex diſcipulis Pauli, videlicet, Lucam, vel Clementem autorem fuiſſe huius Epiſtolæ.

Salutate omnes duces veſtros, & omnes ſanctos.

Salutationes ſunt pia vota, quæ animos conciliare ſolent, & confirmare, eorum qui ſe coram compellare non poſſunt. Duplex eſt ſalutatio, aut enim abſentes ſalutamus per literas vel nuncios, aut præſentes, idq; vel geſtu corporis vel voce. Studium ſalutandi præſentes magnum erat Romæ, & inter magnos honores erat ſalutari. Inter præcipua vero officia ſalutare. Vtraq; res erat mire plauſibilis & popularis. Craſſus Romanus infimi ordinis ſingulos homines nominibus ſemper proprijs ſalutaſſe dicitur, & Romani nobiliores habebant nomenclatores apud ſe, vt ciues nominatim ſalutare poſſent. SANCTI dicuntur fideles, eo quod ſeparati ſint à profanitate gentium, per fidem in Chriſtum, & ſanguine Chriſti purgati ſint, & conſecrati Deo, cui ſe ipſos hoſtias offerunt.

Salutant vos Itali.

De Eccleſia Italica intelligendum eſt, vnde hanc Epiſtolam ſcripſit Apoſtolus.

Gratia cum omnibus vobis.

Epiſtolarum Apoſtolicarum clauſula eſt, ſummam Euangelij continens. Nam gratia & cauſſam & effectum ſignificat, videlicet, fauorem Dei per Chriſtum, & bona ex illo fauore donata, quæ ſunt remiſsio peccatorum, imputatio iuſticiæ Chriſti, donatio Spiritus ſancti, diuina præſentia, augmentum donorum, incrementa pietatis.

Amen.

Hæc vox Hebræa propter ſanctiorem autoritatem retinetur in Eccleſia. Eſt autem eius vſus quadruplex, videlicet in precationibus, votis, approbationibus, & aſſeuerationibus. IN precationibus, eſt fidei obſignatio, cum impetrationis fiducia. IN votis, eſt affectus comprecantis teſtimonium. IN approbationibus, eſt conſenſus teſtificatio. IN aſſeuerationibus adhibetur, in confirmationem dicendorum, & ad certificandos auditores, ſeu vt Baſilius loquitur, in confirmationem dicendorum, & in certitudinem eorum qui audiunt.

ORNATISSIMO VIRO, NOBILITATE AC SAPIENTIA PRAESTANTI, FRANCISCO BROCKENHVS, DOMINO DE EGESKOV, AC SENATORI REGNI DANIÆ PRVDENTISSIMO, DOMINO AC PATRONO SVO,

NICOLAVS HEMMINGIVS.

PTOLEMAEVS PHILADELPHVS AEGYPTIORVM Rex hoſpitem conuiuam interrogat, quænam ſit maxima hominis gloria: cui hoſpes reſpondens, Deum, inquit, honorare, idque non tam donis & victimis, quam animi puritate & pio propoſito. Hoc reſponſum non ſolum rex ſapientiſsimus approbat, verumetiam Philoſophi, qui frequentes illi adeſſe ſolebant, magna conſtantia & aſſeueratione prædicant. Omnes enim homines vel natura ipſa magiſtra, intelligunt & Deum eſſe, & ſummam hominis felicitatē in puro Dei cultu eſſe poſitam. Quamobrem ſapientiſsimi Philoſophi omnia ſua ſtudia eo conuerterunt, vt rectū colendi Deum modum ſuis ſectatoribus traderent. Nam vt ſummam hominis gloriam in eo poſuerunt: ita maximam ſapientiam definiuerunt eſſe, rectam colendi Deum ſcientiam. Hoc pulcerrime in oraculo quodam, quod recitatur apud Iuſtinum Martyrem, indicatur:

Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον ἠδ᾽ ἄρ᾽ ἑβραῖοι
αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

Hoc eſt (vt rudius & apertius reddamus)

Chaldæis ſolis ſapientia nota & Hebrais,
Soli namque Deum regem pure venerantur.

Eſt profecto procul omni dubio fatendum, ſummam gloriam, ſummam ſapientiam ac ſummam felicitatem hominis eſſe, Deum pure colere. Quare in hac re nec hoſpes Ptolemæi, nec Philoſophi hallucinati ſunt. Verum poſtquam Philoſophi hanc ſuam ſapientiam ad vſum & praxin transferre volunt, quantæ quæſo ſunt tenebræ? quanta ignorantia? Non ſolum ignoratur, in quare ſit puritas mentis collocata, verumetiam ab ipſo Deo turpiter aberratur ad creaturas & ad creaturarum idola.

Cicero quidem vere pronunciat Deum colendum eſſe, non ſuperſtitione, ſed pietate: ſed quò ruit miſer? pro vero Deo idola colit Romana: antiquiſſimam religionem, quæ ſola Deum autorem habet, barbaram ſuperſtitionem ſacrilege nominat: veram religionem ſplendore imperij, grauitate nominis Romani, maiorum inſtitutis & fortunæ ſucceſsibus metitur. Hæc ſunt enim eius verba: Sua cuique ciuitati religio Lęli eſt: noſtra nobis. Stantibus Hieroſolymis pacatiſque Iudæis, tamen iſtorum religio ſacrorum à ſplendore huius imperij, grauitate nominis noſtri, maiorum inſtitutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens quid de imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis: quam cara Dijs immortalibus eſſet, docuit, quod eſt victa, quod elocata, quod ſeruata.

Socrates apud Xenophontem rectiſsime etiam dicit, Deum eo cultu velle coli, quem ipſe inſtituit, ſed mox ipſe tanquam oblitus ſui, definit cultum

Dei

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Dei eſſe, quem ciuitas recipit & approbat. In quo fœdiſsimo errore multi ſunt hodie, qui putant Regum & Principum placita, normas eſſe religionis.

Philoſophi ſaniores decalogum aliquo modo intellexerunt, & in eius obœdientia cultum diuinum poſitum eſſe tradiderunt: quemadmodum Syracuſanus Philemon, qui floruit tempore Alexandri Magni, teſtatur. Ita enim ait: Si quis hoſtiam offerens, ô Pamphile, taurorum multitudinem, aut ceruorum, aut per Iouem, alia eius generis, aut ſi fecerit ornamenta, vt aureas chlamydes ſiue purpureas, aut ſi fabricauerit ex ebore, ſiue Smaragdo imagunculas, exiſtimat ſe Deum ſibi reddere beneuolum, errat ille omnino & leuem mentem habet. Oportet enim virum bonum eſſe, vt qui virgines non corrumpat, non mœchetur, non furetur, non occidat, non aliena videat & concupiſcat, ſiue vxorem, ſiue domum, ſiue poſſeſsionem, ſiue ſeruum, ſiue ancillam, aut quicquam omnino, & addit μηδὲ βελόνης ἓν ἄμμα ἐπιθυμήσῃς πάμφιλε, hoc eſt, neque vnius acus funiculum concupiueris Pamphile. Et paulò poſt: θεῷ δὲ θύε διὰ τέλους δίκαιος ὤν, hoc eſt, Deo ſacrifica perennem iuſticiam. HABEMVS quouſque aſcendere potuerint ſummi Philoſophi, qui habuerunt aliquam legis noticiam, cui ſatisfieri putabant qualicunque externa obœdientia: etſi haud raro arcano conſcientiæ iudicio damnati, ſuam quodammodo agnouerunt impuritatem & miſeriam. QVID quæſo magnis iſtis Philoſophis defuit? id profectò quod ipſi potiſsimum prædicant, & in quo cultum numinis ſitum eſſe diſputant, hoc eſt, puritas mentis: quæ ſane non eſt externa ſimulationis larua, quemadmodum Philoſophus ille putabat, cui vtinam verecundius reddenti Ariſtoteles obijcit: χεῖρες μὲν ἁγναί, φρὴν δ᾽ ἔχει μιάσματα, hoc eſt, manus quidem puræ ſunt, at mens contaminata eſt: ſed eſt longe alia res quam vt Philoſophi eam ſua perſpicacia & acumine deprehendere potuerint. Nam illi nec originem impuritatis, qua contaminatum eſt totum genus humanum perſpexerunt, nec remedium aduerſus ignotum morbum tenuerunt, neque veræ puritatis ſcaturiginem quæſiuerunt, imo quo magis purgari ſe ſua externa puritatis lacuna arbitrabantur, eo impuriores ſunt effecti, atque omnino illis accidit quod porcis, qui cum cœno ſe abluere volunt, immundiores multo prodeunt, ſiquidem qui inter illos videbantur optimi, hoſtes Dei maximi fuere. Quando enim Deus illorum votis non reſpondit, ſtatim iraſcebantur Deo, tanquam ingrato, qua ſane animi macula nullum cœnum turpius, nullum peſtilentius. Huius rei exemplum videre eſt in Agamemnone Græcorum Rege, qui Ioui hecatombas, quas obtulerat, exprobrat, atque ei ingratitudinem tragica voce obijcit, propterea quod ipſius petitioni non ſatisfecerit. Hecuba dicit, inuoco ignauos Deos. Cæterum Eccleſia Dei ſola magiſterio Prophetarum & Apoſtolorum edocta, nouit & vnde impuritas illa in genus humanum irrepſerit, & quo remedio ablui poſſit, & quæ ſit vera ſcaturigo, vnde aqua puriſſima purgandis mentibus hauritur, qua aqua mens purgatur, vt in ea ſit puritas illa qua Deus ab homine vult coli: qui ſane cultus, vt rectè reſponſum eſt Ptolemæo, ſumma hominis gloria, maximum decus, adeoque felicitas ipſa, ad quam primum genus humanum conditum eſt. Nam vt ſine hac puritate nemo eius felicitatis particeps fieri poteſt, quam Deus colentibus ſe vt coronam certaminis proponit: ita ea parta, tanta ſit hominis gloria, vt filius Dei cenſeatur, cœleſtiumq; bonorum ſcribatur hæres.

Eccleſia nouit hominem aſtu & fraude Satanæ deceptum, fuiſſe contra Deum, & amiſiſſe imaginem Dei, in cuius locum ſucceſsit imago Satanæ fœdiſsima & impuriſsima, quia humanum genus adeo conſpurcatum eſt & deformatum, vt nihil ſit eo impurius, nihil deformius. Nam qui inter homines

ſanctiſſimi videri volunt (loquor autem de non renatis) ſimiles ſunt pomis Indicis, quæ ferunt foris quidẽ pulcerrima eſſe, ſed intus latere venenum mortiferum. Eccleſia nouit contra Satanæ venenum, adeoq; aduerſus totũ imperium eius, promiſſum fuiſſe ſemen mulieris contriturũ aliquando caput ſerpentis, vt ſerpens ille, hoc eſt, Diabolus, non amplius ſuo veneno noceret ijs, qui in fide ſeminis reperirentur. Eccleſia nouit filium virginis Mariæ Ieſum, ſemen illud promiſſum eſſe, qui iuxta promiſſionem protoplaſtis noſtris datam, & ſæpe deinde repetitam, vicit Satanam. Eccleſia nouit ſanguinem huius Ieſu filij Dei & virginis, efficax eſſe antidoton aduerſus ſerpentis venenum, eoque ablui & abſtergi impuritatem, quam ab Adam propagati contraximus. Eccleſia nouit hoc remedium & ſalutare antidoton omnibus per prædicationem Euangelij gratis offerri, & oblatum accipi fide in hunc medicum Ieſum Chriſtum, iuxta illud: Fide purificantur corda. Item: Sanguis Chriſti purgabit conſcientiam noſtram à mortuis operibus, vt colamus Deum viuentem. Eccleſia nouit quod Deus ab ijs ſolis, qui hoc pacto purgati ſunt & emundati ſanguine Chriſti, coli velit, idque non gentili ſuperſtitione, ſed in ſpiritu & veritate, quemadmodum ipſe Dominus teſtatur, cum inquit: Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate, hoc eſt, homines quorum corda ſunt purgata in ſanguine Chriſti per fidem, verum cultum & ſpiritualem Deo præſtabunt. Nam Spiritus ſanctus in eis excitabit pios motus, fidem, dilectionem, timorem, patientiam, precandi ſtudium, gratiarum actionem, & alias virtutes cum lege & voluntate Dei congruentes. Quanquam autem obœdientia noſtra in hac vita nequaquam normæ legis diuinæ reſpondet: tamen placet, quia in filio dilecti ſumus, & quia obœdientia ipſa à purificato corde proficiſcitur. Fatendum quidem eſt plurimas maculas reliquas manere in nobis, donec circumferimus hoc mortale corpus: tamen hæc noſtra firmiſſima conſolatio eſſe debet, quod ſciamus eas lamina aurea in arca fœderis tegi, hoc eſt, per Chriſti expiationem ita purgari, vt amplius nobis non imputentur, modo non ſecundum carnem vixerimus, ſed ſecundum ſpiritum. Cæterum hic duo mala pijs in primis ſunt cauenda: Phariſaicus error, & Epicurea ſecuritas. Hæc duo mala omnibus temporibus plurimum damni Eccleſiæ Dei attulerunt. Sunt enim veluti ſcopuli quidam, ad quos impingentes naufragium circa fidem faciunt. Phariſaicus error partim ex opinione iuſticiæ Philoſophicæ, partim à legis Dei ignoratione oritur. Philoſophorum opinio fuit, quam ſupra attigi, quod iuſticia ſit externa officia mediocriter facere, & aliquam puritatem externam ſimulare. Deinde non intelligebant legem Dei requirere ſpiritualem obœdientiam, ſed tantum in externos ritus intuebantur, in quibus collocarunt iuſticiam, quam iuſticiam opponebant iudicio Dei, & putabant ſe ea iuſtos eſſe coram Deo, vt Phariſæus ille Euangelicus. HOC errore decepti Monachi, ſuis traditionibus partim ſtultis, partim impijs, partim hiſtrionicis, vim iuſtificandi & merendi vitam æternam tribuerunt: quo ſcelere nihil grauius cogitari poteſt. Quid enim quæſo aduerſus Deum magis contumelioſum eſſe potuit? quid magis ſacrilegum? quid magis impium aduerſus ſanguinem Chriſti, in quo ſolo virtus eſt expiandi peccata? quid denique magis ſtultum, quam tribuere meritum ſalutis & vitæ æternæ obœdientiæ erga regulam, quam homo hypocrita ſuis ſectatoribus præſcripſit? HVNC Phariſaicum errorem hodie defendunt Papiſtæ, ac non ſecus quam pro aris & focis pro eo defendendo ſunt ſoliciti, non quod ipſi non videant errorem prophanum eſſe damnatum verbo Dei: verum ne eo ſubuerſo, de fundamento Papiſtici regni actum ſit. Hunc igitur errorem omnes quibus ſalus curæ eſt, fugiant tanquam peſtem, atque eius propugnatores anathemata à Chriſto ſciant eſſe, iuxta hoc Pauli dictum: Qui aliud Euangelium prædicauerit, ana-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rit, anathema ſit, etiamſi fuerit angelus de cœlo. Cum autem Spiritus ſanctus hic pronunciat anathemata eos, qui prædicant aliud Euangelium, non eſt cogitandum leue & vulgare maledictum eſſe. Nam primum ſignificat Deum eieciſſe de Eccleſia corruptores Euangelij. Deinde mandat eos fugiendos eſſe, tanquam diras peſtes, quas Deus execratur. Tum indicat pollui bonos eorum ſocietate & conſuetudine. Præterea minatur graues pœnas ijs, qui cum illis amicitia coniuncti ſunt. De hoc maledicti genere loquitur etiam Pſalmus: Induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſa eius. Nequaquam igitur exiſtimetur parui momenti eſſe hoc maledictum: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema ſit. Fugiant itaque pij, tanquam rem à Deo maledictam, errorem iſtum Phariſaicum, qui fingit hominem coram Deo iuſtificari operibus, ſiue legis, ſiue humanarum traditionum. Nam immota ſtat concluſio Pauli: Si iuſtitia eſt ex lege, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Item: Non iuſtificatur homo ex operibus legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti. Cum igitur hoc Euangelium Pauli eſt, manifeſta anathemata ſunt Phariſæi omnium temporum, qui operibus iuſticiam, qua conſiſtimus coram Dei tribunali, tribuunt. Epicurea ſecuritas naſcitur ex doctrina gratuitæ iuſtificationis praue intellecta. Nam cum homines carnales audiunt gratuitam eſſe iuſtificationem, ſalutemq; contingere non ex operib. ſed ex fide, fiunt remiſſiores, & abijciunt bene operandi ſtudium. Hæc Epicurea ſecuritas non eſt minus pernicioſa, quam error Phariſaicus, quæ locũ non habet in ijs qui vere credunt Euangelio, ſed tantum in mortuis Eccleſiæ membris, hoc eſt, in ijs, qui vel palam flagitioſi ſunt, vel hypocritæ. Hanc ſecuritatem non ſolum vox Euangelij damnat, verumetiam omnes Propheticæ & Apoſtolicæ conciones execrantur, ſimul enim teſtantur nos renaſci, vt ſancti ſimus corpore & animo. Paulus cum Phariſaicum errorem, tum Epicuream ſecuritatem impugnans, in hunc modum ſcribit Epheſijs: Gratia ſaluati eſtis per fidem, non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Dei enim factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus. Hic Paulus docet aperte gratuitam eſſe ſalutem, eamque contingere credentibus ſine operibus. Deinde addit finem regenerationis in Chriſto. Nam dicit, nos creatos in Chriſto Ieſu, vt faciamus opera quæ Deus nobis mandauit, quod cum ſit, non tantum ſumus imputatione puri: verumetiam inchoatione ſancti. Sed quid quæſo hic fit? ſalutem gratuitam eſſe libenter audimus, at cum ad gratitudinem inuitamur, pigri ſumus. Videmus ſcopum, ſed iter intermedium conficere nolumus, atque omnino nobis iuxta prouerbium contingit: σῦκα φίλ' ὀρνίθεσσι, φιτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσι. Hoc eſt, aues ficus amant, ſed plantare recuſant. Aduerſus hanc Epicuream ſecuritatem acerrime cum Prophetæ tum Apoſtoli pugnauerunt, inter quos diuus Iacobus non ſolum vita, verumetiam ſcripto validiſsime eandem oppugnat, ſpolians eam omni gloria, ſtatuenſque nudam coram tribunali Dei. De hiſce rebus clariſsime vir, ac patrone colende, diſſeruimus cum proxime apud te pranderem: errorem Phariſaicum cordate improbaſti, ſecuritatem Epicuream pie damnaſti, & cum quidam ex conuiuis diceret, magis frigere bene operandi ſtudium, poſtquam miniſtri Euangelij operum merita oppugnare cœperunt: ſapienter dixiſti, nulla merita noſtrorum operum eſſe, ſi æſtimentur è ſua dignitate, ſed benefaciendi ſtudium ex eo pendere, quod filij Dei patri obœdientiam debeant, & quod fides non poſsit eſſe ſine naturalibus proprietatibus. Hac occaſione incidimus in mentionem Epiſtolæ Iacobi, quam cum dicerem me ante paucos annos in hac ſchola enarraſſe, petijſti vt meam commentationẽ pluribus communicarem, quod & me facturum promiſi. Nunc itaque votis tuis ſatisfacturus, in publicũ edo commentariolum

in ſanctiſsimam Iacobi Epiſtolam, quem vt æqui bonique conſulas, etiam atque etiam oro. Spero quod gratior hic noſter labor ſit futurus multis, quod ſub tuo nomine in lucem prodeat. In quinto capite vbi Iacobus diuites obiurgat, quæſtiones de diuitijs, contractibus, vſura & bonis Eccleſiaſticis prolixius quam inſtitueram tracto, idque hac occaſione: Clariſsimus vir D. Iohannes Frijs, Cancellarius Regis, & Academiæ noſtræ conſeruator primarius, petijt à me vt commonefactionem de vſura ſcriberem, idque in hunc finem, vt vera vſura & damnata verbo Dei diſcerni poſsit ab alijs contractibus, qui prætextu vſuræ à nonnullis iniuſte damnantur. HANC commonefactionem, ſicut me & omnia mea, iudicio piorum & doctorum ſubijcio. Spero autem me ita temperare omnia, vt nec à verbo Dei diſcedam, nec vim faciam legibus politicis, ſine quibus humana ſocietas conſeruari nequit. Bene vale cum vxore caſtiſsima & liberis. Hafniæ 21. Martij, anno Domini M. D. LXIII.

ARGV-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM IACOBI
APOSTOLI.

QVATVOR IN INITIO ENARRATIONIS CVIVSQVE SACRI SCRIpti diligenter ſpectanda & examinanda iudico, videlicet, quis ſcripti ſit autor: Quæ ſcribendi occaſio: Quis ſcripti ſtatus: & quæ ſit tractationis via ſeu methodus, hoc eſt, ordo. Hæc enim quatuor dextre ac recte explicata, in cuiuslibet ſacri ſcripti aditum tanquam luce quadam prætenſa lectorem introducunt. De his ergo ordine dicam, quo explicatius teneatur huius Epiſtolæ argumentum.

AVTOR huius Epiſtolæ fuit Iacobus Apoſtolus, qui dicitur frater Domini. Hic vna cum reliquis Apoſtolis non ſolum triennium voce Domini & ſpiritu eſt inſtitutus, verumetiam poſt reſurrectionem Chriſti accepit cum alijs Apoſtolis Spiritum ſanctum & mandatum prædicandi Euangelium omnibus gentibus, & die Pentecoſtes viſibili ſacramento iterum inauguratus eſt Apoſtolatui. Hinc patet quid de hac Epiſtola ſit iudicandum: nimirum quod illi non minus ſit credendum, quam voci Dei. Eſt enim eius autor Apoſtolus Ieſu Chriſti, qui ad extremum ſanguine ſuo Euangelium Chriſti obſignauit. Nam cum Chriſtum doceret victorem eſſe mortis, & ſedere ad dextram Dei in cœlis, à Iudæis lapidibus petitus eſt, ac tandem genibus innixus & precatus pro perſecutoribus ſuis, fullonis fuſte eſt interemtus, idque Paulo ante oppugnationem Veſpaſiani. Siue ergo huius viri Dei miniſterium, ſiue vitam, ſiue confeſsionem, ſiue exitum ſpectes, teſtimonium de infallibili veritate doctrinæ ipſius habes.

OCCASIO ſcribendi Iacobo duplex videtur fuiſſe, vna perſecutio Eccleſiæ, altera hypocriſis in multis. Quanta fuerit Eccleſiæ perſecutio tempore Iacobi, hiſtoria Eccleſiaſtica prolixe docet. Nam non ſolum Iudæi diſperſionis per orbem malo affligebantur, verumetiam varijs tentationibus hæreticorum & Diabolorum fere obruebantur. Vt enim intus à falſis fratribus moleſtabantur, ita foris à Tyrannis ad defectionem ſolicitabantur, nunc minis, nunc pollicitationibus. Hypocriſis etiam non parum offendebat, multi enim Chriſtum profitebantur, quem agnoſcentes ſaluatorem, eius quidem beneficia deprædicabant, ſed ſine viua fide & pœnitentia viuebant. His procellis tum iactabatur Eccleſia, his malis affligebatur ſponſa Chriſti, quod cum videret Iacobus, ſumſit inde ſcribendi occaſionem, vt iſtis malis aliquo modo mederetur.

Ex occaſione, ſcopus Iacobi in hac Epiſtola & conſilium facile intelligi poteſt. Eo enim tota eius oratio pertinet, vt non ſolum Chriſtianos, ſeu vere pios aduerſus crucis ſcandalum muniat, quos hortatur ad patientiam, ne tentationibus fracti confeſsionem abijciant, ſed potius finem & euentum crucis intueantur: verumetiam vt hypocritas à ſuo errore reuocet, quos vt docet quam vana ſit gloriatio de fide, ſine viua fiducia & germanis fidei fructibus, ita hortatur ad mores Chriſtiana profeſsione dignos, & dehortatur à contrarijs vitijs, niſi malint ſuæ contumaciæ iuſtas pœnas luere. Via tractationis ſeu methodus eſt liberior, vt in exhortationibus & obiurgationib. eſſe ſolet. Hanc viam in explicatione ſingulorum capitum diligenter indicabo.

CÆTERVM quam neceſſaria ſit hodie hæc Epiſtola in Eccleſijs noſtris, facile intelliget is, qui plæroſque qui Chriſtiani dici volunt, de fide inani & mortua gloriari animaduertit: quam ſtulticiam noſter Apoſtolus retegit & iuſtiſsime damnat. Deinde qui quotidie intuetur, quam varijs ſcelerib. (magis magiſque diſciplina collabente) Chriſtianus populus polluatur: procul dubio fatebitur, opus eſſe aliquo Iacobo, qui iſta graſſantia ſcelera liberiore lingua taxet & damnet. Præter hæc omnia, ipſe Epiſtolæ autor ſpeculum pietatis dici meretur: ſiue enim officium ſpectes, ſiue vitam contempleris, ſiue in confeſſione conſtantiam cogites, ſiue vitæ exitum perpendas, habes quod & admireris maxime, & quod imitari cupias, modo Chriſtianus vere cenſeri velis. Hæc de argumento & Epiſtolæ vtilitate & vſu ſint dicta. Iam cur Catholica dicatur, dicendum reſtat. Epiſtolæ Apoſtolorum Petri duæ, Iohannis prima, Iudæ vna, & hæc Iacobi Catholicæ dicuntur, propterea quod non certis ciuitatibus aut perſonis, (vt Pauli omnes, Iohannis ſecunda & tertia) ſint deſtinatæ & ſcriptæ, ſed omnibus promiſcue pijs, varijs in locis per orbem diſperſis datæ ſunt. Catholicum enim hoc loco priuato opponitur. Quidam has Epiſto-

las Ca-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

las Canonicas ad differentiam Epiſtolarum Pauli vocant manifeſto errore. Nam non minus Epiſtolæ Pauli ſunt canonicæ quam Iacobi, aut Petri, aut Iohannis. Quicquid enim legimus in Apoſtolorum Epiſtolis, tanquam canonem veritatis amplecti decet.

CAPVT I.

Summa Capitis Primi.

Ne Chriſtiani ſub tentationum mole ſuccumbant, hortatur, idque propoſito præmio ſuperatæ tentationis. Et ne quis Deo imputet tentationis originem, docet & vnde proueniat tentatio, & quod à Deo, qui nos ſuo verbo regenuit, ſint omnia bona.

Ordo & partes Capitis Primi.

Prima pars capitis huius eſt Epigrapha. Secunda, propoſitio ſuaſoria, ne videlicet Chriſtiani tentationibus frangantur. Tertia, quia fieri poteſt interdum, vt aliquis errore ſeductus ſuccumbat tentationi, monet petendam eſſe ſapientiam à Deo ex fide, ſine hæſitatione. Quarta, ne qui fracti paupertate & contemtu, tentationib. ſuccumbant, hortatur tum diuites, tum pauperes ad veram humilitatem. Quinta, tentationis ſuperatæ præmium proponitur, & monſtratur eius origo, vt magis ipſius inſidiæ caueantur. Sexta, admonitio eſt à contrarijs, quod Deus non ſit autor tentationis, ſed omnis boni potius, propoſito regenerationis beneficio, quod tanquam bonitatis Dei teſtimonio confirmat. Atque ita vnus ſcopus eſt huius capitis, ne videlicet ſinamus nos tentationum mole obrui. Huic ſcopo reliqua deſeruiunt.

EXEGESIS CAPITIS PRIMI, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

IACOBVS Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus duodecim tribubus diſperſis: Salutem.

Hæc Epigrapha tria continet. Primum enim authoris huius Epiſtolæ nomen, cum eiuſdem deſcriptione & officio habet. Deinde eorum mentionem facit, quibus ſcribit Apoſtolus. Poſtremo imprecationem ſalutis addit. AVTOR Epiſtolæ eſt Iacobus, qui profeſsione quidem ſeruus Dei eſt, officio vero ſeruus Ieſu Chriſti, hoc eſt, Apoſtolus. Hic ſcripſit duodecim tribubus Iſrael late quidē, vt & Petrus meminit, per orbem diſperſis. Fit autem in hiſtorijs mentio multiplicis diſperſionis Iudæorum. Primum enim decem tribus per regnum Babylonicum ſunt diſperſæ. Deinde duæ reliquæ in captiuitatem Babylonicam abductæ ſunt, nec redijt ſoluta captiuitate, niſi minima pars tribus Iuda & Beniamin. His ergo Iudæis ita ſparſim habitantibus & conuerſis ad fidem, Chriſti ſcribit Iacobus, ac ijs in initio precatur ſalutem, vel vt græce loquitur χαίρειν, id eſt, gaudere eos iubet, ſignificans tutiſsimam ad verum gaudiū viam, eſſe fidem in Chriſtum. Diſperſio Iudæorum ſignificat longe maximum diſcrimen eſſe inter regnum Chriſti & regna mundi. Regnum Chriſti non clauditur certis terminis in hoc mundo, ſed in conſcientia bona, iuſticia & gaudio ſpiritus, vt Paulus ait, ſitum eſt. In hoc regno ſunt omnes, quotquot in Chriſtum vere credunt, ſiue prope, ſiue procul ſunt. Deinde monet hæc diſperſio, quod Eccleſia Chriſti in hoc mundo, non ſit alligata (vt Papa putat) certo loco & ſucceſſioni, ſed verbo potius Dei, ſacramentis, & obœdientiæ erga Euangelium.

Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.

Propoſitio primæ exhortationis, ne videlicet Iudæi credentes, tentationibus ſuccumbant. Hæc exhortatio merito primum locū occupat apud eos, qui expulſi ſedibus, varijs vicinorum obruebantur iniurijs. Quod autem non ſimpliciter dicat: Nolite frangi tentationibus, vel tale aliquid, ſed exiſtimate Omne, id eſt, plenum gaudiū eſſe, cum in varias tentationes incideritis: diſcernit inter effectus tentationis piorum & impiorū. Vt enim euentus tentationis impiorum eſt triſtitia & deſperatio: ita tentationis piorum euentus eſt gaudiū & victoria tentationis.

Cum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Cum varias dicit,ſignificat non vno genere tentationum explorari credentes,ſed multis & varijs.Quare excubias agere Chriſtianos decet, ne circumuenti tentationum varietate,in manus incidant aduerſarij.

Scientes quod probatio fidei veſtræ, patientiam operatur.

Ratio propoſitionis eſt, ab effectibus tentationum piorum. Primum enim tentatio eſt veluti Lydius lapis, ad quem fides Chriſtianorum exploratur. Exemplum habemus in Abraham. Quorum enim fides vera non eſt,in tempore tentationis diſcedunt,iuxta parabolam Euangelicam, Matth. 15. Contra, quorum fides firmior eſt, redduntur confirmatiores per tentationes. Spiritu enim Dei ſuſtentantur. Porrò fides probatior facta, patientiam operatur, hoc eſt, efficit vt æquo animo crucem feramus, propter ſpem liberationis. Vnde Paulus,probatio ſpem operatur,ſpes autem non pudefacit,id eſt, non fruſtratur nos, vt aliquando pudefiamus in conſpectu filij Dei.

Patientia vero opus perfectum habeat.

Hæc hortatio eſt, ad perſeuerātiam in tolerando. Vult enim Apoſtolus,vt pius perduret conſtans in patientia, vſq; ad finem.Beatus enim qui perſeuerauerit vſq; ad finem. Perfectionis enim vocabulum hoc loco conſtantiam & perſeuerantiam in patientia declarat. Veræ ergo patientiæ effectus eſt perſeuerantia conſtans.

Vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.

Finis & effectus crucis piorum ſignatur, qui eſt noſtri conſummatio in Chriſto. Toto enim vitæ tempore ad hanc conſummatam perfectionem tendere oportet,quę cruce,veluti inſtrumento Dei, quotidie perpolitur,donec omnib. ſuis gradibus abſoluatur. Hic locus monet,vt nonnulla de perfectione Chriſtiana dicamus,quā Iacobus hic definire videtur integritatem. QVONIAM autem Monachi inſulſe nugantur de perfectione Chriſtiana, neceſſarium eſt pios recte inſtitui,vt intelligant quid de ea pie ſentiendum ſit. Sciendum eſt itaque, duplicem perfectionem nobis in diuinis literis commendari, quarum vna abſoluta eſt, & eſt imputatio perfectæ iuſticiæ & obœdientiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vt enim Chriſtus obœdientia crucis culpam expiat: ſic obœdientia legis iuſticiam imputat,ita vt omnis qui credit, perfect⁹ & iuſtus perfectione & Chriſti iuſticia, appareat in cōſpectu Dei. Hac perfectione freti,expectam⁹ immortalitatis gloriam. Altera perfectio in renatis eſt, quam omnib. pijs cōmendat verbum Dei. Ambula, inquit Dominus ad patrem noſtrum Abrahamum, coram me,& eſto perfectus. Chriſtus: Eſtote perfecti,quia pater veſter perfectus. De præcepto,inquies,non eſt dubium,ſed in quo ſita ſit illa perfectio quæritur. Sciendum eſt quod Paulus Philip. 3. vocabulo perfectionis dupliciter vtatur.Ita enim ait:Non quod apprehēderim,aut iam perfectus ſim,ſed ſector ſi etiam apprehendam,quatenus apprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres ego meipſum nondum arbitror aſſecutum eſſe, vnum autem illud ago,ea quidem quę à tergo ſunt obliuiſcens,ad ea vero quę à fronte ſunt enitens,iuxta pręfixum ſignum inſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei per Chriſtum Ieſum. Quotquot igitur perfecti ſumus, hoc ſentiamus. In his Pauli verbis apertiſsima eſt contradictio, niſi recipiamus plures eſſe perfectionis modos quam vnicum. Primùm dicit ſe non perfectum eſſe. Deinde ſe inter perfectos numerat. Eſt itaq; duplex huius vocabuli vſus. Alias enim perfectus dicitur ſubſtantia, vt puerum dicimus perfectū hominem, hoc eſt, ſubſtantia. Alias perfectus dicitur quantitate ſeu gradibus,vt cū dicimus: nemo habet perfectam obœdientiam iuxta legem Dei. Priori ergo perfectionis modo perfectus fuit Abraham, Dauid,Paulus,Latro in cruce,&c. Poſteriori autem,nullus in hac vita perfectus inuentus eſt, præter vnum Ieſum Chriſtum, ſed eam perfectionem conſequemur in æterna vita, vbi conformes Chriſto erimus. QVOD autem ſit perfectio aliqua ratione ſtatus gratiæ in hac vita, partim deſcriptionibus, partim exemplis doceri poteſt. Ex verbis Pauli quæ aſcripſimus,hæc definitio colligi poteſt. Quod perfectio Chriſtiana ſit, valedicere peccatis, fide in Chriſtum recumbere, & eniti iuxta præfixū ſignum,ad palm ā ſupernæ vocationis Dei,per Ieſum Chriſtū.Seu vt Paulus ad Timotheū definit: Chriſtiana perfectio eſt militare honeſtam militiam,& retinere fidē & bonam cōſcientiam.Quiſquis igitur valedicit peccato, renunciat prauis deſiderijs, fiducia mediatoris ſe ſuſtentat, ac Deo omnē vitā approbare conatur, vt non vaſtetur conſcientia; vſu ſcripturæ perfectus dicitur, idque ſubſtantia, non gradibus. Solus enim Chriſtus perfectus & ſubſtantia & gradibus fuit. Hoc ante clarius in exem-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

exemplis conſpicere licebit. ABRAHAMO Geneſ. 17. dictum eſt: Ambula coram me, & eſto perfectus. Huic præcepto quomodo obœdiuerit Abraham, quomodoq; ambulauerit coram Deo & fuerit perfectus, Gen. 22. aperte declaratur præcepto Dei & obœdientia Abraham. Vt autem hoc intelligatur melius, aſcribamus Moſis verba. Ecce egò (ait Dominus ad Abrahamum) cape nunc filium tuum, vnicum illum tuum, quem diligis Iſaac, & vade ad terrã Moriah, & offer eum illic in holocauſtum ſuper vnum è montibus, quem dixero tibi. Habes præceptum. ſequitur obœdientia. Surrexit itaq; Abraham ſummo mane & ſtrauit aſinum ſuum, accepitq; duos pueros ſuos ſecum, & Iſaac filium ſuum: cumq; concidiſſet ligna holocauſti, ſurrexit & perrexit ad locum quem dixit illi Deus. Et paulò poſt. Accepit itaq; Abraham ligna holocauſti & poſuit illa ſuper Iſaac filium ſuum. Et poſtea ſequitur. Et ligauit filium ſuum, & ipſum impoſuit in altari ſuper ligna, miſitq; Abrahã manum ſuam & accepit gladium, vt iugularet filium ſuum. In hoc Abrahami exemplo luculenter apparet, quid ſit perfectio, quã Dominus à ſuis ſeruis requirit in hac vita. Deus mandat vt Abraham iam antè fide iuſtificatus, mactet filium ſuum. Abraham nihil habuit hoc filio carius, nihil dulcius. Fuit enim vnicum vitæ ſolatiũ ſeni Abrahamo & ſanctiſsimę matronæ Saræ. Quid hic facit Abraham? duo intuetur. Deum mandantem, & filium quo nihil carius ipſi in vita fuit. Sed mandatũ Dei præfert vitæ filij. Hinc ergo concluditur, quod perfectio ſanctorum in hac vita ſit, ex fide ita obœdire Deo, vt obœdientiá erga Deum omnibus rebus mundi præferant. Qui ita ſunt affecti, iure perfecti habentur. Verum illi qui ne affectum quidem vnicum ad mandatum Dei volunt iugulare, quomodo de hac perfectione gloriari poſſunt? Aliud exemplũ proponamus ex nouo Teſtamento. Chriſtus Matth. 19. Iuueni, à quo interrogatus erat de vita æterna conſequenda, dicit: Si vis perfectus eſſe, vade, vende tuas poſſeſsiones, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & huc me ſequere. Chriſtus ſciuit hunc diuitem iuuenem nimium fuiſſe addictum diuitijs, nec poſſe facile animum ab ijs auertere. Vt ergo iuuenis intelligat, quantum abſit à vera perfectione obœdientiæ erga legem, Dominus iubet vt renunciet diuitijs & ſe ſequatur. DVAS hic partes facere videtur Dominus perfectionis, ſcilicet renunciare diuitijs, & ſequi Chriſtum. Verum ſciendum eſt, quod vt perſonale præceptum fuit, quo Abraham iuſſus eſt mactare filium: ita perſonale eſt, quod hic datur iuueni. Quare neutrum in ſpecie transferendum eſt ad definitionem generalem perfectionis, ſed in genere tantum. Alioqui nec Nohe, nec Dauid, nec Paulus fuiſſet perfectus. Quare exempla hæc ad generalem definitionem accommodabimus hoc modo. Vt Abraham, quia ex fide prætulit obœdientiam erga Deum vitæ cariſsimi & vnici filij, perfectus dicitur: & ſi iuuenis ſecutus Chriſtum prætuliſſet paupertatem & liberalitatem erga pauperes ſuis diuitijs, fuiſſet perfectus Chriſti ſententia: ita omnis qui ex vera fide præfert obœdientiam erga Deum omnibus rebus mundi, perfectus in ſcriptura dicitur. Et contra. Qui res mundi, ſuos affectus, honorem, gloriam, voluptates, technas varias, anteponunt obœdientiæ erga Deum, imperfecti ſunt, imo de Chriſtiano nomine fruſtra gloriantur. HÆC congruunt cum ijs quæ ſupra adduximus ex Paulo, ex quibus ſimul concluditur hæc perfectionis Chriſtianæ definitio.

PERFECTIO Chriſtiana eſt agnita imperfectione ex fide Chriſti obœdientiam erga Deum præferre omnibus rebus mundi, atq; Deo totam vitam approbare. HVIVS perfectionis Chriſtus duas partes facit, ſcilicet, ſe ſequi, quod fit per veram conuerſionem: & obœdientiam erga ſe, rebus vel nobis cariſsimis præponere. ATQVE hactenus de perfectione Chriſtiana quoad ſubſtantiam attinet. Gradibus autem tum demum perfecti erimus, vbi apparuerit filius Dei, cui ſimiles erimus: quia videbimus eum ſicuti eſt, & omnis qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſe ſicuti ille purus eſt.

Porrò ſi quis veſtrum deſtituitur ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, nec exprobrat, & dabitur ei.

Ne quis ignorantiam prætexat, quo minus perſiſtat in tentatione, iubet Apoſtolus vt qui ſapientiam non habet, eam à Deo poſtulet: idq; in hunc finem, vt intelligat non ſolum, quomodo ſe gerat in tentationibus, ne tentationum mole preſſus ſuccumbat, verumetiam vt ſciat quo conſilio & quo fine Deus ſinat ſuos cruce examinari, ne eius fructu priuentur. Deus, inquit, dat ſimpliciter, id eſt, benigne. Deus enim non quærit vllum πλεονέκτημα, ſed tantum bonitate & benignitate mera liberalis eſt, & nõ more hominũ exprobrat cuiquam benigne collata beneficia, modo gratus eſſe perrexerit. Si quæris, quænam ſit illa ſapientia, qua erudimur ad ferendas æquo animo tentationes: Reſpõdeo, eam ſitam eſſe in cognitione & ſenſu. Cognitio eſt, intelligere ex verbo Dei ſpectandum eſſe in quauis tentatione & cruce, cum iudicium, tum miſericordiá Dei. Iudicium

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cium quidem eſt, vt intelligamus nos propter peccata noſtra tẽtari, ac varijs ærumnis premi. Propter peccata, inquit, corripis filios hominum. Miſericordia vero eſt, vt intelligamus, conſilium Dei eſſe, vt tentationibus & cruce vexemur, vt agamus peccatorum pœnitentiam & non cum impio mundo pereamus. Ita enim loquitur Apoſtolus, 1. Cor. 11. Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. SENSVS ſapientiæ eſt, ſentire in animo conſolationem per Spiritum ſanctum, qui in cruce nos ſuſtinet, ne labamur, & ſpe futuræ liberationis nos fulcit, ſicuti in Iob videmus, qui cum cruce premeretur, hac fiducia ſe conſolatur: Scio quod redemtor meus viuit, & in nouiſsimo die reſurrecturus ſum. Hinc eſt quod Paulus ſcribit Timotheo: Memento Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe ex mortuis.

Poſtulet autem in fide nihil dijudicans.

Quomodo ſit poſtulanda ſapientia à Deo, præſcribit, nimirum in fide & abſq; hæſitatione. Hic locus multas doctrinas continet. PRIMVM enim docet, quod Deus ſit omnis ſapientiæ, adeoque omnis boni fons. DEINDE oſtendit, quod idem ſit liberalis ad communicandum petentibus de fonte ſuæ bonitatis. TVM monſtrat ordinarium medium eſſe, per quod bona è manu Dei accipere & impetrare poſſumus, orationem ex fide manantem. ADHÆC indicat quod in oratione requiratur fides, quæ nititur benignitate mediatoris. PRÆTERBA ex hoc loco concluditur, quod ab oratione procul remouenda ſit dubitatio. Qui enim inter orandum hæſitat, verba tantum profundit inutiliter, non autem efficaciter orat. Ex quo & hoc ſequitur: Si non hæſitandum eſt in oratione, fruſtra ſtatui plures mediatores. Qui enim plures mediatores quærunt, non putant ſe exaudiri per vnicum mediatorem Chriſtum. INSVPER cum hoc Iacobi pronunciato, pugnat dogma Papiſtarum, qui fidem cum dubitatione conciliare conantur. HIS accedit, omnia quæ ad ſalutem animæ noſtræ ſpectant, ſine conditione petenda eſſe. POSTREMO confutatur hic Stoica opinio de neceſsitate euentuum. Vt enim hic petenti ex fide, promittitur ſapientia, ita non petenti, ſapientia (cuius hic fit mentio) non confertur.

Qui vero hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui ventis agitur & iactatur. Neq; enim exiſtimet homo ille, quod accepturus ſit quicquam à Domino.

Ratio cur fidem abſq; hæſitatione in oratione requirat. Nam qui hæſitat, inquit, fluctui maris confertur, hoc eſt, inconſtans eſt. Nam vt fluctus maris, nunc in hanc, nunc in illá plagam pellitur, pro venti & ęſtus maris ratione: ita homo dubitans, nunc hoc opinatur, mox mutata ſententia aliud putat, prout erronea doctrina & cœcis affectibus impellitur. Talis fruſtra inuocat, propterea quod vera deſtituitur fide. Hæc nos admoneant conſtantiæ, cum in doctrina, tum in pietatis exercitijs. SED forte obijciet aliquis. In omni homine eſt dubitatio. Ergo in nullo eſt firma fides ſine hæſitatione. Reſpondeo, ſecundum diuerſa principia, vtrumq; eſſe poſſe, & firmam fidem, & dubitationem. Nam ſi ſpiritum in regeneratis reſpicis, fides eſt firmus aſſenſus nihil hæſitans, ſi vero carnem, ſubinde oriuntur dubitationes, quæ ſunt opera carnis, contra quæ ſpiritus pugnat. Exemplum vtriuſq; habemus in Abrahamo, Rom. 4.

Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis.

Vir duplex animo hic dicitur, qui de doctrina aut voluntate Dei ambigit. Talis quia in omnibus factis ſuis eſt inconſtans, nullam in oratione conſtantiam habere poteſt. Notemus ergo hoc loco fundamentum omnium piarum actionum, adeoq; ſummi illius operis inuocationis, eſſe cõſtantiam in doctrina de voluntate Dei, & in fide.

Glorietur autem frater abiectus in ſublimitate ſua. Diues autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos herbæ peribit.

Quia tentationis materiam miniſtrare poteſt, cum paupertas, qua omne calamitatis genus, tanquam ſpecie ſeu exẽplo notatur, tum diuitiæ, quarum nomine intelligitur omnis proſper in hac vita ſucceſſus: oportune obiectioni occurrit, docetque vtrunque, hoc eſt, pauperem & diuitem. Pauperem quidem, vt non oculos defigat in præſentis vitæ calamitatem, ſed potius eam ſublimitatem reſpiciat,

qua filius Dei olim effectus, in gloriam immortalitatis ſubuehetur. Diuitem vero, vt cogitet, quam ſint caducæ & fallaces huius mundi diuitiæ, quæ vt poſsidentem beatum nõ reddunt, ita cito euaneſcunt, non ſecus atq; flos herbæ.

QVID? an non Paulus dicit, qui gloriatur, in Domino glorietur? cur ergo Iacobus iubet gloriari pauperem in ſublimitate ſua, & diuitem in humilitate ſua?

NEQVAQVAM pugnant inter ſe Apoſtoli. Nam vterq; fundamentum veræ gloriationis in Domino collocat. Quare hæ tenendæ ſunt exceptiones. Primum acceptum feramus Deo, quicquid habem⁹ boni, nobis nihil arrogantes. Deinde retineam⁹ illud fundamentũ in ſola Dei miſericordia ſitã eſſe nobis ſalutis fiduciam. Poſtremo in ſolo bonorũ omnium autore acquieſcamus. Cum his exceptionibus, pia erit in omni bonorum genere gloriatio.

Et exareſcit herba, & flos eius cecidit, & decor aſpectus eius perijt: Sic & diues in ſuis vijs marceſcit.

Amplificat comparationẽ, in qua comparat ſplendorem diuitiarum caduco flori, qui ſolis æſtu ingraueſcente flacceſsit, decidit & perit. Vt ergo ſtultum eſt, in diuitijs vanis gloriari: Ita pius præpoſtere fecerit, ſi ſuæ paupertatis incommodo fractus, tentationibus ſuccumbat.

Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronã vitæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe.

Supra iuſsit, vt Chriſtiani gaudeant, cum in varias tentationes inciderint. nunc refutatis, quæ obſtare videbantur, rationem ſuæ exhortationis reddit. Concluditur auttem argumentum hoc pacto: Beatus qui ſuffert tentationem, (id eſt, qui tentationum oneri non ſuccumbit) Ergo merito gaudendum eſt pijs, cum in varias tentationes inciderint. Antecedens probat à fine ſuperatæ tentationis, hoc modo. Cum probatus fuerit is, qui tentatur, accipiet coronam vitę. Ergo iure dicendus eſt beatus. Antecedens nititur promiſsionibus diuinis, quam, inquit, coronam Deus promiſit diligẽtibus ipſum. Hoc loco abutuntur Papiſtæ, ad ſtabiliendum dogma ſuum de meritis operum. Verum periſtaſis loci eos confutat. Nam Apoſtolus hoc loco agit cum conuerſis, qui iam antea fide iuſtificati, per tentationes varias tendunt ad beatitudinis portum. DEINDE aliud eſt loqui de cauſſa ſalutis, aliud de via per quam ad gratuitam ſalutem perueniendum eſt. Neq, corona vitæ eſt præmium certaminis debitum, ſed cõpenſatio laboris gratuita. Non enim pugnãdo meremur coronam, ſed eam filijs largitur ex mera bonitate pater, qui non tam quid mereantur filij, quam quod ipſe ex paterna ſtorga promiſerit, conſiderat. Si quis præterea obijcit: Corona vitæ promittitur diligentibus. Ergo dilectio eſt meritum coronæ. Reſpondendum eſt, committi fallaciam non cauſſæ, vt cauſſæ. Antecedens enim non cauſſam coronæ, ſed qualitatem coronandi cõtinet. Et quia ſunt duo rerum principia. Vnum, vt ſint res. Alterum, vt cognoſcantur res quæ ſunt: ſciendum eſt, quod quantum quidem ad Deum attinet, eius mera εὐδοκία, & filij λύτρον, quantum vero ad nos, fides ipſa ſint principia, quæ faciunt vt ſimus iuſti & ſalui. VERVM ſi cognitionem ſpectes iuſticiæ & ſalutis, eius principia recte dicuntur tolerantia ſub cruce, dilectio, miſericordia erga pauperes, & aliæ virtutes. Hæ enim vt cognoſcaris iuſtus & ſaluus, faciunt. Vnde Dominus: Eſuriui & dediſtis mihi cibum, nudus fui & cooperuiſtis me, &c. Ex his enim fructibus fidei, angeli Dei & homines arborem in extremo die iudicabunt, & inde iuſticiam & ſalutem electorum rationabuntur. Verum de hac re plura in ſecundo capite, vbi de viua & mortua fide agetur.

Nemo cum tentatur, dicat à Deo tentor. Deus enim nec tẽtari malis poteſt, nec quenquam tentat ipſe.

De cauſsis tentationis acturus, primum errorem eorum qui Deum tentationis autorẽ putauerunt, amouet: ac prohibet, ne quiſquam cum tentatur (id eſt, cum ad male agendum ſollicitatur) dicat ſe à Deo tentari. Deus enim non vult peccatum, Ergo non ſollicitat ad peccandum, nec delectatur perditione hominum. Quare vt ipſe Deus expers eſt omnis tentationis: ita neminem tentat, hoc eſt, ad peccandum inſtigat. Locus hic aperte militat aduerſus eos qui Deum autorem peccati faciunt.

Sed vnuſquiſq; tentatur, dum à ſua concupiſcentia abſtrahitur & ineſcatur.

Tentationis, hoc eſt, ſollicitationis ad male agẽdum, cauſſam & fontem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tem indicat. Huncfontem propriam cuiuſq; concupiſcentiá facit, cui duplicem effectum tribuit. Primum enim hominis cogitationem à bono abſtrahit. Deinde ineſcat hominis affectus & incautum obruit. Primis proinde motibus reluctandum, ne ineſcati concupiſcentia ruamus in peccatum.

DE TENTATIONE ET REMEDIO ADVERSVS ILLAM.

TENTATIO hominis eſt eius impulſio ſeu inductio ad aliquid audendum, hoc eſt, cõmittendum vel omittendum. Huius plura ſunt genera quæ à finibus differentias capiunt. Eſt enim alia tentatio ſeductionis, alia præſumtionis, alia probationis. De his tribus generibus ordine dicam & remedia aduerſus ſingula indicabo. TENTATIO ſeductionis eſt, cuius finis eſt ſeductio. Hac homo ſollicitatur ad aliquid audendum aduerſus legem Dei, quo facto ſeductus miſere à familia Dei excluditur, excidit gratia, & fit reus æternæ mortis, donec reſipiſcat. Fides enim conſiſtere non poteſt, vbi homo cedit huiuſmodi tentationi, ac ſciens volenſq; contumaciter mandatum Dei contemnit. Eſt autem hæc ſeductionis tentatio, ſi cauſſas eius ſpectes, duplex. Aut enim eſt interna, aut externa. Internam voco, cuius principium & cauſſa in ipſo homine eſt, videlicet, mala concupiſcentia: quę tyranno domeſtico, hoc eſt, peccato originali militat, atq; hominem impellit ad peccãdum, vt hac ratione regnum in hominem obtineat vetus homo, hoc eſt, peccatum originis. Eſt autem in omni homine cõcupiſcentia duplex, vna naturalis, altera carnis. NATVRALIS eſt, qua naturaliter expetimus, quę vel honeſta, vel vtilia, vel ſuauia iudicamus, recto rationis iudicio. Hæc per ſe opus Dei eſt in homine, & nullo modo damnanda, donec manſerit intra ſuos terminos, hoc eſt, donec ſano rationis iudicio mõſtrata appetit, ea videlicet, quæ reuera honeſta, vtilia & ſuauia ſunt: quibus non contaminatur, ſed conſeruatur natura. CONCVPISCENTIA carnis eſt, cum ex corruptione carnis, ea appetimus quę carni placent, & Deo diſplicent. Vt cum aliquid appetimus quod lege Dei nobis interdictũ eſt. Hæc merito à Platone θηρίον πολυκέφαλον, hoc eſt, belua multiceps dicitur. De qua in prouerbiali verſiculo dicitur, πάντων γὰρ πρώτιστα κακῶν ἐπιθυμίη ἐστιν. Nam hæc cõcupiſcentia pernicioſarũ prolium mater fœcũdiſsima eſt. Huic Marcus Eremita primum tribuit φιλαυτίαν, hoc eſt, amorem ſui. Ex hac naſcuntur, crapula, auaritia, inanis gloriæ ſitis, quam Græci κενοδοξίαν nominant. Ex crapula libidines & omnis generis voluptates pernicioſæ proueniunt. Ex auaritia fraus, dolus, iniuria, mendacium, violentia, homicidium. Ex ſiti inanis gloriæ, ſuperbia, turpis ambitio, technæ variæ. Breuiter contemtus Dei & proximi. VIDES quã fœcunda mater omnium vitiorum exiſtat carnis concupiſcentia quam non immerito quidã πάσης κακίας πηγὴν appellauit, vt quæ non ſolũ προκαταρκτικὸν eſt omnis iniquitatis & θεοστυγίας, verumetiam à bono & honeſto auocat. Quando enim homines rebus cœleſtibus ſtudent & meditantur diuina: hæc accedit, ac ſuis illecebris tanquã funiculis quibuſdã eos retrahit. Quare non immerito Iacobus affirmat, homines propria ineſcari concupiſcentia. Sed quomodo hanc carnis concupiſcenriã ſuperabimus? Hæc beſtia arte liganda eſt ſingulari, & mortificanda. Ligatur autẽ non humanis viribus, ſed diuina virtute, hoc eſt, ſpiritu fidei qui in homine renato generat nouã quandam concupiſcentiã, quæ dicitur concupiſcentia ſpiritus. Hæc vbi primũ ſpiritu fidei cõcepta fuerit, opponit ſe cõcupiſcentiæ carnis vnde in omnib. pijs lucta quædã acerrima carnis & ſpirit⁹ oritur. Hinc eſt quod Paulus ait: Caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritũ, & ſpiritus aduerſus carnẽ. Sed vnde illa ſpiritus concupiſcẽtia? Hæc proficiſcitur ex virtute mortis, ſepulturę, & reſurrectionis domini, quæ olim figurata fuit in veterib. ſacrificijs, quę ligabãtur primũ, deinde mortificabãtur: ſed vis tota in ipſa cruce Chriſti eſt. Ligare itaq; concupiſcentiã carnis, eſt eam cruci Chriſti affigere, vt in illa mortificetur, ne ſit ad operandũ efficax. Ligata proinde eſt hæc belua, quando non facis ꝙ illa imperat. Mortificata eſt prorſus, quando eius vis nõ ſentitur, quod nõ fit priuſquam hanc vitam ea morte cõmutauerimus, quæ ad verã vitam eſt tranſitus. Huic beſtiæ ligandæ & mortificãdæ, deſtinãtur omnia pietatis exercitia: vt precatio, lectio, meditatio, ſobrietas, diligentia in officio, fuga occaſionũ, cogitatio prouidẽtiæ Dei, æſtimatio mali concupiſcentiæ, victoriæ glorioſus euentus, turpitudo quæ comitatur eos, qui huic beſtiæ colla ſubmittunt. Hæc breuiter de tentatione ſeductionis interna, & remedio contra ipſam. TENTATIO ſeductionis externa eſt, cuius principium & cauſſa extra hominẽ eſt, & hæc prout variant cauſſæ, diſtingui poteſt. Cum ergo cauſſæ ſint, nunc mundus, nunc Diabolus, nunc res nos circumſtantes, fit vt huius externæ tentationis tres ſint differentiæ.

MVNDVS itaq; tentat, quando ſua vanitate & improbitate ad peccatum nos ſollicitat.

Hoc genere tentationis multi ſuccumbunt. Nã cum intuentur mores deprauatiſsimos hominum, & vident ſimul impunitatem, multi inuitantur exemplo. Vnde recte dicitur, mala conſuetudo malitiæ pabulum. Huic generi tentationis opponendus eſt ſplendor regni Chriſti, cum quo vanitas mundi comparata fumus eſt vaniſsimus. Deinde cogitetur breuitas vitæ humanæ, quæ etiamſi ſaturari poſſet vanitate mundi: tamen perpetuæ illæ deliciæ in regno Dei infinitis modis præferendæ ſunt illi. Deinde intueamur Chriſtum Dominũ & ſanctos Dei multos, qui mundi vanitatem & improbitatem contemſerunt, aſpicientes ad brabium legitime currentibus propoſitum.

DIABOLVS varijs modis tentat homines, idque hoc conſilio, vt vel impediat eos, ne in ouile Chriſti aggregentur, vel aggregatos turbet, ac rurſus eijciat, ne ſalui fiant. Nihil enim illi dulcius eſt, quam omnium hominum interitus. ET hanc ob cauſſam, tribus potiſsimum machinis vtitur, ad inuadendum ouile Chriſti. Aut enim doctrinam corrumpit, aut ſcandala excitat, aut occaſiones infinitorum ſcelerum obijcit, vt interim taceam de hypocriſi ipſius, tyrannide, & ſophiſtica: quibus perpetuo vtitur ad oppugnandam Eccleſiam Chriſti. Hic cor ingreditur hominis, & rapit verbum Dei ex corde hominis, vt Epicureus contemtus Dei ſuccedat: ſicut in Rhapſace: aut odium & ira aduerſus Deum, vt in Saule: aut rabioſa propugnatio impij dogmatis, vt in Papiſtis. HVIVSMODI fuere tentationes Cain, Saul, Iudæ, Samoſateni, Arij, & noſtro ſeculo Serueti, & aliorum plurimorum: ac multo magis hoc tempore ſæuit Satan, quam vnquam alias. Nam finem ſuorum furorum inſtare nouit, & breui affuturum filium Dei, qui ipſum cum omnibus ſuis membris, æternis pœnis adiudicaturus eſt. QVID hic eſt remedij? potens eſt aduerſarius, magna eſt turba ſatellitum Satanæ, opus eſt igitur fortiſsimo præſidio. Quodnam quæſo illud? Hæc eſt victoria, inquit Iohannes, quæ vicit mundũ, fides veſtra. & Salomon: Turris fortiſsima nomen Domini, ad hanc confugiet iuſtus & ſaluabitur. Nam, cum nulla alia ſit via ſuperandi hanc Diabolicam tentationem, quam fiducia viua in Chriſtum victorem Satanæ, & hæc viua fides ardenti oratione accendatur: ſummo ſtudio conſeruemus puritatem doctrinæ, vnde fides pendet. DEINDE aduerſus ſcandala & alias technas Satanæ, muniamus nos exemplis ſanctorũ, & erigamus nos ſpe futuræ liberationis per Ieſum Chriſtum: quem expectamus breui affuturum, vt iudicet viuos & mortuos. Plura præſidia aduerſus inſultus Satanæ, Paulus Epheſ. 6. enumerat, quæ inde peti debent.

RES circumſtantes etiam nos ſupra modum tentant. Ante nos, mors, iudicium Dei, infernus. Poſt nos, peccata præterita, commiſsiones, & omiſsiones plurimæ. A dextris, potẽtia, diuitiæ, honor. A ſiniſtris, pericula, perſecutiones, ſcandala, triſtiſsima in hoc mundo Eccleſiæ forma. HIS malis ſolus Ieſus Chriſtus medetur, dum fide poſsidetur. Si enim ad ea quæ ante nos ſunt reſpicis, mortem ſuperauit vita, iudicio Dei ſatisfecit luens pœnas peccatorum noſtrorum, infernum ſpoliauit. Si ad ea quæ poſt nos ſunt, ſolus peccatorum expiator eſt. Si in eo theſauros omnium bonorum eſſe ſtatueris, non facile potentia, diuitiæ, honor mundi, à Chriſto te abducẽt, nec vllis malis fractus ſuccumbes, modo ipſum viua fide poſsideas, ac ipſius opem aduerſus omnia te infeſtantia implores.

TENTATIO præſumtionis, eſt cum homo ſollicitatur ad tentandum Deum, abutendo eius longanimitate, iuſticia, miſericordia, liberalitate, alijſque pluribus beneficijs. Periculoſa ſane hæc tentatio eſt. Si quis enim ea ſuperatus fuerit, peccat licentius, quia ſtatuit Deum bonum & miſericordem eſſe & lentum ad iram, vt inquit Pſalmus. Huic tentationi medentur potiſsimum hæc. PRIMVM, cogitatio breuitatis vitæ. DEINDE conſideratio tragicorum exemplorum. Nam multi ſecure peccantes ſubito ſunt præuenti ira Dei & ſine pœnitentia hinc abrepti ſunt. TVM indignitas ipſa. Quid enim indignius eſt, quam filium patrem contemnere, quia eſt ſibi benignus & erga ſe miſericors? Sollicite ergo vnuſquiſque ambulet in conſpectu Domini, ſciatq; furorem Satanicum eſſe deliberato animo peccare, vel differre pœnitentiam, propterea quod Deus prædicetur longanimis, clemens, & miſericors. Nam prædicatur etiam iuſtus iudex, qui iraſcitur peccatis, & ſeuere decreuit punire impœnitentes.

TENTATIO probationis eſt, qua exploratur fides hominis erga Deum, videlicet cum vel opus aliquod homini commendatur, carni graue & moleſtum, vel crux aliqua diuinitus cõtingit explorationis gratia, vel permittitur hæreſis aliqua oriri contra articulos fidei. ABRAHAM accipit mandatum à Deo, quo iubetur filium ſuum Iſaac, vnicum hæredem, quem genuit ei Sara libera & nobilis matrona, mactare in holocauſtum. Hoc mandatum graue & moleſtum carni haud dubie fuit: ſed quid hic facit Abraham? obœdientiam erga Deum præfert huic ſuo dulciſsimo filio, quo nihil in mundo ei precioſius fuit, & accingit ſe ad exequendum mandatum Dei, Geneſ. 22. IOB cruce in corpore & alijs

multis malis premitur,ſed in patientia obœdientiam Dei anteponit propriæ vitæ ac omnibus rebus alijs: Scio, inquit, quod redemtor meus viuit, & innouiſsimo die reſurrecturus ſum. Item, Si bona ſuſcepimus, cur non mala ſuſtineamus? ECCLESIA primitiua multis tentata eſt hæreſibus,& varijs,ſicuti & nos hodie tentamur, ſed velut illi, ita & nos fontem ſaluatoris opponamus omnibus hæreticorum ciſternis plenis fœtore Satanico. De hoc genere loquitur Moſes Deuter. 5. Tentauit te Deus, vt ſciretur, quid eſſet in corde tuo, an ambulares, in mandatis eius, nec ne. Aduerſus hoc tentationis genus, muniamus nos duabus rebus, conſeruatione puritatis Euangelij, & conſtanti obœdientia erga Deum, cum in proſperis, tum in aduerſis.

Deinde concupiſcentia poſtquam conceperit, parit peccatum: peccatũ vero cum conſummatum fuerit, generat mortem.

In ſuperiori verſiculo comparat Apoſtolus cõcupiſcentiam eſcæ, qua piſcator hamum tegit, vt piſces fallat & capiat: hic confert eandem puerperæ, vt eam ſignificet matrem eſſe & fontem omnium peccatorum, atq; adeo omnis mali. Dicitur autẽ concupiſcentia concepiſſe, quando affectum & voluntatem occupat: quod cum fit, mox parit peccatũ ſcilicet actuale, cuius veluti proles quædam ipſa mors exiſtit & damnatio. FIT ergo hic mentio duplicis peccati, videlicet, originalis & actualis. Originale concupiſcentiæ nomine, ab eius proprio & proximo effectu ſignificatur. Hoc etſi per ſe & ſua natura eſt mortale peccatum: renatis tamen condonatum eſt, vt non inferat mortem, niſi regnare rurſus cœperit, per ſua mala deſideria. Vnde Paulus ad Roman. 6. Ne igitur regnet peccatũ in mortali veſtro corpore, ad obœdiendũ ipſi, in concupiſcentijs eius. Actuale eſt cum ſponte nos ſubijcimus concupiſcentiæ, ac ei obtemperamus, integrumq; in nobis regimen ei permittimus.

Ne erretis fratres mei dilecti.

Quia perſuaſum nonnullis erat, à Deo homines ad male agendum tentari: rurſus monet eos & hortatur ne ſe iſto errore inuolui ſinant, ſignificans multa abſurda & Deo indigna iſtam opinionem ſequi. Vt autem firmiſsimam rationem eius rei, attentius & benignius audiant, fraterna compellatione, & dilectionis ſuę, qua illos complectitur, ſignificatione, eos velut præparat. Libentius enim audimus illos quorum beneuolentiam erga nos ſentimus, cum contra, eorum inſidias metuimus, quorum animos à nobis alienos eſſe perſpeximus.

Omnis donatio bona, & omne donum perfectum ſuperne eſt deſcendens à patre luminum, apud quem nõ eſt permutatio, aut conuerſionis obumbratio, is quia voluit, progenuit nos ſermone veritatis, vt eſſemus primitiæ quædam ſuarũ creaturarum.

Hæc ratio firmiſsima eſt, qua Apoſtolus eorum errorem refellit, qui Deum homines ad male agendum tentare, adeoq; peccati autorem eſſe contenderunt. Vt autem huius rationis membra melius conſpiciantur, & beneficia Dei erga nos agnoſcantur clarius, analyſin huius pericopæ inſtituam, & eam in ſex partes retexam, ex quarum ſingulis propoſitionem Apoſtoli inferam, vt intelligatur quanta vis ſit totius huius rationis, ad refellendum aduerſariorum errorem. PRIMVM itaq; dicit: Omnis donatio bona & omne donum perfectum (id eſt, minime fucatum) superne eſt. Quo dicto ſignificat nequaquam eſſe ſuperne ſollicitationem ad male agendum. Quî enim congrueret, ex eodem fonte & bona & mala promanare. Verum ſi quis excipit malum pœnæ ſuperne eſſe, is viciſsim ſciat cauſſam, id eſt, malũ culpæ, in homine eſſe, quod iuſtus Deus iuſte punit. Quare ſi iuſticiam Dei ſpectes, pœna non mala, ſed bona dicenda. SECVNDO addit: Deſcendens à patre luminum, vt pater hic autorem & fontẽ ſignificat: ita Luminum vocabulo omnia bona ſignificantur: veluti tenebrarum voce, calamitates omnis generis veniunt intelligendæ. Vnde hæc ratio conficitur, Deus eſt pater luminum, id eſt, autor omnium bonorum. Ergo non eſt tenebrarum autor, vt illi tentatio ad malum ſit aſcribenda. Notetur hoc Dei elogium, quod ipſi ſoli competit, nimirum, quod ſit ſolus fons & autor omnium bonorum. Vnde admoneamur & inuocationis, qua ab illo bonorũ fõte bona petamus, & gratitudinis, qua nos gratos erga ipſum exhibeamus. TERTIO addit, Apud quem non eſt permutatio. Hæc ſpeciem occupationis habent; ne quis enim eundem & bonorum & malorum autorem diceret, eius conſtantiam qua in ſuis actionibus eſt immutabilis opponit. Cum ergo apud Deum per-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

mutatio locum non habeat, & fons bonorum eſſe cõuincatur, quis ei ſine blaſphemia mala aſcribet? QVARTO addit, Aut conuerſionis obumbratio. Habent & hæc occupationis ſpeciem. Videmus variam & multiplicem eſſe conuerſionem cœleſtium luminum & permutationem. Sol enim nunc clarus & limpidus collucet, rurſus veluti obſcurus deliteſcit. Ne quis huiuſmodi obumbrationem Deo tribuat, eum à conuerſionum obumbratione vendicat. Vnde colligatur, cum ſemper ſit ſibi ſimilis, nõ niſi bona ab eo proficiſci. QVINTO, Is (ait) quia voluit, progenuit nos ſermone veritatis. Hoc exempli cauſſa ponit. Deus, cum eſſemus prima natiuitate noſtra filij iræ & damnationis, ex mera paterna ſua beneuolentia fecit nos filios ſuos, per ſermonem veritatis, id eſt, per Euangelium. Qui enim Euangelio credit, filius Dei per ſpiritum Chriſti efficitur. Cum igitur tanto honore nos dignatus eſt Deus, quis credit ipſum ad male agendum ſollicitare quenquam? SEXTO, additur argumentum à fine regenerationis, cum ait, Vt ſimus primitiæ quædam ſuarũ creaturarum, id eſt, vt ſimus ſancti. Cum igitur nos regenuit, vt ſimus ſancti, abſurdũ eſt cogitare ipſum nos pollutos efficere, ſollicitatione ad male agendum. Cum primitias ſanctos vocat, alludit ad ritum legis, quo primi fructus Deo cõſecrabantur. Vnde admonemur vt veram ſanctitatem perpetuo meditemur. DEINDE diſcernit inter Eccleſiam & reliquum mũdum. Vt enim illa ſancta & Deo dicata eſt: ita mũdus reliquus ſuis pollutionibus inuolutus prophanus & impius exiſtit. Porrò ex hac regenerationis doctrina, ſequentes paræneſes extruit Apoſtolus.

Itaq; fratres mei, ſit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum.

Exemplo Chriſti, Pauli, Petri atq; adeo Prophetarum & Apoſtolorum omnium ex regenerationis virtute, extruit neceſſitatem pie ſancteq; viuendi. Eſt enim pietas & ſanctitas effectus proprius regenerationis. Et quia Deus requirit circumciſionem quandam aurium & labiorum: Iacobus eandem vrget, & vult regeneratum velocem eſſe ad audiendum, diſcendumq; ea, quæ ſalutaria ſunt, & tardum ad loquendum. Quo dicto vult, primum vt lingua non præcurrat mentem. Secundo, vt futiles & inanes obtrectatorios ſermones fugiamus. Tertio, vt neceſſaria tantum, quæ faciunt ad ædificationem & honeſtatem loquamur. Huc optime quadret Græcus verſiculus:
ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε, hoc eſt, aut dic aliquid ſilentio melius, aut ſilentium habe.

Tardus ad iram: Ira enim viri iuſticiam Dei non operatur.

Quodnam iræ genus hic prohibeatur, & ratione ſubiecta & concluſione, imo ex tota periſtaſi loci huius colligendum eſt. Ira viri, inquit, iuſticiam Dei non operatur, id eſt, non exequitur, quod Deus loquitur & præſcribit, imo facit, vt fruſtra Deum loquentẽ audias. Quapropter ira hoc loco accipitur pro ea ira, quæ proficiſcitur ex contendendi ſtudio, quo impeditur audientia. Vult igitur Apoſtolus, vt ſedatis affectibus alij alios audiamus. Vbi enim tumultibus & contentionibus eſt locus, exulat iuſticia Dei, id eſt, in nullo loco habentur, quæ Deus nobis præſcribit & à nobis exigit.

Quapropter depoſita omni malitia immunditiæ & redundantia malitiæ, cum mãſuetudine recipite inſitum ſermonem, qui poteſt ſeruare animas veſtras.

Concluſio eſt exhortationis, qua nos hortatur, vt ſimus ad audiendum veloces ſine ira. Hic locus eleganter docet, qualéſnam verbum Dei requirat auditores. Primum immunditia & redundantia malitiæ abeſſe debet, hoc eſt, carnis affectus & ratio debent cedere verbo Dei, vt non contentiones, vnde ira naſcitur, moueant. Deinde adeſſe debet manſuetudo, quæ in locum iræ ſuccedit. Eſt autẽ hoc loco manſuetudo, modeſtia & facilitas ad diſcendum compoſita. Tertio ita compoſito animo ſuſcipiendus eſt ſermo inſitus, id eſt, recipiendus eſt fide ſermo, qui inſeritur vel implantatur opera miniſtrorum. Quarto, effectus recepti ſermonis additur, vt eo veluti ſtimulo ad diligentius audiendum excitemur. Qui, inquit, poteſt ſeruare animas veſtras, idq; ideo, quia ex auditu verbi Dei fides concipitur, quo homo iuſtificatus impellitur, vt nouitati vitæ ſtudeat. Vnde ſequitur.

Eſtote autem factores ſermonis, & non auditores ſolum, decipientes voſipſos.

Qualem requirat auditorem, his verbis etiam declarat Apoſtolus. Vult vt non tantum ſimus auditores ſermo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſermonis,vt maxima pars hominum eſt, ſed factores etiam, hoc eſt, tales,in quibus ſermo, qui inſeritur,radices agat: quod fit dum fides ex verbo concipitur,& obœdientia noſtra teſtatur fidem. Hoc Chriſtus vocat cuſtodire ſermonem,cum inquit: Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. PORRO obſeruandum eſt, quod Factor ſermonis dicatur dupliciter,nempe iuxta regulam Legis,& iuxta gratiam Euangelij. IVXTA regulam legis dicitur is Factor legis,qui legem perfecte implet,quod Paulus Rom. 1. 2. &3. nullum mortalium præſtare poſſe,quatuor euidentiſsimis demonſtrationibus oſtendit. SECVNDVM gratiam dicitur Factor ſermonis, qui fidem ex verbo conceptam vera pietate teſtatur, ac tota vita,quantum in hac corrupta natura fieri poteſt, veram pœnitentiam meditatur. Et ſi lapſus fuerit aliquando, ſiue ſciens, ſiue per ignorantiam, mox redit vera pœnitentia ad Dominum,quemadmodum infinita Sanctorum exempla teſtantur. CVR autem velit factores ſermonis, & non auditores tantum, oſtendit cum addit, Decipientes voſipſos, hoc eſt, fallacibus ratiocinationibus ſeipſos fallentes, ſeu propria Sophiſtica ſe ipſos decipientes,quemadmodum non ſolum hypocritę faciunt,qui externis operibus nituntur, ſine vera pœnitentia:verumetiam multi, qui ſub Chriſtiano nomine Turcicum gerunt animum. Hi ſemper in ore fidem habent,ſemper gloriantur de Mediatoris beneficijs,etſi nunquam de vera reſipiſcentia cogitent.

Nam ſi quis auditor eſt ſermonis & non factor, hic ſimilis eſt hominis conſiderantis faciem natiuitatis ſuæ in ſpeculo, cōſiderauit autem ſemetipſum & abijt, & protinus oblitus eſt qualis ſit.

Pulcerrima ſimilitudine rationem reddit, cur non velit auditorem tantum ſermonis. Abſoluitur autem ſimilitudo hoc modo: Quemadmodū qui intuetur ſuam in ſpeculo imaginem, labilem in mente cognitionem & debilem ſuæ formæ memoriam retinet, atq; ideo talis contemplatio nihil prodeſt: Ita auditor ſermonis tantum, nullam firmam cognitionem retinet. Nam mox vbi audiuerit, euaneſcit, ideoq; talis cognitio inutilis eſt,& nihil prodeſt auditori. ELEGANTER admodum Hypocriſis imagini in ſpeculo relucenti comparatur. Nam vt in ſpeculo, quamuis quædam ſimilitudo appareat, eo tamen falſa eſt,quod in ſpeculo quæ læua ſunt, dextera:quæ vero dextera,læua referantur,atque ita veritati fucus fiat: Sic in operibus hypocritarum, etſi quidam ſplendor oculis hominum obuerſatur, tamen falſus eſt, quod quæ impia ſunt, ſancta & vera habeantur. SI quis interroget, qui fiat quod adeo labilis ſit cognitio, & debilis memoria ex contemplatione ſpeculi: ſciat quod modus agendi ſecundum Philoſophos,eſſendi modum ſequatur. Nam cū imago in ſpeculo habet, vt illi loquuntur, debile eſſe & intentionale potius quam reale,facit debilem in mente impreſsionem,quemadmodum in quibuſdam etiam inſomnijs fieri animaduertimus.

Qui vero introſpexerit in legem perfectā, quæ eſt libertatis,& permanſerit: hic nō auditor obliuioſus, ſed factor operis,beatus in opere ſuo erit.

Exponit quis factor legis ſit habēdus, idq; vt ante admonui, iuxta gratiam,& non ſecundum rigorem legis. Perfectam vocat legē,quia perfectam viuendi regulam præſcribit. Eandem libertatis dicit, quia quo magis illi quiſquam fuerit addictus,modo in Chriſtum credat,eo magis ſe liberum eſſe declarat. Seruire enim Deo, regnare eſt. Qui in hanc legem introſpexerit,vt eam penitus cognoſcat & vita exprimat, hic, inquit, non eſt obliuioſus auditor legis, ſed factor, qui etiam beatus in ſuo opere erit. Nam ex effectibus noſcitur fides, vt arbor ex fructibus,quæ fides ſola Chriſtum apprehendit,qui ſolus factus eſt nobis à Deo ſapiētia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. LOQVITVR igitur hic Iacobus,de qualitate iuſtificatorum,& præmijs obœdientiæ illorum, non de cauſsis iuſtificandorum. Bernhardus: Bona opera non ſunt cauſſa regnandi,ſed via regni.

Si quis videtur religioſus inter vos eſſe, nec frenat linguam ſuam, ſed decipit cor ſuum:huius inanis eſt religio.

Hypocritas taxat, qui ſe religioſe legem obſeruare gloriabantur, & interim laborant obtrectandi libidine, quod vitiū omnibus hypocritis familiare eſt. Quemadmodū Euangelica hiſtoria in Phariſæo oſtendit,qui de ſua religione gloriabatur,ac interim alios homines accuſabat maledica lingua. Vnde autē iſtud vitiū proueniat,oſtendit cū addit, Sed decipit cor ſuū,hoc eſt, φίλαυτος eſt, & de ſeipſo nō recte iudicat.

Iudicat enim ſe pium & religioſum eſſe, ſed eius inanis eſt religio, id quod ſequenti ratione probatur.

Religio pura & impolluta apud Deum & patrem, hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in afflictione ipſorum, incontaminatum ſeipſum ſeruare à mundo.

Probat à religionis quibuſdā proprietatibus, hypocritas laborátes obtrectandi ſtudio, non vere religioſos eſſe. Concludit autem argumentum hoc pacto: Vere religioſi ſeruant ſe immaculatos à mundo, & miſericordiam afflictis præſtant. Hypocritæ qui volunt videri religioſi, non ſeruant ſe immaculatos à mundo, nec afflictis miſericordiam præſtant. Quare non ſunt religioſi, ſed vani potius iactatores religionis. NON fuit conſilium Iacobi religionem integre definire, ſed tantum eius aliquas proprietates ponere, pugnantes cum hypocritarum vanitate. Quare non ſunt audiendi quidam, qui hic Iacobum flagellant, tanquam hominem ignarum veræ religionis. Aliud enim eſt rem definire, aliud eam notis quibuſdam deſignare, id quod ignorare Iacobi flagellatores turpe eſt. CÆTERVM hæc plena & perfecta religionis Chriſtianæ definitio eſt: Chriſtiana religio eſt viua fiducia in Ieſum Chriſtum & eius confeſsio, cui cōiunctum eſt & purum colendi Deum ſtudium, & ſincera erga homines caritas, vna cum ſpe immortalitatis promiſſæ. PARTES proinde ſubſtantiales religionis Chriſtianæ natura cōiunctæ ſunt fides, cultus Dei, caritas proximi, & ſpes promiſſæ ſalutis per Chriſtum.

CAPVT II.

Summa Capitis ſecundi.

Vt à contemtu pauperum & perſonarum acceptione conuerſos dehortatur: Ita inanem fidei iactantiam, quæ ſuis germanis fructibus deſtituitur, damnat.

Ordo & partes Capitis ſecundi.

Duæ ſunt partes huius capitis, quarum prior eſt ἀποτρεπτική. Dehortatur enim Chriſtianos à perſonarum acceptione. Hæc pars abſoluitur propoſitione & confirmatione. Poſterior eſt διδακτική. Docet enim fidem inanem eſſe, quæ caret operibus. Abſoluitur & hæc pars propoſitione & confirmatione.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

FRATRES mei, ne in perſonarū acceptionibus habeatis fidē Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ.

Hæc prima propoſitio huius capitis eſt, cui implicita eſt ratio quædam, quare ita reſoluenda erit: Fratres nolite perſonas acceptare. Hæc propoſitio pura eſt. Ratio propoſitionis hæc eſt, quia fides Domini noſtri Ieſu Chriſti & perſonarum acceptio ita repugnant, vt ſimul ſtare non poſsint. Quare? Quia Chriſti gloria requirit vt omnes eos veneremur, in quibus Chriſtus habitat. Ita non fruſtra gloriæ vocabulum additum eſt. Et eſt notus Hebraiſmus, quo genitiui appellatiuorum ponuntur ſæpe loco epithetorum. Quid? an non Pſalmus: Inter habitatores tabernaculi Domini, hoc eſt, inter hæredes vitæ æternæ, collocat eum qui reprobos contemnit, & honorat timentes Dominum? Eſt ne illa perſonarum acceptio? PERSONARVM acceptio proprie eſt, cùm cauſſa vera, ex qua de perſona pronunciari oportet, neglecta, aliquid aliud extra cauſſam in perſonis ſpectamus, propter quod vel pro perſona ſententiam falſam pronunciamus, vel alioqui perſonam acceptamus & complectimur. QVARE hoc Apoſtoli præceptum nequaquam ſubuertit ordinationem diuinam, in quarto præcepto ſancitam, de honore ſuperiorum. Verum ſi quis pauperem pium cōtemneret, & diuitem reprobum ei præferret, is vera cauſſa omiſſa male iudicaret, ſicuti Iacobus oſtendit, cum ait.

Si enim ingreſſus fuerit in cœtum ve-

Hoc exemplo declarat, qualē mon-

ſtrum,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſtrum, vir aureos annulos geſtans, veſte indutus ſplendida, ingreſſus fuerit, & pauper in ſordida veſte, & reſpexeritis in eum, qui veſtem fert ſplendidam, ac ei dixeritis, tu ſede hic honeſte, & pauperi dixeritis, tu ſta illic, vel ſede hic ſub ſcabello pedum meorum: nonne diſcrimen feciſtis apud vos, & facti eſtis iudices malarum cogitationum?

ωποληψίαν damnet, nimirũ eam, quæ falſum pro vero in iudicandis hominibus diſcrimen ſequatur. Qui enim id facit, non ſolum proprio ſuę conſcientię iudicio damnatur, verum etiam peruerſum eſt eius iudicium, qui diuitias accipit pro diſcriminis regula. Nõ ergo ſimpliciter prohibet honorare diuites, ſed per comparationem loquitur, & eum dãnat, qui diuites improbos cum piorum pauperum contemtu honorat. Hic proinde ea προσωποληψία damnatur, quæ falſum pro vero diſcrimen ſequitur, quæ modum non ſeruat, quæ à recto fine aberrat. Si quis ergo diuitem, quia diues eſt, pauperi anteponit, peruerſum eſt eius iudicium. Deinde ſi ita præponas diuitem pauperi, vt pauperem ignominioſe tractes, in modo peccatum eſt. Poſtremo ſi diuitem ineundæ gratiæ cauſſa præponas pauperi, à recto fine aberraſti. Quid enim indignius eſt, quam ſpreto pio, docto, egente, impium, indoctum, diuitem ſplendide excipere? Qui huiuſmodi diſcrimen apud ſe facit pauperis & diuitis, factus eſt iudex malarum cogitationum, hoc eſt, non recte affectus, peruerſe iudicat contra pietatis & caritatis regulam.

Audite fratres mei dilecti, nonne Deus elegit pauperes huius mundi, diuites in fide & hæredes regni, quod promiſit diligentibus ſe?

Exordiolo auditores excitat, vt argumentũ quod ſubiungit, attendant. Deus pauperes huius mundi, qui in fide ſunt diuites, elegit, vt ſint hæredes regni, quod promiſit diligẽtibus ipſum. Ergo pauperes huius mundi non ſunt contemnendi. In hoc argumento obſerua ordinem reparationis noſtri. PRIMO loco ponitur electio, quæ alibi non quærenda eſt, quam in ſilio: ad Epheſ. 1. SECVNDO ponitur fides, qua generalis electio accõmodatur auditoribus Euangelij. Elegit enim Deus hac conditione, ſi homines filio inſerantur fide: extra quem nulla eſt electio, ſed mera reprobatio. TERTIO ponitur hæreditas, qua ſignificatur adoptio, qua credentes ius filiorum accipiunt. QVARTO additur dilectio. Nam ea germanus fructus fidei eſt, & filiorum Dei propria affectio Non igitur mirum eſt, Deum promiſiſſe diligentibus ſe regnum. Nam illi per fidem ius filiorum obtinuerunt, adeoque regni cœleſtis hæredes inſcripti ſunt. Nam dilectionem nõ eſſe cauſſam regnandi, conſtat ex Paulo, qui ait: Vita æterna donum Dei, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

DE ELECTIONE.

HIC locus monet vt nonnihil de electione dicam. Video enim non paucos ab huius electionis vera cauſſa aberrare. Paulus dicit, 1. Corinth. 1. Videte vocationem veſtram fratres, quod nõ multi ſapientes ſecundum carnẽ, non multi potentes, non multi nobiles: verum quæ ſtulta ſunt in mundo, elegit Deus &c. Et hic Iacobus dicit, pauperes huius mundi elegit Deus. Hinc quidam haud recte colligunt: Sapientes, potentes, nobiles, diuites reprobatos eſſe, & contra, rudes, impotẽtes, ignobiles & pauperes electos eſſe. Nam ſi ſapientia, potentia, nobilitas & diuitiæ, quæ omnia ſunt dona Dei, eſſent cauſſa reprobationis, & contra, ſtulticia, impotentia, ignobilitas & paupertas eſſet electionis cauſſa: ſequeretur & omnes diuites reprobatos eſſe, & omnes pauperes electos. Sed vtrumq; falſum eſt. Nam & nõ pauci diuites & nobiles pij ſunt electi & ſaluati, & multi pauperes impij ſunt repobati & damnati. Cur ergo Paulus dicit nõ multi ſapientes, nõ multi potentes, non multi nobiles? PAVLVS non loquitur de conſilio Dei, qui vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, 1. Timot 2. Qui nõ vult vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiá recipere. 2. Pet. 3. Sed accuſat hominum malitiam, qui donis Dei abutuntur in ſui perniciem. EVANGELIVM quidem vocat omnes, ſed alij aliud prætendunt, iuxta parabolam Euágelicam quo minus veniant. Multi ſapientia mũdi, multi potentia, multi nobilitate, multi diuitiis, multi etiã alijs rebus, veluti ineſcati & inebriati, odorem bonũ Euágelij auerſantur. Vnde fit vt non conſilio Dei, qui neminem creauit ad certam dãnationem, ſed ſuo vitio non ſint electi. Deus enim ita demũ vult omnes homines ſaluari, ſi ſalutis autorem fide fuerint amplexi. Qui hunc contemnunt, iure ſalute excidunt. Hos enim Deus abijcere vult & damnare, non ſecus atque pater terrenus abijcit & exhæredat filium proteruum & contu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

contumacem, non hoc facturus ſi patri morem geſsiſſet. Si igitur conſilium creationis & reparationis per Chriſtũ conſideremus: Deus vere vult omnes homines ſaluos fieri, ſed per ſalutem, hoc eſt, per Chriſtum Mediatorem. At ſi euentum, vult omnes damnare, qui ſibi per Euangelium vocanti non obtemperarint. Hoc confirmatur dicto Domini apud Matthæum, Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Huius dicti ſunt duæ partes. Prior commendat nobis bonitatem Dei, qui multos per Euangelium vocat quo ſaluentur. Neq; enim cogitandum eſt, quod Deus vocat quos ſaluare nolit. Poſterior eſt querela ingratitudinis maximæ partis hominũ, qui Euangelinm contemnunt, ac nolunt digne viuere tam auguſta vocatione. Quod Chriſtus apud Matthæum conqueritur, vbi reprehenditur, qui non habuit veſtem nuptialem: cui reprehenſioni ſubiungitur hæc Chriſti querela: Pauci ſunt electi. Hanc querelã lacrymis etiam indicat, Matth. 23. cum inquit: Quoties volui congregare filios tuos, ſicut congregat gallina pullos ſuos ſub alis, & noluiſti. Ecce Chriſtus vult, Ieruſalẽ non vult. Eſt ergo ſenſus dicti Domini, multi ſunt vocati, ſcilicet ad conſequendam ſalutem per Chriſtum, modo Euangelio credere velint. Sed pauci ſunt electi, hoc eſt, pauci habent veſtem nuptialem, hoc eſt, pauci credunt ac vere pij ſunt. QVOD hæc ſit ſignificatio vocis electionis, patet ex Pſalmo, vbi electus & peruerſus opponuntur. ita enim ait: Cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris. Ergo electus dicitur vere pius, & ſincerus Dei cultor, retinens fidem & bonam conſcientiam. QVARE non eſt quod quiſquam electionis cogitatione perturbetur, ac ſi De⁹ certos quoſdã homines deſtinaſſet ſaluti, & maximam partem hominũ certæ damnationi: ſed potius cogitet, hanc immotã eſſe voluntatem Dei, quod vt velit pœnitentes omnes ſine diſcrimine ſaluare: ita contra, omnes impœnitentes damnare. Atq; hi dicuntur non electi propter euentum: nam ipſi ſibi viam ſalutis intercluſerunt. OBTEMPEREMVS ergo Euangelio, viuamus in vera pœnitentia, non ſinamus nos curis huius mundi abduci à Chriſto. Sed potius omnib. rebus mundi anteponamus obœdientiã erga Euangelium, quo ſalutem promiſſam conſequamur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in quo Deus ante fundamenta mundi elegit credentes.

At vos contumelia affeciſtis pauperem.

Hac antitheſi atrocitatem ſceleris indicat. Deus pauperes credentes honorat, at vos contumelia afficitis pauperes. Scelus igitur veſtrum graue & indignum hæredibus regni Dei eſt.

Nonne diuites per tyrannidem opprimunt vos? & trahunt vos ad iudicia? Nonne blaſphemant præclarum illud nomen, quod inuocatum eſt ſupra vos?

Hæc duo argumenta plana ſunt. Stultum eſt ſuos carnifices honorare, & eos qui vera ſanctitate pollent contemnere. Id facitis, quando tyrannos veſtros diuites, cum contumelia pauperum honoratis. Diuites impij præclarum illud nomen Chriſti, quo vos cenſeri vultis, & à quo Chriſtiani appellamini, blaſphemãt: Ergo indignum eſt, vt eos honoretis cum pauperum contemtu.

Si legem quidem regiam perficitis ſecundum ſcripturas: Diliges proximum tuum vt teipſum. Sin vero perſonam reſpicitis, peccatum committitis & redarguimini à lege veluti trenſgreſſores.

Anticipatio eſt. Anteuertit enim hypocritarum obiectionem, qua poterant ſe excuſare, vt qui honorando diuites bene facerent, cum honor in dilectione includatur, quã lex requirit erga proximum. RESPONDET per conditionem duplicem, Si perficitis (id eſt, ex fide & vera animi integritate præſtare conamini, abſq; fuco & hypocriſi. Hic enim perfectionis vocabulum non ad gradus, ſed obœdientiæ ſubſtantiam, ſeu partes referendum eſt) legem regiam, (id eſt, legem quæ regia quædam via, hoc eſt, recta & plana eſt, quæ viatorem ſine diuerticulis, ad locum deſtinatum ducit. Eſt autem illa regia via, diligere proximum, & hoc tantum in eo ſpectare, quod proximus ſit, & non alia in proximo reſpicere) bene facitis, id eſt, iuſta eſt veſtra defenſio. At ſi perſonam reſpicitis, peccatũ committitis. Quod autem perſonam reſpiciatis, manifeſtum eſt ex veſtro facto. Diuites enim reprobos honoratis, & contumelia pios pauperes afficitis, quod ſane non eſt regia via incedere ad dilectionem proximi.

Quisquis autem totam legem ſeruauerit,

Fortius hypocritas pungit, qui ſibi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rit, offendit autem in vno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit non mœchaberis, dixit etiam non occides. Quod ſi non fueris mœchatus, occideris autem, factus es tranſgreſſor legis.

blandiebantur cum in vno capite legis, viderentur ſibi bene perfuncti eſſe ſuo officio: quorũ hypocriſin taxat hoc argumento. Qui vnum aliquod caput legis violat, legis tranſgreſſor eſt, & iudicio legis reus. Nam totam legem violauit. Hoc propoſito exemplo quinti & ſexti præcepti, declaratur. Ex hoc loco, qui vel peccata paria eſſe, vel reatum omnis traſgreſsionis æqualem contendit, vim facit verbis Apoſtoli, qui hoc loco tantum agit cum hypocritis, qui perfectionẽ legis ex parte iudicarunt, cõtra quos Apoſtolus tranſgreſsionem ex parte opponit. QVOD autem peccata nõ ſint paria, ſicuti Stoici voluerunt: Primum ex cauſsis patet, quis enim nõ intelliget, grauius eſſe ex malitia peccare, quam ex infirmitate & ignorantia? Deinde euentus idem comprobat, qui ſciens & volens peccat, excutit Spiritum ſanctum. Qui vero ex imbecillitate labitur, nõ item. TERTIO, inæqualitas pœnæ quam Deus iuſtus iudex infligit, inæqualitatẽ delictorum cõcludit. Seruus ſciens voluntatem & nõ faciens, vapulabit plagis pluribus. QVARTO, propria cuiuſq; conſciẽtia peccatorum gradus naturaliter intelligit, ad alia enim magis, ad alia minus cruciatur. QVINTO, lex Dei, & omnes leges politicæ, gradus peccatorum, ad quos moderantur pœnas agnoſcunt. Argumenta Stoicorum ſpecioſa quidem ſunt, ſed nituntur falſo fundamento, contra quæ opponantur rationes quas aſcripſi.

Ita loquamini & ita faciatis, ſicut per legem libertatis iudicandi. Nam damnatio abſque miſericordia, ei qui non præſtiterit miſericordiam & gloriatur miſericordia aduerſus iudicium.

Infert generalẽ exhortationem ad pie ſancteq; viuendum, ſumto argumento ab extremi iudicij ſententia, quæ Matth. 25. recitatur. Cum enim dicit Apoſtolus, ſicut per legem libertatis iudicandi, reſpicit ad ſententiam Domini, qui iudicaturus orbem dicet ijs, qui à dextris ſunt: Venite benedicti patris mei, & hæreditate capite regnum vobis paratum à cõſtitutione mundi. Eſuriui enim & dediſtis mihi cibũ &c. Contra, ijs qui à ſiniſtris ſunt, dicet: Ite vos maledicti in ignem æternum: Eſuriui & non dediſtis mihi cibum. HVC illud Iohan. 5. Veniet hora in qua omnes, qui in monumento ſunt, audient vocem eius & prodibunt, qui bona fecerunt, in reſurrectionẽ vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Et 2. Cor. 5. Omnes nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, vt reportet vnusquiſq;, quæ per corpus facta fuerunt, prout fecerit, ſiue bonũ ſiue malum. QVOD hæc dicta & ſimilia intelligenda ſint de qualitate ſaluandorũ, & nõ de cauſsis ſalutis: totius ſcripturæ conſenſus adeoq; ſanguis Chriſti precioſus, oſtendit, ſicuti paulo poſt diſtinctius declarabo. Sed cur vocat Legem libertatis? vt eo Epitheto oſtendat merito requiri libertatis fructus à Chriſtianis. Vt enim qui peccatũ facit, ſeruus eſt peccati: ita liberatus per Chriſtum, non amplius ſeruus erit, ſed liber, quare ſeruitutis iugum nequaquam in ſe recipiet. Ætiologiam ſubiungit Apoſtolus, cum ait. Nam dãnatio erit abſq; miſericordia, ei qui non præſtiterit miſericordiam. At ei qui præſtiterit miſericordiam, tantum abeſt vt damnetur, quod glorietur etiam aduerſus damnationem morti, peccato & Diabolo inſultans. HÆC docent quã neceſſaria ſit Chriſtianis perpetua pœnitentia, perpetuũ pietatis & iuſticiæ ſtudium, ne gratuitum beneficium ſalutis ſua culpa amittant. CÆTERVM quia aduerſarij gratuitæ ſalutis abutũtur hoc loco & ſimilibus, & faciũt ex indicijs & qualitatibus ſaluãdorum cauſſas ſalutis: breuiter reſpõſum colligam, quo pius lector habeat, quod ſolide & vere ad iſtam calumniã reſpondere poſsit. Cum igitur ſcriptura diſerte dicat, Dominum redditurum vnicuiq; ſecundum opera ſua, ſeu, vt Paulus ad Cor. loquitur, prout quiſq; fecerit ſiue bonum ſiue malum: omnium primum hoc tenendum eſt, quod iſta generalis ſententia ipſiſsima vox Dei, duob. hominum generibus accommodari debeat, iuxta fidei analogiam, hoc eſt, impijs quidem Legaliter, pijs vero Euangelice, hoc modo. Quando impijs reddit Dominus, ſecundum opera eorum, abſq; dubio illis infernũ reddit & dãnationem. Ea enim ſunt operũ impietatis merita. Verum cum de pijs ſeu conuerſis agitur, plura ſpectanda ſunt. Primum enim ex verbo Dei infallibili conſtat, quod vita æterna non ſit ſeruornm ſtipendium, ſed filiorum hæreditas & Dei gratuitum donum, Rom. 4. 5. 6. 8. Iohan. 1. 3. 5. Deinde analogia inter patrem terrenum & patrem cœleſtem conſideranda eſt. Nam vt pater terrenus ſuis liberis reddit ſecundum eorum opera, hoc eſt, obœdientibus hæreditatem & contumacibus excluſionem ab hæreditate: Ita Deus pater ſuis filijs hære-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

hæreditatem pollicetur, ſed eos, qui ex filijs contumaces & hoſtes fiũt, hæreditate excludit. Nunc autem manifeſtum eſt, quod filij terreni patris nec filij ſint, nec hæredes, ſuorum operum merito. Ad eundem modum filij Dei, nec filij facti ſunt, nec hæredes propter opera, ſed per adoptionis gratiam, quæ ſola fide accipitur, nihilominus vterq; reddit ſuis filijs, ſecundum opera eorum. Verum vt hoc clarius adhuc intelligatur, quomodo Deus redditurus ſit vnicuiq; ſecundum opera ſua, quatuor nobis perpẽdendæ ſunt circumſtantiæ. Quarum prima eſt, quod pijs rigor legis ſit ſublatus, iuxta illud ad Galat. 3. Chriſtus nos redemit de maledictione legis. Secunda, quod perſona iam credens fide placeat, & ſit hæres vitæ æternæ, Iohan. 1. Tertia, quod à perſona credente Deus non ſolum requirat obœdientiam, ſed etiam ei promittat mercedem, idq; nõ ex debito propter dignitatem operis, ſed ex gratia propter paternam promiſsionem. Quarta, opera ſic facta ex fide, ſunt teſtimonia fidei, vt proprij effectus ſuæ cauſſæ certiſsima ſunt indicia. Atq; ideo dicitur, Dominus redditurus eſt ſecundum opera, cum quia opera ſunt vera indicia timoris Dei & fidei, tum vt tota creatura teſtetur de iuſticia Dei in iudicando. Hæc reſponſio ex ſcripturæ collatione deſumta eſt, quam firmiter tenere eſt neceſſe, ne vel cum Papiſtis operum meritis tribuamus ſalutem, vel cum Antinomis & Libertinis benefaciendi ſtudium abijciamus. ILLVSTRATVR hæc ſolutio inſigni paradigmate, Matth. 18. vbi Dominus ait: Regnum cœlorum eſſe ſimile homini regi, hoc eſt, ſpiritualem Eccleſiæ conditionem eandem rationem habere, quæ eſt inter regẽ terrenum & eius ſeruos in præſentis vitæ negotijs. Quemadmodum enim rex ſupplici ſeruo decies mille talentorũ debitori, condonauit totum debitum gratis ex ſua mera liberalitate: Ita Deus Pater confugientibus ad ſe fiducia Chriſti, cõdonat gratis omnia debita, hoc eſt, peccata. Hinc patet gratuitam eſſe remiſsionem peccatorum. Verum ſicuti rex ſeruum illum ingratum & durum erga conſeruos, reuocauit ad pœnam, & quod antea ſupplicanti condonauit, iam à contumaci & duro in conſeruos repetit: Ita Deus pater poſtquam recepit gementes in gratiam, vult nos imitari ſuum exemplum benignitate erga proximum. HOC ipſum docet Dominus, Luc. 7. propoſito paradigmate de duobus debitoribus, quorum alter debuit creditori quingentos denarios, alter vero quinquaginta, qui cum non haberent quod redderent, vtriſque condonauit. Hic Dominus interrogat Phariſæum, vter horum creditorem plus diligat, cui cum Phariſæus reſpondiſſet, is cui plus condonatum eſſet, ait Dominus, recte iudicaſti: ſignificans Deum requirere gratitudinem ab ijs, quos in gratiam gratis recepit. HINC duo colliguntur, videlicet, quod & remiſsio ſit gratuita, & quod conſecuti remiſsionem debeant Deo gratitudinem.

Quæ vtilitas fratres mei, ſi fidem dicat aliquis habere ſe, opera vero non habeat: num poteſt fides illa eum ſeruare?

Quia fuerunt inter eos, quibus ſcripſit Apoſtolus, hypocritæ, qui cum nulla vera pœnitentia tangerentur, gloriabantur tamen ſe fide ſeruari, quam veram & viuam nõ habuerunt, inſtituit iſtius erroneę opinionis confutationem, ac docet fidem inanem eſſe, quæ ſuos germanos fructus non edat. EST autem hæc propoſitio diligenter obſeruanda, fides quæ non habet opera, eſt inefficax & inanis, ſeu vt Iacobus loquitur, ſeruare non poteſt. Hæc ſola propoſitio confirmatur vſq; ad finem capitis. Quare turpiter hallucinantur, qui Iacobum cõmittunt cum Paulo, cum ille tantum de inani hypocritarum iactantia: hic de viua fiducia diſſerat. PROINDE obſeruemus hoc loco diligẽter quamnam Fidem appellet Apoſtolus inanem, nempe eam quæ nullam erga Deum habeat obœdientiã comitem, vt quæ nec Deum colat, nec proximo benefaciat: ex quo manifeſte ſequitur Iacobum nequaquam loqui de fide viua & ſalutari, à qua ſpiritus Chriſti ſeparari non poteſt. Nam vbi ſpiritus eſt Chriſti, ibi nouæ ſunt noui hominis actiones, etſi non perfectæ, incoatæ tamen: ex quibus fidei vis agnoſcitur, & foras profertur. QVID ergo illa inanis fides? eſtne omnino inefficax? ſalutares fructus nullos edit, (deſtituitur enim vita) ſed Gehennæ & mortis fructus edit amaros. Eſt enim vanitatis, ſuperſtitionis & hypocriſeos mater fœcundiſsima, eſt gloriatio ſtulta, eſt veræ fidei larua, eſt ſeductio hominis, eſt pœnitentiæ peſtis, eſt bonorum operum inimica, eſt ſalutis intercluſio, eſt dux mortis: breuiter partem ſuam cum hypocritis & diabolis habet.

Quod ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu, dicat autem eis aliquis veſtrum, abite in pace, caleſcite & ſaturamini: non tamen dederitis eis apta

Simili aptiſsimo illuſtrat propoſitionem: Quemadmodum inanis oratio eſt, qua dicitur egenis, caleſcite & ſaturamini, vbi manus auxiliatrices corpori

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

corpori, quæ vtilitas? Sic & fides, ſi opera non habeat, mortua eſt per ſe.

non ſimul porriguntur: Ita fides inanis eſt & mortua, quæ in ore eſt ſine fructu operis. OBSERVA & hic Epitheton fidei (quam inanem vocat.) Nam cum dicitur mortua, confertur cadaueri, quare non rectius fides dici meretur, quam cadauer animalis animal dicitur. Hæc Catachreſis ſatis oſtendit Iacobum diſſerere de opinione vana, quæ fides dicebatur ab hypocritis. Ex horum ergo hypotheſi loquitur Apoſtolus, per conceſsionem Rhetoricam.

Sed dicet aliquis, tu fidem habes, & ego opera habeo, oſtende mihi fidem ex operibus tuis, & ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam.

Alia ratio, quod fides quæ ſuis fructibus deſtituitur, ſit inanis, ac ſi dicat: aliquis pius tuam vanitatem, ô hypocrita, retundere poſſet, ita tibi obijciendo. Tu hypocrita fidem habes, vt tu dicis, (eſt enim ironica conceſsio) ego opera habeo, tu ſi potes, oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, quod ſane non potes, quia nullam habes: ego oſtendam tibi fidem meam ex operibus meis. Proinde manifeſtum eſt, tuam fidem, mortui inſtar cadaueris eſſe: meam autem viuam eſſe, quod ex fructibus & eius viuis motibus apparet. Quemadmodum enim ſpiritus intus in animali vigens, ſe prodit per motum & ſenſum & externas actiones: Ita viua fides ſe per opera bona oſtendit. EST ergo ἀντανάκλασις in dictione fidei. Priori enim loco iactantiam fidei: Poſteriori autem viuã fiduciam ſignificat. Quædam exemplaria græca, in priori membro ſic habent: oſtende mihi fidem tuam ſine operibus. Sed retineo vſitatam & receptam lectionem.

Tu credis quod Deus eſt vnus, recte facis, & dæmonia credunt & exhorreſcunt.

Cum qualis ſit hypocritarum fides, tum quam ſit inanis, adeoque quod non ſeruet, docet. Eorum ergo fidem tantum eſſe noticiam hiſtoriæ, aſſerit, Credunt enim quod Deus ſit. Hanc inanem eſſe, hac ratione conuincit: Fides Dæmoniorum non ſaluat. Nam Dæmonia non ſaluantur. Iactantia hypocritarum eſt fides Dæmoniorum: nihil enim in ſe habet, quod fides Dæmoniorum non habeat. Ergo iactantia hypocritarum, quam illi fidem falſo eſſe dicunt, non ſaluat, proinde inanis eſt. CVM autem Apoſtolus hoc loco, non aliam fidem agnoſcat in hypocritis, quam in Diabolis, non mirum eſt, quod ei iuſtificationis virtutem adimat. VERVM fides in diſputationibus Pauli qualis ſit, docetur ad Roman. 4. propoſito illuſtri exemplo, nimirum, quod ſit non ſolum noticia promiſſæ miſericordiæ, verumetiam fiducia, qua quis ſtatuit promiſsionem ad ſe pertinere, cum qua coniuncta eſt, vt indiuiduus comes, gratitudo animi erga Deum, inuocatio, patientia, mortificatio veteris hominis, excitatio noui ſpiritus & alij fructus iuſticiæ fidei, qui fructus etſi non iuſtificant, tamen ea eſt iuſtificantis fidei natura, quod ſemper eos producat, aliàs minores, aliàs maiores, prout ipſa incrementa ceperit.

Vis noſſe, ô homo inanis, quod fides ſine operibus mortua ſit. Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, oblato ſuo filio Iſaac ſuper altare? Vides quod fides cooperata fuerit eius operibus, & ex operibus fides perfecta fuerit, atq; impleta fuerit ſcriptura, quæ dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſticiam, & amicus Dei vocatus eſt. Videtis igitur quod ex operibus iuſtificetur homo, & non fide tantum?

Summa huius rationis hæc eſt: Qualis fuit fides Abrahæ, talis & aliorum credentium eſſe debet. (nam is pater credentium ideo dicitur, quia credẽtes eius fidem imitari debeant) Sed Abrahæ fides habuit adiuncta opera (quod ex eo probatur, quod tanti fecerit obœdientiam erga Deum, quod potius voluerit vnicum mactare filiũ, quam Deo non obœdire) Ergo & aliorũ fides opera adiuncta habere debet, quæ ſi non habuerit, merito inanis & mortua cenſenda eſt. HÆC argumenti ſumma eſt: nunc verba Apoſtoli perpendantur, quæ à Sophiſtis contra gratuitam iuſtificationẽ torquentur. PRIMVM occurrit verbum iuſtificatus eſt, quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, iuſtus declaratus eſt, ſeu compertus eſt iuſtificatus fuiſſe. Atq; hoc ita eſſe, tribus demonſtrationibus probo.

PRIMA ſumitur à ſcopo præſentis diſputationis. Non enim inſtituit Iacobus diſputationẽ de cauſsis iuſtificationis, ſed tantũ oſtendit ex quibus effectis iuſtificatio colligi & ho-

minum oculis quaſi ſubijci poſsit. CVM igitur maximus ſit error, ex effectis cauſſas facore reſpectu eiuſdem, nullo modo ſunt ferendi, qui ſcopi diſputationis & propoſitionis probandæ obliti, in ſublime feruntur, & conantur Pauli doctrinam de gratuita iuſtificatione conuellere, cum longe alius fuerit ſcopus Pauli, quã Iacobi. Paulus enim cauſſam iuſtificationis quærit: Iacobus eiuſdem effecta. Paulus à cauſsis ad effecta deſcendit: Iacobus contra, ab effectis ad cauſſas aſcẽdit. Paulus quærit quomodo iuſtificemur: Iacobus quomodo iuſtificati eſſe declaremur. Paulus excludit opera, tanquam iuſtificationis cauſſas: Iacobus includit eadẽ vt iuſtificationis effecta. Paulus negat opera præcedere iuſtificandos: Iacobus affirmat opera ſequi iuſtificatos. Cum tantum ſit diſcriminis inter conſiliũ Pauli & Iacobi, quis non videt Sophiſtarum vanitatem, qui Apoſtolos ſibi inuicem contrarios eſſe dicunt.

SECVNDA demonſtratio ſumitur ab ordine cauſſarum & effectuum. Geneſis 15. pronunciatur Abraham fide iuſtificatus eſſe: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſticiam. Verum hoc contigit triginta ad minimum annis, antequam mandatum acciperet de offerendo filio ſuo Iſaac, Geneſ. 22. Quomodo ergo fieri poteſt vt eo opere iuſtificatus eſſe diceretur, quod fecit 30. anno, poſtquam diuina voce iuſtificatus eſſe diceretur. Neceſſe eſt igitur iuſtificari apud Iacobum ſignificare iuſtificatum declarari.

TERTIA demonſtratio ſumitur à verbis angeli, Geneſ. 22. Poſtquã mactare filium ad Dei mandatũ propoſuiſſet Abraham, & à propoſito voce angeli reuocatus eſſet, audit ab angelo: Nunc cognoui, quod tu timeas Deũ, quia non peperciſti filio tuo vnigenito propter me. Quid, quæſo, hæc verba aliud volunt, quam ipſam ſpontaneam obœdiẽtiam Abrahæ fuiſſe timoris Dei teſtimonium, & iuſtificationis Abrahæ declarationẽ quandam. Atq; ita breuiter dictũ ſit, quid ſignificet iuſtificationis vocabulũ, in hac Iacobi diſputatione. DEINDE cum dicit, fidem fuiſſe cooperatam operibus, fidei viuæ naturã exprimit, nimirum quod ſit efficax & fœcunda bonorũ operum. Hanc naturã cum non habeat hypocritarum fides, nequaquã vera & viua iudicanda eſt. Hoc igitur dictũ Iacobi nihil aliud docet, quam quod bona opera proficiſcantur ex fide. QVOD ſubiungit Iacobus: Ex operibus fides perfecta fuerit, non aliud eſt, quã quod ex operibus fides Abrahæ ſit declarata non fuiſſe fucata & hypocritica, ſed vera & ſincera. Nam ſi perfectum hic ſuis gradibus abſolutũ dicas, nullus vnquam mortaliũ perfectam habuit fidem. PORRO cum dicit completã eſſe ſcripturam, quæ dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſticiam, id nõ ad cauſſam, ſed ad effectum referendũ eſt. Nam eo facto declarauit Abraham, ſe vere antea fide fuiſſe iuſtificatum. Iſtud ergo complere, ad experientiã hominũ, & nõ ad iudiciũ Dei referri debet.

Similiter autem & Rahab meretrix, an non ex operibus iuſtificata eſt, cum excepiſſet nuncios, & alia via emiſiſſet?

Alio exemplo probat fidem veram & viuam non eſſe ſine operibus. Rahab ſe fide iuſtificatam declarauit facto vel operibus, quando nuncios populi Dei, à quibus edocta fuit, cum periculo vitæ ſuæ dimiſit, ne venirent in manus eorum, qui eos quæſiuerunt.

Nam veluti corpus abſque ſpiritu mortuum eſt, ſic & fides ſine operibus mortua eſt.

Aptiſsima ſimilitudine propoſita oſtendit fidem hypocritarum vanam eſſe, vt quæ ſit inſtar cadaueris, in quo nullus ſpiritus viget, atque ideo nec vllus motus, aut ſenſus animalis in eo deprehenditur. Atque ita ſex firmis rationibus obtinuit Iacobus, fidem veram fœcundam eſſe bonorum operum, & fidem hypocritarum, quæ operibus deſtituitur, eſſe inanem iactantiam potius quam fidem.

DECLARATIO DOCTRINAE DE POENITENTIA.

CVM Chriſtus Euangelium definit prædicationem pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum in nomine ſuo: duo nobis proponit, quorum vnum eſt beneficium, quod Euangelium offert, Alterum, modus quo beneficium hominibus applicatur. Beneficium quod offertur eſt remiſsio peccatorum. Modus eſt pœnitentia. Pœnitentes enim ſoli participes fiunt remiſsionis peccatorum, cũ qua coniuncta eſt iuſtificatio, ſalus & vita æterna. HINC facile patet, quod nihil homini magis in hac vita neceſſarium ſit, quam intelligere qua in re ſita ſit ſalutaris pœnitentia, ſine qua nemini contingit remiſsio peccatorum. De hac ergo ſalutari pœnitentia dicam, atq; ita verbo Dei & illuſtribus exemplis rem declarabo, vt nemo non agnoſcat & veritatem, & perſpicuitatem.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

FVNDAMENTVM itaque prædicationis pœnitentiæ, abſque omni dubio eſt miſericordia Dei & gratia, iuxta hæc dicta: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Dei. Eſt autem regnum Dei, regnum gratiæ in quo Chriſtus rex & pontifex dominatur, Ierem. 36. Reuertatur vnuſquiſque à via ſua peſsima, & propitius ero iniquitati & peccatis eorum. Item. Nolo mortem peccatoris, reuertimini & venite. Item Reuertimini filij auertentes, & ſanabo auerſiones veſtras. Et Chriſtus dicit: Non veni in mundum vocatum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. HÆC teſtimonia ſatis cōuincunt, quod miſericordia per Chriſtum ſit fundamentum prædicationis pœnitentiæ. Eſt enim abſque omni dubio hæc vox μετανοεῖτε, ſeu, vt Prophetæ loquuntur, Conuertimini, non legis damnantis, ſed Dei miſerentis & offerentis ſalutem, vitam & abſolutionem à damnatoria legis ſententia. Quare nullum dubium eſt quin prædicatio pœnitentiæ ſit pars concionis Euangelicæ, præſertim cum conſtet legem prædicare peccatoribus pœnas æternas: & Chriſtus reſuſcitatus à mortuis affirmat pœnitentiam & remiſsionem peccatorum in ſuo nomine prædicandam eſſe. VERVM quia duo ſunt in homine quæ ipſum impediunt, quo minus ſua mala videat, & ad vocem Euangelij agat pœnitentiā & reſipiſcat: ignorantia & ſtupor: vtrique malo Dominus medetur. Ignorantiæ enim noſtræ, per legem occurrit. Nam per legis prædicationem deducit nos in cognitionem peccati, cuius nos pœnitere iubet Euangeliū, quo ſaluemur. Per legem, vt inquit Paulus, eſt agnitio peccati. Stuporem ſeu veternum excutit varijs modis: proponit comminationes æternæ mortis, denunciat iram non reſipiſcentibus, pœnis corporalibus, morbis & alijs modis caſtigat impœnitentes, tragica exempla ſtatuit ob oculos, vt Cain, Iudæ, Saulis, Achitophel & aliorum, quæ exempla Chriſtus applicat ad omnes cum inquit: Niſi pœnitentiā egeritis, vos omnes ſimiliter peribitis. Iram ſuam non raro varijs in cœlo, terra, mariq; ſignis teſtatur, nunc peſte, nunc bellis nos ad obœdiendum voci Euangelij excitat: proponit mortem filij, quæ teſtatur de ira Dei in peccatores niſi reſipiſcant, Actor. 2. Chriſtus, qui omnes oneratos & laborantes ad ſe vocat, vt conuerſi per pœnitentiam ab onere ſuo leuentur. Legiſperitum non agnoſcentem ſuum malum, ad legem mittit. PICTVRA huius rei pulcerrima habetur, Luc. 15. in filio prodigo. Hic primum fame preſſus ſentit ſuum malum. Deinde ſpes melioris fortunæ, ſi ad patrem rediret, animū reſipiſcendi iuueni dedit. Nam paternæ clementiæ fiducia, ad quærendam recōciliationem erigitur. Hoc paradigma docet clare, pœnitentiæ initium eſſe agnitionem diuinæ miſericordiæ, quæ nos ad bene ſperandum excitat, qui noſtra mala & pericula ſentimus. Vt enim hic iuuenis fiducia paternæ clementiæ fretus redit ad patrem, poſtquā fame edoctus, ſenſit ſua mala: Ita nos fiducia miſericordiæ in Chriſto redimus ad Deum, poſtquam legis prædicatione in cognitionē noſtri deuenimus, & ſenſu maledictionis & iræ Dei ſtuporem & veternum excuſsimus. QVÆ autem ſit ſalutaris & vera pœnitentia, & quibus conſtet partibus, ſcripturæ teſtimonijs & exemplis oſtendemus. Ieremias inquit: Conuertimini ad me filij reuertentes & ſanabo auerſiones veſtras. Item, Reuertatur vnuſquiſq; à via ſua peſsima, & propitius ero iniquitati & peccatis veſtris. HOC dictum duo continet, præceptum & promiſsionem. Præceptum eſt, vt reuertatur impius à vijs ſuis malis. Promiſsio eſt propitiationis & expiationis peccati. Hinc colligitur quod pœnitentia ſit conuerſio hominis ad Deum, in qua conuerſione diſceditur à malo, creditur promiſsioni propitiationis, & vitæ nouæ tranſigendæ iuxta voluntatem Dei ſit meditatio. Manifeſte proinde tres pœnitentiæ partes numerari debent, deſertio peccati ſeu cōtritio, fides, & noua vita.

ADAM in peccatum lapſus tegit ſe folijs ex arbore deſumtis, & ſuum malum non ſentit, nec adhuc promiſsionem de ſemine nouit. Verum cum accuſatur voce Dei comminantis ſibi mortem, agnoſcit quidem peccatum, quod illi etiam vehementer diſplicuit. Vnde in Adamo extitit quidem μεταμέλεια, id eſt, diſplicentia facti, non autem μετάνοια, hoc eſt, vera reſipiſcentia. Verum cum audit promiſsionem de venturo ſemine mulieris, contrituro caput ſerpentis & abolituro peccatum: conuertitur ad Deum vera pœnitentia, dolet ob peccatum, fide promiſsionis ſe erigit, Deum inuocat, cauetque ne rurſus contra conſcientiam Deum offendat.

DAVID lapſus in adulterium, veluti quodam veterno conſopitus, ſecurus viuit. Verum cum à Propheta arguitur, incipit ſuum ſcelus deflere, & exiſtunt in eo horrendi pauores, quales ipſe in Pſalm. deſcribit. Non eſt pax oſsibus meis à conſpectu peccatorum meorum: metuit enim æternas pœnas. Verum audita hac Prophetæ voce ex mandato Dei: Non morieris, Dominus abſtulit peccatum tuum: cōuertitur rurſus ad Deum & reſipiſcit, odit peccatum, fide confugit ad miſericordiam, dicens: Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam, promittit obœdientiam in poſterum. Os, inquit, meum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

annunciabit laudem tuam. Item:Docebo iniquos vias tuas, & peccatores ad te conuertentur. IN hoc etiam exemplo clare videmus & quid ſit conuerſio & quodnã eius ſit fundamentum, & quæ partes. huiuſmodi ſunt Manaſsis, Peccatricis, Latronis, Petri, Pauli exempla: quæ exempla cum ad regulam accommodamus, clariſsime veræ pœnitentiæ pictuas nobis proponunt. VERVM quia doctrina pœnitentiæ eſt prçcipua in Eccleſia, & valde vtile eſt de ea recte erudiri homines, volumus breuiter eius partes, vt in noſtris Eccleſijs ex verbo Dei & illuſtribus exemplis docentur, definitionibus illuſtrare. Sunt autem partes vt ſupra dictum eſt, contritio, fides, & noua obœdientia.

CONTRITIO non eſt diſplicentia facti qualis in Iuda fuit, ſed eſt veræ reſipiſcentiæ initium. videlicet, pauor conſcientiæ ob peccatum, verum peccati odium, & fuga peccati non ſine ſpe veniæ vt in prodigo filio apparet. Nam veram reſipiſcentiam neceſſe eſt præcedere noticiam miſericordiæ. Huc illud Ambroſij: Pœnitentiam nemo poteſt agere, niſi qui ſperat indulgentiam. Et illud Auguſtini. Non ſolum cum agitur pœnitentia, verumetiam vt agatur Dei miſericordia neceſſaria eſt.

FIDES eſt noticia, aſſenſus, & expetitio promiſſæ miſericordiæ, & in Chriſtum mediatorem firma fiducia. HANC definitionem etſi ſuperiora exempla & quartum cap. ad Rom. cõfirmant, tamen plures rationes de proprietate fidei ſubijciamus. Chriſtus pronunciat credentes ſaluos, ergo neceſſe eſt fidem ſignificare fiduciam promiſsionis, cum nemo ſola noticia ſaluetur. Deinde Paulus hanc fidem nunc hypoſtaſin, hoc eſt, firmã fiduciam. nunc πεποίθησιν, hoc eſt, fiduciam, qua quis ſibi certo perſuadet quod Deus & velit & poſsit præſtare quod promiſit. HÆC eſt ergo illa fides, qua ſola abſque operibus legis, Apoſtolus Paulus contendit hominem iuſtificari corã Deo. Nam fides ſola, qualem deſcripſimus, Chriſtum apprehendit atque eum cum ſuis omnibus beneficijs poſsidet. De hac ergo iuſtificatione, quæ fit fide in Chriſtum, claram & illuſtrem doctrinam proponam, & breuiter errores refellam, quibus hæc doctrina olim & noſtro ſeculo obſcurata eſt.

IVSTIFICATIO eſt hominis credentis in Chriſtum abſolutio à peccato, imputatio iuſticiæ Chriſti, & acceptio iuſtificati ad vitam æternam, gratis propter Chriſtum. In hac definitione quinque veluti elementa ſunt ſpectanda. PRIMVM, fides qua recipitur oblata gratia, vnde Paulus: Iuſtificamur fide. Eſt enim fides veluti manus quædam, qua oblatum Chriſtum cum ſua obœdientia recipimus, vt noſtra ſit iuſticia. SECVNDVM, emundatio ſeu abſolutio à peccato, per expiationem factam per Ieſum Chriſtum: iuxta illud Iohannis: Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni iniquitate. Huc & illud Dauidis: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Item, Beatus cui Dominus non imputauit peccatum. Quid autem ſit abſolutio, ex peccati definitione colligendũ. Nam vt peccatum eſt defectus à lege & voluntate Dei, cum obligatione ad mortem æternã & damnationem: Ita abſolutio eſt liberatio hominis ab obligatione mortis & damnationis. Quod autẽ iſta abſolutio contingat credenti in Chriſtũ, multa teſtantur teſtimonia. Qui credit in filium, habet vitam æternam. TERTIVM, imputatio iuſticiæ Chriſti. Huius enim obœdientia, mors, paſsio, reſurrectio, materia & fundamentum eſt noſtræ iuſtificationis. 2. Corinth. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo. Hanc iuſticiã Dei, quam dicit nos fieri in ipſo, definit Apoſtolus Rom. 5. cum ait: Quemadmodum per inobœdientiã vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: Sic etiã per obœdientiã vnius iuſti conſtituentur multi. EST igitur Chriſtiana iuſticia obœdientia Chriſti imputata credenti. Credenti enim in eum, qui iuſtificat impium, imputatur fides eius in iuſticiam. Ex his ſequitur & hoc, iuſticiæ qualitatẽ eſſe in Chriſto, ſed nobis imputari quod illi eſt proprium. Nam ad eum modũ iuſti ſumus coram Deo, qualiter Chriſtus fuit peccator. Vt enim is perſonam noſtram quodammodo ſuſcepit, quo reus noſtro nomine fieret, & tanquam peccator iudicaretur, non proprijs ſed alienis delictis, cum purus foret ipſe & mundus ab omni culpa, pœnamque ſubiret nobis, non ſibi debitam: Ita nos nunc iuſti ſumus in ipſo, non quia operibus noſtris ſatisfacimus iudicio Dei, ſed quoniã cenſemur iuſti Chriſti iuſticia, quam fide ſola induimus vt noſtra fieret. QVARTVM, acceptatio perſonæ ad vitam æternam. Nam hunc gradum ponit Paulus poſt iuſtificationem, Roman. 8. Quos iuſtificauit, hos & glorificauit. huc dictum Domini. Qui credit in me, non peribit, ſed habebit vitam æternam. QVINTVM, differentia gratis propter Chriſtum, gratis quidem vt omnia humana merita excludantur: Propter Chriſtum vero vt ſolum λύτρον vnigeniti filij Dei meritum adeo ingentis theſauri agnoſcatur.

ETSI autem hæc noſtra Eccleſiarum doctrina ſolidiſsimo verbo Dei nititur: tamen alij atq; alij errores contra illã paſsim ſparguntur. Sunt enim qui hanc hominis iuſtificationem collocant in operibus ab homnibus factis: alij eam cõſtare ex fide & bonis operibus ſi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

bus ſimul contendunt, nonnulli eſſentialem quandam iuſticiā ſtabilire conantur. Horum errores etſi confutant quæ diximus, tamen ſigillatim de illis nonnihil dicemus. QVI operibus hominē iuſtificari contendunt, facilius refutari poſſunt, cum apertiſsima oracula Dei iſti errori reclament. Dauid aperte clamat: Domine ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in cōſpectu tuo omnis viuens. & Paulus Rom. 3. propter hoc ex operibus legis, non iuſtificabitur omnis caro. Et ad Gal. Quotquot ex operibus legis ſunt, ſunt ſub maledictione. Item, Si iuſticia eſt ex lege, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Eſt igitur illorū dogma manifeſte falſum, qui hominem operibus iuſtificari, id eſt, iuſtū fieri, contendunt.

VERVM ad huius iuſtificationis declarationem, agnoſcimus cum Iacobo opera bona requiri, vt arbor bona ex ſuis fructibus cognoſcatur, nec eſt vlla controuerſia inter Paulum & Iacobum. Nam cum Paulus dicit, hominem non iuſtificari operibus: ſignificat hominem non iuſtum fieri, & ἀνέγκλητον coram Deo per opera. Verum cum Iacobus dicit, homines ex operibus iuſtificari, ſignificat homines iuſtos declarari per opera. At eorum, qui fide & operibus ſimul cōſtare dicunt iuſticiam, qua corā Deo iuſtificatur impius, ſpecioſa magis eſt oratio. Dicunt enim fidem iuſticiæ initium eſſe, & opera complementum. Quorū errorem confutat ſanctus Paulus his rationibus, Rom. 10. Teſtificor enim illis quod zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, ignorantes enim Dei iuſticiam, & propriam iuſticiam quærentes ſtabilire, iuſticiæ Dei nō ſubiecti fuerunt. Finis enim legis Chriſtus, in iuſticiam omni credenti. Hic Paulus reiectionis Iudæorum cauſſam facit, quod voluerunt ſuam iuſticiam cum Dei iuſticia coniungere, quæ eſt ex fide, ac ex vtraq; coniuncta vnam iuſticiæ formam conflare. DEINDE Rom. 11. ita ratiocinatur: Si gratia, non amplius ex operibus, alioqui gratia non amplius eſt gratia. Si autem ex operibus, non amplius gratia, alioqui opus non amplius eſt opus. Paulus primū hic duas ponit propoſitiones immediate cōtrarias. Si ex operibus eſt electio, & ſalus, nō eſt ex gratia. Si ex gratia, non eſt ex operibus, cum debitum & donū ita repugnent, vt neutrū de altero, nec ambo de tertio recte dici poſsint. Aut igitur fide ſola iuſtificamur & ſaluamur, aut operibus. ſed operibus nō iuſtificari quenquam probant ſuperius adducta teſtimonia. DEINDE ſi iuſticia Chriſtiana conſtaret fide & operibus ſimul, inepta eſſet argumentatio Pauli, Rom. 4. Operanti merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, at credēti in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides eius in iuſticiam. HIC Paulus duplicem iuſticiam ponit, quarū vna ab altera eſt diuerſa. Nam habent contrarias cauſſas. Fidei enim iuſticia, qua iuſtificatur credens, imputatur & gratis donatur, ſed operum iuſticia nō eſt gratuita. Præterea, ſi vna pars fidei, altera pars operibus tribuenda eſſet in iuſtificatione hominis: duo ſequerentur abſurda. Vnum quod promiſsio fieret incerta, quæ debet certa eſſe. Alterum quod Chriſti ſatisfactio non ſufficeret, niſi ſtabiliretur noſtris operibus. Quare Auguſtini dictum complectimur, qui dicit: Gratia eſt nullo modo, niſi ſit gratuita omni modo. Verum erroris Papiſtici occaſio fuit imaginatio philoſophica, quæ non nouit iuſticiam, niſi quæ in nobis ſit qualitas quædam. Non intelligit hominem imputatione alienæ iuſticiæ iuſtificari poſſe.

IAM ad eſſentialem iuſticiam veniamus, de qua primū ſciendum eſt, quod nullo pacto ſimus iuſti coram Deo, iuſticia Dei eſſentiali, niſi ratione efficientis cauſſæ principalis. Nam formalis iuſticia, qua nos coram Deo ſumus iuſti, non eſt aliud quam obœdientia Chriſti, ſicuti clare docet Paulus Roman. 5. Per obœdientiam vnius, iuſti conſtituentur multi.

EST autem obœdientia Chriſti duplex, crucis & legis. Obœdientia crucis (qua humiliauit ſemetipſum, & factus eſt obœdiens vſq; ad mortem crucis, Philip. 3.) expiat Dominus peccatum noſtrum. Obœdientiam legis nobis imputat credētibus, vt ea iuſti appareamus in conſpectu Dei. Hanc Chriſti iuſticiam ſeu obœdientiam, dicit Paulus imputari credentibus: ergo non eſt in illis vel inhærens ſubſtantia, vel qualitas, qua formaliter homo fit iuſtus. Quare firmiter tenēda eſt hæc aſſeueratio, quod iuſticia Chriſtiana eſt obœdientia filij Dei imputata credenti. VERVM interea & hoc tenendū eſt, quod ſcriptura meminit triplicis iuſticiæ hominis. Quarū vna eſt fidei, qua conſiſtimus coram Deo, & hęc eſt perfecta, vt Chriſti obœdientia eſt perfecta, nec minuitur nec augetur decremento vel incremēto fidei. Nā hanc & Publicanus plenā habuit & Petrus, tametſi Petri fides fuit multo illuſtrior.

ALIA eſt incoatio obœdientiæ, quæ & bonæ conſcientiæ iuſticia dicitur. Hæc non opponitur iræ Dei, quia non eſt perfecta legis obœdientia, eſt tamen neceſſaria, quia eſt fidei fructus proprius. ALIA eſt quæ expectatur adhuc, de qua ad Gal. 5. nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſticiæ expectamus. & 1. Iohan. 3. Cariſsimi, filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt: & omnis qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſe ſicuti ipſe eſt ſanctus. Hæc proinde iuſticia erit conformitas noſtri cum Deo, habitatio Dei in nobis, plena fruitio Dei, abſoluta dilectio. Et quanquam fatendum eſt cor-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

da credentium eſſe templa Spiritus ſancti,& Chriſtus dicit Iohan.14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud ipſum faciemus: tamen non ſequitur hanc habitationem Dei in nobis eſſe iuſticiam, qua conſiſtimus coram Deo, ſed eſt præſentia diuina in nobis, per quam renouamur, & cõſolationem ſentimus, ac æternam vitam incoamus. PRÆTERBA ſi hic homines iuſtificarentur iuſticia eſſentiali, non eſſet diſcrimen inter iuſticiam, qua in hac vita ſumus iuſti, & eá qua conformes erimus Deo in omni æternitate. Sed Paulus manifeſte diſcernit hanc ab illa. Nam fidei iuſticiam dicit nos nunc in hac vita habere, ſed expectare aliá iuſticiam quam Iohan. definit conformitatem, qua Deo erimus conformes, quæ conformitas inde emanabit quod videbimus eum ſicut eſt. NOVA obœdientia neceſſario cum fide coniuncta eſt, nam regeneratio quæ à fide iuſtificante abeſſe non poteſt, neceſſario ſuos producit fructus, qui in noua obœdientia conſpiciuntur. Poſtquam enim homo per regenerationis gratiam factus eſt noua arbor, debet nouos, id eſt, bonos fructus edere, quos Paulus Philip. vocat fructus iuſticiæ fidei. Iacobus ijſdem ſua peculiari phraſi homines iuſtificari, hoc eſt, iuſtos agnoſci ſeu declarari pronunciat. HÆC noua obœdientia alias ſanctificatio dicitur, quæ conſtat mortificatione & viuificatione. Ita enim Paulus ait: Chriſtus eſt nobis natus à Deo ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio. Sapientia noſtra fit in prædicatione Euangelij, iuſticia per expiationem peccati & imputationẽ iuſticiæ, ſanctificatio dum Spiritum ſanctum donat, qui naturam noſtram quodammodo conuertit, facitq; vt mortificato paulatim veteri homine, ſpiritu viuamus, hoc eſt, vt poſthac pietati erga Deũ, caritati erga proximũ, ſanctimoniæ vitæ ac diligentiæ in noſtra vocatione ſtudeamus. breuiter vt imperio ſpiritus nos totos committamus. In quocunque homine hæc regenerationis vis ſeu ſanctificatio non ſentitur, ibi nec fidem eſſe neceſſe eſt. Fides enim vera & ſalutaris ſpiritu feruet, & ſuos germanos fructus producere ſatagit, ac nihil magis in votis habet, quam ſpiritu Deum colere, & abundare omni cognitione & ſenſu. CVM hæc ſit vera iuſtificantis fidei & regenerationis proprietas eſt, quis poteſt ferre eorum vocem, qui totis viribus, voce & ſcriptis impugnant neceſsitatem bonorum operum, quæ ſane nos dicimus neceſſaria, non quidem vt merita & cauſſas ſalutis, nam immotum eſt illud Pauli dictũ, Epheſ.2. Gratia eſtis ſaluati per fidem (& hoc non ex vobis, Dei donum) non ex operibus, ne quis glorietur: ſed vt neceſſario comitantia fidem iuſtificam, & vt effecta regenerantis ſpiritus. PORRO vt magis intelligatur bonorum operum ratio, ſex quæſtiones de bonis operibus ordine explicabo. Sunt autem hæ quæſtiones. PRIMA, quæ opera docenda ſint & facienda. SECVNDA, Quomodo fieri poſsint. TERTIA, Quomodo placeant. QVARTA, Quæ cauſſæ bonorum operum. QVINTA, Cur promiſsiones ſint additæ bonis operibus. SEXTA, Quoniam omnes homines habent peccatum, merito quæritur, quorum obœdientia placeat & quorum non. CVM quæritur quæ opera docenda & facienda ſint, duo perpendere oportet: qui nos ſimus, & quis ille cui per opera præſtanda eſt obœdientia. CVM nos intuemur conſiderata noſtra corruptione, admonemur ne nos fingamus opera quibus Deum colere ſtatuamus. Per nos enim nequaquá intelligimus, quid vel placeat, vel diſpliceat Deo, & Dominus pronunciat, ſe fruſtra coli mãdatis hominum. Certo itaq; ſtatuamus, opera quantumuis ſpecioſa, excogitata ab hominibus, nequaquam poſſe boni rationem habere.

AT ſi Deum intuemur, monemur reuerentiæ erga illum, ex quo fit vt hoc ſolũ illi placere cogitemus, quod ipſe ſuo verbo præſcribit. Nam is ſolus eſt legiſlator noſter. Vtrunque complectitur Ezechiel. cap. 20. In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec Idolis eorum polluamini, Ego Dominus Deus veſter, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea cuſtodite & facite ea. ET Ezechiel. 33. Speculatorem dedi te domui Iſraël, audiens ergo ex ore meo ſermonem, annunciabis eis ex me. Hinc ergo manifeſte ſequitur, nec alia opera docenda, nec facienda eſſe, quam quæ nobis verbo Dei commendantur.

POSTQVAM mens pij hominis nouit, quænam opera ſint facienda, mox quærit quomodo fieri poſsint. Ad hanc quæſtionem ex duobus ſcripturæ dictis petenda eſt ſolutio: Apoſtolus dicit ad Heb. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Et Chriſtus dicit: Sine me nihil poteſtis facere. QVARE hęc ordine requiruntur, Primum cognitio Chriſti. Secundo fiducia Chriſti. Tertio viuificatio, qua nos Chriſtus per Euangeliũ viuificat & effundit in nos Spiritum ſanctum. Huc illud Eſaiæ 40. facit: Qui ſperát in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquila, current & non laborabunt, & ſi laborabunt non deficient. Nulla enim dilectio, nulla obœdiẽtia eſſe poteſt, niſi prius apprehenſa ſit miſericordia & reconciliatio propter mediatorẽ. In hac conſolatione diuinitas habitat in corde.

Quia

Quia æternus pater per filium conſolantem voce Euangelij, vere eſt efficax, & datur à patre & filio Spiritus ſanctus, accendens læticiá & inuocationem iuxta dicta: Effundá Spiritum gratiæ & precum. & in Iohan. Veniemus ad eum & manſioné apud eum faciemus. 2. Cor. 3. Intuentes gloriá Domini, transformamur ad eandem imaginem, hoc eſt, intuétes λόγον, qui eſt imago æterni patris, & in conſolatione oſtendit præſentiá & bonitatem Dei, efficimur ſimiles eius imaginis, Spiritu ſancto accendente corda. Poſtquam mens edocta eſt, quomodo fieri poſsint bona opera, quęrit præterea, quomodo placeant. Fruſtra enim fiunt niſi placeant. Pugnat pro patria Scipio. pugnat & Dauid, ſed non vtriuſq; opus placet Deo. Quare hic commode quæritur, quomodo placeant bona opera. Ad quam quæſtionem in genere reſpondemus, quod placeant in cõuerſis. Scipionis opera non placuerunt, quia non fuit conuerſus. At Dauidis militia placuit, quia fide erat acceptus Dauid. Verum hic tria ordine ſunt ſpectauda. Primum ſtatuendum eſt de perſona, quod ſit fide reconciliata & iuſta propter Chriſtum gratis. Deinde fatendum eſt quod perſona fide iuſtificata, nondum legi ſatisfacere poſsit. Nam hærent etiam in pijs multa interiora peccata. Hæc immundicies deploranda eſt, & repugnandũ dubitationibus & malis affectibus, & ſimul precandum veris gemitibus cordis, ne Deus nobis has ſordes quib. inuoluimur, imputet. Tertio etſi has noſtras ſordes agnoſcimus, nihilominus ſtatuendum eſt, quod & Deus poſtulet incoatá obœdientiam, & quod placeat hæc incoata obœdientia propter Chriſtum. Sic enim Petrus clare docet: Offerte hoſtias ſpirituales acceptas Deo propter Chriſtum, qui & propitiator eſt, & nunc pro nobis interpellat. Non ergo placet Deo obœdiẽtia noſtra, propter ſuam dignitatem aut perfectionem. Eſt enim per ſe indigna vt prodeat in cõſpectum Dei, nec ſatisfacit legi, vt dictum eſt, ſed placet propter perſoná reconciliatam, quæ propter Chriſtum vt iuſta habetur, ita etiam placet, etſi circumferat in carne peccatum & magná infirmitatem. Cum conſtet hominé nequaquam iuſtificari operibus, cõmode etiam quæri poteſt, quænam ſint bonorum operũ cauſſæ, quibus homines ad bene operandum accendi & impelli debent. Et numerantur tres cauſſæ grauiſsimæ, Neceſsitas, Dignitas, Præmium.

Neceſsitas quintuplex ſtatui poteſt. Mandati, Cultus, Debiti, Fidei retinendæ, Vitationis pœnarum, & conuerſionis ſeu regenerationis. Neceſsitas mandati eſt, quod Deus obœdientiam erga ſuam legem ſerio & ſeuere mandet. In præceptis, inquit, meis ambulate. & Paulus: Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Neceſsitas debiti officij indicatur Rom. 8. Debitores ſumus non carni ſed ſpiritui, non enim ſumus noſtri iuris, ſed eius qui redemit nos ſuo ſanguine. 1. Cor. 6. Neceſsitas fidei retinendæ commendatur nobis à Paulo: Si quis, inquit, ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Et rurſus: Milita militiam honeſtam, habens fidem & bonam conſcientiam, quarum neutra retinetur dum peccatis indulgetur. Neceſsitas vitationis pœnarum, confirmatur Dauidis teſtimonio: Propter iniquitatem, inquit, corripis filios hominum. Neceſsitas conuerſionis hoc dicto aſtruitur: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Cum igitur fit conuerſio, ſimul viuificatur homo fide, per Spiritum ſanctum. Præterea coniuncta eſt conuerſioni regeneratio, quæ eſt incoatio nouæ vitæ, noua lux, ſapientia, iuſticia & renouatio imaginis Dei in nobis.

SECVNDA cauſſa eſt Dignitas, quæ in hoc ſita eſt, quod homo conuerſus iam ſit filius Dei, iuxta illud: Dedit poteſtatem vt filij Dei fierent, quotquot credunt in nomen eius. Quanta dignitas eſt, quod credentes ſint templum Spiritus ſancti viuentis? quod Chriſtus in ipſis habitet per fidem? quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ad illos venire, & in eis manſionem facere velint? quod Chriſti ſint membra? Econtra, perpende quantum ſcelus ſit, filios Dei imaginem hoſtis referre, quantum periculum ſit templum Dei Satanæ fœtore conſpurcare: quam immane ſit Deum è ſuo hoſpitio exturbare. Quare filios Dei decet imitari patrem cœleſtem, qui dicit: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Hinc Paulus dicit nos vocatos ad ſanctificationem, non ad immundiciem.

TERTIA cauſſa eſt Præmium, hoc eſt, compenſatio patientiæ & obœdientiæ credentium Hoc quidé præmium non datur propter operis in ſe dignitatem, ſed propter promiſſionem ex gratia. Cum bona opera à pijs facta, ſint & debita ſeruorum officia, & imperfecta atq; contaminata: quæri poteſt cur Deus promiſsiones bonis operibus adiecerit. Et numerari poſſunt quinq; cauſſæ. Prima, vt ſint teſtimonia prouidentiæ Dei. Vult enim ſciri Deus & bona corporalia res eſſe ab ipſo creatas & non caſu ſpargi, ſed ab ipſo Eccleſiæ dari & conſeruari iuxta dictum: Ipſe eſt vita tua & longitudo dierum tuorum, in diebus famis ſaturabuntur, diuites eſurierunt, timenti autem Dominum non deerit vllum bonum. SECVNDA, vt ſint teſtimonia, quod Deus velit etiam in hac vita ſeruare Eccleſiam. Qua-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

re Paulus 1. Timoth. 4. inquit: Pietas habet promiſsiones præſentis vitæ & futuræ. Quia enim vult Deus immenſa ſua bonitate colligere Eccleſiam propter filium mediatorem, ſeruat hunc ordinẽ naturæ, fœcundat terram, vt alat Eccleſiam etiam in hac vita, & cùm propter Eccleſiam cæteros paſcat, nos præcipue gratos eſſe decet. TERTIA, Quia vult Deus & neceſsitatem corporalem eſſe commonefactionem de fide, inuocatione, ſpe, gratiarum actione: Ideo promiſsiones edidit, & quidem vult hæc ipſa bona fide peti & expectari, & in hac petitione & expectatione fidem, ſpem, patientiam creſcere. QVARTA, Vt ſint commonefactiones de promiſsione gratiæ, quia fidem, quæ agnoſcit filium & accipit reconciliationem, oportet ſemper prælucere in petitione corporalium rerum, & quidem propter filium cæteræ promiſsiones editę & ratæ ſunt. Hæc omnia cõprehenduntur in dicto: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. QVINTA, Quia Deus vtrumq; vult ſciri, & ſubiectam eſſe Eccleſiam cruci, & tamen inter ipſa pericula mirabiliter ſeruari in hac vita, vt vniuerſa admiranda conſeruatio Eccleſiæ & omnes mirandæ liberationes, ſint teſtimonia pręſentiæ Dei in Eccleſia, vt dicitur Num. 14. Vt ſciant Ægyptij quod tu Domine ſis in hoc populo. Ioſuę 3. Scietis quod Domin⁹ Deus in medio veſtri ſit. 1. Reg. 17. Vt ſciat omnis terra, quod ſit Deus in Iſrael. Eſaiæ. 37. Ecce nunc Dominus Deus, ſalua nos de manu Zenacherib, vt cognoſcant omnia regna terræ, quod tu ſolus ſis Dominus. Cum omnes homines habeant peccatum, recte quæritur quorum obœdientia placeat, quorum non. Ad hanc quæſtionem ita reſpondemus. Peccata ſunt duplicia: quædam fiunt à ſcientibus & volentibus contra conſcientiam, qualia in credentibus non ſunt. Nam ſi credens labitur contra cõſcientiam, excutit Spiritum ſanctum, abijcit fidem, & reus fit iræ Dei, & niſi agat pœnitentiam ruit in æternam pœnam. Præterea deficientes à fundamẽto, hoc eſt, aliquem articulum fidei abijcientes, ſiue eum intelligant, ſiue nõ intelligant, decepti præſtigijs Diaboli: deſinunt eſſe ſancti, & excutiunt Spiritum ſanctum, & fiunt rei æternæ iræ, vt Cherinthus, Ebion, Arius, Fotinus & ſimiles hæretici. QVÆDAM peccata fiunt non contra conſcientiam, vt caligo, dubitatio, multæ omiſsiones & vitioſi affectus, quibus malis ſancti repugnant, & credunt ea deleri propter mediatorem. Etſi autem hęc immundicies eſt in ſanctis, tamen placent propter filium, fide accipientes remiſsionem peccatorum, iuxta illud: Beati quorum tecta ſunt peccata. Et Paulus: Si actiones carnis Spiritu mortificetis, viuetis. Hæc copioſius de ſalutari pœnitentia & eius partibus dicere volui, vt clare à quouis veræ pœnitentiæ ſeu conuerſionis ad Deum ratio intelligatur, vt ordo partium pœnitentiæ conſideretur, vt quod cuiq; proprium eſt illi tribuatur, vt non confundamus partium proprietates, vt intelligamus gratuitam eſſe iuſtificationem & ſalutem, vt non ſpoliemus fidem ſuis proprietatibus. Breuiter, vt fide gratis propter Chriſtum iuſtificati, Deo ſuam tribuamus gloriam & cultum, & exerceamus nos in omni genere bonorum operum, donec in hac vita nobis peregrinandum erit, quam ſequetur plena redemtio per Chriſtum vnicum ſaluatorem noſtrum, cui honor in ſecula ſeculorum, Amen.

CAPVT III.

Summa Capitis tertij.

Quemadmodum ſuadet ne quis temere magiſterij ius ſibi vendicet, ſed potius linguam ſuam refrenet: Ita ſapientiam per conuerſationem modeſtam probari poſtulat, potius quam per contentionem & zelum, vnde plurima mala proueniunt.

Ordo & partes Capitis tertij.

Duæ ſunt partes huius capitis. Prior de non temere affectando magiſterio in alios, ſed potius refrenandam linguam eſſe.

Altera de vſu ſapientiæ & donorum ſine zelo & contentione. Vtraq; pars ſuis comprobatur rationibus.

EXEGESIS TERTII CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Nolite

NOLITE plures magiſtri fieri fratres mei.

Senſus propoſitionis huius per ſe conſideratæ eſt ambiguus, verum ſi ad rationes, quibus confirmatur propoſitio, quemadmodum neceſſe eſt fieri, reſtringitur, facilis eſt ſenſus. Cum ergo rationes omnes, quę ſubijciuntur, petulantis linguæ incommoda cōtinent, neceſſe eſt hic Magiſtros accipere pro ijs qui ſibi ius cēſorium in alios ſumunt, ſeuereq; & rigide aliorum facta ad examen reuocant, ac interim propria vitia non cernunt. Non damnat igitur hic correptionem fraternam, quæ ex fide & caritate proficiſcitur, quæ habet mandatum Chriſti, & eſt fundamentum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſed leuitatem, ambitionem & ſuperbiam eorum damnat, qui non tam ædificationem ſpectant, quam calumniandi & obtrectandi ſtudium ſectantur. Chriſtus Matth. 23. Vos nolite vocari Rabbi, vnus enim eſt Magiſter veſter Chriſtus. Vos autem omnes fratres eſtis. Et patrem nolite vocare vobis in terra, vnus enim eſt pater veſter, qui in cœlis eſt, &c. ſi quis contendit ex his, non licere, vt aliquis pius, magiſtri titulum aut doctoris ſibi vſurpet: ei obijcio appellationis paternæ prohibitionem. Nam non minus hic prohibemur vocari patres, quam magiſtri. Quare cum patres vocari non ſimpliciter prohibetur, ſed ſecundum quid: ita nec ſimpliciter prohibemur vocari magiſtri, aut doctores. Senſus ergo hic ſpectandus eſt. Chriſtus non moratur quo titulo vocaris, modo ſub illius magiſterio maneas, ac alas fraternam concordiam ſine ambitione & aliorum contemtu. Paulus ſe vocat magiſtrum & doctorem gentium, non tamen violauit hoc Chriſti mādatum, ſed potius obtemperauit illi. Nam eo pertinebat ipſius magiſterium, vt omnes ſubijceret imperio Chriſti. Qui ergo vel ex Iacobi verbis, vel ex Domini interdicto damnant promotiones ſcholaſticas, vim faciunt ſcripturæ, ac vtilem Reipub. literariæ adminiſtrationem labefactant. Abſit ambitio, omnes ſubijciamus nos magiſterio Chriſti, ac œconomiam ſcholaſtica m reuerenter retineamus.

Scientes quod maius iudicium ſumturi ſimus.

PRIMA ratio à pœna ſumitur: Qui faciles ſunt ad alios damnandos, qui tamen ipſi ſimilibus vitijs laborant aut grauioribus, iram Dei in ſe prouocant. Nam cum caritas operit peccatorum multitudinem, & ipſi libidine laborant peccata aliorum retegendi, ſatis declarant ſe caritate vacuos eſſe.

In multis enim labimur omnes.

SECVNDA ratio à communi imbecillitate ſumta. Debet enim communis infirmitas & facilitas in lapſum, monere nos, ne rigidiores ſimus in alios. Sunt autem lapſuum cauſſæ hæ præcipuæ. 1. Inhabitans peccatum. 2. Inſidiæ Diaboli multiplices. 3. Exempla maximæ partis mundi, eaq; peſſima. 4. Negligentia in gubernatoribus morum & diſciplinæ, vt in parentibus, miniſtris Euangelij & politicis rectoribus.

Si quis in ſermone non labitur, hic perfectus eſt vir, vt qui poſsit freno etiam moderari totum corpus.

TERTIA ratio ab vtilitate frenatę linguæ. Qui linguam ſuam moderari poteſt, perfectus eſt vir, id eſt, integer eſt, alijſq; multis virtutibus præditus. Ergo qui linguæ ſuæ petulanter indulget, nequaquam integer eſt, multis enim alijs vitijs eſt pollutus. Proinde non temere ius cenſendi aliorum mores captandum eſt.

Ecce equis frena in ora inijcimus, vt obœdiant nobis, & totum illorum corpus circumagimus. Ecce etiam naues cum tantæ ſint, & à ſęuis ventis pulſentur, circumaguntur à minimo gubernaculo, quocunq; affectus dirigentis voluerit: Ita & lingua puſillum eſt membrum & magna iactat.

QVARTA ratio ſimiliter ſumitur à continentis linguę vtilitate & commodo. Quemadmodum enim frenum in os equi iniectum, totum corpus equi circumagit, & vt gubernaculum nauis, nauem totam dirigit: Ita lingua continens magna iactat, id eſt, res magnas efficit, hominemq; totum quaſi in perfectionis viam deducit: cum contra, petulans lingua laxato freno & ſoluto gubernaculo perſimilis eſt.

Ecce exiguus ignis quantam ſyluam in

Quinta ratio ab incōmodis linguæ

cendit,

cendit, & lingua ignis eſt & mundus iniquitatis. Sic, inquam, lingua conſtituta eſt in membris noſtris, inquinans rotum corpus & inflammans rotam natiuitatis & inflammatur à gehenna.

effrenis & petulantis. Quemadmodú, inquit, ignis exiguus totam ſyluá incédio abſumit: Ita exigua lingua multorum vitiorum veluti incédium eſt, quæ tametſi eſt parua, múdus tamen eſt iniquitatis, hoc eſt, congeries & cumulus omnium ſcelerum. Vt itaq; in exiguo igni, vis eſt inflammandi magnam ſyluam: ita in lingua parua, vis eſt inquinandi totum hominis corpus & inflammandi rotam natiuitatis, vbi ipſa prius inflammata fuerit à gehenna. Sed quid eſt rota natiuitatis, & quid linguam inflammari à gehenna? Vt rota natiuitatis eſt ipſe orbis conditus: ita inflámari à gehenna, eſt ab ipſo Satana afflari linguá, quo fit idoneum flabellũ omnib. malis in mundo excitandis. Huc illud Menandri: ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστὶν αἴτια κακῶν. Quam verũ hoc ſit, lingua Mahomet & aliorũ hæreticorum teſtatur.

Omnis enim natura ferarum & volucrum, ſerpentum & marinorum, à natura humana domatur & domita eſt: linguam autem nullus hominum domare poteſt, vt quæ malũm incoërcibile eſt.

SEXTA ratio à comparatis ſumta. Domari poſſunt feræ, volucres & beluæ marinæ: Lingua autem effrenis & conſuetudine obtrectandi aſſueta, nullo modo domari poteſt: Maximũ igitur malum eſt. Proinde ſummopere cauendũ, ne frena linguæ nimium laxentur.

Plena veneno mortifero, per illam benedicimus Deum, & patrem, & per ipſam execramur homines ad ſimilitudinem Dei factos. Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio.

SEPTIMA ratio ſumta à venenatæ linguæ prodigioſa incõſtantia. Hæc enim ſimulat ſe Deum benedicere, ſed mox eũdem execratur in ſua imagine, quo ſcelere quidnam poteſt eſſe maius?

Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.

OCTAVVM argumentum ab inconuenienti ſumtum, nõ decet Chriſtianos iſta petulantia, quare in primis fugienda eſt.

An fons ex eodem foramine manat dulce & amarum? nunquid poteſt fratres mei, ficus oleas proferre, aut vitis ficus? Sic nullus fons ſalſam & dulcem gignere aquam.

NONA ratio ab impoſsibili. Quéadmodum impoſsibile eſt fontem ex eodem foramine, poſſe eijcere dulcé & amaram aquam. Neq; enim id magis fieri poteſt, quam ſi ficus oleas & vitis ficus proferre poſsit: Ita impoſsibile eſt, quod ea lingua, quæ maledicẽdi & obtrectandi morbo laborat, poſsit aliquid boni promere nõ vitiatum linguæ & cordis veneno. Quare cum ita ſit, lingua benedicendi tãtum ſtudio occupabitur, modo quis pius & inter filios Dei cenſeri velit. Proinde nemo temere cenſendi ius ſibi vſurpet.

Quis ſapiens & intelligens inter vos? oſtendat ex honeſta conuerſatione opera ſua in manſuetudine ſapientiæ.

Hactenus ſuperciliũ ſuperborum cenſorum depreſsit, & firmis rationibus petulantiam linguæ refrenauit: Iam quia iſtud malũ proueniebat ex ſapientiæ opinione, veram ſapientię moderationem cõmendat, eiuſq; vſum in vita & conuerſatione tradit. Eſtq; hæc propoſitio: Vera ſapientia & ſcientia pollens, oſtendat eam operibus honeſtæ & manſuetæ cõuerſationis, tanquam eius germanis & perpetuis fructibus.

Quod ſi zelum amarum habeatis & cõtentionem in cordibus veſtris, nolite gloriari & mendaces eſſe aduerſus veritatem.

PRIMA ratio propoſitionis à repugnantibus ſeu contrarijs effectis. Qui zelo amaro & contentionis libidine laborat, fruſtra gloriatur ſe ſapientem eſſe. Nam iſti affectus praui cum natura ſapientiæ veræ, quæ honeſtatis & manſuetudinis amans eſt, pugnant. Eſſe mandacem aduerſus veritatem hoc loco, eſt falſo ſibi ſapientiæ nomen vſurpare.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Non eſt hæc ſapientia ſuperne deſcẽdens, ſed terrena, animalis, dæmoniaca.

SECVNDA ratio à cõtrarijs cauſſis. Sapiẽtia cum qua amaritudo animi & contentionis libido ſunt coniuncta, eſt terrena, animalis, dæmoniaca: Ergo non eſt vera ſapientia. Nam vera ſapientia eſt cœleſtis, ſpiritualis & diuina. Iacobus hoc loco non damnat Phyſicam ſapientiam, quæ eſt bonum Dei donum per ſe, cuius nullam facit hic mentionem, ſed prauos hominum affectus, & inanem iactantiam diuinæ ſapientiæ.

Vbi enim zelus eſt & contentio, ibi ſeditio & omne opus prauum.

TERTIO ratio ab incõmodo zeli & contentionis, quæ inanem ſapientiæ opinionem ſectantur. Experientia ſatis conuincit, quod vbi homines zelo amaro & cõtentionis libidine laborant, illis ad ſeditionem & omnia praua ianuam eſſe apertam, id quod plus ſatis afflicta Germania hodie experitur.

Quæ autem ſuperne eſt ſapiẽtia, primum quidem pura eſt, deinde pacifica, moderata, tractabilis, plena miſericordiæ & fructuum bonorum abſque dijudicatione & ſine hypocriſi.

QVARTA ratio ab adiacentibus, ſeu adiunctis veræ & cœleſtis ſapientiæ. Hæc adiuncta antitheſi declarabimus. Terrena ſapientia eſt affectibus corrupta: cœleſtis, pura, & caſta, affectibus nõ vitiata. Terrena ſapientia contentionis libidine laborat: cœleſtis eſt pacifica, id eſt, ſtudioſa pacis conciliandæ inter homines. Terrena ſapientia eſt rigida & dura, cœleſtis eſt moderata, cedit rigori. Terrena ſapientia nemini vult cedere: cœleſtis tractabilis eſt, & facile imperanti recta obtemperat. Terrena ſapientia immiſericors eſt, cœleſtis eſt plena miſericordia & bonis fructibus. Terrena ſapiẽtia perſonas accipit omiſſa cauſſa: cœleſtis eſt ἀδιάκριτος, id eſt, ἀπροσωπολήπτης, vt quæ minime perſonas reſpicit, ſed cauſſas: Illa enim hypocriſin habet adiunctam: hæc caret omni hypocriſi.

Fructus autem iuſticiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.

QVINTA ratio à fructu, qui ad eos venit, qui ſapientia, atq; adeo alijs donis Dei pacifice ad ædificationẽ vtuntur, & regulam catholicam de vſu, non ſolum ſapientiæ, verumetiam aliorũ donorum tradit. Nam vt ſapientia: ita de alijs donis, veluti iuſticiæ fructibus vult nos vti pacifice in ædificationem. Quod ſi fecerimus, iuſticiæ noſtræ fructus aliquando læti metemus.

CAPVT IIII.

Summa Capitis quarti.

Vt concupiſcentijs, vnde lites naſcuntur, & humanis deſiderijs excluſis, Deo adhæreant, potiuſq; in luctu, quam inani mundi gaudio viuant, hortatur: Ita vt abiecta mutua obtrectatione, nihil ſe temere facturos præſumant, grauiter monet Apoſtolus.

Ordo & partes Capitis quarti.

Etſi vnus ſcopus huius capitis eſt, ne quid auare, fraudulenter & temere agant fideles, ſuis indulgentes concupiſcentijs: tamen eius partes quatuor conſtituo, vt prima ſit obiurgatoria dehortatio à ſtudio priuatarum rerum per concupiſcentias, vnde multa mala oriuntur, cui confirmatio adiungitur. Secunda, conſilium ſeu remedium aduerſus incendium concupiſcentiarum proponitur. Tertia, diſſuaſio eſt ab obtrectandi & damnandi alios libidine. Quarta, temerariæ præſumtionis in conſilijs & rebus agendis correctio eſt.

EXEGESIS CAPITIS QVARTI, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

VNDE bella & lites inter vos? nonne hinc ex voluptatibus veſtris, quæ militant in membris veſtris?

Fontem omnis cõtentionis & mali inter homines monſtrat eſſe cupiditates animi, quibus homines ferũtur ad ea appetenda, quę ſibi grata & ſuauia eſſe iudicant. Cum voluptates dicit militare in membris, reſpicit ad regnum peccati originis, quod tum dicitur Paulo Apoſtolo regnare, cum ei per ſuas cõcupiſcentias, quæ veluti milites eius quidam ſunt, obtemperamus. Has dicit militare in membris, quia membra corporis inſtrumenta ſunt, quibus opus ſuum peccatũ inhabitans peragit, & quibus homines ad perpetranda ſcelera vtuntur. Res autem in ſumma ſic ſe habet. Concupiſcentiæ fons eſt peccatum originis. Concupiſcentia paſsiua & inuolũtaria irritatur à peccato originis, idq; miniſterio vel ſenſus vel cõplexionis, vel memoriæ. Voluntas in conſenſum commouetur, vnde naſcitur cõcupiſcentia actiua & voluntaria. Huic imperanti, iam mẽbra corporis ad opus perpetrandum ſe accommodant & obſequiũ præſtant, quod cum fit, peccatũ quidem originis regnare, Concupiſcentiæ vero militare, dicuntur, tyranno peccato morẽ gerentes, & militia ſua per membra corporis perfungentes. Ne autem hoc fiat, prohibet Paulus cum inquit. Ne igitur regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt ei obœdiatis per concupiſcentias ſuas.

Concupiſcitis & non habetis, inuidetis & æmulamini & non poteſtis obtinere, pugnatis & belligeramini, non tamen obtinetis, propterea quod non petitis & non accipitis, propterea quod male petitis, vt in voluptates veſtras inſumatis.

Deſcribit graphice prauos motus & ſtudia eorum, qui rei augendæ auare dant operam, vt ſuis voluptatibus proſpiciatur. Concupiſcunt enim res alienas, inuident habentibus, æmulantur, id eſt, ſtudioſe affectant; & pleno impetu feruntur, contentiones ſectantur, vt per fas & nefas quæ cupiũt obtineant. Interdum etiam Deum precibus ſollicitant, ſed fruſtra, quia male petunt, quæ ſibi in perniciem cederent, ſi acciperent. Videmus hic quam apte auarorum ſollicitudinem pro rebus agendis deſcribit. Pro φονεύετε omnino legendum eſt φθονεῖτε, ex cognatione vocum irrepſit error.

Adulteri & adulteræ, an neſcitis quod amicitia huius mundi inimicitia eſt Deo? Quicunq; ergo voluerit amicus eſſe mundi: inimicus Dei conſtituitur.

PRIMA propoſitionis ratio, qua confutat peruerſam eorũ opinionem, qui ſimul pij eſſe & ſectari mundi voluptates voluerunt, id autem fieri poſſe, impoſsibile eſſe oſtendit. Nam alia placent mundo, alia Deo, & Deus & mundus contraria omnino imperant. Cum igitur vnuſquiſque aut amicus mundi erit & inimicus Dei: aut amicus Dei & inimicus mundi, par eſt, vt qui Chriſtianus eſſe cupit, renunciet mundi amicitiæ, id eſt, concupiſcentijs mundi prauis, & Deo adhæreat, eiq; obœdiat. LOCVS hic congruit cum illo Chriſti: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Hinc manifeſtum eſt, multos gloriari hodie de Chriſtiano nomine, qui re ipſa ſunt hoſtes Dei prophani, & abominabiles corã Deo. Ad Titum 1. Deum profitentur ſe ſcire, ſed factis negant, quia ſunt abominabiles & cõtumaces, & ad omne opus bonum reprobi. POSTREMO adulteros & adulteras hic vocat deſertores Dei, vt qui Deo relicto, cui tanquam marito prius adhærebant, alijs amatoribus adhæreant.

An putatis quod inaniter ſcriptura dicat? Ad inuidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis.

Probat inter mundum & Deum amicitiam non poſſe conſtare, idq; à ſcripturæ teſtimonio: quod teſtimonium etſi his verbis non habetur in Biblijs, quoad ſenſum tamen attinet, ſæpiſsime occurrit. Congruit enim cum illo Geneſ. 6. Vidit Deus quod figmentum cogitationum cordis hominis eſſet malum omni tempore. Et cum illo Geneſ. 8. Figmentum cor hominis malum à pueritia ſua. His teſtimonijs ſignificatur quod homines nõ regenerati, toto impetu ferantur in malum, quod ſane cum Deo optimo aduerſetur, qui bona & vult & cogitat: non poteſt aliud fieri, quam ſit quædam mundi & Dei inimicitia.

Sed

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sed maiorem offert gratiam, propterea dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Secunda ratio ſumitur à præmio. Deus promiſit humilibus, id eſt, pauperibus ſpiritu, & mundi vanas concupiſcentias contemnentibus, gratiam, quæ potior eſt omnibus mundi delitijs & diuitijs. Hanc ergo Chriſtiani quærant potius, quam illam mundi gratiam & mundi voluptates, quas ſectantur ſuperbi. Verum vt illis gratiam largitur: Ita his reſiſtit, vt acerrimus hoſtis.

Subijcite vos Deo, reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.

Iam tradit remedia contra malum concupiſcentiæ. Subijcere ſe Deo, eſt Dei verbum vitę regulam ſibi proponere, ac ſe iuxta verbum ſubijcere in omni obœdientia. Reſiſtere Diabolo eſt concupiſcentijs reluctari, quæ ſunt inſtrumentum Satanæ, per quod homines in exitium trahit. Huc addit promiſsionem: Et fugiet à vobis, hoc eſt, vobis nihil nocebit, non euertet vos ſuis technis & dolis.

Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, emundate manus ô peccatores & purificate corda, duplices animo.

Mandat & promittit. Mandat vt Deo appropinquemus, ſcilicet, fide & vera obœdientia. Vt enim à Deo recedere dicitur, qui mundi indulget concupiſcentijs, per quas Diabolo appropinquat: Ita qui ab his recedit, Deo appropinquare dicitur. Promittit, cum ait: Et appropinquabit vobis. Hæc promiſsio nititur perpetuo affectu Dei erga genus humanum, quo non vult mortem peccatoris. Peccatores vocat hic manifeſtam impietatem exercentes, & Duplices animo, qui verbis ſe Deum colere dixerunt, & interea ſuas concupiſcentias ſectati ſunt.

Affligimini & lugete & flete, riſus veſter in luctum conuertatur & gaudium in mœrorem.

Hoc opponit voluptatibus eorum, qui ſuis concupiſcentijs indulgent, & in ijs rident & lætantur. Decet enim pios, vt potius lugeant & affligantur, atq; ita pudefiant propter commiſſa ſcelera, vt demittant præ pudore vultum in terram, id enim ſignificat græca vox κατήφεια, qua hic vſus eſt Apoſtolus.

Submittite vos in conſpectu Domini & eriget vos.

Quia pij in mundo iacent cõtemti & ſpreti, animat eos Apoſtolus & iubet, vt maneant in ea ſubiectione, qua Deo ſubiecti ſunt in vero timore: & conſolatur eos dum dicit fore, vt Deus aliquando ipſos erigat & abſtergat lacrymas à facie eorum. Erigendi enim vocabulo, ſignificatur conſolatio aduerſus præſentis vitæ luctum, & liberatio ab omnibus huius vitæ ærumnis.

Ne alij aduerſus alios loquamini fratres. Qui loquitur contra fratrem, & qui damnat fratrẽ ſuum, loquitur contra legem & damnat legem. Quod ſi damnas legem, non es factor legis, ſed iudex.

Rurſus linguæ petulantiam in accuſandis & damnandis alijs reprimit, addita ratione firmiſsima à facti grauitate. Nemo debet loqui contra legem & eam damnare. qui loquitur contra fratrem, eumque damnat, contra legem loquitur & eam damnat. Proinde nemo debet loqui contra fratrem ſuum, eumq; damnare. Minorem probat, quia qui legem damnat, non eſt obſeruator legis ſed iudex. Eſt autem legem damnare, eius autoritatem reijcere, & ſibi ius illud vendicare, quod eſt legis, & ita rerum ordinem peruertere. Legis enim eſt, normam vitæ præſcribere & de factis iudicare. Hominis vero eſt ſe autoritati legis ſubijcere, eamq; obſeruare. Qui autem contra facit, hoc eſt, qui ſumit ſibi cenſoriam poteſtatem in alios, quod legis eſt proprium, ſibi ſacrilege arrogat. IACOBVS hoc loco loquitur contra eos tantum, qui ex peruerſo iudicio contra fratres loquuntur, vt eorum bonam famam obſcurent, & ſibi ſanctitatis opinionem concilient: non reprehendit eos, qui ex officio iudicant, modo legis autoritatem & regulam in iudicando ſequantur. Qui enim hoc facit, non tam iudicare ipſe, quam Dei iudicium pronunciare dicendus eſt, id quod videmus hic Iacobum aliquoties feciſſe.

Vnus eſt legislator & iudex qui poteſt ſeruare & perdere, tu quis es, qui iudicas alium?

Quod Dei proprium eſt, nemo ſine ſacrilegio ſibi vſurpare poteſt. Dei proprium eſt legislatorem & iudicem eſſe, quod ex eo patet, quod ſolus poteſtatem ſeruandi & perdendi habeat. Ergo nemo ſibi hoc ius vſurpare poteſt, ſine ſacrilegio. Loquitur & hic Iacobus, vt ſupra monui, de temerario iudicio ex libidine obtrectandi orto.

Age nunc quid dicitis: hodie & cras eamus in illam vrbem, & tranſigamus annum vnum, & mercemur & lucremur (qui ignoratis quid cras futurum ſit: quæ eſt enim vita veſtra? vapor enim eſt, qui ad exiguum apparet & deinde euaneſcit) pro eo quod dicere deberetis: Si Dominus voluerit & vixerimus, faciemus hoc vel illud.

Hæc correctio eſt temerariæ præſumtionis in cõſilijs de rebus agẽdis, & præſcribit duas conditiones, quas in omnib. deliberationibus requirit. Prima eſt, vt voluntati Dei locum faciamus, nihilque tentemus ſine ipſius imploratione. Huius cõditionis cauſſa eſt, quod voluntas Dei pijs agendi regula eſſe debet. Altera conditio eſt, vt ſemper de vitæ noſtræ fragilitate cogitemus, quæ cum inſtar vaporis eſt, ad exiguum tempus durantis: ſtultus eſt qui futura & incerta ſibi promittit. ADMONEMVR proinde hoc loco, vt ita in omnibus actionibus nos geramus, quo poſsimus eſſe parati, cum nobis hinc migrandum erit.

Nunc autem gloriamini de arrogantia veſtra. Omnis huiuſmodi gloriatio mala eſt.

Vnde iſta in rebus agendis præſumtio naſcitur, indicat: nempe ex arroganti gloriatione, quæ cum ſit mala ſemper & fugienda: merito eius quoq; proles fugienda eſt.

Igitur qui nouerit & non facit, peccatum eſt ei.

Hæc concluſio directa eſſet: Nemo igitur ex vana gloriatione debet temere aliquid agendum ſibi proponere, quaſi euentus in ſuis manibus poſitus eſſet. Verum in huius concluſionis locum, ſubſtituit exaggerationem eius peccati quod reprehendit. Grauius peccat qui volens & ſciens peccat, quam qui ex ignorantia delinquit. Quare excuſari non poteſt, qui nouit quid faciendum ſit & quomodo, non tamen facit.

CAPVT V.

Summa Capitis quinti.

Obiurgatis diuitibus, & pauperibus ad patientiam incitatis, vt temerarium iuramentum vetat & conſilia laborantibus communicat: Ita mutuam erratorum veniam, mutuas preces & diligentiam in reuocandis fratribus ab errore requirit.

Ordo & partes Capitis quinti.

Huius capitis quinq; ſunt partes. Prima, eſt obiurgatio diuitum. Secunda, exhortatio pauperum ad patientiam. Tertia, temerarij iuramenti prohibitio. Quarta, in varijs caſibus quid ſit agendum, inſtructio. Quinta, mutuorum officiorum commendatio.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

A GITE nunc diuites, flete vlulantes ſuper miſerijs veſtris, quæ ſuperuenient.

Non omnes diuites compellat, ſed eos tantum, qui inhumani erant erga pauperes, & ſuis diuitijs aut auare

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

auare abuſi ſunt, aut male in delitias & voluptates inſumſerunt. Cum iubet illos flere, vult eos in memoriã reuocare miſerias, quas olim ſuæ crudelitatis & auaritię cauſſa luent. In his ergo verbis hæc propoſitio continetur: Ne diuites abutantur ſuis diuitijs in propriũ exitiũ.

Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra tineis exeſa ſunt, aurum & argentum veſtrum ærugine vitiatum eſt, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & comedat carnes veſtras ſicut ignis, theſaurum conieciſtis vltimis diebus.

Hæc Apoſtoli verba tria cõtinent. Primum, ex ſigno inexplebilem diuitum auaritiam Apoſtolus oſtendit, qui potius ſuos theſauros in arca perire volunt, quam inde aliquid conferre ad ſupplendam miſerorum inopiam. Secundo, crudelitatem eorum aduerſus pauperes indicat, quos ſuis facultatibus fouere & iuuare deberent. Tertio, pœnam illis minatur, vt qui ſibi theſaurum iniquitatis, auaritiæ & crudelitatis colligant, in diem irę qui olim igni infernali ita exedentur, id eſt, perpetuis flammis crucientur, quemadmodum nunc eorum theſaurus ærugine exeditur.

Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, à vobis intercepta clamat, & clamores eorum, qui meſſuerant, in aures Domini Zebaoth introierant.

Iniuſticiam diuitum negantium operarijs debitam mercedem accuſat & minatur pœnam. Nam clamoris nomine ſignificat iniuriam iſtam velut perſonare in auribus Domini & vindictam expetere.

In delitijs vixiſtis ſuper terram & laſciuiſtis, enutriſtis corda veſtra, vt in die mactationis.

Delitias, laſciuiam & indulgentiam, qua ſibi delicate indulſerunt diuites, reprehendit. Diem mactationis, diem dicatum largioribus & delicatioribus conuiuijs vocat.

Condemnaſtis & occidiſtis iuſtum, qui non reſtitit vobis.

Hoc cum ad crudelitatem in egenos referri poteſt, quos diuites dicuntur condemnaſſe & occidiſſe, cum eorum inopiam ſua non ſubleuauerunt copia, vnde illud Auguſtini dictum: Si non pauiſti, occidiſti: Tum ad rigidam exactionem, qua in iudicijs à ſuis debitoribus exegerunt debita, & non ſoluentes ſeruitute oppreſſerunt.

DE DIVITIIS ET CONTRACTIBVS.

CVM Iacobus hoc loco duriuſcule videatur aduerſus diuites huius ſeculi agere, viſum eſt mihi operæprecium, nonnulla de diuitijs & de contractibus, quæ facultatibus augendis ſeruiunt, huc adijcere, idq; in eum finem vt pij admoneantur, quatènus ipſis vti huiuſmodi vitæ adminiculis liceat.

CVM itaq; pij quidã ex benedictione Domini diuitias adipiſcuntur, & humana ſocietas contractibus carere non poſsit, ſatis liquet, quod nec diuitias habere, nec contrahere per ſe ſit peccatum. Nequaquã enim putandũ eſt Euangelium, vel legitima humanæ ſocietatis vincula rumpere, vel ſubſidia neceſſaria tollere. Verum quia in acquiſitione diuitiarũ, ſimiliter & in poſſeſsione & vſu ſæpe peccatur, & multa in cõtractibus incidunt vitia, neceſſe eſt vt pius animus recte informetur, quo ſciat quatenus ſine offenſione Dei & diuitias acquirere acquiſitiſq; vti, & quatenus contractus vſitatos exercere bona conſcientia poſsit.

OMNIVM igitur primum cõſtantiſsime teneatur hæc Chriſti regula: Quærite primum regnum Dei & iuſticiam Dei, & cætera adijcientur vobis. Matth. 7. Hæc regula duo continet, videlicet mandatum Chriſti, & promiſsionem cum obœdientia erga mandatum coniunctam. MANDATVM eſt: Quærite primum regnum Dei & iuſticiam Dei. Huic mandato qui non obtemperauerit, vt Chriſti gratiæ non eſt particeps: Ita hæret in regno peccati, & ſeruit Satanæ, cui ſtipendium mors æterna reſeruatur. Principem igitur locum obœdientia erga hoc mandatũ Chriſti obtineat, hoc eſt, cura noſtræ ſalutis ſit prima & prę-cipua. PROMISSIO eſt. Et cætera adijcientur vobis. Hæc promiſsio & fidem requirit,

videlicet, vt certo ſtatuamus Chriſtum eſſe veracem, ac noſtri curam habiturum, modo mandato obtemperauerimus: & tacite poſtulat, vt quilibet ex fide, quæ ſua vocatio requirit, gnauiter in timore Dei faciat, Ethnica & prophana ſollicitudine excluſa. Nequaquam enim exiſtimandum eſt quod Chriſti promiſsio commendet nobis ignauiam. QVI igitur fide Chriſti præditus eſt, ſciat partem pietatis eſſe, ſine qua fides ſalua eſſe non poteſt, officium ad quod quiſque vocatus eſt, haud ſegniter facere. Huc illud Apoſtoli: Qui ſuorum curam non habet, fidem abiecit & eſt infideli deterior. Promiſsio proinde Chriſti ſanctam curam iuſq; in ſua legitima vocatione diligentiam, ac ſerium requirit laborem. VERVM ne quis hic ſtatim veluti in limine impingat, dubitetque an ſua vocatio ſit legitima nec ne: Breuiter attingam, quid ad legitimam vocationem, ſeu functioné requiratur. DVO in vniuerſum ſpectanda ſunt, videlicet, genus officij & executio. DE genere tenenda eſt hæc regula: Omne officium faciens ad conſeruandos & ornandos ſtatus à Deo ordinatos, vt ſunt, politicus, œconomicus & Eccleſiaſticus, primo & quarto præcepto mădatur, vt munus miniſtrorũ verbi, functio magiſtratuum, miniſteria eorũ qui magiſtratui ſuas operas locant, cura patrumfamilias, artificia eorum, quorũ opera in his ſtatibus ordinatis à Deo vtilis & neceſſaria eſt, negotiationes mercatorũ, qui merces vtiles important, breuiter, omnia officia quæ vel Eccleſiæ Dei vel œconomico aut politico ordini ſeruiunt, legitima ſunt in ſe, & ſunt legitima etiá in perſonis, cum ad ea legitime aſſumuntur. ETSI autem cuilibet liberum eſt, eligere quoduis vitæ genus, ad quod ſe aptum ſenſerit: tamen diſcernendum eſt inter publicum & priuatum officium. Ad publicum requiritur autoritas ordinaria. Nemo enim publicũ munus vel in Eccleſia, vel politia ſibi aſſumat, niſi ad id autoritate ordinaria fuerit deſignatus: qui contra facit peccat, & in cruce nullam firmá conſolationem habere poteſt. Quare hic pius in primis cauebit ne irrumpat in publicũ aliquod munus, ſine vocatione legitima. PRIVATVM quilibet poteſt ſibi deligere, etſi hic parentũ autoritas contemni non debet. Poteſt mercaturæ animũ adijcere, cui hoc vitæ genus placet: poteſt agriculturá ſectari, qui hoc ſibi commodum ſenſerit: poteſt arté aliquam & artificium deligere, qui hoc ſibi vtile fore ſtatuerit. Ocioſa vita nõ eſt hominis pij, ſed Epicurei potius, quare de ea nihil dicam. IN executione officij ſeu muneris plura ſpectanda ſunt. Primũ fides & caritas ſint actionum regulæ. Fides cauet ne Deum offendat, refertq; omnia ad gloriam Dei. Caritas monet ne cui iniuria inferatur & vt proximi commodis ſeruiatur. Fides Deũ σωτῆρον implorat. Caritas proximum in Deo complectitur. Fides continet operanté in timore Dei. Caritas eundem continet in amore proximi. HIC ſi laboranti in legitima vocatione diuitiæ accedunt ex benedictione Domini, ſingularis ars adhibenda eſt, ne nobis diuitiæ noſtræ propria culpa ſpinæ & laquei fiant. Qui enim diuites ſunt, habent inſtrumenta ad virtutes & vitia, prout animi eorum ſunt, qui eas poſsident, affecti. Ideo Plato recte meo iudicio dixit: Diuitias cœcas eſſe ſine prudentia, at acutum eaſdem videre, quando veram ſequuntur prudentiam. Verus eſt enim verſiculus ille Græcus:

πλοῦτος τάχιστος τῶν κακῶν ὑφέτης. Item:
πλοῦτος ὕβριν τίκτει.

ATQVE ea de cauſſa Dominus dicit: Difficile eſſe diuitem intrare in regnũ Dei. Pleriq; enim diuitijs vtuntur male, quibus bene vti poſſent, ſi piam prudétiam adhiberent in conſilium. Primum ergo omnium ſciat pius, quomodo affectus eſſe debeat in diuitijs ſuis. Hoc pulcre ſciri poteſt cũ ex Dauidis, tum ex Pauli verbis. Dauid inquit: Si affluunt diuitiæ, noli cor apponere. Paulus ait: Præcipe diuitibus in ſeculo ne efferátur, neue ſperent in diuitiarum incertitudine, ſed in Deo viuo. HÆC duo dicta, cum de animo diuitis, tum de vſu concionantur. Animus non debet eſſe affixus diuitijs, aut cupiditati habendi, nõ debet pius metiri ſuam felicitatem fallaci diuitiarum menſura, ſed ijs debet vti recte, ne ſibi ipſe laqueos ſtruat. NAZANZENVS pulcre animum pij erga diuitias deſcribit, inquiens:

ῥανὶς φρενῶν μοι μᾶλλον ἢ βύθος τύχης.

Cum contra auarus & impius dicat:

θέλω τύχης στάλαγμον ἢ φρενῶν πίθον.

PIVS præfert guttam prudentiæ fundo fortunæ: impius contra fortunæ guttá dolio prudentię anteponit. Apud impios & auaros cõtemtores Dei, locũ habet verſicul⁹ Gręcus:

τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι.

ILLI enim ſapientiam & virtuté poſtponunt numis. Quicunq; ergo pius eſſe velit, abijciat fiduciá diuitiarũ, ne ſibi in laqueos vertantur, ne ſibi intercludant aditũ regni cœlorum. Sit ſpes firma in ſolo Deo ſiue augeantur ſiue minuantur, aut etiá omnino auferantur fortunæ, retineamus verũ theſaurũ, qui eſt Chriſtus Ieſus. Qui enim hunc habet, vere diues eſt, etiamſi cum Lazaro mendicet pané. PORRO cum ita affectus fuerit animus tuus erga diuitias,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

diuitias, hæc cura animũ ſubibit, vt recte diſpenſes diuitias tibi collatas à Deo, vtq; ſis fidelis œconomus earum. Quare huc pauca adijciam, de legitima earũ vſu. ISCHOMACHVS apud Xenophontem interrogatus, de legitimo diuitiarum vſu, hiſce reſpondet verbis: μέλει μοι καὶ θεοὺς μεγαλείως τιμᾶν, καὶ φίλους ἂν τινος δέωνται ἐπωφελεῖν, καὶ τὴν πόλιν μηδὲν κατ' ἐμὲ χρήμασι ἀκόσμητον εἶναι. Hic homo ignarus veræ religionis, triplicem vſum diuitiarum facit. Primam partẽ tribuit cultui diuino. Secundam amicis indigentibus. Tertiam cõſeruationi & ornamento Reipub. in qua viuit. Etſi autẽ hæc prophani Philoſophi ſententia de vſu diuitiarum, laudanda eſt, & digna eſt quæ pijs ſit cõmendanda: tamen diſtinctius paulò & clarius oſtendam pium & verum facultatũ & diuitiarum vſum, qui in quatuor poſitus eſt.

PRIMVS & principalis diuitiarũ vſus eſſe debet, vt ſeruiant conſeruandæ religioni ac propagandæ gloriæ Dei. Hic vſus cõfirmatur ex fine hominis. Homo primum conditus eſt & deinde regenitus per Spiritum ſanctum, vt Deum glorificet. Ergo quicquid donorum habemus, ad iſtum conditionis noſtræ & reparationis finem referendũ eſt. Hic miſere ineſcati multi peccant. Sunt enim qui nihil prorſus cõferunt ad conſeruandũ miniſterium: ſunt qui rapiunt ſcelerate, quæ cultui diuino deſtinata ſunt à maiorib⁹ noſtris: Sunt qui diuitijs ſuis augent potentiam tyrannorum, ad opprimendã Eccleſiam & abolendã religionem, quib. præſtaret ſi nunquam nati fuiſſent. Nam illorum portio erit cum Diabolo, cui⁹ membra ſunt. Pius ergo cui contigere facultates in hoc mundo, intueatur finem conditionis ſuæ, & partem ſuarum facultatum conferat in hunc vſum, vt Dei gloriam ornet ac religionem veram tueatur. Proponat ſibi exempla piorũ hominum, vt Dauidis, Ioſię, Ezechię, Cõſtantini, Theodoſij, Iohannis Friderici ducis Saxoniæ, Chriſtiani Tertij regis Daniæ, & aliorum principum & piorum hominum, qui nihil magis in votis habuerunt, quam pro ratione facultatum ornare gloriam Dei, iuuare docentes & diſcentes religionem, conſeruare ſcholas & ſcholarum honeſta priuilegia, defendere doctores pietatis contra ſæuitiam & iniuriam hominum nequam, quibus nihil dulcius eſt, quam varias artes & vias excogitare, quibus opprimere poſſunt docentes & diſcentes, quorum hominum vicem toto pectore doleo. Nam reproba ſua mente magis magiſq; ſe immergunt in gehennam.

SECVNDVS vſus verus & legitimus diuitiarũ eſſe debet, vt eas Reſpublicas in quibus viuimus iuuemus & ornemus, pro noſtrarum facultatum modulo. Hanc ob cauſſam tributa imponuntur, vt illis tanquam neruis contineatur Reſpublica, hoc eſt, vt ſint ornamenta pacis, ſubſidia belli legitimi, præmia eorum qui Rempub. adminiſtrant. VERVM hic non parũ peccatur à duob. generibus hominum: Sunt enim qui tametſi abundant facultatibus, ſplendore & gloria, pacis tempore: tamen cum aliquid erogandum eſt in vſum Reipub. hoc vafre reijciunt in miſeram plebeculam, quæ cogitur vltra vires & facultates conferre quæ petuntur. Hic etſi plebecula miſera recte obtemperat: tamen ἐφευρέται κακῶν (ita enim à Paulo vocantur) ſuo iudicio reſeruantur. Sunt etiam forte, qui non contenti ordinarijs reditibus, nouas exactiones ſubditis imponunt, qui teſtimonio Iohannis Baptiſtæ damnantur, vt qui fructus pœnitentiæ non proferant. Chriſtus dicit: Date Cæſari quæ Cæſaris, & quæ Dei Deo. Sed Cæſar ſciat ſibi regulam eſſe certam, quã leges illi præſcribunt. Contra hanc ſi peccauerit reus fit iræ Dei. At, inquies, nunquam ne ergo licet magiſtratui, præter ordinariam taxam aliquid à ſuis exigere? Diſcernendum eſt inter tempora pacis & belli. Tempore pacis ſit contentus ordinario ſtipendio, ne in Deum peccet: tempore belli ſubditi non ſolum facultates, verumetiam corpora debent gerenti iuſtũ bellum. & poteſt pius magiſtratus & tributa inſueta exigere, & operam ciuium aduerſus hoſtes poſtulare. Poſſunt etiam neceſsitates illi incidere tempore pacis, vt magiſtratui non ſufficiant ordinaria præmia. Hoc cum fit, debent pij ſubditi neceſsitatibus præſentibus occurrere, & licet pio magiſtratui acceſsionem iuſtam petere. Verum qui inde paulatim conſuetudinem introducunt opprimendi ſubditos, tanquam infideles ſua expectabunt ſupplicia à iuſto iudice, qui nouit etiam ceruices ſuperborum & tyrannorum incuruare.

TERTIVS vſus rectus & legitimus diuitiarum eſt, vt quilibet ſe pro ſuæ conditionis ſtatu honeſte alat, ſuam familiam conſeruet. Sed cauenda ſunt duo vitia, ſordes & prodigalitas. Sordes ſunt indignæ pio homine. Prodigalitas effundit temere facultates, ſæpe in ſplendorem minime conuenientem ſtatui. QVARE hic modus, qui in omni re laudatur, ſeruandus eſt. Honeſtus ergo ciuis poteſt τὸ πρέπον ſui ſtatus tueri ſuis facultatibus, caueat ne in alienum ſplendorem irrumpat, relinquat nobilitati ſuum decus. Sic honeſtus nobilis tueatur ſuum ſtatum, & relinquat principibus ſuam magnificẽtiam. Ad eundẽ modum Doctores pietatis in ſcholis & templis, tueantur modeſte ſuum ſtatum. Breuiter, quilibet cogitet quid ſuæ perſonæ & conditioni congruat.

QVARTVS & poſtremus vſus rectus & legitimus diuitiarum eſſe debet, vt afficiamur

etiam calamitate egenorum, ac certo certius hoc teneamus, quod Deus permittat eſſe pauperes & egenos in medio noſtri, vt exploret & qua ſimus erga ipſius mandatũ obœdiendi promtitudine, ipſe enim mandat vt porrigamus manum indigentibus: & qua ſimus miſericordia erga filij Dei membra, quæ ſi contemnimus, caput etiam ſpernimus: Fieri enim non poteſt, vt caput diligat, qui corpus cruciat. Sed de hoc vſu poſtea plura.

DE CONTRACTIBVS.

CVM ita conditi ſint homines, vt in ſocietate eos viuere neceſſe ſit: atq; ea ipſorum ſit conditio, vt ſine mutuis operibus & officijs, ſuũ ſtatũ tueri non poſsint: opus profecto habet humana vita contractibus, quibus operarũ & officiorum fit cõmutatio quædã & viciſſitudo. Nec magis cõtractuum ſubſidio carere poteſt hominũ inter ſe ſocietas, quã aqua & igni. Quare cum pij & impij contractuũ vti ſolent viciſsitudine, & non parũ in contrahentibus plerunq; vitio hominũ peccatur: neceſſariũ eſt erudiri pios, quo ſciant quatenus bona conſcientia & ſine offenſione Dei cõtrahere liceat, ne quid vel dubitante, vel errante, vel repugnante conſcientia aggrediantur. ETSI autem doctrina contractuũ plena & abſoluta pertinet ad Iureconſultos, qui ex profeſſo de cõtractibus ſapientiſsime docent: tamen quia ſæpe conſcientijs non ſatisfaciant politicæ regulæ, volo breuẽ quandã cõmonefactionẽ colligere, quam tuto pius animus in cõtrahendo ſequi poterit. Primũ itaq; duo fundamenta iaciã, ex quibus quę ſum dicturus, pendebunt omnia. Deinde genera præcipuorum contractuum declarabo, & oſtendam quomodo fundamentis congruant. FVNDAMENTVM primũ ſit hoc, ex lege naturæ petitũ: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. & cõtra, quod tibi recte vis, alteri facere poteris. Nazanzenus hiſce ſenarijs hoc fundamentũ effert:

ὅια πρὸς ἄλλου μὴ παθεῖν, ὅλως θέλεις.
τοιαῦτα καὶ σύ μητε δρᾶν ἄλλῳ θέλε.

Super hoc fundamẽto Chriſtus omnia officia inter homines, atq; adeo omnes actiones & contractus extrui vult. Ita.n.Matt.7.ait: Omnia quęcunq; volueritis vt faciant vobis homines, ſic & vos facite ipſis. Rationẽ huius fundamenti ſubijcit. Hæc, inquit, eſt lex & Prophetę, id eſt, hic eſt ſcopus legis & Prophetarũ, ſeu quicquid pręcipiũt lex & Prophetæ, hoc communi capite cõtinetur. & Paulus ait: Qui proximũ diligit, legem impleuit. Item, finis præcepti eſt caritas, ſignificans omnia officia inter homines ad caritatẽ tanquam Lydiũ lapidem probanda & examinanda eſſe. Hæc caritas vt non facit alteri, quod ſibi non vult: ita recte facit cuilibet quod ſibi factum vellet. Hoc fundamentũ vt in omni contractu requirit candorẽ, & excludit fraudem, ita poſtulat æqualitatẽ inter contrahentes, iuxta proportionem Arithmeticam: quæ æqualiter omnem commutationem menſurat, numerat, ponderat. Contractus igitur qui hoc fundamento nititur, æqualis & legitimus cenſendus eſt. Æqualis quidem, quia ſeruatur in eo Arithmetica proportio. Legitimus vero, quia legi naturali congruit, quam ſapiens Iurisconſultus in contractuũ doctrina, ſibi ob oculos ponit. Vnde fit vt legitimũ etiam dicatur, quod vel lege poſitiua vel ſapientum virorum decreto ſancitum ſit, non pugnans cum decalogo, qui legis naturæ eſt epitome. SECVNDVM fundamẽtum ſit hoc, ex natura Euangelij ſumtũ. Euangelium approbat politicas ordinationes, quas prudens magiſtratus iudicat ſuæ Reipub. vtiles eſſe. Hoc ex eo patet, quod Apoſtoli Chriſti nunquã mutarint formam politicarum ordinationũ, vbi docuerunt Euangeliũ: quod ſane haud dubie feciſſent, ſi cum Euangelio ſtare non poſſent. Sciuerunt Apoſtoli diſcernendum inter regna mundi & regnũ Chriſti. Illa quia ſunt mundana, adminiſtrãtur legibus & ordinationibus politicis, hoc, quia eſt ſpirituale, ſpiritualiter adminiſtratur. Ex hoc fundamẽto ſequitur, quod vt pius poſsit vti ordinationibus politicis eius Reipub. in qua viuit: ita magiſtratui ſapiẽti liceat vtiles ſuæ Reipub. leges ferre, quibus gubernantur contractus, & vitæ ciuilis officia. Verũ hæc ita accipi velim, vt à primo fundamento & decalogo non diſcedat legislator, hoc eſt, vt nullã legem ferat pugnantem cũ dilectione Dei & caritate erga proximos. Hæc duo fundamenta volo omnibus contractibus applicari tanquã conſultationes, ex quibus pronunciabitur, quoties de vllo contractu fiat quęſtio. Genera autem contractuum ciuilium, de quibus nos conſtituimus hoc loco verba facere, ſunt hæc: 1. Permutatio rerum. 2. Emtio & venditio. 3. Mutuatio. 4. Cõmodatio. 5. Locatio & conductio. 6. Contractus ſocietatis. Si qui ſunt alij contractus, petantur ex ſapientũ Iuriſconſultorum ſcriptis, quos tuto ſequi poterit pius animus, niſi animaduerterit eos eſſe cõtra dilectionẽ Dei & caritatem erga proximũ. Sunt qui duo contractuũ genera ſumma faciunt: vnũ quo transfertur dominium rei cum vſu: alterũ quo ſolus vſus rei conceditur. Ariſtoteles tripertitam permutationem eſſe docuit: primã qua res rebus: ſecundã qua res

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

pecunijs, tertiam qua pecuniæ pecunijs commutantur. Fateor vtramq; partitionem eruditam & plenam eſſe. Ego tamen hanc vulgarem quam poſui antepono alijs, non quod ſit plenior aut doctior, ſed quod magis accedat ad popularem captum & ſit vſitatior. Quare iuriſconſultis & Philoſophis cum illam bipertitam, tum Ariſtotelis tripertitam diſputandam relinquo, dicturus ordine de ſex illis formis quas propoſui.

DE PERMVTATIONE RERVM.

PERMVTATIO rerum ante inuentam pecuniá vſitatiſsima & vtiliſsima fuit, ſine qua humana ſocietas conſeruari non potuit. Sed inuento vſu pecuniæ, non ita apud omnes eſt vſitata. Fit autem permutatio rerum, cum res nõ pecunijs, ſed rebus permutantur. Vt cum vinum frumento, aut pelles butyro permutantur. Hæc permutatio tum demum legitima eſt, quando non diſcedit ab illis duobus fundamentis, quæ omni honeſto contractui ſubſtrauimus. Seruanda igitur eſt in permutatione rerum æqualitas ſine fraude. Poteſt autem hic fraus committi multipliciter, ſed potiſsimum tribus modis, videlicet, in ſubſtantia, in quantitate, & in qualitate. In ſubſtantia, ſi vinum dilutum pro mero vino: ſi frumentum zizanijs aut lolijs admixtis, pro bono datur. In quantitate, ſi ponderis, menſuræ & numeri non ſeruatur æqualitas. In qualitate, cum res vitiatæ & corruptæ pro puris & integris obtruduntur. Quicunq; in his fraudem committit, vt fundaméta iuſticiæ ſubruit: ita ſi ſciens ac volens hoc faciat, peccat in Deum, caritatis regulam tranſgreditur, & violatæ humanæ ſocietatis fit reus. Homines multi ſibi ipſis blandiuntur, ac veluti ſe titillant, quando in rerum permutatione fraudem faciunt, ſed his vſu venit, quod piſcibus, qui cum eſca hamum deuorant. Lucrum enim dulce eſt, ſed hamo Satanæ detenti, pœnam non effugient. Quid autem belli homines contra hæc forte dicent, non ignoro. Habent enim vafri homines mille artes, quibus ſeipſos fallunt, & non Deum, qui æquitatem caritate ſincera temperatam poſtulat.

DE EMTIONE ET VENDITIONE.

EMTIO & venditio proprie dicuntur, quoties res non rebus, ſed pecunijs permutantur. Hęc contrahendi ratio non antiquiſsima, nec vulgatiſsima. Nam & primis hominibus ignota fuit, & hodie multis gentibus non eſt in vſu. Sed eſt tantum neceſsitate humanæ vitæ inducta apud multos, vnde & numus nomen habet, dicitur enim numus quaſi νόμος, nam hominum arbitrio, inſtituto ac lege vſum ſuum habet & valorem ſæpe. In hoc contractu, qui transfert rem in alterius dominium accepta pecunia, vendit: & res quæ transfertur eſt merx. Contra, qui data pecunia mercem accipit, Emere dicitur. Hic non tam ſpectandum eſt, quid in ſe valeat numus, ſed autoritas publica & vſus ſeu arbitrium. Valet enim numus lege potius quá natura. Proinde æqualitas nõ eſt hic ſpectanda in ſubſtantia numi, ſed in vſu numi. Hic contractus iuxta fundamenta ſupra iacta, requirit inter ementem & vendenté æqualitatem ſine fraude. Qui hic ſciens & volens circumuenit in negotio fratrem, contra Pauli præceptum, iuſticiæ commutatiuæ æqualitatem perturbauit. Quare magnopere cauendum eſt pijs, ne vel in merce, vel in precio fraudé committant. Merx talis dicatur à venditore qualis eſt, aut ſaltem qualis putatur eſſe, ſine dolo malo. Deinde precium iuſtum reſpondeat, vt ſeruetur proportio Arithmetica. Sed hic non immerito quæri poteſt, quodná ſit iuſtum precium. Ad hoc ita ſimpliciter reſpondeo. Non omne precium eſſe iuſtũ, quod paciſcuntur emtor & véditor inter ſe priuato arbitrio: ſed quod vel à rerum iuſtis & publicis à magiſtratu ordinatis æſtimatorib. nominatur, vel q̧ penditur iuxta communem rei æſtimationé, eo tépore quo initur cõtractus. Qui ergo hodie emit fruméti modium, iuxta cõmune precium tribus ſolidis, is poterit poſtea interiecto tépore, eundé vendere ſex ſolidis, ſi hoc tum fuerit cõmune precium. Contra, ſi poſt méſes aliquot vno ſolido emitur vulgo, peccat qui tres petit, etiamſi ipſe tribus emerat. Nam hic téporis & loci habéda ratio eſt, & rerum quæ venduntur copia & penuria cõſideranda. Verum hic tria genera hominum grauiſsime peccant, vt ſunt protopolæ, monopolæ, & propolæ, qui vulgo regratiarij dicuntur. Protopolas voco eos, qui primum rebus ſuo priuato arbitrio imponunt precium, vt ſuæ auaritiæ ſatisfiat. In horum numero ſunt, qui butyro, bobus, vino, frumento aut alijs rebus ex prouentu reddituum ſuorum abundant. Ab his dum alij opus habentes emturi ſunt, coguntur velint nolint, tantum dare, quantum petitur: vnde ſæpe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

contingit, vt venditor frumenti, aut aliarũ rerum, nondũ precio publice ſtabilito vendat quam cariſsime. Huius exemplũ cum alij, qui etiã huiuſmodi rebus abundant, imitantur, fit vt modius qui forte alioqui emi poſſet duobus ſolidis, vendatur octo. AT dices, merx mea eſt, cur non licet vendere vt poſſum? emtor liber eſt, poteſt emere vel non emere, quid ergo pecco? Peccatum tuum maximum eſt. Pallies illud quouis velis titulo. nam non tam in tuum emtorẽ peccas, quam in totã rempublicam, quam peius vulneras, quam ſi latrocinio eã inuaderes. Tua enim auaritia fit, vt multi miſeria ac fame tabeſcant. Qui in vnum hominem iniurioſus eſt, pœnas meretur æternas, quid de te ſtatuendũ, qui tot familias fame enecas, aut ſaltem facis, vt in maiori miſeria viuant? Poteris te excuſare corã tribunali hominũ, ſed Deus non moratur aſtuta ſubterfugia, nec fallitur peruerſa legis ſuæ interpretatione. Ipſius enim tribunal iuſtum eſt, vt quod perſonam non reſpiciat. Peccant etiã ſæpe hic emtores. fit enim interdum vt carius emant, vel propter dilatam ſolutionem, vel vt magnorum hominum, à quibus emunt, fauorẽ aucupentur, vt lucrum, quod ex rebus emtis minime ſperatur, aliunde reſarciatur. Hic plura dicenda eſſent, ſed hæc intelligentibus ſufficiant. parum enim ſpero me effecturum apud eos, qui cum Aiace pietatẽ colunt. Aiax voluit pius in Deũ videri, donec nihil ſenſit poſtulari, quod pugnaret cum ſuis affectibus: at cum Vlyſsi mandaretur parcere, reſpondit, χαίρειν Ἀθάνα, τἆλλ' ἐγώ σ' ἐφίεμαι. In alijs, inquit, tibi morem geram, non autem in hac re. HVIVSMODI eſt hodie plerorumq; religio, pietatis cultores eſſe volunt, dummodo nihil decedat ſuis affectibus. quibus omnino volunt ſatisfieri, vel Deo irato. Quid, quæſo, magis horrendum, quam mandatum Dei ſuis affectibus poſtponere? Sed ſatis eſt, iſti enim nos non ſunt audituri. QVÆSTIO de pacto redimendi, ſoluitur ex Leuitico, vbi Dominus ſuo populo ius redimendi commendat. Verum tum demum hunc contractum approbandum iudico, quando cum fundamento ſupra tradito non pugnat: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Hoc ſolo fundamento conſcientia pij hominis, vt in omnibus: ita in contractu, vbi interponitur pactum de redimendo, niti tuto poterit.

DE MVTVATIONE.

MVTVVM ab eo dicitur, quod de meo fit tuum, vel quia res quæ redduntur mutantur, vt ſi ſal pro ſale, vinum pro vino, pecunia pro pecunia reddatur, hoc eſt, vbi eadem non numero, ſed ſpecie redduntur. Proinde mutatio eſt contractus, quo transfertur rei dominium in alterum, nullo quidem precio interpoſito, ſed cum pacto, vt eadẽ res reddatur in ſpecie. SVNT autem hic pijs duo ſpectanda, æqualitas & obligatio. Æqualitas, ſi æquali numero, menſura & pondere reddideris, quod accepiſti, ſine fraude, fraus excludit vitium in ſubſtantia, quantitate & qualitate rei. Huc pertinet præceptum Heſiodi.

εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι

αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον αἴκε δύνηαι, Hoc eſt, Recta quidem menſura à vicino mutuũ accipe, rectaq; redde eadẽ menſura, & amplius ſiquidem poſsis. Quod autẽ dicit, & amplius ſiquidem poſsis, ad gratitudinem pertinebit, etſi Poeta aliam cauſſam facit, videlicet hanc,

ὡς ἂν χρηΐζων ἐς ὕστερον ἄρκιον εὕρῃς. Hoc eſt, vt inuenias promtum vicinum ad mutuandum, ſi aliàs indigeas. OBLIGATIO duplex obſeruetur, naturalis & Chriſtiana. Naturalis eſt qua lege naturæ obligamur, ad mutuo dandũ ijs, qui noſtra re indigent. De hac obligatione intelligatur præceptũ Heſiodi. Chriſtiana obligatio eſt, qua ſuos obligat Dominus ad mutuum dandum omnibus indigentibus, hoc eſt, nõ ſolũ ijs, à quibus ſperamus τὰ ἴσα, id eſt, æqualia, ſed etiã à quibus ſimile officium minime expectari poteſt. Date mutuo, inquit, nihil inde ſperantes. HIC nequaquam loquitur Chriſtus, de liberali donatione aut Eleemoſyna, ſed de mutuatione, qua obligatur qui accepit mutuũ, vt idẽ in genere ſeu ſpecie, ſine fraude reſtituat. Opponitur autem hoc Chriſti mandatum, vſitatæ malitiæ Iudæorum, & deprauationi legis Moſaicæ. Lex iubet mutuum dare. verum Iudæi dictũ acceperunt cum exceptione hac: Date mutuũ, non quidem promiſcue omnibus indigentib9, ſed ijs ſolummodo à quibus ſimile officiũ expectari poteſt. HVNC errorem, & corruptelam legis diuinæ corrigit Dominus, & præcepit ſuis, vt non ſolũ dent mutuo ijs, qui ſimile officium reddere poſſunt, verumetiã alijs, nempe ijs à quibus nunquã aliquod ſimile officium expectamus. HOC illuſtremus aliquo exemplo: Piſcator aliquis abs te mutuum petit, tu autẽ cogitas, quod is viciſsim tibi vel in ſimili, vel alio officij genere, aliquãdo commodus eſſe poſsit. Huic ſi mutuum dederis, cum expectatione analogi officij, nihil peccaſti. Quid enim peccat, qui pro beneficio expectat gratitudinẽ? Venit alius indigens, cuius conditio talis eſt, vt ab eo nihil quicquã officij expectare poſsis. Huic ſi non dederis mutuum, regu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Iam Chriſti tranſgreſſus es, ſecutus potius prauam Ethnicorũ conſuetudinem, quam Chriſti mandatum, qua re te declaras Chriſti vocem contemnere. Non ergo Chriſtus hic præcipit, vt quod dediſti, non ſperes reddendum, ſicut quidam inſulſe hoc dictum interpretantur. nam tum nequaquam mutuum diceretur, ſed eleemoſyna potius: ſed ad perſonas reſpicit, videlicet, vt pij mutuo etiam eos iuuent, à quibus nihil commodi aut officij viciſſim expectant. Hanc meam interpretationem confirmant circumſtantiæ loci. Nam in eo loco, Dominus corruptelas Phariſaicas corrigit, quibus illi legem Dei malitioſe ſuis affectibus ſeruientes corruperant. PRÆCEPTVM de mutuo dando, interpretabantur, ſicut ſupra etiam attigi, hoc pacto: Da mutuo, ſed ei qui viciſsim tibi indigenti poterit mutuum dare, aut alio officio beneficium compenſare & gratitudinem oſtendere. Hanc reſtrictionem tollit Chriſtus hoc fundamento: Si beneficeritis ijs, qui vobis benefaciunt, qualis erit vobis gratia? & ſi mutuo dederitis, à quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia erit vobis? Nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, vt recipiant paria, hoc eſt, vt ipſis alias paria officia præſtentur, idq; vel in ſpecie vel in genere. Summa igitur præcepti Chriſti eſt, vt nõ ſolum mutuum demus ijs qui poſſunt vicem rependere, verumetiam alijs, à quibus videlicet nullam expectamus beneficij præſtiti compenſationem. Huc pertinet dictũ Pſalm. 112. Bene viro qui miſeretur & mutuo dat. Hic Pſal. inter fructus timoris Domini, officium mutuandi numerat. Etſi autem impij quoq; dant interdum mutuo, tamen diligenter diſcernendum eſt, inter mutuationem impiorum & piorum. Impij tantum reſpiciunt ſuum commodum, pij autem hæc ordine meditantur. Primum ad Dei mandatum reſpiciunt, quo ſe obligari norunt, atque ideo hilari animo & promta voluntate dant mutuo, quia Deus præcepit, & iudicant mutuationis officium, quo ſuccurritur egentibus eſſe opus neceſſarium, & cultum, quem Deus ſerio à ſuis requirit. DEINDE fidem adhibent pij, qua intuentur promiſsionem Dei, qui promittit compenſationem huius obœdientiæ, ſicut inquit Pſal. Beatus vir qui timet Dominum, &c. Item, quis habitabit in tabernaculo tuo? qui operatur iuſticiam. PRÆTEREA pij conſiderant obiecta, perpendunt Chriſti membra eſſe, qui ſuum officium requirunt. Quare & illis dant mutuo, vt Chriſti membra refocillent. His differentijs diſtinguitur mutuatio pij ab impij, qui tantum ſe ſpectat & ſua commoda.

DE VSVRA.

MVTVATIONEM fieri duobus modis, vel ipſa teſtatur experientia. Alias enim fit cũ pacto, vt tantundem ſeruato æquali pondere, menſura, numero, quantum acceptum eſt reddatur, & nihil vltra. De quo mutuationis genere hactenus à nobis dictũ eſt. Alias fit cũ pacto, vt aliquid vltra ſortem, quam vocant, pro mutuationis officio detur. Hic exceſſus in vitio eſt, præſertim cum accedit propter officium mutuationis, iure diuino & naturali, proximo debitum. Et vſura vocatur ex eo, quod propter vſum rei cuiuslibet ſorti accedat. Neq; enim exiſtimandum eſt, vſuram ſolummodo locum habere in pecuniarum mutuatione. Nam in omnium rerum mutuatione, vſura dicitur, quod vltra id quod acceptum eſt, datur pro debito mutuationis officio. Quemadmodum lex aperte indicat, & Ambroſius teſtatur cum inquit: Eſca vſura eſt, & veſtis vſura eſt, & quod velis ei nomen imponas, vſura eſt. DEBITVM autem mutuationis officium dico, ad quod ita obligamur iure diuino & naturali, vt niſi mutuo dederimus petenti & reuera indigenti, peccemus in Deum, & caritatem proximo debitam violemus. Etſi autem ex ijs quæ de mutuatione dicta ſunt, vtcunq; intelligi poteſt, quid de vſuris ſit iudicandum: tamen clarioris inſtructionis gratia, nonnulla huc de vſuris adijcere operæprecium videtur. Vt autem iuſtus ſit huius tractationis ordo, hæc ordine perſequemur. PRIMVM, indicabimus quæ ſint vſuræ prohibitiones, & quæ prohibitionum cauſſæ. DEINDE, vſurariorum pœnas notabimus, vt pœnarum cogitatio auaritiam vſurariorum nonnihil coherceat. Tum inueſtigabimus, an ſit vllus contractus vſuræ ex parte ſimilis, non interdictus lege Dei. Etſi ſit talis aliquis, quatenus pius bona conſcientia & ſine offenſione Dei, illum exercere poſsit. ADHÆC, admonitiones quaſdã colligemus, ad quas tanquam ad conſultationes quaſdam & conſilij capiundi normas, vtile fuerit in omni contractuum genere & negotiorum reſpicere. POSTREMO, monebimus quomodo œconomi myſteriorum Dei, hoc eſt, præcones Euangelij, in re vſuraria ſe gerant: vt nec communicent alienis peccatis, nec aliquid quod in deſtructionem vergit, attentent.

DE PRIMO.

Vſuræ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

VSVRÆ prohibitiones ſunt quatuor, quas ſi pie & ſerio inſpexerimus, luce clarius perſpiciemus, quid de hoc vniuerſo vſurario negotio iudicandum ſit. Quare illas diſtincte & ordine recitabo.

PRIMA naturalis dicitur. Ariſtoteles enim, facile Philoſophorum princeps, vſuram contra naturam eſſe docet, hoc motus argumento. Pecunia natura non poteſt parere. Ergo vſuram ex pecunia capere, pugnat cum natura. Atq; hac de cauſſa vſura Grȩcis dici putatur τόκος, à pariendo, quaſi quidam pecuniæ partus, vt vel ipſa appellatione ſit infamis. Ariſtophanes vſuram beluam vocat, quȩ temporis progreſſu argentũ ſemper numeroſiore fœtura progeneret. PLATO etiam vſuram de ſua eijcit Republica. Ita enim ait in quinto de legibus: Liceat, ſi quis in fœnus acceperit, nec τόκον, nec κεφάλαιον, id eſt, nec vſuram, nec ſortem reddere. Hæc Platonis prohibitio nititur naturali principio, videlicet, quod quicquid legi naturæ de mutua caritate aduerſetur & cauſſa exiſtat ruinæ familiarum & politiarũ, quas conſeruare natura iubet, ſit in ciuitate minime ferendum. PLVTARCHVS ex hoc principio vſuram contra naturam eſſe concludit: Ex nihilo nihil fit. Cicero vſuram homicidio confert. Proinde, vt hoc, ita & illam cum natura pugnare manifeſtum eſt. ADHÆC, inæqualitas in contrahendo naturæ aduerſatur. Nã eius opus eſt naturæ deſtructio. Lucrum igitur quod pro debito mutuationis officio ſoluitur, contra naturam erit. Nam manifeſte inæqualitatem parit. POSTREMO cum ſocietas ciuilis maxime ſit ſecundum naturam, erit profecto vſura naturæ inimica, vt quæ humanam ſocietatem labefactat.

SECVNDA prohibitio diuina eſt. Moſes enim, Prophetæ & Pſalmi, vſurã prohibent & damnant. Prohibitionis cauſſa in plerisq; locis diſerte additur, videlicet, ne vſuris opprimatur proximus. EXODI 22. Si pecuniam mutuo dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes. LEVIT. 25. Pecuniam tuam non dabis ei ad vſuram, & frugũ ſuperabundantiam non exiges. Præcepti cauſſa præcedit, vt viuere poſsit frater tuus apud te, videlicet, non oppreſſus vſuris. Deut. 23. Non fœneraberis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno: fratri autem tuo abſq; vſura, id quo indiget commodabis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus, in omni opere tuo. Loquitur & hic Moſes de vſura opprimente proximum. Nam ex textu Hebraico ita poteſt reddi. Alienum mordebis vſura, fratrem autem tuũ non mordebis. Ezechi. 18. Is qui ad vſuram non dederit, & amplius non acceperit, hic iuſtus eſt & vita viuet. Hinc ex contrario ſenſu ſequitur, eum iniuſtum eſſe & moriturum, qui ad vſuram dederit, & amplius acceperit. Pſalmo 15. dicitur habitaturus in tabernaculo Domini, qui pecuniam ſuam non dederit ad vſuram. Quod etiam hic Pſalmus loquatur de vſura mordente & opprimente proximum, manifeſtũ eſt. Nam Pſalmus vtitur vocabulo Neſec, quod à morſu nomen habet. Deinde non eſt dubium, quin hic prohibeatur vſura, quæ ante in Moſe fuit interdicta, nempe mordens & opprimens proximum. Prophetæ enim nullam nouam doctrinam afferunt, ſed tantum Moſis ſunt interpretes.

TERTIA prohibitio eſt politica. Apud antiquiſsimos enim Romanos, nullus erat modus, nulla permiſsio, ſed publica execratio & punitio vſuræ. Sed procedente tempore, dũ ſimul cum imperio & diuitijs cupiditas & luxus augerentur, cœperunt paulatim vſuræ, & ſubinde auctiores factæ ſunt, donec in ſeditionẽ & diſcordiã res vſuraria venerit. Quam ob cauſſam rerumpublicarũ moderatores, quia vſuras non poterant penitus abolere, legibus repreſſerunt quantũ potuerunt. CIVITAS Athenienſis demandauit Soloni, vt vſuras quibus Athenienſes fere oppreſsi erant, moderaretur. Nam cum ſeditio propter fœneratorum crudelitatem orta eſſet, qui cogebant debitorum filios & filias ſibi in ſeruitutem adduci, aut vendi, vt vſuræ numerarentur: Solon petentibus ciuibus primã tulit legem, ne deinceps liceret vllum liberum corpus propter debita aut vſuras in ſeruitutem trahi. Et hunc modum vſurarum inſtituit Solon, ne plus peteretur quã centeſima, id eſt, tanta quæ centeſimo menſe æquat ſortem, hoc eſt, de centum aureis ſingulis menſibus aureus vnus. VERVM Imperatores vetuerunt recipi centeſimas vſuras, niſi in traiectitijs, in alijs autem licitis negociationibus beſſem centeſimæ permiſerunt, hoc eſt, de centum aureis in ſingulos annos, aureos octo. Illuſtribus autem quolibet contractu, non ſupra trientem centeſimæ, hoc eſt, in ſingulos annos ex aureis centum, aureos quatuor, ſed vulgo ſemiſsis centeſimæ eſt permiſſa, hoc eſt, in annos ſingulos ex centum aureis aurei ſex. HÆC moderatio imperatorum inprimis laudanda eſt, quæ & vſurariorum iniuſtam exactionem repreſsit, & cauit ne immodicis vſuris exhaurirentur priuatorum facultates.

QVARTA prohibitio Eccleſiaſtica eſt. Voco autem Eccleſiaſticam prohibitionem, non Papæ, quem nec caput, nec caudam Eccleſiæ agnoſcimus, ſed ſanctorum Synodorum decreta, quibus vſuræ grauiter ſunt prohibitæ. Præterea etiam ſanctorum Patrum pronun-

ciata

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ciata contra vſuram. IN Decretis 47. fit mentio canonum Apoſtolicorũ, in quibus vſura damnatur. Synodus Nicena, in qua fuerunt Patres 318. etiam damnauit vſuras. ET Gratianus, contra Clericorum vſuram, hæc ex Decretis concilij Niceni aſcripſit. Quoniã multi Clerici auaritiæ cauſſa, turpia lucra ſectantes, obliti ſunt diuini præcepti quo dictum eſt: Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, ſtatuit hoc ſanctum concilium, vt ſi quis inuentus fuerit poſt hanc definitionem vſuras accipere, vel ex quolibet tali negocio turpia lucra ſectari, &c. deijciatur à Clero, & alienus habeatur ab Eccleſiaſtico gradu. Hieronymus dicit: Vſuras quærere, vel fraudare, vel rapere, nihil intereſſe. Commoda fratri tuo, & accipe quod dediſti & nihil ſuperfluum quæras, quia ſuperabundantia in vſura computatur. AVGVSTINVS: Quid dicam de vſuris, quas etiam ipſæ leges & iudices reddi iubent? an crudelior eſt qui ſubtrahit aliquid, vel eripit diuiti, quam qui trucidat pauperem fœnore? hæc vtique atque huiuſmodi male vtique poſsidentur. Et vellem vt reſtituerentur. Sed non eſt quo iudice repetentur. Iam vero prudenter intueamur, quid ſcriptũ eſt: Fideli homini totus mundus diuitiæ ſunt, infideli autem nec obulus. Nonne omnes qui ſibi videntur gaudere conquiſitis, eiſq; vti neſciunt, alienum poſsidere conuincimus? Hoc enim certe alienum non eſt, quod iure poſsidetur. Hoc autem iure poſsidetur, quod iuſte. Et hoc iuſte, quod bene. Omne igitur quod male poſsidetur, alienũ eſt. Hæc Auguſt. AMBROSIVS: Cur in fraudẽ conuertis naturæ induſtriam? cur affectas inopiam? cur optari facis pauperibus ſterilitatem, fles publicam fertilitatem. Exploras quando ſterilior prouentus. Hanc vocas induſtriam, quæ eſt calliditatis verſutia, & quod tu remediũ vocas, eſt commentum nequitiæ. Latrocinium autem fœnus appellem; (captantur tanquam latrocinij tempora, quibus in viſcera hominũ durus inſidiator obrepas.) cui cõditæ frugis multiplicatur vſura? quid imprecaris mala omnibus? lucrum tuum damnum publicũ eſt. Idem alibi: Sine ferro dimicat, qui vſuras exigit: ſine gladio ſe de hoſte vlciſcitur, qui fuerit vſurarius exactor. Chryſoſtomus: Mutuo da, ampliores cape vſuras, mutuo da accepturus ſcilicet, vbi nulla inuidia, nulla accuſatio, inſidiatio, neq; terror. Mutua nulla indigẽti, ſed Chriſto & propter te neceſsitatem habenti, eſurienti, & omnes nutrienti. Hæ enim vſuræ regnum, illæ gehennam præparant: hæ ſunt pietatis & miſericordiæ, illæ crudelitatis & auaritiæ. Idem alibi: Nihil vſuris turpius, nihil crudelius. Alienas hic negotiatur miſerias, & lucrum ſuũ alterius aduerſitatem facit. Talis eſt, quaſi manum ſuſcipiens & in naufragiũ impellens. Idem alibi: Similis eſt pecunia vſurarij morſui aſpidis. Percuſſus enim ab aſpide quaſi delectatus, vadit in ſomnum & per ſuauitatem ſoporis moritur, quia tum venenũ latenter per omnia membra decurrit. Sic qui ſub vſura accipit, ſub tempore quaſi beneficium ſentit, ſed vſura per omnes ſuas facultates decurrit, & totum conuertit in debitum. LACTANTIVS: Pecuniam ſi quam crediderit, non accipiat vſuram vt & beneficiũ incolume ſit, quod ſuccurrit neceſsitate & abſtineat ſe prorſus alieno. In hoc enim genere officij, debet ſuo eſſe contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, vt bonum faciat. Plus autem accipere, quam dederit, iniuſtum eſt. Quod qui facit inſidiatur quodammodo, vt ex alterius neceſsitate prædetur. BERNHARDVS: Quid eſt vſura? venenum patrimonij. Quid eſt vſura legalis? latro prædicens quod intendit. (ſcilicet rapere) LVTHERVS grauiſsime in vſurarios inuehitur, cuius ſcripta, quia in manibus ſunt plerorumque, nolo huc quicquam ex illis aſcribere. HACTENVS de prohibitionibus vſuræ, & cauſsis prohibitionum diximus, ex quibus omnibus hæc ſententia concluditur: Quod vſuræ ideo prohibeantur, ne illis lædatur proximus, ne violetur inter homines caritas, ne ſocietas humana turbetur, ne exhauriantur priuatorũ facultates, in ruinam familiarum & rerumpublicarum. Quoties igitur legimus vſuras prohibitas eſſe, hos fines interdicti aſpiciamus, ne temere, aut nimis acerbe prætextu prohibitæ vſuræ, iudicemus de contractibus quos approbant leges.

DE SECVNDO.

POENAM vſurariorum triplicem eſſe inuenio: nempe politicam, ſpiritualem & Eccleſiaſticam. POLITICA pœna iuxta vetera Romana iura, teſte Catone fuit, vt fœneratores punirentur quadruplo, fures tantum duplo. Hac ſane ſententia in vſurarios, ſatis declararunt veteres, ſe fœneratores peiores iudicare & nocentiores, quam vulgares fures. Atque ob hanc cauſſam à dignitatibus & muneribus publicis, tanquam indigni arcebantur. SED tanta hodie eſt, proh dolor, morum Chriſtianorum corruptio, vt qui apud prophanas gentes infames & furibus deteriores habiti ſunt, nunc ſummis honoribus, idque apud Chriſtianos, digni iudicentur. Memini puer, quando duo tantum in hoc regno erant fœneratores vulgo noti: quorum vnus plebeius in Cherſoneſo Cimbrica habitauit. Hic tametſi

ex vſuris ditiſsimus erat, tamen ad eá inopiá poſt eius fata, redacti ſunt liberi quos reliquit, quod filiam quandam eius in hac vrbe viderimus non ſolum lacera & ſordida veſte, eaque vix tegẽte eas corporis partes, quas natura iubet tegi: Verumetiá obeuntem, in multorum conſpectu, ſordidiſsimum miniſterium, quo tamen ſe à mendicitate vindicare non potuit. Alter fuit ex familia meliori, cui non exiguæ ex hæreditate facultates ceſſerant. Hic ad vſuras, inſtigante auri ſacra fame, animũ applicat, aç paulatim ita cumulat vſurariũ lucrum, vt ditiſsimus pecuniarum reddatur. Sed quid hic fit? iniuſte cumulatæ opes partim ceſſerunt fiſco regio, neſcio quas ob cauſſas: partim adhuc ſeruiunt gulæ & luxui. Vnde facile eſt diuinare, qualis futurus ſit exitus, niſi mature, qui de illis adhuc opibus gaudent, reſipiſcant.

SED inquies, quid hæc ad politicam pœnam? maxime, per omnẽ modum. Eſt enim hic ordo iuſticiæ Dei, quãdo magiſtratus policitus officio ſibi cõmiſſo negligentius fungitur, ſolet Deus, vt ſummus monarcha, manum adhibere & punire etiam ciuilia ſcelera corporalibus pœnis, vt homines cogitent non propterea ſe euaſuros debita ſupplicia, quia vel magiſtratum politicum latent eorum facta, vel magiſtratus ipſe ſiue metu, ſiue ignauia, ſiue ignorantia, ſiue molli quadam indulgentia non facit officium, nec omnia flagitia ad ſerium examen reuocat.

NON itaq; ex eo homines ſibi polliceantur impunitatẽ, quod videantur facile manus magiſtratus politici effugere poſſe, neq; ex eo, quod pœnæ non ſtatim comitentur facta, ipſo Deo non ſtatim puniente, ſed differente pœnam ſuo ſapienti conſilio. Neq; enim ideo aufertur pœna, quia differtur, quoniam tarditate vindictæ grauitatem ſupplicij Dominus compenſare ſolet. Mitigat haud raro Dominus pœnam, propter pœnitentiam, ita tamen, vt haud obſcura ſui iudicij teſtimonia relinquat.

QVAPROPTER admonitos volo omnes vſurarios vt mature reſipiſcant, ac potius pœnitentem Zacheum imitentur, cuius pœnitentiam Euangelium nobis commendat, quam Iudam, qui ſuo furto tandem ad laqueum adductus eſt. Etſi minus iudicium Dei timeant ipſi, miſereantur ſaltem ſuorum liberorum, ne venenum vſuræ, quod contrahunt parentes, ipſis liberis ſit mortiferum. Sciant veriſsimum dictum eſſe: Ex male quæſitis non gaudet tertius hæres.

SPIRITVALIS pœna vſurariorum tametſi eſt grauiſsima, non pauci tamen eam vt ridiculam contemnunt. Qui enim exercet vſuram, is abſq; omni dubio extra familiá Dei eſt, extra corpus Chriſti eſt. Quomodo enim membrum Chriſti eſſe poteſt is, qui Chriſtum in ſuis membris vſura trucidat? quomodo domeſticus Dei cenſebitur, qui militat Satanæ? qui verbum Dei, pro ludibrio habet? Iam qui non ſunt de corpore Chriſti, nihil habent commune cum ſanctorũ theſauro, qui omnibus huius mundi diuitijs longe eſt precioſior. Quis theſaurus maior eſſe poterit, quá poſsidere Chriſtũ? quæ diuitiæ præſtantiores, quam regni Dei hæreditas? Hos theſauros, has diuitias habet Lazarus vlceroſus, pauper, ſed timens Deum, quibus æternum carebit diues Epulo, & cum illo, quotquot abiecto timore Dei iniuſtis lucris dant operam. QVID quæſo eſt, ſi vel Crœſi diuitias tua vſura lucrari poſſes, ac interim iacturam animæ tuæ faceres? O peruerſiſm iudiciũ. Temporis huius breui finiendi curam habes maximá, ſed nulla de futuro, cuius nullus terminus erit, cogitatio animum ſubit. EGO itaq; ſi quid mea valeat admonitio, hortor omnes qui Deũ eſſe vere ſtatuũt, qui Deum iuſtum iudicem agnoſcunt, & qui vitá aliquam fore reliquá poſt hos cineres credunt, vt mature reſipiſcant, vt cum Dominus citius opinione aduenerit, deprehendat ipſos nuptiali veſtitos tunica, & non infernali, quam ſuis ſibi compararunt vſuris.

ECCLESIASTICA in vſurarios pœna olim huiuſmodi fuit. Primũ reijciebantur à ſolenni oblationis ceremonia. Deinde arcebantur à ſacra Synaxi, hoc eſt, à communione corporis & ſanguinis Domini. Adhæc à ſepultura Chriſtianorum excludebantur. Hæc pœna in vſurarios grauiſsima quidem fuit, iuſtiſsima tamen. NAM primũ, quantum ad oblationis ceremoniá attinet, ſeu eleemoſynam in vſum miniſtrorũ Euangelij & in pauperum refocillationem attinet, ſciendũ eſt, quod eleemoſyna ex vſuris erogata, Deo ſit abominabilis. Nulla enim ſacrificia (Eſt enim beneficentia erga pauperes recte facta, ſacrificij quoddam genus) placere Deo poſſunt, niſi quæ iuſte parta à puro animo & recta voluntate prælucente fide, proficiſcantur. Nam hoc veriſsimum eſt: quod nullius hominis opus placere Deo prius poſsit, quam animus placeat. Hic autem placet minime, niſi antea fidei ſpiritu, ſe coram Deo proſtrauerit. VTRVMQVE confirmatur hoc Eſaiæ dicto, cap. 66. ad hunc (ait Dominus) reſpicio, qui humilis eſt & contritus ſpiritu, tremitq; ad ſermonem meum. Qui mactat bouem (ſcilicet, ſine humilitate ſpiritus) ac ſi hominem occidat. Qui ſacrificat pecudem, ac ſi canẽ iugulet. His verbis vt vno verbo dicam Propheta ſignificat omnia impuris impura eſſe, & nihil Deo placere, niſi quod à vero timore Dei profectum, iuſte &

ex

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ex iuſtis fiat. SED video quid contra obijciatur: Vſurarij, inquiunt, vnam nobiſcum profitentur fidem Chriſtianā: cur ergo nō licebit illis in rebus externis duntaxat, cū pijs communicare? Fateor quidē vſurarios nobiſcum fidem profiteri Chriſtianam, verū id ſolummodo verbis faciunt, atq; interim factis ſuis turpiſsime negant. Vnde fit, vt & abominabilis ſit eorum profeſsio coram Deo, & ipſi, quę eſt ipſorū contumacia, ad omne opus bonum reprobi. DEINDE quod à ſacra Domini cœna arcebantur vſurarij, iuſtiſsima ratio fuit. Quid enim ſuibus cum corpore & ſanguine Chriſti commune eſt? Quid illis cū cibo filiorum, qui mancipia ſunt Satanæ? Nolite, inquit Dominus, ſanctū dare canibus, nolite margaritas proijcere ante porcos. Quid, quæſo, illis cū menſa Domini conueniet, qui pabulo Diaboli, hoc eſt, vſuris ſaginati luxuriant? Quapropter miniſtri Euangelij quicunq; ſcientes & conſcij, vſurarijs ſanctiſsimum corpus & ſanguinem Domini porrigunt: non ſolum impie alienis peccatis communicant, quarum & pœnas aliquādo luent: Verumetiā quantum in ſe eſt, corpus & ſanguinem Domini in turpiſsimā & fœdiſsimam Satanæ cloacam ſacrilege proijciunt, cuius flagitij pœnas nequaquam euadent. SED, inquies, multi æque mali ac vſurarij accedunt ad cœnam Domini. Credo hoc quidem, nam & Iudas etiā, frater vſurariorū acceſsit ad menſam Domini, ſed quid illi profuit? An non vna cum pane ſpiritum Satanæ hauſit, idq; non porrigentis, ſed ſua propria recipientis culpa? Dominus quidē ſalutem porrexit, verum ille auaritiæ veneno infectus, turpiter quod obtulit Dominus reſpuit, & totus quod Satan præbuit, exhauſit. QVANTVM autem ad ſepulturæ pœnā pertinet, non caret ratione iuſtiſsima maiorū noſtrorum cenſura. Hoc autē optime intelligit is, qui cauſſam cur ſanctorum funera honoramus pompa funebri & honeſta ſepultura perſpexerit. SED quænam eſt illa cauſſa? Spes reſurrectionis glorioſæ. Digniſsimū enim eſt, vt ea corpora honeſta ſepultura proſequamur, quæ ſperamus olim glorioſo corpori Chriſti fore conformia. Nam dum videmus corpora ſanctorū pulueribus mandari, ſurſum leuamus mentem ad eum, qui olim, præcedente voce Archangeli, dicturus eſt: Surgite mortui. Et mortuos excitatos immortalitatis gloria eſt donaturus. IAM autem cum impij, inter quos ſunt vſurarij veluti anteſignani & ſtipendiarij Satanæ, primum locum occupātes reſurgent, teſte Daniele ad ignominiam & confuſionē ſempiternam, quis pius iudicabit eos dignos Chriſtianæ ſepulturæ honoribus? Pſalmus 15. eū inter pios numerat, qui reprobum in oculis ſuis contemtū habet, & timentes Dominum glorificat: quomodo igitur, quē abominatur, glorioſa & honorifica ſepultura ornabit & proſequetur? Ieremias tyrannū ſepultura aſini, idq; iuſto Dei iudicio, ſepeliendum prædicit: quid ſtatuendum ex eodem Dei iudicio de vſurarijs, qui quibuſuis tyrannis crudeliores ſunt. Non moror, ſi Cyclops aliquis vatidicum ſpiritum ſibi mentiatur, dicatq; fieri poſſe, vt multi qui hoſtes ſunt vſurariorum. ſepultura aſini ſepeliātur ipſi, ac interea vſurarij magna cum pompa ſonantibus campanis & prælucentibus tædis, ad ſepulturam deducantur. His nihil aliud reſponſum volo, quam quod quemadmodum mors ſanctorū ſit in conſpectu Domini precioſa: ita & illorū ſepultura coram Deo ſit honorifica. Quare quod nos teſtati ſumus de honeſta ſanctorū ſepultura, ad diſciplinam Eccleſiaſticā & non ad iudiciū Dei, cuius viæ ſunt imperſcrutabiles pertinet. QVID hic futurum mihi eſt? quos non habebo huius iuſtiſsimæ cenſuræ Eccleſiaſticæ oppugnatores? non deerunt profecto qui ſuis pigmentis & amuletis, vſuræ malū mitigare volent. Multi clamabunt, Serpente, qui primos noſtros parentes decepit, præceptore, legem Moſis ante multos annos per Chriſti aduentum antiquatā, abrogatam & abolitam eſſe, & nihil pertinere ad Chriſtianum populum, qui ſua libertate gaudet, & non ſinit ſe interdicto Moſaico conſtringi. ORATIO quidē hæc plauſibilis eſt, ſed conſcientiæ teſtimonio arguitur. Nam qui hoc colore ſuam pingunt auaritiam, à domeſtica Eua, miſere per ſerpentem ſeducta, decepti, in propriam perniciem ruunt, ac ſe ſua fallunt Sophiſtica. Non enim recte perpendunt iſti Moſaicum indictum, nec ad legem caritatis, vt deceret, reuocant vſuræ interdictum, quod ſi facerent non obſcure viderent, ſtabilita vſura euerti caritatis normam, quam Deus æternam eſſe vult. Cum igitur caritas, nec in hac vita, neq; in futura abolebitur, quantū quidē ad præceptū & voluntatem Dei attinet & debitam perpetuo obœdientiam, quis non videt vſurā quę caritati ex diametro aduerſatur, damnatam eſſe? Verum de hac re ſatis. Nam antea copioſe à nobis oſtenſum eſt, cū de cauſsis prohibitæ vſuræ ageremus, interdictū vſuræ ex lege caritatis manare. Quapropter abſq; omni dubio, nudi corā iudice Deo deprehendentur, qui iſtud perforatum folium, ſuæ tegendæ turpitudini adhibent. EXCIPIENT forte adhuc & dicent: Volenti non fit iniuria. Qui mutuo ab vſurario pecuniā ſupplex petit, paciſcitur vſuram, non quidem coactus, ſed volens, non igitur vſurarius qui ſupplicem hominem iuuat, contra caritatem facere dicendus eſt. PRINCIPIVM ex quo hæc ratio petitur, ambiguū eſt, vt quod in duas partes claudicet,

quarũ vna vera, altera falſa eſt. Nã non omnis voluntas eſt ſpontanea & αὐτόματος, quod facile in exemplis cernere licet. Viator latroni volens quidem theſaurũ tradit, non facturus niſi gladiũ latronis timeret. Nauta imminente naufragio iacturã merciũ facit idq; volens, ſed vnde quæſo illa voluntas? non ſane ex ſpontanea electione, ſed ex naufragij iminẽtis metu proficiſcitur. Nam ideo nauta merces volens abijcit, ne ipſe cũ mercibus ſuis vna pereat. Duobus igitur malis propoſitis, id quod minus malũ videtur, volens eligit. Ad eundẽ modũ voluntas accipientis mutuo ab vſurario, ad ſtipulationem vſuræ ſe habet, quã volens quidẽ promittit, non facturus niſi inopia cogeretur, ad maius malum vitandum. PORRO quod quidã obijciunt, familias & Reſpublicas ſtare non poſſe ſine vſuris. Hoc quidẽ verum eſſe, in hac mundi corruptione, & virtutis maſculæ, quę in maioribus noſtris fuit, exilio, fateor. Sed vnde, quæſo, illud commodũ, quo ſeruari familias & Reſpublicas clamitas? num ex vſura? nequaquã. nihil enim boni per ſe ex vſura eſſe poteſt, ſed potius malorũ pelagus. Verũ ſi quid fortuito boni ex vſuris prouenire videtur, id nequaquã vſuris, ſed mutuationi tribuendũ eſt, quę mutuatio ſi fieret ſine vſuris, magis familijs & Rebuſp. profutura eſſet. SED ſurdis, inquies, canis, qui vſurarios, idololatras (colunt enim vſurarij loco Dei Ariſtophanicum Plutum) in viam reuocare conaris. Sit ſane ita, ſiquidem illi tanquam aſpides, ad verbum Domini obſurdeſcunt. Nihil enim tãta cum animi indignatione audiunt, atq; ſuas damnari vſuras. Dulcius illis eſt peſſimum illud lucellum, quod captant, quam vt illo carere, vel quouis periculo propoſito velint. Atque adeo hinc eſt quod non pauci, qui ſatis ſplendide pro ſui ſtatus ratione, ex rebus fundi proprij viuere poſſent, vendant ſuam hæreditatem, vt pecuniaria aliqua ſumma corraſa, & ad vſurã expoſita, ocioſis liceat ſuis indormire vſuris, ac varias excogitare technas, quibus ſuos debitores non ſine vſurarũ vſuris retineant, donec prorſus eos exhauſerint, non ſine maximo œconomiarũ & politiarum incommodo. Etſi autem hi forte noſtram ſententiam non ſunt approbaturi, tamen noſtri officij eſt, eos admonere, ſaltem vt cogitent diem præter expectationẽ affuturum, quo iuſto iudici rationem reddituri ſunt, qui vt nulla acceptione perſonarum corrumpitur, ita nulla ſophiſtica decipitur. Atque tum demum ſentient vſurarij & ſalutaria nos monuiſſe, & Heſiodum Ethnicum illum ſacerdotem, verum dixiſſe, qui in hunc modum vates minime vanus canit: μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσα ἄτῃσι. HOC eſt, noli ſectari malum lucrum, non enim differunt à damnis mala lucra. Vnde hoc habuit Heſiodus? num ex verbo Dei, quod vſurarij contemnunt? nullo modo. Miſer enim ille, nec Prophetica nec Apoſtolica ſcripta vidit vnquam. Vnde ergo? experientia & natura magiſtris, hoc veriſſimum edidit oraculum, cum voce Prophetica & Apoſtolica apprime congruens. CVM Heſiodo concinit antiquiſſimus ille Thebanorum Poëta Pindarus, quem propter ſingularem ſapientiam Alexander Magnus amplexus eſſe dicitur: ita enim ait:

ἐντὶ γὰρ θνατῶν φρένες ὠκύτεραι
κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκης δόλιον,
τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν δ' ὅμως.

Hoc eſt, mentes humanæ proniores ſunt ad laudandum fraudulentum lucrũ, quam ad ſectandam iuſticiam: tametſi repunt ad aſperum illum diem, quo pœnas ſuæ luent iniuſticiæ. Vocat autem Pindarus ἐπίβδαν, diem pœnis præſtitutam, quæ delitias & voluptates, quas impij ex ſuis iniuſtis lucris percipiunt, ſequetur. Vt enim ἐπίβδα proprie eſt poſtridiana dies feriarum (in quibus ſe plerique liberius in omne voluptatum genus & delitiarum præcipitant) qua homines in memoriam reuocare ſolent, quæ licentius per ebrietatẽ peccauerunt: Ita dies mortis & iudicij extremi, erit vſurarijs ἐπίβδα, in qua ſero tandem ſuorum peccatorum pœnitentiam agant, ſed fruſtra. nullo enim modo pœnitentiam veram agere putandus eſt, qui inuitus à peccato abſtinet. HÆC paulò copioſius de pœnis vſurariorum aſcribere placuit, vt fœneratores iræ Dei & pœnæ ſuis ceruicibus imminentis admonerem: quam nullo modo effugient, niſi mature reſipiſcant, & in teſtimonium reſipiſcentię, quod iniuſte acceperunt, iuſte reddant, modo poterunt. Verum ſi non potuerint, faciant ſaltem quod poſſint, deprecẽtur culpam apud Deum, deprecentur iniuriam apud eos quos ſua læſerunt vſura, ac reconcilientur Eccleſiæ publica ſatisfactione, ne portio ipſorum cum Iuda fiat. CÆTERVM ſi qui hæc noſtra conſilia & admonitiones contemſerint & deriſerint, id quod futurum eſſe non dubito, nihil mea refert. Salutem miſerorum hominum quæro, veritatem prædico, cui qui non paruerit, inueniet ſuo tempore iuſtum iudicem, qui & ſuum & ſuorum contemtum iuſtiſſime puniet.

DE TERTIO.

POSTQVAM iam dictum eſt de vſurarũ prohibitionibus, earumq; cauſſis, & de pœnis eorum,

eorum, qui prohibitam vſuram, ſpreto cum diuino tum humano iure, exercent: locus poſtulat, vt videamus, num ſit aliquis contractus vſuræ ex parte ſimilis, non tamen cum caritate proximi pugnans. Et ſi ſit, quatenus pius eodem, bona conſcientia & ſine offenſione Dei vti poſsit. HOC omnium primum certiſsimo certius tenendum eſt, quod vſura damnata verbo Dei, ideo ſit illicita, prohibeatur, damnetur, quia pugnat cum fundamento ex lege caritatis manante: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Quod autem hoc fundamentum noſtrum ſit immotum, ſupra declarauimus, vbi fundamenta contractuũ iecimus. Ibi enim ſcopum officiorũ omnium in hac humana ſocietate, caritatem eſſe demõſtrauimus. Ex iſto fundamento immota conſequentia concluditur, nullum cõtractum damnari, qui caritati proximi non aduerſatur. Quapropter ſi talis aliquis monſtrari poterit, licitus abſque dubio cenſebitur, etamſi magna ex parte vſuræ ſimilis apparebit. Nequaquam enim iuſtum eſt, vt omnes contractus vtiles in Republica, prætextu vſuræ propter ſimilitudinem damnemus. ETSI autem multi huiuſmodi contractus à Iuriſconſultis ſapienter commendantur, nos tamen de illis dicemus, de quibus maxime controuertitur, potiſsimũ in hoc regno. Verũ vt de his contractibus ſine errore iudicemus, & id inueniamus, quod bona conſcientia, ſine offenſione Dei, ſequi liceat: neceſſe erit de varijs hominum ordinibus dicere, vt intelligatur quibus ex obligatione debeamus mutuum, & quibus non. Illic enim proprie committitur vſura, hic leges magiſtratuum ſtatuere poſſunt, quæ ſapiẽter ſuæ Reipub. ſalutaria eſſe nouerunt. NAM hæc regula vtilis in humana ſocietate tenenda eſt: Contractus legibus & autoritate magiſtratus, hoc eſt, boni & ſapientis iudicis ſeu Iuriſconſulti approbatos, conceſſos eſſe Chriſtiano homini. Licet enim Chriſtiano vti politicis ordinationibus, & hæ ordinationes valent non ſolum propter rationem, ſed etiã propter autoritatẽ magiſtratus. Sic ergo Chriſtianus conſcientiam ſuã erudiat, vt intelligat hæc conceſſa eſſe, quia Deus approbat leges & magiſtrat⁹, & velit nos vti politicis ordinationibus, & in contractibus ſit contentus eo medio, ea æqualitate, quam conſtituunt leges & magiſtratus, modo aperte à decalogo & iure naturæ non diſcedatur. Hæc regula primũ monet, vt reuerenter iudicemus de legibus & ordinationibus boni magiſtratus. Deinde, vt non temere, aut nimis acerbe de contractibus, quos approbant leges iudicemus. Iã ordines hominum, ſicuti propoſuimus, videamus. In primo ordine, ſint pauperes & mendici: vt qui impediti ſenio, aut morbo grauati, aut alioqui aliqua ſingulari calamitate affecti, ſine aliorũ eleemoſyna viuere non poſsint, nedum lucrũ facere. His ex obligatione debemus caritatis officia & eleemoſynam. Quare his dandum eſt, abſq; omni compenſationis aut officij expectatione, propter mandatum Dei & caritatem, quam natura nobis inuicem debemus. ATQVE hoc debitum adeo neceſſarium eſt, vt qui hoc ſoluere recuſauerit, mandatum Dei cõtumaciter violet, Chriſti imperium impie detrectet, membra Chriſti crudeliter opprimat, legem caritatis impie repudiet, ſibique ipſi certam accerſat perniciem. Hinc itaque facile conſtare poteſt, quam ſit neceſſarium officium eleemoſynã dare, & vere egentes ſuis facultatibus ſubleuare. QVONIAM autem multas video eſſe cauſſas, quibus plerique impediantur, quo minus in hoc neceſſario & debito officio occupentur, vt ſunt in multis auaritiæ ſtudium, ignorantia prouidentiæ Dei, diffidentia Ethnica, luxus, abuſus rerum ad varias ineptias, multi inutiles ſumtus, & crudelis, proh dolor, in pleriſque ἀστοργία, qua fit vt miſerorum inopia minus afficiantur, volo locum de eleemoſyna hic copioſius tractare, idque hoc conſilio, vt & neceſsitas debiti, quo vere indigentibus obligamur intelligatur, & nos admoniti alacriores faciamus officium, & liberaliores erga pauperes reddamur. PRIMVM itaque oſtendam vnde ſit incoanda eleemoſyna, & quæ ſunt eius genera. DEINDE cauſſas recitabo, quibus pios ad dandam eleemoſynam excitari oporteat. TVM affectum dantis eleemoſynam ſignabo, & ſimul modum eleemoſynarum preſcribam. POSTREMO de finibus pie præſtitæ eleemoſynæ, & de fructu qui ad eos redit, qui eleemoſynam hilari animo iuxta mandatum Chriſti largiuntur, agam. QVICVNQVE eleemoſynam dare decreuit, hoc ordine eleemoſynam ſuam faciat. Omnium primum ſibi ipſi ſit miſericors, hoc eſt, ſibi ipſi primam exhibeat eleemoſynam: quod tum demum fit, quando homo ſe à ſuis malis vijs auertens, ad Dominum per veram pœnitentiam ſe conuertit. Nulla enim miſericordia (hoc enim ſonat vox eleemoſynæ) ab eo præſtari poteſt, qui adhuc ſub Dei miſericordia non eſt. QVARE Syracides recte monet, cum inquit cap. 30. Miſerere animæ tuæ placens Deo, & cor tuum conſolare ac mœrorem abs te longe depelle. Cum dicit, miſerere animæ tuæ placens Deo, ſignificat qua in re miſericordia illa ſita ſit, quam nobis ipſi exhibere debeamus, nempe in conuerſione ad Deum & in fide, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo. Hoc modo Abraham ſuã incepit eleemoſynam: cuius exemplo & reliqui pij omnes, à ſe ipſis incoauerunt eleemoſynas. HVC pertinet illud Au-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

guſtini: Si vis facere eleemoſynam, incipe à te ipſo. Quomodo enim poteſt eſſe miſericors alteri, qui ſibi crudelis eſt? Qui hoc modo ſuam incoauit eleemoſynã, mox ſe ad proximũ conuertet, eique miſericordiam exhibebit. HINC prima eleemoſynæ diſtinctio naſcitur, vt ſit vna quam quiſque ſibi ipſi præſtat, altera quam quiſque alteri. Illa natura prior, hæc poſterior. POSTERIOR autem hæc, duplex rurſus ſtatui poteſt, vt vna ſit ſpiritualis, altera ciuilis. Spiritualis ad ſpiritum pertinet, quã is præſtat, qui errantẽ ob ouili Chriſti, in viã reuocat, ac in ouile Chriſti introducit. Hac eleemoſyna nulla diuinior, nulla vtilior, nulla denique magis neceſſaria. Nã vt anima præſtat corpori, ita eleemoſyna, qua ſaginatur anima, multis modis præferenda eſt eleemoſynæ, qua neceſsitatibus huius caduci corporis ſuccurritur, & vt æterna bona anteponẽda ſunt omnibus huius vitæ cõmodis, ad breue tempus duraturis: ita eleemoſyna quæ æternæ vitæ acquirendæ confert, anteferenda eſt eleemoſynæ huic caducæ vitæ ſeruienti. HVIVS magnum eſt encomium apud Iacobum Apoſtolum, qui ait: Fratres ſi quis inter vos aberrauerit à veritate, & conuerterit eũ quiſpiam, ſciat quod qui auerterit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſeruabit animã eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. CIVILIS eleemoſyna pertinet ad hanc præſentem vitam, videlicet, cum miſericordia tacti, pauperũ cuiuis ſuccurrimus inopiæ. Ad vtranque miſericordiã Chriſtus nos exemplo patris hortatur, cum inquit: Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter cœleſtis miſericors eſt. Huius præcepti meminerit omnis, qui Chriſtum præceptorem agnoſcit. CAVSSÆ quibus pij ad dandam eleemoſynam excitari debent, ſunt plurimæ, inter quas hæ ſunt præcipuæ.

PRIMA Chriſtianiſmus ipſe, ſeu profeſsio religionis Chriſtianæ. Hæc enim requirit vt in omni opere bono abundemus, & vt nos inuicem tanquam membra vnius corporis, cuius caput eſt Chriſtus, complectamur foueamuſque. Hoc cum ex fide Chriſti fit, in timore Dei verum meditamur Chriſtianiſmum, hoc eſt, vere diuinam naturam imitamur. Nam cum Deus, quem imitari nos iubet Chriſtianiſmus, diues eſt miſericordia, nos miſericordiã ipſius imitando, diuinæ quodammodo naturæ imitatores dicimur. CÆTERVM qui in hac imitatione nõ occupantur, ſibi Chriſtianum mentiuntur nomen. Præterea non legitimi Dei filij, ſed ſpurij potius habentur: nullum enim inter filios ſuos agnoſcit Dominus, niſi quem viderit conari ſaltem paternas imitari virtutes. Huc pertinet illud dictum Domini, apud Prophetam: Si ego pater veſter, vbi honor meus? Eſt autem præcipua honoris pars, qua filij ſuos parentes proſequi poſſunt, eorum virtutes imitari. Hanc cauſſam miſericordiæ proximo exhibendæ proponat ſibi, quiſquis Chriſtianiſmi gloriam ſerio expectat, nec ſinat ſe exemplis malis ab hoc neceſſario & debito cultu Dei abduci.

SECVNDA, mandatum Dei, cui omnes creaturas parere oportet. Huius cauſſæ meminit Syracides cap. 29. cum inquit: Propter mãdatum ſubueni pauperi, atq; in eius egeſtate ne auertas eum. Et paulò poſt: Theſaurum tuum ſecundum mandatũ altiſsimi colloca, & tibi magis quam aurum proderit. Theſaurus quidem noſter qui nunquã deficit, deponendus atq; aſſeruandus nobis eſt in cœlo, ſed tamen in hac vita apud pauperes collocatur, in quos beneficia collata Dominus ita accipit, quaſi in ipſum contuliſſemus. OMNIA teſtimonia ſcripturæ, quæ nobis dilectionẽ proximi commendant, requirunt maxime beneficentiam erga egenos. Nam hæc dilectionis veræ præcipua pars eſt. Huc pertinet illud Domini Deut. 15. Præcipio tibi vt aperias fratri egenti manum. Hoc præceptum Dei qui contemnit quomodo Deum diligere poteſt? quomodo timere? ita enim Iohannes ait: Qui habet facultates huius mundi, & non dat egenti, quomodo manet dilectio Dei in eo? Et Iob 6. Qui tollit miſericordiam à proximo, timorem Domini abiecit. QVICVNQVE igitur conſtituit Deum diligere, eumque ex animo timere, cogitet ſe Deo præcipienti debere obœdientiam. De qua re Micheas in hunc modum concionatur cap. 6. Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat abs te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicite ambulare coram Deo ſuo ſemper.

TERTIA, Exemplorum imitatio, Chriſti Domini primum, ac deinde membrorum ipſius. Chriſtus pro nobis factus eſt pauper, vt nos ditaret. Quid ergo viciſsim Chriſti membris debemus: præſertim cum ſibi factũ teſtatur, quicquid vel minimis eius membris fecerimus, Matth. 25. SANCTIS patribus nihil fuit magis in votis, quam pauperes ſanctos refocillare. Abraham peregrinos obſeruat, vt ipſis inuitatis beneficentiam præſtet. Loth inuitat angelos, quos peregrinos pauperes eſſe putabat. Cornelius aulicus vacaſſe perpetuæ orationi & eleemoſynis ſcribitur, quas aſcendiſſe coram Deo teſtatur ſcriptura.

QVARTA, Dignitas æſtimatioq; eleemoſynæ pie præſtitæ coram Deo, Prouerb. 21. Facere miſericordiã & iudicium gratius eſt Domino, quam victima. Chriſtus Matth. 9. Miſe-

ricordiam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ricordiam volo, & non ſacrificiũ. Heb.13. Beneficentiæ vero & communicationis ne obliuiſcamini,talibus enim victimis delectatur Deus. TANTA dignitas, tanta æſtimatio eſt eleemoſynæ pie præſtitæ coram Deo. Præfertur victimis: Deus dicitur ea ſingulariter affici & delectari. Hæc dignitas merito eos commonere deberet, qui huius mundi facultatibus abundant, vt ſtuderent diuites eſſe, iuxta conſilium Pauli, in bonis operibus.

QVINTA, proximus ipſe. Quod autem omnis homo omni homini ſit proximus, parabola de Samaritano docet. Etſi cum alijs maior eſt ea neceſsitas. Omnis homo cum pius, tum impius, proximus mihi eſt: idq; primum ratione creationis. Deinde gratia ſimilitudinis. Tum reſpectu communis vitæ & humanæ ſocietatis. Etſi autem hoc triplex vinculum, quo inter ſe omnes homines deuincti ſunt, magna cauſſa eſt, quare homines hominibus benefacere debeant: tamen adhuc longe maior eſt copula, qua Chriſtiani Chriſtianis colligati ſunt. Primum enim communis eſt Chriſtianorum omnium vocatio, qua ad vnitatem ſpiritus in vinculo pacis vocamur. Deinde per eundem ſpiritum Chriſti in filios Dei regeneramur. Vnde fit, vt & vnum habeamus patrem Deum, & ipſi inter nos fratres ſimus. Adhæc, eiuſdem corporis myſtici membra ſumus, cuius caput eſt Chriſtus. Poſtremo eandem ſpem futurę gloriæ habemus, ſumus enim æternæ vitæ hæredes, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Si hanc quintá cauſſam miſericordiæ erga proximũ ſerio cogitamus, nemo non agnoſcit, quam neceſſario egenis exhibenda ſit beneficentia. Taceo vinculum, quo omnes homines in hoc mundo ſint ſibi inuicem debitores. Quis vult videri contemtor vnitatis ſpiritus, ad quam nos vocat Euangelium? quis ſpiritualis fraternitatis abnegator audire ſuſtinet? quis Chriſti membra ita contemnere audebit, vt ea frigore, inedia, & nuditate cruciari ſinat? quis non merito feret illum participem rerum huius mundi, quæ caducæ ſunt quem ſtatuit ſecum cœleſtium bonorũ fore hæredem? Si hæc beneficentiæ & miſericordiæ cauſſa pro ſua dignitate æſtimaretur à multis, minus fraudibus & iniuſtis lucris ſtuderent, minus egena Chriſti membra ſpoliarent, ac magis de fouenda carne ſua cogitarent. Meminerimus quæſo, quoties videmus aliquem miſerum noſtram opem implorantem, dictum Eſaiæ Prophetæ: Carnem tuam ne deſpexeris.

SEXTA, Pœna eaq; multiplex, eorum qui duri ſunt erga pauperes. Prima, ira Dei, Syracides 4. Ab inope ne auertas oculos tuos, propter iram. Secunda, maledictio. Idem, maledicentis tibi in amaritudine animę, exauditur deprecatio eius, exaudiet autem eum qui fecit illum. Tertia, repulſa precationis tuæ in neceſsitate tua inuocantis, Prouerb. 21. Qui obdurat aures ſuas ad deprecationem pauperum, ipſe clamabit & non exaudietur. Horrenda ſane pœna, qua nulla grauior eſſe poteſt: neq; mirum eſt eum à Deo non exaudiri, qui filiũ Dei in ſuis membris clamãtem, non exaudit. Quarta, Spoliatio donorum, ſcriptũ eſt enim, non habenti auferetur ab eo, quod habet. Is autem non habere dicitur, qui donis ſuis & facultatibus in gloriá Dei & ſubleuationem miſerorum, non recte vtitur. Huc illud Prouerb. 3. Qui deſpicit deprecationẽ pauperis, patietur inopiam. Sexta, mendicitas liberorum, aut flagitioſiſsima eorum vita, quæ omni egeſtate multo grauior eſt. Dixi de pœnis eorum, qui ſunt crudeles erga pauperes, idq; non ex Philoſophia, quæ errare poterit, ſed ex ipſis oraculis Dei, quæ fallere aut mentiri non poſſunt. Hæc qui contemſerit, breui iuſtum iudicem inueniet. Iam dicemus de affectu, qualẽ requirimus in eo qui conſtituit eleemoſynam dare, & de modo eleemoſynæ iuſto & congruo. Duo vitia vult Chriſtus ab eleemoſyna excludi, Matth. 6. quæ ſunt, hypocriſis, & inanis gloria. Hæc enim duo, tanquam peſtifera venena, inficiũt quicquid attingunt. Neq; id mirum eſt. Vbi enim hypocriſis, ibi nulla fides: vbi inanis gloria, ibi nulla Dei dilectio, nullus timor Dei. Abſint ergo ab eleemoſyna noſtra Phariſaica hypocriſis, & ſtulta gloriatio. Quos igitur affectus requiris in eleemoſyna? amorem Dei, dilectionem proximi, candorẽ ſimplicem & hilaritatem. His enim affectibus tanquam ſale quodam diuino aſpergi debet eleemoſyna, quo gratũ Deo ſacrificiũ eſſe debet. Præterea cum eleemoſyna cõiungenda eſt fides, qua non ſolum ſtatuimus eleemoſyná noſtram placere Deo, ſed etiá ipſi curę eſſe totam noſtram vitam, ſuppeditari ab ipſo nobis neceſſariam defenſionẽ & victũ. Et quia poſtulat, vt nos iuuemus alios, ac promiſit præmia, propter Deum præſtabimus beneficia, & viciſsim fide expectabimus auxiliũ Dei. In modo eleemoſynę ſpectabimus quantitatem, iuxta conſiliũ Tobię qui ait: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, ſi parum, libenter impartiri ſtude *ἰσότητα*, hoc eſt, æqualitatẽ, vt ex debito officio tu cõferas egenti eleemoſyná, & ille viciſsim grato animo accipiat, ac tibi bene precetur. Promtitudinẽ animi, iuxta illud Pauli 2. Corinth. 8. Si aſsit promtus animus, is acceptus eſt, pro eo quod habet aliquis, non pro eo, quod non habet. Diſcrimen externorũ & domeſticorum fidei, iuxta Pauli cõſilium, Gal. 6. Dum tempus habemus, ſimus benefici erga omnes, maxime autẽ erga domeſticos fidei, id eſt, eos qui per fidẽ ſunt in eadem atq;

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nos familia Domini: poſſeſsionem, ſecundũ Salomonis dictum: Fontes tui deriuentur foras, ſed tu dominus eorum eſto. IAM reliquum eſt, vt de finibus eleemoſynæ piæ, & de fructu eius dicamus. Etſi autem cum fines, tum fructus eleemoſynæ ſanctæ ex prioribus facile concludi poſſunt, tamen vt magis piũ lectorem ad hoc neceſſarium, ſanctũ, & debitum officium excitem, nonnulla de finibus & fructibus eleemoſynæ pie præſtitæ adijciam. FINES ſunt quatuor: primus, ſubleuatio proximi indigentis, & refocillatio membrorũ Chriſti. Secundus, prouocatio aliorum ad beneficentiam erga pauperes, iuxta illud 2. Corinth. 9. Et ex vobis ortus zelus prouocauit complures. Tertius, teſtificatio fidei noſtræ & timoris Dei, eo enim deſtinantur caritatis officia, vt illis teſtemur nos timere Deum, cuius mandato obſequimur. Quartus, gloria Dei, fructus varij & multiplices comitantur liberalitatẽ erga pauperes. Paulus teſtatur fore, vt qui liberales fuerint & benefici erga pauperes, abundent in omni opere bono. Ita enim placet Domino, obœdientiam erga ſe nouis gratijs compenſare. ATQVE hoc eſt quod Dominus dicit, Matth. 6. Dominus dabit mercedem in propatulo. Et Pſalm. Beatus qui intelligit ſuper egenũ & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Salomon: Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis. Paulus ait: Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. ISAIÆ 58. Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictã repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt vt meridies, & requiem tibi dabit Dominus Deus tuus ſemper. SYRAC. 29. In cellas tuas conclude beneficentiam, & ea te ex omni afflictione liberabit, magis quam ſcutum validum robuſtaq; lancea aduerſus hoſtem pro te pugnabit. Hic Sapiens neceſsitates proximorum cellas vocat, in quibus beneficia ſunt & reponenda & aſſeruanda, vnde quidam ex ſanctis patribus eleganter & bene dixit: manus pauperis eſt gazophylaciũ Chriſti. DEINDE ſubiungit ſapiens beneficentiæ in illis cellis collocatæ maximum fructum, liberationem à malis atq; aduerſus hoſtes firmiſsimam propugnationem ac defenſionem. Nulla enim re homo aduerſus omnia pericula magis poteſt eſſe munitus ac tectus, quam beneficentia & miſericordia. Loquor autem de ea eleemoſyna, quæ ex fide proficiſcitur, ſicuti ſatis ex ſuperioribus patet, ne quis putet me cum Papiſtis ſentire, qui ſuis eleemoſynis precium imponunt, ſine Chriſto & ſine fide. HÆC de liberali ac pia eleemoſyna, ideo adijcere volui, vt ditiores potiſsimum ſui admonerem officij, vt intelligant ſe diuino iure obligatos eſſe, ad conferendum aliquid egenis de ſuis facultatibus, idq; gratis propter mandatum Dei, & multas alias cauſſas quas recenſui. Præterea vt ſi mandato Dei obœdire recuſauerint, ſciant ſe contumaciæ erga Deum reos eſſe. Ex his perſpicue concluditur quod propoſui, videlicet, quod nemo ex hoc primo hominum genere lucrum captare poſsit, ſine grandi ſacrilegio.

IN ſecundo ordine hominum colloco artifices, & qui labore manuum ſuarum victum quæritant. His iuxta præceptum Chriſti, mutuo dandum eſt, & nihil inde ſperandum. Vt enim his dare gratis vetat Apoſtolus, cum ait: Qui laborat, manducet. Siquidẽ pietas nequaquã flagitat, vt robuſtis hominibus & laborare valentibus, gratis noſtra demus: ita ſi vrgente neceſsitate rem quampiam à te mutuo petierint, regulę Chriſti obtempera & mutuũ dato, ſine expectatione compenſationis, in ſimili aut alio officij genere. RATIO regulæ eſt, quod qui in ſudore vultus & labore manuũ ſuarum, victum quæritãt, parum vltra victum & amictum lucrari ſoleant. Tales itaque ſi grauarentur vſuris, non ſine Rerumpub. & familiarum magno incommodo, plane opprimerentur, atq; ita fundamentum contractuum, quod ſupra iecimus, penitus ſubrueretur. CÆTERVM non poſſum ſilentio præterire, quod iuſtiſsime in hoc hominũ genere accuſandum iudico. Nam præterquam, quod plerique huius generis homines timorem Dei abieciſſe videantur, tria grauiſsima vitia in illis cohercenda iudico, quæ ſunt: potatio pluſquam barbarica, luxus veſtiũ iſti generi hominum minime conueniens, & fraus malaq; fides in ipſorũ opificio & labore. ARTIFICES & operarij pleriq;, quicquid tota lucrantur hebdomada, hoc diebus feſtis potando inſumunt, nulla habita vxorcularum, aut liberorũ miſerorum ratione. Ex quo fit, vt ſæpius indigeant artifices & operarij, & ſæpius mutuo cogãtur accipere. Tales ſi cohercerentur legibus & pœnis, rectius conſuleretur, non ſolũ ipſis, verumetiã Reipublicæ. Si quid è poculis ſuperfuerit, hoc in luxum veſtium conuertunt. Sæpe enim videre eſt, pellificem aut calcearium, aut aliũ opificem elegantius veſtitum eſſe, quã me puero fuit eques auratus, cum adhuc heroica illa maiorũ noſtrorum virtus in aliquo precio erat. Non ſunt cõtenti communi panno, qui apud maiores noſtros in delicijs erat, ſed nobiles & principes imitantes, ſericas veſtes quærunt. Et quorũ facultates id non permittunt, illi oras manicarum & fimbrias veſtiũ holoſerico cingunt, vt animi ſui ſuperbiã, tanquam ſymbolo quodã prodant. Hic grauiſsime magiſtratũ peccare iudico, qui iſtã leuitatẽ legibus & pœnis non cohercet.

HIC inſurget forte aliquis locutulei⁹ opifex, & hoc modo excipiet: Quid? an nõ licet mihi rebus meis vti, prout mihi placuerit? an non ſum rerum mearum Dominus? Decorum in omni vitæ genere ſeruandũ eſt, quare nequaquam licet tibi cõtra decorum, rebus tuis abuti. Quod ſi feceris, magiſtratus officium eſt, vt te coerceat, doceatq; qualis ornatus calceariuм aut pellificem deceat. Tu putas te ornatiorem reddi & commendatiorem hominibus holoſericis emblematis: ſed homines cordati longe aliter de te iudicant. Nam ex veſtium luxu, luxuriantem animum ratiocinantur. Quid dicam de fraude & mala fide opificum? quid de nouis fucis, quib. pingunt ſua opera? quis non de opificum & operariorum verſutia conqueritur? Liceat mihi paulo liberius dicere quod ſentiam. Singula opificia ſuos habent, ſi Dijs placet, inſpectores, more veterum Athenienſium. Sed quid, quæſo, hi inſpectores faciunt? ſunt forte inter eos, qui vt partem lucri percipiant, aut viliori precio ſibi neceſſaria ab illis comparent: ad multa conniueant opificum errata (quæ corrigere deberent, modo rite inſpectorum officio fungi vellent) parum de incolumitate corporis, hoc eſt, reipublicæ ſolliciti. Prudentum igitur gubernatorum officium eſt, vt & ipſos artifices & eorum inſpectores, ſeu aſſeſſores in ordinem redigant. Quod dixi de calcearijs & pellificibus, id de omnibus opificibus & operarijs, quorum vſus in republica eſt neceſſarius, intelligi volo.

In tertio hominum ordine collocentur agricolæ, qui etiam laboribus manuum ſuarum victum quæritant. Hi ſi in timore Dei officiũ facerent, terramq; haud ignaue colerent, minus profecto egerent: præſertim illi, qui mediocres agros habent. Terra enim quam laborant, reddit cum fœnore quod accepit, modo labor agricolæ timore Domini rigatus fuerit. In hoc genere hominum, iniquiſsima exercetur vſura, & talis quidem vſura, quã Turcæ & aliæ prophanæ gentes, haud dubie abominarentur: Accipit forte quis tonnã frumenti mutuo, tempore ſationis, ſed cum pacto, vt ei à quo accepit mutuum, aut duplum finito anno reddat, aut ſeminet ſuis ſumtibus gratis, quantũ mutuo accepit. Taceo pecuniarũ vſuram, quæ priori multo iniquior eſt. Hanc iniuſticiã cohercere, pium magiſtratũ oportet, & piorum paſtorũ eſt, inuitare agricolas ad mutua officia præſtanda, ſine omni vſura, in timore Domini, & execrandã illam vſuram ſuis coloribus depingere, vt eam tanquam peſtem aliquam fugere diſcant. Optarem etiam in hoc hominum ordine, & luxum veſtium cohercei, & inutiles ſumtus in nuptijs & puerperijs prohiberi. Haud enim raro fieri ſolet, vt neceſſarijs deſtituantur, qui obliti conditionis ſtatus ſui, modum nõ ſeruant. In quartum hominum ordiné referantúr iuuenes delicatuli, de quibus Horatius in hunc modum ſcribit:

Imberbis iuuenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis canibusq́;, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq́; & amata relinquere pernix.

Huic ergo ordini aſcribo ditiores iuuenes, nondum coniuges, ſiue ſint nobiles, ſiue ciuium filij, qui iam dimiſsi à gubernatoribus morum, liberius pro libidine animi feruntur. His ſæpe contingit vt propter prodigam effuſionem rerum (fieri enim plerunq; ſolet, vt illi quibus panis, iuxta prouerbium, in ore naſcitur, ſuarum rerum magis ſint prodigi) pecuniam ab alijs mutuo petant. Quomodo autem cum his agendum ſit, dicam, vbi prius oſtendero, quid in ipſis deſiderem, & quid corrigi vellem. Quanquam autem vereor, ne idem mihi contingat, quod olim leporibus qui leonibus iura dicebant accidit, ipſa tamẽ veritas præferenda eſt omni periculo. Primum, non pauci haud malæ indolis, praua educatione corrumpuntur, & ea à primis annis contrahunt vitia, quæ tota poſtea ætate, ipſos plærunq; comitantur. Nam cum parentes vel nimium indulgent liberis, vel domeſtico exemplo ad deteriora eos inuitant, vel diſciplinam debitam negligunt: quid quæſo aliud fieri poteſt, quã quod videmus in arboribus, quę ab initio neglectæ, tortuoſæ fiunt & ſterileſcunt. Contra quæ manu agricolæ & arte putantur, eriguntur, rigantur, rectę, feraces & fructiferę redduntur. Quantum autem referat à teneris aſſueſcere, Lycurgus ſuis Lacedæmonijs, hoc oſtendit paradigmate: Duos catulos ex ijſdem procreatos parentibus educandos ſuſcepit, quorum alterum gulæ permiſit, alterũ venationi adhibuit. Hos ita educatos, in theatrum frequens Lacedęmoniorũ adduxit, & in medio collocauit: & ſimul in cõſpectu catulorum ollam carniũ & leporẽ viuum poſuit. Hoc facto: vtrunq; ſpectantibus Lacedæmonijs ſoluit, quorum alter magno impetu in leporem fertur, alter in ollam carnium caput inſeruit. Cum autem Lacedæmonij, quid ſibi hoc ſpectaculi vellet, mirarẽtur, reſpondit Lycurgus: ambo iſti catuli, ex ijſdem parentibus ſunt progeniti, ſed videtis alterum gulæ deditum, alterum venatione delectari. Hoc diuerſum ſtudium educationi debetur. Magnum proinde, ô Lacedęmonij, momentum ſcitote ad virtutem eſſe, vitæ rationem, educationem &

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

aſſuefactionem. SAPIENTER quoq; Crates antiquus, conſcenſa vrbis editiſsima parte,
exclamari iuſsit:quo quo ferimini ciues? num æquũ eſt in opibus parandis totos vos occu-
pari, & de liberis, quorum cauſa quæruntur opes, nihil eſſe ſolicitos? credite mihi, inquit,
nulla poteſt liberis precioſior & melior relinqui hæreditas, qnam ſi bene à teneris educen-
tur, ac ad virtutẽ recte à primis annis informentur. Hoc eis perpetuo manet patrimoniũ,
fortunæ procellis minime expoſitum. QVOD autem parentes quidam negligentius ſu-
os inſtitui liberos curent, duas præcipuas cauſſas eſſe animaduerto, indulgẽtiam nimiam,
& tenacitatem.

INDVLGENTIA matres ſæpius peccant, & præſertim illæ, quæ non admodum nume-
roſam ſobolem habent. Hæ perinde faciunt, ac ſi agricola quiſpiam agrum recuſaret cole-
re, propterea quod vnicum tantum habeat. Quis huius ineptias & iudicij peruerſitatem fer
ret? an non multo magis colendus quia vnicus? Ita ſane eſt, vt multorum defectum vnius
vſura compenſaret. Ad eundem modum iudico matrum officiũ eſſe, eo diligentius liberos
educare, quo fuerint pauciores. Sed quid matres impediat video, ſuos liberos habẽt cario-
res, quam vt eos è conſpectu ad horulã abeſſe patiantur. Sed amor crudelis eſt, ſic amare li-
beros, vt ad omnem nequitiam, veluti à matribus proſtituantur. Cuius peruerſi & crudelis
amoris non paucæ iuſtas luent pœnas, quæ cu.n ingenti animi mœrore & lacrymis, nato-
rum effrenem petulantiã videre coguntur: cui iam nimis ſero medicinã parare meditãtur.

TENACITAS ab altera parte haud raro maior eſt, quam vt ſumtus facere velint pa-
rentes. Quicquid inſumitur in equiſones, moriones, citharœdos, canes, &c. id recte collo-
catum putãt: at ſi quid in liberorum inſtitutionẽ inſumi vident, id totum male perire exi-
ſtimant, & multo maiori diligentia ſtudent, vt caballus bene ad ſaltus formetur, quã vt fili-
us ad virtutem bene inſtituatur. PLVTARCHVS perpulcram hiſtoriam huc facientem
narrat: Ariſtippus, inquit, interrogatus à quodam ſtulto parente, quantã pro filij inſtitu-
tione mercedem poſtularet, reſpondet mille drachmas. Hoc reſponſo audito, pater indi-
gnabundus exclamat: Dij boni, inquit, mancipium mille drachmis comparare poſſum.
cui Ariſtippus: emito, inquit, mancipium, atq; ita duo habebis mancipia, & quem emeris
ſeruum, & quem genuiſti filium: ſignificans liberorum animos, neglecta honeſta diſcipli-
na, ſeruiles fieri, & ad omnem nequitiam proſtitui. Vere enim dicit Poëta:

Neglectis vrenda filix innaſcitur agris.

Ita enim omnino eſt, ſi agrum incultum reliqueris, inuenies ipſum filicis & tribuli fera-
cem: ad eundem modum ſi puerorũ ingenia inculta reliqueris, petulantiæ & nequitiæ fru
gem copioſiſsimã metes. HABEMVS quæ ſint effrenis & petulantis iuuentutis elemen-
ta, quibus poſtea accedunt peſsima eorũ, qui ſimili edocti ſunt ratione, exempla. Quid hic
quęſo aliud expectari poteſt, quam quod de naphta ferunt, cui tanta (ait Plinius) cum igne
cognatio eſt, vt flamma tranſiliat in eam vndecunq; viſam. Quicquid enim vitij in alijs eſt,
quorũ conſuetudine vtuntur, hoc in illos veluti flamma quædam graſſatur, & ſi quid virtu
tis reliquum eſt, depaſcit. Vſq; adeo conſuetudo & conuerſatio malorum, pabulũ eſt om-
nis nequitiæ & effrenis libidinis. In hoc ſodalitio, exule virtute, voluptatis certamẽ initur.
Hic pulcrũ eſt poculis certare & vincere. Maior gloria putatur eſſe, in poculis minime ſuc-
cumbere, quam hoſtẽ fortiter repellere. Victores in hoc certamine nõ minus prædicantur,
quam Achilles olim, quia Hectorẽ ſingulari certamine ſuperauit. Breuiter, iuxta Iſaiæ di-
ctum, viros in ebrietate ſe præbent, atq; ita Sarmacida ſpolia ſine ſanguine & ſudore repor
tant. EST & aliud certaminis genus, quo alius alium vanitate, nouitate, precio, luxuque
veſtium ſuperare contendit. Hic cũ nemo vult eſſe poſtremus, Dij boni, quam inutiles fi-
unt ſumtus, vt hoc certamẽ mercatoribus eſt maxime lucroſum, ita compendioſiſsima via
eſt ad euacuanda ſtultorum marſupia. Taceo alia certamina parum memoratu digna, ad
quæ non exigui ſumtus requiruntur. Quid tandẽ hic fiet? euacuatis marſupijs curritur ad
amicos, petitur mutuo pecunia, vt militibus Epicuri nihil deſit. Hic ſi quis neget, quod pe-
titur, hoſtem ſibi parat. Si numerat, oleum igni addit. Quid hic, quæſo, pio homini facien-
dum eſt? gratis ne, an mutuo his pecunia danda eſt? Nemo ſanus gratis dederit, quia elee-
moſyna non luxui, non potationi, nõ aleę &c. ſed neceſsitati debetur. Parentes & cognati,
qui hic liberaliores videri volunt, & miniſtrant petentibus pecunias, inſtrumẽta nequitiæ:
perinde faciunt ac ſi furioſo gladium porrigerent. AN mutuo his quicquam dandũ erit?
nequaquã. nullo enim iure, nec diuino, nec naturali, nec humano obligaris ad pecuniam
mutuo dandam ijs, qui ea in propriã perniciem abutuntur, imo non parum peccas, ſi hoc
feceris. Nam qui occaſionem damni dedit, damnum dediſſe videtur, quamobrem fit reus
alieni peccati, ac ſi ſuum proprium onus ſibi non ſatis eſſet. Quando enim delicatuli iſti ad
vſurã pecuniam promtam inueniunt, profuſius conſumunt, donec exhauſtis facultatibus,
ad

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ad inopiam non ſine familiæ, à qua originem ducunt, dedecore rediguntur. Quocirca cũ intereſt etiã reipublicæ, honeſtas & præcipue nobiles & antiquas conſeruari familias, non parum in rempublicam peccat, qui mutuando, occaſionem interitus honeſtarum familiarum præbet. Cordatus proinde, ac pius homo offenſa iſtorum leuium hominum nequaquam moueatur, nec communicet alienis delictis, nec præbeat occaſionem maioris profuſionis, ſed timeat Deum potius, ac iuuet eos mutuo, quos Dominus iuuari iuſsit. In quintum hominum ordinem referantur, qui virilem ætatem iam ingreſsi ſunt & mariti facti, quorum vitæ ſtudium Poëta deſcribit his verſibus:

Conuerſis ſtudijs, ætas animusq́ virilis
Quærit opes & amicitias, inſeruit honori.

H I, relictis iuuentutis ineptijs, vt Poëta teſtatur, nouis occupantur ſtudijs: quærunt opes, amicitias expetunt, honoribus titillantur. Qui ſi iuſtam rationem vitæ inirent, & reuocarent ad calculum ſuas facultates, ſatis ad ſuum ſtatum tuendũ haberent. Verum non contenti ſua mediocritate, ſublimiora quærunt, & nõ habita ſuæ mediocritatis ratione, maiora moliuntur, quam facultates ferunt. Tales igitur cum pennis deſtituuntur, nihilominus cum aquila volatu certare contendunt: neceſſe habent aliunde pennas mutuare, quas ipſi domi non habent. Quid his quæſo ineptius? quid temerarium magis? vident alios multo ſe ditiores, precioſas geſtare veſtes. Quid hi noſtri faciunt? ne videantur minus, quam illi nobiles, pecuniã mutuo ad vſuram petunt, vt habeant quo ſuum ſplendorem foueant & augeant. Mirantur aliorũ magnifica palatia, in qua re cum cedere ditioribus nolint, quouis modo pecunia quærenda eſt, vt ſimilia palatia ipſi extruant. An non multo rectius facerent, ſi ſe ſuopte pede metientes, nidum ſibi & ſuis pullis cõuenientem pararent? an nõ ridiculum eſſet, ſi caſita cernens oloris nidum, ſimilem ſibi parandum duceret? Fertur dictum Franciſci regis Gallorum, inprimis venuſtum, de nobilis cuiuſdam domo magnifice & regio apparatu inſtructa. Nam cum in domum introductus eſſet rex, & expectaret nobilis regiã de magnificentia ſtructuræ vocem: tandẽ Rex de domo interrogatus iudicium reſpondit, pulcra quidem omnia & magnifica eſſe, ſed pro tam parua auicula nimis magnum eſſe nidum. Pulcre quidem rex, & ſalſe ſatis hominis ineptiam perſtrinxit, & ſimul reſponſo monuit, oportere quemlibet intra ſui ſtatus & cõditionis terminos manere, vltra quos citráue nihil cõſiſtere recte poteſt. Contemplantur præterea alios magnas ex auro geſtare catenas, nobilitatis & autoritatis ſymbola, quibus niſi ſimiles etiam in hac re fiant, ſuo honori male conſultum putant. Quid hic fieri neceſſe eſt? facultates tenuiores ſunt, quam vt tam precioſis & magnis catenis emendis ſufficiant: quare aliunde aurum mutuo quærendum eſt, pro quo vel prædia oppignoranda ſunt, vel pecunia ad vſuram accipienda. Nam nemo his gratis dat, nemo mutuum debet gratuitum. Nam indigentibus ſolis, teſte Chriſto, gratuita mutuatio debetur. Syrac. 29. Proximo mutuum, tempore neceſsitatis eius, dato. Hic aperte ſapiens reſtringit mutuationis debitum ad neceſsitatis tempus. Hinc fit, vt interdum reditus vix ſoluendæ vſuræ ſufficiant. Maritus primum catenatus factus, vxoris amicum vultum fruſtra expetit, priuſquam & illa catenis & alijs ornamentis innumeris fuerit exculta. Deinde filiæ matris ornatum ambientes, nõ ceſſant ſtultum patrem precibus ſolicitare, donec & ipſæ catenatæ incedant. Animaduertunt præterea in magnorum hominum familijs, ſplendidiorem apparatum, in qua re nec ipſi extremos ſe eſſe patiuntur. Hic comparanda ſunt pocula deaurata, vina precioſa, anathemata domorum & ornamenta magnifica. His ita paratis, conuiuia magna inſtruuntur, vt ſplendor hic etiam alijs innoteſcat. Sunt etiam in hoc ordine hominum, qui ſuis prædijs & agris, vnde poſſent ſatis pro ſua conditione honeſte viuere, non contenti, de agrorum aliorum & prædiorum emtione cogitant, vt ſuis liberis amplius patrimonium relinquant. Verum cum & hi deſtituuntur neruis, pecunia aliunde quærenda eſt, vt habeant quo ſuam expleant auaritiam. Quid hic faciet, qui pecuniam habet, qua illorum ſuccurrere cupiditati poteſt? negare forte inciuile erit: at dare, vel gratis, vel mutuo, nec mandatum Dei, nec caritatis regula te cogit. Quid igitur, inquies, faciam? Scit me habere pecuniam, quam ſi non acceperit, clamabit ſe ab amico deſertum, atque ita negando quod petitur, pro amico mihi hoſtem creo. Licebit ne ergo mihi, pro mutuationis officio vſuram paciſci, præſertim cum petenti nec diuino, nec naturali iure, quod petit debeam. Pauperi debeo diuino & naturali iure eleemoſynam. Indigenti vero, ſed robuſto, qui rem facere poteſt accepto mutuo, diuino & naturali iure mutuum debeo. Hic ſi quod debeo non reddo, pecco, & ſi pro officio debito precium peto, violo regulam Chriſti & ius naturæ peruerto. VERUM hic non obligor, nec diuino, nec naturali iure. Quare ſi quid hic beneficij præſtitero minus debitum, quid vetat gratiam pro beneficio paciſci? & iuxta receptam conſuetudinem,

de cen-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

de centum quinq; in ſingulos annos accipere? dico vſuram hic proprie nõ committi, propterea quod beneficiũ iſtud fuit liberum, ad quod nec diuino, nec naturali iure eras obligatus. Nam vſura damnata verbo Dei proprie cõmittitur, cum propter mutuum, quod diuino & naturali iure gratis debes aliquid vltra ſorté, pro debito mutuationis officio petis. Huc pertinet regula Gerſonis: Omnis contractus qui ex ſuo genere, vel ex circumſtantijs debet eſſe gratuitus, ſi interueniet pactum de recipiendo vltra ſortem, efficitur vſurarius, & proprie ſolus talis vſura nominatur. Ex hac Gerſonis regula ſequitur, non eſſe vſurarium contractum, qué ex circumſtantijs non oportet eſſe gratuitum. Quare ſi aliquid iuxta præfinitionem legũ accipio, pro non debito mutuationis officio, vt ſit æqualitas, vſuram non cõmitto. Pauperi eleemoſynam debeo, indigenti mutuum debeo. Quare? quia lex Dei & ius naturę hoc poſtulat. At non indigenti, nulla lege mutuum debeo. Si ergo cum illo contraho, interpoſito pacto de recipiendo aliquid vltra ſortem, non proprie cõmittitur vſura, præſertim ſi ſeruatur æqualitas, quam mgiſtratus ſtatuit. Quocirca probo in hoc contractu ſententiam D. Æpini, qui in Pſalmum 15. ſcribens, tres ordines hominum enumerat, videlicet, mendicátium, reuera indigentium (qui tamen poſſunt pecunia mutuo accepta rem facere) & eorum qui ſunt locupletes, habentq; vnde honeſte cũ ſua familia viuerent, modo mediocritate ſua eſſent contenti. De his tribus generibus erudite diſputat Æpinus, ac tandem cõcludit, in tertio ordine non committi vſuram, modo alioqui ab æqualitate non decedatur. Eſt autem naturalis æquitas, vt pro officio, quod iure non debemus, reddatur officium, vt ſit æqualitas. De hac æqualitate audienda eſt definitio magiſtratus. Rex laudatiſsimæ memoriæ Chriſtianus Tertius lege cauit, ne quis vltra quinq; in ſingulos annos ex centum accipiat. Hos ergo limites qui tranſgreditur, ab æqualitate diſcedit. Huc libet aſcribere regulam, quam Philippus Melanchthon de hac æqualitate tradit: Sic Chriſtianus, inquit, conſcientiá ſuam erudiat, vt intelligat hæc conceſſa eſſe, quia Deus approbet leges & magiſtratus, hoc eſt, bonus & ſapiens iudex, nec requirat punctũ ſeu medium indiuiſibile. Nam & ipſę leges docent, mediũ ſumendũ eſſe ἐν πλάτει, id eſt, in aliqua latitudine, nec poſſe vnam tantum formá in talibus negotijs, indiuiſibiliter conſtitui. Etſi autem non dubito, hanc ſententiam veram eſſe: tamẽ velim pios, certas quaſdam admonitiones ſemper in conſpectu habere, quas paulo poſt aſcribam. In ſextum hominum ordinem, mercatores repono, eos videlicet, qui tantas non habent facultates, vnde poſſunt ſe honeſte ſuſtentare, ſed ex mercatura viuũt & ex rerum commutatione, exportatione, importatione rem faciunt: vnde ſæpe non parum lucrantur. His ſæpenumero vſu venit, vt mutuo quærant pecuniam, ſine qua ſuam mercaturam mediocrem exercere non poſſunt. Hic quæritur num creditori liceat paciſci vſuram? reſpondeo ſimpliciter nõ licere. Debes enim iure diuino & naturali fratri indigẽti mutuationis officium. Nam cum is reuera indiget, & tu potes ſine tuo certo damno iuuare, peccas niſi iuuas, & peccas ſi aliquid acceperis vltra ſorté, pro debito mutuationis officio. Verum hic quatuor obſeruationes notandæ ſunt. Prima, mercatores prædiuites non contentos mediocritate concernit. Secunda, ad ſocietaté pertinet. Tertia, ad pupillorun hæreditaté. Quarta, ad illud quod intereſt refertur. Quantũ auté ad primam obſeruationé attinet, ſciendum eſt quod nemo prædiuiti mercatori, de cuius facultatibus amplis certo cõſtat, iure diuino & naturali mutuum debeat. Mutuum enim debitũ neceſſitati, & non auaritiæ inſatiabili ſeruire debet. Quare cum hoc genere hominũ agere licet, ſecundũ regulam, quá, cum de quinto hominũ ordine ageremus, tradidimus. Secũda obſeruatio, quá ad ſocietatem pertinere diximus, hoc pacto ſe habet: Petit mercator à te mutuo pecuniá, & tu ſtipularis partem lucri in eum euentum, ſi quid lucri ex tua pecunia perceperit promiſſor. Hic quæritur, num liceat tibi parte lucri paciſci. Reſpondeo, licet quidé, modo partem periculi in te receperis. Nam hoc cum fit, in vſuræ rationem non cadit. Poteris ergo in annum ex centum quinque petere, tanquam partem lucri, modo tu viciſsim quinq; ex centum, ſi damnum patiatur, de ſorte decidere patiaris. Nam qui paciſcitur tantum cum conditione lucri, & damni vult eſſe expers, vſuram reuera committit. Quare diuini & naturalis ſententia reus peragitur. Quantum autem ad pupillos attinet, tutores pupillorum, ne paulatim conſumatur hæreditas illis concredita, mutuare poſſunt petentibus, præſertim ditioribus pecuniam pupillorum, & pro mutuationis officio & vſu pecuniæ, quod æquum eſt, poſtulare, hoc eſt, iuxta præfinitionem magiſtratus, quinque ex centum in ſingulos annos. Hic contractus nequaquam in rationem vſuræ cadit. Nam nec tutores de alieno obligantur mutuare, nec qui mutuum accipiunt, vbi nulla, nec diuina, nec naturalis præceſsit obligatio ſeu debitum, iuſte gratitudinem pro accepto beneficio recuſare poſſunt. OBSERVATIO ad id quod intereſt pertinens, etiam vſuræ rationem impedit. Nam ſi dilata ſolutione mutui, damnum patiatur creditor, æquitas poſtu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

poſtulat, vt debitor damnum reſarciat. Atque hoc vocant Intereſſe, quod dicunt oriri, aut propter damnum emergens, aut propter lucrum ceſſans. Nam ſi debitor non ſoluerit mutuum, tempore ſolutioni præſtituto, naturalis requirit ęquitas, vt damnum quod inde creditori acciderit, reſarciat debitor. Simile eſt de lucro ceſſante. Verum hic caueat creditor, ne doloſis vtantur lancibus. Quare adhibenda eſt caritas, omnium contractuum iuſtiſsima norma. Hæc ſi ſincera fuerit, facile æqualitatem inueniet. Cæterum ſi alij præter enumeratos ordines hominum offeruntur, non erit difficile ex prioribus regulis iudicare, quid de illis ſtatuendum ſit. Nam aliqua ſimilitudo in illis facile deprehendetur, cum ſuperioribus ordinibus, quæ quæſtionem ſoluet.

DE QVARTO.

SEQVITVR vt de quarto partitionis noſtræ membro verba faciamus, quod continebit admonitiones quaſdam, quæ pijs tanquam conſultationes quædam, non ſolum in hoc vſurario contractu, de quo iam ſatis multa diximus, eſſe poterunt: verumetiam in omni contractu nos in officio continebunt, modo illis pias aures adhibuerimus.

PRIMA, Paulus 1. Timoth. 1. ait: Finis præcepti eſt caritas ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ſimulata. Diximus ſupra ideo prohibitas eſſe vſuras verbo Dei, ne caritas inter homines lædatur. Hæc autem Pauli regula vult, vt caritas illa ex puro fonte cordis proficiſcatur. Cauendum eſt itaq;, ne dum externe præ te fers caritatem proximi, cor immundum ſit, cuius ſordibus conſpurcatur officium, quod proximo præſtare videris. Conſcientiam præterea bonam requirit caritas, videlicet vt coram Deo vere teſtari poſsis, quod in omnibus actionibus gloriam Dei & commodum proximi quæras ſine fuco & ſimulatione. Vbi enim eſt fucus & ſimulatio, caritas exulat, conſcientia vaſtatur, fides perijt. Ex quo ſequitur, nihil recte fieri. Sit ergo hæc Pauli regula nobis perpetuo in conſpectu, ad quam noſtras actiones omnes, tanquam ad lydium lapidem reuocatas exploremus.

SECVNDA, Ab omni ſpecie mali (ait Apoſtolus 1. Theſſal. 5.) abſtinete. Hæc regula imprimis neceſſaria eſt. Monet enim vt non tantum quæ reuera mala ſunt fugiamus: verumetiam vt à ſpecie mali omnino abſtineamus, hoc eſt, vt quicquid vel vllam mali ſpeciem pręſe fert fugiamus. Hęc regula admoneat pios, vt non ſolũ ab iltis contractibus abſtineãt, qui ſunt reuera mali & illiciti: Verumetiam ab illis qui aliquam mali ſpeciẽ præ ſe ferunt.

TERTIA, Paulus Heb. 13. ait: Sint mores alieni ab auaritia. Hoc præceptum non ſolum ad animum pertinet, videlicet ne animus fœdiſsimo auaritiæ idolo prophanetur: Verumetiam ad mores externos. Sic enim vult nos viuere, vt nemo nobis notam auaritiæ inurere poſsit. Nam vbi mores teſtantur de cordis auaritia, pietas & fides procul dubio exulant. Quare non temere eſt, quod Dauid precetur, cum inquit: Inclina cor meum Deus ad teſtimonia tua, & non ad auaritiam. Hic Dauid obœdientiam erga Deum, & auaritiam inter ſe opponit, ſignificans eam eſſe earum conditionem, vt vbi vna ſit, altera eſſe non poſsit. Si ergo cor auaritiæ labe infectum eſt, ſincera erga Deum religio nequaquam illic eſſe poteſt. Si auarus interdum aliquã erga Deum obœdientiam præ ſe fert, mera eſt hypocriſis. Contra autem, ſi cor Dei amore & eius religione ardet, auaritia illic locum non habet. Quæ enim conſenſio eſt idolo auaritiæ cum templo Dei? Præterea quia ſanctiſsimus Rex Dauid, à Domino cor ſuum inclinari ad teſtimonia Dei petit, & non ad auaritiam: aperte indicat, quod cor ſuapte ſponte ad auaritiam feratur, & non poſsit ſeipſum ab auaritia vindicare, niſi Deus manum adhibeat. Præceptum igitur Pauli: Sint mores alieni ab auaritia, pios perpetuo habere ob oculos velim, & hanc orationem Dauidis: Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad auaritiam, ſerio precari. Quod ſi fieret, minus inter pios de vſuris decertaretur.

QVARTA, Paulus vult Chriſtianos ita viuere, ne noſtrum bonum male audiat inter gentes. Iam certum eſt, quod vſurarius contractus infamis ſit apud Turcas, & omnes prophanas gentes. Quid ergo de Chriſtianis dicturi ſunt, ſi nos audierint cõtendere cum prophaniſsimis gentibus, atq; eas iniuſtis contractibus ſuperare? Hæc profecto merito omnes pios monere deberent, vt potius minus ſplendide viuerent, quam nomen Dei, ac Euangelium Chriſti prophanorum hominum conuitijs exponerent. Deceret nos omnibus pietatis & honeſtatis exemplis inuitare eos, vt Chriſtum vna nobiſcum colerent, ac ſaluarentur, ſed Dij boni quid fit? ſub Chriſtiano nomine in multis Turcicus animus latet.

QVINTA, Paulus iubet nos ſcandalũ vitare, ne infirmi factis noſtris offenſi impingãt. Neq; hoc vult tantum vt à malis per ſe abſtineamus, verumetiã à rebus licitis. Licuit Paulo per Chriſtianam libertatem carnibus veſci, ſed quid ait? priuſquam offendam fratrem meum,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

meum, non veſcar carnibus in æternum. Vſq; adeo vere piorum officium eſt, nō ſolum cauere, ne ſe ipſos inquinent vlla peccati labe, verumetiam ne vlla occaſione ſint alijs lapſus cauſſa, vt de nobis minus ſincere iudicent.

SEXTA, Nominis Chriſtiani dignitas nobis in mentē veniat. Quod profecto nomen meritiſsime inter Chriſtianos ſanctum eſſe oportet. Homini ex nobili & clara familia nato, turpe eſt ſeruilia & contemta obire miniſteria, ne labem aliquam nobilitati familiæ aſpergat: multo minus decet, vt filij Dei aliqua labe ſe polluant, quæ poſtea in totam familiam Dei redundet.

SEPTIMA, Pœna in hæredibus metuenda eſt. ſi quis enim iniuſtis lucris, multa ſuis hæredibus congerit, pœnā non euadet. Deus enim, aut in conſpectu illorum, hæredes quos ſperabant è medio tollit, vt videant ſuam vanitatē, & reſipiſcant, aut hæredes punit deſertione, ſinens eos in varia flagitia ruere, vt quæ iniuſte fuerunt conquiſita, turpiſsime diſsipentur & pereant, in certam hæredum perniciem.

OCTAVA, Cogitatio etiam hęc ſubeat animum: Sępe pauperum & honeſtorum parentum liberos veniſſe ad dignitates maximas, idq; non diuitiarum ſubſidio, quas nullas habuerunt, ſed præclararum artium, honeſtatis, ſapientiæ & prudentiæ beneficio. Exempla nominare etiā domeſtica poſſem, ſed ea quia nota ſunt, prætermitto. Contra autem, multos quibus ingentes opes à maioribus relictæ erant, vel ad extremam paupertatem ſuo vitio redactos eſſe: vel inſtar pictarum tabularum, ad nihil vtiles in Repub. fuiſſe, prorſus ſimiles procis Penelopæ & porcis Epicuri, fruges conſumere natis. Hæc cogitatio pios admoneat, vt potius liberis virtutem & bonum nomen relinquant, quam multas diuitias ſine virtute, quibus raro niſi in propriam perniciem liberi vti ſolent. Memorabile dictum eſt hoc Ciceronis: Optima hæreditas quæ à patrib. traditur liberis, omni patrimonio præſtantior eſt, gloria virtutis rerumq; geſtarum. Et rurſus: Nullum monumentum pater clarius relinquere poteſt, quam effigiem morum ſuorum, virtutis, conſtantiæ, pietatis, ingenij, filium. Has admonitiones, ſpero me vtiliter diſputationi de vſuris addidiſſe, rogo autem pium lectorem, vt eas pie examinet, ac eas in omnibus negocijs in conſilium adhibeat.

DE QVINTO.

RESTAT, quod poſtremo loco propoſuimus, de officio miniſtrorum verbi, quorum eſt vice Dei, tanquam præcones ab eo miſſos, exaltare vocem vt tubam, & peccata hominum accuſare, nulla perſonarum habita ratione: non tamē ſine ſpirituali prudentia, qua cauetur ne quid fiat minus decenter. PRIMVM itaq; miniſtri Euangelij, omnē iniuſtum contractum, adeoq; ipſam verbo Dei damnatam vſuram, ſerio & grauiter damnent, ac oſtendant nullum iniuſtum contractū cum vera pietate ſtare poſſe. Deinde videant diligenter, ne aut temere, aut nimis acerbe iudicent de contractibus, quos magiſtratus approbat. Diſcernant inter eos contractus, quos Deus claro ſuo verbo prohibuit, & eos quos leges propter cōſeruandam humanam ſocietatem ſapienter ordinant, nec prętextu vſurarum, eos contractus damnent, qui reuera vſurarij non ſunt. Præterea errores manifeſtos in contractibus, diſciplina Eccleſiaſtica emendent, quantū poſſunt, idq; nō priuato impetu, ſed maturo & prudenti conſilio, ne plus noceat intempeſtiua correctio, quam proſit. Adhæc etiamſi omnia vitia in contractibus præcones Dei corrigere non poſſunt, non tamen turbent Eccleſiam, ſed Deo rem cōmendent, ac orent vt ipſe manum adhibeat. Diligenter quoq; caueant, ne imprudenter extremum Eccleſiæ remedium adhibeant. Nam vbi periculū eſt ſchiſmatis, lata in multos excommunicationis ſententia, omnino ab excōmunicatione abſtinēdum iudico. Eradicanda ſunt quidem zizania (vt inquit Auguſtinus) modo triticum vna non euellatur, Quare in emendandis moribus, ſequantur hanc moderationem: Graſſantia multorum ſcelera, nō imperio, ſed conſilio corrigant, nō minando, ſed monendo ſanent. Contra autem, paucorum ſcelera ſeueritate caſtigent, ne vires ſumāt, & multitudinē inuadant. Quod cum fit, difficilius corriguntur. Poſtremo, diuites diligentiſsime admoneant, ne ſuis ſe ſinant diuitijs ineſcari, caueantq; ne fallacibus ſtultæ carnis argumentis decepti, amittāt fidē, & in laqueos Satanæ incidāt. Admoneant quoq; non fruſtra Dominum dixiſſe: Difficile eſſe diuitem intrare in regnum cœlorum. Subinde verum diuitiarum vſum ipſis commendent: oſtendant Chriſtum ideo voluiſſe in Eccleſia quædā corporis ſui membra egena & nuda eſſe, vt diuites tentaret, an ſe in ſuis membris ex vera fide diligerent necne. HÆC ſimpliciorib9 miniſtris Euāgelij cōſilia dedimus, alij per ſe, præſertim qui in miniſterio exercitatiores ſunt, facile intelligunt, quomodo verbum Dei ſit ſecandum ac applicandum.

DE COMMODATIONE.

Commo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Commodatio ſequitur, quæ non transfert rem in dominium accipientis, ſicut in ſuperioribus cõtractibus fit, ſed tantum vſum rei transfert, idq; ad tempus, vt ſuo tempore res eadẽ numero reſtituatur. Habet hic contractus nomen ab vſu, quia res quas accipimus cõmodato nobis commodum aliquod & vtilitatem afferunt. Hic contractus careat fraude, cum in commodante, tum in accipiente, & ſe legi caritatis ſubijciat.

DE CONDVCTIONE ET LOCATIONE.

Contractvs conductionis & locationis conſuetudini ac conditioni temporis & loci ſubijciantur, ita tamen vt à lege caritatis non diſcedatur. Qui igitur locat vſum rei ſuę, aut operam ſuam, iuxta conſuetudinem regni & alias circumſtantias, precium à cõductore petere poteſt. Qui ſi non ſoluerit, iniuſtus eſt. Hvc videtur mihi pertinere contractus, quem ἐμφύτευσιν vocant Iuriſconſulti, hoc eſt, implantationem, ex eo ita nominatã, quod ſteriles agros olim conducentes, eos implantatione, hoc eſt, cultura meliores facerent, & dominis pro vſu agrorum, certum cenſum annuum ſoluerent, iure tamẽ poſſeſsionis apud locatorem manente. Hæc ſpecies deinde ad genus translata eſt: hoc eſt, ad quorumlibet agrorum & domorum locationem: vnde prædia dari in ἐμφύτευσιν dicuntur. Consistit itaq; hic contractus ἐμφυτεύσεως, in rebus ſoli & fundi duntaxat, in quo fructus ex cultura conductori prouenit: ſed locator manet verus fundi Dominus, ideoq; iuxta leges & conſuetudines regionum, partem fructus ex contractu iuſte percipit.

DE CONTRACTV SOCIETATIS.

In contractu, quem vocant, ſocietatis, hoc eſt, vbi vel vnus ponit pecuniam tantum, & alter tantum operam, vel vnus ponit pecuniam & operam, alter tantum pecuniam aut operam, vel vterque ponit pecuniam & operam, ſed non æqualiter: ſequendum eſt fundamentum ſine fraude: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Qui contra hoc fundamentũ, ſocium deceperit, iniuſtus eſt, & ſocietatis fraternæ iura violauit. Hæc de contractibus placuit adijcere, vt piorum conſcientijs in hac re conſulerem. Plena doctrina de contractibus, petatur ex Iuriſconſultorum ſcriptis, qui ex profeſſo de hiſce rebus copioſiſsime vt artifices ſcribunt, nec eſt quod quiſquã putet ſapientum gubernatorũ placita de contractibus aut alijs officijs in vita vtilibus, aduerſari Euangelio. Nam, ſicuti ſupra teſtati ſumus, Euangelium politicas ordinationes nequaquã abolet. Dominus enim dicit: Regnum meũ non eſt mundanum. Relinquit ergo Euangelium cuilibet regioni ſuas leges, quæ non diſcedentes à Decalogo, faciunt ad conſeruationem politiarum & familiarum. Qvapropter pij tutiſsime ſequi poſſunt hanc regulã: Omnes contractus approbati à legitimo magiſtratu, penes quẽ ſumma eſt gubernatio, liciti ſunt Chriſtianis, modò nõ aperte pugnent cum lege naturæ, aut Decalogo. Atq; ideo pij libere ijs bona conſcientia ſine offenſione Dei vti poſſunt, non ſecus atq; hiſce elementis, quæ nobis communia ſunt cum pijs & impijs.

QVAESTIO DE BONIS ECCLESIASTICIS.

Num liceat hæredibus bona repetere, quæ ipſorum maiores contulerunt Eccleſiæ, pro celebrandis miſsis: ceſſantibus iam, imo abolitis miſsis?

Discernendvm eſt inter finem proximum donationis, & finem vltimum. Finis proximus donationis fuit celebratio miſſæ, qui cum impius ſit, recte faciunt, qui miſſandi ritum abolent. Finis vltimus fuit conſeruatio cultus Dei. Huic fini, quia bonus & ſanctus eſt, deſtinari debent bona olim ad celebrationem miſſarum collata.

OBIECTIO.

Obijciunt, in plериſque donationum diplomatis, expreſſam eſſe hanc clauſulam, Si ceſſauerit talis miſſandi vel canendi ritus, habeant hæredes poteſtatem recipiendi ea bona, quæ ipſorum maiores contulere ad miſſas, &c.

RESPONSIO.

QVI ea bona contulerunt Eccleſiæ, errarunt in ſpecie, non in genere. Species eſt, miſſæ celebratio. Genus eſt, cultus Dei. Hæredes proinde rectius edocti, deberent corrigere maiorum errata, & ad verum cultum Dei conuertere, quod prophanationi cœnæ Dominicæ deſtinatum fuit. Imo hoc potius pij magiſtratus officium eſſe ſtatuo, ne priuatorum auaritiæ iſta bona exponãtur. FLORA meretrix Romana contulit ſuas facultates (quas habuit plurimas) ad conſeruandum ſpectaculum annuum Romæ. Hoc ſpectaculum cum grauiſſimus cenſor Cato abolendum cenſuerit propter turpitudinem & obſcœnos meretricum geſtus, hæredes Floræ abolitis ludis Floralibus, repetunt bona à Flora collata. Verum Romanus Senatus ſapientiſsime iudicauit, non debere iſta bona ad hæredes redire, ſed ſpectandum eſſe conſilium Floræ legantis, cuius vltima voluntas fuit, vt ſua bona quę legârat, ſeruirent Romanę Reipublicę. Flora etenim etſi in ſpecie errauit, nõ tamen in genere. Proinde vt genus conſeruaretur, Senatus Romanus rectiſsime iudicauit, Floræ legata nõ reddenda eſſe hæredibus ea petentibus, propterea quod ludi Florales eſſent aboliti. AD eundẽ modum legata ad conſeruandas miſſas, nõ ſunt reſtituenda hæredibus, ceſſantibus miſsis, ſed conuertenda ſunt ad genus, vt ſeruiant Eccleſiæ Dei, hoc eſt, attribuantur docentibus, diſcentibus, emeritis & Eccleſię cuſtodibus & defenſoribus. Non debent hominũ voluptatibus ſeruire, ſed neceſsitatibus Eccleſiæ. Sic etiam iudicat Bartolus, præſtantiſsimus Iureconſultus, qui hunc ipſum caſum de miſsis attingit in commentarijs ſuis, in legem, De eo quod legatum eſt ciuitati. VERBA Bartoli hæc ſunt: Si teſtator reliquit centum pro miſsis canendis, quæ miſſæ non poſſunt cantari propter interdictum: illud relictum debet conuerti in alium vſum. THESIN ſeu generalem ſententiam paulò ante ponit idem Bartolus: Si, inquit, teſtator adijcit modum ſeu conditionem impoſsibilem (ſcilicet propter interdictum) ob aliquem finem licitum & honeſtum, tunc ſi non poteſt impleri eo modo, quo dixit, conuertitur in alium vſum licitum.

GRAVITAS PECCATI RAPIENTIVM BONA ECCLESIASTICA.

VTRANQVE tabulam violant raptores bonorum Eccleſiaſticorum. Sunt enim & impij cõtra Deum, & crudeles aduerſus Eccleſiã & eius membra. Nam & quę data ſunt in cultum diuinum, ſacrilege ſibi vſurpant, & egena Eccleſiæ membra victu ſpoliant. CICERO affirmat illũ grauius delinquere, qui è publico ærario aliquid ſurripit, quã qui priuati hominis theſaurũ furto aufert. Proinde longe grauius eos peccare certum eſt, qui Eccleſiæ bona per iniuriam occupant. Dominus damnat eos, qui ex ſuo pauperibus nihil conferunt: quomodo putabimus eos iudiciũ Dei euaſuros, qui aliena rapiunt? Damnatur voce Dei, qui æquo animo iniuriã non fert: quomodo fieri poteſt, vt pœnas euadat qui mẽbra Chriſti iniuria afficiat? Deus nõ fallitur Sophiſtica, nõ recipit excuſationes iniquas. Quocunq; ſe vertunt raptores bonorum Eccleſiaſticorum, nõ poſſunt effugere, quin ſeptimi præcepti reatu obſtringantur. Nam cũ Dominus dicit: Non furtũ facies, prohibet ne ex alieno quicquam iniuſte nobis vllo iuris prætextu vendicemus. ETSI autem multi hodie bonis Eccleſiaſticis per iniuriã occupatis, ſuauiter vti videntur, tamen teſtem conſcientiam ſecũ circũferunt, quæ tametſi veluti cauterio vſta, ad tempus ſecure conquieſcit, tamen aliquando idq; in mortis articulo, tanquã è graui ſomno excitata, inſtar mille teſtiũ erit, & grauius affliget cor, quam vlla laceratio corporis corpus cruciare poteſt. Tum vere ſentient, non de nihilo fuiſſe, quod olim ab Iſaia dictum eſt, cap. 33. Væh qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? cũ fatigatus deſieris cõtemnere, contemneris? HÆC Prophetę verba tandem ſentient non euaneſcere in aërem. Putant iſti, nihil periculi eſſe, propterea quod non ſentiant pręſentem Dei manũ, quos tamẽ hiſtoria populi Iudaici ſatis docet, ſacrilegorum pœnã non auferri, etſi ad tempus differtur, propter eos quos Dominus ſua bonitate inuitat ad pœnitentiam. PROPHETARVM vocem contemſit populus Iudaicus, ſed tandem impleta menſura peccatorũ, prorſus interijt. Hodie ſonat vox Dei in auribus noſtris, & ſecure dormimus in vtranque aurem ſine pœnitentia, ſed expletis peccatis noſtris, etiam in nos iram ſuam Dominus effundet, atq; tum futurum eſt, quod prædixit Ieremias: Sicut fur deprehenſus in furto confunderis. Quo verbo ſignificat ſpiritus Dei, fore vt iuſtas pœnas aliquando luant, qui verbum Dei pro ludibrio habentes, omnia quæ ſuadet animi libido ſibi licere putant.

QVAESTIO DE RECTO VSU BONORVM ECCLESIASTICORVM.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

QVIA bona Eccleſiaſtica longo tempore fuerunt in magno abuſu, iuſte quæritur quiſnam ſit verus & legitimus vſus bonorũ Eccleſiaſticorũ, & quibus conferri debeant iſta bona. Non enim propterea aliquis iure occupat Eccleſiæ bona, quia vel cucullũ gerit, vel boat in templo, vel etiam linguã Latinam nouit, in quo errore hactenus fuerunt multi. Sed hic audiendi ſunt ſancti patres, qui ſincero iudicio iudicare poſſunt. Gratianus Auguſtini ſententiã referens, teſtatur ſtipẽdia Eccleſiæ, hoc eſt, annuos redditus & donationes, in quatuor debere diſtribui partes. Quarum prima detur Epiſcopo & familiæ eius, propter officium & hoſpitalitatem, non ad luxum, non ad alendã ſuperbiam, nõ ad torques aureas, non ad aureos annulos, non ad caballos alendos, non ad aulicũ ſtrepitum: ſed ad neceſſariam & honeſtã ſuſtentationẽ, ne diuitijs huius mundi ineſcatus, obliuiſcatur officij. Quemadmodum olim factum eſſe in hoc regno ſatis notum eſt. SECVNDA pars detur clero, cuius tres ordines facio. In primo ſunt docentes & diſcentes in Eccleſia, quibus ſumtus debẽtur, ne paupertate coacti abijciant officium. In ſecundo ſunt, qui olim ſeruierunt Eccleſiæ, ſed nunc vel morbo affecti, vel ſenio confecti, officiũ facere non valent. His liberalis debetur ex bonis Eccleſiæ ſuſtentatio. In tertio ordine ſunt, qui ſuis laboribus in ſtudijs Eccleſiæ vtilibus hoc merentur. Hi veluti milites in vſum Eccleſiæ foueri debent. TERTIA pars conferatur pauperibus, qui vere ſunt tales, quorũ tranſacta vita honeſta fuit. Nam qui ſcortando & potando ſua bona abſumſerũt, indigni ſunt qui Eccleſiæ bonis alantur. Hi mẽdicitate victum quærant. QVARTA pars templis & domorum fabricæ reſeruetur. HÆC Auguſtini ſententia, de partitione bonorum Eccleſiaſticorum pia & vera eſt. Non vult ſanctus ille vir bonis Eccleſiæ ali canes & meretrices, nõ vult ocioſos ventres & ignauos fucos bonis Eccleſiæ inpingueſcere, nõ vult agmina Monachorũ, inutiliſsima terræ pondera, delicate viuere ex bonis Eccleſiæ, nõ vult fumos & boatus vendi pro Eccleſiæ theſauro, ſed iuſtam diſpenſationem requirit, iuxta proportionẽ Geometricam, quę rationem officij & laboris habet in aſsignandis ſtipendijs. ETSI autem hanc ſententiam Auguſtini, de partitionẽ bonorũ Eccleſię probo, tamen hoc iuſta ratione addo. Primum quia Epiſcopis non congruunt politica imperia, licet pijs regibus & principibus imperia, ditiones, iuriſdictionem ciuilẽ, exercitus Epiſcoporũ ad ſe transferre, modo ea conuertant in Eccleſiæ Dei conſeruationẽ, hoc eſt, pijs regibus & principibus licet ſe iſtis bonis munire, vt habeant quo tueantur Eccleſiã aduerſus hoſtes, & quo munifici eſſe poſsint erga pios exules & alios de Eccleſia & Republica bene meritos. QVOD autem recte dicimus Epiſcopis non congruere politica imperia, id ſatis oſtendunt dicta, quæ diſcernunt miniſteriũ Euangelij, & politica imperia. Sicut pater meus miſit me (ait Dominus) ita ego mitto vos. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Reges gentium dominantur, vos autem non ſic. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia. SED Papiſtæ obijciunt donatas eſſe Romano Pontifici à Conſtantino certas prouincias. Si demus hoc verum eſſe, etſi eſt falſiſsimũ, tamen etiamſi delata eſſet potentia illa Syluestro, nõ licuiſſet eam ipſi accipere in ea functione, in quo erat, & ſucceſſoribus tradere. Quia vnuſquiſq; debet officia ſuæ vocationis facere, iuxta dictum: In hoc ſitis ambitioſi, vt ſitis quieti & faciatis propria. Epiſcopus debet docere, Rex gubernare exercitus, ſtipendia, bella, pacẽ corporum. Non ſunt igitur hæc mandanda paſtori, ſed vnuſquiſq; ſuo loco memor ſuæ regulæ, propria facite. Item, Vnuſquiſq; ſicut eum vocauit Deus, ita ambulet. Item, Quæ tibi Deus præcepit, ea ſancte facito. Dictum itaq;, Vos autem non ſic: non tantum ita intelligatur, quod cum miniſterio Euangelij, nõ tradit Chriſtus politicam poteſtatem, ſed etiã ne accipiatur & exerceatur à tenente miniſterium. CVM Pontificij obijciunt reſponſum Domini, ad dictũ, ecce duo gladij hic, ſatis declarant ſe ſophiſtice agere. Nam cum ille reſpondet, ſatis eſt, ſignificet querelam de duplici genere hoſtium. Satis eſt & Pontificũ & Pilati gladius aduerſus vos ſtringi. Hinc extra omne dubiũ concluditur, non cõgruere Epiſcopis & paſtoribus imperia politica. Pie igitur & recte Chriſtianus Tertius, Rex Daniæ fecit, cum Epiſcoporũ principatus ad ſe tranſtulit ad conſeruanda Eccleſiæ ſtudia neceſſaria, & ad reprimendos hoſtes Euangelij. DEINDE vbicunq; adhuc vberiores Eccleſiæ ſunt redditus, & vbi bene proſpectum eſt ijs, de quibus dictum eſt, debet pius Rex ſeu princeps tanquam œconomus & nutritor Eccleſiæ, bonorum quæ ſuperſunt rationem habere, ac inprimis cauere, ne ab ocioſis ventribus, qui nec ſeruierunt vnquã, nec ſeruiunt, nec ſeruire poſſunt Eccleſiæ aut Republicæ, bona Eccleſiæ occupentur. Nam vt ſuperior Dominus defenſor eſt aliorũ publicorum bonorũ: ſic eſt defenſor Eccleſiaſticorum bonorum. ET vt Regis intereſt, ſi ciuitas bona fiſci male adminiſtrat, curare vt diligentius & vtilius collocentur. Ita de facultatibus Eccleſiaſticis intereſt Regum & principũ curare, vt quæ hactenus ſeruierunt ſuperſtitioni, iam veris vſibus applicentur. VERVM interim caueat quiſq;, ne prætextu pietatis ad luxum & prophanos vſus bona Eccleſiæ conuertat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Patientes igitur eſtote fratres vſq; ad aduentum Domini.

Ex obiurgatione diuitũ, infert adhortationẽ ad pios pauperes, vt cum videant qualis ſit exitus futurus eorum, qui diuitijs ſuis in hac vita abutuntur: potius patienter ferant præſentes ærumnas, quam vt velint diuitias diuitum, cum ſalutis periculo expetere. Eſtque hæc exhortationis propoſitio.

Ecce agricola expectat precioſum fructum terræ, cum patientia ſuper eo, dum accipiat pluuiam matutinam & ſerotinam. Patientes igitur eſtote & vos confirmate corda veſtra. Quoniam aduentus Domini appropinquat.

Prima propoſitionis ratio ab exemplo agricolarum ſumitur. Quemadmodũ agricolæ aborantes in ſerendis agris et parandis, patienter expectant fructum: ita pij per patientiam expectare debent finem fidei, qui eſt ſalus animarum. Pluuia matutina dicitur quę in vere decidit iacto iam primum ſemine in terram. Serotina quæ in autumno cadit plenis ariſtis, vnde grana turgeſcunt & redduntur maiora. Ratio appellationis eſt, quod totũ tempus quo ſemen in agris eſt, confertur diei vni. Huius principium eſt ver, & finis autumnus.

Ne ingemiſcatis alius aduerſus alium, fratres, ne condemnemini. Ecce iudex ante ianuam aſtat.

Secunda ratio à pœna impatientię. Gemitus nomine inteſtina quædam quærimonia notatur, quæ ex impatientia proficiſcitur. Ad ianuam aſtare, eſt in propinquo eſſe.

Sumite pro exemplari, fratres mei, afflictionis & patientiæ Prophetas, qui locuti ſunt nomine Domini.

Tertia ratio ab exemplo Prophetarum, qui etſi vice Domini in annunciando verbo functi ſunt, non tamen erant immunes ab afflictione, in qua ſammam patientiam declararunt. Vide Hebr. 11.

Ecce beatos ducimus eos qui ſuſtinent.

Quarta ratio ab adiacentibus. Beati dicuntur qui patiuntur, Matth. 5. Igitur patienter præſentes afflictiones ferre oportet. Sunt autem duobus modis beati, ſenſu & euentu. Senſu quidem quia reuera ſub cruce ſentiunt præſentiam Dei conſolantis ſe. Euentu vero quia vere liberabuntur, iuxta promiſsionem Chriſti, Matth. 5.

Tolerantiam Iob audiſtis & finem domini vidiſtis.

Quinta ratio ab exitu præſentium ærumnarum, quem oſtendit propoſito illuſtri exemplo ſancti Iob. Iob ſupra modum afflictus erat, ſed finis Domini, id eſt, exitus quem Dominus dedit, fuit lætiſsimus. Nam afflictionis tempore ſuperato, conſolationem accepit & glorioſe ab omnibus afflictionibus ſuis liberatus eſt. Atque ita in præſentibus ærumnis, oculi noſtri non tam in has miſerias, quam in earum lætum exitum defigendi ſunt.

Nam valde miſericors eſt Dominus & commiſerans.

Quintæ rationis confirmatio eſt, ab affectu Domini erga eos, qui patienter in fide afflictiones ſuſtinent. Quia ſæpe miſericordię Dei idq; meritiſsime fit mẽtio in ſcripturis, & Deus ipſe prędicatur miſericors & miſerator (Miſericors quidem, quia vere afficitur noſtris miſerijs & veluti compatitur nobis. Miſerator vero, quia nobis miſeris manũ porrigit, noſq; è miſeria liberat) volo breuiter recitare, quæ nobis in mentẽ venire debent, quoties miſericordiæ Dei erga nos fit mentio. PRIMVM, obiectum miſericordiæ cogitandũ eſt, quod eſt miſeria generis humani, qua totũ genus humanũ eſt in ſe miſerrime perditum, ſubiectũ tyrannidi Diaboli, obnoxium omnibus calamitatibus, ſpiritualibus & corporalibus. SECVNDO, huius miſerię cauſſa cogitanda eſt, quę eſt peccatũ, res omnium triſtiſsima & turpiſsima, cuius iuſtiſsima pœna eſt animarũ & corporũ perpetuus cruciatus. TERTIO, cogitanda eſt immenſa philanthropia Dei erga genus humanũ, quod Deus non abiecerit prorſus hominem, propter

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tantam turpitudinem & fœditatem. QVARTO, antilytron cogitetur, hoc eſt, victima filij Dei, qua ſuccurritur miſeriæ noſtræ, & peccatum expiatur. Huius antilytri cogitatione, ſancti patres in ſuis ſacrificijs ſe conſolati ſunt. Ad hoc antilytron reſpicit Dauid, quoties in Pſalmis implorat miſericordiā Dei, id quod ſatis indicat Pſalmus 50. vbi proponit precationem ſuam his verbis: Miſerere mei Deus, ſecundū magnam miſericordiā tuam, ſecundum multitudinem miſerationū tuarum. dele iniquitates meas. Cum dicit, dele, reſpicit ad ſanguinē mediatoris, ſicut apertius indicat in ſeptimo verſu, vbi meminit expiationis, ita enim ait: expiabis me hyſſopo & mundabor. QVINTO, pœnitentia ſeu cōuerſio hic requiritur, ſine qua iſtius ineffabilis precij, victimæ filij Dei non reddimur participes. Huc pertinent multa Prophetarū dicta. 2. Paral. 30. Pius & clemens Dominus, Deus veſter, & nō auertet faciē ſuam à vobis, ſi cōuerſi fueritis ad eum. Iere. 3. Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras. Idem 18. Couertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. AD hanc cònuerſionem inuitat Euangelium: Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnū cœlorum. Et Chriſtus ipſe ait: Non veni vocatum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. SEXTO, Perpetua gratitudo in tota vita cum prædicatione gloriæ Dei requiritur, & ſancta quædam ſollicitudo adhibenda eſt in regendis moribus, vt corde, ore, lingua & tota conuerſione Dei miſericordiā prædicare videamur. SEPTIMO, Quia ingens imbecillitas eſt noſtra, quæ nunc particularitatis, nunc indignitatis noſtræ cogitatione augetur: cogitandum eſt quod miſericordia Dei non claudatur anguſtis limitibus, nec ſuperetur magnitudine peccatorum noſtrorū, ſed quod extendatur ad omnes fines orbis terrarū, & abundet infinitis modis ſupra peccatū. Beata virgo in hunc modū canit: Miſericordia Dei in generationes generationū timētibus eum. Et Petrus ait: Deus longanimis eſt erga vos, non volens vllos perire, ſed omnes recipere ad pœnitentiam. DE hac ditiſsima Dei miſericordia, Diuus Cyrillus in hunc modum ſcribit: Mons olíueti altitudinē & copiam diuinæ ſignificat miſericordiæ, per filij Dei in carnē aduentū nobis affluenter oſtenſæ. Nempe olei nomine in ſcripturis, Dei miſericordia ſæpius exprimitur, quod illius natura huius conditioni congruat. Superfertur enim oleū cæteris liquoribus, atq; ſupernatat: ita miſericordia omnib9 ſupereminet Dei operibus, & plus cæteris in homines eluceſcit. Miſericordia enim ſuperexaltat iudiciū: & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Inſuper oleū dolores vulnerum mitigat, & ſanat tumores ac vlcera: Dei vero miſericordia plagas animæ noſtræ curat omnemq; depellit languorē peccati, vt canit Propheta: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui replet in bonis deſideriū tuum, qui coronat te in miſericordia & miſerationibns. Demū qui paleſtram ſubire debebant, aut luctam, oleo delibuti prodibant in mediū, quo eorū corpora ad id genus certaminis eſſent accommodatiora. Sic in acie contra aëreas poteſtates certaturis, ſuam Deus miſericordiā elargitur, ea nos præuenit, ſuggeritq; vires, quibus in tam difficili prælio ope ſua muniti, tandē victores euadamus. In te (dicit Propheta) eripiar à tētatione, & in Deo meo tranſgrediar murum. Et iterum: Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ mæ, à quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me præliū, in hoc ego ſperabo. Demum alio loco: fortitudinem meam ad te cuſtodiā, quia Deus ſuſceptor meus es, Deus meus, miſericordia eius præueniet me.

AVGVSTINVS in quodam ſermone ita ait: Miſericordia abundatiſsima eſt & larga eius beneuolentia, qui nos ſanguine filij ſui redemit, cum propter peccata noſtra nihil eſſemus. Nam ipſe aliquod magnum fecit, cum hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit. Sed quia nos nihil fieri voluimus peccando, & traducē mortalitatis de parentibus duximus, & maſſa peccati (maſſa iræ) facti ſumus, placuit tamen illi per miſericordiam ſuam redimere nos tanto precio, dedit pro nobis ſanguinem vnici ſui innocenter nati, innocenter viuentis, innocenter mortui, qui nos tanto precio redemit. Non vult perire quos emit, non emit, quos perdat, ſed emit quos viuificet.

Ante omnia, fratres mei ne iuretis, neq; per cœlum, neque per terram, neq; aliud vllum ius iurandum. Sit autem veſtrum, eſt eſt, & non, non, vt ne in iudicium incidatis.

Vt temerariam iurandi conſuetudinem damnat propoſita pœna: Ita modū præſcribit affirmationis & negationis, cum inquit, ſit veſtrum ita, ita, & non, non, hoc eſt, quod affirmandū fuerit ſimpliciter & ſine iureiurando affirmate, quod negandū ſimpliciter negate. Sequutus ſum ēa exemplaria Græca quæ legunt ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε. Nam hæc lectio magis congruit, quam & vetus interpres ſecutus eſt.

DE IVRAMENTO.

QVIA hoc dicto abutuntur Anabaptiſtæ ad abolendum omne iuſiurandum, iudico operæprecium eſſe totum hunc locum pluribus explicare, vt conſtet quatenus licitum ſit iurare & quatenus non, & vt certa ſit nobis tractationis ratio, hæc ordine dicã. PRIMVM, in genere oſtendam, interdum licitum eſſe iurare. DEINDE ea inquiram, quæ ad legitimum iuramentum requiruntur, vt conſtet quod licitum & quod illicitum ſit. PRÆTEREA, quibus iuratis ſit credendum, non enim cuiuis iurato credendum eſt. POSTREMO oco argumenta Anabaptiſtarum refellam.

DE PRIMO.

IVRAMENTA interdum licita eſſe, docetur ſequentibus ſex argumentis. PRIMVM, Secundum præceptum Decalogi manifeſte requirit religionem iuriſiurandi. Nam dum vetat abuſum nominis diuini, requirit eius legitimum vſum, videlicet, inuocationem Dei, cuius pars eſt religioſa iuratio. SECVNDVM, Præcepti ſecundi declaratio Deut. 6. idem comprobat, ibi enim ait Moſes: Per nomen illius iurabis, hoc dictum & licitum eſſe iuramentum teſtatur, & modum iurationis oſtendit. Non enim vult, vt per nomina Dæmoniorum more gentium, ſed vt per ſuum nomen iurent Iſraëlitę. TERTIVM, Exodi 22. Præceptum Domini hoc eſt, cum controuertitur de re depoſita, ſed ablata: pręcepit Deus vt apud quem res depoſita erat ſe iuramento purget. QVARTVM, Exempla ſanctorum plurima, vt Abraham, Iſaac, Iacob, & aliorum multorum qui nequaquam vel ipſi iuraſſent, nec ab alijs iuramenta poſtulaſſent, niſi ſtatuiſſent licitum fuiſſe iurare. Verũ ipſorum iuramenta regulam legitimi iuramenti conſtituunt, vt infra dicam. QVINTVM, Exemplum Chriſti & Apoſtolorũ in nouo Teſtamento. Quoties Chriſtus vtitur hac iurationis forma? amen amen, &c. Quoties Paulus iurat, & alij Apoſtoli? Hæc nequaquam Apoſtoli & multo minus Chriſtus feciſſet, ſi omne iuramentum eſſet illicitum. SEXTVM, Finis iuriſiurandi. Heb. 6. Et omnis, inquit, ipſis controuerſię finis in confirmationem iuramentum eſt. HABEMVS firmas rationes, quibus clare oſtenditur, non omne iuramentum illicitum eſſe, vt Anabaptiſtæ vociferantur: nunc tranſeamus ad id quod ſecundo loco propoſuimus.

DE SECVNDO.

IN iuramento, quod eſt affirmatio vel negatio alicuius, cum atteſtatione nominis Dei, aut alterius rei quæ ſacroſancta & inuiolabilis eſſe debet, quatuor requiruntur, quæ & diligenter in omni iuramento ſpectanda ſunt: vt partes iurationis, cauſſæ, affectus iurantis, & finis iurantis. PARTES ſunt duæ, vna eſt atteſtatio Dei ſuper re quam affirmamus vel negamus. Iurans enim cum alios teſtes nõ habet, ad Deum quem nihil latet prouocat, ac eius petit teſtimonium, illudq; quod dicit tanquã à Deo teſte profectũ iureiurando confirmat. Hinc ſequiur, quod non ſit confugiendũ ad diuinum teſtimoniũ, niſi vbi & teſtes alij haberi non poſſunt, & res ita iuranti eſt nota, vt ſciat ſe non temere prouocaſſe ad tantũ teſtem. ALTERA eſt conditio vindictæ diuinæ in eum qui iurat, ſi iurando fallit. Nam ſi is non euadit pœnam qui mentitur teſtimoniũ regis terreni, quid fiet ei qui Deũ mendacem facit? Hæc conditio omnes reuocabit non ſolũ à periurio, verũetiam à iurandi leuitate. CAVSSÆ iurationis duæ ſunt. Prior rei de qua agitur ignoratio. Poſterior rei grauitas. Nam in rebus nugatorijs & nihili aut parui momenti, non eſt confugiendũ ad iuſiurandũ. nomen enim Dei magis ſacroſanctũ nobis eſſe debet, quam vt ad illud confugiamus iurando, niſi maxima vrgente neceſsitate. AFFECTVS iurantis duplex eſſe debet. nam & odio mendacij & amore veritatis impelli debet. Vbicunq; hic affectus non eſt, in vanũ ſumitur nomen Dei. FINIS iurationis duplex quoq; eſt, vnus vt obtineatur veritas, alter vt Deus honoretur per quem iuratur. EX his quatuor rite collatis, facile patebit quando iurare licet & quando non. Quidã hanc diſtinctionem probant: quod iuramenrũ publicũ tantum, hoc eſt, poſtulatũ à legitimo magiſtratu ſit licitum, non autem priuatum, hoc eſt, quod aliquis ſponte facit, vel in ſua vel in aliena cauſſa. Verum quia exempla multa probant etiã priuata iuramenta, iſtam diſtinctionem non recipio. Sed definio licitum iuramentum, quod in timore Dei fit ad confirmandum veritatem eius rei, cuius ignoratio vel gloriam Dei impediret, vel proximi ſaluti & famæ noceret.

DE TERTIO.

IAM

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

IAM quibus iuratis ſit credendum exponendum eſt. Non enim cuiuis, vel, irato credete oportet. Poëta Menander ait: ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε: hoc eſt, Prauorum hominum iuramentũ in aquam ſcribito. Significat ergo hoc ſigno, vanum eſſe quod iurant homines praui. Qui enim aperte mandata alia Dei tranſgreditur, vt idololatria, iniuſticia, tyrannide, ebrietate, adulterio, ſcortatione, iniuria, & huiuſmodi alijs: is facile etiã Deum contemnet iurando. Quare huiuſmodi hominibus iuratis, nec pius magiſtratus, nec alius quiſpiam facile receperit. Paulus iurans his verbis, teſtis eſt mihi Deus, mox ſubiecit, cui ſeruio in ſpiritu: ſignificans Deum colentibus, ſi quid iurarint credendum eſſe. Qui enim Deum vacui fide, colere nõ poſſunt, quomodo putandi ſunt Deum colere religione iurisiurandi? quomodo tribues illi partem, cui totum ademiſti?

DE QVARTO.

IAM videamus quibus fundamentis nituntur Anabaptiſtæ. Primũ adducunt dictum Domini: Matth. 5. Ego dico ne omnino iuretis. Deinde verba Iacobi vrgent: Nolite iurare neq; per cœlum, neq; per terram, neq; aliud quodcunq; iuramentũ. Sit, inquit Dominus, ſermo veſter eſt, eſt, non, non, quod autem his additur à malo eſt. HIS nituntur fundamentis Anabaptiſtæ, quibus cederẽ niſi ſuperiores rationes me rectius inſtruerent. Vt autẽ intelligatur quid velit prohibitio Domini, quæ videtur vniuerſalis eſſe, ſpectandũ eſt cõſilium Chriſti in tota iſta concione de operibus. Non eſt conſiliũ Domini, vt corrigat legem patris ſui, ſed vt errorem interpretum legis patefaciat, & arguat. Lex patris eſt, per nomen meum iurabis. Hanc legem nõ abolet Dominus, ſed tuetur potius, dum eius corruptelam reprehendit. Phariſæi ex lege hac ita concluſerunt: Deus præcepit vt iuremus per nomen eius, ergo quauis de cauſſa & quouis modo iurare licet. Hanc erroneam cõſecutionem reprehendit Dominus, dum ait: Non peierabis, ſed reddes Domino iuramẽta tua. Ego vero dico vobis ne iuretis omnino, neq; per cœlũ, &c. omnino, ὅλως, vniuerſalis particula referri debet ad morẽ iurandi tum receptũ, videlicet, quauis de cauſſa & quouis modo, more prophanorum hominum iurare. HIC ergo Chriſtus prohibet ne diſcipuli ſui & qui vere Deum timent, temere iurent quauis de cauſſa & quouis modo. Vult enim nomen Dei religioſius coli, quam vt in vanũ vſurpetur. IACOBVS ſimiliter non abolet præceptũ Dei de religione iuriſiurãdi, ſed tantũ corrigit temere iurandi & quouis modo conſuetudinẽ. Nam legitimus iurandi modus inter promiſsionis Euangelij numeratur: Ierem. 4. Iurabis, viuit Dominus, in veritate & iudicio & iuſticia. Hoc dictũ non præcipientis, ſed promittentis fore, vt verus Iſraël ſit verus Dei cultor futurus, vtq; gentes verã Dei religionẽ amplectantur. Cuius rei argumentum erit, quod ſint iuraturi hac formã: viuit Dominus, non autem hac: viuit Baal, Saturnus aut Iupiter. QVOD autem Hoſeæ 4. dicitur, Neq; iuraueritis, viuit Dominus: comminantis eſt vox. Comminatur enim ingratis Iudæis, vt eorũ terra propter contumaciam aduerſus Deum deſoletur, vt in locũ veri cultus Dei ſubſtituatur idolorum cultus, ex quo fiet, vt non amplius iurent dicentes: viuit Dominus, ſed viuit Baal, &c. ANABAPTISTÆ vrgent formã à Domino præſcriptam: Sit ſermo veſter eſt, eſt, non, non. Quid his verbis vult Dominus? vt loco temerarij iuramenti vtantur cõſtanti oratione. Requirit ergo Dominus conſtantiam in dictis, vt noſtrum eſt ſit eſt: & noſtrum non ſit non. Non prohibet quin liceat nobis confugere ad religioſum iuſiurandum, vbi grauitas cauſſæ id poſtulat: ſed vrgent fortius quod ſequitur. QVOD autem (inquit Chriſtus) his additur à malo eſt, hoc eſt, quod vltra ſimplicem affirmationem aut negationem temere additur, nulla graui vrgente cauſſa: à malo eſt, id eſt, à malo animi affectione, ſeu à mala cõſcientia, ſeu ab ipſo Diabolo. Non dicit legitimum iuſiurandum à malo eſſe, ſed temerariũ tantum, quod fit leuitate quadam & mala cõſuetudine & quauis de cauſſa. Deinde fieri interdum poteſt, vt iuramentum ſit à malo non iurantis, ſed ſimplicem aſſeuerationem non credentis, quod cum fit non propterea malum erit iuramentum religioſum. Non enim omne malum eſt, quod à malo eſt. fit enim ſæpe, vt malæ ſint occaſiones bonorum: Vt cum dicimus bonas leges à malis moribus eſſe, ſcilicet, per occaſionem non effectiue.

• Affligitur aliquis inter vos: oret. Paræneſes ſpeciales texuntur, ac primum, vt qui malis affligitur & perſecutionem patitur, oret. Nullum etiam pharmacum præſentius eſt aduerſus huius mundi ærumnas, quam oratio ex fide. Omnia, inquit Dominus, quæcunq; petieritis in oratione credentes, accipietis. Atq; eius ratio Iudic. 9. eleganter ſignatur, vbi ſanctiſsima mulier ità orat in oratione ſua: Humilium & afflictorum ſemper tibi placuit deprecatio. Eſt Pſalm. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Aequo animo eſt quiſque: pſallat.

Suadet vt, qui rebus vtitur proſperis, pſallat: Quo conſilio tria docet Apoſtolus. Primum enim cum iubet pſallere, vult vt agnoſcamus autorem proſperitatis noſtræ Deum eſſe. Secundo vult vt ipſum prædicemus ac laudemus, gratitudinem ipſi referentes pro beneficijs ſuis. Tertio, vt non cum mundo in Dei contemtum proſperitate noſtra abutamur, ſed vt in autore potius acquieſcamus ei pſallentes, & non nobis ipſis quicquam tribuentes. Mundus autem contra facit: Nam nec Deum eum autorem ſuæ felicitatis agnoſcit, nec illi gratus eſt, tantum abeſt vt Deo pſallat, imo potius furenter prophano gaudio exultat.

Infirmatur quis inter vos, accerſat preſbyteros Eccleſiæ, & orent pro eo vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fide ſeruabit laborantem, erigetque eum Dominus, quod ſi peccata commiſerit, remittentur ei.

Suadet infirmo, quid illi faciēdum ſit. Primum accerſet presbyteros tanquam animæ medicos. Deinde preſbyteri aduocati, orent pro laborante, & eum oleo vngant, nō vt moriatur, ſed vt miraculoſe ſanitati reſtituatur. Sicut aperte hic Apoſtolus loquitur. Verum cum oleum ſymbolum doni ſanationis fuit, quod donum ad tempus durauit confirmandæ doctrinæ cauſſa in primitiua Eccleſia: & nunc illud donum Eccleſia non habet: Stultum eſt ſymbolum retinere, ſine re ſymbolo ſignificata. Vt interim taceam idololatricos exorciſmos & fiduciam vnctionis, qua putabatur firmiſsimum præſidium aduerſus Diabolum eſſe, cuiuſmodi etiamnum in Papatu retinent. Quare Papiſtis ſuum relinquamus pigmentum, quo mortuos ſuos in orcum mittendos commaculant. PRÆTERBA hic locus apertiſsime confutat Nouatianorum dogma, qui lapſis poſt agnitam veritatem negarunt ad gratiam reditum. Quare imprimis hoc Iacobi teſtimoniū obſeruandum eſt. dicit enim aperte: Si pecata commiſerint, hoc eſt, aliquid commiſerint contra conſcientiam, remittentur eis.

Confitemini alius alij offenſas.

Alia hypotheſis de mutua incidētium offenſarum condonatione. Nō enim aliud fieri poteſt, quam vt in hac naturæ imbecillitate & in hac corruptiſsima & velut delirante mundi ſenecta, multæ incidant offenſæ, quas Apoſtlus vult vt & agnoſcamus & alij alijs condonemus. Papiſtæ hunc locum interpretantur de cōfeſſione & enumeratione peccatorum, quę fit ſacrificulo, quod commentum non ſolum pugnat cum Apoſtolicæ Eccleſiæ conſuetudine (huiuſmodi enim confeſsio ignota fuit Iacobo alijſque Apoſtolis) verumetiam aperte refutatur verbis Iacobi, qui ait: Confitemini alij alijs offenſas. Nam ſi interpretatio Papiſtarum valeret, tum non ſolū laicus ſacerdoti, verumetiam ſacerdos laico ſua peccata confiteretur, quod nequaquam fert ſacerdotalis, ſi dijs placet, dignitas.

Et orate alij pro alijs vt ſani ſitis.

Alia hypotheſis de mutuis precibus: Præcipit enim, vt pro nobis inuicem oremus, quo ſani ſimus, hoc eſt, vt ſit quam minimum offenſarum inter nos. Nam hoc ad mentium & affectuum ſanitatem refero, quibus laborantibns nunquam non vt puſtulæ quædam erumpunt offenſæ.

Multum enim valet deprecatio iuſti efficax.

Ratio proximæ rationis ab effectu orationis piæ. Et nota quod vt vnum in precante: ita alterum in ipſa oratione requirat. In precante requirit iuſticiam: quare & Paulus iubet nos eleuare manus puras. Hæc iuſticia in duobus ſita eſt, nimirum, vt precaturus ſtatuat ſibi remiſſum eſſe peccatum, & omne peccandi propoſitum abijciat. Qui enim hoc non facit, operam ludit. In oratione requirit efficaciam, hoc eſt, ſingularem ardorem, qui ex fide proficiſcitur, qua homo ſtatuit ſe exaudiri merito & interceſsione Domini mediatoris.

Elias homo erat ijſdem, quibus nos, obnoxius, & precatione precatus eſt, ne plueret, & non pluit ſuper terram annos tres & menſes ſex, & rurſus precatus eſt, &

Rationis proximæ confirmatio eſt ab exemplo. Elias orauit efficaciter, Elias fuit iuſtus, Ergo iuſti deprecatio eſt efficax. Pro maiori ponitur

coelum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cœlum pluuiam dedit, & terra protulit fructum ſuum.

eius confirmatio, de qua lege 17. cap. 3. lib. Regum. Verum ne quis excipiat & dicat id factum eſſe propter viri ſingularem ſanctitatem & merita, anteuertit & dicit eum ὁμοιοπαθῆ fuiſſe nobis, vt qui iiſdem affectibus & infirmitatibus corruptæ naturæ nobiſcum fuerit obnoxius.

Fratres, ſi quis inter vos aberrauerit à veritate, & conuerterit eum quiſpiam, ſciat quod qui auerterit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſeruabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Cõmendatur pijs diligentia in procuranda fratrum ſalute, vt alter alterum ab errore viæ ſuæ, id eſt, doctrinæ & vitæ, reuocet, quod qui facit, primum ſeruat animã eius, qui errauit: Deinde multitudinem peccatorum tegit, dum ſcilicet peccator eius admonitione cõuerſus reconciliatur Deo, & peccata ipſius apud Deum teguntur, & in altam obliuionem veniunt. SED quomodo homo hominis animam ſeruare à morte poterit? Et quomodo multitudinem peccatorum operiet? Miniſterio & non virtute propria. Sic Paulus dicit ſe genuiſſe Galatas. Et ad Timotheum ſcribens ait: Hoc faciens & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt. Quamuis autem ſolius Dei eſt ſaluare: tamen nos ſibi veluti ſocios adiungit, & nobis aſcribit propter miniſterium, quod ſibi ſoli reuera conuenit. HOC nobis dignitatem miniſterij verbi commendatiorem reddet, cum audiamus nos in hominum ſalute procuranda συνέργους Dei eſſe, quibus impertit etiam quodammodo diuinum honorem. Quomodo autem homo operit multitudinem peccatorũ, iam dixi: id non facit virtute, ſed doctrina & venia. Doctrina facit vt peccator cõuertat ſe ad Deũ, qui peccatum ſolus expiat: venia, dum ipſe fratris errata tegit. Huc illud: Dilectio operit multitudinem peccatorũ. Papiſtæ qui ex hoc dicto colligunt, hominem ſua caritate mereri remiſſionem peccatorum, falluntur. Quemadmodum antitheſis in Salomone ſatis oſtendit: Ibi enim odium & caritas, vt contrariæ cauſſæ in contrarijs effectibus opponuntur. Odium (inquit) ſuſcitat rixas, & vniuerſas præuaricationes operit caritas. Nam vt odium cauſſa eſt rixarum inter homines: ita caritas errata tegit vel ſanando vel conniuendo.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

INDEX
DOCTRINAE SACRAE ET LOCORVM THEOLOGICORVM, QVI IN COMMENTARIIS EXPLICANTVR,

SECVNDVM NVMERVM PAGINARVM ET LINEArum: quorum prior paginæ eſt, reliqui lineæ.

A

AAronis peccata grauiſſima duo 207.5
Abba qualis dictio 87.27
ex Abelis ſanguine creuit Eccleſia 1.37
Abel cur occiſus à Cain 1.34
Abel quomodo loqui dicatur 891.53. *vnde nomen habeat* 773.1
Abnegationem Domini tribus modis fieri 713.59
Abuſu rerum mediarum infirmus læditur 138.1
Abuſus rerum indifferentium Euangelium impedit 138.10
Abuti pro vtendo conſumere 512.37
in Abrahæ facto duo fidei teſtimonia 44.14
Abrahæ filij duplices 48.45
Abrahæ filij qui dicantur 346.13
Abrahæ filios eſſe omnes credentes 117.24
Abrahæ hiſtoria explicata 338.48
Abrahæ ſemen non totum eſſe reiectum 97.46
Abraham cur circumciſionem iuſtificatus acceperit 48.39
Abraham cur initio dictus Abram 50.10
Abraham cur pater credentium 45.23
Abraham fide accepiſſe iuſticiam non operibus 41.33
Abraham filij duplices 50.28
ex Abraham nati non omnes reputantur pro ſemine Abrahæ 95.54
Abrahamo quale ſemen promiſſum 50.23
Abraham pater non tantum Iudæorum ſed etiam gentium 50.2
Abraham quomodo hæres mundi 49.5
Abſtinentia à thoro coniugali non ſit perpetua 186.12
Acceptatio hominis coram Deo duplex 561.58
Accuſatio honeſta quænam ſit 156.30
Actiones bonæ dona Dei 291.57
Actiones Dei immutabiles 929.59
Actiones omnes quomodo examinandæ 594.21
Actiones omnes quomodo perficiendæ 518.31
Actiones præceptæ & prohibitæ pro indifferentibus non habendæ 136.44
Actiones Venereæ 514.52
Actionis omnis finis ſit gloria Dei 564.17
Actionis verba de motibus tantum intellecta 77.55
Actionum diuinorum cultuum tres cauſſæ 427.13
Actionum humanarum fines 576.44
Actionum humanarũ regulæ 548.6
Actionum moralium principia tria in gentibus 426.36
Actionum omnium finis qui eſſe debeat 914.49 & 211.49
Actionum omnium regula 625.40 & 295.33
Actionum qualitatem mutari cauſſa & fine 518.1
Adæ peccati effectus 61.57
Adæ reatus quomodo deriuatus ſit in omnem eius poſteritatem 59.29
Adam cur pellibus à Deo veſtitus 47.5
Adami & Chriſti collatio 58.54 57 & 237.13
Adami & Chriſti diſsimilitudo 60.14 & 61.26
Adami pœnitentia 939.45
Adamum dupliciter conſiderari 59.27
Adamum non fuiſſe deceptum cur Paulus dicat 597.46
Ἀδιάφορα 691.42
Adiaphora rei exemplum 134.59
inter Adiaphora quæ non ſint referenda 136.29
Adiaphoris ceremonijs & bonis pij intereſſe extra ſcandalum poſſunt 809.14
de Adiaphoris regula 801.8
de Adiaphoris ſeu indifferentibus quid ſentiendum 136.3
Adiaphororum vſus ita temperandus ne caritatis lex violetur 137.1
Adiaphororum vſus quatenus liberi 182.11.29
Admonitio Chriſtiana quomodo inſtituenda 371.40 & 586.13
Adoleſcentes pietatis ſint ſtudioſi 758.6
Adoleſcentum virtutes 653.30
Adoptionem gratuitam falſo Sophiſtæ Epiſtola Iohannis conantur oppugnare 794.7
Adoptionis cauſſa impulſiua 389.12
Adoptionis certitudo 779.6
Adoptionis finis 389.19 & 766.23
Adoptionis noſtræ in Chriſto duo teſtes 87.31
Aduentum Chriſti inſtare 557.1
Aduentum Dei quinam diligant 639.40
Aduentus Chriſti in carnem circumſtantiæ 590.44
Aduentus Chriſti in carnem tempus 56.30 *ſignificatum à Patriarchis & Prophetis* 676.48
in Aduentus Chriſti diem paratos eſſe Chriſtianos decet 721.38
Aduentus Chriſti ſtimulus ad pietatis officia 618.48
Aduentus Domini ad iudicium cur admirabilis 552.7
Aduentus Domini ad iudicium finis 552.1
Aduentus Domini cur furi ſimilis 545.13
Aduentus Domini decretum Dei immotum 721.44
Aduentus Domini dilati cauſſa 556.11 & 720.49 & 722.2

Aduen-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Aduentus Domini effectus 764.20
Aduentus Domini modus 545.1 & 551.42 & 721.25
Aduentus Domini partes 546.19
Aduentum Domini quinam in dubium reuocent 720.2
Aduentus ſui tertius quid ſit Paulo 307.1
Aduentus Domini quo fundamento à quibuſdam in dubium vocetur 720.11
Aduentus Domini tempus 720.39
Aduerſarij cur cum manſuetudine ſint corripiendi 632.1
Aduerſis nemo frangatur 888.59
Adulatores 23.49
Adulterij quanta turpitudo 908.28
Adulterio ſolui coniugium 438.26
Adulterium 361.47
Aedificationem Dei fieri modis duobus 140.32
Aedificationis Dei deſtructionem fieri duobus modis 140.36
Aedificationis vocabuli, cuius in ſacris literis vſus frequens eſt, explicatio 140.30
Aegritudo Epaphroditi cur præſente Paulo non ceſſerit, qui tamen mortuos excitabat 472.23
Aegyptiaca ſeruitus typus hominis ſub diaboli ſeruitute conſtituti 724.52
Aegyptus Ioſephi præſentia clarior redditur 2.30
Aemulationes 362.15
Aemulatio quando bona 350.50
Aemulatio ſancta 885.51
Aequabilitas ſeruanda 287.21
Aequabilitatis probatio 287.40
Aequalitatis eadem ratio in Deo 639.36
Aequitas naturalis 970.19
Aërem verberare 202.37
in Aerumnis confeßio non abijcienda 300.45
ab Aerumnis pij diuinitus liberantur 892.4
in Aerumnis qua conſolatione vtendum 573.46
Aeterna quæ dicantur 644.55
Affabilitas 689.59
Affectibus ſedatis alij alios audiant 930.38
Affecti erga eiuſdem religionis conſortes quomodo eſſe debeamus 816.17
Affectionis fraternæ commendatio 739.21
Affectus doctorum & auditorum mutuus qualis eſſe debeat 173.44
Affectus mutuus doctorum & auditorum 254.34
Affectus ſuperiorum erga inferiores qui eſſe debeant 644.30
Affectuum & rationis dißidium quomodo compeſcendum 367.18
Affectuum originem eſſe mentem non carnis ſubſtantiam 22.49
Affectuum vis in homine 367.6
Afflictio 277.39
Afflictio quanto maior, tanto maior conſolatio requiritur 251.29
Afflictio quomodo gloriam operari dicatur 269.41
Afflictio ſanctorum quid nos doceat 899.21
Afflictionum finis 477.31
ἀγάπαι qualia conuiuia 716.56 & 726.38
ἀγαπᾷν 782.47
ἀγάπη 364.10
ἀγαπητοὶ 782.43
Agar montem Sina figurat 96.33
ἀγαθωσύνη 367.54
Agendi & faciendi verbis cur de motibus Paulus vtatur 77.59
Agni Phaſe ſignificationes 218.26
Agnitionis Chriſti fructus 425.1
Agricolæ 967.16
inter Agricolas iniquißima exercetur vſura 967.21
αἰσχρολογία 516.5
ἀκαταστασία 277.43
ἀκαθαρσία 361.50
ἀκέραιοι 468.37
Alacritatis in officio fungendo commendatio 144.6
ἀλέξων 23.45
Alienum fundamentum quid ſit Paulo 193.41
Allegoriæ quæ ferendæ 875.54
Allegoriarum vſus 911.53
Allij fœtor ad ſuaueolentiam roſæ confert 2.25
ἀλλοτριεπίσκοπος 701.15
ἁμαρτίας & ἀνομίας diſcrimen 47.15
Amarulentia 429.43
Ambitio maxime omnium ſcindit concordiam 128.31
Ambitioni indulgentes parum aut nihil in ſchola Chriſti proficiunt 165.55
Ambitionis ἀκόλουθα 818.50
Ambroſij error 18.55
Ambitionis effectus 463.44 & 531.54 & 819.14
ἄμεμπτοι 468.36
Amen eſt voto ſibi preces vel aliud quid applicare 230.13
Amicabilitas 484.16
Amicitiam inter Deum & mundum non poſſe conſtare 948.49
Amor filij Dei immenſus 418.22
Amor fraternus 709.5
Amor Chriſti erga Eccleſiam qui ſit 39.82
Amoris Chriſti erga nos teſtimonium humanæ naturæ aſſumtio 748.58
Amoris coniugalis vera cauſſa 812.21
Amoris ſinceri effectus 802.44
Anabaptiſtæ Choræ ſimiles 726.33
Anabaptiſtarum Enthuſiaſmi non confirmantur dicto Iohannis 660.58
Anabaptiſtarum errores 65.15 & 318.37 & 351.23 & 443.52 & 449.6 & 633.1 & 640.23 & 658.51 & 739.32 & 763.51 & 807.59 & 839.38 & 873.48
Anabaptiſtarum & libertinorum refutatio 613.39
Anabaptiſtarum furor, negantium infantes eſſe baptizandos, damnandus 188.46
Anabaptiſtarum libertate Chriſtiana ad flagitia abutentium, reprehenſio 354.59 & 769.55
Anabaptiſtis non patrocinatur dictum Pauli de non iudicandis alijs 137.14
ἀναλῦσαι 460.56
ἀναρχία Anabaptiſtarum impia 654.8
Anarchiæ incommoda 817.58
Anarchiæ improbatio 443.52 & 645.33
Anathema quid 247.22
Anathema vnde dicatur & quid ſignificet 326.53
Anathematis ſignificatio 94.20 320.52
Anathematis vocabulo Paulus ter vſus 94.19
Angelica ſubſtantia quæ 838.46
Angeli creati ſunt 92.23
Angeli cur dominationes 499.11
Ange

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Angeli cur poteſtates 499.11
Angeli cur principatus 499.11
Angeli Dei abominantur confuſionem ordinis diuini 214.22
Angeli Dei aſſunt inuiſibiliter cœtibus ſacris 214.21
Angeli impuritate vitæ expelluntur 905.15
Angeli παρακύψαι 416.14
Angeli potentiæ 551.45
de Angelis dictum Pſalmi cum loquitur, non venti aut fulmina intelligenda 837.37
Angeli ſupra Chriſtum non collocandi 509.7
Angelorum cultus impius 511.23 512.2
Angelorum defectio punita 752.1
Angelorum lingua pro eximia facundia 226.49
Angelorum officium 838.51
Angelorum ordines falſo ex Pauli dicto extrui 499.6 & 396.36
Angelorum qualis origo 725.6
Angelorum reiectio 714.34
Angelos eſſe miniſtros Dei 838.50
Anguſtia 277.41
Anima à peccatis purganda 281.51
Anima in delitijs ſubmerſa, mortua 611.12
Animæ immortalitas vnde conſtet Philoſophis 551.18
Animalis qualitas quatenus ab Adamo propagata 241.16
Animalium cur munda alia, immunda alia ſcriptura pronunciet 651.5
Animam cum corpore non ſimul perire 639.2.45
Animam non eſſe ex traduce 241.19
Animam quando adeſſe dicamus 776.44
Animam viuere à corpore ſeparatam 543.10
Anima quomodo glorificetur Deus 184.37
Animas à corpore non diſceſſuras in viuentibus aduentus Chriſti tempore ad iudicium 697.9
Animas piorum conſpectu Dei in cœlis frui 461.6
Animus piorum ſeruituti ſubijci nequit 3.11
Animus veritate Dei firmandus 447.30
ἀνομία quid 562.43
ἀνομίας & ἁμαρτίας diſcrimen 47.15
ἀνθρωποπάθεια 693.56
Antichriſti arrogantia 555.37
Antichriſti deſcriptio 554.23.41 & 761.25
Antichriſti è medio tollendi modus 556.46.54
Antichriſti exortus 4.47
Antichriſti imperium non durabile 556.46
Antichriſtus magnus qui 762.25
Antichriſti multi 556.21
Antichriſti nota 781.49
Antichriſti potentia in quos efficax 557.40
Antichriſti qui dicantur 554.31
Antichriſti qui ſint 762.24
Antichriſti quot ſint generum 760.12
Antichriſti regni adminiſtratio qualis ſit 557.15
de Antichriſto Gregorij Magni vaticinium 818.34
Antichriſtorum inſidias euadendi modus 760.50
Antichriſtus Romanus fruſtra de ſucceſſione Pauli gloriatur 13.21
Antichriſtus Romanus Iudæ proditori ſucceſſit 5.1 & 13.23
Antichriſtus Romanus quantus ſit tyrannus 448.28
Antichriſtus ſeruus Satanæ 5.3
Antinomorum error 874.36
ἀντίτυπον 694.36
Anuum virtutes 653.8
Apathia Stoicorum Pauli teſtimonio euerſa 472.15
ἀπεκδέχεσθαι recte reddi per verbum expectare 356.54
ἀπηλγηκότες qui 22.53
ἀφιλάγαθοι 633.57
ἀποδοῦναι & ἀντιδοῦναι quid differant 26.27
ἄποινον Homero idem quod λύτρον 394.54
ἀποκαραδοκία 98.36 & 460.16
ἀπολύτρωσις quid 38.1
ἀποστασία præceſſura iudicium Domini qualiſnam ſit futura 553.55.
Apoſtata 762.6
Apoſtatæ qui dicantur 553.59
Apoſtatarum deſcriptio 887.1
Apoſtolatus finis 625.8
Apoſtolatus Pauli commendatio 143.18
Apoſtolatus proprietas 17.31
Apoſtolatus tria propria inſignia 304.48
Apoſtolica appellatio quæ contineat 248.48
Apoſtolica dignitas definitur rebus duabus 189.41
Apoſtolicæ doctrinæ certitudo immota & infallibilis 414.1
Apoſtolicæ doctrinæ partes 504.22
Apoſtolica nota 199.3
Apoſtolicorum ſcriptorum commendatio 728.5
Apoſtoli cur tantis periculis ſint expoſiti 268.41
Apoſtoli definitio 423.10
Apoſtoli δοκοῦντες Paulo dicti 326.5
Apoſtolici muneris interpretatio 13.15
Apoſtolicum munus quale ſit 644.1
Apoſtoli veri & falſi differentia 622.11.
Apoſtolorum verorum & Pſeudoapoſtolorum antitheſis 303.7
Apoſtolus pro quouis verbi miniſtro 146.44
Apparitionum Dei præcipuarum catalogus 825.18
Aqua 792.16
Aquilæ eſus cur in teſtamento veteri interdictus 605.44
Ariſtippi dictum in tenacitatem parentum 968.24
Arbitrij liberi aſſertio 69.32
Arbitrij liberi aſſertio refutata dicto Pauli 468.14
Arbitrij liberi impotentia 72.50
Arbitrij liberi non eſſe, credere & non credere 462.23
Arbitrij liberi non eſſe pati aut non pati pro Euangelio 462.25
Arca teſtamenti quid adumbret 876.22
ἀρχὴ 396.43
Argutiæ aut traditiones humanæ non ſectandæ 649.35
Argutiæ ſophiſticæ fugiendæ 620.23

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Ariani furorum Mahometicorum architecti 782.31
Arianorum blaſphemia 465.55 & 554.59 & 656.2 & 833.2
Arianorum refutatio de Chriſti perſona & naturis peruerſe docentium 498.19 & 833.43
Arrha quid 392.6
Arma lucis quæ ſint 133.45
Armatura ſpiritualis quænam cenſenda 447.29
Armorum ſpiritualium effectus qui ſit 29.3
Arrabo 742.8
Arrogantes quo ingenio præditi eſſe ſoleant 292.41
Arrabonis donatio 256.15
Arrogantia doctorum 415.20
Arrogantiæ effectus quinam eſſe ſoleat 886.9
Arrogantiæ fructus qui eſſe ſoleat 614.1
Arrogantiæ humanæ depreßio 387.12
Arrogantiæ reprehenſio 171.54
Arrogantia, ſuijpſius deceptio 374.10
Arrogantia maximopere vitanda 129.27 & 415.8
Artibus diſcendis quibus idonei ſint liberi 443.13
in Articulis ſalutis & promißionibus Dei nequaquam hæſitandum 339.34.
Artificio honeſto victum quærere nihil derogat Eccleſiaſticæ functioni 172.58
ad Artis cuiuſq; abſolutionem tria potißimum requiri 489.21
Aſcenſio Chriſti ad cœlos intelligenda de naturali & Phyſica ſublatione in cœlos 235.23
Aſcenſio Chriſti in cœlum myſterium 603.35
Aſcenſio Domini quomodo facta 396.8
de Aſcenſione Chriſti vaticinium 422.9.
de Aſcenſione in cœlum locali Chriſti, quid pie ſtatuendum 836.70
Aſcenſionis Chriſti fructus 422.11
Aſcenſionis viſibilis Chriſti in cœlum ſcripturæ teſtimonium 834.24
ἀσέλγεια 361.53
ἄσωτοι 434.56
ἄσπονδοι 633.40
Aſſentire qui dicantur 807.34
Aſſueſcere à teneris quantum referat 967.50
Aſſumtæ humanæ naturæ & paßionis Chriſti finis 843.5
ἀστοχεῖν 587.9
ἀστοργία fugienda 622.59
Aſtrologia iudiciaria quatenus ferenda 442.27
Aſtrologicarum prædictionum gradus 442.38
ἀσυνθετοι 24.2
ἀταξία in Eccleſia fugienda 506.43
Athenagoræ error improbantis ſecundas nuptias 194.50
Atramenti & ſpiritus antitheſis 262.29
Auaritia 23.16
Auaritia doctorum quæ 282.10
Auaritiæ deſcriptio 948.19
Auaritiæ effectus 617.50
Auaritiæ prohibitio 647.52
Auaritiæ ſuſpicio fugienda 485.58
Auaritiæ tres formæ 908.37
Auaritia fugienda 485.26 & 908.33 & 971.34
Auaritia idolatria 515.12
Auaros fidem deſerere 617.55
Auaros perpetuo dolere 618.1
Auctoris conſilium in ſcribendo commentario in Epiſtolas Paulinas 5.50
Auctoritas ſanctorum, cum à verbo Dei diſcedunt, nos non moueat 207.8
Auditores Euangelij ſunt agricolatio & ædificatio Dei 166.49
erga Auditores quales ſe miniſtri gerere debeant 884.53
Auditores quomodo erga admonitores ſuos ſint affecti 257.55
Auditores quomodo erga miniſtros verbi affecti eſſe debeant 279.17
Auditores quomodo præſtent dilectionis opera miniſtris verbi 360.7
Auditores verbi erga miniſtros Eccleſiæ quomodo affectos eſſe deceat 282.54
Auditorum Euangelij debitum officium 913.21
Auditorum quanta pro miniſtris Euangelij ſolicitudo eſſe debeat 472.4
Auditorum Euangelij officium 613.32
Auditorum verbi fides ſit inconcuſſa 320.39
Auditorum verbi officium 473.27 & 909.40
Auditor verbi qualis eſſe debeat 930.57
Auditus vocabulum dupliciter accipitur 111.55
Auguſtini dictum, Accedat verbum ad elementum & fiet ſacramentum, vt intelligendum 48.6 & 566.30
Auguſtini reprehenſio 792.24
Aurum fidei typus 167.54
Authoritas quibus rebus retineatur 657.21
de Auxilio futuro Dei vnde fiducia concipienda 641.46
αὐθάδης 647.11 & 716.7
Azymi pro puris & hypocriſis expertibus 177.58

B

BAAL quid ſignificet 114.34
Babylone Eccleſia electa quæ 706.13
Baptiſandi conſuetudo pro mortuis in primitiua Eccleſia 238.10
Baptiſari in Chriſtum quid 65.10
de Baptiſmate quinam falſo glorientur 437.47
Baptiſmi analogia 48.22
Baptiſmi definitio 694.44
in Baptiſmi diſpenſatione quomodo ſe Chriſto Papa opponat 567.1
Baptiſmi & circumciſionis collatio 188.39
Baptiſmi genera plura 859.6
Baptiſmi verus vſus 345.46

Baptiſmi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Baptiſmi vis 436.48
Baptiſmo cur abluamur 437. 42
Baptiſmo externo vis purgandi per ſe non tribuenda 748.28
Baptiſmi vis in quo ſita 659. 19
in Baptiſmo nomen impoſitum cuius admonere quemque debeat 50.21
in Baptiſmo quinque ſe offerunt 436.51
de Baptiſmo quomodo Papiſtæ doceant 566 49
Baptiſmum conferre gratiam quando recte aut falſo dicatur 566. 53
Baptiſmus 566.47. & 700.38 & 748.21
Baptiſmus cuius rei ſymbolum 790. 42
Baptiſmus cur in multis tantum literalis 403.38
Baptiſmus cur in primitiua Eccleſia pœnitentiam & fidem ſequebatur 8,9.2
Baptiſmus cur inſtitutus 509.34
Baptiſmus de vnitate & concordia nos admoneat 157.23
Baptiſmus eſt σφραγὶς iuſticiæ fidei 203.55
Baptiſmus fidei obſignatio definitur à Tertulliano 204.5
Baptiſmus Moſis qualis fuerit 203.43
Baptiſmus noſter à vetere illo Moſis baptiſmo nunquid differat 203.50
Baptiſmus quid doctrinæ contineat 659.14
Baptiſmus quomodo ſaluet 694. 21
Baptiſmus reſurrectionis pignus & imago 66.5
Baptiſmus ſymbolum incorporationis Chriſti 345.44
Baptiſmus τελείωσις 842. 21
Baptizari in aliquem pro ductu & miniſterio alicuius baptizari ſeu per aliquem, phraſi Ebræa 203.40
Barach hiſtoria 898.5
Barbarorum appellatione qui intelligantur 17.36
Barbarus qui dicatur 229.36
βδέλυγμα 762.23
Beatitudinem eſſe vniuerſalem 47 25
Beatitudinis definitio 46.26
Beatus quinam iudicandus 654. 59
Bellum quando ſit iuſtum 311. 13
Benedictio Chriſti & Melchiſedech vt differant 865.10
Benedictionis diuinæ membra 387.1
Benedictionis omnis auctor Deus 387.3
Benedictio pro iuſtificatione 342. 6
Benedicere Deo quid ſit 250. 52
Benedicere pro bene precari 128. 6
Benedici in aliquo quid 340. 10
Benedictio Euangelij duplici de cauſſa dicitur 145.5
Benedictionem ſpiritualem fide accipi 342.4
Benedictionis vocabulum variè vſurpari 386.45
Benedictionis voce quid intelligendum 342.1
Benedictio panis 568.58
Benedictio pro beneficentia 290. 7
Benedictio ſacerdotalis quo in loco habenda 386.52
Benefacere quid ſit 822.43
Beneficentiæ commendatio 375. 51 & 912.21
Beneficentiæ erga egenos exercendæ cauſſæ 291.42 & 777. 21
Beneficentia erga quos exerceri debeat 376.54
Beneficentia grato animo agnoſcenda 291.6
ad Beneficentiam quatuor requiri 287.8
Beneficentiam vnde æſtimet Deus 287.17
Beneficentia quo animo exercenda 291.14
Beneficentia ſacrificium Deo gratum 291.32
Beneficentia teſtimonium noticiæ Dei 822.30
Beneficia Dei & ſalus gratuita ſunt 98.48
Beneficia Dei ex ſola eius miſericordia pendent 98.44
Beneficia Dei gratuita ad gratitudinem nos excitare debent 181.45
Beneficia Dei nactis incrementum precandum 456.28
Beneficia Dei prædicanda 319. 23
Beneficia Dei recolentes in laudes Dei & gratiarum actionem prorumpere debemus 148 14
Beneficia Eccleſiæ omnibus tribus perſonis diuinitatis communia 645.14
Beneficia erga Eccleſiam præcipua quatuor 160.13
Beneficia quibus præſtanda 690. 10
Beneficia ſilentio non prætereunda 823.3
de Beneficijs Chriſti catholica doctrina 52.49
Beneficiorum Chriſti applicationis modus 711.49 & 766.7
Beneficiorum Chriſti ſumma 732. 15
Beneficiorum dator agnoſcendus & celebrandus 16.5
Beneficiorum Dei ordo 803.6
Beneficium Chriſti vniuerſale 40. 36
de Beneuolentia Dei erga nos vnde petendum argumentum 253.1
Beneuolentiæ iudicium 15.53
Benignitas 367.50 & 516. 55
Benignitatis diuinæ teſtimonium 25.55
Blaſphemi qui 30.20 & 633. 31
Blaſphemia 30 16 & 516.3
Blaſphemiæ tria genera 30.16
Blaſphemiæ vocabulum Græcum 30.15.
Blaſphemia in Spiritum ſanctum 762 7
Blaſphemia quomodo ſe habeat 861.15
Bona à Deo petenda 145.33
Bona animæ ſine conditione petenda 925.25
Bonam conſcientiam in quatuor conſiſtere 591.43
Bona hominibus collata depoſita dicuntur 620.1
Bona omnia ad Deum referenda 16.4 & 620.8 & 155. 15
Bona omnia per Chriſtum dari hominibus 16.6 & 155. 17

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Bona ſumma cuiuſq; congregationis tria 366.23
Boni pauci in magno malorum cœtu diuinitus conſeruantur & defenduntur 207.36
de Bonis Eccleſiaſticis quid ſtatuendum 973.40
Bonitas 367.54
Bonitas Dei quid 765.42
Bonorum auctor Deus eſt 145.32
Bonorum Eccleſiaſticorum quinam verus ſit & legitimus vſus 975.2
Bonum non ſemper opponitur malo aut vicioſo 185.32
Βραβεῖον 900.44

C

CAEcitas hominis ſine verbo Dei 222.10
Cæcitas pœna contemtus verbi Dei in Iudæis, Papiſtis, Mahometiſtis, & alijs ſecure viuentibus 115.39.47
Cæcitas pœna proteruiæ 859.36
Cædes 23.26
Cæparum fœtor ad ſuaueolentiam roſæ confert 2.25
Cain cur Abelem occiderit 1.34 & 772.40
Cain quid ſignificet 772.58
Cain via 726.9
Calamitas fratrum communis cenſenda 907.45
Calamitates iræ diuinæ teſtimonia 20.31
Calamitatum euentus 607.17
Calumniæ exemplum 349.23
Calumnia malum fugiendum 620.2
Calumniæ pœna 820.22
Calumniæ quid opponendum 819.45
in Calumnia quatuor concurrere ſcelera 820.6
Calumniatores 633.43
Candelabrum cum ſuis lucernis quid adumbret 876.5
Candor 23.29
Candoris & ſimplicitatis in loquendo & dicendo commendatio 254.1
Candoris commendatio 816.34
Candoris præceptum 428.35
Canonicæ Epiſtolæ quæ à quibuſdam dicantur 822.3
Canonicorum & Monachorum cantus, quo in loco habendi 229.50
Capillos breuiores in viro, prolixos in muliere natura commendat 214.54
Carnales qui dicantur 165.16
Carnalia oblectamenta quid incommodi afferant 611.13
in Carne ambulantes diſplicent Deo 84.45
ſecundum carnem ambulantes eſſe ſub maledictione 82.58
ſecundum Carnem ambulare 81.10 & 292.58.
Carnem crucifigere quid ſit 368.48
Carnem Domini edere & ſanguinem bibere quid ſit? 205.28
ſecundum Carnem qui ſint 82.45 & 83.30
Carnes quæ de ſacrificijs ſupererant antiquitus vendi ſolitas 210.56
in Carne viuere quid 460.49
Carni duo tribuuntur 84.36
Carni indulgentes non habent veram fidem 86.44
Carni obtemperantes mortis rei efficiuntur 821.2
Carnis & ſpiritus colluctatio etiam in ſanctis 271.18
Carnis & ſpiritus diſsidium 367.23
Carnis & ſpiritus in renatis lucta acerrima 76.30
Carnis & ſpiritus lucta manet in hac vita in ſanctis 86.52
Carnis & ſpiritus lucta perpetua 361.3
Carnis concupiſcentia 821.5
Carnis concupiſcentiam perficere quid 360.52
Carnis cura duplex 513.14
per Carnis interitum quid intelligat Paulus agens de excommunicatione 176.54
Carnis intelligentiam eſſe inimicitiam aduerſus DEVM 84.8
Carnis licentiam non ſtabilit legis impletio per Chriſtum facta 82.33
Carnis nomine integer homo intelligitur 693.11
Carnis ſubſtantiam non eſſe originem malorum affectuum 22.49
Carnis vocabuli in ſcriptura ſignificationes 406.33
Carnis vocabulo quid ſcriptura intelligat 360.41
Carnis vocabulum bifariam in ſcripturis accipi 696.17
Carnis vocabulum pro qualitate acceptum 273.42
Carnis vocabulum pro tota humana natura in CHRISTO 693.3
Caroloſtadius imagines omnes per ſeditionem auferens ex templis iuſte à Luthero taxatur 800.56
Caro non pro ſubſtantia ſed qualitate vſurpata 176.56
Caro pro imbecillitate 293.1
Caro pro omni quod eſt extra Chriſtum 474.50
Caro pro toto homine 78.34
Caro pro toto homine non renato 406.15
Caro pro vitioſitate naturæ 368.56
Caro quando interire dicatur 176.58
Caro ſemen mortale 679.38
Carpocratianorum error 68.48
Caſibus communibus pij obnoxij in in hac vita 339.43
Caſtigatio DEI paterna 901.50
Caſtigatio errantium quomodo inſtitui à pio Paſtore debeat 257.28
Caſtigatio intempeſtiua & publica quid incommodi afferat 641.14
Caſtigatio moderanda 257.18 & 258.30
Caſtigationis ſeu crucis finis 221.20 & 903.32
Caſtitas perpetua non vouenda 186.65
Caſtitas perpetua rariſsima contingit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

git ſine aliquo peculiari morbo aut defectu 193.57
Caſtitatis lex perpetua liberis non imponenda 193.55
Catechiſmi capita præcipua cur ſex 858.40
Catechiſmi commendatio 728.32
Catechiſmus lacti comparatur 165.33
Catonis & Ioſephi collatio 450.50
Cauſſæ agendi propter aliud, ſæpe tribuitur euentus alienus 103.54
Cauſſæ inpulſiuæ mortis Chriſti 219.36
Cauſſæ lapſuum in ſanctis 77.1
Cauſſis Deum ſecundis non eſſe alligatum 391.32
Cenchre quid 146 12
Ceremoniæ Moſaicæ cur elementa mundi 512.16
Ceremoniæ quo magis cumulantur, eo minus eſt ſanctimoniæ 541.12
Ceremoniales leges in quem finem ſint abrogatæ 410.44
Ceremonialis cultus abrogatio 910.56
Ceremonialium legum abrogationis ſymbolum 410.42
Ceremoniarum abolitio ſymbolo ſignificata 911.46
Ceremoniarum Moſaicarum abrogatio veli ſciſſione ſignificata 510.14
Ceremoniarum omnium reiectio 911.8.
ad Ceremonias legales non reſpiciendum 912.1
Ceremonias Moſaicas iam eſſe abolitas 510.1
Ceremonias Moſaicas morte Chriſti eſſe abolitas 512.12
ex Ceremonijs non pendeamus 911.21
Ceremonijs Papiſticis quatenus intereſſe liceat 810.23
Cerinthi hæreſis 554.59
Certamen Chriſti 856.36
Certamini merces deſtinata 888.19
Cham filius Noë degener 1.44
χαρὰ 364.38
Χάρισμα, δώρημα & δωρεὰ differunt 60.36
Charitas 286.30 & 364.10 & 709.5 & 724.10 & 765.20 & 907.1
Charitas χρηστεύεται 227.6
Charitas Chriſtiana regula eſſe debet vſus rerum mediarum 137.51
Charitas Chriſti erga fideles conſtans 91.51
Charitas cur præferatur ſpei & fidei 228.2
Charitas cur vinculum perfectionis 364.34
Charitas Dei actiue ſumta 55.58
Charitas Dei germana quænam ſit 789.24
Charitas Dei paſſiue ſumta 754.17
Charitas diuturnior omnibus donis reliquis 227.17
Charitas duplex 364.11
Charitas finis omnium legum 586.50
Charitas μακροθυμεῖ 227.5
Charitas non ſit ad horam ſed perpetua 907.19
Charitas omnibus quibus excellere poſſunt homines præferenda 226.30
Charitas operum bonorum vnica regula 364.25
Charitas quomodo delicta operiat 698.22
Charitas quouſque ſe extendat 539.8
Charitas ſit conſtans & perpetua 679.50
Charitas ſola recte moderatur vſum donorum Dei 226.46
ad Charitatem exhortatio 228.30
Charitatem non operari malum 133.8
Charitatem puram & ſine hypocriſi in renatis requiri 678.29
Charitati cur ſtudendum 772.25 & 840.41
Charitatis Chriſti teſtificaito 273.6
Charitatis commendatio 226.1 & 698.11 & 804.31 & 816.36
Charitatis commendatio non impedit gratuitam iuſtificationem 228.6
Charitatis Dei erga nos amplificatio 57
Charitatis Dei erga nos certitudo vnde 785 45
Charitatis Dei erga nos commendatio 57.21
Charitatis Dei erga nos perfectæ argumentum 786.1
Charitatis Dei erga nos probatio 56.23
Charitatis dignitas 539.16
Charitatis diuinæ vſus 766.29
Charitatis doctrina argento comparata 167.56
Charitatis effectus 463.32 & 698.26
Charitatis eminentia inter alias virtutes 227.55
Charitatis excellentia 426.22
Charitatis expertes 24.4
Charitatis fraternæ neceſſitas 777.1
Charitatis gradus 364.15
Charitatis incitamentum 493.42
Charitatis limes 819.27
Charitatis neceſſitas 804.23
ad Charitatis normam exigenda omnia Chriſtianorum officia 246.18
Charitatis præceptum 729.40 & 803.53
Charitatis proprietas 227.2 & 529.23
Charitatis ſectandæ præceptum 679.7 & 782.50
Charitatis veræ commoda 779.1
Charitatis veræ & fucatæ ſeu hypocriticæ diſcrimen 778.49
Cherinthi & Ebionis refutatio 736.44
Cherubim qualis dictio 876.41
Cherubim quid fuerint 876.33
χρησμοὶ quid 32.20
Chriſti abnegatio quibus modis fiat 724.32
Chriſti actio omnis, noſtra eſt inſtructio 140.38 & 517.16
Chriſti actiones duplices 517.18
Chriſti ad cœlos aſcenſio neceſſaria 380.15
Chriſti aduentu dierum & ciborum delectus ſublatus 510.37
Chriſti aduentus in carnem cauſſa 882.50
Chriſti aduentus in mundum cauſſa 590.37
Chriſti aduerſarij fugiendi 760.8
cum Chriſti aduerſarijs commercium non habendum 806.15
Chriſti aduerſarius qui ſit 804.52
Chriſti affectus erga genus humanum ardentiſſimus 843 30
Chriſti agnitio in quibus conſiſtat 757.44
Chriſti agnitionis fructus 425.1
Chriſtianæ vitæ finis ſanctitas 13.40

Chriſtianæ vitæ partes 501.38 & 427.39
Chriſtianæ vitæ ſumma in quibus ſita 529.19
Chriſtiana militia 446.19
Chriſtiana militia quomodo peragatur 901.8
Chriſtianam profeßionem requirere mores & vitam religioni congruentem 515.30
Chriſtiana perfectio quanā 418.32
Chriſtiani abſque ſollicitudine ſint 192.59
Chriſtiani cur templum Dei dicantur 184.17
Chriſtiani Deum imitari in tota vita debent 430.30
Chriſtiani hominis perfectio in tribus 533.30
Chriſtiani hominis regula 540.24
Chriſtiani in carne ambulantes nō ſecundum carnem militant 293.4
Chriſtiani quibus rebus occupari debeant 539.23
Chriſtiani in triplici regno verſantur 213.15
Chriſtiani militis officium quid requirat 246.5
Chriſtiani militis vera fortitudo vnde ſit 899.1
Chriſtiani omnes coram Deo ſunt ſacerdotes 124.27
Chriſtiani quomodo ſacerdotes dicantur 684.6
Chriſtianorum affectio inter ſe qualis eſſe debeat 704.18
Chriſtiani quomodo reges dicantur 684.3
Chriſtiani regale ſacerdotium 683.54
Chriſtianis excubiæ ſemper agendæ 923.2
Chriſtiani ſibi non indulgeant, nec ſectentur voluptates 202.30
Chriſtianiſmi definitio 428.23
Chriſtianiſmi initia vna cum lacte inſtillanda 758.18
Chriſtianiſmi principia 858.34
de Chriſtianiſmo quinam Thraſonice tantum glorientur, qui vere 31.30
Chriſtianis quomodo filiorum Dei dignitas competat, cum habeantur pro reiectamentis mundi 767.13
Chriſtiani ſuum quiſq; locum fortiter tueatur 473.43
ſub Chriſtiano nomine Turcicum quinam gerant animum 931.15
Chriſtianorum communia officia doctrina & exhortatio mutua 546.35
Chriſtianorum communia officia quæ 689.39
Chriſtianorum fraternitas vnde 704.19
Chriſtianorum gaudium perfectum triplici reſpectu 739.48
Chriſtianorum officium 15.31 & 392.54 & 432.38 & 540.2 & 684.11 & 847.43
Chriſtianorum propria nota quæ 142.41 & 779.2
Chriſtianorum perfectio non fit ſubito 424.30
Chriſtianorum prærogatiua, qua gloriantur ſe præſtare Turcis, quando fiat inutilis 32.26
Chriſtianorum robur vnde ſit 418.2
Chriſtianorum ſapientia ſumma quæ ſit 504.48
Chriſtianorum ſcopus 586.41
Chriſtianorum ſtatus 687.50
Chriſtianorum ſtudia & opera quænam eſſe debeant 432.51 & 484.3
Chriſtianorum συμπάθεια inter ſe qualis eſſe debet 426.26
Chriſtianorum verorum & falſorum antitheſis 479.49
Chriſtianorum virtutes quæ 286.31
Chriſtianorum vita curſui comparata 357.57
Chriſtianorum vita et doctrina qualis eſſe debeat 120.48 & 458.40
Chriſtianos à legibus Moſaicis eſſe liberos 351.49
Chriſtianos cur vigilantes & ſobrios eſſe deceat 545.40.52
Chriſtianos decet ſibi inuicem ſeruire, quo Eccleſiæ corpus incolume ſeruetur 125.9
Chriſtianos eſſe homines nouos 410.48
Chriſtianos eſſe ſacerdotes regales 280.46
Chriſtianos in expeditione grauiſſima & difficilima conſtitutos 445.50
Chriſtianos in quibus rebus occupatos eſſe deceat 539.23
Chriſtianos non eſſe ſui iuris 184.27 & 656.37
Chriſtianos quæ facere deceat 655.41
Chriſtianos quæ omittere oporteat 655.28
Chriſtianos ſingulos quid deceat 125.2
Chriſtianos turpia facta non decent 175.26
Chriſtianos vnum corpus conſtituere 223.47
Chriſtianus quilibet Deum cultibus perpetuis celebrare debet 184.20
Chriſti authoritas 792.11
Chriſti beneficia citra diſcrimen ad totum mundum pertinere 753.12
Chriſti beneficia rata 708.1
à Chriſti beneficio neminem excludi 842.14
Chriſti caro ab initio mundi fuit cibus, & ſanguis eius potus electorum 205.56
Chriſti cognitio in duabus ſita 476.4
Chriſti confeßio pro veritate 618.47
Chriſti corpus ἀπερίγραπτον eſſe vnde quidam colligant 422.44
in Chriſto corpus inſitio quomodo fiat 66.2
Chriſti corpus non phantaſma 466.24
Chriſti corpus ſpirituale, non ſubſtantia ſed qualitate 241.23
Chriſti cum Eccleſia myſtica coniunctio qualis 499.40
Chriſti cum Leuitico ſacerdote collatio 883.41
Chriſti in carnem aduentus tempus 56.30
Chriſti deſcriptio 14.10
Chriſti dilectionis magnitudo 436.31
Chriſti diuinitas non rapina 465.42
Chriſti diuinitatis teſtimonium 304.14 & 347.28 & 833.55 & 910.16
Chriſti doctrina ſimplex retinenda 506.23
Chriſti doctrinam ſolam amplectendam 831.54
Chriſti eminentia ſupra omnes principatus æterna 397.9
Chriſti & Adami ſimilitudo 61.26
Chriſti & creaturarum diſcrimen 498.35
Chriſti & Eccleſiæ typus arca fœderis 753.21
Chriſti & Leuitarum collatio 868.48

Chri-

Chriſti & Moſis collatio 905.52
Chriſti exaltatio 466.25
Chriſti exemplum ad nos erudiendos propoſitum eſt 140.59
Chriſti exemplum in tota vita proponendum 768.52
Chriſti exemplum maxime mouet 901.3
Chriſti exhibiti tempus 347.7
Chriſti generatio æterna 836.58
Chriſti gloriæ teſtimonium 711.16
Chriſti gloria in quibus appareat 841.50
Chriſti glorificationis teſtimonium 422.23
Chriſti gratiæ erga Eccleſiam ſuam gradus 436.40
Chriſti hoſtia ſalutaris omnibus 856.59
Chriſti humanitatis teſtimonium 737.7
Chriſti humiliatio 840.51
Chriſti humiliationis magnitudo 466.35
Chriſti humilitas 464.18
Chriſti humilitas voluntaria 465.57
Chriſti imitatio duplex 254.16
Chriſti imitationis moralis quinq; partes 254.18
Chriſti imperio quicquid ſublime eſt, velit nolit, tandem ſubijciendum 396.49
Chriſti in Eccleſiam imperium quale 499.54
Chriſti inhabitantis teſtimonia 44.44.30
Chriſti interpellatio pro nobis non deſijt 880.18
Chriſti iuſticiæ effectus 62.2
Chriſti iuſtitia offertur omnibus 108.20
Chriſti manifeſtati in carne finis 769.14
Chriſti membrum eſſe glorioſum eſt 125.48
Chriſti meritum quomodo opponendum ſit omnibus dubitationibus 91.38
Chriſti meritum ſufficiens pretium ad expianda hominum peccata 833.22
Chriſti miniſterium à miniſterio aliorum quid differat 262.56
Chriſti miracula de quatuor nos admonent 737.21
Chriſti mors quid efficiat 57.50 & 65.12.36.42
Chriſti morte abolitas ceremonias Moſaicas 512.10
Chriſti mortis & noſtræ diſcrimen 67.31
Chriſti mors vnicum redemtionis noſtræ precium 430.57
Chriſti naturæ quomodo vnitæ 797.58
de Chriſti naturis & perſona quomodo recte ſentiendum 798.17
Chriſti negatio duplex 554.51 & 761.56
Chriſti nomen fidelibus vniuerſis attribuitur 343.21
Chriſti notitia in quatuor ſita 828.47
Chriſti noticiam in tribus conſiſtere 503.57
Chriſti noticia vitæ piæ cauſſa 427.24
Chriſti officium 509.4 & 737.10 & 770.52
Chriſti officium legi pro nobis ſatiſfacere 108.13
Chriſti omnis actio, noſtra eſt inſtructio 901.6
Chriſti omnipotentiæ teſtimonium 737.18. 833.16
Chriſti perfecta obœdientia 856.47
Chriſti perſona diſtincta à Deo patre 498.15
Chriſti perſonæ deſcriptio 497.1 & 832.35
Chriſti perſonam quinam oppugnarint 762.15
de Chriſti perſona quæ tenenda 711.29
Chriſti φιλανθρωπία 833.18
Chriſti pontificis ſummi deſcriptio 844.5 & 871.10.20
Chriſti poſt reſurrectionem apparitiones ſex 234.56
Chriſti prædicatio myſterium 603.25
Chriſti præſentia in ſacramentis 566.4
Chriſti præſentia non tollitur Pauli dicto 513.55
Chriſti præſentia quomodo intelligenda 836.30
Chriſti priuilegium ſingulare 866.44
Chriſti promiſſi & exhibiti collatio 712.29
Chriſti promtiſſima voluntas ad iuuandum omnes ad ſe confugientes 737.23
Chriſti prouidentia æterna 499.25 & 910.13
Chriſti quæ ſunt quærere quinam dicantur 471.7
Chriſti quantus amor erga genus humanum 843.44
Chriſti regnum in Eccleſia quale 499.32 & 837.53
Chriſti reſurrectionis virtus 65.12 36.42
in Chriſti ſacerdotio pleniſſima propitiatio 783.59
Chriſti ſacerdotis beneficium erga Eccleſiam 275.46
Chriſti ſacerdotis deſcriptio 38.42 & 275.28 & 857.4
Chriſti ſacerdotium excellentius quam Leuitarum 872.17
Chriſti ſacerdotium Leuitico præferendum 868.23
Chriſti ſacerdotium nunquam abolendum ſignificatur Melchiſedechi morte ignota 866.34
Chriſti ſepulturæ virtus 65.12.36.42
Chriſti triumphus 510.16
ad Chriſti veram, realem & ſubſtantialem in cœna præſentiam, non requiri, vt humanitas eius ſit vbique 206.6
Chriſti victima cur peccatum à Paulo appellata 82.22
Chriſti victimæ finis 856.55
Chriſti victima ſufficiens λύτρον eſt ad expianda omnia omnium peccata 342.25. & 355.59
Chriſti virtus potentiſſima ad ſalutem 81.47
Chriſti vita quid efficiat 57.56
Chriſti vna perſona in duabus diſtinctis naturis 162.18
Chriſti vnionis perſonalis teſtimonium 737.29
Chriſti vnius iuſticia, quomodo imputari poſſit in vitam multis 58.58
Chriſti vt participes fiamus omnis iuſticiæ propriæ fiducia abijcienda 476.18
in Chriſto adoleſcere quid 425.28
à Chriſto bona omnia petenda 832.40
Chriſto communicare cupiens, omnibus prius ſacrilegijs renunciet 210.23
in Chriſto crucis ferendæ & liberationis expectandæ diſcrimen 692.53

 Chri-

Chriſto deberi timorem & reuerentiam 832.45
à Chriſto deficiens mancipium Satanæ euadit 613.14
in Chriſto duo 81.36
Chriſto dupliciter veſtimur 134.10
Chriſto fideles ſoli adhæreant 170.2
χρηστολόγος qui dicatur 147.26
in Chriſto manere quid 769.39
in Chriſto manendum 664.12
de Chriſto modi loquendi 798.2
Chriſto niſi viuentes non viuunt 273.29
ſine Chriſto nullum acceſſum ad Deum patere 844.57
in Chriſto nullum veteris hominis veſtigium 427.30
à Chriſto omnia 708.21
Chriſto omnia debentur 865.13
Chriſto omnia ſubijci 365.12 & 841.29
à Chriſto omnis benedictio & ſalus pendet, ſeu Chriſti officium 95.29
in Chriſto omnis perfectio 508.54
in Chriſto omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ eſſe reconditos 506.8
in Chriſto patrem agnoſci 506.6
cum Chriſto pati quid 252.14
Chriſto permulta etiam diuerſiſſima poſſe accommodari 875.55
de Chriſto prophetia inſignis Pſalmo 22. 842.39
de Chriſto quatuor ſcitu neceſſaria 14.44
Chriſto qui ſeruire non poſſit 640.3
Chriſto quomodo adhærendum 506.55
in Chriſto quomodo dicatur habitare Deus corporaliter 508.44
Chriſto ſoli purgandi virtutem tribuendam 748.33
à Chriſto ſolo bona omnia expectanda 501.6
in Chriſto ſolo gloriandum 504.5
à Chriſto ſolo pendendum 511.33
in Chriſto ſolo perfectionem omnem conſiſtere 504.40
de Chriſto teſtes ſex in cœlo & terra 791.40
de Chriſto teſtes tres in terra 792.9
de Chriſto teſtimonia vbique quærenda 793.2
de Chriſto tria teſtimonia in cœlo 791.25.44
χρηστότης 278.44 & 367.50 & 516.56
Chriſto toti interdum tribuitur, quod eſt proprium vnius naturæ 162.22
de Chriſto varij hæreticorum errores 798.22
in Chriſto vnio hypoſtatica, ſeu Chriſtus vna perſona 95.28
à Chriſto vitam & ſpiritum Eccleſiam accipere 511.55
per Chriſtum acceſſus ad patrem 574.59
Chriſtum ad tempus fuiſſe in animam viuentem 241.20
Chriſtum angelis eſſe ſuperiorem 837.10.22
Chriſtum audiendum eſſe 844.50 845.1 & 905.50
in Chriſtum baptiſari quid 65.19
Chriſtum creaturis omnibus ſuperiorem 467.1
Chriſtum cur hominem eſſe oportuerit 843.42
Chriſtum cur oporteat ſemper eſſe in cœlo 861.59
Chriſtum cur oportuerit eſſe Deum & hominem 162.32
Chriſtum Dominum eſſe vniuerſorum 500.49
Chriſtum eſſe cibum & potum ſpiritualem 205.13
Chriſtum eſſe hæredem omnium quid ſit 832.57
Chriſtum eſſe mediatorem teſtamenti noui 878.28
Chriſtum eſſe ὁμοούσιον patri 833.9
Chriſtum eſſe verum Meſſiam 603.13
Chriſtum eundem datum fuiſſe olim, ſub veteribus ſacramentis, qui hodie datur ſub noſtris 204.50
Chriſtum fuiſſe ſimilem alijs hominibus 466.15
Chriſtum glorioſe reſurrexiſſe 628.23
Chriſtum habentes, omnia bona habent 793.39
Chriſti humiliationis cauſſa 842.6
extra Chriſtum in ſalutis negocio nihil quærendum 506.23
Chriſtum maiorem eſſe Abrahamo & Leuitis ex Abrahamo natis 865.46 & 866.1
Chriſtum maiorem eſſe angelis & filium Dei 838.11
Chriſtum Moſi præferendum 845.21
Chriſtum non pro originali tantum peccato mortuum 656.26
Chriſtum non recipientes digna ſupplicia non euaſuros 845.26
extra Chriſtum nulla legis Dei cognitio 264.48
extra Chriſtum nulla ſanctitas, ſalus, fides aut fraternitas 492.46
extra Chriſtum quales ſimus 658.38
extra Chriſtum quicquid eſt, pro iactura habendum 475.41
per Chriſtum quomodo facta ſit reconciliatio 58.42
Chriſtum quomodo iam poſſideamus 504.3
Chriſtum ſemel tantum mori oportuiſſe 880.53
Chriſtum ſequi difficile 477.39
Chriſtum ſeruatorem cur oportuerit eſſe Deum 746.8
Chriſtum ſolum eſſe verum ſacerdotem 869.33
Chriſtum ſuperiorem eſſe angelis & eſſe Deum 836.50
extra Chriſtum tantum mors & damnatio 737.42
Chriſtum tentatum eſſe per omnia 852.40
Chriſtum vere aſſumſiſſe naturam humanam 466.17
Chriſtum videre & nouiſſe quid 769.47
Chriſtum vere mortuum fuiſſe 628.21
Chriſtum verum eſſe Deum 106.20 & 498.14 & 499.11 & 837.51 & 845.36
Chriſtum verum eſſe Deum & hominem 746.3
Chriſtum verum eſſe hominem 347.33 & 628.18 & 833.12. & 842.33 & 43.50
Chriſtum videre, myſterium 603.19
χρηστὸς 680.59
Chriſtus 821.58
Chriſtus ab Apoſtolis æſtimatus vt homo aliquis excellens 273.40
Chriſtus à legis damnatione nos liberat 342.22
Chriſtus angelus & fundamentum 682.30
Chriſtus aſſumſit Iudæos in gloriam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

uiam patris 141.40
Chriſtus auctor vitæ & ſalutis ſecundum vtranq; naturam 237.24
Chriſtus caput Eccleſiæ modis quatuor 397.37
Chriſtus cœnam inſtituens gratias Deo egit 216.13
Chriſtus corpus ſuum edendum & ſanguinem bibendum propoſuit in Cœna 216.15
Chriſtus cum nominatur, duo eſſe intelligenda 503.55
Chriſtus cur ἀπαύγασμα 833.34
Chriſtus cur aſſumſerit humanam naturam 82.26
Chriſtus cur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως πατρὸς 833.36
Chriſtus cur Dominus 645.19
Chriſtus cur Dominus noſter 645.21
Chriſtus cur fundamentum 411.51
Chriſtus cur homo factus 844.2
Chriſtus cur humiliatus 841.45
Chriſtus cur lapis angularis 411.59
Chriſtus cur lapis offenſionis dicatur 106.14
Chriſtus cur Mediator 38.50
Chriſtus cur non poßit eſſe in terra 871.55
Chriſtus cur primogenitus mortuorum 500.32
Chriſtus cur primatum in Eccleſia teneat 500.56
Chriſtus cur propitiatio 753.19
Chriſtus cur propitiator 38.53
Chriſtus cur propitiatorium 38.22
Chriſtus cur redemtor 38.55
Chriſtus cur rex iuſticiæ 864.28
Chriſtus cur rex pacis 864.34
Chriſtus cur ſacerdos Dei altißimi 864.40
Chriſtus cur ſeruus Dei dicatur 466.5
Chriſtus cur vita æterna 798.33
Chriſtus cur vita 738.30
Chriſtus creator & reparator hominum 500.36
Chriſtius Deus 465.30 & 499.24 & 538.51 & 575.15
Chriſtus Dominus & princeps ἀνυπεύθυνος 396.46
Chriſtus duplici nomine inuocandus 752.44
Chriſtus dux Chriſtianæ militiæ 900.48
Chriſtus & Adam in quo conueniant 58.54
Chriſtus & Adam in quo differant 58.57
Chriſtus & Moſes vt differant officio 343.53
Chriſtus exitialis incredulis 682.47
Chriſtus filius dilectionis cur à Paulo dicatur non dilectus 496.45
Chriſtus fons bonorum omnium 833.15
Chriſtus fundamentum 506.59
Chriſtus hæres omnium 832.37
Chriſtus hortulano comparatus 1.50
Chriſtus hoſtia plena placans iram patris 856.54
Chriſtus imago Dei eſſentialis χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως πατρὸς καὶ λόγος 497.21
Chriſtus imago patris per gloriam ἀπαύγασμα 497.28
Chriſtus immeritis benefecit 430.58
Chriſtus inuocandus vt Deus & Mediator 869.20
Chriſtus iram patris in ſe deriuauit 57.33
Chriſtus lapis probationis 682.27
Chriſtus Leuitis merito præfertur 866.1 & 870.24
Chriſtus Leuitis multo præſtantior 871.33
Chriſtus mediator 79.59
Chriſtus natus è virgine abſque ſemine virili 347.31
Chriſtus non ab vno tantum ſed à peccatis omnibus liberat 60.53
Chriſtus non ſibi placuit ſed Deo & electis 140.48
Chriſtus nunquid & ipſe per Abrahamum decimatus ſit Melchiſedech 866.42
Chriſtus paſtor magnus 914.34
Chriſtus perſona diſtincta à patre & Spiritu ſancto 465.52
Chriſtus Pontifex 38.29
Chriſtus Pontifex magnus 852.24
Chriſtus pontificatus munus à patre accepit 855.32
Chriſtus primitiæ reſurgentium 237.1
Chriſtus primogenitus duplici reſpectu dicitur 837.15
Chriſtus pro Eccleſia 223.44
Chriſtus propiciator ob tres cauſſas dicitur 844.11
Chriſtus quantus Apoſtolus 844.45
Chriſtus quare λόγος 487.27
Chriſtus quarum rerum ſit Pontifex 844.7
Chriſtus quatuor modis dicitur caput Eccleſiæ 425.33
Chriſtus quatuor modis iuſtus dicitur 752.55
Chriſtus quibus poſitus ſit in ruinam 263.39
Chriſtus quomodo æqualis patri 393.28
Chriſtus quomodo fratribus per omnia ſimilis 843.56
Chriſtus quomodo hominibus patefactus 738.26
Chriſtus quomodo intelligatur patri ſubijciendus in nouißimo die 238.1
Chriſtus quomodo nobis aßit 914.46
Chriſtus quomodo poßit eſſe Deus, cum ſit aliquando humiliatus 869.49
Chriſtus quomodo prædicandus ſit Euangelij miniſtris 335.25
Chriſtus quomodo præſens 835.40
Chriſtus quomodo regnum ſit traditurus patri 237.40
Chriſtus quomodo ſit nobis factus ſapientia, iuſticia, ſanctificatio, redemtio 942.18
Chriſtus quomodo ſit ſacerdos ad exemplar Melchiſedech 864.19
Chriſtus quomodo ſit vbique & quomodo in cœlo tantum 479.55
Chriſtus quomodo ſit verus Deus 798.24
Chriſtus quomodo ſit via ſalutis vnica 732.21
Chriſtus quomodo veritas ſit 732.37
Chriſtus quomodo vita 732.48
Chriſtus quot modis diſſoluerit diaboli opera 770.57
CHRISTVS quot modis purus ſit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſit 768.17
Chriſtus radix 506.58
Chriſtus reconciliationis fundamentum 410.25
Chriſtus reſurrectio & vita 733.9
Chriſtus ſacerdos à Deo ordinatus 857.7
Chriſtus ſacerdotij dignitatem à Deo patre accepit 855.24
Chriſtus ſal cœleſtis 854.40
Chriſtus ſalutis fons vnicus 833.26
Chriſtus ſalutis fundamentum 255.19
Chriſtus ſitne ſaluator etiam infidelium 607.18
Chriſtus ſolus Chriſtianorum perfectio 516.32
Chriſtus ſolus Eccleſiæ fundamentum 412.2
Chriſtus ſolus geſtator Eccleſiæ 412.13
Chriſtus ſolus iuſticia noſtra coram Deo 26.42
Chriſtus ſitne mediator ſecundum alteram naturam vel vtramq; 595.15
Chriſtus ſummus ſacerdos quomodo affectus erga ignorantes & ſupplicantes 854.55
Chriſtus verus Deus & verus homo in vnitate perſonæ 595.1
Chriſtus verus homo 14.13 & 95.24 & 842.23
Chriſtus verus Deus 13.28.48 & 95.25 & 722.4 & 797.46
Chriſtus vna perſona in duabus naturis 833.13
Chriſtus vnde nos redemerit 38.3
Chriſtus vnus, ſcopus Moſis, Prophetarum & omnium Apoſtolorum 712.6
Chriſtus via 506.56
Chriſtus via ad gloriam 705.30
Chriſtus via ad vitam æternam 793.37
Chriſtus vita æterna 797.48
Chriſtus, vocabulum, cuius nos admoneat 645.24
Cibi cur in Leuitico prohibiti 605.24
Cibi genus nullum impurum & commune 134.14
in Cibus ambulare 910.54
Cibis & ventri non indulgendum 182.20
Cibi vſus ſit temperatus 196.64
in Ciborum delectu cultus Dei non poſitus 196.52
Ciborum delectus Chriſti aduentu ſublatus 510.37
Ciborum prohibitio impia 605.28
Cibus & potus quomodo ſpiritualis eſſe poſſit indignis & incredulis 205.46
Ciceronis de colendo Deo ignorantia 916.39
Circulus imago fortunæ humanæ 450.13
Circumcidi Titum cur Paulus non permiſerit 326.28
Circumciſio ad ſalutem non neceſſaria 326.30
Circumciſio cur legis obſeruationem, quam præſtare nemo poteſt, requirat 30.40
Circumciſio Deo placens quæ 35.63
Circumciſio duplex 509.23
Circumciſio pro Iudæis 40.37
Circumciſio pro omnibus ritibus Moſaicis 378.23
in Circumciſione cur infantibus nomina dabantur 50.16
Circumciſio quando vtilis 30.36
à Circumciſione dehortatio 355.42
de Circumciſione dogma Pſeudoapoſtolorum 355.53
Circumciſionem ad iuſtificationem non requiri neceſſario 338.57
Circumciſionem hodie inutilem 509.13
de qua Circumciſione Paulus ſingulis in locis loquatur 356.11
Circumciſionis abuſus 356.18
Circumciſionis literalis et ſpiritualis differentia 31.14
Circumciſionis fines 509.28
Circumciſionis ſpiritualis definitio 474.44 & 509.37
Circumciſionis ſymbolica ratio 48.20
Circumciſionis vſus verus 47.39
Coagmentationis cum Chriſto ſymbola Baptiſmus & cœna Domini 125.23.29
Coagmentatio noſtri inter nos & cum Chriſto myſtica et ſpiritualis eſt 125.33
Cœleſtia quærenda 514.15
Cœleſtis doctrinæ capita principalia 59.6
Cœlibatum ſacerdotum falſo Paſtiſtæ Pauli doctrina ſtabiliunt 376.19
in Cœlibatu ſanctitatem Monachi quærentes errant 386.13
Cœlibatus à nemine niſi qui ſpeciale donum habet, requiritur 187.4
Cœlibatus effectus: & cur præferendus coniugio 193.3
Cœlibatus & virginitas non per ſe, ſed propter aliud bona ſunt 192.8
Cœlibatus impurus non præferendus coniugio 908.10
Cœlibatus in quem finem ſit expetendus 193.30
Cœlibatus non quiuis, ſed propter regnum Dei ſuſceptus, probandus 193.7
Cœlibatus quare præferendus coniugio 192.14
Cœlibatus quibus ſit vtilis & commodus 193.35
Cœlibatus votum impurum 186.32
Cœli num ſint plures vno, cum Paulus tertij mentionem faciat 302.32
Cœlum Chriſti templum 872.2
in Cœlum introitus quomodo pateat 885.33
in Cœna corpus et ſanguinem Chriſti vere adeſſe & communicantibus exhiberi 209.12
Cœna Domini 700.39
in Cœna dominica dijudicatio adhibenda 218.11
Cœna dominica ἀλογία à Paulo dicitur, à Græcis alia voce ἀχαριστία 209.3
Cœna dominica obſignatio purgationis à peccato per Chriſtum factæ 748.41
Cœna dominica quale ſit ſacramentum 217.4
in Cœna dominica quid credendum 217.48
Cœna dominica quomodo digne vtamur 566.34
Cœna dominica cur à Paulo ἀλογία & à veteribus ἀχαριστία 218.40
Cœna dominica cur ſacrificium ab antiquis dicebatur 218.33
Cœna dominica cur σύναξις 219.1
Cœna dominica cur teſtamentum Chriſti dicatur 219.10
Cœna Domini inſtituta, vt ſit nouum fœdus gratiæ & remiſſionis peccatorum 216.17

Cœna

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Cœna Domini quare communio à Paulo dicatur 218.44
Cœnæ dominicæ analogia 48.24
Cœnæ dominicæ contemtus, quomodo à Deo puniatur 207.25
in Cœnæ dominicæ diſtributione conſuetudo Eccleſiæ veteris 209.38
Cœnæ dominicæ indignitas ſeu abuſus duplex 220.50
Cœnæ dominicæ ſignificationes 218.31
Cœnæ dominicæ typus 865.1
in Cœnæ dominicæ vſu quæ conſideranda 219.26
Cœna inſtituta à Chriſto propter peccata hominum 216.9
Cœnæ inſtitutæ circumſtantiæ 215.54
Cœnæ Papiſtarum mutilæ refutatio 209.22
Cœnæ ſacræ prophanatio apud Papiſtas 717.1
ad Cœnam Chriſti ſacram non conueniendum tanquam ad profanas epulas 215.38
Cœnam dominicam cur quidam è patribus vocent hoſtiam & ſacrificium 870.11
ad Cœnam dominicam decenter & religioſe accedendum 221.25
Cœnam Domini continere omnia quæ ad teſtamentum requiruntur 219.17
Cœnam Domini eſſe ſacramentum 216.50
Cœnam Domini indigne ſumentis pœna 220.43
in Cœna non eſſe carnalem ſeu localem incluſionem corporis & ſanguinis 217.44
Cœna ſacra cur ἀγάπη 716.58 & 726.41
in Cœna ſacra res concurrentes quæ ſint 217.15
in Cœna verum corpus & ſanguinem eſſe Chriſti 217.41
Cœna vtendum in recordationem mortis Chriſti 216.18
Cœtus angelorum & ſanctorum 821.56
Cogitatio carnis 821.9
Cogitationibus hominum nouis & ſtultis quid opponendum 121.53
Cogitationibus humanis in cauſis ſalutis locus nullus 121.46
Cogitatio ſpiritus 821.43
Cognitio Chriſti in duabus ſita 476.4
Cognitio Dei perfecta quando futura 873.45
Cognitio in futura vita erit perfectiſsima. 227.26
Cognitio in hac vita quomodo imperfecta 227.30
Cognitione Chriſti ſalutari nacta, quid præterea expectandum 155.42
Cognitionem Dei incrementum quotidie ſumere 478.40
Cognitionis Chriſti fructus 476.25
Cognitionis Dei veræ effectus 495.23
Cognitionis rerum in ſcriptura parandæ modus 458.14
Cognitionis verba in ſcriptura quid ſignificent 77.48
Cognitio præſentis vitæ quid à futuræ vitæ noticia differat 227.44
Cognitio quid 155.29 & 286.28
Cognitio viarum Domini duplex 847.21
Colere Deum à progenitoribus quid 622.37
Colloquia praua maxime moribus nocere 239.10
Colloquijs magnorum virorum intereſſe plurimum prodeſt 639.51
Commendare ſeipſos qui dicantur 294.31
Commendatio Dei vera eſt 295.42
Commendationis exemplum inſigne 662.12
Commendatio propria ſordida 295.39
Commeſſatio κῶμος 696.44
Commeſſationes 363.5
Comminationes legis quomodo interpretandæ 363.20
de Commodatione quid ſtatuendum 973.1
Commodis & incommodis mutuis Chriſtiani affici debent 125.46
Communionem ſanctorum tria complecti 741.33
Communionis ſanctorum vinculum 742.30
Compati vinculis aliorum 888.47
Conatus piorum in hac vita quo referri debeant 692.11
Concionantis vox Chriſti vox 320.5
Concionatorum verbi officium 257.58
Conciones diligenter frequentandas 16.54
Concionum vtilitas 231.30
Conciſio 474.33
Concordia 689.42
Concordia in ſanctis vnde inchoanda 420.44
Concordia cur pax Dei dicatur 517.35
Concordia doctorum Eccleſiæ vnde oriatur 366.33
Concordia doctorum in Eccleſia quàm ſit neceſſaria 366.28
Concordia Eccleſiæ cur raro diuturna 366.51
Concordiæ commendatio 128.24 & 463.1
Concordiæ & pacis finis 190.8
Concordiæ in Eccleſia ſtudendum 125.51
Concordiæ mutuæ finis 141.22
Concordiæ nutriculæ tres 366.45
Concordiæ præceptum 411.5 & 468.27 & 547.28
Concordiæ vinculum 481.20
Concordiæ ſtudendum 125.39 & 156.58 & 117.18
ad Concordiam adhortatio 421.1
Concordiam Eccleſiæ tria diſtrahunt 366.45
Concordia qualis inter Chriſtianos eſſe debeat 689.46
Concordia triplex 365.29
Concubitus vagi peccatum 133.59
Concupiſcentia carnis 406.13 & 759.18
Concupiſcentia duplex 515.7 & 759.16 & 927.20
Concupiſcentiæ carnalis fœtus 927.29
Concupiſcentiæ carnis obtemperantes peccatum in ſe regnare ſinunt 821.7
Concupiſcentiæ effectus duplex 927.1
Concupiſcentia effrenis actu peccatum eſt 78.1
Concupiſcentia fons peccati 372.6
Concupiſcentia gentium quæ 22.22
Concupiſcentiæ quando homo permittatur 372.11

Concu-

Concupiſcentia eſcæ comparata 929. 12
Concupiſcentiæ ſpecies 716.10
Concupiſcentiã carnis ligare quid 227. 48
Concupiſcentiam carnis quomodo ſuperemus 927.39
Concupiſcentia puerperæ comparata 929. 14
Concupiſcentia oculorum quæ 758.19
Concupiſcentia quando dicatur concepiſſe 929. 16
Concupiſcentia quomodo extirpetur 631.23
Concupiſcentia ſanguiſugæ comparata 759.30
Concupiſcentia ſpiritus 821. 27 & 927.42
Concupiſcentijs mundanis non indulgendum 708. 49
Concupiſcentijs non indulgendum 949.26
Condemnatio aliorum ſui ipſius eſt condemnatio 25. 18
Conditionem viliorem licet commutare meliori 190.48
de Conductione quid ſtatuendum 973. 7
Confeßio 888. 11
Confeßio Chriſtiana non ſit intempeſtiua 691. 45
Confeßionis conſtantia non abijcienda defectione aliorum 626.3
Confeßio cruenta martyrum 827. 50
Confeßio, cultus 644. 9
Confeßio in ærumnis non abijcienda Pauli exemplo 300.45
Confeßio duplex 751. 1
Confeßio fidei iuſtificantis infallibilis nota 109. 38
Confeßio in quem finem conſtituta in pijs Eccleſijs 220. 26
pro Confeßione Chriſti pati, glorioſum 419.53
in Confeßione libertate fidei vtendum 197.13
Confeßionem doctrinæ nihil impediat 895. 42
de Confeßione quid ſentiendum 220.21
Confeßioni Papiſticæ dictum Iohannis non patrocinari 750. 58
Confeßionis Chriſtianiſmi comes perſecutio 691. 23
Confeßionis conſtantiæ præceptum 899. 39
Confeßionis fructus duplex 691. 56
Confeßionis neceßitas 53. 9 & 691. 34. & 810. 44
Confeßio non abijcienda 5. 35 & 641. 43
Confeßionis Papiſticæ auricularis refutatio 220.16
Confeßio libera, clara & perſpicua ſit 448.51
Confeßio propter crucem non abijcienda 693. 44
Confeßio propter iniurias non abijcienda 300.45
Confeßio propter potentiam hoſtium externam non abijcienda 782. 6.
Confeßio qualis à miniſtris Euangelij requiratur 449.3
Confeßio quomodo fieri debeat 691. 27
Confeßio teſtimonium inhabitationis S. Sancti 785.31
Confeßio triplex 786.37
Confirmatio 567. 26
Confirmatio de Euangelij & promißionum Dei certitudine 255. 57
Confirmatio Papiſtica ex cacozelia orta 859.15
Confirmationem ſecundum Papiſtas non poſſe conferri niſi à ſummo ſacerdote 567. 44
de Confirmatione Papæ errores 567. 35
de Confirmatione quatuor Papiſtas docere 567. 41
Confirmatio quid veteribus fuerit 567.28
Confirmationis quodnam ſit elementum ſecundum Papiſtas 568. 1
Confirmationis virtus ſecundum Papiſtas 568. 8
Conformitas noſtri cum Deo in quo conſiſtat 786. 26
Congregationis cuiuſq; tria ſumma bona 366. 23
Coniuges quomodo dicantur vnum corpus 438. 28
Coniuges vnde dicantur 812.35
Coniugia contrahere cum incredulis non expedire Chriſtianis 812.14
Coniugij approbatio 416. 18
Coniugij definitio 908. 11
Coniugij inſtituti circumſtantiæ 812. 26
Coniugij lex non violanda 187.35
Coniugij moleſtiæ non excutiendæ religionis prætextu 187. 30
Coniugij ſacerdotum approbatio 646. 13
Coniugij ſingulare præconium 908.3
in Coniugio contrahendo quæ ſpectanda 812.19
Coniugio & alijs rebus terrenis ita vtendum ne à Deo nos auocent 192.31
de Coniugio inæquali quid ſtatuendum 187.51
in Coniugio maior quam in virginitate afflictio 192.15
in Coniugio requiritur beneuolentia mutua 185.56
à Coniugio nemo arcendus 193. 42
in Coniugio ſancto nati cur ſint ſancti 188. 29
Coniugium Chriſtianum ſit ſchola quædam 190. 10
Coniugium cum alienigenis cur Iſraëlitis interdictum fuerit 814.9
Coniugium cum infidelibus contrahere cur aliqui concedant 811.39.
Coniugium cum infidelibus contrahere, licere quidem, ſed non conducere 812. 6
Coniugium cum perſona aliena à religione Chriſtiana contrahere licere 811. 18
Coniugium cum quibus contrahendum 813. 24
Coniugium eſſe Dei ordinationem 908. 4
Coniugium impar 297. 46
Coniugium inæquale non eſſe immundum 188.26
Coniugium inæquale cur Paulus concedat, cum alias dicatur, Nolite ducere iugum cum infidelibus 188. 14
Coniugium infidelium eſſe legitimum 188. 52
Coniugium inſtitutum vt ſuccurratur infirmitati hominũ 192.18
Coniugium in vitijs nequaquam numerandum 612.1
Coniugium non quoduis, ſed impar, à Deo ad res terrenas abſtrahit 193.10
Coniugium non ſit intempeſtiuum 187.27
Coniugium omnibus conceſſum 908. 8
Coniugium Papale ſacramentum 510.47
Coniugium Papiſtæ falſo inter ſacramen-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cramenta noui teſtamenti numerant 438.57
Coniugium Papiſtæ inepte ex Pauli dicto damnant 598.7
Coniugium quale quærendũ 813.38
Ad coniugium quinam obligentur mandato diuino 185.43
Coniugium quomodo typus Chriſti & Eccleſiæ 438.34
Coniugium ſanctum 386.11
Coniugium ſitne res mala, quod, vt Monachi, orationem impediat 186.18
Coniugium ſoluere adulterium 438.26
Coniugium ſtulte interdici ſacerdotibus à Papa 571.22
Coniugium verum & legitimum nũ poſſit eſſe inter infideles 188.18
de Coniugum deſertione quid ſtatuendum 189.4
Coniugum diſcordia impedit preces 689.34
Coniugum mutua officia 439.14
Coniunctionis mutuæ inter maritum & vxorem auctor & conſeruator Deus eſt 214.35
Coniunctio ſanctorum inter ſe quibus rebus conſtet 741.45
Coniunx infidelis non dimittendus 190.1
Coniunx infidelis non eſt deſerendus 187.57
Conquiſitor ſeculi qui 158.45
Conſanguinitatis & affinitatis gradus certi lege naturæ prohibentur 175.28
Conſcientia alterius quomodo polluatur 211.20
Conſcientia bona in renatis quid 692.7
Conſcientia bona quomodo poſſit haberi, cum omnes ſimus peccatores 779.58
Conſcientia Dei 686.37
Conſcientia duplex 28.52
Conſcientia dubitante nihil agendum 139.27
Conſcientia dubitante quod fit, peccatum fit 197.27
Conſcientiæ bonæ conſeruandæ modus 593.2
Conſcientiæ bonæ definitio 913.36
Conſcientiæ bonæ fructus 779.39 & 913.44
Conſcientiæ cum arca vel naui cõparatio 592.11
Conſcientiæ definitio 28.46 & 779.31
Conſcientiæ & famæ bonæ neceſſitas 823.8
Conſcientiæ & fidei diſſidiũ 367.30
Conſcientiæ gaudium quomodo fouendum 766.41
Conſcientiæ iudicium 779.13
Conſcientiæ iudicium, diuinum 24.29
Conſcientiæ iudicium infallibile 28.39
Conſcientiæ malæ definitio 751.22
Conſcientiæ malæ fructus 913.53
Conſcientiæ nomen vnde 28.49
Conſcientiæ pollutæ pœna 592.1.16
Conſcientiæ puritas vnde exiſtat 745.2
Conſcientiæ quomodo purgentur 744.54
Conſcientiæ ſauciatæ quid medeatur 766.33
Conſcientiæ ſauciatæ quid opponendum 878.47
Conſcientia fidelium teſtimonia de Chriſto habet 793.6
Conſcientia fide purgata quomodo munda retineatur 780.10
Conſcientia hæſitante quod fit, peccatum fit 196.40
Conſcientia illæſa quantum bonum 253.57
Conſcientia mille teſtes 914.3
ad Conſcientiam bonam quæ requirantur 913.39
Conſcientiam cauterio notatam qui habeant 605 12
contra Conſcientiã nihil agendum 135.53
Conſcientiam quatuor modis retineri ſaluam & illæſam 796.42
Conſcientiam vaſtantes naufragium fidei facere 396.50
Conſcientiam teſtari hominibus legem naturaliter impreſſam 28.45
Conſcientia pacata 53.30
Conſcientia recte factorum veriſſima conſolatio 819.33
Conſcientia repugnante, errante aut hæſitante quod fit, peccatum eſt 211 25
Conſcientia teſtis factorum cuiuſq; 779.22.
Conſecrare quid ſit 566.26
Conſecrationis modus 605.57
Conſecratio ſacramentorum quomodo fiat 566.27
Conſenſus cur requiratur inter cõiuges 186.10
Conſenſus docentium quid Eccleſiæ conducat 302.32
Conſenſus doctrinæ 827.38
Conſenſus Prophetarum Chriſti & Apoſtolorum in doctrina & cultu 832.32
Conſenſus ſummus doctorum veteris Eccleſiæ 728.11
Conſilia Dei inſcrutabilia fidem noſtram non euertunt 122.12
Conſilia Dei plurima latent homines 121.43
Conſilia mundana quo modo euertantur 293.20
Conſilia quibus hoſtes Eccleſiæ nocere ſtudent, cauſſa exiſtunt ſæpe exoptatæ liberationis 2.44 & 3.30.33
Conſilium bonum alijs non denegandum 808.17
Conſilium Dei de reiectione Iudæorum & aſſumtione gentiũ, quare dicatur myſterium 119.27
Conſiliarij hominis boni itidem ſex 821.32
Conſiliarij mali ſex 820.54
Conſilium malum conſultori peſſimum 3.50
Conſolatio contra crucis ſcandalum 417.14
Conſolatio contra mundi contemtum 260.37
Conſolatio contra ſcandalum paucitatis amplectentium Euangelium 260.34
Conſolatio contra tentationẽ particularitatis 37.24
Conſolatio ex eo quod Chriſtus mediator dicatur 905.34
Conſolatio in ærumnis 398.20 & 495.41 & 514.23 & 844.14
Conſolatio in cruce 495.45. & 551.21
Conſolatio in morte 398.20 & 447.22 & 460.38 & 461.2 & 514.23. 639.41
Conſolatio in perſecutione 378.54
Conſolatio in perſecutionibus 628.33
Conſolationem ſeruire in ſalutem 251.54
Conſolationis diuinæ modi 251.14
Conſolatio opponenda contemtui & abiectioni 345.59
Conſolatio opponenda crucis acerbitati 352.9
Conſolatio opponenda dubitationi de gratia Dei 120.32

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Conſolatio opponenda morbis & morti 240.58
Conſolatio opponenda morti immaturæ 452.38
Conſolatio opponenda peccatorum tyrannidi 437.44
Conſolatio opponenda ſcandalis hæreſium & diſſidiorum 147.15
Conſolatio opponenda tentationi de magnitudine peccati 121.39
Conſolatio propter obitum amicorum 452.23 & 453.1
Conſolatio ſolida à Deo ſolo proficiſcitur 251.6
Conſolatio ſub cruce 482.23
Conſtantiæ commendatio 461.41 & 529.49 & 553.19 & 627.36
Conſtantiæ præceptum 573.50 & 627.36
Conſtantia in confeſſione quare non abijcienda 625.19
ad Conſtantiam in doctrina exhortatio 804.56
Conſtantinus Irenæ filius 800.1
Conſtantinus Quintus 799.50
Conſuetudo mala pabulum malitiæ 928.3
Conſuetudo publica tempeſtati violentæ ſimilis 110.1
Copulatio Chriſtianorū cum Chriſto arctior eſt quam mariti & vxoris 183.22
in Copia & inopia Deo ſubijciamur 485.2
Contemtores Dei qui ſint 541.55
Contemtui & abiectioni conſolatio opponenda 345.59
Contemtui mundi quid opponendum 949.33
Contemtus aliorum cauſſa 373.57
Contemtus aliorū prohibitio 658.15
Contemtus mundi animo æquo ferendus 173.17
Contentio 23.26
Contentiones 362.13.23
Contentionis omnis fons 948.1
Contentioſi qui dicantur 215.4
Continentia 368.20
Contingentiæ cōfirmatio, & prædeſtinationis Stoicæ euerſio 145.37
Contractum omnem licitum eſſe qui caritati proximi non aduerſatur 963.10
de Contractu quænam regulæ tenendæ 971.12
Contractus æqualis et legitimi fundamentum 954.22
Contractus ciuilis fundamentum 954.42
de Contractu ſocietatis quid ſtatuendum 973.22
Contractus pijs liciti 339.42
Contractus quinam conceſſi homini Chriſtiano 963.20
Contractuum ciuilium genera 954.53
Contractuum neceſſitas 954.9
Contradicendi ſtudij euentus 620.32
Contradictorias voluntates in Deo non eſſe 402.4
Contrahere per ſe non peccatum 951.47
Contritio quid ſit 940.9
Controuerſia Pauli cum Petro 329.10
Contumaciæ punitæ exemplum (207.16
Contumelia Dei tacitùs non ferenda 691.53
Contumelioſi 23.30
Conuerſatio cum hoſtibus religionis pacifica eſſe debet 190.14
Conuerſatio cum malis num omnis ſit vicioſa 808.39
Conuerſatio cum malis quando non ſit vicioſa 808.49
Conuerſationis cum malis triplex incommodum 807.43
Conuerſationis honeſtæ modus in quatuor 685.50
Conuerſio hominis ad Deum quanti æſtimanda 662.23
in Conuerſione quomodo ſe homo habeat 69.32
in Conuerſione donari homines nouis viribus 56.48
Conuerſionis certitudo quomodo probetur 530.40
Conuerſionis neceſſitas 672.24
Conuerſionis partes tres 560.22
Conuerſionis ſeu pœnitentiæ veræ exempla 560.29
Conuerſionis tres cauſſæ 468.20
Conuerſi ad Chriſtum ſacrificātur & dicantur Chriſto 146.33
Conuerſorum dignitas & officium 86.17
Conuiuia honeſta & ſobria non damnanda 435.22
Cordis motus cur duplices 28.51
Cor humanum aridæ ſtipulæ ſimile 576.7
Cor humanum hydræ Lernææ comparatum 34.52
Corinthij ad recipiendum excommunicatos admodum difficiles 258.44
Corinthij ingratitudinis inſimulantur 298.27
Corinthiorum ingratitudo adhærentium Pſeudoapoſtolis ſpreto Paulo 305.21
Corinthiorum verba de eſu Idolothytorum 195.58
Corpora humana corruptioni in hac vita obnoxia 240.45
Corpora impiorum non eſſe honorifice ſepelienda 241.5
Corpora in reſurrectione ſpiritualia 241.25
Corpora qualia ſint reſurrectura (240.15
Corpora ſanctorum cur honorifice ſepelienda 241.1
Corpore quomodo glorificetur Deus 184.41
Corporis Chriſti locatio corporalis in cœlis 396.13
Corporis Chriſti præſentia in cœna ſupernaturalis 514.4 & 566.10
Corporis & ſanguinis Chriſti participatione in cœna communicantes vniuntur Chriſto 209.23.28
Corporis & ſanguinis rei quomodo vtentes fiant 216.26
Corporis ferocia abſtinentia & laboribus prudenter cohercenda 202.46
Corporis humani imbecillitas ſignificata nomine tabernaculi 711.4
Corporis incolumitati in Eccleſia ſtudendum 125.44
Corporis mortalis & immortalis differentiæ 270.30
Corporum oblatio quid ſit 124.8
Corporum, quæ nunc habemus, & quæ in reſurrectione recipiemus diuerſus ſtatus 240.26.37
Cor pro appetitionibus 426.45
Corpus à peccatis purgandū 281.51
Corpus Chriſti edendi & ſanguinē bibendi non ſimilis modus omnibus temporibus 205.59
Corpus Chriſti nō phantaſma 466.24
Corpus Chriſti vlla ratione profanare, horrendum eſt ſacrilegium 209.42
Corpus domini diſcernere quid ſit 220.57
Corpus fidelium templū eſt ſpiritus (ſancti 184.13
Corpus immortalitati obnoxium ædificium dicitur 270.27
Corpus immortalitati obnoxium taber-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tabernaculum dicitur 270.23
Corpus pro adiuncto poſitum 85.45
in Corpus proprium peccare quid ſit 183.45
Corpus ſcortatione non eſt polluendum 182.40
Corpus ſubigendum & in ſeruitutem redigendum, ne ferociat 202.41
Correptio iuſta bono & grato animo accipienda 331.13
Correptionis Eccleſiaſticæ modus et finis 173.25
Correptio non damnatur dicto Iacobi 945.7
Correptio quomodo inſtituenda 331.14
Corruptionis remedium 59.25
Corruptores doctrinæ explorandi & fugiendi 147.1
Crapula & ebrietas Deo ſupra modum diſplicet 196.50
Crates quomodo educationem liberorum commendet 968.1
Creatio & παλιγγενεσία hominis per Chriſtum 499.30
Creationem per Chriſtum factam 498.41
Creationem rerum per Chriſtum factam 720.29
Creationis cauſſa efficiens, pater & filius 196.25
Creationis finis 499.22 & 605.30
Creatio omnium rerum per Chriſtum facta 832.44
Creatura cur vanitati ſubiecta 88.41
Creatura Dei quibus pura ſit, quibus impura 211.1
Creaturæ à vanitate liberatio 88.50
Creaturæ deſiderium 88.55
Creatura noua in Chriſto quomodo fiat homo, cum nulla ſubſtantia noua condatur 378.33
Creatura noua quid 378.41
Creatura nulla fruſtra condita 512.36
ex Creatura quomodo Deus innoteſcat 21.5
Creaturarum Dei abuſus 606.1
Creaturarum omnium peculiaris quidam finis 605.49
Creaturarum vſus 605.36
Creaturis quanta fiat iniuria ab impijs 651.20
Credentes ab obœdientia præſtanda non eſſe immunes 444.32
Credentes cur electi 683.49
Credentes Deo ſunt curæ 319.20
Credentes Deo placere 444.29
Credentes de vita æterna ſecuros tria facere 573.2
Credentes eſſe donum Dei 845.54
Credentes liberari à tyrannide diaboli 405.55
Credentes quomodo fiant filij Dei 345.41
Credentes quo vſque ſint domeſtici Dei 846.7
Credentes ſoli in Chriſto Domino poſſunt gloriari 476.7
Credentes triplex ius habere ad eundi vitam æternam 572.57
Credentibus in Chriſtum nullam eſſe condemnationem 81.4
Credentium dignitas 345.35 & 742.35
Credentium honor & excellentia 683.27
Credere in Chriſtum myſterium 603.29
Creditori num liceat paciſci vſuram 970.34
Cretenſium vicia 649.53
Criminationes Pſeudoapoſtolorum in Paulum 798.4 & 305.52
Criminationis allatæ contra Paulum refutatio 303.3
in Cruce ad Deum reſpiciendum 701.46
in Cruce animo infracto expectanda conſolatio 2.1
ſub Cruce animus non deſpondendus 901.29
in Cruce Chriſti gloriari quid 378.3
in Cruce Chriſtum habemus nobiſcum 629.1
in Cruce conſolationes 54.57 & 495.45 & 422.21 & 514.23 & 687.3 & 70.31
in Cruce conſolatio, ab Eccleſia roſæ comparata 1.13
ſub Cruce conſtituti ad potentiam Dei conſpiciamus 624.14
de Cruce cur pij glorientur 55.4
Cruce diabolus Eccleſiam ad defectionem ſollicitat 704.6
in Cruce & afflictione ſemper tria cogitanda 251.18
in Cruce Euangelij gaudendum 502.43
in Cruce ferenda quanta hominum imbecillitas 705.46
Crucem Chriſti falſo de lignea Monachos interpretari 378.5
Crucem eſſe glorioſam 15.9
Crucem honorificam 457.40 & 661.12
Crucem non eſſe ſignum irati iudicis 304.10
Crucem pios in hoc mundo vix effugere 701.35
Crucem quinam mitius ferre poſſint 891.17
Crucem ſeu humiliationem eſſe ad gloriam 842.17
in Cruce omnis generis conſolatio 500.41
ſub Cruce piorum quænam conſolatio 482.23
in Cruce præſentia & potentia Dei conſpectior 304.10
Cruce preſſi, ſpiritu exultemus 530.4
in Cruce quæ nos conſolari debeant 705.43
in Cruce quatuor ſpectanda 704.33
in Cruce quatuor conſideranda 766.52
in Cruce quonam reſpiciendum 628.10 & 889.12
in Cruce ſanctorum conſtantia 899.34
Cruce ſignantes ſe quando recte faciant 801.43
Cruci cur Eccleſia ſubiecta 45.14
Cruci & ſeruituti opponenda libertas ſpiritualis 190.53
Crucifigendi vocabulo cur vtatur Apoſtolus pro mortificandi 369.1
Crucifigi mundo quid 378.13
Crucifixio Chriſti cur extra portam facta 911.50
Cruci cur ſubiecta Eccleſia 607.13
Cruci opponenda ſpes certiſſimæ liberationis 127.32
Cruci piorum quæ opponantur 700.45
Cruci quid opponendum 645.8 & 760.1
Crucis cauſſa piorum 692.26
Crucis cauſſarum collatio 692.18
Cruci Chriſti finis 411.4

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Crucis Chriſti inimici qui 479. 27
Crucis dignitas 687.14
Crucis duo genera 901.40
Crucis effectus in pijs duplex 55. 29
Crucis & calamitatum cauſſæ 221. 9
Crucis & legis obœdientia in Chriſto differunt 107.36
Crucis ferendæ neceſsitas 901.31
Crucis figuram in templis Chriſtianorum erigi quando non ſit peccatum 801.39
Crucis figuram ſculptam vel pictam num habere liceat pio homini 801.29
Crucis finis 304.14 & 477.31 & 551.26 & 701.2 & 902. 6.26 & 925.2
Crucis liberatio 635.34
Crucis modus 687.18
Crucis neceſsitas in hac vita 551. 37 & 901.55
Crucis noſtræ & Chriſti diſcrimen 692.47
Crucis offendiculo quid opponendum 251.25
Crucis piorum effectus 923.21
Contra crucis ſcandalum conſolatio 417.15
Crucis ſignaculo cur plurimum tribuendum 801.46
Crucis ſignum cur imprimatur frõti ac pectori infantis dum baptizatur 801.40
Crucis vtilitates 252.51 & 502. 44 & 628.40.48 & 675. 45 & 902.23
Crucis vtilitas duplex 687.8
Crucis vtilitas quomodo ad ſalutem 251.48
in Crucis vtroque genere obœdientia, ſacrificium Deo gratum 304.25
Crux 627.21
Crux Chriſti ducis exemplo patienter ferenda 900.55
Crux comes confeſsionis Euangelij 624.10
Crux comes diligenter præſtiti officij 638.35
Crux comes Eccleſiæ 774.5
Crux confeſsionis comes 661.10
Crux cur animo inuicto ferenda 681.5 & 687.54 & 705.1
Crux cur diuerſos habeat effectus in pijs & impijs 55.25
Crux duplex 304.23
Crux Eccleſiæ vnde æſtimanda 902. 39
Crux fidei quoddam examen 534. 48
Crux fruſtra ſuſcipitur niſi quis in iuſticia perſeuerauerit 336. 10
Crux glorioſa cenſenda 251.40
Crux myrrhæ comparata 902. 36
Crux non impatienter ferenda 687.47
Crux occaſio fremitus in impijs 55. 24
Crux occaſio patientiæ in pijs 55. 21
Crux patienter ferenda 88.14
Crux Pauli duplex 782.46
Crux perpetua nota filiorum Dei 379.38
Crux perpetuo Eccleſiam comitatur 1.52
Crux pijs expectanda 635.41
Crux piorum & ſupplicia malignorum dupliciter differunt 701. 25
Crux piorum in duobus conſiſtit 700.49
Crux piorum ſpinis comparata 1. 23
Crux quando demum ſit ſalutaris futura 901.47
Crux quando Deo ſit accepta 686. 41
Crux quare mortificatio Ieſu Chriſti dicatur 268.14
Crux quid 901.11
Crux ſemper cum doctrinæ puritate coniuncta 377.36
Crux teſtimonium fauoris diuini 902.5
Crux vtilis 901.12
Culpa aliena qui pereant 197.29
Culpa quibus imputetur 319.54
Cultibus impijs pius nullus intereſſe ſalua fide & conſcientia poteſt 809.27
ad Cultum Dei verum omnia eſſe referenda 280.10
Cultus angelorum impius 511.23
Cultus Dei finem eſſe debere gloriam Dei 564.13
Cultus DEI functio Theologica 563.53
Cultus Dei idem nobis qui ſanctis patribus olim fuit 622.40
Cultus Dei materia cur mandatum Dei 564.2
Cultus Dei vel regnum Dei in quibus rebus conſiſtat 138.36
Cultus Dei verus ſumma hominis gloria 916.20
Cultus humana ſapientia excogitati tẽtationes Dei dicũtur 847.3
Cultus Papiſtici 564.38
Cultus rationalis qui dicatur 124. 2
Cultus ſanctorum impius 512.23
Cultus ſine verbo Dei inſtituentes, quadrupliciter peccare 513.1
Cultus verus Dei quid 650.38
de Cultu Dei catholica doctrina 891.41
in Cultu quolibet Dei tria concurrere oportere 563.57
Cupiditatibus frena non eſſe laxanda 22.35
Cura carnis 513.14
Cura familiæ Abrahamo non abijcienda 45.2
Cura profana in tribus errat 483. 23
Curæ commendatio 703.36
Curioſitas abijcienda 542.44
Curioſitas & inertia fugienda 578. 48
Curioſitas prohibetur à ſcriptura, oſcitantia & inertia non ſtabilitur 102.6
Curioſitatem humanam in examinandis diuinis myſterijs refrenãdam 676.58
Currere in incertum 202.35
Cyrophanes 799.7

D

DAEmonum non eſſe diuerſos ordines 446.33
Damnandi alij non ſunt 949.49
Damnandi aut iudicandi alios ius nemo ſibi vſurpare debet 136. 40
Damnandos non eſſe alios 945. 25
Damnatio multorum vnde exiſtat, cum Deus omnes ſaluos fieri velit 402.12
Damnationis cauſſa non in Deo ſed in hominibus 785.24
Damnatoriæ legis ſententiæ quomodo intelligendæ 718.52
Damnum potius accipiendũ, quam eo alij afficiendi 181.21
Dare pro permittere 115.37
Dauid exemplum veræ pœnitentiæ 939.53

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Dauidis & Pompeij collatio 450.36
Dauid, Samuel: Propheta 898.9
Debitum duplex 132.23
Decalogus 858.46
Decorum & ordo in Eccleſia ſeruanda 233.35
Defectio ab Eccleſia maximum peccatum 886.54
Defectio à fide 604.26
Defectione Dei in ſecundis rebus nihil procliuius eſt 692.29
Defectionem eſſe à Diabolo 358.4
contra Defectionem conſolatio 630.22
Defectionis à Chriſtiana religione propter vxorem Papiſticam exemplum 814.30
Defectionis à fide tempus 604.22
Defectionis exemplum 760.32
Defectionis pœna 629.7 & 718.35
Defectionis pœna mors æterna 763.27
Defectionis periculum 234.26
Defectionis ſcandalo quid opponendum 554.16 & 762.31
Defectores perpetua infamiæ nota dignos 626.23
Definitio ſacerdotij Chriſti 856.41
Dei affectus erga homines 594.24
Dei affectus paternus 575.5
Dei appellatio quarum rerum nos admoneat 496.10
Dei dona ſatis prædicari nequeunt 291.58
Dei ignorantia in iudicio Dei eſt inexcuſabilis 21.3.11
Dei immenſa philanthropia erga genus humanum 876.59
Dei iram de cœlo reuelari quid ſit 20.12
Dei manu vt fulciantur ſemper in hac vita homines indigent 155.56
Dei nomen cuius nos admoneat 538.53
Dei noticiam qualem Philoſophi habuerint 164.2
Dei oculos nihil effugere 852.14
Dei philanthropia 589.44
Dei potentia 575.3
Dei præſentia 520.44
Dei proprium 852.7
de Dei verbis & factis non diſceptandum 102.13
de Dei voluntate ex verbo reuelato, non ex humana ratione iudicandum 164.26
ad Dei voluntatem in omnibus actionibus reſpiciendum 137.31
Delectus ciborum Iudaicus infirmitas eſt 135.7
in Deliberationibus omnibus duæ conditiones obſeruandæ 950.13.
Delicti Adæ definitio 62.3
Delicta aliorum publice non traducenda 614.11
Delicta publice quomodo arguenda 614.8
Delicta ſolicite cauenda 371.49
cum Delinquentibus quomodo agendum 579.18
Demas 522.36
Demetrij laus 822.55
de Deo aliter quam de homine iudicandum 32.44
à Deo bona omnia ſalutaria proficiſcuntur 148.18
coram Deo caute & ſollicite ambulandum 604.35
Deo cur fides ſumma habenda promittenti aliquid 862.37
in Deo cur ſolo ſperandum 619.38
ex Deo eſſe, quid ſit 822.41
de Deo nihil niſi per ſcripturas reuelatum, inquirendum 122.1
à Deo niſi iuuemur, nihil poſſumus in ſalutis rebus 141.20
Deo non reſponſandum 102.4
Deo obœdiendum 63.6
Deo omnia ſubijci 213.19
Deprecatio iuſti efficax 980.55
Deo qui probentur 741.1
Deo quomodo attribuantur affectus & geſtus 429.20
Deo quomodo ſcriptura epitheta attribuat 393.36
Deorum multitudo apud Ethnicos vnde habuerit initium 799.23
Deo ſe ſubijcere quid 949.10
Deo ſine Chriſto diſplicemus 82.58
Deo ſoli omnia ſunt attribuenda 166.22
Deo toti addicti eſſe debemus 192.52
Deo vocanti mature obtemperandum 403.24
Deprauatio hominum pabulum ſcelerum graſſantium 24.33
Deprecationum piorum efficacia 253.11
Deſertionis cauſſa ſitne aliqua 189.12
à Deſiderijs carnalibus cur abſtinendum 684.43
Deum eſſe æqualem omnibus 42.14
Deum eſſe vnum 792.2
ad Deum in omnibus actionibus reſpiciendum 127.28
Deum mirabiliter ſuos ſeruare 895.26
Deum neminem vnquam vidiſſe 784.30
Deum non deſerere opus quod condidit 457.22
Deum non eſſe iniuſtum 33.24
Deum non eſſe προσωπολήπτην 18 12 & 27.33.35 & 90.18 & 110.6 & 121.11 & 401.48 & 516.24 & 520.6 & 589.55 & 671.47 & 909.15
apud Deum nulla eſt diſtinctio populorum 119.16
Deum opem petentibus ferre 576.40
Deum paterne erga nos eſſe affectum 506.4
ad Deum perfugium, in omni neceſſitate aſylum tutiſſimũ 483.45
Deum quinam habeant, qui non 410.2
Deum velle omnium ſalutem 504.47 & 594.39
Deum viuificare omnia 618.45
Deum vnum eſſe 594.41
Deus æqualis eſt omnibus 121.1
Deus προσωπολήπτης 678.3
Deus auctor omnis gratiæ 705.9
Deus certo præſtat promiſſa 32.43
Deus comparatus figulo 102.35
Deus cum dicitur iudex, quid conſolationis ex eo pij habeant 905.32
Deus cur æqualis ſit omnibus 110.9
Deus curam habet in ſe credentium 892.2
Deus cur daturus ſit præmia 27.16
Deus cur hominem peccati reum peragat 121.19
Deus cur lux dicatur 740.25
Deus cur miſerator 976.52
Deus cur miſericos dicatur 976.51
Deus cur pater miſericordiarum 251.3
Deus cur ſæpius parcat tyrannis 99.46
Deus cur viuens dicatur 104.44
Deus fons ſapientiæ 925.13
Deus gratiæ omnis auctor 675.3
Deus habet hominem in ſua manu ſicut figulus lutum 102.54
Deus immutabilis 708.9
Deus impium iuſtificans ſitne iniuſtus cenſendus 45.59
Deus inuiſibilis quomodo viſibilis reddatur in imagine Chriſti 497.35

Deus καρδιογνώϛης 98.1
Deus liberalis 925.14
Deus miſeretur omniam qui ad ſe confugiunt 101.37
Deus miſericors in obœdientes 99.33
Deus mitis & benignus eſt fidelibus 118.39
Deus nemini quicquam debet 122.34
Deus non eſt iniuſtus vnum reÿciens & alterum aſſumens, quia nemini quicquam ex debito, ſed omnia ex gratia dat 98.30 & 102.22
Deus non impellit ſed permittit 99.39
Deus non violenter indurat 103.45
Deus nouit omnia antequam fiant 122.48
Deus nullum creauit vt perderet 103.1
Deus num ſit idem omnibus 15.56 & 110.29
Deus num ſit iniuſtus aſſumens Iacob & reÿciens Eſau ſine merito 98.21
Deus num violenter induret aut ſaluet 103.41
Deus nunquid non ſit iniuſtus, conquerens de eo qui induratur, eumq́ puniens, cum Deus quem vult induret 101.51
Deus omnes cupit ſaluari 159.28
Deus pater, cur gloria Deus 393 31
Deus pater autor liberationis à morte & damnatione 79.58
Deus perſonam non reſpicit 444.58
Deus præſens vbiq; 852.12
Deus pro caritate ſua maxima multis medÿs vtitur ad alliciendos homines in ſuam familiam 150.29
Deus puniens peccatores, num ſit iniuſtus 33.9
Deus quem locum inhabitet 619.9
Deus quomodo apparare dicatur impium ad interitum 103.52
Deus quomodo dicatur concluſiſſe omnes ſub incredulitate 121.8
Deus quomodo exhortetur auditores 274.57
Deus quomodo innoteſcat ex creatura 21.5
Deus quomodo odio habuerit Eſau, tum ſcriptum ſit, Nihil odiſti eorum quæ feciſti 97.52
Deus quomodo ſit liberalis 924.54
Deus ſcutum Eccleſiæ 150.4
Deus ſemper ſui ſimilis 343.56
Deus ſeueritatem exercet in contumaces 118.34
Deus ſol Eccleſiæ 150.1
Deus ſolus καρδιογνώϛης 533.29
Deus ſolus immortalis 619.1
Deus ſolus princeps 618.55
Deus timendus 99.37
Deus vera cauſſa eſt & principium omnium 214.40
Deus verax 32.29
Deus vbi inueniatur, & vbi rite colatur 761.50
Deus vltor ſcelerum & contumaciæ 99.31
Deus vult ſalutem omnium 148.49
Dextera Dei qualis locus 514.1
Diaboli ἀρχαὶ 446.35
Diaboli & Pſeudoapoſtolorum collatio 296.56
Diaboli ἐξουσίαι 446.39
Diaboli κοσμοκράτορες 446.42
Diaboli lapſus quæ cauſſa fuerit 600.47
Diaboli quales hoſtes 446.49
Diaboli quales ſint artes 259.6
Diaboli ſtudium 445.53
Diaboli ſtudium in perdendis hominibus 299.26
Diaboli tela cur ignita 448.1
Diabolo cur permittat Deus humanum genus ſic perſequi & oppugnare 446.11
ex Diabolo eſſe quinam dicatur 770.11
Diabolo reſiſtere quid 949.12
Diabolum homines in peccatum præcipitare 371.23
Diabolum in perpetuis inſidÿs eſſe 703.48
Diabolum vincendi modus 703.56
Diabolus 821.28
Diabolus calumniator 820.11
Diabolus cur magis ſæuiat hoc tempore quam vnquam alias 928.19
Diabolus cur πονηρός 758.12
Diabolus leoni comparatus 703.53
Diabolus quibus modis tentet homines 928.9
Diaconatum pontificium in verbo Dei non eſſe fundatum 456.12
Diaconi nomen bifariam in ſcripturis ſumi 456.1
Diaconi qui dicantur 601.17
Diaconorum mores quales eſſe debeant 601.10
Diaconorum virtutes 601.50
Διακονεῖν pro erogatione eleemoſynarum 456.9
Διάνοια 426.41 & 797.33
Dicendi verbum tria continet 222.26
Διχοστασίαι 362.28
Dicti, Hic eſt filius meus dilectus &c. expoſitio ſecundum circumſtantias 711.25
Dicti Pauli abuſus 577.11
Dictis figurate in ſcriptura, explicatio plerumque ſubÿcitur 34.34
Dictum nullibi extans, à Paulo citatum 433.50
Dictum Pſal. 19. num de miniſterio poßit intelligi 112.25
Dictum Pſalmi, Filius meus es tu, ego hodie genui te, non de æterna filÿ generatione, ſed de manifeſtatione filÿ in carne quidam intelligunt 855.43
Dierum delectus aduentu Chriſti ſublatus 510.37
Dierum obſeruatio Chriſtiana diſfert à Iudaica 135.47
Dies cur mali dicantur 447.13
Dies domini quid 545.9
Dies humanus pro humano iudicio 170.57
Difficultatis cauſſa ignauia 857.18
Diffidentiæ carnali opponenda potentia Dei 394.24
Diffidentiæ & fidei imbecillitati quid opponendum 109.53
Diffidentiæ pœna 847.25
Diffidentiæ prohibitio 647.50
Dignitates à Dei ordinatæ non blaſphemandæ 725.39
Dignitates in honore habendæ 716.15
Dignitati perſonarum non cedendum cum de religione agitur 328.58
Dÿ participatione nominis qui dicantur 196.16
Δικαίωμα δικαίωσι 61.45
Δικαιώματα 875.30
Dilecti 516.48
Dilectio cur lex noua 372.55

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Dilectio Dei gratuita 13.38
Dilectio ex ſide vt regula ſequenda 133.16
Dilectio fraterna ex quibus cauſſis manet 679.12
Dilectio implet totam legem 132.48
Dilectio in ſpiritu 494.46
Dilectio mutua perfectionis vinculum 517.25
De dilectione Dei cur homines vſq; adeo dubitent 783.23
à Dilectione Dei fideles nihil ſeparat 92.10
in Dilectione includi omnia officia alijs debita 132.39
Dilectionem Dei & proximi arctiſſime inter ſe cohærere 788.57
Dilectionem Dei obſignat Spiritus ſanctus cordibus noſtris 56.3
Dilectione proximi carens, Deum non diligit 787.24
Dilectione incluſa eſt lex de mutuis officijs 133.14
Dilectionis abſolutiſſimum exemplar Chriſtus 776.48
Dilectionis Chriſtianæ cauſſa 431.1
Dilectionis commendatio 359.55 & 689.52 & 772.10 & 885.41
Dilectionis Dei cauſſa 787.21
Dilectionis Dei & proximi neceſſitas conſecutionis 787.6 & 788.35
Dilectionis Dei magnitudo 783.49
Dilectionis diuinæ teſtimonium 783.14
Dilectionis duplex genus 778.54
Dilectionis effecta 126.50
Dilectionis & electionis fundamentum Chriſtus 573.35
Dilectionis fraternæ neceſſitas 774.46
Dilectionis fructus 784.22
Dilectionis fructus inæſtimabilis 786.2
Dilectionis lex incluſam habet gratitudinem 525.30
Dilectionis mandatum 784.5
Dilectionis mandatum cur dicatur lex Chriſti 372.41
Dilectionis modus 784.16
Dilectionis mutuæ commendatio 741.50 & 782.38
Dilectionis mutuæ præceptum 500.20
Dilectionis neglectæ pœna 779.20
Dilectionis notæ ſeu propria 127.4
Dilectionis officia quæ impediant promoueantue 658.22
Dilectionis præceptum 754.40 & 783.1
Dilectionis rationem pleniſſimam in tribus conſiſtere 778.56
Dilectionis ſanctorum & non regeneratorum diſcrimen 494.49
Dilectionis veræ effectus 795.10
Dilectionis veræ indoles 776.50
Dilectio non ſit fucata 126.44
Dilectio num ſit meritum coronæ, cum ea promittatur diligentibus 926.36
Dilectio proximi ex ardente cordis affectu flat 516.50
Dilectio proximi quomodo ſit iuxta Paulum tota legis impletio 360.16
Dilectio quare ſit exercenda 126.58
Dilectio quarum rerum ſit teſtimonium 861.43
Dilectio quo in loco habenda 774.21
Dilectio teſtimonium præbet qualis quiſque ſit 759.55
Diligentiæ commendatio 644.11
Diligentia in vocatione benedictione ornatur 609.16
Diligentia quid 286.28
Diligere in veritate 816.3
Diligi Deum à nobis, quomodo ex amore proximi cognoſci poſſit 787.44
Diligi nos à Deo, vnde ſcire poſſimus 783.30
Diluuij aqua baptiſmi typus 694.40
Diluuium figura Baptiſmi 694.28
δημοκρατεία contra naturam 439.33
Diſcendi modus 608.44
Diſceptationum effectus 468.30
Diſciplinæ alicui tradendæ quænam ſit appoſita ratio 163.43
Diſciplinæ commendatio 489.42
Diſciplinæ Eccleſiaſticæ definitio 572.4
Diſciplinæ Eccleſiaſticæ partes 572.7
in Diſciplina Eccleſiaſtica quomodo delinquat Papa 572.15
Diſciplinæ liberales cur diſcendæ 636.23
Diſciplinam duo complecti 489.48
Diſciplinarum liberalium cognitio non abijcienda 169.27
Diſcipuli eſſe, præceptoris virtutes imitari 585.43
Diſcipuli optimi exemplum Timotheus 622.56
Diſcipuli profectum eſſe magiſtri gloriam 295.22
erga Diſcipulos paterno decet affici animo 144.17
Diſcordia doctorum quid noceat Eccleſiæ 538.8
Diſcordiæ mala 903.34
Diſpenſatio rerum cœleſtium qualis eſſe debeat 172.12
Diſputationes humanæ à Chriſto abducunt 511.44
Diſputationum furor ſæpe dicta trahit in alienum ſenſum 267.1
Diſſidia 362.28
Diſſidia vitanda 156.11
Diſſidij in vno eodemque homine ratio 78.15
Diſſidiorum effectus 360.29
Diſſidiorum & ſcandalorum autores ſtudioſe obſeruandi & fugiendi 146.55
Diſſidium affectuum & rationis 367.18
Diſſidium carnis & ſpiritus 367.23
Diſſidium conſcientiæ & fidei 367.30
Diſſidium in homine triplex 367.4
Diſſimulationis ſcandalum quænam mala ſecum trahat 809.51
Diſtinctio filiorum carnis & filiorum promiſſionis typo propoſita 98.10
Diſtinctiones rerum iuris diuini eſſe 132.29
Diſtinctio populi Iudaici in duos ordines 114.10
Diſtributio magiſtratus à Deo eſt 130.42
in Diuinarum rerum cognitionem ſine comparatione rerum humanarum non perueniri 69.37
Diuinitati Chriſti quinam ſe oppoſuerint 762.12
Diuinitatis Chriſti aſſertio 465.30

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Diuinitatis Chriſti teſtimonia 162. 17 & 196. 20 & 398. 27 & 415. 43 & 498. 30 & 707. 47 & 708. 21 & 723. 16 & 636. 40 & 737. 2
Diuites quinam condemnandi 950. 57
Diuites quomodo occidere pauperes dicantur 951. 31
Diuitiæ 925. 54
Diuitiæ Chriſti cur imperueſtigabiles 415. 17
Diuitiæ contemtæ ſed veræ 199. 28
Diuitiæ gratiæ in Deo 389. 36
Diuitiæ, nobilitas, potentia & ſapientia non ſunt cauſſa reiectionis, ſed abuſus 159. 54
Diuitiæ religioni conſeruandæ ſeruiant 953. 10
Diuitiæ Reſpub. iuuent 953. 28
Diuitiæ ſpecioſæ ſed falſæ 199. 26
Diuitiarum fiducia abijcienda 952 54
Diuitiarum legitimus vſus 953. 2
Diuitias habere per ſe non peccatum 951. 46
Diuitias hydropi ſimiles 759. 34
Diuitias temere non eſſe abijciendas 619. 27
Diuitijs ad ſui ſuſtentationem quomodo quis vti debeat 953. 50
Diuitijs egenos iuuemus 953. 59
Diuitijs qui abutantur 953. 13. 32
Diuitijs quomodo vtendum 619. 33. 48 & 952. 33
in Diuitijs ſuis plus quomodo affectus eſſe debeat 952. 42
Diuitum auaritia inexplebilis 951. 5
Diuitum crudelitas 951. 11
Diuitum iniuſtitia 951. 17
Diuitum pœna 951. 13
Diuortia propter cauſſas leues facere non licet 187. 39
Diuortia religionis prætextu non facienda 188. 1
Docendi doctrinam Eccleſiæ methodus 126 24
Docendi & diſcendi ratio abolebitur in futura vita 227. 24
Docendi muneris in Eccleſia magnitudo in duob. cernitur 580. 39
Docendi munus in Eccleſia difficile, & plenum periculis 580. 15
Docendi ratio quæ requirat 86. 24
Docens alios, ipſe quæ docet, faciat 198. 37
Docentes & diſcentes quomodo erga ſe mutuo affectos eſſe debeat 622. 20
Docentium ſeu miniſtrorum verbi officium 126. 22
Docere in Eccleſia quanta ſit dignitas 232. 50
Doctores 225. 40
Doctores aliorum interpretationes audire dicuntur 232. 21
Doctores falſi comparati brutis animalibus 716. 29
Doctores falſi nebulæ comparati 717. 54
Doctores falſi nocent blandiloquentia & aſſentatione 147. 24
Doctores falſi quibus rebus conferendi 717. 34
Doctores falſi ſimiles Caino 726. 4
Doctores falſos peccati ſeruos eſſe 718. 26
Doctores falſos pœnam non effugere 715. 55
Doctores moribus commendabilem faciant auditoribus doctrinam 909. 44
Doctores non quærant inanem vulgi applauſum 166. 42
Doctores officia mutua ſibi à diſcipulis polliceantur 144. 18
Doctores qui 42?. 41
Doctores quomodo à vera Eccleſia ſeipſos ſegregent 728. 21
Doctores veri audiendi & amanter amplectendi 147. 4
Doctores vita ſancta doctrinam non commendantes ſimiles architectis arcæ Nohæ 909. 48
de Doctoribus alijs atq; alijs non arroganter gloriandum 156. 40
Doctoribus non ad ſectas & factiones ſtabiliendas abutendum 166. 41. 58
Doctoris erga diſcipulos affectus 816. 24
Doctoris fides & conſtantia quid proſit Eccleſiæ 537. 16
Doctoris mores doctrinam commendare 577. 37
Doctoris vani deſcriptio 616. 44
Doctor ſpeculum honeſtatis ſit auditoribus 607. 39
Doctorum concordia quam ſit in Eccleſia neceſſaria 366. 28
Doctorum falſorum auaritia inexplebilis 717. 23
Doctorum falſorum deſcriptio 716. 39 & 727. 1
Doctorum falſorũ deſcriptio 727. 1
Doctorum falſorum horrendus erit interitus 110. 56
Doctorum falſorum imago Balaam 717. 23
Doctorum falſorum indoles 350. 44
Doctorum falſorum ingenium graphice depictum 474. 24
Doctorum falſorum vitia 727. 44
Doctorum falſorum pœna 717. 48 & 479. 36
Doctorum falſorum propria nota 147. 19 & 377. 52 & 605. 1
Doctorum falſorum ſtudia 713. 46
Doctorum præmia 240. 34
Doctorum tria genera Romæ Pauli tempore. 8. 54
Doctorum verorum & falſorum antitheſis 479. 46
Doctorum verorum & falſorum diſcrimen 782. 10
Doctorum in Eccleſia diſcrimina 608. 30
Doctorum verbi commendatio 364. 1
Doctrina alia quam Chriſti non recipienda 9'0. 28
Doctrina Chriſti ſimplex retinenda 506. 23
Doctrina cur ſana 649. 3
Doctrinæ certa forma tenenda 728. 36
Doctrinæ Chriſtianæ certitudo eſſe debet 710. 1
Doctrinæ Chriſtiani ſmi capita 858. 43
Doctrinæ cœleſtis corruptores pœnis ingentibus obrui 359. 42
Doctrinæ & Chriſti hoſtes cur neque ſalutandi 806. 31
Doctrinæ Euangelicæ certitudo 612. 8
Doctrinæ hoſtes non recipiendi 806. 8
Doctrinæ humanæ in locum verbi Dei non ſubſtituendæ 126. 9
Doctrinæ humanæ lignis, fœno & ſtipulis comparatæ 160. 7
Doctrinæ non cuiuis habenda fides 781. 28
Doctrinæ Paulinæ authoritas 13. 9
Doctrinæ Paulinæ certitudo 604. 14
Doctrinæ prauæ fructus 147. 4 & 649. 19
Doctrinæ probandæ ſunt, ſed ex analogia fidei 232. 24
Doctrinæ puritatem cum traditionibus humanis ſtare non poſſe 650. 30

Doctrina

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Doctrinæ puritas quomodo conſeruetur 728.27
Doctrinæ puritas tenaciter retinenda 358.28
Doctrinæ puritas vnde petenda 5.41
Doctrinæ puritatem ſemper crux comitatur 377.52
Doctrina quænam ſuſpecta habenda 604.52
Doctrinæ quouis vento non circumferamur 634.48
ad Doctrinæ rationem reddendam paratos nos eſſe decet quouis tempore 326.7
Doctrinæ ſanæ corruptio 638.13
Doctrinæ ſinceræ fructus 505.46
Doctrinæ ſinceræ inſidiæ ſtruuntur à Diabolo 147.7
Doctrinæ vtiles ſubinde repetendæ & inculcandæ auditorib. 474.13
Doctrina hominum 606.31
Doctrinam Apoſtolicam ad nos quoque pertinere 13.30
Doctrinam Eccleſiæ triplicem eſſe 589.1
Doctrina miniſtrorum verbi qualis eſſe debeat 659.48
Doctrinam nobiſcum communem amplectentes, ſincero caritatis affectu proſequamur 802.48
Doctrinã ſanam tenendam 625.35
Doctrina omnis abducens à Chriſto fugienda 553.44
Doctrina Pauli de Adiaphoris ad quos pertineat 136.22
Doctrina praua & hypocriſis abijcienda 178.1
in Doctrina pura quomodo conſtantes manere poſſimus 910.42
Doctrina quænam amplectenda 627.10
Doctrina quæ fugienda 659.38
Doctrina quando approbanda 232.27
in doctrina quatuor obſeruanda 608.21
Doctrina quot modis violetur 805.57
Doctrina ſana quæ ſit 616.40
Doctrina ſincera amplectenda, & vita innocens degenda 178.12
Doctrina vera comprobatione, noſtra confirmanda 706.6
à Doctrinis hominum cauendum 534.19
Δοκιμὴ & δόκιμον differre 55.42
Δοκιμάζειν ſignificare duo 29.35
Dolor de obitu amicorum aut cognatorum quomodo mitigandus 453.1
Doloris remedium 453.11
Dolor piorum & impiorum vt differat 543.12
Dolor quid 904.24
Dolus 23.26 & 531.25. & 680.38
Dominiorum diſtinctio non tollit Euangelium 180.24
Dominis duobus quomodo non ſeruiri poſſit 759.4
Dominorum erga ſeruos officium 444.46
Dominis quibus obœdiendum 686.8
Dominorum erga ſeruos qua eſſe affectio debeat 520.12
Dominorum piorum officium 445.11
in Domino ſtare 408.42
Dona cur manifeſtatio ſpiritus dicantur 223.6
Dona cur non ſingulis omnia collata 421.26
Dona Dei in alijs ſuſpicienda 622.51 & 623.9
Dona Dei in quem finem nobis conferantur 620.21
Dona Dei quomodo in nobis creſcant 623.33
Dona Dei ſatis prædicari nequeunt 291.58
Dona & vocatio Dei quomodo ſint ἀμεταμέλητα 120.29
Dona in Eccleſia referenda ſunt ad concordiam fouendam 222.45
Dona, miniſteria & operationes vt diſtinguantur 222.40
Dona nobis collata in aliorum commodum referenda 251.11
Donatiſtarum confutatio 750.25 & 258.26
Donatiſtarum error 749.49
Donatiſtarum negantium lapſis veniam refutatio 225.14
Doni & peccati differentia 60.42
de Donis Dei gloriari, & eos per quos ea dona accepimus contemnere, magna eſt inhumanitas 172.21
Donis Dei quomodo pie vtendum 207.58
Donis Dei quomodo vtendum 699.45
Donorum collatio ad quem finem pertineat 424.18
Donorum diuerſitas ad Eccleſiæ conſeruationem referenda 223.33
Donorum Eccleſiæ auctor Chriſtus 422.1
ob Donorum eminentiam non ſunt alij ſpernendi 173.5
Donorum & vocationis Dei qualitas 156.1
Donorum in Eccleſia diſtributio 125.56
Donorum Spiritus ſancti in Eccleſiam enumeratio 223.10 finis 223.3
Donorum varietas ad quid pertineat 424.22
Donum Dei 445.43
Donum & gratia quid differant 60.32
Donum & propagatio reatus vt differant 61.1
Donum negligere quid 609.1
Donum per gratiam quid 708.42
Donum pro iuſtitia Chriſti 61.8
δώρημα, χάρισμα & δωρεὰ differunt 60.36
Dorſi incuruatio de male ſibi conſcijs 116.2
Dubitatio cum ſit in omni homine, quomodo fides orantis poſſit eſſe ſine hæſitatione 926.38
Dubitationis Papiſticæ refutatio 54.42 & 891.21
Duces pro Apoſtolis & alijs doctoribus 909.38
Duplices animo 949.24
Duricies cordis non à Deo ſed ab ipſo homine eſt 26.10
Duricies & rigiditas in corripiendis peccatoribus reſipiſcentibus quid operetur 259.1
Δυνάμεις regni Chriſti 396.56

E

EBionis hæreſis 554.59
Ebrietas carnalis inſipientia 434.45
Ebrietas cur fugienda 434.50
Ebrietas quantum malum 647.35
Ebrietates 362.54
Ebrietati cur multi indulgeãt 239.21
Ebrietatis mala 362.55
Ecce particula quid ſignificet 29.14
pro Eccleſia ædificanda nulla pericula detrectanda 502.41
Eccleſia à Philoſophis vt diſcernatur 817.38
de Eccleſia articuli confirmatio 500.19
in Eccleſia ἀταξία fugienda 506.43

Eccleſia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Eccleſia catholica templum Dei 412.24
Eccleſia certo loco non circumſcribenda 905.20
Eccleſia Chriſti à diabolo eiuſque membris funditus extirpari nequit 5.30
Eccleſia Chriſti in hoc mundo roſæ inter ſpinas enatæ comparanda 1.13
Eccleſia Chriſti non ſit ſubiecta humanis conſilijs 169.45
in Eccleſia Chriſti quinam ſint 886.3
Eccleſia Chriſti vnica omnibus temporibus 206.16
in Eccleſia concordia fouenda 224.18
Eccleſia conſtat promiſcue ex Iudæis & gentibus 104.27
Eccleſia corpus συναρμολογούμενον 425.51 & 509.6
Eccleſia corpus συμβιβαζόμενον 425.47
Eccleſia corpus Chriſti myſticum 225.27
Eccleſia cruce probanda 888.41
ab Eccleſia deficientes quantum illi mali inferre poßint 640.35
Eccleſia debet miniſtris Euangelij defenſionem aduerſus hoſtes ſinceræ doctrinæ 245.42
in Eccleſia diuerſas functiones eſſe oportet 224.35
Eccleſiæ ædificatio, prædicatio Euangelij 413.39
Eccleſiæ calamitatibus affici debemus 888.36
Eccleſiæ ciues nauigantibus in mari ſimiles 582.4
Eccleſiæ communis ſors in hac vita 704.30
Eccleſiæ concordiam Deus cupit 225.14
Eccleſiæ conſeruandæ veræ ratio 5.38
Eccleſiæ conſolatio in medijs ærumnis 353.38
Eccleſiæ conſtitutiones quando cenſendæ ſint diuinæ 233.40
Eccleſiæ corpus in nihilum redigunt traditiones humanæ 512.7
Eccleſiæ decus plucre depictum à Dauide 199.44
Eccleſiæ decus & gloria 199.14
Eccleſiæ definitio 154.51 & 397.50 & 602.28 & 741.40
Eccleſiæ Dei deſcriptio 250.37 & 426.12
in Eccleſiæ deſcriptione quinam peccent 723.59
Eccleſiæ dignitas 166.18
Eccleſiæ diſtinctio vnde ſumta 447.19
Eccleſiæ doctrina perfectior ipſa Philoſophia 917.48
Eccleſiæ duratio & conſeruatio 827.44
Eccleſiæ & Chriſti coniunctio myſtica qualis 499.40
Eccleſiæ & Euæ collatio 296.55
Eccleſiæ & reliqui mundi diſcrimẽ 930.12
in Eccleſiæ externa ſocietate eſſe ſanctos & non ſanctos 739.37
Eccleſiæ fortuna eadem omnibus temporibus 634.51
Eccleſiæ fraternitas 704.9
Eccleſiæ fundamentum ſolus Chriſtus 412.2
Eccleſiæ hoſtes 739.12
Eccleſiæ hoſtes infami plerunque morte pereunt 4.2
Eccleſiæ hoſtium potentia 446.26
Eccleſiæ in media mundi ætate qua lis facies 114.27
Eccleſiæ inuicta firmitas 824.35
Eccleſiæ membra abiectiora fouenda 224.55
Eccleſiæ membra abiectiora, nihilo minus ad Eccleſiam pertinent 224.26
Eccleſiæ membra comparata membris corporis 223.40
Eccleſiæ membra duplicia 397.52 & 739.30
Eccleſiæ membra infimæ ſortis quomodo tractanda 224.14
Eccleſiæ membra etiam abiectæ ſortis quæ ſunt, ſuos habent vſus 224.7
Eccleſiæ membra mutuis commodis atq; incommodis affici decet 224.20 & 225.20
Eccleſiæ membra non carere vicijs 886.6
Eccleſiæ membra non eodem omnia funguntur munere 225.45
Eccleſiæ membra quæ ſint 512.5
Eccleſiæ membra qui cupiunt fieri, eos neceſſe eſt renaſci 151.24
Eccleſiæ membra quomodo tractanda 547.38
Eccleſiæ membra ſingula cur templum Dei 412.49
Eccleſiæ membrũ nullum contemnendum 224.11.46
Eccleſiæ membrorum variæ functiones 224.4
Eccleſiæ [illegible] liberationes 3.29.42
Eccleſiæ nam [illegible] ſcelerati cum ea [illegible] reprehenſibilis ſecundum [illegible] 437.10
Eccleſiæ omnia ſeruire debent [illegible].55
Eccleſiæ operam ſuã offerre quomodo non ſit improbandum 598.54
Eccleſiæ particulares aliæ alijs ſe præponere non debent 23[illegible].10
Eccleſiæ periphraſis 723.56
Eccleſiæ perſecutio quo in loco habenda 457.43
Eccleſiæ perſecutio ſignificata typo 353.22
Eccleſiæ perſecutor Cain 1.34
Eccleſiæ perſecutor diabolus 1.31
Eccleſiæ perſecutor Eſau 2.6
Eccleſiæ perſecutor Iſmaël 2.2
Eccleſiæ perſecutor Laban 2.6
Eccleſiæ precibus communibus omnes opus habent 575.58
Eccleſiæ precum pro miniſtris verbi vtilitas 663.38
Eccleſiæ propagatio in Aegypto 11.31
Eccleſiæ quanta beneficia à Chriſto capite conferantur 499.47
Eccleſiæ qui ordo 426.17
Eccleſiæ reditus in quatuor diſtribuendi partes 975.6
Eccleſiæ ſalus pluris facienda, quam propria vita 532.79
Eccleſiæ ſemper admixtos eſſe aliquos malos 577.16
Eccleſiæ ſtatus roſæ ſimilitudine deſcriptus 1.14
Eccleſiæ ſpes externa 687.11
Eccleſiæ ſtatus temporibus extremis qui ſit futurus 632.44
Eccleſiæ ſub cruce conſolatio 422.21
Eccleſia tota cur dicatur templum Dei 412.47
Eccleſiæ typus templi veteris ſtructura 681.26
Eccleſiæ veræ definitio 739.28
Eccleſiæ veræ & falſæ deſcriptio ex perſonis Caino & Abelo 772.52
Eccleſiæ veræ & falſæ exitus 773.49
Eccleſiæ veræ & falſæ fortuna 773.16
Eccleſiæ veræ & falſæ ſtudia 773.39

Eccleſiæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Eccleſiæ veræ notæ 602.34
Eccleſiæ virtutes neceſſariæ duæ 355.35
Eccleſiæ vnio cum Chriſto quomodo fiat 500.1
Eccleſiæ vnitas in quibus rebus falſo collocetur 424.39
Eccleſia ex Iudæis & gentib. 412.10
Eccleſia ex Iudæis & gentibus collecta qua virtute cohæreat 411.56
Eccleſia extra Chriſtum nulla 412.12
Eccleſia in ærumnis magis lucet ac illuſtrior efficitur 3.10
in Eccleſia grandiloquentiæ laus nō affectanda 165.13
Eccleſia in hoc mundo non alligata certo loco & ſucceſſioni 922.48
Eccleſia interdum ſpeciem præ ſe fert roſæ emarceſcentis 3.3 & 4.20 & 4.15.28
Eccleſia in terris hoſpitatur 905.18
Eccleſiam à Chriſto ſolo geſtari, & conſeruari 412.:3
contra Eccleſiam armis duplicibus impoſtores vtuntur 425.9
Eccleſiam caput eſſe corporis Chriſti 397.48
Eccleſiam Chriſti in quatuor conſiſtere 558.54
Eccleſiam Chriſti non poſſe ſubuerti ab hoſtibus 635.11
Eccleſiam crux perpetuo comitatur. 1.52 & 640.36 & 902.3
Eccleſiam cur mundus perſequatur 767.31
Eccleſiam dupliciter conſiderari 437.37
Eccleſiam eſſe etiam in eo cœtu in quo ſunt hæreſes 318.38.
Eccleſiam ex Chriſti ſanguine & martyrum falſò componunt Papiſtæ 157.12
Eccleſiam factionibus turbantes diuinitus puniuntur 169.8.
Eccleſiam gentium ex gratia eſſe aſſumtam 352.50
extra Eccleſiam nullam eſſe pro peccatis hoſtiam 886.25
Eccleſiam perpetuo manſuram 419.9
Eccleſiā poſſe labi & ſeduci 318.40
extra Eccleſiam qui ſint 426.10
Eccleſiam roſæ perſimilem eſſe probatur hiſtoria Eccleſiæ 1.21
Eccleſiam turbare factionibus ſcelus ingens eſt 169.6
Eccleſia naviculæ laceræ ſimilis 824.32
Eccleſia non biceps vt fingit Papa 397.31
Eccleſia non reijcit abiectæ ſortis homines 224. (22
Eccleſia non vacua omni næuo 437.
Eccleſiæ noui Teſtamenti conditio 912.5
in Eccleſia num ſint homines diuerſas habentes opiniones 713.40
Eccleſia nunquam caret preſſuris 2.36 (888.38
pro Eccleſia orandum 529.9 &
Eccleſia particularis domus pij hominis 661.24
pro Eccleſia pati cur ſe Paulus dicat 503.10
Eccleſia preſſa malis, incrementa ſumit 1.13 & 36. & 41 & 47 & 2.5.11.17.24.38.42.47.50 & 3.7.27.42.51 4.5.20.29.44. & 5.13.15
Eccleſia propter confeſſionem Chriſti varijs caſibus expoſita 91.56
Eccleſia quæ dicatur 212.1
in Eccleſia quæ non ſint docenda 36.51
Eccleſia quid 418.59
Eccleſiæ quo minus multi ſe adiungant, quænam impediant 150.15
Eccleſia quomodo à Chriſto vitam & ſpiritum accipiat 511.55
Eccleſia quomodo ſit ſancta & irreprehenſibilis cum non omni næuo careat 437.33
Eccleſiarum turbatores ſtipendiarij Satanæ 358.43
Eccleſia ſancta cur catholica 681.22
in Eccleſia ſingulis officia conferenda iuxta donorum analogiam 224.30
Eccleſiaſticæ poteſtatis qui finis eſſe debeat 294.8
Eccleſiaſtica cenſura tantummodo ad domeſticos Eccleſiæ ſe extendit 178.54
in Eccleſiaſtica politia dignitatis eminentia 213.14
Eccleſiaſtici iuris forma 258.37
Eccleſiaſtici ſtatus duæ partes 506.37
Eccleſiaſticorum bonorum raptores, ſeptimi præcepti reatu obſtringuntur 974.40
Eccleſia ſuperior euadit per Chriſtum 92.2
Eccleſia tentatur, vt probetur conſtantia eius 2.16
Eccleſiæ totius cura habenda 456.32
de Eccleſia vaticinium 352.45
Eccleſia vera cur nunc Iacob nunc Iſraël appelletur 773.32
Eccleſia vera quæ ſit 90.52 & 525.42 & 528.41
ἔχθραι 362.8
Educatio durior quid incommodi habeat 442.52
Educatio liberorum minime negligenda 488.42
Educatio praua quid habeat incommodi 967.44
Educatio quantum immutet naturam 488.29
Educatio ſit ingenua 519.24
Effectus in ſcriptura ſæpe tribuitur cauſſæ agenti ꝑpter aliud 602.51
ἐγκράτεια 368.20
εἰδωλολατρεία 361.58
εἰρὼν 365.25
ἐκνήφειν quid 239.15
Electi 516.45
Electio Dei non eſt ex operibus vel ſecundum opera, ſed libera 97.28
de Electione Dei quid ſentiendum 933.43.
de Electione vnde iudicandum 390.42
Electionem eſſe extra hominem 387.43
Electionem eſſe firmam & ratam 387.44
Electionem eſſe gratuitam 114.49 & 387.41
de Electione quæ non ſint cogitanda 934.18
Electionis conditio & euentus 672.24 (38
Electionis diuinæ teſtimonium 573.
Electionis cauſſa 670.39
Electionis euentus 673.7
Electionis circumſtantiæ ſex 670.17 (10
Electionis finis 673.40 & 674.
Electionis modus & fundamentum 672.11 (120.20
Electionis Stoicæ fatalis refutatio
Electionis tempus 670.21
Electio quid ſit 670.12
Electi quando demum dicamur & ſimus 388.2
Electi qui dicantur 115.17 & 529 36 (dicta 290.2
Eleemoſyna benedictio ab Apoſtolo

Eleemo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Eleemoſyna ciuilis quid 964.15
Eleemoſynæ conferendæ cauſſa 964.19
Eleemoſyna cur dicatur gratia 286.5
Eleemoſynæ dandæ cauſſæ 777.21.
Eleemoſynæ dandæ ordo qui eſſe debeat 963.50
Eleemoſynæ diſtinctio 964.3.5
Eleemoſynæ erogandæ fines 778.29
Eleemoſynæ modus 778.20
Eleemoſynæ neglectæ pœna 965.28
Eleemoſynæ piæ fines 965.3
Eleemoſynæ piorum quo in loco habendæ 290.25
Eleemoſynæ qui modus eſſe debeat 965.52
Eleemoſynæ ſine corruptione affectuum & perſonarum reſpectu diſtribuendæ 126.27
Eleemoſynæ ſunt debitum officium 144.37
Eleemoſynam conferentes habent ſe vt ſeminatores 290.16
Eleemoſynam dare quàm ſit actio laudabilis 518.5
Eleemoſynam non carere præmijs 290.44
Eleemoſyna non ex triſticia aut neceßitate proficiſcatur 290.41
Eleemoſyna oppoſita auaritiæ 290.6
Eleemoſyna optimus theſaurus 224.41
Eleemoſyna quænam ſit Deo accepta 290.22
Eleemoſyna quando abominabilis 960.50
Eleemoſyna quo animo præbenda 290.8.30 & 778.11 & 965.46
Eleemoſyna ſit hilaris & ſpontanea 290.40
Eleemoſynarum dandarum neceſſitas 963.34
Eleemoſyna ſpiritualis quid 964.5
ab Eleemoſyna vitia duo excludenda 965.42
de Eleemoſynis quæ tenenda 963.45
de Eleemoſynis quid ſentiendũ 285.45 regula 287.15
ἔλεγχος 891.11
ſub Elementis mundi eſſe, eſt ſub lege eſſe 346.52
Elementis perpetuo non inhærendum 857.28
Eliſabethæ fœcunditas 827.6
Eloquentiæ abuſus 157.56
Eloquentia 158.11 & 506 24
Eloquentia num prorſus ſit damnanda, vt Euangelio contraria 158.4
Emanuel 594.59
ἐμφύτευσις 973.13
Emtio 973.31
in Emtionibus & venditionibus qui nam peccent 955.50
ἐν pro διὰ 498.44
Enoch habuiſſe fidem 892.16
ἔντευξις 795.22
de Enochi morte quid ſtatuendum 893.54
Enthuſiaſmi damnatio 506.44 & 546.40
Enthuſiaſmos iactans ſpiritu Chriſti caret 623.49
Enthuſiaſtarum refutatio 260.12
Enthuſiaſtarum vocalem prædicationem reijcientium refutatio 110.58 & 112.2 & 260.12 & 274.42
Epænetus primus omnium in Achaia Chriſtum eſt amplexus 146.30
Epaphroditi commendatio 471.35
ἐπίβδαν quid Pindarus vocet 962.42
ἐπιχαιρεκακία 364.48
ἐπιχαιρέκακοι 808.5
Epicureorum prouerbium 238.51
Epigraphæ Paulinæ cur plerunque magnificis titulis ſint ornatæ 643.40
ἐπινίκιον ex fidei certitudine 909.21
Epiſcopis non congruere politica imperia 975.31
Epiſcopalis functio honeſta 598.57
Epiſcopalis muneris pars præcipua 645.50
Epiſcopatus qualis magiſtratus 455.39
Epiſcopi functio in quibus ſita 598.59
Epiſcopi mores 653.36
Epiſcopi labor, cur bouis labori comparetur 613.47
Epiſcopi hodie parochi & miniſtri verbi 455.49
Epiſcopis num politica poteſtas conceſſa, cum dicatur, Ecce duo gladij hic 975.45
Epiſcopi obiurgatio, quo ſpectare debeat 650.20
Epiſcopi officium quam late pateat 646.59
Epiſcopi ſiue miniſtri verbi virtutes 599.9
Epiſcopi virtutes 609.12
Epiſcopus à quibus rebus alienus eſſe debeat 702.33
Epiſcopus cur virtuti omnis generis ſtudere debeat 653.54
Epiſcopus in doctrina morum ſit ſedulus 652.35
Epiſcopus quam doctrinam vitare debeat 606.26
Epiſcopus ſit vitæ inculpatæ 600.53
Epiſcopus vnde dicatur 599.1
Epiſtolæ ad Ebræos auctorem eſſe Paulum non eſſe credibile 915.5
Epiſtola ad Ebræos qua lingua ſit ſcripta 830.18
Epiſtolæ ad Ebræos qui ſit auctor 830.1
Epiſtola Iacobi cur catholica dicatur 921.54
Epiſtolæ Paulinæ etiam ad nos pertinent 522.48
Epiſtolæ Petri quanta cum reuerentia legenda 669.33
ἐπισυναγωγὴ 886.1
de Epitheto ſpiritualis, quam variæ ſint autorum ſententiæ 205.3
Eraſmi reprehenſio 61.27
ἔρεις 362.13
ἐριθεῖαι 362.23
Errantes quomodo in viam reuocandi 610.17
Errantes ſeuerius à miniſtris verbi obiurgandi 334.55
Errata aliorum tegenda 381.15
Errata iuris in rebus externis, num punire excommunicatione liceat 177.22
Error Cherinti 781.57
Error Ebionis 781.57
Error Fotinianorum 781.58
Error Manichæorum 781.57
Error in ſpecie leuißimus totam doctrinam inficit 358.15
Errores mutui oſtendendi 331.12
Error ne minimus quidem pacis gratia admittendus 358.27
Error Papiſtarum 781.59
Error Pelagianorum 781.59
Error vel ignorantia coram Deo neminem excuſat 770.18
Eſau neglectus à Deo fuit, non damnatus 98.16
Eſau perſecutor Eccleſiæ 2.6
Eſau quomodo Iacob ſeruijſſe dicatur 97.31
Eſaui reprobatio 904.9
Eſt per ſignificat, recte exponi in loco de cœna Domini, ſed non ad ſa-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ad ſacramentalem locutionem transferatur 206. 29
ἐθελοθρησκείᾳ 892. 31 & 911. 36
ἐθελοθρησκείαι hominum euertuntur vnico Pauli dicto 139.40
Ethnicorum facta quomodo Deo placuerint 564.10
Et pro enim 769.7
Euæ & Eccleſiæ collatio 296.55
Euangelicæ certitudinis teſtimonia 791.49
Euangelicæ patefactionis tempus 390.47
Euangelicæ prædicationis finis 708. 25
Euangelicæ prædicationis tempus, beneplaciti tempus eſſe 276.50
Euangelica prædictio 29.4
Euangelicorum beneficiorum cauſſa efficiens 765.23
Euangelij annunciatio gratuita 669.39
Euangelij author Deus 18.14
Euangelij autoritas à Deo 534. 18
Euangelij beneficia 15.29 & 550. 36
Euangelij beneficia fide accipienda 18.18
Euangelij beneficia quomodo accipiantur 416.26
Euangelij beneficia ſpiritualia 387. 13
Euangelij beneficiorum ſumma 707.54 & 765.25
Euangelij beneficiorum quo medio reddamur participes 250.48
Euangelij beneficium quomodo hominibus applicetur 938.54
Euangelij beneficium vniuerſale 112.46
Euangelij beneficium 938.53
Euangelij breuiſſima ſumma 234. 40
Euangelij carentia quid noceat 803.3
Euangelij cognitio quid fructus afferat 461.14
Euangelij commendatio 506.11 & 625.7 & 732.5
Euangelij commendatio à cauſſa & antiquitate 148.37
Euangelij commendatio quibus locis conſtet 13.41
Euangelij confirmatio quomodo facta 529.45
Euangelij contaminatores ſunt Deo abominabiles 321.9
Euangelij contemtus fructus malæ conſcientiæ 592.14
Euangelij corruptores de Eccleſia eiecti ſunt 919.4
Euangelij crediti fructus ſalus animarum 159.4
in Euangelij curſu cœpto non deficiendum 202.19
Euangelij curſus cur in quibuſdam regionibus ſæpenumero impediatur 557.45
Euangelij curſus felix diuinitus contingit 324.50
Euangelij curſus felix in precibus piorum ſitus 520.53
Euangelij curſus non impediendus 201.51
Euangelij curſus vitæ propriæ præferendus 200.40
Euangelij curſus vnde impediatur, nihil tentandum 200.27
Euangelij definitio 148.34 & 274.38 & 325.16 & 559. 58 & 670.30 & 928.51
ex Euangelij definitione Papiſtica quæ abſurda colligantur 562. 17
Euangelij dignitas 529.1 & 297. 9
Euangelij dignitas & neceſſitas 414.26
Euangelij dignitas ex collatione eius ad legem 263.40
Euangelij dignitas maior quam legis 264.7
Euangelij doctrina conſtans & immota 255.9
Euangelij doctrina cur lac dicatur 165.31
Euangelij doctrina quando dicatur ſolidus cibus 165.32
Euangelij doctrinam non eſſe nouam 676.32
Euangelij doctrinam ſuperare captum humani ingenij 162.38
Euangelij duplex officium 260. 37
Euangelij effectus 296. 43 & 390.8 & 534.23
Euangelij efficacia ſpiritualis 335. 50
Euangelij eminentia ſupra legem 905.9
Euangelij & legis diſcrimen 18.20 & 476.51 & 469.37 & 494. 11 & 655.15
Euangelij finis qui ſit 265.45
Euangelij fons 260.14
Euangelij fructus gratia Dei 148. 10 & 155.38 & 234.25 & 411.33 & 447.49 & 644. 35
Euangelij hoſtes quomodo vincendi 461.52
Euangelij gloria 906.10
Euangelij gratia non pendet ex prærogatiua hominum 112.49
Euangelij hoſtes quinam ſint 461. 48
de Euangelij hoſtibus ante extremum halitum non deſperandum 322.58
Euangelij ignaros ſtultos eſſe habendos 685.32
Euangelij luce orta pie & honeſte viuendum eſt 133.50
Euangelij lux quibus nondum ſatis illuxit, quomodo cum ijs agendum 478.33
Euangelij maieſtas quanta 320. 34
Euangelij materia 234.30
erga Euangelij miniſtros, quomodo affectos auditores eſſe deceat 282.54
Euangelij materia 15.2
Euangelij myſterium quodnam 414.13.20
Euangelij myſterium quomodo reueletur 414.22
Euangelij naturam quodammodo contrariam eſſe grandiloquentiæ humanæ 161.2
Euangelij neglecti pœna 839.41
Euangelij nomine qui affliguntur, quæ officia ijs debeantur 662. 30
ſine Euangelij noticia homines omnes in damnatione hærent 159. 4
Euangelij noticia in quo conſiſtat 427.35.43
in Euangelij noticia ſola ſalus 260. 28
Euangelij obiectum quodnam 494. 7 & 504.16 & 737.39
Euangelij officium 391.55 & 411. 13
Euangelij patefacti cauſſa 390.40
Euangelij patefacti fines 390.58
ad Euangelij perfectionem non requiritus Moſaicos 669.42
Euangelij præcipua beneficia 250. 44
Euangelij prædicatio comparata nutricationi puerorum 165.26
Euangelij prædicati culpa non eſt, quod multi pereant 266.39

Euangelij prædicati finis 148.45 & 739.1
Euangelij prædicatio 494.1 & 858.48
Euangelij prædicatio ad ſceleratos non pertinet 589.24
Euangelij prædicatio ad tria ordinatur 718.46
Euangelij prædicatio certamen 639.10
Euangelij prædicatio certiſſimum dilectionis Dei teſtimonium 13.39 & 413.40
Euangelij prædicatio conſtans & firma eſt 255.1
Euangelij prædicatio diuerſorum effectuum eſt 260.44
Euangelij prædicatio eadem omnibus temporibus fuit 849.47
Euangelij prædicatio, Eccleſiæ ædificatio 413.39
Euangelij prædicatio eſt ſapientia Dei 159.28
Euangelij prædicatio fidem requirit 181.57
Euangelij prædicatio humilis ſermone proponenda 161.34
Euangelij prædicatio in maiorem condemnationem cedit impijs 260.30
Euangelij prædicatione Deus nos fulcit 148.30
in Euangelij prædicatione duo proponi 260.52
Euangelij prædicationem non eſſe fortuitam 457.9
ad Euangelij prædicationem omnes vocantur 148.49
Euangelij prædicationem palam proponendam 625.3
Euangelij prædicatione non laxantur frena cupiditatibus 73.27
Euangelij prædicatio vbi non eſt, ibi damnatio 18.18
Euangelij prædicatio vino comparata 849.54
Euangelij prædicationis ſcopus 708.47
Euangelij prædicatio non ſit in perſuaſorijs humanæ ſapientiæ ſermonibus 161.28
Euangelij prædicatio ſine Deo aſpirante conatibus laborantium nihil prodeſt 166.32
Euangelij prædicatio ſpiritualis cuiuſdam eſt virtutis 161.32
Euangelij prædicatio ſtulta eſt iudicio mundi 158.59
Euangelij prædicatio vniuerſalis 17.38 & 18.17 & 411.19
Euangelij propagatio opus diuinum 529.8
Euangelij pugnantia 322.33
Euangelij puritatem non retinentes Chriſtum inconſtantiæ inſimulant 255.5
Euangelij puritatem turbare quam ſit periculoſum 355.18
Euangelij quanta dignitas 274.45
Euangelij qui non ſint capaces 163.52
Euangelij reuelati cauſſa 503.42
Euangelij reuelationis modus 148.43
Euangelij reuelatio quomodo contingat 162.58
Euangelij ſapientia extra humani ingenij comprehenſionem poſita eſt 163.12
Euangelij ſermo recte ſecandus 351.38
Euangelij ſincera prædicatio & aſſenſus cultus eſt Deo gratiſſimus 143.6
Euangelij ſpes 502.22
Euangelij ſumma 19.8 & 309.13 & 318.51 & 319.18 & 675.11 & 724.4 & 802.54 & 915.25
Euangelij veritas 792.12
ad Euangelij veritatem recto pede accedere quid ſit 330.4
Euangelij vtilitas 35.33 & 3.13
Euangelij vocatio gratuita 320.6
Euangelio aduerſantes doctrinæ, omnes fugiendæ 390.23
Euangelio digne viuere quid 461.33
pro Euangelio dura ferre non recuſandum 888.21
Euangelio inobœdientes à Chriſto punientur 840.40
ſine Euangelio iuſticia Dei qua homines ſaluantur abſcondita 18.41
Euangelio nec addendum quicquã nec detrahendum 16.1
ab Euangelio nemo ſe patiatur auelli 416.58
ab Euangelio non deficiendum propter aduerſariorum multitudinem 245.26
Euangelio obœdiendum 847.31
pro Euangelio pati aut non pati, non eſſe liberi arbitrij 462.25
pro Euangelio pati gratia Dei 462.19
pro Euangelio pati ſumma gloria 502.50
Euangelio reuelari gratiam Dei 390.17
Euangelio ſapientiam perfectam contineri 390.20
Euangeliſtæ qui fuerint 423.26
Euangeliſta qui dicatur 638.39
Euangelium à lege differt fine 263.2
Euangelium aliud quam Chriſti prædicans, anathema 320.22
Euangelium audientes vel legentes quid cogitare debeamus 13.42
Euangelium audientes non omnes credunt Euangelio 3.44
Euangelium Chriſti additamentis adulterinis contaminare abominabile 320.36
Euangelium culturæ terræ ſimile 861.6
Euangelium cur Apoſtolus ſuum vocet 29.5 & 148.31
Euangelium cur bonum dicatur 138.15
Euangelium cur definiatur prædicatio pœnitentiæ 260.41 & 560.15
Euangelium cur dicatur ſapientia Dei in myſterio abſcondita 162.8
Euangelium cur glorioſum habendum 17.56
Euangelium cur miniſterium ſpiritus dicatur 263.48
Euangelium cur myſterium 148.40 & 390.25 & 503.28 & 506.2
Euangelium cur myſterium abſconditum 18.44
Euangelium cur nouum mandatũ 756.16
Euangelium cur odor mortis ad mortem 106.15
Euangelium cur per malos interdum annuncietur 459.51
Euangelium cur pro ludibrio à quibuſdam habeatur 17.49
Euangelium cur tam pauci amplectantur 163.50
Euangelium cur verbum vitæ 469.33
Euangelium de Chriſto toto vitæ huius curriculo diſcendum eſt 161.14
Euangelium de gratuita iuſtificatione non eſſe doctrinam nouam 340.14

per Euan-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

per Euangelium Deum innoteſcere 506.4
Euangelium de vocatione gentium cur myſterium 414.2
Euangelium diſtinctum genus à Philoſophia 17.41
Euangelium diuerſiſſimum omnino eſſe à ſapientia mundi 161.7
Euangelium docere & diſcere cultus Dei ſpiritualis 16.33
Euangelium doctrina arcana 170.44
Euangelium eſſe doctrinam vniuerſalem 669.41
Euangelium eſſe myſterium rationi ignotum 413.58
Euangelium eſſe prædicationem vniuerſalem 560.4
Euangelium eſſe ſapientiam æternam 161.59
ad Euangelium gentes decreto diuino vocatas 13.29
Euangelium inſtrumentalis cauſſa ſalutis 18.15 & 389.56
Euangelium iuditio ſapientum huius mundi non ſubijciendum 161.56 (264.4
Euangelium miniſterium iuſticiæ
Euangelium non ab hominibus profectum 321.59
erga Euangelium nondum edoctos qualiter affecti eſſe debeamus 106.59
Euangelium non eſſe doctrinam nouam 148.39 & 415.35. & 670.35
Euangelium non eſſe in legem transformandum 162.44
Euangelium non ſubiectum decretis hominum 322.1
Euangelium non tollere gradus perſonarum 616.18
Euangelium num ſit lex noua 373.6
Euangelium pleniſſime voluntatem Dei de ſalute per Chriſtum obtinenda reuelat 832.32
Euangelium prædicandum per vniuerſum orbem 554.3
ad Euangelium prædicandum promtiſſimi ſint miniſtri 17.42
Euangelium quænam requirat 458.7
Euangelium qualiſnam ſit ſapientia 162.2
Euangelium quanta bona afferat 111.20
Euangelium qua ratione interficere dicatur 263.36
Euangelium quare Iudæi calumniabantur & reijciebant 14.2
Euangelium quare ſtulticia dicatur 158.25
Euangelium quibus ſit ſalutare 159.19
Euangelium quid conuerſis offerat 560.40
Euangelium quinam contumelia afficiant 461.36
Euangelium quodnam Eccleſia Chriſti complectatur 559.53
Euangelium quomodo ad pœnitentiam inuitet 64.56
Euangelium quomodo à Papiſtis definiatur 562.13
Euangelium quomodo innotuerit 162.47
Euangelium quomodo ſalutare nobis reddatur 849.57
Euangelium quomodo ſalutem afferat credenti 18.26
Euangelium quomodo ſalutem omnibus offerat 721.22
Euangelium quomodo ſit per Prophetas traditum 14.6
Euangelium quo ſtudio quiſq; prædicet 459.25
Euangelium ſalutarem Dei noticiam ſolum parit 159.3
Euangelium ſalutis 392.24
Euangelium ſalutis humanæ inſtrumentum 276.53
Euangelium ſalutis nomine ſignificatum 839.45
Euangelium ſemen immortale 679.42
Euangelium ſermo veritatis 392.22
Euangelium ſtudioſe cognoſcendum 494.14
Euangelium typus nouorum hominum formandorum 69.29
Euangelium veritatis confirmatio 711.9
ad Euangelium vocatio gratuita 13.31
per Euangelium vocatos eſſe electos 669.56
Euentus futuri in manu Dei poſiti 245.13
Eutychiani iuſtiſſime damnati 798.13
Eutychianorum refutatio 318.26
Eutychis error 396.17
Exæquatio Iudæorum & gentium 30.52
Exæquatio omnium hominum 120.58
Exæquatio omnium quod ad peccatum 37.27
Exæquatio populi veteris & noui Teſtamenti 849.50
Exultationis Chriſti vtilitas 234.35
ἐξαπατᾶν 75.29
Exauditionis modus duplex 794.50
Exauditionis tempus certum Deo non præſcribendum 794.50
Excæcatio & obduratio verbi contemti iuſtiſſima pœna 116.6
Excidere Dei gratia quando contingat 118.45
Excommunicati cur dicantur tradi Satanæ 846.2
Excommunicatio eſt regnum Satanæ 175.55
Excommunicationis finis 177.45
Excommunicationis finis qui eſſe debeat 176.33
Excommunicationis fulmen quando non noceat 176.28
Excommunicationis modus 176.11
Excommunicationis virtus tota ex verbo Dei dependet 176.25
Excommunicatio num ſit neceſſaria, vbi quis præſidet Magiſtratus 177.10
Excuſatio coram tribunali Dei nulla eſſe poteſt 905.2
Exempla cœlibatus negligentis quæ ſunt Dei 193.15
Exempla coniugum curantium quæ ſunt Dei, non quæ mundi 193.19
Exempla honeſtatis duo docent 816.49
Exempla in doctrina quæ imitanda 625.38
Exempla maiorum quomodo imitanda 623.18
Exempla mala quantum noceant 910.4
Exempla ſanctorum, doctrinæ quaſi quædam obſignacula 591.7
Exempla ſanctorum quomodo imitanda 331.16
Exempla ſummorum magis nocent 329.55
in Exemplis quid ſequendum fugiendúmue ſit 820.36
in Exemplis ſanctorum quæ ſpectanda 862.10
non Exemplis ſed legibus iudicandum
Exemplo ciuili cur Paulus vtatur loquens de peccato & iuſtitia

ſticia 69.34
Exemplorum ſcripturæ vſus 406.10
Exemplorum vis maxima 332.22
Exemplorum vſus 900.33
Exercitia corporalia quid commodi habeant 606.56
Exercitia neceſſaria Chriſtianorum quæ 357.47
Exhortatio mutua quando fieri debeat 848.1
Exhortatio mutua quot modis fiat 847.58
Exhortatio quæ comprehendat 608.11
Exhortationis mutuæ commendatio 847.53
Exhortationis mutuæ finis 848.8
ἐξουσία Chriſti 396.52
Expiatio peccati 743.47
Exterminatio de populo Dei duplex 204.33
Extranei qui 600.57
ἐυχαριςία 431.27
ἐυχαριςικὸν 854.31
ἐυοδοῦσθαι 116.10
ἐυδοκία quid 108.57 Dei quæ 90.16
ἐυλογία quid 147.28
ἐυφημία 516.4
ἐυταξία Eccleſiaſtica præceptum Dei eſt 233.14

F

FAbulæ in Theologia 650.23
Fabulæ Paulo quæ ſint 586.32
Facere peccatum quid 77.35
Facinoribus communicare quid 433.2
ad Factum quodlibet tria requiri 262.48
Fallendi via 350.45 & 553.26
Fama bona 484.17
Famæ honeſtæ ſtudendum 823.6
Famam negligentes crudeles ſunt 288.20
Familiæ cura homini renato non abijcienda 45.2
Familia in mundo duplex 845.57
Faſcinare quid 335.1
Faſcinum ſpirituale 335.12
Faſtuoſi 633.6
Faſtus vitæ 759.37
Fatalibus decretis quid opponendum 388.20
Fatalis neceſſitas ſeu Stoica prædeſtinatio explodenda 90.57
Fatalia ſomniantes quid damnident 399.4
Fatalis terminus num recte ex verbis Hiobi poſſit elici 441.31
Fati refutatio 253.27 & 441.5 & 913.23
Fatum Stoicum falſo Iudæ dicto ſtabilitur 724.40
Fauoris Dei erga veterem populum indicia 203.31
Felicitas omnis à Deo 319.17
Felicitas hominis 501.49
Felicitas vera quæ ſit 172.36
à Felicitate ſumma ad ſempiternã miſeriam gradus 847.35
Felicitatis perpetuæ vſus triplex 759.58
Fermentum pro morum corruptione & hypocriſi 177.54
de Feſtis Chriſtianorum quid ſentiendum 510.46
ex Fidei aliquid facere quid ſit 139.33
Fidei benedictionem ſpiritualem accipi 342.4
Fide beneficia Chriſti amplectenda 243.40
Fide Chriſti homines iuſtificari 342.30
Fide Chriſti tantum iuſtificari homines 335.31.41
Fide Chriſto inſerti ſpiritu eius agitantur 165.27
Fide Chriſtum pij poſſident 155.17 & 575.3
Filiæ cur elocandæ, quæ ſe continere nequeunt 194.21
Fide deſtitutos impios eſſe 20.6
de Fide dictum Bernardi memorabile 52.38
de Fide duo obſeruanda 49.28
ex Fide eſſe quid 339.54
ex Fide eſſe & ex Lege eſſe opponuntur 49.57
in Fide & cognitione Chriſti quotidie creſcendum 794.18
Fide fieri homines participes victimæ Chriſti 342.28
Fide flagitioſe viuentes carere 363.32
Fide gentes recipiendas 897.35
Fide gratiam adepti debent obœdientiam Deo 281.26
Fide homines iuſtificari 336.16
Fidei adiuncta bona opera 44.53
Fidei adiunctum noua obœdientia 942.10
Fidei carentia quid noceat 63.40
Fidei certamina propoſita 888.18
Fidei Chriſtianæ proprietas 794.12
Fidei cognata caritas & ſpes 227.27
Fidei communicatio quæ dicatur 661.47
Fidei communis effectus 644.32
Fidei conditiones 51.27 & 52.10.21
Fidei confirmatio 670.33
Fidei definitio 885.28
Fidei definitio ex Paulo 51.12
Fidei definitio integra 52.31
Fidei definitio Papiſtica falſa 418.8
Fidei differentias pendere ex promiſſionibus 51.23
Fidei differentiæ ab ipſis ſubiectis 51.39
Fidei dignitas 155.57 & 234.47 & 344.13 & 502.20 & 682.34 & 897.28
Fidei exempla 891.33 & 893.10 & 896.24
Fidei doctrina ſupra omnem ſapientiam humanam poſita 601.27
Fidei duo effecta 142.27
Fidei duo tribuuntur iuſticia & ſalus 109.16
Fidei duplex obiectum 536.21
Fidei effectus 19.31 & 53.30.52 & 54.19.33.48 & 28.58.10 & 894.46 & 903.11
Fidei efficacia in vincendo diabolo 703.59
Fidei eſſentialis definitio 890.39
Fidei eiuſdem homines ex æquo omnes amplectendi 325.43
Fidei & conſcientiæ diſſidiũ 367.30
Fidei & Euangelij certitudo 792.20
Fidei & inuocationis finis 110.20
Fidei & Legis contrarias eſſe vias 19.38
Fidei & timoris initia habentes non reijcientur à Deo 135.24
Fidei examen fit cruce 729.43
Fidei excellens effectus 896.55
Fidei finis 467.27
Fidei finis ſalus 109.47
Fidei fructus 729.38 & 796.45 & 770.15
Fidei fulcrum 16.59
Fidei hæſitatio Papiſtica abutitur Pau-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

tur Pauli loco 207.56
Fidei hypoſtaſis non abijcienda 893.44
Fidei immota certitudo 797.18
Fidei incitamentum 493.42
Fidei incrementa quotidie ſumenda 729.32
Fidei incrementum vnde noſcatur 550.53
Fidei indoles 601.27
Fidei inſignes effectus illuſtribus exemplis ſignificati 898.12
Fidei iuſtitiæ finis 332.48
Fidei iuſticiam eſſe vniuerſalem 109.49
Fidei iuſtificantis forma 416.35
Fide iuſtificari quid 40.12
Fide iuſtificatos diligi à Deo 55.55
Fidei natura 51.9 & 893.29
Fidei natura exemplo illuſtri depicta 50.46
Fidei naturam in tribus conſiſtere 477.20
Fidei naufragium facere qui dicantur 592.8
Fidei neceſsitas 748.13 & 850.2
Fidei neceſsitas in conuerſione 672.30
Fidei nota externa quæ 611.30
Fidei obiectum & correlatiuum promiſsio 51.29
Fidei obiectum in Enoch quodnam fuerit 892.25
Fidei obiectum Papiſticum 895.46
Fidei obiectum proprium 493.40
Fidei obiectum quomodo ſint præmia bonorum operum 896.1
Fidei officium 391.57
Fidei Papiſtarum implicitæ euerſio 147.53
Fidei perſecutionis cauſſæ 603.32
Fidei perſeuerantia neceſſaria 724.44
Fidei pœnitentiæ partis definitio 940.15
Fidei præſentia quid proſit 63.43
Fidei proprietas 39.31 & 52.15 & 753.36 & 891.20 & 893.22 & 895.36
Fidei pugnantia 338.23
Fidei quæ vis 418.11
Fidei quale robur 899.9
ad Fidei rationem octo pertinere 892.49
Fidei ratio non cuiuis obuio reddenda 810.41
Fidei retinendæ ratio 901.9
Fidei robur in perſecutionibus 819.47
Fidei ſalutaris ratio 788.52
Fidei ſcientiam rationis lumine cerni non poſſe 797.21
Fidei ſemen quænam ſuffocent 903.36
Fidei ſolidæ fructus 425.2
de Fidei ſuæ conſtantia & veritate quomodo quilibet certificetur 753.43
Fidei teſtimonia duo in facto Abrahæ 44.13
Fidei tres gradus 416.35
Fidei vera definitio 109.4
Fidei veræ adiuncta 386.7
Fidei veræ fructus 547.58
Fidei veræ proprietas 529.21 & 942.23
Fidei viuæ & germanæ vis quæ ſit 268.41 & 447.52 (10
Fidei viuæ effectus 64.57 & 676.
Fidei viuæ natura 938.22
Fidei voce cur Iacobus tantum de noticia vtatur 43.49
Fide iuſtificationem & ſalutem contingere 9.30
Fide iuſtum viuere quomodo ſit intelligendum 341.16
Fide iuſtus quinam vere ſit 770.8
Fideles duplici modo ſancti 455.25
Fideles Deo ſancti 386.10
Fideles eſſe hæredes Dei 87.42
Fideles lux appellati 432.35
Fideles quomodo hæredes Dei dicantur, cum Deus nunquam moriatur 87.49
Fideles tantum ſalutem in Chriſto obtinent 256.38
Fidelibus cur nulla ſit damnatio 81.33
Fidelibus fruſtra intentantur crimina 91.22
Fidelium nomina 683.39
Fidelium omnium in regno Chriſti æqualitas 414.24
Fidelium nota infallibilis 81.16
Fidelium officium in hac vita 256.39
Fidem abijcientes regno Chriſti excluduntur 889.56
Fidem Abrahami eſſe certam πληροφορίαν 44.51
Fidem aliquem habere quomodo probetur 307.57
Fidem conſummari operibus 43.21
Fidem de qua Paulus agit non eſſe tantum noticiam & aſſenſum vt Papiſtæ calumniantur 51.18
Fidem hypocritarum inanem eſſe 937.26
Fidem eſſe certitudinem rerum promiſſarum, non apparentium 894.30
Fidem eſſe perſeuerantiam in gratia 54.19
Fidem eſſe rerum non apparentium 892.22 & 894.54 & 897.32
Fidem eſſe ὑπόστασιν 896.15
Fidem Iacobo tantum noticiam ſiue aſſenſum ſignificare 43.34
Fidem Iacobo tantum ſignificare noticiam, quatuor rationibus probatur 338.10
Fidem iactantes ſine vera contritione, falluntur 27.19
Fidem inanem eſſe quæ fructus ſuos germanos non edit 936.33
Fidem in omnibus credentibus æque precioſam eſſe 707.44 34
Fidem in ſolo Chriſto habere fiduciam accedendi ad Deum & impetrandi gratiam 54.25
Fidem inſtrumentum iuſtificationis 340.26
contra Fidem iuſtificantem Papiſtarum obiectio 42.30 & 42.43 & 43.54
Fidem non eſſe omnium 576.9
Fidem non eſſe opinionem incertam 163.25
Fidem non habere flagitioſe viuentes 515.23
Fidem non tantum eſſe noticiam, ſed etiam fiduciam 109.19 & 416.33
Fidem num geminam Paulus conſtituat, cum dicat de fide in fidem 18.52
Fidem Abrahami operibus non fuiſſe vacuam 44.54
Fidem Paulo ſignificare fiduciam 54.22
Fidem poſſe amitti 718.24
Fidem probatiorem reddi afflictionibus 676.2
Fidem quatuor intueri oportere 670.47
Fidem rationis argumentis non ſuccumbere 51.54
Fidem ſe habere, quomodo quis probet 369.29

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Fidem ſibi applicare quod eſt commune multis 15.58
Fidem ſolam iuſtificare 49.13.31
Fidem tantum iuſtificare 336.32
Fidem veram adiuncta habere bona opera 937.41
Fidem veram non eſſe abſque operibus 938.33
Fide mundum vinci 790.33
ſine Fide neminem placere Deo 892.33
ſine Fide meminem poſſe ſaluari 594.29
Fide nos Chriſto inſeri 399.40
ex Fide obœdientibus præmia propoſita 889.10
de Fide operibus carente quid ſtatuendum 43.23
in Fide perſeuerantiæ præmium 893.33
Fide placere credentes, etſi ſentiant adhuc peccatum 53.46
Fide placet Deo perſona 936.8
Fide promiſſio gratiæ accipienda 401.14
Fide promiſſionibus adhærendum 32.48
ſine Fide quantum poſſit homo in rebus ſalutis 118.59
Fide quicquid non fit, peccatum eſt 139.35
de Fide quinam vane glorientur 654.57
Fide quod caret peccatum omne eſt 892.29
Fide quomodo ſit iuſtus victurus 889.52
Fide quomodo Spiritus ſanctus accipiatur, cum ipſe fidem in nobis creet 342.12
ſine Fide reos nos eſſe coram Deo 53.42
cum Fide remiſſionis peccatorum quæ coniuncta 757.37
Fides 367.58 & 492.48 & 573.39 & 748.20 & 858.53
Fides ad omnia requiritur 124.23
Fides aliud Paulo aliud Iacobo ſignificat 338.6
Fide ſalutis participes reddimur 408.37
Fides anima omnium ceremoniarum 911.17
Fides cœleſtia intuetur 387.14
Fides caritatis officia ex ſe gignit 357.48
Fides conſtantiſſime credit promiſſioni 52.21
Fides cur imputari dicatur in iuſticiam 42.16
Fides cur imputata Abrahamo in iuſticiam 48.28
Fides cur in cœlum dirigenda 863.20
Fides cur myſterium dicatur 601.(27
Fides cur ſancta 729.35
Fides cur ὑπόστασις 890.50
Fides Dauidis & Scipionis tripliciter differunt 368.1
Fides Dei 51.40
Fides Deo tribuit omnem gloriam 52.16
Fides diabolorum 51.43
quid efficiat 338.18
Fides Euangelica 51.35 & 447.44
Fides & mala conſcientia non poſſunt ſimul conſiſtere 86.41
Fides & opera quomodo ſeſe inuicem habeant 909.56
Fides facit nos gratiæ participes 118.11
Fides hominum 51.41
Fides hypocritarum inſtar cadaueris 938.43
Fides hypocritarum qualis ſit 937.23
Fide ſimul & operibus iuſtitiam Chriſtianam conſtare non poſſe 334.44
Fides in Chriſtum gratia Dei 462.16
Fides in Chriſtum vita fidelium 333.8
Fides inconcuſſa debet eſſe in auditoribus 320.39
Fides in cruce quid ſpectet 268.32
Fides in Deum radix omnium virtutum 121.18
Fides in diſputationibus Pauli qualis ſit 937.33
Fides in doctrina de iuſtificatione quid Paulo ſignificet 43.34
Fides inſtrumentalis cauſſa iuſtificationis 386.40
Fides inſtrumentalis cauſſa ſalutis 674.48
Fides inſtrumentum 675.34
Fides inſtrumentum iuſticiæ 37.10.16
Fides iuſtificans habet adiuncta bona opera 339.16
Fides legalis 51.33
Fides luctatur aduerſus incredulitatem & vincit dubitationem 52.12
Fides mortua quænam ſit Iacobo 937.3
Fides non diſſimulanda 13.8
Fides non titulus pium ab impio diſcernit 29.19
Fides nullo inferni metu tenetur 58
Fides occulta 139.10
Fides orantis ſit abſque hæſitatione 925.30
Fide ſola recipitur & poſſidetur iuſticia fidei, abſque operibus 19.5
Fide ſola hominem iuſtificari 9.42.51
Fide ſola iuſticia accipitur & poſſidetur 108.22
Fides patrum & noſtra quid differat 344.40
Fides πεποίθησις 940.19
Fides probatur tentatione 923.7
Fides pro fructu fidei 639.13
Fides promiſſionem firmam facit 49.40
Fides quando germanos ſuos fructus proferat 708.59
Fides quænam viua, quæ vero mortua dicatur 937.15
Fides qualis requiratur à renatis 542.26
Fides quando non iuſtificet 770.1
Fides qua ratione iuſtificet 336.40
Fides quarum rerum certitudo ſit 893.17
Fides quid ſignificet 344.25
Fides quid præſtet 507.1
Fides quid ſit 51.16 & 286.27 & 591.42 & 791.1
Fides quomodo ſit vana 709.38
Fides quomodo ſola iuſtificet, cum eam Paulus per caritatem operari affirmet 357.33
Fides quomodo ſufficiat ad iuſticiam, cum lex damnet eos qui legem non præſtant 332.32
Fides quomodo ſumat incrementa 507.3
Fides quomodo vincat mundum 790.37
Fides remunerationis 51.36
Fides rerum eſt non apparentium 891.33 & 893.25
Fides ſaluificans non varia, vt quidam fingunt 644.16
Fides ſi donum Dei, quomodo credere quis poſſit niſi diuinitus fidem acceperit 402.51
Fides ſignorum 223.21

Fides

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Fides ſignorum alia à fide fiduciæ 226.50
Fides ſupra humanam rationem eminet 110.49
Fide ſtabiliri legem 40.46
Fide ſtandum 246.12
Fide tantum abſq; operibus iuſticiam contingere 41.49.52
Fide tantum accipi & obtineri bona cœleſtia 394.9
Fide tantum fieri applicationem meriti Chriſti 38.27
Fide tantum homines iuſtificari 41.24
Fide tantum iuſtificari quotquot iuſtificantur 39.47
Fide tantum, nec aliunde contingere ſalutem 891.22
Fides vera in quibus conſiſtat 644.19
Fides vera quæ ſit 791.7
Fides verbo promiſsionis acquieſcit excluſa omni dubitatione 52.3
Fiduciæ exemplum in Paulo 15.59
Fiduciæ in Deum fructus 252.56
Fiduciæ ſpiritualis cauſſæ 271.47
Fiduciam de Chriſto quid in nobis alat 894.43
Fiduciam in carne habere quid 474.47
Fiducia piorum qualiſnam eſſe debeat 460.29
Fiducia promiſsionum diuinarum & obœdientia erga Deum coniungenda 893.20
Filiæ quando elocandæ 193.48
Filij appellatione quomodo vtatur ſcriptura 585.37
Filij carnis qui 96.30
Filij Dei ab alijs filijs diſtinctio 498.37
Filij Dei amor immenſus 418.22
Filij Dei in hac vita affliguntur 91.53
Filij Iſaac quidam non reputantur pro ſemine coram Deo 97.42
Filij promiſsionis qui ſint habendi 96.20
Filiorum Abrahæ & Iſraelis diſtinctio 95.44
Filiorum Dei & filiorum Satanæ manifeſtatio duplex 771.69
Filiorum Dei & mundi diſcrimen 796.48
Filiorum Dei & Satanæ diſcrimen 515.26 & 70.51
Filiorum Dei inter ſe conformitas 90.22
Filiorum Dei officia 468.48
Filiorum Dei vera nota 361.31 & 782.24
Filiorum mundi nota 682.29
Filiorum Satanæ nota 772.36
Filium Dei non eſſe creaturam ſed creatorem 833.1
Filius Dei Chriſtus ab alijs filijs diſcernendus 711.40
Filius Dei patris imago qua ratione dicatur 833.30
Filius Dei quare dicatur λόγος 737.38
Filius Dei quibus modis dicatur venire 797.8
Filius Dei quomodo ſemper aſsit Eccleſiæ ſuæ 797.7
Fini cui deſtinata eſt qualibet res, intenta eſſe debet 182.44
Finis doctrinæ 86.28
Finis & ſcopus legis 108.6
Finis hominis 499.28 & 732.2
Finis redemtionis factæ per Chriſtum 123.46
Finis ſcripturæ 207.40
Finis ſeculorum pro tempore conſecuto Chriſti in carnem aduentum 207.44
Finis victimæ Chriſti 82.27
Flagitiorum extenuatio 431.55
Flagitioſi in Eccleſiam, excludendi 178.35
Flagitioſi in Eccleſiam excommunicatione caſtigandi ſunt 179.1
Fœderis Apoſtolici vtilitas 328.16
Fœderis Chriſti dignitas in quatuor 868.30
Fœderis Dei cum homine duplex conditio 119.55
Fœdifragi 23.56
Fœdus Aaronicum & Chriſti vt differant 868.35
Fœdus ſocietatis inter Paulum & Apoſtolos 327.53
Fœdus vetus à nouo quid differat 872.43
Fœneratores furibus peiores 959.54
Fœtor non omnis inutilis 2.25
Foris aduerbio Paulus vtitur de hoſtibus Eccleſiæ 282.49
Forma docendi certa tenenda 630.2
Fornicari à Chriſto qui dicantur 296.50
Fornicatio 514.50
Fornicationem eſſe defectionem à Deo 903.50
Fornicatio pro omni turpi Venere 541.1
Fornicator à Deo deficit 903.49
Fornicationis punitæ exemplum 207.11
Fortitudinis exemplum 462.28
Fragilitas humana 540.58
Fortitudo vera à Deo petenda 485.31
Fortuna humana circulo vel rota comparata 450.13
Fortuna omnis fortiter exemplo Pauli ferenda 485.25
Fortuna præſenti contentos nos eſſe decere 485.4
Fragilitatis miniſtrorum verbi ſpecies 426.81
Fratres cur ſe mutuo Chriſtiani in primitiua Eccleſia compellauerint 907.6
Fratres qui dicantur Apoſtolo 774.53
cum Fratribus quomodo agendum (729.51
Fraus opificum 967.7
Fructus ſpiritus quid 363.59
Fructuum ſpiritus cauſſæ 364.4
Fructus beneficij inimico præſtiti 129.24
Fundamento ædificium dignum ſtruendum 167.15
Fundamentum Eccleſiæ vnicum Ieſus Chriſtus 167.18
Funera cur honeſte apud Chriſtianos efferantur 961.22
Furtum pro omni fallendi genere 429.1
de Futuris quid reſpiciendum 253.25

G

GArrulitatis fructus 297.53
Gaudere in Domino quid 474.6 & 481.55
Gaudium 364.38
Gaudium & luctus quomodo ſimul ſint in Chriſtianis 482.4
Gaudium fidelium 548.1
Gaudium piorum & impiorum vt differant 815.18
Gaudium triplex 364.42
Gaudium veritatis 815.36
Gulæ pœna 206.56
Gedeonis hiſtoria 898.3
à Gehenna inflammari quid 946.11
Gemitus piorum à Spiritus ſancto excitatur 89.59

Generationis finis 813.2
Generatio noua quomodo fiat 907. 11
Genethliacorum vanitas 441. 34
Gentes ad Iudaiſmum non eſſe cogendas 330.34
Gentes aſſumtas eſſe in gloriam Dei 141.50
Gentes credentes ſunt Abrahæ ſemen 114.5
Gentes cum faciant quæ legis ſunt, cur tamen à Paulo accuſentur 32.82
Gentes cur Deum agnitum ex creatura, non vt Deum glorificauerint 21.20
Gentes eſſe impias & iure damnabiles 24.15
Gentes etiam eſſe ſemen Abrahæ 96.11
Gentes ignaræ Euangelij ante reuelationem 625.9
Gentes pleræq; cur aſſumantur 105. 49
Gentes quomodo ſint filij Abrahæ 48.33
ad Gentes quoq; Euangelium pertinere 250.35
ad Gentes ſalutem quoq; pertinere 625.10
Gentes, ſemen Abrahæ ex fide 49. 55
Gentes vnde prolapſi ſint in idolomaniam 21.35
ex Gentibus Eccleſiam eſſe etiam collectam 104.36
Gentiles & Iudæos eſſe aſſumendos 142.5
Gentilium duo genera 409.44
Gentilium ſtatus ante gratiam & ſub gratia 408.55
Gentium affectus ignominoſi 22. 16
Gentium diſcrepatio à populo Dei in duabus rebus 409.2
Gentium & Iudæorum collatio 119.4
contra Gentium & Iudæorum exæquationem argumentum 30. 21
Gentium excuſatio, quod non vt Iudæi habeant legem diuinam, quomodo refutetur 28.13
Gentium ſalus, myſterium 416.7
Gentium ſtultitia vnde appareat 21.27
Gentium vocatio 318. 47. & 339.6 & 409.16
Gentium vocatio decreto diuino facta 13.29
Gentium vocatio fundata in ſacris literis 112.27
Gentium vocationem vnde ſumſerint Prophetæ 44.37
de Gentium vocatione vaticinium 684.24
Genuflexio coram Chriſto duplex 137.35
Gloria Chriſti quæ 708.13
Gloria Dei perpetuo prædicanda 419.7
Gloria Dei per quem præſtanda 419.2
in Gloria Dei propaganda quomodo affecti eſſe Chriſtiani debeant 359.13
Gloria Dei ſit ſcopus vnicus miniſtris verbi præfixus 321.36
Gloria Dei vnde conſpiciatur 103. 36
Gloriæ Deo reddendæ duratio 419. 4
Gloria duplex 370.3
Gloriæ vocabulum actiue ſumtum 54.38
Gloria futura nunquam finienda 88.20
Gloriam ab hominibus quærere quid ſit 531.58
Gloriam à Deo quærere quid ſit 531.59
ad Gloriam Dei omnia noſtra referenda 487.5
in Gloriando Pauli modeſtia 302. 11
Gloriandum in ſolo Chriſto 160. 36
Gloria nobis reuelanda quæ ſit 88. 28
Gloria omnis ſoli Deo debetur 122. 44
Gloria piorum duplex 374.19
Gloria piorum qualis ſit in vita æterna futura 768.1
Gloria quid 39.34
Gloriari in Chriſto quid 474. 46
Gloriari in Deo quid 58.13
Gloriari vere poſſe in Deo ſolo, maxima conſolatio 486.50
Gloriatio Chriſtiana intra quæ ſepta includi debeat 30.2
Gloriatio conſcientiæ quo animo fieri debeat, vt ſit pia 532.8
Gloriatio conſcientiæ ſitne licita necne 532.3
Gloriatio de donis Dei pia eſt 253.50
Gloriatio de victima Chriſti quando vana 361.35
Gloriatio hominum de tribus potiſſimum eſſe ſolet 345.55
Gloriationem humanam omnem in ſalutis negocio excludi 408. 39
Gloriationis cauſſam homo in ſe nullam habet 374.8
Gloriationis cauſſa non in nobis ſed extra nos 58.18
Gloriationis Paulinæ cauſſa 304. 28
Gloriationis verus vſus & abuſus 254.20
Gloriatio omnis Deo aſcribenda 262.42
Gloriatio Pauli 272.33
Gloriatio Pauli ſecundum carnem 300.21 & 474.52
Gloriatio piorum qualis 572.43
Gloriatio prohibita quæ 253.53
Gloriatio quid 39.35
Gloriatio quomodo fieri debeat 926.4
Gloriatio quomodo ſit pia in omni bonorum genere 926.7
Gloriatio ſancta & licita 253.54
Gloriatio ſecundum carnem quæ 299.55
Gloriatio ſui inſipientia eſt 296. 25
Gloriatio vana 339.21
Glorioſus 23.45
Glorificationis Chriſti teſtimonium 422.33
Gloriatio quatenus conceſſa miniſtris Euangelij 304.36
Gloria vana triplex 370.30
Gloria vera duplex 370.4
Gloria vera quid ſit 532.13
Gloria vera tribus cautionibus indiget 370.20
Gloria vocationis Chriſtianæ 705. 25
γνῶσις 278.41
Gnoſticorum deſcriptio 718.4
Gradus actionum Dei in reparationis humani generis myſterio 90. 40
Gratia à felicitate ſumma ad ſempiternam miſeriam 762. 54
Gradus hominum Deus appobat 654.7
Græcus pro eo qui non eſt Iudæus 18. 9 & 212.1
Græci quomodo ſint erga Euangelium

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

gelium affecti 159.14
Gratis 37.37
Gratitudinem Deo acceptam 610.55
Gratitudinis commendatio 69.21 & 524.10
Gratitudinis erga Deum commendatio 980.4
Gratitudinis erga Deum commendatio 172.10 & 980.4
Gratitudinis erga Deum praeceptum 155.16 & 222.16
Gratitudinis in brutis inſigne exemplum 525.1
Gratitudinis inſignis exemplum 298.20
Gratitudinis praeceptum 375.1 & 409.26 & 626.19 & 669.43 & 936.31 & 977.15
Gratitudini ſtudendum 626.12
Gratitudo erga Deum 420.3
Gratitudo vulgi quae 350.33
Gratuita iuſtificatio dicto Pauli falſo à Papiſtis reijcitur 678.10
Grauitas 652.48 & 653.50
Grauitatis commendatio 631.16
Gratia 492.56 525.2 & 661.29 & 674.56 & 705.16
Gratia apud Paulum quid ſignificet 37.42
Gratia à quo contingat 386.26
Gratia cauſſam & fauorem ſignificans 235.74
in Gratia confortari 626.56
Gratia Dei 333.33 & 579.83 622.26
Gratia Dei obiectum miniſterij verbi 326.2
Gratia Dei quid 154.58 & 550.37
Gratia Dei nemo deſtituitur niſi qui eam reſpuit 849.41
de Gratia dictum Auguſtini 105.4
Gratiae Chriſti erga Eccleſiam gradus 436.40
Gratiae Chriſti vis 61.14
Gratiae coeleſtis cauſſa inſtrumentalis 391.25
Gratiae coeleſtis finis 387.34
Gratiae Dei efficacia in hominibus 235.45
Gratiae Dei in credentibus progreſſus 265.32 & 768.10
Gratiae Deo pro beneficijs agendae 691.10
Gratiae Deo in omnibus agendae 291.57
Gratiae Deo ſemper agendae 253.30
Gratiae diſtinctio ſecundum Auguſtinum 54.5.13
Gratiae diuinae efficacia 590.32
Gratiae diuinae fons Chriſtus 389.28
Gratiae diuitiae in Deo 389.37
Gratiae dona quae 722.55
Gratiae efficiens 391.21
Gratiae & miſericordiae Dei omnia accepta ferenda 266.15
Gratiae & pacis Dei quomodo fiamus participes 675.5
Gratiae & peccati collatio 63.33
Gratiae fundamentum 386.38 & 387.25
Gratiae fundamentum & terminus 53.56
Gratiae materia 387.27
Gratiae nomine quae intelligenda 655.10
Gratiae obſignatio teſtimonium voluntatis Dei 403.30
Gratiae praedicatio particularis reſpectu euentus 390.37
Gratiae praedicatio vniuerſalis reſpectu conſilij Dei 390.31
Gratiae promiſſio fide accipienda 401.13
Gratiae promiſſio gratuita 401.12
Gratiae promiſſio vniuerſalis 9.25 & 109.58 & 379.13 & 401.4
Gratiae promiſſio voluntatis Dei locuples teſtimonium 401.1
Gratiae quando agendae Deo 550.43
Gratia & debitum oppoſita Paulo 45.51
Gratia & donum quid differant 60.32
Gratiae terminus 386.38
Gratiae tria tempora 624.43
Gratia exidens, ad eam niſi virtute Dei redire nequit 118.57
Gratia vocabulum quid Paulo ſignificet 319.8
Gratia inchoata eſt teſtis noſtrae liberationis 81.44
Gratia ac ſalutatione Apoſtolica quid ſignificet 15.21
Gratia in ſcriptura quid ſignificet 644.42
Gratiam abundare ſupra peccatum modis quatuor 63.21
Gratiam Chriſti ſine fuco ſperandam 677.13
Gratiam Dei eſſe vniuerſalem 721.2
Gratiam Dei Euangelio reuelari 390.17
Gratiam fide adepti debent obaedientiam Deo 281.26
extra Gratiam homines nil niſi peccare poſſunt 405.50
Gratiam opponi merito & debito 54.8
Gratiam vniuerſalem negantes quid abſurdi admittant 401.43
de Gratia non dubitandum 163.27 & 802.50
Gratia per quem contingat 386.26
Gratia poenitenti non negatur 363.28
Gratia pro effectibus fauoris 54.1
Gratia pro beneficentia 286.31
Gratia quid 60.29 & 585.49 & 708.39
Gratia quid ſignificet 386.22
de Gratia quinam fruſtra glorientur 590.34
Gratiarum actio 529.6
Gratiarum actio Deo pro beneficijs debetur 392.45
Gratiarum actio & precatio ſemper coniungenda 493.23
ad Gratiarum actionem perfectam duo requiri 456.38
Gratiarum actionis definitio 456.36
Gratiarum actio quomodo ſit accepta Deo 518.40
Gratias agendi Deo legitimus modus 456.43
Gratias Deo pro beneficijs agendas 456.26
in Gratia ſe eſſe certo ſtatuere non eſt praeſumtio 113.51
Gratia ſpiritualis quo inſtrumento nobis offeratur 389.50
Gratia vnde dicatur 54.11
Gratia vocata ad Euangelium non ſuperbe abutendum in aliorum contemtum 117.54
Gubernationes 225.44

H

ἅδους vnde dicatur 243.5
Haereditas in ſacra ſcriptura quid ſignifi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſignificet 78.54
Hæreditatis æternæ certitudo 879.13
αἵρεσις 362.36
Hereſeon caput & auctor Satan 1.26
Hæreſeos cauſſa πλεονεξία 714.14
Hæreſeos fructus 714.8
Hæreſeos punitæ exempla 714.30
Hæreſes cur plurimæ excitentur in Eccleſia 147.11
Hæreſes eſſe diaboli inſtrementis aduerſus Eccleſiam certiſſima indicia 215.32
contra Hæreſes omnes quæ muniant 719.45
Hæreſes per accidens bonæ 215.29
Hæreſin duo facere 713.52
Hæreſium finis & neceſſitas 215.21
Hæreſium mater ambitio 586.48
Hæreſium neceſſitas non eſt ordinata 215.25
Hæretica doctrina quomodo noceat Eccleſiæ 604.43
Hæretici cur non Pſeudochriſti dicantur 554.35
Hæretici non metuendi 782.2
Hæretici quomodo ſoleant fallere 714.18
Hæreticorum catalogus 555.1
Hæreticorum pœna 714.27
Hæreticos arguendos 650.9
Hæreticus in Eccleſia quid 362.38
Hæreticus vitandus 659.51
ἁγνότης 278.40
Hebræorum laudatio 861.39
ἕκαστος pro ὁ μὲν 231.52
Hermes Pauli diſcipulus 634.23
ἑτεροζυγοῦντες 279.40
τὸ ἡγεμονικὸν 426.39
Hilaritas in miſericordia exercenda 126.37
ἱλαστικὸν 854.30
Hiſtoriarum ſacrarum vſus 206.46
in Hiſtoria ſex eſſe conſideranda 607.58
Hodie pro tempore reuelati Euangelij 846.36
Homicidia 362.50
Homicidium quomodo perpetretur 776.16
in Homine duo intuetur Deus 58.56
ſecundum Hominem dicere 33.22
Hominem nouum cur Spiritus appellatione Paulus notet 66.31
Hominem quomodo Deus amet 765.53
Homines ante conuerſionem eſſe ἀσθενεῖς & ἀσεβεῖς 56.38
Homines ante illuminationem qualeſnam ſint 888.16
Homines cur diuerſis dotibus ſint à Deo ornati 103.6
Homines cur impij 20.51
Homines deſerti à Deo ruunt in omne genus turpitudinis 22.24
Homines natura eſſe filios iræ 675.11
Homines natura ſua capaces ſunt Spiritus mundi 163.18
Homines noui qui 410.46
Homines omnes eſſe impios 20.32
Homines omnes eſſe iniuſtos 20.32
Homines omnes eſſe peccatores 33.52
Homines prius animales quam ſpirituales naſci 241.30
erga Homines omnes quomodo affecti eſſe debeamus 775.49
Homines qui fugiendi 576.5
Homines quomodo Deus & intime amet, & eoſdem vt hoſtes perſequatur, nondum conuerſos 56.54
cur Homines renati ſeu fideles à Pauli iuſticia Dei potius quam iuſti dicantur 276.1
Homines vt perdat diabolus omnem mouet lapidem 299.26
Hominibus benefaciendum 659.10
Hominibus cur benefaciendum 658.24
Hominis creatio & παλιγγενεσία per Chriſtum 499.30
Hominis excellentia 843.37
Hominis finis 499.28 & 733.15
Hominis gloria maxima quænam ſit 916.11
Hominis ingenium depictum 32.49
Hominis noui adiuncta 429.48
Hominis ordo ſeu reſpectus quadruplex 709.9
Hominis veteris adiuncta 429.36
Hominis veteris & corporis peccati diſcrimen 66.44
Hominis veteris & noui diſcrimen 66.18 & 79.6
Hominum diſcrimen 81.20
Hominum duo genera ex vno principio damnari 25.3
Hominum exæquatio 345.50
Hominum in Eccleſia tria genera 657.6
Hominum magna in negocio propriæ ſalutis peruerſitas 150.26
Hominum nondum regeneratorum ingenium 468.56
Hominum quanta infirmitas perſecutionis tempore 641.20
Hominum ſtatus duplex 501.36
Hominum tres ordines 970.14
Homo animalis cur non percipiat ea quæ ſunt Dei 164.8
Homo animalis qui dicatur 163.54
Homo cœleſtis qui 241.52
Homo carnalis, exiſtens extra Chriſti regnum, eſt 76.36
Homo comparatus terræ 861.9
Honor erga parentes in duobus conſiſtit 440.6
Homo externus qui 269.17
Homo imago Dei quomodo dicatur 497.40
Homo internus qui 269.19
Homo non omnis mendax 32.51
Homo nouus 516.17
Homo nouus quid 497.53
Homo ψυχικὸς non capit ea quæ ſunt Spiritus Dei 56.40
Homo quomodo filius iræ dicatur 406.21
Homo quomodo ſaluet hominem 981.18
Homo terrenus qui 241.51
Homo terrenus quomodo cœleſtis, & animalis quomodo ſpiritualis fieri in reſurrectione debeat 242.4
Homo totus ψυχικὸς 729.12
Homo vetus 516.14
Homo vetus crucifixus cum Chriſto dicitur duplici modo 66.34
Homo vetus quid 497.52
Honeſtas 484.12 & 530.18
Honeſtas quomodo conſeruare poſſit in tanta morum corruptione 314.1
Honeſtatis commendatio 684.54
Honorare ſe mutuo cur Chriſtiani debeant 127.7
Honor debitus miniſtris verbi in quinq; conſiſtit. 547.5
Honor duplex 127.13
Honor duplex, qui debetur verbi miniſtris

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ministris in quibus conſiſtat 664.46
Honores externi, qui geſtibus corporis exhibentur præſtantibus viris non ſunt idololatria 208.38
Honoris vocabulum duo complectitur 610.39
Honor quando alijs delatus laudem mereatur, quando vero non 934.41 (934.34
Honor quibus debeatur, quibus non ὅσιος quaſi ἄσιος 648.12
Hoſpitalitas 647.56
Hoſpitalitas quid 698.28
Hoſpitalitatis commendatio 127.56 & 816.30 & 907.21
Hoſpitalitatis omiſſæ ſeu neglectæ pœnæ 699.39
Hoſpitalitatis partes 699.16
Hoſpitalitatis præmium 907.32
Hoſpitalitatis quatuor genera 698.32
Hoſpitalitatis ſanctæ cauſſæ quatuor 698.54 (24
Hoſpitalitatis ſanctæ præmia 699.
Hoſpitio qui non ſint excipiendi 907.40
Hoſtes Chriſti qui cenſendi 883.53
erga Hoſtes Dei quomodo affectos nos eſſe deceat 128.12
Hoſtes duplices 775.10
Hoſtes hominis quatuor 429.28
Hoſtes quinam fugiendi 641.6
Hoſtes qui ſint Apoſtolis 774.55
Hoſtes quomodo tractandi 775.11
Hoſtes vincendi patientia, bonitate, & innocentia 129.31
Hoſtiæ Chriſti efficacia 880.49
de Hoſtibus Euangelij non deſperandum ante extremum halitum 322.58
ab Hoſtibus Euangelij ſeiunctio in tribus conſiſtit 355.37
Hoſtibus quid præſtandum 775.11
Hoſtium duo genera 128.10
in Hoſtum manus nemo ſe vltro conijciat 301.34
Hoſtiū minæ contemnendæ 461.55
Humanæ in Chriſto naturæ ſuæ proprietates non auferendæ 398.33
Humanæ infirmitatis exemplum Paulus 252.45
Humana ſtulticia in cauſis omnium actionum Dei ſacrilege ſcrutandis, compeſcenda 121.24
Humanitatem Chriſti quinam oppugnarint 762.14
Humanitatis commendatio 658.18 & 660.5
Humanitas Dei quid 765.43
Humanum genus vniuerſum cur reū à ſcriptura peragatur 35.4
Humiles qui ſint 464.2
Humiliationis Chriſti teſtimonium 422.30
Humilitas 516.59
Humilitas pro luctu 306.36
Humilitas vnde exiſtat 420.24
Humilitas vnde naſcatur 464.10
ad Humilitatem veram quomodo demum perueniamus 252.52
Humilitatis cauſſæ 464.15
Humilitatis commendatio 118.15 & 119.20 & 181.43 & 128.34 & 171.35 & 171.50 & 254.36 & 374.1 & 409.22 & 703.9 & 949.1
Humilitatis definitio 420.20
Humilitatis effectus 485.9
Humilitatis exemplum Chriſtus 465.5 (24
Humilitatis & ſuperbiæ fines 703.
Humilitatis hypocriticæ euerſio 512.57
Humilitatis multiplex fructus 464.36
Humilitatis præceptum 414.38
ὑβρισαὶ 23.39
ὑπερήφανος 23.45
Hymenæus 592.19
Hymni 435.8
Hypocriſis natura 299.19
Humilitas cauſſa proxima concordiæ 463.51 (57
Humilitas Chriſti voluntaria 465.
Humilitas decet miniſtros Euangelij 455.14
Humilitas & patientia Pauli quanta fuerit 173.1
Humilitas ficta 511.29
Humilitas non caret præmijs 466.47
Hypocriſis 605.3
Hypocritæ 634.30
Hypocritæ quomodo ſint rei, cum eorum vita externa ſit irreprehenſibilis 25.30
Hypocritæ rei coram Deo 25.13
Hypocritæ religioſi videri cupiunt, ſine dilectione proximi 787.27
Hypocritarum mendacium veritas abolet 634.57
Hypocritarum natura 772.47 & 931.52
Hypocritarum notæ 635.2
Hypocritarum artes 634.40
Hypocritarum reprehenſio 934.59
Hypocritarum ſcelus quantum 751.39
Hypocritas tandem protrahendos in medium 615.14
Hypocriſis imagini relucenti in ſpeculo comparata 931.28
Hypocritarum conatus irritus 635.5
Hypocriſis in iudicio Dei patefiet omnium creaturarum conſpectui 29.3
ὑπομονὴ 277.29
ὑπόστασις fidentia 289.52
ὑπόστασις quas habeat ſignificationes 848.42 & 890.44
Hypotheſes quid ſint 209.10

I

Iacob, Eſau 773.13
Iacobi cum Paulo conciliatio de cauſſis iuſticiæ 337.16
Iacobi locus opera extollentis quomodo intelligendus 42.53 & 837.31
Iacobi reprehenſio 932.13
Iocob membrum veræ Eccleſiæ 2.5
Iacobus de qua fide loquatur 936.44
Iacobus qualis fuerit Apoſtolus 921.14
Iactantiæ propria ironica illuſio 294.27
ad Ianuam aſtare quid 976.24
Idiomatum naturarum in perſona Chriſti aliud communicatio aliud confuſio 415.46
Idiota grandiloquo oratori oppoſitus 297.48
Idola qua occaſione erecta ſint inter Ethnicos 799.5
de Idolis in templis retinendis decretū cur ratū permanſerit vſq; ad hæc tempora 800.8
de Idolis quid ex verbo Dei ſtatuendum 798.52
Idololatriæ gentiū amplificatio 22.1
Idololatriæ occaſiones fugiendæ 814.58
Idololatriæ pœnæ 21.54 & 22.6
Idololatria fugienda 208.25
Idololatria gentium craſſa & prodigioſa 21.41
Idololatria quæ habenda 114.38
Idolomania Papiſtarum 569.35
Idolorum cultus 361.58
Idolorum inuentorū occaſio 21.45
Idolothytis nū veſci liceat pijs inuitatis ad priuatá conuiuia 211.9

Idolothy-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Idolothytis veſcentes quomodo poſ-ſint dici idololatræ, cum idolum nihil ſit 210.1
Idolothytis veſcentes ſunt idololatræ 209.48
Idolothytorum eſus indifferens 196.3
Idolum nihil eſſe quomodo ſit intelligendum 801.14
Idoneitas omnis à Deo 914.43
Ieiunij Chriſtiani duplicis regula 288.14
Ieiunij Chriſtiani fines 277.58
Ieiunij formæ tres 277.50
Ieiunij Phariſaici duo genera 278.29
Ieiunium 277.45
Ieiunium cur Ebræis zom 277.48
Ieiunium & oratio quando coniungi ſoleant in ſcriptura 186.14
Ieiunium Phariſaicum eſſe hypocriticum, ideoq; damnandum 278.25
Ieiunium ſanctum duplex 278.2
Iephtæ hiſtoria 898.8
Ieroſolymitani templi ruinæ 828.23
Ieſus vocabulum cuius nos admoneat 645.24
Ieſu Chriſti nomini credere quid ſit 780.30
Ieſum Chriſtum eſſe eum de quo Moſes & Prophetæ vaticinati ſunt, quomodo probetur 928.21
Ignauiæ argumentum quodnam eſſe ſoleat 857.22
Ignauiæ non indulgendum 900.42
Ignauiæ non indulgendum in ſalutis cauſſis 902.58
Ignauia hominum quanta 637.51
Ignis iudicij 551.46
Ignis Sodomiticus ſymbolum ignis infernalis 625.25
Ignorantiæ excuſatio apud Deum nulla eſſe poteſt 112.5
Ignorantiam minime excuſare 107.49
Ignorantia quando ſit peccatum, quando vero pœna peccati, quando & peccatum & pœna peccati 457.10
Illuminatio 796.8
Illuminatio quid 888.8
Illuſorum ſupplicium 727.21
Inſtitutionis negligentioris cauſſæ 968.7
ad Inſtitutionem legitimam duo requiri 652.38
Imaginem Dei dupliciter conſiderari 498.3
Imagines ex veteri deſumtas teſtamento cur Paulinus templis Chriſtianorum appingi curauerit 799.35
Imagines ſanctos patres ſemper damnaſſe 800.18
de Imaginibus Lutheri conſilium 801.2
Imaginis definitio 479.9
Imaginis Dei in homine definitio 428.21
Imaginis Dei reparatio 498.23
Imaginis Dei reparatio in homine quomodo contingat 497.55
Imaginum cultum eſſe abominationem Ethnicam & diabolicam 21.51
Imaginum inuentarum occaſio 21.45
Imago Dei duplex 497.18
Imago Dei in Chriſto duplex 497.19
Imago Dei quid ſit 497.58.
Imbecilles & vacillantes ſumus, niſi Dei manu fulciamur 148 25
Imbecilliores non condemnandi 135.35
Imbecillitas communis 177.39
Imbecillitas fratrum boni conſulenda 641.25
Imitatio Chriſti in cruce 755.20
Imitatio Chriſti moralis quando ſit ſuperſtitioſa 755.13
Imitatio crucis Chriſti quando ſit ſuperſtitioſa 755.56
Imitatio duorum generum 820.15
Imitatio moralis duplex 909.51
Imitationis Chriſti moralis fines 755.1
Imitationis Chriſti moralis fructus 754.56
Imitationis Chriſti moralis neceſſitas 754.45
Imitationis ſanctorum modus 817.7
Imitatio ſanctorum quatenus probanda 822.8
Immanitas Papiſtarum ſacrilega 130.14
Immiſericordes 24.11
Immites 633.54
Immortalitatis argumentum 271.26
Immundicia 531.25
Immundicia omnis fugienda 280.48
Immutatio erit vice mortis 242.33
Impatientiæ pœna 976.20
Impatientia quid noceat 889.38
Imperij Chriſti amplitudo 397.13
Imperij Chriſti finis, gloria patris 467.33
Imperij Chriſti forma 397.21
Imperij dignitas qua occaſione à Græcis ad Romanos translata ſit 800.4
Imperiti iudicio peritiorum acquieſcant 233.20
Impietas tacendo non approbanda 691.49
Impietas trangreßio tabulæ primæ 20.10
Impietatem eſſe veritatis Dei repudium 20.34
Impietatis punitæ exemplum 1.42
Impij 633.33
Impij non honorandi 934.32
Impiorum conatus Dei opera non poteſt impedire 99.18
Impiorum exitus infelicißimus futurus 693.38
Impiorum ſtatus tempore aduentus Domini ad iudicium qui futurus 545.15
Impiorum ſubitus interitus ſimilitudine ſignificatus 545.79
Implacabiles 24.8
Impleri quæ dicantur 337.56
Impleri quæ dicantur Ebræis 43.23
Impœnitentes apud Deum ſunt veluti reiectamenta 119.54
Impœnitentes ſocietatem habere cum diabolo 739.43
Impœnitentia diuturna prouocari iram Dei 63.16
Impoſtor qui ſit 804.52
Impoſtura quid 531.24
Imprecari hoſtibus mala, num ſit rectum 740.40
Imprecationes quatenus non ſint peccatum 359.16
Improbi iuſto Dei iudicio pœnas luunt 99.27
Impuritas 361.50
Impuritate Spiritum ſanctum expelli 56.11

Imputan-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Imputandi verbum ab Arithmetica ſumtum 42.20
Imputare quid 45.43
Imputare in doctrina iuſtificationis quid 42.23
In aduentu Chriſti ad iudicium multi viuent 242.24
Incarnationis Chriſti finis 769.14
Incarnationis Chriſti neceſſitas 843.21 (793.12
Incredulitas quantum peccatum
Incredulitas quomodo exiſtat in homine 847.36
Incredulitas ſola cauſſa eſt reiectionis Iudæorum 111.51
Incredulitas ſola excludit ex fructu hoſtiæ Chriſti 857.1
Incredulitas ſummum eſt peccatum 121.18 (850.6
Incredulitatis pœna 848.42 &
Increduli, tenebræ 432.30
Incredulos comminationibus ſubiacere 32.37
Incrementum ſanctorum quomodo fiat 424.42
Inconſtantia vulgi 350.82
Inculpati qui dicantur 156.8
Indifferentes res Eccleſiæ vnitatem ſcindere non debent 135.43
Indifferentis rei cauſſa nemo contemnendus aut fugiendus 134.50
Indigentia humana 520.42
Indignitati quid opponendum 327.30
Indignitatis tentationi quid opponendum 803.58
Indulgentiæ punitæ exemplum 806.56
Indulgentia matrum 968.9
Indulgentia quadruplici modo peccatur 489.5
Indulgentia quid noceat liberis 806.24
Indurandi verbo permiſſionem indurationis non recte intelligi 100.35
Indurandi verbum pro contrario negato poſitum 100.46
Indurandi verbum quid ſignificet 100.8
Indurationis cauſſa Deo non aſſcribenda 100.34
Indurationis cauſſa non Deus, ſed hominis rebellio 101.31
Infamium mores 601.5
Infantes Chriſtianorum diſcedentes ante baptiſmum, non vt profani abijciendi ſunt 117.32
Infantes Chriſtianorũ eſſe ſanctos etiam ante baptiſmum 188.35
Infantes Chriſtianorum fide non carent 204.21
Infantes Chriſtianorum naſci cum peccato originis 188.40
Infantes Iudæorum & Chriſtianorum conſiderantur dupliciter 204.12
Infantes qui moriuntur ante baptiſmum, num ſaluentur 204.26
Infantibus cur nomina in circumciſione dabantur 50.16
Infantibus quid fides parentum conferat 117.40
in Infantibus quomodo obſignetur baptiſmo fidei iuſticia, quam non videntur habere 204.8
Infantum ſalus non parentum dignitate, ſed promiſſione Dei nititur 117.37
Infideles quare immundi 651.24
Infideles quo in loco Deus habeat 651.51 (282.8
Infidelitas in docendo quid obſit
Infidelium conſuetudine & operib. nemo ſe contaminet 279.34
Infirmi in fide ſubleuandi 134.43.
Infirmis quid faciendum 980.11
Infirmitas duplex 135.2
Infirmitas fratrum ferenda 141.33
Infirmitates aliorum exemplo Chriſti ferendæ 140.42
Infirmitates aliorum ferre non eſt liberi arbitrij, ſed doni Dei 142.31
Infirmitates fratrum ferre aut non ferre non eſt liberum Chriſtiano homini 140.13
Infirmitati alterius mederi alter debet 135.10
Infirmitatis ratio quatenus habenda 810.3
Infirmorum & obſtinatorum diſcrimen 326.38
Ingenium ſolo perſimile 489.34
Ingrati 633.32
Ingratitudinem diuinitus puniri 619.57
Ingratitudini mundanæ dictum ex Paulo opponendum 305.43
Ingratitudinis exemplum 523.32
Ingratitudinis luctuoſum exitium 491.28
Ingratitudinis punitæ exempla 206.54 & 525.18 & 669.49
Ingratitudo Corinthiorum 298.27.
Inimici hominis domeſtici eius 105.28
Inimici num ſint diligendi 806.29
Inimicitiæ 362.8
Inimico benefaciendum 129.17
Iniquitatis & peccati diſcrimen 47.15
Iniuria cur patienter ferenda 686.49
Iniuriæ illatæ condonandæ 547.47
Iniuriæ propriæ condonandæ 640.50
Iniuriæ proximi duæ partes 541.23
ob iniuriam leuem ſtatio non deſerenda 301.30
Iniuria nemo afficiendus 468.34
Iniuria potius ſuſtinenda quàm alijs inferenda 181.19
Iniuria quando ſit ferenda 179.47
Iniuriæ quo animo Chriſti exemplo ferendæ 687.31
Iniurias proprias vlciſcentes, gloriam Dei lædunt 129.14
Iniuria vnde exiſtat 282.6
Iniuſtitiæ ſpecies 181.31
Iniuſticiam eſſe veritatis Dei repudium 20.34
Iniuſticia quid 23.2
Iniuſticia transgreſſio tabulæ ſecundæ 20.11
Iniuſti excluduntur regno Dei 181.25
Innocentiæ fructus 484.25
Inobœdientiæ pœna 515.21
Inordinati quinam Paulo dicantur 577.5
Inſipientes 23.53
Inſitio in Corpus Chriſti quomodo fiat 66.2
Inſitionis ſpiritualis effectus 754.5
Inſolentia doctorum proponentium ſe alijs propter argutias Philoſophicas reprimenda 167.15
Inſtitutio duplex 490.5
Inſtrumentis quandoque tribuitur quod eſt ſolius Dei 190.6
Integritas 653.49
Intelligentia 426.41
Intelligentia à Deo 628.5.
Intelligentiæ Chriſtianis ſtudendũ 230.43
Intemperantes 633.48
Interpellatio Chriſti apud patrem perpetua 869.13
Interpellatio Chriſti & Spiritus ſ. pro nobis quid differant 89.49
Intereſſe quid dicatur 971.1
Interpretandi ſcripturam præcepta 587.21

De In-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

de Interpretationibus ſcripturæ varijs quid ſentiendum 167.38
Interpretationis ratio 608.40
Interpretatio ſcripturæ linguarum dona præſtat 228.39 & 229.10 & 230.31
Interpretatio ſcripturarum ingens Dei donum 151.38
Interpretis accuſatio 683.6
Intus aduerbio Paulus vtitur de ciuibus Eccleſiæ 282.50
Inuidiæ 362.41
Inuidia 23.26 & 680.40
Inuidia cur hydræ comparata 362.42
non Inuocantes Deum nec fidem habent, nec ſaluantur 110.21
Inuocatio ad Deum dirigenda 393.15 & 417.31
Inuocatio Chriſto nominato ſemper fiat 493.15
Inuocatio citra fiduciam Chriſti nequit fieri 416.35
Inuocatio Deo ſoli debetur, non creaturæ 110.23
Inuocatio fiat in nomine Chriſti 471.41
Inuocatio fidei nota 110.18
ab Inuocatione Chriſti maieſtas deterreri nos non debet 852.32
in Inuocatione neceſſario cogitandum de promiſſionibus diuinis 110.43
in Inuocatione ſeria quatuor concurrunt 347.49
Inuocatio niti debet mandato Dei 110.47
Inuocatio non intermittenda 763.5
Inuocatio per Chriſtum fieri debet 393.16
Inuocatio propria nota credentium 234.48
Inuocatio quando fiat vana & irrita 493.21
Inuocationis ſanctorum refutatio 54.28
Inuocatio ſine fide fieri nequit 110.41
Iohannes baptiſta 899.5
Ioſeph cur mandata fratribus dederit de oſſibus ſuis tollendis de Aegypto in terram promiſſam 895.12
Ioſephi & Catonis collatio 450.50
Ioſephi exaltatio ex carcere 2.28
Ira 515.48
Iracundiæ effectus 428.54
Ira duplex 515.53
Ira Dei iudicis iuſta 904.58
Ira Dei iuſtiſſima 105.1
Iræ 362.21
Iræ Dei propter peccata magnitudo 783.34
Iræ Dei vehementia & peccati noſtri magnitudo cognoſcitur ex præſtantia victimæ 219.31
Iræ diuiſio 647.26
Iræ & odij diſcrimen 756.54
Iræ moderandæ conſilium 428.47
Iræ prohibitio 930.32
Iræ qui modus eſſe debeat 428.44 (690.40
Ira per vultum Domini ſignificata
Ira pro pœna 33.21
Ira pro vltione 20.16
de Ira Pythagoricum ſymbolum 428.51
Ira quænam approbanda 776.3
Ira quando ſit virtus 334.58
Irene vidua 799.53
Iſaac imago Eccleſiæ preſſæ 2.3
ex Iſmaele natos cur non voluerit Deus dici filios ſeu ſemen Abrahæ 96.3
Iſmael, Iſaac 773.7
Iſmael num ſit damnatus 96.41
Iſmael perſequitur Eccleſiam 2.2
Iſrael cur ad legem iuſticiæ non peruenerit 105.58
Iſrael cur ſalutem non ſit conſecutus 115.13
Iſrael Dei pro toto fidelium cœtu 379.7
Iſraelitæ non ex deſtinatione Dei, ſed propria malicia degenerarunt 105.38
Iſraelitæ plerīq; cur pereant 105.47
Iſraelitæ quare reiecti 333.37
Iſraelitæ quomodo Deum tentarint 846.51
Iſraelitæ veri non omnes promiſſionis filij 104.54
Iſraelitas non omnes eſſe eos qui ex carnali Iſraelis ſemine nati ſunt 104.50
ex Iſrael nati non ſunt veri Iſraelitæ omnes 105.35
Iſrael pro Eccleſia Catholica 119.41
Iudæ proditoris ſucceſſor Antichriſtus Romanus 13.23
Iudaicæ cauillationis refutatio 343.15
Iudaicæ gentis interitus diffidentiæ ipſorum aſſcribendus non fatali neceſſitati 95.21
Iudaicæ gentis pars maxima cur à Deo reiecta 95.34
Iudaicæ gentis reiectio 535.10
Iudaizare quid 330.32
Iudæi acturi pœnitentiam in gratiam reciperentur 107.1
Iudæi aliquando conuertendi 120.40
Iudæi cur à Deo abiecti 116.12
Iudæi cur non ſint conſecuti iuſticiam fidei 106.9
Iudæi externi & occulti differentia 31.11
Iudæi non fatali neceſſitate abiecti ſunt 117.52
Iudæi num, vt aliqui ſentiunt, nouiſſimo tempore ante iudicium ſint conuertendi 119.37
Iudæi quare Euangelium calumnientur & reijciant 14.2
Iudæi quare ſint reiecti 112.59
Iudæi quid præſtent gentibus, quid non 32.4
Iudæi quomodo ſint affecti erga Euangelium 159.10
Iudæi ſemen ex lege dicti 49.51
Iudæorum accuſatio contra Paulum 336.55
Iudæorum contumacia 115.30
Iudæorum duo genera 409.38
Iudæorum & gentilium ſeparatio in quibus conſiſtat 410.34
Iudæorum & gentium collatio 32.24 & 70.7
Iudæorum & gentium diſcrimen 409.50
Iudæorum & gentium diſcrimen in rebus medijs 135.1
Iudæorum & gentium exæquatio 30.53 & 40.26 & 410.55 & 761.41
Iudæorum excæcatio perpetua 264.42
Iudæorum impiorum multitudo eſt 104.59
Iudæorum malicia 534.52
Iudæorum multiplex diſperſio 922.39
Iudæorum pleroſq; damnari 104.57
Iudæorum prærogatiua 29.16 & 94.55
Iudæorum receptio non impedit ſalutem gentium 116.52
Iudæorum reiectionem non eſſe vniuerſalem 113.33
Iudæorum ſaluandorum paucitas

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

citas teſtimonio Prophetæ ſignificata 105.10
Iudæorum ſalus non impedit ſalutem gentium 117.2
Iudæorum ſalus ſeu receptio gentibus non eſt pernicioſa 116.21
Iudæorum ſuperbia vnde elucebat 122.24
Iudæorum vanitas 791.38
Iudæos eſſe iniuſtos 29.47
Iudæos eſſe reiectos 10.6.18
Iudæos non minus ac gentes eſſe reos 29.8
Iudæos quantum ad iuſtitiam & meritum non præſtare gentibus 33.48
Iudex καταχρηστικῶς 33.29
Iudicandi poteſtas quatenus homini adimatur 171.18
Iudicaturi quomodo affecti eſſe debeant 136.60
Iudicare Dei eſt 171.17
Iudicare pro condemnare 211.31
Iudicare quid 33.28
Iudices non ſint. abiecti homines 180.38
Iudices quomodo fiant rei alieni peccati 807.12
Iudicia Dei inſcrutabilia 121.58
Iudicia humana quando non ſint damnanda 171.3
coram Iudicibus profanis non temere litigandum 180.34
Iudicij Dei effectus 551.30
Iudicij Dei ſeu aduentus Chriſti ad iudicium certitudo 727.28
Iudicij diem læti & alacres pij expectant 786.16
Iudicij dies 28.55
Iudicij diuini & humani diſcrimen 887.36
Iudicij diuini ratio 27.22
Iudicij diuini regula immota 773.58
Iudicij extremi cogitatio acrius pietatis ſtudium excitare in nobis debet 886.16
Iudicij extremi dies cur magnus 725.13
Iudicij extremi ſtatus 272.1
Iudicij extremi timor nullus in ijs, qui caritate ſunt præditi 786.30
Iudicij futuri euidens argumentum 551.12
Iudicij futuri teſtimonium 779.30
Iudicij futuri teſtimonium conſcientia cuiuſq; 751.20
Iudicio Dei iuſtiſſimo ſubijcendos omnes 27.10
in Iudicio Dei qualiſnam ſententia feretur 26.4
in Iudicio extremo non fiet noua creatio, ſed creaturæ renouatio 88.32
Iudicio extremo quales ſimus futuri 881.6
Iudicis Dei manus neminem poſſe effugere 887.14
Iudicium de doctrina Laicis non adimendum 474.35
Iudicium Dei erga inobedientes 515.21
Iudicium Dei futurũ cur æternum dicatur 859.24
Iudicium Dei manere ratum etiamſi ad tẽpus differatur 25.46
Iudicium duplex 374.56
Iudicium ex euentu 639.20
Iudicium humanum quale ſit 170.59
Iudicium improbandum quod ſit 171.24
Iudicium Dei iuſtum 22.42
Iudicium non præcipitandum 640.52
ad Iudicium manducare corpus Domini quid ſit? 205.32
Iudicium mundi contemnendum 417.1
Iudicium Pauli de inceſto 175.43
Iudicium pro pœna 131.3 & 358.40
Iudicium pro reatu 61.6
Iudicium quomodo ſit futurum ſecundum opera 26.32
Iuramenti finis legitimus qui ſit 862.44
Iuramenti forma ſeu phraſis 238.45
Iuramenti liciti definitio 978.55
de Iuramentis Anabaptiſtarum argumenta refutata 979.12
in Iuramento quatuor ſpectanda 978.32
Iuramentum aliquod licitum 16.30
Iuramentum in cauſſa honeſta licitum 298.58
Iuramentum non omne eſſe prohibitum 978.11
Iuramentum num omne ſit prohibitum 979.16
Iuramentum poſſe præſtari 862.43
Iuranti cui ſit credendum 862.46
Iurantibus quatenus fides habenda 16.32 & 979.1
Iurare quando liceat quando non 978.51
Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſeuerioris finis 308.55
Iuriſiurandi damnatio 977.51
Iuriſiurandi religionis confirmatio 94.9
Iuſiurandum licitum 324.20
Iuſiurandum Pauli 16.21
Ius ſummum ſumma iniuria 600.18
Iuſticia 484.13 & 655.45
Iuſticia à lege non quærenda 332.28
Iuſtitia alia legis alia fidei 39.55
Iuſticia Chriſtiana ex fide ſimul & operibus à Papiſtis componitur 338.2
Iuſtitia Chriſtiana fide tantum nititur 39.58
Iuſtitia Chriſtiana non ex lege 319.56
Iuſticia cur ſectanda 541.29
Iuſticia Dei Apoſtolo eſt obœdientia Chriſti 62.16
Iuſticia Deo cur etiam fidei iuſticia dicatur 107.35
Iuſticia Dei cur homines iuſtificari dicantur 561.20
Iuſticia Dei homines iuſtificari 36.34
Iuſticia Dei hominibus imputata quæ ſit 275.51
Iuſticia Dei qua homines ſaluantur abſcondita ſine Euangelio 18.41
Iuſticia Dei qua homines ſaluantur non de eſſentiali ſed imputata intelligenda 18.34 & 62.14 & 941.40
Iuſticia Dei, reuelata Euangelio quomodo contingat 18.46
Iuſticia Deo placens, ex fide 19.43
Iuſticia duplex 45.53 & 107.32 & 476.30 & 941.30
Iuſticiæ actiones tria requirere 34.7
Iuſticiæ Chriſtianæ definitio 477.1 & 561.3
Iuſticiæ Chriſtianæ partes eſſentiales fidem & opera falſo Papiſtæ ſtatuunt 107.44
Iuſticiæ Chriſti fide tantum reddimur participes 275.59
Iuſticiæ Chriſti vis 61.14 & 62.2
Iuſticiæ Dei teſtimonium 746.16 & 762.38
Iuſticiæ diuinæ in iudicando ratio (27.22
Iuſticia & iudicij diuini regula immota 726.13
Iuſticiæ fidei definitio 108.24
Iuſticiæ fidei deſcriptio per negationem

tionem 108.43
Iuſticiæ fidei dignitas 36.30
Iuſticiæ gratuitæ beneficium vniuerſale 37.2
Iuſticiæ gratuitæ inſtrumentum apprehendens quodnam 37.10
Iuſticiæ hominis triplicis ſcriptura meminit 941.49
Iuſticiæ imputationem ad remiſſionem peccatorum requiri 561.13
Iuſticiæ legalis & Euangelicæ diſcrimen 476.50
Iuſticiæ materia in obiecto quærenda, non in qualitate fidei 336.48
Iuſticiæ operum refutatio 18.58 & 19.35
Iuſticiæ propriæ fiducia omnis abijcienda vt Chriſti participes fiamus 476.18
Iuſticiæ qualitas in Chriſto 940.45
Iuſticiæ ſermo plena Chriſtianorum inſtructio 857.51
Iuſticiæ ſeruus qui ſit 77.38
Iuſticiæ tantum duæ formæ 41.49
Iuſticia fidei, non de eſſentiali ſed de imputata intelligenda 36.26
Iuſticia fidei quomodo à Paulo tractetur 35.39
Iuſticia fidei quomodo ſit Dei iuſticia 19.23
Iuſticia fidei, ſola fide abſque operibus recipitur & poſſidetur 19.5
Iuſticia formalis quæ 364.47
de Iuſticia gratuita tria teſtimoniorum genera ex Moſe 36.58
Iuſticia inchoata in iuſtificatis quid 69.54
Iuſticia legis & fidei vt diſtinguatur 35.47
Iuſticia legis diuerſa à iuſticia fidei 36.15
Iuſticia legis duplex 475.34
Iuſticiam Chriſtianam non operib. ſimul & fide conſtare 334.44
Iuſticiam Chriſti non poſſe conſtare cum vllis meritis humanis 356.24
Iuſticiam Chriſti quandiu retineat homo 477.6
ad Iuſticiam conſequendam viæ duæ 19.48
Iuſticiam contingere ex fide abſque operibus 331.11
à Iuſticia meriti humani excluſio 40.4
Iuſticiam eſſe ex fide 19.20
Iuſticiam Euangelij eſſe ex fide 40.7 & 53.38
Iuſticiam Euangelij quomodo Papa tollat 563.4
Iuſticiam ex lege quærentes, Chriſtum pro ſe mortem obijſſe negant 333.25
Iuſticiam falſo ex operibus Papiſtæ extruunt 376.8
Iuſticiam fide & operibus ſimul conſtare aſſerentium refutatio 941.13
Iuſticiam fide & operibus ſimul conſtare quomodo iuſticiarij probent 337.6
Iuſticiam fide et operibus ſimul ſtare non poſſe 40.1 & 42.44 & 43.27 & 408.44 & 476.45
Iuſticiam fidei comprobatam eſſe teſtimonio Moſis & Prophetarum 36.44
Iuſticiam fidei eſſe Dei iuſticiam 36.23
Iuſticiam fidei eſſe vniuerſalem 44.35
Iuſticiam fidei facile conſequimur 36.31
Iuſticiam fidei promiſcue offerri omnibus 40.10 & 339.3
Iuſticiam fide tantum non operibus contingere 336.16
per Iuſticiam quid intelligatur 69.52
Iuſticiam gratuitam à Iudæis & Papiſtis impugnari 42.28
Iuſticiam hominis eſſe imputatiuam 45.42
Iuſticiam nobis imputatã eſſe quiddam extra nos 275.56
Iuſticiam non conſtare ex operibus 335.21.29.41
Iuſticiam non eſſe ex lege aut operibus 339.9
Iuſticiam non eſſe ex operibus 331.41
Iuſticia ſine operibus 44.45
Iuſticiam operibus qui perfici docent, Chriſtum accuſant 332.17
Iuſticiam operum Papiſtæ inepte ex loco Pauli extruunt 598.6
Iuſticia noſtra 743.48
Iuſticia noſtra ſolus Chriſtus 26.41
Iuſticia num ex fide conſtet an vero ex operibus 330.46
de Iuſticia qua conſiſtimus coram Deo errores vnico aphoriſmo refutari 19.9
Iuſticia quibus rebus opponatur 69.49
Iuſticia quomodo iuxta Paulum adhuc expectanda, cum reuera hic habeamus remiſſionem peccatorum 357.4
in Iuſticia quomodo ſimiles patri cœleſti eſſe poſſimus 764.31
Iuſticiariorum refutatio 121.14 & 476.2
Iuſticiarios tranquillo eſſe animo poſſe nunquam 53.49
Iuſticia vniuerſalis quid 23.4
Iuſti eodem modo ſumus quo Chriſtus peccator 476.57
Iuſtificandi eandem eſſe rationem in omnibus 41.58 & 42.12
Iuſtificandi verbi duplex in ſcriptura ſignificatio 331.21
Iuſtificandi verbum bifariam accipi 46.12
Iuſtificare impium quid 45.57
Iuſtificari pro iuſtum declarari Iacobo ſumitur 937.56
Iuſtificati fide num ſint ſub lege 71.17
Iuſtificati hominis ratio ad Chriſtum 71.44
Iuſtificati non obſtringant ſe nouo reatu 181.53
Iuſtificatio Chriſto ſoli aſſcribenda 57.44
Iuſtificatio δικαίωσις 61.45
Iuſtificatio duplex 28.1
Iuſtificatio hominis quid 51.10
Iuſtificatio Iacobo non eſt imputatio ſed declaratio iuſticiæ 337.48
Iuſtificatio munus eſt non merces 353.51
de Iuſtificatione dicto Paulino Papiſtæ abutuntur 330.45
Iuſtificationem à lege nequaquam petendam 356.35
in Iuſtificatione meritum excludi 37.35
Iuſtificationem eſſe gratuitam 28.9
Iuſtificationem eſſe reconciliationem noſtri cum Deo 53.39
Iuſtificationem fide contingere 9.30 42
ante Iuſtificationem hominem eſſe (impium 46.6
Iuſtificationem gratuitam Papiſtæ falſo dicto Paulino euertere conantur 639.30
Iuſtificationem gratuitam infringere conantes quomodo refutentur 343.2
Iuſtificationem ſacramentis non aſcribendam 44.32
in Iuſtificatione nulla operum gloriatio 33.24

de

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

de Iuſtificatione propoſitiones æquivalentes 37.51
de Iuſtificatione quales ſpargantur errores 940.58
Iuſtificationis cauſſa efficiens 347.18
Iuſtificationis cauſſa in ſolo Chriſto eſt 62.11
Iuſtificationis cauſſa inſtrumentalis 386.40
Iuſtificationis comitem eſſe ſanctificationem 64.33
Iuſtificationis definitio 743.50 & 940.26
in Iuſtificationis definitione quinq; veluti elementa ſpectanda 940.28
Iuſtificationis doctrina methodo breuiſſima comprehenſa 53.1
Iuſtificationis effectus 53. 30. 52 & 54. 19. 33. 48 & 58.10
Iuſtificationis efficiens 37.9
Iuſtificationis efficiens principalis 37.45
Iuſtificationis finis 39. 16 & 61.48 & 69.12 & 73.26
Iuſtificationis gratuitæ beneficium etiam ad gentes pertinere 40.31
Iuſtificationis gratuitæ doctrinam non eſſe nouam 36.48
Iuſtificationis gratuitæ forma 37.55
Iuſtificationis gratuitæ probatio ex Abrahæ hiſtoria 338.53
Iuſtificationis inſtrumentum fides 340.26
Iuſtificationis materia 38.13
Iuſtificationis modum quomodo Paulus doceat 58.33
Iuſtificationis modus 82.18
Iuſtificationis nomine tria intelliguntur 560.48
Iuſtificationis non idem ſcopus Paulo & Iacobo propoſitus 938.4
Iuſtificationis noſtræ modus 496.49
Iuſtificationis ordo 912.32
Iuſtificationis principia 926.39
Iuſtificationis ſeu reconciliationis definitio 274.31
Iuſtificationis vocabulum dupliciter accipi 43.50
Iuſtificationis vox quid Paulo ſignificet 61.50
Iuſtificationis vnus idemq; modus omnibus 336.35
Iuſtificatio pro iuſtificationis materia 61.42
Iuſtificatio quid 62.8
Iuſtificatio quid ſignificet Paulo 91.33
Iuſtificatis fide non imputari peccatum ad damnationem 68.37
Iuſtificatorum conditio 68.27
Iuſtificatorum officium 67.37
Iuſtificatorum ſpem non fore irritam 58.5
Iuſtificatorum ſpes certiſſima 55.47
Iuſtificatos liberos eſſe à legis iure 68.35
Iuſtificatos poſſe relabi & perire 86.39
Iuſtificatos pudere oportet prioris ſtatus 60.17
Iuſti, homines Dei 6.8
Iuſtos nos eſſe eodem modo, quo Chriſtus fuit peccator 940.46
Iuſtum fide viuere quomodo intelligendum 341.16
Iuſtum ex debito neminem fieri 45.36
Iuſtus ex fide viuit, quodnam ſit ſubiectum quod prædicatū 19.27
Iuuandi omnes 12.54
Iuuenculæ monaſterijs non includendæ 612.44
Iuuenilis ætas ſenili grauitate ornanda 607.35
Iuuentus in miniſtro Euangelij non contemnenda 603.34
Iuuenum ditiorum vicia 967.37
Iuuenum luxus 968.44

K

Κακία 516.2
κακοήθεια 23.28
κακοζηλία Eremitarum 817.27
κακοζηλία ſtulta Papæ 569.20
κατάρτισις quid 308.45
καταρτισμὸς 371.22 & 424.19
κατατομὴ 474.33
καθῆκον 22.58
καθηχεῖν 375.25
κατηχηταὶ 423.41
κατηχούμενος 29.36
κατήφεια 949.32
κενοδοξία quantum vicium 369.55
κῶμος quid 133.58 & 363.5
κοινωνία 742.25
κοινωνία idiomatum 798.10
κόπος & μόχθος vt differant 533.9
κυπρομανεῖς 515.2
κυριότης Chriſti 397.1
κυρῶσαι 258.36

L

LAban perſecutor Eccleſiæ 2.6
Labor cur ſuſcipiendus 542.55
Laborem manuarium non omnibus præcipi 578.23
Labori præmium non negandum 613.45
Laboris commendatio 429.4 & 542.51 & 577.42
Laboribus in vocatione nullis parcendum 144.16
Laboris præceptum 578.49
Labor quando fiat irritus 504.56
Laborum noſtrorum Deus eſt inſpector 191.29
Laborum nullus ſucceſſus ſine Deo 515.38
Lac pro initiali doctrina & elementali 857.48
Lac pro ſermone ſimplici 857.44
Lacrimæ pœnitentium quando ſint inanes 904.16
Lætitia piorum in quibus rebus conſiſtat 435.10
Lætitiæ ſpiritualis commendatio 434.43
Laqueus pro doctrina corrupta 115.57
Laſciuia 361.53
Laſciuia ἀσέλγεια 696.41
Laſciuia ἀσέλγεια peccatum 134.1
Laſciuire aduerſus Chriſtum quid 612.24
Laus 484.19
Lapides duodecim quare fuerint in veſte ſacerdotis, in templo Salomonis 168.2
à Lapſibus quinam magis tuti ſint alijs 710.32
Lapſi erigendi 371.16
Lapſis venia non neganda 118.58 258.29 & 351.27 & 371.37 & 431.42 & 719.13 & 750.28 & 980.20
Lapſorum erigendorum cauſſa 371.26.53
Lapſos erigendi modus 371.34
Lapſos in gratiam à Deo recipi 351.30
Lapſos in viam reuocare intereſt totius Eccleſiæ 257.17
Lapſos poſt reſipiſcentiam recipiendi legitimus modus 253.42
Lapſum eſſe προαιρέσεως 27.3
Lapſum hominum num ordina-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

uerit Deus ante mundum conditum, cum elegerit quoſdam ante mundum conditum 387.46
Lapſus alieni rei ſiunt, qui alios non emendant ſi poſſint 177.36
Lapſus aliorum periculi nos admoneant 372.14
Lapſus crebri fratrum humilitatem nos doceant 175.35
Lapſus crebri vitandi 886.48
Lapſus dupliciter contingit 710.30 & 859.44
Lapſus humani remedium 389.8
Lapſus ignorantiæ & infirmitatis condonantur repugnantibus ſpiritu 76.39
Lapſus Iudæorum cauſſa ſalutis gentium 116.15
Lapſus Petri recte à Paulo reprehenditur 329.37
in Lapſus publicos ſeueritas exercenda 175.37
Lapſus quinam conſequantur veniam, qui non 886.36
Lapſus qui veniam mereantur 859.49
Lapſuum cauſſa 945.34
Lapſuum ſeu peccatorum cauſſis & irritamentis quid opponendum 77.4
Lectioni ſacrorum librorum ab ineunte ætate ſtudendum 636.10
Lectio ſcripturæ nunquam abijcienda 640.20
Lectionis varietas 521.45 & 895.4
Lectio ſcripturæ quomodo inſtituenda 607.55
Legales promiſſiones & comminationes 75.19
Legales pugnæ 659.43
Legatorum Dei pedes cur ſpecioſi à Propheta dicantur 111.10
ex Lege eſſe & ex fide eſſe opponuntur 49.57
in Lege eſſe qui dicantur 35.3
Lege homines non iuſtificari 339.9
ex Lege iuſticiam nequaquam contingere 342.20
Lege iuſtificari volentes amittunt libertatem Chriſtianam 356.26
Lege iuſtificari volentes ſunt extra Eccleſiam 353.35
à Lege manumiſſio 72.55
Legem Chriſti num pij poſſint implere 373.22
Legem cur latam Paulus dicat vt peccatum magis abundet & augeatur, cum nullus Magiſtratus bonus ferat legem, vt malum in ſua Republica augeatur, ſed potius vt minuatur 62.27
ante Legem datam quomodo homines condemnari potuerint 59.39
Legem Dei neminem, Chriſto excepto, poſſe in hac vita implere 373.33
Legem diuinam bonam eſſe 78.7
Legem fruſtra Iudæos prætendere 29.47
Legem implere quid ſit 360.24
Legem in renatis irritare malos affectus 72.49
Legem iuſto non eſſe poſitam quomodo intelligendum 588.43
Legem niti autoritate diuina 904.52
Legem non eſſe abrogatam vnde Iudæi ſtatuant 874.33
Legem non iuſtificare 346.5 & 356.44
Legem perfecte neminem poſſe implere 790.21
ad Legem quomodo ſe habeat populus Dei 346.41
per Legem ſpiritus vitæ quid apud Paulum intelligatur 81.40
Legem ſtabiliri per fidem 40.46
Lege neminem iuſtificari 19.56 & 108.35 & 340.53
ſub Lege non eſſe quomodo ſit intelligendum 68.58
à Lege non quærenda iuſticia 332.28 (359.42
à Lege quatenus liberati ſimus
Lege qui illegitime vtantur 588.21
Lege qui legitime vtantur 588.17
Leges ceremoniales & forenſes quatenus ſint abrogatæ 345.22
Leges ceremoniales quomodo adumbrarint Chriſtum 345.3
Leges Moſaicas conſiderari modis tribus 348.14
Leges quatenus approbandæ 130.46
ſine Lege viuere quid ſit 74.57
de Legibus reuerenter iudicandum 963.27
Legi Dei nemo viribus naturæ ſatisfacit 72.48
Legi Dei quando ſatisfiat ab homine 561.41
Legis iuſticiæ Chriſti pars ne minima quidem imputanda 319.56.
Legi nulla ſalutis portio aſſcribenda 333.28
Legi ſalus non aſſcribenda 333.45
Legi ſatisfactum per Chriſti mortem 82.30
Legis abrogatio 874.24
Legis abrogatio ad quoſnam pertineat 71.51
Legis ac Euangelij diſcrimen 18.20
Legis accuſationi conſolatio opponenda 332.40
Legis conditio 82.16
Legis definitio 74.7
à Legis damnatione liberatio per Chriſtum contingit 341.41
Legis damnatoriæ ſententiæ, quomodo interpretandæ 363.20
Legis damnatoria ſententia fidelibus ſublata 81.15
Legis dictum, Diliges proximum ſicut teipſum, quatuor continet 133.4
Legis duratio 346.56
Legis effectus 49.23
Legis & Euangelij collatio 904.36
Legis & Euangelij diſcrimen 263.6 & 264.13 & 343.50 & 359.51 & 469.37 & 476.50 & 494.11 & 871.24
Legis & Euangelij diſcrimen typo declaratum 352.1
Legis & Euangelij effectus 263.58
Legis & Euangelij effectuum comparatio 263.29
Legis & Euangelij typus 353.33
Legis & fidei contrarias eſſe vias 19.38 (27
Legis & fidei iuſticiæ collatio 108.
Legis & hominis collatio 76.21
Legis factor qui dicatur 931.5.38
Legis finis 40.51 & 75.17 & 344.5 & 705.38
Legis impletionem dupliciter accipi in ſcriptura 373.25
Legis intelligentia carnalis adumbrata Moſis velamine eſt 264.41
Legis ius nullum in renato 789.52
à Legis iure quatenus liberi ſimus vel teneamur 82.34
Legis iuſticia Chriſti abolet iuſticiam 351.16
Legis iuſticiam nihil facere ad ſalutem 353.5
Legis iuſtitiam plenam requirere obœdientiam 43.58
Legis iuſticia qui iuſtificari cupiunt cur damnentur 107.38
à Legis maledictione ſolus nos Chriſtus liberat 342.22
Legis maledictio quibus non ſit abrogata 361.25

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Legis Moſaicæ ceremonialis finis 867.15
Legis myſteria pleriq; Iudæorum non intelligunt 264.36
Legis naturæ encomium 20.36
Legis naturæ partes 20.38.55
Legis nomen oppoſitum Moſi & Prophetis 36.54
Legis nomen tribuitur quatuor doctrinæ ſacræ partibus 874.38
Legis opera 35.16
Legis opera non tantum de Moſaicis ceremonijs intelligenda 40.18
Legis opus quodnam ſit 28.33
Legis partes tres 344.52
Legis ratio ad hominem iuſtificatum quæ ſit 71.35
à Legis rigore pios eſſe liberatos 444.27
Legis rigor pijs ſublatus 936.7
Legis rigor quantus 359.47
Legis ſcopo neglecto quid damni ſequatur 587.1
Legis ſcopus Chriſtus 264.58
ad Legis ſpiritualem intelligentiam venire nemo poteſt, priuſquam ad Chriſtum conuerſus fuerit 265.10
Legis tranſlatio 867.39
à Legis vinculo ſaluti donamur Spiritu ſancto 73.24
Legis vocabulum quid ſignificet 344.23
Legis vſus 35.29 & 62.23 & 332.37 & 343.37 & 588.3 & 868.9 & 939.16
Legis vſus detegere peccatum alioquin latens 72.52
Legis vſus duabus ſimilitudinibus expoſitus 344.16
Legis vſus & vis diuerſiſſ. in iuſtis & in iniuſtis 588.38
Legis vſus monſtrare Chriſtum 392.26
Legis vſus reuelare peccatum 67.15
Legitimũ quodnam dicatur 954.39
Lenitate Dei non abutendum 26.1
Lenitatis ſectandæ præceptũ 366.43
Leo imperator εἰκονομάχος 799.47
Leuitatis deſcriptio 254.39
Lex ab homine impleri nequit 475.38
Lex carceri comparata 344.29
Lex cauſſa mortis per accidens, peccatum per ſe cauſſa 75.51
Lex comparata carceri & pædagogo 344.18
Lex cum non iuſtificet, cur ſit data 343.33
Lex cur bona, iuſta, ſancta 75.46
Lex cur dicatur litera & Euangelium ſpiritus 263.10
Lex cur libertatis dicatur 931.38 & 935.38
Lex an mortis miniſterium dicatur 263.44
Lex cur nihil iuris habeat in renatos 368.42
Lex cur non aſſequatur finem ſuum 108.8
Lex cur perfecta 931.31 (81
Lex damnat omnes homines 342.
Lex Dei profert peccatum in lucem 76.11
Lex Dei quo in loco ſit apud Papam 559.10
Lex Dei quo reſpectu leuis aut grauis dicatur 789.40
Lex Dei vnde æſtimanda Eccleſia 559.4
Lex duplex 39.36
Lex Elementis mundi comparata 346.53
Lex & conſcientia fruſtra fideles accuſant 91.30
Lex & Euangelium conditionis modo differunt 100.26
Lex & fides quando ſint contraria ſibi inuicem 341.4
Lex generaliter accepta 35.2
Lex inefficax ad iuſtitiam obtinendam, & qua de cauſſa 82.10
Lex immota voluntatis Dei regula 904.54
Lex in quos nihil iuris habeat 361.32 & 368.24
Lex in quos plenum ius habeat 589.14
Lex intolerabilis 363.54 (2
Lex miniſtra condemnationis 264.
Lex moralis quomodo abrogata ſit quomodo non 345.14
Lex Moſaica quatenus abrogata 410.58
Lex noua dilectio 372.55
Lex num ſit contraria Euangelio, cum hoc gratis ſaluet, illa damnet 344.1
Lex num ſit mala, quod operetur malum, videlicet peccatũ 73.35
Lex peccatũ deliteſcens prodit 75.5
Lex pædagogo comparata 344.43
Lex pro legis operibus 36.53
Lex quadruplex à Paulo proponitur in regeneratis 69.34
Lex quandiu dominetur homini 71.20 (263.32
Lex qua ratione dicatur occidere
Lex qua ratione dicatur viuificare 263.34
Lex quare non aſſequatur quod quærit 40.53
Lex quare non iuſtificet 341.25 & 344.12
Legis quatenus abrogata 69.1 & 345.8
Lex quomodo augeat peccatum in natura 62.45
Lex quomodo iuſto non ſit poſita 589.1
Lex quomodo fuerit pædagogus ad Chriſtum 344.51
Lex quomodo inutilis & infirma 867.50 & 868.1
Lex quomodo ſtabilitur 40.54
Lex typice per Agar notata 352.
Lex viuendi 756.8 (18
Liberos cur negligentius inſtitui quidam parentes curent 968.7
Liberalitas diuinum opus 287.57
Liberalitas erga pauperes compenſatur diuinis beneficijs 290.54
Liberalitas erga pauperes fidei caritatiſq; fructus eſt 144.58
Liberalitas erga miniſtros verbi & ſcholas Deo acceptiſſima 486.30
Liberalitas in ſanctos Dei beneficium 285.42
Liberalitas opus bonum 485.43
Liberalitas pro facultatum ratione exercenda 244.42
Liberalitas quænam ſit accepta Deo 290.22
Liberalitas quatenus exercenda 287.25
ad Liberalitatem erga pauperes populum miniſtri verbi hortari debent 244.26 (37
Liberalitatis cauſſæ impulſiuæ 286.
Liberalitatis commendatio 127.53 & 285.30 (53
Liberalitatis Dei magnitudo 418.
Liberalitatis erga miniſtros verbi inſigne exemplum 208.20
Liberalitas etiam erga abſentes & exteros exercenda 244.57
Liberalitatis in pauperes commendatio 144.30 (54
Liberalitatis præmium à Deo 486.
Liberalitatis remuneratio 619.50
Liberationis à lege finis 72.19
Liberationis à legis damnatione modus 341.49
Liberationis à legis damnatione finis 341.58
Liberatiõis à legis maledictiõe finis

ſalus 342.26
Liberationis fiducia 45.17
Liberationis promiſſio 889.45 & 949.38
Liberationis teſtimonium 624.17
Liber cur ſanguine aſpergebatur in veteri teſtamento 745.7
Liberi arbitrij aſſertio 69.32
Liberi arbitrij commentum vnde extruxerint Papiſtæ 235.57
Liberi arbitrij euerſio 262.50
Liberi arbitrij euerſio quod ad obœdientiam ſpiritualem Euangelio præſtandam 163.58
Liberi arbitrij exemplum ab Auguſtino propoſitum 403.10
Liberi arbitrij vis 631.9
Liberi negligenter inſtituti quid præſtent 610.53
Liberorum educatio non negligenda 646.28
Liberorum educatio qualis eſſe debeat 813.6
Liberorum obœdientia 579.8
Liberorum obœdientia erga parentes quid requirat 519.4
Liberorum obœdientia qualis & quatenus requiratur 440.12
Liberorum officium 440.1
Liberorum perpetuum patrimonium 488.49
Liberorum tractatio ſit liberalis 519.22
Liberos educare bonum opus 612.2
Liberos eſſe in poteſtate parentum 194.24
Liberos qui pro arbitrio ſuo viuere ſinunt, quadruplici modo peccant 489.5
Libertas Chriſtiana duplex 354.36
Libertas Chriſtiana in rerum mediarum vſu non ſit expers caritatis 197.1
Libertas Chriſtiana non prætexenda malicia 685.44
Libertas per Chriſtum acquiſita retinenda 355.50
Libertas voluntatis quando fiat 355.7
Libertate Chriſtiana eatenus vtendum, quatenus ædificat 210.35
de Libertate Chriſtiana in rerum mediarum vſu nihil cedendum apud eos, qui ſunt edocti 197.57
Libertate Chriſtiana non abutendum 182.7 & 359.38
Libertate Chriſtiana non abutendum ad peccata 769.50
Liberate Chriſtiana vtens non contemnendus 135.30
Libertatem Chriſtianam nondum edoctus, non eſt ſpernendus 135.20
Libertatem Chriſtianam non ſimpliciter ſed relatiue intelligendam 305.4
Libertate non ſemper in rebus medijs vtendum, ne offendantur infirmi 196.31
Libertate quando abutamur 211.28
Libertatis Chriſtianæ abuſus 355.1
Libertatis Chriſtianæ doctrina, fides dicitur 134.46
Libertatis Chriſtianæ exemplum 326.32
Libertatis Chriſtianæ finis 354.46
Libertatis Chriſtianæ gradus 354.39
Libertatis Chriſtianæ prætextu peccatis non indulgendum 770.40
Libertatis Chriſtianæ tres modi 355.11
Libertatis Chriſtianæ vſus non culpandus 329 19
Libertatis Chriſtianæ vſus reſtringendus ad caritatis & ædificationis normam 210.43
Liberalitatis effectus 291.25
Libertatis humanæ vindicatio à Moſaicis ritibus & traditionibus humanis 410.44
Libertatis rectus vſus 329.57
Libertatis vocabulo duplex beneficium intelligitur 265.25
Libertinorum confutatio 741.6
Libertinorum deſcriptio 718.1
Libertinorum errores 68.48 & 314.27 & 443.52 & 749.34 & 771.37
Libertinorum error immortalitatem animarum negantium 591.19
Libertinorum, magiſtratum ciuilem libertatis Chriſtianæ prætextu tollentium, reprehenſio 354.59
Liber vitæ qui 481.44
Liberum arbitrium in natura corrupta 78.55
Liberum arbitrium nullum in ſalutis negotijs, extra gratiam 34.14
Libidines nefandæ papatus 716.1
Libidines vagas Deus eſt puniturus 908.15
Libidinum pœna 714.51
Lictori precium ſoluere eſt contra ius redemtionis 38.7
de Limbo patrum monachorum inſomnium 39.12
Lingua effrenis maximum malum 916.15
Linguæ continentis vtilitas 945.48
Linguæ donum quomodo cedat in Eccleſiæ ædificationem 229.44
Linguæ incontinentis incommoda 945.59
Linguæ frenatæ vtilitas 945.40
Lingua peregrina loquens non ædificat Eccleſiam 229.19
Linguæ petulantia 818.53
Lingua prudenter regenda 930.27
Lingua frenanda 949.41
Linguæ venenatæ prodigioſa inconſtantia 946.23
Linguæ vulgo incognitæ in templo ſonantes quando noceant 231.12
Linguarum abuſus, ſignum infidelitatis 231.2
Linguarum cognitio donū Dei 230.26
Linguarum dona 223.29
Linguarum dono quomodo vtendum 231.56
Linguarum peregrinarum vſus in templis offendit infideles 231.25
Linguarum vtilitas 229.5
Lis neceſſaria & voluntaria differunt 179.42
Litera & ſpiritus non de ſenſu literali & allegorico intelligenda 73.20
Litera & ſpiritus quid ſignificent 31.25
Litera quare dicatur occidere 73.10
Lites & contentiones Chriſtiani ſectari non debent 181.9
Lites & diſſidia inter Chriſtianos eſſe non debent 181.1
Lites ortæ inter fratres arbitris componendæ ſunt 180.29
Litium prohibitio 658.16
λύτρον quid 394.52
λύτρον redemtionis humanæ Papiſtæ reijciunt 42.50
de Locatione quid ſtatuendum 973.7

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Locus à Iacobo adductus ex Geneſis cap. 22. quomodo intelligendus 43.6
Locus Geneſis 18. explicatus 96.48
Locutio typica & ſacramentalis differunt 206.20
λ'γιαquid 32.19 & 244.31
λογομαχίαι 629.7
λογομαχίαι vitandæ 134.55
λόγος æternus cur hominum naturam aſſumſerit 843.51
λόγος pro diſputatione deceptoria 553.31
Lombardus Coriphæus Papiſtarum 567.37
Longanimitas 367.39
Lucis & tenebrarum vocabulis quæ intelligantur 740.27
Lucta carnis & ſpiritus in renatis 79.29
Luctæ ſpiritus aduerſus carnem quid opponendum 760.3
Luctui quatenus indulgendum 472.41
Luctus & gaudium quomodo ſimul ſint in Chriſtianis 482.4
Lutheri reprehenſio 801.4
Lux in ſcriptura dupliciter accipitur 469.14
Lux pro fidelibus 432.35
Lux pro tempore aduentus Chriſti in carnem 756.21
Lux ſcientiæ 133.36
Lycurgus quomodo commendet Lacedæmonijs educationem liberorum 967.50
λύχνος 745.16

M

Macedonicarum Eccleſiarum liberalitas 298.20
Macedonum commendatio à patientia & liberalitate in ſanctos 285.30
Macharius oratione ſuſtulit faſcinum 333.7
Magicæ ſuperſtitiones quibus regulis infringantur 362.3
Magiſterij humani iactantia non abutendum 166.27
pro Magiſtratu cur preces fieri debeant 310.24
Magiſtratui cur obœdiendum 130.1.25 & 685.13
Magiſtratui impio quatenus ſit obœdiendum 130.28
Magiſtratui non obtemperantes incurrunt in pœnam 131.47
Magiſtratui obœdientiam deberi 658.4
Magiſtratui quando liceat præter ordinariam taxam aliquid à ſuis exigere 953.41
Magiſtratui quatuor debentur 132.11
Magiſtratui vectigalia ſoluenda 131.53
Magiſtratum eſſe à Deo 130.35
Magiſtratum & poteſtates precibus ſanctorum indigere 593.35
Magiſtratum Papatus contemnit 716.3
de quo Magiſtratu Paulus loquatur 131.16
Magiſtratus autoritas 131.35
Magiſtratus ciuilis & Eccleſiaſtici diuerſa adminiſtratio 177.15
Magiſtratus ciuilis finis duplex 685.16
Magiſtratus cum Muſica comparatio 311.44
Magiſtratus cum perſequitur quid faciendum 131.21
Magiſtratus definitio 130.52
Magiſtratus Dei vice fungitur 131.40 (31
Magiſtratus Deo approbatur 726.
Magiſtratus dignitas ſententia Pauli non eleuatur 180.40
Magiſtratus eſt iuuare miniſterium 914.14
Magiſtratus ius à Deo 130.40
Magiſtratus non metuendus 131.23
Magiſtratus officium 132.2
Magiſtratus officium diuinum eſſe 310.32
de Magiſtratus ordinationibus bonis honeſte iudicandum 963.27
Magiſtratus pij non Atreum ſed Ioſaphat imitentur 310.44
Magiſtratus pius quatuor curare debet 311.9
Magiſtratus quando implicentur alienis peccatis 807.6
Magiſtratus quomodo erga ſubditos affectus eſſe debeat 685.23
Magiſtratus qui non timendus 131.19
Magiſtratus quomodo præſtet dilectionis opera ſubditis 360.2
Magiſtratus religionem negligens eſt infideli deterior 312.49
Magiſtratus reprehenſio tacita 908.23
Magiſtratus ſimilis tibicini 311.28
Magiſtri veri qui non ſint 310.27
Magiſtri aut doctoris titulus num pie vſurpari poßit 945.12
Magiſtri fidelis officium 297.51
Magiſtri nomen quomodo Iacobus accipiat 945.5
Magiſtri nunquid recte quidam ſe dici patiantur, cum id Chriſtus prohibuerit 424.2
Magiſter pio non ferenda diſcipulorum defectio & ſupina negligentia 379.25
Magorum qui Moſi reſtiterunt nomina 635.1
Mahometici regni ortus 5.8
Maieſtatis in Trinitate æqualitas 575.20
μακροθυμία 279.42 & 367.39
Mala duo inprimis pijs cauenda 918.29
Mala non per ſe eſſe cauſſas bonorum ſed per occaſionem 33.44
Mala ſeu crux huius vitæ momentanea 269.29
Malicia 23.22 & 516.2 & 680.37 (47
Malitia Chriſtianis fugienda 230.
Maliciæ & inuidiæ diſcrimen 680.
Maliciæ fructus 23.24 (42
Malicioſe viuentes triplici peccato inuolui 685.1
Maleficus 701.11
Mali cur ſint tot in mundo 630.46
Malis multis Deum propter paucos bonos parcere 714.57
Mali ſpeciem quodcunque præſefert fugiendum 971.20
Malorum cauſſæ 680.55
Malorum incrementa 635.45
Malorum inuentores 23.47
Malorum tres fontes 759.41
Malum ſuo genere quod eſt, pijs bonum & ſalutare fieri 55.37
Manichæi abutuntur dicto Paulino negantes reſurrectionem 242.8
Manichæorum error 72.53
Manichæorum error dicentiũ Chriſtum corpus ſecum è cœlo attuliſſe, refutatus 241.48
Manichæorum error, vitam hanc, vt malum per ſe, damnantium 472.9
Manifeſtari 36.40
Manſuetudinis commendatio 631.50 & 658.20
Manſuetudinis pugnantia 420.32
Manſuetudo 278.44 & 368.10
Manſuetudo πραότης 517.3
Manſuetudo tripliciter læditur 368.17

Manſue-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Manſuetudo quid 420.31
Manſuetudo vera vnde proueniat 368.15
Mandata cur Paulus ea dicat, de quibus in ſcriptura nihil extat 233.27
Mandata Dei ſeruare qui dicantur 695.14
Mandata optima quæ ſint 78.10
Mandati deſinitio 756.14
Mandatorum Dei obſeruatio in quo conſiſtat 789.7
Mandatorum Dei obſeruationis reſpectus duplex 789.10
Mandatorum Dei obſeruatio ſit finis actionum noſtrarum 190.29
Mandatum Dei vniuerſale 671.10
Mandatum teſtimonium voluntatis Dei infallibile 402.31
per Manducationem corporis Chriſti ſubſtantialem, non carnalem intelligi 206.2
quomodo Manna & aqua de petra manans Ioſuæ tempore, idem poßit eſſe cibus ſpiritualis cum noſtro, qui in Chriſtū credimus, cum illa ceſſauerint 205.36
Manuum impoſitio 859.11
in Manus Dei incidere 887.33
in Manus Dei incidere cur horrendum eſſe Epiſtola ad Ebræos pronunciet, cum Dauid potius elegerit in manus Dei incidere quam in manus hominum 887.52
Maranatha quid ſit 247.26
Marcellinæ idololatria 799.32
Marcionis hæreſis 266.24 & 628.10
Mariæ virginis partus 827.6
Mariti officium in vxorem quale eſſe debeat 436.2
Mariti pij officium 439.23 & 518.57 & 689.10
Maritorum officium 436.13
Maritus dominium habet in vxorem 213.35
Martyres non ſuo ſcelere pœnas merentur 899.26
Martyria quomodo probanda 828.4
Martyria ſanctorum non eſſe propitiatoria 502.52
Martyrij fructus 459.10.20 & 628.37 & 645.40
Martyrij ſanctorum vſus 638.56
Martyrum memoria cur in primitiua Eccleſia celebrata 459.23
Maſſa pro poſteritate 117.7
Matrimonij contractus parentes ſuo iure infringere poſſunt, ſi facti ſunt abſque eorum conſenſu 194.27
Matrimonij contrahendi cauſſa 187.24
Matrimonij definitio 810.58
Matrimonij finis 515.5
à Matrimonio quando conducat abſtinere, quando non 185.40
Matrimonium contrahendum eſt omnibus, qui dono continentiæ deſtituuntur 187.12
Matrimonium non licet contrahere liberis abſque conſenſu parentum 194.26
Matrimonium non eſſe malum aut vitioſum 185.37
Matrimonium num ſit omnibus contrahendum ex mandato Dei 186.40
ad Matrimonium non omnes ſunt adigendæ 186.57
Matrimonium ſanctum inter infideles eſſe nequit 188.22
Matronarum officia 612.59
Matrum indulgentia 968.9
Mediarum rerum vſus quantiſper ſit liber 139.3
Mediator cur non dicatur pater, cum ſit reconciliator 374.20
Mediator extra Chriſtum nullus 852.52 & 880.24
Mediatorem Chriſtum cur hominem eſſe oportuerit 853.53
Mediatorem cur Deum & hominem eſſe oportuerit 595.3 & 766.2
Mediatorem cur oportuerit vnam eſſe perſonam in duabus naturis 747.1
Mediatorem cur verum hominem eſſe oportuerit 740.34
Mediatorem eſſe Chriſtum ſemper 752.29
Mediatorem eſſe tantum vnum 594.48
Mediatores plures quomodo quærantur 925.20
Mediator extra Chriſtum nullus 880.24
Mediatoris applicatio cur Chriſto attribuatur 38.50
Mediatoris beneficia diſtincta 58.2
Mediatoris dignitatem in nullum quadrare niſi in Chriſtū 869.56
Mediatoris honorem ſoli Chriſto deberi 596.10
Medicinæ verbi cœleſtis ſtudium coniungendum 522.32
Meditationes piorum quales eſſe debeant 477.28
Medium reconciliationis Dei & hominis 765.59
Mens ἀδόκιμος quid ſit 22.46
Merces quid 45.45
Melchiſedech ἀγενεαλόγητος 865.19
Melchiſedech attributa nouem 846.5
Melchiſedech maior Abrahamo 865.52
Melchiſedechi nomen quomodo Chriſto competat 864.24
Melchiſedech quomodo aßimilari filio Dei poßit 865.26
Melchiſedech quomodo ſit ſacerdos in æternum 865.31
Melchiſedech ſuperiorem eſſe Leuitis 866.24
Melchiſedech vita cur in ſcriptura commemoretur & non mors 866.33
μεγαλοφροσύνη 517.2
Membrorum hominis non regenerati vicioſitas 72.53
Menandri & Ebionis refutatio 737.35
de Mendacio Rahab quid ſentiendum 897.46
Mendacium 516.7 & 761.28
Mendacium pro quouis fuco 428.30
Mendax in ſcriptura qui cenſendus 761.22
Mendicitas Monachorum refutata 45.17
Menſa dominica ſit à ſimulacris munda 801.23
Menſa Moſis quid adumbret 876.8
Mens 426.39
Menſuram peccatorum omnium gratiam Dei excedere 590.24
Mentem ipſam eſſe originem malorum effectuum 22.49
Mentes quænam claudicare dicantur 903.2
Mentis reprobæ effectus 22.59
Mercedem quomodo dicatur reddere Deus ſecundum opera 444.34
Mercedis promißio quomodo intelligenda 805.25
Mercedis vocabulum quomodo in ſcriptura vſurpetur 805.12
Merces credenti promiſſa diuinitus 936.11

Merces

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Merces dupliciter accipitur 45.48
Merces omnis ex miſericordia 626.16
Merces pro ſupplicio 716.36
Merita humana non conſequi bona cœleſtia 394.6
Merita Papiſtarum triplicia 563.17
Meriti Chriſti applicationem fide tantum fieri 38.37
Meriti Chriſti efficacia infiniti temporis 59.6
Meriti congrui refutatio 53.44 & 563.46
Meriti definitio 805.21
Meriti excluſio in iuſtificationis cauſſa 37.35 & 40.4
Meriti humani omnis à peccatorum remiſſione excluſio 750.18
Meriti humani omnis in ſalutis negotio euerſio 408.16
de Meritis dogma Papiſticum refutatum 172.14
Mentis renouatio præcipitur 124.38
Meritorum congrui refutatio 44.28
Meritorum hominum quod ad expiationem peccati euerſio 705.12 & 842.1
Meritorum humanorum euerſio 122.28 & 386.30 & 87.15 & 412.17
Meritorum iuſticiam Papiſtæ falſo ex dicto Pauli extruunt 462.10
Meritorum Papiſticorum refutatio 563.25
Meritorum ratio 805.16
Meritum Chriſti ad omnes pertinere 596.15
Meritum hominum nihil confert ad præmium diuinum accipiendum 98.11
Meſſiæ conditiones 781.52
Meſſiæ miſſi templi Hieroſolymitani ruina illuſtre teſtimonium 828.37
de Meſſia promiſſio 14.15
Meſſias qui ſit 781.52
de Meſſia vaticinium 894.59
Meſſis vita æterna 376.39
Moſis & miniſtrorum noui teſtamenti diſcrimen 264.27
μετάνοια 566.18 & 904.18
μέθοδ 362.54
Methodi commendatio 625.37
Methodice docens, recte docet 29.45
ad Migrationem ex hac vita ſemper paratos nos eſſe decet 677.29
Milites boni qui ſint 627.26
Militia Chriſtiana 446.19
Militiæ Chriſtianæ commendatio 702.48
Militiæ ſpiritualis ſcopus qui eſſe debeat 293.38
Militiæ ſpiritualis effectus 293.14
μηλωτή 899.20
Minæ hoſtium contemnendæ 461.55
Miniſter Euangelij ſit methodicus 625.27
Miniſterij approbatio 546.40
Miniſterij confeſſio 318.6
Miniſterij dignitas à fine ſeu vſu eius 142.53
Miniſterij dignitas in ſaluandis credentibus 116.46
Miniſterij dignitas iuxta ſpeciem externā non iudicanda 293.42
Miniſterij effectus 269.9
Miniſterij efficacia 267.34
Miniſterij Euang. dignitas 173.42
Miniſterij Euangelij ſummam eſſe dignitatem 274.52
Miniſterij Moſaici finis 845.47
Miniſterij verbi commendatio 517.49
Miniſterij verbi confirmatio 839.34
Miniſterij verbi difficultas 580.42
Miniſterij verbi dignitas 200.5 & 297.11 & 351.12 & 625.1 & 831.52 & 981.19
Miniſterij verbi finis 255.38
Miniſterij verbi obiectum gratia Dei 320.25
Miniſterij verbi pericula 582.11
Miniſterij verbi ſcopus 644.13
Miniſterij virtus Deo aſſcribitur 262.38
Miniſterij vtilitas 424.24 (8
Miniſterio debetur reuerentia 116.
in Miniſterio Euangelij fidem ſummam requiri 274.52
de Miniſterio iudicia hominum quando contemnenda 17.53
in Miniſterio Pauli virtutem Dei efficacem fuiſſe 307.45
de Miniſterio reuerenter & modeſte ſentiendum 275.6
Miniſterio verbi nemo aptus, niſi qui amat Chriſtum 667.21
in Miniſterio verbi quatuor concurrunt conſideranda 276.42
Miniſterium anteferendum omnibus officijs 200.11
Miniſterium Deo acceptum referendum 167.8
Miniſterium Deo noſtrum non placet ex euentu ſed per ſe 260.27
Miniſterium Euangelij habeat vocationem legitimam 13.13
Miniſterium Euangelij cur reconciliationis miniſterium dicatur 274.9
Miniſterium Euangelij quam late pateat 170 43 (38
Miniſterium illuſtrare quid ſit 116.
Miniſterium idem veteris & noui teſtamenti 832.6
Miniſterium non patiantur miniſtri verbi contemni 282.17
Miniſterium propter iniurias non abijciendum 300.45 (267.25
Miniſterium verbi anguſta ſeruitus
Miniſterium verbi habet autoritatem diuinitus 318.4 (261.34
ad Miniſteriū verbi idonei eligendi
Miniſterium verbi magnifaciendum 111.33
Miniſterium verbi militiæ comparatum 591.35
Miniſterium verbi non fruſtra ſuſcipi 276.37
ad Miniſterium verbi non quiuis idoneus 260.56
ad Miniſterium vocati, ſine ſcelere non poſſunt pedem reuocare 200.57
Miniſter non ſit percuſſor 647.44
Miniſter nullus alterius caput, ſed conſerui omnes 397.34
Miniſter verbi non ſit contentioſus 631.40 (531.36
Miniſter verbi qualis eſſe debeat
Miniſter verbi quomodo officium facere debeat 637.56
Miniſter quomodo ſaluet 694.26
Miniſtri audiendi vt Chriſtus ipſe 274.53
Miniſtri Chriſto indigni qui 294.
Miniſtri conſtantes ſint in defendendo verbo recte ſemel cognito 327.28 (277.11
Miniſtri Dei cum fructu qui ſint
Miniſtri Eccleſiæ qualiſnam cura & ſollicitudo eſſe debeat 161.2
Miniſtri Eccleſiæ quo animo ventitare domos auditorum debeant 17.22
Miniſtris Eccleſiæ ſollicitudo pro grege ſuo ſancta habenda 417.8
Miniſtri Euang. ad auditorū captū ſe demittere debent 165.11
Miniſtri Euangelij alijs humilitatis & virtutum exemplar eſſe debent 171.46

Miniſtri

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Miniſtri Euangelij commendabiles ſe auditoribus reddere debent fide & diligentia 262.18
Miniſtri Euangelij commendandi auditoribus 154.50
Miniſtris Euangelij debetur laboris compenſatio 144.45
Miniſtri Euangelij Dei ſunt cooperarij 166.46
Miniſtris Euangelij denegare ſtipendia ingratitudo eſt 298.28
Miniſtri Euangelij doctrinæ exemplum ſe debent ſtatuere 202.32
in Miniſtris Euangelij duo virtutum genera requiruntur 277.21
Miniſtri Euangelij duplices 267.20
Miniſtri Euangelij & auditores ſe mutuo honeſto ac pio zelo complectantur 522.21
Miniſtri Euangelij doctrina fidei perpetuo occupentur 606.17
Miniſtri Euangelij mutuo ſe amare debent 328.15
Miniſtri Euangelij, niſi ſtrenue officium fecerint, maledictioni erunt obnoxij 200.58
Miniſtri Euangelij non ad ocium aut voluptates vocantur 326.20
Miniſtri Euangelij non ἀπροσδιόνυσα infarciant ſuis concionibus 375.2
Miniſtris Euangelij non eſſe expectandas huius mundi delitias 624.12
Miniſtri Euangelij non ex ſermone ſed ex virtute ſunt æſtimandi 174.39
Miniſtri Euangelij omni officiorum genere iuuandi 664.32
Miniſtris Euangelij pauperum cura habenda 144.34
Miniſtris Euangelij quatenus gloriatio conceſſa 304.36
in Miniſtris Euangelij quanta conſtantia requiratur 172.51
in Miniſtris Euangelij quid requiratur 274.40
Miniſtri Euangelij quo in loco habendi 170.38 & 411.29
Miniſtri Euangelij quomodo affecti erga auditores ſuos male meritos eſſe debeant 94.7
Miniſtri Euangelij quomodo erga ſuos auditores affecti eſſe debeant 351.5
Miniſtri Euangelij quomodo ſaluos faciant auditores ſuos 116.50
in Miniſtris Euangelij requiri ſedulitatem & induſtriam 469.53
Miniſtris Euangelij ſtipendia non eſſe deneganda 199.24
Miniſtri Euangelij teſtimonium ſui officij diligenter præſtiti ab auditoribus petere debent 262.27
Miniſtris Euangelij vnice ad gloriam Chriſti & Eccleſiæ ſalutem ſpectandum 538.18
Miniſtri legis Euangelijq́ue quid differant 263.3
Miniſtri pij Eccleſiæ alijs commendandi & omni officiorum genere iuuandi 146.18
Miniſtri quando officium ſuum non faciant 479.6
Miniſtris infidelibus nullam deberi obœdientiam 845.9
Miniſtri ſinceri Euangelij quo in loco habendi 473.1
Miniſtri quinam Chriſti legati non ſint 274.55
in Miniſtris requiritur fidelitas 174.17
Miniſtris verbi an honor præſtandus 547.23
Miniſtris verbi auaritiæ ſuſpicio fugienda 485.58
Miniſtris verbi auaritia imprimis fugienda 485.26
Miniſtris verbi cauendum ne moribus malis ſe reddant odibiles 473.8
Miniſtris verbi deberi ſtipendia 547.10
Miniſtris verbi Dei qualis gloriatio ſit licita 143.12
Miniſtris verbi duplicem honorem debere auditores 375.5
à Miniſtris verbi & doctrina & exemplum requiritur 329.52
Miniſtris verbi fidelibus obœdiendum non minus quam ipſi Chriſto 845.4
in Miniſtris verbi fidem & diligentiam requiri 845.16
Miniſtris verbi honor debitus exhibendus 546.47
Miniſtris verbi laborantibus opem ferre, opus Deo gratiſſimum 473.17
in Miniſtris verbi mutuum requiri obſequium 640.6
Miniſtris verbi nihil niſi crux à mundo expectanda 413.39
Miniſtris verbi non ſit propoſitum ocium 639.14
in Miniſtris verbi non tantum ſpectanda infirmitas externa, ſed etiã potentia qua diuinitus ſunt armati 307.38
Miniſtris verbi qua animi præſentia & fortitudine legatione commiſſa vtendum 274.58
Miniſtris verbi quæ fugienda 649.14
Miniſtris verbi quantum onus incumbat 602.17
in Miniſtris verbi quid ſpectandum 293.55
Miniſtris verbi, quodnam debeatur officium 547.2
Miniſtris verbi quomodo communicandum 375.15
in Miniſtris verbi ſingularis prudentia requiritur 807.25
in Miniſtris verbi ſit ardens ſtudium propagandæ veræ doctrinæ 318.6
Miniſtris verbi ſtipendia deberi 486.1
Miniſtris verbi ſupplicium imminere, ſi officio ſuo non rite fungantur 912.57
in Miniſtris verbi tria neceſſaria 414.43 & 607.48
Miniſtris verbi victum & alia officia negare, eſt deridere maieſtatem diuinam 375.44
Miniſtris verbi victus debetur 375.42
Miniſtri verbi ad auditorum teſtimonia prouocent 529.56
Miniſtri verbi accommodantes ſe principum affectibus ſimiles Balaamo 726.21
Miniſtri verbi affliguntur 268.39
Miniſtri verbi ambitioſi eſſe nequeunt 321.41
Miniſtri verbi appellent ad teſtimonia auditorum 325.46
Miniſtri verbi à quibus potiſſimum vicijs alieni eſſe debeant 531.42
Miniſtri verbi bona opera 653.43
(19
Miniſtri verbi Chriſti milites 627.
Miniſtri verbi cooperarij in regnum Dei 522.3
(609.24
Miniſtri verbi cura quæ eſſe debeat
Miniſtri verbi cura audiendi & hono-

honorandi 349.49
Miniſtri verbi Dei tria potiſſ. ſpectare debent 228.50
Miniſtri verbi debitis officijs ab auditoribus iuuandi 245.9
Miniſtri verbi de qua re maxime gaudeant 803.21
Miniſtri verbi eſſe, Chriſtianam libertatem tueri 650.56
Miniſtri verbi exhortari auditores debent ad officium præſtandum 276.29
Miniſtri verbi importuna ſui iuris vſurpatione curſum Euangelij non impediant 578.6
Miniſtri verbi inferiores non deprimendi à ſuperioribus 528.27
Miniſtri verbi ingenijs auditorum ſe pie accommodent 349.19
Miniſtri verbi nomine Chriſti rogant 275.9
Miniſtri verbi non fraudulenter & ignaue opus Domini faciant 637.27
Miniſtri verbi non iuxta ſpeciem externam æſtimentur 293.44
Miniſtri verbi officium 606.12 & 657.1 (49
Miniſtri verbi olim Epiſcopi 455.
Miniſtri verbi patres triplici reſpectu 752.21
Miniſtri verbi Paulum imitentur 301.6
Miniſtri verbi Paulum imitentur in exornando miniſterio 116.41
Miniſtri verbi pij quo in loco habendi 245.48
Miniſtri verbi præſtantioribus donis præditi, inferiores ſuo teſtimonia honorare debent 245.45
Miniſtri verbi probe diſcernendi ſunt à pſeudoapoſtolis 299.39
Miniſtri verbi profectu auditorum redduntur animoſiores 470.46
Miniſtri verbi quam doctrinam afferre debeant 738.53
Miniſtri verbi quam doctrinam vrgere debeant 534.3
Miniſtri verbi quando fiant rei alieni delicti 807.19
Miniſtri verbi quando officio ſuo optime fungantur 462.30
Miniſtri verbi qua potentia armati 307.27
Miniſtri verbi qua prudentia in damnandis vſuris vti debeant 972.30
Miniſtri verbi quatenus audiendi 349.53
Miniſtri verbi quem curſus ſui finem debeant conſtituere 330.8
Miniſtri verbi quo in loco habendi 349.46 & 647.1
Miniſtri verbi quomodo affecti eſſe debeant 470.22 & 627.32
Miniſtri verbi quomodo ambitioſos tractare debeant 819.21
Miniſtri verbi quomodo erga auditores affecti eſſe debeant 279.17 & 480.47 & 533.47 & 752.18
Miniſtri verbi quomodo erga ſeſe inuicem affecti eſſe debeant 471.23
Miniſtri verbi quomodo præſtent dilectionis opera auditorib. 360.6
Miniſtri verbi quomodo recte ſuo munere fungantur 638.8
Miniſtri verbi quomodo ſe auditorib. accomodare debeant 212.13
Miniſtri verbi quo ſermone vti debeant 297.55
Miniſtri verbi ſe mutuo veris commendationibus ornent 537.2
Miniſtri verbi ſeſe mutuo non deſpiciant propter dignitatis gradum 537.10
Miniſtri verbi ſcelerate viuentes dupliciter peccant 658.58
Miniſtri verbi ſua mercede defraudandi non ſunt 375.44
Miniſtri verbi virtutes 647.55
Miniſtri verbi vitæ innocentia ſint præditi 277.3
Miniſtri verbi vt ſcandala caueant, etiam à ſuo iure abſtinere debent 298.47
Miniſtri vita quod docent, non exprimentes, quibus ſint ſimiles 651.56
in Miniſtro Euangelij fidelitas inprimis requiritur 170.47
Miniſtrorum Chriſti eſt amanter complecti omnes 146.15
Miniſtrorum dignitas 263.30
Miniſtrorum domeſticorum ſubiectio 686.5
Miniſtrorum erga auditores ſuos qui affectus eſſe debeat 457.49
Miniſtrorum Eccleſiæ quæ cura eſſe debeat 301.2
Miniſtrorum Eccleſiæ virtutes 288.46
Miniſtrorum Euangelij communis ſors 419.50
Miniſtrorum Euangelij conditio 172.29
Miniſtrorum Euangelij dignitas 274.51
Miniſtrorum Euangelij finis 166.36
Miniſtrorum Euangelij gloria 173.38
Miniſtrorum Euangelij maieſtas & dignitas 349.58
Miniſtrorum Euangelij officium 909.40
Miniſtrorum Euangelij quanta debeat eſſe fides & ſinceritas 274.40
Miniſtrorum Euangelij quanta ſollicitudo pro auditoribus eſſe debeat 472.4
Miniſtrorum Euangelij virtuti nihil aſſcribendum 166.9
Miniſtrorum gaudium eſt, auditorum in curriculo pietatis progreſſio 147.42
Miniſtrorum gaudium eſt, videre ſuos labores fortunari diuinitus 246.48
Miniſtrorum incolumitati & ſecuritati inprimis ſtudendum 245.51
Miniſtrorum opera non eſt inanis 166.12
Miniſtrorum quorundam leuitas 261.18
Miniſtrorum ſceleratos mores duo ingentia mala comitantur 277.5
Miniſtrorum verbi affectus erga auditores qui eſſe debeant 536.58
Miniſtrorum verbi arma 278.51
Miniſtrorum verbi Dei commendatio 3.2 & 664.20
Miniſtrorū verbi contemtus, quantum ſcelus ſit 276.30
Miniſtrorum verbi Dei nota propria 143.16
Miniſtrorum verbi Dei vox, Dei vox eſt 110.50 (17
Miniſtrorum verbi dignitas 470.
in Miniſtro verbi diligentiam & induſtriam requiri 503.23
Miniſtrorum verbi duo genera 167.52
Miniſtrorum verbi efficacia 393.45
Miniſtrorum verbi eſſe, profectum Eccleſiæ quærere 648.50
Miniſtrorū verbi eſſe, ſumma comitate agere cum hominib. 662.10

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Miniſtrorum verbi eſt ſcandalis quantum fieri poteſt occurrere 298.25
Miniſtrorum verbi fragilitas 267.47
Miniſtrorum verbi gaudium potiſſimum quodnam ſit 463.21
Miniſtrorum verbi labor ad duos fines tendat 272.52
Miniſtrorum verbi labor non omni fructu vacuus 627.45
Miniſtrorum verbi mors defectio à fide auditorum 538.27
Miniſtrorum verbi officium 16.34 & 142.46 & 166.20 & 170.4 & 170.40 & 212.11 & 261.5 & 319.51 & 326.17 & 377.10 & 479.2 & 521.38 & 538.37 & 546.52 & 637.40 & 661.56 & 912.52 & 972.30
Miniſtrorum verbi officium, gratias Deo agere pro Euangelij ſucceſſu felici 155.18
Miniſtrorum verbi officium grauiſſimum & difficultatis pleniſſimum 912.56
Miniſtrorum verbi officium in defendenda doctrina 505.43
Miniſtrorum verbi officium in tradendo verbo Dei 505.56
Miniſtrorum verbi officium orare pro Eccleſia 529.10
Miniſtrorum verbi quanta vigilantia eſſe debeat 553.7
Miniſtrorum verbi quæ ſit fortuna 449.9
Miniſtrorum verbi ſcopus ſit gloria Dei 321.36
Miniſtrorum verbi ſub cruce conſtantia curſum Euangelij promouet 417.11
Miniſtrorum verbi verorum deſcriptio 546.51
Miniſtros Euangelij eſſe organa Dei 166.8
Miniſtros Euangelij eſſe ſacerdotes 143.1
Miniſtros Euangelij excipiendi vera ratio 285.1
Miniſtros Euangelij nutricibus eſſe ſimiles 857.35
Miniſtros verbi amare pietatis veræ ſignum 350.23
Miniſtros verbi animo decet eſſe obfirmato ad ferenda cum proſpera tum aduerſa omnia 279.1
Miniſtros verbi decet humilitas 455.14
Miniſtros verbi probandos eſſe priuſquam docendi munus eis demandetur 601.36
Miniſtros verbi quam inculpatos eſſe deceat 601.21.4
Miniſtros verbi quatenus imitari nos deceat 212.16
erga Miniſtros verbi quomodo auditores affectos eſſe deceat 282.54
Miniſtros verbi ex priuatis affectibus nihil faciendum 614.19
in Miniſtro verbi fidelitatem requiri 494.31
Miniſtro verbi gloria Chriſti & ædificatio Eccleſiæ tantum quærenda 494 40
Miniſtro verbi quomodo verſandum in hoc mundo 582.42
Miracula Chriſti & Prophetarum quid differant 497.38
Miracula confirmare doctrinam Prophetarum 898.53
Miracula cum hodie non edantur, quomodo doctrinæ confirmetur veritas 305.20
Miracula cur hodie non edantur 336.24 & 840.32
Miracula edita à Paulo 8.10
Miracula & reuelationes Dei peculiares cur hodie non fiant 760.29
Miracula iam ceſſare, vſum non ceſſare 336.23
Miraculi definitio 304.56 & 840.10
Miraculorum definitio 826.17
Miraculorum finis 336.22 & 826.22 & 827.14 & 840.3
Miraculorum finis confirmatio doctrinæ 304.53
Miraculorum inſignium catalogus 826.24
Miraculorum 4. genera 840.8
Miraculorum varietas 826.15
Miraculorum verorum & falſorum diſcrimen 557.30
Miraculorum vſus 305.19 & 840.30
Miraculum in extremo iudicio quale apparebit 898.35
Miſeria hominis 501.48
Miſericordia 585.52 & 689.55
Miſericordia Dei 622.27
Miſericordia Dei erga omnes 121.3
Miſericordia Dei nitendum 729.48
Miſericordiæ Dei erga nos quoties mentio fit, quid in mentem venire nobis debeat 976.53
Miſericordiæ Dei exemplum illuſtre 589.53
Miſericordiæ Dei immenſæ exemplum vocatio Paulina 322.58
Miſericordiæ Dei immenſitas 783.34
Miſericordiæ Dei inexhauſtæ diuitiæ 121.34
Miſericordiæ Dei luculentiſſima teſtimonia 670.42
Miſericordiæ Dei magnitudo 418.19
Miſericordiæ Dei obiectum 976.54
Miſericordiæ Dei ſoli credentes fiunt participes 98.39
Miſericordiæ Dei teſtimonium 762.37
Miſericordiæ diuinæ effectus 766.14
Miſericordiæ mentionem cur in nullis ſalutationibus Paulus faciat niſi in ijs quæ ad Timotheum & Titum ſcripſit 586.4
Miſericordiæ nomine quid in ſcriptura ſignificetur 644.46
Miſericordia & miſeratio vt differant 516.52
Miſericordia fons ſalutis 724.5
Miſericordia in Chriſto gratuita ſalutis cauſſa ſola 111.53
Miſericordiam Dei infinitis modis abundare ſupra peccatum 977.21
Miſericordiam Dei non claudi anguſtis limitibus 977.19
Miſericordiam Dei non ſuperari peccatorum magnitudine 977.20
Miſſa Papiſtica Deus Maoſim 567.32
Miſſæ Papiſticæ finis 569.29
Miſſæ Papiſticæ refutatio 881.1
Miſſæ Papiſticæ reiectio 880.50
ad Miſſam Papiſtarum liberalitas Melchiſedech violenter & contra Moſis mentem trahitur 865.6
in Miſſa Papiſtica quot quantaq́; ſint abominationes 870.33
Miſſatici Papiſtarum idoli euerſio 870.26
Miſſio filij cur non omnibus cedat in ſalutem 400.51

Miſsio filij locupletiſsimum paternæ voluntatis Dei erga omnes teſtimonium 670.53
Miſsio filij teſtimonium voluntatis Dei erga nos 400.33
Miſsio filij non ad aliquos ſed ad totam mundum pertinet 400.41
Miſsionem ad prædicandum neceſſariam 3.5
Miſsis Papiſticis neminem ſalua conſcientia poſſe intereſſe 691.38
Modeſtiæ commendatio 482.16
Modeſtiæ exemplum Paulus 146.24 & 302.11
Modeſtia & grauitas in tota vita reluceat 124.56
Modus aduentus Chriſti ad iudicium 242.21
Modus imitationis Chriſti in cruce conſiſtit in quinq; 755.38
Modus ſignificandi ex vno aliquo verbo cognoſci nequit, etiamſi ex verbo ſignificatio in genere nota eſt 100.11
Modus tradendi doctrinam cœleſtem quam ſoleat eſſe varius 167.19
μοιχεῖα 361.47
Molles qui ſint 181.39
Mollicies quid 514.55
Monachi Canonici & Cardinales quibus ſimiles 717.43
Monachi in cœlibe vita ſanctitatem ponentes, errant 386.13
Monachorum agmina inutiliſsima terræ pondera 975.22
Monachorum cantiones impiæ 518.14
Monachorum Encomium 648.52
Monachorum fraus 717.15
Monachorum ortus 918.39
Monachorum regulæ hypocriticæ neminem obligare debent 339.31
Monaſticorum ordinum refutatio 156.44
in Morbis quomodo ſe res habeat 902.43
Morbus Gallicus cur non etiam in coniugibus conſpiciatur, ſicut in ſcortatoribus 184.3
Mores Chriſtianorum quales eſſe deceat 658.52
Mores officio reſpondeant 599.5
Mores prauos dedecori eſſe Euangelio 616.21
de Moribus aliorum non temere iudicandum 945.45
Moribus quæ maxime noceant 239.10
à Moribus qualibus abſtinendum 426.30
Mors æterna 798.33
Mors amicorum cur non extra modum lugenda 543.18
Mors Chriſti 52.50
Mors Chriſtianis non expaueſcenda 461.10
Mors Chriſti cur facta 57.3
Mors Chriſti hyſſopo adumbrata 879.49
Mors Chriſti pro omnibus redemtionis beneficijs 546.26
Mors Chriſti quid differat à morte aliorum ſanctorum 394.47
Mors collata inſecto ſeu ſerpenti 243.19
Mors inimica humanæ naturæ 271.21
Mors martyrum σπουδὴ 470.26
Mors onus 770.50
Mors peccati finis 70.21
Mors peccati pœna 243.32
Mors piorum non interitus 461.5
Mors quando aboleatur 624.71
Mors quomodo placeat Deo 470.28
Morte Chriſti intelligi omnia Chriſti myſteria, præcedentia mortem 234.43
in Morte conſolatio 447.22 & 461.2 & 514.23
à Morte hominis animam quomodo homo ſeruet 981.15
Mortem eſſe reſolutionem animæ à corpore 639.1
Mortem etiam ſancti deprecantur 271.22
de Morte triumphus 242.49
in Morte quonam reſpiciendum 892.9
Morti etiam ſanctos ſubiectos 45.19
Mortificatio 66.42
Mortificatio carnis quid 369.8
Mortificatio Ieſu Chriſti quid ſit 268.26
Mortificationis deſcriptio 514.43
Mortificatio noſtra ex virtute mortis Chriſti 696.4
Morti immaturæ conſolatio opponenda 452.38
Morti quid opponendum 760.5
Mortis Chriſti conformitas in quo conſiſtat 477.36
Mortis Chriſti efficacia 57.50
Mortis Chriſti & noſtræ diſcrimen 67.31
Mortis Chriſti finis 273.16 & 546.24 & 656.21
Mortis Chriſti neceſsitas 879.5
Mortis Chriſti virtus 65.12 & 36.42 & 695.55
Mortis Chriſti vis in iuſtificatis 66.11
Mortis Chriſti vtilitas 411.2
Mortis Domini cauſſæ, victimæ Chriſti finis 219.29
Mortis præmaturæ in pijs cauſſa 440.44
Mortis tyrannidem eſſe ſublatam 243.14
Mortis vice erit immutatio 242.33
Mortui cur iudicandi 697.25
Mortui delictis qui dicantur 405.46
Mortui ſintne lugendi 472.26
Morum innocentiæ ſtudendum 181.48
Moſaicæ ceremoniæ cur à Paulo dicantur egena elementa 348.12
Moſaicæ ceremoniæ tantum ad certum tempus ſunt datæ 339.27
Moſaicæ doctrinæ ſcopus Chriſtus 745.9
Moſaicæ faciei ſplendor ſymbolum fuit gloriæ legis 263.53
Moſaicæ politiæ duratio tantum vſque ad Chriſtum 344.30
Moſaicorum rituum obſeruatio quid incommodet 355.23
Moſaicas ceremonias expiraſſe Chriſto adueniente 340.50
Moſaici ritus circumciſio 378.23
Moſaici ritus fidei, vt particulares iuſticiæ cauſſæ, non adiungendi 357.14
Moſaicis ritibus Chriſtianos non eſſe onerandos 357.27
Moſaicos ritus cur Paulus prohibuerit, cum idem Petrus non fecerit 315.25

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Moſaicos ritus non requiri ad iuſtificationem 94.40
in Moſe quid quærendum 845.50
Moſes & Chriſtus vt differant officio 343.53
Moſes fidelis miniſter Dei 845.11
de Moſis corpore diſceptatio inter Michaelem & Diabolum 725.46
Moſis doctrinam ad quatuor capita reuocari poſſe 36.56
Moſis ſepulchrum cur nemini notum Deus eſſe voluerit 725.53
Motus boni à ſpiritu Dei excitantur 287.55
Muliebris ſubiectionis modus 436.6
Mulier conſors in negocio Euangelij 146.26
Mulier cur aperto ſit capite antequam nupſerit 213.44
Mulier cur ex coſta Adæ formata 437.58
Mulier cur velato capite eſſe debet 213.48 & 214.5.20.43
Mulier diuina lege viro ſubiecta eſſe debet. 214.10
Mulieres auctoritatem in viros ſibi non vſurpent 597.20
Mulieres maritis proprijs contentæ eſſe debent 436.14
Mulieres non terrore pœnæ ſed virtutis amore ſint probæ 689.9
Mulieres publice non doceant 597.19
Mulieres quaſnam ſcriptura filias Saræ appellet 689.5
Mulieres tempore neceſſitatis, non vetantur in publico loqui 233.2
Mulieres vaſa infirma 689.27
Mulier ex viro eſt, tanquam ex materia 214.38
Mulier gratiæ Dei non minus quam vir particeps fieri poteſt 598.2
Mulier habitum viri gerens abominatio eſt coram Deo 213.53
Mulieri coma pro velamine eſt 214.50
Mulieribus cur munus docendi in Eccleſia non competat 232.46
Mulieribus docendi munus cur adimatur 597.41
Mulieribus in viros dominium cur Paulus adimat 597.31
Mulieribus quæ præcipiantur 597.16
Mulieribus tacendum in publicis conuentibus 232.41
Mulieribus turpe eſt in cœtu loqui 232.52
Mulieri num docere permittatur 653.19
Mulier ob ſubiectionem conqueri non debet 214.34
Mulier operto capite ſacris intereſſe cœtibus debet 213.27
Mulier ſub poteſtate viri mandato diuino eſt 214.7
Mulierum amictus qui eſſe debeat 597.4
Mulierum mores quales eſſe debeant 601.45
Mulierum ornatus qui eſſe debeat 688.38
Mulierum ſubiectio cultus Deo placens 436.17
Mulierum ſubiectio qualis eſſe debeat 688.22
Multitudinis contagione ne & nos contaminemur cauendum 715.16
Mundana non quærenda 514.15
à Mundanis & peccatis quibus auocari homines debeant 619.11
Mundi ætates tres 880.44
Mundi amicitiæ renunciet, qui Chriſtianus eſſe cupit 948.32
Mundi amicitia inimicitia Dei 759.1
Mundi amor cum miniſterio Euangelij ſtare non poteſt 522.41
Mundi deſtructio in die iudicij quo modo futura 720.21
Mundi iudicia vt corrupta contemnenda 170.53
Mundi ſignificatio 172.28
Mundi noticia contemnenda 767.17
Mundi odia contemnenda 774.5
Mundum ignorantiæ & maliciæ denſiſſimis tenebris occupari 469.9
Mundum tantum percipere quæ rationis ſunt 782.19
Mundum ſpectari dupliciter 758.37
Mundus 821.21
Mundus cur non diligendus 758.34
Mundus ob quæ peccata à ſpiritu ſancto argui debeat 667.30
Mundus pro hominibus in mundo 49.10
Mundus quibus rebus delectetur 759.13
Mundus quomodo ſit præteriturus 759.49
Mundus rota natiuitatis 946.10
Mundus ſui comparatus 260.73
Mundus vnde dicatur 758.32
Munera publica idoneis perſonis tradenda 808.22
in Munus publicum nemo irrumpat ſine legitima vocatione 952.24
Murmuratores 727.48
Mutuationem fieri modis duobus 957.31
Mutuatio quid 956.32
de Mutuo dando præceptum quomodo Phariſæi interpretabantur 957.8
Mutuo quomodo dandum 956.46
Mutuo quomodo impij dare ſoleant, quomodo pij 957.19
Mutuum mercatori prædiuiti negandum 970.41
Mutuum vnde dicatur 956.30
Myſteria ſalutis ſex 602.58
Myſterij definitio 138.50
μυςήρια 47.50

N

NAſci ex Deo & fidem habere in Chriſtum coniuncta eſſe 788.48
Natiuitas Chriſti myſterium 603.1
Naturæ Chriſti diſtinguendæ, non altera ab altera ſeparanda 162.28
Naturæ corruptæ duæ partes 406.16
Naturæ deprauatæ deſcriptio 34.46
Natura humana ſibi relicta qualis 514.40
Naturam doctrina perfici 488.27

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Neceſſitas 277.40
Neceſſitatis Stoicæ euerſio 138. 46 & 457. 1 & 460. 3 & 925. 26
Nemini ab Apoſtolo neceſſitas imponitur, vel ducendæ vel non ducendæ vxoris 193.31
νεόφυτοι 600.38
Nexus & coagmentatio membrorum Eccleſiæ inter ſe 125.18
Ninus 799.16
νηστεία 277.45
νηστεία vnde dicatur 277.48
Noa 714.43
Nobiles & potentes cur minus à Deo quam pauperes & ignobiles eligantur 159.58
Nocendum nemini 126.53
νοήματα Sathanæ 259.24
Nomen Dei blaſphemare quid ſit 30.13
Nomen Dei ſanctificare quid 30.11
Nomen in baptiſmo impoſitum cuiusque admonere debeat 50. 21
Nominatim carpere aliquem quando obſit 171.48
Norma ſeipſum probandi num ſit Dei 347.36
Noticia Dei vera quæ ſit 797.28
Noticiæ Dei patefactio 20.57
Noticiæ verba quid Ebræis denotent 551.54
Noticiæ verbum non ad ſcientiam ſed ad experientiam relatum 275.32
Noticiam Dei duabus rebus conſtare 797.30
Noticiam honeſtorum & turpium diuinitus hominibus inſitam 24. 27
Noticiam legis quandam naturaliter hominibus impreſſam 28. 36
Noticia ſui quid efficiat 169. 34
Nouæ obœdientiæ cauſſa 65. 48
Nouatianis & Donatiſtis lapſis veniam negantibus, locus Petri minime patrocinatur 718. 50
Nouatianorum, lapſis veniam negantium, refutatio 318.45 & 351. 27 & 980. 24
Nouiſſima hora pro omni tempore à Chriſto exhibito vſque ad reſurrectionem mortuorum 760. 17
ad Nouitatem vitæ adhortatio 500. 43
Nouitij qui ſint Paulo 600. 34
νουθεσία 443.9
Nubere cur mulier dicatur 213. 33
Numerus certus pro incerto à ſcriptura ſæpe poni ſolet 230.36
Numus vnde dicatur 955.34
Nuptiæ ſecundæ licitæ 194.38 & 612.56
Nuptiæ nouæ non ſunt illicitæ, facto diuortio ob adulterium 187. 46
Nympha 522.45

O

OBiectionum, de virga Moſis, aqua in Cana Galileæ in vinum conuerſa &c. refutatio 217.33
Obiectum caritatis Dei 765. 45
Obiectum miniſterij verbi gratia Dei 320.2
ob Obitum amicorum conſolatio 452.23 & 453.1
Obiurgatio Corinthiorum 215.5
Obiurgatio Galatarum 319.34
Obiurgatio moderanda 349.13
Obiurgationes miniſtrorum verbi quo ſpectent 336.14
Obiurgatio quomodo inſtituenda 349.14 & 861.30
Oblatio corporum accepta Deo 124.21
Oblatio corporum cur prædicetur viua 124.16
Oblatio corporum cur ſancta 124. 19
Oblatio corporum noſtrorum in quibus rebus conſiſtat 124.31
Oblatio cur ſemel tantum facta 883.29
Obligatio ciuilis quid 132.26
Obligatio duplex 956.42
Obligatio naturalis 132.31
Obligationis naturalis cauſſa 132. 35
Oblocutorum natura 468.42
Obloquendi occaſio alijs præcidenda 613.1
Obœdiendum cur Deo magis quam hominibus 686.20
Obœdientia cur Deo præſtanda 274.1
Obœdientia cur Deo præſtanda in aduerſis & ſecundis rebus 556. 50
de Obœdientia dominis præſtanda exceptio 686.12
Obœdientia erga Deum nihil carius pio homini 44.57
Obœdientiæ erga Deum præceptum 68.6
Obœdientiæ fructus dulciſſimus 780. 42
Obœdientiæ miniſtris verbi præſtandæ finis 912.48
Obœdientiæ miniſtrorum & piorum omnium tres partes 272. 23
Obœdientiæ nouæ cauſſa 65.48
Obœdientiæ nouæ neceſſitas in conuerſis 71. 48 & 477. 9 & 741. 9 & 774.37
Obœdientiæ nouæ ſtudendum 67. 6.17
Obœdientiæ præſtandæ ratio 680. 49
in Obœdientia erga Deum tria concurrere 753.56
Obœdientia erga magiſtratum non eſt res media 131.48
Obedientia filij Dei 742.42
Obœdientia habet promiſſionem mercedis 519.51
Obœdientia hoſtia ſpiritualis 682. 3
Obœdientia inchoata Deo placet 780.40
Obœdientia in crucis vtroque genere ſacrificium Deo gratum 304.25
Obœdientia noua neceſſaria renatis 389.24
Obœdientia pro honore 440. 4
Obœdientia quatenus paſtoribus & gubernatoribus Eccleſiæ præſtanda 912.43
Obœdientia quatenus præſtanda 654.13
Obœdientia quomodo placeat Deo 682.11
Obœdientia ſub cruce cultus Dei grauiſſimus 869.34
Obœdientia ſub cruce præſtita non carebit mercede 889.22
Obœdientiam ſtipulatur Deus ab ijs qui gratiam fide adepti ſunt 281.26
Obſcura ſcripturæ loca quomodo illuſtranda 587.33
in Obſequium Chriſti qui ſe totos

abdicent 273.3
Obſequium Deo prompto animo præſtandum 271.52
Obſignatio fœderis vniuerſalis 671.51
Obſonium quid ſignificet 70.40
Obteſtatio 618.36
Obteſtandi modus 553.13
Obtrectatio 680.41
Obtrectationis deteſtatio 950.1 & 946.41
Obtrectatores 23.34
Occaſiones non negligendæ 127.24
Occulta quæ voluit eſſe Deus ne ſcrutemur 121.51
Ocij deteſtatio ignaui 542.48
Ocij ignaui pœna egentia 578.18
Ocio nihil promoueri 504.55
Ocioſis nihil debetur 613.52
Ocium molle non ſectandum Chriſtianis 300.40
Oculi teſtes affectuum infallibiles 717.7
Ocium vitandum 429.4
Oculus Domini quid 690.40
Odæ 435.9
Odij effectus 360.29 & 428.54 & 756.48
Odij vocabulum figurate acceptum 97.57
Odij vocabulum pro cauſſa & effectu 756.39
Odio fraterno laborantes à recta ſalutis via aberrare 757.15
cum Odio fraterno quanta mala ſint coniuncta 757.18
Odium fratris mortis indicium 776.17
Odio proximus non perſequendus 756.34
Odium 698.20
Odium & ira vt differant 756.43 & 776.23
Odium tria ſignificare 776.18
Oeconomus bonus 600.23
Oeconomicus ſtatus 435.44
Offendiculum & ſcandalum diſtinguuntur 137.39
Offenſarum condonatio 980.28
Offenſio ea ſolum cauenda, quæ abducit à recta via 197.58
Offenſio infirmorum graue ſcelus 197.38
Offenſioni cuiquam ne ſimus, ſedulo cauendum eſt 211.56
Offerri Deo homines quando dicantur 143.42
Officia committenda idoneis 288.31
Officia humanitatis alijs præſtanda 626.14
Officia in adminiſtratione Eccleſiaſtica ſumme neceſſaria 699.52
Officia in Eccleſia diſtincta ſint oportet 125.36
Officij Chriſtiani partium ordo 803.13
Officij cuiuſq; quæ ſunt agenda 198.32
Officij diligenter præſtiti duplex fructus 601.56 & 609.31
Officij Epiſcopalis definitio 629.45
Officij executio quæ requirat 952.28
Officij finis ſingulis ſpectandus 126.12
Officij neglecti ſcelus 609.40
Officij præſtandi ratio amicitiæ & caritatis legibus præferenda 819.28
Officio commiſſo quomodo fungendum 191.25
in Officio magno cum ſtudio progrediendum 127.20
in Officio pericula contemnenda 143.53
Officiorum diuerſorum in Eccleſia fines 225.12
Officiorum gradui cuique ſuus habeatur honor, ſeruata iuſta proportione 225.6
Officiorum mutuorum commendatio 16.57 & 324.9
Officiorum omnium ſcopus 700.4
in Officio ſtudium & alacritatem requiri 143.53
Officio ſuo quiſq; ſtrenue fungatur 125.39
Officio ſuo rite perſungitur, qui hilari & alacri animo in eo verſatur 201.7
Officium Chriſti quinam oppugnarint 762.16
Officium ex fide & bona conſcientia faciendum 598.17
Officium fidelium 637.20
ad Officium præſtandum quæ mouere omnes debeant 654.34
Officium qui ſponte, & qui coacte facit quid differant 201.1
Officium ſedulo præſtandum 629.38
Olei nomine miſericordia Dei ſæpius in ſcriptura exprimitur 977.26
Omnis non ſignificans diſtributionem generis ſed integritatem 226.52
Omnis particula, rei perfectionem ſignificans 495.19
Opera 677.26
Opera bona à Deo non damnantur, ſed fiducia operum 105.55
Opera bona debent conſpicua eſſe hominibus 178.4
Opera bona Deum compenſare 602.8
Opera bona facienda ſed fiducia eorum abijcienda 476.23
Opera bona fidei germanæ fructus 271.4
Opera bona fructus iuſticiæ 458.50
Opera bona non omittenda 105.53
Opera bona non pugnant cum gratuita iuſticia 271.10
Opera bona num intermittenda, cum ſine operibus ſalus contingat 408.30
Opera bona precioſis lapidibus comparata 167.57
Opera bona quid ſint 780.17
Opera bona quo in loco habenda 794.1
Opera bona quomodo placeant 943.6
Opera bona quomodo poßint fieri 942.5
Opera bona ſequi fidem neceſſario 709.26
Opera bona ſpontanea eſſe debent 662.39
Opera bona ſunt adiuncta fidei 339.16
Opera carnis cur manifeſta ab Apoſtolo dicta 361.43
Opera Dei ſunt ἀμεταμέλητα 95.16
Opera fidei eſſe adiuncta 44.55 & 408.38
Opera fidei teſtimonia 636.12
Opera fidem neceſſario comitari 43.20
Opera hominis non renati omnia eſſe peccata 72.51
Opera humana nihil facere ad ſalutem 408.37
Opera iactantes animo tranquillo nunquam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

nunquam eſſe poſſe 53.49
Opera in cauſſis iuſtificationis prorſus excludenda 357.44
Opera inter cauſſas ſalutis nequaquam ponenda 624.30
Opera inter iuſtificationis cauſſas non ponenda 37.53 & 659.7
Opera legis quæ 340.46
Opera mortua 858.50 & 878.20
Opera nihil facere ad iuſticiam Euangelicam 19.5 & 36.4 & 331.10 & 332.7
Opera, niſi Chriſto coniungamur, bona eſſe nulla poſſunt 73.23
Opera non eſſe cauſſas iuſtificationis, nec merita 659.7
Opera quæ docenda & facienda ſint 942.36
ſecundum Opera quomodo redditurus ſit cuiq; Deus in extremo iudicio 76.32 & 27.1
ſecundum Opera quomodo ſcriptura dicat Deum redditurum mercedem 935.48
Opera quorum hominum Deo placeant, cum habeant peccatum omnes 944.17
Operariorum in vinea Domini duo genera 474.28
Operariorum tria maxima vicia 966.45
Opera ſalutaria Eccleſiæ omnia à Deo 391.35
Opera ſupererogationis Papiſtæ falſo ex Paulo colligunt 298.17
Opera tenebrarum 133.44
Opera Trinitatis ad extra eſſe indiuiſa, quomodo ſit intelligendum 274.23
Operibus bonis cur Deus præmia propoſuerit cum ſint officia debita 943.54
de Operibus bonis quid dextre ſentiendum 476.42
de Operibus bonis ſex quæſtiones explicatæ 942.32
Operibus cur Deus promittat remunerationem 896.5 & 943.54
Operibus deberi mercedem 199.21
Operibus hominem iuſtificari cur Iacobus dicat 35.23
Operibus hominem iuſtificari ſtatuentium refutatio 941.2
Operibus homines non iuſtificari 9.48 & 336.16 & 339.9 340.40
Operibus hominum Deus non prouocatur ad exhibendam gratiam 112.50
Operibus iuſticiam non conſtare 335.21.29.41
Operibus iuſtificari homines quomodo probare conentur Pontificij 26.17
Operibus iuſticiam quærentes miſericordiam Dei repudiant 353.47
Operibus legis neminem iuſtificari 35.13 & 39.41 & 342.29
Operibus ſalutem quærentes ſub maledictione manent 340.30
Operibus ſalus non aſſcribenda 15.30
de Operibus ſanctorum quomodo iudicandum 44.10
Operibus ſimul & fide iuſticiam Chriſtianam non conſtare 334.44
Operibus ſupererogationis num patrocinetur locus Pauli 532.26
Operibus nefarijs impiorum cur iuſti offendantur 715.28
Operibus neminem iuſtificari 19.56 & 28.7 & 331.45
Operibus neminẽ reddi condignum ad Euangelium recipiendum 669.40
Operibus quod tribuitur, Chriſto adimitur 356.39
ex Operibus quomodo ſecundum Iacobum homo iuſtificetur 43.27
Operis boni duæ partes 822.45
ad Operis boni rationem quinq; requiri 753.39
Operum bonorum cauſſæ 26.54 & 943.24
Operum bonorum cauſſa regeneratio in Chriſto 408.39
Operum bonorum commendatio 376.1.29 & 885.43
Operum bonorum decus 654.41
Operum bonorum dignitas 943.42
Operum bonorum duo tantum ordines 532.33
Operum bonorum & malorum retributio ad omnes pertinet 27.5
Operum bonorum neceſſitas 46.11 & 357.49 & 364.44 656.43 & 709.42 & 753.59 & 770.15
Operum bonorum neceſſitas ad iuſtificationis declarationem 941.9
Operum bonorum neceſſitas in fidelibus, ſeu diſciplinæ præſtandæ neceſſitas 86.33
Operum bonorum neceſſitas in quinq; conſiſtit 943.27
Operum bonorum origo 805.22
Operum bonorum præmia 639.29 & 943.51
Operum bonorum quæ laus coram Deo 476.21
Operum bonorum regula vnica caritas 364.25
Operum bonorum remunerationem cur mercedis nomine Deus dignetur 805.37
Operum bonorum vtilitas 685.27
Operum carnis catalogus 361.45
Operum compenſatio in vita æterna, quomodo intelligenda 536.8
Operum doctrina falſo dicto Paulino ſtabilitur 444.11
Operum fiduciam, non ipſa opera, abijciendam 46.15
Operum gloriatio in iuſtificatione nulla 39.240
Operum iuſticiæ refutatio 18.58 & 19.35 & 517.29
Operum iuſticiam Papiſtæ ex Paulo falſo ſtatuunt 272.9 & 376.8
Operum iuſticiam ſecundum carnem vocari 41.36
Operum iuſticiam vnde probare Papiſtæ conentur 27.47
Operum malorum cauſſæ 26.58
Operum merita vnde confirmare Papiſtæ velint 892.36
Operum merita falſo ex dicto Iohannis extruuntur 805.7
Operum merita Papiſtæ inſulſe colligunt è Pauli dicto 494.47 & 698.15
Operum Papiſtarum reiectio 912.36 & 656.28
Operum præparantium in ſalutis negotio euerſio 44.28 & 408.50 & 854.49
ὀφθαλμοδουλεία 443.50 & 519.36
Opifices aut operarios vſura grauare, grande peccatum 966.36
Opificum tria maxima vicia 966.44
Opinione mala, peccatum fiunt, quæ natura ſua mala non ſunt 197.24
Opinionibus & contradictionib. in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Eccleſia ludere quam ſit periculoſum 632.6
Opitulationes 225.42
Opus bonum omne à Deo 493.13
Opus Dei quodnam dicatur 138.41
Opus hominis non ex ſe, ſed ex affectione agentis & alijs circumſtantijs æſtimandum 210.12
Opus quando Deo diſpliceat 891.50
Ora hæreticorum vt occludantur ſymbolo ſignificatum 898.25
Orandum pro nobis & pro alijs 448.43
Orandum ſine defatigatione 127.47
Orantium affectus qui eſſe debeant 596.48
Orare cur ſemper Chriſtus iubeat 703.55
Orare ſpiritu quid 448.39
Oratio ad ædificationem non ad oſtentationem formari debet 616.30
Oratio baculus noſter in Domino 520.46
Oratione nullum præſentius pharmacum aduerſus huius mundi ærumnas 979.53
in orationibus quæ pro alijs fiunt quid conſiderandum 593.40
Orationi locum omnem eſſe aptum 596.42
Orationis adiuncta 596.53
Orationis arrogantis effectus 630.6
Orationis commendatio 538.39
Orationis ex fide manantis effectus 925.15
Orationis formæ quatuor 593.10
Orationis fucus fugiendus 620.18
Orationis inſidias cauendas 506.24
Orationis neceſsitas 622.48
Orationis piæ effectus 980.45
Orationis præceptum 361.9
Oratio pro alijs fieri debet 593 20
Oratio pro mortuis impia 593.20.
Oratio quãdo pondus habeat apud Deum 744.59
Oratio requirit fidem 925.19
Orateri grandiloquo idiota oppoſitus 297.48
Orbis futurus 840.45
Ordinandi munus quando differendum 615.21
Ordinationis leges 570.38
Ordinationis ritus fructus 609.9
Ordinatio non ſit temeraria 614.42
Ordinatio quid ſit Eccleſiæ 570.35
Ordini & paci ſtudendum in Eccleſia 232.33
Ordinibus infimis etiam parendum 130.43
Ordo in Eccleſia neceſſarius 817.54
Ordo in Eccleſia quid requirat 818.11
Ordo Papale ſacramentum 570.33
Ordo rectus quando perturbetur 640.51
ὀργή 515.48
Originale peccatum tyranno violento comparatum 67.44
in ornatu decorum ſeruandum 688.47
Ornatus duplex 688.44
Oſcitantia hominum in negotio propriæ ſalutis 126.18
Oſculum 548.56
Oſculum amoris & reuerentiæ ſymbolum 247.6
Oſculum Ebræis concordiæ & amoris mutui ſignum 146.48 & 309.10 & 706.19
Oſculum duplex 146.49 & 247.10
Oſiander accuſat interpretes Pauli 356.52
Oſiandri error 62.13 & 356.55
Oſiandri refutatio 356.55
Os obſtruere 35.7
Oſores Dei 23.37
Oſtentationis inanis effectus 616.54
Oſtentatorum nota triplex 617.9
Oſtium apertum prouerbialiter, pro Euangelij propagatione & progreſſu 259.49
Oues laborantes nunquid fugiendæ paſtori 64.1

P

IN Pace hominis cum Deo quænam conſideranda 365.42
Pacificatio per Chriſtum facta quouſq; ſe extendat 501.27
Pacifice cum alijs viuendum 128.59
Pacifice viuendum ſed illæſa pietate 189.56
Pacis bona 903.31
Pacis diuinæ fructus 411.22
Pacis genus 366.20
Pacis hominis cum Deo definitio 365.38
Pacis hominis cum Deo fructus 366.13
Pacis nomine quid Paulus intelligat 319.12
Pacis publicæ tres fines 594.7
Pacis quantum ſit bonum 366.58
Pacis ſpiritualis fundamentum & terminus 53.36
Pacis ſtudium in Deo 914.29
Pacis tertium genus 367.1
Pacis vocabulum duo ſignificare 365.27
de Pacto redimendi quid ſtatuendum 956.23
Pagani qui dicantur 714.2
ϖαιδεία tria ſignificat 443.4
Paleſtinæ terræ menſura & diuiſione quid myſtice ſignificatum fuerit 295.1
Panes quid adumbrent 876.9
Panis eſt corpus, eodem modo intelligendum, quo illud, Petra erat Chriſtus 206.23
Panis eſt corpus, vinum eſt ſanguis, locutiones eſſe ſacramentales 218.9
ϖανοπλία militis Chriſtiani 259.29 & 546.8
ex Parentibus ſanctis orti num ſint ſancti 117.20
Peccatores 949.23
Papa Chriſto opponitur propter regnorum diuerſitatem 558.22
Papa Eccleſia Babylonica meretrix 55.58
Papæ enconium 555.18
Papæ errores de cultu Dei 564.30
Papæ negantis Eccleſiam poſſe errare refutatio 318.39
Papæ nundinationes 714.21
Papæ primatus iniuſtiſsimus 645.36
Papæ ſcelus negantis licere Laicis legere ſacra biblia 858.5
Papa execratione dignus 379.2
Papa falſo Apoſtolum & Epiſcopum ſe gloriatur 198.54
Papa fugiendus 555.27
Papa in quibus ſe manifeſte Chriſto opponat 558.51
Papa Iudæ proditori ſimilis 5.1 & 558.26
Papa iuſticiam Chriſtianam cum

cultu

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

cultu Dei confundit 564.25
Papa legem Dei maligne interpretatur 559.40
Papalium decretorum refutatio 369.43
Papalium rituum execratio 355.26
Papam eſſe ſycophantam 558.29
Papam legis ſuæ tranſgreſſorem magis punire, quam legis diuinæ 559.26
Papa pſychotyrannus 559.35
Papa quomodo neget Chriſtum 555.9
Papa quomodo ſe efferat ſupra Deum 559.13
Papa ſigna ſacramentalia noua Eccleſiæ obtrudit, ſupraq; Deum ſeſe extollit 568.5
Papa ſupra omnem magiſtratum ſe extollens peccat contra 4. præceptum 130.14
Papatus 606.23
Papatus deſcriptio 717.59
Papatus fugiendus 412.19
Papatus peccat ſuperſtitioſis dierũ obſeruationibus 348.50
Papatus quando cœperit 555.16
Papatus vnico Pauli dicto proſternitur 139.37
Papa verus Antichriſtus 554.28
Papiſtæ abutuntur dicto Pauli de iuſtificatione 330.45
Papiſtæ abutuntur doctrina Pauli de rebus medijs 197.54
Papiſtæ abutuntur loco Pauli ad confirmandum ſuum impium cœlibatum 193.17
Papiſtæ abutuntur loco Pauli de dilectione contra gratuitam iuſticiam 132.43
Papiſtæ abutuntur Pauli loco 272.8
Papiſtæ contumaciter ſe opponunt veritati, ideoq; nihil illis condonandum 136.26
Papiſtæ corrumpunt hiſtorias ſcripturæ 864.53
Papiſtæ dicto Petri falſo contra pios doctores vtuntur 718.6
Papiſtæ ducuntur ſpiritu Sodomitico 194.54
Papiſtæ fingentes alios Mediatores quam Chriſtum ſacrilegi 869.57
Papiſtæ idololatræ 797.26
Papiſtæ iuriſdictionem in cauſſis pecuniarijs falſo ſe habere contendunt 180.49
Papiſtæ iuſtificationem ex fide & operibus falſo componunt 115.7
Papiſtæ mali Grammatici 330.51
Papiſtæ operum doctrinam falſo dicto Paulino ſtabiliunt 444.11
Papiſtæ peſtilentiores quibuſuis pſeudoapoſtolis 320.44
Papiſtæ Pſychotyranni 555.53
Papiſtæ quo in loco habeant Euangelium 562.4
Papiſtæ ſacrilege Chriſtum ſe patri quotidie offerre pro peccatis viuorum & mortuorum docent 870.9
Papiſtæ ſerui corruptionis 718.18
Papiſtæ ſeparationem perpetuam coniugibus permittentes grauiter peccant 186.13
Papiſtæ taxantur 232.7
Papiſtæ verbum Dei pro ludibrio habent 200.36
Papiſtæ vnde traditionum ſuarum patrocinium petant 574.3
Papiſtica de figura crucis ſuperſtitio 801.30
Papiſtarum calumnia de fide 51.8
Papiſtarum error 54.28.42 & 462.10 & 494.37 & 506.45 & 706.10
Papiſtarum error ad operum iuſticiam ſtabiliendam dicto Pauli abutentium refutatus 770.21
Papiſtarum error de operib. 786.28
Papiſtarum error de purgatorio 467.7
Papiſtarum error de remiſſione peccatorum 275.16
Papiſtarum error improbantium ſecundas nuptias 194.51
Papiſtarum error in offerendo pane & vino 864.50
Papiſtarum error Mediatoris honorem ſanctis attribuentium 595.43
Papiſtarum figmentum de Henoch & Elia 892.12
Papiſtarum notatio 553.29.34
Papiſtarum refutatio 338.2 & 548.50
Papiſtarum refutatio abutentium dicto Iacobi ad ſtabiliendum dogma de meritis operum 926.27
Papiſtarum refutatio cupientium fidem cum dubitatione conciliare 925.23
Papiſtarum refutatio doctrinas humanas pro Euangelio obtrudentium 297.32
Papiſtarum refutatio fidei obiectum ſtatuentium præmium bonorum operum 895.52
Papiſtarum refutatio ſalutem rebus alijs quam Chriſto aſſcribentium 884.6
Papiſtarum ridicula interpretatio loco Paulini 595.46
Papiſtarum ſuperba dominatio pugnat cum morib. Pauli 449.28
Papiſtarum ſuperbia 781.31
Papiſtas Cacozelia quadam imitatos eſſe Iudæos 747.48
Papiſtas Choræ ſimiles 726.28
Papiſtas & hæreticos non eſſe Dei œconomos 647.4
Papiſtica doctrina ſerpentis vox eſt 320.49
Papiſticæ calumniæ refutatio 343.24
Papiſticarum expiationum peccatorum refutatio 882.42
Papiſtici errores 676.25
Papiſtici erroris de meritis mortuorum refutatio 376.50
Papiſtis gloriæ Chriſti & ſalutis animarum exigua cura 168.34
Parabola quid 877.18
Parabolarum vſus cur frequens in ſacris literis 69.41
Paradiſi cœleſtis gloria multo maior futura quã terreſtris 302.30
Paradiſi nomine Paulus non intelligit locum terreſtrem 302.22
Paradiſus cœleſtis qui ſit 673.46
παρακαλῶ 258.34
Paranymphi ſinceri officium 296.38
Parcere pro indulgere 192.26.
Parentes cur odio proſequi Chriſtus iubeat 440.26
Parentes indulgentia peccatis communicant liberorum 806.49
Parentibus cur œbediendum 440.33
Parentibus immorigeri 23.52
Parentibus quatenus obœdiendum 440.17
Parentum officium in educandis liberis 442.50
Parentum officium in tribus conſiſtere 443.2
Par pari non referendum 128.46
παῤῥησία ſancta 327.26
Particularitati quid opponendum 327.30. 803.50
Particularitatis refutatio 655.22

Particu-

Particularitatis Stoicæ euerſio 749.51
contra Particularitatis tentationem conſolatio 37.24 & 40. 40
Paſsio Chriſti 841.24
Paſsio Chriſtianorum non ſit ob facinora mala, ſed ob confeſsionem 701.4
Paſsio Chriſti & noſtra differunt 687.1
Paſsio Domini, teſtimonium certo tempore exhibitum 596.19
Paſsiones Chriſti ſanctorum afflictiones dicuntur 251.34
Paſsiones ſanctorum non eſſe expiatorias 503.6
Paſsionibus Chriſti quæ deſint implenda 704.13
Paſsionis Chriſti cauſſæ 252.16 & 841.55
Paſsionis Chriſti definitio 395.1 & 743.13
Paſsionis Chriſti finis 687.43
Paſsionem Chriſti in carne factam 747.15
Paſsionis Chriſti ludibrium in monachis 756.1
Paſsionis Chriſti vtilitas 234.33
Paſsionis dominicæ fructus 341.57 & 842.15
Paſsionum cauſſæ diuerſæ in Chriſto & nobis 88.12
Paſsio tranſitus ad glorificationem 88.9
Paſtores pij forma virtutum eſſe debent 173.58
Paſtores quinam habendi patres 173.46
Paſtores quatenus imitari gregem oporteat 173.59
Paſtores qui 423.38
Paſtores quomodo cum auditoribus agere debeant 175.13
Paſtoribus pijs exemplum doctrinæ & vitæ Pauli imitandum 171. 6
Paſtoris Eccleſiaſtici deſcriptio 170. 34
Paſtoris fidelis officium quodnam ſit 267.22
Paſtoris pij officium 481.21
Paſtoris veri & mercenarij diſcrimen 305.41
Paſtoris vita ſit doctrinæ ſpeculum 484.21
Paſtor pius à tribus criminibus immunis ſit 282.11
Paſtor pius officium ſuum contemni non patiatur 415.10
Paſtorum bonorum officium 613. 34
Paſtorum officium 637.47
Patefactio diuina 825.11
Patefactio diuina non ſemel & ſimul tota facta 832.11
Patefactionis diuinæ finis accidentalis 20.59
Patefactionis diuinæ modi varij 832.17
παθήματα μαθήματα 88.27
Patientia 709.3
Patientia quid 495.43 & 277. 29
Patientiæ cauſſæ 277.31
Patientiæ cauſſa timor Dei & fides 485.16
Patientiæ commendatio 88.15 & 631.49 & 686.54 & 976.1
Patientiæ commendatio ab exemplo agricolarum 97.8
Patientiæ duo impedimenta 900. 36
Patientiæ effectus 55.40 & 675. 57 & 903.12 & 923.20 & 889.36
Patientia ex fide 923.11
Patientiæ, fiduciæ, & ſpei effectus 889.29
Patientiæ finis 277.36
Patientiæ neceſsitas 889.40 & 890.33
Patientiæ obiectum 277.32
Patientiæ vberrimus fructus 903. 5
Patientia exemplo ſanctorum præſtanda 900.24
Patientia habet lætos exitus 4.11
Patientiam operatur ſpes læti exitus 127.36
Patientia quando Deo grata 686. 46
Patientia ſub cruce Dei donum 285. 41
Patientia ſub cruce præſtanda 700. 21
Patrem filio non maiorem 656.1
Patria poteſtas ſeruandi filias virgines, quatenus concedatur 194.1
Patris appellatio cum de Deo loquimur cuius nos admoneat 496.14
Patris honorem conſiſtere in honore filij 761.43
Patris nomen cuius nos admoneat 538.54
Patris terreni & cæleſtis analogia 935.57
Pauli conſenſus cum Eccleſia Hieroſolymitana 324.5
Pauli conuerſio diuinitus facta 322. 24
Pauli cum Eccleſia catholica conſenſus 324.48
Pauli cum Petro controuerſia 328. 38
Pauli crux duplex 282.46
Pauli de ſe humilis & vera gloriatio 294.47
Pauli doctrinam ad omnes Eccleſias pertinere 722.27
Pauli doctrinam haud impune multi aſpernantur 154.43
Pauli doctrinam veram eſſe 331.8
Pauli doctrina num ſit abſoluta, cum ipſe fuerit idiota ſermone 297.42
Pauli eadem doctrina, par apoſtolatus functio cum cæteris Apoſtolis 327.47
Pauli & Pſeudoapoſtolorum diuerſitas 298.35
Pauli gloriatio 235.50
Pauli gloriatio pia 532.16
Pauli in prædicando Euangelio ſtudium 143.32
Pauli labores & pericula 300.36
Paulinæ doctrinæ autoritas 13.9 & 167.12
Paulinæ doctrinæ commendatio 377.14 & 383.30
Paulinæ doctrinæ comprobatio 322. 51
Paulinæ Epiſtolæ quantæ autoritatis eſſe debeant 315.23
Paulinæ profectionis Hieroſolymam verſus finis 325.52.54
Paulina ſcripta quantæ ſint autoritatis 8.22
Paulini Apoſtolatus aduerſus aduerſarios defenſio 14.56
Paulini Apoſtolatus autoritas 328. 55
Paulini carceris cauſſa 416.45
in Paulinis epigraphis ordo 317. 43
Paulinorum actorum diſtinctio 328. 35
Paulinorum ſcriptorũ vſus 248.45
Paulinus templi parietes cur picturis è teſtamento veteri deſumptis ornauerit 799.35
Pauli preſſura 531.9
Pauli ſecundum carnem gloriatio 300.21
Pauli ſucceſſores quinam dici mereantur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

reantur 13.18
Pauli ſuiipſius accuſatio 589.48
Pauli vocatio diuinitus facta 325.47
Pauli vocatio gratuita 322.47
Pauli vocatio immediata ſeu peculiaris 7.33
Pauli vocatio legitima 324.46
Pauli quæ probra obiecta ſint à Pſeudoprophetis 266.20
Paulum ab Eccleſia Iudaica nihil didiciſſe 324.38
Paulum ante conuerſionem perſecutum fuiſſe Eccleſiam Chriſti 324.42
Paulum conſentire cum cæteris Apoſtolis 326.6
Paulum conuerſum diuinitus 324.45
Paulum nihil didiciſſe à reliquis Apoſtolis 324.5 & 328.23
Paulum non ab homine ſed ipſo Chriſto Euangelium didiciſſe 323.16
Paulum non didiciſſe Euangelium ab Apoſtolis 323.42
Paulum non fuiſſe inferiorē cæteris Apoſtolis 304.40 & 305.21 & 327.18
Paulum non fuiſſe inferiorem eximiis Apoſtolis 297.35
Paulum per Spiritum ſ. inauguratum eſſe miniſterio 8.3
Paulum Romanis amicum 16.14
Paulum vere eſſe gentium Apoſtolum 413.52
Paulus accuſatur à Iudæis malæ fidei in citandis ſcripturæ teſtimoniis 336.55
Paulus accuſatus à Iudæis malæ fidei 42.30
Paulus analytica methodo vſus 156.19
Paulus ante conuerſionem qualis fuerit 322.18
Paulus à Spiritu ſancto fuit edoctus 162.53
Paulus à tyrannidis ſuſpicione ſe purgat 282.4
Paulus contra beſtias pugnauit 238.49
Paulus Corinthios Euangelium docuit 234.20
Paulus cur Apoſtolus Chriſti 8.30
Paulus cur dicat ſe non miſſum vt baptizet ſed vt euangelizet 157.41
Paulus cur glorietur ſe neminem baptizauiſſe 157.38
Paulus cur non acceperit ſtipendium 200.21 & 299.2 & 577.49
Paulus cur ſe abortiuum appellet 235.31
Paulus cur ſe velut vnum ex iis faciat, quos viuos Dominus deprehendet 242.30
Paulus cur ſibi adiunxerit Titum & Barnabam 325.35
Paulus cur in tertio cœlo in miniſterio Euangelii à Chriſto inſtitutus 302.37
Paulus cur non priuatim Petrum admonuerit 330.20
Paulus cur Romanis ſcribat 15.11
Paulus cur victum ſibi manuum labore comparauerit 533.17
Paulus vſus dicto Ethnici Poëtæ 239.7
Paulus deſtinatus muneri Apoſtolico antequam naſceretur 322.46
Paulus dicens Deo meo, num excludat alios 155.19
Paulus diuinitus inſtructus eſt de Euangelio 7.51
Paulus diuinitus vocatus ad Apoſtolatum 328.8
Paulus erga ſuos contribules optime affectus 93.58
Paulus exemplum boni doctoris 539.10
Paulus ἀφωρία Dei deſtinatus ad munus Apoſtolicum 322.43
Paulus habuit teſtimonium ſuæ vocationis immediatæ 7.39
Paulus infidelitatis in docendo accuſatus 2.6.9
Paulus inſimulatur affectionis tyrannidis 257.43
Paulus leuitatis accuſatur 256.20
Paulus ne cui eſſet offendiculo à ſuo iure ſæpe abſtinuit 199.5
Paulus non inferior aliis Apoſtolis 318.22
Paulus num vxorem habuerit 481.3
Paulus qualis natura fuerit 248.55
Paulus quantus fuerit Apoſtolus 248.25 & 315.17
Paulus quomodo natura affectus fuerit 8.37
Paulus quomodo optet eſſe anathema pro fratribus & cognatis ſuis 44.41
Paulus recte ſibi vendicat, quæ ſunt dignitatis Apoſtolicæ 198.45
Paulus ſeruus Chriſti 12.54
Paulus verum Euangelium inter gentes docuit 328.11
Paulus virtute edendorum miraculorum fuit præditus 8.10
Paulus vocatus fuit ad munus Apoſtolicum 154.39
Pauperes cur quoſdam eſſe Deus voluerit 954.1
Pauperes non deſpiciendi 934.39
Paupertatis commendatio 976.2
Paupertas 925.52
Paupertas, ignobilitas, contemtus quid habeant commodi 159.56
ex Pauperibus nemo captare lucrum poteſt, ſine grandi ſacrilegio 966.33
Pauperum cura miniſtris Euangelii habenda 328.30
Pauperum negotia agentes quomodo ſint excipiendi 288.57
Pax 492.57. 525.51 & 528.51 & 585.53 & 661.30 & 674.57 & 706.26 & 823.23
Pax annunciata Euangelio quæ ſit 3.16
Pax Dei 724.8
Pax Dei quænam ſit 483.53
Pax Dei quid? 550.38
Pax & concordia inter nos mutuo alenda 169.10
Pax homini cum Deo 501.22
Pax effectus gratiæ 155.3
Pax in ſcriptura quid ſignificet 6.48
Pax in ſcriptura ſacra quid ſignificet 386.23
Pax quæ complectatur 15.24
Pax quantum bonum 366.22
Pax quatenus ſectanda 903.16
Pax quomodo ſectetur ſalua ſanctimonia 903.20
Peccandi deſiderium augeri prohibitione 72.40
ad Peccandi licentiam gratiæ magnitudine non abutendum 63.18
Peccandi modus 796.26
Peccandum num ſit, vt gloria Dei magis prædicetur 33.39
Peccantibus alios pro ipſis orantes veniam impetraturos 795.30
Peccantibus Deus nequaquam parcit 203.28 & 206.6
Peccantibus nequaquam parcit Deus, quia multi ſunt 207.30
Peccantium contra conſcientiam qualis conditio 77.9

Peccan-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Peccantium multitudo non imitanda 105.2 & 848.48
Peccare & labi differunt 769.45
Peccare num liceat, cum legis tranſgreſſio non ſit peccatum ad mortem 796.15
Peccare quid 769.42
Peccata adhuc ſecum multa ſancti circumferunt 281.49
Peccata alia eſſe ad mortem, alia non eſſe ad mortem 860.39
Peccata aliena etiam lugere nos oportere 175.36
Peccata auditorum deflenda verbi miniſtris 257.52
Peccata Chriſti iuſticia tegi 752.53
Peccata cur fugienda 516.12 & 573.28 & 741.12
Peccata manifeſta excuſantes Deum non ſine periculo in diſceptationem vocant 210.29
Peccata multa quidem eſſe mortalia, ſed non ad mortem 860.42
Peccata ſolo Chriſti ſanguine purgari 834.1
Peccata non cumulanda 535.8
Peccata non eſſe paria 985.8
Peccata non exaggeranda pœnitentiam agentibus 258.11
Peccata non extenuanda 432.11
Peccata num æque omnia proferenda in lucem die iudicij 374.44
Peccata omnia præter ſcortationem cur Paulus extra corpus eſſe dicat 183.48
in Peccata priſtina relabentes quibus ſint ſimiles 719.3
Peccata quænam veniam non conſequantur 860.2
Peccata, quæ quis ſciens facit, num miſericordiam conſequantur 589.56
Peccata ſanctorum tegi à Deo 767.49
Peccata tum demum apparere, cum arguuntur 433.39
Peccati acceptio duplex 278.35
Peccati Adæ effectus 61.57
Peccati alieni reatus non accerſendus 614.56
Peccati auctor Deus falſo ex loco Pauli ſtatuitur 223.1
Peccati auctorem Deum non eſſe 926.55 & 929.37
Peccati blaſphemiæ pœna 860.19
Peccati conſuetudo neceſſitatem parit 750.32
Peccati diuiſio 590.4 & 771.39
Peccati diuiſio perperam ex loco Iohannis à Papiſtis extructa 795.49
Peccati dominio reſiſtendum 68.21
Peccati dominium quid ſit 68.31
Peccati effectus 77.12
Peccati effectus, iram Dei & damnationem annunciare 75.12
Peccati efficiens 371.23
Peccati & doni differentia 60.42
Peccati & gratiæ collatio 63.33
Peccati & iniquitatis diſcrimen 47.15
à Peccati & mortis iure liberatio 843.20
Peccati & ſupplicij analogia 22.29
Peccati expiationem ad remiſſionem peccatorum requiri 561.13
Peccati grauitas rapientium bona Eccleſiaſtica 974.25
Peccati inhabitantis effectus 78.30
Peccati iugum ſancti prorſus excutere nequeunt 79.30
Peccati magna tyrannis 68.16
Peccati magnitudinem quatuor monſtrant 751.4
Peccati magnitudini quid opponendum 63.6 & 886.40
Peccati magnitudo 879.20
Peccati mors quid ſit 64.54
Peccati mortificati fructus 72.13
Peccati natura 542.1
Peccati nullus hominum expers 20.13
Peccati occaſiones fugiendæ 208.1
Peccati omnes eſſe reos 121.13 & 904.50
Peccati originalis deſcriptio 60.10
Peccati originis effectus in homine 78.18
Peccati originis vis 76.50
Peccati occaſiones fugiendæ 76.52
à Peccati prophanatione mundum ſe quilibet Chriſtianus ſeruet 184.23
de Peccati purgatione quatuor conſideranda 747.32
Peccati quanta fœditas 433.37
Peccati ſerui qui ſint 69.27
Peccati ſeruus qui ſit 77.37
Peccatis alienis communicare quid 806.40
à Peccatis dehortatio 655.35 & 696.33
Peccati ſignificatio 771.18
Peccatis indulgere maxime periculoſum 601.8
Peccatis non indulgendum 40.17 & 769.20
à Peccatis purganda anima & corpus 281.51
à Peccatis purgatio ſanguine Chriſti fit 747.28
à Peccatis quid nos auocare debeat 345.37
Peccati tegumentum 47.2
Peccati turpitudo 905.23
Peccati tyrannidi quid opponendum 771.2
Peccati vis quomodo non ſentiatur 75.1
Peccati vita quid ſit 64.52
de Peccato actuali quid ſentiendum 929.23
Peccato alieno nemo ſe contaminet 433.8
Peccato alieno quibus modis communicetur 806.43
Peccato alieno qui communicent 614.49
de Peccato blaſphemiæ quæ tenenda 860.5
Peccato cum impoſſibile ſit in hac vita reſiſtere quid faciendum 752.31
in Peccato duo 81.35
in Peccato fraudem exitialem latere 749.16
Peccato gratiam ſemper eſſe abundantiorem 63.4
Peccato neminem hominum carere 750.40
Peccato non obœdiendum 67.40 & 69.3
Peccato non ſeruiendum 66.14 & 67.17
à Peccato non vno tantum ſed omnibus Chriſtus liberat 60.53
Peccato num ſit indulgendum cum non ſub lege ſimus ſed ſub gratia 68.42
in Peccato omni quinque occurrere 749.7
à Peccato omni ſanctos non eſſe puros 752.35
de Peccato originali quid ſentiendum 929.20
in Peccato originis duo conſideranda 59.17
de quo Peccato Paulus loquatur, ſcribens ſe venditum ſub peccatum 77.19

Peccato

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Peccato poſſe renatos reluctari per regenerationis gratiam 68.1
à Peccato prorſus immunes in hac vitæ eſſe non poſſumus 771.45
in Peccato quæ mala concurrant 749.2
Peccato quomodo reſiſti poßit 361.2
Peccato remiſſo Deus homini amplius non iraſcitur 46.50
Peccato reſiſtere non eſt naturæ ſed gratiæ 68.25
Peccatores caſtigati à ſuis paſtoribus eos non debent odiſſe ſed amare 284.32
Peccatores Deus non abijcit 752.50
Peccatores omnes homines 37.27.31 & 121.2
Peccatores quantumuis magnos Deus in gratiam recipit 235.36
Peccatorib. quid faciendum 869.15
Peccatoribus reſipiſcentibus peccata non exprobanda 284.30
Peccatorum affectiones quomodo exiſtant per legem 74.25
Peccatorum cauſſæ duæ 405.55
Peccatorum diuiſio 495.52 & 944.19
Peccatorum enormitati opponenda Chriſti ſufficiens expiatio 753.15
Peccatorum expiationem quomodo fieri Papa doceat 562.33
Peccatorum finis mors 70.21
Peccatorum fuga 656.30
Peccatorum gradus 541.8
Peccatorum gradus quatuor 67.47
Peccatorum grauitas 882.28
à Peccatorum hominum conuerſatione abſtinendum 729.55
Peccatorum in mundo graſſantium ſex cauſſæ 406.33
Peccatorum in teſtamento veteri expiationem contigiſſe efficacia noui 878.50
Peccatorum magnitudine miſericordiam Dei non ſuperari 977.20
Peccatorum magnitudini opponendas eſſe diuitias gratiæ Dei 389.37
Peccatorum magnitudini opponendus fons gratiæ Dei qui exhauriri nequit 390.1
Peccatorum moli conſolatio opponenda 750.51
Peccatorum multitudinem quomodo [illegible] operiat 981.22
Peccatorum παθήματα 72.44
Peccatorum pœna 431.35 & 859.33
Peccatorum remißio gratuita 936.22 & 834.3
Peccatorum remißionis certitudo 757.33
Peccatorum remißio quomodo accipienda 874.13
Peccatorum tyrannidi conſolatio opponenda 437.44
pro Peccato ſatisfacere poſſe neminem 46.47
Peccato ſitne indulgendum vt gratia abundet 64.13
à Peccato, ſola filij Dei victima homines liberari 57.34
Peccatum 976.57
Peccatum ab Adamo propagatum eſſe in omnes homines 60.7
Peccatum abolere quid 66.50
inter Peccatum Adæ & donum gratiæ dißimilitudinis ratio 60.20
Peccatum ἀνομία 769.10
Peccatum ad mortem quodnam eſſe dicatur 795.39.56 & 860.47
Peccatum cur Deus non ſinat impunitum 715.38
Peccatum cur fugiendum 541.31
Peccatum Deum non velle 20.27 & 926.51
Peccatum eſſe cauſſam gratiæ non per ſe ſed per accidens 64.24
Peccatum eſſe ſimile Tyranno 360.54
Peccatum ex lege vim habet 243.22
(4
Peccatum facere qui dicatur 769.
Peccatum fugiendum 332.57 & 369.14 & 541.37
Peccatum fuiſſe ante legem 59.44
Peccatum hypocritæ cur non puniendum cenſeant 33.33
Peccatum in ſanctis in hac vita ſemper manere 790.23
Peccatum in mortem vbi regnet 63.40
Peccatum inſipidos reddit Deo homines 854.44
ob Peccatum magis erubeſcimus in conſpectu multorum 289.40
Peccatum mortale & veniale vnum idemq́; ſed differt ſubiectis 78.38
Peccatum mortis meritum 37.31
Peccatum mortis telum 243.21
Peccatum mortuum eſſe ſine lege quid ſit 74.36
Peccatum non à Deo 391.28
Peccatum non eſſe cauſſam glorificationis Dei 33.18
Peccatum non extenuandum ex aliorum collatione 598.58
Peccatum non regnans 67.58
Peccatum nullum excipiendum, à quo non purgat ſanguis Ieſu Chriſti 750.7
Peccatum nullum manet impunitum 715.1
Peccatum nullum veniale natura ſua ſed gratia 795.50
Peccatum, onus 374.41 & 720.50
Peccatum originis aliter habitat in renatis, aliter in non renatis 78.25
Peccatum originis collatum militi & victori 79.43
Peccatum originis cur habitare in homine dicatur 78.21
Peccatum originis manere in ſanctis 78.42
Peccatum originis quando regnet 948.6
contra Peccatum originis quomodo pugnandum 78.4
Peccatum pro hoſtia pro peccato poſitum 85.49
Peccatum quando fiat aliquid, quod ſua natura peccatum non eſt 801.10
Peccatū quid ſit 243.34 & 749.1
Peccatum quodnam grauius altero 950.35
(tuerit 59.53
Peccatū quomodo ante legē eſſe po-
Peccatum quomodo Euangelio oſtendi dicatur 751.29
Peccatum quomodo imperet 360.55
Peccatum quomodo per legem noſcatnus 74.3
Peccatum quomodo remittatur in hac vita 46.55
ad Peccatum quoties ſollicitamur, diuinum implorandum auxilium 208.22
Peccatum regnans 67.57
Peccatum remiſſum & tectum Deum nolle punire 47.10
Peccatum ſemper in ſanctis hæret in hac vita 77.40
Peccatum ſimile latroni 75.24
Peccatum vitandum 513.43
Pecuniæ vſus 909.3
Perfectio à Deo petenda 548.36
Perfectio Chriſtiana in hac vita in quibus ſita 308.41
Perfectio Chriſtiana quid 923.53

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Perfectio Chriſtianorum non fit ſubito 424.30
Perfectionem in ſacris literis duplicem commendari 923.29
Perfectionem Chriſtianam in tribus conſiſtere 652.58
Perfectionem in Chriſto ſolo conſiſtere 504.40
Perfectionis Chriſtianæ definitio 478.20 & 924.40
Perfectionis Chriſtianæ exemplum 924.1
Perfectionis ſtultæ opinio in quibuſdam ſanctulis 477.52
Perfectionis vocabulum dupliciter à Paulo vſurpatum 923.37
Pericula aperta fugienda 535.52
Pericula contemnenda 461.55
Pericula quæ ſuſtinuit Paulus prædicando Euangelium 143.46
Periculi magnitudo 763.6
in Periculis animi robur inuictum cernitur 417.17
è Periculis tribus modis pij ſolent liberari 715.45
Periculorum fines 252.49
Periculorum in quibus Paulus verſatus fuit magnitudo 252.31
περικάθαρμα 173.10
περίψημα 173.15
Permiſſionis phraſis 22.1.38
Permutatio rerum 955.10
in Permutatione rerum fraus tribus modis poteſt committi 955.15
Perſecutio collatione bonorum temporalium & æternorum patienter ferenda 889.3
ob Perſecutiones officium non abijciendum 531.18
Perſecutioni quid opponendum 645.9
Perſecutionis conſolatio 378.54
Perſecutionis tempore duo tenenda 625.14
Perſecutionis vtilitas 458.54
Perſecutionum tempore in tria intueri oportere 534.57
Perſecutio patienter ferenda 628.26
Perſecutio quo in loco habenda 457.43
Perſecutorum Eccleſiæ rabies 535.4
Perſeuerantiæ commendatio 762.47 & 862.3 & 923.15
Perſeuerantiæ effectus 890.1
Perſeuerantiæ fructus 848.14
Perſeuerantiæ in bono commendatio 350.7
Perſeuerantiæ in pietate fructus vita æterna 763.19
Perſeuerantiæ neceſſitas 639.19
Perſeuerantiæ præceptum 846.12 & 887.46
Perſeuerantiæ promiſſio 155.50
Perſeuerantia laudabilis 888.1
in Perſeuerantia pietatis quid commodi 763.11
Perſeueratio vſque ad finem ſaluat, vel promiſſa bona accipit 202.10
Perſonæ Chriſti vnitas 737.9
Perſonæ & errata perſonarum diſcernenda 274.59
Perſonæ metaphorica ſignificatio 327.41
Perſonæ vocabulum qualitatem ſignificans 445.3
Perſonarum acceptio quid 932.51
Perſonarum acceptio verbo Dei prohibita 932.41
Perſonarum dignitati cum de religione agitur, non cedendum 327.26
Perſonarum diuinitatis diſtinctio 575.15
Perſonarum in Eccleſia electio qualis eſſe debeat 818.13
Perſonarum gradus 213.12
Perſonarum nulla acceptio apud Deum 897.36
Perſonarum ſingularum in Trinitate actiones in ſalutis negotio 309.20
Peruerſitas 23.28
Petri commendatio 669.25
Petri doctrinæ nihil erroris fuiſſe admixtum 669.29
de Petri errore quid ſentiendum 8.34
Petri factum comedentis cum gentib. quale cenſendum 329.22
Petri factum per ſe iuſtum, ſcandalo factum gentibus, merito à Paulo reprehenditur 329.26
Petro tanquam voci diuinæ credendum 669.29
Petrum docuiſſe Euangelium 669.27
Petrus ab ipſo Chriſto ad apoſtolatum vocatus 669.26
Petrus Apoſtolus qui fuerit 667.12
Petrus comedens cum gentibus recte facit 329.16
Petrus cur à Paulo reprehenſus 329.41
φαιλόνη 640.14
Phariſæi cur blaſphemi habiti 860.29
Phariſæi qui fuerint 475.15
Phariſæorum ſecta quando inceperit 475.19
Phariſaicus error 918.34
φαρμακεία 362.2
φιλαργυρία 908.52
φιλαυτία 931.59
Philautia fons viciorum 633.23
Philautia quale vicium 633.10
Philæmon qui fuerit 661.20
Philippenſes qui populi 455.30
Philippi Melanchthonis encomium 380.49
Philoſophia decipit in rebus ſalutis 941.37
Philoſophia in ſalutis negocio non admittenda 508.32
Philoſophiam donum Dei eſſe, ac nequaquam damnandam 507.18
Philoſophiam quomodo Paulus reijciat 508.22
Philoſophia quomodo dextre vtendum 507.41
Philoſophia quomodo in Eccleſia vtendum 507.23
Philoſophica ſapientia Euangelium pro ludibrio habet 158.38
Philoſophica ſapientia in ſalutis doctrina nihil prorſus valet 158.34
Philoſophiæ ſeu Ethnicorum ſcriptorum verus vſus in Theologia 650.1
Philoſophis ſummis quidnam defuerit 917.20
Philoſophorum altum de Euangelio ſilentium 148.42
Philoſophorum in colendo Deo tenebræ 916.35
Philoſophorum optimi, hoſtes Dei maximi fuerunt apud Ethnicos 917.32
φιλοτιμεῖσθαι 542.33
φιλοξενία 128.1. & 907.29
Phineæ zelus fidei declaratio 44.3
φόνοι 362.50
φόρος tributum quid 132.13
φρόνημα carnis in non renatis tantum ad mortem facit 83.44
φθόνοι 362.41
Pietas 530.16 & 655.46 & 709.(4
Pietas & innocentia tandem manifeſtantur 615.32
Pietas non ab externa facie æſtimanda 417.8
Pietas noſtra quomodo alijs innoteſcat

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

ſcat 308.9
Pietas præferenda corporalibus exercitijs 606.53
Pietas præferenda rebus omnibus 802.38
Pietas quarum rerum ſit teſtimonium 861.42
de Pietate hominis quomodo falſo iudicetur 651.47
in Pietate profectus merum Dei beneficium 392.54
Pietatem internam teſtatur vitæ externa innocentia 308.10
Pietatem ſectandam 396 14
Pietatem ſtudijs mundi præferendam 759.43
Pietate nullum præclarius lucrum 649.47
Pietati cur ſtudendum 606.46
Pietati locum etiam eſſe in aulis principum 487.29
Pietatis commendatio 419.56 & 602.50 & 935.22
ad Pietatis conſecutionem tria requiri 489.21
in Pietatis curſu perſiſtendum 889.19
in Pietatis curſu ſtrenue properandum 478.9
Pietatis definitio 606.41
Pietatis & fidei veræ ſcopus 644.21
Pietatis & ſanctificationis commendatio 619.18
Pietatis exercitia non abijcienda 579.1
Pietatis exercitia tria continent 243.51
Pietatis fructus 484.25 & 631.4 & 655.53
Pietatis neceſſitas 930.24
Pietatis profectui ſtudendum 606.35
Pietatis quæſtus 617.20
Pietatis remuneratio 607.1
Pietatis ſcopus 862.21
in Pietatis ſtudio quotidie progrediendum 763 35
Pietatis ſtudium ab omni ætate requiritur 757.57
Pietatis ſtudium agricolationi ſimile 486.33
cum Pietatis veræ natura conſtare nequit externa impietatis profeſſio 210.22
Pietatis veræ ſignum amor miniſtrorum verbi 350.23
Pietatis vinculum arctiſſimum 529.16
Pij ab impijs tribus diſcernuntur apud Deum 573.6
Pij Chriſti poſſeſſio 573.25
Pij hominis deſcriptio 885.25
Pij in cruce animo infracto expectant conſolationem 2.1
Pij in lucta contra hoſtes animis conſternari non debent 462.1
Pijs excubiæ ſemper in caſtris Chriſti agendæ 246.9
πικρία 429.43
Piorum conditio in regno Chriſti in hac vita 273.58
Piorum & impiorum diſcrimen 545.49
Piorum euentus 862.18
Piorum exitus feliciſſimus 693.41
Piorum ius mutuum 663.8
Piorum paucitas imitanda 848.49
Piorum quanta dignitas & gloria 601.20
vtrum Piorum tantum ſit futura reſurrectio 543.36
Pios à Deo non deſeri 715.13
Pios eſſe ſacerdotes regales 28[illegible].46
Pios eſſe templa Dei 280.21
πίστις 367.58
Pius quinam habendus 903.57
πλεονεκτεῖν quid ſignificet 259.20 & 541.21
πλεονεκτικοὶ 23.20
πλεονεξία 23.16 & 427.4
πληροφορία 339.39
Pluuia matutina & ſerotina quid in Epiſt. ad Ebræos 976.14
πνευματομάχων refutatio 222.50
Pœna abuſus Cœnæ Dominicæ 221.1
Pœna cur differatur à Deo 25.51
Pœnæ defectionis 887.38
Pœnæ dilatio non præbeat peccandi occaſionem 887.16
Pœna diuina, horrendum 887.31
Pœnæ diuinæ dilatio grauitate ſupplicij compenſatur 25.49
Pœna impietatis Iudaicæ gentis 115.33
Pœnam Dauidi poſt remiſſum peccatum inflictam non fuiſſe iudiciariam 47.12
Pœnam diuinam nemo euadit, licet magiſtratum ciuilem effugiat 860.10
Pœnas corporales quibuſdam diuina virtute Paulus inflixit 293.(34
Pœnitentia 858.45
Pœnitentiæ Chriſtianæ definitio 284.16
Pœnitentiæ dilatæ effectus 26.5
Pœnitentiæ dilatio periculoſa 904.12
Pœnitentiæ duo impedimenta in homine 939.15
Pœnitentiæ fructus ex fide orti 221.11
Pœnitentiæ initium veritatis agnitio 632.12
Pœnitentiæ locus in aduentu Domini non futurus 720.54
Pœnitentiæ neceſſitas 935.44
Pœnitentiæ Papiſticæ partes 56.570.4
Pœnitentiæ partes 514.34 & 939.43
Pœnitentiæ præceptum 332.57 & (977.8
Pœnitentiæ prædicatio ad legem non eſt referenda 75.38
Pœnitentiæ prædicationis fundamentum 939.1
Pœnitentiæ prædicatio pars concionis Euangelicæ 939.11
ad Pœnitentiam adhortatio 81.23
ad Pœnitentiam quomodo Euangelium inuitet 64.56
Pœnitentia non procraſtinanda 27.13 & 432.17 & 541.47 & 904.6 & 928.49 & 960.23
Pœnitentia quænam ſit ficta 749.28
Pœnitentia ſacramentum Papiſticum 569.41
Pœnitentia ſemper accipit remiſſionem peccatorum 715.7
Pœnitentia vera eſt corporum oblatio 124.11
Pœnitentia vera & ſalutaris quæ ſit 939.37
Pœnitenti gratia non negatur 363.28
Pœnitentium ſcelera alta obliuione tegenda 258.4
πολυπραγμοσύνη 465.2
πολυπραγμοσύνη vitanda 124.48 & 190.46
Pompeij & Dauidis collatio 450.37
Porcorum eſus cur in veteri teſtamento interdictus 605.44
πορνεία 361.49
Portenta 840.16
Portenta quid 305.3
in Poſſeſſionum abdicatione perfectionem Chriſtianam ſitam non eſſe 45.12
Poſteritati conſulendum 711.2
πονηρία 23.13 & 397.56
Pontificatus R. confutatio 755.16

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Pontificij vnde probare cupiant operibus nos iuſtificari 26.17
Pontificiorum error de operum iuſticia 27.48
Pontificis conditiones 853.52
Pontificis Leuitici conditiones Chriſto quomodo applicentur 856.13
Pontificis officium 853.49
Pontificis teſtamenti veteris definitio 853.33
Potatio πότος 696.48
Potationis vicium 966.50
Potentia Dei fundamentum promiſſionum complendarum 50.33
Potentia Dei opponenda diffidentiæ & rationi 394.24
Potentia Dei quæ & quibus opponenda rebus 418.48
Potentia Dei quid 18.3 & 287.48
Potentia Dei quomodo poſſit perfici tentationibus ſanctorum, cum ſit perpetuo conſummatiſſima 304.3
Potentia Dei vnde conſpiciatur 103.33
Potentiæ Dei teſtimonium 99.30
Poteſtas Chriſti 396.52
Poteſtas Eccleſiæ non exercenda ſine veracibus teſtimonijs 307.8
Poteſtas Eccleſiaſtica miniſterio eſt alligata non hominibus 308.32
Poteſtas Eccleſiaſtica quouſque ſe extendat 308.23
Poteſtate ſua quinam abutatur 201.18
Poteſtates 225.41
Poteſtatis abuſus vnde exiſtat 282.9
Præcepta ſemini ſimilia 489.36
Præceptor agricolæ ſimilis 489.35
Præceptores indulgentia fiunt rei peccatorum alienorum 807.1
Præceptoris erga diſcipulum affectus ſit paternus 585.42
Præceptorum Dei diſcrimen 911.1
Præcipites 634.9
Prædeſtinatio & electio qualis cogitanda 92.49
Prædeſtinatione & electione Dei quinam abutantur 92.54
de Prædeſtinatione vnde iudicandum 390.42
Prædeſtinatione opponi reprobationem 400.14
Prædeſtinationis abuſus 327.35
Prædeſtinationis cauſſam eſſe in Deo non in nobis 400.24
Prædeſtinationis definitio 400.8
Prædeſtinationis doctrinæ commendatio 398.49
Prædeſtinationis doctrinæ vſus 404.
Prædeſtinationis fines 403.56 (4
Prædeſtinationis forma ὑοθεσία 388.58
Prædeſtinationis modo fidei conditionem includi 399.43
Prædeſtinationis modus ſcriptura commendatus tenendus 398.55
Prædeſtinationis modus verus quid vtilitatis pariat 399.15
Prædeſtinationis modus verus qui ſit 399.21
de Prædeſtinationis myſterio neque ex ratione neque ex lege iudicandum 400.19
Prædeſtinationis neceſſitas 628.55
Prædeſtinationi Stoicæ quid opponendum 457.17
Prædeſtinationis Stoicæ euerſio 107.4 & 110.12 & 113.5 & 116.44 & 118.42.52 & 502.23 & 846.16
Prædicationem verbi deſtinatam eſſe omnibus 504.46
Prædicationis Chriſti neminem pudere debet 623.66
Prædicationis Euangelij finis 111.30 & 504.33
Prædicationis verbi effectus 504.35
Præputium gentibus olim probroſum habitum 409.32
Præputium pro gentibus 40.87
Præputium pro omni ſapientia humana 278.25
Prærogatiua Chriſtianorum præ Iudæis quod reiecta facie gloriam Dei intueantur 265.27.
Prærogatiuæ Iudæorum nihil ad ſalutem ipſis faciunt 95.12
Prærogatiuam carnis nihil facere ad ſalutem 353.5
Præſcientiam Dei non afferre rebus neceſſitatem 387.57
Præſentiæ Dei in fidelibus teſtimonium 788.29
Præſentiæ Dei in periculis finis 641.34
Præſentiæ diuinæ in periculis duplex modus 641.28
Præſumtio in actionibus vnde naſcatur 950.23
Præſumtionis temerariæ correctio 950.9
πραότης 368.10
Prauitas 23.13 (418.56
Precandi ſtudium vnde proueniat
Precari pro incremento Euangelij 576.4
Precatio contra Papiſtas 562.52
in Precatione tria cogitanda 575.6
Precationis effectus 483.48
Precationis ordo 392.51
Preces à Romanis cur pro ſe fieri Paulus petat 145.25
Preces cur faciendæ pro magiſtratu 593.58
ad Preces Eccleſiæ in periculo confugiendum 663.40
Preces Eccleſiæ quibus demum ſint futuræ ſalutares 913.26
Preces Eccleſiæ quid valeant 253.19
Preces in Eccleſia fiant lingua vſitata 230.1
Preces mutuæ 913.15
Preces non eſſe irritas 593.57
Preces pro alijs quo nomine fieri debeant 795.24
Preces pro alijs recte fieri 795.19
Preces pro quibus tantum fieri debeant 795.36
Preces quando Deus exaudiat 794.29
Preces quando non ſint irritæ 794.43 (51
Preces quomodo inſtituendæ 417.
Precibus alienis non omnia relinquenda 460.23
Precium quodnam ſit iuſtum 955.46
Precum exauditionem cur Deus interdum differat 794.45
Precum mutuarum commendatio 145.34 & 548.54 & 980.40
Precum vtilitas 594.5
Presbyteri à quibus vicijs alieni eſſe debeant 646.43
Presbyteri quibus virtutibus præditi eſſe debeant 646.3
Presbyteris fidelibus quænam ſint præmia propoſita 702.44
Presbyteris honor & victus debetur 613.25
Presbyterorum calumniatores non audiendi 613.56
Presbyterorum duo genera 613.28
Presbyterorum munus 126.32
Presbyteorum quorundam vicia 649.6
Presbyteros quales ordinare deceat 646.6
Presbyter quale nomen 802.25

Primatus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Primatus in Eccleſiam ambitio ſemper culpabilis & pernicioſa 818.26
Primatus in Eccleſia particulari, & primatus ambitio diſcernenda 817.53
Primatus Papæ euerſio 702.36
Primitiæ pro patriarchis ſeu maioribus 117.4
Primitiarum oblatio typus Chriſti 500.28
Primitias ſpiritus habere 89.14
Per primogenita Aegypti quid ſignificetur 896.46
Principatus Chriſti 396.43
Prior tempore num ſit etiam prior autoritate 597.29
Probandi ſui ratio quæ eſſe debeat ante cœnæ vſum 219.40
Probandi verbum de iudicio 29.33
Probatio & examen ante vſum cœnæ Dominicæ in quo conſiſtat 220.1
Proditores 634.4
Profanus qui habendus 903.53
Prolapſus 796.10
Promiſſa diuina certiſsima 418.50
Promiſsio Abrahæ facta 96.51
Promiſsio de Meſsia Chriſto ex ſemine Dauidis naſcituro vbi extet 14.15
Promiſsio gratiæ vniuerſalis 9.75 & 671.30
Promiſsionem Abrahæ factam potiſs. de ſpiritualibus bonis intelligendam 42.38
Promiſsionem eſſe vniuerſalē 749.58
Promiſsionem expectandam eſſe fide & patientia 862.23
Promiſsiones Dei ad quoſnam pertineat 255.31
Promiſsiones Dei cur ſint ratæ 33.1 & 862.51
Promiſsiones Dei duplices 255.24
Promiſsiones Dei firmæ ſunt & irreuocabiles 120.23
Promiſsiones Dei manent ratæ 95.38 & 630.29
Promiſsiones Dei propter incredulitatem hominum nequaquam fieri irritas 32.35
Promiſsiones Dei vniuerſales 255.27
Promiſsiones diuinæ duorum generum 440.53
Promiſsiones diuinas ratas eſſe etiamſi tota rerum facies illis reclamare videatur 894.43
Promiſsiones mercedis quomodo intelligendæ 444.14
Promiſsiones peculiares quædam patribus factæ 898.19
Promiſsiones perſonales quomodo omnibus in genere accommodentur 909.11
Promiſsiones quo conſilio ſint editæ 32.36
Promiſsiones quomodo dicat Epiſtola ad Ebræos patres non accepiſſe 893.57
Promiſsioni acquieſcendum excluſa omni dubitatione 52.3
in Promiſsionibus Dei quatuor ſpectanda 255.22
in Promiſsionibus Deo gloria danda, reclamante etiam tota natura 897.17
in Promiſsionibus omnibus reſpiciendum ad diuinam potentiam 50.39
Promiſsioni gratuitæ tantum credentes, ſaluantur 353.8
finis Promiſsionis factæ Abrahæ 96.54
Promiſsionis filij qui ſint 401.38
Promiſsionum complendarum fundamentum potentia Dei 50.33
Promiſsionum Dei certitudo 656.4 & 890.6
Promiſsionum diuinarum finis 255.41
Promiſsionum diuinarum ratificatio 255.34
Promiſsionum diuinarum ſponſor Chriſtus 255.29
Promiſsionum promulgatio 255.39
Promiſsio num ſit irrita facta per legem datam poſt promiſsionem 342.35
Promiſsionum veritas à Chriſto pendet 345.19
Promiſsio pro exhibitione Chriſti in carne 899.47
Promiſsiones ſcholaſticæ non damnandæ 945.22
Promotionum gradus pio conſilio in ſcholis inſtitutos 423.45
Promtitudo Apoſtoli erga Iudæos 106.56
Propitiatorij appellatio de duabus rebus monet 38.26
Propitiatorij interpretatio 38.18
Propitiatorij legalis typus 863.16
Propitiatorium figura Chriſti tegentis peccata 47.7
Propitiatorium quid adumbret 876.26
Prophetæ comparati agricolis 3.13
Prophetæ quid de Chriſto fuerint vaticinati 676.54
Prophetæ qui fuerint 225.36
Prophetare quid 228.34
Prophetarum duo ordines 423.18
Prophetarum falſorum notæ 725.31
Prophetarum patientia 976.28
Prophetas non proprio motu ſed per ſpiritum ſanctum locutos 666.52
Prophetia 223.26
Prophetia debet fieri iuxta analogiam fidei 126.6
Prophetiæ auctorem eſſe Spiritum ſanctum 712.51
Prophetia & cognitio differunt 227.22
Prophetia pro dono interpretandi ſcripturas 548.16
Prophetia quid 126.3
Prophetia quomodo vtendum 232.12
Prophetiarum completio 827.21
Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ collatio 712.35
Propheticæ ſcripturæ commendatio 712.41
Prophetica & Apoſtolica doctrina ſola nota Eccleſiæ 412.12
Prophetica & Apoſtolica ſcripta ad regenerationem hominis maxime neceſſaria 151.28
Propheticus ſermo quomodo à Petro firmior dicatur Apoſtolico 712.16
de Prophetijs tria præcepta 548.24
Proprietatum alternatio in abſtracto non admittenda 415.51
προσανατίθεσθαι 323.36
προσήλυτοι 669.37
προσωποληψία apud Deum nulla 366.11
προσωποληψία quænam damnetur 933.1
προσωποληψία quid 27.24
Proſperitas non omnibus ſalutaru 483.6

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Proſperitate in contemtum Dei non abutendum 980.5
Proſperitatis omnis auctor Deus 980.3
πρὸς pro ὑπὲρ 852.21
Protopolæ qui dicantur 955.56
non Proficere eſſe deficere 723.5
Prouidentia an ſit 450.37
Prouidentia Chriſti æterna 499.25
Prouidentiæ Chriſti omnia eſſe ſubiecta 833.50
Prouidentia Dei 909.8
Prouidentiæ Dei & curæ de genere humano teſtimonium 841.10
Prouidentiæ Dei peculiaris in Eccleſia teſtimonium 538.57
Prouidentiæ diuinæ modi diuerſi 199.46
Prouidentiæ diuinæ teſtimonium 703.23
Prouidentia verbo promiſsionis non fato alliganda 245.18
Prouocatio ad iudicem etiam infidelem quando ſit licita Chriſtianis 179.50
Proxima placere ferendo eius imbecillitatem quatenus oporteat 140.21
Proximus cur omnis homo 965.7
Prudentiæ definitio 51.3
Prudentia fidei comes eſſe debet 895.31
Prudentia in diuinis quid 390.12
Prudentis officium 51.1
Pſalmi 435.8
Pſalmi Dauidici Oeconomia 46.35
Pſalmi 8 breuis expoſitio 841.46
Pſalmi 65. breuis expoſitio 846.30
Pſeudoapoſtoli buccinatores ſunt laudum ſuarum apud alios 296.23
Pſeudoapoſtoli cur παρείσακτοι 326.30
Pſeudoapoſtoli qua de cauſſa perſecuti Paulum fuerint 358.50
Pſeudoapoſtoli quo ſint ingenio præditi 326.50
Pſeudoapoſtolorum decreta 512.18
Pſeudoapoſtolorum deſcriptio 479.23
Pſeudoapoſtolorum doctrina 335.53
Pſeudoapoſtolorum & diaboli collatio 296.56 & 297.3
Pſeudoapoſtolorum & Pauli diuerſitas 298.35
Pſeudoapoſtolorum & verorum Apoſtolorum antitheſis 303.7
Pſeudoapoſtolorum in Paulum calumnia 349.23
Pſeudoapoſtolorum notæ 377.24
Pſeudoapoſtolorum perſtrictio 353.18
Pſeudoapoſtolorum ſtudium 320.7
Pſeudoapoſtolorum vanitas 511.46
Pſeudoapoſtolorum via fallendi 350.45
Pſeudoapoſtolos dolo malo omnia agere 299.15
Pſeudoapoſtolos non eſſe miniſtros Chriſti ſinceros 300.30
Pſeudoprophetæ à Chriſti ſeruis qua nota diſcernantur 147.30
Pſeudoprophetarum prædictio 713.24
Pſeudoprophetarum ſtudium 781.33
Pueri pietatem colere debent 758.15
Pueros habere fidem 565.27
Pugna in ſanctis aduerſus peccatum 361.28
Purgati non inuoluantur prioribus ſordibus 181.51
Purgationem à peccatis eſſe vniuerſalem 748.44
Purgationes hypocriticæ 747.40
Purgationes Papiſticæ 747.55
Purgationis à peccatis certitudo 748.17
Purgationis à peccatis neceſsitas 748.6
Purgatio peccatorum typica 747.35
Purgatio peccatorum vera 747.58
Purgatorij definitio 467.19
Purgatorium 676.27
Purgatorium Papiſtæ falſo ex Pauli dicto extruunt 467.7
Purificare ſe qui dicatur 769.3
Puritas 484.15
Puritas Chriſtiana in tribus rebus conſiſtit 296.47
Puritatis commendatio 768.30
Puritati vitæ cur ſtudendum 838.57
Purus qui ſit 540.38

Q

Quæſtiones Corinthiorum 153.28
Quæſtiones quænam fugiendæ 631.32
Quæſtionum ocioſarum fructus 614.2
Quæſtionum diſcrimen 586.37
Quatuor in ſcripti cuiuſcunque ſacri enarratione explicanda 248.8
Queruli 727.53
Quies Dei quæ 850.16
Quies publica quomodo turbetur 312.16
Quiſq; pro alius 231.62
Quomodo dicatur Deus miſereri cuius vult, & indurare quem vult 100.2
Quomodo ſciri poßit, num quis ſpiritum Chriſti habeat 85.29

R

RAdix pro patribus ſeu maioribus 117.16
Rahab mulier infamis vnde tantam laudem conſecuta ſit 897.39
Rami pro poſteris 117.18
Rapina quid 465.46
Raptus Enochi ad cœlum 826.45
Raptus Paulini in tertium vſq; cœlum modus ſcrupuloſe non inquirendus 302.18
Ratio humana cæca in ſalutis negotio 602.51
Ratio humana prorſus cæca eſt in rebus diuinis 164.29
Ratio aduerſatur peccato 85.30
Ratiocinationes mundanæ quomodo euertantur 293.20
Ratio in diuinis rebus capiuanda 159.18
Rationes particulares multas ſæpe in vno argumento principali latitare 678.59
Rationes quibus mentes de veritate Dei confirmentur, diligenter colligendæ 76.2
Rationi in ſalutis negotio nihil extra verbum Dei tribuendum 21.37
Rationis argumentis opponenda potentia Dei 394.24
Rationis & voluntatis collatio 821.18
Ratio non ſui ſolius ſed etiam aliorum habenda 140.16
Ratio ſibi relicta non intelligit verum colendi Deum modum 124.4
Reatui opponendam imputationem iuſticiæ Chriſti 59.22
Reatus cauſſa in Adamo & nobis eſt 62.9

Reatus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Reatus propagatio & donum vt diſferant 61.1
Reatus quid 62.7
in Rebus medijs infirmitates infirmorum tolerandæ 140.8
Rebus terrenis ita vtendum, ne ſint nobis impedimento, quo minus Deo adhæreamus 192.40
Receptio Iudæorum quomodo ſit mundi reconciliatio 116.56
Reconciliatio duplex 410.52
Reconciliationem factam eſſe per Chriſtum 53.40
Reconciliatione quotidie indigemus 275.10
Reconciliationes inter Chriſtianos quales eſſe debeant 258.55
Reconciliationis adiuncta 502.4
Reconciliationis cauſſa inſtrumentalis 411.10
Reconciliationis fundamentũ Chriſtus 410.25
Reconciliationis honos ſoli Chriſto tribuendus 501.14
Reconciliationis modus 410.28 & 501.16
Reconciliationis modus declaratus 275.18
Reconciliationis neceſſitas 502.9
Reconciliationis noſtræ cum Deo finis 501.52
Reconciliatio non nimis diu differenda, ne reſipiſcentes in deſperationem ruant 258.24
Reconciliatio quomodo facta 274.15
Reconciliatio quomodo fiat rata 502.13
Redemtionis beneficium Chriſti ſolum ſanguini aſſcribitur 157.9
Redemtionis beneficium magis dulceſcit agnita imbecillitate noſtra 262.54
Redemtionis finis 656.32
Redemtionis humanæ cauſſa principalis 389.32
Redemtionis humanæ circumſtantiæ 743.17
Redemtionis ius violatur ſoluendo lictori precium 38.7
Redemtionis modus 656.14
in Redemtionis opere quæ conſideranda 742.49
Redemtionis opera, adeoq; ſalus tota in Chriſto 747.11
Redemtionis opus ad omnes tres perſonas diuinitatis pertinet 182.5
Redemtionis opus ad totam trinitatem quomodo pertineat 86.13
Redemtionis ordo 347.15
Redemtionis partes 37.57
Redemtio noſtri Deo ſoli aſſcribenda 407.54
Redemtio ſanguine Chriſti parta 38.11
Refutatio dialectica 73.44
Refutatio Paulina per abominationem 73.47
Refutatio probrorum Paulo obiectorum 266.27
Regeneratio duplex 771.42
Regeneratio fons omnis pietatis 365.16
Regenerationis modus 351.16
Regenerationis neceſſitas 273.47
Regenerationis ordo 534.28
Regenerationis periphraſis 708.33
Regenerationis ſpiritualis partes 514.47
Regenerationis virtus 771.10
Regeneratio qualis in hac vita contingat 303.40
Regeneratio ſpiritualis quid 500.44
in Regeneratis quatuor concurrere 789.51
Regna ſpiritualia in hoc mundo duo 175.56
Regni Antichriſtiani adminiſtratio qualis 558.44
Regni Chriſti duas eſſe partes 237.43
Regni Chriſti æqualitas 414.24 & 415.31
Regni Chriſti & creaturarum collatio 906.12
Regni Chriſti quantus theſaurus 906.19
Regni peccati & gratiæ collatio 63.33
Regnorum mundi & Chriſti ἀντίθεσις 496.35
Regnum Chriſti & regna mundi plurimum differre 922.45
Regnum Chriſti cœlo nouo & terræ nouæ comparatum 273.55
Regnum Chriſti in Eccleſia quale 499.32
Regnum Chriſti non eſſe mundanum 558.17
Regnum Chriſtus duplici iure obtinet 396.55
Regnum cœlorum non eſſe ſtipendium ſed hæreditatem 353.37
Regnum Dei in quibus rebus conſiſtat 138.24
Regnum Dei non conſiſtit in cibo, potu & alijs rebus indifferentibus 138.20
Regnum Dei regnum gratiæ 939.3
Regula Theologica 645.4
Regula de typis 837.4
Regula de typis & antitypis 842.46
Regula in omnibus actionibus neceſſaria 135.50
Regula vitæ Chriſtianæ 591.38
Reiectionis Iudæorum, & aſſumtionis gentium cauſſæ 118.9 & 28
Reipublicæ Chriſtianæ adminiſtrandæ ordo 530.34
Reipublicæ cum cantu comparatio 311.41
in Religione rudes infantibus ſimiles 857.33
in Religionis cauſſa perſonarum dignitati non cedendum 327.26
de Religionis Chriſtianæ certitudine argumenta immota tenenda 824.19
Religionis Chriſtianæ definitio 932.16
Religionis Chriſtianæ partes ſubſtantiales 932.19
in Religionis controuerſijs quid faciendum 377.55
Religionis curam cur Paulus tertio loco ponat 312.52
in Religionis doctrina indies magis magisq; progrediendum 857.29
Religionis oſores 723.14
Religionis profeſſio non occultanda 13.3
Religionis profeſſio non ſit hypocritica 630.39
Religionis proprietates 932.3
Religionis ſumma ad duo ſemper reuocanda 49[illegible].33
Religionis tria præcipua capita 538.1
Religio non cedat dignitati perſonarum 328.58
Religio patrum & noſtra eadem 832.1
Religio ſincerior quamdiu manſerit 799.31
ad Remedia alia quam ad Chriſtum non fugiendum 682.38
Rempublicam tribus conſeruari 312.7
Remiſſio in veteri populo cur ſine ſanguine non fiebat 38.33
Remiſſionis peccatorum cauſſæ 857.48

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Remiſsio peccatorum quo nomine contingat 757.43
Renatorum munus 68.12
Renatorum vires aliquæ 78.40
Renatorum voluntas promta ad obœdiendum, ad perficiendum imbecillis 78.40
Reparationis cauſſa primitiua 406.40
Reparationis ordo 933.46
Reprehenſio non fiat, niſi de facto conſtet 156.29
de Reprobatione quid ſentiendum 933.45
Requies hominum quæ 850.18
Requies ſpiritualis duplex 851.2
Requies ſpiritualis quid 850.57
Rerum indifferentium diſtinctio 329.44
Rerum mediarum vſu iudicium ſibi nemo accerſat 139.20
Rerum mediarum vſus ad ædificationem aliorum referendus 201.34
Rerum mediarum vſus moderandus ad caritatis regulam & ædificationem 197.49
Rerum mediarum vſus non ſit intempeſtiuus 201.38
Rerum omnium tres ordines 708.6
Reſipiſcendum mature 687.39
Reſipiſcentes recipiendi in gratiam 258.19
Reſipiſcentes ſunt Iſraëlitæ veri 119.52
Reſipiſcentia quid 27.20
Reſipiſcentibus promiſſa Dei ſeruari 33.19
Res mala boni cauſſa eſt, non effectiue ſeu per ſe, ſed occaſione ſeu per accidens 116.18
Reſponſio ad Papiſtarum obiectionem 532.38
Reſpublica lyræ ſimilis 311.28
Reſtrictio præcepti de capite velando aut non velando 213.39
Reſurrectio 52.52
Reſurrectio Chriſti 841.26 & 842.4
Reſurrectio Chriſti quomodo noſtra iuſticia 743.57
Reſurrectio Chriſti teſtimonium futuræ gloriæ fidelium 86.16
Reſurrectio corporum cuius virtute ſit futura 480.21
Reſurrectio Domini cuius virtute facta 395.54
Reſurrectio mortuorum cur non ſtatim ſit facta cum Chriſto 237.31
de Reſurrectione corporum quæſtiones furioſæ quæ habendæ 544.53
Reſurrectionem Chriſti complecti omnia quæ ſecuta ſunt eam 234.44
Reſurrectionem factam eſſe quinam docuerint 630.17
de Reſurrectione mortuorum cur frequenter cogitandum 243.53
ex Reſurrectione mortuorum negata quæ abſurda ſequantur 236.19
de Reſurrectione quædam eſſe difficilia intellectu in ſcriptis Pauli 722.23
in Reſurrectionis articulo ad tria reſpiciendum 500.37
Reſurrectionis autor & modus 544.1
Reſurrectionis cauſſa & ordo 337.16
Reſurrectionis Chriſti definitio 395.13
Reſurrectionis Chriſti teſtes autoptæ 234.50
Reſurrectionis Chriſti teſtimonia 395.10
Reſurrectionis Chriſti virtus 65.12.36.42 & 695.25
Reſurrectionis certitudo 182.53 & 500.35 & 543.32
Reſurrectionis corporum noſtrorum quinq; cauſſæ certitudinis 270.38
Reſurrectionis dominicæ certa ſcientia 235.13
Reſurrectionis dominicæ fructus 395.12
Reſurrectionis effectus 544.10
Reſurrectionis fidei vſus 544.25
Reſurrectionis finis 242.41
Reſurrectionis gloriam quinam recte percipiat 704.56
Reſurrectionis modus 543.54
Reſurrectionis modus ſimilitudine declaratus 239.36
Reſurrectionis mortuorum confirmatio 236.11
Reſurrectionis ordo 544.12
Reſurrectionis ſpecies quædam in immolatione Iſaaci 894.51
Reſurrectionis ſpes quomodo rata 746.48
Reſurrectionis ſpes in dubium impie vocatur 719.55
Reſurrectionis tempus 544.52
Reſurrectionis teſtimonium 182.47 & 543.6
Reſurrectionis typus primitiarum oblatio 500.30
Reſurrectionis validum teſtimonium 894.7
Reuelari quid 555.14
Reuixiſſe qui ex periculo liberantur cur dicantur 894.52
Roſæ comparata Eccleſia 1.13
Roſa iuxta cæpe vel allium ſata, fragrantior redditur 2.24
Ritibus Eccleſiaſticis quot modis peccet Papa 571.44
Ritibus humanis quomodo ſe Papa opponat Chriſto 571.34
Ritus Eccleſiaſtici quo fine inſtituantur 571.38
Ritus Moſaicos non requiri à iuſtificandis 339.6
Ritus ſeruientes decoro & ordini ordinare & mutare Eccleſiæ liberum 233.43
Ritus vtiles & graui autoritate in Eccleſia receptos, contemni non debere 215.2
Robur omne à Deo 445.29
Robur à Deo petendum 149.26
Romanam Synagogam non eſſe Eccleſiam 352.33
Romanenſes fruſtra de Eccleſiæ titulo gloriari 602.33
Romanenſium perſtrictio 651.3
Roma ſedes Antichriſti 556.1
Rota imago fortunæ humanæ 450.13

S

SAbbatiſmi Dei typus 850.20
Sacerdotes cur angeli dicantur 16.3
Sacerdotis appellatio cur Chriſto attribuatur 38.48
Sacerdotij Chriſti affectus 869.7
Sacerdotij Chriſti finis 844.10
Sacerdotij Chriſti perfectio 870.25
Sacerdotij & fœderis mutua relatio 867.4
Sacerdotij Leuitici ſignificationes 885.2
Sacerdotij tranſlatio à tribus Leui ad tribum Iuda 867.21
Sacerdotij veteris vſus 872.2
Sacerdotis Chriſti virtus & perfectio 869.58
Sacerdotis ſummi officium 854.11
Sacerdotis veri deſcriptio in tribus ſita 869.35

Sacerdo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sacerdotium Chriſti æternum 867.40
Sacerdotium Chriſti ἀπαράβατον 868.57
Sacerdotium Chriſti perfectum 877.12
Sacerdotium Chriſti præferendum Leuitico 866.51
Sacerdotum veteris & noui teſtamenti diſcrimen 561.50
Sacramenta coagmentationis cum Chriſto ſigna neceſſaria 398.9
Sacramenta conciones eſſe Euangelij 65.37
Sacramenta cur ſymbola & ſigna 565.42
Sacramenta Eccleſiæ quo in loco habenda 437.2
Sacramenta eſſe obſignationes promiſsionum diuinarum 203.47
Sacramentalium ſignorum analogia quomodo explicetur ab Eccleſia 565.50
Sacramenta non requiri neceſſaria ad iuſtificationem 338.58
Sacramenta noui teſtamenti non eſſe tantum ſymbola vitæ ac morum Chriſtianorum 65.19
Sacramenta quomodo proſint 30.44
Sacramenta ſine fide nihil proſunt 204.1
Sacramenta ſunt verba viſibilia 204.3
in Sacramentis concurrunt quatuor 215.54
ad Sacramenti cuiuſq; integram rationē quatuor requiri 565.19
Sacramenti definitio 48.9 & 437.6 & 565.16
Sacramenti partes à veteribus diſtinctæ 218.2
Sacramentis iuſtificationem non aſſcribendam 44.32
in Sacramentis noſtris nunquid aliud præterea conferatur, quam olim in veteribus 205.52
in Sacramentis Papa quomodo ſe Chriſto opponat 565.9
de Sacramentis quinam Thraſonice tantum glorientur, qui vere 31.30
ad Sacramenti ſubſtantiam quæ requirantur 47.54
in Sacramento omni analogia conſideranda 436.58
de Sacramentorum conſecratione quid ſentiendum 566.22
in Sacramentorū doctrina quomodo peccetur à Papiſtis 566.37
Sacramentorum finis 48.12
Sacramentorum numerus in nouo teſtamento 565.14
Sacramentorum numerus ſecundum Papiſtas 566.43
Sacramentorum ratio 694.48
de Sacramentorum vſu Anabaptiſtarum error 95.15
Sacramentorum vſu ſolo neminem iuſtificari 30.49
Sacramentorum vſus verus 47.39
Sacramentum cœnæ dominicæ quomodo peragatur à Papiſtis 569.14
Sacramentum eſſe verbum viſibile 47.51
Sacramentum quid ſit 216.48
Sacramentum veteris & noui populi duplex 216.58
Sacrificandi ritus vetus 124.13
Sacrificia ex quibus rebus fiebant 854.14
Sacrificia Iudæis duabus de cauſsis præcepta 854.17
Sacrificia legis fidem requirere 854.37
Sacrificia Leuitica fuerintne fruſtra ordinata, cum non tollant peccata 882.11
Sacrificia Leuitica non potuiſſe peccata auferre 882.1
Sacrifitia Papiſtarum ficta & inſulſa 124.23
Sacrificia Papiſtarum impia 877.56
Sacrificia qualia Deo à nobis offerenda 912.12
Sacrificij Chriſti efficacia 884.1.10 & 878.4
Sacrificij Chriſti applicatio 881.10
Sacrificij Chriſti applicatio quomodo fiat 884.32
Sacrificij Chriſti cauſſæ & modus 883.21
Sacrificij Chriſti finis 880.59 & 881.14
Sacrificij Chriſti triplex comparatio 877.45
Sacrificij Chriſti virtus 856.44
Sacrificij Chriſti vnitas 880.58
Sacrificij Leuitici inefficacia 877.5
Sacrificijs Leuiticis peccata auferri non potuiſſe 882.32
in Sacrificijs ſuis tria potiſsimum patres ſpectaſſe 891.44
Sacrificiorum genera non omnia eſſe ſublata 884.29
Sacrificiorum legis duo genera 854.25
Sacrificiorum Leuiticorum extenuatio 877.23
Sacrificiorum Leuiticorum reiectio 882.45
Sacrificiorum Leuiticorum imperfectio 876.59
Sacrificiorum veteris teſtamenti cauſſæ 882.20
Sacrificiorum veterum informitas quid ſignificabat 877.15
Sacrificium Chriſti & Leuitarum vt differant 880.29
Sacrificium Chriſti fide ſincera amplectendum 884.45
Sacrificium Chriſti propitiatorium peccatorum, quomodo applicetur hominibus 743.24
Sacrificium Chriſti quantum excedat Leuitarum ſacrificia 877.51
Sacrificium Leuiticum quam fuerit efficax 877.5
Sacrificium vetus tantum fuiſſe typicum 881.57
Sadducæorum de Angelis deliramentum 838.54
σαίνιζ 537.20
Sal cur in omnibus ſacrificijs adhibitus 854.39
Sale conditus cur ſermo eſſe debeat 521.24
Saluandi non ſint diuerſi modi 694.24
Saluare num ſeipſum quis poſſit 609.35
Saluationis idem modus patrum qui noſter 206.19
Salus ad quos pertineat 856.57
Salus cum ſit vniuerſalis, cur multi damnentur 722.5
Salus & perditio ex fatali neceſſitate non dependent 138.50
Salus fratrum diligenter procuranda 981.6
Salus hominis gratuitum Dei donum 18.20
Salus hominus vnde prodeat 105.51
Saluus hmana τετράγωνος, & euerti nullo modo poteſt 743.8
Salus operibus non aſſcribenda 15.30
Salus promiſſa habet annexam conditionem fidei 109.22
Salus quomodo contingat 252.3

Salus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Salus tanto certior quanto cognitio Chriſti firmior 710.24
Salus vniuerſalis 594.25
Salutandi modus Paulinus 456.13
Salutandi ſtudium magnum Romæ 146.38
Salutatio 823.25 & 915.9
Salutatio Epiſtolaris terminus multum habet commodi 246.55
Salutatio mutua abſentium non negligenda 815.38
in Salutatione Apoſtolica tria conſideranda 15.27
Salutationis ciuilis & Apoſtolicæ diſcrimen 15.17
Salutationis exemplum 487.12
Salute excidunt homines ſua culpa 933.57
Salutem ad gentes quoq; pertinere 596.31
Salutem cur non omnes conſequantur 504.49
Salutem eſſe gratuitam 408.36
Salutem ex meritis præcedentibus non pendere 897.37
Salutem extra Chriſtum non eſſe 106.18
Salutem fide contingere 9.30
Salutem hominis eſſe conditionalem 721.12
Salutem in Chriſto ſolo fundari 387.45
Salutem omnium velle Deum 389.2 & 594.49 & 607.20
Salutem operari quid ſit 467.54
Salutem reuera eſſe conditionalem 388.11
ad Salutem vocatio vniuerſalis 13.33
Salutis beneficium cum toti obœdientiæ Chriſti tum ſingulis eius partibus recte tribui 52.57
Salutis beneficium eſſe vniuerſale 9.44
Salutis beneficium ſolis credentibus applicetur 106.20
Salutis beneficium totum bonitati diuinæ aſſcribendum 50.35
Salutis beneficium totum gratiæ tribuendum 477.49
Salutis beneficium vniuerſale 106.19 & 785.20
Salutis cauſſæ 416.21 & 624.35 & 674.45
Salutis cauſſæ in Deo 659.3
Salutis cauſſa quomodo ordinandæ 15.33
Salutis cauſſa ex ſola miſericordia Dei, & non ex vllo humano merito pendet 99.15
Salutis cauſſa inſtrumentalis 389.56
Salutis cauſſa principalis 675.13
Salutis cauſſa, προηγουμένη 655.12
Salutis cauſſa vnica prædeſtinatio 388.54
Salutis certitudo 481.48
Salutis conſequendæ ratio 594.26 & 675.22
Salutis credentium & prouidentiæ Dei certitudo 630.24
Salutis cura prima & præcipua eſſe debet 951.55
Salutis donatæ pignus baptiſmus 659.12
Salutis gloria vniuerſa Deo aſſcribenda 392.33
Salutis humanæ cauſſæ 408.4
Salutis humanæ certitudo 418.27
Salutis humanæ modus 624.23
Salutis humanæ myſterium breui pericopa appoſite deſcriptum 388.40
Salutis humanæ prima cauſſa 573.34
Salutis inſtrumentum 655.13
Salutis materialis cauſſa 655.14
Salutis materiæ reſurrectio 675.19
in Salutis negotio merita humana damnari 386.30
in Salutis negotio non ad rationem videndum 480.30
Salutis noſtræ principium quodnam 496.25
Salutis participes quinam fiant 624.47
Salutis prædicatio non obſcura 655.18
Salutis ſpes vnde pendeat 346.1
Salutis ſuæ principium nemo ſibi tribuat 265.35
Samoſateni error 833.4
Samſonis hiſtoria 898.6
Sanationis miraculoſæ dono cur Eccleſia olim claruerit 223.24
Sancti 516.47
Sancti deplorant ſuam ſub peccato captiuitatem 79.50
Sanctificati non polluant ſeſe nouis inquinamentis 181.52
ad Sanctificationem adhortatio 708.51
Sanctificationem à iuſtificatione nequaquam ſeparari poſſe 273.26
Sanctificationem ſectandam 540.49
Sanctificationis definitio 369.6
Sanctificationis neceſſitas 942.15
Sanctificationis partes 540.51 & 541.18 & 542.39 & 942.17
Sanctificatio & eius finis 573.41
Sanctificationi ſtudendum 281.20
Sanctificatio noſtra nunquam hic in nobis perficitur 67.34
Sanctificatio noſtri cur aquæ ſymbolo notetur 791.25
Sanctificatio vera in quo conſiſtat 540.40
Sancti in hac vita obœdientiam plenam præſtare nequeunt 78.43
Sancti multas adhuc maculas circumferunt 281.49
Sancti qui 15.8
Sancti quomodo efficiamur 386.3
Sancti iudicabunt diabolos 180.15
Sanctimoniæ perpetuo ſtudendum 69.58 & 681.6 & 683.24 & 740.18
Sanctimoniæ vox quid ſignificet 69.56
Sanctimonia vitæ & fides coniuncta 573.12
Sanctimonia vitæ perpetuo meditanda 281.28
Sanctitas 492.47
Sanctitas Chriſtiana dupliciter intelligenda 674.14
Sanctitas finis Chriſtianæ vitæ 13.40
cum Sanctitate vera quæ pugnent 431.626
Sanctitati & innocentiæ quare ſtudendum 412.39 & 677.33
Sanctitati non vno tantum die ſtudendum ſed ſemper 555.51
Sanctitatis commendatio 935.23
Sanctitatis & perfectionis Chriſtianæ definitio 548.41
Sanctitatis neceſſitas 930.25
in Sanctis duo imitanda 909.55
à Sanctis patribus nati non omnes ſunt eiuſdem dignitatis & loci 97.3.21
Sancti viuentes quomodo orent pro ſe inuicem 596.6
Sanctorum cultus impius 512.2
Sanctorum incrementum quomodo fiat 424.42
in Sanctorum interceſſione Papiſtica triplex impietas 596.2
Sanctorum inuocatio 564.40
Sanctos mundum iudicaturos 180.1

Sanctos

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sanctos non eſſe interceſſores 595.54
Sanctos poſſe labi & errare 329.6
Sanctuarij Moſaici cum cœlo comparatio 884.56
Sanctum mundanum 875.28
Sanguine Chriſti ſolo contingit mundities 879.54
Sanguine cur ara tingebatur in veteri teſtamento 744.57
ſine Sanguine cur nulla remiſſio fiebat in veteri populo 38.33
Sanguine cur populus in veteri teſtamento aſpergebatur 744.49
Sanguinem Chriſti aliter quam Abelis clamare 905.39
per Sanguinem Chriſti pleniſſime redemptio & ſalus contingunt 745.40
per Sanguinem quatuor in ſcriptura ſignificari 744.22
Sanguine veſci cur Noæ interdictum 745.10
Sanguinis Chriſti effectus 879.43
Sanguinis Chriſti efficacia 745.32
Sanguinis Chriſti efficacia ad purganda omnia peccata 749.45
Sanguinis Chriſti effuſionis neceſſitas 879.31
Sanguinis Chriſti vtilitas 747.19
Sanguis 792.16
Sanguis Chriſti tribus opponitur 745.17
Sanguis pro tota paſſione Chriſti 744.14
Sanguis ſymbolum expiationis peccatorum 791.32
Sanitas fidei 652.55
Sapere nimium eſt vicium 128.38
Sapere quæ carnis ſunt, & quæ mortis eadem ſunt 84.19
Sapiens Paulo qui dicatur 158.44
Sapienter ambulare 52.71
Sapientia à Deo petenda 924.48
Sapientia Dei 56.58
Sapientia Dei, id eſt, Euangelij doctrina alio dicendi genere proponenda, quam humana ſapientia 163.30
Sapientiæ carnalis reiectio in diuinis 334.53
Sapientiæ Dei teſtimonium 121.30
Sapientiæ diuinæ inanis iactantia 947.1
Sapientiæ diuinæ ſeu Euangelij quiſnam ſit capax 164.18
Sapientiæ humanæ effectus in rebus diuinis 847.20
Sapientiæ & cognitionis diſtinctio 506.15
Sapientiæ & ſimplicitatis commendatio 147.47
Sapientia & cognitio vt differant 223.15
Sapientiæ laus Deo ſoli debetur 148.51
Sapientiæ mundi renunciandum, vt ſit locus ſapientiæ Dei 169.16
Sapientiæ ſenſus quid 625.5
Sapientiæ terrenæ & cœleſtis collatio 947.19
Sapientia humana præputium 378.25
Sapientia in diuinis quid 390.9
Sapientiam Dei principes mundi non cognouiſſe 162.12
Sapientia mundi quæ ſit 169.24
Sapientiam non omnem Paulus deſpicit 161.43
Sapientiam perfectam Euangelio contineri 390.20
Sapientia mundi non perueniunt homines in ſalutarem Dei noticiam 159.2
Sapientia pro dicendi artificioſa peritia 157.53
Sapientia quænam ſit illa, qua erudimur ad ferendas æquo animo tentationes 924.57
Sapientia quomodo à Deo poſtulanda 925.11
Sapientia vera 946.50
Sapientia vera in cognitione Dei conſiſtit 685.33
Satanæ abolitio 843.10
Satanæ appellatio duplex diaboli ſtudium ſignificat 259.14
Satanæ imperium plenum in incredulos 405.52
à Satanæ morſibus nemo immunis 288.14
Satanæ ſtudium omnibus temporibus perſequi Eccleſiam 1.29.33 40.44.47.52 & 2.6.9.15. 20.36.46.49 & 3.1.4.16 40.46 & 4.13.17.23.40 46 & 5.8.25
Satanæ tentationes duplices 2.14 & 18
Satanæ tradi quid 175.53
Satanæ tradi qui dicantur 176.2
Satanæ tyrannis in Eccleſiam 713.31
Satanas num poſſit ſancti alicuius ſtudium impedire 535.45
Satanas quomodo dicatur conteri ſub pedibus noſtris 148.3
Satan auctor & caput hæreſeon & ſcandalorum 1.26
Satan cupiens Eccleſiam Chriſti euertere, ſpe ſua non raro fruſtratur 3.37
Satan qualis ſit ſpiritus 176.1
Satan ſpe ſua fruſtratus magis furit 3.37
Satisfactionis Canonicæ refutatio 221.15
Satisfactionis commenti refutatio 333.56
Scandala in doctrina & moribus, tribulis ac zizanijs comparantur 1.24
Scandala, quantum fieri poteſt, cauenda 298.47
Scandali diſtinctio 329.44
Scandalo alijs non ſimus 329.54
Scandalo nocere quantum peccatum 138.5
Scandalorum caput & auctor Satan 1.26
Scandalum 654.3
Scandalum crucis quid 359.3
Scandalum cauendum in rebus adiaphoris 137.35
Scandalum non eſſe vbi eſt dilectio 757.1
Scandalum vitandum 972.57
Scelera prudenter arguenda 716.24
Scelerum impletio in impijs 535.6
σχῆμα λόγου 516.10
Schiſma Corinthiorum vnde ortum 153.19
Schiſma quid 362.31
Schiſmata in Eccleſia non facienda 169.1
Schiſmati tria opponuntur 156.17
in Scholam Chriſti proprij ingenij aut doctrinæ fiducia non afferenda 169.30
Scholarum piarum vtilitas 151.30
Scientia 278.41 & 709.2
Scientiæ ſalutaris definitio 195.43

Scientia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Scientiæ opinione tantum qui tumeant 195.49
de Scientia fruſtra quinam glorientur 195.55
Scientia non temperata caritate, non eſt vera ſcientia 195.31
Scientia per ſe non inflat, ſed vicio hominum 195.35
Scientijs & artibus liberalibus quinam recte vtantur 195.38
Scriba qui 158.44
Scriptorum veterum conſenſus 334.57
Scripturæ conſuetudo loquentis de toto corpore Eccleſiæ 343.10
Scripturæ finis 636.44
Scripturæ interpretatio linguarum cognitioni in cœtu præferenda 230.31
Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ commendatio 719.49
Scripturæ ſacræ auctorem eſſe Deum 831.45
Scripturæ ſacræ autoritas 677.5
Scripturæ ſacræ commendatio 636.27 & 733.23
Scripturæ ſacræ ſtudium ſerium eſſe debet 710.10
Scripturæ verba audita nihil proſunt, niſi accedat fides audientis 203.59
Scripturæ vſus quadruplex 636.36
Scriptura ſacra ad omnes pertinet 207.47
Scrupulus de vocatione Pauli ad Apoſtolatum diuinitus facta 323.28
Scortatio 361.49
Scortationis effectus proprius 183.39
Scortatio iniuſticiæ ſpecies 23.8
Scortatio inter res medias non collocanda 182.38
Scortatione Paulus intelligit omnem venerem extra matrimonium 183.57
Scortationis quanta turpitudo 908.29
Scortatio quam habeat cum coniugio ſimilitudinem 183.18
Secare verbum Dei recte quid ſit 629.48
Secubationem perpetuam cur Paulus prohibeat 186.25
Secta quid 362.36
Seculo huic renunciandum 124.34
Secundis rebus recte vti difficilimum 692.33
Secure non viuendum 76.56
Securitas Chriſtianorum vnde 797.33
Securitas duplex, ſtulta & ſancta 207.53
Securitas Epicurea 919.17
Securitas ſtulta maximopere fugienda 207.47
Sedere ad dexteram Dei quid ſit 396.33 & 836.40
Seditio 277.43
Sedulitas in functione commiſſa à Deo requiritur 143.25
Semina prima tenacius adhæreſcunt 174.13
σεμνότης 652.58
σεμνότης duo complectitur 313.42
Sermo pro prædicatione Euangelij 286.28
Senes pietatis ſint ſtudioſi 758.3
Senium pium quæ virtutes ornent 652.44
Senſus ſpiritus φρόνημα quid 90.5
in Senſu ſuo quilibet certus ſit 197.25
ad Sententiam fugiendum vbi ſignificatio ex ipſa voce peti nequit 100.27
Sententias ex prophanis ſcriptoribus aſſerre, non eſſe neſas 649.57
Separatio coniugum permiſſa ab Apoſtolo 187.37
Sepulturæ Chriſti virtus 65.12.36.42
in Sermone gratiam & ſalem requiri 521.20
Sermo ſanus 653.51
Seruetus impie abutitur loco Paulino 273.43
Seruilis conditio cum libertate Chriſtiana non pugnat 190.42
Seruis fidelibus cur obœdiendum etiam prauis dominis 686.31
Seruitutis iugo quid Paulus ſignificet 355.16
Sermones futiles fugiendi 930.28
Seruitus ſpiritualis 191.1
Seruorum obœdientia 616.8
Seruorum obœdientia non pugnat cum obœdientia Dei 191.14
Seruorum officia 443.31 & 519.32 & 61.44
Seruorum ſtatus Deo placens 443.56
Seſſio Chriſti ad dextram Dei 834.10
Seſſio Chriſti ad dextram Dei quomodo intelligenda 836.26
Seſſio Chriſti ad dextram de regnandi poteſtate 396.19
Seueritatis exemplum in Paulo 307.12
Signa 840.13
σημεῖα & τέρατα quomodo Græci diſtinguant 305.4
Similitudo pro conformitate 65.57
Simulacra carere religione 800.31
Simulacra ſanctos patres ſemper damnaſſe 800.18
de Simulacris auctoris conſilium 801.17
de Simulacris cauendis commonefactio 798.46
de Simulacri diſputatio inter Lutherum & Caroloſtadiū 800.51
Simulacrorum inuentio 798.52
Simulacrorum occaſio inter Chriſtianos 799.28
Simulatio 680.39
Sina 905.10
Sina mons cur tangibilis 904.46
Sinceritas 278.40
Sion 905.11
σκεύη anathematica 320.55
σκηνή 875.32
σκύβαλον 476.19
Sobrietas quid 545.47 & 648.12 & 652.45 & 653.17 & 655.43
Sobrietatis & vigilantiæ commendatio 703.41
Sobrietatis præceptum 361.9
Socratis de colendo Deo ignorantia 916.50
Societas ſpiritualis noſtra cum Chriſto, non ad animam tantum ſed ad corpus etiam pertinet 183.5
in Societate omni tria ſpectari 742.16
in Sollicitudine neceſſaria & ſancta quatuor conſideranda 482.51
Sollicitudinis de victu probitione non commendari ignauiam 952.3
Sollicitudinis ſanctæ commendatio 849.45
Sollicitudo mixta 483.27
Sollicitudo neceſſaria & ſancta quæ 482.39
Sollicitudo triplex 482.35
Sollicitudo vana & profana 483.18
Sol typus Chriſti 112.22
Somniorum interpretatio Dei donum & vtilis 11.29

Sophiſticæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Sophiſticæ quid opponendũ 388.20
σώφρων 648.11
σωφροσύνη 653.30
Sordities 908.40
Soſthenes qui fuerit 154.49
Super ſpe credere 51.14
Speculi contemplatione cur adeo labilis ſit memoria 931.33
Spei certæ & immotæ exemplum 460.13
Spei Chriſtianæ fundamentum firmum 546.29
Spei commendatio 863.7
Spei definitio 89.28.35
Spei fiducia vnde 863.13
Spei obiectum 546.15
Spei proprietas 529.24
Spei repugnantia 89.29
Spem abijcientes regno Chriſti excluduntur 889.58
Spem non confundere 785.52
Spes 55.19 & 448.6 & 923.13
Spes cur in cœlum dirigenda 863.22
Spes & fides vt differant 794.24
Spes piorum extra captum humanum 493.55
Spes propter præſentem rerum aſpectum non abijcienda 767.56
Spes pro re ſperata 89.34 & 393.59
Spes vitæ æternæ qua re excitetur 56.10
Spinæ Eccleſiam ceu roſam pungentes quæ ſint 1.23
cur Spiritibus prædicaſſe Chriſtum in carcere Petrus dicat, non autem hominibus 694.6
Spirituales qui dicantur 165.13 & 371.46
Spiritualia dona quæ 222.4
Spiritualium qualis conditio 164.19
Spiritu ambulare quid 360.50
Spiritu Dei quinam agitentur 781.40
Spiritu Dei vel Satanæ qui ducantur 222.29
Spiritui cuiuis non credendum 781.21
Spiritui ſancto acceptum ferendum quicquid donorum habemus 222.55
ſecundum Spiritum ambulantes eſſe ſub gratia 83.1
ſecundum Spiritum ambulare 81.12
Spiritum Chriſti habentes liberi ſunt à condemnatione 85.12
ſecundum Spiritum qui dicantur ſapere 83.36
ſecundum Spiritum qui ſint 82.50
Spiritum ſanctum extinguere quid 548.12
Spiritus 791.36 & 892.14 & 821.33
Spiritus aduerſus carnem quomodo exuſcitandus 76.59
Spiritu ſancto quando obſignari dicamur 392.1
Spiritu S. quinam deſtituantur 785.10
Spiritus caritatis 784.59
Spiritus Chriſti ductus tantum in vita ſequendus 369.40
Spiritus Chriſti habitantis in hominibus renatis fructus 85.19.40
Spiritus Chriſti indicium 369.31
Spiritus Chriſti præſentiæ nota 623.46
Spiritus Chriſti præſentia in fidelibus vnde poßit cognoſci 85.36
Spiritus Chriſti pro Euangelij prædicatione 556.58
Spiritus compunctionis 115.38
Spiritus cur fructus nominet Apoſtolus non opera 563.44
Spiritus Dei ductus qui ſit 87.5
Spiritus Dei effectus in conuerſis 87.14
Spiritus Dei examen ſignificatur per ignem 167.43
Spiritus Dei & ſpiritus mundi differunt 163.16
Spiritus Dei & verbum inſeparabiliter coniuncta 120.3
Spiritus Dei præſentia quomodo ſciri poßit 86.56
Spiritus Dei ſolus nouit conſilia & voluntatem Dei 163.10
Spiritus Dei vi ſcrutamur & intelligimus ſalutis noſtræ myſterium 163.21
Spiritus diuini virtus 87.57
Spiritus effectus in conuerſis 265.19
Spiritus eſſe probandos 781.25
Spiritus & carnis diſsidium 367.23
Spiritus & carnis lucta perpetua 361.3
Spiritus gratiæ 884.43
Spiritus hominis cum ſpiritu Dei collatio 163.5
Spiritus idem eſt patris & filij 86.10
Spiritus impulſus & carnis ferocia quid differant 77.16
Spiritus indies magis magiſq; excitandus 127.43
Spiritus mortificationis & viuificationis 785.31
Spiritus precum 784.48
Spiritus pro diuinitate Chriſti 693.47
Spiritus qui fructus 363.41
Spiritus quomodo accipi dicatur 87.17
Spiritus ſancti diſtributiones 840.28
Spiritus ſancti diuinitatis teſtimonium 162.58
Spiritus ſancti donatio eſt gratuita 184.14
Spiritus ſancti effectus in pijs quatuor 255.54
Spiritus S. fructus 432.43
Spiritus S. fructus in nobis 780.51
Spiritus S. habitatio in nobis quomodo cognoſcatur 784.40
Spiritus S. obſignatio 429.31
Spiritus S. officium 56.3 & 89.39
Spiritus S. officium in purgandis, ſanctificandis, & iuſtificandis hominibus 182.1
Spiritus S. officium ſeu effectus 623.42
Spiritus S. arra. 366.5
Spiritus S. arrabo quid efficiat in ſanctis 271.38
Spiritus S. autor coagmentationis noſtræ cum Chriſto & inter nos 125.21
Spiritus S. collati vſus 392.6
Spiritus S. cur promißionis ſpiritus 392.3
Spiritus S. cur ſpiritus adoptionis à Paulo dicatur 87.24
Spiritus S. dona immortalitatis pignus 271.32
Spiritus S. cuſtos donorum Dei in nobis 625.50
Spiritus S. Eccleſiæ doctor eſt per verbum vocale 162.55
Spiritus S. fidem operatur 181.59
Spiritus ſanctus hyſſopo comparatus 879.45
Spiritus ſanctus in cordibus piorum 828.7
Spiritus ſanctus myſteriorum Dei vnicus magiſter 162.52
Spiritus S. qua re expellatur 56.11
Spiritus S. quid ſignificet 278.45

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Spiritus S. quomodo accipiatur fide, cum ipſe in nobis fidem creet 342.10
Spiritus ſanctus quomodo probetur quod ſit in homine 56.7
Spiritus ſanctus quomodo dicatur ſpiritus ſeruitutis in timorem 87.19
Spiritus S. quomodo triſtari dicatur 429.21
Spiritus ſeductorij qui 640.38
Spiritus ſeruitutis & ſpiritus adoptionis differunt 87.10
Spiritus timiditatis 623.44
Spiritus vita membrorum 125.33
Spiritus vocabulo quid ſignificetur 73.15
Spiritus vocabulo quid ſcriptura intelligat 360.42
Spirituum diſcretiones 223.27
in Spiritu vno ſtare quid 461.39
σπλάγχνα 777.13
Splendor vultus Moſaici quid ſignificet 263.54
Stare in Domino 538.25
Staphyli error refutatus 318.37 & 713.38
Statio ob leuem iniuriam non deſerenda 301.30
Statuarum veneratio Papiſtica impia eſt 208.35
Status hominis optimus in duobus conſiſtit 816.6
Status rerum poſt iudicium 275.59
Stenckfeldianorum refutatio 318.26
Stenckfeldij error 396.15
στενοχωρία 277.41
στενοχωρούμενοι 268.6
Stigmata quid 379.30
Stimulus pro omni tentationis genere 303.20
Stipendia laboribus perſoluenda 199.52
Stratagema diabolicum 5.12
Stipendia miniſtri Euangelij recuſare non debent 298.15
Stipendia miniſtris Euangelij denegare ſumma ingratitudo eſt 298.28
Stipendia miniſtris verbi deberi 486.1
à Stipendio cur Paulus abſtinuerit 299.2
Stipulandi forma in baptiſmo vnde orta 695.7
Stoicæ neceßitatis euerſio 16.35 & 103.14 & 457.1 460.3 & 576.35
Stoicæ prædeſtinationi quid opponendum 457.17
Stoicæ prædeſtinationis euerſio 805.2
στοιχεῖν 48.50 & 478.50
Stoici fati euerſio 724.58
Stoicorum error, peccata eſſe paria, contendentium refutatus 935.11
στοργαὶ 633.38
στοργαὶ φυσικαὶ 494.53
Studia piorum quo referenda ſint 619.20
Studium Chriſtianorum proprium 138.36
Studium Chriſtianorum quodnam potißimum eſſe debeat 378.44
Studium noſtrum ſit conforme voluntati Dei 124.40
Studium piorum quale in hac vita 138.26
Stulticia ex ignorantia 685.33
Stulticia mundi quid 169.26
Stulti fiamus mundo neceſſe eſt, ſi ad ſapientiam Dei peruenire cupimus 169.20
Sua quærere quinam dicantur 471.11
Subditi quomodo præſtent dilectionis opera Magiſtratui 360.3
Subiectio cui magiſtratui debeatur 130.21
Subiectio cur magiſtratui debeatur 130.24.27
Subiectio magiſtratui debita duo continet 130.18
Subiectionem placere Deo 654.9
Subiectio omnibus præcipitur 130.7
Subiectionis mutuæ præceptum 435.31
Subiectio pietatem non euertit 130.12
Succeſſores Pauli quinam ſe falſo glorientur eſſe 415.24
Succeſſus proſper rerum à Deo 16.37
Sufficientia contenti ſimus 617.29
Sufficientiæ modus 617.35
Sumtus pietatis nomine factus, lucrum 726.43
Superbiæ effectus 171.45 & 374.7
Superbi 633.30
Superbia 464.54
Superbiæ & auaritiæ quænam medeantur 295.36
Superbia Spiritum S. expelli 56.11
Superbis Deum reſiſtere 703.15
Superbire 23.43
Supererogationis operum commentum à Papiſtis falſo extruitur è loco Pauli 201.20
Superſtitio à maioribus accepta tenaciter hæret 207.1
Suppliciorum æternorum teſtimonium 701.31
Suſurrones 23.31
Suum quatenus quiſq; non debeat quærere 210.48
Symbolorum teſtimonia 834.49
Symbolum vnde dicatur 565.48
συμπάθεια 689.49 & 852.50
συμπάθεια Chriſtianorum qualis eſſe debeat 228.18 & 145.18 & 426.24
συμπάθεια miniſtrorum & auditorum verbi 257.39
συμπάθεια quid 888.48
συνευδοκοῦντες 24.23
συνθήκη 23.56

T

Tabernaculi Moſis duplicis cur mentionem faciat Epiſtola ad Ebræos, cum vnum tantum fuerit 876.1
Tabernaculi vſus 876.49
Tabernaculum carnale vmbra cæleſtis tabernaculi 872.4
Tabernaculum Moſaicum cuius rei figura fuerit 876.2
Tabularum lapidearum & carnearum antitheſis 262.32
ταπεινοφροσύνη 516.59
τέλος vectigal quid 132.14
Temperantia 368.20 & 633.52 & 709.2
Temperantia σωφροσύνη 652.51
Templi parietes cur à Paulino picturis veteris teſtamenti fuerint ornati 799.35
Temporis viuendi in tres partes diuiſio 760.18
de Temporũ obſeruatione quid ſentiendum 348.53
Temporum obſeruatio quadruplex 348.34
Tempus liberationis Deo non præſcribendum 889.48
Tempus redimere 434. & 521.12
Tenacitas 908.49
Tenacitas parentum 968.19
Tenebræ & lux in creatione quarũ rerum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

rerum typus fuerint 267.43
Tenebræ ignorantiæ 133.35
Tenebræ in ſacris literis quid ſignificent 545.30
Tenebræ pro ignorantia Dei & peccato 446.48
Tenebræ pro non conuerſis 432.30
Tenebræ pro tempore ante Chriſtum natum 756.26
Tenebras in ſcriptura dupliciter accipi 469.14
Tentare Deum quid ſit 846.47
Tentari à Satana quando homines dicantur 537.48
contra Tentationem de cruce & afflictionibus in hac vita ſuſtinendis 88.1
contra Tentationem de peccati magnitudine 63.6
contra Tentationem de peccato 91.20
Tentationes à rebus circumſtantibus 928.31
Tentationes à Satana obijciuntur in perniciem hominum 303.32
Tentationes Diabolicæ quomodo vincendæ 928.22
à Tentatione ſolus Deus poteſt eripere 303.51
Tentationes Pauli ſcrupuloſe inquirendas non eſſe 303.21
Tentationes ſpiritualibus armis vincendæ 303.34
Tentationibus non indulgendum 303.4
in Tentationibus pijs non deeſt Deus 208.12
Tentationibus quæ oriuntur à rebus circumſtantibus quid medeatur 928.34
Tentationibus quo minus ſuccumbamus vires Deus ſuppeditat 303.56
Tentationi Deus modum imponit & vires ſuppeditat 208.15
Tentationi mundi quid opponendum 928.5
Tentationi præſumtionis quænam medeantur 928.44
Tentationis ad male agendum cauſſa 926.58
Tentationis cauſſam Deum non eſſe 926.47
Tentationis multa genera 927.10
Tentationis omne genus ſtimulo comparatum 303.20
Tentationis ſeductionis tres differentiæ 927.58
Tentationum euentus piorum & impiorum diſcrimen 922.56
Tentationum finis 303.29.57
Tentationum in pijs effectus 923.5
Tentationum oneri non ſuccumbens beatus 926.19
Tentatio particularitatis 37.24 & 40.40
Tentatio præſumtionis quid 928.40
Tentatio pro omni eo quod curſum pietatis impedit 208.9
Tentatio probationis quid 928.52
Tentatio quid 927.7
Tentatio ſeductionis duplex 927.16
Tentatio ſeductionis quid 927.12
τέρατα & σημεῖα, vt diſtinguantur 840.18
Terræ prouentus non caſu obtingunt ſed Dei munificentia 291.12
Terram ex aqua & per aquam conſtitiſſe cur dicat Paulus 720.32
Teſtamenti noui deſcriptio 873.15 & 878.41
Teſtamenti noui firmitudo 878.44
Teſtamenti noui fructus 873.15
Teſtamenti noui maior quam veteris dignitas 899.52
Teſtamenti veteris abrogatio quomodo intelligenda 883.13
Teſtamenti veteris annexa 875.23
Teſtamenti veteris dedicatio quid ſignificarit 879.27
Teſtamenti veteris & noui diſcrimen 880.4
in Teſtamento omni quinque ſpectanda 219.14
Teſtamentum nouum morte filij Dei confirmatum 879.22
Teſtamentum nouum præſtantius veteri 872.23.25
Teſtamentum nouum quid ſit 868.43 & 873.40
Teſtamentum nouum veteri ſtabiliri 677.4
Teſtamentum vetus quale pactum 873.5
Teſtimonia diuinitatis Chriſti 206.14
Teſtimonia patrum de indurandi verbo, de efficaci Dei induratione non intelligenda 101.2
Teſtimonio Dei mox fidem habendam 792.50
Teſtimonium Dei patris de filio ſuo quatuor continet 737.1
Teſtimonium diuinitatis Chriſti 207.27
Textus obſcurior 105.15
θεοδίδακτοι qui dicantur 542.21
Theraſius Conſtantinopolitanus patriarcha 799.54
Theſſalonica 525. & 528.41
θλίψις 277.39
Thraſones quibus delectentur hominibus 370.45
θρόνος quid ſignificet 499.3
Thronus Dei duplex 853.3
Thuribulum aureum quid figuret 876.20
θύμοι 362.21
θυμὸς 515.50
θυσίαι 854.16
Timor Dei quid efficiat 169.33
Timor duplex 786.33 & 849.35
à Timore Dei omnia commoda pendere 690.29
ad Timorem Dei adhortatio 221.52 & 176.6
Timoris commendatio 118.18
Timoris Dei & gratitudinis erga Deum præceptum 554.19
Timoris Dei neceſſitas 850.2
Timoris Dei proprium 432.9
Timoris Dei veri deſinitio 849.34
Timoris ſeruilis & filialis diſcrimen 786.43
Timor Magiſtratui debitus quid 132.16
Timor quomodo Deorum excogitatorum ſit origo 799.12
Timothei commendatio 470.49 & 537.5
Titulus non diſcernit pium ab impio ſed fides 29.19
Tolerantia 278.42
Tolerantiæ commendatio 19.44
Tolerantia fidei argumentum 551.51
Tolerantia μακροθυμία 517.5
Tolerantia quid 55.48 & 504.45 & 420.34 & 495.43
τράχηλος 852.17
Traditiones diuinæ & humanæ differunt 574.20
Traditiones humanæ cum cultus gratia defenduntur miniſtri Euangelij fruſtra laborant 349.7
Traditiones humanæ cum opinione cultus Eccleſiæ non obtrudendæ 910.29

Traditiones humanæ in ſalutis negocio non admittendæ 508.32
Traditiones humanæ mendacia 718.21
Traditiones humanas Eccleſiæ corpus redigere in nihilum 512.7
Traditiones humanas non adijciendas doctrinæ Euangelicæ 330.11
Traditiones humanas non poſſe eſſe cultum Dei 650.46
Traditiones humanas non requiri à iuſtificandis 339.6
ad Traditiones humanas ſe conuertentes ſunt idololatræ 348.29
Traditiones inutiles pios ad obœdientiam non obligant 233.46
in Traditionibus humanis duo obſeruanda 605.15
in Traditionibus humanis tria diligenter cauenda 574.33
Traditionum humanarum non eadem ratio 574.24
Traditionum humanarum reiectio 570.44 & 412.18
Traditionum licentiam quomodo Papiſtæ ſtabilire conentur 574.38
Traditionum Papiſticarum damnatio 506.45
Traditio triplex 574.18
Transfigurare vel transformare quid 299.21
in Transfiguratione Chriſti cur Moſes & Elias apparuerint 712.4
in Transfiguratione Chriſti cur Petrus, Iacobus & Iohannes fuerint 712.1
Transformatio corporum corundem futura 480.14
Transformatio corporum in quibus rebus conſiſtat 480.10
Transformationis corporum modus 480.18
Transformatio ſanctorum duplex 768.6
Transſubſtantiationis papiſticæ refutatio 209.17 & 217.21
in Tribulatione refugiũ tutiſſimum fiducia firma in Deum 252.57
Tributa cur imponantur 953.30
Tributorum iniuſtorum damnatio 953.36
Trinitatis teſtimonia 86.8 & 196.24 & 222.59 & 309.15 & 347.34
Triſtitia ad pœnitentiam ſalutaris 283.10
Triſtitiæ duo genera 283.30
Triſtitiæ ſecundum Deum effectus 284.1.12
Triſtitia ſecundum Deum qualis ſit & vnde naſcatur 283.38
Triſticia mundi quæ & quotuplex 283.43
Turcicus tyrannus turpiſſimorum affectuum ſeruus eſt, & diaboli mancipium 199.19
à Turpiloquio dehortatio 429.10
Turpiloquium 516.5
Turpitudo nulla impunita 908.26
Typica omnia teſtamenti veteris Chriſto, Eccleſiæ & eorum ornamentis ſpiritualibus accommodanda 875.53
de Typis regula 865.35
Typorum veteris teſtamenti accommodandorum regulæ 875.48
Typus promiſſionis factæ Abrahæ 96.56
Tyranni & impij reſeruantur ad commeritas pœnas 99.35
Tyranni quibus hominibus delectentur 370.45

V

VAletudinis rationem negligens reus coram Deo 615.5
Valetudinis ratio non negligenda 615.1
Vaniloquium 649.10
Vaſa miſericordiæ qui ſint 104.22
Vaſorum ſignificationes 630.54
Vas pro corpore 540.57
Vas pro vxore 541.7
Vaticinium de aduentu Chriſti 760.26
Vaticinium de regno Chiſti inter gentes 142.15
Vaticinium de vltimo temporum ſtatu 604.4
Velamen cordi impoſitum, legis intelligentiam impediens, quamdiu maneat, & quomodo tollatur 265.1
Velamen Moſis ſymbolum fuit Propheticum 264.34
Velle & currere nunquid debeamus 98.57
Venditio 955.31
Venditum eſſe ſub peccatum 76.49
Veneficium 362.2
Venia lapſis non neganda 118.58
Venter & Satan cur dicantur dij huius ſeculi 267.4
Venter quibus Deus 479.31
Verba nulla niſi legantis Chriſti aſſerenda 274.53
Verbi audiendi neceſſitas 939.36
Verbi Dei commendatio 425.7
Verbi Dei amuſſis ſequenda 334.50
Verbi Dei auctor 839.55
Verbi Dei Epitheta 851.25
Verbi Dei finis 708.22
cum Verbi Dei hoſtibus nulla habenda ſocietas 178.41
Verbi Dei lectio à peccatis auocat 380.16
Verbi Dei lectio quid vtilitatis habeat 380.33
Verbi Dei magicus vſus, papiſticus 448.18
Verbi Dei neglecti pœna 230.55
Verbi Dei propagatio quomodo facta 839.57
Verbi Dei ſegnius auditi pœna 372.12
Verbi Dei ſeu religionis Chriſtianæ certitudinis teſtimonia 825.8
Verbi Dei ſtudio opus nullum præſtantius 380.11
Verbi Dei vis & efficacia 231.36 & 851.22
Verbi diuini contemti pœna 491.25
Verbi diuini vnum & eundem authorem eſſe Deum 832.31
Verbi profectus Deo ſoli aſcribendus 538.32
in Verbis cœnæ Dominicæ nullum eſſe tropum; ſed in ſenſu ſynecdochen 206.33
Verbi vocalis dignitas 613.40
Verbo Dei fides habenda 534.22
Verbo Dei firmiter fidendum 644.23
Verborum Pauli explicationes diuerſæ 157.34
ſine Verbo ſaluari neminem poſſe 688.35
Verbum 748.19
Verbum Dei 448.13
Verbum Dei accurate diſcendum 230.38
Verbum Dei cauponari qui dicantur 261.12
Verbum Dei corda examinare 852.1
Verbum Dei cur diuidere animam & Spiritus dicatur 851.46

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Verbum Dei cur efficax 851.26
Verbum Dei cur fidele 648.41
Verbum Dei cur gladius biceps 851.41
Verbum Dei cur viuum 851.27
Verbum Dei cuſtodire quid 931.3
Verbum Dei docentes, qua reuerentia ſint audiendi 110.53
Verbum Dei eſt ignis conſumens 168.14
Verbum Dei ex ſinceritate prædicandum 261.24
Verbum Dei mortificat hominum culpæ 851.33
Verbum Dei neminem celandum 549.3
Verbum Dei quales auditores requirat 930.44
Verbum Dei quamdiu fruſtra audiatur 534.27
Verbum Dei quando ſit gladius ſpiritualis 448.25
Verbum Dei quanta cum reuerentia & ſtudio tractandum 449.12
Verbum Dei quanti faciendum ſit 230.52
Verbum Dei ſecare quid 261.21
Verbum Dei ſtudioſe audiendum 839.33
Verbum Dei tantum admittendum 540.11
Verbum Dei vt dux ſequendum in omnibus 855.14
Verbum & ſacramenta 766.10
Verbum habentes non ſunt omnes fideles 111.36
Verbum recte ſemel cognitum conſtanter defendendum 327.28
Verbum vocale non negligendum 719.51
Verbum vocale non reijciendum 873.55
Veſtes Chriſtianorum 270.56
Veſtium luxus 966.52
Veteris hominis adiuncta 429.36
Vetus homo quid ſignificet 427.48
Veritas 484.11 & 653.13 & 761.30
Veritas in rebus præceptis & prohibitis nunquam occultanda 197.7
Veritas parit odium 358.1
Veritas ſectanda 428.29
in Veritate ambulare quid 803.36
in Veritate cognoſcenda adhibenda eſt diligentia 107.26
Veritatem homines ſuſtinere non poſſe 638.36
Veritatem in iniuſticia detinere quid 20.17
Veritatis hoſtes 334.48
Veritatis oppugnatione nihil grauius ferendum 640.33
Veritatis oppugnatione nihil grauius Paulum tuliſſe 640.33
Veritatis partes 20.38
Veritatis propugnandæ ſtudium commendatur diuinitus 631.43
Veritatis ſermo quid 278.47
Veritatis ſimplex oratio 649.16
Verſio Græca alia quam ſeptuaginta interpretum extitit Apoſtoli tempore 105.6
Verſionis ratio 693.59 & 708.18
Verſionis varietas 856.27
Verſio textus vicioſa 135.55
in Via ambulare quid 803.31
Via Domini 480.43
Viæ Dei imperueſtigabiles 121.69
Via phraſi ſcripturæ pro vitæ inſtituto 816.12
Vicia pauca contagione inficiunt totam multitudinem 177.42
Viciorum propriorum conſideratio ad dilectionem fouendam facere 658.29
Viciorum propriorum conſideratio quid vtilitatis præſtet 658.35
Viciſſitudinis rerum cauſſa triplex 451.21
Viciſſitudinis rerum finis 451.36
Viciſſitudo rerum circulo vel rotæ comparata 450.13
Victimæ Chriſti efficacia 39.1
Victimas quatuor igni cœleſti accenſas fuiſſe legimus 826.28
Victoriæ genus ſanctiſſimum 129.21
Victoriæ glorioſæ teſtimonium 627.22
Victoria omnis à Deo 462.7
Victu cultuq; corporis quali vtendum 206.57
Viduæ iuuenculæ tribus vitijs obnoxiæ 612.48
Viduæ veræ quæ ſint 610.40
Viduarum cura habenda 610.37
Viduarum cura quæ eſſe debeat 611.18
Viduarum officium 610.46
Viduarum peculiares conditiones 611.41
Vidua vera quæ ſit 611.2
de Viduis 194.35
Viduitas bonum eſt non per ſe, ſed propter aliud 194.45
Vigilantiæ commendatio 721.28
Vigilantiæ præceptum 361.8
Vigilantia quæ requirat 703.43
Vigilantia quid 545.45
Vigilia & ſobrietas Chriſtianorum quo ſpectent 546.5
Vir aperto capite ſacris intereſſe precibus debet 213.22
Vir cur aperto capite eſſe debeat 213.56
Vir Deum repræſentat 214.1
Vir duplex animo qui ſit 925.44
Vires à Deo 702.10
Virga Aaron quid ſignificet 876.32
Virginitas quatenus ſeruanda 191.40
de Virginitate ex verbo expreſſo nihil haberi 191.32
Virilem ætatem ingreſſi quomodo peccent vſura 969.7
Viri præclari inferioribus conſtantiæ & virtutum ſint exempla 638.54
Virium humanarum imbecillitas 628.1
Virium humanarum in rebus ſalutis nulla facultas 262.46
Vir ob imperium in mulierem diuinitus ſibi datum ſuperbire non debet, nec illam deſpicere 214.28
Viro prolixos capillos inſtar mulieris alere dedecori eſt 214.47
Vir per mulierem eſt, vt per inſtrumentum 214.39
Vir qua ratione imago & gloria Dei dicatur 498.8
Virtus 484.18
Virtus calumnijs obruta vicij loco nonnunquam habetur 298.57
Virtus cur ſectanda 516.14
Virtus regni Chriſti 396.56
Virtutes 840.24
Virtutes Chriſtianæ indies creſcere debent 709.40
Virtutes Chriſtianorum quæ 286.31
Virtutes cur in ſcriptura dicantur fructus Spiritus 71.55
Virtutes miniſtrorum Eccleſiæ 288.46

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Virtutes non renatorum eſſe laruas, non fructus ſpiritus 363.52
Virtutes renatorum & non renatorum vt differant 368.7
Virtutes ſeu potentiæ Paulo quid ſint 305.12
Virtuti cur ſtudendum 653.23
ad Virtutis conſecutionem tria requiri 489.21
Virtutis præmium 816.52
Virtutis ſtudium agricolationi ſimile 489.33
Virtutum facultas quæ ſit 223.26
Virtutum omni generi incumbendum 467.43
Viſcera claudere qui dicatur 577.10
Viſiones ſuas cur Paulus referat Corinthijs 302.7
Vindicta Deo eſt committenda 129.11 & 529.11
Vindicta priuata prohibita 129.6
Vindictæ prohibitio 547.53
Vinolentia οἰνοφλυγία 696.43
Vita æterna cur ita dicatur 798.29 (793.24
Vita æterna donum Dei gratuitum
Vita æterna in Chriſto quærenda 793.26
Vita æterna non ſtipendium ſeruorum, ſed filiorũ hæreditas 678.18
Vita æterna quare dicatur hæreditas 392.8
Vita æterna quomodo dicatur finis ſeruitutis iuſticiæ 70.31
Vita æterna ſcopus certaminis Chriſtiani 618.28
Vita æterna vnde ſit 793.23
Vita anteacta ſtimulus ad pietatem eſſe debet 888.13
Vita beata ſecundum Ariſtotelem tribus bonorum generibus continetur 813.41
Vita beata ſecundum verbum Dei quæ ſit 813.43
Vita bene & honeſte inſtituenda 128.52
Vita Chriſtiana ad 6. capita reuocatur 661.49
Vita Dei 426.44
Vita Deo placens tranſigenda 123.36
Vita duplex 82.44 & 269.24
Vita duplex, naturæ & gratiæ 333.4
Vitæ æternæ cur non omnes fiant participes 793.33
Vitæ æternæ ſpes qua re excitetur 56.10
Vitæ æternæ ſtatus qui ſit futurus 673.51
Vitæ Chriſti efficacia 57.56
Vitæ Chriſtianæ forma 540.34
Vitæ Chriſtianæ partes 427.39
Vitæ Chriſtianæ præcipua officia 729.27
Vitæ Chriſtianæ qui ſcopus eſſe debeat 461.7 & 516.20 & 552.21 & 798.32
Vitæ generis libera cuiq; electio 952.18
Vitæ glorioſæ cauſſa materialis & efficiens 514.20
in Vitæ huius ſtadio ſternue currendum 900.43
Vitæ innocentiæ ſtudendum 133.20 & 447.40
Vitæ longæuæ in impijs cauſſa 440.48
Vitæ piæ & ſanctæ fructus 690.48
Vitæ quam in Chriſto habemus, cauſſa 333.16
Vitæ ſcopus totius qui eſſe debeat 141.26
Vitæ terminum non eſſe fatalem 440.59
Vitæ totius curſus depictus ſimilitudine 202.1
Vitæ & immortalitas vnde nobis contingat 619.5
Vitæ & mores, vocationi reſpondeant 654.43
Vitæ & victoriæ Chriſtianorum vis vnde pendeat 790.51
Vitæ ex mortuis quid 116.58
Vitæ prorogatio Dei donum 472.13
Vitæ reſtitutæ ſignum 509.50
Vitæ futura ſimilis ætati virili 227.47
Vita hæc non vt malum per ſe damnanda 472.9
Vita humana viæ comparata 803.30
ad Vitam æternam acceptatio credentis pars remiſſionis peccatorum 561.54
Vitam æternam eſſe donum Dei per Ieſum Chriſtum 27.14
Vitam æternam non ex merito noſtro ſed Chriſti pendere 70.37
Vitam æternam tantum contingere credentibus 793.27
Vitam impuram cum ſocietate Dei ſtare non poſſe 740.56
Vitam in melius non mutantes fruſtra de religione gloriari 697.21
ad Vitam rectiſſima via quæ ſit 793.52
Vitam teſtari cuius ſpiritu homo agatur 405.54
Vita paſtoris ſit doctrinæ ſpeculum 484.21
Vita pie cur tranſigenda 192.34
Vita piorum certamen 618.22
Vita præſens ſimilis infantiæ 227.34
Vita quando morti præferenda 472.35
Vita quomodo illuminetur 624.53
Vita quomodo inſtituenda 434.18
Vita ſtadio confertur 202.5
Vitia publice & priuatim corripienda 610.33
Vitia veteris hominis 690.5
Vitijs indulgentes nomine tantum ſunt in familia Chriſti 696.50
Vitium interdum fit officium propter aliquam circumſtantiam 296.27
Viuendi ratio lactis nomine ſignificata 680.29
Viuere Chriſto qui dicatur 273.24
Viuere Deo quid 332.49
Viuere in fide filij Dei qui dicantur 333.16
Viuere ſibi quid ſit 273.23
Viuere ſibi & viuere Chriſto diuerſa eſſe 273.21
Viuere ſibi & viuere Domino quid 136.34
Viuere ſitne interdum vtilius an mori 460.41
Viuificatio 66.43
Viuificatio in quibus rebus ſita 697.56
Viuificatio ſpiritus quid 369.10
Vltionis diuinæ teſtimoniũ 906.37
Vnanimitas quid 463.33
Vnanimitatis effectus 963.34
Vnctio fidelium 256.6
Vnctio papalis contumelioſa in ſanguinem filij Dei 580.4
Vnctio Papiſtica 980.20
Vnitas Eccleſiæ non ſcindenda 156.36
Vnitas Eccleſiæ propter doctores alios atque alios non ſcindenda 156.51
Vnitatis eſſentiæ diuinæ teſtimonium 190.22

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Vocalis verbi approbatio 351.23
Vocalis verbi reiectio impia 449.5
Vocali verbo ſua efficacia non detrahenda 90.55
Vocata ad Euangelium gratia non ſuperbe abutendum, ad contemnendum alios 117.42
Vocati iuxta propoſitum 90.14
Vocatio vniuerſalis 705.20
Vocatio ad Euangelium eſt vniuerſalis 934.4
Vocatio ad Euangelium gratuita 13.31 & 320.6
Vocatio ad miniſterium Euangelij non fortuita 322.56
Vocatio ad miniſterium Euangelij ſit legitima 13.13
Vocatio Chriſtianorum de quibus rebus intelligenda 419.56
Vocatio conſtantiam requirit 322.31
Vocatio diligentiam requirit 322.38
Vocatio Euangelij conditionalis eſt 120.36
Vocatio gentium ad Euangelium 318.47
Vocatio gentium auguſta & ſancta 123.51
Vocatio gentium occaſio obdurationis Iudæorum, non cauſſa efficax 120.15
Vocatio legitima non negligenda 323.1
ſine Vocatione in Eccleſiam non irrumpendum 644.25
Vocationem eſſe liberam 570.37
Vocationem legitimam duo requirere 952.10
Vocationem non temere fieri 669.59
Vocationem Pauli diuinam eſſe 331.7
Vocationem Pauli fuiſſe immediatam ſeu peculiarem 7.33
Vocationem ſuam cur Paulus magnificis plerumq; titulis extollat 317.46
in Vocatione neminem Deus derelinquit 909.19
Vocationis ad miniſterium Euangelij modi 318.12
Vocationis Chriſti ad ſacerdotium probatio 856.2
Vocationis Chriſtianæ dignitas 820.26
Vocationis certitudo neceſſaria 413.54
Vocationis communis nota 7.27
Vocationis difficultati quid opponendum 585.28
Vocationis dignitas 844.54
Vocationis diligentia 328.50
Vocationis finis 533.56
Vocationis gentiū cauſſæ tres 13.36
Vocationis gentium confirmatio 413.28
Vocationis Paulinæ finis 322.48
Vocationis Paulinæ immediatæ teſtimonium 7.39
Vocationis peculiaris notæ 7.20
Vocationis peculiaris partes quatuor 7.22
Vocationis ratio quatenus habenda 810.12
Vocatio non deſerenda 190.35
Vocationum ad miniſterium Eccleſiæ diuerſitas 7.15
Vocatio Pauli ad Apoſtolatum Eſaiæ teſtimonio commendata 143.50
Vocatio quæ requirat 952.8
Vocatio requirit diligentiam 323.47
Vocatio ſit legitima 143.55 & 274.54 & 318.7 & 855.11
Vocati qui 15.8 & 159.22
Voluntas bona Dei donum 291.57
Voluntas carnis 821.13
Voluntas Dei duplex 402.27
Voluntas Dei in quatuor cernitur 400.30
Voluntas Dei quæ ſit 914.39
Voluntas hominis quomodo ſe habeat in conuerſione 403.5 & 730.20
Voluntas humana non mere paſſiua in ſalutis negocio 576.31
Voluntas in renatis promtiſſima eſt 79.23
Voluntas non omnis ſpontanea 962.1
Voluntas quomodo ſe habeat in renatis 709.19
Voluntas ſpiritus 821.49
in Voluntate Dei completus qui dicatur eſſe 522.13
de Voluntate Dei & perſeuerantia finali bene ſperandum 548.46
Voluntatem Dei de ſalute per Chriſtum obtinenda pleniſſime reuelatam eſſe in Euangelio 832.32
Voluntatem Dei facere quid 759.51
Voluntatem humanã & actiue & paſſiue ſe habere 445.39
Voluntates contradictorias in Deo quinam impie ſtatuant 671.28
Voluntati Dei omnia ſubijcienda 245.16
Voluntatis Dei cognitio in qua re conſiſtat 495.5
Voluntatis Dei teſtimonia, de ſalute hominum 670.50
Voluntatis noſtræ conformitas cum voluntate Dei qualisnam eſſe debeat 124.43
Voluntatis vires in conuerſione 768.36
Voluptatem eſſe eſcam malorum à Platone dictum 611.17
Voluptatibus reſiſtens vitam ſuam coronat 716.45
Voluptatum duo genera 634.20
Vota papiſtica temeraria 612.38
Vota 564.50
Vota quo animo facienda 564.57
in Votis papiſticis duplex impietas 612.46
Votis piorum cur non ſucceſſus ſemper reſpondeat 483.2
de Votis regula 612.42
Vox doctoris efficacior quam lectio 16.53
Vox viua habet aliquid latentis energiæ 914.10
Vir cur aperto capite eſſe debeat 214.46
Viri extra matrimonium quid ſit 187.18
Vrna aurea quid ſignificet 776.29
Vſura belua ab Ariſtophane dicta 958.8
Vſura cur τόκος Græcis 958.6
Vſura diuinitus prohibita 958.22
Vſuræ centeſimæ 958.48
Vſuræ cur prohibeantur à ſcriptura 959.43 & 971.15
Vſuræ interdictum ex lege caritatis 961.54
Vſuræ malum quomodo quidam mitigare ſtudeant 961.43
Vſuræ prohibitiones eſſe quatuor 958.1
Vſuræ prohibitio politica 958.39
Vſura prohibita decretis ſanctarum ſynodorum 958.58
Vſuram committit, qui paciſcitur cum conditione lucri & damni vult eſſe expers 970.50
Vſuram eſſe contra naturam 958.5
Vſuram ipſa natura damnat 962.30

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Vſura num putanda, ſi pupillorum pecunia ditioribus mutuetur 970.53
Vſura quando non committatur, ſi quid vltra ſortem accipiatur 970.1
Vſura quid dicatur 957.40
Vſurarij à cœna Domini olim cur arcerentur 961.6
Vſurarij pecunia ſimilis morſui Aſpidis 959.31
Vſurariorum exceptio 961.56
Vſurariorum obiectio 962.8
Vſurariorum pœna Eccleſiaſtica 960.45
Vſurariorum pœna ſpiritualis 960.30
Vſurariorum pœna triplex 959.51
Vſurariorum punitorum exempla 960.2
Vſurarios indignos ſepulturæ Chriſtianæ honoribus 961.29
Vſurarios verbi tantum fidem nobiſcum Chriſtianam profiteri 961.3
Vſurarius contractus cur fugiendus 971.49
Vſuras quaſnam Imperatores admiſerint 958.50
Vſura ſtabilita caritatis norma euertitur 961.50
de Vſuris patrum ſententiæ 959.7
de Vſuris quænam tenenda 957.47 & 971.12
Vſus legis alius in renatis, alius in non renatis 80.1
Vſus ſeu finis vniuerſæ ſcripturæ 141.2
Vulgi gratitudo quænam eſſe ſoleat 350.33
Vulgi conſtantia 350.32
Vulturis eſus cur in teſtamento veteri interdictus 605.44
Vxorem an liceat homini non ducere, aut ducta ea, à thoro eius prorſus abſtinere 185.28
Vxorem diuerſæ religionis Chriſtiano non ducendam 810.56
Vxorem incredulam cur quidam non ducendam eſſe doceant 811.35
Vxorem incredulam pio non ducendam ſpe conuerſionis eius 814.51
Vxores eſſe diligendas 438.5
Vxores immorigeræ laqueis Satanæ ſe inuoluunt 436.11
Vxores ſubditas eſſe debere maritis 435.52
Vxoris officium 439.28
ab Vxoris thoro quando præſtet abſtinere, quando non 185.49
Vxor propter pericula non dimittenda 191.58
Vxor quid vtilitas habeat ex pia erga maritũ ſubiectione 436.13
Vxorum diligendarum modus 437.54
Vxorum ſubiectio 518.45
Vxorum ſubiectio ante & poſt lapſum diuerſa 435.56

X

XEnophon qua occaſione factus ſit Socratis diſcipulus 488.14

Z

ZEli contentioſi incõmoda 947.10
Zeli ſancti exemplum 207.14
Zelo bono quidem ſed errante aliquid faciens quadrupliciter peccat 107.17
Zelotypiæ diſtinctio 296.36
Zelus amarus 946.54
Zelus bonus 220.47
Zelus Dei duplex 107.23
Zelus duplex 362.16
Zelus intempeſtiuus ſeu ſtultus 301.35 & 329.1 & 532.24
Zelus Iudæorum cur erroneus ſtatuatur 107.28
Zelus Iudæorum inutilis & erroneus 107.10
Zelus laudabilis qui 289.33
Zelus pernicioſus qui cenſendus 107.14
Zelus Phineæ fidei declaratio 443
ζῆλοι 362.15
Zoilus κυὼν ῥητορικὸς 820.16

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

IMPRESSVM FRANCOFVRTI
ad Mœnum, apud Georgium
Coruinum.



M. D. LXXIX.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 801 2° copy 2